





DISPVTATIONES
MARII ALTERII
ROMANI
CANONICI, ET THEOLOGI
Vaticanæ Basilicæ S. Petri.
DE CENSVRIS ECCLESIASTICIS,
Nempè De Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto.
Cum explicatione Bullæ Cœnæ Domini.
Duobus Tomis comprehensæ.
Omnia sunt vel ex Theologia, vel ex Iure Canonico, vel Ciuili desumpta, & Sanctorum Patrum testimonijs, atq; Probatorum Auctorum Sententijs, & Historijs confirmata.
Rerum omnium notabilium in fine Secundi Tomi Index locupletissimus apponitur.
TOMVS PRIMVS.
Ioanne Baptista Robletto Imprimente
D. Horatij Alterij R. F. Sumptibus.
Christophorus Blancus Lotharingus sculpsit Romæ
Anno Domini MDCXVI. Superior. permissu



PAVLO QVINTO

PONT. OPT. MAX.



HORATIVS ALTERIVS F.



AVCIS proloquar B. P. ne in publica peccem commoda, si Te ex isto Culmine, orbi terrarum vniuerso prospicientem, ipse priuata in re pluribus morabor. Marius Alterius frater meus Basilicæ Principis Apostolorum Canonicus Theologalis, in obitu opus reliquit, à se per annos complures ac labore multo elucubratum, de Censuris Ecclesiasticis. Hoc ego, cum audissem à viris in hoc litterarum genere excellentibus cum quibus rem communicaui, opus esse omnium complexione numerorum absolutissimum, nec dubitare se, si ederetur in lucem, quin magnam orbi Christiano vtilitatem allaturum esset; statui, proferre tandem ad hominum oculos conspectumq; tam salutare Viri sapientissimi monumentum. Et quamquam res erat alicuius laboris, tamen prætermittendam mihi nulla ratione putaui, oblatam prope diuinitus occasionem, qua deuotus nomini Maiestatiq; Tuæ eum animum ostenderem, quo Te iampridem colebam atq; admirabar, cum inter Purpuratos Patres, ætate tua, non autem nostra opinione votisq; celerius iam tum omnium præsagitione destinabaris regimini. Nunc vero Christi vices inter homines referentem, tanto magis veneror, quanto ad sublime istud adoratumq; mundo fastigium excelsiores nobilioresq; Virtutes attulisti, quibus omnium populorum aduersum Te reuerentiam atq; obsequium comparasti. Annue igitur B. P. ista quæ Maiestati par est in te clementia, & fratris mei susceptos pro Apostolica Sede labores, Tui luce Nominis Illustrari, & simul me posterosq; meos tibi præ cæteris addictissimos, Patrocinio Tuo foueri non dedigneris. Sic Deus Optimus Maximus, cui vota pro Te non irrita fundere solemus, ad suæ gloriam Maiestatis, Religionisq; amplitudinem, vel de meis meorumq; annis augeat annos Tuos.

SVMMARIVM PRIVILEGII.

PRIVILEGIO S. D. N. Pauli V. Pontificis Maximi cautum est, ne quis per decennium imprimere, aut vendere in ditione Ecclesiastica audeat opus Marii Alterii de Censuris Ecclesiasticis, & Bulla Cœnæ absque licentia Horatii Alterii, vel eius haredum, ac successorum, sub pœna quingentorum ducatorum Auri de Camera, aliisq; pœnis, vt latius exponitur in dicto priuilegio Romæ dato, Apud Sanctam Mariam Maiorem. Die XXIV. Octobris. M. DC. XVII.

Imprimatur, si placet Reuerendiss. Pat. Mag. Sac. Pal. Apost.
Cæsar Fidelis Vicesger.

Opus de tribus Censuris Ecclesiasticis, & declaratione Bullæ Cœnæ Domini, Authore Perillust. & Reuer. D.D. Mario de Alterijs Romano, ea qua potui diligentia percurri à principio vsque ad septimum canonem ipsius Bullæ inclusiue, & nihil in eo, quod lædat catholicam fidem, aut bonos mores, deprehendi; Quinimmo illud, & ad tuendam potestatem Ecclesiasticam, & ad Censurarum Ecclesiasticarum vim, & energiam detegendam apprime vtile iudicaui. Die 2. Maij 1612.
Fr. Hieronymus Pallanterius Episcopus Bitontinus.

Ex Commissione Reuerendissimi Patris Sac. Palatij Apostolici Mag. P. Hyacinthi Petronij Ordinis Prædicatorum, perlegi totum hoc opus, De tribus Censuris Ecclesiasticis, & declaratione Bullæ Cœnæ Domini, Authore Perillustri, & Reuerendiss. D. D. Mario de Alterijs Romano, & quoad potui, diligenter consideraui; & nihil inueni fidei Catholicæ, vel bonis moribus contrarium; quin potius consonum, atque ad conseruandam Ecclesiasticam potestatem eruditissime accomodatum. 10. Iunij 1616.
Fr. Petruspaulus Philippius Magister Dominicanus.

Ego Io: Mattheus Moranzanus Iur. Vtr. Doct. Casaleñ ex commissione Reuerendissimi Patris Fratris Hyacinthi Petronij Romani Sacri Palatij Apostolici Magistri, tractatum de Censuris olim ab Illustri, & admodum Reuerendo Domino Mario Alterio Romano Ecclesiæ Principis Apostolorum de Vrbe Canonico compositum, vidi, accurate quantum potui perlegi, & non solum mihi aliquid quod Catholicæ Fidei Sacris Canonibus, Ecclesiasticæ immunitati, aut bonis moribus aduersetur occurrit; cum in mo omnia quæ in vtraq; censura tractantur, adeo docte eruditè ac diligenti calamo congessisse, & mature digessisse reperij, vt merito typis in omnium commodum, ac Reipublicæ Christianæ vtilitatem mandari valeat hac die 13. Decembris. 1616.
Io. Mattheus Moranzanus.

Ego Hippolytus Strada Philosophiæ, ac Sacræ Theologiæ Doctor, iussu Reuerendissimi P. Fratris Hyacinthi Petronij Mag. Sac. Pal. Apostolici, perlegi opus de Censuris Ecclesiasticis admodum Illustris, & Reuerendissimi D. Marij Alterij, & non modo quicquã in eo reperi contra Fidem, Sacros Canones, aut bonos mores, sed dignum existimaui, quod Typis impressum in omnium manus summa cum Authoris gloria, & legentium tum Theologorum, tum Canonistarum fructu, deuenire possit. In quorum fidem &c. Datum Romæ, hac die 22. Mensis Decembris. 1616.
Hippolytus Strada Philosophiæ.

Imprimatur,
Fr. Gregorius Donatus Magister, Reuerendissimi P. Fr. Hyacinti Petronii Sac. Apost. Palatii Magist. Socius &c.

INDEX LIBRORVM DISPVTATIONVM, ET CAPITVM.

PRIMI TOMI.

LIBER PRIMVS.

DE NATVRA EXCOMMVNICATIONIS, ET DE ijs, quæ spectant ad eius rationem formalem.

DISPVTATIO PRIMA.

De Censuris Ecclesiasticis in genere.

DISPVTATIO SECVNDA.

De voce excommunicationis, de definitione, de differentia, ab alijs Censuris, & de diuisione.

DISPVTATIO TERTIA.

De Potestate excommunicandi.

DISPVTATIO QVARTA.

De excommunicatione minori.

DE EXCOMMVNICATIONE MAIORI.

DISPVTATIO QVINTA.

De secundo effectu excommunicationis maioris, nempè de priuatione participationis sacramentorum.

DISPVTATIO SEXTA.
De Incapacitate Excommunicati ad recipiendum Sacramenta Ecclesiæ.

De eodem secundo effectu excommunicationis maioris.

DISPVTATIO SEPTIMA.
De incapacitate excommunicati ad conficiendum, & administrandum Sacramenta.

De eodem secundo effectu excommunicationis maioris.

DISPVTATIO OCTAVA.
De validitate sacramentorum, si conferantur ab excommunicato Ministro.

De tertio effectu principali excommunicationis maioris, idest de priuatione quorundam bonorum externorum, quæ ratione excommunicationis interdicuntur, & significantur nomine priuationis extrinsecæ communionis.

DISPVTATIO NONA.
De priuatione externæ Communionis.

De eodem tertio effectu Excommunicationis.

DISPVTATIO DECIMA.
De bonis, quæ nomine priuationis externæ communionis includuntur.

Caput

LIBER SECVNDVS DE EFFECTIBVS EXCOMMVNICATIONIS MAIORIS.

DISPVTATIO PRIMA.

DISPVTATIO SECVNDA.

DISPVTATIO TERTIA.

DISPVTATIO QVARTA.

DISPVTATIO QVINTA.

DISPVTATIO SEXTA.

De nono effectu excommunicationis.

DISPVTATIO SEPTIMA.

DISPVTATIO OCTAVA.

LIBER TERTIVS
DE QVATVOR GENERIBVS CAVSARVM,

QVAE IN EXCOMMVNICATIONE PRONVNCIANDA attendi & seruari debent, & de subiecto excommunicationis, idest de his qui possunt excommunicari.

DISPVTATIO PRIMA.

DISPVTATIO SECVNDA.

Ca-

Ca-



LIBER QVARTVS DE ABSOLVTIONE AB EXCOMMVNICATIONE. 380

DISPVTATIO PRIMA.

De absolutione in genere ab excommunicatione. 380



De potestate absoluendi ab excommunicatione.

DISPVTATIO SECVNDA.

De potestate absoluendi ab excommunicatione iuris.

DISPVTATIO TERTIA.

De potestate absoluendi ab excommunicatione iuris reseruata.

DISPVTATIO QVARTA.

De conditionibus, quæ requiruntur ex parte absoluentis, vt absolutio legitimè fit tradita.

DISPVTATIO QVINTA.

De



LIBER QVINTVS

DE EXCOMMVNICATIONIBVS

BVLLAE COENAE DOMINI

Summo Pontifici reseruatis.

Excom-

Index Disp. & Cap.

Ca-

EXCOMMVNICATIO VIII.
DISPVTATIO NONA.

EXCOMMVNICATIO IX.
DISPVTATIO DECIMA.

EXCOMMVNICATIO X.
DISPVTATIO VNDECIMA.

EXCOMMVNICATIO XI.
DISPVTATIO DVODECIMA.

Ca

FINIS.

DE

DE EXCOMMVNICATIONE LIBER PRIMVS QVI EST DE NATVRA EXCOMMVNICATIONIS, ET DE IIS, QVÆ SPECTANT AD EIVS RATIONEM FORMALEM.

DISPVTATIO PRIMA
De Censuris Ecclesiasticis in genere.



E Censuris Ecclesiasticis tractaturus nempè de Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, quæ propriè vocari possuntCẽsuræ, Antequàm sermonem instituam de excommunicatione, à qua cum & præcipua sit, & grauissima omnium Censurarum, meritò initium vniuersæ huius disputationis sumendum videtur. Non nulla in genere de Censuris præmittenda duxi, ex quibus vniuersalem quandam notitiam de illis præcognoscamus, quæ non parum vtilitatis afferre poterit ad ea rectè intelligenda, quæ de singulis Censuris copiosè sunt disputanda. Dei igitur benignitate fretus rem ipsam aggrediar.

Caput I. An in Ecclesia sit potestas coactiua condendi leges, & poenis spiritualibus, ac temporalibus obligandi fideles ad earum obseruationem.
Caput Secundum, Quæ, & quales sint poenæ, quibus Ecclesia in preuaricatores suarum legum, & contumaces animaduertere soleat.
Caput Tertium, Quo pacto quatuor impedimenta de quibus dictum est superiori cap. differant à Censuris, & inter se.
Caput Quartum De Communione, & differentia, quæ inuenitur in tribus Censuris, scilicet Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, & cur vocentur Censuræ, & an alio nomine appellari soleant.

CAPVT I.
An in Ecclesia sit potestas coactiua condendi leges, & poenis spiritualibus, ac temporalibus obligandi fideles ad earum obseruationem.

Tantam Christus Rectoribus Ecclesiæ suæ postulat exhiberi subiectionem, vt si quis eorum imperium spreuerit, eum Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti imperium reiicere dicat Luc. x. 16. Illis verbis. *Qui vos spernit, me spernit, & qui me spernit, spernit eum, qui me misit*, Eum enim Christus Ecclesiæ suæ Pastorem Summum instruxit collata diuinitus gratia, vt super eum noui Testamenti Ecclesiam ædificaret. Quanquàm enim Petrus, cuius humeris Christus hoc diuinum, & longè grauissimum onus imposuit, homo esset, eiusdem cum cæteris mortalibus fragilitatis, & conditionis: tamèn participatione quadam à primaria illa Petra Christo Iesu eam accepit soliditatem, & firmitudinem, vt quemadmodum à Christo Petra, & Petrus, & Cephas dictus est, sic item à Christo eam habuit communicatam virtutem, vt omnes oues, quas Christus sanguine suo redemit, pascere, & regere non dubitaret. Talisq́, huic Pontifici tàm arduam, ac difficilem prouinciam administraturo tribuenda erat auctoritas, qualis tanto muneri optimè perfungendo necessaria erat. Ideoq; Christus Claues Regni Cælorum illi tradidit, vnico verbo potestatem quanta maxima cogitari potest, designans. Vt enim in communi aliqua Ciuitate claues eiusdem Ciuitatis tradere, est summam rerum omnium facultatem in Ciuitatem eam concedere, & Rectores Ciuitatum alicuius voluntati se dedentes, traditis Clauibus, declarant se totos ei regendos permittere, sic Christus Regni sui Clauibus summo Ecclesiæ suæ Pastori traditis, summam, & absolutam eidem Pastori Ecclesiæ regendæ fecit potestatem. Et ità Deum in Cœlis perpetuò Pastoris huius in Terram prolatam sententiam firmaturum, vt quodcunq́, is ligaret, vel solueret in Terra, Id pariter Deus ligatum, vel solutum haberet in Cœlis. Atq; huc demum spectat postremum illud Christi è mundo ad Cœlos ascensuri præceptum, quo Petrus oues, agnosq́uè suos pascere iubetur. Pascendi autem, & regendi officium quid flagitet, communis vitæ consuetudo, communis Ciuitatum, & rerum publicarum gubernatio, facilè declarat. Certè bonas leges ferre; à quorum commerciis sit abstinendum; ad quæ studia incumbendum; qui amandi vt Ciues; quando contra inimicos pugnandum. Aliqui, vt studiosi, & obedientes iuuandi, & muneribus, & præmiis afficiendi. Alij, vt inobedientes, atq; contumaces plectendi, & ratione exigente gladio etiam pastorali iugulandi. Idq́; & auctoritatibus sacræ Scripturæ, & rationibus propius, & clarius explicari potest, si antea illud annotauerimus, Nos non loqui de Pontifice, vt Princeps est temporalis certæ cuiusdam Prouinciæ. Nàm hoc modo certum est eum posse ferre leges suis subditis, & in eos etiam gladio animaduertere, Solùm agimus hoc loco de Pontifice, vt Pontifex est totius Ecclesiæ Catholicæ, & quæ-

& quærimus, an ille habeat verè potestatem in omnes fideles in spiritualibus, vt habent Reges in temporalibus, Ità, vt sicut illi possunt cōdere leges Ciuiles, & punire transgressores temporalibus pœnis, Ità Pontifex possit condere leges Ecclesiasticas verè obligantes in conscientia, vt possit transgressores punire spiritualibus pœnis, vt Excommunicatione, Suspensione, Interdicto, Irregularitate &c. atq; alijs pœnis pro ratione criminis. Cuius potestatis finis est vita æterna. Et idem dicitur de Episcopis erga subditos illis commissos.

Primum testimonium ad hanc Ecclesiasticam potestatem comprobandam sit ipsius Pauli 1. Tim. c. 5. Vbi aduersus Presbyterum accusationem recipi vetat, nisi sub duobus, aut tribus testibus. At vbi accusatio instituitur, & testes recipiuntur, ibi est externum, & publicum Iudicium. Non est autem, vel Iudicium sine iurisdictione, vel iurisdictio sine aliqua coercitione, Alioqui contemneretur Iudex, qui supplicium in delinquētem constituere non posset. Nec ad pœnas de quolibet crimine expetēdas excommunicatio sufficit: tùm quia grauior pœna est, quàm vt semper inferri debeat, tùm quia per Iudicem alijs quàm contumacibus idest Ecclesiam non audientibus Matt. 18. infligi non potest. Itaq; vt Christus eos, qui domum Patris sui speluncam latronum faciebant, flagello è funiculis facto Io. 2. eiecit è templo, vt Paulus Elymam Magum Act. 13. cæcitate corporis verbo solo inflicta percussit, ità sanguinis excepta sententia, quidquid in illa spirituali, aut corporali pœna infligenda ad ædificationem Ecclesiæ conducit, Episcopis permissum, atque adeo commissum est.

Secundum est B. Pauli in Epi. ad Rom. c. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirūt.* Et infra, *Itaque necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Necessariò igitur ex sententia Apostoli parendum est Principibus, nō solum propter iram, idest vindictam, & pœnā, vt exponunt Theodoretus, Ambros. Beda, Anselmus, & alij in hunc locū, & August. in Epist. 54. ad Macedonium, sed etiam propter conscientiam, scilicet ad euitandum peccatum, loquitur enim de conscientia peccati, vt prædicti Patres explicant. Nec hic locus solum intelligitur de Principibus secularibus, sed etiam de Ecclesiasticis. Nam Apostolus loquitur in genere de omnibus potestatibus, ait enim, *Non est potestas nisi à Deo,* quod æquiualet huic, omnis potestas à Deo est. Esse aliquam potestatem ecclesiasticam idem Paulus docet 2. Corinth. cap. 13. *Hæc,* inquit, *absens scripsi, vt non præsens durius agam secundum potestatem, quam dedit mihi Dominus.* Et etiam si Paulus ad literam solum loqueretur de secularibus, tamen à simili, vel à fortiori idem deberet intelligi de ecclesiasticis potestatibus. Si enim Principes seculares possunt cōdere leges ciuiles, & punire transgressores temporalibus pœnis, multò magis concessum erit Prælatis Ecclesiasticis punire transgressores spiritualibus pœnis.

Tertium testimonium est eiusdem Pauli 1. ad Cor. 4. vbi ait, *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in spiritu māsuetudinis?* Vbi nomine virgæ intelligit Chrysost. & alij Interpretes huius loci, & Aug. lib. 3. cap. 1. contra Epist. Parmeniani potestatem iudiciariam puniendi peccatores. Christus enim, vt Rex Ecclesiæ habet virgam, quæ in psal. 2. dicitur ferrea, quia est inflexibilis, & in psal. 44. dicitur virga directionis, scilicet virga recta, quia iustè punit. Hanc autem virgam communicat Summo Pontifici, & Episcopis, qui nomine suo Ecclesiam regunt. Ad hæc ipsa respicit, quod dicebat Apostolus 2. Cor. 10. *Arma nostra non sunt carnalia, sed Deo potentia,* nimirum longè illis præstantiora, *Ad faciendam vindictam,* quod habet psalm. 149. *In Nationibus, & increpationes in Populo, Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum.* Tales enim compedes, inquit, Aug. in Psalm. 149. consolidat vobis, Episcopi manus, sed tum quidèm cūm illi quoquomodo in Deum insurgunt, & à recta viuendi via & christiana disciplina desciscunt, sic videmus Fabianum Papam, in Philippum Imperatorem, Ambrosium in Theodosium, Symmachum in Anastasium, & alios innumeros sacerdotes in alios Principes vigore sacerdotali fortiter æquè, ac laudabiliter insurgentes factas ab ijs iniurias Deo vindicasse, atq; seuerè admodum offensam disciplinam ecclesiasticā vltos esse. Sed id tamen non nisi necessitate quadam adstricti, omne remedium prius experientes, quàm gladium Apostolicæ auctoritatis exercerent, memores nimirum à Deo Matt. 20. dictum esse *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Et à Petro 1. Pet. 5. *Non dominantes in Clero,* quod est violenter dominari, nec fastum præferentes, ac superbè insultantes, sed humilibus consentiētes, ac eum Apostolo 2. Cor. 13. dicentes, *Non possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate,* & illud 2. Cor. 4. *Nos seruos vestros per Iesum,* quippè qui hæc omnia faciant, vt illorum saluti inseruiant.

Hanc eandem veritatem traditiones Patrum clarissimè confirmant. Nullum enim ferè est Conciliū, quod non aliquid præcipiat, vel interdicat sub pœna Anathematis, vel depositionis, pari ratione plenæ sunt Epistolæ Pontificum, quæ vel in Tomis Conciliorum, vel in corpore Iuris Canonici legi possunt præceptis, & censuris, sufficiat afferre vnicum exemplum de lege Ieiuniorum Quadragesimæ, Quatuor Temporum, aut Vigiliarum, Canon. 68. Apostolorum iubet Clericum deponi, & laicum excommunicari, si ieiunia indicta soluerit. Item Concilium Gangrense can. 19. iubet excommunicari eos, qui indicta ieiunia sine necessitate soluunt. Et Concilium Toletanum 8. can. 9. eos priuat sacra communione in Paschate, & iubet toto anno à carnibus abstinere, qui Quadragesimæ ieiunium violauerint. Idcircò Innocentius Tertius in c. Nouit. de Iudi. affirmat ad Papam pertinere corrigere quemcumque de peccato, *Non enim,* inquit, *intendimus iudicare de feudo, &c. sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus, & debemus,* & non loquitur solùm de hominibus inferioris ordinis, & gradus, sed de Principibus, Regibus, Imperatoribus, Nam paulò infra sic inquit, *Cum enim non humanæ constitutioni sed diuinę potius innitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo, nullus, qui sit sanæ mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Christianū, & si correptionem cōtempserit, per districtionem Ecclesiasticam coercere, sed forsan dicetur, quod aliter cū Regibus, & aliter est cum alijs agendum, cæterum scriptum nouimus in lege diuina, Ita magnum iudicabis, vt paruum, nec erit apud te acceptio personarum.* Hanc eandem potestatem, & iurisdictionem Romani Pōtificis erga omnes Christianos, quantacunq; excellentia, & dignitate præfulgeant pluribus demonstrat Bonifacius octauus in Extrau. Vnam sanctam de Maior. & Obed. ostendens in hoc vnico corpore Ecclesiæ vnicum esse caput, Christum

A ſtũ ſcilicet, & eius Vicariũ Summũ Pontificẽ, cui generaliter à Domino cõmiſſę ſunt omnes oues, non hę, vel illę, cũ Petro, dixit. Paſce oues meas. Quare ſi quis dicit ſe Petro eiuſq; ſucceſſori nõ eſſe cõmiſſum, fateatur neceſſe eſt de ouibus Chriſti nõ eſſe. Et ad hanc Sũmi Põtificis poteſtatẽ duos pertinere gladios, ſpiritualem videlicet, & tẽporalem, illũ Sacerdotis; hũc manu Regis, & militis ad Sacerdotis nutũ educẽdum, & poſt multa ſic ait: *Si deuiat terrena poteſtas, iudicabitur à poteſtate ſpirituali, ſed ſi deuiat ſpiritualis, minor à ſuo Superiori, ſi verò ſuprema, à ſolo Deo, non ab homine poterit iudicari,* Tandem optimè concludit, *Porro ſubeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturę declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.*

B Poſtremo hoc idem cõfirmari poteſt efficaci ratione ad hunc modũ. Sunt neceſſarię aliquæ verę leges ad Eccleſiam benè gubernandã, præter leges diuinas, & ciuiles. Omnis aũt vera lex vim habet coactiuã, ergo sũt neceſſariæ in Eccleſia leges Eccleſiaſticæ coactiuæ. Nõ ſunt autem, nec fuerunt vnquam in Eccleſia aliæ leges Eccleſiaſticæ, quã illæ quas ſummi Pontifices, aut Concilia à Summis Pontificibus cõfirmata ediderunt. Igitur leges Pontificum, & Conciliorum eiuſmodi leges ſunt coactiuæ, ac verè, & propriè in conſcientia obligãtes. Eſſe autem neceſſarias aliquas leges eccleſiaſticas, facilè probari poteſt. Nam eadem ratione ſunt neceſſariæ leges in eccleſia, qua in omnibus alijs rebus publicis. Ratio enim, cur leges ſunt neceſſariæ in omni Re C publica, eſt, quia homines, vt benè viuant, debẽt ſecundum rationem viuere. Et tamen, quia conſtant ex corpore, & ſpiritu, ex ratione, & ſenſu, vix poſsunt ſine affectu ſecundũ ſolius rationis ductum iudicare. Ideò leges inuentæ ſunt, quæ nihil continent, niſi rationis iudicium. Vt cum eas ſequi homines coguntur, cogantur ſimul rationem ſequi. Iã hæc ratio in Eccleſia etiã locũ habet. Nã licèt Chriſtiani per gratiã Chriſti liberati ſint à peccato; nõ tamẽ liberati ſunt a concupiſcẽtia, & paſſionibus, quæ cum ratione perpetuò pugnãt.

Dices, habẽt Chriſtiani legẽ Euang. quã ſequantur.

Reſpondeo, habent quidem, ſed illa eſt nimis vniuerſalis, nec ſufficit ad dirigendum omnes actiones noſtras, niſi per determinationes Principum eccleſiaſti D corum fiat aliquo modo particularis, ſicut etiã politicæ. Reſp. habent legem naturalem, & tamen quia illa eſt nimis generalis, non ſufficit, niſi deducatur ad particularia per determinationes Principum.

Quarè quemadmodum in Republica ciuili neceſsariæ ſunt leges ciuiles, quæ ſunt quædam quaſi concluſiones deductæ ex iure naturæ, vel determinationes iuris naturæ; ſic etiam in Eccleſia præter legem Euangelicam neceſsariæ ſunt leges eccleſiaſticæ, quæ ſunt veluti concluſiones deductæ ex principijs Euangelij, vel determinationes. Euangeliũ dicit. Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Inde eccleſia deducit quaſi concluſionem, ergò vtile erit ſancire legem. Nè ad Miniſterium ſacrum admittantur, qui noluerint eſse continentes.

E Item Euangelium iubet ſumi Euchariſtiam, ſed non determinat, vt ſaltem in Paſchate ſumatur, & Apoſtoli legẽ condunt, vt ſumatur ante omnes alios cibos nimirum à ieiunis. Hinc Aug. in ep. 118. c. 6. *Nõ præcipit,* inquit, *Dominus, quo deinceps ordine ſumeretur, vt Apoſtolis per quos eccleſiam diſpoſiturus erat ſeruaret hunc locum.* Reſtat nunc, vt probetur id, quod aſsumptum eſt in ratione, ſcilicet omnem veram legem eſse coactiuam.

Id verò probatur ex ipſa natura legis. Eſt enim lex regula quædã humanarum actionum à Deo immediatè, vel mediatè conſtituta. Deuiare autẽ à regula, pec-

A care eſt, vnde Ariſt. lib. 10. Ethi. c. 9. *Lex inquit eſt ſermo ab aliqua prudentia, ac mente profectus vim habens cogendi.* Itaque eſſentia legis in hoc poſita eſt, vt liget, & cogat, ita vt ſit peccatum aliter agere. Quod item oſtendit definitio peccati. Quid enim eſt peccatum, niſi trãſgreſſio legis? Sic enim definitur peccatum ab Apoſtolo 1. Ioan. 5. Neque dici poteſt legem nos obligare ad non contemnendum Principem, nam lex, quæ obligat ad non contemnendum, eſt lex quædam generalis, & diuina. Hæc autem, de qua nunc agimus, eſt particularis, & humana, vt cum Pontifex dicit, vt ieiunes in Quadrageſima, non obligat te ad non contemnendum ſuperiorem, ſed ad ieiunandum.

Sed explicandæ ſunt obiectiones quædam, quæ vi B dentur euertere, quæ hactenus probata ſunt.

Prima deſumi poteſt ex auctoritate ſacræ ſcripturæ ex c. 4. Deut. *Non addatis ad verbum, quod ego loquor vobis, neque minuetis ex eo.* & c. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facias Domino non addas quidquam, neque minuas.* Vbi ſermo eſt de pręceptis, ceremonialib. & iudicialib.

Si Iſraelitæ non poterãt addere ad ea, quæ in Teſtamẽto veteri continebãtur, ergo multò minus Chriſtiani poterũt addere ad Euang. quod eſt lõgè perfectius.

Ad has auctoritates tribus modis reſpondere poſsumus. Primo ſcripturam non prohibere additionem ad numerum præceptorum, ſed additionem ad opus præceptum, quod patet, nam inuenimus Iudæos addidiſse ad numerum pręceptorum tã ceremonialium, quã iudi C cialium, vt Eſther. 9. de ceremun. & 1. Reg. 30. de iudic.

Secundò etiam, ſi concederemus ſcripturam prohibere additionem nouarum legum, non deberet intelligi iſta prohibitio de quacunq; additione legum, ſed de legibus contrarijs prioribus legibus, vt B. Tho. rectè monet in cap. 5. ad Galat. lect. 2. & 3. & patet ex legibus poſtea additis, vt diximus.

Tertiò dici poteſt non eſse eandem rationem teſtamenti veteris, & noui. Nam quia lex teſtamenti veteris dabatur vni tantum Populo, & ad certum tempus, nimirum vſque ad Chriſti aduentum, potuit facilè determinare omnia in ſpeciali, vt etiam fecit.

At lex Euangelica datur toti mundo, ideſt diuerſiſ D ſimarum nationum Populis, & duratura eſt vſque ad finem Mundi. Et idcircò non poterat tàm facilè determinare omnia in particulari, vt non eſsent adhuc neceſsariæ leges aliæ, tàm ciuiles, quàm Eccleſiaſticæ, neque enim poſsunt diuerſiſſimi populi conuenire in iiſdem legibus, & ritibus, itaque Deus melius eſse iudicauit, ſi in Euangelio (quod eſt commune omnibus) traderet communiſſimas leges de Sacramentis, & articulis fidei, & alia magis ſpecialia pro locorum, & temporum diuerſitate, relinqueret inſtituenda per Apoſtolos, eorumque ſucceſsores.

Secunda difficultas; Non poteſt homo vllum damnare ad inferos, non igitur poteſt Pontifex obligare ad legem ſeruandam ſub pœna mortis æternę. Ridiculum enim eſset, ſi quis obligaret ad pœnam, quam non E poſset poſtea infligere.

Reſpondeo legem humanam non obligare ſub pœna mortis æternę, niſi quatenus violatione legis humanæ offenditur Deus, cuius miniſtri ſunt omnes Principes nõ ſolum eccleſiaſtici, ſed etiam politici. Vt enim qui tranſgreditur legem Proregis, ex conſequenti offendit etiam Regem, & puniri poteſt à Rege, etiam ea pœna, quam Prorex infligere fortaſse non potuiſset, ſic etiam qui leges iuſtas Principum nõ ſeruant. Qui quidem Principes miniſtri etiam Dei ſunt Sap. 6. Rom. 13. 1. ad Corinth. 4. etiam Deum offendunt, & ab ipſo pu-

A niuntur pœna æternæ mortis. Itaq; si fingamus Deum non esse in rerum natura, qui leges iustas violabunt, peccabunt quidem in conscientia, sed nec Deum offendent, nec ad inferos damnabuntur.

Dices, si ita est, sequitur legem humanam, vt humanam non ita obligare, vt transgressores dicantur peccare mortaliter.

Respondeo, si legem humanam, vt humanam, intelligas eam, quæ propriè non est diuina, nego transgressorem legis humanæ, vt humanæ, non peccare mortaliter. Si verò legem humanam, vt humanam intelligas eam, quam fert homo auctoritate non à Deo accepta, sed propria, vel ab hominibus solis collata, fateor tales legis transgressores non peccare mortaliter, cæterum B huiusmodi lex nulla est. Omnis enim vera potestas à Deo est, Rom. 13. & sine vera potestate nulla vera lex condi potest.

Tertia difficultas sumi potest ex aliquot Patrum testimonijs, quæ aliorum nomine retulit Turrecrem. lib. 3. summę c. 45. Primum est Orig. tract. 12. in Matth. vbi explicans illud Matt. 20. *Reges gentium dominatur eorum, vos autem non sic: sicut inquit omnia carnalia in necessitate sunt posita non in voluntate, spiritualia autem in voluntate non in necessitate, sic & Principes spirituales principatus eorum in dilectione subditorum debet esse positus, non in timore corporali.*

Respondeo Originem non excludere a Principe ecclesiastico coactiuam potestatem, sed tantum monere C eiusmodi Principes officij sui. Hoc enim interest inter Principem Ecclesiasticum, & secularem, quod Princeps temporalis habet pro fine temporalem, & externam pacem Reip. & ideo finem suum adeptus est quãdo subditi quiete viuunt, siuè id faciant volentes siuè inuiti. At Princeps Ecclesiasticus habet pro fine vitam spiritualem æternam, & pacem tam externam, quam internam suorum subditorum, & propterea debet omninò procurare, vt subditi amore potius ducantur, quam timore, quanquam vbi non potest impetrare, vt libenter, & ex amore benè viuãt, debet etiam vim coactiuam adhibere, vt saltem timore pœnę non perturbent externam Ecclesiæ pacem. Vnde Greg. lib. 20. Moral. c. 6. *Circa subditos inesse debet Rectoribus, & D iustè consolans Misericordia, & pie seuiens disciplina, &c.*

Secundum testimonium est Chrisostomi lib. 2. de Sacerdotio ante medium, vbi comparat Pontificem cum Pastore ouium irrationalium, & ait. *Neq; homini licet tanta cum auctoritatis austeritate homines curare, cũ quanta oues Pastor curat. Has enim liberum est vincere, & à pabulo coercere, & vrere, & secare, enim in illis medicinæ, at curationis suscipiendæ facultas posita minimè sit in illo, qui medicinã adhibet, sed in eo tantùm, qui laborat &c.* Deinde confert eundem Pontificem cum seculari Magistratu, & ait *Iudices seculares cum deprehendunt facinorosos homines legum transgressores, vel inuitos suos ipsorum mores mutare cogunt, Ecclesiasticos vero Iudices non* E *afferre vim oportere, sed suadere tantùm, & hac ratione meliorem efficere, quem emendandum susceperint, &c.*

Respondet Turrecrem Chrisostomum loqui de ijs, qui foris sunt, scilicet de Ethnicis, quos Ecclesia nõ potest cogere ad fidem. Sed reuera Chrysostomus nimis apertè loquitur de ijs, qui intus sunt, & qui Episcopo cõmissi sunt. Dicendum est igitur Chrysostomum nunquam negare voluisse coactiuam Pontificum potestatem, vt patet ex Hom. 70. ad Populum, & in epist. 1. ad Innocentium Papam, & Hom. 83. in Matth. sed tantùm voluisse ponere discrimẽ inter Pastorem ouium rationalium, & irrationalium, quòd ille, cum versetur circa morbos ouium naturales, potest sanare oues suas, etiã si illæ nolint, at iste, quia versatur circa morbos ouium voluntarios, non potest curare oues, nisi ipsæ velint, & ideò difficilior est huius, quam illius prouincia; Similiter dicendum est de Iudice seculari, qui, cum versetur circa actiones externas, potest inuitum hominem cogere, vt mutet mores, nimirum externos, at Episcopus versatur circa mores internos, qui non possunt mutari inuito ipso habente. Nam etsi potest Episcopus excommunicare, aliasque pęnas infligere.

Non tamen habet Episcopus facultatem cogendi hominem, vt mutet animum, sicut habet Iudex cogendi hominem, vt mutet externos mores.

Secundò dici potest Chrisostomum hoc loco solum agere de potestate sacerdotali in foro conscientiæ, ibi enim non possumus corrigere pęnitentem, nisi ipse velit, summum enim, quod possumus, est dimittere illum sine absolutione.

Tertium testimonium est Augustini lib. 22. contra Faustum cap. 27. Vbi sic definit peccatum. *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam Dei.* Hinc enim deducitur transgressionem legis humanæ non esse peccatum. Similis etiam est definitio Ambrosij lib. de Paradiso cap. 8. *Peccatum*, inquit, *est præuaricatio legis diuinæ.*

Respondeo omne peccatum esse contra legem Dei, non positiuam, sed æternam, vt Augustinus rectè docet, omnis enim iusta lex, siue à Deo, siue ab homine detur, ab æterna Dei lege deriuatur, est enim æterna Dei lex, vt malum sit violare regulam.

Quartum testimonium est B. Bernardi lib. 1. de consideratione, *Non monstrabunt*, inquit, *puto, qui hoc dicẽt, vbi aliquando quispiam Apostolorũ Iudex sederit hominũ, stetisse lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicãtes non lego.*

Respondeo, loquitur B. Bernard. de iudicio in causis ciuilibus; Nam ibid. dicit, *Quid ni contemnat iudicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cœlestibus, & Angelos iudicabant? Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra, Quoniam propter illa, et non propter has accepistis claues Regni Cęlorum. Accedit, quod B. Bernardus non tam quærit, an Pontifex possit, quam an conueniat de terrenis litibus iudicare.*

CAPVT II.

Quę, & quales sint pœnæ, quibus Ecclesia in præuaricatores suarum legum, & contumaces animaduertere soleat.

CLemens Rom. lib. 2. Apostol. Consti. c. 48. Pœnas, quibus plectenda sunt peccata, varias esse oportere inquit, vt sunt varia peccata, aliquando solis minis, & terroribus puniri, aliquando mulctatione largiendi pecuniã pauperibus, alias ieiunijs, alias excommunicatione pro grauitate criminis; verum vt clarius, & distinctius declaremus varia genera pœnarum, quas Ecclesia cõsueuit peccatoribus infligere, dicamus duo esse genera pœnarum, aliæ sunt tẽporales, aliæ sunt spirituales, & hæ se inuicem adiuuant, vt inquit Glo. in c. Dilecto de sent. excom. lib. 6. loco Ecclesia dicitur habere gladium tẽporalem, & spiritualem, vt probat Bonifatius in extrau. Vnam sanctam, de maio. & obed. ex verbis B. Io. cap. 10. Nã dicentibus Apostolis ecce gladij duo hic, in Ecclesia scilicet, nõ respondit Dominus, nimis esse, sed satis esse, & imitatus est Bonifatius verba B. Bernardi in lib. de Consideratione, sed omittamus pœnas tẽporales, de his enim non loquimur modò, pœnæ spirituales maiores temporalibus, quia ligãt animam, illæ vero corpus 12. q. 2. c. Præcipimus, quas Ecclesiæ Prælati exercere solent, plures sunt in sacris

Canonibus constitutæ, vt monet Innoc. III. in c. Ad reprimendum de Offic. Iud. Ord. & appellantur arma spiritualia Ecclesiæ propria, vt inquit Innoc. IV. in Conc. Lugdunensi habetur in cit. cap. Dilecto De Sent. Excom. lib. 6. Quod si B. Ambro. Epist. 33. ad Marcellinam sororem, & refertur 23. q. vlt. c. Conuenior, dicat, quod arma sua sunt lachrimæ, loquitur ex nimia humilitate, vt inquit Glo. in dicto c. Dilecto, vel voluit significare de armis, quibus vtebatur ad delendum, & superandum peccata propria, Reducuntur autem omnes poenæ spirituales, si generaliter, & secundum communem, & latiorem significationem loquamur de poenis ad septem genera, scilicet Excommunicationem, Suspensionem, Interdictum, Irregularitatem, Depositionem, Degradationem, & Cessationem à diuinis. Hæc sunt septem genera poenarum spiritualium, si generice, & communi ratione loquamur de pœnis, quibus Ecclesia solet animaduertere in inobedientes, & cõtumaces. Quod si aliquando, vel in sacris Canonibus, vel apud Sanctos Patres reperiamus ad significandam poenam spiritualem vsurpari alias voces diuersas ab his, quas enumerauimus, quæcunq; tamen illa sit, reducitur ad vnum ex his septem generibus, vt sæpè inuenitur in sacris Canonibus hæc vox Animaduersio, qua significatur Degradatio Clerici, & traditio Curiæ seculari secundum Host. in c. In quibusdam De Pæn. Felin. in cap. In nonnullis De Iud. per illum tex. & per Glo. in l. Imperium ff. De Iurisd. Omn. Iudi. Tex. & Doct. in c. Inquisitionis de Hæret. lib. 6. quos refert, & sequitur Maiol. de Irreg. lib. 1. cap. 1. in fin. Similiter primis illis temporibus frequens erat illa pœna, vt delinquentis Clerici nomen deleretur ab Ecclesiæ tabulis, vel saltem cum vehementi alicuius facinoris suspicione laboraret, nomen eius supprimeretur, nè sicut cæterorum publicè pronunciaretur, vtriusq; censuræ meminit B. August. Epist. 136. & 137. & ante ipsum Ciprian. epist. 10. & 66. verùm hę pœnę reducuntur ad excommunicationem ex ea parte, qua excommunicatio tollit communionẽ fidelium, vnde sicut excommunicatus non potest habere communem conuictum cum fidelibus, sic decet, vt nomen eius deleatur ex tabula, vbi fidelium nomina descripta sunt, nè vlla intercedat communio etiam in solo nomine. Eodem modo omnes alię pœnę ecclesiasticę, quę cùm in Canonibus, qui dicuntur Apostolorum, tùm etiam in Conciliorum decretis habentur, sub vno illorum septem generum includuntur.

Si igitur loquamur in genere de Censuris, septem erant genera Censurarum, sed difficultas est & grauis, quę ex dictis possint vocari verè, & propriè censurę, quę verò impropriè, & reductiuè.

Dominicus Sotus in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. censet quinq; esse veras species, & proprias Censurarum, Excommunicationem scilicet, suspensionem, interdictum, irregularitatem, & cessationem à diuinis.

Diuidit enim Sotus irregularitatem, quod alia sit irregularitas in pœnam peccati imposita, vt si excommunicatus ordines suscipiat, ista est irregularitas, quę incurritur ex delicto c. 1. de his, qui furt. ord. suscep. vel si ab excommunicato Episcopo suscipiantur c. Gratia, & c. Statuimus 1. q. 1. vel si excommunicatus exerceat actum ordinis, & propter alia complura delicta, vt in materia de irregularitate probatur, & hęc propriè est censura, & qui est ea notatus, propriè dicitur absolui, aliam verò dicit esse irregularitatem Sotus, quæ incurritur citra culpam, vel propter bigamiam, vel propter defectum natalium, vel sanguinis effusionem licitam, vel alia de causa, & hanc non appellari censurã, nec habere rationem pœnę, nec ab hac hominem absolui, sed restitui habilem. Vnde quando in Bulla Iubilei conceditur facultas approbato Confessario absoluendi ab omnibus censuris, nomine Censurarum includi etiam irregularitatem ratione criminis cõtractam.

Propter eandem rationem cessatio à diuinis dicenda est Censura, quoniam infligitur etiam propter culpam, & appellatur etiam Censura à Couar. 2. parte in c. Alma Mater §. 2. n. 1.

Communis tamen opinio Doctorum docet tres tantum esse veras species censurarum Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum, & hęc est probabilior sententia, à qua non videtur recedendum.

Ità tenent Silue. V. Interdictum 1. §. 1. & pœna §. 2. Caiet. V. excommunicatio cap. 36. Antoni. 3. par. tit. 28. cap. 1. & tit. 30. cap. 1. Ioan. de Lignano Tract. de Censu. q. 1. n. 8. Nauar. in Manual. c. 27. n. 1. & 151.

Probatur hęc opinio. Primò ex responsione Innocentij Tertij in c. Querenti de verb. signif. vbi cum ab eo quęsitum fuisset, quot essent censurę, ait tres censuras Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum.

Secundò istę tres tantùm sunt spirituales animaduersiones, seu vindictę, aut pœnę, quę infliguntur hoc fine, seu intentione à lege, vel à Iudice, vt per illas sumatur vindicta de ipsis inobedientibus, & puniantur delicta, alię propriè non sunt pœnę, aut censuræ, quoniam non feruntur aduersus transgressores, & inobedientes eo fine, vt puniantur ob scelera commissa, sed potius vt reddantur inhabiles ad exercendas functiones ecclesiasticas, quasi non deceat eos, qui talia commiserint, debere tractare res sacras, & idcirco rectius vocari debent quasi censurę, & impedimenta, vt in sequenti capite magis declarabo.

Tertiò irregularitas, quam Dominicus Sotus asserit esse censuram, incurritur sępè absq; culpa, vt dictum est, sed verę censurę supponunt delictum, ideò enim dicuntur censurę, seu pœnę secundum B. August. lib. 1. Retract. cap. 9. Gersonem lect. 1. de vita spirituali Animę, B. Thom. 1. 2. q. 87. art. 1. & habetur in l. sancimus C. de pœn. vnde Doctores propter hanc causam communiter solent vocare irregularitatem canonicum impedimẽtum, non censuram, Innoc. in c. nisi cum pridem de Renunc. Archid. in c. Apostolica 56. dist. in princ. & alij, quos sequitur Coua. in Clem. Furiosus de hom. in prin.

Pręterea qui illaqueatus est aliqua censura, dicitur absolui à suo Superiore, quando Iure permittente impenditur ei absolutio, & eximitur à vinculo, quo alligatus erat, absq; dispensatione, sicut tollitur peccatum, cuius illa pœna erat. At si quis irregularitatis vitio detentus obtineat facultatem à Prælato, vt ad ordines promoueri valeat, non dicitur absolutus à Prælato, sed dispensatus, igitur irregularitas nõ est censura, dispensatio enim non est solutio à vinculo, quo quis tenebatur obstrictus, sed est relaxatio iuris in sta intercedẽte causa, vnde intelligitur prohibita, nisi inueniatur concessa, vt dixit Card. Zabarella c. dilectus 1. col. 3. in fin. de temp. ordi. contra absolutio semper intelligitur permissa, nisi reperiatur prohibita, vt dixit idem Card. in c. si Clerici in §. de adulterijs in 1. q. de Iudi.

Deinde in omnibus Bullis Iubilei, & priuilegijs, quæ conceduntur à Sede Apostolica, in quibus tribuitur facultas absoluendi Sacerdoti approbato ab omnibus censuris, semper solet distinctè exprimi ipsa irregularitas, & regulariter facultas dispẽsandi in ea nõ conceditur, sed reseruatur, euidens igitur signum est sub nomine censurarum non contineri irregularitatem, quia propriè non est dicenda Censura.

Ad hæc, Cenſuræ per ſe impediunt vſum ſacramentorum, & diuinorum officiorum, & priuant hominem alijs bonis ſpiritualibus, at irregularitas impedit ſolum receptionem ordinum, & per accidens fit, vt irregularis ſit priuatus vſu ordinum, quos antea receperat, quare interdum ſuperueniens irregularitas non priuat vſu ordinum, vt, ſi Sacerdoti ſine eius culpa amputata ſit manus, eſt irregularis, nè celebret, ſed poterit audire confeſſiones, quia non priuatur omni vſu ordinum Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 191. & 249.

Tandem Cenſuræ feruntur à Iure, vel ab homine, & ſemper propter culpam, non ſolùm à Papa, ſed etiam ab Epiſcopo, & Inferiori Prælato, at irregularitas à Iure tantùm imponitur per ſolum Papam, non habita ratione per ſe ad culpam, ſed ad decentem Dei cultũ, vt ordinati, & Miniſtri diuini cultus ſint ſine macula, & defectu.

Quare diſtinctio illa, cui innititur Sotus ad oſtendendam irregularitatem eſſe cenſuram; quoniam alia eſt irregularitas, quæ oritur ex culpa, Alia, quæ incurritur citra culpam, nihil facit ad rem. Tùm quia quando agitur de irregularitate, an ſit cenſura ſermo eſt de Irregularitate in genere, quare ſi irregularitati ſecundum rationem genericam probatum ſit non poſſe conuenire rationem Cenſuræ, vtiquè certum erit de vtraq; ſpecie Irregularitatis, neutram dici poſſe veram Cenſuram, quod enim repugnat Generi, non poteſt prædicari de ſpeciebus ipſius Generis. Tùm etiam quoniam etſi aliqua irregularitas oritur ex culpa, tamen in imponenda huiuſmodi irregularitate lex non habuit rationem culpæ, vt voluerit irregularitatem inferre in vindictam ipſius culpæ, ſed intentio legis fuit proſpicere dignitati, & decentiæ functionum Eccleſiaſticarum, quæ ſpectant ad Sacramentum ordinis, & propterea declarauit inhabiles ad huiuſmodi actus exercendos, Reos illarum culparum, ex quibus ſequitur Irregularitas. Hanc ob cauſam etiam illa irregularitas, quæ prouenit ex culpa, non poteſt dici pœna, ſeu cenſura propriè, ſed debet vocari impedimentum, vt clarius explicabo in ſequenti capite.

Eodem modo ceſſatio à diuinis non eſt vera Cenſura, per quam prohibetur in vniuerſum celebratio diuinorum officiorum in aliquo loco, vt nec celebrari poſſint ianuis clauſis, ſicut in Interdicto, idq; formaliter in ſignum iniuriæ, quæ fuit illata Eccleſiæ, non autèm in pœnam, & vindictam formaliter illius iniuriæ, Quarè verius nuncupari poteſt impedimentum, eſt enim quid facti, quia nunquàm à Iure imponitur, ſed permittitur, vt per Iudicem imponatur c. Irreparabilis De Offic. Ordi. c. Si Canonici, & c. Quamuis eodem tit. lib. 6. & inducit tantùm ſuſpenſionem diuinorum officiorum, nec reddit aut efficit locum interdictum, Cenſura verò eſt quid Iuris, Abb. nu. 18. & alij in c. Dilectis de Appella. Vnde ſi quis violat Ceſſationem, non fit irregularis, Qui violat Interdictum, fit irregularis, Innoc. dicto c. Irreparabilis nu. 4.

Similiter Depoſitio non eſt Cenſura propriè, ſed impedimentum, quo quis propter crimen aliquod priuatur tanquàm inhabilis vſu ordinis ſacri, vel officio in perpetuum abſq; ſpe reſtitutionis retento priuilegio fori, & Canonis, ſi quis ſuadente 17. q. 4.

Tandem Degradatio eſt ſimile impedimentum, ſicut Depoſitio, addita ſolemnitate quadam, & adhibitis ceremonijs quibuſdam externis cum priuatione vtriuſq; priuilegij Clericalis, Degradationis voce B. Auguſtinus vſus eſt epiſt. 235. ad Quintianum. Eius rei habemus exemplum apud Tertullianum in lib. de Baptiſmo cap. 17. de Presbytero quodam Aſiano; qui ob eã cauſam, quod fictitias Periodos Pauli, & Theclæ confinxerat Sacerdotio priuatus loco deceſſit, Cyprianus etiam Epiſt. 65. ſcribens ad Rogacianum hoc ipſum monens de Diacono ſuperbo, ac contumace, ſic ait *Fungeris circa eum poteſtate honoris tui, vt eum vel deponas, vel abſtineas*. Quare nec Depoſitio, nec Degradatio ſunt Cenſuræ, Ideò ſi committatur Iudici, vt in cauſa procedat, inobedientes, & contumaces per cenſuras compeſcendo, non poteſt deponere, vel degradare, Additio ad Angel. V. Cenſuræ. Et quamuis Depoſitio, & Degradatio dicantur pœnæ grauiſſimæ c. Quærenti de Verb. ſignif. c. Tuæ de Pœn. tamèn non ſunt vocandæ Cenſuræ, quæ inſtitutæ ſunt in correctionem, & medicinam delinquentium Abb. c. Sæpè nu. 15. de Appel.

Ex dictis igitur conſtat tres tantum eſſe propriè cenſuras Excommunicationem, Suſpenſionem, & Interdictum, quatuor verò eſſe impedimenta, ſcilicet Irregularitatem, Depoſitionem, Degradationem, & Ceſſationem à diuinis, quæ impropriè dicuntur Cenſuræ, & hæc ſeptem inuenta ſunt ab Eccleſia. Sed vt clarius intelligatur diſtinctio, quæ inter hæc intercedit, proponamus, & explicemus tertium caput.

CAPVT III.

Quo pacto quatuor impedimenta de quibus dictum eſt ſuperiori cap. differant à Cenſuris, & inter ſe.

SAtis obſcurè explicant Doctores quomodo iſta quatuor impedimenta differant à Cenſuris, & difficile eſt declarare, vbi conſiſtat hæc differentia; vt rem hanc ambiguam claram reddamus.

Sciendum eſt ad cognoſcendam diſtinctionem inter tres illas Cenſuras, & hæc quatuor impedimenta non eſſe conſiderandam materiam, circa quam hæc omnia verſantur, hac enim ratione non apparet diſtinctio inter hæc omnia, quoniam ſingula conſiſtunt in priuatione bonorum ſpiritualium Eccleſiæ, vel ad ea reddunt inhabiles homines, Tria enim ſunt fidelium communia bona, quibus per poteſtatem Eccleſiæ priuari poteſt homo, Primum, Externus conuictus, & Communio. Secundum Sacramentorum participatio. Tertium orationes, & ſuffragia Eccleſiæ. Hæc autèm bona vel ex toto, vel ex parte impediunt hæc ſeptem ſiuè cenſuræ ſint, ſiuè impedimenta, quarè ſi hoc modo conſiderentur, non videntur differre.

Dico ſecundò attendendam eſſe rationem formalẽ, vt intelligamus, quo pacto hæc quatuor impedimenta differant à tribus Cenſuris, ſcilicet ſub qua ratione hæc quatuor priuent aliquibus, bonis ſpiritualibus vt rectè annotauit Nau. in Manua. c. 27. n. 151. & 165. Sic enim non erit difficile percipere diſtinctionem horum impedimentorum à cenſuris veris, & inter ſe.

His poſitis dicimus idcircò hæc quatuor differre genere à Cenſuris Eccleſiaſticis, quoniam non inferuntur propriè, & formaliter in pœnam, & vindictam peccati, vt diximus in ſuperiori capite, vt Cenſuræ. Patet hoc euidenter in Irregularitate, quæ eiuſdem omninò rationis eſt, quod ad genus ſuum attinet in eo, qui ob delictum eam incurrit, & in illo, qui citra culpam eadem ſit notatus. Vterq; enim eodem modo inhabilis eſt ad ordines ſuſcipiendos, & impeditus ne ſuſceptos ordines exercere valeat, & idem patet in alijs tribus.

Nàm quamuis priuationes bonorum ſpiritualiũ, quæ oriũtur ex his quatuor impedimẽtis eiuſmodi ſint mala, vt poſſint meritò hæc impedimenta cenſeri quadam

pœnæ

pœnæ ad vindicandum peccatum, tamen à Iure, vel Iudice ecclesiastico non eo fine inducuntur, sed potius vt sint impedimenta quædam canonica, quibus actus aliqui Ecclesiastici interdicuntur, ideò non censuræ, sed impedimenta sunt vocanda.

Similiter hæc quatuor impedimenta inuicem distinguntur, non materialiter ratione bonorum spiritualium, quorum priuationem afferunt, sed secundum diuersas rationes formales specificas, quas in huiusmodi priuationibus intendunt illi, quorum est eas inducere, quod intelligi poterit, si peculiares descriptiones horum quatuor impedimentorum proponamus.

Irregularitas est impedimentum à Iure canonico inductum, quod ob aliquem personæ defectum impedit ordinis susceptionem, vel suscepti executionem, & id ob eam rationem formalem, quia, attenta dignitate ministerij Ecclesiastici, non decet hominem, qui talem defectum patitur, suscipere ordinem ecclesiasticum, vel in suscepto se exercere, idq; colligitur ex c. Significasti 1. de Hom. & c. Clericum dist. 50. Silu. V. irregularitas n. 5. Nauar. in Manua. cap. 27. n. 191. Couar. in Clemen. Si furiosus par. 1. initio n. 1.

Et hoc impedimentum aliquando incurritur ob defectum naturalem, aut etiam voluntarium sed sine culpa, & hanc irregularitatem certum est non posse habere rationem pœnæ, vel censuræ, cum nulla præcesserit culpa, Nonnũquam verò incurritur ob defectum culpabilem, vt ex homicidio, & alijs, & tunc etiam non habet rationem pœnæ, licèt enim tunc possit infligi tanquam pœna quia hoc impedimentum est malum quoddam, quo possit puniri delictum, Tamen Ius inducens irregularitatem non id propriè intendit, vt scilicet culpam ea ratione vlcisci velit, sed illud formaliter spectat, quod sanè non decet attenta dignitate ministerij ecclesiastici, vt, qui notatus est tali defectu, suscipiat ordinẽ ecclesiasticum, vel susceptũ exerceat.

Similiter Depositio est impedimentũ Canonicum, quo propter vitiũ, seu crimẽ aliq; priuatur quis vsu ordinis sacri, vel officio, vel Beneficio in perpetuũ absq; spe recuperandi; Idq; formaliter, quoniam qui crimen cõmisit depositione dignũ, non debet retinere hoc vel illud officium ecclesiasticum, vel beneficium, quia non expedit bono communi spirituali, Ità colligitur ex c. Si lapsis 50. dist. & c. Si quis Clericus 1. 81. dist. & ex ijs, quæ docet Glo. in c. Si lapsis. Silue. V. Degradatio nu. 1. Et potest etiam istud impedimentum induci sine culpa illius, qui deponitur, vt si deponatur propter nimiã senectutem, aut infirmitatem aliquam, aut infamiam.

Differt autem Depositio ab Irregularitate, quoniã in Irregularitate attenditur propriè dignitas ministerij Ecclesiastici, & defectus personæ, in Depositione propriè attenditur vtilitas boni communis, qua inspecta iudicatur non expedire, vt qui hunc vel illum defectum habet, retineat officium, vel beneficium.

Degradatio verò solùm addit supra depositionem solemnitatem quãdam, & priuationem priuilegij Clericalis, vt tradit Silue. V. Degradatio nu. 1. & nos monuimus superiori capite, & solet fieri Degradatio, cum Sacerdos traditur Curiæ Seculari, & quamuis Degradatio semper inferatur pro culpa, Iudex tamen non intendit per eam propriè vindicare culpam, sed considerat formaliter dedecus, & ignominiam, quæ oriretur, si ecclesiasticus vir dignitate clericali insignitus, traderetur Brachio seculari, vt Iudex secularis ob scelera commissa in eum animaduerteret.

Tandem Cessatio à diuinis est prohibitio celebrationis diuinorum officiorum in vniuersum, idque formaliter in signum, & argumentum eius iniuriæ, quę ecclesiæ illata est, non in pœnam, & vindictam eiusdem iniuriæ, quod fit per interdictum, quod est censura, & colligitur ex c. Quamnis de Offic. Ordi. lib. 6. Silue. V. Cessatio, Nauar. in Manua. cap. 27. n. 88. & seq. Couar. in c. Alma Mater par. 2. §. 2.

Patet igitur ex his descriptionibus, hęc quatuor impedimenta non distingui à tribus veris censuris materialiter, nec etiam inter se, cum versentur circa priuationem eorundem bonorum spiritualium, sed omnem differentiam desumendam esse ex proprijs rationibus formalibus, vt declarauimus, quæ in illis inferendis propriè intenduntur ab ipso Iure, vel Iudice, Materialiter verò habent pro obiecto priuationem eorundem bonorum, scilicet sacramenti ordinis, aut officiorum, aut beneficiorum, aut vsus illorum, & ex hac parte possunt reduci ad censuras, scilicet irregularitas ad suspẽsionem, facit enim, vt homo sit quasi suspensus à receptione Ordinum, & eorum vsu, & similiter depositio, quæ est perpetua suspensio, & eodem modo Degradatio, quæ etiam est depositio addita solemnitate, Cessatio verò à diuinis reuocatur ad interdictum.

Si postulet quis ex his omnibus tàm Censuris, quàm impedimentis quid sit grauius, & plura damna, & incommoda afferat.

Respondeo excommunicationem esse omnium pœnarum summam, & atrocissimam, quoniam priuat hominem pluribus bonis spiritualibus, & temporalibus, & separat à communione fidelium tãquàm membrum præcisum, vt videbimus in seq. capite.

Obijces contra ex tex. in c. Forte 23. q. 4. vbi refertur ordo seruandus per Iudicem Ecclesiasticum in corripiendis, & coercendis peccatoribus, & gradatim in irrogandis pœnis incedendum esse definitur, vt delinquentes primo coerceantur, deindè excommunicentur, tandem deponantur, ergò depositio, quæ vltimo loco imponitur, erit grauior, & atrocior pœna excommunicatione, idẽ legimus in c. Quorundã dist. 34.

Respondeo hunc Ordinem non seruari semper in puniendis delictis, sed variari, nàm quandoq; post depositionem reperimus in Iure Reum excommunicandum fore, nonnunquàm post excommunicationem infertur depositio, quarè ex hoc ordine nihil inferri potest, nàm in c. Cum non ab homine de Iudi. Clericum depositum, si incorrigibilis persistat, iubet summus Pontifex excommunicari, vbi excommunicatio sequitur depositionem. Et simile habetur in c. At si Clerici eodem tit. in c. Dictum 81. dist. c. Clericus. 3. q. 4. & c. Si quis Sacerdotum 11. q. 1.

Ratio huius ordinis diuersi illa assignatur à Glo. in dicto c. Cum non ab homine de Iudi. Quoniam Iudex, quando pœnam infligit pro crimine, si sit crimen dignum suspentione, vel depositione, prius debet suspendere, vel deponere, & si tanquam incorrigibilis in peccato obstinatè insordescat, debet excommunicari, vbi verò punitur quis ob contumaciam, antea debet excommunicari, si contumacia hanc pœnam exigat, deindè deponi, vt dicitur in dicto c. forte 23. q. 4. tandem tradi Curiæ seculari. Et ad hunc modum sit expeditum tertium caput.

CAPVT IV.

De Communione, & differentia, quæ inuenitur in tribus Censuris, scilicet excommunicatione, suspensione, & interdicto, & cur vocentur Censuræ, & an alio nomine appellari soleant.

SEptem sunt communi nomine Censuræ, ex quibus quatuor verè, & propriè sunt impedimenta, non Censuræ,

Censuræ, vt probauimus, & distinguuntur formaliter à tribus censuris modo explicato. Nunc propius accedentes ad tractationem trium censurarum, videndum est, quam communionem, & diferentiam habeant inter se, & in hoc capite declarabo communionem, & differentiam quasi essentialem harum Censurarum, quæ sumitur ex ratione formali tàm generica, quàm specifica earum, de alijs verò conuenientijs, & differentijs extrinsecis, & quasi accidentalibus, quæ oriuntur ex materia, circa quam versantur, & ex effectibus illarum agam sigillatim in disputatione vnius cuiusq; Censuræ.

Conueniunt igitur istæ tres censuræ in hac ratione generica, quoniam omnes sunt in vindictam, seu pœnam peccati inobedientiæ, & contumaciæ institutæ ab Ecclesia, & per hanc distinguũtur ab illis quatuor impedimentis enumeratis, in hac igitur ratione præcipuè conueniunt istæ tres Censuræ, conueniunt etiam, quia omnes priuant hominem ferè ijsdem bonis, excommunicatio enim hoc ipso, quod prohibet participationẽ sacramentorum, priuat etiam vsu officij ecclesiastici, in quo consistit materialiter illud bonum, quod per suspensionem tollitur, & quatenus priuat celebratione diuinorum officiorum, quæ annexa sunt alicui loco sacro, quod pertinet ad Interdictum, conuenit cum eodem Interdicto, ergo conueniunt etiam in priuatione eorundem bonorum, ad hunc igitur modum explicanda est conuenientia harum Censurarum.

Differunt verò formaliter ea ratione, quoniam ea bona, quæ homini interdicuntur vi harum Censurarũ, scilicet sacramenta, Diuina officia, Conuictus communis, & Sepultura, possunt tripliciter considerari. Primò, secundum se ipsa, vt sunt quædam bona Ecclesiæ. Secundò vt pertinent ad fidelium communionem, & participationem communem, nàm omnes fideles in his communicãt. Tertiò vt sunt actus alicuius ordinis, aut officij, vel ad ea reducuntur, sicut igitur tripliciter differunt huiusmodi bona, ità quoq; possunt ab Ecclesia tribus modis inhiberi, vno modo secundum se; quia Ecclesia aufert ista bona ab homine, vel à loco aliquo, in quo exercentur, & hoc modo pertinent ad interdictum, secundo modo possunt prohiberi, vt sunt fideliũ communiones, cum enim Ecclesia eijcit aliquem à conuentu fideli, aufert ex consequenti ista bona, & sic spectant ad excommunicationem, aut tertiò possunt interdici, quatenus sunt actus officij, vel ordinis, & sic tolluntur per suspensionem.

Hinc sequitur vnum, quod cum in excommunicatione ista bona auferantur titulo communionis, plura sint ea, quæ tolluntur, quia plura sunt, quæ ad communionem pertinent, scilicet suffragia Ecclesiæ, Communicatio fidelium, & alia. At in suspensione quia hæc bona tolluntur, vt actus officij, vel ordinis, ideò prohibẽtur solùm quatenus actiones sunt, non vt receptiones, quia sic non sunt actus officij, vnde suspensus ab ordine, vel officio, licèt non possit exercere, & ministrare sacramẽta, potest tamẽ recipere. In interdicto tãdẽ hęc bona simpliciter interdicuntur, ideò tàm actio, quàm passio est prohibita. Hæc est itaq. differentia formalis, quæ reperitur inter has tres censuras, quæ clarius intelligetur, cum de singulis disputabimus.

Quantum ad nomen appellantur cẽsuræ, quasi iudicia à verbo censeo, quod significat iudicare, & dicuntur iudicia: quoniam, vt inquit Innoc. III. in illo cap. Quærenti de verb. signif. Discretus Iudex ponderatis circumstantijs rerum, & personarum, debet ex his tribus pœnis illam ferre, quam magis censet expedire, & ad salutem illius, in quem animaduertit, & ad bonum publicum Ecclesiæ, & ad exemplum aliorũ, sunt enim pœnæ medicinales, vt ostendam suo loco.

Nõ est quoq; improbabile asserere vt innuit etiam Nauar. in Manua. cap. 27. num. 1. huius appellationis originem fortassè ductam esse ex similitudine quadã, quæ intercedere videtur inter has ecclesiasticas censuras, quæ grauissimæ sunt pœnæ, & pœnam illam, quæ maxima erat tunc temporis in suo genere, qua Censor Rom. ob summa scelera in improbos ciues animaduertere solebat, Censores enim solebant vitia notare, Notatio autem, & animaduersio non erat eiusdem generis in omnes, sed aliquos priuabant dignitate, & officio, quo fungebantur, alijs aditus Curiæ prohibebatur, nonnullis ferendi suffragij, & capiendi facultas adimebatur, quidam muneris publici potestate omni priuabantur, quæ omnia consequuntur ex censuris ecclesiasticis suo modo. Tandem causæ, ob quas ciues Romani à Censoribus notabantur, erant graues, & censuræ non ex quocunq́, delicto, sed ex grauioribus, quibus adiuncta sit contumacia, & inobedientia, infligi solent, ac debent, habent igitur censuræ similitudinem quandam cum pœnis, quæ imponebantur à Censoribus Romanis, ideò non incongruè etiam hac de causa possunt dici Censuræ.

Solent etiam istæ Censuræ sæpè vocari sententiæ. Vnde dicitur quis sententia excommunicationis innodatus, vel suspensionis, vel subiacet sentẽtiæ excommunicationis. hæc autem vox, sententia, vsurpatur ad plura, & diuersa denotanda, nàm cuiuscunq́. orationis, aut sermonis significatio vocatur sententia, & idem valet tunc quod sensus, & intellectus, sumitur etiam sententia pro opinione Doctoris, quam habet de aliqua re ambigua, & controuersa, & dicitur à sentio sentis, hinc est illud commune dictum, firmius est iudiciũ, quod pluriũ sententia cõprobatur, hac ratione appellatur Liber Sentẽtiarum, quia in eo pluriũ sententiæ, & opiniones continentur, accipitur etiam hoc nomen pro præcepto superioris iuxta illud Daniel. c. 2. *Præcepit Rex, vt perirent omnes sapientes Babilonis, & egressa sententia sapientes interficiebantur*. Similiter sententia vocatur Declaratio, & Pronunciatio Iudicis de re, quæ in iudicio controuertitur, & aliquando est difinitiua sententia, nonnunquam interlocutoria. Has omnes significationes refert Glo. in Clem. vnic de dolo, & contum. & præter has addit aliam, Censuras ecclesiasticas vocari etiam sententias, licèt impropriè, quia Censuræ sunt potius pœnæ, quæ irrogantur per sententiam, sententia propriè est, quę ponit finem iudicijs, & controuersijs, talis non est Censura 11. q. 3. c. Summoperè. Glo. 2. q. 6. c. Biduum, & notat etiam Silue. V. sententia. §. 1. Idem tenet Abb. ex sententia Innoc. & Io. And. in Rub. de sent. & re iudi. in fi. Tamen cum sæpè apud sacros Canones hę Censurę Ecclesiasticæ vocentur sententiæ, vt c. 1. de ireg. & pa. & alibi frequenter. Propterea existimo verè dici posse sententias ob eam causam, quoniam & si Censurę pœnæ sint, quę sequuntur post sententiam; tamen quia prolata sententia per Iudicẽ eo ipso incurruntur absque vlla mora sine opere, & facto externo Iudicis, aut alterius Ministri, qua parte distinguuntur Cẽsurę ab alijs pœnis temporalibus, quas Reus non incurrit ipso facto, nec tenetur vltrò subire post condemnationem, sed potest expectare coactionem Ministri Iustitię, qui pœnam inferre debet, vt explicabitur loco suo. Idcircò Censurę verè, & propriè vocari possunt sententiæ, & hæc sufficiant de nomine Censurarum, & de toto hoc capite.

Possent

Possent hic multa disputari de effectibus communibus Censurarum, & de causis, antequam sermo institueretur de speciebus ipsarum, sed puto commodius fore si omnia quæ hoc loco præmitti possent in tractatione de ipsis speciebus suis in locis, & præsertim in disputatione de excommunicatione apte inserantur.



DISPVTATIO SECVNDA
DE NATVRA EXCOMMVNIC.



De prima specie Censurarum idest de Excommunicatione.



POST disputationem de Censuris in genere accedamus ad tractationem specialem de excommunicatione.

In pertractatione de excommunicatione hæc erunt disputanda de definitione excommunicationis, de differentia ab alijs censuris, & diuisione, de potestate excommunicandi an sit in Ecclesia, de excommunicatione minori, de effectibus excommunicationis maioris, de causa materiali, de formali, siue de ratione ferendi sententiam excommunicationis, de fine, seu intentione, cuius gratia infligenda est hæc censura, de ministro, idest causa efficiente excommunicationis, de subiecto, scilicet quis possit excommunicari, de causis, quæ possunt excusare, ne quis incidat in excommunicationem, de actibus, qui excommunicato permittuntur, de absolutione ab excommunicatione, de ijs, qui possunt absoluere à censura excommunicationis; demum de ritu, & forma seruanda in tradenda absolutione. Exordiamur à primo.

DISPVTATIO SECVNDA
de voce excommunicationis, de definitione, de differentia ab alijs censuris, & de diuisione.

CAPVT I.
De nomine excommunicationis, & de diuersis vocibus, quibus Sacra Scriptura, & Sancti Patres ad eandem significandam vsi sunt.

HOc nomen non inuenitur apud prophanos Latinos Scriptores, est tamen latinitate donatum ab Ecclesia apud Canones Summorum Pontificum, & apud Concilia. Et satis est nobis esse ab Ecclesia vsurpatum, & tritum. Est autem excommunicatio nomen Græcum ductum à verbo ἀφορίζω, quod Latinis separo, vel segrego, vel communione priuo significat, communio enim dictat quandam rebus, sermone, vel beneficijs, ac iuribus societatem, vt Couar. initio releċt. in c. alma par. 1. nu. 1. ex sententia Ciceronis in oratione pro Cornelio Balbo inquit, sic enim ait Cicero, *Ità mihi maximè communione beneficiorum præmiorum ciuitatis contineri videtur*. Hinc, & verbum communicare, idem est, quod aliquem participem facere, vel rerum, vel consiliorum, aut sermonis iure communionis, vnde ex his conceptum fuit à Catholicis, & Ecclesia ipsum verbum, excommunico, idest à communione separo, & expello, & nomen, excommunicatio, quod segregationem ab Ecclesia, & fidelium communione, & consortio significat, vel, vt alij putant, hoc nomen excommunicatio, deductum esse à communione, alio modo, vt asserit Dominicus Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. in princ. Nempè quia Fideles in Eucharistiæ participatione maximè vniuntur, nam olim in primitiua Ecclesia, dum charitatis feruor vigebat, quotidiè fideles accedebant ad communionem, vnde sumptio Eucharistiæ per antonomasiam dicitur Synaxis à Dionisio c. 3. Eccles. Hierar. 1. communio, & rationem tradit Damasc. lib. 4. cap. 14. quia per sacramentum Eucharistiæ Christo Capiti nostro coadunamur, in eius q; carnem transformamur, per consequens maximè per illud efficimur membrum Ecclesiæ, quare dura pœna erat priuari communione Eucharistiæ, hinc qui ob graue delictum hac pœna afficiebatur, vocabatur excommunicatus, idest communione Eucharistiæ priuatus, vnde Cyprian. de Orat. Dom. *Eucharistiam, inquit, quotidiè ad cibum salutis accipimus intercedente aliquo grauiore delicto dum abstenti, & non communicantes à cœlesti Pane prohibemur à Christi corpore separamur*. Et paulò post, *Vt manifestum est eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure communicationis recipiunt, ità contra timendum est, & orandum, ne dum quis abstentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute, comminante ipso, & dicente, nisi ederitis carnem filij hominis &c.* Sed refrigescente feruore erga communionem adiecit Ecclesia priuationem aliorum Sacramentorum, & bonorum, hoc verbum, & nomen, non legitur apud Sanctos, & Antiquissimos Ecclesiæ Patres, & id parum refert, cum apud eos legamus varijs, & diuersis nominibus eandem rem hoc nomine significatam, id & Tertul. de pudic. cap. 13. in primis explicans, quid sit tradere Sathanæ, quod habet Beatus Paulus

Paul 1. ad Corint.5.*Illis*, inquit, *traditis Sathanæ, Idest extra ecclesiam proiectis & c.*10 *abijcitur, idest extra Ciuitatem in locũ immundũ, deditus scilicet Sathanæ in interitum carnis, nec amplius reædificatur in Ecclesia post ruinã.* Hiero.in Oseã c.6. *Grauiorũ peccatorũ Rei, sicut olim de Paradiso Adam, modò de Ecclesia eiiciuntur.* Vnde Tertull.in Apolog.c.39. eandem animaduersionem modo nominat diuinã Censurã, de qua ait, *Iudicatur apud vos magno cũ pondere, aut apud certos de Dei conspectu, summumq; futuri iudicij præiudiciũ est, si quis ità deliquerit, vt à cõmunione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur.* Modo anathema nominat idẽ in Scorpio c.1.dũ dicit, Scorpio *pro solea anathema inlidito, & relinquito in suo corpore morientem*. Modo aliis verbis circumscribit. Idem ad vxorem c. 3. vt cum ait *Lanistam arcendum ab Ecclesia, vel stupri reos arcendos ab omni communione fraternitatis*. Idem aduersus hæret. c.30. *Relegare in perpetuum dissidium*, & aduersus Marcio.lib.4.c.24. *Communione interdicere*. Idem de monoga. c.15. *Prohibere nè in Ecclesiam recipiatur, Communione depellere, Itemq; submouere à limine, & omni tecto Ecclesiæ*. Idem de Pudic. c. 4. & 14. *Dari extra Ecclesiam sacramento benedictionis exauctorare*: & ibidem c. 15. ab excommunicatione absolutionem appellãt, *Largiri postliminium Ecclesiasticæ pacis, ad Ecclesiam reuocare, & Ecclesiæ concorporare*. Quæ omnia loca Pamelius diligenter obseruat, Cyprian. Epist.38. not.10. eandem Censuram modò Abstẽtionem nominat, cuius vocis illam reddit tationem Polyd. Virgil.lib.4.cap.12 De rerum inuent. quod excommunicati sint, à quibus reliqui homines abstinere debeant, modo aliis paraphrasibus circumscribit. Vt arcere à communione, non communicare, vel à communicatione cohibere, excludere, vel eiicere ab Ecclesia, abstinere à communicatione, depellere, condemnare, & aliis similibus, vt ad Pompon. scribens epist. 62. Excommunicationem Gladium spiritualem appellat, cum ait *Spirituali gladio superbi, & contumaces necantur, dum de Ecclesia eiiciũtur.* Et puto desumptam esse similitudinem ex gladio Petri, quo Petrus ira accensus ob amorem in Christum Magistrum suum irruit in milites, qui venerant, vt Iesum apprehenderent, & percussit seruum Principis sacerdotum, & ampotauit illi auriculam.

Res enim digna est consideratione, cur Petri gladius in solam Sicarij aurem seuierit, cur certo ictu solam aurem absciderit, sed ad significandam excommunicationem, talis gladius aptissime assumitur. Nam excommunicatio aurem abscindit, per excommunicationem excommunicatus fit sicut Ethnicus, & Infidelis, Matt. 18. qui fide caret, porrò carens fide, aure carere dicitur, siquidem fides ex auditu, ideò enim dictum est Christianos in auditu auris obedituros, & Christus in persona Christianorum inquit psal. 17. *Sacrificium, & oblationem noluisti, aurem autem perfecisti mihi*, siquidem per aurem verbum Dei ingreditur, & per hunc auditum omne bonum, Petrus ergo illius auriculam deiiciens, eum ab omni bono, & ab omni remedio prorsus alienum iudicauit, adeò grauis est excommunicationis pernicies psal.39. ad Rom.10.

Confirmatur etiam hæc similitudo inter abscissionẽ auriculæ factam à Petro, & pœnam excommunicationis ob eam rationem, quoniam excommunicatus priuatur multis bonis Ecclesiæ, quæ non percipiuntur sine auditu, scilicet auditione diuinorum officiorum, Missæ, Verbi Dei, perceptione sacramentorum, & præsertim confessionis. Aptissime igitur excommunicatio appellari potest gladius spiritualis.

Concilium Trid. sess. 25. cap.3. appellat excommunicationem neruum Ecclesiasticæ disciplinæ, quod in illa consistit firmitas auctoritatis Prælati Ecclesiastici ad compoſcendos inobediẽtes, sicut Cic. pro leg. Man. appellat Milites, Classes, & Vectigalia, neruos Reipub. quod in his consistat firmitas Reip.

Alibi vocatur animæ, & corporis detrimentum 2. q.1.c. De Manifesta. Nonnunquam æternæ mortis dãnatio; 11.q.3. c. Nemo Episcoporum, & c. Corripiantur 24.q.3. Vbi sic habetur, *Quia & ipsa, quæ damnatio nominatur, quam facit Episcopale iudicium, Qua pœna in ecclesia nulla maior esse potest, &c.* Ibi Glo. inquit per Damnationem intelligi excommunicationem. Et verè vocari potest damnatio, quia per eã homo traditur Sathanæ, vt inquit Apost. Paulus, vt habeat potestatẽ pro arbitrio suo, & volũtate illũ torquẽdi in hac vita.

Dicitur etiam Dãnatio, cõparatione ad alias pœnas ecclesiasticas, quæ in ordine ad excommunicationem nullũ, vel leue damnũ inferunt, ideò hæc simpliciter, & per excellentiã dãnatio vocatur, & meritò in tex. dicitur, *Qua nulla maior in ecclesia esse potest pœna.* Nũcupatur quandoq; Mucro Episcopi c. Visis 16. q.2. in fi. 24. q.3.c. Corripiãtur. Quare quãuis nõ reperiamus apud priscos, & primos ecclesiæ Auctores nomen excommunicationis, apertè constat rẽ, hoc nomine significatam fuisse semper in vsu, etiã tempore Apost. & ab alijs Patribus diuersis nominibus fuisse circũscriptam, sed præ cæteris alijs nominibus eadẽ ecclesiastica censura frequentiori vsu postea excommunicatio dici consueuit quoniã, vt diximus, qui ea obstricti sunt sententia, à cõmunicatione Christi corporis potissimũ arcentur, quæ simpliciter cõmunio dicitur, sed & quod etiã excõmunicati à fideliũ cõmunione, & cõmunicationis cõsortio expellantur propriè excommunicatio est appellata.

Nequè tamen desunt Patres, qui hoc nomen multoties vsurparunt. Vsus est illo frequenter B. August. de fid. & oper. cap. 26. & post eum multi alij, vt cum ait, *Nisi essent grauia delicta, vt etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus, Congregatis vobis, & meo spiritu tradite huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, &c.* Et in Psal. 54. August. sic ait *Diligamus inimicos, corripiamus, infligemus, & excommunicemus cum dilectione etiam à nobis separemus, &c.*

In Canonibus etiam Apostolorum græcè olim editis, sed postea in latinam linguam traductis passim probatur hæc significatio, etenim quoties Græci canones vsi sunt verbo, ἀφορίζω, quod Latinè est segrego, separo, quandoque ab interprete Latino veteri, & ab ipso Gregorio Holoandro traducitur excommunico, quandoque à communione priuo, sæpissimè ità Canones contumacibus, & irreligiosis comminantur, ἀφοριζέσθω, & tamen vetus Latinus interpres, & ipse Holoander ita interpretatur, excommunicetur, à communione priuetur.

Ad eandem censuram significandam sacræ Synodi, necnon Episcopi in suis ecclesijs cum diuini interminatione iudicij aliquid admonerent, vsi sunt voce anathematis, & Maranathæ suis ipsorum præceptis illas affigentes, desumentes eas ex B. Paulo in calce 1. epist. ad Corint. dum inquit, *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum sic Anathema, Marantha.*

Quidã existimarunt Anathema esse vocem Hæbreã vt Alciat. cap. cũ non ab homine de Iudicijs, & Sotus 4. sent. dist. 22.q.1.art.1. & hoc putant probabilius. cõfirmat hoc dictũ Sotus anctoritate B. Hieron. in c.1. ep. ad Galat. qui affirmat esse verbũ Iudæorũ, quo significant id, quod detestationi, & abominationi habetur, vt

in lib.

in lib. Nume. cap. 21. legitur de illis Ciuitatibus Chananæorum, *Vacauit nomen loci illius Charma* à verbo charam idest Anathema, & Iosue. 6. de Hiericho, *Sitquè ciuitas hæc Cherem*, idest Anathema. Vtitur etiam hoc nomine B. Paulus ad Gal. 1. ad Rom. 9.

Sed potius sentiendum est Anathema esse Græcam vocem, vt dicunt August. in psal. 138. & lib. 2. contra Cresconium cap. 1. Chrisost. & alij, quos modo afferã, & ita sentit B. Tho. etiam in cap. 1. Epist. ad Galat. & B. Hieron. solum voluit ostendere rem hoc nomine significatam non à Græcis, sed ab Hæbræis fuisse desumptã. Anathema igitur est nomen Græcum, & ex sententia Ioannis Chrisostomi homil. de Anath. Tom. 5. est vox ambigua, atq; in bonam, ac malam partem accipi potest; quandoq; enim quod certo loco appensum, & ex voto Deo oblatum, vel in eius templo dedicatum est, significat, quandoq; vero quod à Deo seiunctum est per impietatem, vt ait idem Chrisost. in Isa. homil. 1. Vnde anathematizare est maledicere, execrari, detestari. Et iuxta hanc significationem accipitur apud Marcum, cum dicitur de Petro, quod cœpit anathematizare, & iurare. Idq; cum complura diuinæ scripturæ exempla declarent, tum maximè id, quod apud Iustinum Martirem lib. quæst. & resp. q. 121. legitur in hunc modum, *Anathema id dicitur, quod Deo est dedicatum, atq; destinatum, & in communem vsum amplius non conuertitur, aut quod à Deo per malitiam est abalienatum.*

Sed quid hoc nomine intellexerit Apostolus in calce prioris Epist. ad Corinth. cum ait, *Si quis non amat Dominum Iesum Christum, is anathema sit*. Explicat Chrisost. homil. 16. in Epistolam ad Rom. dicens, *Sit anathema, hoc est ab omnium commercio segregatus, alienus ab omnibus. Nam quemadmodum anathema donum, quod Deo oblatum dedicatur, nemo est, qui temere manibus contingere audeat, neq; ad id propius accedere, sic & qui ab Ecclesia separatur ab omnibus abscissus, ac tanquam longissime abductus, hoc nomine à contrario, scilicet sensu magno cum terrore omnibus præcipitur, ab eo vt separentur, ac pedem referant, anathemati enim honoris gratia appropinquare nemo audebat. Ab eo autem, qui ab Ecclesia abscissus erat, ex opposita omnes sententia separabantur. Quapropter separatio quidem tum hæc, tum illa ex æquo vulgo ab alienatio erat, separationis vero modus non vnus, sed illi contrarius. Ab illo enim abstinebant tanquam Deo dicato, ab hoc autem decedebant tanquam à Deo abalienato, & ab Ecclesia abscisso.* Huculq; Chrisost. Idem cõfirmat August. Num. c. 40. & 45. & epist. 138. S. Tho. & Caiet. in epist. Pauli ad Rom. cap. 9. At non certè hoc modo Paulus optabat Anathema esse, à Christo pro fratribus suis, ipsa nimirum gente Iudæorum.

Quamobrem alius adhuc eiusdem vocis est sensus, vt Anathema idem importet, quod maledictum, secũdum quod scriptum est in Zacharia c. 14. de Hierusalem, *Habitabunt in ea, & Anathema non erit amplius.* Quo loco Hier. de B. Paulo, *Pro fratrum salute*, inquit, *anathema esse cupit, imitari volens Dominum, qui, & ipse cum non esset maledictio, factus est maledictio*. Sed hæc fusius Hieron. in epist. ad Algasiam 151. q. 9. Vbi & de alio huius vocis sensu hæc verba habet, *Vult ergo Apostolus perire in carne, vt alij saluentur in spiritu, suum sanguinem fundere, vt multorum animæ conseruentur. Quod autem Anathema interdum occisionem sonet multis veteris testamenti testimoniis probari potest.* Hæc ille. Vnde Anathema antiquitus dicebatur animal illud apud Hæbreos, cuius capiti omnium peccata imponi dicebantur, atq; ita immolabatur, Ratione cuius similitudinis sanctorum capiti crimina aliorum imponuntur, vt ea per illos expientur, Hoc egit Dauid cum deprecatus à Populo vltionis diuinæ totam in se pœnã transferri voluit, atque ita placatus est Deus 2. Reg. 25. Propterea Paulus inquit, *Optabam ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*. Bonis enim vtilitati sunt merita, & sanguis Iustorum. Ideò Paulus palam profitetur ad Rom. 3. *Omnia*, inquit, *vestra sunt siuè Paulus, siuè Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siuè futura, omnia enim futura, omnia enim vestra sunt.*

Rursus idem Paulus ad Philip. 2. *Sed, & si immolor supra sacrificium, & obsequium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis*. Testatur itaque Paulus immolari sanctos ea de causa, vt alij sacrificentur, & obsequantur Deo. Et eodem modo, quãdo Paulus Epist. ad Galat. c. 1. ait, *Si nos, aut Angelus de Cœlo euangelizet vobis præterquam, quod euangelizauimus vobis, sit anathema*. Explicandum est, sit maledictus, pereat, sit excommunicatus talis assertor, vt interpretatur Dionysius Carthusiensis, vel sit condemnatus, & ab ecclesia alienatus, vt Anselmus, vel execrationi subdatur, vt Theophylactus, & addit *Nec parcitur Apostolis, sed nec sibi ipsi, vt ostendat nullam dignitatis rationem habendam, vbi de dogmatibus ipsis & fide agatur.*

Et hæc significatio deriuatur ex verbo hæbreo charam, quod est occidere, perdere, disperdere, & per metaphoram consecrare, immolare, mactare, quia victimæ oblatæ Deo occidebantur, & cætera Deo consecrata dicebantur mori morte nimirum ciuili, quia diuinis vsibus destinata, quasi mortua, & à communi hominum vsu remota censebantur. Hinc cherem dicebatur hæbreis occisio, excisio, interfectio, & metaphoricè vsurpabatur pro consecratione, & immolatione. Hoc nomen septuaginta, vel latinus interpres verterũt semper Anathema, quia Gręcis hoc nomine significatur execratio, detestatio, & etiam cõsecratio. Nam Græcis propriè anathema dicebatur donum dicatũ Deo, & similiter homo morti traditus, & Dijs inferis per imprecationes deuotus, & in hoc sensu hoc nomen anathema fuit etiam in vsu apud gentiles, & Ethnicos, vt probat Budæus in Comm. linguæ græcæ c. 4. Solebant enim Gentiles sceleratos homines morti addicere, & certis quibusdam imprecationibus execrari, detestari, maledicere, & eandem vocem ipsi Gentiles vsurpabant, vt significarẽt donum, quod Dijs dicabant, quia suspendi soleret in parietibus, & columnis templi, qualia erant pocula gemmata, Equi aurei, statuæ argenteæ, dicta hoc modo quasi suspensa, vel seposita in sublimi loco, anathema enim sonat sursum appensum. Et apud eosdem eadem voce significabantur ornamenta in conuiuijs, & epulis solemnioribus adhiberi solita. Indè à Summis Pontificibus hoc verbum in sacris Canonibus desumptum est ad significandam excommunicationem, per quam excommunicatus à Christi corpore separatus omnibus detestationi, & abominationi habetur.

Hoc totum significauit clarè D. Tho. in cap. 1. epist. ad Galat. in hæc verba, *Anathema componitur ab Ana, quod est sursum, & Thesis positio, quasi sursum positio, & est ortum ex quadam antiqua consuetudine, antiqui enim, quando pugnabant, & capiebant aliquam prædam ab hostibus, quam nolebant conuertere in vsum proprium, suspendebant illam in templis, vel in aliquo loco publico Ciuitatis, quasi separatam à communi hominum vsu, & omne tale sic suspensum nominabant Græci Anathema, & ex hoc inoleuit cõsuetudo, quod omne illud, quod excludebatur ab vsu communi, diceretur Anathematizatum, vnde dicitur*

tur Iosue 6. De Hierico & omnibus, quę in ea sunt, quòd Iosue mox anathematizauit ea, & ideò etiam hoc in Ecclesia inoleuit, vt illi, qui excluduntur à communi societate Ecclesię, dicantur anathematizati. Hæc ille.

Sotus dist. 22. q. 1. art. 1. putat apud Canones Ecclesiasticos Anathema sumi pro excommunicatione maiori, vt habetur in quinta Synodo. refertur c. certum 24. q. 3. nisi quod Anathema quendam maiorem terrorem videtur incutere, & propterea in Concilijs, & in iure frequentiorem esse vsum huius nominis Anathematis, quàm excommunicationis, quamobrem vult ipse Sotus quoties in ipsis Canonibus apponitur pœna excommunicationis, intelligendum esse de minori, si non addatur etiam Anathema, sed simpliciter loquantur; Probat ex verbis Nicolai c. de Præsbyterorum 17. q. 4. Vbi habetur, quod prius fratres delinquentes à sacra cõmunione priuentur, deindè si obstinati fuerint, ab Ecclesiæ compage sub anathematis interdictione resecentur. Idem colligitur ex Concilio Meldensi c. nemo Episcoporum 11. q. 3. Et ità ait intelligendam esse differentiam c. Engelthrudam 3. q. 4. Vbi hæc legũtur. *Engelthrudam vxorem noueris non solùm excommunicatione, quæ à fraterna charitate separat, hoc est à sacramentorum perceptione, sed etiam Anathemate, quod ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia recidit, crebrò perculsam.*

Verùm sententia Soti non videtur probabilis, nec Canones ab ipso citati illam confirmant, nàm nomine excommunicationis, si nihil addatur, semper intelligitur de maiori excommunicatione, vt dicam in sequenti capite, quæ non distinguitur essentialiter ab Anathemate, sed accidentaliter solùm, Anathema enim addit supra excommunicationem publicum, & solemnem ceremoniarum ritum idq; tantùm desumitur ex iuribus citatis ab ipso Soto, atque tales solemnes, & publicæ ceremoniæ adhibebantur per publicas imprecationes erga excommunicatum, & hoc nomine non vtebantur nisi maturo consilio Pontifices, & non nisi in re graui, & criminibus magnis, & contra homines proteruos, rebelles, ac pertinaces. Exemplum habemus expressum ex Concilio Tridentino sess. 13. in definitione Canonum, vbi quoties damnat de crimine hæresis, vtitur voce Anathematis, secùs abstinet ab hac voce, sed vsurpat simpliciter nomen excommunicationis, vt patet in can. vlt. illius sess. Vbi absolutè habetur Excommunicatus sit. Notat Glo. c. Cum Ecclesiarum de offic. Ordin. Ius, & potestatem anathematizandi solemniter non conuenire nisi Episcopo: Vndè inferiores Prælati, & Parochi, inquit Glo. possunt excommunicare, non anathematizare. Idem sentit Abb. in dicto c. cum ab Ecclesiarum, & in c. si quis contra Clericos de foro, compe. & in c. cum non ab homine de Iudi. & ibi Dec. nu. 13. De hoc tamen tractandum erit suo loco. Igitur anathema est vinculum, & sententia maioris excommunicationis in re graui, & matura deliberatione præmissa, lata, ac publico, & solemni ceremoniarum ritu inflicta, quod colligitur ex c. cum non ab homine de Iudi. vbi eandem opinionem tenet Abb. nu. 23. post Host. & Io. And. & ex c. de Præsbyterorum 17. q. 4. c. Engelthrudam 3. q. 4. c. Nemo Episcoporum 11. q. 3. & c. certum 24. q. 3. Textus celebris cap. debent 11. q. 3. Vbi Anathematis solemnitas enarratur Glo. in c. Ad Apostolicæ Ver. Anathematis de re Iud. lib. 6. Vbi explicans verbum illud Anathematis inquit, *Idest excommunicationis cum solemnitate factæ.* Quarè, quando in dicto c. de Presbyterorum 12. q. 4. dicitur Delinquentes prius esse sacra communione priuandos, deindè, si maneant obstinati, anathematis vinculo resecandos, significatur vsus, qui antiquitus in Ecclesia seruabatur, vt delinquentes paulatim crescente contumacia priuarentur bonis spiritualibus, de qua consuetudine dicã in cap. . . disp. Ideo antea eis interdicebatur vsus sacræ communionis, deinde aliorum sacramentorum, quod fit per excommunicationem minorem, tandem aliorum bonorum, quod pertinet ad excommunicationem maiorem, siue Anathema. Hoc idem patet in dicto c. Engelthrudam, vbi mulier illa innodatur prius excommunicatione, quæ à fraterna societate separat. Eamq; Glo. ibi dicit vocari Minorem excommunicationem deinde etiam Anathemate quod ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia, præscidit. Vbi Glo. dicit Anathema esse maiorem excommunicationem.

Sed de forma, quæ seruabatur in fulminatione Anathematis dicam suo loco.

Quamobrem affirmandum est excommunicationem maiorem tunc posse vocari Anathema, si adhibitæ fuerint solemnitates cap. debent 11. quæst. 3. quod Abb. etiam animaduertit in c. cum non ab homine num. 23. de Iudi. licèt oppositum sentiat Nauar. in comment. de dat. & promis. pro Iust. quarto notan. num. 10. vers. addo sexto, ea ratione ductus, quia excommunicatio maior sine alia solemnitate est Anathema, illi enim, qui sunt exclusi à corpore, & communi societate Ecclesiæ, sunt Anathematizati, vt probauimus ex D. Thom. & hoc facit excommunicatio maior. Idq; manifestè probatur ex c. Engelthrudam 3. q. 4. & ex c. nemo 11. q. 3. Deindè frequenter reperitur in sacris Canonibus hæc vox Auathema, & tamen Summi Pontifices in pronunciatione illius non sunt vsi solemnitatibus c. debent 11. q. 3. vt in c. Excommunicamus 1. & 2. de hæret. in Extrau. 1. de sent. excom. Immò nec eas solemnitates Summus Pont. adhibet, cum singulis annis promulgat Bullam Cœnæ Domini, in qua grauissima continentur Anathemata soli Papæ reseruata, ergò de essentia Anathematis non sunt illæ solemnitates, & ceremoniæ extrinsecæ, nàm sine illis solemnitatibus est verum Anathema.

Sed rationes Nauarri non concludunt, Prima enim tantùm probat excommunicationem maiorem quoad essentiam non differre ab Anathemate, sed producere eosdem effectus, quod nos contendimus probare, neq; tamen propterea sequitur inter excommunicationem maiorem, & Anathema non intercedere aliquod discrimen accidentale, scilicet nominis, & quarundam solemnitatum, & ceremoniarum quæ seruantur in pronunciando Anathemate, & non necessariò adhibentur in quacunq; excommunicatione. Dec. in c. cum non ab homine num. 13. de Iudi. quarè omne Anathema potest appellari excommunicatio maior, sed non è contra, si desint illæ ceremoniæ, quæ non semper adhibentur, sed vbi grauitas rei id postulat ad maiorem terrorem incutiendum, & vt difficilius obtineatur absolutio, vt notauit Abb. in c. cum non ab homine nu. 23. de Iud. & ego ostendam in cap. . . disp. . . Ad secundam rationem, quod in Sacris Canonibus reperiatur Anathema sinè illis solemnitatibus similiter in Bulla Cœnæ Domini, respondebo commodius in cap. . . disp. . . in explicatione Bullæ.

Hucusq; de excommunicationis, & Anathematis voce, restat aliquid breuissimè dicendùm de Maranatha.

De Maranatha hæc Hiero. ad Marcellam epist. 137.

Mara-

Maranatha magis Syrum est, quã Hebraicum, tametsi ex confinio vtrarumq; linguarum aliquid etiam hæbreum sonet, & interpretetur, Dominus noster venit, vt sit sensus verborum Pauli, si quis non amat Dominum Iesum Christum, anathema sit, idest qui non credit in fidem Christi, sit ab omnibus separatus, & illo completo deinceps inferatur, Dominus noster venit, quod superfluum sit aduersus eum odiis pertinacibus velle contendere quem venisse iam constet; Hæc ipse, vel dici potest, sensum illorum verborum esse, *Sit anathema*, idest separatus à Deo, *Maranatha*, idest quousq; veniat Dominus, vel in aduentu Domini.

Sed cur post anathema, illa addantur verba, illam existimant causam aliqui, quod Hæbrei, cum proferrent condemnationis sententiam, illam cum contestatione præsentis diuini Iudicij copulare consueuerunt. Sunt de his exempla in diuinis scripturis, vt in Daniele cap. 13. qui impudicos, & calumniantes senes condemnans, ad priorem dixit, *Ecce Angelus Dei accepta sententia ab eo scindet te medium*. Posteriorem condemnans sic est allocutus, *Manet Angelus Domini gladium habens, vt secet te medium, & interficiat vos*. Sic & cæteri iudicantes, & maledictionis sententiam pronunciantes, addentesq; Maranatha, Dei præsentiam omnia iudicantis, ac punientis adesse contestabantur, sicut habetur in psal. 9. *Iudicentur gentes in conspectu tuo*, vt probaretur esse verum, quod scriptum est in prouerb. cap. 8. *Per me legum conditores iusta decernunt*, & illud apud Iustin. lib. quæst. q 121. *Per me potentes decernunt iustitiam*.

Hæc autem vox Maranatha sicut & aliæ Hæbreorum voces, vt monet Hieron. epist. illa 137. in Ecclesiam sunt illapsæ, & frequenti vsu receptæ, *Vt quia prima Ecclesia fuerat ex Iudæis congregata nihil ad credentium scandalum innouarent Sancti illi Patres. sed ità vt à principio imbiberant, traderent. Postea verò quam in vniuersas gentes dilatatus est sermo Euangelij non potuisse semel suscepta mutari, licet & illud in libris suis, quos Periarchon vocant, Origenes asserat, propter vernaculæ linguæ cuiusq; idioma non posse quædam vocabula ità apud alios sonare, vt apud suos dicta sunt, & multo melius esse non interpretata ponere, quam virorum interpretatione temerare*, Hucusq; Hieron. August. lib. 2. De Doct. Christia. cap. 11. hæc etiam in eandem sententiam: *Hæbrea inquit verba non interpretata sæpè inuenimus in libris sacris, sicut Amen, Halleluya, & Racha, & ò Sanna, & si qua sunt alia, quorum partim propter sanctiorem auctoritatem, quamuis interpretari potuissent, seruata est antiquitas, sicut Amen, & Halleluya, partim vero in aliam linguam transferri non potuisse sicut alia duo, quæ posuimus*. Et alibi August. epist. 178. *Sciendum est Amen, & Halleluya, quod nec latino, nec barbaro licet in suam linguam transferre, Hæbreo cunctas gentes vocabulo decantare*. Ex his videre licet quantum venerandæ antiquitati maiores detulerint, & quam parum ei consulant, qui prætextu quodam cultioris sermonis passim commutant antiquas voces Ecclesiasticas, vt quod ad id, de quo agimus, spectat, cum loco Anathematis, vel excommunicationis more Gentilium potius, quam Christianorum dicere malint, Deuouere diris, vel quid simile, sed tanta, vt monet August. De Doct. Christia. lib. 2. cap. 14. in fine, est vis consuetudinis etiam ad discendum, vt qui in scripturis sanctis perlegendis studium aliquod posuere, magis alias locutiones mirentur, easq; minus latinas putent, quam illas, quas in scripturis didicerunt, etiam si in linguæ authoribus non reperiuntur. Nouas voces, quantumlibet elegantiores, esse vitandas, nec ad locutionem sacrarum rerum facile admittendas, complura docent exempla, de quibus alias. Est enim ornamenti quoddam genus non mediocre etiam Oratorum latinorum Principis testimonio ad Attic. lib. 2. Epist. 1. Verborum ornatum contemnere, sic enim ad amicum scribens: *Illa tua horridula mihi, & incompta visa sunt: sed tamen erant ornata, hoc ipso, quod ornamenta neglexerant, & vt mulieres ideò bene olere: quia nihil olebant, videbantur*. Affirmabat, qui inter Græcos eloquentissimos Rhetores primum sibi vendicabat locũ, non esse in eo fortunas Atticæ eloquentiæ sitas, hoc, vel illo vti verbo, quin potius rem accurate perpendere, quam quidem sententiam tanto authore dignam post Ambros. in Lucam lib. 2. cap. 2. qui prout vetus interpres hac eadem ratione maluerat præsepium, quam præsepe dicere. August. contra Crescon. lib. 2. cap. 1. cum faceret ei Grammaticus magnum de impropria deriuatione negocium vsurpat his verbis: *Si enim Demosthenes clarissimus oratorum, cui tanta verborum fuit cura, quanta rerum authoribus nostris; cum tamen ei nonnullam locutionis insolentiam obiecisset Aeschines, negauit ille in eo esse positas fortunas Græciæ, illo an illo verbo vsus fuerit, & an huc, vel illuc manum porrexerit. Quarto minus nos laborare debemus de regulis deriuandorum nominum, quando siuè hoc, siuè illud dicamus, intelligimus siuè ambiguitate quod dicimus, quorum non in expositione sermonis, sed in demonstratione veritatis est maior intentio*: Huc vsq; ille. Et idem August. in psal. 138. maluit dicere ossum, ossi, quàm os, ossis vt facilius intelligeretur: *Melius est enim*, inquit, *vt nos reprehendant Gramatici, quam non intelligant Populi*.

Sed illud restat declarandum, antequam concludamus hoc caput, cur per excommunicationẽ homo dicatur tradi Sathanæ, vt Apostolus loquitur, B. August. in lib. De verb. Apost. ser. 68 *Omnis Christianus*, inquit, *qui à Sacerdotibus excõmunicatur, Sathanæ traditur. Quomodo? Quia scilicet extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus, ac per hoc quasi Diabulo traditur, qui ab Ecclesiæ communione remouetur*. Et fortasse etiam in primitiua Ecclesia Excõmunicatus visibiliter à Diabolo vexabatur, vt dicã in tertio cap. Vel excommunicatus dicitur traditus Sathanæ, quia auxilijs Ecclesiæ destitutus, per excommunicationẽ scilicet priuatus participatione Sacramentorum, suffragijs Ecclesię, & communione fidelium, quibus erat munitus contra impugnationes Sathanæ iuxta illud, quod de Ecclesia dicitur Cant. 6. *Terribilis vt Castrorum acies ordinata*, scilicet Dæmonibus in maximis versatur periculis. Et cũ subiungit Apostolus, *In interitũ carnis*, vult indicare, quod talis excommunicatus ab Ecclesia separatus, & tẽtationibus Sathanæ expositus, liberius ruet in peccatũ. Vocat autem peccata mortalia Carnis interitũ quia vt habetur ad Galat vlt. *Qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem*. Et concludit, *Vt spiritus saluus fiat*. Nempe vt cognoscens turpitudinẽ peccati erubescat, pœniteat, & sanetur. Quod si etiam ante excommunicationem per ipsum opus prauum peccati mortalis, anima tradatur Sathanę; tamen per excõmunicationem vehementius subijcitur furori, & tormẽtis Sathanę, vt maiorem libertatem, & dominium in eam exercere valeat, præsertim cum, vt inquit Abb. in cap. Ità quorundam num. 3. in fi. De Iudæ. Angelus eius custodię deputatus non ita conetur ad eius tutelam, sicut in alijs. Certum enim est, quod is, qui in sordibus est, vt est in Apocalypsi sordescere potest adhuc,

huc, quemadmodum qui iustus est, potest amplius iustificari: Ita qui in Dæmonis potestate erat propter crimen mortale commissum, potest adhuc magis illius potestati subdi. Ioannes siquidem cap. 13. refert Sathanam intrasse in Iudam post acceptam buccellam panis, & tamen ante acceptam buccellam iam Diabolus erat in eo, quia Ioannes antea dixerat, quod Diabolus miserat in cor Iudæ, vt traderet Christũ. Ecce Diabolus, qui iam Iudam possederat, iterum intrat in eum, maiorem in eum accipiens potestatem. Eodem modo existimandum est de excommunicato. Vnde Leo Papa in Epist. ad Episcopos per Viennensem Prouinciam constitutos epist. 67. in fine hæc ait, *Cognouimus pro commissis, & leuibus verbis quosdam à gratia communionis exclusos, & animam, pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tàm saui supplicij sauciatam, & inermem quodammodo, exutamque omni munimine diabolicis incursibus, vt facilè caperetur, obiectam.* Hæc Leo. Quibus verbis, etsi reprahendat eos, qui temerè excommunicationem inferunt; tamen apertè declarat hanc, quam diximus, excommunicationis vim. Hoc idem confirmat Hilar. in Psal. 118. *Omnis, in quo peccati voluntas est, Deo vacuus est, & vbi Deus non est, illic Diaboli locus est, qui insidians, atque obsidens, vbi aditus opportunitatem habuerit, tanquàm vacuam domum occupat, quæ ei, Deo iam discedente, sit tradita* & paulo inferius, *Qui enim ab Ecclesiæ corpore respuuntur, quæ Christi est corpus tanquàm peregrini, & alieni à Dei corpore, dominatui Diaboli traduntur.* Et Hieron. epist. 1. in eandem sententiam, *In veteri lege quicunque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur à Populo, aut gladio ceruice subiecta contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens spirituali mucrone truncatur, & eiectus de Ecclesia rabido Dæmonum ore discerpitur.* Gregor. Niss. in ea orat. quam habuit in eos, qui ægrè ferunt reprehensiones, *Si haberes,* inquit, *oculos apud animæ essentiam, ostendissem tibi segregato figuram, & habitum condemnati, cuius collum premitur grauissimis vinculis, & nullum habet membrum liberum, ac solutum, & vtinam intra huius vitæ terminos circumscriberetur supplicium* Et eandem concludit; *considera Sanctum Paulum in reum tulisse sententias segregationis, & iuuenem Corinthũ eo curantem medicamento, qui Sathanica Nouercæ insano erat captus amore.* Hæc Greg. His igitur de causis excommunicatus dicitur traditus Sathanæ, nec plura ad hoc primum caput adijciam.

CAPVT II.

De qua excommunicatione intelligendum sit, quando absolutè, & simpliciter ab ipso iure, vel ab homine imponitur excommunicatio, & non additur Maior, aut Minor.

MOVET hanc dubitationem Io. Monachus in Glo. Extrau. 1. De sent. excomm. ver. Excommunicamus, & quod de Minori excommunicatione sic intelligendum probari potest.

Primò, quoniam excommunicatio est pœna, & grauissima, sed in pœnis semper benignior interpretatio est adhibenda l. Si Præses, l. Interpretatione, ff. De pœn. Reg. in pœnis, & Reg. Odia. De Reg. Iu. lib. 6. Qua ratione in dubio appellatione excommunicationis, Minor, non Maior esset accipienda.

Secundò in cap. 1. De except. lib. 6. præcipit Papa, vt non admittatur exceptio excommunicationis contra aliquem opposita, ad repellendum illum à Iudicio, nisi exprimatur species excommunicationis, vbi Glos. Ver. Speciem, inquit, hoc ideo statuisse Summum Pontificem, quia cum duplex sit excommunicatio, maior repellit ab agendo, non autem minor, quod si nomine excommunicationis simpliciter intelligeretur maior, hæc ratio vim non haberet.

Respondet Io. Monach. ad hanc dubitationem, & ait; nomine excommunicationis simpliciter, siuè lata sit à iure, siue ab homine, intelligi maiorem, non minorem, & probat ex c. penult. de senten. excommun. quod habet; maiori excommunicatione ligatum esse illum, qui à Iudice hac forma verborum excommunicatus fuerit, excommunico te, reddit rationem textus quoniam excommunicatio minor separat tantùm à perceptione Sacramentorum, maior vero à communione fidelium. Et hæc vox Excommunicatio ex vi, atque ex ethimologia vocabuli, vt inquit Ioan. Monach. vbi supra significat expertem communionis facere. Idcircò absolutè maiorem, non minorem excommunicationem sigificat.

Idem sentit Ioan. Maior in quarto distinct. 18. qu. 1. dicens excommunicationem esse genus ad maiorem, & minorem excommunicationem, sed non esse genus vniuocum, vt eius ratio integra æquè conueniat ipsis speciebus, quod requiritur in genere vniuoco, sed esse genus analogum siuè ad vnum, cuius quidditas potiori ratione residet in specie magis principali, deindè in alijs speciebus, vt sanum, quod prius dicitur de homine sano, deindè de pharmaco sano, exercitatione sana, & de cæteris, vt inquit Aristot. 4. Met. Ità excommunicatio dicitur de excommunicatione Maiori, & Minori, sed prius, & formalius de Maiori, quæ est prima species; in qua consistetur tota essentia, & quidditas excommunicationis. Vndè, si simpliciter sermo fit de excommunicatione sine alia additione, de Maiori interpratatio fieri debet tanquam de principaliori specie; quia quælibet dictio in potiori significatione est accipienda, Glos. in l. 1. in princ. ff. de Verb. Obligat. sicut quando simpliciter agitur de dominio, intelligitur de directo, non de vtili leg. 1. §. Qui in perfectuum, ff. si Ager. Vect. g. vel Emphit. pet.

Hoc idem asserit Couar. in c. Alma Mater, prima part. §. 8. num. 5. & ante ipsum Abb. in dicto cap. penult. num. 4 De Sent. Excommun. ductus ea ratione, quoniam, inquit, communis vsus hanc interpratationem iam diù recepit, vt nomine excommunicationis in dubio Maior intelligatur. Qui quidem vsus maximam vim obtinet in interpratatione cuiuslibet sermonis l. labeo ff. De Supel. leg. l. librorum, §. Quod tamen Cassius, & ibi Glo. ff. de leg. 3. c. Quamquàm 2. qu. 7. Accedit, quod sæpius, & frequentius infligitur excommunicatio maior, quàm minor tàm ab ipso iure, quàm ab homine, & denominatio desumitur ex his, quæ communiora sunt.

Decius in c. Cum non ab homine num. 3. De Iudi. explicat dictum capitulo penultimo de sent. excommunic. vbi appellatione excommunicationis de Maiori intelligitur, & inquit hoc verum esse, quando solùm fit mentio de excommunicatione, secus quando excommunicatio coniungitur cum anathemate, tunc enim nomine excommunicationis intelligitur minor, & nomine Anathematis Maior, & citat Dominicum in capitulo penultimo §. Notandum 3. quæst. quarta. Et hanc explicationem videtur approbare Nauarr. in Comment. De Dat. & pro. pro Iusti. Quarto notandum numero nono, vers. Addo septimo.

Quam-

A Quamobrem omnes Doctores videntur conuenire in hac communi conclusione, quod nomine excommunicationis simpliciter, intelligenda sit maior, non minor excommunicatio, quamuis in assignanda ratione huius dicti non nihil discrepent.

Si obiicias, passim in Iure excommunicationem minorem significari nomine excommunicationis simpliciter sine aliqua adiunctione, vt cap. Cum excommunicato 11. quæst. 3. Vbi hæc habentur: *Si quis cum eo, scilicet excommunicato, aut palam, aut absconsè locutus fuerit, statim cum eo communem excommunicationis contrahet pœnam.* Similiter in cap. Ad mensam, & cap. Si quis frater ead. causa, & quæst. & cap. Nuper. de sent. excom.

B Respondendum est in locis citatis, in quibus agitur de excommunicatione minori, & in similibus, quæ pauciora sunt; semper ex antecedentibus, & subsequentibus verbis apertè colligi posse, sermonem institutum esse de excommunicatione minori, vt patet ex dicto cap. Cum excommunicato, vbi de communicatione cum excommunicato agitur, ex qua incurritur regulariter excommunicatio minor, & idem dicendum est in aliis cap.

Modo remanet, vt dissoluamus duas illas obiectiones initio propositas. Prima erat, quod semper in pœnis benignior interpretatio est adhibenda, & hac ratione cum vtraq; excommunicatio pœna sit, & maior multò durior, quam minor, in dubio interpretatio esset assumenda de minori, non maiori excommunicatione. C

Abb. in dicto cap. penult. tradit tres responsiones. Prima est prædictam regulam locum habere in pœnis corporalibus, & pecuniariis, quæ propriè sunt pœnæ, non in pœnis medicinalibus, qualis est excommunicatio, vt in cap. 1. De sent. excom. lib. 6.

Sed hæc responsio refellitur à Couar. quia excommunicatio verè est pœna. cap. quoniam frequenter §. vlt. Vt li. non contest. & alibi immo est maxima pœna omnium, quę ab Ecclesia infligi possunt, vnde nec Nau. vbi supra nu. 8. ver. Addo tertio placet hæc responsio.

Secunda responsio Abb. est, quod in iis, quæ spectant ad salutem animæ, tutior interpretatio est accipienda c. Iuuenis. de sponsa. Vnde si Ius, vel sententia hominis possit intelligi de maiori, & minori excommunicatione, tutius est, ad euitandum periculum spirituale animæ, vt intelligatur de maiori. D

Sed neq; hæc responsio videtur conueniens. Nam tutior quidem interpretatio in omnibus est facienda, sed non semper tutior est illa, quæ durior est, vt probabo fusius in cap. ... disp. ...

Tertia responsio est, verba intelligenda esse iuxta consuetudinem, & communem vsum loquendi. At communiter nomine excommunicationis intelligitur maior, non minor.

Hæc responsio probabilis est, & Couar. illam sequitur, vt diximus supra, & Nauar. in eod. nu. 8. vers. E Addo quarto. inquit, posse tolerari.

Decius in l. Semper in obscuris nu. 12. ff. De Reg. Iuris impugnata prima responsione Abb. asserit verā rationem, cur Summus Pontifex in illo c. penult. De Sent. excom. statuat nomine excommunicationis simpliciter intelligi debere de maiori, non minori, quoniam in eo tex. tractatur de excōmunicatione ab homine lata, & excōmunicatio minor non solet proferri per sententiā hominis, sed tantū maior, merito in hoc casu maior, nō minor excommunicatio significatur.

Hanc Decij responsionem duplici ratione refellit Couar. Tum quia supponit minorem excommunicationem ab homine ferri non posse contra tex. in c. Engeltrudam 3. q. 4. & probabo in cap. 4. disp. 4. Tum etiam quoniam non videtur admittere decisionem c. penul. de sent. excom. Vt nomine excommunicationis intelligatur maior, non minor locum habere in excommunicatione lata à Iure, cum tamen Doctores generaliter id sentiant de omni excommunicatione.

Ad secundam obiectionem ex c. 1. de except. lib. 6. Vbi ad repellendum Actorem à Iudicio non satis est, quod illi obiiciatur excommunicatio simpliciter, sed requiritur expressa obiectio excommunicationis maioris, signū igitur est non intelligi maiorē excōmunicationē, quādo profertur excōmunicatio simpliciter.

Abb. in c. 2. nu. 2. De Rest. spolia. respondet satis esse ad valorem exceptionis opponi actori exceptionem excommunicationis simpliciter, sed ad probationem huius exceptionis necessarium esse, vt testes expresse de maiori excommunicatione respondeant.

Sed contra opponit Couar. in dicto nu. 5. in fi. Quoniam si excommunicatio simpliciter de maiori est intelligenda, cur in dictis testium eandem significationem non habebit.

Quare alio modo ipse explicat dictū c. 1. de except. lib. 6. dicens peculiari quadam ratione decisum fuisse in eo tex. necessariam esse expressionem excommunicationis maioris, quando opponitur talis exceptio ad tollendam omnem fraudem, & dolum excipientis, & ad præcludendam ei viam vagandi longiori tempore cum periculo honoris, & famæ ipsius Actoris, & in contemptum Iudicis, & etiam Iudicij.

CAPVT III.

De definitione excommunicationis.

REcta docendi ratio, ac Methodus postulat teste Ar. lib. Posterio. Analiticorū, vt initio cuiuslibet disputationis præmittatur aliqua descriptio, seu præcognitio nominis de re, de qua agitur, & sit veluti quędam superficialis notitia totius tractationis, deinde sequatur quæstio. An sit, & an reperiatur res illa; quibus præmissis succedat definitio eiusdē, scilicet explicatio naturę, & quiditatis rei, de qua principaliter tractatur. A definitione enim, vt inquit Cicero 1. lib. off. disputationis initium est sumendum, vt hanc Method. nos sequeremur primo de nomine excommunicationis disputauimus, sequitur modo, vt de definitione excommunicationis agamus.

Quam variis, & diuersis modis reperimus definitā apud diuersos Doctores, & aliqui pluribus, alii paucioribus verbis vsi sunt in ea definienda; Omnes tamē definitiones traditę eandem sententiam significare, & fere in idem coincidere vidētur; nos ad hunc modum breuiter illam definire possumus. Excōmunicatio est Ecclesiastica Cēsura, qua Baptizatus priuatur bonis cōmunibus, quæ ex Ecclesię intentione fidelibus communicantur.

Explicemus singulas particulas breuiter; dicitur Censura, idest pœna ad correctionē data, & tenet locum generis: quoniam est quid commune excommunicationi, Suspensioni, & Interdicto. Dicitur Ecclesiastica, quoniam potestas ciuilis, & politica nō habet iurisdictionem ad excommunicandum; sed hæc facultas competit tantum Ecclesiæ, vt probabo in cap. 2. Disp. 3. aut cui Ecclesia committit.

Per hanc rationem genericam scilicet; censura Ecclesiastica differt excommunicatio ab illis quatuor impedimentis Canonicis, quæ non sunt pro-

propriè censuræ Ecclesiasticæ, vt explicauimus supra. A Secunda particula, qua baptizatus, &c. Hac enim pœna non plectuntur infideles, qui non sunt Christiani, cum hi foris sint. Nec communione ecclesiæ priuari potest, qui ad eam nunquam admissus fuit cap. ad dissoluẽdum de dispens. impub. c. sicut ex tuarum de Homi. c. Qood noo 32. qu. 2. l. Bouem, §. vlt. ff. de edi. edic. l. Nam & sub conditione, ff. de iniust. rap. Et in specie testimonium est Apostoli 1. ad Corinth. cap. 5. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt iudicare? Nonne de his, qui intus sunt, vos iudicatis? Nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit* c. Gaudemus de diuort. c. omnis Christianus 11. q. 3. Tertia particula, priuatur bonis communibus. omnis pœna priuat homioem aliqoo booo, B cum excõmunicatio sit pœna, ideò ex ea sequitur alicuius boni remotio.

Tria sunt fidelium communia bona, quibus per Ecclesiam Christianus priuari potest. Primum geous est externa communicatio, & conuersatio, quæ io mutuis commercijs conuictu, & colloquio consistit.

Secundum genus sacramentorum participatio. Omnes enim fideles habent communem vsum, & fructum sacramentorum.

Tertium genus continet orationes, sacrificia, suffragia ecclesiæ; oam ecclesia pro omnibus fidelibus communes fundit preces ad Deum, & sacrificia offert; Bona igitur communia, quibus ab Ecclesia fidelis aliquis inobediens, & contumax per excommunicationem C priuatur, reducuntur ad hoc triplex genus bonorum; Et id fit ab Ecclesia ad tempus, vt sic vexatus homo resipiscat, & corrigatur, Paulus 1. ad Corinth. cap. 5. tradidit illum fornicarium Sathanæ in interitum Carnis, vt spiritus saluus fieret.

Excommunicatio itaque priuat hominem, vel omnibus, vel aliquibus ex bonis enumeratis; vt hæc definitio amplectatur noo tantùm maiorem, sed etiam minorem excommunicationem; olim in ecclesia mos erat, & consuetudo, primum priuandi aliquem osculo pacis; postea ingressu ecclesiæ, deindè nè oraret cum alijs fidelibus; vlterius nè accederet ad sanctissimum Eucharistiæ sacrameotum; rursus perceptione alio- D rum sacramentorum; tandem suffragijs communibus totius ecclesiæ, vt docet fusius Cassianus de institutis Monachorum, Et hic vltimus mos modò retinetur, & seruatur in Ecclesia.

Postrema pars defioitionis est, quæ ex Ecclesiæ intentione peodent. Additur hæc pars, Quoniam triplex illud genus bonorum spiritualium, quæ sunt in Ecclesia, de quibus modò dicebam, potest dupliciter considerari, & quatenus externa quædam bona sunt, Et rursus quatenus in gratia, & charitate fundantur, qua efficimur membra viua corporis mistici Christi. Paul. ad Rom. 12. *Multi vnum corpus sumus in Christo*. Idem Paul. 1. ad Corinth. 12. & ad Ephes. 3. Et ab hac communicatione interiori solum peccatum mortale E nos separat c. Qui natus, & seq. de Pœnit. dist. 2. Et huius boni applicatio non pendet ex peculiari Ecclesiæ intentione; sed hoc ipso illius est aliquis particeps quod gratia diuina est præditus; Vndè per illam cum reliquis viuis Ecclesiæ membris, &, cum ipso capite Christo coniungitur, & hoc communi bono non priuat excommunicatio, quamuis excommunicatio maior supponat quidẽ hominem iam aotea propter peccatum mortale esse hoc priuatum bono. Gloss. in cap. Quodcunque 24. quæst. 1. Abb. in rubr. de sent. excommun. num. 4. & in cap. Veritatis num. 44. de dolo, & contum.

Hinc fit, quod si excommunicatus egerit pœnitentiam suorum peccatorum, & in gratiam Dei redierit etiam antè absolutionem ab excommunicatione, si illam tamen procurauerit totis viribus obtinere, possit consequi fructum bonorum operum, orationum, & suffragiorum, quem reliqui fideles in gratia constituti quatenus membra ecclesiæ percipiunt iuxta illud psalm. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te*. Et hæc est probabilior sententia, quam tenet B. Tho. in 4. dist. 18. quæst. 2. art. primo, Riccard. eadem dist. Turrecrem. in c. Si quis Episcopus 11. q. 3. B. Antoni. 3. par. tit. 3. cap. 77.

Propterea addimus in definitione illam vltimam particulam, quæ ex Ecclesiæ intentione pendent; vt significemus per excommunicationem priuari excommunicatum huiusmodi bonis quantum ad communicationem, & fructum externum, qua ratione pendent ex intentione, & placito Ecclesiæ.

Ad hunc igitur modum intelligenda est definitio excommunicationis, ex qua colligenda sunt duo. Primum est excommunicatiooem longè multum differre à peccato mortali, licèt enim per peccatum mortale sequatur amissio eorum bonorum, quorum paulò ante meminimus. Existens enim io peccato mortali non potest legitimè tractare sacramenta, administrando, vel percipiendo, vt B. Thom. probat 3. part. quæst. 64. art. 6. Separat etiam peccatum mortale hominem ab interiore illa communione, quæ in charitate fundatur; charitas enim per actum peccati mortalis amittitur, sic Paulus ad Roman. cap. 6. *Stipendium peccati mors est charitati aduersa*, & propterea ex hac parte inter excommunicationem, præsertim maiorem, & peccatum mortale nullum videatur esse discrimen.

Longè tamen inter se distincta sunt, & disparata peccatum mortale, & excommunicatio; peccatum enim mortale est malum culpæ. excommunicatio verò est malum pœnæ, quæ plurimum differunt, Nam malum culpæ simpliciter dicitur malum, & per se, quia est contra rectam rationem contra legem Dei, Malum verò pœnæ non est malum simpliciter, immò est bonum, est enim actus iustitiæ vindicatiuæ in compensationem delicti, Dicitur malum secundum quid, si referatur ad eum, qui pœnam sustinet: quoniam aufert ab eo aliquod bonum, Vnde secundum hanc rationem maius malum est simplex peccatum veoiale, quàm excommunicatio, si sola per se consideretur, qnatenus est pœua lata in compensationem culpæ.

Si verò considerentur hæc duo quantum ad effectus, quos pariunt, sic maius malum existimari debet excommunicatio, quàm peccatum mortale; quia grauiora damna, & incommoda nobis infert, Nàm excommunicatio supponit peccatum mortale capitulo Nemo 11. q. 3. Peccator enim propter peccatum mortale amittit quidem gratiam, & charitatem, tamen remanet coniunctus Ecclesiæ, et eius membrum, licèt per fidem informem. Beatus Augustinus in Epistol. ad Donatistas, & de fide ad Petrum capitulo 43. At excommunicatus est separatus à corpore Ecclesiæ, segregatus à communione fidelium, & ideò non est particeps orationum communium, & suffragiorum ecclesiæ sicut est peccator, non ad satisfactionem, sed ad hunc sanè finem, vt eidem a Deo spiritus pœnitentiæ concedatur. Idcircò Dæmon non tantam potestatem habet in peccatorem, quantam habet in excommunicatum, obsistit enim Dæmoni virtus reliquorum

mem-

membrorum, quibus est per fidem coniunctus peccator, nè posit eum liberè vexare.

Infertur secundò ex dictis excommunicationem esse grauissimam omnium pœnarum, quæ in Ecclesia reperiantur, & sint in vsu, quoniam post excommunicationem homo tanquam præcisum membrum à corpore Christi mistico Ecclesia, destituitur omni suffragio communi Ecclesiæ, & sic Dæmon potest in eum sæuire, & liberè vexare, vt diximus supra tex. opt. in cap. Quemadmodum 23. q. 7. Ex August. in Epist. 50. ad Bonifacium. Quarè Clemens Rom. lib. 2. Apost. Const. cap. 21. sic inquit, *Cum primum quis ab Ecclesia eiectus est, accedunt ad eum truculenti lupi, idest Dæmones, & improbi homines, & perindè ac si agnus esset, ità eum prædam esse putant ad vorandum illius interitum quæstui habentes; etenim eorum pater Diabolus homicida est*. Ideo excommunicatus dicitur possideri à Diabolo in cap. Audi, & cap. Omnis 11. q. 3. & vti eo sicut mulio suo iumento. Glo. in dicto cap. Audi. hoc idem probat multis auctoritatibus. Alphon. à Castro de Hæresibus. V. Ecclesia, & Duedo lib. 4. de Dogma. Eccles. cap. 2. eius par. 2. cum multis, quæ ad idem confirmandum traduntur à Rofensi aduersus Lutherum art. 23. & Castro de Hæresibus V. Excommunicatio. Quare excommunicatio est maxima pœna, & priuat medijs ad vitam animæ opportunis, & male Dominicus Sot. tenet in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. concl. 8. infi. Irregularitatem esse acriorem ipsa excommunicatione, cum irregularis sit tantum priuatus sacramento ordinis, non alijs sacramentis, neq; careat cæteris bonis communibus Ecclesiæ sicut excõmunicatus. Immo Caiet. in Summa. V. Irregularitas dixit Excommunicationẽ minorem quam incurritur ob peccatum veniale esse maiorem pœnam quæ sit Irregularitas, licet hoc non sit verum quia & si Irregularitas non priuet passiua receptione sacramentorum, vt excommunicatio minor priuat tamen actiua, & omni vsu ordinum; possumus autem explicare dictum Soti, vt intelligat excommunicationem maiorem esse minorem pœnam Irregularitate ob eam rationem quia facilius relaxatur, & est medicinalis, vt inquit Nauar. in Manual. cap. 27. num. 252. ex mente Abb. in cap. Pastoralis §. Verum nu. 15. de Appella. Et hæc satis de definitione excommunicationis.

CAPVT IV.

De ĳs in quibus excommunicatio conuenit, & differt ab alijs duabus Censuris ex parte materiæ, & effectuum.

TRactaui de conuenientia; & differentia formali, & quasi essentiali harum trium Censurarum in prima disputatione de Censuris, modò videndum est de accidentarijs conuenientiis, & differentijs, quas habet excommunicatio comparata ad alias duas Censuras, & desumuntur ex materia, & effectibus, & modo ferendi eas.

Primo conuenit excommunicatio cum alijs: quia istæ tres Censuræ sunt pronunciandæ in scriptis cum expressione causæ, propter quam infliguntur cap. 1. de Sent. excom. lib. 6. Qua in re differunt ab alijs sententijs de alijs rebus, in quibus causa non exprimitur, vt inquit Archi. in c. Nemo xi. q. 3.

Secundo quia non suspenduntur per appellationem interpositam post latam sententiã, sed reuocantur per præcedentem appellationem. cap. Is, cui §. fin. de Sent. excom. lib. 6. cap. Ad hæc quoniam. cap. Pastoralis de Appell. cap. Per tuas; de sent. excom. & ex hac parte differunt ab alijs sententijs, quæ pœnam continent, quarum executio impeditur per appellationem, etiam si illas subsequatur. Si quis enim fuerit damnatus ad soluendum, quamuis remaneat condemnatus etiamsi appellet, tamen appellatio retardat solutionem pœnæ; Sed in Censuris non retardatur effectus per appellationem. Et huius differentiæ ratio est, quia principalis & verus effectus sententiæ, qua quis condemnatur ad soluendum, est, vt ille soluat, hoc enim intenditur à Iudice; Sed hic effectus non sequitur statim prolata sententia ex vi ipsius sententiæ, sed opus est facto externo Ministri Iustitiæ, vt cogatur condemnatus ad soluendum. At finis excommunicationis est, vt homo remaneat excommunicatus, sed ad hunc finem peruenitur statim prolata sententia absq; externo opere alicuius Ministri, satis est, vt promulgetur sententia, ad hunc modum respondet Glo. cap. Pastoralis. de Appell. V. Cum executionem, & propter hanc causam meritò istæ censuræ possunt vocari sententiæ, vt notabam superius in 4. cap. disp. 1. de Censuris. Hinc sequitur sententiam excommunicationis vel statim ligare, vel statim nullam esse, quia trahit secum executionem regulariter, præterquam si feratur sub conditione iuxta casum c. Præterea requisiti. de Appell. & cap. Dilectis filijs §. Quia vero, & ibi Glo. V. Cuius effectus eod. tit.

Tertio conueniunt. Nam Iudex non potest legitime has censuras ferre, si præscriptum ordinem Iuris seruare velit, nisi præcesserint canonicæ monitiones cap. Repræhensibilis. de Appell. maxime si infligendæ sunt aduersus inobedientes, & contumaces; diuersa tamen ratio est de illis, qui huiusmodi censuris alligantur: quia rem alias damnatam agunt, vt inquit Glos. V. Ignorantes cap. Vt Animarum. de Constit. libro sexto nempe propter culpam rem prohibitam exercendo. Hos enim non excusat ignorantia: quia inquirere tenebantur, sicut vbi culpa præcedit, non excusat metus ff. Quod metus causa l. Si Mulier.

Quarto hæ Censuræ non transeunt in rem indicatam sicut aliæ sententiæ cap. Cum æterni. de Re Iudi. lib. 6. Sed hæ Censuræ semper possunt reuocari præstita cautione de parendo cap. Pisanis. de Restit. Spolia. cap. Ad nostram. de Iur. Iura. cap. Ex literis De Constit.

Quinto quælibet harum Censurarum impedit executionem à Diuinis, & si alligatus Censuram contemnens immisceat se diuinis, efficitur irregularis, fallit in ea suspensione, quæ non est à diuinis, sed ab officio cap. Pastoralis §. Verum. de Appella.

Sexto innodati aliqua ex prædictis Censuris nec eligere, nec eligi possunt ad beneficium, vel officium cap. Cum dilectus. de Consuet. Nec durante sententia possunt in Iudicio testimonium ferre cap. Veniens 2. in fi. De testi.

Septimo quælibet harum Censurarum, quando generaliter fertur, seruanda est etiam ab ipso Legislatore cap. Cum ab Ecclesiarum. de off. ordi.

Octauo nulla earum ferri potest ab Ordinario contra receptos in filios speciales Papæ ex priuilegio. c. 1. de Verb. signif. lib. 6.

Nono Superior non potest has sententias reuocare, vel relaxare, aut pronunciare nullas, nisi vocatis partibus.

Decimo in absolutione ab omnibus Censuris requiritur iuramentũ de nõ contraueniẽdo c. Venerabili, &

c. Ex tenore de Sent. excom. lib. 6. In his igitur conueniunt omnes Censuræ, vt docet Calderinus in Tract. de Ecclesiast. Interdicto mem. 1. col. 1.

In multis autem differunt etiam accidentaliter.

Primò ratione materiæ, quia excommunicatio priuat hominem Sacramentis Ecclesiæ, suffragijs, & conuictu fidelium; suspensio priuat hominem ordine, vel officio; interdictum separat hominem à certis Sacramētis diuinis, officijs, & Ecclesiastica sepultura, & non priuat communione externa c. Non est vobis de sponsa. c. Quod in te de pœnit. & remiss. vel dicamus alio modo: In diuinis quatuor actus reperiri possunt, scilicet celebratio, seu confectio sacramenti, collatio, perceptio, & auditio diuinorum. Excommunicatio maior prohibet ab omnibus, magis tamen à celebratione, quam collatione; & ita suo ordine de cæteris; suspensio impedit celebrationem, & collationem, non perceptionem, & auditionem; interdictum ab omnibus, præterquam à perceptione, quæ fieri potest extra Ecclesiam interdictam.

Secundo excommunicatio propriè infligitur contra particulares personas, tam ecclesiasticas, quam seculares. Suspensio, quamuis pronuncietur contra particulares Clericos, tamen non Laicos c. Romana §. In vniuersitatem de sent. excom. lib. 6. Interdictum fertur contra loca propriè, & contra Vniuersitates, & Collegia, raro contra particulares c. Si sententia eodem tit. lib. 6.

Tertio Episcopi incurrunt sententiam excommunicationis à iure, vel ab homine latam, quamuis non exprimantur, non tamen afficiuntur sententia suspensionis, & interdicti, nisi specificè fuerint nominati. Gaudent enim hoc priuilegio c. Quia periculosum de sent. excom. lib. 6.

Addunt quartam differentiam, quod excommunicatio semper requirit absolutionem, vt tollatur. Non autem suspensio, & interdictum, quando proferuntur, vt certum quid fiat, nam satis est, si illud fiat Glos. in Clem. 1. de Deci. vers. Donec. Hæc tamen non est admittenda, vt probabo in materia de absolutione lib. 4. disp. 1. cap. 1. & lib. 6. disp. 1. cap. 1. Et hæ possunt esse differentiæ inter excommunicationem, & alias censuras desumptæ ex materia, & effectibus, de quibus tractant Glos. Abb. Feli. & Doct. in cap. Ad hæc vlt. de Appell. & in c. Is, cui §. vlt. de sent. excom. lib. 6.

CAPVT V.

De speciebus excommunicationis, seu quibus modis diuidatur excommunicatio, & de earum differentijs.

EXposui definitionem excommunicationis, & declaraui quo pacto conueniat cum alijs censuris, & differat ab illis. Nunc, vt absoluamus hanc disputationem, dicendum est de diuisione excommunicationis.

Excommunicatio sicut varijs modis considerari potest, & secundum diuersas rationes, ità solent etiam assignari diuersæ diuisiones excommunicationis. Primo ex parte boni cōmunis, quo hominem priuat. Secundo ex parte superioris à quo infertur. Tertio ex parte eius, qui tali pœna innodatur. Quarto ex parte conditionum, modi, ordinis, & formæ, quæ seruantur in ea infligenda. Ex parte boni, quo priuat hominem.

Excommunicatio 1. sui diuisione distinguitur in maiorem, & minorem excommunicationem; & est diuisio generis Analogi, seu ad vnum in suas species. Prima enim species, quæ communiter intelligitur nomine excommunicationis, simpliciter est maior excommunicatio c. penult. & ibi Glos. Ver. Non tantum minori; de sent. excom. quia affert priuationem omnium illorum bonorum, quæ in Ecclesia sunt communia fidelibus, vt explicatum est. Altera vero aptè dicitur minor comparatione ad maiorem, quia paucis effectibus est contenta, priuat enim solum passiua perceptione sacramentorum, quamuis enim magna pœna sit priuari passiua receptione sacramentorum Dom. Sot. dist. 22. q. 1. art. 1. Et in primitiua Ecclesia graue erat solum communione priuari, vnde tunc minor excommunicatio dicebatur simpliciter excommunicatio. In Conc. Cartaginensi 4. cap. 24. cap. Sacerdote de Consecr. dist. 1. cap. Engeltrudam 3. q. 4. Tamen multo maius malum infertur per excommunicationem maiorē, vt patet, quare dicitur excommunicatio minor, vel secundum quid non ob eam causam, quoniam per peccatum veniale incurratur, cum maior inferri non possit sine mortali crimine, nam in multis casibus minor contrahitur per peccatum mortale, sed dicitur minor; quoniam non tam grauiter hominem lædit, sicut maior: quoniam non tollit actiuam sacramentorum administrationem, nec suffragia Ecclesię, nec communionem fidelium sicut maior, quæ includit minorem, & multa addit.

Secundo ex parte eius, à quo infligitur excommunicatio, rursus excommunicatio duplex est, vel quæ imponitur à iure, vel quæ infligitur ab homine, a iure vocatur omnis illa, quam quæcunq; lex ecclesiastica imponit, ab homine est ea, quam Iudex ecclesiasticus infert cap. 2. de Consti. lib. 6. Clem. 2. de Hæret. Sed contra hanc diuisionem potest quis merito dubitare quia nulla censura fertur nisi per humanam potestatem, vt dixi in 1. disp. Potestas autem humana ab homine est, quia homo est ille, qui operatur, ergò omnis excommunicatio erit ab homine, sine ratione igitur diuiditur in eam, quæ est à iure, & eam, quæ ab homine. Respondeo certum esse omnem excommunicationem fundatam esse in potestate alicuius hominis, quo sensu omnis censura excommunicationis potest dici lata ab homine, verum homo potest duobus modis censuram ferre, vno modo promulgando legem stabilem, & permanentem obligantem subditos sub pœna excommunicationis; altero modo pronunciando excommunicationem contra certam personam vnam, vel plures circa factum aliquod singulare, quando fertur 1. modo, dicitur à iure, quando secundo modo, dicitur ab homine, quare omnis excommunicatio, quæ non fertur media aliqua constitutione, quæ propriam rationem iuris habeat, vocatur ab homine, & per hominem intelligitur vel singularis persona, vel collegiū hominum, & ad hunc modum sublata est omnis difficultas. Rursus excommunicatio illa, quæ est à iure, est duplex. Vna lata à iure communi, vt lex aliqua Concilij Generalis, vel Papæ posita in corpore iuris, vt in quinq; libris decretalium, vel in 6. vel in lib. Clementinarum, vel extrauagantium, vel in Decreto Gratiani, vel in Conc. Trid. Altera est, quam statuit aliqua Sinodalis Constitutio, vel Episcoporum Conuentus, vel Episcopi alicuius statutum; Eodem modo excommunicatio ab homine, vel est generalis, vel specialis. Generalis est, quam Iudex Ecclesiasticus imponit generaliter contra quęcumq; qui hoc, vel illud fecerit, vel omiserit; specialis est, quam Iudex Ecclesiasticus fert contra aliquem, quia nō paruit in hoc, vel in illo; differunt inter se excōmunicatio à iure, & ab homine, quod

illa,

illa, quæ est à iure, manet post mortẽ, vel officiũ imponentis eam, & in perpetuum durat quousque ius illud reuocetur, vel tollatur per contrariam cõsuetudinem approbatam; excommunicatio autem lata ab homine expirat, vel morte ipsius imponentis, vel remotione eius ab officio, Vnde mandata Episcopi, vel Visitatorum in Diœcesi expirant mortuo Episcopo, vel ab eo Episcopatu remoto, qui tamen innodatus fuit excommunicatione antequam periret Episcopus, excommunicatus manet, donec absoluatur. Hanc differentiam inter excommunicationem iuris, & ab homine affert Glos. c. A nobis 1. de sent. excom. quam sequuntur Hostien. Abb. Felin. Innoc. & alij B. Anton. 3. p. tit. 24. cap. 74. Sot. in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. Nauar. in Manual. c. 27. num. 2. Possunt etiam addi tres aliæ differentiæ. Altera quoniam excommunicatio à iure tãtum respicit tempus futurum, quæ autem ab homine fertur, comprẽhẽdit præteritum, & futurum. Altera est quia excommunicatio lata ab homine ferri non potest regulariter nisi præcedente trina admonitione, vel vna, quæ habeat vim trium monitionum. Quæ autem à iure dicitur absque vlla præmissa monitione, valet semper, quæ colligũtur ex diuersis capitulis 11. q. 3. Tertia est quod excommunicatio à iure ferri tantùm potest ab eo qui potestatem habet condẽdi legem aut statutum, vt Papa & Concilium generale in vniuersum, Archiepiscopus, & Episcopus in sua Prouincia, & Diœcesi, vt latius probabo in lib. 3. disp. 8. cap. 1. Excommunicatio verò ab homine profertur à quocunque superiore & iudice ecclesiastico habente potestatem excommunicandi, in contumaciam Rei inobedientis, vt ostendam in eodem lib. 3. disp. 7. cap. 1.

Tertia diuisio excommunicationis ex parte eorum, qui excommunicantur, est, quoniam alia est generalis, alia specialis ex c. à nobis 1. de sent. excom. Generalis est illa, quæ non fertur in aliquas personas plures, vel vnam præcisè, & determinatè, sed generaliter in eos omnes, qui hoc, aut illud fecerint; specialis est, quæ fertur determinatè in aliquem, vel in aliquos tantùm. Idque fieri potest dupliciter, vel quando nominatim ipsæ personæ exprimuntur, aut quando excommunicatio respicit aliquod factum particulare.

Quarta, & vltima diuisio excommunicationis ex parte modi est, quoniam alia iusta est, alia iniusta, iusta est quæ fertur, à legitimo Iudice iuxta legem, & præceptum Ecclesiæ, ac debito modo seruato, Iniusta, cui deest aliqua ex conditionibus assignatis excommunicationi iustæ. Hanc diuisionem tradunt Doctores, & Glos. c. sententiæ 11. q. 3. ex B. Greg. hom. 26. in Euang. c. Per tuas, & c. Sacro de sent. excomm. *Sententia pastoris iusta, vel iniusta timenda est* Sot. vbi supra art. 4. Couaruu. in cap. Alma Mater 1. par. §. 7. num. 5. & §. 11. numer. 12. Caietan. 2. 2. quæst. 70. artic. 4. & in opusc. tract. 10. quæst. 2. Silue. excommunicatio 2. §. 1. & 2. B. Antoni 3. part. titul. 24. cap. 26. S. Thom. Durand. Palud. Maior. in 4. dist. 18. Nauar. in Manual. cap. 27. numer. 3. & 4. Verùm adhuc excommunicatio iniusta duplex est, Altera nulla, & inualida, altera valida, valida dicitur, quam Ecclesiæ leges non reddunt irritam, vel quæ secundum leges Ecclesiæ rata, & firma est, sed prohibita, multa enim fieri prohibẽtur, quæ tamẽ facta tenent. Inualida est, quàm irritam leges Ecclesiæ decernunt, sicut etiam in quocunque negocio sententia Iudicis alioquin iniusta potest esse valida, & inualida; excommunicationem iniustam inualidam aliqui diuidunt in quinque capita, vt Glos. c. Præsenti de sent. excom. Aliqui multiplicant ad quindecim capita, vt Silue. vbi supra. De his omnibus diuisionibus nos sigillatim copiosè disputaturi sumus.

CAPVT VI.

De antiquitate censuræ excommunicationis.

Vsque adeo vetus, & antiqua existimanda est excommunicationis censura cuius vsus diuinitus ad nos peruenisse certa fide habetur, vt minime recens sicut falsò & temere hæretici mentiuntur, sed prisca potius priscarumq; vetustissima rerum meritò dicenda sit; vt quæ à primæua Orbis origine ortum habuerit, vix enim Homine creato, propria voluntate exæcatus Lucifer cum Angelis suis extra communionem Paradisi positus anathemate percussus est ab ipso statim Orbis initio, nec solum principium dedit excommunicationi; sed sentina quædam efficitur inquam retruduntur quotquot sunt excommunicati. Traduntur enim Sathanæ excommunicationis vinculo percussi. Huic autem proxima sequuta est excommunicatio cũ scilicet Protoplastus omnium parens extra delitiarũ ac suauis auræ victusque amœnioris tranquillitatem eiectus est, adiecta etiam maledictionis nota, Fratricida deinde Cain extra omnẽ ciuilitatem atque hominum communionem positus, & maledictus vbique errans, & super vniuersam faciem terræ, profugus certissimæ maledictionis, & anathematis argumentum extitit omnique posteritati metuendum reliquit exemplum, veramq; anathematis imaginem præfert, quod eo ipso Cain referente Genes. cap. 4. recensentur, *Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua* quibus verbis intelligimus Cain explosum fuisse à ciuili hominum communione, cum eiectus dicitur *à facie Terræ*, & in speciali suffragio subsidioque diuino cæteris fidem vnius Dei habentibus communi, quod significant postrema verba, *& à facie tua*, erat enim cuique legi peculiaris spiritualium bonorũ inter fideles communio atque participatio, nam ecclesia ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum, qua communione se se priuatum agnouit Cain, Præcessit itaque legem Moysis omnibus metuenda excommunicationis censura, quæ demum accedente vsu & frequentia crescere cœpit quam totius experti sunt Hæbrei quoties extra Castra degere lege iubebantur, vtpotè extra legitimæ Ecclesiæ communionem positi. Hanc excommunicationem passa est Maria soror Moysis cum lepræ maculis aspergeretur, c. Viduas 27. q. 1. Similiter anathematis speciem habet toties repetita maledictio Deuteron. cap. 27. Maledictus qui fecerit sculptile, Qui maledixerit Patri & Matri, qui transfert terminum proximi sui, & cætera quæ magno numero sequuntur anathemata, sunt enim duodecim maledicto obnoxiæ transgressiones illic enumeratæ, quæ aduersus palam delinquentes morte etiam ferè omnes puniebantur, vt meritò etiam dicerentur anathemata mortis, Illa autem execrationum fulmina quæ ibi recensentur, in hanc vsq; diem nequaquam perseuerant, ablata enim sunt à Christo qui factus est pro nobis maledictum quique maledictionis chirographum Cruci affixit, huiusmodi execratorios canones promulgauit Iosue c. 8. Execratorio etiam decreto vsus est Esdras c. 1. & c. 4. Et id genus pœnæ apud Hebræos perseuerasse docent verba Ioan. cap. 9. Condixerunt ab illa hora, vt qui cõfiteretur Christum extra synagogam fieret; Non est igitur excommunicatio recens inuentum.

Notissimus est euangelicus locus de Anathemate ferendo Matt. cap. 18. *si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut*

cut

eat Ethnicus & publicanus. Vbi nomine Ethnici, Gentilis intelligitur; est autẽ gentilis phrasi apud Romanos veteres non insolita, quicunque Romano minime suberat imperio, vt qui non tam lege ciuili, quam iure gentium regeretur. Atque inde desumptum est vt Gentiles Catholicorum vsu appellemus, qui Christianę legi non parēt. Cui sententiæ vim præbet Apostoli Pauli auctoritas dicentis. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt*, nec dissimili consuetudine Paganos dicimus qui sub signis Christi non militant, allusione quadam, eo quod Pagani dicantur; qui Pagos & Vicos incolunt, & ab exercitio militari prorsus abhorrent. Verum altius repetenda est huius appellationis origo, nempe ab Hæbræis qui ante Remp. Romanam, atque etiam Græcorum Monarchiam quos Ethnicos Græci, Romani vero Gētiles, hoc est suarum legum expertes, denique omnes qui eis sunt barbari, Goim vocant, Goi, enim hæbraice gentem nationemve præsertim exteram significat, Goim vero plurali numero gentes, Psal. 104. *Transierunt de gente in gentem* Esa. cap. 5. *Eleuabit signum in nationibus*, nec procul ab his apud Ioan. legitur, *Nunquid in dispersionem gentium iturus es, & docturus gentes?* Hinc defluxit tritum verbum *Baragoim*, idest filius Ethnici.

Iure igitur censentur priuati vsu, & fructu suffragiorum ecclesiæ excommunicati quando Christi decreto infelicem subeunt Ethnicorum conditionē, in his præsertim quæ ad commune bonorum etiam spiritualiū consortium pertinent, quæ enim est portio fidelis cum A infideli? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Priuantur itaque excommunicati communibus ecclesiæ commodis, erat quoque apud ethnicos Romanos ritus quidā qui speciem aliquam præferebant excommunicationis cum scilicet cuipiam interdicebatur tecto aqua & igni, & hi dicebantur deditii pœnæ, carebant enim iure romanæ togæ quibus aqua & igni interdicebatur, vt est io l. Peculatus ff. Ad l. Iul. Peculat. sicque huiusmodi interdictum hominem constituebat, ne dum extra ciuile commercium; immo & extra hominum in rebus necessarijs conuictum.

Ex his omnibus luce meridiana clarius apparet quam temere, & absque fundamento vllo sed sola mētis ignorantia & catholicæ religionis odio moti Hæ B retici nostri temporis omnia perturbātes negare non vereantur, Prælatis nunquam licere in quempiam quamuis contumacem excommunicationis gladio seuire, cum huius censuræ vsus in ecclesia antiquissimus fuerit, & ipsemet Dominus contumacem hominem haberi iubeat pro ethnico, & publicano, & Paulus Sathanæ tradat in interitū carnis, quare huiusmodi impij homines suā in apertissima luce cæcutientiam non vident, & excommunicationis vocabulum horrentes se se vltro, ac sine discrimine conijciunt in laqueos anathematis ac censuræ ecclesiasticæ, verba fugiunt rem ipsam sponte amplectuntur, & quidem vsu plusquam quotidiano, & de antiquitate huius censuræ hæc sufficiant. C

DISPVTATIO TERTIA
DE POTESTATE EXCOMMVNIC.



CAPVT I.
An potestas excommunicandi sit in ecclesia.



T probant Hæretici in ecclesia Christi non esse potestatem excommunicandi his ferè argumentis vtuntur. Primò excommunicatio est separatio E à communione ecclesiæ quoad fructum, & suffragia generalia, sed Ecclesia neminem priuare potest huiusmodi fructibus, nam talis fructus, & vtilitas suffragiorum in charitate fundatur, qua nemo nisi per peccatum voluntarium priuatur; ergo in ecclesia non est excommunicandi authoritas.

Secundò hominem excommunicare est ipsum auxilijs ecclesiæ destitutum tradere Sathanæ, vt habetur D apud Paulum 1. ad Corint. 5. Nemo autem tradendus est Sathanæ, nisi de cuius salute desperatur. Cum igitur de nullius salute in hac vita sit desperandum, nemo erit excommunicandus.

Accedit, quod homo per excommunicationem traditus Diabolo minus potest resistere eius insidijs, & fraudibus, verùm ecclesia non debet adimere potestatem resistendi Diabolo cum per Baptismum, & Cōfirmationem ecclesia communicet fideli hanc potestatē.

His argumentis ductus Vicles, Hus, Hieronymus Praga, & nonnulli alij eos sequuti negant in Ecclesia reperiri hanc potestatem excommunicandi, idest priuandi bonis spiritualibus in terris, vt est videre in Cōcilio Constantiensi sess. 8. & 9. & postea in Bulla Martini V. Vbi de hoc articulo fuerunt damnati, & hunc errorem confutarunt Ioa. Roffen. Echius, Alphon. à Castro contra hæreses. præsertim V. excommunicatio, Adrian. in 4. in tract. de Clauibus q. 3. Optimè Pighius lib. 5. de eccles. Hierar. cap. 2. Hunc errorem iam damnatum, & sepultum suscitauit, & renouauit Lutherus cuius articulus 23. inter eos, qui à Leone X. damnati sunt, sic habet. *excommunicationes sunt tantum pœnæ externæ, nec priuant hominem communibus spiritualibus ecclesiæ orationibus* & ratio ipsius est: quoniam homo per fidem, spem, & charitatem fit membrum Christi, sed eccle-

Ecclesia nõ potest aliquem his bonis spiritualibus spoliare, nàm homines per solum proprium consensum in peccatum decidunt, & dum quis est Christi membrum non potest Ecclesiæ suffragijs defraudari, & in art. 24. docet monendos esse Christianos magis diligere excommunicationem, quàm timere, nàm Innoc. quartus cap. Cum medicinalis de sent. excom. lib. 6. affirmat excommunicationem esse medicinalem.

Huic quæstioni respondetur vnica propositione, ecclesia per authoritatem Clauium, quam habet à Christo sibi traditam, facultatem habet excommunicandi, hoc est priuandi hominem non solùm communione fidelium, sed sacramentis, & spiritualibus bonis, orationibus, ac suffragijs totius ecclesiæ. Probemus conclusionem.

Primò. Quod Ecclesia possit priuare fideles sacramentorum perceptione, videtur manifestum. Nàm cum omnes Christiani sint ecclesiæ, eiusq; Prælatis subditi, iure optimo propter peccatum mortale, & præsertim inobedientiæ potest subditos à sacramentorum perceptione cohibere. Quod autem possit etiã priuare bonis spiritualibus orationibus scilicet, & suffragijs.

Probatur; Nàm cum illa ex applicatione Ecclesiæ pendeant, vt ostendam cum de effectibus agam, potest eum, qui à sua obedientia eximitur, priuare illis, postquàm enim pastor ecclesiasticus tanquam bonus medicus spiritualis salutaribus monitis, & cõsilijs dedit operam, vt peccatores, & delinquentes à peccatis grauibus, & enormibus retraheret, & ad meliorem vitam alliceret, & id non profuit; cogitur deuenire ad grauiora, & acerbiora supplicia, ac remedia, & priuare hominem à gremio Ecclesiæ, orationibus, suffragijs, & sacramentis, & ità eum deserere, vt acrioribus tentationibus vexetur, quousq; suam inopiam sentiens ad cor redeat.

Secundò ex verbis Matt. c. 18. cum Christus, inquit, *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos, vt in ore duorum stet omne verbum, quod si te non audierit, dic ecclesiæ, si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Quod prorsus idem est dicere, ac si dixisset, nullam omninò cum eo habeas communionem, quia communio cum infidelibus est Christianis interdicta. Vndè Paulus 1. ad Corinth. 6. inquit; *Quæ pars fideli cum infideli*, & per hanc separationem à communione Christus significat non solùm priuationem ab externo consortio Christianorum; sed ab orationibus, suffragijs, ac sacramẽtis, nàm ecclesia hæc non impartitur nisi fidelibus, qui in gremio eius continentur. Quæ verba exponens Hieron. in comm. suis super Matth. in hunc locum ità ait; *Quia dixerat si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, & poterat contemptoris fratris hæc occulta esse responsio, vel tacita cogitatio, si me despicis, & ego te despicio, si tu me condemnas, & mea sententia condemnaberis, potestatem tribuit Apostolis, vt sciant, qui à talibus condemnantur, humanam sententiam diuina sententia roborari, & quodcunq; ligatum fuerit in terra, ligari pariter & in Cælo.* Hæc Hieron. Vbi Hieronymus ex Euangelio probat potestatem excommunicandi concessam esse ecclesiæ, Chrysost. ibidem consentit Hieronymo dicens, *Vide qualiter duplicibus colligauit necessitatibus, & poena, quæ hic est scilicet proiectione ab ecclesia sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, & supplicio futuro, quod est esse ligatum in Cælo.* Hæc Chrysost.

Tertiò hac potestate non semel vsus est B. Paulus 1. A ad Corint. 5. in illum incestuosum, qui nouerca abutebatur. *Indicaui*, inquit, *eum, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Iesu Christi tradere huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi.* Idem Apostolus eundem gladium spiritualem excommunicationis 1. ad Timot. cap. 1. exercet in alios dicens aliquos circa fidem naufragiũ passos esse, ex quibus est Hymeneus, & Alexander; *Quos tradidi Sathonæ, vt discant non blasphemare*; Et in epist. 2. ad Thessalonicenses cap. 3. inquit. *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & nè commisceamini cum illo, vt confundatur.* Et in epist. ad Titum cap. 3. *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem de vita sciens, quia subuersus est, qui* B *huiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Itaq; sæpè ad coercendam contumaciam delinquentium eadem excommunicandi censura vsus est Paulus.

Quamobrem sicut Christus, vt Matt. c. 10. legitur, Apostolis tradidit potestatem eijciendi Dæmonia ab hominibus, ita è conuerso tradendi homines Dæmonijs, à quibus torquerentur, quando essent inobedientes ecclesiæ, vt metu illo resipiscerent, & sicut in primitiua ecclesia dona spiritualia ad confirmandam fidem inter fideles oculis sensibilibus obijciebantur, vt cum super baptizatos in confirmatione Spiritus sanctus visibiliter descendebat, ita fortasse tunc inobediẽ- C tes, præcipuè contumaces, & obstinati visibiliter Sathanæ torquendi tradebantur, & ideo inquit Paulus, *In nomine Domini Iesu Christi*, vt denotet virtutem supernam realem Clauium, quæ cum sit spiritualis, penetrat etiam ad animam.

Quartò Vrbanus Papa, & Martyr in epist. de communi vita, & oblatione fidelium, & habetur in Tomis Conciliorum, quam refert Castro in V. excommunicatio, prohibet, nè ecclesiæ bona in alios vsus, quàm ecclesiasticos conuertantur, & cuicunque surripienti excommunicationem minatur, & nè talem excommunicationem aliquis vilipenderet, ait; *Quod autem sedes Episcoporum in ecclesiis excelsæ constitutæ, & præparatæ inueniuntur, vt thronus, speculationem, & potestatem iudi-* D *candi, & soluendi, atque ligandi à Domino sibi datam materiam docent. Vnde ipse Saluator in Euangelio ait; quæcumque ligaueritis super terram &c. Ideò ista prætulimus, charissimi, vt intelligatis potestatem Episcoporum vestrorum, in eisque Dominum ueneremini, & eos vt animas vestras diligatis, & quibus illi non communicant, non communicetis, & quod eiecerunt, non recipiatis.* Hactenus Vrbanus. Sed innumera decreta extant Generalium Conciliorum, quæ diuersis temporibus celebrata sunt, in quibus contra delinquentes pœna excommunicationis, & anathematis apponitur, & hic continuus mos, & perpetua traditio absque vlla interpellatione sola sufficeret ad confirmandam hanc potestatem excommunicandi Ecclesiæ concessam, & conuincendos Hæreti- E cos illam negantes.

Quintò. In antiqua lege huius ecclesiasticæ censuræ præfuit figura: quia leprosi excludebãtur à Castris, quod si ad cauendam corporalem contagionem illud erat tunc permissum; multò iustius ad euitandam spiritualem labem, proteruos, & inobediẽtes licet ab ecclesia eijcere. Adde, quod etiam ipsis Iudæis in obseruatione erat, vt cum quis immane aliquod perpetrasset scelus, non à templo tantùm, sed à Synagogis etiam dimoueretur. Vndè apud Io. cap. 9. legitur hanc pœnam a Iudæis comminatam fuisse ijs, qui Iesum cõfiterentur esse Christum; qua mulctatus est Cæcus, qui à Chri-

à Christo fuit illuminatus, eademq; ab ijsdem fore afficiendos Apostolos Dominus prædixerat Ioan. c. 16. Cum ait, *Absque synagogis facient vos*. Vnde Cyrillus in Io. lib. 6. cap. 20. *Magnum re vera*, inquit, *apud Iudæos opprobrium ducebatur, si quem de synagoga eiecissent, sicut enim nunc homicidæ, vel adulteri, vel cæteri capitalium criminum rei ab Ecclesia pelluntur, ità tunc confessores Christi à Synagoga eliminabantur*. Idem admonuit Sigonius de Rep. Hæbreorum lib. 2. cap. vlt. dicēs, *Probri loco maximi duci consueuisse, si quis Synagogæ, idest cœtus illius, qui ad audiendum conueniebat, expers factus fuisset*. Apud Essenos quoque terribile excommunicationis genus in vsu fuisse, Iosephus de bello Iudaico lib. 2. cap. 2. testatur, cum ait, *Deprehensos verò in peccatis, à sua congregatione depellunt, & qui taliter fuerit condemnatus, miserabili plerunque morte consumitur, illis quidem sacramentis, & ritibus obligatus, neque capere ab alijs oblatum cibum potest, herbas verò more pecudum decerpēs, & fame exesus per membra corrumpitur, ob quod plurimos plerunque miserati extremum spiritum agentes receperunt sufficientem pro peccatis eorum, quam vsque ad mortem adduxerat, pœnam luens censentes*. Hæc Iosephus.

Optimè igitur, & sanctissimè Christus reliquit ecclesiæ hanc potestatem excommunicandi, si enim in veteri lege erat aliqua pœna spiritualis, quæ imponebatur ob grauia crimina, similitudinē aliquam, & figuram retinens nostræ excommunicationis, quamuis in eadem lege Deus iure diuino positiuo in pœnam multorum criminum capitis supplicium statuisset, cum in Euangelio Christus nullam sanguinis pœnam statuerit, expediens fuit, vt relinqueret gladium spiritualem Ecclesiæ. Vnde Deuteron. cap. 27. lata erat lex, vt quicunque sacerdotem non exaudiret, morte moreretur, eius loco Christus ecclesiæ euangelicæ potestatem cōcessit excommunicandi eos, qui sacerdotibus non parerent, vt gladius, qui tunc erat ferreus, esset in Euangelio spiritualis, dicitur enim excommunicatio gladius spiritualis, vt probauimus.

Sanè quidem, & apud Gentiles, & in primis ipsos Romanos species quædam huius nostræ excommunicationis videbatur esse in vsu, cum videlicet aliquis ob perpetratum nefandum aliquod facinus Diris deuouebatur (dictæ enim Diræ erant furiæ Infernales) talis enim, vt tradit Dionysius Alicarnassæus lib. 2. poterat à quolibet impunè occidi, legimus passim Romanos his Diris, & execrationibus vsos fuisse, quibus obnoxios dare grauissimas pœnas, maximoque infortunio affici necesse erat, literis enim mandauit Plutarchus in Crasso Ateium Trib. Pleb. his Diris confixisse Crassum in Parthos proficiscentem. Quibus congruit, quod M. Tullius lib. 1. De diuinatione scriptum reliquit *Marco Crasso quid acciderit videmus Dirarum obnunciatione neglecta* Arnobius lib. 8. aduersus gentes, inquit; *Et vt ad Parthos signa repetamus Dirarum imprecationes Crassus, & meruit, & irrisit*. Harum Dirarum meminit Plinius lib. 28. cap. 2. Meminit, & Liuius lib. 36. In quibus omnibus viuam nostræ excommunicationis imaginem repræsentari adnotauit vir omniū diligentissimus Andreas Tiraquell. De vtroque retractu par. 1. §. 1. Glos. 9. num. 277. & deinceps vsque ad finem. Apud Gallos si quis eorū Sacerdotibus, qui Druidæ dicebantur, non paruisset (penes illos enim erant iudicia tàm rerum capitalium, quàm etiam litium, & controuersiarum priuatarum, & publicarum) & eorum decretis non stetisset; sacrificijs interdicebatur, Erat hæc pœna apud illos grauissima, Nam qui sic interdicti erant, in numero sceleratorum habebantur, & ab ijsdem omnes decedebant, aditum, sermonemq; fugiebant rati nimirum quacunque leui cum eis communicatione eorum contagione affici. Insuper nec ijs ius petentibus reddebatur, nec etiam honos vllus exhibebatur. Hæc omnia Cæsar Comment. De Bello Gall. lib. 6. & ante ipsos Romanos apud Athenienses, à quibus decem legum tabulas mutuati sunt Romani l. 2. §. Ex actis, ff. de Orig. Iu. Antiquitus fuisse publicas quasdam detestationes veluti in eos, qui viam non mostrassent erranti Author est Cicero lib. 3. offic. In Oreste figuram quandam nostræ excommunicationis depinxit etiam Euripides Atheniensis. Plato lib. 9. de leg. propè finem ita cauet, *Si quis de vi parentibus allata damnatus fuerit, primùm quidem ex Vrbe egredio tur, in exilium que perpetuum proficiscatur, ac sacris omnibus arceatur, &c.* Marsilius Ficinus in argumento quod edidit in decimum librum eiusdem Platonis dicit, *Ac ne quid nos lateat, ad impietatem etiam pertinet familiaritas, & communio omnis seu in cibis, seu in verbis cum ijs inita, qui ob nefaria scelera arcentur à sacris, qui & contaminati cæteros quoque, vel ipsa propinquitate contaminant*. Cum ergo apud Hebreos, & apud Gentiles fuerit quædam pœna, quæ existimabatur grauis apud illos, qua ob nefanda quædam facinora delinquentes ejiciebantur à sacris, quomodo negare possumus non fuisse congruentissimum ad optimam Ecclesiæ gubernationem, vt Christus relinqueret ecclesiæ suæ, potestatem excommunicandi?

Sed dicet aliquis fateor quandam nostræ excommunicationis figuram extitisse apud antiquos gentiles, sed nondum comperio ad sacerdotes magis, quàm ad alios pertinuisse. Atque Plutarchus hanc hæsitationem remouet, tradit enim ipsos Athenienses decreuisse, vt Ministri, Ministræq; sacrorum Alcibiadem velut impium execrarentur, etsi earum vna neglecto populi iussu dixit supplicationum ad se, non execrationum officia pertinere, cui laudi datum est. Hoc etenim non fœminarum, quamuis sacerdotum, sed virorum munus esse dicebat, & apertius ex Cæsaris Commentarijs lib. 3. cap. 10. id habetur.

Et ex his satis probata sit conclusio catholica, quā proposuimus de potestate excōmunicandi in Ecclesia.

Remanet, vt argumenta initio allata dissoluamus. Ad primum Respondetur, quod etsi fructu charitatis, nempè suis meritis apud Deum nemo priuari possit, nisi per suum proprium peccatum, quia illa non pendent ex applicatione ecclesiæ; tamen suffragijs, & orationibus communibus, quas Ecclesia instituit, potest ipsamet Ecclesia quemcunque priuare, quem iudicat inobedientem. Ad secundum respondetur, quod quāuis nemo in hac vita sit Sathanæ permittendus eo fine, vt in perpetuum crucietur, quia de nullo est, quandiù viuit, desperandum; conuenit tamen peccatorem inobedientem Sathanæ tradere ad tempus eo fine, vt ad cor redeat, & per Dæmonem vexatus corrigatur, & saluus fiat in die Domini, vt inquit Paulus in epist. ad Corinth. sicut Magister verberat discipulos, vt vitia declinent. Quod si aliquando excommunicatio non prodest illi, contra quem fertur, vtilis tamen est alijs, qui ex ea terrentur, Poena enim vnius est metus multorum, & Salomon ait, Pestilente flagellato stultus sapientior erit. Ad postremum respondetur, ecclesiam excommunicando non relinquere, sed potius adiuuare hominem, peccatum enim excæcat, pœna verò illuminat, sicut Dominus per Isaiam dicit, Vexatio dabit intellectum auditui, vt qui stultus est in culpa, sapiens sit in poe-

in pœna. Præsumendum est enim hominem in vita nolle desperare, vt ait S. Leo, & refertur in cap. Ancilla 32. q. 2. & ideò potest Ecclesia ferre sententiam excommunicationis, vt quis erubescat, & conuertatur, si autem non erubescit, nec conuertitur, non credit in ecclesiam, & contra talem etiam ipsi hæretici recētiores fatentur ferri posse excommunicationem legitimè.

CAPVT II.

Explicantur dubia quædam de eadem potestate excommunicandi.

Circa dicta multa discutienda occurrunt. Primò posset quis quærere; an ista potestas excommunicandi ecclesiæ concessa, sit solùm politica, & ciuilis; an verò spiritualis, nam Caluenistæ, Luterani, & alij Hæretici nostri temporis fatentur apud Ecclesiam esse potestatem excommunicandi, sed solùm esse politicam, & externam, scilicet pellendi sceleratos à consortio fidelium, sicut penes Rempublicam est potestas mittendi in exilium, & penes Synagogam olim arcendi à conuictu aliorum leprosos, & alios extra Synagogam eiiciendi; negant autem apud ecclesiam reperiri authoritatem priuandi homines communibus suff. agijs, & bonis spiritualibus, fingunt enim poeticè excommunicationem esse politicum spectaculum ad exemplum Orestis, cum queritur non esse se admissum ad Deorum mensas, & Herculis, cum vetat se attingi à Theseo post interfectos filios; afferunt huius dicti nullam rationem, quia hoc dicunt esse contra viuum, & morem Apostolorum, & veterem ecclesiæ consuetudinem; sed longissimè à veritate aberrant, & ignorantia in primis summa, ac deindè praua animi affectio in Religionem Catholicam illorum mentem adeo obcæcat, vt quamuis versentur in re clarissima, quæ & ex antiquissima ecclesiæ traditione, & ex innumeris sanctorum Patrum testimoniis comprobatur, ipsi tamen nec possunt, nec volunt veritatem agnoscere, & confiteri, & in media luce caligant, cum apertissimè hanc veritatem confirmet antiquus, & generalis ecclesiæ mos perpetuò obseruatus, tot Sanctorum Patrum auctoritatibus superius allatis confirmatus, quem magis etiam comprobabimus inferius, cum de effectibus ipsius excommunicationis tractabimus, & nobis satis esse debet.

Accedit, quod hæc potestas nunquam fuit apud Imperatores, & Principes seculares, sed semper apud Prælatos ecclesiasticos. Id enim apertè comprobari potest ex eorundemmet Principū sanctionibus. Ita enim Iustinia. Nouell. 123. §. Omnibus, *Omnibus*, inquit, *Episcopis, & Presbyteris interdicimus segregare aliquem à sacra communione, antequam causa monstretur, propter quam sancta regula id fieri iubent, &c.* Imperator Fredericus idem confirmat Autent. Item quæcunque C. de Episcopis, & Cleri. Igitur non potest dici potestas ciuilis, & politica: quod si aliqui Imperatores anathema pronunciarunt contra aliquos, id Episcoporum, aut Synodorum Generalium, vel Prouincialium non authoritate propria fecerunt, sic Theodosius Imperator aduersus eos, qui Nestorij sectam sequi volebant excommunicationis censuram inflixit, l. 3. C. de sum. Trin. & fid. Cathol. Cuius constitutionis meminit Euagrius lib. 1. cap. 12. vt magis nota fieret Theodosij pietas & religio, eodem modò idem Theodosius, & Honorius constituerunt sub Anathematis interdictione ne Ecclesiæ Præsides & ministri, vlla sordidorum munerum fæce polluerentur, l. 5. C. de Sacrosan. Eccles. & Fridericus Imperator in quadam Constitutione quæ Iustiniani Codici est inserta Auth. Credentes C. de Hæret. eundem excommunicationis gladium intorsit in Credentes, receptatores, defensores, & fautores Hæreticorum; ex his aliisque pluribus quæ colligi possunt ex Principum constitutionibus illud solum colligere licet Imperatores Christianos hanc gladij potestatem quam Ecclesia habet, nec extra ipsam vllus alius habere potest, approbasse eique semper adiumēto fuisse, & cum aliquem anathemate notabant, non id vtique auctoritate propria, sed Synodorum & Episcoporum consilio, exhortatione, consensu atque auctoritate fecisse, sicut dicendum est etiam de indictione Conciliorum quando ab Imperatoribus conuocata fuerunt.

Sed hoc in loco, paulò prolixiori sermone explicanda sunt verba B. Io. Chrysost. inserta in oratione quam habuit de Anathemate, quò testimonio vtūtur Hæretici nostri temporis ad impugnādam veritatem de potestate excommunicandi à Christo ecclesiæ relicta & à summo Pontifice, & Episcopis omni ætate perpetuò hactenus vsurpata, ex multis quæ Chrysostomus dicit nonnulla ad rem facientia referam.

Heus tu qui tantæ auctoritatis; qui tantam tibi vsurpas potentiam tunc cum sedebit filius Dei, & statuet oues à dextris & hædos à sinistris. Cur igitur dignitatem tantam assumis quæ Apostolis tantum communicata & ijs qui illorum sunt ad nos successores vere pleni gratia & virtute? Iam Apostolis diligenter id mandati seruarunt, sic enim Hæreticos excucbāt ex Ecclesiis, quasi effodiendus esset dexter oculus, qua tempestate membri defectione, magnum suæ compassionis & doloris iudicium præseferebant, &c. Ostēdens Apostolos per tantos & præ egre ea vsos esse potestate, & subdit paulo post *Putatis ne hanc parui momenti rem esse ante iudicem iud cuique tempore aliquem huiusmodi sententia condemnare? Obsecramus & obtestamur vos vt à tanto malo desistatis; nam is quem tu anathematizare decreuistis vel viuit, & adhuc in mortali hac vita superest, vel mortuus est, quod si adhuc superest impie agis, qui eum qui à malo in bonum se vertere potest, crudeliter abscecas. Sin mortuus est, multo magis crudelis es, cur ita? Quia Domino suo stat vel cadit, non iam sub iure humano existens.* Tandem ad finem concludens, ait. *Ea propter vos oro, ne vobis verba hæc mentem excidant. Dogmata enim impia & quæ ab Hæreticis profecta arguere & anathematizare oportet Hominibus autem parcendum & pro salute ipsorum orandum.*

Ecce Chrysostomus longo sermone videtur asserere, neque viuos, neque mortuos esse Anathemate plectendos cum tamen id ecclesiæ potestatis aperte repugnet quæ Christi auctoritate excommunicationis pœnam non tantum viuis infligit sed & aliquando etiam defunctis præsertim Hæreticis, vt ostendam suo loco.

Ad hæc omnia quæ ex Chrysostomo opponūtur ab hæreticis, vt hanc excommunicandi potestatem ab ecclesia tollant, pluribus modis respondere possumus, & omnem difficultatem dirimere.

Illud in primis statuentes B. Chrysostomum nunquam dubitasse de potestate excommunicandi cū non semel & iterum, sed sæpius docuerit ab Episcopis infligendum esse anathema aduersus inobedientes & contumaces, vt Homil. 5. in epistolam ad Timoth Homil. 15. in Priorem ad Corint. Hom. 4. in epistolam ad Hebr. & refertur c. Nemo contemnat 11. q. 3. *Nemo contemnat vincula ecclesiastica; non enim homo est qui ligat; sed Christus qui nobis hanc potestatem dedit, & Dominos fecit homines tanti honoris.* Quid clarius dici poterat pro iure excommunicandi, neque solum verbis id docuit,

enit; sed factis etiam comprobauit eum non raro, occasione ita ferente hunc gladium ecclesiasticum, iustissime in sublimiores quoque personas eduxerit, vt quando Eudoxiam Arcadij Imperatoris vxorem ab ingressu Ecclesiæ prohibuit.

Quamobrem cum tot locis Chrysostomus pro veritate huius potestatis disseruerit, quid in citata Homilia de Anathemate significare voluerit inquirendũ est, & quisnam sit germanus sensus verborum quæ ex dicta Homilia attulimus, explicandum.

Dominicus Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. post med. vers. Vnde sermo. totam hanc difficultatem breuissima responsione facile eludit dicens sermonem illum de Anathemate relatum inter eius scripta non esse opus Chrysostomi neque eius phrasim redolere; Atq; se statim ab his angustijs se eximit.

Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothecæ sanctæ Annot. 267. asserit sermonem de Anathemate habitum fuisse à Chrysostomo contra quosdam temerarios & indoctos qui cum nec essent Ecclesiæ pastores, nec vllam haberent excommunicandi potestatem, odio tamen & maleuolentia ducti, dogmata aliorum ab ipsis non intellecta, vna cum Auctoribus temere damnabant, & Anathemate notabant. Et ad hunc modum intelligendum esse testimonium Chrysostomi, inquit, satis apertè indicare verba ipsius cum ait, *Ex specto viros qui nullum ex sacris literis germanum sensum, imò nihil omninò sacrarum literarum tenent, & vt pleraque transeam, non erubesco dicere fur.bũdos, nugaces contentiosos, qui neque sciunt quæ dicunt; neque de quibus affirmant in hoc vno tantum audaces, quod dogmata statuunt & Anathema declarant ea, quæ maxime ignorant. hinc est quod exteris hostibusque fidei nostræ ludibrio sumus. &c.*

Sed licet ita exponamus Chrysostomum adhuc videtur remanere forma rationis ipsius qua vtũtur Hæretici horum temporum ad euertendam Ecclesiasticam disciplinam excommunicationis; nempe aut is qui excommunicatur viuit, aut iam obijt, si viuit impiè agitur, quia is qui cõuerti potest ab Ecclesiæ corpore abscinditur, si obijt maior apparet crudelitas, quia sæuis in mortuum, & pœnam infers in eum inferre qui humano foro non est amplius subiectus.

Respondet Sixtus Senensis, vbi supra ad vtramque dilemmatis partem; ad primam dicit Chrysostomi mentem verbis enarratis non fuisse damnare consuetudinem Ecclesiæ, inobedientium filiorum viuẽtium contumaciam, anathematis pœna coercentis; sed impium vsum illorum, qui temere sibi vsurpantes hanc potestatem excommunicandi, finem excommunicationis ab ecclesia intentum peruertebant; cum enim ecclesia excommunicatione vtatur tanquam medicina quadam salutari, vt habetur, c. 1. de sent. excomm. lib. 6. vt hac ignominia notatus suum crimen agnoscens ad ecclesiam, vnde eiectus fuerat, supplex reuertatur; illi qui hac potestate abutebantur vinculo excommunicationis obstringebant viuẽtes, vt eos ab Ecclesia irreuocabiliter eijcerent, neque vnquam ad pœnitentiam reciperent; Merito Chrysostomus hanc crudelitatem redarguit. Quantum verò ad secundam partem dilemmatis eodem modo Chrysostomus eorundem crudelitatem redarguit qui eadem potestate in defunctos abutebantur intentione planè diuersa ab ecclesiastica traditione; nam Ecclesia quando defunctum hæreticum excommunicat, non id agit; quasi tũc primum velit excommunicare, & animam illius defuncti à consortio aliarum animarum quæ in Dei gratia decesserunt, separare, cum iam dum viueret esset excommunicatione innodatus, eiusque anima cum è corpore migraret in Sathanæ potestatem tradita. Sed propositum Ecclesiæ excommunicando hæreticum post mortem, est declarare & significare omnibus ipsum in vita fuisse ab Ecclesia anathematis nexu colligatum quo omnes hæretici ipso iure propter hæresim obstringuntur; quamobrem Prælatus ecclesiasticus cũ hæreticum post mortem anathematizat, non tunc primum excommunicat, sed quia in erroris pertinacia ex hoc seculo migrauit, pronunciat ipsum in vita iam excommunicatum fuisse, & à cœtu fidelium exclusum, & idcirco cadauer ecclesiastica debere sepultura carere, & hunc ecclesiasticum anathematizandi mortuos ritum non improbat Chrysostomus, & damnat errorem illorum imperitorum, qui quasi ius haberet etiam in mortuos, existimabant se suis censuris animas defunctorum ex statu salutis deturbare, & in locum æternæ damnationis trahere posse. Hæc dicuntur à Sixto Senensi ad explicationem verborum Chrysostomi.

Illustrissimus Cardinalis Baronius Tom. 4. Annalium Anno 382. sub Damaso Papa anno 16. tractans de doctrina & facundia B. Io. Chrysostomi simulque de sermonibus ab eo habitis ad Populum incidit in hanc difficultatem, & duo dicit, vt Hæreticos confundat, qui auctoritate tanti Doctoris nixi gloriantur se inuenisse vnum, qui pugnet sicut ipsi contra hanc ecclesiasticam excommunicandi potestatem.

Primò igitur, inquit, se omnes hæreticos vna si vellet responsione facillimè eludere posse si diceret Chrysostomum eo anno quo sermonem illum de Anathemate ad sedandos populares tumultus habuit, adhuc Diaconum iuuenem, vigesimum octauum annum vix implentem inconsultè (quod fert ætas) disseruisse; sed postea prouectioris factum ætatis, atque maturioris consilij, cum verbis tum operibus perperam dicta correxisse, vt ostendimus paulo ante.

Secundo ait nullo modo fatendum esse Chrysostomum in his errasse, sed ex tempore, loco, rebus, personis, quisnam sit germanus sensus verborum Chrysostomi, colligendum esse, quorum omnium habenda ratio est, vt obiectionis propositæ multiplices nodi dissoluantur, quæ Illustrissimus hic Auctor erudite & eleganter, vt semper solet, latius prosequitur, sed non est huius loci ea referre, qui scire cupit, habet quem consulat, & hæc satis ad intelligendam sententiam Chrysostomi in illa Homilia de Anathemate.

Eodem modo in bonam partem interpretandus est Caiet. super Matth. c. 18. illis verbis, *sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus libenter*, inquit, *Caiet. viderem seruari hanc definitam à Christo sententiam, & pœnam non audientium Ecclesiam, quod scilicet sufficeret eos haberi, vt ethnicos, hoc est, vt ipsi ex vi excommunicationis haberentur, vt ethnici, & non inuoluerentur innocentes, scilicet alij loquentes cum eis, qui nullum peccatum incurrunt loquendo, & communicando cum ethnicis*; verùm Ecclesia, vt inquit Ambros. Catherinus contra Caiet. non aliud seruat, quàm quod Christus docuit; nec enim aliud est haberi sicut ethnicum, & publicanum, quàm commercium, contubernium, ac familiarem sermonem illi negare; ideò enim Iudæi Christum incusabant, quòd manducaret cum publicanis, vt notat Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothecæ sanctæ. Annot. 78. Similiter in bonum sensum explicandus est Gabriel. in 4. sent. dist. 18. q. 2. art. 1. Vbi videtur affirmare excommunicationem non priuare hominem bonis spiritualibus, verùm ibi non vult negare excommunicationem non priuare hominem communibus Ecclesiæ precibus, & suffragijs,

gijs, sed intelligit solùm per excommunicationem neminem amittere charitatem,gratiam,& alia huius generis dona spiritualia, quæ habet,vt ipse declarat.Idẽ sano modo est intelligendus, cum asserit Ecclesiam, quando excommunicat, neminem lædere,idest, vt ipsemet fatetur, quia excommunicatus per se ipsum se lædit,significat enim Ecclesiam nemini detrimentum afferre quoad gratiam, & alia dona spiritualia; sed damnum pati à se ipso propter peccatum commissum.

Secundò posset quis postulare, postquam statutum est hanc potestatem excommunicandi esse spiritualem, & ecclesiasticam à Christo Ecclesiæ traditam; an pertineat solum ad forum pœnitentiæ, vel ad fori exterioris disciplinam, B. Tho. in 4. sent. dist. 18. q. 2. art. 2. ad primam quæst. inquit, in foro conscientiæ causam solùm agi inter hominem, & Deum, in in foro autem exterioris iudicij causam tractari hominis ad hominem, & idcirco absolutio, vel alligatio, quæ hominem obligat quoad Deum, tantum pertinet ad forum pœnitentiæ, sed illa, quæ hominem erga alium hominem liberum,vel obnoxium reddit, ad fori exterioris iudicium spectat, & quia per excommunicationem homo separatur à communione fidelium; idcircò excommunicatio ad forum exterius pertinet. Hæc B.Tho. Quod si dicas huic sententiæ obstare verba illa Matth. cap. 18. quando hæc potestas à Christo ecclesiæ tradita fuit, *Quemcumque ligaueritis super terram &c.* Similiter eidem aduersari commune illud dictum Theologorum, potestatem excommunicandi ad Claues Ecclesiæ pertinere;respondeo Claues Ecclesiæ latè sumptas non solùm potestatem absoluendi à peccatis,& ligandi significare, verum etiam continere,& denotare auctoritatem leges condendi; Indulgentias conferendi;puniendi criminosos;dispensandi vota;iuramenta relaxandi; Concilia colligendi, & demùm omnem illam potestatem comprehendere, quæ ad rectam ecclesiæ gubernationem est necessaria,si quęras, si hæc potestas excommunicandi ad iudicium fori exterioris pertinet, verum ita sit actus Clauis iurisdictionis, vt nullo modo ad eum exercendum requiratur ordo ecclesiasticus, B.Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 2. ad primam quæst. & dist. 19. q. 1. ad 3. quæst. affirmat hanc potestatem illius propriam esse, qui iurisdictionem in foro exteriori habet, etiam si ordinis potestatem non habeat,& est communis opinio, quam tenet Abb. c. Ab excommunicato num. 5. De rescrip. & in c. Transmissa de elect. & omnes Summistæ in verb. excom. Hostien. in summa de sent. excom. §. Quis possit vers. Nedum autem, Felin. c. Dilecta de Maio. & obed. num. 3. quos sequitur Coua. in illo c. Alma, prima par. §. 11. num. 1. Ab his,communi consensu asseritur executionem huius potestatis esse actum iurisdictionis, non ordinis, & idcircò omnes fatentur non esse necessarium sacrum ordinem ad potestatem excommunicandi; tametsi aliquis ordo prætermittendus sit huic potestati, vt tandem eam possit habere, qui Clericus sit, ac idoneus ad obtinendum beneficium ecclesiasticum,quod apertè Feli. c. Dilecta de maio. & obed. annotauit, cuius rei ratio est; nam licet excommunicatio in exteriori iudicio feratur;tamen per potestatem Clauium est tradita huiusmodi iurisdictio à Christo ipsi Ecclesiæ,ideò exerceri debet à Ministro Ecclesiæ, vt explicat S.Tho. loco citato, & probatur in cap. vlt. de excess. Prælat. Qua ratione non decet, vt possit excommunicatio ferri nisi ab eo, qui Clericus est; licet Felin. non aperiat, cuius ætatis esse debeat, nec cuius A ordinis ille, qui possit habere hanc potestatem, Anastasius tamen Germonius lib. 3. de Sacro. immuni. cap. 14. putat attendi debere eam ætatem, & eos ordines, quos requirit beneficium, ratione cuius excommunicandi quis habet potestatem; nam si beneficium erit simplex,quod Clericus,& maior quatuordecim annis obtinere potest, vt in iure habetur c. Indecorum de ætat. & qualit. & c. Super inordinata,& ibi Glos. de præben. Is si quartum decimum annum excesserit, & Clericali caractere,quem primam tõsuram vocamus, itidem fuerit initiatus, vtique excommunicare poterit;si verò habuerit personatum, vel dignitatem, aut curationem animarum,non debebit esse minor vigintiquinque, si Archipresbyter, Præpositus, Abbas, vel B alio quouis nomine nuncupatus,non solum debet esse maior vigintiquinque,sed etiam in sacro Presbyteratus ordine constitutus c. 1. Vbi omnes notant de ætat. & qualit. Sed hæc, quæ dicuntur ab hoc Doctore, intelligenda sunt de potestate excommunicandi, quæ competit iure ordinario, de hac tamen difficultate tractabo etiam inferius lib. 3. in disp. 7. c. 6. vbi agam de conditionibus requisitis in eo cui delegatur facultas ad excommunicandum super quinta conditione. Verum quoniam datur in iure annus c. licèt Canon. de elect. lib. 6. & Clem. 2. de ætat. & qualit. intra quem quis debet ad illum ordinem, qui beneficio est annexus,promoueri, existimat ipse Anastasius statimatq; C quis adeptus est possessionem beneficij, ratione cuius potest excommunicare, si sit Clericus, valeat exercere huius spiritualis gladij potestatem; non est itaque ordinis,sed iurisdictionis actus ipsa excommunicatio, quamuis ferri non possit nisi ab eo,qui Clericus sit, & idoneus ad consequẽdam ecclesiasticam dignitatem, vel beneficium, ratione cuius excõmunicãdi potestas ei iure cõpetit,& sic remanet soluta præsẽs dubitatio.

Tertio posset quis postulare ,cõcesso quod potestas excommunicandi sit potestas spiritualis virtute clauium concessa Prelatis Ecclesiæ, pertinens ad forum exterius eijciendi peccatorem non solùm à communi consortio fidelium, sed etiam priuandi eum spiritualibus bonis ecclesiæ,an sit aliqua excommunicaD tio ab ipso Christo immediatè inflicta, Andræas Tiraquellus vir alioqui eruditissimus,& in quouis disciplinarũ genere versatus opinionem quandam singularẽ literis mandauit de vtroque retractu part. 1. §. 1. Glos. 9. n. 276. Ipse namq; arbitratur excommunicationem non à sancto Paulo,vt Canonistæ,& Theologi ipso teste putant, sed ab Antiquis & Græcorum, & aliorum dogmatibus, legibusq; initium habuisse, quasi inferre velit nõ esse iuris Diuini,aut Canonici,sed humani ciuilis tantum, quam suam opinionem pluribus veterũ auctorum, Ethnicorum tamen auctoritatibus nititur cõprobare. Atq; ideo inquit non mirum,cum excommunicatio non sit iuris Canonici inuentũ, si & in foro seculari, ne dum ecclesiastico ea proponi, & allegari E potest,quod vtriusq; iuris Interpretes (vt ipse Tiraq. refert,dixerunt in c. 1. §. Si quis igitur de except. lib. 6. Verum hæc opinio est falsissima,cum ex ijs,quæ superius attuli ex sacra scriptura, & sanctis Patribus clarissimè colligatur hanc potestatem excommunicandi, à Christo relictam esse Ecclesiæ; addo solùm verba Beati Chrysostomi, ad cap. 2. epistol. ad hæbreos homil. 4. *Nemo comtemnat,* inquit, *Ecclesiæ vincula,non enim homo est qui ligat,sed Christus,qui hanc potestatem dedit, & Dominos fecit homines tanti honoris, &c.* Si Christus est, qui ligat,& qui hominibus hanc dedit potestatem; sequitur necessario excommunica-

tionem non à gentium legibus ortum habuisse, sed ab ipso Christo; immò nec Ethnicis potuit conuenire vera excommunicatio, quæ est separatio à communione ecclesiæ, cum illi extra ecclesiam sint. Nec obstat, si dicamus extare etiam ecclesiam malignantium, vt in psal. 25. *Odiui ecclesiam Malignantium*; nam Dauid non de infidelibus; sed de fidelibus loquitur, quorum alij boni sunt, alij mali. Ad id verò, quod Tiraquellus ex Platone, Euripide, Plutarcho, Cæsare, & ex alijs Ethnicis probare intendit, hos habuisse excommunicationem. Respondendum est veteres quidem pœnam excommunicationis ecclesiasticę haud dissimilem habuisse, vt superius docuimus, sed non fuisse veram excommunicationem, atque ideò sub alia forma; quarè potius crederem gentes ab Hæbreis quemadmodum, & alia multa hanc è sacris eiectionem mutuatas fuisse nam Hæbreos excommunicationem habuisse auctor est Eliezer Rabbi. cap. 38. qui ait Iosephi fratres sub anathematis pœna statuisse, ne quis Iosephi venditionem reuelare patri auderet, & subiungit, vultis excommunicationis vim videre, videte in Iosue cap. 5. & 7. & in lib. 1. Reg. 2. & in 4. lib. cap. 2. Nullo igitur modo admittenda est opinio Tiraquelli. Et ad dubitationem propositam respondendum est, vnum esse certum, cuius nulla est controuersia apud Doctores, quod sicut potestas ferendi ecclesiasticas leges à Deo est, nempè à Christo instituta, & tamen ecclesiasticæ leges non sunt diuini Iuris, aut diuinæ leges; sic potestas excommunicandi peccatores à Christo Domino Ecclesię data est. At verò excommunicationis censuræ, & sententiæ latæ sunt ab Ecclesia, dubium tamen est, an detur aliquod crimen, cui iure diuino sit inflicta excommunicatio. Aliqui putant dari, & esse hæresim, vt Almayn. in 4. sent. dist. 18. Gabr. in 4. dist. 18. q. 3. art. 3. dub. 4. sequutus Occham, Iodocus, Clitoueus, Ioannes Echius in Enchiridio locorum communium contra Lutheranos cap. De Hæreticis comburendis, & alij, quos refert Alphonsus à Castro lib. 2. de Iusta. Hæret. punit. cap. 18. Alij vero Theologi, etsi fatentur iustam esse hanc excommunicationis sententiam contra hæreticos à Iure prolatam, negant tamen illam iuris Diuini robur tenere. Sotus in quarto distinct. 22. quæst. 1. art. 1. Vnde putant omnem excommunicationem pœnam esse ab ipsa Ecclesia criminibus impositam, & in hanc sententiam videtur etiam declinare Castro loco citato, quamuis dicat se nolle definire, vtra illarum opinionum sit verior, cum satis illi sit scire eos, qui negant excommunicationis pœnam aduersus Hæreticos esse iure diuino impositam negare non posse, esse iure Diuino admodum conformè pertinaces hæreticos excommunicationis gladio iugulare, & hæc est communis opinio Doctorum. Verum probabilis est etiam opinio Almayn. & defendi potest, vt inquit Nauarrus in Miscella. De oratione Miscell. 47. num. 5. testimonio Pauli ad Tit. 3. *Hæreticum hominem post primam, & secundam correptionem deuita*, & 2. Ioan. cap. 1. *Venientem ad vos sine hac doctrina nolite recipere, nec dixeritis ei Aue*, quamuis non sit iure diuino excommunicatio in ea forma, & ad omnes eos effectus, in qua, & ad quos postea Ecclesia vsa est, & vtitur; hæc enim forma fuit relicta præscriptioni ecclesiæ, quæ iure humano potestate sibi diuinitus collata definiuit, & formam seruandam in ferenda excommunicatione, effectus, quos parere deberet, & ad hæc omnia posset, sicut expedire iudicaret, adimere, mutare, & addere pro sua voluntate.

Quartò quærere posset aliquis, postquam nulla excommunicatio est de iure diuino immediate ab ipso Christo inflicta, saltem sit aliquis effectus excommunicationis, qui sequatur, & oriatur ex ipsa excommunicatione per se iure diuino, quod idem est, ac si quæramus, vtrum Papa possit dispensare circa omnem effectum excommunicationis; an vero sit aliquis effectus, quem non possit relaxare; quia scilicet iure diuino proueniat ex ipsa excommunicatione, puta, an Papa possit licitè permittere, vt fideles non teneantur ex obligatione vitare excommunicatum, opinio est asserentium excommunicatum iure diuino esse exclusum à sacramentorum perceptione, & ab omni communicatione in diuinis, & secundum hos auctores, fideles iure diuino tenentur excommunicatum vitare in diuinis; nec Papa potest in eo dispensare, nec ipse potest communicare in diuinis cum excommunicato à se, probant hoc verbis Matth. cap. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquàm Ethnicus, & Publicanus.* Similiter 1. ad Corinth. cap. 1. inquit Paulus, *Si is, qui frater nominatur, inter vos est fornicator, aut auarus, aut Idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi, nec cibum sumera.* Et rursus 2. ad Thessalon. cap. 3. *Quod si quis non obedierit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & non commisceamini cum illo, vt confundatur.* Et B. Ioannes paulò ante citatus 2. epist. cap. vnico ità admonet: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis, qui enim dixerit illi Aue, communicat eius operibus malignis.* Hoc ipsum docet Calixtus Papa, & Martyr in epist. ad omnes Galliarum Episcopos, cuius Gratianus meminit in c. Excommunicatos 11. q. 3. Idem ferè tradit textus in c. Nuper de sent. excom. & c. 2. de except. & est tex. ex Chrysost. in c. Ad mensam 11. q. 3. Hanc opinionem tenet Couar. c. Alma. par. 1. §. 1. num. 1. & seq. & refert Felyn. cap. Nulli de sent. excomm. Nimirum communicationem cum excommunicatis interdictā esse lege euangelica in his, quæ ad diuina pertinent, in alijs autem prohiberi lege humana; nam in Euangelio illa sola communicatio prohibetur, quæ verè, & propriè Christianorum est, quæ spiritualia respicit auctore B. Thom. 3. par. in addit. q. 23. art. 3. sicut etiam adnotarunt Ioan. Maior in 4. dist. 18. qu. 4. & Dried. in lib. De libert. Christian. & fuit opinio Ocham. vt ait Gabr. in 4. distinct. 18. quæst. 3. dub. 4. quam idem Gabriel sequitur, pro qua facit tex. etiam in c. vlt. 24. quæst. 1. Vnde Ermenegildus Rex, qui vt Martyr recensetur à Greg. lib. 3. Dialog. cap. 31. adueniente Paschalis festiuitatis die noluit communicare cum Episcopo Arriano ab eius patre misso ad ad ipsum Ermenegildum, vt ab eo Eucharistiam acciperet, & ob hanc causam statim Pater misit suos Apparitores, qui ipsum constantissimum Dei Confessorem occiderent.

Respondendum est difficultati propositæ. Et primo dicendum est hominem in peccato mortali existentem prohiberi iure diuino ab omni administratione, vel receptione sacramenti, ità vt si oppositum tentet, reus efficiatur peccati mortalis; idque certissimum est, nec pertinet ad hunc locum de hac re disputare; quarè Papa non potest efficere, vt qui est labe peccati mortalis pollutus, licitè, & sine peccato, quandiù in eo statu manet, ad sacramenta tractanda accedat.

Secundò dicendum est excommunicatum excommunicatione maiori lege ecclesiastica interdictum

dictum

dictum esse, nè recipere possit sacramēta; quare Papa potest in hoc præcepto dispensare, vt sine peccato, si aliàs sit dispositus, possit illa licitè recipere. Nàm cum sit lex positiua humana, poterit summus Pōtifex, qui illam edidit, ex iusta causa relaxare.

Tertiò dicendum est notatum excommunicatione maiori, si tamen sit in gratia Dei, & contritus, nondum tamen ab excommunicatione absolutus, indignum esse iure similiter positiuo ecclesiastico tantum ad administranda, vel suscipienda sacramenta.

Quare propter eandem rationem Papa posset cum illo dispensare ex iusta causa, vt sine peccato legitimè sacramenta tractaret.

Quartò dicimus iuris positiui esse, vt homo per excommunicationem maiorem sit priuatus communibus suffragijs ecclesiæ & externo consortio fidelium.

Vndè & in his quoque penes Summum Pontificem est iurisdictio, & potestas concedendi, vt sine peccato communicet quis cum excommunicato, sicut in Concilio Constantiensi statutum fuit, vt fideles non tenerentur euitare excommunicatos, vt iure antiquo cautum erat, exceptis duobus generibus excommunicatorum, scilicet publicis Clericorum percussoribus, & nominatim denunciatis; hinc sequitur omnes effectus excommunicationis maioris fuisse ab ipsa Ecclesia institutos.

Si dicas excommunicatum esse vitandum ex præcepto Christi affirmantis, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.

Respondeo ab ipso Christo simpliciter, & absolutè fuisse interdictam communicationem cum excommunicato; non fuisse tamen definitum, in quibus talis cōmunicatio fugienda esset; sed id relictum dispositioni Ecclesiæ, quæ postea declarauit, quibus modis excōmunicatus esset vitandus; qua in re si ad bonum commune fidelium expedire iudicaret, posset etiam variare, vt superius diximus.

Quintò dubitari potest; an hæresis sit dicere, quod excommunicatus decedens in excommunicatione, nō damnetur ęterno supplicio, Arnal. Alberti. in trac. de agnoscen. assertion. Cathol. q. 22. num. 23. dicit hāc propositionem esse ambiguam, & habere duplicem sensum, scilicet Catholicum, & hæreticum, Sensus catholicus est, quod iniustè excommunicatus, qui non est in culpa, ob quam fuit excommunicatus, non damnatur, nàm, vt inquit B. Aug. in lib. de vera Religion. *sæpè diuina prouidentia sinit nonnullos bonos viros per turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de Congregatione Christianorum, quam contumeliam cum patientissimè pro Ecclesiæ pace tulerint, tunc hos coronat Pater in occulto videns.* Et idem inquit Orig. super Leuiticum, & refertur cap. Cum aliquis 24. quæst. 3. Vbi Turrecrem. notat frequenter accidere per excommunicationem extra ecclesiam missum esse hominem in conspectu Dei innocentem, qui vitæ merito intus est, vt confitentes Christum iudicio Iudæorum erant extra Synagogam, Io. 9. Nam iudicium Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpè contingit, & falli, vnde interdum fit, vt qui ligatus est apud Deum apud ecclesiam sit solutus, & qui liber est coràm Deo, sit sententia ecclesiastica innodatus c. A nobis 2. De sent. excom. Alter sensus dictæ assertionis est hæreticus; quod excommunicatus iustè decedens in excommunicatione non damnetur; ratio est: quia excommunicatio iusta non profertur nisi pro peccato mortali c. nemo 11. q. 3. sed decedens in peccato mortali damnatur in æternum, sicut prædicat fides nostra Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, &c.* Et infra, *Ibunt in ignem æternum*, Apocalyp. 2. *Cruciabuntur in sæcula sæculorum.* Quomodò autem cognoscatur, in quo sensu lata fuerit hæc propositio, hoc scire nequit, nisi per propriam confessionem proferentis; quæ enim in animo consistunt, aliter dignosci nequeunt, vt inquit Glos. in l. Fulcinius §. 2. Quid sit latitare, ff. ex quibus caus. in possess. Hæc sufficiant de dubijs quæ ex his, quæ diximus in hoc 2. cap. de potestate excommunicandi, quæ est in Ecclesia, ortum habere poterant; transeamus ad tertium caput.

CAP. III.

Hanc potestatem excommunicandi sæpè exercuisse iustissimè Pontifices Romanos, & alios Episcopos etiam aduersus Imperatores, Reges, ac Principes contumaces.

EST igitur in Ecclesia Christi potestas excommunicandi ad Clauem iurisdictionis, non ordinis pertinens, fori exterioris disciplinam respiciens, vbi causa inter homines agitur. Quam potestatem non semel Apostolum Paulum exercuisse in cap. 1. ostendi, & eadem deinceps omni tempore Summos Pontifices Romanos, ac reliquos Prælatos inferiores vsos fuisse legimus, non solùm aduersus priuatos homines contumaces, vbi pœnitere, & ad rectum tramitem moniti redire noluerunt; sed etiam maturo iudicio in Imperatores, Reges, ac Principes, quando & qualitas criminum, & ipsorum, qui ab Ecclesia segregati fuerunt contumacia tàm grauem, & acerbam censuram iustè exigere visum fuit, vt sic confusi, & erubescentes tandem resipiscerent. Ex pluribus exemplis, quæ referri possent in eandem sententiam pauca quædam insigniora, & illustriora, alijs multis prætermissis commemorare hic lubet.

In primis illud illustre & antiquum est exemplum cum Victor primus Papa circa Annum Domini 198. excommunicauit omnes Asianos qui recusabant celebrare Pascha, Dominica sequente post decimam quartam lunam, iuxta decretum Pii Primi, non ipsa decima quarta die primi Mensis more Iudæorum, & cum nollent acquiescere fuerunt excommunicati, vt scribit Eusebius lib. 5. Historiæ cap. 24. & 25.

Fabianus Papa anno Redemptoris 246. Philippum Imperatorem ab ingressu ecclesiæ prohibuit, ob plurima per eum commissa scelera, cumq; die vigiliæ Paschatis communium suffragiorum ecclesiæ, cum reliquis fidelibus particeps fieri cuperet, non prius à Fabiano permissus est intrare, quam confessus fuisset peccata sua, & inter eos qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur obstricti, & locum pœnitentiam agentium occupabant, se sua sponte collocasset, Imperator autem alacri animo & lubenti, Summo Pontifici morem gessit, & ingenuam modestiam, ac religiosam piamq; affectionem Dei timore excitatam re ipsa declarauit. Refert hæc Eusebius lib. 6. cap. 27.

Innocentius Papa anno 407. audita B. Ioa. Chrysostomi morte tum ipsum Imperatorem Arcadiū, eiusq; coniugem Eudoxiam, tum Episcopos sceleris complices, quorum peruersis studijs Io. Chrysosto. in exilium eiectus fuerat, excommunicauit. Niceph. lib. 13. c. 34.

Vigilius Papa Anno Christi 547. Auctoritate pontificia, nullo habito respectu, & pro nihilo ducens Imperatoriam potestatem, in Theodoram Augustam Iustiniani Imperatoris vxorem, diu magno Ecclesiæ detrimento toleratam, insur-

gexit, in eamque sententiam tandem excommunica-
tionis inflixit, eadem pœna afficiens Hæreticos om-
nes Acephalos, quam ipsa eorum Patrona meruerat.
Testatur id Gregorius Magnus lib.2. Epistola 36. Ad
Hibernos Episcopos Schismaticos.

Gregorius secundus Papa postquam sæpius & lit-
teris & legationibus missis Leonem Isaurum Impe-
ratorem obtestatus esset (qui se sacris imaginibus ini-
micum, aduersus veterum Patrum decreta præbue-
rat) vt resipisceret, & veritatem quam abiecerat, ite-
rum profiteretur, & nihilominus sanctissimi Patris
monita contemneret, & pro nihilo duceret, immo
quotidie magis impietate, ac dementia sua Ecclesiæ,
& Catholicis infectissimus esset; tandem vtpotè peni-
tus impœnitentem atque hæreticum anathemate
execratus est Anno 730. Ac mox Italię populos sacra-
menti quo se illi obligarant, religione exoluit, & ne
ei aut tributum darent, aut alia ratione obedirent,
indixit. Refert Sigonius lib. 3. Regni Italiæ.

Gregorius Tertius Papa statim, vt Pontificatum
subijt, nempe circa Annum 731. Leonem Tertium
Imperatorem imperio simul & fidelium communio-
ne priuauit, quod sacras imagines à sacris ædibus ab-
rasisset, & statuas demolitus esset; quodque etiam
de Homousio male sentiret; Zonaras, Paulus Diaco-
nus, & Platina.

Nicolaus Pontifex Romanus Engeltrudam Boso-
nis Comitis vxorem, quæ proprio viro relicto hac at-
que illac vagabunda errabat, anathematizauit, & du-
rante contumacia iterato anathematis vinculo An-
no Domini 860. in Romana Synodo duxit innodan-
dam. Narrat hoc idem Nicolaus Papa in epistola
27. ad Germaniæ Episcopos, habetur Tom. 3. epistol.
Decret. Rom. edit. Refertur hæc excommunicatio c.
Engeltrudam 3. quæst. 4. Sed tribuitur Ioanni Papæ
Octauo, non Nicolao, fieri autem potuit; vt hæc fœ-
mina viueret tempore Ioannis Octaui; A quo etiam
censura excommunicationis esset percussa, vel po-
tius Ioannes non excommunicauit illam; sed denun-
ciauit fuisse excommunicatam à Nicolao; huius mu-
lieris flagitia ob quæ iustissime hanc pœnam tulit, re-
fert Regino libro secundo Chronicorum. hæc postea
coram Arsenio Sedis Apostolicæ legato nomine eius-
dem Nicolai Papæ iureiurando promisit se relicturam
prauum illud vitę genus, quæ in virum suum exercue-
rat, & quidquid à summo Pontifice ei impositum fuis-
set, fore impleturam, licet postea iuramentum non
seruauerit, vt testatur idem Nicolaus in eadē epist. 27.

Henricus Secundus Imperator cum Andræa Hun-
gariæ Rege bello inexpiabili contendebat, sed Leo
Nonus Papa, quàm alienum hoc esset Christianorum
iuribus cernens, cōtinuo in Germaniam ad Andræam
se cōtulit, vt eum ad pacem cum Henrico faciendam
adduceret, verum Apostolicam auctoritatem præter
opinionem suam repudiātem nactus, & piorum cōmu-
nione interdixit anno 1052. Sigo. lib. 8. Regni Italici.

Gregorius Septimus Papa in Synodo Romæ habi-
ta Anno 1076. Henricum Tertium Germaniæ Re-
gem, Henrici Imperatoris filium vinculo Anathe-
matis alligauit, qui contra Ecclesiam inaudita super-
bia insurrexerat, & nefanda flagitia commiserat, ac
sæpe monitus, vt pœnitens ad Deum rediret, num-
quam auctoritati Pontificis parere voluit; refertur
libr. 3. Epistol. Gregor. Epistola sexta. Idem narrat
Sigonius libro nono De Regno Italiæ Anno Christi
1076. Cum autem aliqui affirmarent Regem ana-
themate obstringi non posse; illis qui hæc dicebant

A Synodus ita respondit. *Cum Christus ecclesiam suam
ter Beato Petro commisit, dicens, Pasce oues meas, ip-
sos Reges minimè excepit, & cum eidem ligandi soluen-
dique in Cælo & in Terra potestatem concessit, neminem
ab eius potestate subtraxit*; iam vero quæ post Regis
excommunicationem in impios quosdam Episcopos
Germanos Dei vindicta secuta sit, qui Henricum
contra Romanam Ecclesiam temerario ausu adiuua-
re non cessabant, explicant latius Annales Ecclesiæ
Magdeburgensis, satis erit referre vltionem, quam
Deus ostendit in Vuillelmum Traiectensem Episco-
pum, qui contra æquum, & bonum causam Regis
obstinate tuebatur, & studio partium Regis, mul-
ta in iniuriam Romani Pontificis rabido ore decla-
B mabat; Hic Episcopus repente grauissima ægritu-
dine correptus est, cumque per acerrimos cruciatus
animæ & corporis vrgeretur, miserabili eiulatu co-
ram omnibus qui aderant vociferabatur, Iusto Dei
iudicio se & præsentem vitam amittere, & æternam,
quod Regi ad omnia quæ perperam intendisset ope-
ram suam summo conatu tribuisset, & Romano Pon-
tifici graues contumelias sciens, & prudens inno-
centi irrogasset, in hanc vocem, sine communione,
sine vlla satisfactione expirauit. Ipse autem Henri-
cus in summum discrimen amittendi Regni addu-
ctus, communi enim Principum Germaniæ senten-
tia decretum nouerat, si antequam Annus circum-
ageretur ab excommunicationis vinculo absolutus
C non fuisset, vt & causa in perpetuum cecidisset, &
Regnum sine vllo deinceps restitutionis remedio ami
sisset. Quamobrem & litteris, & Oratoribus mis-
sis Summum Pontificem orare cœpit, vt ipsum ana-
themate liberare, atque in gratiam Ecclesiæ redi-
gere dignaretur, promittens se omni quo voluisset
satisfactionis genere redimere paratum esse; nega-
uit hoc Gregorius iuuenilis in eo animi inconstan-
tiam, & procliue quocunque assentatores impulis-
sent ingenium veritus; tandem precibus & auctori-
tate virorum grauium qui aderant victus vix annuit
vt propius veniret, & si veram pro admissis sceleri-
bus pœnitentiam gereret, & contumeliam quam
sedi Apostolicæ irrogauerat; eiusdem sedis decretis
D parendo expiaret; venit ille derelicto omni comitatu
suo, Regio cultu deposito, nihil præferens regium,
nihil ostentans pompaticum, nudis pedibus, sæuien-
te hieme, ieiunus vsque ad Vesperam, Romani Pon-
tificis responsum expectans, hoc secundo, hoc ter-
tio fecit; quarto demum in conspectu Pontificis ad-
missus, & vere eum pœnitere ratus, multis conditio-
nibus ab excommunicatione absolutus est, Henri-
cus conditiones accepit & præstiturum eas iureiuran
do sanctissimo promisit.

Idem summus Pontifex Gregorius Septimus non
multo post nempe Anno 1079. perlata ad se crude-
li nece Sancti Stanislai Crocouiensis Episcopi, qui à
E Boleslao secundo Poloniæ Rege, dum ad Altare Mis-
sæ sacrificium Deo offert, impie cæsus & vulneribus
confossus fuit, ob hanc causam dictum Boleslaum
anathematizauit, insuper Poloniæ Regnum omni
honore, dignitate, & excellentia regali priuauit,
& ne de cetero quispiam Principum in Polonia absq;
consensu speciali Sedis Apostolicæ coronaretur, sta-
tuit. Quam Summi Pontificis iustissimam in im-
pium Regem sententiam paulo post vindicta cœ-
lestis confirmauit; nam præter alia mala ipse
Rex; vt alter Cain factus est profugus super Ter-
ram, demum versus in insaniam errabundus dum

vaga-

vagatur, morte præuentus, à canibus est deuoratus, ita vlciscente numine sanguinem sui innocentissimi Sacerdotis Anno 1081. Matthias Micchouiensis lib. 2. cap. 20. Rer. Polonicarum, Io. Longinus in vita eiusdem Martyris, Io. Villanus lib. 13. cap. 105,

Alexander Tertius Papa Fredericum Imperatorem contra Italiam bello furentem, qui Octauianum Antipapam designauerat excommunicatione ferijt Anno 1178. ac per vniuersum orbem literis missis excommunicatum denunciauit. Aeneas Siluius c. 13. Historiæ Boemicæ,

Ludouicus Bauarus Imperator Romanus cum se Imperatorem spreto Romani Pontificis consensu appellaret, & Diadema primo ferreũ Mediolani à Guidone Petro Mala Episcopo, deinde Romæ aureum Populo Romano consentiente de more sumpsisset, à Ioanne primum 22. circa annum 1319. Deinde à Benedicto XII. Anno 1332. & à Clemente sexto anno 1343. sacris est interdictus. Volat lib. 23. Anthrop. Supplem. Cronicho lib. 12.

Neque solum à Romanis Pontificibus, Imperatores, & Reges Ecclesię Dei infensi iustissimè anathematis sententia perculsi sunt, sed ab Episcopis quoque minoribus, si res ità postulare visum fuit, eodem censuræ vinculo interdum obstrictos fuisse legimus.

Cum Ecclesia Libiæ inter alias S. Athanasio subiecta, à quodam Cappadoce Præfecto, homine moribus deprauato, licet fide catholico, labefactaretur, quem in deteriora prolabentem, nec mores emendare curantem, S. Athanasius sententia excommunicationis perculit anno salutis 370. scripsitq́, ex more publicas literas, ne is qui excõmunicatus ab ipso erat, ab alio vsquam Episcopo reciperetur, peruenerunt eædem literæ in Cappadociam quò idem reuersurus erat, quas cum in primis vniuersæ illius prouinciæ Metropolitanus Episcopus accepisset, in nefarium hominẽ æque ac Athanasius ipse commotus, eundẽ à fidelium consortio penitus declarauit extorrem, deque his sic à se gestis eundem S. Athanasium reddidit certiorem, vt narrat S. Basilius epistola 47. inter alia hæc dicens. *Innotuit autem id & Ecclesiæ nostræ ex literis pietatis tuæ atque auersandum, & execrabilem illum auersabuntur omnes, ita vt nec ignis, nec aquæ nec tecti communionẽ cum illo sint habituri, si quidem prodest vt violenti isti Tyranni, communi & vnanimi iudicio condemnentur,* &c.

Egregium illud est exemplum, & memoria dignum Theodosij Imperatoris, qui à B. Ambrosio, circa annum Domini 390. excommunicatus fuit ob nimiam aduersus Thessalonicenses, & Pannonas vindictam, quorum 7000. millia occidi curauerat, qui Magistratus aliquot saxis obrutus, & contumeliosè tractatos interfecerant, refertur c. Cum apud 11. q. 3. ex Rufino lib. 11. ecclesiasticæ historiæ c. 18. At veniam tandem petens receptus est ab Ambrosio, populo pro eo deprecante, Theodoretus lib. 5. c. 17. copiosè rem totam narrat, eadem legitur lib. 9. c. 30. Hist. Tripart. apud Sozomenum lib. 2. c. 24. & Paul. Diacon. lib. 13. Hist.

Et quoniam nobile est exemplũ omnibus notum, dignum etiam, vt omnes, præsertim Principes illud sibi proponerent ad imitẽdum, referam Theodoreti verba, *Hac miseranda, & lugubri calamitate cognita Ambrosius ille, de quo supra diximus Imperatori Mediolanum adueniunti, & in sacrum templum ingredi cupienti, extra sacra vestibula obuiam procedit, vetatq; intrare, & his fere verbis affatur. Est verisimile ò Imperator te ignorare cædis à te perpetratæ magnitudinem? neque post sedatam iracundiam ratione admissum facinus peruidere? Nam* A *Imperatorius fortasse Principatus peccatum agnoscere nõ sinit, sed potestas offundit rationi caliginem, verum, quæ sit natura nostra quàm fragilis, quàm fluxa, considerandum est, & in auitum puluerem, ex quo orti sumus, & in quem recasuri, acies mentis intendenda, neque ipse splendore purpuræ deceptus corporis illa operti imbecillitatem ignorare debes; quin etiam illis imperas, qui & eiusdem sunt naturæ participes, atque adeò conserui; vnus enim est omnium Dominus, & Rex huius vniuersitatis fabricator Deus, quibus igitur oculis intuebere templum illius, qui est omnium Dominus? quibus pedibus sanctum illud solum calcabis? Qui, quæso manus iniusta cæde, & sanguine respersas extendere audes, & eisdem sacrosanctum corpus Domini accipere? Aut quomodo venerandum eius* B *sanguinem ori admouebis, qui furore iræ iubente tantum sanguinis tàm iniquè fudisti? Recede igitur, & ne conare nouo scelere scelus ante editum augere, sed capesse vinculum, quo vt ligeris, Dominus omnium cœlitus sententiam dat; quod quidem vinculum vim habet, & morbum animi depellendi, & te ad sanitatem restituendi.* Huic orationi obsequutus Imperator, nàm diuinis educatus eloquijs expressè norat, tùm quæ essent officia Sacerdotum, tùm quæ Regum propria, cum gemitu, & lacrymis ad palatium reuertitur, &c.

Tempore Honorij Imperatoris, Anno 422. Bonifacius Comes dux totius exercitus, & magnæ auctoritatis vir, cum commoraretur in Africa, hominem C quendam scelestissimum, qui ad ecclesiam confugerat, ab eius liminibus raptum, detrusit in carcerem, quod cum per latum esset ad S. Augustinum, illico in eundem Comitem excommunicationis sẽtẽtiam intorsit, vt ipsemet Augustinus testatur epist. 6. in Append. Quod cum primum intellexisset dictus Bonifacius, sicque censuræ ecclesiasticæ flagris verberatum esse videret, statim ad eundem Augustinum rescripsit epistolam, qua agnoscẽs culpam suam, veniam humiliter petebat digna est epistola vt legatur, & est septima inter epistolas Augustini in Append. Ex qua discere possunt omnes, quanta obseruantia olim Principes, atque Præfecti Prouinciarum coluerint Episcopos, & loca sacra, vt si aliquando ea violari contigisset, culpam D mox lachrimis & pœnitentia expiarent, arbitrio Episcopi cui reuerenter parebant.

Nicephorus refert lib. 6. cap. 26. Euphemium Episcopum Constantinopolitanum Anno 491. Anastasium Imperatorem ecclesia exclusisse, propterea quod contagione Dioscori infectus erat, & non rectè de fide Orthodoxa sentiret; quotidie vero magis crescente eius impietate, & contumacia in Ecclesiam Catholicã iterum à Symmacho Papa in Synodo quarta Romana Anno 502. excommunicatus fuit. Testatur Theod. lect. lib. 2. Collect.

Cum in Concilio Turonensi plurimum laborassent Sancti illi Patres aduersus incestuosos, præsertim ad corrigendum Regem Charibertum tanto crimine la-E befactatum, vt qui sororem Coniugis sibi nefariè copulasset, cumque neque illa remedia ipsi proficerent, paratumque à Sanctorum Patribus antidotum omnino respueret demum à Sancto Germano Parisiensi Episcopo Anno 570. fuit excommunicatione perculsus, vt narrat Gregorius Turonensis Histor. Francorum lib. 4. cap. 26. & Regino libro primo in Vita Iustini iunioris, tandem adhuc non resipisceret, & obstinatus in cœno turpissimæ libidinis insordesceret iusto Dei iudicio percussa primum ipsa fœmina miserrime obiit, nec multo post eam Rex quoque decessit.

Cedda Episcopus Orientalium Saxonum in Anglia Anno 655. Comitem quendam propter illicitum coniugium, quod prohibere, & corrigere non potuit excõmunicatione ferijt, omnibus præcipiens ne Comitis domum intrarent, neq; de cibis illius acciperent; at Sigibertus Anglorum Rex rogatus à Comite, lætus neglecto excommunicationis fulmine, cõuiuium cum eo habuit, & abeunti è domo Comitis obuiam occurrit Episcopus prædicens fore, quia noluit se continere; ne in dictam domum ingrederetur, vt in ipsamet domo interficeretur, quod ita contigit, Comes enim Regem nil tale metuentem obtruncauit, vt refert Beda lib. 3. Hist. Anglorum cap. 22. Qui testatur propter hanc solam culpam à Deo tali morte multatum esse, cum alioquin esset vir pius, & sanctus; nam & ipsi interfectores interrogati cur tale facinus patrassent, nihil aliud respondere potuerunt; nisi propterea iratos esse & inimicos Regi, quod ille nimium suis parcere soleret inimicis, & factas ab eis iniurias, mox obsecrantibus placida mente dimitteret, & quod euangelica præcepta deuoto corde seruaret. Hoc exemplo admonentur Principes, vt sint parati obedire præceptis Episcoporum, ne Dei iram cum maxima ipsorum iactura experiantur.

Methodius Morauorum Episcopus circa Annum 880. suum Regem excommunicauit, vniuersoq; Regno sacris interdixit, eo quod in ipsum sacra peragentem in Templo, præter alia conuicia venaticos immisisset canes. Aeneas Siluius cap. 13. Historiæ Boemicæ.

Hæc sufficiant exempla ex infinitis, quæ recenseri possunt, vt omittam recentiora omnibus nota, & manifesta, quibus apertè constat Summos Pontifices, & reliquos Episcopos frequentissimè exercuisse hanc potestatem excommunicandi, & hoc gladio spirituali etiam Imperatores, ac Reges percussisse, quando eorum contumacia, & crimina hanc pœnam iustè exposcere iudicarunt.

Atque ex his aliqui magnam indè sibi gloriam compararunt, quòd à Pontificibus perculsi sententia anathematis, haud contumaces eisdem sunt aduersati, sed obsequentes eorum mandatis, vt ex qua pulsi erant, in ecclesiam admitterentur, nihil prætermiserunt humilitatis officij, atque pœnitentiæ impositæ disciplinæ, vt de Theodosio narrat Theodoretus, de Bonifacio Comite Augustinus; è contra alij ingentem contraxerũt infamiam, & ignominiosum adepti sunt nomen, qui contra stimulum calcitrantes, reluctati sunt disciplinæ, exulantes ab Ecclesia, & nonnunquam occulto, iustoque Dei iudicio miseram, & infelicem vitam clauserunt, vt legimus de Boleslao Rege Poloniæ, quem Gregorius VII. excommunicauit, vt diximus, qui mente captus cum in siluis cum canibus, sicut alter Nabuchodonosor versaretur, subita, & repentina morte ereptus, ab eisdem canibus dilaniatus, & deuoratus fuit, vt scribit Io. Villanus in dicto libro c. 105.

DISPVTATIO QVARTA
DE EXCOMMVNIC. MINORI.



DICTVM est de excommunicatione in genere, modò de speciebus excommunicationis distinctè pertractandum est. Et quoniam ad intelligendam vim, & naturam excommunicationis Minoris, & eius effectus, atque omnia, quæ ad illius cognitionem pertinent, non opus est longiori enarratione, sed omnia, quæ de illa dicenda sunt, breuiter explicari possunt; propterea commodè de excommunicatione Minori, & de eius absolutione pertractabo in hac quarta disputatione, antequam sermonem de Maiori exordiar, quæ plures disputationes postulat.

CAP. I.
Quid sit Excommunicatio Minor.

EXcommunicatio Minor potest ad hunc modum definiri est censura ecclesiastica, qua Baptizatus priuatur passiua participatione sacramentorum cap. Si celebrat. De Cleri. Excomm. Min. c. penult. de sent. excomm. Ità docent omnes Doctores Theologi in 4. sent. dist. 18. Caiet. in Summa V. Excommunicatio Minor, Nauar. in Manual. cap. 27. num. 1. & 24. & alij omnes; ita quidem, vt si aliquod sacramentum suscipiat excommunicatus, tali excommunicatione peccet mortaliter, non tamen efficiatur irregularis, etiãsi celebret, vt in dicto cap. Si celebrat. A collatione verò actiua sacramentorum non remouet. Quare conferendo non peccat mortaliter, neque fit irregularis. Et ratio est, quia talis excommunicatus non est suspensus ab aliquo actu ordinis ecclesiastici; siquidem susceptio sacramentorum non pertinet ad aliquem ordinem, & ideò prohibitus sacramenta suscipere, non est suspensus ab actu alicuius ordinis, propterea non erit irregularis, etiamsi sacramenta suscipiat, vt inquiunt Abb. & Henric. in dicto c. si celebrat; vt enim quis contrahat irregularitatem, est necessarium, vt exerceat aliquem actum pertinentem ad aliquem ordinem, a quò actu sit suspensus, vt inquit Innoc. in c. 1. De sent. excom. cuius dictum probat B. Antoninus 3. part.

part.tit.26.cap.4.§.1. & alij, celebrando peccat mortaliter,quia suscipit sacramentum. ideò in illo c.Si celebrat; celebrando grauiter peccare dicitur. Hoc igitur modo distinguitur excommunicatio minor, à maiori,quoniam natura maioris consistit in illa plena separatione ab omnibus bonis, vt vidimus, minor in prohibitione à passiua solùm receptione sacramentorum.

Sed contra opponi potest; non enim videtur verum vniuersaliter excommunicationem minorem priuare excommunicatum passiua perceptione sacramentorum,nam in c.Placuit 2. dist.18. dicitur de Episcopis, qui negligunt ad Prouinciale Concilium accedere, & impedimenti causam coràm Primate non deducũt, *ecclesiæ suæ communione debent esse contenti*, talis excommunicatio non potest dici maior, quoniam huiusmodi Episcopi non priuantur simpliciter communicatione sacramentorum,& fidelium,quia in sua ecclesia poterant recipere sacramenta,& communicare cum suis subditis. Interdicitur illis solùm consortium Comprouincialium Episcoporum; erat igitur excommunicatio minor, & tamen non erant priuati integra perceptione sacramentorum; idem habetur in c.vlt. dist. 58. De Episcopo,qui alienum Monachum ad Clericatum promouere,vel in suo Monasterio Abbatem constituere præsumpserit, *Qui hoc fecerit, à cæterorum communione seiunctus, suæ tantum plebis communione contentus sit*. Simile est, quod legimus in c.1.in fi.dist.34.de Episcopo, qui correptus à Comprouincialibus Episcopis parere contempserit. *A vestro Collegio excommunicatus abscedat, quod si in hoc contumax adhuc apparuerit, à ministerio cessare debebit*. in c. In loco 5.q. 4. in fi. *Abstractus à communi cœtu secedat, & trium dierum excommunicationis sententiam perferat*. Vbi Glo. Ver. excommunicationis, notat, idest *à consortio fratrum*. Item in c. Episcopi 11.q.3. De Episcopis, qui pro minimis causis delinquentes excommunicant. *Si parere noluerint, communio illis vsque ad tempus Synodi à reliquis Episcopis denegetur*. In c. vlt.6. q.2. Episcopus vitabat quendam publicè ob crimen, cuius gratia in excommunicationem inciderat, & Summus Pontifex mandat; *Quamdiu excommunicato non communicauerit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis*, & alijs locis in Iure eadem species censuræ describitur, ex quibus illud videtur colligi posse dari speciem quandam excommunicationis minoris, quæ non priuat simpliciter hominem perceptione passiua sacramentorum, sed tollit solùm communionem aliquorum fidelium. Vndè nonnulli Doctores citatis iuribus moti existimant duas esse species excommunicationis minoris; alteram propriam, quæ hodiè est in vsu, ex qua sequitur impedimentum ad sacramenta recipienda, alteram, quæ olim imponebatur, modò cessauit, cuius effectus erat interdicere aliquorum fidelium communionem.

In hac sententia fuit Riccardus in 4. dist. 18. art.7. qu. 4. vbi ponit has duas species excommunicationis minoris; primam dicit frequentius cōtrahi à Iure per participationem cum excommunicato, c. Nuper de sent. excom. nonnunquàm verò infligi ab homine per sententiam, c.1. quinta q. 1. secundam autem non incurri à iure, sed ab homine tantum imponi, & separare à communione aliquorum fidelium,non sacramentorum. Eiusdem opinionis fuit Io. Deligna.in trac. de Censuris §.11.

Hæc sententia communiter non recipitur, & vnica tantùm assignatur species excommunicationis mino-

A ris,cuius integra ratio,sicut in hoc tempore in vsu est ecclesiæ,consistit in priuatione receptionis omnium sacramentorum, & licèt fortasse antiquitus, vt videtur sentire Dominicus Sotus in 3.dist.22.q.1.art.1. in princ.prius interdiceretur vsus Eucharistiæ, quæ per excellentiam dicitur communio, sicut videtur accipi excommunicatio in c.Nemo 11.q.3.c.de Presbyterorum 1. septima q.4.Gratia. post c.Ad mensam §. euidenter 11. q.3. Deindè durante contumacia prohiberetur participatio reliquorum sacramentorum; hoc tempore certum est nullam esse propriam Censuram, quæ priuet receptione vnius sacramenti, sed simul interdicitur vsus omnium sacramentorum, vt patet ex consuetudine Ecclesiæ, & ex c. vlt. De Cler. excomm.
B Mini.& ex c. penult.de sent.excom. & hæc excommunicatio lata est ab ipso iure, vt ostendam inferius, nũquam enim, vel raro fertur excommunicatio minor ab homine. Et quamuis Confessarius interdum iniungat suo pœnitenti, vt abstineat à receptione Eucharistiæ, vel Iudex imponat hanc pœnam, vt in c.Accedẽs 50. dist. illa tamen non est censura, sed est pœna quædam peccati commissi ob venerationem tanti sacramenti, vel ob aliam iustam causam imposita; neque negandum est Summum Pontificem posse instituere alias species excommunicationis minoris, sed dico hactenus non instituisse, vel saltem non esse in vsu hoc tempore alium modum,& formam, præter hanc, quæ
C consistit in priuatione receptionis omnium sacramentorum.

Iura verò, quæ citantur contra hanc sententiam, non probant aliam speciem excommunicationis minoris, sed ostendunt tunc temporis fuisse in vsu quandam pœnam, qua Reus priuabatur consortio aliquorum fidelium in quibusdam negocijs,& functionibus, vt copiosè declarabo in disp. cap. 4. An pro peccato præterito possit quis excommunicari,& idem notauit Glos.in dicto c.Placuit Ver.Communione, dicens huiusmodi pœnam non fuisse excommunicationem, sed aliam pœnam, qua Episcopi illi, qui neglexerant ad Synodum accedere, non admittebantur ad definienda negocia communia, neque vocabatur cum alijs
D Episcopis ad cõsecrationem Episcopi, neque ad alios similes actus. Quarè, vt inquit Turrecrem.in summa de Ecclesia lib.3. cap. 20. hæc pœna potest potius vocari suspensio à communibus negocijs pertractandis, & cōfirmat idem Card. Iacobatius in tract.de Conc. lib.2.art.2.& probat ex Conc. Arelaten.2.in c. Si quis 2. dist. 18.& Conc. Agathen.& Tarraconen.in duobus cap. sequentibus. Eodem modo Glos. intelligit verba *excommunicatus abscedat* in c.1.dist.34.Ver.Excommunicatus abscedat, idest *vt non intersit cum eis, negocijs communibus*. Eandem interpretationem admittit c. in loco 5.q.4. Illam enim pœnam Glos. vt dixi, vocat separationem à consortio fratrum, & Archid. addit non fuisse separationem ab vsu sacramentorum, vndè
E ibi præscribitur terminus trium dierum, & excommunicatio, quæ propriè est censura, non habet præfinitum tempus; adde, quod censura excommunicationis non potest relaxari; nisi per absolutionem traditam à Superiore, sed hæc pœna elapso termino assignato absque vlla absolutione cessabat, ergo non erat censura, sed alius modus pœnæ; huiusmodi etiam erat illa pœna, de qua in c.Episcopi 11. q.3. Vbi etiam præfigitur certum tempus; qualis etiam erat pœna, de qua fit mentio in c. Neminem dist. 45. *Si ita causa exigit, Clerici triduo priuentur honore*, &c. Neque tamen negari potest, vt animaduertit Turrecrem. vbi

supra

supra ex sententia Archid. in dicto c. Si quis Episcopo- A
rum, tales, qui tali pœna corripiebantur, potuisse, si contumaces perdurabant, vera excommunicatione innodari, quæ est separatio à communione, & participatione sacramentorum iuxta c. Certum 11. q. 3.

Ex his omnibus concludendum est excommunicationis minoris vim, & naturam consistere in priuatione receptionis omnium sacramentorum.

Hinc sequitur excommunicatum minori excommunicatione posse frui communibus ecclesiæ suffragijs, & interesse diuinis officijs, Palud. in 4. dist. 22. q. 5. art. 6. num. 9. Silue. excommunicatio 4. §. 6. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 24. Et si sit Sacerdos, officium Hebdomadarij exercere in Choro. Couar. 2. par. in c. Alma Mater, §. 1. in fin. Nauar. vbi supra. Similiter fun- B
gi iurisdictione ecclesiastica, Nauar. dicto nu. 24. Nec prohibentur cæteri cum ipso communicare etiam in diuinis, si absoluat à peccatis, valet absolutio.

Tandem præter receptionem passiuam sacramentorum omnes alij actus tàm communes, quàm sacri Christianæ communicationis permittuntur excommunicato minori excommunicatione, vt inquit Silue. excommunicatio 4. §. 5. Nauar. & Couar. vbi supra. Vnde in c. A nobis de except. in fi. excommunicatus minori excommunicatione dicitur *tantum à sacramentorum participatione remotus*, ergo alia omnia licita sunt, cum non prohibeantur, & est communis sentētia omnium Theologorum in 4. dist. 18. & Adrian. in q. 3. C
de Claui. dicit posse absoluere alium ab excommunicatione, vt colligitur ex c. Duobus de sent. excom. Ibi Papa declarat excommunicatum minori posse alium ab excommunicatione absoluere, & Glos. Ver. Non expirat in fi. reddit rationem, quia minor excommunicatio priuat solummodò à perceptione sacramētorum, non à collatione arg. c. Ab excommunicato de rescript. & c. Sacro de sent. excom. Idem tenet Nauar. dicto num. 24. & citat maiorem, & Adrianum, & eadem est ratio de absolutione, à peccatis, vt dixi.

Hæc minor excommunicatio differt à peccato mortali, quia habet diuersos effectus; nàm primo existens in peccato mortali, si habeat debitam attritionem, dignè recipit sacramentum Baptismi, & absolutionis, D
quo iustificatur. Secundò peccator post contritionem habitam dignè recipit omne aliud sacramentum præter Eucharistiam. Tertiò peccator, si ei conferatur beneficium, recipit titulum dignè & beneficium. Tandem per contritionem in ordine ad sacramentum pœnitentiæ recipit remissionem peccatorum antè absolutionem. Nihil autem horum conuenit excommunicato minori excommunicatione, quia quantumuis sibi videatur attritus, & contritus, semper erit obstrictus censura excommunicationis ante absolutionem; nec licitè recipit absolutionem sacramentalem peccatorum, nec vllum sacramentum, nec titulum beneficij, & qui scienter illud ei conferret, peccaret mortaliter, quia cooperaretur peccato illius. contra verò excom- E
municatus minori excommunicatione propter venialem culpam, potest dignè, idest sine culpa mortali conferre, sacramenta & talis si iustus sit, & in gratia, particeps est satisfactionum ex operibus iustorum, quibus omnibus caret existens in peccato mortali; conueniunt tamen, quia vterque priuatur digna receptione sacramenti, sed peccator ex culpa, excommunicatus in pœnam.

CAP. II.

Quos effectus producat excommunicatio Minor.

DVO sunt effectus præcipui excommunicationis Minoris, vt ex dictis deduci potest; primus est prohibere sub peccato mortali, sicut diximus, receptionem sacramentorum, c. Si celebrat de Cler. excom. Mini. Vnde absolutio sacramentalis est inualida, quam excommunicatus minori excommunicatione scienter recipit, Sot. dist. 22. q. 1. art. 1. Abb. c. Nulli nu. 1. de sent. excom. in quo non differt ab excommunicatione maiori. Vtrique tamen valent alia sacramenta collata, carent tamen effectu.

Quæret quis, an sit pœna aliqua ab ipso iure imposita contra eum, qui in excommunicatione minori suscipit sacramentum.

Respondeo non haberi, sed hoc crimen iudicis arbitrio puniendum esse, ita dicit Glo. in dicto. c. Si celebrat ver. peccet de Cleri. excomm. Mini. *De hoc autem punitur ad arbitrium sui Prælati, cum certa pœna hic non statuatur arg. c. de causis §. fin. de offic deleg. & c. Tempora 26. q. 7.* Addit Silue. excommunicatio 4. in princ. excommunicatum minori excommunicatione recipiendo sacramentum vltra peccatum mortale non cōsequi vltimum effectum sacramenti, idest carere executione, vbi non imprimitur character, ideo si sic excommunicatus absoluatur à peccatis, tenetur iterum ad confessionem.

Secundus effectus excommunicationis Minoris est priuare excommunicatum electione passiua, vt non possit eligi, & si scienter eligatur, electio sit irritanda, & colligitur hic effectus ex codè c. Si celebrat de Cler. excomm. Mini. ibi *Nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione iurisdictionis sibi competunt exercere, si tamen scienter talis electus fuerit, eius electio est irritanda, pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à sanctis Patribus est priuatus.* Et intelligitur textus de electione ad beneficium ecclesiasticum, ad dignitates, & ad similes gradus, & patet ex illis verbis; *Pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum participatione à sanctis Patribus est priuatus* scilicet ad receptionem ordinum, & aliorum sacramentorum, quæ requiruntur in electione ecclesiastica, non temporali. Quarè si excommunicatus minori eligatur ad officium, ministerium, seu dignitatem temporalem, vel Regnum, propterea electio non erit irritanda.

Requiritur etiam ex dicto c. Vt scienter electus fuerit, licèt non exprimatur, de qua scientia loquatur, an electorum, vel ipsius electi, Glo. in Ver. scienter refert ad ipsum electum, si scienter participauit excommunicatis, & ità explicant Innoc. num. 3. Abb. num. 7. & ratio est, vt inquit Abb. quia ignorantia eligentium non debet prodesse excommunicato, arg. c. Cum dilectus de Consuet. Quod enim electio sit irritanda, est pœna ipsius electi, non eligentium, ergo id accidit ob peccatum ipsius; nihil ergo refert, quod ipsi scienter, vel ignoranter eligant quoad hunc effectum, vt electio sit irritanda, scientia eligentium tātum auget culpam eorum, vt puniri possint, quia indignū elegerint.

Sed oritur dubitatio, si sic explicemus, quia Couar. in c. Alma par. 1. §. 8. num. 3. tenet ad valorem, & effectum huius electionis nihil conducere ignorātiam excommunicationis, neque distinguit de ignorantia electorum, aut electi ob eam rationem, quia electio est nulla ipso iure, licèt facta fuerit ex ignorantia excommunicationis, & citat Glos. in dicto c. Si celebrat Ver. Scienter, Abb. & Card. & Silue. excommunicatio. 1.

tio. 1. §. 3. Vers. Secunda est excommunicatio, Vbi A asserit excommunicatum minori esse inhabilem ad quodcunque beneficium, & dignitatem ecclesiasticã, neque ad illa eligi posse, etiamsi eligentes ignorent excommunicationem.

Confirmatur, quoniam hæc electio non irritatur propter peccatum, quod committit electus immiscendo se electioni, sed propter inhabilitatem personę.

Ex opposito Silu. sibi contrarius V. excommunicatio 4. §. 4. ex sententia Raimundi censet hanc inhabilitatem in excommunicato minori excommunicatione prouenire ex peccato, & esse pœnam peccati, sed non explicat, an intelligat de illo peccato, propter quod in excommunicationem incidit, an vero de noua culpa, quam committit consentiendo electioni. B Probat autem suam sententiam ex tex. qui non loqueretur expresse de electione scienter facta, nisi aliter sentiret de opposita; tùm etiam quia ex opposita opinione plura sequerentur incommoda, vbi accideret casus, quod multo tempore post factam electionem ignoranter detegeretur excommunicatio, nam absolutiones in foro conscientiæ ab huiusmodi excommunicatione non tenerent, nec valerent contractus nomine Ecclesiæ celebrati, & alia similia irritarentur infinita, quod non videtur verisimile.

Opinio tamen contraria Couar. & aliourm est cõmunior, quod hæc priuatio electionis passiuæ sit effectus excommunicationis minoris ex institutione, & C natura talis censuræ ob eam rationem, quia excommunicatio minor ex sua institutione impedit vsum passiuum sacramentorum, & ex consequenti impedit electionem ad illud munus, quod illum vsum præ-requirit. Quod impedimentum manet, quamuis intercedat ignorantia, vel in altera, vel in vtraque parte, & eligentium, & electi, & hæc est ratio, quam affert Summus Pont. in illo tex. ad probandum talem excommunicatum non posse eligi ad beneficia Ecclesiastica, cum ait. *Pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à Sanctis Patribus est priuatus*, nempè ad assumptionem ordinum ecclesiasticorum, quos postulat dignitas illa, ad quam eligitur, quos propter excommunicationem recipere non po- D test, cum sit priuatus omnibus sacramentis. Quamobrem si tueamur hanc opinionem, dictio illa *scienter* erit addita potius ad amplificandum, quàm ad limitandum, quasi dicere voluerit, etiam si scienter electus fuerit, sed expositio videtur satis violenta, & coacta; propterea verba tex. sunt ambigua.

Probabilius est, quod alij affirmant, quod quamuis elector sciat excommunicationem alterius, si tamen ille probabiliter ignoret suam excommunicationem minorem, & laborans tali ignorantia recipiat beneficium, valeat electio; probatur primo, quoniam in dicto c. Si celebrat. expressè inualidatur electio scienter facta excommunicato; secundò quoniam si abso- E lutio à peccatis tradita excommunicato etiam maiori excommnnicatione, habenti tamen probabilem, & inuincibilem ignorantiam, tenet, & est valida, nec est iteranda confessio, vt probabo in cap. 5. disp. 6. secundum magis communem opinionem Doctorum, & tutiorem, quanto magis erit valida electio ad beneficium excommunicati minori excommunicatione.

Occurrit etiam alia dubitatio circa illa verba; *nec eligere prohibetur*, nam in c. Illa quotidiana de elect. Pontifex supplet defectum quorundam, qui concurrerant ad electionem, qui erant minori excommunicatione ligati, argumentum est, quod talis excommunicatus sit priuatus quoque potestate actiua eligendi.

Respondendum est excommunicatum minori excommunicatione non esse priuatum facultate eligendi, siuè sit excommunicatus à iure, siuè ab homine; quia non est suspensus ab officio, sed à receptione sacramentorum, & ad c. Illa quotidiana respondet Glo. Ver. Supplentes summum Pontificem suppleuisse *ex superabundanti, non ex necessitate ex eo quod obiectum fuit de tali excommunicatione*.

Si rursus obijcias ex c. Cum inter R. de elect. & c. Cum dilectus de consuet. in quibus statuitur suspẽsos nec eligere, nec eligi posse, excommunicatus minori excommunicatione est suspensus à receptione sacramentorum, ergo non poterit eligere.

Respond t Glos. in dicto cap. Illa quotidiana Ver. Canonicam, & in c. Si celebrat Ver. Nec eligere prohibetur, suspensum ab homine priuatum esse facultate eligendi, sed excommunicatum minori esse suspensum suspensione iuris, & Canonis, ideò non esse eandem rationem, quia mitius agitur cum lege, quàm cum ministro legis l. Celsus ff. de Arbitr. Hinc versus, supplicium leuius dat ius, quàm iura Ministrans.

Tertio potest obijci, quoniam in c. A nobis de Except. talis excommunicatus dicitur remotus tantùm à perceptione sacramentorum, additur dictio exclusiua, quæ tollit omnia alia, ergo nõ duo, sed vnicus est effectus huius excommunicationis.

Dicendum est dictionem *tantum* excludere omnes alios effectus distinctos, & separatos, à receptione sacramentorum, sed non illos, qui concomitantur, & sunt annexi cum receptione sacramentorum, sicut est electio passiua ad beneficium, idque ostendunt verba tex. Postquam enim dictum est excommunicatum nõ posse eligi, statim subiungitur ratio, *Pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum participatione à sanctis Patribus est priuatus*. Qui enim eligitur ad beneficium, debet recipere ordines, & celebrare; hæc autẽ non conueniunt excommunicato, meritò eligi non debet. Et licèt excommunicatus possit petere absolutionem ab excommunicatione, & hoc modo legitimè exercere munus suum, voluerunt tamen sacri Canones in pœnam excommunicati imponere etiam hãc priuationem; ne eligi posset, vt quisq; magis caueret.

Alia tamen ratio est de illo, qui eligitur in peccato mortali quidquid nonnulli dicunt, quamuis enim in eo statu eligi non debeat, & electores peccent in eligendo, non est tamen irritanda electio, vt probant Nauar. in c. Si quando de rescript. except. 11. & Coua. in c. Alma part. 1. §. 8. num. 4. ex c. Sicut Nostris, vbi Glos. Ver. Incauta De iur. iur. & in dicto c. Si celebrat Ver. Nec eligere. Similiter Glos. in c. definitio 22. q. 4. Felin. in c. 2. De rescript. & in c. Dilectis de except. cum alijs citatis per Couar.

Hos igitur duos effectus parit excommunicatio minor, Nempè talis excommunicatus prohibetur sub peccato mortali suscipere sacramenta, in quo principaliter consistit ratio minoris excommunicationis; deinde sub eadem culpa, ne possit eligi ad beneficium ecclesiasticum, cætera omnia, quæ pertinent ad iurisdictionem actiuam, vt eligere, excommunicare, & c. non sunt prohibita excommunicato minori excommunicatione, vt dicitur in dicto capitulo Si celebrat.

CAPVT III.

Explicantur dubia quædam de effectibus excommunicationis minoris.

EX his, quæ habentur in dicto c.Si celebrat de effectibus minoris excommunicationis oriuntur tres difficultates, quæ indigent declaratione.

Prima dubitatio est probauimus duo tantum denegari excommunicato minori, nempè recipere sacramenta, & eligi ad beneficium Ecclesiasticum, ergò alia omnia erunt concessa, vt dictum est. Quare legitimè, & sine vlla culpa poterit ministrare sacramenta. Hoc tamen videtur aperte aduersari verbis Greg.noni in dicto cap. Si celebrat, cum ait: *Peccat autem conferendo ecclesiastica sacramenta*: Quamobrem opus est explicare hanc controuersiam.

In hac quæstione diuersimodè sentiunt Doctores, Innoc.in eodem c.Si celebrat num. 6. tenet huiusmodi excommunicatum peccare conferendo sacramenta, & citat ad hoc aliquas sacrorum Canonum auctoritates, Adrian.in 4. q. 3. De Clauibus §. Pro huius solutione, Maior dist. 18. q. 2. §. 1. Silue.excom.4. §. 1. Archid. in c. Vir cum propria 32.q.4.

Hæc opinio probatur ex illis verbis tex. *Peccat autem conferendo ecclesiastica sacramenta*. Quod si Summus Pontifex addat: *Cum non videatur à collatione, sed participatione sacramentorum, quæ in sola consistit perceptione, remotus*; Quæ verba è diametro videntur pugnare cum præcedentibus: Tamen Innoc. ità conciliat, vt exponamus, non videtur remotus à collatione sacramentorum, idest quod collata ab eo sacramenta, si recipiantur à subditis, sunt valida, & pariunt effectum, sed à perceptione, quæ eum tangit, & commaculat, quia recepta per eum sacramenta nihil illi prosunt.

Host. in eodem tex. B.Tho.Addi.ad 3.par.q.23.art.1. Ang. Excom. 1.§.1.Sot.dist.22.q.2. art.3.& Nauar. in Manua.cap.27.num.24. & nu.252. vers.8. dico in fi. censent alligatum minori excommunicatione non peccare ministrando sacramenta, si dando non recipiat, quia celebrans Missam, vt alios communicet, & Episcopus celebrans, vt conferat ordines, non peccant, quatenus ministrant sacramenta, illaque alijs communicant, sed quia sumunt, & hanc dicit esse verā intelligentiam Nauar. rationis, qua vtitur Papa in dicto cap.Si celebrat. Hinc sequitur non esse Reum culpę sacerdotem excommunicatum minori, si Eucharistiā conferat alijs ex præconsecratis speciebus, quia non tenetur sumere, nec Episcopum ministrantem sacramentum Confirmationis ob eandem rationem. Idem censet Io. Deligna.in tract. De Censuris §. 13. & Abb. in eodem c.Si celebrat nu. 1. & 3. asserit excommunicationem minorem non inducere suspensionem ordinum, sed tantum priuare participatione sacramentorum: Idcircò peccare Sacerdotem celebrando, quia participat sacramentum.

Verum hæc expositio patitur difficultates, & non videtur commodè aptari posse verbis tex. quia si sic excommunicatus peccat conferendo sacramentum, in casu, quo sacramentum fumit, ergò per accidens contingit, vt peccet conferendo, quia ad actionem conferendi sacramentum, non coniungitur per se, & necessario actio sumendi, sed sunt duæ actiones ex earum natura distinctæ, & separatæ, vt vna non sit essentialiter alteri annexa: Minus ergo rectè Summus Pontifex asseruisset simpliciter sic excommunicatum peccare conferendo, Hoc enim non esset per se verum, sed per accidens ratione sumptionis.

Nihilominus hæc expositio est probabilis, & plures illam admittunt, quia verba tex. difficilia sunr, & videntur inuicem pugnare, nisi ità interpretemur. Et si hoc modo illum explicemus, dicendum est ibi non haberi sermonem de omni Sacerdote, cum Papa inquit, peccare ministrando sacramentum, sed de celebrante, & hoc ideò addidit, vt declararet talia sacramenta, quamuis administrentur cum peccato, si minister ea conferendo sumat, tamen respectu aliorum, quibus conferuntur, esse vera sacramenta, & sortiri suum effectum, si aliundè non ponatur obex, & ad hunc modum hæc expositio defendi posset.

Sed dictum horum Doctorum, quod excommunicatus minori non peccet administrando sacramenta, nisi etiam recipiat, alijs quoque rationibus confirmari potest.

Primo collatio sacramenti licèt sit actus ordinis, tamen propriè pendet ex iurisdictione, competit enim hæc facultas ex officio habenti curam animarum, sed Canones nullam prohibent iurisdictionem huiusmodi excommunicato, sed tantum denegant passiuam receptionem sacramentorum, ideò conferendo non videtur peccare.

Secundo si in tali collatione committitur peccatum, id debet prouenire, vel ex natura excommunicationis, vel ex prohibitione Ecclesiæ, sed neutrum dici potest; non primum, quia excommunicatio minor non est culpa, sed est pœna, neque necessario supponit culpam mortalem, sed aliquando per accidens, & tunc talis culpa potest per contritionem deleri, ergò talis censura per se, & necessariò non affert impedimentum, vt stante hac excommunicatione legitimè sacramentum administrari nequeat; neque secundum dici potest, quia sacri Canones tantum prohibent receptionem sacramenti, non collationem, quarè nulla apparet causa peccati.

Propter has rationes hæc opinio, vt dixi, est probabilis, ego tamen in solutione propositæ quæstionis media via incederem inter has duas extremas sententias, & existimarem neque affirmādum esse committi peccatum mortale, si excommunicatus minori administraret sacramenta, neque è contra negarem hanc actionem exerceri posse sine aliqua culpa, sed dicerem huiusmodi excommunicatum reum esse culpę venialis ex tali administratione sacramentorum, & fundamentum huius dicti illud est, quia videtur contra quendam cultum, & reuerentiam debitam sacramentis, vt excommunicatus, qui nequit recipere sacramentum, det alteri, licet sacrāmentum collatum consequatur effectum suum. Confirmatur ex eodem cap. Si celebrat, vbi apertè asseritur peccare excommunicatum conferendo sacramentum, & cum id non possit intelligi de peccato mortali (vt omnes affirmant) ergò interpretandum est de veniali.

Nec plenè satisfacere videtur quod communiter dicitur, vt vidimus, id esse intelligendum in specie, quando excommunicatus conferendo, sacramentum assumit, quia quando textus loquitur de receptione sacramenti, inquit grauiter peccare: *Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet grauiter peccet, &c.* De Collatione simpliciter ait, Peccare: *Peccat autem conferendo*. Quarè vult significare peccatum esse, sed leuius quàm lethale.

In hac sententia expresse fuit Couar. in cap. Alma par.1.§.8.num.2.vers.Sed etsi minori, & fortasse idem

voluit

voluit Innoc. loco citato; vbi simpliciter fatetur huiusmodi excommunicatum peccare, & non addit lethaliter. Et eodem modo loquitur Silue. §. 3. licèt in §. 1. disertis verbis dicat esse peccatum mortale.

Secunda dubitatio principalis occurrit de secundo effectu excommunicationis Minoris, scilicet de impedimento, ne possit excommunicatus eligi ad beneficium ecclesiasticum; difficultas est, an donec irritetur electio per sententiam, sit valida, vel ab initio sit nulla, verba tex. sunt *si tamen scienter talis electus fuerit, eius electio est irritanda*, ergo non erit irrita ipso iure, quod enim irritandum est per sententiam, non est per se irritum.

Glos. in dicto c. Si celebrat Ver. Scienter. Host. Innoc. num. 3. Abb. n. 3. Couar. in c. Alma Mater 1. par. §. 8. num. 3. Isti putant excommunicatum inhabilem esse ipso iure ad beneficium consequendum, & electionem de excommunicato factam non tenere, nisi prius egerit pœnitentiam, & absolutionem ab excommunicatione receperit; ratio huius dicti est illa, quæ in textu adducitur; quia excommunicatio minor suspendit a receptione sacramentorum, & is, qui ad beneficium eligitur, præcipuè eligitur, vt exerceat se in sacramentis ecclesiæ; quare, si priuatus est sacramentis, eligi non potest, vnde, cum tex. dicit hanc electionem esse irritandam, est intelligendus, inquit, Couar. idest irritam denunciandam.

Hoc idem confirmari potest ex cap. Postulastis de Clerico excom. min. vbi declaratur nulla collatio beneficij ecclesiastici facta excommunicato.

Verùm hic textus nihil probat; quoniam agit de excommunicatione maiori, non minori, immo simpliciter sumpta excommunicatio, si nihil addatur, pro maiori excommunicatione accipitur, vt diximus supra in disp. 2. cap. 2.

Quare Felin. in c. Dilecte, num. 5. De Cleri. excom. Mini. tenet oppositum, excommunicationem minorē non reddere electionem nullam, sed posse per sententiam irritari, & probat, quia textus non dicit electio est irrita, sed irritanda, sicut irritanda est electio de Clerico constituto in peccato mortali, & de irregulari; sed antequam irritetur, tenet, vt ibi sentit Felin.

Hæc Felini sententia mihi magis placet, & eandem tenet Riccardus in 4. dist. 18. art. 7. q. 4. & fundamentum, est quia textus dicit talem electionem esse irritandam, ergo non est irrita, & verba sunt accipienda in propria significatione.

Quamobrem electio excommunicati minori excōmunicatione ad beneficium habita notitia excommunicationis potest, ac debet irritari in foro exteriori; eiusdem opinionis est Angelus V. electio §. 24. & Silue. V. Electio 1. §. 16. Vbi enumerat octo impedimenta, ne quis possit eligi, & concludit electionem factam cum aliquo ex illis impedimentis esse nullam ipso iure, excepto primo, & tertio impedimento, nempè si sit peccator, vel si sit excōmunicatus minori excommunicatione, quia in his casibus irritanda est electio; idem tenet excommunicatio 4. §. 4. in fi.

Sed nunquid sit eadem ratio de collatione beneficij: Riccardus tenet vtramque partem, veriorem tamen existimat affirmatiuam, idem ius esse de collatione beneficij, sicut de electione, vtraque enim valida erit, antequàm per Iudicem declaretur irrita, quia collatio est quodammodo electio, nam cum Episcopus confert Clerico beneficium, eligit illum ex multis ad tale beneficium.

Si opponas c. Postulastis de Cleri. excom. Mini. ibi,

A *Clericis excommunicationis vinculo innodatis ecclesiastica beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea licitè retinere, nisi fortè cum eis fuerit misericorditer dispensatum, cum ea non fuerint canonice consequuti.* Vbi Glo. Ver. *Canonice inquit, indigni erant, & inhabiles ad aliqua beneficia percipienda, qui a tales nec eligere, nec eligi posśūt,* Ergo talis electio est ipso iure nulla.

Respondeo in cap. Postulastis tractari de innodatis maiori excommunicatione, patet ex ratione, quæ adducitur, *Quod cum excommunicatis communicari non debeat*; Tales sunt vinculo maioris excommunicationis obstricti; nam cum excommunicatis minori non est interdicta communicatio, ideo Glo. ait, quia tales nec

B eligere, nec eligi possunt, sed innodati minori excommunicatione non sunt priuati facultate eligendi, igitur de his non loquitur tex.

Sed quæri potest, numquid electores, qui scienter eligunt excommunicatum minori ad beneficium, sint priuati pro prima vice potestate eligendi, quia scienter eligunt indignum, & inhabilem iuxta dispositionem c. Cum in cunctis §. Clerici, & c. Scriptum in fi. de elect.

Respondet Glo in c. Si celebrat Ver. Scienter in fin. esse priuatos huiusmodi potestate eligendi. Idem tenet Riccard. in corpore dictæ quæstionis quartæ in fi.

Ego puto oppositum esse probabilius, quia hæc pœna in iure non legitur imposita, immò in c. Postula-

C stis de Cleri. excom. Mini. de his, qui scienter conferunt beneficia excommunicatis, & sermo est de excōmunicatione maiori dicitur; *tandiu debent à beneficiorum collatione suspendi*, & c. quæ verba ostendunt hanc pœnarum inferendam esse per Iudicem; & alia ratio est, quando eligitur indignus, quia tunc committitur peccatum contra iustitiam, & affertur damnum & præiudicium ecclesiæ, ad quam eligitur; vnde oritur obligatio ad restitutionem, quæ cessant in excommunicato minori, ideo quæ definita sunt in illis cap. Cum in cunctis, & c. Scriptum est. de electione indigni, non sunt trahenda ad electionem excommunicati, quia in pœnis non est facienda extensio, & de his agam inferius in cap. 2. disp.

D Iterum quæri potest, An verum sit vniuersaliter de electione ad quodcunque beneficium id quod dicitur in tex. quod electio excommunicati est irritanda, difficultatem facit ratio, quæ à Summo Pontifice adducitur; nimirum talem electionem irritandam esse ob eam causam, quia non potest recipere sacramenta, ad quorum susceptionem, & vsum ordinatur per electionem ad beneficium, ergo poterit eligi talis excommunicatus legitimè ad illa beneficia, quæ non requirunt ministerium, quod necessariò includat receptionem alicuius sacramenti; nam ordo ecclesiasticus supponitur iam susceptus antè electionem.

Respondeo hanc conclusionem intelligendam esse vniuersaliter de quocunque beneficio; nam textus

E vniuersaliter prohibet, nè excommunicatus eligi possit; ergo eodem modo à nobis intelligi debet sine vlla distinctione, & Doctores vniuersaliter loquuntur absque limitatione aliqua, & licet aliqua beneficia non obligent ad celebrationem Missæ, vel susceptionem sacri ordinis, tamen ex intentione ecclesiæ beneficia ecclesiastica ad hunc finem ordinantur.

Potest etiam dubitari; an innodatus excom municatione minori, sit priuatus fructibus beneficij ecclesiastici, quod obtinuit post excommunicationem.

Respondeo ex communi sententia omnium non esse priuatum fructibus beneficij. Primò quoniam effe-

ctus

ctus excommunicationis sunt instituti ab ipso iure, A sed hoc non exprimitur in Iure, ergo non est à nobis excogitandum. Secundo quoniam talis excommunicatus exercere potest ea, quæ sunt Iurisdictionis, igitur non est priuandus fructibus beneficij. Tertio quoniam potest obire omnia officia diuina, & ecclesiastica, solum est separatus à receptione sacramentorum.

Quæritur etiam, quid dicendum de pensione, an pensio obtenta ab excommunicato minori excommunicatione sit valida. Putant aliqui esse validam, quoniam in cap. Si celebrat priuatur solum, nè eligi possit ad beneficium Ecclesiasticum. Pensio non est beneficium ecclesiasticum, vt ostendam in lib.2.cap.1. disp.5. Eodem modo rescripta obtenta à Papa per excommunicatum minori excommunicatione retinent B suum robur, quoniam in iure non cauetur oppositum, pœnæ autem non sunt extendendæ.

Tertia dubitatio principalis est, An excommunicatio Minor producat hos duos effectus hoc tempore post extrauag. Martini Quinti, Ad euitanda, sicut producebat olim, antequam promulgaretur Constitutio illa, & licet extrauag. Ad euitanda nullum tribuat fauorem, & priuilegium excommunicato, quod antea illi non competeret, idq; à nobis suo loco probabitur, & pluries ità se præbente occasione opportunè repetendum erit, & idcirco indubitatum esse debeat hos effectus habere locum in omni Excommunicato, sicut contigebat iure antiquo, & propterea omnem excommunicatum minori, etiam si non sit nominatim ex- C communicatus, neque denunciatus, sed sit occultus non posse absquè peccato recipere sacramenta, neque eligi ad beneficium; Tamen ratio difficultatis consistit in ordine ad alios fideles, an peccent hoc tempore, si non abstineant à communicatione, cum Innodato excommunicatione minori in participatione sacramentorum, & in electione ad beneficia etiam antequam sit nominatim per sententiam excommunicatus, & denunciatus.

Respondeo, & quantum ad collationem sacramentorum. Dico primo non teneri fideles ex præcepto Ecclesiæ vitare talem excommunicatum, præsertim quando non est nominatim denunciatus, sed ex accidenti possent committere peccatum, quia administrando D sacramenta huiusmodi excõmunicato cooperantur peccato illius, quem sciunt lethaliter peccare sumendo sacramentum, quare si Minister probabiliter credat excommunicatum in tali casu propter occurrentes circumstantias suscipiendo sacramentum non peccare, neq; ipse committet peccatum, quia non facit contra aliquam Ecclesiæ prohibitionem, vel si compellatur administrare sacramẽtum ad vitandum scandalum, vel ob alium finem probabilem.

Dico secundo fideles peccare, si communicent cum Excommunicato Minori nominatim denunciato administrando illa sacramenta, quia omnes prohibentur ex vi Censuræ communicare cum Excommunica- E to in re illi specialiter prohibita, quæ prohibitio ante Concilium Constantiense extendebatur ad omnes excommunicatos, nunc vero remanet respectu excommunicati denunciati, & publici percussoris Clerici, vt suo loco ostendetur, quamuis hodie raro, aut nunquam pronuncietur aliquis per sententiam nominatim excommunicatus minori excommunicatione. Est tamen animaduertẽdum ex administratione sacramenti erga innodatum minori excommunicatione, non incurri excommunicationem minorem, quæ contrahitur tantum per communicationem cum excommunicato, maiori excommunicatione. Ideo dicunt Doctores excommunicationem maiorem non transire de persona in personam, cap. Rogo. Ibi Glo. Ver. Communicanti, cap. Excellentissimus, & Glo. Ver. Qui communicant, cap. Quoniam multos 11.q.3. Gabriel idem affirmat in 4.dist.18.q.3. art.2.concl.9.

Dubitari potest, An obstrictus vinculo minoris excommunicationis suscipiendo ordines maneat suspensus ab eorum executione.

Respondeo non manere suspensum, quia hæc pœna imposita est ab ipso iure, si in excommunicatione maiori suscipiantur ordines. c. Cum illorum. De sent. excom. Nauar. in Manua. cap.27.nu.152. Vers. Quarto dico.

Quantum verò ad secundum effectum excommunicationis minoris scilicet ad electionem ad beneficiũ, similiter videtur dicendum. Primo Electores hoc tempore non teneri ex præcepto Ecclesiæ abstinere ab electione talis excommunicati ad dignitates, & beneficia Ecclesiastica directè ex vi Censuræ, si non sit nominatim excommunicatus, quia communicatio cum tali excommunicato non denunciato, non est prohibita, sed indirectè tales Electores peccatum committent, quia eligendo cooperantur ad peccatum excommunicati; qui delinquit consentiendo electioni, qua priuatus est.

Dicendum est secundo Electores peccare grauiter, si eligant talem excommunicatum nominatim per sententiam ob eandem rationem adductam, quia interdicta est communicatio cum excommunicato nominatim in re prohibita.

Verum siue excommunicatus, qui eligitur ad beneficium, sit nominatim excommunicatus siue non sit pronunciatus talis; In vtroq; casu electio erit irritanda, quia extrauag. Ad euitanda. nullum commodum tribuit excommunicato. Et cum electio ad beneficiũ sit in vtilitatem, & gratiam Electi, sequitur excommunicatum ex parte sui etiam non nominatim ità esse inhabilem hoc tempore, nè possit eligi, sicut erat ante Concilium Constantiense, & multo magis si sit innodatus excõmunicatioone maiori, sicut dicam suo loco.

CAPVT IV.

Quibus modis incurratur excommunicatio minor.

OLim iure antiquo ob quodlibet peccatum notorium incurrebatur excommunicatio minor cum priuatione Ecclesiasticæ sepulturæ. Deinde similiter iure antiquo notata erant quædam genera delictorũ, quibus contrahebatur excommunicatio minor, Siluc. excom.4.§.2. enumerat nouem causas, siuè genera delictorum, quibus imposita erat hæc pœna, B. Antoni. in tract. De excom. cap.79.& Innoc. in cap.1. De Sent. excom. octo. Sed isti modi sunt contraria consuetudine abrogati, neq; modò obligant, vt inquit Caiet. in summa Ver. excom. circa fi. Petrus Sot. in Instit. Sacer. lect.2. De Excom. Couar. in c. Alma par.1. §.8. num.5. Dominicus Sotus in 4. dist.22. quæst. 2. art.3. Nauar. in Manua. cap.27.nu.25. Hoc tempore excommunicatio minor incurritur solum ob communicationem in casibus prohibitis cum excommunicato maiori excommunicatione cap. Cum excõmunicato, cap. Si quis frater 11. q. 3. & cap. Nuper De Sent. Excom. In quibus licet non legatur dictio illa minor, tamen ab omnibus de minori intelliguntur. Quæ dictio apponitur in cap. Statuimus De Sent. Excom. lib. 6. & in cap. Illa quotidiana De elect. in fin. Vocatur simplex

ſimplex excommunicatio illa, quæ incurritur ex participatione cum excommunicato, & eſt excommunicatio minor, vt notat Abb. n. 4. dicta ſimplex, quia vnicum parit effectum, priuationem receptionis ſacramentorum; quæ communicatio ſemper fit cum peccato, aliàs non eſſet cauſa excommunicationis minoris, quæ cum ſit cenſura, & pœna, ſupponit culpam, & frequentius ex tali participatione incurritur culpa venialis, ſi accidat in actionibus humanis, & ciuilibus, vt in colloquio, ſalutatione, menſa, & ſimilibus, Dominicus Sot. diſt. 22. qu. 1. art. 2. Petrus Sot. dicta lect. 2. §. Iam verò, Nauar. in Manua. c. 27. n. 25. Ant. de Butrio c. Sacris de his, quæ vi, metuſuè cau. fiunt contra Cardinalem putantem talem participationem in humanis ſemper eſſe peccatum mortale; interdum verò poteſt eſſe peccatum lethale; ſi ſit cum aliqua peculiari inobedientia, & externo contemptu ad Eccleſiam, & res ſacras, nimirum ſi communicatio contingat in rebus diuinis, quæ communicatio directè, & per ſe prohibetur, licet etiam in hoc genere communicationis, quæ culpa lethalis eſt, regulariter incurratur excommunicatio minor, idque fuit quoque coarctatum in Conc. Conſtantienſi per Extrau. ad euitanda de qua tractabimus inferius, vt minor excommunicatio non incurratur communicando cum quocunque excommunicato, ſed cum excommunicatis duplicis generis, ſcilicet nominatim; & publicè denunciatis; atque publicis Clericorum percuſſoribus; ſed hęc omnia explicabuntur copioſè locis ſuis; hæc eſt cauſa, propter quam incurritur excommunicatio minor lata ab ipſo iure, c. Cum excommunicato 11. q. 3. c. Si qui ſunt diſt. 81. nempè per participationem cum excommunicato maiori excommunicatione.

Neque tamen iure antiquo vetitum eſt, ſicut nec etiam hodie, quin hæc excommunicatio poſſit ferri ab homine per ſententiā, ſed non viget hic mos. At nihil prohibet, quominus Iudex poſſit, ſi velit, hac cenſura aliquem obſtringere; in qua pronuncianda illa omnia ſeruanda eſſent, quæ ad excomm. maiorem ferendam neceſſaria fore oſtendemus, ſi iuridicè pronuncianda ſit excomm. minor, ſcilicet vt ſit cenſura, quæ inducat obligationem in conſcientia, & indigeat abſolutione, vt tollatur. Hæc addo, quoniam poteſt alicui multis modis interdici receptio ſacramentorum, in quo conſiſtit ratio excomm. minoris, & tamen non erit ligatus excomm. minori, niſi impropriè, neque indigebit abſolutione, licèt talis priuatio latiori ſignificatione dici poſſit excommunicatio, quomodo eā vocat Gloſ. in c. penult. Ver. Non tantum minori. de ſent. excom. Vbi inquit excomm. minorem quandoq; infligi pœnitenti, nonnunquàm impœnitenti, Pœnitenti imponi aliquando à ſe ipſo, interdum à ſacerdote c. Facilius de Pœni. diſt. 1. ſed melius eſt, ſi fiat auctoritate Sacerdotis cap. in actione de pœni. diſt. 1. Impœnitenti verò quandoq; à Deo infligi, cū Deus propter mortale peccatum tradit aliquem Sathanę, c. Deniq; 11. q. 3. interdum à ſe ipſo, cum ſe ſpontè ſuſpendit a ſacramentis, quia non vult pœnitere, c. Sunt qui arbitrantur de pœnit. diſt. 1. Sed ſi abſtineret, quia exiſtimaret ſe indignum ex humilitate, non peccaret c. Qui ſcelerate de conſecr. diſt. 2. Nōnunquam imponi a Sacerdote, quia non iudicat illum contritum, & verè pœnitentem 17. q. 4. c. Miror; iſti tamen modi priuationis ſacramētorum non habent rationem excommunicationis veræ.

Quamobrem ad veram excommunicationem Minorem infligendam requiritur iuriſdictio fori contentioſi in ipſo excommunicāte, vt poſſit cogere, & obligare ſubditum, qualis eſt iuriſdictio Epiſcopi, & inferiorum Prælatorum habentium talem iuriſdictionē, c. Ab Eccleſiarum de off. Ordi. B. Anton. in dicto c. 79. Silue. excommunic. 4. §. 2. in fi. Parochus ſicut caret poteſtate infligendi maiorem, ita nequit minorem proferre, eadem enim iuriſdictio requiritur ad minorem, ſicut ad maiorem.

Hæc excommunicatio minor, vt dicunt Silue. & Anton. poteſt ferri per ſententiam pro contumacia c. Præſenti 5. q. 2. & c. Audi 2. q. 2. & pro alijs delictis pręteritis, vel ſimpliciter c. in actione de Pœn. diſt. 1. ſiue ad tempus c. tanta 87. diſt. Et iuxta hanc ſententiam affirmandum eſſet non eſſe neceſſariam monitionem antè excomm. minorem, ſed aliquando infligi poſſe in pœnam peccati præteriti, quamuis delinquens, eſſet delicti pœnitens, & paratus ad obediendum, & ſatisfaciendum; quod tamen videtur contra rationem propriam Cenſuræ excōmunicationis, quæ eſt pœna medicinalis inſtituta ab Eccleſia potius ad comprimendam contumaciam Rei, & ad inducendum illum ad obedientiam, quam ad vindicandam culpam; & idcirco verius eſt neceſſariò præmittendam eſſe monitionē vel legis, vel præcepti ſuperioris, vt appareat contumacia, antequam feratur excommunicatio, quod locum habet etiam in excom. minori, quæ eſt vera ſpecies excommunicationis, & ob eandem rationem excommun. minor debet ferri ſimpliciter, non ad certū tempus; hoc enim proprium eſt excōmunicationis, vt quoties excommunicatus reſipiſcit volens parere, & ſatisfacere ad præſcriptum ſuperioris, & petit abſolutionem, concedatur ei abſolutio; quarè non poteſt imponi hæc cenſura ad præfixum, & limitatum tempus, ſed ſemper afficit, quouſq; recedat a contumacia.

CAPVT V.

A quo impendi debeat abſolutio ab excommunicatione minori, & quomodo.

CENSVRA minoris excommunicationis, vt probatū eſt, poteſt ab homine ferri c. Miror. 17. q. 4. & ab ipſo iure c. Cum excommunicato 11. q. 3. licèt regulariter, vt eſt in vſu hoc tempore, infligatur a iure, ſi tractetur de abſolutione excommunicationis latæ ab homine, ille poteſt abſoluere, qui eam pronunciauit, vel eius ſuperior, vel alius, cui ab ipſis delegata ſit hęc iuriſdictio; eodem modo, quo excommunicatio maior ab homine inflicta, relaxari debet, vt videbimus ſuo loco. Eſt ſentētia communis Doctorum, Hoſt. in ſumma tit. de excommunicatione n. 14. §. Et qualiter, Gabr. in 4. diſt. 18. q. 3. art. 3. dub. 6. Riccard. ead. diſt. art. 9. qu. 3. Quia eiuſdem eſt ſoluere, cuius fuit ligare; hoc certum eſt de excommunicatione minori, quæ fertur per ſententiam particularem contra certā perſonam, nam de illa, quæ apponitur præcepto generali probabile eſt eandem rationem eſſe ſicut de excommunicatione lata a iure, nimirum competere facultatem abſoluendi ab illa his, qui ab excommunicatione iuris abſoluere valent; id autem latius diſcutiemus, cum pertractabimus de abſolutione ab excommunicatione iuris.

Si obijcias ex c. Nuper de ſent. excom. quando ſuperior qui excommunicauit, non reſeruauit ſibi abſolutionem, poteſtas abſoluendi conuenit alijs.

Reſpondeo propoſitionē illam c. Nuper intelligendē eſſe de excommu. lata a iure, quia, vt Doctores ibi notant, mitius agitur cum lege, quam cum homine. ſic enim poſtulat recta gubernandi diſciplina.

Si tractetur de abſolutione ab excōmunicatione iuris, in primis abſque controuerſia eſt omnē Sacerdo-

tē proprium, qui fungitur potestate absoluendi à peccatis mortalibus, posse ab hac excõmunicatione absoluere, nēpè Episcopum, Parochum, vel alium, cui ab Episcopo, vel Parocho fuit delegata hęc iurisdictio. Ità sentiunt omnes Doct. D.Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. quæstiun. 1. & in Addi. q. 24. art. 1. ad 1. & 5. Palud. dist. 18. q. 1. Bonau. dist. 18. q. 6. in fi. Riccar. & Gabr. supra citati, Dom. Sot. dist. 22. q. 2. art. 3. Hostien. vbi supra, Summistæ in Ver. Absolutio, Silue. Absolutio 1. §. 3. V. excom. 7. §. 37. Caiet. in summa V. Absolut. c. 5. & excom. minor. ad fi. & 1. tom. Opusc. tract. 7. De ministro pœnit. q. vnica ad 2. B. Anton. 3. par. tit. 25. c. 2. §. 2. Turrecrem. in c. Qui merito 11. q. 3. Petrus Sot. lect. 4. De excom. Medi. in Summa lib. 1. c. 11. §. 6. Victor. in materia de Clauibus §. 17. & de excom. §. vlt. Abb. etiā in B dicto c. Nuper nu. 6. & Cou. in c. Alma 1. par. §. 12. n. 6.

Probatur ex dicto c. Nuper. Vbi consultus Inno. III. Vtrum qui scienter nominatim excõmunicatis communicauit absolui possit a simplici sacerdote, respondet, *A suo Episcopo, vel à proprio Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere, &c.* Reddit rationem, *Quia tamen Conditor Canonis eius absolutionem sibi specialiter nō retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Et quāuis proprius Sacerdos in rigore dicatur ille, qui est ordinarius, & ex officio habet iurisdictionē, & curā animarum; tamen in ordine ad forum conscientiæ vocatur proprius Sacerdos quicunq; potestatē habet ad absoluendū à peccatis mortalibus, siue ordinariā, siue delegatā iurisdictionē habeat c. oīs vtriusque de pœn. & rem. Hoc igitur est certum, & indubitatum.

Sed de duobus discrepant Doct. Primū est vtrū non tantū sacerdos proprius habens iurisdictionē ordinariā, aut delegatā absoluēdi à peccatis mortalibus possit relaxare minorē exco. impendendo absolutionē ab ea, sed etiā quilibet simplex sacerdos id efficere valeat.

Nonnulli existimant simplicē sacerdotem non posse absoluere ab excom. minori etiā ob peccatum veniale iure indicta, sed Parochū, aut Cõfessarium expositum tantùm. In primis ità sentit Caieta. in sum. in c. de excommun. minori, & in illa q. vnica de ministro Pœnit. Bonau. Palud. Gabr. locis citatis, Riccard. vtranq; opinionem dicit esse probabilem, sed hanc magis approbat, Dom Sot. qui dicit esse quoq; opinionem B. Tho. qui, quamuis citetur ab aliquibus pro contraria opinione, tamen ex fundamento, quo nititur, magis videtur fuisse in hac sententia, inquit, enim in illo artic. 5. Vniuersaliter illū posse absoluere ab excom. minori, qui potest absoluere à peccato participationis, cuius gratia incurritur excomm. minor. Sed hæc participatio interdum est peccatum mortale, à quo solus Parochus, aut Confessarius expositus absoluere pōt, igitur ex sentētia D.Tho. Parocho, vel Confessario approbato tantùm licet absoluere ab excom. minori, tenet Silue. absolutio 1. §. 3 Petrus Sot. in citata lect. 4. Turrecr. in d. c. qui meritò, Cou. in illo n. 6. & est comm. opinio.

Probatur hæc cõclusio, Primò absolutio ab excom. postulat iurisdictionē, sicut & excommunicatio, *Par enim ius est ligandi, & soluendi*, c. Verbum de pœnit. dist. 1. qua iurisdictione caret simplex sacerdos; igitur simplex sacerdos, qui non habet iurisdictionē in excõmunicatum, nō pōt illum absoluere ab excõmunicatione.

Confirmatur ex c. Nuper de sent. excom. Vbi statuitur absolutionem ab excom. minori scilicet ob participationem cū excommunicato maiori excommun. ab Episcopo, aut proprio Sacerdote petendā esse, proprius sacerdos dicitur Parochus, vt in c. omnis vtriusque de Pœnit. & Remis. ibi Abb. n. 12. & alii Doctores.

Si quis obijciat, simplex sacerdos potest à peccatis A venialibus absoluere, vt communis docet opinio, ergo poterit absoluere, ab excommunicatione minori, quæ frequentius incurritur propter peccatū veniale.

Respondendū est simplicem sacerdotem posse quidem absoluere etiam non sibi subditos à peccatis venialibus sacramentaliter in foro pœnitentiæ, quia habet iurisdictionē ad præstandam absolutionem sacramentalem quantum ad peccata venialia, siue illā accipiat iure diuino in ipsa ordinatione, vt multi Doctores existimant, siue habeat iure humano ex delegatione sum. Pontificis, quod videtur probabilius. De qua re disser. in cap. disp. . . Non tamē inde sequitur eandē habere iurisdictionem ad tollēdam excommunic. minorē propter venialia peccata inflictam. Multū enim B differt absolutio à peccatis venialibus ab absolutione excomm. minoris, sicut absolutio à peccatis mortalibus differt ab absolutione excomm. maioris; nam sunt diuersa, & distincta vincula, & nexus, peccatum & excommunicatio, immù alterum habet rationem culpę, alterum pœnæ, peccatum pertinet ad forum interius conscientiæ, excommunicatio ad forum exterius contentiosum. Quarè licèt simplex sacerdos habeat iurisdictionem necessariam ad tollenda peccata venialia, non propterea concluditur habere iurisdictionem ad auferendum vinculum excommunicationis minoris.

Confirmatur, quia absolutio ab excommunicatione potest concedi ab eo, qui non sit sacerdos, dummodo habeat iurisdictionem in foro exteriori; absolutio C autem sacramentalis à peccatis venialibus requirit ordinem sacerdotalem; quare sunt omnino distincta vincula; ideo non rectè infertur ab vno ad alterum.

Aliqui tamen sunt Auctores, qui putant hanc potestatem absoluendi ab excommunicatione minori non esse denegandam simplici sacerdoti, etiam si non sit Parochus, nec Confessarius approbatus.

Est opinio Felin. in c. A nobis de except. Tabien. Absolutio 2. §. 3. Armil. §. 37. Carth. in 4. dist. 18. q. 4. In eandem sententiam à Tabien. & Armil. citatur B. Tho. cum ait in illo art. 5. A minori excomm. quemlibet absoluere posse, qui potest absoluere à fundamento cuius gratia incurritur excomm. minor, quod regulari- D ter est peccatum veniale. Riccard. in art. 9. q. 3. affirmat esse probabilem; Nauarrus eandem expressè tuetur in Manua. c. 27. num. 25. in fi. & 39. c. Placuit n. 25. De Pœnit. dist. 6. & c. 1. §. laboret in fi. ead. dist.

Probatur, Primo ex d. c. Nuper, vbi Sum. Pont. vtitur hac ratione, Conditor Canonis nō reseruauit sibi absolutionem ab excommunicatione, ergo non tantum Episcopus, sed etiam proprius sacerdos poterit ab illa absoluere. Similiter dicimus, Ius Canonicum nullibi reseruauit ab excomm. minori, igitur eo ipso videtur concessisse omni sacerdoti potenti absoluere à peccatis venialibus, per quæ frequentius incurritur excommunicatio minor, facultatem absoluendi ab illa.

Secundo & est argumentum Nauar. illa iurisdictio E quæ sufficiens est ad delenda peccata venialia valet etiam ad tollendum vinculum excomm. minoris, ergo quemadmodum sacerdos qnicunq; delectus à Pœnitente absoluere ab illis potest, ita & ab excommunicatione minori, quam propter illa venialia incurrit.

Ex his duabus opinionibus prima est cõmunior, & probabilior, & magis iuri cõsentanea, scilicet potestatē absoluendi ab excõmunicatione minori ex generali Iuris delegatione non competere omni Sacerdoti, sed Parocho, vel Confessario approbato ad audiendas confessiones. Non loquimus modò de Prælatis, quibus competit hæc iurisdictio ratione officij, vel quibus commissa est ex speciali delegatione.

Cuius

Cuius oppinionis illud eſt præcipuum fundamentum, quia abſolutio ab excõmunicatione minori requirit iuriſdictionem pro foro externo, quæ manat ab ipſo Papa, & commiſſa eſt ſolùm ei, qui habet iuriſdictionem abſoluendi à peccatis mortalibus; quia excommunicatio minor impedit receptionem ſacramentorum. & maximè abſolutionis ſacramentalis; idcirco iuriſdictio neceſſaria ad tollendum huiuſmodi vinculum meritò commiſſa fuit illi, qui habet iuriſdictionem adminiſtrandi ſacramenta, & impendendi abſolutionem ſacramentalem à peccatis mortalibus; talis non eſt ſimplex ſacerdos.

Confirmatur, Abſoluere ab excommunicatione minori eſt actus iudicandi per modum ſententiæ, ſed nemo iudicare poteſt, & ferre ſententiam, niſi iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam habeat in eum, de quo iudicat; ergo ſacerdos ſimplex, qui caret hac iuriſdictione abſoluere nequit ab excomm. minori.

Sed obijciunt aliqui dicentes neceſſariam eſſe quidem iuriſdictionem, ſed illam ineſſe cuilibet ſacerdoti non hæretico, ſchiſmatico, excommunicato, aut quouis modo ſeparato ab eccleſia, quoniam quilibet ſacerdos iuriſdictionem habet abſoluendi quemcunque Chriſtianum, niſi ab Eccleſia auctoritate ſua ſuſpenſa, aut impedita fuerit, ſed nullibi reperitur in ſacris Canonibus hæc iuriſdictio impedita per excommunicationem minorem, aut limitata; vnde Gloſ. in c. Omnis vtriuſque Ver. Omnia inquit, *Non tamen venialia*. Ergo quoad venialia non obligatur pœnitens confiteri proprio ſacerdoti magis quàm alteri, & idem dici poteſt de excommunicatione minori, quæ regulariter contrahitur ex veniali culpa.

Reſpondeo Sacerdotem accipere quidem poteſtatem abſoluendi Iure diuino in ipſa ordinatione; tamen hæc poteſtas duo includit ordinẽ, & iuriſdictionem poteſtatem ordinis non ſolum quoad actum primum, ſed etiam quoad actum ſecundum immediatè aſſumit, vt poſſit illum validè exercere non requiſita alia facultate, & licentia.

Poteſtatem vero iuriſdictionis aſſumit immediatè quoad actum primum, nõ poteſt tamen illam ad actũ ſecundum deducere non ſuſcepta facultate à Papa immediatè, vel ab Epiſcopo ex defectu materiæ, quia nullus Sacerdos habet iuriſdictionem ſuper aliquem Chriſtianũ in foro interiori, aut exteriori niſi collata ei fuerit à Papa, vel à proprio epiſcopo, & ex conſequenti qui caret hac iuriſdictione non poterit abſoluere à peccatis venialibus, nec ab excõmunicatione minori. Quod confirmat tex. in dicto c. Nuper, cũ inquit de excommunicato *A ſuo epiſcopo, vel à proprio ſacerdote poterit abſolutionis beneficium obtinere*. Si igitur expreſsè conceditur hæc iuriſdictio proprio ſacerdoti, ergo non eſt extendenda ad omnes.

Non obſtant, quæ pro contraria ſententia propoſita ſunt. Et primo ad rationẽ illius c. Nuper. dicendum eſt, quod quamuis Summus Pont. abſolutionẽ ab excõmunicatione minori ſibi non reſeruauerit, nõ propterea illã voluit omnibus ſacerdotibus concedere, ſed quibuſdam, immò, vt notat Silue. in illo §. 3. Abſolutio 1. cũ tradiderit hanc poteſtatem proprio ſacerdoti voluit eam denegare alijs ſacerdotibus, qui non ſunt proprij.

Ad rationẽ Nauar. iam patet ex dictis; nõ enim ſequitur, vt qui põt abſoluere à peccatis venialibus, poſſit etiã abſoluere ab excomm. minori; tũ quia excom. minor non ſemper incurritur propter peccatũ veniale, ſed nonnunquam ob culpã mortalẽ; tum quia valdè diuerſa ſunt, & diſparata peccatũ veniale, & excõ-

A municatio minor; illud enim requirit iuriſdictionẽ in foro interiori; hęc in foro externo. Peccatũ veniale remittitur etiã per aquã benedictam, & alia ſacramentalia, non ſic aũt excomm. minor. Quare non eſt recta illatio à peccato veniali ad excomm. minorem, ſicut neque inferri põt à peccato mortali ad excomm. Maiorẽ. Hæc ſunt ſatis de abſolutione ab excom. minori.

Secundũ dubiũ eſt de Clerico habente beneficium curatum cum ordinaria iuriſdictione, qui nondũ promotus eſt ad ſacerdotiũ, an hic Rector animarum, ſed ſimplex clericus non ſacerdos habeat poteſtatẽ abſoluendi ab excomm. minori. Ratio dubitandi eſſe põt, quia Parochi nõ habẽt hanc iuriſdictionẽ ex proprio, & peculiari officio, ſed ex delegatione iuris cõmuni-

B catur illis hæc facultas ad eũ finẽ, vt poſſint ſubditos à peccatis abſoluere, quorũ abſolutio ſupponit, vt antea relaxetur excõmunicatio, quæ impedit receptionẽ ſacramẽtorum, ſed clericus non ſacerdos à peccatis abſoluere nequit, ergo caret iuriſdictione abſoluẽdi ab excom. minori, quia eſſet ſuperuacanea. Diuerſa ratio eſt de Epiſcopo, qui poſtquam denunciatus eſt, quãuis nõ ſit conſecratus, nec ordinatus ſacerdos, accipit rõne officij iuriſdictionẽ ordinariã neceſſariam ad regendũ Populum ſibi ſubiectum in foro exteriori, & idcirco põt per ſe ipſum abſoluere ab excom. minori; nã hæc abſolutio non eſt actus proprius ordinis ſacerdotalis; ſed iuriſdictionis externæ fori exterioris, ad cuius vſum ſufficit prima tonſura, vt in diſputatio-

C ne de abſolutione ab excomm. maiori oſtendã, propterea in c. Nuper dicitur, quod hæc excõmunicatio tolli debet ab Epiſcpo, vel à proprio ſacerdote, ergo ſi Parochus non eſt ſacerdos, non poteſt abſoluere.

Reſpondendũ eſt ad hanc dubitationem non obſtãte ratione in oppoſitã partem adducta, affirmandum eſſe competere Parocho ex proprio munere ſui officij, etiam antequam ſit Presbyter, facultatem abſoluendi ab excommunicatione minori.

Probatur, abſolutio ab excõmunicatione (vt dicebã) eſt actus proprius iuriſdictionis, quę ſufficit ad abſoluendũ à peccatis mortalibus, & non requirit ordinẽ ſacerdotalem, ergo Parochus, qui habet huiuſmo-

D di iuriſdictionẽ, licèt non habeat characterẽ ſacerdotalẽ, poterit abſoluere ab excomm. minori; Parochus enim nõ ſacerdos ex vi ſui officij habet iuriſdictionem ordinariã in foro interiori, quam põt alteri delegare in ordine ad abſolutionem à peccatis mortalibus, quãuis non poſſit per ſe ipſum abſoluere, & hæc iuriſdictio ſufficit ſine charactere ſacerdotali ad abſoluendum ab excomm. minori; quare nihil obſtat, quominus talis Parochus poſſit abſoluere. Accedit, q̃ Parochus non tantũ in confeſſione ſacramentali, ſed etiam extra confeſſionẽ põt abſoluere ab excomm. minori, quãuis ſacramentaliter non abſoluat à peccatis, quia ius abſolutè concedit hanc poteſtatem Parocho, ideò non eſt neceſſarius ordo presbyteralis.

E Ad c. Nuper reſponderi põt hanc poteſtatẽ abſoluẽdi tribui ſacerdoti, quia regulariter ſemper Parochus eſt ſacerdos, ſed non ob eam cauſam, vt velit ſtatuere ad hunc actum abſoluendi neceſſarium eſſe characterem ſacerdotalem, ſicut etiam vocat Epiſcopum qui propriè dicitur, ſi nihil addatur Epiſcopus conſecratus, & tamen Epiſcopus non cõſecratus poteſt abſoluere. Quamobrem etſi hæc poteſtas communicata ſit Parochis, præcipuè in ordine ad abſolutionẽ à peccatis, non tamen requirit neceſſariã connexionem cũ illa, vt non poſſit ſeparatim impendi abſolutio ab excommunicatione Minori, Silue. V. Abſolutio 3. §. 5. & & idcirco non eſt neceſſarius ordo ſacerdotalis.

Quo verò ad modum, & formam seruandam in tradenda absolutione ab excommunicatione minori, vel loquimur de forma necessaria ad validitatem, vt absolutio teneat, vel de forma adhibenda ex præscripto ecclesiæ, vt iustè, & legitimè impendatur absolutio.

Ad validitatem absolutionis non est necessaria aliqua præscripta forma verborum, neque requiruntur aliquæ conditiones, sed sufficit, vt vel verbis, aut nutibus, & signis, vel quouis modo constet de voluntate superioris intendentis absoluere excommunicatum, à vinculo excommunicationis, quo tenetur alligatus, & restituere ad communionem, & participationem sacramentorum, quibus est priuatus; id patet, quoniam hoc satis est, vt absolutio impensa ab excommunicatione maiori teneat, vt dicemus, ergo multò magis debet sufficere ad absolutionem, quæ datur ab ex- A communicatione minori.

Nequè requiruntur aliquæ conditiones, vel solemnitates adhibendæ ex præcepto ecclesiæ, vt iustè, & sine peccato concedatur absolutio, sicut præscriptæ sũt in absolutione à maiori excõmunicatione; idcirco excommunicatus minori absolui potest, etiam non præstita iuratoria cautione de parendo mandatis Superioris, neq; de satisfaciendo parti, vt habetur in dicto c. Nuper, & notat Silue. in eod. §. 5. Neque sunt necessariæ aliæ solemnitates; vt recitatio psalmorum, orationis, neq; vt verberetur absoluendus, & similes, quæ solent adhiberi, quoties innodatus maiori excommunicatione reconciliatur ecclesiæ; sed quamuis hæc omnia omittãtur, dummodò constet de voluntate absol- B uentis, erit legitimè, & canonicè impensa absolutio.

DE EXCOMMVNIC. MAIORI.



EXPEDITA breuiter Disputatione de Excommunicatione Minori, modo inchoanda est pertractatio de Excommunicatione maiori, quæ præcipua est, & potior species excommunicationis, cui simpliciter conuenit nomen excõmunicationis; nam excommunicatio continet duas species, Maiorem, & Minorem; sed maior est integra, & perfecta excommunicatio; quare excõmunicationi maiori optimè accommodatur definitio excommunicationis in genere, quam assignaui in cap. 3. Disp. 2. Nempè *est ecclesiastica censura, qua Baptizatus priuatur bonis communibus, quę ex ecclesię intentione fidelibus communicantur*. Cui definitioni, vt sit propria excommunicationis Maioris, & conuertatur cum illa, & non includat minorem; addenda est dictio vniuersalis, scilicet *qua priuatur Baptizatus omnibus bonis communibus*. Idque colligitur ex Euangelico præcepto Matth. cap. 18. dum Christus, inquit, de eo, qui non audit ecclesiam, *sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*, Ethnici verò nomine significatur infidelis, siue non baptizatus, sic enim Christus Dominus alibi ethnicos distinguit à fidelibus; vult igitur Christus docere auferẽdum esse ab excõmunicato id, quod confertur per baptismum, per quẽ duplex ius competit excommunicato. Primũ communionis exterioris, quo iure conuenimus simul in Ecclesiã ad orandum, & celebrandum diuina mysteria, & hanc cõmunionem externam sequitur communio, atque participatio spiritualis earundem orationum, & bonorum operum ecclesiæ, sumus enim (vt Paulus inquit) *vnum corpus, & vnus spiritus, sicut & vocati in vna spe vocationis*, quod certè significat duplicẽ istam societatem exteriorem, & interiorem, & hoc est primum ius, quod ex Baptismo directè habemus, cuius etiã virtute confirmatur, perficitur, & ad vlteriorẽ finem ordinatur; alia communicatio naturalis, siue politica, ad quã natura ipsa etiam ante baptismũ homines coniungit, vt cõmunicent in his, quæ ad vitam hanc naturalem necessaria sunt; in legibus scilicet, statutis, contractibus, cõmercijs, & mutuis salutationibus, & reliquis effectibus humanę amicitię, quę licèt priora sint Baptismo, per hũc tamen, ad ea sibi inuicẽ præstanda, homines magis excitãtur, & cõfirmantur; quare de his omnibus ecclesia rectè statuit concedendo, vel prohibẽdo, quod saluti animarũ, & Religionis cõseruationi, & augumẽto cõducere posse iudicat, ità Apost. 1. ad Cor. c. 5. præcipiente, *Si is, qui frater nominatur inter vos est fornicator, aut auarus, &c. cũ huiusmodi nè cibum sumere*, Et iterum 2. ad Thes. c. 4. *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & nè cõmisceamini cũ illo, vt confundatur* Et Io. 2. Can. ep. c. 1. scri- C bit. *Si quis venit ad vos, & non affert hãc doctrinam; nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis*. Itaq; Apost. naturalẽ etiã communionem interdicunt excõmunicatis, quia hæc cõmunio includitur in illa, quam Christianus ex baptismo (vt diximus) consequitur. Secundum verò ius, quod ex baptismo cõuenit Christiano, est, quòd sit particeps sacramentorũ Christi, Eucharistiæ, & reliquorũ, quæ in Ecclesia administrantur; quæ participatio sacramentorũ priorẽ communicationẽ includit, & aliquid superaddit illi. Nec enim particeps potest esse sacramẽtorum, quæ in ecclesia administrãtur fidelibus, qui expers est exterioris illius cõmunicationis, & interioris etiã participationis orationũ, & D aliorũ bonorũ ecclesiæ. Itaq; omnis, qui priuatur cõmunione fideliũ, priuatus est participatione sacramẽtorũ, non è conuerso. Quamobrẽ, quando ecclesia aliquẽ excõmunicat, ab eo tollit omne ius, quod per baptismũ ex Dei misericordia est adeptus, nẽpè priuat illum communione externa, & politica fidelium, participatione interiori orationum, & suffragiorum, & vsu sacramentorum.

Tria igitur in specie sunt damna intrinseca, quæ infert excõmunicatio maior, & solẽt cõmuniter appellari effectus, sed propriè non sunt effectus, sed pertinent ad eius essentiã, cũ in illis consistat excõmunicationis substantia, & ex ijsdẽ natura eius intelligatur; primũ damnũ est priuare excõmunicatũ communibus eccle- E siæ suffragijs, vt nõ liceat pro eo missas celebrare, nec publicas orationes ad Deũ fundere. Secundũ est arcere illũ ab actiua administratione sacramentorum, & passiua receptione eorum. Tertium est tollere ab illo quædam externa bona, quæ vel spectant ad cultum & ceremonias ecclesiasticas, vt assistere diuinis officijs, horis canonicis, sacrificio Missæ, & alijs huius generis sacris functionibus, quæ directè, & primò excommunicato interdicũtur, vel spectãt ad actiones ciuiles & commercia moralia, quæ sunt communia Christianis cum Gentilibus; vt salutatio, colloquium, communis conuictus, nè mittantur epistolæ, aut munera. Et hæc omnia, siue sacra, siue communia, & ciuilia, quæ

ad

ad hunc tertium effectum excommunicationis reducuntur, significari solent vers. illo vulgatissimo,

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

Præter hæc tria damna, quæ communiter vocantur effectus excommunicationis, & nos etiam, nè discedamus ab hoc communi modo loquendi, ità vocabimus, quamuis constituant essentiam excommunicationis, sunt alij plures effectus, qui sequuntur ab excommunicatione Maiori, sed antea tractandum est de illis tribus. Deindè de alijs effectibus.

DISPVTATIO QVINTA

De primo effectu excommunicationis maioris, scilicet de priuatione suffragiorum Ecclesiæ.

Caput Primum. Vtrum excōmunicatio maior priuet Christianum communibus Ecclesiæ suffragijs.

Caput Secundum. An sicut interdictum est pro excommunicatis ad Deum preces porrigere, ità quoque vetitum sit orare pro infidelibus, & hæreticis.

Caput Tertium. Qua ratione Ecclesia in die Parasceues orat pro excommunicatis.

Caput Quartum. An Sacerdos, vt Minister Ecclesiæ possit sacrificium Missæ, aut orationem publicam, vel aliud commune suffragiū offerre pro excommunicato, vel hæretico non expresso nomine hæretici, aut excōmunicati.

Caput Quintum. An prohibitio ecclesiæ, nè publicè oretur pro excommunicato, sit intelligenda generaliter de quocunque excommunicato, etiam non denunciato.

Caput Sextum. An liceat Ministro Ecclesiæ orare pro excommunicato qui signa contritionis edidit.

Caput Septimum. An Minister Ecclesiæ, quando orat nomine Ecclesiæ publica oratione, possit immiscere priuatam orationem pro excommunicato.

Caput Octauum. Vtrum excommunicatus adeo sit priuatus suffragijs Ecclesiæ, vt sit incapax ad percipiendum fructum ex eis prouenientem.

Caput Nonum. An preceptum Ecclesiæ, ne sacrificium, & communia suffragia ab Ecclesiastico ministro pro excommunicato offerantur, extendatur etiam ad priuatas orationes, & alia pia opera, quæ fidelibus nomine proprio inuicem applicari possunt.

Caput Decimum. An excommunicatus ita sit extra Ecclesiam, vt nullo modo Ecclesiæ mēbrum vocari possit.

CAPVT I.

Vtrum excommunicatio maior priuet Christianum communibus Ecclesiæ suffragijs.

SACRI Canones dicunt per excommunicationem maiorem priuatum esse excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragijs, & nihil aliud significare volunt, quàm prohibere ministro ecclesiastico, nè valeat Missæ sacrificium pro excommunicato offerre, aut preces ad Deum fundere. Similiter excommunicatum non esse participem fructus, & valoris horum suffragiorum, quæ in Ecclesia fiunt; quod, vt intelligamus, animaduertere oportet.

Bona opera fidelium, ex quibus tanquam ex membris constituitur hoc misticum corpus ecclesię inuicem posse applicari, quatenus vnus per propriā actionem, vel passionem iuuat alterum, cum sint membra eiusdem corporis; quę communicatio suffragium cōmuniter appellari solet, à Theologis. Est enim suffra-

A gium, vt Doctores dicunt in 4. dist. 45. Auxiliū quoddam, quod vnus fidelis præbet alteri ad obtinendum à Deo remissionem pęnę temporalis, vel ad impetrationem, vel ad meritum congrui. Tribus autem modis potest suffragium vnius prodesse alteri. Primò per sacrificium Missæ ex opere operato. Secundo per indulgentias, quæ etiam sunt ex opere operato. Tertiò ex opere operantis. Et hæ suffragia fiunt auctoritate publica totius Ecclesiæ sine priuata intentione, & applicatione; quarè ex opere operato suffragium vnius alteri prodesse non potest, nisi per sacrificium Missæ, & Indulgentias, nam per sacramentum consequitur quidem homo ex institutione Christi ex opere operato scilicet immediatè remissionem pęnæ, sed ille B tantum, qui suscipit sacramentum, & non alius. Et ex Christi institutione non habemus alia instrumenta ex opere operato ad producendum hunc effectum; nam quamuis probabile sit Ecclesiam posse instituere aliqua sacramentalia, tribuendo illis vim ad hunc effectum, tamen eadem ratio erit de illis sicut de sacramentis; quare tantum hanc vim habebunt in ipso suscipiente, non in alijs, vt de aqua benedicta, quæ tantum prodesse poterit ei, qui illa vtetur; remanent igitur duo tantum genera suffragiorum, quæ ex opere operato ab vno alteri applicari possunt, scilicet sacrificium Missæ; & Indulgentia. Quarè Missa secundum S. Tho. in 4 dist. 45. q. 2. art. 1. ad 3. & Gabr. C lect. 57. in Ca 1. Missæ, & communem, non tantum quatenus sacramentum, sed etiam vt sacrificium habet valorem ex opere operato ad remissionem pęnæ vltra valorem, quem affert ex deuotione, & merito tam ipsius offerentis, quàm eius, pro quo offertur; nō tamen competit Missæ quatenus sacrificium vis ex opere operato ad remissionem culpæ, & iustificationem, sicut habet sacramentum; quia sacrificium non operatur sufficienter, & immediatè, neque est propriè instrumentum Dei ad iustificandum hominem, quod docet Conc. Trid. sess. 22. c. 2. Vbi dicit per hoc sacrificium peccata etiam ingentia dimitti, *Quia Deus hoc sacrificio placatus gratiam, et donum pœnitentiæ concedit:* Non igitur sacrificium immediatè iustificat, vt Baptismus, & Pœnitentia, & cætera sacramenta, quæ D conferunt gratiam, & remittunt peccata absque alia dispositione ex parte suscipientis, dummodò non ponatur obex, sed tantùm potest sacrificium donum pœnitentiæ impetrare, quo peccator excitetur ad se disponendum, vt ad sacramentum accedere velit, & per illud iustificetur. Quod ante docuerat B. Tho. in 4. dist. 12. q. 2. art. 2. q. 2. ad 4. Vbi ait sacrificium iustificare eos, pro quibus offertur, non vt causam proximam; sed donum contritionis impetrando. Igitur de sacrificio Missæ non est dubium, quod præter efficientiam ad impetrandam habeat valorem, & effectum ex opere operato propter Christi institutionem ad satisfaciendum. Verū de oratione, precibus, & horis E canonicis ab Ecclesia institutis; an habeant eundem valorem similiter ex opere operato ad remissionem pęnæ; aliqui concedunt, vt Gabr. in Can. Missæ lect. 57. col. 2. Gerson in 3. par. Alphab. 76 & Io. Med. in tract. de orat. c. de valore orationis pro se ipso fusæ, vers. sed quæres, Nauar. tract. de orat. c. 19. n. 59. & c. 20. nu. 39. quod tamen intelligendum est in eo sensu, quo Gabr. lect. 26. valorē operis operati considerauit scilicet non ex Christi institutione, sed ex mandato totius Ecclesiæ, cuius nomine oratio fit, existimant enim hi auctores orationes canonicas, quæ ex institutione ecclesiæ dicuntur, duplicem valorem habere,

alterum ex orantis deuotione, & meritis, vt docet S. Thom. 2. 2. quæst. 82. art. 6. Alterum ex institutione Ecclesiæ, quia dicuntur, & offeruntur à Clericis nomine Ecclesiæ Catholicæ, vt eius ministris vltra valorem ratione ipsius Recitantis, & hunc valorem appellant ex opere operato, quoniam talis fructus nascitur ex ipsa oratione, quamuis minister sit in peccato mortali; quamobrem sicut Missa, qua ea parte est sacrificium, maioris valoris est, si fiat à bono ministro, quàm à malo, auget enim valorem ipsius ministri charitas, & deuotio, vt probat S. Tho. loco citato 3. par. q. 79. art. 7. Sic quoquè dicendum est de orationibus, & alijs suffragijs institutis ab ecclesia, vnde infertur priuata suffragia, & orationes, quæ priuato nomine, non sanè totius Ecclesiæ Catholicæ fiunt, valorem solum habere ab ipso ministrante, & ab eo, cuius commissione ministrantur. Quarè si orans sit extra charitatem, dimidia valoris pars deficit. Similiter si ipse sit in gratia, ille verò, cuius nomine minister sũ exercetur, culpa mortali sit impeditus, dimidia etiã valoris pars deficit, vt colligitur ex B. Thom. 4. sent. dist 45. q. 2. art. 1. ad 3. quæst.

Hæc igitur suffragia seu subsidia spiritualia, nempè sacrificium Missæ, orationes, & alia pia opera, quæ fideles tanquam membra eiusdem corporis sibi inuicem præbent, & sunt aliquando publica, idest fiunt à ministro publico ex institutione ecclesiæ, & eiusdem Ecclesiæ auctoritate, & in eius persona, vel ex publico thesauro Ecclesiæ desumuntur. Nonnunquam priuatum, quando vnus sponte, & ex propria voluntate opera sua bona alteri communicat; publica, suffragia non communicantur excommunicatis, quare excommunicati sunt destituti fructu, & valore omnium bonorum operum communium, quæ fiunt à ministris Ecclesiæ, quatenus talis fructus pendet ex institutione, & applicatione Ecclesię; valor enim suffragiorum dupliciter considerari potest, quoad eorum participationem; vno modo virtute charitatis, qua omnes fideles connectuntur, & sunt vnum corpus in Christo IESV, cuius est propria illa sanctorum communio, de qua in symbolo mentio fit. c. loquitur 24. q. 1. Quæ charitas facit omnia bona communia; alio modo considerantur suffragia, quoad valorem, & communionem ex animo, intentione, & applicatione ecclesiæ; modò certum est excommunicationem non priuare excommunicatum illa suffragiorum communione, quæ à charitate procedit, cum illa priuatus fuerit per mortale peccatum, cuius causa fuit excommunicatus, vt declarat S. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 1. & Gabr. in Can. Missæ lect. 26. col. 7. Sed tantum tollere illum fructum, qui respondet huiusmodi suffragijs vel ex opere operato, vt in sacrificio Missæ, vel ex opere operantis, vt in orationibus, & precibus publicis, quatenus fiunt nomine Ecclesię. Ratio est, nam sicut certum est, vt omnes Catholici docent, & publicas orationes, & sacrificium offerri posse, immò etiam re ipsa quotidiè offerri pro ijs omnibus, qui sunt intra ecclesiam, siue iusti, siue peccatores sint; dicimus enim in Canone pro omnibus Orthodoxis, & Catholicæ, atque Apostolicæ fidei cultoribus nos offerre, ità quoque constat Ecclesiam prohibere. c. A nobis 2. de sent. excom. publicè orare pro excommunicatis, vel sacrificium pro eis directè offerre. Et idcircò non est idem dicere, quod visum est hæreticis quibusdam, quempiam alienum esse à gratia Dei, & excommunicatum esse; qui enim est in crimine aliquo mortifero, est alienus ab amicitia Dei, sed

A non est excommunicatus; vnde quæcunque fiunt à iustis, illum protegunt, suffragia ecclesiæ illum iuuant, & defendunt, in primis ne Diabolus acerrimus hostis ecclesiæ per omnia, quantum vellet, in eum debacchetur, circuit enim tanquam Leo rugiens, si quem inueniat extra caulas ecclesiæ; deinde valent ad impetrandam à Deo illustrationem cordis, vt citius, ac facilius à peccatis abstineat; denique ad bona temporalia, & ad alia multa, quamuis non sint satisfactoria, quamdiu gratia, & charitate est priuatus. His autem vtilitatibus excommunicatus maiori excommunicatione omninò caret, & id accidit ex prohibitione ecclesiæ, nam certum est, si nulla extaret ecclesiæ prohibitio, fore licitum offerre sacrificium,
B & orare pro excommunicatis; nam sacrificium Crucis pro omnibus fuit oblatum, cur igitur non possent hæc suffragia pro omnibus offerri? Concludamus excommunicatum excommunicatione maiori priuatum esse suffragijs ex institutione Ecclesiæ, idest manere destitutum fructu, & valore prouenientc ex suffragijs, & orationibus publicis Ecclesię (de quibus modo loquimur) nam de priuatis postea tractabimus, quem habent, & cuius participes sunt omnes fideles vniti in hoc corpore mystico per charitatem, vel saltem per fidem; idcirco non debere ecclesiæ ministrum, vt talem orare pro excommunicato illis orationibus, quas pro membris ecclesiæ ad Deum fundit.

C In hac conclusione conueniunt omnes Doctores, Catholici, Theologi, & Canonistę, B. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 1. & in eadem distinctione alij omnes, Gabr. super Can. Missæ lect. 26. Nauar. in Manu. c. 27. nu. 17. Abb. c. A nobis 2. n. 6. de sent. excom. Couar. in cap Alma par. 1. in initio nu. 3. & §. 4. 5. & 6. Silue. excommunicatio 1. §. 2. & alij omnes Summistæ.

Quod excommunicatus fructu suffragiorum careat probatur primo auctoritate D. Gregorij lib. 2. Dialog. cap. 23. qui refert miraculum, quod accidit de quibusdam Monialibus defunctis, quæ decesserant excommunicationis vinculo innodatæ, & dum sacrificium Missæ in eadem Ecclesia, in qua sepultæ erant, agebatur, Diacono clamante iuxta morem, vt
D non communicantes exirent, illæ moniales ab Ecclesia egredi visę sunt.

Secundò probatur ex decreto Summorum Pontificum Innocentius Tertius in c. A nobis 2. de sent. excom. cum ab eo quæsitum esset: an pro excommunicato, qui pœnitentiæ signa dedisset, nec per eum stetisset, quo minus Ecclesiasticæ vnitati reconciliaretur antè absolutionem obtentam, orandum esset, & pro tali recipi posset eleemosyna; respódit quod *quãuis signa pœnitẽtiæ præcesserint, si absolutionis beneficium obtinere non potuit (licèt credatur absolutus apud Deum) nondum tamen habendus est apud ecclesiam absolutus.* Et Glo. ibi Ver. A fidelibus, dicit, *Pro tali non esse oran-*
E *dum.* In c. sacris eod. tit. De illo, qui denunciatur excommunicatus propter participationem cum excommunicato, quem postea impugnauit, statuitur ad hunc modum, *Non tamen priusquam absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus, nec oblationes recipiendę pro eo, vel orationes Domino porrigendę, &c.* Idem habetur in c. 2. & 3. 24. q. 2, & alibi.

Tertiò confirmatur ratione, Ecclesia potest, & vult excludere excommunicatum à participatione suffragiorum, ergo sequitur re vera hic effectus, quod ecclesia possit: patet, quoniam (vt diximus) Ecclesia habet ius in hæc bona, vel enim est illorum domina,

vel

A vel dispensatrix nomine Christi per Vicarium suum, ideo potest iustissimè contumaces tanquam indignos à participatione, & fructu horum suffragiorum repellere. Est quidem dispensatrix bonorum, quæ per indulgentias applicantur, & hæc potestas dispensandi primo residet in Summo Pontifice qui ex causa legitima meritò excludit excommunicatum ab huiusmodi bonorum participatione, est tamen domina aliorum suffragiorum, quæ in communibus orationibus, & bonis operibus consistunt, quatenus liberum est ei per membra sua illa operari; quantum etiam ad fructum horum operum dominium est penes totam Ecclesiam, & Prælati sunt dispensatores, vt valeant ad participationem huius fructus ex iusta causa B aliquos admittere, alios excludere, ergo Ecclesia potest repellere excommunicatos ab hac participatione bonorum communium: quod autem velit ipsa expellere illos, patet ex iuribus citatis, igitur vere sunt exclusi.

Et ex his sequitur non licere Ministro ecclesiæ publicè pro excommunicato orare, & hæc suffragia cōmunia illi applicare; quia si Ecclesia decreuit, vt excommunicatus non sit particeps horum bonorum, & vult illum carere fructu, quem ex eius institutione consequūtur omnes fideles vniti inuicem in hoc corpore mistico, consequenter dicendum est velle, vt eius Ministri non orent pro excommunicato; nec opera bona, quæ geruntur ab illis nomine ecclesiæ, & eius C auctoritate administrantur, in vtilitatem excommunicati dirigantur, neque pro ipso, Deo offerantur. Ita docent omnes Doctores, S. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 1. ad primum. Gabr. in Cano. Missæ lect. 26. Nauar. de orat. cap. 19. num. 67. Couar. in c. Alma par. 1. §. 6. nu. 4. & alij paulò ante citati.

Postulabit quis, quod, & quale peccatum sit, si Sacerdos offerat Missam, aut publicam orationem, vel aliud suffragium commune, vt Minister ecclesiæ pro excommunicato non nominando in specie, sed applicando fructum eadem intentione, qua solet applicare cæteris peccatoribus non excommunicatis.

Ledesmus in 4. sent par. 2. q. 23. ait solum esse peccatum veniale, sed certè oppositum videtur verius D supposita opinione, quam firmaui, quoniam facit cōtra prohibitionem Ecclesiæ iustam in re graui, ergo est peccatum mortale, & grauius esset peccatum, si nominaret excommunicatum in oratione propter scandalum, quod ingereret mentibus fidelium.

CAPVT II.

An sicut interdictum est pro excommunicatis ad Deum preces porrigere; ita quoque vetitum sit orare pro infidelibus, & hæreticis.

VT clariora reddantur, quæ diximus præcedenti capite, discutiendum est, An sicut ecclesia prohibet, ne publica oratio habeatur pro excommuni- E catis, ita quoque id ipsum prohibeat pro infidelibus, idest pro Gentilibus, & Iudæis, ac alijs, qui non receperunt Baptismum, ac etiam pro Hæreticis.

Et duo in hac dubitatione controuerti possunt. Primum est de re ipsa; an porrigere preces publicas pro talibus infidelibus sit opus Ecclesiastica constitutione vetitum, vt sine culpa fieri nequeat. Secundum est de modo orandi; an pro fidelibus, & infidelibus coniunctim eadem oratione Deum precari sit contra consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ.

A Quo ad primum caput, si loquamur de illis infidelibus, qui nō sunt excommunicati; idest non de hæreticis, orare publicè pro illis, sicut & offerre sacrificiū Missæ non est malum ex natura rei, cum nec Christi præceptis, nec ecclesiasticis sanctionibus appareat vnquam prohibitum; idque patet ex vsu veteris legis, in qua offerebantur sacrificia pro Gentibus, pro Dario Rege primo Esdræ 6. pro Spartiatis 1. Machab. 12. pro Eliodoro 3. Machab. 3. Quæ consuetudo fundata erat in ratione sacrificij, quæ tunc non erat coarctata ex speciali Dei præcepto.

Et hunc vsum fuisse quoque in Ecclesia retentum post Christum colligere licet ex Clemente lib. 8. c. 15. Vbi testatur publicam orationem fieri solitam pro B Regibus, & eorum exercitibus, qui infideles erant. Celestinus epist. 1. c. 11. eodem modo loquitur de his infidelibus, sicut de Cathecumenis, & ità interpretatur Apostolum 1. ad Timot. c. 2. Vbi præcepit orationem, & oblationes pro omnibus fieri, & idem sensit Chrys. hom. 5. & alij Græci, & Latini interpretes in eum locum, nec ab his dissentit Tertull. lib. ad Scapulam c. 1. Arnob. lib. 4. contra gentes infideles, Euseb. lib. 1. demonstr. c. vlt. & optimè August. epist. 59.

Hoc idem ratione persuaderi potest, Crucis sacrificium pro omnibus oblatum fuit, ergo licet pro omnibus orare, vim huius rationis ostendit Paulus loco citato; postquam enim dixit, obsecrationes, & oblationes pro omnibus faciendas esse, subdit, *Vnus enim* C *est Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui tradidit semetipsum pro omnibus.*

Hæc vera sunt, animaduertendum tamen est, posse duobus modis sacrificium offerri pro infidelibus, vel orari. Primò indirectè, vt quando habetur oratio pro augumento Ecclesiæ, neq; enim aliter augeri Ecclesia potest, quam per infidelium conuersionem. Secundo directè, vt quando preces emittuntur pro bono ipsorum infidelium spirituali, vel temporali.

Ex his duobus modis prior est licitus, & in Ecclesia receptus ferè ab initio; nā in Liturgia Iacobi oratur pro extirpēda hæresi; in Liturgia Basilij, & Chrysostomi inter alia dicitur, *Domine miserere Orbis terrarum: errantes reuoca, dispersos congrega.* Et in Missali D Romano habetur Missa, pro extirpando Schismate, & ad hunc modum quotidie oramus pro Anglia, Germania, vt in pristinum statum Religionis Catholicæ Deus Prouincias illas restituat, vt Cōcionatoribus gratiam cōferat, Auditores illuminet. Posterior autē modus, quamuis ex aliquorum sententia sit licitus; ab ecclesiæ tamen vsu, & cōsuetudine est alienus, quæ nunquam consueuit nominare infideles, vt ab alijs audiātur, nè fortè scandalum, aut admirationē ingerat, sed solùm dirigere intentionem orando pro conuersione infidelium; hactenus de infidelibus non baptizatis. Si autem loquamur de Hæreticis, communis est sententia Doctorum non esse permissum E Ministro Ecclesiæ expressè in specie pro eis preces porrigere, nec sacrificium offerre, agēdo publicā personam ministri Ecclesiæ; ita habetur expressè in c. Si quis Episcopus, & est c. 91. 11. q. 3. his verbis: *Si quis Episcopus, aut Abbas Presbytero, aut Monacho suo iusserit missas pro hæreticis cantare, non licet, & non expedit obedire eis.* Idque ob eam rationem, quoniam sunt excommunicati, pro quibus Ecclesia prohibuit posse orari, cap. A nobis 2. de sent. excomm.

In hac sententia est B. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 1. q. 1. Host. in summa tit. de sentent. excom. §. Sed nunquid

quid excommunicatus num, 17, vers. Sed nunquid Presbyter, Anton. 3. par, tit. 24. in princ. Caiet. 2. Tom. opusc. in q. de effectu excom. Angel. V. Missa, num. 51. Tabien excom. 1. §. 5. Silu. excom. 1. §. 2. & Missa 1. §. 8. Turrecrem. in dicto c. Si quis Episcopus 11. q. 3. Armil. excom. num. 9. Ledesma in 4. part. 2. q. 23. art. 3 Nauar. in Manua. cap. 27. num. 36. Et in Enchiridio de orat. cap. 19. num. 73. Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 6. num. 4. Maiol. de Irregula, lib. 3, cap. 35. num. 3. Dominicus Sot. in 4. distinct. 22. q. 3. art. 1.

Quamuis Nauar. in eodem cap. 19. de orat. n. 72. dicat non damnari ab Ecclesia, vt Sacerdos tanquã Sacerdos pro eo, quem credit esse excommunicatum, oret orationibus, quas Ecclesia composuit ad orandum pro infidelibus, vt sunt illæ, quibus vtitur in die Parasceues, vel alijs similibus, quas ipsemet Sacerdos composuerit, dummodò non accipiat orationes, quas Ecclesia deputauit ad orandum pro suis membris; sed hæc limitatio, si simpliciter, & absolutè intelligatur est falsa. Primò quoniam grauiter peccaret Sacerdos, si oraret pro Hæreticis, & Schismaticis etiamsi acciperet orationes ab Ecclesia institutas peculiariter pro dictis hominibus separatis, & præcisis ab ecclesia, quia communicaret cum excommunicatis in diuinis, secundo, quoniam ecclesia simpliciter prohibet, nè nomine ipsius orandum sit pro excommunicato, quia non est membrum huius corporis, nulla apposita distinctione orationis, si sit instituta pro membris Ecclesiæ, vel pro exclusis ab ea. Tertio, quoniam si Sacerdos publicè tanquam Sacerdos oraret pro Hæreticis, quamuis peculiari vteretur oratione, scandalum ingereret mentibus fidelium, cum omnibus notissimum sit illos exclusos esse ab omni suffragio communi; quamobrem dictum Nauarri, vt admitti possit, intelligendum est cum limitatione, nempè esse permissum Sacerdoti orare pro huiusmodi membris præcisis illis orationibus peculiaribus, in die Veneris sancti tantummodo, Quod verò seruat Ecclesia in dicta die Veneris sancti, est quid peculiare conueniens misterio passionis, quod eo die ab Ecclesia celebratur, vt ostendam in cap. 3. Alia tamen ratio est de infidelibus non excommunicatis, si preces peculiares, & distinctæ ab illis, quæ fiunt pro fidelibus, porrigantur ad Deum à sacerdote, vt illos Deus ad fidem adducat; nam de infidelibus non excommunicatis nulla extat prohibitio Ecclesiastica, vt diximus.

Non reprehenderem tamen illam consuetudinem, quam hoc tempore multi viri pij, ac docti seruant, quos damnare non auderem, qui degunt in terris, vbi sunt Reges Hæretici, qui solent ità intentionem suam moderari in suis sacrificijs, vt directè intendant offerre pro augumento, & pace illius Ecclesiæ, quæ inter hæreticos versatur; hic enim modus videtur tutissimus, & est Ecclesiastico ritui conueniens.

Quoad secundum caput de modo orandi simul pro fidelibus, & infidelibus, certum est hunc modum in Ecclesia nunquam vsu receptum fuisse. Idcirco B. Tho. loco citato monet in casibus, quibus permittitur oratio pro excommunicato, non esse orandum ijsdem precibus simul, quę fiunt pro membris Ecclesiæ; hoc idem innuit Silu. vbi supra, & V. Oratio. §. 4. Hanc ob causam quoties Summus Pontifex caput vniuersæ Ecclesiæ indicit iubilæum ad opem Dei implorandam, & in eo supplicationes etiam fieri mandat pro infidelibus, & hæreticis, alias orationes instituit pro fidelibus, alias pro infidelibus, & sic remanet solutum secundum dubium.

CAPUT III.

Qua ratione Ecclesia in die Parasceues orat pro excommunicatis.

SI Ecclesia vetat, nè à publico ministro publicè porrigantur preces pro excommunicato, qua ratione in die Parasceues in diuinis officijs preces porriguntur ad Deum publicè pro hæreticis, & schismaticis, & alijs, qui sunt excommunicati.

Ad hanc dubitationem aliqui respondent ex sententia Host. in cap. Cum voluntate de sent. excom. Ecclesiam in die Veneris Sancti orare pro Hæreticis, & Schismaticis, qui sunt ipso iure excommunicati generaliter, non nominatim, & in specie, quod non est prohibitum.

Sed hæc responsio ex dictis remanet impugnata; probatum est enim non tantùm esse interdictum Ministro Ecclesiastico in specie orare pro excommunicatis, sed etiam generaliter sola intentione applicando orationes ipsis excommunicatis.

Præterea hæc responsio nititur falso fundamentó, nimirum supponit Ecclesiam eo die preces ad Deum fundere pro excommunicatis in genere, non in specie, & nominatim, quod tamen aduersatur veritati; nàm Ecclesia deprecatur Deum in specie pro excommunicatis; neq; enim per orationem in specie intelligitur, quando nominatur Petrus, vel Franciscus, sed vbi exprimuntur in oratione Hæretici, vel excommunicati, pro quibus prohibitum est orare; oratio generalis vocatur, quando absque vlla expressione Hæreticorum intentio orantis dirigitur etiam ad illos, vel saltem eos non excludit, sed in die Parasceues Ecclesia in officijs Diuinis orat pro excommunicatis, scilicet Hæreticis, & Schismaticis, exprimendo illos, igitur est oratio specialis, non generalis.

Deinde ex hac responsione sequitur excommunicatum posse esse participem suffragiorum communium Ecclesiæ, si ad eum illa generaliter possunt applicari contra voluntatem, & constitutionem Ecclesiæ.

Alij communiter dicunt ad hanc difficultatem Ecclesiam non fundere preces pro excommunicatis, & pro his, qui extra Ecclesiam sunt tanquam pro membris suis, nec orationibus illis, quibus consueuit vti pro suis membris, sed alijs distinctis ad hunc finem compositis: nec pro excommunicatis postulare à Deo ea bona, quæ suis fidelibus impetrare studet, sed Ecclesiam orare pro excommunicatis solùm ad eum finem, vt detur eis spiritus pœnitentiæ, vt ab excommunicatione soluantur; hoc modo respondent S. Thom. in 4. dist. 18. q. 2, art. 1. ad primum Turrecrem. c. Si quis Episcopus 11. q. 3. Silue. V. excommunicatio 1. §. 2. & V. oratio, §. 4.

Hæc responsio, cum non extendatur ad alios dies, nisi solum ad diem Parasceuen, vera est ob rationes inferius inducendas, quæ solum de illo die procedũt.

Nauar. in tract. de horis canonicis c. 19. n. 7. duas tradit responsiones ad tollendam hãc difficultatem. Prima est, quod tempore, quo Ecclesia cępit orare publicè pro Hæreticis in die Veneris sancti, nõ errãt

illi

illi ipso facto excommunicati arg. c. Corripiantur 24. q. 3. & B. Tho. 2. 2. q. 83. art. 7. Et licet modo sint excommunicati, retenta fuit forte illa oratio ex inconsideratione. Sed hæc responsio admodum leuis, voluntaria, & improbabilis, vt ipsi etiam Nauar. videtur, quare tradidit aliam responsionem, quod eo die sancta Ecclesia non solum orat publicè, & in officio publico pro membris sibi fidei, & charitatis, aut solius fidei vinculo conglutinatis vti communiter solet precibus pro suis membris compositis; verum etiam pro inimicis suis, siue sibi nunquam adhæserint, quales sunt Iudæi, & Pagani, siue ei adhæserint, & postea ab illa defecerint, & sunt Hæretici, & Apostatæ, nec tamen hoc agit orationibus compositis pro suis membris, sed alijs institutis ad hunc finem: sed hæc responsio videtur eadem cum communi, quàm modò reijciebam, quare non opus est, vt in ea insistamus.

Itaque respondeo ad hanc difficultatem, & censeo pluribus de causis Ecclesiam Spiritu sancto rectam voluisse instituere, vt semel tantum in anno in die Veneris sancti publicè preces funderẽtur pro Infidelibus, Iudæis, Hæreticis, Schismaticis, & alijs. Primò ad significandam vim, & virtutem sacrificij cruenti passionis Christi, quod represẽtatur eo die ab Ecclesia, quod oblatum fuit à Christo pro salute totius generis humani absq; vlla distinctione, fuit enim vniuersalis redemptor omnium. Idcirco Ecclesia eo tempore generaliter orat pro omnibus hominibus, vt quo potest clarius exprimat virtutem huius sacrificij. Vult enim in die Parasceues recolere, & ad memoriam fidelium reuocare realem Christi mortem, seu sacrificium cruentum, quod in simili die re ipsa gestum est, & hãc ob causam non fit illo die consecratio, nè simul fiat expressa, & mistica repræsentatio mortis Christi.

Secunda ratio huius ecclesiastici instituti, & ritus esse potuit, quoniam sicut Christus tempore passionis suæ, & mortis voluit etiam pro inimicis suis orare; ità quoq; decet, vt Ecclesia ad imitationem sponsi, & capitis sui eo die, quo Christi passio recolitur, pro suis etiam inimicis precetur, vt sentit Dur. in rationali diuin. offic. cap. 77. n. 12. lib. 6.

Accedit & tertia causa, quoniam dies illa multis, & insignibus diuinis beneficijs, atque miraculis referta est, & propterea vti venerandam hoc priuilegio ecclesia ipsam decorare voluit, vt in illa & pro hæreticis, infidelibus, & alijs præcisis membris oretur, sic enim & sanctum Pascha & nonnulli alij celebres dies priuilegio huiusmodi donati sunt, vt interdicti, quod alias prohibitum est, ipsis diuinis officijs intersint, vt habetur, c. fin. §. fin. de sent. excomm. lib. 6.

Has existimo esse potissimas rationes, propter quas ecclesia decreuit in die Veneris sancti orandum esse pro infidelibus; qua in re notandum est quod Bernardus dicit. Vide quam mala sit excommunicatio, quod in die Parasceues Ecclesia orat pro Iudæis, Paganis, non autem pro excommunicatis. Hoc autem dictum est intelligendum sub nomine excommunicatorum, nàm orat pro Hæreticis, & Schismaticis, qui sunt excommunicati.

CAPVT IV.

An Sacerdos vt Minister Ecclesiæ possit sacrificium Missæ, aut orationem publicam, vel aliud commune suffragium offerre pro excommunicato, vel Hæretico non expresso nomine Hæretici, aut excommunicati.

ORITVR difficultas; an Sacerdos, vt Minister ecclesiæ in publica oratione possit orare pro hæ- A retico, vel excõmunicato, non expresè nominando ipsum, sed offerendo sacrificium pro ipso Hæretico, vel excommunicato. Hactenus enim solùm id statutum est non licere publicè orare pro excommunicato in oratione, quæ fit à Ministro ecclesiæ nomine ipsius ecclesiæ, sed nihil est dictum; an liceat sine vlla speciali expressione hæretici Ministro publico offerre sacrificium, vel aliam orationẽ publicam pro hæretico, vel excommunicato, & difficultas in eo consistit, an eum Ecclesia priuat excommunicatum publicis orationibus, intendat solùm prohibere, nè publicus Minister possit licitè orare pro excommunicato, quando agit personam ministri, scilicet in oratione, quam habet ex institutione ecclesiæ, nominando expresè excommu- B nicatum, siue connumerando eum inter alios fideles membra ecclesiæ, pro quibus orat; vel potius non velit hoc tantum interdicere, sed simpliciter prohibere, nè vlli ministro Ecclesiæ in oratione publica liceat etiam generaliter, & sine vlla mentione hæretici, vel excommunicati pro ipso orare.

Silue. V. Excommunicatio 1. §. 2. & V. Missę 1. §. 8. Vers. Quartum, affirmat ecclesiam solum prohibere voluisse, ne excommunicatus nominetur in orationibus, quæ fiunt ex institutione ecclesiæ, sicut potest nominari, cum pro eo ad Deum porriguntur preces priuatæ; ideo licere sacerdoti offerre sacrificium ad hũc effectum, vt Deus illum conuertat, resipiscat, & eccle- C siæ obediat, non ad alios effectus, quorum gratia oratio fit ab ecclesia pro membris sibi per obedientiam vnitis, nimirum vt in pace agant, & salutem habeant, & in gratia Dei, & virtutibus proficiant. Quarè ex sententia Siluestri nullius criminis Reus esset Sacerdos, qui sacrificium Missæ offerret pro excommunicato ad hunc finem, vt Deus sua diuina gratia illum vocaret ad pœnitentiam, dummodo excommunicatum publicè non nominaret. Hanc opinionem sequitur Maio'us lib. 3. de irreg. cap. 25. num. 3. Quam probat Siluester auctoritate B. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 1. quæstiun. 1. Vbi ait excommunicato non prodesse suffragia, quæ pro tota ecclesia fiunt; nec ex persona ecclesiæ orationem pro eo inter membra Ecclesię fie- D ri posse, quamuis persona particularis possit aliquod suffragium ad eius conuersionem dirigere; quæ verba Siluestr. ità interpretatur, vt putet duo requiri, vt orans pro excommunicato peccet. Primum quod oret ex persona ecclesiæ, idest tanquam Minister ecclesiæ, vt sacerdos quatenus Sacerdos; hæc enim est oratio publica, quantum ad institutionem Ecclesiæ. Secundum quod in oratione Sacerdos connumeret ipsum Excommunicatum inter membra Ecclesię, quod accidit, quando orat pro eo in particulari, sicut consueuit facere pro alijs fidelibus non excommunicatis; quare qui non orat publicè pro excommunicato, etiamsi id faciat in specie, & nominatim; vel qui nõ orat in specie, etiasi publica sit oratio, non peccat.

E Opposita tamen sententia communis est, & videtur probabilior, nempè prohibitum esse ab Ecclesia simpliciter, ne orationes generales, & publicæ, illæ scilicet, quæ fiunt à ministro Ecclesiastico nomine, & ex intentione Ecclesiæ Excommunicato vllo modo applicentur.

Huius sententiæ auctores sunt omnes citati in secundo dubio, & confirmari potest hæc opinio. Primo quoniam suffragia Ecclesiæ non prosunt quidquam eis, qui sunt extra Ecclesiam: quoniam applicantur solum ex intentione Ecclesię membris suis, sed excommunicatus est extra Ecclesiam. Quarè huiusmodi suffra-

suffragia non possunt applicari à Ministro Ecclesiæ Excommunicato, quem scit non esse membrum Ecclesiæ, vt inquit S. Tho. de sacrificio Missæ in 3. par. q. 79. art. 7. ad secundum. Et idcirco in Canone Missæ dicitur *pro omnibus Orthodoxis, atq; Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus*.

Secundò quoniam ex hac parte nullum esset discrimen inter fideles non excommunicatos, & excommunicatos, si Minister Ecclesiæ posset applicare suffragia publica Ecclesiæ ipsis Excommunicatis: Nihil enim refert, si exprimantur in specie ipsi Excommunicati, vel prætereantur, dummodo intendat tale suffragium applicare ipsi excommunicato, & sic re vera excommunicatus non esset priuatus suffragijs Ecclesiæ, sed mens Ecclesiæ est, vt colligitur ex cap. A nobis 2. De Sent. excom. vt excommunicatus tanquam membrũ præcisum, & separatum ab hoc corpore mistico sit incapax, & inhabilis ad percipiẽdum fructum ex huiusmodi suffragijs prouenientem, cuius participes sunt cæteri fideles, qui intra Ecclesiam continentur, & sic distinctio appareat inter illos, & excommunicatos, licèt enim, qui sunt in peccato mortali non excommunicati sint membra mortua quoad Deum, & hanc ob causam non recipiant fructum horum suffragiorum quantum ad gratiam, & gloriam, vnita tamẽ sunt saltem per fidem, & ideo prosunt eis suffragia, vt facilius cum Dei gratia disponantur ad contritionem, & pœnitentiam, & similiter illis prosunt ad effectum satisfactionis pro tempore, quo à peccato erunt absoluti, vt inquit Nauar. in Enchirid. de orat. c. 19. n. 74.

Quare errant Sacerdotes, vt idem Nauar. asserit in eodem loco num. 67. qui suscipiunt onus celebrandi Missas pro excommunicatis, & grauius si postea dictas missas celebrent applicando eas excommunicatis. Missæ enim dicuntur pro membris ecclesiæ, & eis tantum prosunt.

Non potest igitur oratio publica offerri pro excõmunicato; & hoc probabilius videtur posse affirmari, quàm oppositum; non est tamen omninò improbabile asserere Ecclesiam non interdicere publicas orationes eius nomine applicari posse excommunicato, non nominando illum ad eum tantum effectum, vt Deus illum conuertat, non ad alia bona impetranda, quæ postulantur pro membris Ecclesiæ.

Postulabit quis, quod peccatum sit, si Sacerdos offerat missam, vel aliud suffragium commune, vt Minister Ecclesiæ pro excommunicato non nominando in specie, sed applicando fructum eadem intentione, qua solet applicari cæteris peccatoribus non excommunicatis. Ledesmus in 4. sent. par. 2. q. 23. ait solum esse peccatum veniale, sed certè oppositum videtur verius supposita opinione, quam firmaui, quoniam faceie contra prohibitionem ecclesiæ iustam in re graui, ergo est peccatum mortale, & grauius esset peccatum, si nominaret excommunicatum propter scandalum infidelium.

CAPVT V.

An prohibitio Ecclesiæ, nè publicè oretur pro excommunicato, sit intelligenda generaliter de quocunque excommunicato, etiam non denunciato.

QVæritur, An hæc prohibitio Ecclesiæ de vitandis excommunicatis in publicis suffragiis, & orationibus obliget ministrum Ecclesiæ hoc tempore quoad excommunicatos manifestos, siue etiam occultos generaliter, licet non sint denunciati, nec publici Clericorum percussores,

A Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 36. vers. ad secundum dubium, censet pro Excommunicato non denunciato, neque notorio Clerici percussore posse orari publicè ex priuilegio Extrau. Ad euitanda, Cuius quoq; fauore hodie non denegatur ecclesiastica sepultura alijs excommunicatis, nisi sint ex illo duplici genere.

Confirmatur, alios excommunicatos non tenemur in re aliqua euitare, ergo neque tenemur eos excludere à communibus orationibus, & suffragijs.

Contrarium tenet Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. post secundam conclusionem, affirmans hac in re Concilium Constantiense nullum fauorem concessisse excommunicatis quo antea non gauderent.

Ad solutionem huius difficultatis. Primò notandum est, quod quamuis iure antiquo omnes excommunicati essent vitandi cum illa distinctione, vt publici publicè vitarentur, occulti verò secretò; tamen postea per Concilium Constantiense rigor ille ad tollenda multa scandala moderatus est in extrauag. Ad euitanda, & concessum est fidelibus, vt sine peccato liceat habere communicationem tàm in rebus sacris, quàm in alijs actionibus humanis cum excommunicatis, exceptis nominatim excommunicatis, & denunciatis, ac manifestis Clericorum percussoribus, cuius extrauagantis latiorem, & clariorem explicationem ponam in disp. sequenti cap. 1.

Secundò notandum est hanc correctionem, & moderationem iuris antiqui suffragari solùm fidelibus, vt non obligentur sicut antea cauere à consortio omnium excommunicatorum, & nullam maiorem vtilitatem tribuere ipsis excommunicatis, sed illos manere priuatos omni societate fidelium eodem modo, quo priuati erant iure antiquo.

His positis dico sententiam Dominici Soti probabiliorem esse. Quarè sentio Ministrum ecclesiæ non posse oratione publica orare, nec sacrificium offerre, aut aliud suffragium commune pro excommunicato, siue manifesto, siue occulto, etiam si non sit nominatim denunciatus, neque notorius Clerici percussor.

Patet manifestè ex dictis, si Concilium Constantiense nullum fauorem voluit conferre excomunicatis, & Iure antiquo omnes excommunicati excludebantur ab oratione publica, & cæteris suffragijs communibus Ecclesiæ, ergo & modò debent excludi, quia Ius antiquum, quoad ipsos excommunicatos, nihil est innouatum.

Confirmatur priuare hominem fructu suffragiorũ, & bonorum operum, quæ à fidelibus in Ecclesia fiunt, connumerari potest inter maxima damna, quæ oriuntur ab excommunicatione, & est præcipuus effectus excommunicationis; quamobrem si post Concilium Constantiense excommunicati non denunciati non priuarentur huiusmodi suffragijs, maximum ex illo consequuti essent beneficium contra expressam mentem ipsius Concilij, eum dicit, *Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos non intendit in aliquo releuare, nec eis quomodolibet suffragari*.

Accedit, quod hæc duo inuicem pugnare, & aduersari videntur, quod excommunicatus per excommunicationem efficiatur membrum præcisum, & separetur ab ecclesia, vt probabo in cap. 10. & simul quod eidem applicentur, & prosint suffragia Ecclesiæ, quæ solis fidelibus membris in hoc mistico corpore inuicem vnitis applicantur.

Si contra objicias fideles ex priuilegio eiusdem Cõcilij possunt communicare cum excommunicatis, si non

si non sine illius duplicis generis, in vsu sacramentorum, in alijs rebus diuinis, & in cæteris quibuscunq; actionibus ciuilibus indistinctè absq; vllo discrimine, ergo sine peccato possunt communicare in oratione. A

Respondeo permissam esse quidem communicationem cum excommunicatis generaliter, quando cedit commodo, & vtilitati ipsius communicantis, minimè verò, quando participatio fit propter vtilitatem excommunicatorum, secus Concilium si non directè, saltem indirectè contulisset excommunicatis maximum priuilegium, quo iure antiquo carebant contra intentionem Concilij, vt clarè constat ex verbis citatis. Quamobrem cum porrigere orationem, vel aliud suffragium pro excommunicato non fit in vtilitatem orantis, aut offerentis, sed excommunicati, pro quo B oratur, idcirco orare pro excommunicato non videtur concessum.

Responderi potest secundò, quod licet participatio cum huiusmodi excommunicatis non sit damnata directè ratione ministrorum Ecclesiæ, prohibetur saltem indirectè ex parte Excommunicatorum, quos Ecclesia tanquam membra præcisa à corpore intendit omnino excludere à fructu suffragiorum, & bonorum operum, quæ fiunt nomine Ecclesiæ ab ipsius Ministris, cum non deceat Ministrum habere contrariam intentionem à suo principali Agente.

Fundamentum pro sententia Nauarri ex dictis est solutum. Ad id, quod dicitur de sepultura Ecclesiastica; Respondeo dubium esse, & ambiguum inter C Doctores, An Excommunicatus non denunciatus sit tradendus Ecclesiasticę sepulturæ, & puto probabiliorem sententiam illorum, qui negant posse sepeliri in loco sacro, de qua re agam in Disp. 10. cap. 7.

CAPVT VI.

An liceat ministro Ecclesiæ orare pro excommunicato, qui signa contritionis edidit.

IN controuersiam reuocatur à Doctoribus, An sacerdos minister Ecclesiæ licitè valeat orare publicè pro excommunicato, qui signa dedit contritionis, & quem censet probabiliter peccati pœnituisse, D etiamsi absolutionem non acceperit ab excommunicatione.

In qua dubitatione duæ reperiuntur contrariæ Doctorum opiniones. Aliqui dicunt posse sacerdotem vt ministrum Ecclesiæ, vel vt personam publicam idest in oratione, quam habet vt minister, secretò orare pro excommunicato, qui iam egit pœnitentiam peccati, licet nondum sit absolutus, si tamen edidit signa pœnitentiæ, & curauit obtinere absolutionem ab excommunicatione. Ità sentit Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 18. & nu. 36. & in Enchirid. De orat. cap. 19. nu. 68. & citat Host. in cap. Cum voluntate de Sent. excom. Riccard. in 4. dist. 18. art. 7. q. 2. B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 76. Ledesm. 4. par. 2. q. 23. art. 3.

Ratio ipsorum est, quoniam talis excommunicatus E est Deo, fidei, & charitatis vinculo vnitus, licet occultè. Ideo pro eo occultè dici possunt orationes ab Ecclesia institutæ pro membris eius, saltem sub conditione actuali, vel virtuali, si eum verè pœnituit, sicut etiam eum, quem credo beatum esse, quamuis non sit in numerum sanctorum relatus, orare possum secretò veluti sanctum, quamuis nō publicè secundum Innoc. cap. 1. De Reliq. & vener. Sancto. Huic opinioni adhęret Couar. in dicto cap. Alma §. 6. nu. 4. concl. 9. & pro ea citat Turre Crem. 11. q. 3. cap. Si quis Episcopus.

Contraria opinio est Sot. in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. in fin. in solutione 2. dubij, qui tenet hunc excommunicatum, etiam si postea sit in gratia Dei ante absolutionem esse priuatum suffragijs, & orationibus communibus, quoniam hæc priuatio oritur ex institutione, & applicatione Ecclesiæ, sed Ecclesia prohibet abiusmodi suffragia applicari excommunicato antè husolutionem cap. A nobis 2. De Sent. excom. Quare intentio Ecclesiæ est, vt excommunicatus, etiam si sit in gratia, nisi receperit beneficium absulutionis, careat huiusmodi suffragijs. Idem sentit Alanus lib. 2. De sacrificio Missæ cap. 31. & ante vtrunq; in eadem sententia fuit Adrian. in materia de Clauibus q. 3. ad primum, & vltimum.

Respondeo ad hoc dubium, & dico Primò Excommunicatum etiam denunciatum, si contritione iustificatus sit, ac per eum non stat, quin absoluatur, non esse priuatum fructu, & satisfactione priuatarum orationum, quas iustus tanquam illarum dominus applicare potest alteri; Nam pia Mater non intendit filios iam obedientes priuare omni bono.

Propter eandem rationem dico secundò esse admodum piam, & probabilem opinionem primam, nempè neq; talem excommunicatum priuatum esse communibus suffragijs, & orationibus, & solum, quousquè à vinculo excommunicationis absoluatur, carere sacramentis, & aliqui dicunt hanc sententiam definitam esse cap. A nobis 2. De Sent. Excom. Sed ibi tantum dicitur excommunicatum, quantumuis resipuerit, & ad saniorem mentem redierit, non dum esse absolutum, sed adhuc egere absolutione ab Ecclesia; An verò intendat Ecclesia eo tempore concedere excommunicato participationem suffragiorum Ecclesiæ, ibi non definitur.

Tertio dico multò probabiliorem esse secundam sententiam, quæ videtur magis consentanea Theologis, & quæ ex citato cap. A nobis potius confirmari videtur, nam ibi quæsitum est à Papa, an liceat orare pro excommunicatis, qui ante obitum signa contritionis dederunt, sed succedente subita morte, absolui non potuerunt. Ad quam interrogationem respondit Innocentius III. antea esse absoluendos, ergo ante absolutionem censet non esse pro illis orandum, & simili ratione nec pro viuis excommunicatis quantumuis contritis erit orandum.

Sed dubitare potest aliquis Primo an excommunicati, qui per veram pœnitentiam sunt in Dei gratiam restituti ante absolutionem fructum aliquem ex suffragijs Ecclesiæ consequantur.

Quamuis pro excommunicatis, licet signa contritionis dederint, secundum magis probabilem opinionem orandum non sit ante absolutionem; quærunt tamen Doctores, an saltem consequantur fructum aliquem, & valorem bonorum operum, quæ in Ecclesia fiunt. Dominicus Sot. in dicta dist. 22. quæst. 1. art. 1. ait fuisse aliquorum sententiam affirmantium huiusmodi excommunicatos priuari etiam illo fructu participationis suffragiorum, quem consequuntur iusti. Dubitat tamen, an hoc dictum sit verum, & potius inclinat in contrariam opinionem ductus ea ratione: quoniam fructus ille non nascitur ex institutione, & applicatione Ecclesiæ, sed iure ipso charitatis Dei, & ideo fortasse Ecclesia non potest bonos, & iustos illo orbare fructu, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 18. idem affirmat, Couar. in dicto cap. Alma par. 1. in princ. n. 2. Ledesm. loco citato.

Ab hoc communi dicto omnium Doctorum non est rece-

recedendum, & fundamentum est; quoniam in Ecclesia triplex est communio fidelium. Prima est interior per charitatem vnientem Christi membra per fidem formatam capiti Christo, & reliquis eius membris, & ista cõmunio procedit à charitate, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, vt inquit August. in lib. 2. de Doctrina Christiana c. 22. Magister sentent. B. Tho. & alij in 3. sent. dist. 27. & idem B. Tho. 2. 2. q. 23. art. 5. & probatur Io. c. 4. *Hoc mandatum habemus à Domino, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum c. Scripturis* 8. *q.* 1. Paulus ad Roman. 12. *Multi vnum corpus sumus in Christo.* Idem docet in Epist. 1. ad Corinth. c. 12. & ad Ephe. 4. Et hæc communio in Simbolo vocatur *Sanctorum communio*, quæ non pendet ex aliqua intentione operantis, sed veluti ex rei natura oritur ex societate bonorum, à qua excluditur excommunicatus non ex vi excommunicationis, sed ratione peccati; quarè quamprimum culpa tollitur, incipit frui dicta communione sanctorum, etiam si non sit absolutus ab excommunicatione; talis enim excommunicatus, etiam si sit denunciatus, consequitur fructum sacramenti, quod bona fide recepit, vt dicam in sequenti disp. Deinde quoniam quamuis pro tali excõmunicato denunciato nõ sit specialiter offerenda missa, vt statuit expresse Concilium Constantiense, Basiliense, & Lateranense, tamen si de facto offeratur, nec excommunicatus, si induxit Sacerdotem ad celebrandum, peccauit, & missa illa etiam ad satisfactionem excommunicato prodest, sicut quando excommunicatus, aut peccator illicitè missam celebrat pro alijs, prodest eis; eodem modo defuncto, qui in gratia decessit, & cum occulta excommunicatione sepultus est prosunt exequiæ speciali intentione oblatæ. Nauar. in Manua. c. 27. n. 36. ad secundum, & eadem ratio est de omnibus alijs suffragiis. Alia est communio extrinseca, quæ consistit in communicatione orationis in Ecclesia, in missarum sacrificijs, & diuinis officijs simul audiendis. Tertia est communio media, partim interior, & partim exterior, qua omnes fideles participes sumus communium suffragiorum Ecclesiæ, quæ participatio in hoc cõsistit, vt sit vnus ex illis, pro quibus orat Ecclesia, & quibus applicat sua merita de congruo, satisfactiones communes, & sacrificia, & indulgentias, & ab his duabus postremis communionibus excommunicatus est exclusus, etiam si pœnitentiam egerit criminis commissi, & redierit in gratiam Dei, si ab excommunicatione absolutionem non obtinuit, quia priuatio horum suffragiorum prouenit ex vi ipsius excommunicationis. Hæc distinctio triplicis communionis desumitur ex his, quæ docet B. Tho. in 4. sent. dist. 18. q. 2. B. Antoni 3. par. tit. 24. in princ. Turrecrem. c. Si inimicus 11. q. 3. Silue. V. excomm. 1. in princ. Caiet. 1. tom. opusc. tract. 16. in q. vnica de excommunicatione. Nauar. in c. Fratres nu. 43. de Poen. dist. 5.

Sed iterum dubitabit quis, nàm non videtur verum excommunicatum qui non est contritus, sed adhuc persistit in sua contumacia, non esse participem fructus prouenientis ex bonis operibus iustorum, quatenus omnes sunt inuicem membra charitate coniuncta; nam peccatores ea ratione, qua sunt membra, saltem per fidem coniuncta, sunt participes communionis sanctorum, quia Deus solet illos adiuuare, & sua præueniente gratia ad poenitentiam vocare propter iustos, ergo propter eandem rationem ab hac participatione non est excludendus excommunicatus, & ex consequenti non est denegandum Ministro Ecclesiæ, vt non possit hac intentione hæc sacrificia communia offerre pro excommunicato.

Respondeo, peccatores percipere fructum saltem impetrationis ex consortio bonorum, non autem excommunicatum, quoniam hic fructus pendet ex applicatione Ecclesiæ, sed Ecclesia prohibet, vt excommunicato non applicetur, non excludit autem peccatorem ab huiusmodi participatione; quoad alium verò fructum interiorem prouenientem ex charitate, cuius participes sunt iusti in gratia Dei existentes, etiam ipse excommunicatus post habitam contritionem efficitur capax, quoniam (vt dixi) sicut tollitur ex solo peccato mortali, ità prouenit ex charitate per se absque vlla applicatione Ecclesiæ; vndè non est vetitum intendere, & desiderare hoc bonum excommunicato etiam ante absolutionem, quando verisimiliter ex signis iudicatur iustus, & contritus, non tamen licitum est idcirco pro excommunicato communia suffragia offerre, stante Ecclesiæ prohibitione.

Tertiò dubitari potest, an excommunicatus, qui poenitentia criminis peracta Dei benignitate gratiã est consequutus, valeat ante absolutionem ab excommunicatione indulgentias acquirere, & illarum fructum lucrari.

Respondet Ioannes de Anania in suo tract. de Iubileo, quod iniustè excommunicatis prodest indulgentia arg. c. Cum æterni de sent. & Re Iudi. lib. 6. iustè verò excommunicati nullo pacto fructum indulgentiarum consequi possunt. Verùm si excommunicatus contritione iustificatus sit, nec potuit confiteri, voluit tamen, si contendit lucrari indulgentias, non peccat, & illas fortasse lucratur; Nauar. in tract. de Iubileo notab. 18. num. 14. quia excommunicatus nullo præcepto prohibetur præstare opera, pro quibus datur indulgentia, potest enim orare in Ecclesia, & recitare horas canonicas, licèt non possit recipere sacramentum, nec assistere publicis officijs Ecclesiæ, à quibus prohibetur. Quamobrem si excommunicatus sit contritus, & impleat opera iniuncta in iubileo, poterit acquirere indulgentias.

Hæc responsio probabilis est, sed opposita est probabilior, & magis cohæret cum ijs, quæ hactenus diximus, nimirum excommunicationem priuare hominem omni fructu, & participatione Indulgentiarum directè, & per modum absolutionis, & loquor de excommunicatione ratione sui formaliter, non tantum ratione peccati mortalis, quod supponit; nam licèt contingere possit excommunicatum redire ad statum gratię; non poterit tamen lucrari indulgẽtias, donec ab excommunicatione absoluatur: quia per excommunicationem priuatur efficaciter omni communione ecclesiastica, pręsertim interna, & ex communibus Ecclesiæ bonis, excommunicatus est enim membrum ab Ecclesia præcisum, & incapax communicationis eius, vt probaui; dixi autem directè, & per modum absolutionis; quoniam in proposito casu fortassè per modum suffragij poterit lucrari fructum Indulgẽtiarum; si ab alio acquiratur indulgentia, & applicetur excommunicato nam tunc est bonum priuatum, quod vnus potest alteri cedere.

Sed dubitant Doctores, si Papa concedat alicui excommunicato indulgentiam, An videatur approbare statum illius, cui fit concessio. Aliqui respondent affirmatiuè ex Abb. cons. 55. Quia censetur declarare illum liberum ab excommunicatione, aut certè absoluere illum, nè incapax sit Indulgentiæ. Sed hæc ratio non probat, quia indulgentia supponit statum, seu capaci-

pacitatem recipientis, non confert illam, nisi exprimatur, & ideo quoad hoc non est absoluta, & efficax concessio, sed quasi conditionata, si per illum non steterit, & ideo in concessione indulgentiæ sæpè conceditur potestas absoluendi ab excommunicatione, vel ipsa etiam absolutio datur ad talem effectum.

CAPVT VII.

An Minister ecclesiæ, quando orat nomine ecclesiæ publica oratione possit immiscere priuatam orationem pro excommunicato.

HActenus constat non licere ministro ecclesiæ in publica oratione pro excommunicato orare, nec nominando ipsum, nec etiam offerendo fructum huiusmodi orationis sine vlla expressione in specie ipsius excommunicati, sed dubitari potest, an saltem liceat sacerdoti inter orandum preces aliquas secreto ad Deum porrigere priuato nomine pro excommunicato, putà, an in sacrificio Missæ in oratione, quæ incipit, *Memento Domine*, possit secretò deprecari Deum pro excommunicato.

Duæ sunt opiniones Doctorum, Altera eorum, qui dicunt sacerdotem non posse in Missa etiam secretò orare pro excommunicato ità tenet Dom. Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. in solutione primi dubij, dicens sacerdotem tanquàm publicam personam, & ministrum Ecclesiæ, idest in publica oratione, non posse orare pro excommunicato; quare si Rex, vel Episcopus esset excommunicatus, non esset nominandus in Canone. Et addit Sot. quod quamuis aliqui existiment sacerdotem, vt priuatam personam in Memento, sicut potest pro suis consanguineis, & amicis, ità posse pro excommunicato orare, vt eum Deus ad mentem reuocet, & hæc opinio sit valdè clemens, & pia, & fortassè verà; tamen esse ambiguam, & non carere difficultate: quia potuit Ecclesia priuare excommunicatum non solum suis sarificijs; sed inhibere suis ministris, nè inter sua sacrificia pro eo deprecarentur; propterea S. Tho. ait pro excommunicato orari posse, non tamē inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiūt, eiusdem sententiæ est *Ledesma* 4. part. 2. q. 23. art. 3.

Secunda opinio est opposita. Silu. V. excommunicatio 1. §. 2. & in V. Missa 1. §. 8. Vers. Quartum. Idem tenet Maiol. De irreg. lib. 3. c. 25. num. 3.

At verò Nauar. in Enchiridio de orat. cap. 19. n. 73. inuenit alium modum respondendi, inquit enim, quod etsi sacerdos non possit, nec debeat applicare orationes missæ excommunicatis, neque earum valorem, posse tamen celebrare missam deprecando, & applicando missæ valorem pro eis, quibus Ecclesia vult & iubet id fieri ad eum finem, vt actum, & opus illud priuatum orandi suscipiat Deus pro oratione priuata, vt excommunicatus conuertatur. Aliud enim est applicare orationes missæ, & eius valorem vni, aliud applicare actum illud orandi eidem. Horum primum fit orationibus publicis ecclesiæ, posterius applicando meritum particulare orantis; quare nomine meo priuato possum celebrare missam, aut horas recitare in finem, vt excommunicatus se conuertat, non orando pro eo orationibus Missæ, aut horis canonicis, neque applicando earum valorē excommunicato; sed exhibendo Diuinæ Maiestati seruitium illud, quod ei præstiti rogando, & applicando vti debeo, missam, & horas, vt sua Maiestas excommunicatum conuertat, & hoc modo pro excommunicato orari potest in oratione illa *Memento*, in quà orat sacerdos velut perso-

A na priuata, licèt reliqua in missa sicut persona publica peragat. Idem dicunt Ang. V. Missa n. 51. Tabie. V. excommunicatio. 1. §. 5. Couar. in illo c. Alma p. par. §. 6. num. 4.

Hæc opinio mihi videtur probabilis, pro qua illud fundamentum est satis firmum, quòd sacerdoti prohibitum est orare pro excommunicato oratione publica, non priuata, & secretò (vt ostendam inferius) tanquàm pro membro præciso, & separato ab Ecclesia, vt Deus illi conferat gratiā detestandi peccatum, & pœnitentiam agendi. Idcirco conceditur sacerdoti illud tempus, quo pronunciatur oratio illa, *Memento*, vt possit etiam priuato suo nomine commendare, quos velit Deo, postquam suo munere functus fuerit

B nomine publico ecclesiæ, gerit enim vices duarum personarum, vt Ecclesiæ minister solum orat, pro quibus Ecclesia instituit, vt oret; vt priuatus rogat, pro quibus vult, neque hoc est illi prohibitum aliquo canone, adde etiam ad idem probandum rationem Nauar. in Manua. c. 27. nu. 36. & videtur bona; nam quis vetat, vt sacerdos non possit applicare excommunicato fructum illum particularem, qui ei competeret ex sacrificio Missæ? Quilibet enim potest ius suum priuatum alteri cedere, idcirco potest sacerdos celebrare applicando valorem Missæ quibus Ecclesia mādat applicari, eo tamen fine, vt illud suum opus celebrandi accipiat Deus pro oratione priuata, vt aliquis

C excommunicatus conuertatur; nam aliud est applicare preces missæ, & eius valorem alicui, aliud opus orandi, & celebrandi.

CAPVT VIII.

Vtrum excommunicatus adeo sit priuatus suffragijs Ecclesiæ, vt sit incapax ad percipiendum fructum ex eis prouenientem.

STATVS huius quæstionis in eo consistit, An constitutio Ecclesiæ, qua interdictū est eius ministris, nè orationes publica, sacrificium missæ, & alia suffra-

D gia communia, quæ fidelibus ex Ecclesiæ institutione applicantur pro excommunicato possint Deo offerre, sit accipienda in hoc sensu, vt velit Ministrum, qui contra hoc præceptum pro excommunicato orare præsumpserit, reum esse criminis, vel ecclesia vltra peccatum ministri intendat etiam declarare excommunicatum ità esse inhabilem, & incapacem ad percipiendum fructum ex huiusmodi suffragijs prouenientem, vt si de facto applicentur, nihil ipsi prodesse possint. Hæc enim inter se differunt, nam fieri potest, vt aliqua actio sit iniusta, & fiat cum peccato, & tamen sit valida, & pareat effectum suum, sicut ostendemus de ipsa excommunicatione, quæ potest esse iniusta, & tamen valida, vt indigeat absolutione. Quare cum

E ex his, quæ hactenus disputata sunt, constet tantùm suffragia Ecclesiæ non offerri licitè, & sine peccato pro excommunicato, modo discutiendum est, an si fuerint iniquè oblata, producant aliquem fructum, & prosint excommunicato. Quod est intelligendum, si ex parte excommunicati non adsit aliud impedimentum, puta mortalis culpa, quæ possit impedire huiusmodi fructum, sed agitur solum de impedimento excommunicationis.

Ad hanc difficultatem duplici propositione respondendum est; prima propositio erit, si minister Ecclesiæ offerat commune suffragium pro excommuni-

municato, peccat grauiter, sed excommunicatus si sit iustus, & in gratia Dei consequitur fructum impetrationis, & etiam satisfactionis prouenientem ex illo suffragio ex vi institutionis Christi.

Vt intelligatur conclusio, notandum est ministrum publicum ecclesiasticum duplicem personam referre; nempe Christi, & Ecclesiæ, e. g. Sacerdos in sacrificio Missæ gerit personam Christi immediatè, & tanquam minister ab ipso deputatus offert illud sacrificium; rursus gerit personam Ecclesiæ totius, à qua electus etiam fuit, vt suo nomine sacrificium offerat, & applicet illud fidelibus, dicimus modò, quod si Sacerdos, vt Minister à Christo deputatus propria intentione, licet inique offerat sacrificium Missæ pro excommunicato, qui non habet obicem peccati mortalis eius applicatio prodest excommunicato, & consequitur fructum sacrificij.

Probatur simili argumento, sacerdos administrans sacramentum excommunicato peccat, sed sacramentum sortitur suum effectum, si non inueniat obicem in suscipiente præter excommunicationem, vt probabo in disp. octaua cap. primo. Eodem modo Ecclesia prohibet, nè offeratur sacrificium pro excommunicato, & si violetur hoc præceptum, committitur peccatum, tamen per hanc prohibitionem non tollitur potestas sacerdoti offerendi sacrificium in persona Christi, & applicandi effectum sacrificij, quemadmodum sacerdos excommunicatus priuatus est ab Ecclesia, ne possit legitimè, vt minister Ecclesiæ conficere sacramentum, neque illud alijs administrare; si tamen de facto illud conficiat, & conferat alijs, tenet sacramentum, & parit effectum suum; quia non est priuatus potestate quam accepit in ipsa ordinatione ex Christi institutione, & idcirco, vt minister Christi si offerat, tenet sacrificium, neque potest impediri ex constitutione Ecclesiæ, sicut non potest ecclesia irritare intentionem ministri, vt si intendat conficere sacramentum, non sit validum sacramentum, non ob aliam rationem, nisi quia in eo actu minister gerit personam Christi, & ex institutione Christi operatur.

Secunda propositio sit, sacrificium oblatum à ministro Ecclesiæ pro excommunicato nihil illi prodest, & nullum producit effectum ex ea parte, qua offertur nomine ecclesiæ, & ex ordinatione, & institutione eiusdem. Et eadem est ratio de oratione, & quocunque alio suffragio.

Probatur sacrificium missæ quatenus offertur à ministro ecclesiæ nomine, & in persona eiusdem ecclesiæ, habet peculiarem vim, & efficaciam ex hac parte vltra fructum, quem producit, quatenus est ex institutione Christi, vt dixi in primo capite; sed hic effectus sacrificij non potest extendi vltra intentionem Ecclesiæ principalis offerentis, quæ excludit omnino excommunicatum ab huiusmodi fructu. Igitur sacerdos sic offerens pro excommunicato non solum peccat, sed etiam talis oblatio, quoad hunc effectum, nullius est valoris.

Dicet aliquis, si sacerdos prohibetur orare, vel offerre sacrificium pro excommunicato, nomine, & in persona Ecclesiæ, quatenus minister eius, ergo si offerat præcise vt Minister deputatus à Christo, non tantum oblatio erit vtilis excommunicato, sed ipse non erit criminis reus, cuius oppositum firmaui in prima conclusione.

Respondeo sacerdotem sub triplici ratione offerre posse, nempe vt Christi ministrum, secundo vt deputatum ab Ecclesia ad offerendum eius nomine, tertiò vt priuatam personam nomine proprio. Sub hac vltima ratione absque vllo periculo potest pro excommunicato orare, vt probabo in sequenti capite; prohibet ecclesia, ne offerat sub alijs duabus rationibus, sed non eodem modo, nàm si offerat vt Minister Christi, peccat contra præceptum Ecclesiæ, sed oblatio tenet, quia ecclesia non potest reddere irritam, & nullam oblationem, cum non valeat tollere potestatem ordinis collatam à Christo sacerdoti in ipsa consecratione, sed potest tantum impedire vsum huius potestatis. Si verò offerat vt minister Ecclesiæ, & peccat, & oblatio non est valida; quia ecclesia prohibet, nè fiat, & tollit potestatem, nè validè possit offerre in persona ipsius.

Quod autem ecclesia interdicat Sacerdoti, nè sacrificium offerat, non solum vt Minister publicus, sed neque vt minister Christi probatur; nam si ecclesia potest prohibere sacerdoti, nè absoluat excommunicatum sacramentaliter, quamuis in exercendo hoc ministeriũ non gerat personam ecclesiæ, sed Christi, multò magis poterit prohibere, ne offerat sacrificiũ missæ, vt minister Christi pro excõmunicato, quia vtrũq; est ministerium publicum ecclesiæ, ad quam pertinet disponere de ijs, quæ conueniunt ad commune bonum, & spiritualem vtilitatem fidelium, & ità tenet Alanus lib. 2. de Eucharistia cap. 31. & hæc, quæ dicta sunt de sacerdote offerente pro excommunicato, aptanda sunt eodem modo, quando sacerdos excommunicatus pro se ipso celebraret.

CAPVT IX.

An præceptum ecclesiæ, ne sacrificium, & communia suffragia ab ecclesiastico ministro pro excommunicato offerantur, extendatur etiam ad priuatas orationes, & alia pia opera, quæ fidelibus nomine proprio inuicem applicari possunt.

PRO parte affirmatiua, quod ecclesiæ præceptum sit vniuersaliter intelligendum de omnibus suffragijs tam publicis, quam priuatis, afferri potest textus; in c. A nobis 2. de sent. excom. Vbi simpliciter absq; vlla distinctione dicitur; pro excommunicato ante obtentam absolutionem ab ecclesia non esse orandum, & confirmat ibi Glo. Vers. A fidelibus dicens: *Pro tali non esse orandum*. Idem habetur in cap. Sacris eod. tit. his verbis; *Non tamen priusquam absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus, nec oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes Domino porrigendæ.* Textus non distinguit de publicis, aut priuatis orationibus, sed generaliter loquitur, & prohibet, ne oretur pro excommunicato, ergo generaliter est intelligenda hæc prohibitio.

Accedit, quod interdicta est fidelibus omnis communicatio in genere cum excommunicato, & præcipuè in rebus sacris, & spiritualibus, sed orare, vel aliud opus pium & bonum offerre pro excommunicato est cum illo communicare, immò maior est communicatio, quàm si quis eius consortio vteretur in actionibus ciuilibus, & communibus, igitur dicendum multò magis illud esse vetitum.

Confirmatur testimonio B. Tho. in quodlib. 11. art. 9. Vbi vniuersaliter sine vlla exceptione affirmat ità esse damnatũ orare pro excommunicato, sicut audire missam simul cum eo, sed audire Missam non est actio publica, sed priuata spectans ad singulos fideles, ergo intendit non solùm prohibitam esse orationem publicam, sed priuatam.

Huic

Huic quæstioni communis est responsio omnium Doctorum non esse prohibitum ab Ecclesia fidelibus, ne licitè, & sine culpa possint secretò orationes priuatas, & occultas dirigere ad Deum, & propriā satisfactionem suorum bonorum operum pro excommunicato offerre.

In primis itā videtur sentire D. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 1. quæstiun. 1. vbi explicans definitionem excommunicationis excommunicatio est separatio à communione Ecclesiæ, quoad fructū, & suffragia generalia, inquit dictam definitionem significare separationem à communione fidelium, quantum ad spiritualia illis verbis, *Et suffragia Ecclesiæ communia*, clarius in responsione ad primum ait *Pro excommunicatis orari potest, quamuis non inter orationes, quæ pro membris ecclesiæ fiunt*. Idem tenent Durand. eadem dist. q. 3. Riccard. art. 7. q. 2. Gabr. q. 2. dub. 1. & lect. 25. in Can. missæ, Palud. q. 1. art. 1. & alij. Eiusdem opinionis est Abb. in dicto c. A nobis n. 6. ex mente Innoc. & eandem cōfirmat Nauar. pluribus rationibus, & conuenientijs in Manua. cap. 27. num. 36. Vers. ad Quintum.

Probatur primo ex Glo. in c. Si quis Episcopus 3. & est c. 91. Vndecima q. 3. Ver. Pro Hæreticis, vbi quærit, an pro Hæreticis sit orandum, & ait distinguēdum esse inter priuatam, & publicam orationem, similiter de Hæreticis viuentibus, vel de mortuis, & iam defunctis, si sermo sit de oratione priuata, & de hæreticis defunctis, certum esse dicit, Pro eis non esse orandum peculiari oratione, & Glo. in c. Non æstimemus Ver. Omnibus 13. q. 2. notat pro Paganis, vel Iudæis mortuis non esse orandum; nec pro Cathecumenis; pro baptizatis verò mortuis, siue sint damnati, siue non sint, orandum esse generali oratione, quando non constat de statu illorum, speciali autem oratione non esse orādum pro illis defunctis, quos constat damnatos decessisse ex hac vita. Vnde in c. Fures de furt. habetur, *Fures & latrones si in furando, vel depredando occiduntur visum est pro eis non esse orandum, &c.* & in c. Pro obeuntibus ead. cau. & q. Similiter Glo. in Ver. Pro impijs quærit, nunquid Ecclesia oret pro illis, quos constat decessisse in peccato mortali, & respondet negatiuè Ecclesiam pro illis non orare, vt si quis suspendat se, vel ex eminentiori loco se præcipitet, vel alio modo se interficiat, idem confirmatur in c. Placuit 23. qu. 5. *Placuit, vt qui sibi ipsis voluntariè, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla prorsus pro illis in oblatione commemoratio fiat; neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadauera deducantur*. Vnde in cap. 1. de reliq. & Vener. sanct. Alexand. Tertius asserit ecclesiam vix permittere, vt oretur pro illis, qui in ebrietatibus perempti sunt, cum Apost. dicat ad Ephes. cap. 5. *Ebriosi Regnum Dei non possidebunt*. Vbi Glos. Ver. Cum vix. notat adiectam fuisse dictionem illam *Vix* quia non in omni casu id locum habet, sed quando ebrietas fuit peccatum mortale, nempè si frequenter, & assiduè solitus erat se inebriare.

Hoc idem docet Turrecrem. in dicto cap. Si quis Episcopus num. 2. 11. q. 3.

Idem nos affirmare possumus ob eandem rationem de excommunicatis, quos constat ex hac vita decessisse nullo contritionis, & pœnitentiæ signo exhibito; non propter excommunicationem, quia Ecclesia nolit, vt Christianus dirigat suam orationem priuatam ad Deum pro excommunicato, vt Deus illum conuertat, sed propter peccatum lethale, ratione cuius (quantum verisimiliter ex externis operibus nobis

A innotescere potest) cum sit in statu damnationis, non est pro illo orandum, quia nihil illi prodesset, & pro damnato non est orandum.

Quod si tractetur de Hæreticis viuentibus, aut excommunicatis inquit Glos. in dicto capitulo. Si quis Episcopus; non prohibet Ecclesia, vt pro illis oremus oratione priuata etiam speciali, vt Deus illos conuertat, & idem asserit etiam ibi Turrecrem.

Potest eadem conclusio probari ratione; nam hæc communicatio, qua vnus spontè concedit alteri fructum, & satisfactionem sui boni operis ex opere operantis, prouenit ex charitate, qua membra huius mistici corporis se inuicem diligunt, sed Ecclesia non potest tollere huiusmodi communicationem,
B vt superius probaui, saltem quoad actum internum, vt iustus per interiorem actum non possit dirigere intentionem suam ad excommunicatum, & cedere illi fructum, & satisfactionem sui boni operis; quia Ecclesia non habet iurisdictionem in actus interiores.

Secundo idem confirmatur ex vsu, & consuetudine vniuersali, quia fideles viri, iusti, & pij orant passim pro excommunicatis, vt Deus illis dignetur elargiri gratiam, qua errorem agnoscentes ad pœnitentiam excitentur, & abiecta contumacia ad obedientiam redeant, & nullibi id à sacris Canonibus apparet damnatum fuisse, & hoc modo etiam pro infidelibus, & Ethnicis permissum est orare, vt probatum est in cap. 2.

C Neque oppositum probatur ex cap. A nobis initio huius cap. citato; ibi enim prohibetur communicatio in oratione cum excommunicato, sed per orationem priuatam non dicitur quis propriè communicare cum excommunicato; quia communicatio dicitur illa, per quam plures sunt participes bonorum communium, sed est potius quoddam opus misericordiæ, & spiritualis eleemosina, quæ fit ex bonis proprijs, & priuatis. Et idem respondendum est ad capit. Sacris.

CAPVT X.

An excommunicatus itā sit extra ecclesiam, vt nullo modo ecclesiæ membrum vocari possit. D

QVONIAM diximus excommunicatum per excommunicationem remanere priuatum omninò fructu suffragiorum Ecclesiæ, vt nec sacrificium pro eo offerri liceat, nec preces publicas ad Deum fundi, hic merito inquiri potest; an itā sit ab ecclesia reiectus, vt nullo modo ecclesiæ membrum dici debeat.

Ad hanc quæstionem vnica conclusione affirmatiua, illaque certissima respondendum est, nimirum excommunicatum esse extra Ecclesiam, neque vocari posse membrum ecclesiæ.

Id in primis docet Catechismus Romanus in ex-
E plicatione Symboli, Thomas Vualdensis tom. 1. lib. 2. cap. 9. Doctr. fid. Antiquæ, Ioann. de Turrecrem. libro primo, capit. 3. Summæ de Ecclesia, Ioannes Driedo, lib. 4. cap. 2. par. 2. De Scriptur. & Dogmat. Eccl.

Secundò probatur ex cap. Canonica 11. quæst. 3. *Canonica instituta, & Sanctorum Patrum exempla sequentes ecclesiarum Dei violatores auctoritate Dei, & iudicio sancti Spiritus à gremia sanctæ Matris ecclesiæ, & à consortio totius Christianitatis eliminamus*.

Tertiò ex Patribus Eusebius lib. 5. Histor. cap. 24. Narrans quemadmodum Victor Papa excommuni-

cauerat omnes Asianos, *literas inquit mittit, quibus omnes simul absque discretione ab Ecclesiastico fœdere segregaret.* Et infra, *Irenæus*, inquit, *Victorem arguit, quòd non rectè fecerit abscindere à corporis vnitate tot, & tantas Ecclesias Dei.*

Epiphanius hæresi 42. quæ est Marcionis, loquens de Marcione, qui antequam esset hæreticus, virginitatis professor erat, & tamen corrupit mulierem, quæ virginitatem quoq; profitebatur, & ideo à Patre suo excommunicatus fuit. *A proprio, inquit, Patre ab Ecclesia eijcitur, erat enim pater ipsius propter excellentem pietatem illustris, & in Episcopatus ministerio honestè viuens perseuerabat.*

Hilarius in c. Matth. 18. In illud. *Sit tibi sicut Ethnicus; & publicanus* dicit Deum sic egisse cum Populo Israel, vt Christus monet agendum, primò enim corripuit populum inter se, & ipsum solum, quando apparuit illis cum maiestate in Monte Sinai, secundò adhibendo secum duos testes, idest legem, & Prophetas, Tertiò dixit Ecclesiæ, idest misit Christum Summum Præsulem Ecclesiæ, qui Iudæos obiurgaret; vltimò cum illi Ecclesiæ Præsulem non audirent, neglexit eos, ac deseruit, vt Ethnicos, & Publicanos; quibus verbis ostendit fieri sicut Ethnicum, & Publicanum; quod fit per excommunicationem, esse eijci de Populo Dei, & non amplius à Deo gubernari peculiari illa prouidentia, qua gubernatur Ecclesia.

Chrysostomus, & Theophylactus in hunc locum exponunt eijci de Ecclesia, quod hic dicitur esse fieri vt Ethnicum, & Publicanum.

Hieronymus in caput tertium Epistolæ ad Titum dicit, alios peccatores per Episcopum excommunicatione propelli extra Ecclesiam, quò per se ipsos eunt Hæretici, & Schismatici.

August. lib. de vnitate Ecclesiæ cap. vltimo dicit, excommunicari esse visibiliter præcidi à corpore Ecclesiæ; item lib. de correptione, & gratia cap. 15. dicit *per excommunicationem separari ab omnibus sanis morbidam, ne per plures serpant dira contagia*, citatur etiam ex Augustino hæc sententia 11. q. 3. c. *Omnis Christianus, qui à sacerdotibus excommunicatur, Sathanæ traditur, quomodo? Quia extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus.* Cui subscribit Anselmus, qui in caput quintum primæ ad Corinth. dicit *tradere hominem Sathanæ esse per excommunicationem eum de Ecclesia pellere.*

Probatur vltimò ratione. Primò per excommunicationem priuantur homines omni commercio spirituali, quod habent omnes Ecclesiæ inter se, vt docet Tertullianus in Apologet. c. 39. Igitur non sunt amplius in cœtu Ecclesiæ; quid enim est ciuem aliquem priuari Ciuitate, nisi priuari omni commercio, quod est inter homines illius Ciuitatis?

Secundò excommunicatio eum locum habet in Ecclesia, quem pœna mortis habebat in testamento veteri, & quem habet in temporalibus Rebus publicis, at per mortem separantur homines plenè à tota Republica, August. q. 39. in Deuteronom. *Hoc*, inquit, *nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc. Interfectio* vbi confert, quod dicebatur Deuteron. 24. *Auferes malum de medio tui* cum eo, quod dicit Apostolus 1. ad Corinth. 5. *Auferte malum ex vobis ipsis.*

Tertiò nulla pœna est maior, quam Ecclesia possit infligere, excommunicatione, vt B. August. docet lib. De Corrept. & gratia cap. 15. ergo per excommunicationem eijcitur homo de Ecclesia; nam grauius est proijci de Ecclesia, quàm quælibet pœna quę de manentibus in Ecclesia sumitur.

Quartò excommunicatio non potest ferri nisi in contumaces, & incorrigibiles, vt B. August. docet lib. De vera Relig. cap. 6. Et idem etiam omnes Theologi deducunt ex illo Matth. 18. Si Ecclesiam &c. Igitur excommunicatio est eiectio de Ecclesia, si enim excommunicatio esset pœna aliqua infra eiectionem, ferretur etiam quandoquè in homicidas, adulteros, & alios facinorosos, licet non contumaces. Adde, quod cum absoluuntur excomm. dicitur: *Restituo te vnitati Ecclesiæ, & eius membrorum participationi.* Quod signum est perspicuum excommunicatum separatum fuisse ab vnitate Ecclesiæ.

Sed contra dicta obijcitur Primo. Nam homo excommunicatus retinet baptismum, fidei professionem, & subiectionem Prælatis legitimis, atq; adeò potest esse amicus Dei, si nimirum sit iniustè excommunicatus. Potest etiam iustè excommunicatus pœnitentiam agere, & habere illa tria, antequam absoluatur, Igitur in Ecclesia erit, etiam manens excommunicatus.

Respondeo, talem esse in Ecclesia animo, siue desiderio, quod sufficit illi ad salutem, non tamen esse corpore, siue externa communicatione, quæ propriè facit hominem esse de Ecclesia ista visibili, quæ est in terris, August. lib. De vera Relig. cap. 6. *Sæpè etiam sinit Diuina Prouidentia expelli de cōgregatione Christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam, vel iniuriam suam cum patientissimè pro Ecclesiæ pace tulerint, neque vllas nouitates, vel schismatis, vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines, quam verò affectu, & quanta sinceritate charitatis Deo seruiendum sit. Hos coronat in occultò Pater in occultò videns.*

Secunda obiectio fit. Quoniam B. August. lib. contra Donatistas cap. 20. dicit. *Neque enim à Populo Dei separamus, quos vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem pœnitendo locum redigimus.*

Respondeo Primò. me suspicari locum esse corruptum, & sic legendum esse. *Neq; enim à Populo Dei nō separamus, nam statim sequitur. Et vbi hoc facere pacis, & tranquillitatis Ecclesiæ gratia non permittimur, non tamen ideo ecclesiam negligimus, &c.*

Quod si locus hic non sit corruptus; responderi potest secundo. Per populum Dei hoc loco non intelligi solam Ecclesiam militantem, sed absolutè numerum omnium saluandorum, siue sint in Ecclesia, siue esse possint non enim per excommunicationem intendunt Pastores separare homines à numero saluandorum, sed potius ea correptione iuuare eorum salutem.

Tertia obiectio fit; excommunicatio est medicina quædam spiritualis instituta in vtilitatem eorum, qui excommunicantur. Vnde Apostolus 2. Ad Thessalon. vlt. ait, *Quod si quis non obedit verbo vestro &c.*

Respondeo, excommunicatio etiam si abscindit hominem ab ecclesia, tamen non aufert potentiam, vt non possit iterum inseri in Ecclesiam is, qui præcisus est, si pœnitentiam agere velit; idcirco ecclesia per excommunicationem separat quosdam à suo corpore, sed in vtilitatem, quia cupit eos illa confusione humiliari, & humiliatos iterum in suum corpus recipere; hæc dicta sint de primo effectu excommunicationis Maioris.

DE SECVNDO EFFECTV EXCOMMVNIC. Maioris, nempè de Priuatione participationis Sacramentorum.



BSOLVTA disputatione de primo effectu excommunicationis, nẽpè de priuatione suffragiorum Ecclesiæ, transeundum est ad secundum effectum, quo redditur excõmunicatus exclusus à sacramentorum tractatione; textus optimus in c. Si celebrat de Cleric. excomm. ministr. & c. Apostolicæ eodem tit. c. Cum illorum de sent. excomm.

Quare excommunicatus tractans sacramenta Ecclesiæ peccat propter grauem iniuriam, quam infert sacramentis ea tractans in eo statu, quo iustè ab Ecclesiæ communione est segregatus, vt docet S. Tho. 2. 2. q. 99. art. 1.

Est igitur priuatus excommunicatus, nè possit conferre, & administrare alijs sacramenta, atque etiam nè possit recipere ab alijs; quamobrem vt hunc effectum excommunicationis accuratè, & distinctè explicemus; plura sunt pertractanda, quæ difficultatem non paruam habent, & primo loco suscipiam disputationem de priuatione passiuæ participationis sacramentorum, idest de priuatione facultatis ad recipiendum sacramenta, & postea dicam de inhabilitate ad administrandum sacramenta.

Agentes verò de priuatione passiuę receptionis sacramentorum, duo quæri possunt Primum est de peccato excommunicati, qui in tali statu recipit sacramentum, & vtrum aliquando, vel ratione necessitatis, vel ex alia causa excusetur à culpa, si recipiat Sacramentum. Secundum est de validitate sacramentorum; An sacramentum ab excommunicato receptum teneat, & habeat effectum. Ad quorum clariorem explicationem opus est declarare extrauag. Martini Quinti Ad euitanda, qua coarctatum est ius antiquum circa prohibitionem de non communicando cum excommunicato tàm in participatione sacramentorum, quàm in alijs actibus, idcirco initio huius disputationis de intelligentia dictæ Constitutionis pertractabimus.

DISPVTATIO SEXTA
De Incapacitate Excommunicati ad recipiendum Sacramenta Ecclesiæ.

Caput Primum. Quæ fuerit Constitutio edita à Concilio Basiliensi de euitandis excommunicatis, & qua ratione differat ab ea, quæ refertur ex Concilio Constantiensi à B. Antonino, & quales excommunicati hoc tempore ex obligatione sint vitandi.

Caput Secundum. Explicantur dubia quædam de duplici genere Excommunicatorum, quorum communicatio vitanda est decreto Concilij Constantiensis.

Caput Tertium. Quod sit peccatum excommunicati recipiendo quodlibet sacramentum.

Caput Quartum. An Minister Ecclesiæ peccet, si con- A *ferat sacramentum excommunicato.*

Caput Quintum. Vtrum sacramenta ab excommunicato recepta valida sint, & effectum habeant, & an hoc affirmari possit de quocunque sacramento, etiam de sacramento Pœnitentiæ.

Caput Sextum. An excommunicatus in casu necessitatis licitè, & sine peccato possit recipere sacramenta, præsertim absolutionem à peccatis, maximè in articulo mortis si non adsit superior, qui eum antea absoluat à vinculo excommunicationis & à quo absolui possit.

Caput Septimum. An excommunicatus absolutus in articulo mortis à simplici sacerdote teneatur, si euaserit periculum, recipere absolutionem à Superiore.

B *Caput Octauum. An dentur alii casus seclusò articulo mortis, in quibus eadem iurisdictio competat inferiori sacerdoti absoluendi ab excommunicatione reseruata.*

CAPVT I.

Quæ fuerit Constitutio edita à Concilio Basiliense de euitandis excommunicatis, & qua ratione differat ab ea, quæ refertur ex Concilio Constantiensi à B. Antonino, & quales excommunicati hoc tempore sint euitandi.

CONCILIVM Basiliense sess. 20. Anno Domini C 1431. *Ad euitanda scandala & multa pericula, subueniendumque conscientiis timoratis statuit etiam, quod nemo deinceps à communione alicuius in sacramentorum administratione, vel receptione, aut alijs quibuscunque diuinis, vel extra prætextu cuiuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à iure generaliter promulgata teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum obseruare, nisi sententiæ prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi fuerit contra personam, Collegium, Vniuersitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam à Iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expressè aut si aliquem ità notoriè in excommunicationis sententiam constiterit inci-* D *disse, quod nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari. Nam à communione illius abstinere vult iuxta canonicas sanctiones; per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, & interdictos seu prohibitos non intendit in aliquo releuare, nec eis quomodolibet suffragari.* Hactenus Synodus Basiliensis antequam dissolueretur, quod prius fuerat definitum in Concilio Constantiensi paucis quibusdam mutatis in fine, vt refert B. Anton. 3. par. tit. 25. c. 3. Hæc tamen Constitutio non legitur inter acta Concil. Constant. quæ modò habemus, sed illa refertur à quibusdam Doct.

Differentia, quæ reperitur in verbis huius Constitu- E tionis, vt habetur in Conc. Basilien. & inter illam, quæ citatur à Doct. ex Conc. Constan. est, quod loco illorũ verborum, quæ retulimus ex Conc. Basilien. *Si aliquem ità notoriè in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari, &c* Hæc leguntur in Conc. Constantiensi apud D. Antoninum *aliquo si quem pro sacrilega manus iniectione in Clericũ sententiã latã notoriè constiterit incidisse; nã à communione illius, licet denunciatus nõ fuerit, volumus abstineri iuxta canonicas sãctiones.*

Et simili modo postea omnes summistæ hanc lectionem sequuntur accipientes illam à B. Antonino, & B. Antoninus subdit, quod quamuis quidam affirment hanc Constitutionem fuisse quidem propositam in Concilio Constantiensi, sed non reiectam, præsertim à Prælatis Nationis Italicæ; ipse tamen fatetur audiuisse à duobus viris scientia, & sanctitate præclaris, qui dicto Concilio interfuerunt, quos nominat; hanc Constitutionem approbatam fuisse ab vniuerso Concilio, & fuisse editam non ad certum tempus, vt alij putabant, sed vt vim haberet perpetuæ Constitutionis. Idem repetit in tract. De Censuris cap. 83. Ver. Nota diligenter.

Ex quibus apparet maximum discrimen inter has duas diuersas huius decreti lectiones, cum in Concilio Constantiensi non adsit clausula generalis, vt omnis notoriè excommunicatus ante denunciationem sit vitandus, sed tantùm qui ex iniectione manuum in Clericum notoriè est excommunicatus. At ex Basiliensi Concilio constat quemlibet omninò notoriè excommunicatum ante denunciationem vitandum fore. & in hanc sententiam inclinat Felin. in c. Rodulphus num. 73. De Rescript. quamuis non certò id asserat, quia non viderat acta Concilij Basiliensis, & in eandem citat Abb. in Clem. 2. de sent. excom. Idem magis expressè fatetur Silue. V. Excommunicatio 5. §. 9. Nempè quod non excipiatur peculiariter, & in specie notorius Clerici percussor, sed omnis notoriè excommunicatus. Eodem modo habetur in Statutis Ecclesiæ Gallicanæ, & in concordatis inter Leonem Decimum, & Regem Galliæ Franciscum in tit. De Excommunicatis non vitandis, & renouata est in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 2. vt inquit Nauar. in Manua cap. 27. num. 35. & in c. 1. §. Laboret nu. 10. De pæn. dist. 6. Idem tenet Couar. in c. Alma part. 1. §. 2. num. 7.

Pro qua sententia facit primò; quoniam hæc constitutio generaliter edita reperitur inter acta Concilij Basiliensis, quæ modò extant. In Concilio autem Constantiensi non legitur coarctata, sed refertur tantùm à Doctoribus. Quarè ex hoc capite illa Constitutio non potest habere vim legis obligantis omnes fideles, potius tenemur fidem præstare Concilio Basiliensi.

Confirmatur, quoniam Concilium Lateranense sub Leone X. approbauit hanc Constitutionem iuxta formam Concilij Basiliensis.

Accedit, vt inquit Felinus, quod nulla apparet ratio, quare magis excipiendus sit excommunicatus ob publicam, & manifestam Clerici percussionem, quàm quicunque alius notorius excommunicatus.

Nec obstare videtur, Si quis obijceret Concilium Basiliense, quando edidit illam constitutionem, non fuisse legitimum Concilium sub obedientia Romani Pontificis, vel saltem si tunc non erat separatum à communione Summi Pontificis, nunquam fuisse ab eodem confirmatum quoad hanc partem, & idcirco tanquam nullius roboris haberi, & obligare non posse.

Ad hoc enim respondet Couar. & inquit; quæ in Synodo Basiliensi, vel Constantiensi acta fuerunt circa damnationem quorundam articulorum hæreticorũ, & causas beneficiales, ac Censuras, approbata fuisse apostolica auctoritate, sicut apparet ex bullis Martini V. & Nicolai V. quæ habentur in libro Conciliorũ.

Quicquid sit de veritate harum lectionum, hoc vnũ est certissimum Extrau. Ad euitanda sæpe citari à pluribus auctoribus sub hac forma, vt solùm complecta-

A tur eos, qui ex notoria manuum iniectione in Clericũ redduntur excommunicati, vt B. Anton. locis citatis, Caiet in Summa V. excommunicatio minor, Adrian. in 4. in tit. De Eucharistia q. penul. & de confessione dub. 9. & de Claui. q. 3. Maior dist. 18. q. 3. Sotus in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. conclus. 4. vbi tenet hanc lectionem iuxta hunc sensum coarctatam ad notorios Clerici percussores haberi in Concilio Basiliensi, cum enim dixisset, quoad euitandos ministros præcisos, seruandam esse Constitutionem Concilij Constantiensis paulò post tempus B. Tho. celebrati de cauendis excommunicatis nominatim, & publicis percussoribus Clericorum. Deindè paucis quibusdam interpositis addit, *Tametsi textus ille non sit in Concilio Constantiensi,*
B *sed in Basiliensi; at verò, vt D. Anton. 3. par tit 25. c. 3. refert, decretum illud in Concilio Constantiensi fuit definitum, & statim in Basiliensi sub Martino Quinto receptũ.*

Videtur etiam hoc tempore sententia illa communis ab omnibus Doctoribus approbata, & nullus est, qui ab ea recedat, vt secundus casus extrau. Ad euitanda excipiat solùm excommunicatos ob notoriam Clerici percussionem, & non sit generalis comprehendens omnem notorium excommunicatum.

Probatur primo; quoniam hæc dispositio sub hac forma fuit definita in Concilio Constantiẽsi, vt testatur Anton. accepisse ex testibus fide dignis, qui interfuerunt Concilio, & Papam hac de re interrogatum
C respondisse illam esse vnam de concordatis, & velle, vt illa semper duret.

Si obijcias hanc formam fuisse mutatam in Concilio Basiliensi celebrato post Constantiense, ibique decretum fuisse generaliter euitandum fore omnem notoriè excommunicatum absque vlla limitatione; ideo standum esse huic posteriori decreto.

Respondetur, & vt omittam id, quod ait Sotus loco citato, Constitutionem Concilij Constantiensis fuisse confirmatam in Concilio Basiliensi, Dico primò Concilium Basiliense, quando edidit illud decretum, non fuisse legitimum, sed Schismaticum, & Itali illud non receperunt, & vt inquit Adrian. de illius auctoritate plures dubitant; quod si Concilium edidit decretum
D ante Schisma, non fuit tamen confirmatum à Sede Apostolica, vt probat Turrecrem. in summa de Ecclesia lib. 2. cap. 100. Nec valet id, quod inquit Couar. Acta illius Concilij circa damnationem quorundam hæreticorum, & causas beneficiales, ac Censuras approbata fuisse auctoritate apostolica, sicut inquit apparere ex bullis Martini Quinti, & Nicolai Quinti, Nàm in bulla Martini V. damnantur hæreses Ioannis Vicleph, & Ioannis Hus, & habetur in fine Concilij Constantiensis. In bulla Nicolai V. approbantur acta in Concilio Basiliensi quoad causas quasdam beneficiales, De Censuris nihil dicitur, & habetur in fine eius dem Concilij.

Dico secundò, quod si hæc Constitutio edita fuit ge
E neraliter in Concilio Basiliensi, sicut omnes communiter legunt, vt habetur in ipso Concilio; postea tamẽ in Concilio Florentino sub Martino V. fuit coarctata, & confirmata iuxta tenorem Concilij Constantiensis, licet hæc ratio non sit omnino firma, quoniam eadem constitutio vniuersalis legitur in Concilio Lateranensi, quod fuit post Florentinum, sicut edita erat in Concilio Basiliensi.

Dico tertio, quod licet Concilium Basiliense non coarctauerit hoc decretum ad excommunicatos notorios ob persecutionem Clerici, sicut editum fuit in Concilio Constantiensi, sed generaliter loquatur de omni

omni notoriè excommunicato; non abrogauit tamen expreſſe Conſtitutionem Concilij Conſtantienſis confirmatam à Martino Quinto.

Probatur ſecundo eadem ſententia ex conſuetudine, & vſu vniuerſali totius Orbis Chriſtiani, receptũ eſt enim iam apud omnes, vt nemo putet teneri ex præcepto Eccleſiæ, Excommunicati conſortium cauere ratione publicæ, & notoriæ excommunicationis, niſi propter Clerici percuſſionem iuxta tenorem antiquæ conſtitutionis Concilij Conſtantienſis, & hæc eſt ratio potiſſima, cui inniti debet hæc opinio, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 35. in fi. & idem repetit lib. 1. Conc. in tit. de Conſtit. conc. 1. quæſt. 24. Conſuetudo enim legitimè præſcripta, & appobata facit licitum, quod alias eſſet illicitum Reg. Quod non eſt licitum de Reg. Iu. lib. 6. Ità quoq; ait Caiet. in ſumma V. excommunicatio in fine De excommunicatione Minori. Vnde Sotus etiam in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 4. affirmat ſine metu hanc ſententiam eſſe defendendam.

Tertio ſi hæc conſtitutio generaliter accepta, vt habetur in Concilio Baſilienſi, obligaret hoc tempore, ſequeretur omnes Catholicos, qui in Gallia, & Germania verſantur apud hæreticos manifeſtos, immò cum illis, qui palam profitentur ſe tales, & ſunt manifeſte excommunicati propter hæreſim in Bulla Cœnæ, quorum aſſidua, & quotidiana conſuetudine vtuntur, & cum quibus ineunt ſocietates, commercia, matrimonia, & cuiusq; generis contractus, grauiter peccare ex hac communicatione contra dictum decretum, quod nulla ratione affirmari poſſe videtur, vt animaduertit Nauar. in dicto num. 35. in Manua. Hoc enim modo damnaremus viros eruditiſſimos, qui in illis prouincijs degunt, & Vniuerſitates celeberrimas, quod ſatis durum, & rigidum videtur.

Quarto ſi ita generaliter ſeruaretur hæc conſtitutio, non eſſet conſultum timoratis conſcientijs, ſicut intendit Concilium, ſed potius illaquearentur magis, nam ſæpè in dubio verſatur, vtrum crimen ſit æquè adeo publicum, & manifeſtum, vt poſſit dici notorium.

Quod ſi in Concilio Lateranenſi habetur hæc conſtitutio ſecundum amplam, & latam acceptionem, ſicut in Concilio Baſilienſi, id accidit, quia Concilium Lateranenſe non intendebat aliquid definire hac in re, quod obligaret omnes fideles, ſed tantum id, quod obſeruandum eſſet à Gallis iuxta concordata inter Regem, & Summum Pontificem, qui recipere voluerunt hoc decretum in amplà, & generali ſignificatione, vt comprehenderet omnem notorium excommunicatum ex quacunq; cauſa, ſed hoc tempore etiam in Regno Galliæ viget contraria conſuetudo, vt non omnes notoriè excommunicati euitentur.

Felinus in dicto cap. Rodulphus nu. 73. De Conſtit. opponit contra hanc ſententiam, & fatetur ſe neſcire excogitare rationem vllam diuerſitatis, cur Eccleſia E
voluerit prohibere communicationem cum publico Clerici percuſſore magis quàm cum quouis alio notorio excommunicato. Accedit, quod notoriè excommunicatus non eſt neceſſariò denunciandus excommunicatus, vt Felin. ibi dicit, & nu. 66. & Abb. in cap. Peruenit. 1. De Appell. ergo raró contingeret caſus, quo fideles tenerentur euitare notorium excommunicatum.

Reſpondeo, & primo dico fortaſſe rationem, propter quam inducta ſit conſuetudo, quæ coarctauit exceptionem illam generalem Concilij Baſilienſis ad ſo-
A lam Clerici percuſſionem, fuiſſe, quia creuit numerus, & multitudo Hæreticorum in varijs Prouincijs, qui publicè vt hæretici, & excommunicati ab omnibus habebantur, & neceſſe erat, vt intercederet commercium, & conſuetudo inter ipſos & Catholicos ad tuendam ſocietatem humanam, vt innuit Nauar. num. 35. citato.

Dico ſecundo non valere argumentum ex paritate rationis in ijs, quæ pendent ex Iure poſitiuo, vt ex vno ad aliud inferri poſſit, niſi aliquo modo conſtet de tali intentione Legislatoris, & vel ex coniecturis, vel ex antecedentibus, aut conſequentibus neceſſe ſit hoc modo legem interpretari, vt notant Doctores in l. Illud. ff. Ad Legem Aquil. cap. Cum di-
B lecta De confirm. Vti. vel Inut. Sed vbi de tali voluntate nihil extat, ſola rationis ſimilitudo non ſufficit, vt lex poſſit extendi de caſu ad caſum. Nam ad firmandam legem vtrunq; eſt neceſſarium, Ratio ſcilicet, & voluntas Legislatoris.

Dico tertio non deeſſe etiam rationes, quæ poſſint aſſignari cur magis congruum viſum fuerit excipere notorium excommunicatum ex percuſſione Clerici, quàm ex quouis alio crimine. Primò vt Miniſtri Eccleſiaſtici ſecurius poſſent munus ſuũ gerere, & absq; vllo metu, & periculo, vbi occaſio ſe offerret, ſubditos ſuos corriperent, & excommunicationis, atq; aliarum cenſurarum gladio percuterent. Secundo quia offendere Clericum eſt crimen graue habens annexum
C ſcandalum ab omni lege ſeuerius ſemper punitum. Tertiò quoniam licet hæreſis ſit ſcelus grauius; tamen absq; vlla prohibitione facile vitatur hæreticus manifeſtus, ſi verſetur inter Catholicos, & magna ſeueritate illico Officium ſanctiſſimæ Inquiſitionis in eum animaduertit, ne alios inficiat. Si vero commoretur vbi copia, & numerus Hæreticorum abundat, difficillime vitari poteſt, & idcirco excuſari debent Catholici communicantes, vt pauloante dicebam; hoc autem locum non habet in percuſſione Clerici, & hoc modo ſoluta ſit obiectio Felini. Ad confirmationem quid ſit dicendum conſtabit ex ijs, quæ in tertio notando dicenda erunt.

D Tertiò declarandum eſt, quorum excommunicatorum communicationem prohiberi voluerit Cõcilium illis duabus exceptionibus, cũ dixit. *Niſi ſententia fuerit, &c. contra certam perſonam à Iudice publicata, vel denunciata ſpecialiter, ſaluo ſi quem pro ſacrilega manus iniectione in Clericum ſententiam latam à Canone notoriè conſtiterit incidiſſe.*

Quibus verbis excipiuntur duo genera hominum excommunicatorum, quorum familiaritas, & commercium vitandum eſt à fidelibus, nempè excommunicati per ſententiam in ſpecie, ideſt, vt omnes interpretantur, nominatim, & publici Clericorum percuſſores.

CAPVT II.

Explicantur dubia quædam de duplici genere excommunicatorum, quorum communicatio vitanda eſt ex decreto Concilij Conſtantienſis.

CIRCA primum genus perſonarum duæ quæſtiones proponuntur à Doctoribus. Prima eſt, quos intelligere voluerit Concilium per nominatim excommunicatos, Adrian. in 4. Tract. de Sacramento Euchariſtiæ q. vlt. §. Viſo impedimento Verſ. Quantum ad tertium, & in tract. de Confeſſione q. 5. dub. 9. Medi. in Cod. De Confeſſione q. 22. De confeſſione
Con-

Confessori excommunicato scienter facta, putant constitutionem Coucilij Basiliensis coarctare ius antiquum tantùm ex ea parte, vt excommunicati generaliter non sint vitandi, sicut antea, sed nihil innouasse quantùm ad excommunicatos nominatim; quare volunt eum dici excommunicatum nominatim, qui fecerit aliquid contra canonem ità decernentem excõmunicationem; quisquis hoc fecerit, sit excommunicatus, vel si Iudex præcipiat sub excommunicatione latæ sententiæ, vt Petrus non faciat aliquid, etenim si constet Petrum opus illud commisisse, erit nominatim excommunicatus. Idem affirmat Glo. in c. A nobis 1. Ver. Quisuis furtum de sent. excom. & ad hoc citat iura. Alij verò auctores censent illum vocari à Concilio nominatim excommunicatum, qui hac notatur censura à Iudice expresso nomine proprio, aut aliquibus appositis signis, & qualitatibus, quibus certo, & absque ambiguitate descripta sit persona ipsius excommunicati, & demonstrata. Ità sentiunt Maior in 4. dist. 18. q. 2. & 3. Nauar. c. 1. §. Laboret n. 22. de Pœn. dist. 6. Couar. c. Alma par. 1. §. 2. nu. 8.

Hęc opinio posterior multò probabilior est priore, Primò quoniam id videtur expresè definitum in illo decreto Conc. Basiliensis, vbi cauetur illos tantùm cauendos esse excommunicatos, qui per sententiam à Iudice promulgatam, vel denunciaram specialiter, & expresè sunt declarati excommunicati.

Secundò id probatur ex significatione huius vocis Nominatim, qua intelligitur res aliqua designata expresso nomine proprio tex. in l. Nominatim ff. de condit. & demonstr. l. 1. & 2. ff. de libe. & posthu. §. Nominatim, instit. de exhæred. liber. §. Nominatim, Glo. c. Cum & plantare §. Excommunicatos Vers. Nominatim interdictos de priuileg. & in c. Coustitutionẽ Ver. Nominatim de Sent. excomm. lib. 6. & in Clement. 1. Ver. Nominatim de vita, & honesta. Cleri. Quare si Concilium vetat solùm communicationem cum illis, qui nominatim sunt excommunicati, sequitur, quod si sciam occultè, vel publicè Petrum commisisse crimen, cuius causa eo ipso incidit in excommunicationem, dummodò per sententiam non sit declaratus talis, possum cum eo communicare; neque contrarium probatur locis per Glo. in dicto c. A nobis adductis, vt inquit Couar. loco citato.

Secunda quæstio est; postquam excommunicatus ex decreto Concilij Basiliensis non est vitandus necessariò sub pœna peccati, & excommunicationis minoris antequam per sententiam Iudicis nominatim de excommunicatione damnatus fuerit, idest proprio nomine expresso, vel alijs certis circumstãtijs descriptis, quæ vim proprij nominis habeaut, dubium modò est, An nominatim excommunicatus, scilicet expresso nomine propriò, vt probatum est, statim ac mihi de tali excommunicatione constiterit, sit à me vitandus etiã antequam fuerit publicatus, vel denunciatus excommunicatus, vel hæc obligatio non oriatur, nisi præcedente denunciatione.

Multi sunt in ea opinione, vt censeant excommunicatum etiam in specie, & nominatim per sententiam Iudicis non esse vitandum, nisi post denunciationem publicè factam in Ecclesia, aut loco publico.

Primò quia constitutio Concilij Basiliensis exigit denunciationem publicam, etiamsi certa sit excommunicatio illis verbis: *Nisi talis sententia fuerit promulgata, & denunciata specialiter, & expresè à Iudice &c.* Vsus etiam Vrbis, & Orbis Christiani in hunc sensum accepit prædictam constitutionem, vt non teneamur vitare, nisi publicè, & notoriè denunciatos in Ecclesia inter Missarum solemnia, aut per sententiam latam à Iudice pro Tribunali coràm multis, vel nisi declaratoriæ literæ nomina excommunicatorum continentes fuerint in locis publicis pro consuetudine Regionis, quæ vocantur cedulones, affixæ. Idcirco quando Iudex excommunicat aliquem domi suæ priuatim, nõ videtur velle, vt ille necessariò sit vitandus, ità sentiũt Chosmas in Glo. super Pragm. sanct. Gallicana tit. de excommunicatis non vitandis V. Generaliter, quem sequitur Nauar. c. 1. §. laboret de pœnit. dist. 6. nu. 23. 24. & in Manua. c. 27. nu. 35. Couar. in c. Alma par. 1. §. 2. num. 7.

Alij verò sunt in opposita opinione vitandum esse excommunicatum nominatim, etiamsi non sit publicè denunciatus, sed solum per Iudicem in priuata domo coram testibus declaratus excommunicatus, ab eo, qui scientiam excommunicationis habuerit iuxta distinctionem tex. in c. Cum non ab homine de sent. excom. Vbi Clemens Quartus præcipit, vt omnes, qui scirent aliquem esse excommunicationis censura innodatum, tenerentur illum vitare, sed diuerso modo publicè quidem qui publicè sciret, secretò qui priuatim cognouisset. Hoc enim ius antiquum correctum est per dictam extrauag. Martini Quinti, quantùm ad excommunicatos generaliter, vt non teneamur illos euitare vllo modo, neque publicè publicos excommunicatos, neque secretò excommunicatos priuatim. Noluit autem concilium coarctare ius antiquũ quantum ad excommunicatos nominatim, & in specie, & ad hoc facit. tex. eiusdem extrauag. cum ait: *Quod nemo deinceps, &c. prætextu cuiuscunq; sententiæ ab homine, vel à iure generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare* ergo Concilium corrigit ius Antiquum tantùm quoad excommunicatos generaliter, ergo nõ habet locum in illis, qui nominatim sunt excommunicati, in quibus remanet firma illa distinctio, vt si secretò sciam aliquem esse excommunicatum nominatim, debeam illum eodem modo vitare, si publica fuerit notitia, publicè etiam sit vitandus.

Cõfirmatur ex verbis sequentibus eiusdem extrau. *Nisi sententia, &c. fuerit à Iudice promulgata, vel denunciata specialiter, & expresè* Igitur ad hoc vt oriatur obligatio euitandi excommunicatum, satis est, vt sententia excommunicationis fuerit lata specialiter, quãuis non sit denunciata. nam ad veritatem propositionis disiunctiuæ sufficit, vt alterutra pars impleatur, & à lege antiqua non est recedendum, nisi quoad ea, de quibus expresè dispositum fuit in posteriori lege l. Præcipimus, C. de appell. c. Cum expediat de elect. lib. 6. Glo. in c. Cupientes §. Quod si per viginti Ver. Negligenter eod. tit. & lib. Felin. in c. Ad audientiam 1. De Rescrip. In hanc sententiam inclinat Felin. in cap. Rodulphus n. 73. De rescript. & est Adrian. in 4. in tractat. de sacram. Eucharistiæ quæst. vlt. §. Viso impedimento vers. Quantùm ad tertium, & in tract. De Confess. q. 5. dub. 9, Dominicus Sot. in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. & dist. 22. q. 1. art. 4. Petrus Sot. lect. 6. De Confessione, & lect. vlt. de excomm. Medi. in Cod. de confessione in quæst. de Confessione Confessori excommunicato scienter facta.

Hoc idem ratione probari potest Primò, quoniam ille, qui per sententiam Iudicis est declaratus excommunicatus potest dici notoriè, & publicè denũciatus, quod enim per sententiam Iudicis scitur, dicitur notorium iuris c. Vestra de Cohab. Cleri.

Secundò confirmatur; quoniam denunciatio excommu-

communicationis minimè aliquem excommunicat, neque reddit magis excommunicatum, quam antea esset, sed tantum declarat illum excommunicatum. c. Pastoralis §. Verùm de Appell. statim enim excommunicatio absque vllo ministerio alterius exequentis afficit eum, in quem fertur; vnde statim promulgata sententia excommunicationis, tenetur, qui scit, excommunicatum vitare.

Tertiò; quoniam fauor Concilij permittentis, vt non sit vitandus excommunicatus, si non fuerit publicè denunciatus, & per eum gesta sint valida, suffragari tantùm debet illis, qui ratione probabilis ignorantiæ excusari possunt, & bona fide accedunt ad excommunicatum, quem censent nullo ecclesiastico impedimento detineri, eo enim casu videtur omni æquitati consonum, vt actus absque culpa recipientis valore frustrari minimè debeat ex l. Barbarius, ff. de Off. Prætor. Quare hoc non habet locum, quando quis cõscius excommunicationis alicuius communicat cum illo, tunc enim enim est reus culpæ, quia impedimentum non ignorabat.

Quartò re comperta cedit opinio veritati c. Consuetudo dist. 8. Ergo error communis excommunicationis nihil proderit veritatis conscio; ideo quamuis aliquis excommunicatus nominatim per sententiam Iudicis habeatur pro non excommunicato communiter, cum non fuerit publicè denunciatus, hic tamen error communis non debet iuuare eum, qui scientiam excommunicationis habet, nàm veritas præualet opinioni.

Hæ rationes faciunt hanc sententiam satis probabilem; tamen contraria opinio est communior, & vsus ac mos vniuersalis fidelium videtur euidenter illam tanquam probabiliorem confirmare, nam communiter fideles non existimant peccatum esse communionem habere cum excommunicato, etiam nominatim, nisi fuerit publicè solemni ritu denunciatus talis, & hæc communis consuetudo est plurimi facienda, & tradit interpretationem legi.

Secundò quoniam verba decreti Concilij sunt adeo clara, vt non possint admittere aliam interpretationem. Statuit enim, vt fideles teneantur solum vitare excommunicatos publicè denunciatos, aut notorios Clerici percussores in administratione sacramentorum, & quacunque alia re; ergo si excommunicatio non fuerit publicè denunciata, excommunicatus non est necessariò vitandus, neque ab eo, qui scit illum esse excommunicatum, & gesta illius erunt valida etiã respectu ipsius scientis, Concilium igitur indulget ipsis fidelibus, vt absque delicto possint cum tali excommunicato communicare, & virtute eiusdem decreti talis excommunicatus retinet vsum iurisdictionis, vt gesta per ipsum valida sint, tàm in ordine ad ignorantes, quam scientes excommunicationem.

Quod si præcedentia verba dictæ extrauag. Ad euitanda admittant illum sensum, vt Concilium voluerit solum limitare Ius antiquum quoad excommunicatos à Iure, vel ab homine per generalem sententiam; tamen cum postea declarat, quales excommunicati sint vitandi, apertè loquitur illorum communionem tantùm esse cauendam, qui censura excommunicationis sunt obstricti per sententiam in specie prolatã, & publicatam, vel denunciatam, ergo Concilium non solùm requirit sententiam specificam, sed publicationem, & denunciationem; quæ duo verba non ponuntur disiunctiuè, sed veluti sinonima idem significantia, aut vt vnum per aliud declaretur. & ita est neces-

A saria publicatio, vt neque Parochus, qui penes se habeat sententiam excommunicationis latam à Prælato contra aliquem teneatur illum vitare, donec publicè illam denunciet, & publicet, vt inquit Nauar.

Quæ verò pro secunda opinione allata sunt, solui possunt. Probant enim solum, quod fauor ille Concilij est inductus propter errorem, & ignorantiam communem, non autem huius, vel illius. Eodem modo opinio particularis cedere debet veritati quoad retinendam iurisdictionem, secus quando opinio, & error est communis.

Ex his infertur non esse vitandum ante denunciationem excommunicatum, cuius excommunicatio duobus etiam testibus probari possit, nec publicè, nec

B priuatim, vt inquit Couar. dicto §. 2. nu. 7. vers. secundò deducitur ex sententia Innoc. in c. Inquisitioni nu. 2. De sent. excom. licèt oppositum sentiat Abb. in cap. Cum desideres nu. 4. De sent. excom. & ibi Felin. Et id sequitur; quoniam ex decreto Concilij Basiliensis requiritur denunciatio, vt oriatur obligatio ad euitandum excommunicatum.

Multò minus sufficit fama publica excommunicationis, vt idem Couar. inquit, vt teneamur euitare excommunicatum ante denunciationem ob eandem rationem, nam cum infamato de excommunicatione communicare possumus.

Si quis postulet, quæ, & qualis publicatio, & denun-

C ciatio excommunicationis requiratur, vt ex obligatione teneatur quis euitare excommunicatum denunciatum.

Respondeo, si loquamur ex parte ipsius sententiæ excommunicationis, vt dicatur excommunicatio legitimè publicata, & denunciata, & ex ea oriatur obligatio vitandi excommunicatum, necesse esse, vt fiat à Iudice actione aliqua publica in loco publico, & alijs solemnitatibus adhibitis iuxta consuetudinem, & morem Prouinciæ, vt paulò ante dicebam, sed fusius de his solemnitatibus, & ceremonijs, quas Episcopi olim in promulganda censura excommunicationis seruare consueuerunt, pertractabitur in disputatione... c...

Si autem loquamur ex parte aliorum, qui debent ca-

D uere ab huiusmodi communicatione, scilicet quæ notitia, & scientia de denunciatione excommunicationis sit habenda, vt teneamur non vti excommunicati commercio, dicendum est oportere, vt id vel testibus fide dignis, aut publica fama nobis constiterit, vt tradit Couar. in dicto §. 2. num. 4. Nauar. lib. 5. Consiliorum cons. 54. Tit. de sent. excomm. argum. c. Illud de Cleri. excom. mini. Vbi ostenditur publicam famam excommunicationis sufficere, vt vitandus sit excommunicatus; ergo quod satis erat iure antiquo respectu excommunicationis absolutæ, sufficit modò respectu excommunicationis denunciatæ. & de genere huius notitiæ necessariæ, ad inducendam obligationem, agam in disp. 11.

E Et hoc modo remanet explicata exceptio prima à Concilio adiecta iuri antiquo circa modum euitandi excommunicatum.

Secunda exceptio Concilij Constantiensis est de excommunicato ob notoriam Clerici percussionem, Verba sunt. *Saluo si quem pro sacrilega manus iniectione in Clericum sententiam latam à Canone constiterit incidisse, quod nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari.*

De hac exceptione dubitari potest, quis debeat vocari notorius, seu manifestus Clerici percussor.

Et ante omnia supponendum est intelligendum esse Conci-

Concilium de notitia facti, non iuris, & in hoc differt secunda exceptio à prima, nam in prima necessaria est notitia iuris, vt teneamur vitare aliquem tanquam excommunicatum, scilicet, vt sciamus illum nominatim per sententiam, excommunicationis censura obstrictam esse, & publicè denunciatum, quod spectat ad iuris notitiam, vt dicitur in c. vltimo de cohab. Cleri. & Mulie. Id pr. ex verbis extrau. probatur, secunda exceptio consistit in euidentia facti, nempè vt percussio Clerici sit publica, & manifesta, & nota pluribus ex euidentia facti, quod nulla tergiuersatione celari possit, vt in eadem extrauag. expresè habetur.

Quia notorium, seu publicum dicitur, quoties crimen maiori parti Oppidi, vel Viciniæ, aut Collegij notum est, vt de notorio concubinario asserunt Doctores c. Vestra, & c. Tua nos de cohab. Cleri. & Mulie. Ità explicant notorium Glo. in dicto, cap. Vestra Ver. Notorium, Abb. ibi num. 16. Sot. dist. 12. q. 1. art. 6. Silue. Ang. & Summistæ Ver. Notorium, Nauar. in Manua. cap. 21. n. 56. & cap. 25. n. 33. & c. 27. n. 48. & 250. Castro lib. 2. leg. Penal cap. 10. B. Anton. 3. par. tit. 9. cap. 8. Maiol. lib. 5. de Irregul c. 37.

Quamobrem, vt percussio Clerici vocari possit notoria, necesse est in primis, vt committatur hoc sacrilegium coram pluribus testibus; deinde vt ex testimonio astantium reddatur ità publicum, & manifestum, vt nullo subterfugio, & tergiuersatione celari possit.

Sed dubitant Doctores de numero hominum, quorum scientia requiritur ad inducendum notorium facti. Aliqui cēsent necessariam esse notitiam totius, vel maioris partis populi, alij putant sufficere scientiam decem hominum, quia decem personæ constituunt plebem, c. Vnio 10. q. 3. & ibi Glo. Quarè vbi adest adunatio decem personarum, potest oriri notorium, Glo. in c. De Manifesta Ver. Pluribus 2. q. 1.

Abb. in dicto c. Vestra num. 16. De Cohabi. Cleri. & Mulier, inquit ad faciendum notorium necessarium esse, vt res constet maiori parti Populi, vel saltem viciniæ, aut Vici, dūmodò non sint pauciores, quàm decem, quod duobus modis intelligi potest. Vno modo, quod vt minimum requiratur scientia decem hominum ad faciendam rem notoriam. Alio modo, quod necessarium est, vt factum constet saltem maiori parti populi, aut Viciniæ, dummodò populus ille, aut vicinia non contineat paociores homines, quàm decem, & iuxta hanc interpretationem, quæ magis placet Silue. in V. Notorium num. 4. poterit sufficere scientia sex hominum ad faciendum notorium, si ille populus non excedat numerum decem personarum. Et si populus constet ex numero viginti hominum, satis erit, si factum innotuerit vndecim ex illis.

Quamobrem Silue. existimat dici posse simpliciter Notorium, quando rem sciunt sex homines, licèt non possit vocari notorium in Prouincia, vel Ciuitate.

Verum non existimo in hoc genere, de quo loquimur, adeo propriè, & in rigore accipiendum esse noturium, & publicum, quoniam non agitur de pœna incurrenda, in quibus termiois loquuntur Doctores, & præsertim Abb. loco citato: sed de euitando excommunicatum. Quarè tutius est abstinere ab hujusmodi communione, quando apud plures constat de percussione Clerici, etiamsi illi non constituerent maiorem partem viciniæ, aut Vici. Et hoc iudicio prudentis viri esse relinquendum consideratis omnibus conditibnibus, & qualitatibus actus, loci, & temporis. Vnde ait Abb. in dicto c. Vestra num. 16. notorium regulariter ex tribus oriri, ex hominum scientia, ex qua-

A litate loci, & temporis conditione.

Nam in magna Vrbe vidisse sex, aut octo aliquem percussisse Clericum non poterit appellari factum notorium. In paruo oppido erit plusquam notorium.

Quo pacto autem probari possit rem esse notoriam declarat Abb. in citato c. Vestra num. 17. dicens sufficere duos testes; quamuis enim duo non faciant notorium, sufficiunt ad illud probandum, Glos. in §. Quando 2. q. 1.

Quamobrem non sufficit, vt percussio per testes possit legitimè probari in Iudicio, quia tunc non esset notoria, vt requirit extrauag. sed probabilis. Neque satis est, si fama extet, vel rumor, & tunc contingit, quando communiter ità circumfertur; sed non ducit
B originem ex euidentia facti, aut ex certo auctore, vnde probari possit, vt notat Glos. in c. Vestra in dicto Ver. Notorium.

Si quærat aliquis, an illi, qui præsentes sunt, quando Clericus percutitur, teneantur statim percussorem vitare, antequam factum efficiatur publicum, & notorium.

Respondent aliqui, si percussio committatur coram pluribus, & aliquis ex Astantibus probabiliter existimat, consideratis omnibus conditionibus aliorum, delictum futurum occultum, neque vnquam fore diuulgandum; in tali casu illi, qui præsentes fuerunt noo obligantur ad euitandum percusso-
C rem. At verò si delictum ità committatur coram aliquibus, vt ex modo, ex tempore, ex cæteris qualitatibus verisimiliter credendum sit ooo posse occultum remanere, sed manifestum alijs futurum; tunc qui factum viderunt, statim debeat abstinere à communione, & consortio percussoris.

Hæc responsio, quoad primam partem ambigua videtur, quoniam quamuis illa percussio (vt supponitur) esset futura occulta quoad alios, & propterea non posset dici notoria, & manifesta simpliciter, & absolutè; tamen quoad eos, qui præsentes fuerunt, est manifesta. Et hoc sufficit, vt indicatur obligatio vitandi delinquentem iuxta dispositionem extrauag. Ad euitanda, quæ non requirit, vt crimen sit notorium sim-
D pliciter, sed vt euidens sit Delinquentem incidisse in sententiā Canonis, cum ait, *Aut si aliquem ita notoriè in sententiam Canonis constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiuersatione celari*, sed illis, qui præsentes fuerunt, quando delictum est patratum, notoriè constat de tali excommunicatione, neque maiorem certitudinem consequentur, postquam crimen erit diuulgatum, idcirco alij censent quoad eos, qoi fuerunt testes occulri, quantumuis crimen futurum sit occultum, euitandum fore excommunicatum iuxta dispositionem iuris antiqui, c. Cum non ab homine de sent. excomm. Vt quandiù manet occultum, secretò, postquam factum est manifestum, publicè euitetur.

Et hæc obligatio vitandi publicam percussorem
E Clerici prouenit, quoties percutiens aliquo Iuris suffragio excusari nequit, vt habetur in dicta extrauaganti; nam si quis aggressus à Clerico ad sui necessariam defensionem illum percussisset. Idque verisimiliter inspectis omnibus circumstantijs personarum, loci, & temporis iudicari posset; tunc non necessariò vitandus esset, idem dicendum in similibus casibus, quoniam constitutio Martini Quinti voluit auferre dubia, idcirco requirit euidentiam certam.

Secundò quæret quis; an hæc secunda exceptio Concilij Constantiensis locum habeat in alijs duabus censuris suspensionis, & interdicti.

Dicen-

Dicendum est hanc exceptionem non extendi ad suspensionem, & interdictum, si accipiamus exceptionē hanc iuxta tenorem Concilij Constantiēsis, & hoc est certum; ratio est, quoniam habet locum solum in ea censura, quæ ab ipso iure lata est contra percussorem Clerici, & est excommunicatio. Si verò intelligamus constitutionem generaliter iuxta formam Concilij Basiliensis de omni excommunicatione notoria, & manifesta ex quocunque crimine proueniente probabilis est opinio Nauar. in c. 1. §. laboret num. 19. De Pœnit. dist. 6. vt non tantùm amplectatur excommunicationem, sed alias duas censuras, suspensionem, & interdictum, de qua copiosè disputabo separatim in cap. 3. disp. 9. Sed oppositum censeo esse probabilius, vt in eodem cap. ostendam: quia extrau. Ad euitanda etiam iuxta formam generalem Concilij Basiliensis loquitur expressè de excommunicatione solùm, ibi *Aut si aliquem ità notoriè in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, &c.* Et cum sit constitutio pœnalis, non est extendenda, sed strictè, & in propria significatione accipienda, ergo obligat solum ad euitandum excommunicatos, qui ob crimen commissum notoriè in excommunicationem inciderunt, non autem notoriè suspensos, aut interdictos.

Ex dictis infertur excommunicatos, qui non sunt denunciati, vel publici Clericorum percussores vocari à Doctoribus toleratos ab ecclesia, si verò sunt denunciati, vel publici Clericorū percussores, dicuntur non tolerati. Et his vocibus breuitatis causa vtuntur; ita eos vocat Sot. in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. conclus. 7. Doctores autem, qui scripsere ante Concilium Constantiense, vocabant omnes excommunicatos non toleratos: quia tunc omnes excommunicati erant vitandi, & ità loquitur B. Tho. 3. par. q. 64. art. 6. ad secundum vt notat ibi Caiet. circa solutionem ad 2. §. In eadem responsione.

CAPVT III.

Quod sit peccatum excommunicati recipiendo quodlibet Sacramentum.

PRohibitum est ab Ecclesia generali constitutione; nè excommunicatus vllum ecclesiasticum sacramentum recipere possit. Et hæc conclusio intelligitur non solùm de maiori excommunicatione, sed etiam de minori. Est enim effectus vtriusque excommunicationis.

Habetur in c. penult. de sent. excom. *Si quem sub hac forma verborum, vel simili, illum, excommunico, à Iudice excommunicari contingat, dicendum est eum non tantum minori, quæ à perceptione sacramentorum, sed etiam maiori excommunicatione, quæ à communione fidelium separat, esse ligatum.* In c. Cum illorum eod. tit. idem statuitur in specie de sacramento ordinis, in c. vlt. de Cleri. excom. Min. De excommunicato minori excom. ità legitur, *Cum non videatur à collatione, sed participatione sacramentorū, quæ in sola consistit perceptione, remotus,* In c. Illud eod. tit. de eo, qui habita notitia suæ excommunicationis, per solam famam celebrauit, ad hunc modum statuit Innocentius Tertius Ver. Licet autem, *Debuerat tamen potius se abstinere, quam sacramenta ecclesiastica pertractare.*

Quarè si excommunicatus præsumit suscipere aliquod sacramentum, peccat grauiter, & est peccatum mortale. Qua in re conueniunt omnes Doctores, & colligunt ex c. Engeltrudam 3. q. 4. Vbi dicitur excom municatus exclusus à corpore ecclesiæ, Nauar. in Ma- A nua. cap. 27. num. 18. Couar. in c. Alma par. 1. §. 6. n. 5.

Probat hoc Couar. quoniam suscipiens sacramentum in statu excommunicationis grauem iniuriam infert sacramentis ecclesiæ, ea percipiēdo contra prohibitionem ecclesiæ, quę iustissimè excommunicatum ab ecclesiæ communione separauit; idcirco est reus criminis lethalis, & graue sacrilegium committit in Deum, & contra Ecclesiam.

Confirmat idem Couar. alia ratione, sacramenta non sunt percipienda ab eo, qui culpa mortali est obstrictus, c. illud 95. dist. c. Per Esaiam 1. q. 1. Vers. hoc penè. Sed excommunicatus maiori excommunicatione peccato mortali est grauatus, ergo in vanum recipit sacramentum, igitur irreuerentiæ crimen committit B erga sacramentum, ideo sacrilegium est.

Sed hęc ratio non videtur probare, quia aliud est ostendere conscium peccati mortalis non posse accedere ad Sacramentum, quia ponit obicem effectui sacramentorum, propter quem instituta sunt à Christo, nempè vt per illa consequamur gratiam, Et cum peccatum mortale gratiæ consequendæ repugnet; Idcirco in eo statu indignè, & irreuerenter recipi sacramentum, & committi Sacrilegium, aliud est probare, quando excommunicatus post pœnitentiam peractam criminis, & inobedientiæ, cuius gratia fuit ligatus vinculo excommunicationis, si accedit ad Sacramentum ante obtentam absolutionem, sed contritus, & in gratia Dei, committere sacrilegium, & peccatum morta- C le ex sola vi, & natura excommunicationis.

Sed possumus tradere aliam explicationem rationi ipsius Couar. vt intelligamus illam non de peccato, & contumacia, propter quam aliquis fuit excommunicatus, sed de culpa, & sacrilegio, quod committit recipiens scienter sacramentum contra præceptum ecclesiæ, quæ excludit excommunicatum tanquam indignum à perceptione sacramentorum, & ad hunc modum ratio concludit, quia est transgressio præcepti ecclesiastici in materia graui circa cultum sacramentorum, vt dicit Caiet. in sum. Ver. Absolutionis impedimenta Vers. Ab extrinseco verò, & Nauar. in c. Fratres nu. 38. De Pœnit. dist. 5. Sacrilegium autem ex suo D genere est peccatum mortale, & graue, vt docet Sanctus Tho. 2. 2. q. 99. art. 3.

Accedit ad idem confirmandum, quod excommunicatus ità ex prohibitione Ecclesiæ est segregatus à diuinis, vt ante absolutionem, etiam post actam pœnitentiam, non valeat sine peccato mortali illis interesse c. Sacris de his, quæ vi, metusvè cau. fiunt, ergo grauiori crimine tenebitur, si sacramenta recipere pręsumat, quæ rerum omnium sacrarum nobilissima sunt.

Et quamuis vnum sacramentum dignitate, & excellentia alterum excedat; tamen quodlibet sacramentum est res per se digna, immò inter res sacras externas, quæ in Ecclesia ex institutione Christi repe- E riantur sacramenta primum locum tenent; ideirco verum est de quolibet sacramento, quod si excommunicatus illud recipiat, committit peccatum mortale.

Probatur sigillatim de omnibus sacramentis, & primò de sacramento extremæ vnctionis dicitur in c. Illud 95. dist. *Nam non pænitentibus istud non potest infundi, quia genus est sacramenti; nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi?* Quare, vt inquit ibi Glo. Ver. Negantur, cum omnia sacramenta sint eiusdem generis, eodem iure censeri debent arg. c. Denique dist. 4. & aliis iuribus per Glo. citatis. De sacramento confirmationis in c. Vt ieiuni de consec. dist. 5. Vbi monentur confirman-

di de

di de confessione præmittenda ante susceptionem huius sacramenti, de sacramento matrimonij Caiet. in summa Ver. Matrimonij contrahendi peccata §. Septimum caput peccati, inter genera peccatorum, quæ committuntur in contrahendo matrimonium, enumerat excommunicationem contrahentium, siue sit maior, siue minor. Et in fine concludit excommunicatum contrahentem matrimonium scienter ante acceptam absolutionem committere peccatum mortale sacrilegij, quia irreuerenter se gerit erga sacramentum; de Baptismo non opus est aliquid dicere; quoniam nemo excommunicari potest, si non est baptizatus; si loquamur de ordine, non solum verum est, excommunicatum, mortale peccatum incurrere, si tentet promoueri ad ordinem, sed ordinatus efficitur irregularis, & suspensus ab executione Ordinis suscepti; de sacramēto pœnitentiæ non solum certum est apud omnes excommunicatum scienter ad illud accedentem grauiter peccare, sed nullius esse validitatis, vt ostendam in cap. 5. quia accedit sine necessaria contritione. Tandem de Eucharistia omnium sacramentorum excellentissimo, & præstantissimo nemo vnquam dubitauit, cum Apostolus dicat 1. Ad Corinth. cap. 12. *Probet autem se ipsum homo. & sic de pane illo edat.* Et paulo post de illo, qui indignè sumpserit, inquit, *Iudicium sibi manducat, & bibit.* Semper enim peccati mortalis Reus erit qui vinculo excommunicationis irretitus communicat cōtra prohibitionem Ecclesiæ, nisi excommunicatio esset nulla, & de nullitate publicè constaret, tunc enim non tenetur abstinere à diuinis, neque ab alia hominum legitima communione iuxta sententiam Palud. in 4. dist. 18. qu. 1. vbi ait: *Qui nulliter excommunicatus publicè excommunicatus denunciatur, ita ex aduerso ipse publicet causam quando sententia non valet puta appellationem, vel aliam iustam causam, quo facto amplius non est scandalum pusillorum; sed Pharisæorum; vnde est contemnendum*, & eadem verba refert B. Anton. 3. par. tit. 24 cap. 73. sub fi. idem tenet Maior. dist. 18. q. 2. Quos omnes sequitur Nauar. in c. Cum contingat Remed. 2. nu. 4. Immo ex sententia Nauar. in Manu. cap. 21. num. 48. non peccaret excommunicatus si Eucharistiam sumeret quādo excommunicatio esset iniusta etiam si nō esset nulla dummodo secreto communicaret, aut in terris, vbi excommunicatio non esset nota. Regulariter verò & communiter graue sacrilegium committit excommunicatus si sacramentum recipiat, & id verissimum est de omnibus sacramentis.

Et hæc conclusio non solùm intelligitur de excommunicatis denunciatis, aut publicis Clericorum percussoribus, sed de omnibus excommunicatis publicis, seu occultis, quoniam, vt dixi in cap. 1. extrauag. Ad euitanda, nullum fauorem tribuit excommunicato, sed manet integrum ius antiquum, præsertim in participatione sacramentorum, priuatio enim sacramentorum est primarius effectus excommunicationis, ratione cuius, præsertim inter alias causas excommunicatio dicitur omnium pœnarum ecclesiasticarum maxima.

Quæres an duo peccata committat excommunicatus, si sacramentum scienter assumat, videtur enim duo peccata committere. Alterū quia exercet actum prohibitum, alterum quia indignè assumit; quoniam ipsamet receptione aliud præceptum violat.

Respondeo ibi reperiri duas causas, seu rationes prauitatis; an verò ex illis oriantur duæ culpæ, seu duæ malitiæ specie distinctæ, vel tantum efficiant vnā

A grauiorem, potest in controuersiam reuocari, sed probabilius est affirmare vnum tantùm specie peccatum esse, sed grauius, quoniam est vnicus actus integer, & completus Religionis honestati, & decentiæ contrarius, cui desunt duæ conditiones requisitæ, quia non solum fit, quod non debet, sed quomodo non debet fieri. Sed hoc argumentum videtur ad eandem speciem pertinere; vt si quis comedat tempore prohibito carnem, & peccet in quantitate, & qualitate vetita, sed in ordine ad confessionem talis conditio esset aperiēda, quia plurimum aggrauat, & morale iudicium confessarij posset probabiliter variare.

Secundo quæri potest, An excommunicatus recipiens sacramentum pœnam aliquam, aut censuram

B ipso iure incurrat.

Respondeo non esse impositam aliquam pœnam ab ipso iure contra excommunicatos recipientes generaliter quodcunque sacramentum, sed tantum in specie contra eos, qui promouentur ad sacramentum ordinis, lata est pœna irregularitatis.

Probatur, quia irregularitas incurritur, si exerceantur actus proprij alicuius ordinis ecclesiastici, vt habetur in c. Si quis Episcopus 2. 11. q. 3. & ex alijs iuribus, vt ostendam in cap. primo disp. 1. lib. 2. sed suscipere sacramenta non est actus ordinis, conuenit enim etiam laicis, ergo ex hac actione nulla incurritur irregularitas; ità dicit Gemin. ex sententia In-

C noc. in c. 1. §. Si quis autem num. 6. De sent. excomm. lib. 6.

Probatur secundo; nam priuatio passiua sacramentorum est effectus communis tam maioris, quàm minoris excommunicationis, sed minori excommunicatione innodatus percipiendo sacramentum peccat, at non efficitur irregularis, vt expressè definitum est in cap. vlt. de Cleric. excom. Mini. *Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licèt grauiter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit.* Ergo propter solum actum suscipiendi sacramentum neque etiam excommunicatus maioris excommunicationis efficitur irregularis; quod si celebrando incurrit irregularitatē, id accidit, vt notat ibi Abb. num. 2. Quia excommuni-

D catio maior inducit suspensionem Ordinum dicto c. 1. de sent. excomm. lib. 6. c. Cum æterni de Re iudi. eod. lib. & celebratio est actus proprius ordinis sacerdotalis.

Nulla alia pœna, nec lata, nec ferenda reperitur in iure generaliter posita contra excommunicatos præsumentes suscipere sacramentum. Quamobrem tales sunt puniendi arbitrio superioris pro qualitate criminis, & qualitate personæ, & hoc delictum, vt dictum est, graue iudicari debet ex suo genere.

Sed obijciet aliquis, excommunicatus administrās sacramenta solemniter ex officio incurrit ipso iure irregularitatem, ergo idem videtur dicendum de suscipiente, sunt enim correlatiua, quorum est eadem

E ratio, & vsus, ac participatio sacramenti vtrunque necessariò includit, scilicet tradentem, & suscipientē.

Respondeo non posse fieri extensionem in pœnis, præsertim in irregularitate ab ipso Ministrante ad suscipientem, ideo, licèt in c. Latores de Cleri. excomm. Mini. statuatur pœna depositionis contra excommunicatos celebrantes, tamen hac pœna non puniuntur excommunicati recipientes Eucharistiam more laicorum; quamobrem contra excommunicatos recipientes sacramenta non est imposita in iure aliqua pœna, nisi specialiter ex promotione ad sacramentum ordinis, quoniam inter alios effectus excommunica-

tionis

tionis eſt ſuſpenſio à ſacramento ordinis, nè excommunicatus poſſit ad ordines promoueri, neque ſe exercere in ordinibus antea ſuſceptis, vt oſtendam ſuo loco; & id fuit rationi conſonum, quoniam cum per ſacramentum ordinis conſtituatur homo miniſter Eccleſiæ, decet illum, qui propter inobedientiam, & contumaciam erga Eccleſiam fuit excommucicatus, priuatum eſſe facultate aſcendendi ad dignitatem nnneris, & officij Eccleſiaſtici, & exercendi actus ad hoc officium ſpectantes.

CAPVT IV.

An Miniſter Eccleſiæ peccet, ſi conferat ſacramentum excommunicato.

HAEC quæſtio poteſt duobus modis tractari; vno modo in ordine ad excommunicatos denunciatos non toleratos ab Eccleſia; alio modo quo ad omnes excommunicatos ſiue publicos, ſiue occultos toleratos ab Eccleſia. Quare primo tractabimus de excommunicatis non toleratis; deinde de alijs.

Quoad primam partem reſponſio ſit ad difficultatem propoſitam; conferre aliquod ſacramentum excommunicatis non toleratis ab Eccleſia iuxta definitionem extrau. Ad euitanda eſt peccatum mortale.

Deſumitur hæc concluſio ex c. Epiſcoporum De Priuileg. lib.6. Vbi interdicitur omnibus tam Regularibus, quam Secularibus, quamuis exemptis ſub graui pœna, nè publice excommunicatos ad ſacramenta admittant.

Probatur etiam ratione, quoniam maximè prohibita eſt communicatio cum excommunicato in rebus ſacris, & præſertim in vſu ſacramentorum, quæ primum locum tenent inter res ſacras. c. Cum deſideres, c. Significauit De ſent. excom. Quare ſicut ante Concilium Conſtantienſe erant vitandi omnes excommunicati, ita hoc tempore excommunicati non tolerati, ſcilicet denunciati, & publici Clericorum percuſſores, vt dictum eſt.

Poteſt autem excuſari Miniſter Eccleſiaſticus à peccato, & pœna, ſi adminiſtret ſacramentum excommunicato, ex ignorantia probabili, & inuincibili id faciens, vel coactus vi, aut metu in virum conſtantem cadente, nam in his caſibus actus eſt inuolnntarius; ſed qualis debeat eſſe ignorantia, & qui metus requiratur ad conſtituendum actum inuoluntarium, explicabitur inferius.

Poteſt quoque excuſari miniſter à tali peccato ob adminiſtrationem ſacramenti, ſi excommunicatus petens ſit in neceſſitate conſtitutus; tunc enim excuſatur excommunicatus petendo, & recipiendo ſacramentum, vt dicetur in cap. 6. ergo multo magis erit excuſatus Miniſter illud conferendo; quoniam prohibitio Eccleſiæ primo, & directe reſpicit excommunicatum, deinde alios. Quare quoties permittitur excommunicato recipere ſacramentum, conceſſum eſt quoque Miniſtro poſſe ſine peccato illud conferre. Immo, ſi erit Ordinarius Paſtor, tenebitur ex iuſtitia adminiſtrare ſacramentum in neceſſitate excommunicato; ſi verò non ſit Ordinarius, obligatus erit ex charitate pro ratione neceſſitatis; Et hæc neceſſitas eſt intelligenda, quando excommunicatus non poſſit prius abſolui ab excommunicatione, antequam recipiat ſacramentũ; nam ſi ipſe Miniſter poteſt prius abſoluere ab excommunicatione, quam conferre ſa-

A cramentum, non poteſt ſine peccato ante abſolutionem adminiſtrare ſacramentum; quamuis recipiens non eſſet Reus criminis, ſi in tali neceſſitate conſtitutus reciperet ſacramentum ante abſolutionem ab excommunicatione vbi Miniſter recuſaret abſoluere.

Poteſt tandem excuſari Miniſter, ſi adminiſtret ſacramentum excommunicato, quando excommunicatus peteret ſacramentum laborans inuincibili ignorantia, ſed hæc excuſatio hodie poſt Conc. Conſtantienſe regulariter loquendo non eſt ſufficiens cauſa ad excuſandum Miniſtrum à peccato; quia vel hæc ignorantia excommunicati eſt ignorantia Iuris; quia non credat propter excommunicationem quempiam eſſe priuatum receptione Sacramentorum, vel eſt i-
B gnorantia facti, quoniam neſciat propter aliquod crimen fuiſſe publicè denunciatum excommunicatum, vel non incidiſſe in excommunicationem propter Clerici percuſſionem, vel quia exiſtimet recepiſſe abſolutionem ab excommunicatione. Si ſit ignorantia iuris, illa non excuſat regulariter, & in his terminis de quibus agitur, non poteſt fingi caſus, vt talis ignorantia ſit inuincibilis, quia notum eſt omnibus idiotis, ruſticis, fœminis, excommunicato non licere accedere ad ſacramenta; quare ſemper erit ignorantia craſſa, quæ non excuſat, quia eſt voluntaria, & culpabilis, ſaltem in cauſa, quia ſi adhiberet aliquam diligentiam, ſicut tenetur, & interroga-
C ret aliquem, facillimè ſuperaret hanc ignorantiam, tandem vbi etiam talis caſus occurreret, tenetur Miniſter monere ipſum excommunicatum, neque poſſet propter alienam ignorantiam violare legem agendo contra prohibitionem ipſius iuris, cum ſine vllo incommodo, & ſibi, & excommunicato conſulere poſſet. Si verò ſit ignorantia facti multò minus poteſt hic caſus contingere; quis enim opinabitur contingere poſſe veriſimiliter, vt aliquis ſit excommunicatus nominatim per ſententiam, & publicè denunciatus, vel vt publicè Clericum percuſſerit, & hæc ad eius notitiam non peruenerint, vel memoria exciderint, & ſi fortè contingeret talis ignorantia inuincibilis, vt aliquis oblitus eſſet ſe percuſſiſſe Clericum iuxta text. in
D c. Cum illorum De ſentent. excommunica. Vbi de talibus percuſſoribus dicitur: *Si non recolunt factum, pro quo in latæ ſententiæ Canonem inciderunt, &c.* Vel crederet ſe abſolutum, vel non innotuiſſet publica denunciatio; nihilominus ſi Miniſter conſcius eſſet talis excommunicationis, non poſſet propter ignorantiam ſubditi conferre ſacramentum excommunito, ſed deberet illum inſtruere, & certiorem reddere, vt dixi, de ignorantia iuris, & deſiſtere ab huiuſmodi adminiſtratione, nè transgrederetur præceptum Eccleſiæ de non communicando cum excommunicato in diuinis.

Quæret aliquis; an ſit impoſita aliqua pœna ab ipſo iure aduerſus Miniſtrum publicum ſcienter ſacra-
E menta adminiſtrantem excommunicato.

Reſpondeo Miniſtrum Eccleſiæ, qui ſacramentum aliquod ſcienter excommunicato public[illegible]unciato miniſtrauerit, vltra excommunicationem minorẽ, quæ generaliter ob participationem cum excommunicato, præſertim in ſacris, contrahitur, incurrere etiã pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſię ipſo iure, donec ſatisfecerit arbitrio illius, qui ſententiam excommunicationis tulerat. Habetur hæc poena in dicto capitulo Epiſcoporum de Priuileg. lib. 6. Vbi ita ſtatutum eſt: *Qui vero contra preſumpſerint preter alias pœnas*

F à ſu

à Iure statutas ingressum Ecclesiæ sibi nouerint interdictum, donec de transgressione huiusmodi ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserint, satisfecerint competenter.

De hac poena aliqui dubitant, An sit lata generaliter contra omnes violatores illius constitutionis; An verò afficiat tantum exemptos, & priuilegiatos. Et quidam putant tãtùm habere locum in exemptis, vt refert Glos. ibi Ver. Ingressum, & facit pro hac expositione, quia Priuilegiati acriori pœna sunt digni, quibus cum plurimum honoris per iussiones Principum est delatum, reperiuntur in crimine l. Presbyteri, C. de Episc. & Cleri. c. Presbyteri 5. quæst. vlt. & imposita est hæc pœna peculiariter in exemptos; nè prætextu Priuilegiorum, flagitiorum crescat auctoritas, C. de Priuileg. schola. l. 2. lib. 12. Ad idem faciunt verba eiusdem cap. ibi *Ne aliqui seculares, aut Regulares quantumcunque exemptionis, seu libertatis sedis Apostolicæ priuilegijs communiti, &c.* Ergo sermo est tantum de exemptis, & priuilegiatis.

Oppositam tamen sententiam Glos. tenent probabiliorem, quod hæc constitutio, & pœna non tantum comprehendat exemptos, sed multò magis non exemptos. Idque confirmat ex ijsdem verbis text. *Quantumcunque exemptionis Sedis Apostolicæ priuilegijs communiti*, Dictio illa. *Quantumcunque* est amplificatiua, Vult igitur hac pœna non exemptos ligari, & exemptos, declarans hos non posse tueri se clipeo priuilegiorum, Simile est, quod habetur, cap. 1. De Præb. eodem lib.

Dubitat etiam Fran. in fine eiusdem cap. An hæc poena locum habeat in Episcopis, & Archiepiscopis, & alijs Prelatis Superioribus, difficultas oritur ex illis verbis text. *Cuiuscunque ordinis Religionis status, vel conditionis existant*. Quæ verba videntur omnes amplecti quacunque dignitate præfulgeant. Ex opposito verò facit, cap. Quia periculosum de sent. excom. eodem lib. Vbi statuitur Episcopos, & alios Superiores Prælatos occasione generalis constitutionis nullam suspensionis, vel interdicti pœnam incurrere, nisi in constitutione sint expressi, idem habetur in cap. Si Compromissarius vers. Huiusmodi De Elect. eod. lib. Glos. in cap. 1. Vers. Interdici de Verbor. signific. eodem lib.

Vltra hanc pœnam Interdicti ab ingressu ecclesiæ quæ incurritur ipso facto ab illis Clericis, qui scienter sacramenta excommunicatis conferre præsumunt, est alia pœna, qua puniri debent illi, qui non simpliciter excommunicato ex quocunque crimine exhibent sacramenta, sed in specie Credentibus, receptatoribus, Defensoribus, & Fautoribus Hæreticorum, & est priuatio offitij, Ad quod restitui non possint absque Indulto Apostolico, & habetur in c. Excommunicamus 1. §. Credentes Vers. sanè Clerici de Hæret. ibi *Sanè Clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta &c. Alioquin suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur absque Indulto Sedis Apostolicæ speciali*. Et hæc pœna non est imposita ab ipso iure, sed mandatur imponi, & habet locum in omnibus Clericis etiam Regularibus, vt notat Hostien. in sum. tit. de Hæret. §. Quæ poena in fin. Vers. Tales etiam. hæc autem probibitio quoad hanc poenam intelligenda est, postquam tales credentes, & cæteri enumerati fuerint denunciati; nam ab eo die statim Clerici prohibẽtur administrare illis sacramenta, non expectato spacio vnius Anni quod ibi conceditur ad incurrendas alias poenas, vt notat Host. vbi supra fortasse ob eam rationem, quoniam postquam sunt denunciati excommunicati, deneganda sunt illis sacramenta, cum sint incapaces. Hæc de prima parte quæstionis.

Si verò quæratur, An Ministri Ecclesiæ peccent administrando sacramenta illis, quos sciunt incidisse in excommunicationem, sed sunt occulti tolerati ab Ecclesia.

Respondendum erit Primò ob talem actionem non violari legem ecclesiasticam de non communicando cum excommunicatis in sacris, quoniam cum excommunicatis huius generis toleratis ab Ecclesia non est interdicta participatio, & idcirco ex hoc capite non committere peccatum.

Id expressè patet ex extrau. Ad euitanda, vbi coarctata est prohibitio Iuris Antiqui de vitando consortio excommunicatorum etiam in vsu sacramentorum ad illa duo genera excommunicatorum tantùm, scilicet ad denunciatos, & manifestos Clerici percussores; ergo permissa communicatio est cum alijs excommunicatis; quamobrem non peccant contra præceptum Ecclesiæ Clerici, qui tradunt sacramẽta alijs excommunicatis, & propter eandem rationem non incurrunt poenam, quæ iure antiquo posita erat, vt diximus contra conferentes sacramenta excommunicatis.

Sed contra obijci potest; nam dicta constitutio Concilij Constantiensis non tribuit facultatem excommunicatis occultis recipiendi sacramenta, sed tenetur modò, sicut antea abstinere à perceptione sacramentorum, ergo neque per illam concessa erit potestas Ministris ecclesiæ, vt valeant sacramenta his excommunicatis conferre, quia tradens, & recipiens sunt correlatiua, si vnum prohibetur, ergo & alterum; vnde quando prohibetur, nè aliqua res emi possit, intelligitur etiam interdictum Domino rei, ne rem illam vendat leg. 1. Codic. de Cupressis libro vndecimo.

Respondetur non esse veram vniuersaliter propositionem illam assumptam; quoties prohibetur receptio alicuius rei prohiberi etiam traditionem eiusdem rei, & proponitur instantia, Religiosus non potest recipere aliquid sine licentia Prælati; alter tamen potest dare; nàm Dans, & Accipiens sunt diuersæ personæ, ex quibus accidere potest, vt vna habeat superiorem, cuius imperio sit subiecta, & nihil agere valeat sine nutu illius; altera verò sit exempta, & libera, & possit agere quidquid lubet, quoad res indifferentes, quæ lege communi non sint damnatæ; quarè vt constitutio aliqua comprehendat vtranque personam, dantem scilicet, & accipientem, opus est, vt vtraque sit subiecta eidem superiori, & in lege ab eo condita vtraque exprimatur, sicut in dicta l. 1. Cod. De Cupressis, vel saltem res ipsæ ità sint inuicem coniunctæ, & copulatæ, vt vna quoad honestatem, & turpitudinem ab altera separari nequeat; tunc enim quamuis in lege prohibitio non exprimatur quoad vtranque personam, tamen expressa prohibitione ex parte vnius ex necessaria connexione subintelligitur facta prohibitio alteri, sed hæc non possunt accommodari ad ea, quæ modo tractamus de communicatione cum excommunicatis in participatione sacramentorum, quia in Extrauaganti Ad euitanda. conceditur fidelibus, vt possint tradere sacramenta excommmunicatis, si non sint excommuni-

municati illo duplici genere, & expresse denegatur huiusmodi potestas illa recipiendi. Quare Minister conferens non peccat contra prohibitionem Ecclesiæ, sed benè excommunicatus recipiens erit Reus criminis.

Secundò dicendum est ad eandem difficultatem, quod licet Minister Ecclesiæ non peccet contra prohibitionem Ecclesiæ, si conferat sacramentum excommunicato tolerato, tamen non effugiet culpam, vt plurimum ex tali administratione agens contra ius naturæ, & Diuinum conferendo sacramentum indigno.

Probatur, Ecclesia non potest auferre obligationem, quæ prouenit ex intrinseca natura sacramenti, quod administratur, vt Minister teneatur iure naturæ sacramenta tradere tantum dignis, & dispositis, repellendo indignos, sed excommunicatus occultus petens sacramentum est indignus ad illud recipiendum, & peccat lethaliter recipiendo, ergo & Minister similis peccati particeps erit, si sacramentum ei conferat.

Confirmatur, excommunicatus occultus recipiens sacramentum rem malam agit ex sui genere, quia indignè accedit ad sacramentum, ergo cooperari ad hanc prauam actionem erit quoque malum. Nulla verò potest esse maior cooperatio ad recipiendum sacramentum, quàm ipsummet dare, ergo sacerdos dando duplici ratione peccat, & quia agit contra obligationē proprij offitij, quoniam tenetur non dare indignis, & quia adiuuat ipsūm recipientem moraliter ad committendum peccatum quod impedire ex charitate deberet, si posset, Addo si posset, quoniam si aliquando contingeret secuturum fore scandalum ex negatione sacramenti, Tunc ad tollendum scandalū dari posset Sacramentum excommunicato indignè petenti. Eodem modo quando excommunicatus occultus non peccat petendo Sacramentum, Neque etiā peccatum erit illud excommunicato dare, quia tota ratio prohibitionis est indigna susceptio Excommunicati petentis. Sed frequentius his casibus peculiaribus peccat contra ius naturæ, & diuinum Sacerdos, qui occulto excommunicato, quem verisimiliter arbitratur indignè accedere, sacramentum conferre non recusat.

Atque ad hunc modum sentiunt Adrian. in q. 3. De Claui. & Couar. in c. Alma par. 1. §. 2. num. 11. in fi. assignat rationem Couar. Quoniam licèt post Constantiense decretum non sint ipsi excommunicati vitandi, priusquam denuncientur, sacramenta tamen ante denunciationem non sunt illis conferenda; quia Constitutio Concilii Constantiensis non voluit, nec potuit mutare, quod erat Iuris diuini, aut naturalis super vitandis criminosis excommunicatis, qui ab Ecclesiæ Catholicæ mistico corpore sunt separati.

Dubitat Adrian. An ad vitandum scandalum excommunicati debeat Sacerdos excommunicato occulto petenti sacramentum concedere, puta si dubitet, ne denegando sacramentum deterior fiat, & magis contumax, vel incidat in hæresim.

Respondeo ob hanc causam non posse Sacerdotem sacramentum tradere excommunicato contra prohibitionem Ecclesiæ, & scandalum illud, quod dubitat, non esset actiuum, sed non passiuum proueniens ex sola malitia, & iniquitate excommunicati, quod nemo tenetur impedire cum transgressione legis ecclesiasticæ, sed quando occultus excommunicatus pu-
A blicè peteret sacramentum, sacerdos non deberet illi denegare, non propter scandalum passiuum ipsius excommunicati, sed ne scādalum alijs inferret; qua in re seruanda esset regula iuris communis, vt publicè excommunicatus, publicè repellatur, occultè excommunicatus, secretò, cap. Cum non ab homine de sent. excom. & c. Si sacerdos de off. ordi.

Sed dicet aliquis, si Sacerdos tenetur in participatione sacramentorum euitare excommunicatum toleratum, & non denunciatum, sicut olim iure antiquo, quale ergo est priuilegium Concilij Constantiensis quoad hanc communicationem.

Respondeo fauorem Concilij attendi debere in ijs rebus, quæ sunt in commodum, & vtilitatem com-
B municantium cum excommunicato; at recipere sacramentum cedit beneficio ipsius excommunicati petentis, & Concilium apertè declarat non intendere vllo pacto suffragari ipsi excommunicato.

Addamus etiam priuilegio dictæ constitutionis maiorem facultatem competere modò Ministris Ecclesiæ in administratione sacramentorum erga excommunicatos, quàm antea haberent; nam si excommunicatus occultus petat sacramentum, & dicat se absolutionem obtinuisse regulariter debet fidem ei adhibere, immò hoc ipso, quod petit sacramentum, potest existimare verisimiliter fuisse absolutum, nisi aliud sit, quod probabiliter ipsum ab hac opinione retrahere debeat, secus erat ante Concilium Con-
C stantiense; tunc enim Ministro Ecclesiæ non erat permissum tradere sacramentum excommunicato, nisi de absolutione aliquo modo ei constitisset, sicut etiam hoc tempore idem seruandum est quoad denunciatos, & publicos Clericorum percussores.

CAPVT V.

Vtrum sacramenta ab excommunicato recepta valida sint, & effectum habeant, & an hoc affirmari possit de quocunque sacramento etiam de sacramento Pænitentiæ.

D HAEC quæstio locum habere potest in omnibus sacramentis, vno excepto Baptismo, quia cum nemo excommunicari possit, nisi sit baptizatus, frustra quæreretur; an Baptismus receptus ab excommunicato sit validus. De alijs sex sacramentis quæri potest, an valeant, si stante excommunicatione recipiantur.

Et quidem si loquamur de Confirmatione, Ordine, Matrimonio, Eucharistia, & Extrema vnctione. Res est certa apud omnes absque vlla controuersia.

Hæc quinque sacramenta si recipiantur ab excommunicato, vera esse, & valida sacramenta quantum ad substantiam. Quare confirmationem, & ordi-
E nem imprimere Characterem indebilem, Matrimonium inducere vinculum perpetuum indissolubile.

Probatur, Quæ necessaria sunt ad essentiam sacramenti, à Christo instituta fuerunt, ergo quoties illa adhibentur, nempè debita materia cum forma præscripta, & debita intentione Ministri, & suscipientis, necessariò efficitur sacramentum; neque Ecclesia per excommunicationem potest illud impedire, quia excommunicatio non tollit aliquid ad essentiam sacramenti necessarium, neque reddit incapacem ipsam personam.

Idem probat Couarr. in c. Alma par. 1. §. 6. num. 5. vers. Cæterum sigillatim de singulis sacramentis.

Similiter Ordo, & Cõfirmatio imprimunt characterem ob eandem rationem, quia sunt vera sacramenta quoad essentiam quæ producunt hunc effectũ, qui non pendet ex suscipiẽtis dispositione, sed ex natura, & validitate sacramenti, & idcirco hæc sacramenta post obtentam absolutionem non debent, nec possunt iterari, quamuis indignè, & cum peccato fuerint ab excommunicato recepta.

Quæret aliquis, An excõmunicatus si recipiat aliquod ex his quinque sacramentis, postea peccet exercendo se in vsu illorum, & dubitari potest solùm de sacramento Matrimonij, & Ordinis, quæ duo habent aliquem vsum post receptionem, nàm illa tria Confirmatio, Eucharistia, & extrema Vnctio non habent vsum distinctum à receptione.

Si loquamur de Matrimonio, certum est post vinculum matrimonij contractum remanere vsum illius, & hic vsus est ipsa copula ad procreationem liberorum, quę per excommunicationem non impeditur, excipitur enim ab illa generali prohibitione, qua vetitum est excommunicato vti consortio fidelium, vt dictur suo loco; quare excommunicatus non magis peccat in hoc vsu matrimonij, quàm si non esset excommunicatus.

Si interroges, An excommunicatus, si postulet solemnem benedictionem post contractum matrimonium, quæ in Ecclesia dari consueuit sponsis, nouum peccatum committat.

Respondeo peccare si petat benedictionem illam, quia est quædam spiritualis communicatio in rebus sacris, quæ interdicta est excommunicato, vt notant Doctores in c. Significasti de eo, qui dux. in Matrim. quam polluit per adult. Nauar. in cap. Consideret §. Cautus num. 26. De Pœnit. dist. 5.

De Sacramento tamen Ordinis peculiare est, quod receptum ab excommunicato, licet verum sit sacramentum quoad characterem, caret tamen executione, & excommunicatus etiam obtenta absolutione, ab excommunicatione non potest exercere actus illius, donec dispensatus fuerit, siue ignorans, siue sciẽs ordines susceperit, vt inquit Couar. loco citato, & patet ex c. Præter hoc §. Verum 32. dist. c. 1. & vlt. De eo, qui furti. Ord. susce. Hoc autem fuit maximè conueniens propter rationem, quam tetigi in fine cap. tertij. Quamobrem non est ambigendum hæc quinque sacramenta ab excommunicato recepta esse valida, quantum spectat ad substantiam sacramenti.

Si verò tractemus de alio effectu sacramentorum, qui principalis est, propter quem finem primariò à Christo instituta fuerunt, vt per illa, vel primam gratiam, vel augumentum gratiæ consequamur; respondendum est cum distinctione, si excommunicatus accedit ad sacramentum absque culpa, & cum debita dispositione, tunc consequitur etiam hunc effectum, quia non ponit obicem, & regula est verissima, sacramentum non ponentibus obicem conferre gratiam, neque hic effectus tulli potest ab Ecclesia per excommunicationem, quoniam prouenit ex diuina promissione; quod si excommunicatus conscius peccati mortalis recipit sacramentum, non consequitur effectum gratiæ, quia ponit obicem.

Remanet sacramentum pœnitentiæ, de quo non leuis est difficultas, an propter excommunicationem suscipientis reddatur quoad substantiam nullum, & A irritum, vel potius dicendum sit excommunicationem non obstare eius validitati; ità quidem, vt si quis excommunicatus pœnitens cum dolore confiteatur omnia peccata mortalia, & ipsam etiam inobedientiæ culpam, propter quam fuit vinculo excommunicationis obstrictus, & absoluatur sacramentaliter à peccatis, talis absolutio sit valida, & confessio non sit iteranda.

In hac difficultate duæ sunt Doctorum sententiæ. Prima est, quæ affirmat valere absolutionem Sacramentalem impensam excommunicato, etiam si pœnitens ligatus sit excommunicatione reseruata, & confessionem non esse iterandam. Hanc sententiam tenet Palud. in 4. dist. 18. q. 4. Adria. cap. 3. De Claui. & q. 2.
B De confess. circa fidem, Medina in Cod. De Confess. in q. de Confessione ab excommunicato facta, Petrus Sot. lect. 4. De excommunicatione Nauar. in Manua. cap. 9. nu. 4. & seq. & in c. Consideret §. Cautus n. 25. De Pœnit. distinct. 5. & in cap. Fratres num. 37. ead. dist. Caiet. in summa Ver. Absolutionis impedimenta §. Verum autem si de facto, & Ver. Confessionis iteratio §. ex inhabitalitate demum & Tom. 1. opusc. 5. q. 2. Couar. in c. Alma par. 1. §. 6. num. 7.

Probatur hæc opinio; primo quia Iura prohibent quidem, ne excommunicatus accedat ad sacramenta; & idcirco innodatus tàm maiori, quàm minori excommunicatione recipiens sacramentum grauiter
C peccat. Nullo tamen iure sancitum legimus sacramentum sic receptum esse nullum, aliud enim est prohiberi aliquid tanquàm illicitum; aliud est, si de facto fiat nulliter, & inualidè factum esse; multa enim fieri prohibentur, quæ facta tenent. Quarè sicut sacramentum ordinis, Matrimonij, & alia suscepta ab excommunicato valida sunt, vt ostensum est supra, ità quoque nihil obstare videtur, quia validum sit sacramentum pœnitentiæ.

Secundò probatur, excommunicatio non est culpa, sed pœna. Quare etiam si pœnitens ab ea non sit absolutus, tamen nihil essentiale pertinens ad integritatem sacramenti pœnitentiæ videtur omissum,
D quia absolutio sacramentalis per se est circa culpas, non circa pœnas, & censuras. Vnde ait Nauarr. in cap. 1. in principio nu. 25. De Pœnit. distinct. 6. Absolutionem generalem à censuris, quæ præmitti solet à Confessario ante absolutionem sacramentalem esse quidem necessariam ex præcepto Ecclesiæ, non tamen esse de essentia sacramenti pœnitentiæ, vt sine illa inualida sit absolutio sacramentalis, sicut nec essentialiter præmittitur ante alia sacramenta.

Tertiò contingere potest, vt excommunicatus verè poenitens ex ignorantia probabili prius absoluatur à peccatis, quàm ab excommunicatione, quia nescit, vel peccatum habere annexam excommunicationem, vel esse petendam antea absolutionem ab excommunicatione, quàm à peccatis.
E In quo casu absolutio erit valida, & cum fructu, quia pœnitens, quantum est ex se nullum ponit obicem, & sacramentum gratiam confert infallibiliter non ponenti obicem, licèt Confessor malè faceret absoluendo.

Secunda sententia opposita negat absolutionẽ peccatorum valere, si poenitens manente excommunicatione etiam minori absoluatur à peccatis; sed iterandam esse confessionem, tenet enim excommunicatum iustè, vel iniustè, dummodo tamen validè, siue per ipsum non steterit, quin ab excõmunicatione absolutus fuerit

fuerit ſiue fuerit negligens in petenda abſolutione, A à peccatis ſacramentaliter, abſolui non poſſe, & ſi abſoluatur, abſolutionem tamē inualidam eſſe, etiam ſi id fiat per ignorantiam pœnitentis, ſiue per inconſiderationem, aut malitiam Confeſſarij, ſi tamen ſit verè contritus, erit abſolutus coram Deo, Silue. Confeſſio. 1. §. 6. Verſ. Quintò ſecundùm, &c. Et Confeſſor 3. §. 12. Palud. citatur in hanc ſententiam in 4. diſtinct. 22. quæſt. 3. & Adrian. in quæſt. 2. De Confeſſ. Sed iſti potius oppoſitum iudicāt locis citatis ſuperius; idem tenent Maior in ead. diſtinct. qu. 2. in fin. Gabr. q. 1. art. 3. dub. 2. Antoni 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 4. Vbi loquitur de Sacerdote excommunicato, à quo ſi quis abſoluatur etiam per ignorantiam probabilem, iterandam eſſe confeſſionem, B dicit Dominicus Sotus in 4. diſtinct. 22. q. 1. art. 1. in fin. Gerſon in 2. par. Alphab. fol. 191. cap. Quæritur in 2. column.

Probatur hæc ſententia, primo excommunicatio eodem modo debet reddere hominem incapacem ad recipiendam abſolutionem à peccatis, ſicut facit inhabilem ad impetrandam collationem beneficij, vt habetur in c. Si celebrat, & c. Poſtulaſtis de Cleri. excom. mini. Sed ad beneficium reddit incapacem, vt collatio ſit nulla, ergo eodem modo dicendum eſt de abſolutione.

Confirmatur; nam, vt inquit Silue. Confeſſor 3. §. 12. Verſ. tertio quia, & c. Excommunicatio, ſaltem C maior, magis ſeparat à participatione ſacramentorum, quam à iure beneficiorum: quoniam ab illa directè, & immediatè excludit, & eſt effectus ſpectans ad eſſentiam excommunicationis, nam repugnant hæc inuicem; vt quis ſit excommunicatus, & recipere poſſit ſacramenta, eſſet enim in Eccleſia, & extra eccleſiā, ſed à iure beneficij excommunicatus adeo eſt priuatus, vt non ſit capax illius, etiamſi excommunicatio probabiliter ignoretur, etſi eligatur de facto ad beneficium, electio eſt nulla, vt in c. Apoſtolicæ, & Glo. Ver. Probabilis ibi non credo, &c. De Cleri. excom. Mini. & in c. Poſtulaſtis eod. tit. Igitur multo minus erit capax participationis ſacramentorum.

Secundò non aliter prohibetur excommunicatus D excommunicatione maiori conferre, & adminiſtrare ſacramenta, quam recipere, ſed ſi excommunicatus denunciatus nominatim, aut publicus Clerici percuſſor tentet abſoluere, non tenet abſolutio, ergo ſi excommunicatus abſoluatur, nulla erit ſimiliter abſolutio.

Tertiò ſi excommunicatus in foro exteriori, vel proferat ſententiam, vel aliud agat iudiciale, totum eſt irritum, & caſſum; igitur idem erit, ſi abſolutionem recipiat.

Præterea in dicto c. vlt. de Cleri. excom. Mini. redditur cauſa, cur ſi ab excommunicato excommunicatione minori conferatur ſacramentum, ſit validum, quoniam talis excommunicatus non arcetur à colla- E tione ſacramenti, ſed a receptione tantùm; igitur inſinuatur, quod ſi attentet recipere, receptio ſit nulla.

Tandem Eccleſia potuit excommunicatum excōmunicatione maiori extra mortis articulum ſic à ſacramentis arcere, vt attentata receptio eſſet irrita, ſicut potuit ſacramentum matrimonij inter conſanguineos, & affines irritare. Sed nulla maior eſt pœna in Eccleſia, quàm excommunicatio, ergo per excommunicationem ſuſceptio ſacramentorum irritatur, alioquin non eſſet illa maior pœna.

Accedit, vt inquit Silue. Confeſſor. 3. §. 12. in fin. ex ſententia Riccard. pro hac opinione extare conſuetudinem Eccleſiæ, quæ eſt optima legum interpres.

His duobus modis reſpondent Doctores ad hanc quæſtionem, & vterque tùm propter auctoritatem, & grauitatem Auctorum, tum propter vim, & efficaciam rationum non caret probabilitate, ſed primus eſt probabilior, quem frequentius hoc tempore amplectuntur Doctores. Ego tamen exiſtimarem moderationem quandam vtrique ſententiæ adhibendam eſſe, quibuſdam igitur propoſitionibus, quid in hac quæſtione probabilius affirmari poſſe cenſeam breuiter aperiam.

Prima propoſitio ſit, ſi innodatus excommunicatione etiam minori petit ſcienter abſolutionem à peccatis, non ignorans peccatum eſſe mortale recipere in tali ſtatu abſolutionem ſacramentalem, & recipiat abſolutionem à peccatis, abſolutio erit inualida, & nulla, & confeſſio repetenda.

Ad hunc modum videtur moderanda ſecunda opinio. Ita expreſsè tenent Riccard. diſt. 18. art. 9. qu. 4. Nauar. c. fratres num. 48. De Pœnit. diſt. 5. & in Manua. cap. 9. num. 5. Gerſon loco citato & hæc concluſio eſt contra Caietanum.

Caietanus enim in ſumma Ver. Abſolutionis impedimenta videtur nimis excedere, tria enim dicit. Primum eſt Abſolutionem à peccatis receptam ab excommunicato non tenere quantum ad præſentem fructum, quia in ipſo actu recipiendi abſolutionem ponit obicem, cum ingerat ſe paſſiuæ receptioni ſacramenti, à qua eſt excluſus. Vnde inquit Caiet. poſſe excommunicatum initiatiuè ad ſacramentum pœnitentiæ accedere exercendo actus ſpectantes ad materiam ſacramenti, ſcilicet conterendo, confitendo, & ſatisfaciendo, non poſſe tamen perfectiuè, & completiuè ſacramento ſe immiſcere; perfectio autem ſacramenti pœnitentiæ in forma abſolutionis conſiſtit. Secundum quod aſſerit Caietanus eſt fieri poſſe ex accidenti, vt huiuſmodi abſolutio ſit valida, & teneat quoad præſentem fructum, ſi excommunicatus verè pœnitens, & contritus habens probabilem ignorantiam Iuris, aut facti recipit abſolutionem à peccatis, quia in tali caſu pœnitens non ponit obicem, cum propter ignorantiam probabilem, qua laborat, à ſacrilegio excuſetur, quod committit excommunicatus ex receptione ſacramenti, conſtat autem ſacramentum infallibiliter conferre gratiam non ponenti obicem. Quamobrem etſi excommunicatus ad hunc modum abſolutus, à peccatis, recedente ignorantia, teneatur quærere relaxationem ab excommunicatione, nec interim valeat ſe iterum immiſcere Diuinis, non eſt tamen obligatus iterare cōfeſſionem peccatorum, & nouam abſolutionem illorum accipere, & id propter efficaciam abſolutionis antea ſuſceptæ. Hæc duo dicta Caietani vera ſunt; in tertio verò dicto nimium laxauit habenas, inquit enim ſimpliciter loquendo Abſolutionem ſacramentalem impenſam excommunicato valere; quoniam excommunicatus dicitur priuatus participatione ſacramentorum ad hunc ſenſum, quia non poteſt licitè illa recipere, minimè autem quod ſi ſuſceperit, nulla ſint.

Quare putat, non ſolum quando excommunicatus ſine peccato accedit ad ſacramentum, ſed etiam quādo actu peccat ſuſcipiendo ſacramentum, illud eſſe validum, vt licet talis abſolutio careat aliquo effectu ſacramēti propter indignam receptionem excommunicati perſeuerantis in peccato mortali, tamen credit

habere effectum recedente peccato; fundamentum Caietani est ratio desumpta ex receptione aliorum sacramentorum, si excommunicatus assumit sacramentum Ordinis, Matrimonij, Confirmationis, Extremæ vnctionis, non idcirco sacramentum susceptum erit irritum, ergo similiter non erit nullum sacramentum Pœnitentiæ; accedit, quod participatio excommunicati in alijs rebus sacris, & diuinis non est inanis, & inualida, vt si persoluat horas in choro cum alijs, satisfacit obligationi, & præcepto de dicendis horis Canonicis. Quare idem dicendum erit de sacramento pœnitentiæ.

Hoc tertium dictum Caietani non est probandum, & nititur falso fundamento; nimirum actuale peccatum mortale commissum in ipsa confessione non esse contra substantiam huius sacramenti.

Redeamus ad conclusionem propositam, quæ non eodem medio probatur à Doctoribus, primæ sententiæ, & ab aliis, qui tuentur secundam, Silue. enim, Palud. Adria. & alij, qui dicunt Absolutionem peccatorum concessam excommunicato esse inualidam, vtuntur hac ratione ad conclusionem confirmandam, excommunicatio vi sua reddit incapacem excommunicatum ad receptionem sacramentorum, & præsertim huius sacramenti, & idcirco siue scienter, siue ignoranter absolutio recipiatur, erit inualida propter excommunicationem. At vero Medina, Petrus Sotus, Nauar. Couar. & alij citati pro prima opinione, qui dicunt excommunicationem impedire solum, vt excommunicatus non possit licitè, & sine peccato accedere ad hoc sacramentum, non tamen virtute sua efficere absolutionem irritam, si de facto recipiatur ab excommunicato, necesse est, vt in confirmationem conclusionis alio fundamento vtantur, & est, aut Pœnitens excommunicatus non confitetur hoc peccatū, quo peccat volens cum excommunicatione absolutionem sacramentalem accipere, & tunc non est integra confessio, tacet enim graue peccatum scilicet velle recipere tantum sacramentum, cum ab ecclesia, omnium sacramentorum participatione sit exclusus. Quod si aperiat illud peccatum, quod in expetenda absolutione committit, tamen adhuc nihil valet, quia deficit Contritio, vel Attritio debita; quare in vtroq; casu Absolutio erit nulla, non quia impenditur Pœnitenti scienti se excommunicatum esse, sed quia accidit in confessione defectus substantialis modo explicato, & idcirco est iteranda. Quidquid dicat Caietanus qui nititur falso fundamento, vt diximus.

Secunda propositio, Si Pœnitens alligatus excommunicatione etiam reseruata bona fide, & probabili ignorantia accedat ad sacramentum poenitentiæ, & nihil desit ex necessarijs ad sacramentum ex parte ipsius Poenitentis; atque hoc modo recipiat absolutionem sacramentalem à peccatis, valet absolutio, & confert effectum gratiæ.

Dico, si accedat bona fide, & cum probabili ignorantia, siue illa sit Iuris, siue facti; nempè si ignoret probabiliter se esse excommunicatione innodatum, vel si hoc sciat, sed credat posse prius à peccatis absolui, quàm ab excommunicatione.

Et intelligenda est hæc propositio præsertim vbi excommunicatio non erat reseruata superiori; quoniam si est reseruata, aliqui negant absolutionem valere, de qua re statim videbimus. Est sententia Paludani dist. 17. q. 5. art. 3. cas. 2. Nauar. in Manua. cap. 9. num. 3. & cap. 1. in prin. n. 25. de Pœnit. dist. 6. & in cap. Consideret §. Cautus num. 25. de Poenit. dist. 5. Latius

A in c. Fratres num. 45. ead. dist. Couar. in c. Alma par. 1. §. 6. n. 7. Vers. Secunda conclusio, & aliorum, quos citaui pro prima sententia. Hanc conclusionem Dominicus Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. in fi. asserit esse veram respectu excommunicationis minoris, scilicet si Pœnitens cum illa ignorantia probabili recipiat absolutionem à peccatis; mouetur, quia non credit Ecclesiam cum tanto rigore voluisse huiusmodi excommunicatum arcere à sacramentis. De excommunicatione verò Maiori putat hanc opinionem non esse certam, neque tutam ob eam rationem potissimum; quoniam sicut excommunicatus excommunicatione maiori prohibetur sacramenta conferre, ità & suscipere, sed sic priuatur conferre, vt Absolutio non teneat,

B ergo eadem ratione, si absoluatur, nulla erit absolutio.

Hanc propositionem in primis cōfirmant rationes superius adductæ pro prima sententia.

Potest etiam alijs rationibus cōfirmari; primo hæc confessio per se est integra omnium culparum, & cum alijs debitis conditionibus, igitur valida; nam excommunicatio est poena, quæ non est materia necessaria confessionis, ideo eius omissio non vitiat confessionem.

Et hanc ob causam aliqui putant, vt diximus in prima sententia, adhuc etiam valere absolutionem à peccatis, etiam si manente scientia excommunicationis in vtroq; tàm Pœnitente, quàm Confessario tra-

C datur absolutio à peccatis, vt inquit Ang. Confessio 1. §. 19. & refert se ad V. Confessio 5. §. 10. Quia excommunicatus contritus, qui non est in mora, potest in foro conscientiæ recipere absolutionem à peccatis; nam iura, quæ interdicunt excommunicato receptionem sacramentorum, loquūtur solum in foro exteriori, in quo præsumitur in mora, & non contritus.

Quæ tamen sententia non est admittenda in praxi vt patet ex his, quæ dicta sunt ad confirmandam primam conclusionem, & notauit Nauar. in Manua. c. 9. n. 3. 4. & 7. & cap. 26. num. 7. Quia dum excommunicatus vult sic recipere sacramentum, peccat mortaliter scienter in ipsa receptione, ac ideo non valet absolutio. Gabr. dist. 17. q. 9. art. 1. Silu. Confessor 3. §. 12.

D Probatur secundò conclusio ex c. Apostolicæ de Cleri. excom. Mini. Vbi Clericus excommunicatus, qui iustam habuit ignorantiam, si diuina celebrauit, excusatur. Et confirmatur, quia poenæ, & odia sunt restringenda: sed hæc ratio non probat validitatem absolutionis, sed solùm ostendit non committi peccatum.

Tertio Impetratio beneficij per eum, qui probabiliter ignorabat se excommunicatum, tenet in foro interiori conscientiæ, vt probabiliter tenet Nauar. in c. Fratres n. 45. De Pœnit. dist. 5. ex Glo. in c. Apostolicæ Ver. Probabilis in princ. De Cleri. excomm. mini. quam vocat singularem, Felinus in c. Sicut tuis nu. 5. Vers. Ex quorum dictis De Sim. Et approbatur per

E Card. cons. 40. de qua tamen re tractabitur suo loco, Ergo absolutio à peccatis erit valida.

Nec responderi potest esse res omninò diuersas, & non valere illationem à disparatis, quia potius, inquit Nauar. est argumentum à fortiori.

Quartò confirmatur hæc propositio; quoniam excommunicatus redditur inhabilis ad receptionem sacramentorum ex decreto Ecclesiæ: sed in casu proposito non est existimandum Ecclesiam voluntatem adeò rigidam habuisse, vt voluerit absolutionem esse inualidam.

Ad hæc iure Canonico prohibetur Excommunica-

tus

tus ad sacramentum accedere, nullibi tamen habetur, quod si bona fide receperit absolutionem, sit nulla absolutio.

Præterea omnia alia sacramenta suscepta ab excommunicato tenent, & valida sunt, vt probatum est licèt committat graue sacrilegium excommunicatus illa recipiendo, ergo validum erit etiàm sacramentum Poenitentiæ, nulla enim probabilis ratio discriminis afferri potest; quod si irritum sit tale sacramentum, si scienter recipiatur, id non accidit propter impedimentum excommunicationis, sed quia deest conditio necessaria ad substantiam sacramenti ex defectu alterutrius causæ ex duabus, vt diximus; nēpè vel quia non est integra confessio, vel quia excommunicatus accedit sine debita, & sufficienti dispositione. Hoc autem cessat, si excommunicatus probabili laborans ignorantia accedat bona fide ad sacramentum poenitentiæ, igitur tunc valida erit Absolutio, & Confessio non erit repetenda; quia rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit c. 2. De Constitu. c. Sine culpa de Reg. Iu. lib. 6.

Sed obijciunt aliqui contra hanc rationem valde diuersam esse rationem sacramenti Poenitentiæ, & aliorum sacramentorum, & ab illis illationem fieri non posse ad hoc sacramentum; nam cætera sacramenta, vt valorem suum sortiantur, non requirunt, vt recipiens sit subditus ei, qui confert sacramenta. At absolutio sacramentalis, cum impendatur per modum sententiæ, exigit, vt Poenitens sit subditus Absoluenti, alias absolutio est nulla, quia sententia lata à non proprio Iudice est inualida; at ecclesia, dum aliquem excommunicat, facit eum non subditum, quia expellit eum ab Ecclesiæ consortio, & fidelium communione, idcircò non est mirum, si absolutio tradita excommunicato non teneat, quamuis valida sint alia sacramenta, si per excommunicatum recipiantur.

Respondeo per excommunicationem priuari excommunicatum iurisdictione actiua in alios, non iurisdictione passiua ad suos superiores, vel clariùs, alij non priuantur Iurisdictione, quam habent in excommunicatum, Parochus enim non amittit iurisdictionem in suas oues quoad peccata non reseruata, solum quia excommunicatione sunt obstrictæ; quod declarari potest hoc exemplo, si Summus Pontifex immediatè absolueret aliquem excommunicatum à peccatis nolens illum absoluere ab excommunicatione, hæc absolutio esset valida, si Pœnitens non poneret aliquem obicem; nam in hoc casu nullus excogitari posset defectus iurisdictionis, quia nulla censura, quæ instituta est iure positiuo, potest tollere iurisdictionem Papæ, cui subiectum est omne ius positiuum humanum, cum illius sit conditor, ergo excommunicatio non potest, vt est censura, impedire valorem absolutionis sacramentalis.

Si vlterius instent, excommunicatus est membrum præcisum ab ecclesia, sicut Ethnicus, & Publicanus, ergo nulla competit iurisdictio erga illum, quia de his, qui foris sunt, nihil ad nos, inquit Apostolus.

Respondeo excommunicatum non ob eam rationem dici membrum præcisum ab Ecclesia, vt Ecclesia amittat iurisdictionem, quam in ipsum habebat tàm in foro exteriori, quàm interiori, sed quia ex constitutione Ecclesiæ priuatus est consortio aliorum fideliū, & communicatione bonorum, quorum participes sunt omnes fideles, qui tanquam membra cōstituunt hoc misticum corpus.

Postremo confirmari potest eadem conclusio hac

A ratione; in sacramentis, vt dicitur in Concilio Florentino, tria requiruntur de essentia, materia, forma, & Minister; quibus existentibus sacramentum est perfectum. Sed in casu de quo agimus hæc tria reperiuntur, igitur est verum sacramentum.

His modis probari potest hæc secunda cōclusio, quę (vt dicebam) intelligitur etiam de excommunicatione superiori reseruata; nam tunc etiam absolutio à peccatis erit valida. Et certè durissimum videretur, vt is, qui per totam vitam ignoraret inuincibiliter incurrisse excommunicationem reseruatam, nunquam validam reciperet absolutionem peccatorum. At excommunicatio non tollitur, sed semper remanet obligatus excommunicatus, cum primum cognouerit in B excommunicationem incidisse, petere absolutionem ab excommunicatione ab eo, ad quem spectat; nihil igitur refert ad hoc vt fateamur absolutionem sacramentalē à peccatis in proposito casu esse validā, quod excommunicatio sit reseruata, aut non reseruata. Aliqua tamen difficultas esse potest ratione peccati, cui annexa sit excommunicatio reseruata, nempè an cum quis bona fide absoluitur ab omnibus peccatis ab eo, qui non habet iurisdictionem in omnia, sed in quadā, sacramentum sit validum, & Pœnitens maneat absolutus, vt non teneatur peccata illa, quæ subiecta non erant iurisdictioni confessarij, iterum confiteri. Et ad hanc difficultatem dicendum est talem confessionem esse validam, & moraliter loquendo integram, neque C enim necessariò est integritas materialis absolutionis, vel quoad effectum, ad substantiam sacramenti.

Immò addit Ang. Ver. Confessio 5. n. 10. huiusmodi absolutionem non solum validam esse, sed etiam licitè, & absq; peccato posse tradi à Sacerdote, quamuis nulla intercedat ignorantia, aut necessitas, vel alia causa, sed iure ordinario, quia habet facultatem absoluendi pœnitentem à peccatis, remittendo illum ad superiorem ad impetrandam absolutionem ab excommunicatione reseruata. Quare videtur indicare non opus esse in tali casu, vt postea accipiat absolutionem sacramentalem à peccatis reseruatis, sed tantum ab excommunicatione, & citat in eandem sententiam D Riccard. in 4 dist. 18. art. 9. q. 4. Sed Riccard. oppositum significat, vt notat Nauar. in c. Fratres num. 39. De Pœnit. dist. 5.

Hæc opinio Angeli non est probabilis, nam vt inquit Nauar. illo n. 39. excommunicatus est adeò à Diuinis segregatus, vt quamuis peccati pœnitentiam egerit, non potuit eis interesse cap. Sacris De his, quæ vi, metusuè cau. fiunt. Inter sacra verò primum locum tenent sacramenta, ergo multò magis erit priuatus sacramentis, vnde licet excommunicatus per pœnitentiam, & contritionem redierit in gratiam Dei, donec tamen ab excommunicatione absoluatur, semper habet impedimentum, nè possit sacramentalem absolutionem recipere, sicut superius diximus de priuatione E suffragiorum Ecclesiæ.

Quare quoad hanc difficultatem differentia erit inter excommunicationem non reseruatam, & reseruatam, quod si pœnitens ex ignorantia probabili accipit absolutionē à peccatis non recepta absolutione ab excommunicatione non reseruata, & Confessarius absoluit, præmissa absolutione generali à Censuris, pœnitens manet omnino absolutus à peccatis, & ab excommunicatione, vt non teneatur iterum confiteri peccata, aut excommunicationem: ratio est, quia Confessarius ex officio directè absoluit ab excommunicatione non reseruata. Sed si excommunicatione reseruata

unea grauatus pœnitens confiteatur, & recipiat absolutionem à peccatis, manet absolutus à peccato reseruato, & ab excommunicatione indirectè. Quare pœnitens tenebitur postea absolutionem petere à superiori & à peccato reseruato, & ab excommunicatione, vt absoluatur directè.

Ex dictis sequitur, quod si Confessarius aduertens excommunicationem præsertim reseruatam in pœnitente illam probabiliter ignorante, & nihilominus absolutionem peccatorum impendit, licet absolutio sit valida, ipse tamen peccat, vt notat Cano in Relect. De Sacramento Pœniten. par. 5. Vers. Ego tamen.

Tertia propositio. Si admittatur illa sententia, quam tenent plures Doctores, quos statim citabo, & est probabilis dari posse confessionem informem, & sine effectu, quæ valida sit, & non iteranda, puta si Pœnitens ex ignorantia vincibili, & culpabili, quę sit peccatum mortale, sed non ex crassa, & affectata, omittit confiteri propriam excommunicationem, aut petere prius absolutionem ab excommunicatione, quàm à peccatis, ità vt defectus sit Attritionis non in qualitate, quia supponitur vera attritio ex parte obiecti sufficiens ad validitatem sacramenti, sed defectus sit in quantitate; quod non extendatur ad omnia peccata, licet nullius peccati complacentiam habeat. Supposito inquam hoc fundamento, si excommunicatus in terminis propositis recipiat absolutionem sacramentalem à peccatis, vera erit absolutio, sed informis, & absq; effectu gratiæ, nec erit obligatus Pœnitens amplius iterare confessionem eorundem peccatorum.

Secunda propositio superius confirmata explicat, quomodo absolutio peccatorum tradita excommunicato possit esse valida, & producere effectum gratię. Hæc tertia ostendit interdum dari posse casum, quo huiusmodi absolutio possit esse valida, & ex consequenti non iteranda, & nihilominus sine fructu, & effectu gratiæ, & est opinio multorum, B. Tho. in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. ad primum. Quod si idem B. Tho. dist. 23. quæst. 1. art. 4. ad secundum ponens differentiam inter formam absolutionis, & Vnctionis innuit. Non dari veram absolutionem absq; effectu gratiæ, sumit veram pro efficaci, Palud. dist. 17. q. 8. Capreol. q. 2. Ricard. art. 2. q. 8. ad 5. Durand. q. 13. Sotus dist. 18. q. 3. art. 3. concl. 5. Cano in Relect. De Sacramento Pœnit. par. 5. Vers. Huic vero quæstioni pag. 79. Caiet. V. Confessio iteranda 9. Cōtritio igitur post med. Victoria in sum. §. 144. Nauar. in Manua. cap. 9. nu. 13. & in c. Fratres nu. 33. De Pœnit. dist. 5. Couar. c. Alma Mater. 1. par. §. 6. nu. 7. Vers. Cæterum Caietanus.

Itaq; potest contingere, vt Pœnitens ex ignorantia, bona fide accedat ad sacramentum pœnitentiæ, & integre confiteatur cum aliquo formali dolore, & proposito excludente voluntatem peccandi, & tamen non habeat dignam dispositionem necessariam ex Christi institutione ad consequendam primam gratiam ex defectu attritionis, tribus enim modis, vt inquit Caietanus loco citato potest Pœnitens se habere in ordine ad contritionem. Primo potest confiteri cum eo dolore, qui sit contritio, vel attritio sufficiens, vt virtute sacramenti fiat Contritio, & hæc confessio non est iteranda, vel è contra vt nullum dolorem habeat, quo casu absq; dubio confessio est nulla, & ex consequenti repetenda, vel tertio potest esse confessio sine debita dispositione, sed cum aliqua attritione imperfecta, Atq; tunc temporis est vera confessio, & absolutio, sed non efficax propter obicem sacramento positum, licet Confessio non sit iteranda, Ideo vocatur informis, & sine effectu, est tamen verum sacramentum.

Hæc sententia est probabilis, & communis, vt dixi, quamuis non desint alij, qui oppositum sentiant, vt Maior dist. 17. q. 9. Adrian. q. 4. de Confess. dub. 5. Med. in Codice poenit. Tractatus de Confess. q. 20.

Probat Nauar. hanc conclusionem in Manua. c. 9. num. 13. & in c. Fratres, nu. 35. de Poenit. dist. 5. Quoniam si Confessio in casu proposito non esset valida, quando caret effectu gratiæ, nemo vnquam scire posset; an rectè confessus fuisset sua peccata; quoniam nemini constare potest, An sit in statu gratiæ. Eccles. cap. 9. *Nemo scit; an odio, vel amore dignus sit*. c. fin. De Purga. Cano. & ex consequenti, an contritionem, vel attritionem sufficientem cum sacramento ad consequendam gratiam habuerit; quarè nemo vnquam sciret, an deberet confessionem repetere.

Secundò alia omnia sacramenta possunt esse vera, & integra, & propterea non repetenda, quamuis Dãs, vel Accipiens lethali culpa sit maculatus, ergo eodem modo sacramentum poenitentię erit validum, etiamsi sit informe, neque erit iterandum; nullibi enim reperitur statutum oppositum, & B. Tho. in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. & Caietan. vbi supra dicunt confessionem non esse iterandam ob eam solam rationem, quòd fiat sine gratia, & charitate.

Hæc dicta sint ad propositam quæstionem, quę tanquam probabiliora communiori Doctorum consensu approbantur, magisq; pia, & accommodata videntur, & vsu, atque consuetudine confirmantur.

Remanet ad concludendum caput, vt dissoluantur rationes adductæ pro sententia Siluestri, & aliorum asserentium excommunicationem intrinsecè pugnare cum valore Absolutionis sacramentalis.

Ad primam de nullitate collationis beneficij factæ excommunicato c. Post cessionem de Cleri. excom. Minist. Respondet Nauar. in Manua. cap. 9. n. 4 in fi. hoc definitum fuisse in iure de collatione beneficij, & non esse trahendum ad collationem sacramentorum, quia ius humanum potuit illud sancire de beneficijs ecclesiasticis, quæ sunt iuris positiui, quod non potuit statuere circa essentialia sacramentorum, quæ sunt Iuris diuini à Christo instituta, vt docet Concil. Trid. sess. 7. can. 1.

Ad secundam rationem Respondeo non esse eandem rationem de ministro conferente sacramentum, & de illo, qui sacramentum recipit; absolutio enim sacramentalis collata à sacerdote excommunicato denunciato nulla est, quia propter excommunicationem priuatus est directè iurisdictione, sine qua Absolutio valida esse nequit, sed ad recipiendam absolutionem non est necessaria aliqua iurisdictio in poenitente; ideo, quamuis sit excommunicatus, valida est absolutio.

Similiter ad tertiam dicendum est non valere illationem ab alijs actibus Iudicialibus Iuris humani ad sacramenta; quod ius positiuum statuerit gesta per excommunicatum in iudicio fori exterioris esse nullius momenti, (quod tamen non est simpliciter, & vniuersaliter verum, vt suis locis ostendetur,) non probat idem fuisse statutum de receptione sacramentorum.

Ad c. vlt. De Cleri. excom. Mini. Respondetur ibi solum definiri excommunicatum minori excommunicatione esse priuatum passiua receptione sacramentorum, non autem actiua administratione, quia si sacramenta conferat, non peccat, saltem mortaliter, vt in disputatione 4. probauimus, & sacramenta ab illo admi-

administrata non carent effectu, sacramenta verò per A ipsum recepta carent virtutis effectu, quia lethaliter peccat recipiendo, sunt tamen vera sacramenta, & valida quoad substantiam.

Ad quintam rationem; primò respondemus negando ecclesiam potuisse excommunicatum ità à sacramentorum receptione excludere, vt si tentasset recipere, receptio esset nulla, dummodò ea, quæ iure diuino ad sacramentorum substantiam sunt necessaria, non deessent; quoniam non potest ecclesia innouare aliquid ex his, quæ pertinent ad substantiam sacramentorum, sicut monebam in responsione ad primam rationem; quod si ecclesia statuit Matrimonium inter Consanguineos vsque ad certum gradum contractum B esse inualidum; non idcirco disposuit de matrimonio, vt sacramentum est, sed quia matrimonium inter alia sacramenta habet etiam hoc peculiare, vt sit contractus, sub hac ratione declarat ecclesia, quas conditiones debeant habere, qui contrahere volunt Matrimonium, vt talis Contractus sit validus, & subsistat. Secundò responderi potest, quod quamuis gratis concederetur, ecclesiam potuisse ità priuare excommunicatum passiua receptione sacramentorum, vt sacramenta per ipsum recepta essent irrita, & nulla, non tamen infertur necessario, quia potuit hoc modo statuere, ergo ità disposuit, quia nullibi reperitur in Iure statutum, & effectus excommunicationis pendent ex voluntate Ecclesiæ, vndè voluit, vt suffragia com- C munia non prodessent excommunicato, quamuis esset contritus, & in gratia, neque sacrificium Missæ, de quibus poterat disponere, de receptione sacramentorum nihil dixit, quia sunt iuris diuini.

Postremò ad id, quod affirmat Silue. Pro hac sententia extare consuetudinem Ecclesiæ dicimus hoc falsum esse, immò (vt monebam superius) contraria opinio in praxi communiter seruatur, & est magis pia.

Verum in fine huius capitis illud etiam adijciam opinionem Siluestri non esse omninò improbabilem; quod si excommunicatus etiam si bona fide fuerit confessus peccata, & absolutionem receperit, inualida sit absolutio, & teneatur iterum eadem peccata D confiteri ob eam rationem, quia licèt Ecclesia non possit reddere inualidam absolutionem, si nihil essentiale desideretur ad eius substantiam ex institutione Christi, tamen quia non potest apparere, an excommunicatus accedat cum sufficienti dispositione necessaria ad validitatem sacramenti, cum sit res interior, & occulta; idcircò potest ecclesia statuere, vt excommunicatus recipiens absolutionem sacramentalem, non obtenta antea absolutione ab excommunicatione, teneatur repetere confessionem; quia licèt esset absolutus coram Deo, non censetur tamen vere absolutus coràm ecclesia, quæ de interioribus non iudicat, & id potius videtur præsumendum, cum contra prohibitionem supposita excommunicatione ad sacra- E mentum accedere præsumpserit, & fortasse etiam olim hic mos, & vsus seruabatur, vt excõmunicatus iteraret confessionem ex quacunque causa factam ante absolutionem ab excommunicatione; sed propter has rationes non est recedendum à contraria opinione.

CAPVT VI.

An Excommunicatus in casu necessitatis licitè, & sine peccato possit recipere sacramenta, præsertim Absolutionem à peccatis, maximè in articulo mortis, si non adsit superior, qui eum antea absoluat à vinculo excommunicationis; & à quo absolui possit.

CERTVM est, & sine controuersia, vt ex his, quæ diximus, cõstare potest, excommunicatum non posse prius sacramenta recipere, quàm ab excõmunicatione absoluatur; & si aliter præsumat, graue sacrilegium committere. Sed dubitari potest; an id locum habeat vrgente necessitate, quoties, si excommunicatus expectaret absolutionem à censura, immineret ei periculum probabile, præsertim mortis, & hæc difficultas locum habet, maximè si loquamur de sacramento pœnitentiæ.

Adrianus q. 2. principali de Clauibus dub. penult. vt refert Medin. in C. de Confess. tract. 2. q. 18. affirmat posse Sacerdotem inferiorem absoluere excommunicatum à peccatis constitutum in articulo mortis non præmissa absolutione à censuris, illo argumento, quia videtur contra charitatem, mortem æternæ damnationis, cum possumus à proximo non excludere iuxta illud Symachi Papæ 73. dist. *Mortem languentibus probatur infligere, qui hanc, cum potest, non excludit*. & 26. q. 6. c. Agnouimus ait Cælestinus contra eos, qui morientibus pœnitentiam negant: *Quid*, inquit, *hoc aliud est, quàm morienti mortem addere? eiusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere?*

Si cõtra objiciatur Ab ecclesia prohibitam esse excommunicato sacramentorum receptionem, igitur non potest excommunicatus etiam in articulo mortis ante absolutionem ab excommunicatione recipere absolutionem à peccatis.

Respondetur Præceptum Ecclesiæ obligare extra talem articulum necessitatis, si enim ad subleuandam corporis necessitatem tollitur huiusmodi rigor prohibitionis, vt tunc licitè possit quis, immò teneatur cum excommunicato communicare, & illius corporali necessitati opem ferre, multò æquius, & rationabilius id erit permissum ob animæ necessitatem, vt in præsenti casu, maximè cum B. Bernar. in lib. de Præceptis, & ex Regula Iuris, dicat: *Quod pro charitate institutum est, non debet contra charitatem militare*, sicut censenda esset talis prohibitio, si in propositis terminis seruaretur. Quòd si instes iterum eiusdem Bernardi auctoritate affirmantis præcepta Ecclesiæ, etiamsi aliquando militent contra charitatem, seruanda tamen esse, quousque per superiorem declarentur, aut dispensentur, ad Præpositos enim pertinet iura explicare, sicut & concedere. Respondetur Verba Bernardi explicanda esse, si in expectanda huiusmodi declaratione nullum timeretur periculum ipsius proximi, sed in præsenti casu instaret periculum, si excommunicatus reperiretur in mortis articulo. Hæc est opin. Adriani.

Contra quam Medina objicit nonnulla, & soluit, & in primis inquit sententiam Adriani veram esse, si fundamentum ipsius admittatur, quod excommunicatus in illo casu, de quo agitur, non possit alia via, & remedio consequi gratiam, & redire in amicitiam Dei, quam per absolutionem sacramentalem; quod tamen videtur falsum; nam Pœnitens per contritionem suorum peccatorum, si absque culpa sua sacramentum pœnitentiæ recipere non potest, & moriatur absque absolutione, non damnabitur. Verùm ad hoc respondet Medina non raro accidere, vt quis careat vera contritione, & habeat attritionem solam, quæ cum sacramento sufficiens est ad gratiam consequendam. Quare sæpe contingere potest absolutione sacramentali negata pœnitentem damnari, qui, si absolueretur, saluus

saluus esset, multa enim in articulo mortis cōcurrunt, quæ facile trahunt morientem ad interitum animæ, nisi remedijs salutaribus adiuuetur, quibus sublatis Dæmon etiam vehementius vrget, & tentat illum, quare multum refert sacramentum pœnitentiæ morientibus conferre, vel negare.

Secundo obiicit Medina contra Adrianum, si absolutio à peccatis impendenda esset Excommunicato morienti, vt consequeretur æternam salutem, propter eandem necessitatem posset, & deberet moriens absolui à sacerdote excommunicato, seu hæretico, si alius haberi non posset, non enim minus contra charitatem esse videtur prohibere, ne sacerdos excommunicatus morientem absoluat, quàm prohibere, nè moriens excommunicatus in necessitate simili à sacerdote absoluatur, ac propterea si in vno casu cessat rigor prohibitionis Ecclesiæ, cessant etiam in alio, Consequens autem est contra textum in cap. Subdiaconus 24. q. 1. Vbi habetur: *Cætera sacramenta dempto baptismo in articulo mortis ab hæretico, vel excommunicato ministrata vel nullum, vel lethalem habere effectum*, Et in libro Canonum Pœnitētialium, & citatur ad id Chrisostomus, *In articulo mortis potest Baptismus à quocunq; recipi, Pœnitentia verò, & alia sacramenta non possunt, nisi à Catholico, & non præciso*. Pro quo facit etiam cap. Ermigildus 24. q. 1. Vbi ille sanctus Rex maluit mortem pati, quàm de manu hæretici excommunicati sacramentum Eucharistiæ recipere, & cap. Præter 32. dist. §. Verum principia Vers. Cæterum Schismaticorum. Vrbanus secundus iuxta traditiones sanctorum Patrū profitetur: *Sacramenta Schismaticorum, & Hæreticorum, quoniam extra Ecclesiam sunt, formam quidem Sacramentorum, non virtutis effectum habere*. De hoc argumento plura dicenda sunt infra, Interim dicamus ad eius solutionem, quod inquit Medina, reperiri aliquod discrimen inter casus prædictos, nam quando Pœnitens est excommunicatus, & non Sacerdos, possunt concurrere illa tria, quę sunt necessaria in quolibet sacramento, nempè materia, forma, & minister, sed quando Confessarius separatus est à participatione sacramentorum, tunc deficit vnum, scilicet minister idoneus, per excommunicationem enim priuatus est potestate Iurisdictionis, quæ requiritur in Ministro conferente hoc sacramentum: Ideo absolutio per eum tradita nulla est, sicut si per decretum Ecclesiæ aliquę personę reddantur illegitimæ ad coniugium, si tentent contrahere absq; superioris dispensatione, quacunq; imminente necessitate, matrimonium redditur nullum.

Tertiò obiicitur, videntur hæc inuicem pugnantia, quòd aliquis sit nominatim excommunicatus, & quòd antequam ab excommunicatione absoluatur, possit sacramentum pœnitentiæ recipere, nam de ratione excommunicationis est separatio à participatione sacramentorum, vel igitur Sacerdos non debet absolutionem à peccatis impertiri excommunicato in articulo mortis constituto, vel saltem fatendum est eo tempore suspendi excommunicationem ipso iure, vt minimum quoad principalem effectum ipsius excommunicationis, scilicet separationem à sacramentis, & remanere quoad alios effectus, vt quod corpus excommunicati ante absolutionem à censura non possit sepeliri in Ecclesia &c. Respondet Medina in eo casu Ius ipsum ex parte tollere excommunicationem quantum ad illum effectum peculiarem, vt liceat communicare cum excommunicato in sacramentis, lege charitatis id postulante. Itaque vbi periculum probabile esset, nè mora expectandi absolutionem ab excommunicatione cederet in detrimentum animæ ipsius infirmi, absoluendus esset à peccatis ante absolutionem ab excommunicatione. Hæc dicuntur a Medina in confirmationem opinionis Adriani.

Ad explicationem huius difficultatis, an excommunicatus possit sine peccato recipere sacramentum, scilicet sacramentum Pœnitentiæ, de quo est tota difficultas, quia inter omnia sacramēta post Baptismum est magis necessarium in articulo mortis, vel in aliis casibus necessitatis, non obtenta absolutione ab excommunicatione à superiore, ad quem spectat; inquirendum est, quid intelligatur per Articulum mortis, de quo agam in hoc capite, De aliis casibus necessitatis tractabo in sequenti capite.

Siluester V. Confessor. 1. §. 6. Vers. septimo ratione necessitatis, & V. Absolutio. 1. §. 10. & Interdictum. 5. num. 7. vocat Articulum mortis ad hunc effectum, vt cuilibet simplici Sacerdoti competat Iurisdictio absoluendi à quacunque excommunicatione, non solum quando quis est morti propinquus, sed etiam dum quis se committit periculo mortis, nempè vel prælium, vel mare ingressurus. Opinio Siluc. non placet Soto dist. 18. q. 4. art. 4. ob eam causam, quia nimis amplificat hoc priuilegium, maxime in re periculosa, nam absolutio absq; iurisdictione, vel iurisdictionis vsu nulla est, & Canones tradunt hoc priuilegium in articulo mortis tantum, & tunc solum, quando copia superioris, vel saltem proprij Parochi haberi non potest. Ideo Sotus inquit rectius Articulum mortis appellari, vbi quis iam incipit mori, ita vt mors sit in fieri vt loquuntur Philosophi per actum naturalem, vel violentum, nempè per infirmitatem, vel dum ministerio iustitiæ quis interficitur. Eiusdem sententiæ est Melchior, Cano. in tract. De Pœnit. par. 5. fol. 98. Mandosius in praxi Signaturæ tit. Confessionale fol. 75. col. 1. Cum Siluc. tamen conueniunt Nauar. in Manua. cap. 26. nu. 31. & melius cap. 27. nu. 272. §. 7. in fi. Vbi quasi irridet hanc differentiam inter articulum mortis, & periculum mortis quoad facultatem absoluendi, & probat dictum suum ex c. Eos De Sent. excomm. lib. 6. Palud. in 4. dist. 17. q. 5. art. 2. Adrian. De Confess. q. 3. Io. Med. tract. 2. in Cod. De Confess. q. 16. in responsione ad rationes, Couar. c. Alma Mater prima par. §. 11. nu. 8. Vers. Ego verò. censet latiorem esse significationem articuli mortis, si propriè sumatur, quàm periculi mortis, quia omnis existens in articulo mortis, reperitur etiam in periculo mortis, non è contra, tamen quantum ad potestatem absoluendi nullum ait inter illa duo esse discrimen, Cano in Relect. De sacr. Pœnit. par. 5. Vers. Circa primum casum fol. 98. & est communis sententia Canonistarum.

Quam Couar. probare conatur. Primo quia tex. in cap. Si quis suadente 17. q. 4. facultatem absoluendi concessam in articulo mortis explicat de mortis periculo expressim, & permittit absolutionem ab illius Canonis excommunicatione Episcopis in periculo mortis, nec satis erit respondere, quod ille Canon permittat absolutionem in eo casu Episcopo, non simplici sacerdoti, quasi voluerit ampliorem Episcopis, quam simplicibus Sacerdotibus in hac specie delegare potestatem, nam & in cap. Ea noscitur, & in cap. De Cætero De Sen. excom expressum est Absolutionem ab illius Canonis Excommunicatione competere Episcopis, quoties vel propter mortis periculum, vel ob aliud impedimentum à Romano Pontifice nequit obtineri, & tamen in cap. Non dubium, cap. Quamuis De Sent. Excom. dicitur concessa hæc facultas in articulo

culo

culo mortis, quare in iure, quantum ad facultatem delegatam absoluendi à censuris, non differt articulus mortis à periculo.

Secundò, quia in cap. Eos De Sent. excom. lib. 6. mortis articulus appellatur periculum mortis, nàm in eodem contextu nunc periculum, nunc vero articulus mortis dicitur, ergo periculum mortis, aut timor mortis verisimilis, est sufficiens causa, vt cuilibet sacerdoti competat absoluendi potestas.

Hæc opinio magis pia est, & probabilior, & ità sentit etiam Glo. in cap. Pastoralis §. Præterea Vers. Præterquam in mortis articulo De Off. Ordi. & cap. Quod inte. Ver. Pœnitentia De Pœn. & Remiss.

Quam præter rationes allatas satis etiam confirmare potest hæc ratio, Morale periculum ità existimari debet, & in malis ità caueri solet, sicut euentus ipse, nam proptarea dictum est, *Qui amat periculum, peribit in ipso*, ergo necessitas periculi mortis existimatur moraliter tanquam extrema.

Confirmatur, Propterea in periculo mortis obligat præceptum diuinum de confitendo, quia talis confessio tunc censetur medium necessarium ad salutem; Ratio autem concedendi hanc amplitudinem Ministrorum fuit hæc necessitas, scilicet periculum mortis, non autem extenditur ad alios casus, quia hanc solam necessitatem Iura excipiunt. Quare iuxta hanc sententiam dicendum est Articulũ mortis quantum ad facultatem absoluendi concessam inferiori sacerdoti, si non adsit copia superioris, extendi ad probabile periculum, Nempè vt intelligamus hanc facultatem concessam esse non solum quando infirmus ex morbo, aut senio confectus est in eo statu, vt infallibiliter mors re ipsa paulò post sit sequutura, sed etiam si habeat vulnus de se lethale, licèt non moriatur. Immò quamuis sit sanus, dummodò sit in eo statu, in quo sæpe solet contingere mors. Quamobrem multi possunt esse casus, in quibus talis facultas absoluendi intelligitur concessa inferiori sacerdoti vltra articulum mortis, vbi mors statim est futura, sed etiam quando instat probabile periculum mortis naturale, aut ciuile per veram sententiam Iudicis, vel quando frequenter solet accidere mors, vt dum miles prælium ingreditur, vel dum quis suscipit longam, & periculosam nauigationem maris, vel dum Puerpera primum partum est editura: In his casibus, & similibus intelligitur concessa Iurisdictio simplici sacerdoti, quoties si ante inchoatum prælium, vel susceptam nauigationẽ non confiteretur illi sacerdoti, cuius copia habetur; quamuis non sit approbatus; nec Iurisdictionem habeat, accidere posset casus, vt ille postea in mortis periculo, vel articulo constitutus nullo modo confiteri posset ob carentiam sacerdotis.

Non potest autem certa Regula assignari, quando iudicari debeat probabile periculum mortis ad hunc finem, de quo agimus: quia tale periculũ non consistit in indiuisibili puncto; sed habet quãdam latitudinem: Idque totum relinquendum est iudicio prudentis viri.

His præmisis Respondeo difficultati vnica propositione. Excommunicatus in huiusmodi constitutus necessitate, scilicet in articulo, vel periculo mortis absente superiore, ad quem ex officio absolutio ab excommunicatione pertinet, tunc temporis poterit licitè, & absque peccato absolui à simplici sacerdote, etiam si excommunicatio sit reseruata.

Dico in conclusione, si non adsit alius Sacerdos, ad quem spectet Iurisdictio absoluendi, quoniam tunc non liceret simplici sacerdoti absoluere, tunc enim

A non censeretur articulus necessitatis, vt cogeretur pœnitens confiteri simplici sacerdoti, & id patet à simili ex cap. Presbyter 26. q. 6. Vbi habetur: *Presbyter non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo extrema necessitas cogat.*

Simili ratione censeo non posse simplicem sacerdotem absoluere, si adesset Confessarius approbatus, qui vellet absoluere etiam si iurisdictionem in pœnitentem non haberet, vt si alienus Parochus esset.

Probatur hæc conclusio exprese ex Concilio Tridentino sessione decimaquarta cap. 7. Vbi in hoc articulo necessitatis concedit facultatem omnibus sacerdotibus absoluendi ab omnibus censuris, & peccatis quibuscunque. Et idem etiam patet ex multis B decretis Iuris antiqui c. De his, & seq. 26. qu. 6. & fuit communis sentẽtia Theologorũ, B. Tho. in 4. dist. 19. q. 1. art. 2. quæstiun. 1. & aliorum.

Sed postulabit aliquis, si in eo articulo adsit sacerdos, qui ex priuilegio habeat iurisdictionem delegatam absoluendi ab excommunicatione, qua alligatus est pœnitens; an ille debeat necessariò præferri alijs habentibus tantùm communem iurisdictionem.

Ratio est dubitandi in vtramque partem. Pro parte negatiua, quod Priuilegiatus non sit necessariò præferendus, facit, quoniam, vt docet Conc. Trident. in articulo mortis nulla est reseruatio, & omnes simplices sacerdotes habent iurisdictionem delegatam C ad omnes censuras, & peccata. Ex altera parte vbi adest, qui habet iurisdictionem à superiore concessam absoluendi, non videtur omnino impedita facultas recipiendi absolutionem ab ipso superiore, quia ille repræsentat superiorem.

Aliqui putant in illo articulo non esse simpliciter necessarium petere absolutionem ab excommunicatione ab illo sacerdote priuilegiato ob eandem rationem, quoniam reseruatio facta superiori non obligat in illo casu necessitatis, vel potius illum non comprehendit, quare tunc excommunicatio non est reseruata; igitur non est necessarium obtinere absolutionem à superiore. Accedit, quod priuilegium illud concessum particulari personæ absoluendi ab excommuni- D catione reseruata non tollit ius ordinarium, & generale, quo pœnitenti in articulo mortis tribuitur libera potestas impetrandi absolutionem ab alio sacerdote habente communem Iurisdictionem.

Hanc tamen opinionem probare non possum, & ducor ratione, quam superius proposui; quoniam Ecclesia concedit hanc facultatẽ, vt in articulo mortis nulla sit reseruatio, & quilibet sacerdos absoluere possit supposita necessitate illius temporis, vt non adsit superior, & pœnitens sit proximus morti, nè cogatur decedere sine absolutione. Quare quando adest superior, vel alius habens ab eo auctoritatem, & pœnitens possit ab illo obtinere absolutionem sine vllo incommodo, non intelligitur casus necessitatis, quare E tunc nõ competit iurisdictio alijs sacerdotibus, quam habent solum in casu necessitatis.

Confirmatur; quoniam si adesset tunc ipse superior, alij non possent absoluere, ergo idem dicendum est, si adsit ille, cui à superiore delegata est talis facultas.

Et ita seruandum est in praxi, & est tutius, & vtilius, cum pœnitens hoc modo liberetur ab onere adeundi superiorem, si postea conualuerit.

Si quærat quis secundò Vnde tunc habeat simplex sacerdos iurisdictionem absoluendi à censuris, certum est enim, quod iurisdictionem habere debet, quia absolutio est actr iurisdictionis.

Dicunt

Dicunt aliqui in eo casu peculiariter habere à Iure A diuino, Capreol.in 4.dist.19.ad 4.contra concl.3. Palud.dist.20.q.1.art.2.Cano in Releςt. De Sacr. Pœnit. par.5. Vers.Ratio id manifestè docet fol. 91. Riccard. dist.17.art.3.q.1.& Armill.V.Absolutio. Fundamentum est, quia perpetua Ecclesiæ traditio, cuius principium ignoratur, est signum Iuris diuini ex August. lib.4.De Bapt. cap.24. Huiusmodi autem est hæc traditio. Oppositum tamen tenet Durand.in dist.19.q.2. & est opinio B.Tho. dist.19. q.1. art.3. & dist.20. q.1. art.1. quæstiunc.2. Bonau.dist. 19. art.3. q.1. Maioris q.1. Alma in q.1.Sot. dist.18. q.4. art.4. Med. C. De Confess. q. De alieno sine licentia proprij absoluente, Petri Soti Leςt.5. De Confess.Viςt. in summa nu. 156. Couar.qui alios refert prima par.in cap.Alma Mater B §. 6. num. 8. Turre Crem. in summ. De Eccles. lib. 1. cap. 98.

Hæc sententia videtur probabilior: Nam quamuis Christus tradiderit potestatem iurisdictionis Ecclesiæ suæ, tamen illius distributionem eidem Ecclesiæ commisit, quæ eligit hunc Episcopum, illum Parochum, & ita de alijs.

Confirmatur, quia sicut iurisdictio fori exterioris pendet à Christo mediante Ecclesia, eodem modo sentiendum est de Iurisdictione fori interioris, quia militat par ratio. Hoc idem insinuat Concilium Tridentinum, vbi supra, cum ait, *Custoditum semper in Ecclesia fuit, &c* Vbi significat hanc traditionem ortam esse ab Ecclesia, & hæc traditio, seu consuetudo ad C summum indicat esse Apostolicam, quæ non semper est de re instituta à Christo: neque aliud dixit August. loco citato.

Et ad id confirmandum facit, quoniam si in eo casu hæc iurisdictio esset de Iure diuino, omnes sacerdotes essent pares in illo articulo, neque posset vnus priuari hac iurisdictione, etiam si esset copia alterius, quarè non esset necessarium Parochum præferre simplici sacerdoti, neque approbatum non approbato, quia ad iurisdictionem Iuris diuini non esset necessaria hominum approbatio.

Ex his Primò sequitur Iurisdictionem, qua gaudent omnes Sacerdotes, in illo articulo esse delegatam, D quia non est ordinaria ex munere alicuius beneficij, aut ex officio sacerdotis, ergo est delegata. Item est ex concessione Ecclesiæ tantum pro illa occasione, ergo est delegata. Est autem verisimile hanc delegationem cœpisse ab ipso Petro, & per tacitam concessionem Pontificum antea continuatam fuisse, postea verò per expressam Constitutionem ipso Iure definitam c. De cetero, cap. Ea noscitur De sent.excom. c.Pastoralis De Off.Iud.Ord.

Ex quo etiam fit, vt hæc Delegatio sit perpetua ex se, cum sit à Summis Pont. facta, ideo à nemine tolli, vel limitari posse; nisi à Summo Pont. à quo etiam nunquam reuocabitur, quia esset intolerabilis error, quem nunquam Spiritus Sanctus in Ecclesia permit- E teret, nam consuetudo Ecclesiæ vniuersalis perpetua à Summis Pontificibus approbata habet vim legis prohibentis, & irritantis talem limitationem; in qua lege Papa dispensare non potest.

Secundo ex his sequitur superfluam videri, & vanam hanc quæstionem, quæ proponitur ab Adriano, & Med. An in articulo mortis possit impendi absolutio à peccatis prętermissa absolutione à Censuris.

Quia cum in eo casu quilibet sacerdos gaudeat Iurisdictione absoluendi ab omnibus peccatis, & Censuris; idemmet vnico verbo potest antea absoluere ab excommunicatione etiam reseruata, & nullum potest excogitari periculum imminens, quod excommunicatus sit decessurus sine sacramentali absolutione, si antea sacerdos absoluat ab excommunicatione, quare non opus est disputare; An in tali casu sit valida absolutio sacramentalis, non impetrata absolutione ab excommunicatione, cum idem sacerdos eodem instanti vtrunque valeat, & possit per se ipsum præstare sine vllo periculo, & incommodo infirmi. Quamobrem si tunc pœnitens scienter non confiteatur excommunicationem, qua est alligatus, confessio non erit integra, & ex consequenti absolutio inualida, vt diximus superius.

Quod autem contingere possit casus, vt quis dum confitetur in tali articulo sit adeo proximus morti, vt animam iam exhalet, antequam Sacerdos tradat absolutionem ab excommunicatione, vix excogitari potest, nedum re ipsa admitti, vt Sot. notat dist.22. q.1. art.1.ad vltimum dubium.

Sed si quis contendat posse accidere hunc casum, tunc absolutio à peccatis impendi potest cum intentione, & voluntate absoluendi quoque à Censuris, vt Sot.in eod.art.1.in fine secundi dubij animaduertit.

CAPVT VII.

An Excommunicatus absolutus in articulo mortis à simplici sacerdote teneatur, si euaserit periculum, recipere absolutionem à Superiore.

CONclusum est superiori capite cuicunq; simplici Sacerdoti in articulo mortis potestatem competere absoluendi à quacunq; excommunicatione; modo insurgit dubitatio; An excommunicatus hoc modo absolutus in articulo mortis à simplici sacerdote (si Dei beneficio conualuerit, & pristinas vires recuperauerit) teneatur ad Iudicem excommunicātem accedere, vt ab illo absolutionem à Censura excommunicationis recipiat.

Respondit B.Tho. in addit. ad 3.par. q.8. art.2. in responsione ad secundum argumentum, ad hanc dubitationem excommunicatum absolutum in articulo mortis modo narrato non debere ad Iudicem suum excommunicantem recurrere, vt iterum absoluatur ab excommunicatione, sed satis esse comparere coram Superiore, vt secundum eius voluntatem satisfaciat pro debito, vt lata erat excommunicatio. Idq; definitum fuit in c.De Cetero De Sent. excom.& cap. Eos, qui eod.tit. lib.6. Caietanus idem confirmat in summa V. excommunicatio cap.69. & Nauar.in Manua.cap.26.num.26. quemadmodum absolutus in articulo mortis ab omnibus peccatis à simplici sacerdote liber erit illo anno ab Ecclesiæ præcepto, vt non teneatur iterum confiteri proprio Sacerdoti, sed satis erit, si certiorem illum faciat solum se fuisse confessum.

Si postules, An si satisfacere noluerit (vt debet) reincidat in excommunicationem, si absolutio fuit simpliciter concessa.

De hoc dubio B.Tho.nihil dixit; extat tamen decretum Bonifacij octaui in citato cap. Eos qui De Sent. excom. lib. 6. iubens, vt ij, qui à simplici sacerdote in articulo mortis absoluti fuerunt, si periculum euaserint, cum primum potuerint, se Iudici præsentent satisfacturi, prout iustitia suadebit, nè Censuræ illudantur Ecclesiasticæ, quod si non fecerint, eo ipso Iure in eandem reincidat excommunicationis sententiam. Caiet. vbi supra, Silue. Absolutio. 1. §.8.

Sed dicet aliquis; quid affirmandum, si excommunicatus

nicatus sanitate recuperata verè satisfaciat, quantum debet coram Deo; an excusetur ab hoc onere adeundi Superiorem. Nauar. loco citato tenet tunc temporis cessare obligationem comparendi, quia iam adimpleuit quidquid superior iuste præcipere poterat.

Hoc tamen dictum non videtur probandum ex pluribus. Primò quia licèt præstita satisfactione finis præcepti cessaret, non tamen cessat præceptum. Secundò quia satisfactio illa non est finis adæquatus præcepti comparendi coràm superiore, ipsum enim onus comparendi est pars pœnæ ab Ecclesia impositæ pro tali delicto, & peculiariter iniungitur, vt hoc medio experiatur superior, an pœnitens velit obedire. Tertiò si Ecclesia præceptum ità intelligeret vtique Summus Pontifex declarasset apposita illa conditione, nempè Absolutum in casu necessitatis non debere se præsentare Superiori, quando re vera satisfecerit, sicut tenebatur, quod tamen non fecit, ideo simpliciter est intelligendum. Quam ob causam vtile est in tali articulo confiteri habenti iurisdictionem saltem ex priuilegio, vt diximus. Priuilegium enim hoc operatur, vt absolutus ab eo, cui competit facultas ex priuilegio, non teneatur postea adire superiorem, licèt semper maneat obligatus ad satisfaciendum, hanc enim obligationem non tollit priuilegium, cum sit iure naturali debita.

Obligatio verò hæc remanet post absolutionem acceptam in necessitate simplici sacerdote non est ad confitendum iterum illud peccatum, cui annexa erat excommunicatio; sed solum ad comparendum coràm Superiore, qui conuenientem medicinam, vel satisfactionem imponere possit.

Sed posset quis dubitare; an sit eadem ratio de peccatis reseruatis, quæ non habent censuram annexam, vt Absoluti in articulo mortis à simplici sacerdote ab illis casibus reseruatis, teneantur eadem obligatione, si periculum euaserint, adire superiorem.

Respondeo hoc præceptum non habere locum quoad peccata reseruata, quæ non habent annexam excommunicationem. Hæc enim peccata secundum vsum, & morem communem Ecclesiæ non possunt pro articulo mortis reseruari; nec sub aliquo simili onere absolui, sed absolutè, & simpliciter, & est sententia communis, quam tenet Palud. dist. 20. q. 1. art. 2. Antonin. 3. p. tit. 14. cap 19. §. 17. num. 2. Silue. Confess. 1. §. 21. & Confessor. 1. §. 16. in fi. Armil. V. Absolutio n. 12. Ang. Confessio. 3. §. 2. Nauar. in Manua. c. 26. n. 26.

Hæc opinio probatur. Primo quoniam, vt Concil. Trid. declarat sess. 14. cap. 7. pro articulo mortis nulla est reseruatio secundum antiquam Ecclesiæ consuetudinem, & ideo absolutio, quæ in in illo articulo datur, quantum ad forum sacramentale pertinet, simpliciter, & absolutè impenditur nullo relicto onere.

Secundò quia in Iure tantum hoc onus præscribitur, quando absoluuntur ab inferiori sacerdote in articulo motis peccata, quibus est excommunicatio adiuncta, in alijs non imponitur hoc onus.

Ratio diuersitatis assignari potest; nam absolutio à peccatis confertur à sacerdote potestate immediatè à Christo deriuata; at verò excommunicatio tollitur potestate actiua, & iurisdictione communicata à superiore; nullus enim Sacerdos quantumuis inferior accipit potestatem actiuam absoluendi à peccatis à superiori sacerdote: sed immediatè à Christo, recipit à superiore tãtum applicationem huius potestatis tradita materia, qua facta applicatione eius iudicium ita immediatum est iudicio Christi, vt nullum aliud superius habeat, & ità iudicium cuiusque Sacerdotis est vltima sententia; vnde superior circa absolutionem à peccatis hoc tantum efficere potest, vt applicet materiam inferiori sacerdoti, aut eam tollat; si tamen applicat materiam, tanta est auctoritas inferioris absoluendi à peccatis, quanta est superioris, vt ea limitari non possit à superiori cum obligatione comparendi coràm ipso; neq; impedire potest superior, quin ea confessione plenè sit satisfactum præcepto diuino confessionis, sed absolutionem ab excommunicatione limitare potest cum obligatione comparendi coràm ipso, quia ipse confert potestatem actiuam absoluendi, & ita potest eam concedere cum limitatione, vt ei placuerit; quando ergo in cap. Eos de sent. excomm. præcipitur pœnitenti, vt absolutus in extrema necessitate ab inferiore teneatur comparere coram superiore sub eadem pœna excommunicationis, intelligendum est non de peccato reseruato, sed de pœna excõmunicationis, & ideo non tenetur comparere coram Superiore in foro Pœnitentiæ; sed in foro exteriori, ad quod pertinet absolutio excommunicationis.

Si postules; an dari possit casus, quo pœnitens absolutus ab inferiore sacerdote à crimine reseruato, cui non sit annexa censura excommunicationis, teneatur comparere coràm Superiore.

Respondeo id contingere posse, quando poenitens confessus sit omnia peccata inferiori, & oblitus sit sine culpa alicuius peccati reseruati, tunc, quamuis recipiens absolutionem absoluatur etiam à peccato reseruato oblito consequenter per infusionem gratiæ habitualis, manet tamen obligatus, cum primum illud peccatum ad memoriam redierit, confiteri coràm superiore, & ratio est, quia obligatio confitendi peccata non tollitur ipso facto à Sacerdote per remissionem culpæ quomodocunq;, etiam indirectè, sed per remissionem culpæ, quæ sit directè virtute absolutionis; hoc autem accidit, quoties explicatur peccatum in confessione, & Sacerdos tanquam Iudex legitimus absoluit, tunc enim iudicat de illo peccato, quod audit in confessione, hoc namq; iudicium, cum sit vltimum, tollit obligationem confitendi; sed non tollitur obligatio confitendi, quando peccatum oblitum virtute absolutionis ex consequenti, per gratiam habitualem remissum fuit, quia obligatio confitendi iure diuino in hoc consistit, vt peccatum feratur explicitè ad tribunal sacerdotis, de qua re fusius tractabitur in materia de absolutione ab excommunicatione tradita ab inferiori sacerdote in articulo mortis.

CAPVT VIII.

An dentur alij casus secluso articulo mortis, in quibus eadem iurisdictio competat inferiori sacerdoti absoluendi ab excommunicatione reseruata.

AD hanc dubitationem respondendum est simpliciter extra articulum, vel periculum mortis nullum inferiorem sacerdotem posse absoluere ab excommunicatione reseruata, quauis occurrẽte necessitate; nisi vel ex iure, vel ex speciali priuilegio talis facultas sit ei commissa. Idq; manifestè ex verbis Conc. Trid. sess. 14. c. 7. deducitur, sic enim loquitur: *Extra quem articulum (scilicet mortis) sacerdotes cum nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad superiores, & legitimos Iudices pro beneficio absolutionis accedant.*

Exceptio enim firmat regulam, & Concilium excipit

pit solum articulum mortis; igitur in aliis casibus manet integra reseruatio, quare inferior non potest absoluere.

Fundamentum verò huius dicti est, quoniam absolutio ab excommunicatione impendi non potest absque iurisdictione, sed inferior non habet iurisdictionem extra articulum mortis, nisi a superiore fuerit ei concessa, ideo absoluere nequit; addidi nisi ab ipso iure talem iurisdictionem haberet; quoniam in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis Regula est generalis ab omnibus approbata; quoties non patet aditus ad Sūmum Pontificem, aut Legatum eius, vel Delegatum, nisi cum magno incommodo, difficultate, & mora, posse pœnitentem absolui ab inferiori Sacerdote cum onere adeundi postea Summum Pontificem.

Et quamuis hæc Regula explicetur frequentius in particulari reseruatione facta in c. Si quis suadente, 17. quæst. 4. in crimine percussionis Clerici, vt patet in cap. Mulieres, cap. Ea noscitur, cap. Quamuis, cap. De cetero cum alijs de sentent. excommunic. Tamen omnes Doctores illam vniuersaliter intelligunt, quia eadem est ratio; nam ratio, quæ Pontificem monet, est generalis in quacunque reseruatione, non particularis magis in vna, quàm in alia; nimirum nè pro dilatione absolutionis periculum immineat animæ argum. c. vltim. de Pœnitent. & Remission. in 6. Et nè reseruatio, quæ pro bono charitatis est inuenta, contra charitatem vergat. Quæ ratio æque in omnibus peccatis mortalibus vim habet, & non magis militat in peccato violentæ percussionis, quàm in alijs peccatis reseruatis. Immò si peccatum violentæ percussionis Clerici, cuius reseruatio est antiquissima, quodque semper Sacri Canones summopere detestati sunt, ex benignitate tamen Summorum Pontificum, quoties difficile est adire Sedem Apostolicam, absolui potest ab inferiore, satis probabiliter idem affirmari posse videtur de omnibus, & ab hoc peccato sumere illationem ad alia.

Vel dici potest Regulam illam comprobari posse ex alijs iuribus, quæ generaliter loqui videntur, præsertim in c. Eos qui de sent. Excommun. in 6. Ita sentiunt Silue. Absolutio 4. §. 4. & excommunicatio 8. §. 8. Nauar. in Manua. cap. 27. numer. 89. Sed Silue. excipit ab hac regula casus in Bulla Cœnæ Domini, & omnes alios casus, in quibus nemo potest absoluere, præterquàm in articulo mortis.

Sed hæc exceptio nullum habet fundamentum, nam eadem est ratio de casibus Cœnæ, sicut de alijs, vt ostendimus.

Si quis obiiciat; cum in ipsismet reseruationibus excipiatur tantum articulus mortis, qua ratione nobis licet excipere alios casus.

Respondeo hanc extensionem ex ipsomet Iure colligi, quia post diuturnum tempus probabiliter imminere potest periculum mortis; deinde articulus mortis excipitur, quia ex generali consuetudine pro eo articulo non fit reseruatio, quæ non excludit alias concessiones, & delegationes.

Animaduertendum tamen est; hanc facultatem iuris immediatè dari ad absoluendum ab excommunicatione reseruata, quæ ipso Iure incurritur propter aliqua peccata, & inde consequi, vt tollatur reseruatio culpæ, quia sublata censura iam non sunt reseruata peccata; quare ab illis poterit Confessarius directè absoluere, & propterea hæc declaratio iuris fuit maximè necessaria, quia excommunicatus non potest

A prius absolui à culpa, quàm ab excommunicatione. Notanda est autem differentia inter culpam, & censuram, nàm interdum vna culpa potest tolli indirectè per remissionem, & absolutionem alterius culpæ propter connexionem, quam inuicem habent peccata mortalia in ordine ad remissionem, vt monebam superiori capite. Excommunicatio verò non potest tolli nisi per directam iurisdictionem, & absolutionem, quia vna excommunicatio non habet connexionem cum alia, neque cum ipsa culpa, quia potest vna excommunicatio remitti sine alia, & sine culpa, & è conuerso, ideo non potest quis absoluere ab excommunicatione reseruata, nisi concessa sit ab ipso reseruante iurisdictio, neque etiam ab vlla culpa
B etiam non reseruata sacramentaliter per se loquendo, & ideo nè absolutio sacramentalis nimium protenderetur, necessarium fuit pro eo casu concedere facultatem absoluendi à Censuris.

Si quis postulet; an hæc regula locum habeat in casibus reseruatis inferioribus Prælatis, si habeant annexam excommunicationem.

Quamuis res sit dubia; tamen probabilius est asserere inferiores sacerdotes non habere facultatem in casibus reseruatis à suis Prælatis extra articulum mortis ex vi Iuris communis; nam Pontifices loquuntur de casibus sibi reseruatis, in quibus est specialis ratio, nàm ex multis causis difficilior est aditus ad Summum Pontificem regulariter, quàm ad inferiores
C Prælatos.

Et confirmari id potest auctoritate Concilij Tridentini; nam si Iure communi esset concessa ista facultas omnibus ordinariis Confessoribus, Concilium non absolutè dixisset extra articulum mortis sacerdotes nihil posse in casus reseruatos; quæ tamen exceptio non fit de casibus Pontificiis, quia in Iure illa habetur expressa; & hanc ob causam in statutis Episcoporum, & aliorum Prælatorum, in quibus habentur huiusmodi reseruationes, fere semper adiungitur, vt quoties fuerit difficilis accessus ad Superiorem, obtineri possit absolutio ab aliquo ad hunc finem deputato, ne nimium pœnitentia differatur.
D

Sed remanet adhuc difficultas; postquam enim extra articulum mortis quacunque alia occurrente necessitate non competit facultas inferiori Sacerdoti absoluendi ab excommunicatione reseruata nisi in casibus Pontificiis, quoties non est aditus ad Sedem Apostolicam.

An occurrente necessitate communicandi licitum esse possit, si non adsit copia superioris, sine confessione accedere ad sacramentum Eucharistiæ, cum confessio sit præuia dispositio necessaria ante Eucharistiam, vt declarat Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. & can. 11.

Respondendum est vt superius monui, licere ex-
E communicato stante casu necessitatis, & absentia Superioris accedere ad communionem non præmissa confessione, & id significauit exprese Concilium Tridentinum cum dixit; necessitate vrgente, & si desit copia Confessoris, & deinde recedente necessitate quamprimum confitendum esse.

Et ratio est, quia præceptum præmittendi confessionem est positiuum, & alia præcepta non obligant semper in omni casu, & in quocumque discrimine; quare potest contingere talis necessitas, vt non obliget.

Id

Id tamen in ijs casibus solùm licèt, quando duæ illæ conditiones concurrunt, quarum meminit Concilium Trid. ntinum, vt necessitas vrgeat, & desit copia Superioris; nam vbi nulla est necessitas aliter agendi, quàm præceptum obligat, omnino seruandum est præceptum.

Sed dices, quando excommunicatus dicitur carere copia Superioris, & quæ necessitas sufficit, vt possit communicare sine confessione.

Quantum ad primum; excommunicatus caret copia superioris, quando non potest illum adire nec facultatem petere confitendi alteri, tunc necessitate vrgente potest communicare sine confessione, Armil. Communio. §. 18. Sot. in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. Vict. in summa nu. 79. Si quæras quantum debeat esse incommodum, vel damnum sequens, si excommunicatus se conferret ad Superiorem absentem, vt moraliter dici possit carere copia superioris, siue quantum debeat distare Superior ab ipso excommunicato, vt dicatur non esse præsens; respondeo non posse assignari vnam, & eandem regulam, quæ in omnibus casibus certa sit; nam aliquis conficere potest facilius longum iter plurium dierum; alter nec breuissimum sine magno incommodo peragere valet; similiter alteri licet sine mora, & scandalo, quotiescunque occasio acciderit, exponere se itineri; alius vix potest semel se conferre ad Superiorem, non tamen sæpius, & freqnenter; quare omnia prudenter sunt perpendenda, & pro diuersitate locorum, personarum, & aliarum conditionum iudicium ferendum.

Quantum ad secundum; quanta debeat esse necessitas communicandi.

Respondendum est in primis in genere debere esse granem, nam res est notabilis, negligere executionem præcepti Diuini.

Peculiariter verò declarare, quando necessitas sit grauis, difficile est; pendet enim plurimum ex circumstanrijs; possunt tamen proponi aliqui casus particulares, ex quibus cognosci possit, quid de alijs sit sentiendum, vt si non possit quis communionem omittere sine magna infamia, quæ existimatur graue damnum, tenetur autem vnusquisque animaduertere; an possit alia via infamiam vitare, probabilem aliquam excusationem afferendo, quando enim id fieri potest, cessat necessitas. Similiter necessitas conficiendi inchoatum sacrificium; vt si quis incœpta iam Missa recordetur se commisisse peccatum mortale, quod habeat annexam excommunicationem, quæ memoria si occurrat post consecrationem, sine vlla controuersia progrediendum est in missa cum sola interiori pœnitentia; si verò recordaretur ante consecrationem, dubitant Doctores; tamen ex communi sententia, & probabiliori dicendum est in eo casu dimittendam esse Missam, nisi aliunde ex alio capite oriatur infamia, vel scãdalum; ita videtur expresè sentire B. Tho. 3. par. q. 83. art. 6. ad secundum. Vbi tres casus enumerat, nempè quando sacerdos recordatur ante consecrationem se excommunicationis vinculo obstrictum manere, vel non esse ieiunum, vel non esse confessum peccatum mortale, & ait tutius esse inchoatam

A Missam dimittere, maximè in duobus primis, & eiusdem opinionis videntur Bonau. in 4. dist. 13. in princ. & Sot. q. 1. art. 6. Victo. in summa num. 79. Nauar. in Manua. cap. 21. n. 49. Et clarius cap. 25. num. 76. Ex his iudicari potest de similibus.

Sed iterum quis postulabit an eadem necessitas, quæ posset excusare excommunicatum à peccato, si non impetrata absolutione ab excommunicatione ob absentiam Superioris, & ex consequẽti prætermissa absolutione peccatorum accedat ad sacram communionem, valeret etiam excusare à peccato sacerdotem excommunicatum, si eadem supposita necessitate celebraret, e. g. Si infirmus in periculo mortis existeret, & oporteret sacrum peragere ad eum com- B municandum, vel si sacerdos teneretur ex officio celebrare in die festo ex præcepto, vt in paruo oppido, in quo vnus tantùm esset Sacerdos Parochus, vel in alijs similibus necessitatibus.

Responderem in primo casu, in quo proximus versatur in periculo spirituali animæ, & graui, quod propter mutuam charitatis vnionem reputandum est vt proprium, posse sacerdotem, si contritionem habeat, sine confessione celebrare, vt proximi necessitati extremæ occurrat, & multò magis teneri ex iustitia, si esset Parochus, & infirmus peteret communionem, quam ex officio debet Parochus administrare, & deinde quanto citius deberet impetrare absolutio- C nem ab excommunicatione, & peccatis.

In secundo verò casu, cum cesset omne periculum, sed vrgeat tantum obligatio audiendi sacrum die festo, ne Populus transgrediatur præceptum de sacro audiendo, non existimo esse talem necessitatem, vt liceat excommunicato sacerdoti ante absolutionem celebrare, maximè si non sit Parochus; quia non est obligatus celebrare, nec tenetur ad euitandum peccatum proximi, quia populus non peccat non assistendo sacro, si nullus adsit sacerdos, qui velit, & posit celebrare; quare ex hac causa pracisè non tenetur celebrare, nisi probabiliter timeret, vel notatum iri infamia ab alijs, si à celebratione abstineret, vel scandalum inijcere; quòd si hæc vitare posset alijs modis se excusando, D non esset licitum celebrare, sed si Parochus esset ex officio obligatus ad celebrandum instante Populo teneretur prius omnes vias tentare, vt persuaderet suis subditis sine propria infamia, & scandalo ex causa aliqua legitima eo die coactum esse abstinere à celebratione, vel quia malè se haberet, vel antea discẽdendo ab ipso Oppido, vel alio modo; quod si nihil sufficeret, & Populus vteretur iure suo instando pro Missa, tunc talis sacerdos posset celebrare ante absolutionem; quare in his casibus non potest asignari regula quædam generalis.

Illud solum est animaduertendum, quod monent Doctores, Sacerdotes, & multò magis Parochos, vt caueant huiusmodi pericula, & incommoda, debere E omni labore posthabito, & dispendio neglecto quamprimum absolutionem ab excommunicatione procurare, adeundo Superiorem, sicque absoluamus hanc Disputationem.

DE EODEM SECVNDO EFFECTV EXCOMM. MAIORIS.

Quo pacto Excommunicatus per excommunicationem sit priuatus potestate actiua administrandi, & conficiendi Sacramenta.



TRACTATVM est hucusq; quo modo per excommunicationem excommunicatus redditur inhabilis, & incapax ad suscipienda sacramenta, modò perquirendum est, qua ratione excludatur ab actiua administratione, & celebratione sacramentorum; & hac pœna propriè afficiuntur Ministri Ecclesiæ, quibus competit facultas conficiendi, & administrandi sacramenta, & potissimum Sacerdotes, sacerdos enim ex vi suæ cõsecrationis est ordinarius Minister sacramentorum, cui ex officio competit illa administrare, vt de Baptismo docet Concilium Florent. Et ratio est, quam tangit B. Tho.3.par.q.67.art.2. Quia Sacerdos habet potestatem in Corpus Christi verum, ergo consequenter recipit potestatem in Corpus Christi mysticum, saltem quæ necessaria est ex vi consecrationis, quæ vocatur potestas ordinis respectu illorum sacramẽtorum, quæ communia sunt Populo Christiano, & ad remissionem peccatorum, atque communionem eius spiritualem vtilitatem ordinantur; quod additur propter sacramentum Confirmationis, quod ob peculiarem rationem solis Episcopis ordinariè committitur; quarè hic effectus excommunicationis, scilicet priuare excommunicatum potestate, & iurisdictione conficiendi sacramenta primo, & per se respicit Episcopum, & Sacerdotem, quibus propriè competit ordinaria potestas ratione officij ad administranda sacramenta.

Duo autem sunt, quæ controuerti possunt in proposita difficultate. Primum est de peccato excommunicati; an peccet excommunicatus, si se immisceat administrationi, & celebrationi sacramentorum. Alterum est de validitate sacramentorum; an teneant sacramenta collata ab excommunicato, & sint valida, & sortiantur suum effectum. Quantum ad primam partem de peccato inquiri potest, & de peccato ipsius excommunicati, qui tẽtat administrare sacramenta, & vlterius de peccato illius, qui ab excommunicato Ministro scienter recipit sacramenta. Hæc omnia sunt discutienda, & vtrumque pertractabitur in hac disputatione, de validitate verò dicetur in sequenti disputatione.

DISPVTATIO SEPTIMA
De Incapacitate Excommunicati ad conficiendum, & administrandum Sacramenta.

CAPVT I.
An Excommunicatus sit reus culpæ, si sacramentum administrare audet.

EX parte ipsius Excommunicati res est certa absque vlla dubitatione Excommunicatum regulariter committere lethale peccatum, & sacrilegium administrando sacramentum; quoniam contemnit præceptum Ecclesiæ interdicentis excommunicato huiusmodi administrationem, & sic peccat, & ex consequenti indignè tractat sacramenta; qui enim in peccato tractat sacramenta, peccat, vt inquit B. Thom. ex communi doctrina 3. par.q.64.art.6.

Et id probat B. August. ex consensu omnium Patrũ tract.5.in Ioannem: *Ego dico*, inquit, *& nos dicimus omnes, quod iustos oportet esse sancti Iudicis Ministros, per quos sacramenta administrantur.*

Secundò probari potest ratione, qua vtitur B.Tho. vbi supra, quoniam in exercenda actione aliqua, tunc peccatum committitur, cum illa non fit, sicut oportet, sed Minister excommunicatus non administrat sacramentum, vt oportet, ergo peccat sic administrando. Maior desumitur ex Arist. lib.2. Ethic. c.3.& 6. & lib.6.c.7. Minor probatur; quoniam contemnit prohibitionem Ecclesiæ, & sic peccat mortaliter, est enim transgressio in re graui. Immò ex duplici capite excõmunicatus tractans sacramenta erit Reus sacrilegij; tum quia supponitur peccato mortali notatus, si iustè est excommunicatus, tum etiam quia manẽs excõmunicatus cõtra legem audet se rebus sacris immiscere. Quare, quamuis prioris peccati, cuius gratia excommunicationis vinculo erat obstrictus, pœnitentiam egisset, adhuc minimè idoneus esset ante absolutionẽ ab excommunicatione ad sacramenta administranda & si tentat administrare, est reus peccati mortalis, vt inquit S. Thom. vbi supra.

Tertiò idẽ probatur, quoniam omnes affirmant excommunicatum baptizantem extra casum necessitatis grauiter peccare mortaliter, quia agit contra Ecclesiasticam censuram, & ex consequenti indignè sacramentum tractat.

Immò

Immò si Clericus excommunicatus baptismum solemniter administret, irregularitatis laqueo se inuoluit, quia ingerit se diuinis ex c. 1. De re Iud. lib. 6. Si autem sine solemnitate baptizet, non erit irregularis, quia propriè non exercet actum, ad quem sit necessarius simpliciter aliquis ordo, vt notauit Couar. cum alijs Clem. Si furiosus par. 1. §. 1. num. 1. De Homic. Si tamen sine necessitate id faciat, grauiter peccabit saltem ratione censuræ; Nauar. in Manua. c. 25. nu. 72. Ergo si Baptismus, qui omnium sacramentorum est maximè communis, & necessarius non potest extra necessitatem ab excommunicato sine peccato conferri, multò verius idem est asserendum de omni alio sacramento.

Eadem conclusio desumitur ex c. Latores de Cleri. excom. Mini. Vbi excommunicati, vel interdicti, qui præsumunt diuina officia celebrare, puniuntur pœna perpetuæ depositionis, quæ non nisi pro enormi delicto, & graui sacrilegio ab ipso iure infligi solet, & in c. Si celebrat eod. tit. dicitur: *Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licèt grauiter peccet*, ergo magis peccabit maiori excommunicatione innodatus celebrando. Et paulo post *Peccat autem conferendo ecclesiastica sacramenta*.

Quamobrem excommunicatus celebrans, vel administrans sacramenta regulariter reus est culpæ mortalis, & committit sacrilegium, vt communiter affirmant Doctores.

Difficultas tamen est; an dari possit casus, in quo possit aliqua ratione excusari excommunicatus à peccato, si administret sacramenta, & quæstio esse potest de duobus, nempè de ignorantia, & de necessitate.

Si quæratur; an ignorantia excuset excommunicatum à peccato administrationis sacramentorum; respondendum est, quando ignorantia est inuincibilis proueniens ex naturali obliuione, vel ex inaduertentia siue iuris, siue facti, licet ignorantia Iuris rarius contingere possit, & in foro exteriori non præsumatur, excommunicatus non incurrit peccatum, administrando sacramentum, sicut dictum est superiori disputatione de excommunicato suscipiente ignoranter sacramentum. Ratio est, quia talis ignorantia probabilis, & inuincibilis excusat generaliter agentem quodlibet opus in quouis genere actionũ, quia ignorantia tollit voluntarium; peccatum autem non committitur nisi voluntariè, & in specie de suspenso, vel excommunicato celebrante hoc definitum fuit in c. Apostolicæ de Cler. Excom. Mini. in hæc verba: *Verum quia tempore suspensionis ignari celebrastis diuina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos*.

Si autem sermo sit de necessitate; an possit occurrere talis necessitas, quæ valeat excusare excommunicatum à peccato administrationis sacramentorum dicendum est duobus modis hac in re necessitatem considerari posse vel ex parte ipsius Ministri excommunicati, vel ex parte alterius, cui administratur sacramentum. De necessitate ex parte recipientis disputabitur in cap. 3. 4. & 5. Si vero loquamur de necessitate ipsius Ministri excommunicati, hæc multis modis accidere potest; primò quia per vim, aut metum cadentem in constantẽ virum compellatur ad sacramẽtum ministrandum, & huiusmodi metus est sufficiens causa ad excusandum à peccato, si desit scandalum, & id fiat sine vlla iniuria Religionis, aut fidei catholicæ, sed hæc quæstio de violentia, & metu ex professo tractabitur in c. 3. disp. 12. Secundò potest esse necessitas in sacerdote excommunicato, quia versetur in periculo

A vitæ; an in hoc casu liceat ei ad sumendam Eucharistiam celebrare, vel ex præconsecratis se ipsum communicare, si desit alius sacerdos, de alijs sacramentis dubitari non potest, quia consistunt in actione, & non potest eadem persona gerere vicem efficientis, & subditi, & censeo in hoc casu communionis sine peccato licere excommunicato sacramentum Eucharistiæ assumere; nam etsi non sit simpliciter necessarium ad salutem, est tamen maximè vtile, & necessarium ex præcepto diuino, & potest esse causa, vt excommunicatus consequatur salutem, & fortasse sine illo damnaretur, nimirum si non esset contritus; sed tantum attritus. Tertiò potest esse necessitas ad euitandam infamiam, quam incurreret sacerdos excommunicatus, si recu-

B saret administrare sacramentum, vel odium, aut damnum temporale, sed de hac necessitate egimus in c. 8. disp. 6. & ibi declarauimus, quando ad euitanda hæc damna suspendatur effectus excommunicationis, & in his casibus, & similibus concludi potest; quoties sine peccato permissum est excommunicato recipere sacramentum, propter easdem causas permissum esse Ministro excommunicato illa administrare, si non potest antea absolutionem impetrare, dummodo procuret cum contritione, & debita reuerentia id efficere, quamuis regulariter vix possit admitti iste casus in excommunicato denunciato, vt ad euitandam infamiam, vel scandalum, vel aliud detrimentum fugien-

C dum, possit celebrare, vel administrare sacramentum; quia moraliter loquendo si excommunicatus denunciatus abstineat à celebratione, & administratione sacramentorum, non erit notatus infamia, neque scandalum inferet; immò potius è contra, Infamis iudicabitur, & scandalum irrogabit, si tanquàm excommunicatus ab omnibus cognitus, & reputatus nihilominus administrare sacramentum præsumpserit; sed non est negandum, quod nunquam omninò possit aliquis similis casus contingere, puta quando Sacerdos sit in vna Ciuitate denunciatus excommunicatus, & in alia Ciuitate, in qua occurrat necessitas administrandi ignoretur denunciatio, vel si ante aliquod longum tempus promulgata sit denunciatio, &

D postea exciderit ex hominum memoria; & omnes existiment obtinuisse absolutionem. Quare non est casus impossibilis, excommunicato verò non denunciato, & tolerato ab Ecclesia frequenter huiusmodi casus contingere possunt.

CAPVT II.

An qui suscipit sacramenta ab excommunicato Ministro peccet.

Recipere sacramentum quodcunque ab excommunicato Ministro per se, & ex genere suo est peccatum; quod de Sacramento Eucharistiæ docet D. Thom. in 3. part. quæst. 82. art. 9. Ratio est huius

E conclusionis, quoniam excommunicatus, & eadem ratio est de Schismatico, Degradato, Hæretico, per sententiam Ecclesiæ est priuatus vsu, & executione conferendi, & administrandi sacramenta, & ideo ex consequenti prohibitum est alijs, nè sacramenta ab illis petant, & recipiant, ergo, sicut Ministri excommunicati conferendo peccant, quia transgrediuntur præceptum Ecclesiæ, propter eandem rationem sunt Rei criminis alij recipiendo.

Et hæc conclusio intelligenda est de excommunicatis alterutro ex illis duobus generibus, nempè si sunt legitimè denunciati, aut publici percussores

Clericorum, qui non ſunt tolerati ab Eccleſia; nam recipere ſacramenta ab alijs excommunicatis toleratis ab Eccleſia poſt Concilium Conſtantienſe, & Baſilienſe non eſt per ſe, & intrinſecè malum, licet ipſi non abſtinendo ab huiuſmodi adminiſtratione grauiter peccent, Concilium enim Baſilienſe, & Conſtantienſe ſuffragantur fidelibus, vt ſine peccato eis poſſint tàm in participatione rerũ ſacrarum, quàm in communibus actionibus vti communione excommunicatorũ, donec tolerantur ab Eccleſia, & ſine culpa ab illis recipere ſacramenta, nullum tamen fauorem, aut priuilegium tribuere intendunt excommunicatis etiam toleratis, vt non ſint, ſicut antea iure antiquo, prohibiti adminiſtrare ſacramenta, vt diximus in primo, & ſecundo capite diſp. præcedentis.

Sed obijcies contra; qui petit, & recipit ſacramentum ab excommnnicato miniſtro tolerato, inducit illum ad peccatum, ergo cooperatur ad malum alterius, igitur etiam ipſe criminis eſt reus.

Reſpondeo primo; non eſſe ſimpliciter verum id, quod aſſumitur; nam recipere ſacramentum ab indigno Miniſtro, qui in peccato illud conferat, non eſt per ſe, & intrinſecè malum, vt de ſacramento Euchariſtiæ docet Nicolaus Papa c. vlt. 15. q. 8. cum inquit, *Proindè qualiſcunque ſacerdos ſit, quæ ſancta ſunt, coinquinare non poteſt, idcirco ab eo vſquequo iudicio Epiſcoporum reprobetur, communio percipienda eſt; quoniam mali bona adminiſtrando ſe tantummodo lædunt*, & paulo infra *Sumite ergo intrepidi ab omni Sacerdote Chriſti miſteria*. Et ratio huius dicti eſt, quia hoc non eſt operari malum, ſed permittere, & vti Iure ſuo benè vtendo prauitate alterius in proprium commodum, & in duobus tantùm caſibus peterit habere rationem mali. Primò ſi in tali Receptione includatur cooperatio ad peccatum alterius, quia cooperari ad peccatũ intrinſecè malum eſt, & erit cooperatio, ſi quis ſine cauſa, & vtilitate inducat excommunicatum non Parochum ad tale miniſterium, aut ſi facilè euitare poſſet tale peccatum proximi, & talem ſacramenti irreuerentiam accipiendo ſacramentum ab alio digno miniſtro, & recuſat id facere, vel ad euitandum ſcandalum, debet enim vir ingenuus conſortium alterius hominis corruptæ vitæ declinare, vt honori ſuo conſulat; & in his caſibus ad euitandum indignum miniſtrum tenemur iure naturæ, vt inquit Sot. in 4. diſt. 13. q. 1. art. 9. Verum quia iſti caſus ſunt occulti, neque facilè iudicari poſſunt, ideo ſecundo modo cooperatur quis ad peccatum alterius, quando petit ſacramentum à Miniſtro ab Eccleſia prohibito, & præciſo per excommunicationem, & cenſuram eccleſiaſticam iuxta limitationem Concilij Conſtantienſis.

Dico ſecundò ad eandem obiectionem, quantum ſpectat ad Miniſtrum excommunicatum toleratum; quod ſicut recipiens ſacramentum à Miniſtro excommunicato tolerato non peccat, quia permiſſum eſt ex priuilegio Extrau. Ad euitanda, ita quoque conferens in tali caſu excuſatur à culpa, ſi enim committeret peccatum, tunc tenéretur non adminiſtrare; atq; ita priuilegium extrauag. nihil prodeſſet non excommunicatis, quorum gratia edita fuit, vt benè annotauit Sotus in 4. diſt. 22. q. 1. art. 4. Quare non opus eſt limitare hanc doctrinam, vt Siluc. credidit excommunicatio 5. §. 9. Quod liceat tantum recipere ſacramentum ab excommunicato tolerato, quando excommunicatus paratus eſt illud adminiſtrare, & alias ſit inuitare ipſum ad malum; nam, vt inquit Sotus poſſum etiam compellere excõmunicatum, ſi eſt meus

A Parochus ad adminiſtrandum, quia vtor iure meo, quod eſt intelligendum quantum ad ius poſitiuum, quia non obſtat prohibitio Eccleſiæ de non communicando cum excommunicato, ſi non eſt denunciatus, ſed hæc actio poteſt eſſe illicita, & habere rationem peccati propter aliquod impedimentum Iuris naturæ, vt dixi, non tamen eodem modo Sacerdos excommunicatus excuſaretur à peccato, ſi communicaret in alijs rebus ſacris extra ſacramenta; neque enim poſſet diuinis officijs, aut Miſſæ intereſſe, quia in his cæteri non indigent opera, & miniſterio excommunicati.

Animaduertendum tamen eſt hac in re non militare eandem rationem de Recipiente, ſicut de admi-
B ſtrante ſacramentum, quando vterque eſt excommunicatus toleratus ab eccleſia; nam ſi excommunicatus petat ſacramenta à Sacerdote, qui ſcit illum eſſe excõmunicatum, ſacerdos debet illi denegare ſacramenta, & tenetur ſeruare diſtinctionem Iuris antiqui, c. Cum non ab homine de ſent. excom. Vt publicè excommunicatus publicè vitetur, occultè excommunicatus ſecreto. Et ratio eſt, quoniam priuilegium illud Concilij non tribuit aliquod commodum ipſis excommunicatis, Receptio verò ſacramenti eſt in vtilitatem recipientis. At verò ſi Miniſter excommunicatus toleratus ab Eccleſia ſiue occultus, ſiue publicus requiſitus fuerit à ſubdito vt ſacramentum ei conferat, ſine culpa adminiſtrare poterit; quoniam talis
C adminiſtratio cedit commodo ipſius Recipientis, non Miniſtri.

Sed contra dubitari poteſt; quoniam ſi petere, & recipere ſacramentum, præſertim Euchariſtiæ à publico peccatore, nempè concubinario eſt peccatum, vt habetur in c. Nullus diſt. 32. Vbi ne Miſſam quidem Sacerdotis publici Concubinarij audire permiſſum eſt. Idque prohibitum fuit ab Alexandro ſecundo ſub pœna excommunicationis in c. ſeq. Præter hoc, Vbi ità legitur: *Præter hoc autem præcipiendo mandamus, vt nullus Miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit concubinam habere indubitanter, vel ſubintroductam mulierem Unde etiam ſancta Synodus hoc capitulum ſub excommunicatio-*
D *ne ſtatuit, &c.* Ergo multò fortiori ratione peccatum erit graue recipere ſacramenta ab excommunicato publico, quamuis non ſit nominatim denunciatus.

Dominicus Sotus in 4. diſt. 13. q. 1. art. 9. Verſ. Veruntamen primam concluſionem poſt med. dicit ex ſententia Sancti Tho. Iure antiquo prohibitum fuiſſe, ne quis Miſſam publici Concubinarij audiret, non quòd non ſint alia peccata fornicatione grauiora, ſed quia ad illam proniores ſunt homines, & peculiari quadam fœditate ſacramentorum Miniſtrum commaculat. Addit Vrbanus Papa in §. Verùm Verſ. Attamen Deceſſores noſtri diſt. 32. Idcirco Nicolaum, & Gregorium decreuiſſe fideles abſtinere debere à
E Miſſis talium ſacerdotum, vt & peccandi licentiam cæteris auferrent, & huiuſmodi ſacerdotes ad dignam pœnitentiæ lamenta reuocarent. Hodie tamen, vt dicit Sotus poſt Concilium Conſtantienſe ceſſaſſe hunc rigorem iuris antiqui. Quare iuxta hanc reſponſionem hodie non eſſet peccatum Miſſas horum ſacerdotum audire, antequàm ſint denunciati excommunicati.

Hod idem antea dixerat Silue. Ver. Miſſa 2. §. 3. affirmans c. Nullus, c. Præter diſt. 32. & c. fin. De Cohab. Cleri. & Mulie. In quibus ſtatutum fuit Miſſam ſacerdotis notoriè fornicarij non debere audiri, intelligenda eſſe, ſi ſit publicè denunciatus, quia Ius antiquum eſt

eſt coarctatum per Concilium Conſtantienſe, ſed addit conſultius fore talis etiam non denunciati Miſſam non audire, ſi ab alio audiri poteſt.

Turrecrem. latiſſimè tractat hanc difficultatem in dicto c. Nullus, & c. Præter, & apertè aſſerit fideles audientes Miſſam Concubinarij notorij per ſententiam Iudicis, aut per Confeſſionem in Iudicio factam, vel per rei euidentiam, quæ nulla poſſit tergiuerſatione celari, lethaliter peccare, niſi excuſentur propter ignorantiam iuris probabilem; id probat ex c. Si qui ſunt 81. diſt. Vbi prohibetur ſub Anathematè, ne quis à Clerico in fornicatione iacente diuina audiat, & declarat Idololatram, qui huic ſaluberrimo præcepto obedire recuſaret. Et fundamentum huius dicti eſt, quoniam ſacerdos notorius concubinarius eſt ſuſpenſus ipſo Iure quoad ſe, & quoad alios, & fortiori ratione peccant grauius, qui ab huiuſmodi Sacerdotibus Concubinarijs ſcienter ſacramenta recipiunt; & eadem ratio eſt de Hæreticis, Schiſmaticis, & Simoniacis, vt dicitur in dicto c. Præter §. Verùm principia; quoniam quamuis prædicti poteſtatem habeant ſacramenta diſpenſandi, prohibiti ſunt exercere hanc poteſtatem, & peccant, ſi vtantur ea, ſed communicans alicui in peccato particeps eſt peccati illius. Idē tenet Abb. in c. Veſtra num. 5. & 6. De Cohab. Cleri, & Mulie. Huic ſententiæ adhæret Nauar. in Manua. c. 25. num. 80. Ver. Tertium quod ſcientes, Addens Canones antiquos de hac re editos confirmatos fuiſſe per Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. De Refor. c. 14. vbi adijciuntur etiam aliæ pœnæ.

Ad hanc dubitationem ita reſpondendum eſſe puto. Primo audire Miſſam ſcienter publici Concubinarij, vel alterius manifeſti peccatoris, etiam antequam per ſententiam Iudicis nominatim eſt vinculo cenſuræ innodatus, & iuridicè denunciatus, & recipere ab eodem ſacramenta ſpontè, & voluntariè nulla vrgente neceſſitate eſt peccatum lethale.

Probatur; quia recipiens ſacramentum à publico peccatore, quem ſcit in peccato adminiſtraturum, maximè ſi inducat ad adminiſtrandum, videtur cooperari ad peccatum proximi, quod ſine vllo incommodo euitare poterat, petendo ab alio Miniſtro, & ſic facit contra Ius naturæ, vt dixi paulò ante.

Dico ſecundò petere, & recipere ſacramenta ab huiuſmodi peccatoribus publicis, ſi tolerantur ab Eccleſia, & non ſunt per ſententiam nominatim alicuius cenſuræ vinculo obſtricti, non eſt peccatum contra præceptum Eccleſiæ.

Probatur primò quoniam prohibitio illa Eccleſiæ, qua cauetur, nè à Sacerdotibus notorijs criminonis, & ſpecialiter, nè à fornicarijs, & ſimoniacis recipiamus ſacramenta, & nè illorum miſſas audiamus, vt in cap. vlt. De Cohab. Cleri. & Mulie. & in cap. Nullus, & cap. Præter diſt. 32. & in alijs locis, videtur ceſſaſſe per contrariam conſuetudinem.

Secundo, quod ſolidius eſt, quamuis ſacerdos Concubinarius, & Simoniacus eſſet ſuſpenſus olim ipſo iure, vt in locis citatis habetur, & idcirco ipſe non poſſet vllo modo ſine peccato ſacramentum adminiſtrare, & alij prohiberentur ab eo recipere, quando crimen erat notorium; tamen hæc Conſtitutio per Concilium Conſtantienſe fauore fidelium fuit coarctata ad illa duo genera hominum tantum, nempè nominatim denunciatos, & manifeſtos Clerici percuſſores; aliorum permiſſa eſt communicatio. Et hæc Regula eſt generalis ad omnes cenſuras, & ad omnem Iuris prohibitionem; Sic enim habetur in dicta Extrau. *Nemo deinA ceps à communione alicuius etiam prætextu cuiuſcunq; ſententiæ, aut Cenſuræ eccleſiaſticæ, ſeu ſuſpenſionis, aut prohibitionis ab homine, vel à Iure generaliter promulgatæ teneatur abſtinere.* Communicando ergo cum his peccatoribus non violatur præceptum Eccleſiaſticum, quando non ſunt publicè denunciati, vt dicunt Siluc. & Sotus.

CAPVT III.

An dentur aliqui caſus, in quibus licitè, & abſquè peccato ab excommunicato Sacerdote recipi poſſint ſacramenta, illa præcipue, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, vt Baptiſmus, & Pœnitentia, & vtrum ab Hæretico.

B QVamuis regulariter peccatum ſit, & graue, petere, & recipere ſacramenta contra prohibitionem ſacrorum Canonum à Miniſtro excommunicato publicè denunciato, aut notorio Clerici percuſſore, de hoc enim loquimur; tamen adhuc dubitari poteſt; an aliquando neceſſitate vrgente licitè, & ſine peccato id fieri poſſit.

Ad hanc difficultatem dicendum eſt conuenire omnes dari poſſe caſum neceſſitatis, in quo licitum ſit petere, aliquod ſacramentum ab excommunicato non tolerato.

Et in primis ſi loquamur de Baptiſmo, qui ſimpliciter C neceſſarius eſt ad ſalutem, licitum eſt, ſi vrgeat neceſſitas extrema, nempè in articulo Mortis Baptiſmū recipere ab excommunicato etiam nominatim, & denunciato, ideſt non tolerato ab Eccleſia.

Probatur Primò ex cap. Si quem fortè 24. q. 1. Vbi refertur teſtimonium B. Auguſtini de quodam, qui in articulo Mortis Baptiſmum ſuſcepit de manu Hæretici, & factum illud non ſolum non improbatur, ſed valdè laudatur, & in cap. Præter §. Verum diſt. 32. dicitur ſacramenta ab Hæreticis, & Schiſmaticis recepta vera eſſe ſacramenta, non eſſe tamen ab illis recipienda excepto Baptiſmo, qui in mortis articulo accipi poteſt, Verba tex. ſunt hæc, propè finem: *Subito enim morituro prius Baptiſmate, quam Dominici Corporis comD munione, vel aliis ſacramentis conſulitur, & dum fortè Catholicus non inuenitur, ſatius eſt ab Hæretico Baptiſmi ſacramentum ſumere, quam in æternum perire.* Quare ſicut Laicus excommunicatus conferens Baptiſmum in extrema neceſſitate ſine ſolemnitate more Laicorum, careret crimine. Palud. in 4. diſt. 5. q. 2. De Baptiſmo, tùm propter neceſſitatem Baptiſmi, tùm quia non adminiſtrat Baptiſmum, vt miniſter Eccleſiæ, ideſt ad id conſecratus propter eaſdem cauſas Sacerdos excommunicatus baptizans non incurrit culpam, quoniam & ſi Sacerdos ſit Miniſter ex officio, tamen tunc non exercet actum vt Miniſter ex officio, vt inquit Caietanus apud B. Tho. 3. par. q. 64. art. 6. contra Durand. & confirmat Sotus in 4. diſt. 1. quæſt. 5. E art. 6.

Sed contrà obiicies; Si Sacerdos excommunicatus prohibetur tantum adminiſtrare Baptiſmum ſolemniter adhibitis ceremonijs Eccleſiæ, non autem priuatim more Laicorum; Ergo quando adeſſet Laicus non excommunicatus, & Sacerdos excommunicatus, in caſu neceſſitatis ſemper præferendus eſſet Sacerdos, quia cum vterq; eodem modo poſſet baptizare ſine vllo impedimento, Sacerdos iuxta Regulam generalē eſſet eligendus in paribus terminis.

Reſpondeo excommunicationem impedire adminiſtrationem ſacramentorum quomodocunque admini-

ministrentur siue à Laico, siue à Sacerdote; quare si Laicus excommunicatus baptizet etiam more Laicorum sine solemnitate grauiter peccat, & idcirco falsum est Sacerdotem excommunicatum præponendum esse Laico non excommunicato; quare quando nos diximus Sacerdotem excommunicatum baptizantem in extrema necessitate non peccare, quia non baptizat vt Minister Ecclesiæ, sed more Laicorum, non intelligimus non esse priuatum potestate administrandi sacramentum Baptismi etiam sine solemnitate extra articulum necessitatis, sed volumus significare, quod si in articulo mortis baptizaret cum solemnitate esset reus criminis, quia solemnitas non est necessaria ad essentiam Baptismi, & excommunicato permittitur tantum id in necessitate, quod ad essentiam sacramenti spectat.

Secundo eadem conclusio probatur, quia in casu necessitatis non obstat prohibitio Ecclesiæ, quoniam suspensio Iurisdictionis in excommunicato intelligitur extra casum necessitatis, Silue. V. Confessor. 1. §. 16. Maxime qnoniam hæc priuatio iurisdictionis administrandi saeramenta imPonitur in pœnam ipsorũ excommunicatorum; igitur non est amplificanda: sed restringenda extra articulum necessitatis, & cum Baptismus sit sacramentum maximæ necessitatis, expediens fuit, vt illius administratio omnibus committeretur.

Si postulet quis, an peccatum sit supposita necessitate admittere ad baptizandum excommunieatum, vel Hæreticum prætermisso Catholico, & non excommnnicato.

Respondeo peccatum esse, & graue moraliter loquendo, nisi aliunde oriretur ratio ad præferendum excommunicatum.

Primo quoniam, qui in hoc casu recipit sacramentum ab excommunicato eooperatur peccato excommunicati in administratione sacramenti non existente necessitate absoluta, & simpliciter.

Deinde propter scandalum, & prauam suspicionem sui, quam aliis verisimiliter præberet præferendo excommunicatum hominem in sacro ministerio fideli.

Quamobrem de Baptismo omnes consentiunt, sed excepto Baptismo, qui simpliciter ex omnibus sacramentis necessarius est ad salutem; reliqua omnia sacramenta censent nonnulli Auctores non posse recipi à Ministro excommnnieato sine peccato, quoniam neque sunt simpliciter necessaria sicut Baptismus, & requirunt Ministrum ex officio, & ideo semper solemni ritu administrantur. Quarè semper excommunicatus tractando illa efficitur Reus peccati mortalis, sic ait Adrian. in q. 3. De Baptismo in secundo argumento ad oppositum.

Sed hæc sententia est falsa, nam sunt etiam alia sacramenta necessaria ad salutem, licet non tantæ necessitatis, sicut Baptismus, quæ, si non possunt ab alio Ministro recipi licitè, & sine peccato, ab excommunicato peti possunt, & de saeramento Pœnitentiæ, certũ est absolutionem à peccatis recipi posse in Articulo mortis, per se loquendo, à quocunq; Sacerdote excommunicato, quando alterius copia non habeatur. Hæc conclusio est contra Palud. in 4. dist. 17. q. 3. Marsilium q. 12. art. 4. memb. 3. Nauar. De Pœnit. dist. 6. cap. 1. in prin. nu. 87. & in Manua. cap. 26. nu. 26. Turre Crem. in cap. Præter §. Verum ad primam quæst. concl. 2. dist. 32. & in cap. Verbum Dei q. 5. De Pœnit. dist. 1. Glos. in cap. Præter Vers. Per manus dist. 32. Couar. in c. Alma par. 1. §. 6. nu. 8. qui citat in candem sentẽtiam D. Tho. Tandem est contra Med. in C. De Confessione in quæstione De Confess. excommunicato ignoranter facta.

Hæc communis sententia nititur duplici fundamento; primum est, quoniam, vt inquit Turre Crem. ad sacramentum Pœnitentiæ ministrandum requiritur potestas Clauium, quæ, quamuis remaneat in sacerdote excommunicato quantum ad essentiam, quia fundatur in Charactere sacerdotali inseparabiliter, impeditur tamen per excõmunicationem quantum ad vsum, & executionem, quia priuatur inrisdictione, quam habebat in subditos, & idcirco non potest ab excommunicato licitè, nequè etiam in articulo mortis propter defectum iurisdictionis recipi sacramentum Pœnitentiæ, Vnde & si Infirmus tempore necessitatis possit excommunicato confiteri, vt inquit Glo. in dicto cap. Præter §. Verum Vers. Per manus dist. 32. non debet tamen ab eo recipere sacramentum Pœnitentiæ. Alterum fundamentum, quod adducitur à Doctoribns pro hac opinione, est differentia, quæ reperitur inter sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ, nam, vt ait Couar. sacramentum Baptismi potest in casn necessitatis ab omnibus licitè recipi, quia illo tempore vnusquisque etiam excõmunicatus est legitimus Minister Baptismi, cum ad illum ministrandum non sit necessaria Iurisdictio; Sacramentum vero Pœnitentiæ licitè recipi nõ posse ob defectum iurisdictionis, & ratio huius differentię est, quoniam Baptismus est maioris necessicatis, quam Pœnitentiæ sacramentum.

Hæe tamen argumenta non debent nos cogere, vt recedamus à conclusione proposita, nimirum concessum esse ex causa necessitatis lieitè, & sine peccato recipere sacramentum Pœnitentiæ, sicut diximus de Baptismo.

Est sententia Silue. V. Confessor 1. §. vlt. Ang. Ver. Confessio 3. num. 2. Durand. in 4. dist. 19. q. 2. Maior. q. 1. Palud. dist. 25. q. 1. Sot. dist. 18. q. 4. art. 4. Cano in Relect. De Pœnit. par. 5. Ruardus Taper art. 3. contra Luthe. Nauar. in Manua. cap. 22. nu. 4. & cap. 26. nu. 26. & eap. 27. nu. 272. Licet enim ipsemet fateatur in his duobus vltimis locis se alias tenuisse in cap. 1. in ptinc. nu. 87. De Pœnit. dist. 6. cum communi opinione excommunicatum Sacerdotem denunciatum non posse sacramentaliter absoluere in articulo mortis, quamuis alius Sacerdos non reperietur, quia non considerauerat deeretum Conc. Trid. tamen recedit ab hac sententia, & tenet oppositam, quam dicit esse communem post Constitutionem Conc. Tridentini sess. 14. cap. 7.

Modo probatur hæc conclusio. Primo quoniam sacramentum Pœnitentiæ neeessarium est ad salutem, & in articulo mortis potest administrari à quocunquè Sacerdote etiam excommunicato denunciato, quamuis enim potestas Iurisdictionis per Excommunieationem suspendatur quantum ad vsum, & executionem, tamen quantum ad essentiam, & habitum remanet, vt inquit Nauar. quia habet illam Iure diuino, sed non est credendum Ecclesiam, quæ tanquam pia Mater omni studio in hanc vnam rem incumbit, vt filij sui modis omnibus salutem consequantur, velle illo præsertim tempore, quo summopere adiunari debent, remedio adeò necessario, & opportuno eos destituere; potius igitur dicendum hanc suspensionem iurisdictionis, quam inducit excommunicatio, habere locum extra hunc articulum necessitatis.

Secundo ad idem probandum sufficere possunt verba Conc. Tridentini sess. 14. cap. 7. cum ait: *Atq; ideo omnes Sacerdotes quoslibet Poenitentes à quibusuis peccatis,*

tis, & censuris absoluere possunt, &c. In quibus verbis notandæ sunt tres distributiones, scilicet omnes sacerdotes; quoslibet Pœnitentes; a quibusuis peccatis; sicut vltima particula comprehendit quæcunquè peccata affecta quaeunq; censura sine vlla exceptione, & secunda omnes pœnitentes excommunicatos, & hæreticos, Igitur & prima debet amplecti omnes Sacerdotes quacunquè censura, vel culpa alligatos.

Tertio hoc idem confirmat vsus, & consuetudo Ecclesiæ, frequenter enim, quando reseruantur Casus, solet excipi Articulus mortis, & licet talis exceptio apponatur ex parte Pœnitentis, quod tempore necessitatis possit recipere sacramenta, non ex parte Administrantis, tamen possumus argumentari à simili, si enim quando impedimentum excommunicationis accidit ex parte pœnitentis Ecclesia ad subueniendum eius necessitati suspendit effectum excommunicationis, vt possit recipere sacramentum Pœnitentiæ, ergo eadem ratione, immo fortiori, quando impedimentum occurrit ex parte Ministri, censendū est in tali necessitate suspendi effectum excommunicationis, vt Minister valeat ministrare sacramentum Poenitentiæ, cum id non concedatur fauore Ministri, sed necessitate Recipientis.

Quarto omnes fatentur Baptismum ab excommunicato recipi posse sine vllo peccato in articulo necessitatis, vt habetur in cap. Præter §. Verum dist. 32. vbi Turre Crem. idem probat quæstione prima, & causa huius permissionis ex communi sententia omnium est necessitas Baptismi ad salutem, ergo propter eandem rationem idem erit concedendum de sacramento Pœnitentiæ, quod licet non sit adeò necessariū, sicut sacramentum Baptismi, tamen est medium necessarium ad salutem, & realis susceptio poenitentiæ potest esse necessaria peccatori ob defectum contritionis, & contingere potest non raró, vt quis putet se esse contritum, & sit tantum attritus, qui saluabitur cum sacramento Poenitentiæ, & sine illo damnabitur, & idcirco sacri Canones sæpè monent; Morientibus non esse denegandam reconciliationem Sacerdotis, nè periculo æternæ damnationis exponautur.

Accedit quinto, quod si propterea sacramentum Poenitentiæ non esset recipiendum in articulo mortis à Sacerdote excommunicato, quia sine reali illius receptione saluari posset infirmus per solam contritionem, ob eandem rationem negandum esset in eadem necessitate Adultum baptizari posse ab Excommunicato, cum similiter saluari posset per solum Baptismū flaminis, scilicet per solam contritionem, quando non extat, qui illum baptizet; hoc autem aduersatur omnium opinioni. Quamobrem si non peccat qui recipit in necessitate Baptisinum ab excommunicato, non erit quoq; Reus alicuius culpæ, qui sacramentum Poenitentiæ ab eodem recipiet.

Nonnulla tamen annotanda sunt, quæ pertinent ad hanc actionem, vt licitè fiat, & sine peccato; primum est sacerdotem excommunicatum, qui infirmo in articulo mortis constituto impendit absolutionem sacramentalem, obligatum esse, quantùm in se est, curare, vt dignè valeat administrare hoc sacramentum, quod faciet, si contritionem à Deo impetrare conetur. Notādum est secundò hanc facultatem recipiendi sacramentum pœnitentiæ ab excommunicato concessam esse solum in articulo mortis, quando non habetur copia alterius Sacerdotis, si enim extaret alius sacerdos à quo sacramentum recipi posset, tunc ministerium excommunicati non esset necessarium

A simpliciter, & ex consequenti Pœnitens non esset coactus recipere sacramentum ab excommunicato; quod est intelligendum, vbi alius sacerdos posset, & vellet ministrare. Notandum est tertio in tali necessitate infirmum non solùm licitè posse, sed debere sacramentum pœnitētiæ recipere ab excommunicato, si alius sacerdos non existat; quia obligatur ex diuino præcepto ad confessionem habendam, quod commode potest implere confitendo excommunicato, ideo tenetur, quia vnusquisque debet suæ saluti prouidere; quod est intelligendum per se loquendo, nam si timeret publicum scandalum, excusaretur, vt euitaret scandalum.

Quærere posset aliquis primo; vtrum si in tali ne-
B cessitate reperiantur duo sacerdotes, alter excommunicatus, sed doctus, & prudens, qui plurimum vtilitatis, & adiumenti spiritualis posset conferre Morienti; alter non excommunicatus, qui caret doctrina, & prudentia, & non est itá idoneus; an tunc posset præferri excommunicatus non excommunicato.

Respondeo, si sacerdos non excommunicatus habeat conditiones, quæ sufficiunt ad dignam administrationem huius sacramenti, non debere, nec posse eligi Sacerdotem excommunicatum, etiamsi maiori adiumento infirmo esse posset, quia tunc non diceretur casus necessitatis, cum alius adesset sacerdos non prohibitus administrare, & ex consequenti excommunicatus careret iurisdictione, quæ conceditur so-
C lùm tempore necessitatis. Non obstat illa vtilitas, & commoditas, quam ab excommunicato sacerdote consequi posset, quoniam eandem extra sacramentum habere posset, neque enim esset ei vetitum occurrente tali necessitate petere consilium à sacerdote excommunicato, quia talis communicatio esset moraliter necessaria ad salutem animæ, & hæc necessitas est sufficiens causa excusandi à peccato, si communicetur excommunicato; ob eandem rationem, si Parochus esset excommunicatus, & adesset alius simplex sacerdos non excommunicatus, eligendus esset simplex sacerdos contra sententiam quorundam sentientium in hoc casu præferendum esse Parochum, quia licet in
D articulo mortis omnes Sacerdotes habeant iurisdictionem administrandi sactamenta, tamen inter eos semper præferendus est proprius sacerdos, sed hoc est falsum, quoniam ad constituendum tempus necessitatis, vt omnes sacerdotes etiam excommunicati reddantur habiles, non sufficit, vt petens sacramentum sit constitutus in articulo mortis, sed vt non adsit copia alterius sacerdotis non excommmunicati, neque præcisi ab ecclesia, qui valeat dignè sacramentum pœnitentiæ conferre; illo enim præsente, & volente absoluere, Parochus excommunicatus intelligitur priuatus iurisdictione, quia cessat necessitas.

Secundò quærere posset aliquis; an sacerdos excommunicatus denunciatus requisitus ad administrādum
E sacramentum Pœnitentiæ Infirmo in articulo mortis peccet, si absolutionem tradat, & idem quæri potest, si Baptismum conferat.

Respondeo sacerdotem excommunicatum administrando dicta sacramenta suo subdito petenti tempore necessitatis nullum peccatum committere. Probatur primò, quia, si secus diceremus hoc priuilegium & fauor de non vitandis excommunicatis, in articulo mortis etiam denunciatis, & notorijs Clericorum percussoribus, nihil prodesset fidelibus, vt superius monui; quia si Parochus excommunicatus ministrando peccaret, teneretur se subtrahere ab huiusmodi admi-

adminiſtratione, & merito ad euitandum crimen, excuſando ſe non poſſe id præſtare abſq; culpa, neq; ſubditi poſſent illos compellere, vt inquit Dom. Sot. in 4. diſt. 1. q. 5. art. 6. & diſt. 22. q. 1. art. 4. Secundo, quoniam adminiſtratio ſacramentorum potius videtur onus, & labor Sacerdotum, quàm fauor, & commoditas. Quare, quod non peccent adminiſtrando ſacramenta in articulo mortis, non eſt illis conceſſum in fauorem ipſorum, ſed in gratiam Populi, vt inquit Nauar. in miſcell. 47. De Oratione nu. 3.

Itaq; ſi loquamur de ſacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ, abſq; controuerſia aſſerendum eſt recipi poſse à Miniſtro excommunicato, etiam non tolerato in articulo mortis, ſi alterius copia non habeatur, quoniam hæc duo ſacramenta neceſſaria ſunt ad ſalutem.

Dubitant tamen Doctores, An in tali neceſſitate ſacramentum Pœnitentiæ recipi poſſit ab Hæretico. In hac quæſtione plures Doctores, præſertim Iuris Pontificij tenent partem negatiuam, & cenſent conclusionem illam ſcilicet ſacramentum Pœnitentię adminiſtrari poſſe in articulo mortis ab excommunicato, admittere hanc limitationem: Dummodò non ſit Hæreticus.

In hac ſententia in primis eſt Glo. in cap. Præter §. Verum Ver. Per manus diſt. 32. Vbi quærit nunquid ab Hæreticis recipienda ſit Poenitentia, & reſpondet in caſu neceſſitatis poſſe nos eis confiteri, ſed non debere ab illis recipere poenitentiam; quod ex ipſomet textu deſumitur propè finem, vbi poſtquam probatum eſt teſtimonio Stephani, & Cornelij Summorum Pontificum, & S. Auguſtini contra ſententiam S. Cipriani Baptiſmum ſiue ab Hæretico, ſiue à Schiſmatico Eccleſiaſtico more celebratum ratum eſſe, addit hæc verba: *Et merito quia alia in Baptiſmo, & alia in reliquis ſacramentis conſideratio eſt, quippe cum & ordine prior, & neceſſarior ſit, ſubito enim morituro prius Baptiſmate, quàm Dominici Corporis communione, vel aliis ſacramentis conſulitur, & dum fortè Catholicus non inuenitur, ſatius eſt ab Hæretico Baptiſmi ſacramentum ſumere, quam in æternum perire.* Quarè videtur permiſſa in articulo Mortis ſolius Baptiſmi receptio ab Hæretico ob neceſſitatem huius ſacramenti, ergo non extenditur ad ſacramentum Poenitentię, & in cap. Subdiaconus §. Sed illud dicitur: *Baptiſma namq; ſiue ab Hæretico, ſiue à Laico miniſtratum fuerit, dummodo in vnitate Catholicæ fidei accipiatur, non carebit effectu, Alia verò ſacramenta, vt ſacri Corporis, & ſanguinis Domini excommunicationis, vel reconciliationis ſi ab Hæretico, vel Catholico non ſacerdote miniſtrentur, vel nullum, vel Lethale habebunt effectum*: Abb. in cap. Non eſt nu. 9. De Sponſa. tenet idem contra Glo. penult. eiuſdem cap. oppoſitum ſentientem, idem ait Alphon. à Caſtro lib. 2. De Iuſta hæret. punit. cap. 23. propè finem aſſerens hominem hæreticum nullam prorſus in Eccleſia habere Iuriſdictionem, & ad hoc citat D. Tho. 22. q. 39. art. 3. affirmantem in Hæreticis non eſſe poteſtatem Iuriſdictionis, & inde infert: Non poſſe à peccatis abſoluere, nec Indulgentias conferre, nec alios excommunicare, Nauar. in Manua. cap. 26. nu. 26. cenſet quidem verius eſſe poſt Concilium Tridentinum affirmare omnem Sacerdotem Catholicum etiam ſi ſit excommunicatus publicè denunciatus, vel ſuſpenſus, aut interdictus in articulo mortis ab omni peccato abſoluere poſse, & idem credit de Schiſmatico, ſi non ſit Hæreticus, negat autem de Hæretico Dominicus Sotus in 4. diſt. 18. q. 4. art. 4. eodem modo loquitur, A nempè hanc poteſtatem abſoluendi in articulo mortis conuenire omni Sacerdoti Catholico, addit Catholico propter hæreticos, & Apoſtatas, quibus non credit ab Eccleſia permiſſum eſse vſum abſoluendi, neq; in articulo mortis licet id non aſseueret, ſed putet eſse probabilius ob eam rationem, quia cum hoc ſacramentum non ſit tantæ neceſſitatis ſicut Baptiſmus, non poteſt adminiſtrari ab Hæretico, & Apoſtata, qui non ſolum vſu Iuriſdictionis ſuſpenſi ſunt, verum ipſam iuriſdictionem eradicata fide amiſerũt. Vnde ſi alius non inueniatur Sacerdos in ea neceſſitate, perinde iudicandum eſse ac ſi nullus eſset Sacerdos, Silue. Confeſſor. 1. §. 16. obſcure loquitur, initio enim dicti §. 16. videtur ſequi eandem opinionem, B dicens in mortis articulo abſolutionem à quibuſcunque peccatis dari poſſe ab omni Sacerdote non præciſo; præciſum Sacerdotem vocat hæreticũ, vel Schiſmaticum, quibus non eſt confitendum etiam in articulo mortis, quia facillimè peccatorem in errorem, aut deſperationem inducerent, ſicut Phariſei Iudam, Matth. cap. 17. & cap. 1. & ibi Gloſ. De Poenit. diſt. 6. Poſtea vero videtur aſserere oppoſitum, Melchior Cano in Relect. De Poenit. par. 5. agit de hac difficultate ad vtranq; partem, & tandem concludens, Doctiorum iudicio relinquit definiendum, Vtra ex his duabus opinionibus eligenda ſit, Couar. in cap. Alma par. 1. §. 6. nu. 8. huic opinioni videtur adhærere, licet etiam proponat contrariam, & non impugnet.

C Ex oppoſito non deſunt alij viri docti, qui exiſtimãt licitum eſse in articulo mortis recipere Poenitentiam ab hæretico. Huius ſententiæ in primis eſt Glo. in cap. Non eſt vobis Verſ. Baptiſmum Paruulorum De Sponſa. Vbi de Baptiſmo Paruulorum, & de Poenitentia Morientium ſic ait: *Iſta duo ſacramenta ſemper excipiantur de quolibet Interdicto, quia ſunt ſacramenta neceſſitatis*, & paulò infra: *Unde etiam in neceſsitate poſſunt recipi ab Hæretico*. Ità etiam ſentit Palud. in 4. diſt. 25. q. 1. Durand. diſt. 19. q. 2. Silue. Confeſſio. 3. §. 10. licet oppoſitum dicat Confeſſor 1. §. 16. Armill. Verſ. Abſolutio nu. 12. Ricardus Taper. art. 3. contra Lutherum: Maior diſt. 17. q. 1. In eandem etiam Cano D citat Silue. loco citato. Quare ex his, quæ ex ſcriptis tot grauiſſimorum Auctorum ad hanc quæſtionem deſumuntur, colligi poteſt ſimul & vtranquè opinionem probabilem eſſe, & ſine timore defendi poſse, ſimulq; difficile eſse ſtatuere, cui ex illis potius adhęrere debeamus.

Ego tamen puto hanc ſecundam probabiliorem eſſe, nempè excommunicationem ex quouis crimine contractam ſiue hæreticis, ſiue Schiſmaticis, aut Apoſtaſię non impedire vi ſua, niſi aliud periculum, & impedimentum obſtet, quia ſacramentum Poenitentiæ in articulo mortis conferri poteſt à quocunquè Excommunicato ſine vlla limitatione, ſiue ſit Catholicus, ſiue Hæreticus, Schiſmaticus, ſiue Apoſtata, dum- E modo velit illud adminiſtrare eccleſiaſtico more. Probatur ex verbis citatis Concilij Trident. ſeſſ. 14. c. 7. Vbi tractans ex profeſſo de poteſtate, quam habent ſacerdotes in articulo mortis quantum ad abſolutionem à peccatis, & cenſuris vtitur ſignis vniuerſalitatis abſque vlla exceptione, vel limitatione, vt diximus, nempè omnes ſacerdotes; quoſlibet pœnitentes, à quibuſuis peccatis, & cenſuris, ergo ſicut Concilium intendit, vt omnes Pœnitentes, ſiue hæretici ſint, aut Schiſmatici, vel Apoſtatæ, abſolui poſſint in tali articulo à quibuſuis peccatis ſine vlla exceptione, ita quoque dicendum eſt voluiſſe, vt omnes ſacerdotes quacun-

quacunq; censura, & impedimento sint per Ecclesiam A præcisi valeant in omni casu absoluere; Nam Concilium eodem modo loquitur, & iisdem verbis vtitur; quod si quantum ad sacerdotes voluisset clausulam illam vniuersalem accipiendam esse cum aliqua exceptione, vtiq; non tacuisset, sed apertè significasset præsertim cum ageret de re graui, & ad salutem maximè necessaria.

Secundo probatur, ab huiusmodi præcisis licet recipere Baptismum, cum extrema necessitas cogit, vt tradit S. August. lib. 1. De Baptismo contra Donatistas cap. 2. & refertur in cap. Si quem fortè 24. quæst. 1. Ergo ab eodem licebit assumere sacramentum Poenitentiæ.

Ad hoc argumentum conantur aliqui respondere B negando consequentiam, non enim eadem est ratio de poenitentia, sicut de Baptismo, quia Minister Baptismi est institutus quilibet de Iure diuino, & ideo Ecclesia id tollere non potest; At poenitentiæ Minister non est quilibet Sacerdos Iure diuino, sed cui Ecclesia demandauerit, idcirco sicut potest committere cui voluerit, ità & potest auferre.

Sed hæc responsio non tollit vim argumenti. Primò quia non est improbabile quemlibet Sacerdotem in mortis articulo habere auctoritatem absoluendi iure diuino, sicut tenet Palud. in 4. dist. 20. q. 1. art. 2. Durand. dist. 19. q. 2. Capreol. ead. dist. art. 3. ad 4. Id etiã videtur sentire D. Tho. dist. 19. q. 1. art. 3. quęstiuncula 1. & dist. 20. art. 1. q. 2. Secundò admissa etiam contra- C ria opinione, quam censeo esse probabiliorem, non est existimandum Ecclesiam, cuius prudentiæ est commissum Ministrum necessarium Absolutionis deputare voluisse, cum sit pia Mater filiis suis in articulo mortis deesse, neque est credendum legem, qua Hæreticus præcisus amouetur à sacramentorum Ministerio ad extremum necessitatis articulum extendere voluisse.

Si opponas, Hæreticus indignè administrat sacramentum Poenitentiæ, ergo peccat, etiam si illud conferat in articulo necessitatis.

Respondeo, si Hæreticus persistat in sua hæresi, peccat administrando, quia indignè tractat sacramentum non ratione excommunicationis, sed ratione D hæresis, quia est prauè dispositus, & indignus administratione sacramentorum, & id non est peculiare in hæresi, sed verum est de quocunq; Excommunicato, si permaneat in sua contumacia, propter quam fuit excommunicatus; sed secus erit, si is, qui fuit ob hæresim excommunicatus, redeat ad fidem, & pœnitentiam agat, tunc enim absoluendo non peccat in articulo necessitatis, quia iam coràm Deo est dispositus, & ab Ecclesia non prohibetur in illa necessitate ministrare.

Accedit, quod quamuis peccatum committeret hæreticus indignè administrando, non esset tamen Reus culpæ Poenitens petendo in illo articulo sacra- E mentum poenitentiæ, quod alius licet posset, si vellet ministrare, si per actum interiorem ad fidem Catholicam se converteret. Quod si Hæreticus id non sit facturus, & ità etiam verisimiliter antea arbitretur Poenitens, non propterea indigna administratio sacramenti imputatur ipsi petenti, qui rem postulat ex sui genere honestam quam instante mortis articulo à quocunq; Sacerdote iure petere potest; nec dicitur inducere alium ad peccatum, sed legitimè vti iure sibi competente permittendo delictum alterius ad sui spirituale bonum.

Vnde hac in re parum refert, An ille Hæreticus paratus sit, & expositus administrationi sacramenti Poenitentiæ, vel inducatur à Poenitente ad illud administrandum. Qua distinctione vtuntur nonnulli Doctores ad solutionem huius difficultatis; Nam extrema necessitas tribuit Ius petendi etiam à, non parato id, quod per se alius licitè exercere potest, Immò obligat ad petendum in tali necessitate propter præceptum diuinum de confessione sacramentali in articulo mortis facienda.

Tertio probatur conclusio certum est, & omnes consentiunt Catholicum excommunicatum etiam nominatim, & denunciatum in mortis articulo licitè posse conferre sacramentum absolutionis, & ex consequenti ab eo sine peccato recipi, si nullum instet periculum fidei; nulla enim apparet causa, quare fideles in articulo mortis præsente Sacerdote Catholico priuentur sacramento ex diuina institutione ad salutem necessario. Quod si hęc exceptio Ministri Catholici per excommunicationem pręcisi admittitur, non video, cur & alios pręcisos ob hæresim apostasiam, aut Schisma excipere in articulo mortis tãtum, debeamus; quoniam extrema necessitas ab omni Ecclesiæ lege videtur excepta.

Quartò confirmatur eadem conclusio, si Hęreticus non sit per sententiam nominatim promulgatus, non tenemur ex priuilegio Extrau. ad euitanda ratione excommunicationis ab illius communicatione etiam in vsu sacramentorum abstinere; neque Hęreticus ob solam hęresim amittit iurisdictionẽ, quia iurisdictio non fundatur in fide, neq; illam necessariò prerequirit, alias propter hęresim mentalem amitteret iurisdictionem, quod est absurdum; ergo licitum erit ab illo absolutionem recipere, sicut ab alijs excommunicatis nõ vitandis; ergo idẽ erit dicendũ de Hęretico promulgato, & denunciato in articulo mortis, quia quantum ad crimen hæresis eadem ratio est, si hæreticus sit denunciatus, vel toleratus ab Ecclesia, & idem periculum imminet, ne in vtroque casu pœnitens possit induci in errorem aliquem fidei; ratione verò excommunicationis similiter nullum apparet discrimen, nàm quamuis post denunciationem sit suspẽsa iurisdictio quoad alios non antea, tamen hæc suspẽsio cessat in articulo necessitatis, vt Concilium Tridentinum explicat non condendo nouum ius, sed vetus declarando, cum ait: *In Ecclesia Dei semper custoditum fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, &c.*

Quare videtur corruere principale fundamentum contrariæ opinionis, nimirum quod Hæreticus careat iurisdictione necessaria ad absolutionem, quoniam vel illa in articulo mortis communicatur omnibus sacerdotibus iure diuino, & non potest tolli per Ecclesiam, vel si dependeat ab Ecclesia, & per excommunicationem suspendatur, semper excipitur articulus mortis, quia Ecclesia non vult deserere filios suos eo tempore, quo maximum instat periculum, & priuare illos remedio necessario ad salutem; idcirco tanquam magis probabile videtur affirmare in articulo mortis recipi posse sacramentum pœnitentiæ à quocunque excommunicato præciso etiam hæretico, si Catholicus haberi nequeat licitè, & absque peccato. Quod est intelligendum per se loquendo, si solum consideretur impedimentum hæresis; nam fieri potest per accidens, vt aliquando id non sit permittendum ad euitandum scandalum, nempe si verisimiliter dubitari possit, nè ex consortio Hæretici ipse Pœnitens, vel alij inducantur in errorem, & inficiantur perperam in fide,

de, tunc enim potius abstinendum esset à receptione sacramenti. Sed hæc occasio est extrinseca, & per accidens, & non prouenit per se ex eo, quod ille Sacerdns sit præcisus ab Ecclesia; quando verò in praxi ob huiusmodi metum non sit eommunieandum eum tali Sacerdote hæretico imminente necessitate mortis, non potest assignari regula generalis, sed id relinquendum prudentiæ viri Catholiei, & pij, & consideranda est conditio tàm ipsius Infirmi, si sit eonstans in fide, non dubius, non faeilè flexibilis, quàm ipsius hæretici, si non sit magnæ auctoritatis, & æstimationis apud alios, & alia similia sunt ponderanda: Et vbi sine periculo salutis spiritualis verisimili cōiectura potest poenitentiæ sacramentum ab hæretico suscipi, admittendus erit, si in illo temporis instanti Catholieus reperiri nequeat.

Verum vt magis hęc conclusio maneat confirmata, proponendæ sunt nonnullæ Sanctorum Patrum auctoritates in sacris Cannnibus relatæ, quæ, dictæ conelusioni aduersari videntur, illasq; explicabimus, & concliabimus. B. Ambrosius lib. 1. De Pœnit. cap. 2. & habetur. cap. Verbum Dei De Pœnit. dist. 1. *Dominus par ius & soluendi esse voluit. & ligandi, qui vtrumq; pari conditione perm sit, ergo qui soluendi ius non habet, nec ligandi habet. Certum est, quod Ecclesiæ vtrumq; licet, Hæresi vtrumq; non licet:* Ergo Hæretici absoluere non possunt.

Respondeo S. Ambrosium velle significare Hęretieo non conuenire potestatem absoluendi per se, & regulariter, cum illa sit priuatus ab Ecclesia, ex euius etiam benignitate permittitur, vt in articulo mortis pnssint validè exercere Iurisdictionem ecclesiasticam fauore Catholicorum, qui in discrimine vitę versantur, & opera, ac ministerio Hęretici Sacerdntis indigent, nè coacti sint sine necessario sacramento poenitentię deeedere, sed adimplere possint pręceptum diuinum de eonfessione facienda in articulo mortis. Vel etiam possumus interpretari Ambrosium, vt intelligat Hęreticum, quatenus hęreticus est, non pnsse, ligare, neq; absoluere, idest quatenus est extra Eeclesiam tanquam membrum pręcisum, hinc tamen non sequitur, quod non possit ei in aliquo casu communicari ab Ecclesia potestas absnluendi propter necessitatem Catholieorum, quod facit in articulo mortis. Et eandem admittunt interpretationem verba, quę habentur in cap. Audiuimus §. Sin autem ex corde in fine 24. quęst. 1. videlicet. *Quia sicut ille, qui benedicit, maior est eo, cui benedicitur: Ità qui ex officio maledicit, maior est eo, cui maledicitur; liquido constat eum, qui ab integritate Catholicæ fidei recedit maledicendi, vel benedicendi potestatem minimè habere.* Nam verum est Hæreticum priuatum esse potestate excommunicandi, & absoluendi regulariter, tamen permittitur, vt in articulo mortis valeant absoluere ob necessitatem Catholici morientis, sic etiam explieandus est B. Ciprianus lib. 1. epist. 6. ad Magnum, cum ait: *Didicimus omnes omnino Hæreticos, & Schismaticos nihil habere potestatis, & iuris, &c.* Et quod in Extrau. Vnam sanctā in princ. De Maio. & Obed. Bonifaeius docet extra Eeclesiam non esse remissionem pęccatorum aduersus hane sententiam nihil penitus facit, sensus verborum Bonifaeij est Neminem posse, si per Baptismum non sit annumeratus inter membra huius Corporis mistici, quod est Ecclesia, & fidem Catholicam protestatus fuerit, eonsequi salutem, & remissionem peeeatnrum, sed ex hoc inferri non potest, Hæreticum præcisum ab Ecclesia non posse in Articulo mortis ita

A permittente Ecclesia, vt subueniat Catholico in mortis periculo constituto, nè maneat priuatus remedio adeo ad salutem necessario, administrare sacramentum poenitentiæ more Eeclesiastico, & tribuere remissionem peccatorum.

Quamobrem satis clarum esse arbitror ex his, quæ dicta sunt, sacramentum poenitentiæ ob eius necessitatem licitè administrari posse in articulo mortis ab excommunieato etiam præciso, & denunciato, quamuis sit Hæretieus, Schismaticus, & Apostata, & eodem modo sine vlla culpa peti pnsse, immò debere per se loquendo, si ab alio Sacerdote recipi nequeat; sicque probatum erit hactenus dun sacramenta, nempè Baptismum, & Pœnitentiam eonferri posse tempore

B necessitatis ab Excommunicato Ministro etiam denunciato.

An idem sit statuendum de sacramento Eucharistiæ, in sequenti eapite tractabo.

CAPVT IV.

An Sacramentum Eucharistiæ licitè recipi possit in articulo mortis ab excommunicato Sacerdote.

DOctores dubitant de sacramento Eucharistiæ, An licitum sit absq; vllo peccato illud recipere in extrema necessitate ab excommunicato præciso, non tolerato, quia non videtur sacramentum simpliciter necessarium ad salutem, sicut duo prædicta

C Baptismus, & Pœnitentia, & partem negatiuam; quod non liceat sacramentum Eucharistiæ recipere in tali necessitate ab Excommunicato tenet Adrianus in q. 3. De Baptismo, Durandus, & Palud. in 4. dist. 13. q. 4. Silue. Euch. 3. §. 5. Vers. Ab Hæreticis autem; quæ probari potest ex cap. vlt. 24. q. 1. desūpto ex B. Greg. lib. 3. Dialog. cap. 31. Vbi refert factum Ermenegildi, & laudat, qui maluit sine sacramento Eueharistiæ ex hac vita decedere, quàm illud in extremo mortis articulo ab Arriano Episeopo assumere, & ex eap. Subdiaeonus §. Sed illud 24. q. 1. ex S. Aug. Epistola 169. ad Eusebium, vbi ità dicitur: *Baptisma namq; siue ab Hæretico, siue à Laico ministratum fuerit, dummodò in*

D *vnitate Catholicæ fidei accipiatur, non carebit effectu, alia vero sacramenta, vt sacri Corporis, & Sanguinis, excommunicationis, vel reconciliationis si ab Hęretico, vel Catholico non sacerdote ministrentur vel nullum, vel lethalem habebunt effectum*. Vnde Glo. Ver. Habebunt supponens sacramentum Eucharistiæ in extrema necessitate non esse recipiendum ab Hæretico, quęrit causam differentiæ inter Baptisinum, & Eueharistiam, cum Baptismus tradi possit ab Hæretico, minime autem Eucharistia, & plures recenset rationes huius discriminis; ad idem faeit c. Si quis dederit eadem eausa, & quæstione. Vbi pœnitentia vnius anni imponitur ei, qui de manu Hæretici etiam ignoranter communionem acceperit; hoc idem manifestè affirmat Glo. in c.

E Præter §. Verum principia Ver. Sed Agentibus 32. dist. vbi notat tres differentias quantum ad collationem sacramentorum factam à Simoniacn, & Fornieatore, ab ea, quæ fit ab Hæretico, & Schismatico. Et prima differentia est, quod Simoniacus, & Fornicator tempore necessitatis conferunt duo sacramenta, scilicet Baptismum, & Corpus Christi, sed Hæreticus & Schismatieus Baptismum tantum, & puto Nauar. in Manua. cap. 22. hane Glosam sequi voluisse, cum dixit *Peccat, qui suscipit aliquod sacramentum à sacerdote excommunicato interdicto, aut ab eius administratione suspenso, vel à notorio Concubinario, excepto Baptismo, & communione*

munione

munione tempore necessitatis, licèt sermo sit obscurus, & ambiguus, cum non declaret, an velit hanc exceptionem referre ad solum Concubinarium, vel ad excommunicatum interdictum, &c.

Ad idem confirmandum afferri possunt rationes. Prima est, quoniam diuersa ratio militat in illis duobus Sacramentis Baptismo, & Pœnitentia, de quibus tractauimus, & in sacramento Eucharistiæ, Hinc est, quod tempore Interdicti illa duo Sacramenta permittuntur non tantummodò Morientibus, sed sanis, & viuentibus; vt habetur in cap. Alma De Sentent. Excommun. libr. 6. Eucharistia verò non conceditur sanis, vt ibi notat Glos. Ver. Admittantur; quia nullibi in iure reperitur hoc permissum, ergo dicendum est fuisse prohibitum, leg. Præcipimus in fin. Cod. de Appell. eodem modo, cum in iure nullibi habeamus expressum, quod Eucharistia sit recipienda in articulo mortis ab Excommunicato, sicut habemus de Baptismo in cap. Præter §. Verùm distin. 32. & in cap. Si quem fortè 24. quæst. 1. Similiter de Poenitentia ex more perpetuo, & antiquissima Ecclesiæ consuetudine per Concilium Tridentinum confirmata, & innouata in sessione decimaquarta capitulo septimo cum ait, loquens de peccatis reseruatis. *Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat in eadem Ecclesia Dei, custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes, &c.* Igitur fatendum est in illo articulo Sacramentum Eucharistiæ non posse recipi ab Excommunicato; neque enim sub Sacramento Poenitentiæ includitur Eucharistia, quia sunt duo sacramenta separata, & distincta, nisi Papa ità exprimat, sicut expressit in dicto capitulo Quod in te tempore Interdicti, & idcirco vsus est verbo *Volumus*, appellatione poenitentiæ intelligi Viaticum, vt notauit Abbas ibi numero secundo. Sed quod Sacramentum Eucharistiæ recipi possit in articulo mortis ab Excommunicato præciso, nullibi ab ipso Iure significatum fuit, ergo affirmari debet prohibitum fuisse.

Secunda ratio sit; opinio est multorum Doctorum Peccare Fidelem, quamuis in articulo mortis sit constitutus, & extrema prematur necessitate si recipiat Eucharistiam à Sacerdote siue Religioso, siue seculari absque licentia proprij Parochi, & ducuntur ad id asserendum ub eam rationem; quia Eucharistia non est sacramentum simpliciter necessarium ad salutem; quamobrem si plures, & insignes Auctores, quos statim citabo, censent Eucharistiam non posse sumi in articulo mortis à simplici Sacerdote, qui nulla censura, aut impedimento sit notatus, & est probabilis sententia propter auctoritatem Doctorum ita sentientium, ergo omnis ratio videtur persuadere multo magis probabile esse asserere in eadem necessitate propter eandem causam, nempè quia Eucharistia non est sacramentum simpliciter necessarium, non esse illam recipiendam ab Excommunicato præciso, cui ab Ecclesia expresè est interdicta sacramentorum administratio; auctores, qui tuentur illam opinionem, sunt Cardinal. in Clement. prima numero quarto Versiculo vndecimo quæro, vbi dubitat; An Constitutio illius Clement. Nè religiosi valeant ministrare Sacramenta Extremæ Vnctionis, & Eucharistiæ alicui sine licentia proprij Parochi, locum habeat, siue Eucharistia ministretur in vita, siue in morte, & respondet affirmatiuè, simulque explicat cap. Quod in te in principio de Poenit. & Remiss. & cap. Poenitentes in fin. distinct. 50. in quibus habetur, quod omnibus Morientibus viaticum debet dari, intelligenda esse quod Viaticum dandum sit ab eis, quibus competit hæc facultas, non ab alijs, Siluc. idem ait excommunicatio septima excommunicatione 14. §. 32. Vers. Tertiò dubitatur, & tenet ex sententia Rosellæ, & Archid. hanc opinionem esse tutiorem, & in praxi seruandam, quia Eucharistia non est sacramentum necessitatis.

Nec obstare inquit, quod Poenitentia nemini sit deneganda, & appellatione poenitentiæ intelligatur Viaticum dicto capitulo Quod in te De Poenitentia, & Remissione. Quia text. in capit. Quod in te intelligitur non esse negandum Viaticum, cui conceditur poenitentia, non tamen valet è contra, vt cuicunque inest facultas administrandi sacramentum poenitentiæ liceat quoque conferre viaticum, quia non sunt paris necessitatis.

Ex opposito alij dicunt non tantum Baptismum, & pœnitentiam licitè recipi posse in articulo mortis ab excommunicato, & præciso, sed etiam sacramentum Eucharistiæ.

Quod his rationibus persuadere nituntur. Primò; quia Regula est generalis, vt quoties tempore necessitatis iure permittitur sacramentum pœnitentiæ, intelligatur etiam permissum sacramentum Eucharistiæ, sed in articulo mortis conceditur, vt licitè sacramentum poenitentiæ recipi possit à ministro excommunicato denunciato, & hæretico, vt probatum est, ergo in eodem articulo sine peccato poterit conferri sacramentum Eucharistiæ ab eodem Ministro præciso, Maior propositio huius argumenti colligitur ex cap. Quod in te de Pœnit. & Remiss. ibi *In illo verbo, per quod Pœnitentiam Morientibus non negamus, Viaticum etiam quod verè Pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, vt nec ipsum Decedentibus denegetur.* Quibus verbis Innocentius tertius declarat dispositionem Iuris Antiqui circa administrationem sacramentorum tempore interdicti Duo enim sacramenta tantum ex omnibus permittebantur, Baptisma scilicet Paruulorum, & Poenitentia Morientium, inquit igitur Innocentius nomine poenitentiæ intelligi debere etiam Viaticum, quod verè Poenitentibus conceditur; hinc desumitur Regula, quod in quocunque casu permittitur facultas administrandi sacramentum Poenitentiæ in articulo mortis, intelligitur etiam facultas concessa administrandi sacramentum Eucharistiæ, Dico in articulo mortis, quia extra talem necessitatem hæc regula non habet locum, nàm, vt annotat Glo. in capit. Alma Verb. Admittantur de sententia excommunicationis libr. 6. tempore interdicti ministrari potest sacramentum Poenitentiæ sanis non constitutis in discrimine vitæ, Minimè autem Eucharistia, ideo rectè cap. Quod in te inquit per Pœnitentiam intelligi non simpliciter Eucharistiam, sed Viaticum, quod datur his, qui sunt in via egrediendi ex hoc sæculo, idem confirmat Glos. in eodem cap. Quod in te Ver. Concedimus, scilicet Duo semper sacramenta tempore generalis interdicti concedi consueuisse, nempe Baptisma paruulorum, & Poenitentiam Morientium, in qua intelligitur Viaticum, & concludit, quod licèt non sit sacramentum

necessitatis, & vult significare non esse simpliciter necessarium, sicut alia duo, tamen concedendum est Morientibus.

Secundo ad eandem opinionem probandam facit necessitas Sacramenti Eucharistiæ, quod licèt non sit ità simpliciter necessarium, sicut sunt Baptismus, & Pœnitentia, est tamē necessarium, vt colligitur ex illis verbis, *Nisi manducaveritis carnem filij hominis &c* Ex quibus aliqui Doctores colligunt esse necessarium necessitate medij, saltem certum est esse necessarium necessitate præcepti Iuris diuini, & semper obligare in articulo mortis, Sed præceptum diuinum per se loquendo, præferendum est humano, quo prohibemur abstinere à communicatione cum excommunicato, præsertim in rebus sacris.

Tertio, si quis grauiter, vel saltem extremè indigeat cibo corporali, potest licitè illum accipere ab Excommunicato & Excommnicatus illum indigenti elargiri potest. Prohibitio enim generalis ecclesiastica de cauendo à consortio Excōmunicati inter alias exceptiones includit hanc, quod hæc prohibitio cessat, vbi vtilitas, vel necessitas non solum alterius, sed ipsius Excommunicati est causa communicationis, vt constat ex illo versiculo *Vtile, lex, humile, Res ignorata, Necesse*. Ergo eadem causa vtilitatis, aut necessitatis debet excusare, si Infirmus in extremo vitæ periculo positus indigeat spirituali cibo Eucharistiæ.

Confirmatur, quia non est verisimile Ecclesiam priuare suos fideles tanto beneficio in extremo articulo mortis, præsertim quia prohibitio Ecclesiæ lata est in odium Sacerdotum excommunicatorum. Quarè non debet afferre incomodum bonis fidelibus, sed ex huiusmodi administratione tempore extremæ necessitatis nullus fauor prouenit Ministro excommunicato, sed solum consequitur commodum fidelis indigēs sacramento. Quare regulariter scclusõ scandalo publico, aut iniuria, & infamia Religionis, & fidei Catholicæ, aut periculo alterius mali, quod timeri possit probabiliter, si inducatur Minister excommunicatus, per se loquendo, non erit peccatum recipere Eucharistiam à sacerdote, excommunicato præciso in articulo mortis; neque ex tali administratione, si aliàs sit dignè dispositus, ipse sacerdos culpam aliquam incurrit. Hæc ad confirmandam hanc sententiam afferri possunt.

Vtraque opinio relata videtur probabilis, & defendi potest atque nititur non leuibus fundamentis; mihi tamen magis probatur prima opinio, cui libentius adhæreo, licèt secunda sit valdè pia, & fauorabilis; arbitror itaque sacramentum Eucharistiæ non posse recipi in articulo mortis à sacerdote excommunicato, denunciato, & non tolerato ab Ecclesia, & censeo non esse parem rationem de hoc sacramento, sicut de sacramento Baptismi, & Pœnitentiæ.

Hanc conclusionem præterea, quæ ad eam confirmandam adduximus, maximè probat hæc ratio; nimirum quod ab ipso iure prohibemur simpliciter communicare cum excommunicato præcisò ab Ecclesia, & non tolerato in participatione sacramentorum, nisi in casibus ab eodemmet Iure concessis, vt probatum est in capitulo secundo, sed ius duo tantum sacramenta excipit in extrema necessitate, Baptismum scilicet, & Pœnitentiam, vt vidimus, & nullibi legitur excepta Eucharistia, ergo non debemus nos concludere sub hac exceptione Eucharistiam maximè cum non conspiciatur eadem ratio necessitatis in Eucharistia, propter quam debeat permitti in articulo mortis, sicut in Baptismo, & Pœnitentia.

Si quis dicat excipi etiam Eucharistiam ab illa prohibitione generali in cap. Quod in te. De Pœnitentia, & Remissione. Vbi Innocentius Tertius vult vt nomine pœnitentiæ intelligatur etiam Viaticum, idem in capitulo Permittimus de sententia excommunicationis.

Respondendum est Primò vt inquit Siluest. excommunicatio septima, excommunicatio decimaquarta, §. 32. in fine in dicto capitulo. Quod in te. tractari de Recipiente sacramentum, non de Administrante, & firmatur regula, Cui potest tradi Pœnitentia, potest etiam exhiberi Eucharistia, sed non cogimur idem asserere de Ministro, vt à quocunque possumus recipere Pœnitentiam, liceat etiam assumere Eucharistiam, illud primum est in iure expressum, minime hoc secundum, & vt dicit Siluest. Aliud est hoc in iure haberi, aliud est hoc deduci à Iure argumento à simili.

Secundo dicendum est in capitulo. Quod in te. Permitti quidem tempore generalis interdicti Morientibus posse pœnitentiam, & Eucharistiam ministrari, sed inde non est inferendum hæc sacramenta ab excommunicato ministro recipi posse, nam grauior censura est excommunicatio, & plures, ac detestabiliores effectus parit quàm Interdictum, & aliquando supponuntur Interdicto innocentes, cum excommunicatio nunquam incurratur sine peccato lethali cum contumacia, idcirco quod permittitur interdicto, non necessario intelligitur concessum excommunicato, & patet ex cap. Alma de sent. excomm. lib. 6. Vbi interdicti viuentes, & sani admittuntur ad sacramentum Pœnitentiæ, non autem excommunicati, nisi in mortis articulo.

Tertiò dici potest Innocentium Tertium ibi non asserere appellatione pœnitentiæ intelligi de iure Eucharistiam, hoc enim non est verum, quoniam, vt supra monui ex sententia Abb. sunt diuersa, & distincta sacramenta, & vnum non continetur in alio, sed inquit solum, quod ipse vult, vt in illo casu sub pœnitentia accipiatur Eucharistia, hoc patet, cum ait, *In illo verbo, per quod Morientibus pœnitentiam non negamus, viaticum intelligi volumus*. Itaque in Pœnitentia non comprehenditur viaticum ipso Iure, sed voluit Summus Pontifex, vt in illo casu speciali sub pœnitentia intelligatur Eucharistia, ergo hæc Constitutio non est extenda ad alios casus, in quibus hoc non habetur expressum.

Ad eandem conclusionem firmandam facit auctoritas Glos. in capitulo. Non est vobis Ver. Baptismum Paruulorum de Sponsal. quæ asserit duo sacramenta tantum, quia sunt sacramenta necessitatis, posse in articulo mortis recipi etiam ab Hæretico, scilicet Baptismum, & Pœnitentiam, Ergo hæc permissio non habet locum in Eucharistia, quod maximè comprobatur illustri illo exemplo Regis Ermenegildi, quod refertur ex D. Gregorio in cap. vlt. 24. q. 1. qui de manu Hæretici communionem recipere recusauit.

Quæ verò contra hanc sententiam opponebantur solui possunt; ad duo prima argumenta quid sit respondendum ex dictis colligitur.

Ad tertium sumptum ex similitudine corporalis neces-

necessitatis, in qua sine peccato possumus cibum corporalem accipere ab excommunicato, dicimus ex illo argumento solum probari, quod sicut quando quis laborat extrema indigentia ad tuendam vitam corporalem, ne pereat, cibum accipere potest ab excommunicato, ita quoque & multò magis licitè in articulo mortis ad consequendam gratiam, quæ est vita spiritualis animæ, & ad euitandam æternæ mortis damnationem recipere posse sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, quæ sunt sacramenta necessitatis simpliciter per se instituta à Christo ad conferendam primam gratiam, quæ ratio cessat in Eucharistia. A

Ad confirmationem respondeo non esse confugiendum ad coniecturas, vt cognoscamus, qualis fuerit voluntas Ecclesiæ circa prohibitionem communicandi cum excommunicato in participatione sacramentorum, vbi ex sacris Canonibus illam legimus expressam, sed iam probatum est permissam esse facultatem ab ipso iure in articulo mortis recipiendi ab excommunicato Ministro solum sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ, & talem potestatem denegatam esse de Sacramento Eucharistiæ, vt patet capitulo Subdiaconus §. sed illud 24. quæstio prima, & ex alijs adductis supra, ergo non licet nobis aliud asserere. B

Qui verò tuentur contrariam opinionem, quæ non est improbabilis, ad hunc modum conantur respondere ad ea, quæ adduximus in contrariam partem. C

Ad exemplum, quod adducitur ex facto Ermenegildi Regis respondent recusasse Ermenegildum sumere Eucharistiam, nè Patri in Hæresi Arriana consentire videretur, accipiendo sacramentum Eucharistiæ ab Episcopo, qui Arriana hæresi infectus erat, nam in signum huius consensionis, & reconciliationis illa communio ad Ermenegildum mittebatur, & id patet ex verbis text. *Perfidus Pater Arrianum Episcopum misit, vt de eius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad Patris gratiam redire mereretur*. Eadem verba repetuntur cap. Superueniente 1. quæst. prima. Noluit igitur recipere Eucharistiam, ne Arriano Episcopo faueret, ne sic videretur hæresim illius approbare, ad hanc enim finem missus erat à Patre ille Episcopus, & hoc casu neque sacramentum Baptismi ab Hæretico recipiendum esset, quando talis receptio fieri non posset sine iniuria fidei Catholicæ, aut infamia Religionis Christianæ, vel cum periculo scandali, & indecentiæ. D

Ad cap. Subdiaconus §. Sed illud ex Beato Augustino eadem cau. & quæstione respondent ibi concedi facultatem tantum recipiendi Baptismum ab Hæretico, alia sacramenta excluduntur. Quarè si ex illo textu probare volumus Eucharistiam non esse sumendam ab excommunicato præciso; idem quoque pari facilitate probabitur de sacramento pœnitentiæ, cuius oppositum iam definitum est, sicut igitur textus ille non repugnat, quominus excipi debeat sacramentum Pœnitentiæ, similiter non obstabit, vt eodem modo excipiatur sacramentum Eucharistiæ fauore salutis Animarum. E

Sed dubitari potest hoc in loco; postquam iuxta sententiam illorum Doctorum, quam sequimur tanquam magis Iuri consonam sacramentum Eucharistiæ non potest licitè sumi in articulo mortis ab excommunicato sacerdote præciso; an saltem supposita huiusmodi necessitate possit infirmus, nè moriatur absque hoc sacramento, quando alius sacerdos non adsit, sumere Eucharistiam à Diacono, vel ab alio Clerico inferiori, aut etiam laico. Ratio dubitandi esse potest, quoniam olim viguit hæc consuetudo in Ecclesia, vt Diaconi dispensarent hoc sacramentum, præsertim quoad speciem sanguinis quando Populus sub vtraque specie communicabat, vt patet ex Sancto Clem. libro octauo Constit. cap. 2. & ex verbis Cipriani lib. De Lapsis circa fin. & seruatur hodie in Capella Pontificia, Papa enim solemniter celebrante, Corpus Christi propriis manibus accipit, deindè Cardinalis Diaconus ei sanguinem ministrat, immò Durandus in quarto distinct. decimatertia quæstio quarta, refert sæpius vidisse, cum eidem solemni Missæ Pontificiæ assisteret, quando Cardinales Diaconi communicant de manu Papæ, absoluta communione Cardinalium, vnum ex Diaconis Cardinalibus propriis manibus assumere Corpus Christi, & ministrare Clericis Capellæ, ergo Diaconus potest non tantum ministrare sanguinem tangendo calicem, sed etiam Corpus, propriis manibus illud distribuendo, quia etiam apud Iustin. Apolog. 2. pro Christianis circa fin. Legimus interdum per Diaconos vtranque speciem fuisse ministratam, & saltem vrgente necessitate Diaconum accepta potestate ab Episcopo, vel Presbytero ministrasse Corpus Domini constat ex Concilio Niceno cap. decimoquarto. Arelat. capitis & clarius Carthag. 4. capit. 38. his verbis: *Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget*.

Respondeo supposita consuetudine Ecclesiæ, & praxi huius temporis, vt hoc sacramentum soli Sacerdotes per se ipsos dispensent, non licere extra casum necessitatis illud recipere à Diacono, & multo minus ab Inferiori Clerico, aut Laico, sed stante articulo mortis Sacerdotem excommunicatum, si non sit alius Sacerdos, posse facultatem dispensandi illud committere Diacono, non alteri Clerico inferiori, neque laico. Ratio est, quoniam dispensatio huius sacramenti ex officio solis Presbyteris conuenit Iure diuino, ideo in capitulo Peruenit De Consecratione distinctione secunda dicitur: *Modis omnibus Presbyter per semetipsum, infirmum communicet, quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subiacebit*. & ità dicunt omnes Theologi, Sanctus Thomas in quarto distinctione decimatertia quæst. prima, artic. 3. Riceardus artic. 1. quæst. 3. Durandus quæst. 4. Palud. quæst. 2. art. quarto. Et hoc statutum est in Concilio Tridentino sessione 13. cap. 8. Vbi dicitur ex Apostolica traditione descendere, vt laici à sacerdotibus communionem accipiant, nàm semper hic mos fuit in Ecclesia obseruatus; igitur qui non est Sacerdos caret potestate dispensandi hoc sacramentum, Sacerdoti verò quamuis Iure diuino conueniat hæc facultas, non tamen eodem Iure præcipitur, vt per se ipsum hanc potestatem exerceat, & executioni mandet, vt non possit ad hoc vti opera, & ministerio aliorum, saltem in casu necessitatis, sed id relictum fuit dispositioni Ecclesiæ, quod probat antiqua consuetudo de Diacono, ergo quando sacerdos est excommunicatus non toleratus, vel alio modo impotens, & non potest subdito in articulo mortis constituto ministrare hoc sacramentum, neque adsit copia alterius

terius Sacerdotis, si reperiatur Diaconus, poterit hoc officium ei committere c. Diaconi 93. distin. & c. Præsente, quamuis hic casus cum his conditionibus vel nunquàm, vel rarissimè accidere poterit.

Sed petet aliquis, si Parochus excommunicatus nolit hoc munus committere Diacono, sed velit ex sua prauitate, & malitia deserere infirmum, vt sine Viatico pereat; an in tali casu liceat Diacono sine consensu Parochi ministrare hoc sacramentum, & occurrere indigentiæ spirituali infirmi morientis.

Silue. Ver. Diaconus §. 4. tenet Diaconum posse dispensare in extrema necessitate sacramentum Eucharistiæ absente Presbytero, & non expectato eius mandato, si imminet periculum, sed præsente Presbytero negat id fieri posse sine eius mandato, & multò minus ipso prohibente contra sententiam aliquorum & ratio est, quia Diaconus non habet potestatem ratione sui ordinis præsente sacerdote administrandi hoc sacramentum, nisi facultate accepta à Presbytero, quare est minister sacerdotis, & instrumentum ipsius, sed instrumentum non mouetur nisi à principali Agente, Dominicus Sotus in distinctione 13. quæst. 1. artic. Vers. Contra tertiam conclusionem oppositam censet probabilius; nempè in articulo mortis, quando præsens Sacerdos recusaret ex negligentia, vel ex malitia sacramentum deferre, licere Diacono etiā repugnante sacerdote fungi munere Sacerdoti. Et hoc videtur probabilius, quoniam in tali casu non esset habenda ratio præsentiæ sacerdotis abutentis contra omnem rationem sua potestate in tam graue detrimentum Animæ ipsius Proximi, & sufficeret tunc voluntas interpretatiua Episcopi, vel Papæ, aut Iuris communis, vel tandem Christi, quod est intelligendum, dummodo cesset omne scandalum, & verè constet de iniqua voluntate sacerdotis, si enim haberet iustam causam denegandi potestatem administrandi sacramentum Eucharistiæ, non posset Diaconus contra voluntatem Presbyteri illud conferre Infirmo; quod si nullus adesset Diaconus, tunc Sacerdos excommunicatus non posset committere Subdiacono, aut simplici Clerico, vel laico, vt Eucharistiam conferret in articulo mortis cap. Peruenit De Consecr. distinct. 2. & nunquam legimus oppositum seruatum fuisse; nam quamuis laicus occurrente necessitate possit hostiam consecratam tangere, puta si eleuaret ex luto absente Sacerdote, & non peccaret, immò esset actus debitæ reuerentiæ, tamen non potest hostiam consecratam dispensare; ad hoc enim requiritur Minister consecratus; ad tangendum autem non est necessaria consecratio; vnde Pyxis, & Vas, in quo conseruatur Eucharistia, non consecratur, neque benedicitur, Silue. Eucharistia 3. §. 5.

CAPVT V.

An detur casus necessitatis, in quo ab Excommunicato Ministro recipi possint absque peccato alia quatuor Sacramenta, quæ non sunt simpliciter necessaria ad salutem, nempè Matrimonium, Ordo, Extrema Vnctio, & Confirmatio.

DICTVM est de tribus Sacramento, scilicet Baptismo, Pœnitentia, & Eucharistia, quæ sunt ad salutem magis necessaria; remanent alia quatuor, de quibus dubitari contingit; atque, vt hanc difficultatem clarius explicemus de singulis dicendum est.

Et in primis quæri potest de Matrimonio; an dari possit casus, in quo sine peccato Coniugibus permissum sit contrahere Matrimonium præsente Parocho excommunicato, non tolerato, & an talis Parochus assistens matrimonio committat peccatum, vel excusetur ratione necessitatis ipsorum Contrahentium.

Ad hanc quæstionem respondendum est Rem carere omni difficultate; nam certum est nullum committi peccatum ex causa communicationis cum excommunicato in participatione Sacramenti, si Contrahentes celebrent Matrimonium præsente Parocho excommunicato, non solum quando matrimonium contrahatur ex vrgente aliqua causa euitandi periculum, vel malum imminens, sed etiam si spontè fiat, & cesset omnis necessitas.

Probatur; quia Parochus assistens Matrimonio non est Minister Matrimonij, sed ipsi Contrahentes gerunt vicem Ministri; nam actio Ministri est forma sacramenti, & cum actio Contrahentium, scilicet Accipio te in meam, & è contra sit forma sacramenti Matrimonij, profectò non Sacerdos, sed Contrahentes erunt sibi inuicem Ministri cap. Licet De Sponsa. Duo. & quando Concilium Tridentinum sessione vigesima quarta cap. 1. De Reform. dicit Nullum esse matrimonium, nisi præsente sacerdote, &c. intelligitur quantum ad validitatem Contractus matrimonialis; quare si Parochus assistens non est Minister Matrimonij, igitur non peccant Contrahentes, quia non recipiunt sacramentum ab huiusmodi ministro, neque Reus est culpæ ipse Parochus propter eandem rationem, quia non administrat sacramentum, sed ipsi Contrahentes, qui subeunt vicem Ministri, peccant, si excommunicatione alligati celebrant sacramentum Matrimonij. Neque etiam considerari potest peccatum in hac matrimonij celebratione ex parte Coniugum, & Parochi excommunicati, quia intercedat participatio in actione sacra cum Excommunicato non tollerato contra prohibitionem Ecclesiæ, quia cum ex decreto Concilii Tridentini loco citato assistentia proprii Parochi sit necessaria ad validitatem Matrimonii, excusantur Contrahentes ex causa necessitatis, si inducant Parochum ad assistendum, & Parochus excommunicatus assistens caret etiam culpa, quia communicat in re necessaria attinente ad suum munus.

Dices, saltem Parochus non erit immunis à crimine, si præsumat benedicere sponsos ad præscriptum Concilii Tridentini illis verbis, *Ego vos coniungo, &c* Hæc enim benedictio videtur actus iurisdictionis.

Respondeo fortasse hunc actum posse habere rationem alicuius culpæ, si dicamus requirere Iurisdictionem, cum Iurisdictio tota Parochi per Excommunicationem sit suspensa; non tamen excedet venialem culpam, quia non sequitur præiudicium alicuius, & res est parui momenti, nec necessaria ad sacramentum, & si omitteretur, esset veniale peccatum. Excommunicatus verò tantum peccat mortaliter, vsurpando iurisdictionem, quando immisceetur aliqua iniustitia, vt docet Caietanus in summa V. Excōmunicatio Titulo Excommunicato plura sunt illici-

illicita; quod si talis Parochus excommunicatus non toleratus concederet alteri Sacerdoti licentiam assistendi, & benedicendi sponsos, nullo modo peccaret, quia ibi nullam exercet iurisdictionem, sicut exerceret actum iurisdictionis si daret alteri facultatem audiendi Confessionem quamuis Siluest. teneat etiam posse Parochum excommunicatum tradere facultatem alteri sacerdoti audiendi confessionem sui subditi, & administrandi extremam Vnctionem infirmo, Verb. Vnctio §. 4. De qua re inferius dicam fusius.

De alijs tribus sacramentis est aliqua ratio dubitandi; an occurrere possit casus necessitatis, in quo permissum sit illa petere ab excommunicato Ministro, non tolerato, illa enim neque sunt media necessaria ad salutem, neque de eorum susceptione vllum est impositum præceptum; nàm de sacramento Ordinis certum est nullum extare præceptum diuinum, vel Ecclesiasticum, De Extrema Vnctione, & Confirmatione res est dubia ad vtranque partem.

Respondendum est de sacramento Ordinis non posse excogitari casum, moraliter loquendo, in quo sit licitum recipere ordines ab Episcopo excommunicato non tolerato ab Ecclesia.

Probatur primo; quoniam sacramentum Ordinis non est medium necessarium ad salutem quoad singulos homines, vt inquit Sanctus Thomas 3. parte quæst. 65. art. 4. sed respectu Corporis Ecclesiæ, sine sacramento enim Ordinis Hierarchia Ecclesiæ consistere non potest, neque alia Sacramenta confici possunt vel simpliciter, vel modo debito, & hoc modo intelligendum est Concilium Tridentinum sessione septima cau. 4. cum inquit, omnia sacramenta necessaria esse ad Hominum salutem; Cum igitur Ordo non sit medium necessarium simpliciter ad salutem, nulla potest occurrere necessitas, quæ possit excusare à peccato, si recipiantur ordines ab Episcopo excommunicato; nec de hoc sacramento est impositum aliquod præceptum, quod singulos obliget ob eandem rationem, quia singulis non est necessarium.

Secundò probatur ex cap. 1. De Ordin. ab Episc. qui Episcop. renunc. Vbi id expresse prohibetur, ibi, *sanè si ab eodem sacros Ordines scienter quis receperit, quia indignum se fecit, executionem officij non habebit, vbi autem non scienter, poterit, nisi crassa, & supina fuerit ignorantia, discretus Pontifex dispensare*, licet enim ordinatus ab Episcopo excommunicato recipiat characterem, non tamen recipit executionem ordinis, ideo remanet irregularis, & indiget dispensatione, quamuis ignorauerit Episcopum esse excommunicatum, vt dicitur cap. Cum Clericis eodem titulo.

Sed contra opponit Glosa in eodem capitulo. Cum Clericis Ver. excommunicato ex cap. 1. quæst. 1. Vbi nullo modo dicitur consecratio illa, quæ ab excommunicato est celebrata; respondet non vocari consecrationem quantum ad executionem, quia ordinatus priuatus est executione ordinum; nemo enim dare potest id, quod non habet, cum Episcopus excommunicatus careat executione ordinum, non potest illam ordinatis communicare cap. Perfectionem 1. quæst. 1. cap. Quomodo de Consecr, distinct. 4. & eodem modo respondet Abbas in dicto capitulo Cum Clericis num. 3.

Hin sequitur nullum posse dari casum, in quo sine peccato recipere liceat ordines ab excommunicato A Episcopo non tolerato, quia si Episcopus excommunicatus non potest tradere executionem ordinum, peccat, qui ab illo contra prohibitionem Ecclesiæ ex quacunque causa ductus ordines recipere præsumpserit.

Rursus obijcitur; quoniam non videtur committere peccatum, qui ignoranter ab huiusmodi Episcopo excommunicato recipit ordines; quia probabilis facti ignorantia quemlibet excusat l. error 1. Regula ff. de iu. & facti igno.

Respondendum est, quod si ignorantia fuit inuincibilis, vtiquè ordinatus excusatur à peccato, quia talis ignorantia tollit voluntarium, sine quo actus non imputatur ad peccatum, sed adhuc ordinatus B ignoranter hoc modo caret executione ordinum, & indiget dispensatione; quoniam, vt inquit Glos. in cap. 1. Ver. Ignoranter de Ordin. ab Episcop. qui renunc. Episcop. & clarius ibi Abb. numero sexto. In bis, quæ proueniunt ex defectu potestatis ignorantia, vel scientia nihil operatur, quando est singularis, quia non supplet defectum potestati; & ideo Episcopus excommunicatus, carens executione ordinum, non potest illam alteri tribuere cap. Daibertum 1, quæst. 7. Vnde probabilis ignorantia suscipientis excusat à dolo, sed non tribuit, quod causa efficiens dare nequit, & hoc modo ordinationes factæ ab excommunicatis, & Schismaticis dicuntur irritæ cap. 1. De C Schisma. vt inquit Siluestr. Verbo Irregularitas, §. nono.

Dispensat Episcopus cum ignoranter ordinato, vt in eodem capitulo Cum Clericis; sed si scienter recipit ordines, solus Papa dispensat, vt ibi Glos. specul. in tit. De Dispens. §. iuxta Vers. Item recipiens, Siluest. Verb. Irregularitas §. 10. in fin. Requiritur in sciente dispensatio Papæ, quia sicut ipse excommunicatus ministrans à solo Papa est dispensandus Glo. in c. Episcopus dist. 50. Ità qui sciens ab eo ordinatur, fit particeps eiusdem delicti, & consequenter eadem irregularitate notatur cap. vlt. De Apost. sicut & qui ministrat Rebaptizanti cap. 2. De Apost.

Et hanc irregularitatem incurrit etiam, qui per D vim conditionalem, aut metum fuit ab Episcopo ordinatus; debuit enim ferre omnia aduersa, potius quam excommunicato communicare in ordinibus suscipiendis capit. Inquisitioni De Sententiis excommunicationis Siluest. Excommunicatio 5. §. 14. & ordo 3. §. penultimo, secus verò si per vim, & violentiam simpliciter illatam ordinaretur, tunc enim nec characterem reciperet cap. Maiores §. Si autem De Baptismo, Glo. in cap. Si qui à Simoniacis Ver. Si qui in fin. 1. quæst. 1. Hoc tempore, si crimen est occultum, Episcopus potest dispensare ex priuilegio Concilij Tridentini sess. 24. cap. 6. De Reform.

Hæc autem Irregularitas hoc tempore post Concilium E Constantiense non incurritur, nisi quis ordinatus fuerit ab Episcopo excommunicato altero ex duobus modis, quem tenemur euitare ad præscriptum Constitutionis dicti Concilij, vt notat Silue. V. Irregularitas, §. 9. in fi.

Si quis contra obijciat c. Si qui à Simoniacis 1. q. Vbi Ordinatus ab Episcopo Simoniaco, etiamsi non sit præcisus, sed occultus non recipit executionem, sicut Glos. intelligit illum textum, ergo idem dicendum erit de ordinato ab Episcopo excommunicato occulto.

Respondeo negando consequentiam, nam Concilium

lium Constantiense temperauit Ius commune fauore fidelium, vt non peccarent, neque incurrerent pœnas latas à sacris Canonibus, si communicarent cum excommunicatis in quocunque genere actionis, siue sacræ, siue communis, si non essent excommunicati ex illo duplici genere, non tamen innouauit Ius antiquum quoad ea, quæ in specie statuta erant de quibusdam excommunicatis ob aliqua crimina enormia, & detestanda, sicut statutum fuit de Simoniaco, in odium enim huius adeo damnati criminis Ecclesia decreuit iuxta interpretationem Glos. citatæ, vt Ordinatus etiam ignoranter, & sine culpa ab Episcopo Simoniaco occulto in ordine non consequatur executionem, & indigeat dispensatione. Quæ tamen dispositio particularis in hoc casu non habet locum in quocunque Ordinato ab Episcopo excommunicato, si sit occultus non præcisus ab Ecclesia.

Quæret quis, si ordinatus ignoranter ab Episcopo excommunicato, dignus est dispensatione, & dispensari potest per Episcopum iuxta textum in dicto cap. Cum Clericis de ordin. ab Episc. qui Episc. renunc. An huiusmodi dispensationem concedere possit idemmet Episcopus, qui ordinauit.

Respondet Abb. in eodem c. num. 4. vbi proponit hanc dubitationem, & duas tradit responsiones, Prima est hanc dispensationem dari non posse ab illo Episcopo, qui contulit ordines arg. c. Diuersis de Cler. Coniug. sed esse concedendam à successore ipsius Delinquentis; secunda responsio est, quod idemmet Episcopus possit dispensare, postquàm pœnitentiam egerit, & absolutus fuerit, & hoc videtur probabilius, quod exemplis confirmari potest; nam Mandatarius, qui crimen commisit de mandato sui Parochi, potest ab eodem absolui. Similiter Parochus potest impendere absolutionem fœminæ, quam carnaliter cognouit, vt notatur §. fin. 3. quæst. 8. Licèt magis deceat, vt remittat illam ad alium Confessarium ob maiorem erubescentiam cap. Quem pœnitet de Pœnitent. dist. 1.

De Extrema Vnctione dubium esse potest; nam licet non sit necessaria ad salutem, sed vtilis, tamen Parochus tenetur eam administrare infirmo ex officio, quia non solum Parochus tenetur ministrare necessaria ad salutem, sed etiam ordinaria remedia, quæ Christus fidelibus reliquit, & ex communi consuetudine, & more Ecclesiæ ab omnibus procurantur, quando opportuno tempore, & secundum rectam rationem petuntur; vnum autem ex his est hoc sacramentum, quando petens graui infirmitate premitur, & quasi viribus est destitutus. Igitur propter hanc causam non videtur mens ipsius Ecclesiæ fuisse velle priuare Parochum excommunicatum iurisdictione, vt tali necessitate occurrente non possit sine peccato administrare hoc sacramentum, ergo multò minus petens peccabit, quia non cooperatur ad peccatum alterius, & hæc est communis opinio Theologorum in 4. distinct. 28. & ita sentiunt Summistæ in V. Vnctio, Victo. in summa num. 145. Nauar. in Manua. cap. 25. num. 131.

Quarè propter hanc rationem putant Parochum excommunicatum posse administrare hoc sacramentum ob necessitatem Infirmi, nè sine hoc sacramento decedat, & ex consequenti non peccare petentem ab eo hoc sacramentum, quia non est verisimile voluisse Ecclesiam hoc prohibere cum tanto discrimine Infirmi.

Verum oppositum videtur probabilius: quia, si Ecclesia non permittit dari, vel recipi hoc sacramentum tempore interdicti cap. Quod in te De Pœnitent. & Remiss. cap. Alma de sent. excomm. lib. 6. Sed tantum concedit Baptismum, Pœnitentiam, & Morientibus Viaticum Franc. eod. cap. Alma in principio num. 3. Anchar. num. 12. multò verisimilius videtur noluisse concedere posse côferri ab Excommunicato.

Confirmatur; nam Extrema Vnctio non est medium necessarium, & an de illa suscipienda habeamus diuinum præceptum, nullibi constat, vt dicebam, & semper supponit sacramentum pœnitentiæ cap. Vt Ieiuni de Consecr. dist. 5. Quare nulla necessitas cogit, vt Extremam vnctionem recipiat infirmus ab excommunicato non tolerato.

Sed dubitari potest, si occurreret casus, vt infirmus in articulo mortis graui morbo correptus non valeret signum aliquod confessionis emittere, vt reciperet absolutionem; minusque esset mentis compos ad illam recipiendam; an tunc sacerdos excommunicatus non toleratus posset extremam vnctionem conferre.

Respondeo, probabiliter dici posse non esse permissam in tali casu facultatem sacerdoti excommunicato ministrandi hoc sacramentum; quia, cum à sacris Canonibus concessum sit in articulo mortis recipere tantùm ab excommunicato duo sacramenta, scilicet Baptismum, & Pœnitentiam, vt probatum est propter illorum necessitatem, ex consequenti intelliguntur alia omnia prohibita l. Præcipimus de Appell. & quamuis occurreret casus, in quo infirmus confiteri non posset, non idcirco conueniret Parocho excommunicato potestas administrandi Sacramentum Extremæ Vnctionis loco pœnitentiæ, cum permissio sit præcisè de Pœnitentia, & de Baptismo.

De suspenso vero ab officio non est eadem ratio, quia hæc censura non priuat vsu ordinis, & administratio huius sacramenti non tàm per se est actus Iurisdictionis, quàm Ordinis; vnde sine illa dari potest ob necessitatem à simplici Sacerdote, vt ait Siluest. Ver. Vnctio §. 4. & citat §. Immò prim. quæst. prima. Quia licet hæc administratio spectet ad proprium sacerdotem ex necessitate præcepti, id tamen non est necessarium necessitate sacramenti, Propterea, si Parochus esset suspensus ab officio, posset hoc sacramentum conferre, minimè autem si excommunicatione esset obstrictus, & eadem ratione censeo non licere Infirmo petere, & recipere hoc sacramentum à proprio Sacerdote excommunicato denunciato, à suspenso autem posse. Verum, quamuis Parochus excommunicatus prohibetur administrare hoc sacramentum, non est tamen priuatus facultate, vt sine peccato liceat ei impertiri licentiam simplici sacerdoti illud ministrandi, quia id potius est permittere, vt alter ministret, quando necessitas cogit, & non est alius, qui habeat potestatem ad hoc ministerium exercendum, vt notat Siluest. V. Vnctio §. 4. ex sententia Archid.

Tandem de Confirmatione idem est affirmandum; quoniam hoc Sacramentum neque est necessarium ad salutem ratione medij, & de præcepto tàm diuino, quàm Ecclesiastico dissentio est apud Doctores, & Beatus Thomas in quarto distinctione septima, quæst. prima articulo primo quæstiuncula secunda, & 3. part. q. 72. art. 12. absolutè negat datum esse aliquod præceptum de hoc sacramento, quia, seclusο contemptu, non est peccatum mortale omittere hoc sacramentum toto tempore vitæ, At, si esset præceptum, volun-

voluntaria omissio esset peccatum mortale. Hoc idē defendunt Sot. in 4. dist. 7. q. vni. art. 8. Vers. Aliud subsequitur asserens hoc esse probabilius, & Adrian. in 4. in materia de Confirmatione art. 1. Angel. V. Confirmationis sacramentum, Nauar. in Manua. cap. 22. nu. 9. Qui tamen dicit esse peccatum veniale negligere hoc sacramentum seclusō contēptu secutus Caietan. in Sum. V. Confirmatio. Idem tenet Couar. lib. 1. Variarum Resolut. cap. 10. nu. 5. Quamuis de veniali nihil dicat; Si igitur nullum est peccatum etiam sponte omittere hoc sacramentum; ergo nullus potest dari casus necessitatis, in quo liceat Episcopo excommunicato denunciato administrare hoc sacramentum, cum per excommunicationem sit priuatus iurisdictione administrandi sacramenta extra casum necessitatis, & propter eandem causam non erit concessum petere hoc sacramentum ab Episcopo excommunicato, esset enim violare praeceptum Ecclesiae, quo interdicitur fidelibus communicatio cum excommunicatis, praesertim in vsu sacramentorum extra necessitatem.

Et re vera id videtur asserendum propter fundamentum allatum; nam licet Sancti, & Pontifices, qui de hoc sacramento loquuntur, explicent vim, efficaciam, & vtilitatem maximam huius sacramenti; nihil tamen dicunt, quod sufficienter indicet praeceptum, & patet ex vsu, & traditione Ecclesiae, qua non inducuntur fideles ad recipiendum hoc Sacramentum tanquàm obligati ex necessitate, sed tanquam inuitati ad id, quod per se bonum est, & vtile; tum etiam quia, si esset praeceptū iure diuino, daretur omnibus adultis in articulo mortis; quod tamē vsus Ecclesiae nō habet.

Neque tamen inde validè inferri potest, si hoc Sa- A cramentum non est necessarium ad salutem, & de eo nullum extat praeceptum; Igitur Episcopus non tenetur ex debito sui muneris illud administrare suis subditis.

Quoniam, vt monebam superius agens de extrema vnctione; pastor tenetur pascere oues non solum in his, quae sunt simpliciter necessaria ad salutem; sed etiam in his, quae ad singularem fidelium vtilitatem à Christo sunt instituta, quae iustè propterea ab ipsis fidelibus peti possunt, tale est sacramentum Confirmationis; quare grauiter delinquere potest Episcopus circa hoc praeceptum, si multo tempore administrare B hoc sacramentum differat, vt notarunt Ang. V. Confirmationis Sacramentum nu. 1. Siluestr. V. Confirmatio diuina §. 2. Quamobrem, cum sacramentum confirmationis non sit necessarium, non careret graui crimine, qui illud postularet ab Episcopo excommunicato non tolerato; neq; talis Episcopus posset tribuere licentiam, vt subditi ab alieno Episcopo susciperent hoc sacramentum, vt eorum vtilitati consuleret, sicut diximus de extrema vnctione; est enim dispar ratio; neq; enim potest occurrere casus necessitatis, in quo sit exercendum sacramentum Confirmationis, sicut est articulus mortis quantum ad extremam vnctionem; itaq; de singulis sacramentis pa- C tet ex dictis, quando ratione necessitatis excusetur petens ea ab excommunicato Ministro, non tolerato.

Iam igitur concludamus hanc disputationem statuentes excommunicatum ità esse priuatum administratione sacramentorum ex constitutione ecclesiastica, vt & ipse administrando, & alius inducendo eum ad administrandum graui culpa teneantur.



DE EODEM SECVNDO EFFECTV EXCOMM· MAIORIS·



QVONIAM, vt dicebam initio superioris disputationis, duo quęri possunt circa prohibitionem Ecclesiae, ne Minister excommunicatus possit ministrare sacramentum. Primum est de peccato ipsius Ministri, & aliorum, qui ab eo recipiunt sacramenta, de quo pertractatum est; secundum est de validitate sacramentorum, quę conferuntur ab excommunicato. De qua re inquirendum est praesenti disputatione.

DISPVTATIO OCTAVA
De validitate sacramentorum, si conferantur ab excommunicato Ministro.

CAPVT I.

An teneat, & sint valida sacramenta collata ab excommunicato non tolerato, & suum sortiantur effectum, si loquamur in genere de sacramentis.

FVit error olim Asserentium Hereticos, Schismaticos, & deniq; omnes praecisos ab Ecclesia non posse conficere sacramenta, & illa conferre, vel saltem sacramenta ab illis collata nullum habere effectum, quia

quia qui sanctus non est, non potest alium sanctificare.

Sed veritas Catholica docet valorem, ac veritatem sacramenti non pendere ex fide, vel sanctitate Ministri; quare sacramentum datum à Ministro ab Ecclesia præciso validum esse, dummodo reliqua omnia necessaria concurrant; & est assertio de fide.

Id colligitur in primis ex Concilio Carthaginensi 1. cap. 1. Vbi hoc sensu dicit Rebaptizationem esse prohibitam contra Donatistas; idem clarius fuit definitum in Concilio Aureliano 1. cap. 8. & in Concilio Constantiensi sess. 8. damnatur quatuor articuli Io. Vicleph. & 18. Io. Hus, in quibus iste error continebatur, ac deniq; Conc. Tridentinum sess. 7. can. 4. De sacramentis in genere docet Baptismum posse dari ab Hæretico.

Probatur secundò quoniam Sacerdos excommunicatus retinet characterem ordinis Sacerdotalis, qui indelibis est, ergo retinet potestatem conficiendi sacramenta, ergo si velit illa conferre, & veram formam proferat, ac debitam materiam adhibeat, verum sacramentum perficiet, vt dicunt B. Augustinus lib. 2. contra Parmen. cap. 13. & Hieron. Dialog. contra Luciferianos.

Non est enim dubium Christum potuisse ità instituere, vt potestas Sacerdotis ad conficienda sacramenta non solum vt legitimè, & sine peccato illa administraret, sed etiam quantum ad validitatem sacramentorum penderet ex auctoritate Ecclesiæ, vt penes Ecclesiam auctoritas esset, quando ità expediens iudicaret tollendi iurisdictionem ab ipso sacerdote, vt non posset sacramenta administrare, etsi tentaret, nihil efficeret; noluit autem Christus sacramenta ità instituere, sed fuit maxime conueniens absolutam tribuere potestatem suis Ministris ad conficienda sacramenta, promittendo illis, suum necessarium concursum independeret ab Ecclesia, præsertim cum ista potestas conficiendi, & administrandi sacramenta sit ex genere eorum bonorum, quæ propter aliorum vtilitatem dantur, non in commodum ipsius Ministrantis.

Neq; solum hæc assertio vera est de ipsis sacramentis, sed etiam de effectu sacramentorum, sicut enim Minister excommunicatus de facto verum sacramentum conferre potest, ità etiam dare potest effectum sacramenti, si Recipiens non ponat obicem, vt explicat Alex. Alens. 4. par. q. 16. mem. 3. art. 1.

Et primo de effectu characteris res est clara; nam ideo Baptismus datus ab Hæretico iterari non potest, quia Characterem indebilem imprimit. De effectu verò gratiæ, regula est de fide sacramenta dare gratiam non ponentibus obicem ex Concilio Tridentino sess. 7. can. 6. & 7. sed sacramenta data ab Excommunicato sunt vera sacramenta, vt probatum est, ergo conferũt gratiam, nisi ponatur obex.

Et idcirco recipiens sacramentum ab excommunicato scienter non recipit effectum sacramenti, quia ponit obicem, facit enim contra prohibitionem Ecclesiæ, intercedentis omnem communicationem cum excommunicato, præsertim in sacramentis; vnde si quis probabiliter ignorans recipiat sacramentum ab excommunicato, & cætera requisita non desint, consequitur gratiam, sicut diximus supra in cap. 5. Disp. 6. De Recipiente excommunicato, & patet euidenti exẽplo De paruulo baptizato ab excommunicato, vel hæretico, qui si moriretur, absq; dubio esset saluus, alioqui vel baptizandus esset à Catholico, prius quam obiret, vel remaneret omni remedio destitutus.

Vtrumq; est absurdissimum, & Hæreticum asserere; non igitur recipit solum sacramentum, sed effectum sacramenti, & sanctificationem, quia non posuit obicẽ; ergo idem est dicendum de quocunque alio, quando non ponit obicem.

Sed obiicere posset aliquis, Excommunicatus, vt superius statutum est, non est membrum Ecclesiæ, ergo non potest operari vt Minister Ecclesiæ; nam Corpus non operatur nisi per membra sua, ergo non potest conferre sacramenta; nam Ministri sacramentorum operantur vt membra Christi, & Ecclesiæ.

Respondeo, quamuis excommunicatus non sit mẽbrum Ecclesiæ corpore, & numero (vt ità dicam) quia priuatus est bonis illis spiritualibus, quæ sunt communia omnibus fidelibus; nihilominus quando tentat cõferre sacramentum, se gerit vt Christi Minister; nam Christus non solum per membra sibi coniuncta, sed etiam abscissa operatur, eisq; vtitur in suæ Ecclesiæ vtilitatem, & in hoc sensu ait B. August. in lib. 1. De Bapt. cap. 10. Christum assistere hæretico homini conferenti sacramentum iuxta ritum ab ipso institutum propter sanctitatem ipsius ministerij, & sacramenti.

Ergo verissima est hæc conclusio in genere, quod sacramenta collata ab excommunicato Ministro vera sunt sacramenta, & valida, suumq; effectum pariunt; nisi defectus aliquis committatur in ijs, quæ pertinent ad substantiam illorum. Verum; vt hæc veritas magis inotescat, singula percurramus.

CAPVT II.

An Baptismus collatus ab excommunicato teneat.

QVæ in primo capite tradita sunt in genere de validitate sacramentorum, si tradantur ab excommunicato, certa sunt de fide: Sed necesse est, vt distinctè, & sigillatim de singulis sacramentis confirmetur eadem veritas, & dissoluantur obiectiones, quę contra illam fieri possunt.

In primis de Baptismo definita est in Concilio Florentino in decreto Eugenij illis verbis: *In casu necessitatis non solum Sacerdos, & Diaconus, sed etiam Laicus, & Mulier, immò Paganus, & Hæreticus baptizare potest.* & confirmari potest ratione maximè congruente; nam cum Baptismus sit sacramentum simpliciter necessarium omnibus hominibus, conueniens fuit, vt illius administratio omnibus concederetur absq; vllo discrimine, & propter hanc causam institutum est in materia communi, quę vbiq; facillimè reperiri posset, & in simplicissima actione, & forma.

Sed dicet quis, ex dictis illud tantũm probari videtur in casu necessitatis quemlibet etiam excommunicatum esse posse Ministrum huius sacramenti, quod superius firmatum fuit; verum inde non colligitur extra casum necessitatis id fieri posse, ita vt factum teneat; neque enim vnum ex altero rectè inferri potest, sicut patet à simili de sacramento Pœnitentiæ; quilibet enim simplex sacerdos etiam excommunicatus, si non adsit proprius, potest ministrare illud sacramentum etiam in materia necessaria, scilicet peccati mortalis in articulo mortis, & tamen si extra necessitatem sacramentum illud ministret, non solum male facit sed etiam nihil efficit; ergo Minister, qui in casu necessitatis sufficit ad ministrandum sacramentum, non sufficit extra illum casum etiam, vt sacramentum collatũ teneat; quare idem esse poterit de Baptismo.

Respondeo quidquid sit de collatione, quæ re vera non concludit, quia potuisset Christus hanc potesta-

tem

tem concedere cum prædicta limitatione, scilicet pro articulo necessitatis; tamen certum est in præsenti materia hanc potestatem talem esse, vt si quis excommunicatus, & prohibitus illam exerceat extra articulum necessitatis, etiam si male faciat, vt probauimus, tamen factum tenet, vt docet B. Tho. 3. par. q. 67. art. 3. ad primum, & est sententia August. lib. 2. contra Epist. Parme. cap. 13. his verbis: *Sed etsi nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamuis rectè dici possit illicitè datum.* Et Nicolaus Papa in cap. A quodam Iudæo De Consecr. dist. 4. definit verum esse Baptismum datum à Iudæo, quamuis non sit membrum Ecclesiæ; ergo eadem ratio est de excommunicato, & in cap. Romanus Pontifex ead. dist. ex Isidoro hæc habentur: *Romanus Pontifex non hominem iudicat qui baptizat, sed spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, etiam si Paganus sit, qui baptizat.*

Dissimilitudo vero est inter Baptismum, & Pœnitentiam; nam in primis Baptismus est sacramentum maioris necessitatis, quàm Pœnitentia non solum in ordine ad vltimam salutem, sed etiam in ordine ad fructus, seu effectus gratiæ in hac vita comparandos, quatenus Baptismus est ianua Ecclesiæ, & veluti primum fundamentum, per quod fit homo capax aliorum sacramentorum; & ideo in sacramento Pœnitentiæ non potest esse Minister quilibet homo in necessitate, sed solus sacerdos, neq; ille in omni necessitate, sed in extrema tantum, si materia confessionis sit mortale peccatum; at vero in Baptismo non semper necesse est expectare extremam necessitatem; nam etiam præter illam propter maximam vtilitatem, aut nè cogatur quis multo tempore Baptismum differre, potest illum recipere à Laico, vel alio simili Ministro; & ideo fuit expediens, vt hæc potestas tribueretur absolutè, & non esset coarctata ad casum necessitatis, saltem ad hunc effectum, vt sacramentum teneret.

Hinc sumitur secunda differentia, quod sacramentum Baptismi reiterari non potest, sacramentum autē Pœnitentiæ iterari potest, & quantum ad eandem materiam, & quantum ad diuersam; vndè fit, vt in sacramento Pœnitentiæ nullum oriatur periculum, si contingat non esse validum, quando datur in necessitate ab excommunicato Sacerdote, quia fortasse non tanta erat necessitas, quanta requirebatur ad habendam Iurisdictionem in tali articulo; nam hoc sacramentum potest facilè iterari, & etiam si non iteretur circa eandem materiam, quia bona fine susceptum sit, & idcirco Pœnitens eadem peccata iterum non confiteatur, tamen illa erunt remissa saltem per accidens per aliud simile sacramentum ex alia materia confectum; at vero sacramentum Baptismi reiterari non potest, & alioqui maximum homini imminet periculum, si illo priuatus sit; ideo congruum fuit, vt omnibus sine discrimine, Paganis, Iudæis, Hæreticis, Excommunicatis tributa esset potestas à Christo conferendi illud etiam extra necessitatem, si non legitimè, & absque peccato, saltem validè. Tertia differentia est, quia sacramentum Pœnitentiæ pendet ex potestate Iurisdictionis, quæ per extrinsecam deputationem ab hominibus datur, vel aufertur, vel coarctatur ad casum necessitatis; at verò potestas baptizandi est absoluta facultas ministerialis ad conficiendum tale sacramentū, quæ non limitatur secundum substantiam suam ad casum necessitatis; sed simpliciter confertur, sicut patet in omni alia potestate conficiendi sacramentum, quæ ex Iurisdictione non pendet; quare non rectè infertur à sacramento Pœnitentiæ ad Baptismum.

Si quis opponat verba Isidori in cap. Si quis per ignorantiam 1. quæst. 1. Vbi hæc leguntur: *Si quis per ignorantiam ordinetur, antequam baptizetur, Debent ab eo Baptizati iterum baptizari*; Ergo Baptismus collatus à non Baptizato non erit validus; ergo pari ratione si conferatur ab Excommunicato ab Ecclesia præciso.

Respondeo, Primò hæc verba referri ab Isidoro, non secundum propriam opinionem, sed ex sententia aliorum, quod Baptizati à non Baptizatis sint rebaptizandi, sed statim posuit veram solutionem, vt inquit ibi Glo. cum subiungat hæc verba: *Sed Romanus Pontifex non hominem indicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei administrare gratiam Baptismi, licet Paganus sit, qui baptizet.*

Deinde dici potest, cum ille Canon rebaptizari præcipit eos, qui à Paganis baptizati sunt, intelligendum esse de Paganis, vt Pagani sunt, idest de his, qui in baptizando non seruabant ritum Ecclesiæ, sed Paganorum; & ita explicat Glo. cap. Quos à Paganis De Consecr. dist. 4. Vbi similiter Gregorius mandat baptizatos à Paganis denuò esse baptizandos. Neque est inconueniens Christum in conficiendis Sacramentis vti tamquam instrumento membro præciso ab Ecclesia, vel non dum illi actu coniuncto; quia virtus Christi non pendet ex dispositione instrumenti, neq; illius virtute nititur. De Baptismo igitur clarissimum esse debet validum esse, & suum habere effectum etiam si conferatur ab Excommunicato, & præciso ab Ecclesia.

Sed postquam Baptismus collatus ab Excommunicato quoad substantiam, & eius effectum est validus, dubitari potest de solemnitatibus, quæ ex institutione Ecclesiæ adhibentur; nempe de Precibus, Orationibus, Benedictionibus, & aliis consecrationibus; an sit ab Excommunicato non tolerato fiant, ratæ sint, & habeant illum effectum, ad quem huiusmodi sacramentales actiones ex institutione Ecclesiæ ordinātur, & idem quæri potest de solemni benedictiune, quæ in Ecclesia dari consueuit à Parocho Coniugatis; & de omnibus aliis sacramentalibus benedictionibus ab Ecclesia introductis; an factæ ab excommunicato sint alicuius roboris, & vtilitatis.

Ad hanc difficultatem responderi potest; Primo Grauiter peccare Sacerdotem excommunicatum exercendo huiusmodi actus, quia communicat contra prohibitionem Ecclesiæ in quodam sacro ministerio & solemni, ac publica actione graui, quare est sufficiens materia ad constituendum peccatum, licet non perueniat ad eum gradum criminis, sicut si administraret sacramentum.

Secundo dicitur omnes illas benedictiones, preces, & consecrationes, etiamsi non postulent Iurisdictioné talem, vel Episcopalem, sed pertineant solum ad Ordinem sacramentalem, inualidas esse, si Minister sit censura excommunicationis obstrictus, non toleratus. Ratio est; quia Ecclesia priuat Excommunicatum, vt non valeat tanquàm eius Minister validè vti his sacramentalibus, quatenus ad specialem aliquem fructum spiritualem ex merito, vel applicatione Ecclesiæ percipiendum ordinantur; quarè vel hæc sacramentalia, quæ exhibentur per excommunicatum non toleratū, nullum habent effectum, vt preces, orationes, & similia, vel non possunt deseruire fidelibus, nisi adhibita reconciliatione, vt sunt Consecrationes Templorum, & Altarium, & est regula, quam ponit Abb. in cap. Con-

Consuluisti nu. 5. De Consecr. Eccles. & Al. & ab eo accipiunt cæteri Doctores, Silue. Consecr. 2. §. 5. in fi. & §. 6. Angel. eod. ver. nu. 6. Tabien. nu. 8. & est opinio communis, quamuis patiatur aliquas difficultates, quas proponam in disp. . . cap. . .

Vnde, vt notat Abb. dicto nu. 5. diuersa est ratio de sacramentis, & de his sacramentalibus; nam, cum sacramenta conferantur à Sacerdote tanquam à Ministro ex Institutione Christi, non potest Ecclesia impedire, vt Minister insignitus ordine sacerdotali, si conferat sacramentum adhibitis necessariis ad substantiā, non efficiat verum sacramentum; sed alia ratio est de sacramētalibus, quæ sunt instituta ab Ecclesia; & ideo Ecclesia potest prohibere, nè Minister per Excommunicationem præcisus possit validè illa efficere, & facta sint nulla, & irrita.

CAPVT III.

An idem dicendum sit de Confirmatione, quod teneat, si tradatur ab excommunicato.

ADest ratio dubitandi; an sacramentum Confirmationis collatum ab Episcopo Excommunicato, & præciso sit validum: quoniam nonnulli Summi Pontifices interdum videntur significare sacramentum Confirmationis datum ab Episcopo Hæretico esse irritum.

Id significat Innocentius primus, Epist. 18. cap. 3. refertur cap. Arianos 1. quæst. 1. De Hæreticis enim loquens ait: *Eis solum Baptisma ratum esse permittimus*: Et infra, *Nec dare Spiritus Sancti plenitudinem possunt, quam per impietatis suæ perfidiam perdiderunt*. Similiter Leo Papa Epist. 33. cap. 2. Baptizatum ab Hæreticis dicit non esse rebaptizandum, sed hoc ei esse conferendum, quod defuit: *Vt per Episcopalem manus impositionem virtutem Sancti Spiritus consequatur*.

Idque confirmari potest ratione, quia Hæretici sunt incapaces Spiritus Sancti; quia Spiritus Sanctus extra Ecclesiam dari non potest; hoc autem sacramentum institutum est ad dandam Spiritus Sancti abundantiam, & perfectionem; congruum ergo fuit, vt huius sacramenti ministerium solis Episcopis fidelibus committeretur. Accedit etiam ratio propria de excommunicato, quoniam administrare sacramentum Confirmationis est actus Iurisdictionis; vnde Episcopus non potest confirmare alienum subditum, sicut nec absolutio, à peccatis valida est, si detur à non proprio Sacerdote, sed per excommunicationem priuatur excommunicatus omni Iurisdictione; Ideo Episcopus excommunicatus non potest sacramentum Confirmationis validè conferre.

His rationibus moti nonnulli Canonistæ docuerũt Episcopum præcisum ab Ecclesia ita esse exclusum ab huius Sacramenti administratione, vt si illud tentet conferre, nihil efficiat. Ità refert Castro. lib. 2. De Iusta Hæret. Punit. cap. 21. Couar. lib. 1. Variar. Resolut. cap. 10. nu. 8. ex Glo. in cap. Accedens 50. dist. Que in genere loquitur de quocunq; actu ordinis facto à degradato, & tenet non esse validum.

Hæc tamen sententia non solum falsa est, sed etiam erronea; certum enim esse debet, quod ab omnibus Doctoribus comprobatur; quemcunque verum Episcopum consecratum, esse sufficientem ministrum huius sacramenti, etiam si Hæreticus, Excommunicatus, & Degradatus sit, ita quidem, vt Ecclesia efficere nequeat, quin sacramentum Confirmationis ab eo collatum sub debita forma, materia, & intentione validum sit, licèt ipse peccet illud ministrando.

Probatur, quoniam Ecclesia non potest auferre à Sacerdote, vel Episcopo ordinem, seu consecrationem semel datam; ergo, quamuis possit prohibere vsum eius, non tamen efficere potest, quin actus solius ordinis ab huiusmodi Ministro factus validus sit; Cum ergo Confirmatio tantum sit actus ordinis Episcopalis, non potest ab Ecclesia impediri, quominus sit verum sacramentum, etiamsi Episcopus præcisus sit ab Ecclesia, dummodo cætera necessaria non desint; nam Character Sacerdotalis deleri non potest, vt definit Conc. Tridentinum sess. 7. can. 9. & sess. 23. cap. 4. Vnde, quando Sacerdos deponitur, vel degradatur, re vera non priuatur ordine, sed vsu, vel priuilegiis Sacerdotalibus; & Consecratio Episcopalis siue imprimat nouum Characterem, siue augeat, & extendat Characterem Presbyteralem, absq; controuersia tamen indelebilis est; & actus cōfirmandi est solius ordinis Episcopalis, sicut Consecratio, quæ à sola potestate ordinis Sacerdotalis per se pendet; & ideo illa potestate durante prohiberi quidem potest talis actus, vt licitè fieri nequeat, non tamen potest ab homine impediri, quominus validus sit.

Ad ea verò, quæ pro ratione dubitandi allata sunt responderi potest. Primò quando aliqui Summi Pontifices asserere videntur Confirmationem datam ab Episcopo Hæretico irritam esse, non loquuntur de sacramento Confirmationis, sed de manus impositione reconciliatiua; Imponebatur enim manus illis, qui ab Hæresi conuertebantur. Ad Innoc. dicimus eum loqui de ordine dato ab Hæretico, quem dicit non esse ratũ, non quia non teneat quoad substantiam, sed quoad vsum, honorem, & dignitatem, & priuilegia Clericalia, vt colligitur ex multis capitulis, & eodem modo loquitur Leo Papa, vel verba Leonis sunt intelligenda de illis Hæreticis, qui non habent veros Episcopos, à quibus sacramentum Confirmationis administrari possit. Ad rationem respondetur solum probare apud Hæreticos hoc sacramentum non sortiri effectum suũ. Deinde dicitur potuisse quidem Christum instituere Ministrum huius sacramenti, vt ibi fingitur; ex vsu tamen, & traditione Ecclesiæ constat non ità instituisse. Ad Confirmationem, Respondetur non esse parem rationem de sacramento Pœnitentiæ, & Confirmationis, quoniam confirmare est actus solius ordinis Episcopalis quātum ad substantiam, sed vt licitè fiat, pendet ab vsu iurisdictionis; at absolutio non solũ est actus ordinis, sed essentialiter etiam Iurisdictionis, est enim sacramentale iudicium; quarè nulla est absolutio, si desit potestas Iurisdictionis, quia ab illa etiam per se pendet.

CAPVT IV.

An sacramentum Eucharistiæ sit validum, si conficiatur ab excommunicato.

DE Sacramento Eucharistiæ idem expresse docet S. Tho. 3. par. q. 82. art. 7. Probans Sacerdotes Hæreticos, Schismaticos, & Excommunicatos conficere posse hoc sacramentum, sed conficiendo peccare, & ideo fructum huius sacramenti non percipere, & probat auctoritate Augustini lib. 2. contra Parmen. cap. 23. quoniam Sacerdotes Hæretici, qui ad vnitatem Ecclesiæ recipiuntur, non ordinantur denuò, sed recipiuntur cum suis ordinibus; & quia consecratio Eucharistiæ est actus consequens ordinis potestatem,

ideo

ideo Sacerdos, quamuis sit ab Ecclesia separatus per hæresim, vel Excommunicationem, potest consecrare Eucharistiam, quæ consecrata verum corpus, & sanguinem continebit Christi, sed peccat consecrando.

Si obijcias ex Innocentio I. & habetur c. Arianos 1. q. 1. *Arrianos recipi in Ecclesiam sub imagine Pœnitentiæ, Clericos eorum cum Sacerdotij dignitate non esse recipiendos, & reddit rationem. quia illis solùm ratum Baptismum esse permittimus.* sed non potest aliquis consecrare Eucharistiam, nisi sit cum sacerdotij dignitate, ergo Hæretici, excommunicati, & cæteri huiusmodi non possunt Eucharistiam consecrare.

Iam responsum est ad auctoritatem Innocentij, eum de Sacramento ordinis dato ab Hæretico loqui, quod dicit non esse ratum, non quia non valeat quoad substantiam, sed quia caret dignitate, honore, & priuilegijs, quibus gaudent omnes Clerici ordine Ecclesiastico insigniti.

Obijcies secundò; qui extra Ecclesiam est, nihil agere posse videtur nomine Ecclesiæ, & in persona ipsius; sed Sacerdos consecrans Eucharistiam, hoc agit in persona totius Ecclesiæ, ergo qui sunt extra Ecclesiam, vt Excommunicati, non poterunt consecrare.

Respondet S. Thom. q. 82. art. 7. Sacerdotes præcisos ab Ecclesia non amittere ministerium, quod exercent gerentes Christi personam, & hac ratione conuenit illis potestas ad consecrandum, sed amittere solùm ministerium, quod agunt in persona Ecclesiæ, quia ab vnitate Ecclesiæ sunt separati.

Sed contra hanc responsionem facit; nam excommunicatus est etiam separatus ab vnitate Christi, maximè si sit hæreticus; respondeo huiusmodi Ministrum semper esse vnitum Christo per characterē Sacerdotalem, qui est veluti participatio quædam potestatis Christi, sufficit autem, vt Minister sit vnitus Christo per subordinationem instrumenti ad principale agens; quomodò baptizare potest Ethnicus, sufficit enim Christo ratione suæ potentiæ prædicta subordinatio, quamuis hæc sola in solo Baptismi sacramento sufficiat, non quia non potuisset Christus aliter instituere, sed quia non oportuit.

Dices etiam respectu Ecclesiæ intercedit vnio cum Ministro excommunicato per characterem, & per subordinationem moralem, quia talis Minister est illi subiectus, ergo etiam nomine Ecclesiæ poterit Sacramentum Eucharistiæ conficere; respondeo non esse sermonem de hac vnione, quia hæc non sufficit, sed de illa, quæ per se ordinatur ad prædictum ministerium, scilicet quod talis Minister sit ab Ecclesia deputatus, vt suo nomine preces ad Deum fundat, sacramenta conficiat, à quo ministerio separatur per censuram, expellitur enim ab vnitate Ecclesiæ, quæ est ratio sufficiens, vt non offerat, neq; oret in persona Ecclesiæ.

Obijcies tertiò; quoniam in c. Accedens 50. dist. dicitur ex Gregorio Epist. 5. lib. 4. Huiusmodi præcisos ab Ecclesia non posse administrare sacramenta præter Baptismum; vbi Glos. verb. Presbytero in fin. peculiariter id docet de Degradato dicens: *Nec credo quod conficiat, quia omnem potestatem amisit.* Et 1. q. 1. in multis decretis Consecrationes Hæreticorum irritæ dicuntur, & fauet B. Augustin. lib. 2. contra Cresco. Gram. cap. 13. vbi ait extra Ecclesiam non esse verum sacrificium, nec sacerdotium. His auctoritatibus ductus Magister sent. dist. 13. dicit Hæreticos, vel Schismaticos, qui extra Ecclesiam existunt, etiamsi sint ritè ordinati, & debita intentione verba proferant, non conficere. Idem credit Glos. in dicto c. Accedens in fine dicens; *Nec credo, quod conficiat, quia omnem potestatem amisit.* Idem repetit Glos. 9. q. 1. in summa in fine, & in c. 2. Ver. priuilegio clericali in fine de Pœn. lib. 6. & in c. 2. Ver Degradatus de Cler. Excom. Mini. extra: quare in his locis Glos. licèt concedat sacerdotem excommunicatum, Hæreticum, suspensum &c. posse conficere, negat in specie de Degradato, & reddit rationem in dicto c. 2. de Cler. Excom. Mini. quia Ecclesia potuit illi auferre potestatem illam, quam contulit, quamuis non possit character auferri, sicut nec insignia militi. Sed sententia est erronea, quam meritò eiecerunt omnes Theologi in 4. sent. dist. 13. & B. Tho. 3. p. q. 82. art. 8. Immò ipsamet Glosa in dicto c. 2. Ver. Degradatus de Cler. Excom. Mini. videtur tandem idem asserere, quod Depositus, sicut Hæreticus conficit arg. c. neque, & c. Quod quidam. 1. q. 1. & quod Papa non potest auferre illi hanc vim & hoc credit esse verum, & idem sentit Glos. in c. Ventum est Ver. plenitudinē 1. q. 1. & citat c. Dominus declarauit ead. cau. & q. & cap. non nocet de Consecr. dist. 4. Et est contra manifesta principia fidei, nam Sacerdos propter hæresim, Excommunicationem, Degradationem, seu quamcunquè Ecclesiæ censuram non amittit characterem in ordinatione acceptum, neq; est incapax illius, vt constat ex Conc. Tridentino sess. 7. can. 9. sed per characterem Sacerdotalem datur potestas ad conficiendum corpus Christi, ergo si is, qui habet huiusmodi characterem ritè proferat verba essentialia super debitam materiam, omninò conficiet hoc Sacramentum; neq; enim Sacerdos, quantumuis pollutus Sacramenta diuina polluere potest, vt dicitur c. Sciscitantibus 15. q. 8. c. Christus, c. Non nocet cum multis alijs 1. q. 1.

Quarè Canones cum dicunt Consecrationes Hæreticorum irritas esse, vel intelligēdi sunt quoad debitum vsum, quia Ecclesia eo suspendi, & prohibet, ne ad Sacerdotalia munera admittātur, quamuis eorum actus, qui Iurisdictionem non requirunt, irritare non possit, vel exponi possunt de Consecrationibus, quæ non fiunt seruato debito, ac essentiali ritu, vel tandem intelliguntur de Consecrationibus factis à Ministris non legitimè ordinatis, iuxta morem, & formam Catholicæ Ecclesiæ; nam Consecrationes factæ à Ministris, sic ordinatis omninò irritæ sunt.

Sed quæret aliquis. An excommunicatio Sacerdotis possit impedire effectum huius Sacramenti, quatenus est sacrificium.

Fuit opinio aliquorum; Non omnes Sacerdotes, etiam ritè ordinatos posse hoc Sacramentum offerre, sed solùm eos, qui sunt ab Ecclesia tollerati. Itaq; excluduntur secundum eos ab hoc sacrificandi munere Sacerdotes excommunicati, Suspensi, Depositi, Degradati, Scismatici, Hæretici, ac denique omnes ab Ecclesia præcisi; atque ita excluduntur, vt non solùm malefaciant, si sacrificare tentent, verùm etiam omninò non sacrificent; hanc sententiam sequutus est. Magist. in dicta dist. 13. & Scot. q. 2. in eādem videtur declinare, quàm Gabr. ibi q. 1. art. 3. refert, & non improbat Grat. in cap. Quod quidam 1. q. 1. vbi multa ex Patribus adducit ad hanc sententiam confirmandam.

Hæc sententia potest habere triplicem sensum. Primus est Sacerdotes præcisos non posse sacrificium offerre, quia nec possunt Sacramentum Eucharistię valide consecrare, & hoc modo est hęretica, vt probauimus. Secundus sensus est huiusmodi Sacerdotes licet possint

possint consecrare validè,non tamen posse eam conse- A crationem efficere sub ratione sacrificij, quia de ratione sacrificij propriè dicti est, vt offeratur à Sacerdote vt Ministro publico,& mediatore inter Deum,& populum, Sacerdos autem præcisus non potes subire vicem Mediatoris inter Deum, & Ecclesiam; quia nemo potest hoc munos subire, nisi consentiente Ecclesia, sed Ecclesia priuat Sacerdotem præcisum hoc ministerio quantum potest, & in hoc sensu non est apertè hæretica, quia nullibi apparet euidenter damnata, est tamen omninò falsa, omnis enim Sacerdos præcisus ab Ecclesia potest hoc Sacramentum validè offerre, etiamsi non licitè faciat. Ità sentit B. Tho. 3. par.q.82.art.7.& 8.& in 4.dist.13.& ibi reliqui Theologi, & ratio est illa, quam superius attulimus, quia B potestas ordinis sacerdotalis, cuius actus est offerre sacrificium Deo, non potest auferri per Ecclesiam, vt si illa potestas applicetor ad operandum, & requisita adsint,non habeat validum effectum,potest Ecclesia solum prohibere, nè licitè exerceat hunc actum. Tertius sensus est, Sacerdotes præcisos non posse offerre sacrificium vt Ecclesiæ Ministros, & in persona ipsius Ecclesiæ; & quantum ad hoc vera est,si rectè explicetur, & in primis negari non potest huiusmodi Sacerdotem præcisum,sicut verus est Sacerdos,ità etiam esse verum Ministrum sacrificij; nam ad hoc ministerium per se,& intrinsicè non est necessarium, vt gerat personam Ecclesiæ, sed vt gerat personam Christi, & C hanc potestatem habet ratione Characteris, & ideo semper potest in persona eius verba proferre, vltra hoc autem habet Sacerdos ex commissione Ecclesiæ, vt nomine suo oret, intercedat, & offerat, & quoad hoc potest Ecclesia priuare sacerdotem præcisum, nè suo nomine sacrificet, & hic sensus est verus, vnde distinguere necesse est in Missa substantiam sacrificii ab aliis orationibus, & ceremoniis; nam licet totum illud ministerium fiat à Sacerdote, & a publico Ministro inter Deum, & Homines constituto, diuerso tamen modo, nam in his,quæ sunt ex Christi institutione, idest de substantia sacrificij, per se gerit personam Christi, à quo habet potestatem, & cuius personam representat. Vnde sub hac ratione non comparatur D Ecclesia ad Sacerdotem, vt principale offerens ad Ministeriale, sed vt populus ad publicum ministrum datum à Deo; & ideo non potest ab illo potestatem auferre sic offerendi pro quocunque voluerit; quamuis possit non concurrere, nec consentire cum illo, nec velle,quantum in ipsa est, per illum offerre; nam huiusmodi modus concurrendi pendet ex voluntate Ecclesiæ, & cuiusque offerentis soo modo;in his autem, quæ sunt ex institutione Ecclesiæ,vt Orationes publicæ, & ceremoniæ, propriè se habet sacerdos vt minister Ecclesiæ,in cuius persona loquitur,& operatur,& per Ecclesiam potest omnino tali ministerio priuari, & ita fit per ecclesiasticas censuras.

Ea, quæ ex Patribus afferuntur ad probandum ex- E tra Ecclesiam non esse verum sacrificium, exponenda sunt, vt inquit Glo.c.In Ecclesia 1.q.1.Non esse verũ, idest efficax, & fructuosum tàm offerentibus, quàm cooperantibus,& est consentanea,B.Tho.3 par. q. 82. art.7.ad 3.Vel explicari possunt extra Ecclesiam,idest extra ritum, quem seruat Ecclesia, nullum esse verum sacrificium; extra enim Ecclesiam Christi non est verum sacrificium; quod si excommunicatus, & ab Ecclesia præcisus illud offerat, sacrificium tamen Ecclesiæ offert.

CAPVT V.

De Sacramento Ordinis, & Extrema Vnctionis.

TRanseamus iã ad Sacramentũ Ordinis;de quo similiter dicendum est verum esse Ordinem, validum, & non iterandum, si conferatur ab Episcopo quacunque censura innodato, & præciso ab Ecclesia propter eandem rationem, quia sufficit ad sacramentum Ordinis administrandum potestas ordinis Episcopalis, quæ communicantur à Deo Episcopo per Characterem Episcopalem indelibilem;qui igitur ordinem recipit ab Episcopo excommunicato, verum sacramentum recipit, executionem tamen ordinum non recipit, quia cum hac executione sit priuatus Episcopus excommunicatus,si loquimur de denunciato,iam alteri dare non potest cap.Daimbertum 1.q.7.Tex. & Glo.in c.1.De Ordin. ab Episc. qui renunc. Episco.Similiter non consequitur effectum huius sacramenti, scilicet gratiam, quia contra prohibitionem Ecclesiæ scienter communicat cum excommunicato in rebus sacris sine necessitate.

Difficultatem tamèn aliquam contra dicta facere possunt nõnulla decreta, quæ leguntur in Iure ex quorum explicatione,& vera intelligantia constabit de veritate huius conclusionis. Et primo ex August. lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 13. in c. quod quidam 1. q. 1. §. Ex his verbis Vers.opponitur, dicitur; *Degradatus Episcopus potestatem largendi sacros ordines non habet facultatem, tamèn baptizandi non amisit &c.* Et est obiectio Gratiani contra S. Augustinum, quod Hæretici non possunt conferre ordines, & si baptizare possint,sicut Sacerdos depositus,quamuis baptizare valeat, conficere tamèn non potest. Quibus nonnulli moti vtuntur distinctione Affirmantes penes Episcopum Hæreticum, suspensum, & excommunicatum remanere facultatem conferendi ordines validè, licet non legitimè, & sine peccato,non autem penes Degradatum, & assignant rationem huius differentiæ, quoniam sicut Princeps iustè depositus, & dominio priuatus non est amplius Princeps; ità nec Episcopus degradatus est Episcopus,sed qui oon est Episcopus,non potest ordines conferre;ergo neque Episcopus degradatus; degradatus enim non tantum est suspensus ab officij executione, sed etiam priuatus dignitate Episcopali; quare non remanet Episcopus; quamuis enim non possit ab homine auferri potestas cõficiendi corpus Christi verum, quoniam à Christo talis facultas Ecclesiæ relicta non fuit, nec decebat propter dignitatem Corporis sui, quia tamen dignitas Episcopalis respicit Corpus Christi misticum, scilicet Ecclesiam, ad quam regendam Christus tribuit suo Vicario plenissimam potestatem; potest Papa tollere ab Episcopo penitus dignitatem Episcopalem, quæ tamen solum tollitur per degradationem, secus aotem per excommunicationem, suspensionem &c. His enim censuris tantum suspenditur à legitima executione;& idcircò est diuersa ratio.

Oppositum tamen est longè probabilius hac in re, & ad hunc effectum nihil interesse inter Episcopum degradatum, & excommunicatum. Et probatur primò Altare, Calix, & alia semel consecrata nunquam consecrationem amittere possunt,nisi destruantur,ergo fortiori ratione neque consecratio Episcopi, quæ à Deo principaliter fit,quamuis ab homine ministerialiter. Præterea Episcopus, qui resignat loco, & dignitati,quamuis exercere non debeat functiones pontificias,

eficias, tamen si ordinat, tenet ordinatio, & verum sacramentum confert, non tamen Ordinis executionem, quia Resignatio, vt inquit Glo. in illo c. 1. De Ordi. ab Epi. qui renunc. Episco. non abstulit ordinem, sed executionem; at Degradatus non est magis spoliatus dignitate Episcopali, quam iste, qui cessit; ergo poterit ordinem conferre de facto, non de Iure.

Et ita est statuendum Episcopum non posse penitus per hominem priuari dignitate Episcopali, & Degradationem non esse Dignitatis priuationem, sed perpetuam suspensionem ab executione dignitatis, quam quis habebat ante Degradationem.

Ad verba igitur ex dicto c. Quod quidam contra B. Augustinum à Gratiano opposita duplex solutio traditur ibi à Gratiano, vt inquit Glo. Communior est, quod in sacramento ordinis duo includuntur, scilicet potestas ipsa sacra, & executio huius potestatis. Qui factus est Episcopus legitime in Ecclesia Catholica, & postea fit hæreticus, & per sententiam degradatur & deponitur, confert quidem ordinem quantú ad potestatem, non autem executionem ordinis, qua est priuatus, & hac ratione dicitur priuatus facultate largiendi ordines, scilicet quantum ad executionem, non quantum ad potestatem.

Secundo Greg. lib. 3. epist. 20. & refertur c. Nos cōsecrationem 9. q. 1. inquit, *Nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicatis hominibus est celebrata*. Et c. 2. *Excommunicati illicite manus imponunt, quia potestatem ordinandi non habent, vbi autem illicite est manus impositio, nullus ordo infigitur; vnde reiterari necesse est, quod minime probatur esse collatum*. Si ordinatio facta ab excommunicato non est dicēda ordinatio, si excommunicatus caret potestate ordinandi, si ordinatio illicite facta ab excommunicato reiterari debet, ergo nulla fuit, & inualida, ergo excommunicatio non solum impedit executionem, sed etiam tollit potestatem ordinis. Idem habetur in c. Ab excōmunicatis, & c. Ordinationes. cad. cau. & q.

Ad hæc omnia respondendum est eodem modo, sicut notat Glo. quod siue Episcopus receperit vltimā manus impositionem in Ecclesia, siue extra Ecclesiā, dummodo forma Ecclesiæ seruetur in ordinādo, semper ordinem confert, sed non semper executionem; differentia tantum est inter vtrunq. modū, quod ordinati ab Episcopo, qui recipit vltimam manus impositionē in Ecclesia siue ignoranter, siue scienter, si alias digni fuerint, possunt tolerari, vt dicitur in d. c. Ab excōmunicatis, & c. Ordinationes; si autē sint ordinati ab Episcopo, qui extra Ecclesiam recipit manus impositionem, si scienter, nunquam tolerantur, refertur in c. Conuenientibus 1. q. 1. ex septima generali Synodo Act. 1. Episcopos, & Sacerdotes ab Hæreticis ordinatos ob aliquas iustas causas fuisse ab Ecclesia in ordine suo receptos; igitur Concilium sentiebat ordinationem factam ab Hæretico esse veram ordinationē, sed sic ordinatis fuisse impositam pœnam suspensionis, & irregularitatis ab Ecclesia, vt in ordine suscepto non possent se exercere, quam pœnam potuit Ecclesia, si ita iudicauit expediens, remittere, & relaxare.

Tertio contra eandem conclusionem Catholicam videtur repugnare text. in c. Daibertū 1. q. 7. Vbi primo dicitur Nezelonem, qui ab Hæreticis in Episcopū ordinatus fuerat, nō recepisse ordinem Episcopalem; Secundo quod cum dictus Nezelon postea Daibertū ordinauerit in Diaconum, Daibertum nihil ab eo accepisse, & reddit rationem, *Quia qui nihil habuit, nihil*

A *dare potuit ei, cui manus imposuit*; Tertio refertur factū Vrbani II. qui denuò dictum Daibertum ordinauit in Diaconum, cuius operam vtilem, & necessariam Ecclesiæ futuram iudicauerat; verba tex. sunt: *Reiterari oportet, quod malè actum est Daibertum ab Hæreticis corpore & spiritu digressum, atq. vtilitatibus Ecclesiæ pro viribus insudantem ex integro Ecclesiæ necessitate ingruente Diaconum constituimus, quod non reiterationem existimari censemus, sed tantum integram Diaconi dationem, quoniam, vt præfiximus, qui nihil habuit, nihil dare potuit*. Hæc omnia euidenter ostendere videntur ordinationem factam ab Hæreticis esse nullam, & ordinatum nullam recipere potestatem, & ideo

B quidquid ab eo agitur inualidum esse, & reiterandum.

Verum quæ in illo tex. dicuntur, ità explicantur à Glo. & benè Nezelonem ordinatum fuisse in Episcopum ab Hæreticis non seruata forma Ecclesiæ, & sic ordinem Episcopalem non recepisse, & hanc ob causam Daibertum postea ab ipso vel præter formam, vel iuxta formam Ecclesiæ Diaconum ordinatum, nihil potuisse ab eo recipere, quia nemo dat, quod non habet, & propterea Vrbanus dispensauit cum eo ob vtilitatem Ecclesiæ, & denuò ordinauit illum auctoritate Damasi Papæ, & Innocentij, & eodem modo intelligendum est cap. Ventum est 1. q. 1. vbi similia referuntur ex Innocentio Papa de Ordinatis ab Hæreticis, & sunt accipienda, vt inquit Glo. in dicto cap.

C Daibertum ver. & beati. de ordinatis ab Hæreticis non seruata forma Ecclesiæ, Hinc Glos. in eod. c. Ventum est Ver. Plenitudinem, infert regulam generalem contra quosdam, qui aliter senserunt de hac materia ad hunc modum, *istud est tenendum, quod quilibet Episcopus siue Catholicus, siue Hæreticus siue in Ecclesia, siue extra conferat ordinem, dum tamen conseruat formam Ecclesiæ, recipit ordinatus ordinem, licet non recipiat executionem ordinis, similiter si taliter ordinati alios ordinent idem est, & sic in infinitum*.

De Sacramento Extremæ Vnctionis nulla est difficultas validum esse, si conferatur infirmo ab Excōmunicato Parocho denunciato, sed Parochus pec-

D cabit, vt diximus superius, & etiam infirmus committit graue crimen, si ab Excommunicato tale Sacramentum suscipit. Hæc conclusio quoad primam partem, quod hoc Sacramentum datum ab Excommunicato verum sit Sacramentum quoad substantiam, patet ea ratione, quoniam est actus ordinis Sacerdotalis, qui indelibilis est, S. Iacobus Apostolus inquit in sua Canonica cap. 5. *Infirmatur quis inter vos inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini*, & non perdet ex potestate Iurisdictionis.

Si contra obijcias; Vt hoc Sacramentum validè recipiatur, requirit in suscipiente necessariam dispositionem; Dispositio necessaria est, vt

E recipiens sit contritus, & in gratia, sed hac dispositione caret, qui recipit hoc Sacramentum ab excommunicato, quia in ipso actu recipiendi illud ab Excommunicato Ministro peccat, igitur Sacramentum erit nullum.

Respondeo hanc dispositionem contritionis necessariam esse in Recipiente, non ad validitatem sacramenti, sed vt consequatur effectum sacramenti; nam peccatum suscipientis sacramentum non potest impedire valorem sacramenti quoad substantiam, si nihil essentiale omittatur, nisi in sacramento Pœnitentiæ, in quo actus Pœnitentis per contritionem,

tionem, & Confessionem sunt pars essentialis ipsius sacramenti; cessat hoc in alijs sacramentis, quarè sacramentum extremæ vnctionis validum erit, si datum fuerit ab Excommunicato, siue ab Infirmo excommunicato receptum; secunda verò pars conclusionis, scilicet de peccato tā dantis, quam recipientis est quoq; certa, nam Parochus excommunicatus grauiter peccat illud ministrando, cum possit alteri sacerdoti licentiam impertiri ad illud conferendum. Similiter grauiter delinquit Infirmus, per se loquendo, recipiendo hoc sacramentum ab excommunicato, quia non est sacramentum necessarium, nec Ecclesia concessit facultatem in articulo mortis Ministro excommunicato quoad hoc sacramentum.

CAPVT VI.

An matrimonium celebratum præsente Parocho excommunicato sit validum.

MAtrimonium inter Excommunicatos contractum ratum esse, & validum definitum fuit in cap. Significasti De eo, qui duxit in matri. Vbi Innocentius Tertius declarat legitimum Matrimonium, quod fuerat contractum à quodam cum muliere, qua abutebatur carnaliter, viuente vxore sua, & hac de causa excommunicatus fuerat, & Glo. ibi in recitatione casus inquit Excommunicatum posse contrahere matrimonium, sed alia sacramenta esse illi deneganda. Ex quibus satis constat Matrimonium non solum in ratione contractus, sed etiam quatenus Sacramentum inter Excōmunicatos celebratum validum esse, accedit ad idem probandum, quod Parochus non est Minister huius Sacramenti, sed ipsi contrahentes gerunt vicem Ministri, vt superius monuimus; quare Excommunicatio Parochi non potest irritare essentiam matrimonij ob eam rationem, quod non sit idoneus minister huius Sacramenti, si enim Excommunicatio ipsorum Contrahentium, qui subeunt Partes ministri, eius valorem impedire non valet, quamuis ipsi contrahentes si sint excommunicati, peccent contrahendo, sed matrimonium remanet validum, quia cum sit essentialiter contractus, Ad rationem intrinsecam contractus requiritur tantùm mutuus consensus contrahentium, quem validè præstare possunt Excommunicati. Minus ergo Iure communi excommunicatio Parochi potest inualidum reddere coniugium, sed supposito Decreto Concilij Tridentini Sess. 24. cap. 1. De Refor. oritur difficultas, & meritò dubitari potest, An si Parochus assistens Matrimonio sit excommunicatus, reddatur illud inualidum, eum enim Concilium ità statuat, *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit, & annullat*, Ergo Concilium videtur requirere ad essentiam contractus Matrimonij assistentiam proprij Parochi; idcircò adest ratio dubitandi; an excommunicatio reddat Parochum inhabilem ad assistendum iuxta mentem Concilij, & ex consequenti contractus Matrimonij remaneat nullus.

Et pro parte affirmatiua, quod huiusmodi matrimonium reddatur nullum, sunt rationes. Primò quoniam ille actus assistendi est actus Parochi, vt Parochus est, & non est actus ordinis, ergo iurisdictionis, sed iurisdictio tollitur per excommunicationem, ergo

A ille actus erit nullus, igitur inualidum Matrimonium, Parochus enim assistendo matrimonio auctoritatem præstat illi actui, & sic respicit iurisdictionem.

Secundò; quoniam licèt non esset actus spectans ad iurisdictionem, & Parochus non assisteret, vt minister Matrimonij, sed interesset, tanquàm testis quidam publicus, & solemnis carens omni exceptione, cum testimonium Excommunicati non tolerati non valeat, cap. Decernimus de sentent. Excommunicat. lib. 6. cap. Veniens 2. in fi. de test. latè docet Mascard. de probat. concl. 705. per totam, ex consequenti Matrimoniū coràm Parocho excommunicato non tolerato erit irritum.

Nihilominus absque vlla formidine asserendum B est Matrimonium celebratū coràm Parocho excommunicato, suspenso, &c. esse validum.

Probatur, quia præsentia Parochi requiritur in Matrimonio ad auctoritatem præstandam per potestatem, quam habet in subditos, vt docet Nauarr. lib. 4. consil. tit. de Clandest. Desponsconsil. 14. num. 6. ad primum. Sed auctoritatem dare corporali præsentia non est actus iurisdictionis, ergo potest validè fieri ab excommunicato non tolerato. Probatur minor, quia nullus actus ordinis, siuè iurisdictionis factus ab Inuito, & contrariam habente intentionem est validus; Actus enim Agentium non operantur vltra eorum intentionem, l. non omnis. initio, ff. de reb. credit. Sed præsentia Parochi omninò inuiti, & con-

C trariam intentionem habentis sufficit ad valorem Matrimonij, ergo illa præsentia non est actus iurisdictionis.

Secundò Parochus excommunicatus, suspensus, & c. quamdiù Parochia non fuerit priuatus, sed maneat in possessione, verus Parochus est, igitur eius præsentia sufficit ad matrimonium; huius sententiæ videtur, Nauar. lib. 4. Consil. tit. De Cland. Despons. conf. 4. ad fin. Idem docet Petrus ledesma de matrim. q. 45. art. 5. punct. 3. dub. 3. fin. fol. 192. Et idem dicendū est, si Parochus det licentiam alteri Sacerdoti excōmunicato ad assistendum, quia hæc assistentia non est actus iurisdictionis, & exerceri potest validè

D per Sacerdotem excommunicatum. Vnde ex his soluitur prima ratio adducta pro ratione dubitandi. Ad secundam dico, quod quamuis Excommunicatus regulariter expellatur à testimonio ferendo, admittitur tamen in casibus, in quibus admittuntur Infames, vt docet Mascardus eadem conclusione 705. numer. 15. In matrimonio autem admittuntur Infames, vt docent Doctores in materia de Matrimonio.

Sed dubitant Doctores; An facultas Parochi concedendi licentiam alteri, vt assistat celebrationi Matrimonij, sit actus Iurisdictionis, & propterea, si concedatur à Parocho excommunicato, suspenso, &c. non tolerato, quousque non sit re-

E iectus à beneficio parochiali, sit valida, & Matrimonium irritum sit contractum coram sacerdote licentiam habente à Parocho excommunicato.

Aliqui tenent esse actum Iurisdictionis, & ità nec licentiam, nec matrimonium valere.

Probatur, quia est actus Parochi in quantum Parochus, cum nullus alius eam licentiam concedere possit, & non est actus ordinis, vt constat; ergo est actus Iurisdictionis.

Secundo, quia dare licentiam Sacerdoti audiendi Confessiones alienorum subditorum est

actus

actus iurisdictionis, licet oppositum sentiat Palud. in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 2. & itá inualidè conceditur à Parocho excommunicato non tolerato, vt docent Silue. Absolutio 2. §. 6. vers. sexto; quæritur, vbi de Episcopo excommunicato dicit esse suspensum ab omni actu legitimo, & facultatem absoluendi alteri committere non posse, & Confessor. 2. §. 4. Vers. quarto quæritur, Ibi, *Quintus quia audiens, &c.* Idem repetit, Commissionem ab excommunicato factam alteri vt possit absoluere, non tenere, licet oppositum dicat Ver. Vnctio §. 4. in fin. Sot. in 4. dist. 18. q. 4. art. 3. Vers. Circa concessiones, Victoria in Sum. de confessione num. 152. & de excommunicatione num. 345. Ledesma 2. par. Quarti. q. 7. art. 5. dub. 11. Ergo similiter erit actus Iurisdictionis licentia collata à tali Parocho excommunicato alteri Sacerdoti, vt assistat matrimonio, & idcirco non valebit.

Confirmatur, nàm quamuis Concilium Tridentin. non dixisset: *Qui aliter quam præsente Parocho, vel altero sacerdote de licentia Parochi, &c.* sed tantum dixisset: *Qui aliter quàm præsente Parocho* adhuc Parochus posset substituere, & dare licentiam alteri sacerdoti, cum sit ordinarius, atque itá delegare posset, si autem id non pertineret ad Iurisdictionem, nullo modo posset, sicut Procurator datus ad contrahendum Matrimonium non potest substituere, nisi specialiter sibi concedatur c. fin. De Procura. lib. 6. Ergo dare illam licentiam pertinet ad Iurisdictionem.

Huius sententiæ videtur Nauar. lib. 4. Consil. in tit. de Cland. despons. cons. 14. num. 6. & ad 3. Vbi ait Parochum non posse assistere matrimonio extra Parochiam, quia talis assistentia non est actus, qualis requiritur ad tribuendam auctoritatem celebrationi Matrimonii, sed bene posse Parochum extra Parochiam existentem concedere alteri Sacerdoti licentiam assistendi matrimonio in ipsamet Parochia ipsius sacerdotis, qui licentiam obtinuit, quia est actus Iurisdictionis voluntariæ, & hæc sententia probabilis est.

Sed opposita est probabilior, quæ tenet Concess. huius licentiæ non esse actum Iurisd. & ideo tàm licentiam sic concessam, quàm matrimonium valere.

Probatur, quia concedere facultatem assistendi Matrimonio non est actus Parochi formaliter, inquantum habet Iurisdictionem, sed inquantum est testis publicus, & legitimus Matrimonii, & simul habens facultatem substituendi ad hunc actum testificandi. Sed si aliquis haberet mandatum, ad contrahendum nomine alterius, potestatemq; substituendi, illa substitutio esset quidem actus potestatis substituendi, non tamen esset actus iurisdictionis, & validè ab excommunicato fieret, ergo valide conceditur licentia à Parocho non tolerato assistendi Matrimonio.

Præterea multi Doctores asserunt posse Episcopum excommunicatum non toleratum concedere facultatem audiendi Confessiones, & extremè vngendi, nec hoc esse actum Iurisdictionis, sed solam iuris sibi competentis cessionem, sic Palud. in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 17. B. Antoni. 3. par. tit. 14. c. 15. §. 5. Silue. V. Vnctio §. 4. Armill. num. 5. Nauar. c. Placuit n. 51. De Pœnit. dist. 6. Ergo à fortiori hæc licentia assistendi Matrimonio, quàm confert Parochus excommunicatus non toleratus, valida erit, nec erit actus Iurisdict.

Ad argumenta proposita in cōtrariam partem respondendum est. Ad primum dicendum Assistentiam Parochi non esse actum formaliter Parochi, inquantum habet iurisd. sed inquantum testis est leg. Matr.

Ad secundum, fateor illam doctrinam esse verissimam contra Doctores, quos citaui, est tamen dispar ratio, quia ad cetera sacramenta licitè administranda desideratur potestas ordinis, & Iurisdictionis; vnde Parochus concedens alteri, vt possit illa administrare, transfundit in illum Iurisdictionem, actumq; Iurisdictionis exercet. At verò sacramentum matrimonij non petit Iurisdictionis vsum, sed tantum habitualem Iurisdictionem in Parocho Assistente, vel licentiam assistendi concedente. Præterea sicut Parochus excommunicatus non toleratus priuatus est actiua sacramentorum administratione, itá etiam potestate concedendi alteri licentiam administrandi, & sicut non est priuatus potestate assistendi, itá nec potestate dandi prædictam licentiam.

Ad confirmationem ex Conc. Trident. dicendum est, si Concilium Tridentinum non concederet licentiam Parocho substituendi, tūc non posset substituere, censeretur enim, personæ Parochi industria electa, vt maiori fide testimonium esset dignum, sicut in simili docet Hostien. in cap. Cum Bertoldus Vers. Verum quarta pars. De Sent. & Re Iud. Vbi dicit censeri electam industriam personę, quando certus Tabellio deputatus est ad depositiones testium scribendas, fideiq; suæ esse commissum.

Ex dictis sequitur, quid sit respondendum, si aliquis postulet; An suspēsa Iurisdictione Episcopi per excommunicationem, aut suspensionem possit eius Vicarius valide interesse matrimonio, aliisq; committere. Dicēdum enim est vtrunq; posse, quia neutrum est actus Iurisdictionis. Qui verò censent esse actum Iurisdictionis, necessario tenentur vtrumq; negare, quia in eo casu vsus Iurisdictionis suspensus esset. Si tamen Episcopus suspensus, aut excommunicatus non toleratus institueret Vicarium, aut Parochus sic excommunicatus Vicecuratum, illeq; assisteret matrimonio, vel alteri committeret, nihil valeret, quia illa institutio est manifestus actus Iurisdictionis, & proinde facta à sic excommunicato nihil valet; Quarè ille assistens matrimonio non esset verus Vicarius, aut Vicecuratus.

Quod si quis contra instet licentia assistendi concessa ab Episcopo, aut Parocho excommunicato, est valida, vt diximus, sed eo ipso, quo aliquis constituitur Vicarius, aut Vicecuratus videtur concedi facultas assistendi matrimonio, ergo, si assistat, validum erit Matrimonium.

Respondeo minimè conferri talem licentiam directè, sed indirectè, consecutiuè, & accessoriè; Inquātum scilicet traditur officium Vicarij, aut Vicecurati, quorum officio annexum est interesse Matrimonio; quarè cum principalis collatio officij inualida sit, corruit quoq; accessorium Reg. Cum principalis ff. De Reg. Iur. Hæc de Matrimonio.

Dictum est hucusq; de sex sacramentis, quæ quantum ad validitatem pendent à sola potestate ordinis sacerdotalis, remanet sacramentū Pœnitentiæ, quod præter ordinem aliquid aliud requirere videtur; de quo disputandum est in seq. cap.

CAPVT VII.

An Sacramentum Pœnitentiæ collatum ab excommunicato Sacerdote non tolerato sit validum.

DE sacramento Pœnitentiæ peculiaris est ratio dubitandi; an hoc sacramentū collatum ab excom-

municato Sacerdote non tolerato sit validum, quia A valor huius Sacramenti ex parte Ministri videtur pendere ex aliqua concessione, vel prohibitione Ecclesiæ, quod videtur singulare in hoc Sacramento inter cætera, nam in alijs, quantumuis remoueat Ecclesia Sacerdotem per excommunicationem à sacro eorum ministerio, nihilominus Sacramentum ab illo datum validum est, licèt ille peccet ministrando, quia nulla conditio sublata fuit necessaria ad Sacramentum, licèt vsus fuerit prohibitus, in hoc autem Sacramento si Ecclesia iurisdictionem non concedit, vel si illam per excommunicationem aufert, & hoc modo prohibeat ministerium, Sacerdos, qui tentat absoluere, non solùm peccat, sed nihil facit.

In hac difficultate, omissis Hæreticis, inter Catho- B licos quidam dixerunt omnes Sacerdotes ex vi suæ ordinationis esse sufficientes Ministros huius Sacramenti; vt quamuis possit Ecclesia prohibere aliquibus Sacerdotibus, ne hoc Sacramentum ministrent, non tamen possit efficere, quin eorum absolutio sit valida, quantum est ex parte illorum, si ex parte Pœnitentis omnia necessaria concurrant; quod ideo addunt, quia in hoc Sacramento ex defectu Pœnitentis fieri potest, vt sit inualidum, si enim pœnitens scienter confiteatur Sacerdoti excommunicato non tolerato, grauiter peccat, & indispositus accedit, & ex hac parte nullum fit Sacramentum, si autem accederet bona fide, & cum debita dispositione, Sacramentum esset validum. C Hanc sententiam tenuit Armacanus lib. 1. de quæstio. Armenorum à principio, in quam etiam inclinat Almai. dist. 18. q. vnica, neque improbabilem reputat Durand. dist. 19. q. 2. Fundamentum præcipuum sumitur ex verbis institutionis huius Sacramenti, *Accipite Spiritum sanctum*, Quarè ex vi horum verborum instituti sunt Sacerdotes Ministri sufficientes huius Sacramenti, ergo non potest Ecclesia illos mutare, neque eorum actum irritare magis quàm in alijs Sacramentis, sicut patet in articulo mortis, & circa peccata venialia, in quibus casibus Ecclesia non potest hanc auctoritatem tollere, ergo eadem ratio est de alijs casibus.

Alij verò Auctores distinctione vsi sunt, vt refert D Medina in Cod. De confessione quæst. de confess. non necessitate, sed voluntate facta, & dicunt in Confessione voluntaria, quæ non est in præcepto, quemlibet sacerdotem, etiamsi non habeat iurisdictionem, posse esse Ministrum, in ea verò confessione, quæ fit ex necessitate præcepti, non quemlibet sacerdotem, sed illum tantùm, qui iurisdictionem habet, posse esse Ministrum.

Vtraque sententia est falsissima, & prima hoc tempore habetur tanquam erronea, quia certum est absolutionem datam à simplici sacerdote circa peccata mortalia nullam esse ex defectu Iurisdictionis. Nec valet responsio Durandi illam absolutionem esse nullam quoad effectum solum, quia ille, qui sic ab- E soluitur, non est dispositus, quia interueniente ignorantia fieri potest, vt pœnitens non sit indispositus, nec peccet confitendo tali sacerdoti, & tamen absolutio erit nulla, itàut si postea constet Pœnitenti Sacerdotem non habuisse iurisdictionem, teneatur illa peccata proprio Sacerdoti confiteri. Præterea si hæc iurisdictio à superiori Prælato dari, & auferri non posset, non esset licita reseruatio peccatorum, & confessio de peccatis reseruatis facta Sacerdoti inferiori non esset nulla ex defectu iurisdictionis, quæ omnia repugnant veritati.

Secunda etiam sententia est falsa, quia necessitas iurisdictionis in Ministro huius sacramenti non est ex præcepto Ecclesiæ, sed ex intrinseca ratione, & institutione huius sacramenti, quod perficitur per modum iudicij, nam alias quamuis in confessione ex præcepto Ecclesiæ esset necessaria iurisdictio, vt licitè administraretur, non tamen esset per se necessaria ad valorem sacramenti, quia solum præceptum Ecclesiæ ad hoc non sufficit.

Quare omissis his opinionibus, dicendum est sacramentum Pœnitentiæ collatum a Sacerdote excommunicato non tolerato, quem vitare tenemur circa materiam necessariam, & extra articulum necessitatis inualidum esse, & nullum, idque non tantum per accidens ob indispositionem Pœnitentis, sed per se ob defectum alicuius conditionis per se necessariæ ex parte ministri, & hanc ob causam talem confessionem omninò iterandam esse.

Est propositio communis Theologorum B. Thom. distinctione decimaseptima, quæstione tertia, articulo tertio, quæstiunc. quarta, & distinctinctione decimanona, quæstione prima, articulo tertio, quæstiunc. prima, Palud. distinct. 17. quæst. 3. art. 1. & distinct. 19. quæst. 2. art. 3. Vbi etiam Capreol. Gabr. Sot. & alij, Canon. Relect. de Pœnitentia part. 5. Medi. Cod. de Confessione quæst. 39. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 259. & in cap. Placuit num. 48. & 53. de Pœnitentia distinct. 6. Ang. V. Confessio 3. nu. 4. & Siluester Confessor 1. §. 1. & §. 16. Antonin. 3. par. tit. 17. cap. 4. Couarr. in c. Alma Mater part. 1. §. 6. num. 7. vers. Sexta conclusio. Desumitur hæc doctrina ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij, & clariùs ex Tridentino sess. 14. cap. 7. Vbi hæc habentur, *Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Et ratio est, quia de essentia huius sacramenti, & de necessitate ex parte Ministri est, vt habeat iurisdictionem, sed non omnis sacerdos habet iurisdictionem, ergo non omnis sacerdos est sufficiens Minister. Quare Excommunicatus cum sit priuatus iurisdictione cap. Ad probandum de re iudic. cap. Duobus de sententia excommunicationis. cap. Audiuimus §. Sin autem ex corde 24. quæst. 1. & alibi non erit sufficiens Minister, neque enim per excommunicationem tantùm prohibetur Excommunicatus, ne possit absoluere, sed etiam aufertur conditio, seu potestas necessaria in Ministro ad valorem talis actus, & hæc potestas vocatur iurisdictio, quæ per homines dari, & auferri potest, & hæc conclusio vera erit quomodocunque sentiamus de hac potestate iurisdictionis iuxta varias probabiles Doctorum sententias.

Siue dicamus sacerdotem in ipsa ordinatione accipere iurisdictionem in habitu, eamque esse immutabilem per Ecclesiam, & non distingui a potestate ordinis, tamen fatendum est iurisdictionem in actu habere a Papa, vel Prælato, cum eligitur ad munus absoluendi, & ita sentit Nauarr. in Manual. cap. 4. num. 20. & latius cap. 27. num. 259. & 260. & in cap. Placuit in principio, & presertim numero quadragesimosexto, de Pœnitentia distinctione sexta, & Palud. etiam videtur idem docuisse dinstinct. 17. quæstione tertia art. 3. Siluest.

Confes-

Confessor 1. §. 2. Vel secundum sententiam aliorum affirmemus Sacerdotem in ordinatione sua recipere veram potestatem iurisdictionis, sed inchoatam, & incompletam, & illam compleri in ratione Iurisdictionis per applicationem, seu subiectionem materiæ, quæ fit per Ecclesiam, quia applicatio materiæ commissa est Summo Pontifici, & Prælatis Ecclesiæ, vt nisi ipsi applicent materiam, vel conferant subditis, non possit Sacerdos ex vi solius ordinationis validum actum huius potestatis efficere, & hunc modum insinuat Maior. in 4. dist. 19. q. 1. ad fin. Antonin. 3. par. tit. 17. cap. 4. Angelus V. Confessio 3. nu. 4. & multi Canonistæ sunt in eadem opinione, vel tertio dicamus iuxta modum loquendi antiquorum Theologorum potestatem iurisdictionis esse distinctam in Sacerdote a potestate ordinis tàm in essentia, quàm in modo, seu tempore, quo confertur, nam potestas ordinis datur per impressionem characteris, ideo immutabilis manet, potestas verò Iurisdictionis solùm moraliter datur per extrinsecam concessionem, aut alicuius ecclesiastici muneris collationem, per quàm aliquis pastor vel superior aliorum constituitur, ideoque hæc potestas extra Sacramentum ordinis datur, & infra summum Pontificem immediatè per hominem confertur. Est sententia B. Tho. 2. 2. q. 39. art. 3. & 4. contra Gent. cap. 72. & in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. q. 4. Bonauen. dist. 19. art. 3. q. 1. Sot. dist. 18. q. 4. art. 2. Canon relect. de Pœnit. par. 1. & aliorum; quarè secundum hanc opinionem hæ duæ potestates sunt inter se distinctæ, nam non solùm potestas ordinis potest reperiri sine Iurisdictione, sed iurisdictio sine ordine, Parochus enim non Sacerdos habet integram iurisdictionem, quamuis non habeat potestatem remittendi peccata, quæ in ordinatione confertur, & ideo non possit per se actum illum iurisdictionis exercere, sed solùm valeat eum alteri delegare, quia ad exercitium talis actus est simpliciter necessaria potestas ordinis, & hinc sequitur potestatem hanc iurisdictionis non dari ex vi ordinationis Sacerdotis, sicut potestas ordinis, quæ per Sacramentum datur, & ideo Sacramentalis potestas vocatur à S. Tho. sed ex simplici iniunctione hominis, quatenus est in omnibus inferioribus summo Pontifice, & ideo mutari, & tolli potest per hominem, sicut aufertur, quando Superior, & Prælatus excommunicat Sacerdotem, & idcircò si talis Sacerdos excommunicatus tentet absoluere, absolutio erit nulla ex defectu iurisdictionis.

Objicies, ex dictis sequi videtur Ecclesiam posse mutare aliquid substantiale pertinens ad essentiam Sacramenti ex parte Ministri, quia iurisdictio necessaria est in Ministro ad conferendum Sacramentum Pœnitentiæ, & hæc mutari potest, auferri, & tolli per Prælatum, Igitur Ecclesia poterit mutare, quæ ex institutione Christi pertinent ad essentiam huius Sacramenti.

Respondeo Ecclesiam non mutare aliquid substanstiale in ministerio huius Sacramenti, quia requisita ad eius valorem ex institutione Christi semper eadem sunt, & illis concurrentibus non potest ecclesia impedire, quominus Sacramentum validum sit, neque instituere, vt sine illis fiat validum Sacramentum, potest tamen efficere, vt hic homo habeat, vel careat ijs, quæ necessaria sunt ex Christi institutione ad conficiendum hoc Sacramentum, nam vnum ex his requisitis est, quod iurisdictionem in subditum habeat, quod pendet ex concessione, & ablatione Ecclesiæ, sicut facit per excommunicationem, qua iurisdictio- A ne sublata iam deficit in Sacerdote aliquid essentiale ad substantiam huius Sacramenti pertinens ex Christi institutione. Confessio igitur facta Sacerdoti excommunicato, non tolerato inualida erit defectu iurisdictionis, & ideo iteranda; quare si pœnitens scienter confiteatur huiusmodi Sacerdoti, tunc confessio ex duplici capite erit nulla, & ex defectu iurisdictionis, ex parte Ministri, & ex defectu confessionis ex parte pœnitentis, quia confessio non est integra cum sufficienti dolore, postquam Pœnitens in ipso actu confessionis spontè, & voluntariè peccat.

Diximus autem in propositione Sacramentum Pœnitentiæ collatum à Sacerdote excommunicato B non tolerato circa materiam necessariam, & extra articulum necessitatis inualidum esse, nam in casu extremæ necessitatis quilibet Sacerdos potest esse Minister huius Sacramenti, vt probauimus in cap. 3. Disput. 7. Quantùm verò ad materiam necessariam hoc additur propter peccata venialia, vel mortalia iam semel ritè confessa. De quibus dubitari potest, an absolutio data à Sacerdote excommunicato non tolerato sit valida, puta si pœnitens ignorans excommunicationem ipsius Parochi confiteatur peccata venialia solùm, vel mortalia aliàs confessa, an absolutio sit valida. Ratio difficultatis est, quoniam ad absolutionem venialium, vel mortalium, C quæ aliàs pœnitens sit confessus, non videtur necessaria iurisdictio, nam ab vtrisque potest absoluere simplex Sacerdos.

Solutio huius difficultatis pendet ex solutione alterius dubitationis, nimirum qua sit causa, cur quilibet Sacerdos dicatur sufficiens Minister huius Sacramenti, quantùm ad peccata venialia, & mortalia antea confessa, illi enim, qui tenent omnem Sacerdotem esse sufficientem Ministrum in huiusmodi confessione, quia ad absoluendum in tali causa non requiritur propria iurisdictio, sed sufficit voluntaria subiectio D pœnitentis, cohærenter etiam respondere debent absolutionem traditam in tali casu ab excommunicato esse validam, quia etiam si sit priuatus iurisdictione non deest tamen illi aliquid necessarium, cum ad validitatem huius absolutionis non sit necessaria aliqua iurisdictio. Alij verò, qui existimant iurisdictionem esse quidem necessariam, sed illam habere omnes Sacerdotes, quantùm ad peccata venialia, & mortalia antea confessa, coguntur fateri talem absolutionem esse irritam, nàm excommunicatio priuat omni iurisdictione Excommunicatum. Primam opinionem tenet Caiet. tom. 2. opusc. tract. 7. Sed nulla ratione probat, quæ videtur repugnare definitioni Conciliorum Lateran. Florent. & præsertim Tridentini, cum E statuunt ministrum huius Sacramenti fungi debere iurisdictione ordinaria, vel delegata, aliàs absolutionem nullius esse momenti, quæ definitio generalis est sine vlla exceptione, ergo locum habet in omni casu, in omni confessione, in quacunque necessitate, & ex quacunque materia fiat. Confirmatur ratione, quoniam etsi confessio fiat de solis venialibus, tamen Sacramentum perfici debet per modum veri iudicij, igitur etiam in illo casu necessaria est simplex iurisdictio, quia non est tantum conditio requisita ex parte materiæ, vt Caietan. ait, sed ex parte ipsius Ministri non minus in hac confessione, quàm in alijs, immò talis iurisdictio non est vtcunque conditio necessaria, sed dici potest principium per se morale talis actionis, nàm licet absolutio, vt est actus efficaciter

sanctificans hominem, sit per se à potestate ordinis, tamen vt est actus iuridicæ, ac legitimæ sententiæ, est per se à potestate Iurisdictionis, & quia non potest iuridicè exerceri à Sacerdote, nisi vtramq; potestatem habeat, ideo necesse est, vt ab vtraque potestate procedat.

Cum ergo requiratur iurisdictio etiam in absolutione à venialibus, & excommunicatus sit priuatus omni Iurisdictione, Absolutio à Venialibus tradita ab Excommunicato erit inualida, & nulla.

Quamuis enim aliqui dicant hanc iurisdictionem circa venialia datam esse iure diuino omnibus Sacerdotibus in ordinatione, vt tenet Palud. dist. 19. q. 2. & ibi Capreol. ad 3. contra primam conclusionem ob illud fundamentum, quia Ecclesia non potest reseruare hæc peccata, & quia sunt materia voluntariæ confessionis; tamen tenent omnes Sacerdotes habere huiusmodi iurisdictionem à Christo supposita auctoritate Ecclesiæ, à qua tolli, & impediri possit, quando ita expedire iudicet, sicut aufert per excommunicationem vt patet ex consuetudine Ecclesiæ.

Nihilominus probabilius est affirmare iurisdictionem hanc pendere ex delegatione Ecclesiæ, quia non est iurisdictio ordinaria, ergo debet esset delegata, patet autem in simplicibus sacerdotibus hanc iurisdictionem non esse ordinariam, quia non conuenit illis vi alicuius muneris, seù officij Pastoralis, neque etiam competit illis ex vi solius Sacerdotij, quoniam ex institutione Christi non datur in ipsa ordinatione Sacerdotis aliqua Iurisdictio necessariò coniuncta cum potestate ordinis. Neque enim ex illis verbis Christi: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* potest intelligi hæc Iurisdictio à Christo data omnibus Sacerdotibus, quoatum ad venialia, quia Christus ibi simpliciter, & absq; distinctione de omnibus peccatis locutus est. Relinquitur igitur, vt ista iurisdictio competat omnibus Sacerdotibus ex delegatione, & commissione, quod si delegata est, ab Ecclesia esset debet, & à Summo Pontifice manat, vt consuetudo, & traditio ostendit, & ideo Ecclesia potest priuare Sacerdotem hac iurisdictione, sicut priuat per excommunicationem, nàm Sacerdos excommunicatus nominatim, vel degradatus nunquam validè absoluit etiam à solis venialibus.

Sed postulabit aliquis, an Parochus excommunicatus non toleratus, cui interdictum est, nè possit audire confessiones, saltèm habeat facultatem committendi hanc potestatem alteri Sacerdoti.

De hac difficultate dictum est in cap. 6. & ibi probatum est Parochum excommunicatum non toleratum priuatum esse iure delegandi potestatem audiendi confessiones alteri, quia tradere hanc licentiam est actus Iurisdictionis, quia per talem delegationem, & commissionem confertur iurisdictio in alterum, ergo necesse est, vt qui illam communicat alteri, iurisdictionem habeat; quia nemo dat, quod non habet, sed Parochus excommunicatus, non toleratus priuatus est omni iurisdictione, ergo non potest ad hunc actum audiendi confessiones vices suas alteri committere.

CAPVT VIII.

An absolutio Sacramentalis concessa à Sacerdote excommunicato occulto, & tollerato sit valida.

Oritur ex dictis grauis dubitatio, nàm cum probatum sit absolutionem Sacramentalem traditam à Sacerdote excommunicato non tollerato, scilicet deounciato, aut publico Clerici percussore esse nullam, & inualidam, iure quæri potest, An eadem sit ratio de excommunicato occulto, & tollerato.

Possunt ad vtranque partem proponi rationes dubitandi.

Pro prima, quod talis absolutio teneat, facit, quia nonnulli Doctores tenent validam esse absolutionem collatam ab eo qui communi opinione existimatur Sacerdos, sic Alberi. l. Barbarius nu. 29. ff. de off. Prato. & ibi Iason nu. 63. & citat. Glos. c. Dudùm 2. Ver. Decept. de elect. & ibi Innoc. Sed falsò hoc illis imponit, & hanc opinionem credit tutam esse Ripa tract. de remed. ad curandam pestem §. Sed quia vsu videmus nu. 45. & 46. licèt tandem dicat oppositam tutiorem, eandem tenet Franc. Viuius, quem refert, & sequitur Ant. Gabr. commun. opin. lib. 3. fol. 130. vers. Conliteri quilibet potest, & Mascard. de probat. conclus. 649. nu. 14. Hi auctores tenent validam esse absolutionem concessam ab eo, qui communiter habetur pro Sacerdote, ergò multò magis affirmare debent validam esse eandem absolutionem traditam ab occulto excommunicato, qui communi errore censetur legitimum titulum habere ad absoluendum, & carere omni impedimento.

Pro parte verò negatiua facit, quia iurisdictio est necessaria ad absolutionem, est enim actus pendens ab ipsa iurisdictione, sed per excommunicationem etiam occultam iurisdictio est alligata, & ità communis error in hoc casu non proficit, & ita statuit Innoc. Tertius de sententijs latis ab excommunicatis in c. Aduersus de Immun. Eccles. vers. Quia verò, ibi: *Adycimus, vt constitutiones, & sententiæ, quæ à talibus, vel de ipsorum mandato fuerint promulgatæ, inanes, & irritæ habeantur, nullo vnquàm tempore valitura, &c.* & Glos. ibi vers. Tempore valituræ inquit, *Sic ergo patet, quod sententia tempore excommunicationis lata nulla est, nec etiam conualescere potest, vt hic patet, & si detegatur post sententiam, quod aliquis fuerit publicè excommunicatus, retractatur sententia*. Sic tenet Glos. c. 1. §. Verumtamen si seruus vers. dum putaretur 3. q. 7. Vbi primò multis auctoritatibus prubat, quantum communis opinio operetur, deinde quærit, numquid idem sit si Excommunicatus ferat sententiam, qui publicè habetur pro non excommunicato, & respondet diuersam esse rationem de seruo qui putatur liber, & de excommunicato, quia seruus in multis casibus habet personam standi in iudicio, Excommunicatus in nullo, secundo respondet, & credit verius esse, quod nec sententia serui teneret, qui pro libero haberetur, nisi confirmata esset à Principe.

Respondendum est huic difficultati Absolutionem sacramentalem traditam à Parocho occulto excommuncato validam esse existente communi errore.

Probatur primò à contrario sensu ex c. ad probandum de sent. & re iud. ibi, *Ita vt si pro eo, quod vnus ex Iudicibus excommunicationis vinculo esset publicè innodatus &c.* vbi reuocatur sententia, si vnus ex Iudicibus erat publicè excommunicatus ergo secus est dicendum, quando occultè est excommunicatus, & ibi Glos. ver. innodatus idem clarissimè testatur, cum ait, *Aliud si occultè* supple sit excommunicatus, *quia tunc nec ipse, nec alij ipsum tenebantur vitare, quia diuinare non poterant; vnde cum communio opinione liber, & absolutus habeatur, & credatur, quidquid interim facit valet, &c.* Quarè hæc Glosa contraria est alteri Glosæ citatæ in c. 1. 3. q. 7.

Secundo; quoniam non censetur Ecclesia velle priuare vsu iurisdictionis excommunicatum, dum excom-

communicatio occulta est propter bonum commune, ne plurima inde oriantur scandala; multique detecta postea excommunicatione de suo statu dubitent.

Tertiò post Concilium Constantiense non tenemur vitare, nisi solos denunciatos excommunicatos, & notorios Clerici percussores, ergo absolutio concessa ab excommunicato, non denunciato est valida, quia si inualida esset, eum vitare teneremur, nè actus irritus esset; nec timoratis conscientijs satis consuleretur, qui fuit finis illius decreti, immo scandali, & ruinæ maior occasio daretur.

Nec valet, si quis dicat decretum Concilii Constantiensis noluisse fauere excommunicato, ac propterea absolutionem ab ipso datam esse irritam etiam si denunciatus non sit, aliàs emolumentum magnum inde consequeretur.

Nàm dicendum est Concilium directè noluisse fauere excommunicato, sed ipsis fidelibus. Vnde valor Absolutionis directè est ob vtilitatem ipsius Fidelis participantis cum excommunicato, sed indirectè sequitur commodum ipsi Excommunicato, ità respondent Nauar. in Manua. c. 9. num. 10. Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 6. num. 8. Armill. Absolutio nu. 30. Adrian. q. 5. De Confess. dub. 9. Caiet. Summa Ver. Confessio cap. Qua ex parte confessio sit iteranda, & Ver. Absolutionis impedimenta, Pet. Sot. lect. 6. De Confess. Dominicus Sotus distinct. 1. q. 5. art. 6. conc. 5. & alii multi.

Sed contra aliqui obijciunt, quod quamuis sint valida gesta per excommunicatum occultum in iis, quæ pertinent ad temporalia, non tamen hoc est verum in spiritualibus; maximè vero res spiritualis est absolutio sacramentalis à peccatis, igitur talis absolutio non erit valida.

Probant ex c. 2. De Ordinat. ab Episc. qui renunc. Episc. Vbi habetur posse dispensari cum Ordinatis ab Episcopo excommunicato ignoranter, vbi Glo. Ver. Ignorantia, reddit rationem, quia cum talis excommunicatus etiam occultus Ordinis executionem non habeat, eam alteri dare non potest; nemo enim dat, quod non habet, c. Daibertum 1. q. 7. & videtur hoc expresè haberi, cap. Ab excommunicatis 9. q. 1. & tenet ibi Glo. paulò ante finem, Innoc. c. Nihil de elect. num. 3. Igitur propter hanc rationem, cum excommunicatus Sacerdos sit priuatus iurisdictione, quæ necessaria est ad absoluendum, absolutio erit nulla, & huius opinionis ex Theologis sunt Palud. in 4. dist. 17. q. 6. art. 3. B. Antonin. 3. par. tit. 23. cap. 7.

Sed respondendum est; in quibuscunque spiritualibus gesta per occultum excommunicatum valida esse, & propterea etiam absolutionem sacramentalem tenere datam à Parocho occulto excommunicato, & hoc est verius, quia cum adsit communis error facti cum titulo, æquitas poscit, vt omninò valeat quidquid gerit, quia dignitas potius, quàm persona agit. Nec textus citati oppositum probant; intelligendi enim sunt de publice excommunicatis, & quando ignorantia non est probabilis, & illud axioma nemo dat, quod non habet, intelligitur de causa principali, non autem de instrumento, quale est sacerdos sacramentum conferens, & ità, licet iniquus sit, gratiam, qua caret, largitur. Ad hunc modum sentit Palud. in 4. dist. 18. quæst. 4. Castro lib. 2. De leg. Pœna. cap. vlt. Siluc. Excommunicatio 3. §. 5. Et id multò certius est post Concilium Constantiense; nam cum nullo pacto teneatur quis vitare obstrictum quacunque censura, nisi sit denunciatus, vel notorius Clerici percussor,

A igitur poenitens recipiens ab illo absolutionem, veràm recipit absolutionem.

Rursus alii conantur impugnare hanc doctrinam alio medio, asserunt quidam valere absolutionem concessam à Parocho occulto excommunicato, quando est communis error, si habet legitimum titulum Parochiæ, secus verò, si tradita fuerit absolutio à Confessario occulte excommunicato, qui tantum ex commissione, & delegatione Episcopi speciali, cõfessionem audit, & reddunt rationem, quoniam l. Barbarius, ff. de offic. Prætor. l. 2. C. de Sent. & Interlo. cap. 1. 3. q. 7. & alia Iura, ex quibus probant Doctores communem errorem concurrente titulo putatiuo superioris auctoritate collato iurisdictionem conferre, tantùm habent locum in his, quæ ratione publici officij geruntur; in his vero, quæ geruntur vt à priuato, nulla differentia est inter occultum, & publicum excommunicatum; nec error communis quidquam prodesse potest, vt docet Innocen. cap. Cum dilectus numero quarto, & quinto. De Consuet. Card. Clement. 1. ad fi. de Regula Abb. c. Veritatis num. 43. De Dolo, & Contum. & c. Si vere num. 9. De sent. Excom. Franc. cap. 1. num. 8. De except. lib. 6. Felin. cap. Ad probandum num. 1. & 3. De Sent. & Re Iud. Couar. c. Alma Mater 1. par. §. 7. nu. 9. Ant. Gabr. alios referens lib. 1. tit, De Probat. conclu. 8. num. 26.

C Quod si contra hanc sententiam opponas Decretum Concilii Constantiensis, quod prohibet tantum commonionem cum solis excommunicatis denunciatis, & notoriis Clericorum percussoribus.

Respondet Couar. Illud Decretum solum prodesse in iis, quæ fiunt ratione publici officii, in iis verò, quæ à priuata auctoritate procedunt, Iura antiqua quantum ad potestatem ipsius excommunicati manere integra, & illæsa adhuc ante denunciationem, nec ex hac parte per Concilium Constantiense esse coarctata, eandem sententiam tenet Angelus Conf. 4. n. 12.

Respondendum est ad hanc obiectionem, & asserendum tanquàm probabilius valere absolutionem datam à sacerdote excommunicato, etiam si non sit Parochus, sed ex delegatione speciali audiat Confessiones, si adsit titulus verus, aut putatiuus, sitque D communis error excommunicationis, & ex hac parte nullum discrimen statuendum esse inter Parochum, & alios Confessarios delegatos.

Probatur primo; quoniam gesta per Delegatum valent, quando concurrit titulus putatiuus, & communis error, sicut valent gesta per ordinarium, & colligitur ex dicto c. 1. Vers. Verum tamen 3. q. 7. l. 2. C. De sent. & Interloquut. ibi. *Si Arbiter datus à Magistratibus cum sententiam dixit in libertate morabatur, &c* Vbi definitur validam esse sententiam illius propter communem errorem, & tamen est sermo de Iudice delegato, vt testatur Glos. Ver. Si Arbiter. Similiter si seruus, qui testis esse nequit, communi errore putatus liber adhibeatur in testamento, valet testamentum l. 1. C. de Testam. Vbi Glos. vers. Omnium, inquit, *Error communis hoc facit.*

Probatur secundo; quia officium Confessarii delegati non potest dici priuatum, nàm vt optimè ait Abb. cap. Cum dilecta num. 10. De Rescript. dum Superior committit causam, in ipsa commissione versatur in publicum, eo quod iure publico committit.

Tertiò non est certum in gestis ratione priuati officij non esse discrimen inter publicè, & occultè excomunicatum, aliqui tenent oppositum, quos refert Mascard. de probat. conclus. 705. nu. 18. & 19. & vali-

dos

dos eſſe actus geſtos ab excommunicato occulte in quocunque genere actuum, tenet Caſtro lib. 2. De leg. Poena. cap. vlt. concluſ. 2. in fin.

Tandem, quia Concilium Conſtantienſe dum decernit ſolos excommunicatos denũciatos, & notorios Clericorum percuſſores vitandos eſſe id non ad ſolos Parochos coarctauit, ſed vniuerſaliter decreuit.

Pro hac ſententia ſunt Caiet. Summa Ver. Abſolutionis impedimenta §. Abſolutio Nonnullis circumſtantijs impeditur, Nauar. in Manua. cap. 9. num. 10. Sot. in 4. diſt. 1. q. 5. art. 6. concluſ. 5. generaliter docet quemcunq; excommunicatum toleratum validè abſoluere Palud. expreſsè diſt. 17. q. 6. art. 2. num. 11. & Petrus Sot. lect. 6. De Confeſſ. paulò poſt principium, quare hæc ſententia eſt communis, & probabilior, quæ tollit multa incommoda, & ſcandala, quæ frequenter ex oppoſita opinione oriri poſſunt.

Sed reſtat ahuc dubitatio elucidanda; nimirum cum dicimus abſolutionem ſacramentalem collatam ab occulto excommunicato valere; an hoc etiam intelligendum ſit, quando ille, qui abſoluitur certam excommunicationis ipſius Confeſſarij ſcientiam habebat.

Palud. diſt. 17. q. 6. art. 1. Silue. Confeſſor 1. in fi. Tabien. Confeſſio 2. q. 23. num. 25. Aſſerunt Confeſſionem ſcienter factam excommunicato occulto eſſe inualidam.

Sed hæc ſententia reijcitur ex his, quæ diximus in cap. 2. diſp. 6. Vbi contra opinionem Adriani, & aliorum oſtendimus probabilius eſſe aſſerere poſt Concilium Conſtantienſe non eſſe vitandum occultum excommunicatum ante publicam denunciationem, etiam occultè ab eo, qui ſciret illum per ſententiam Iudicis declaratum excommunicatum, & ex conſequenti excommunicatum ante denunciationem habere veram in vtroque foro iuriſdictionem, & geſta per ipſum valida eſſe; quare & abſolutio ſacramentalis firma etiam erit. Ita cenſent Doctores citati in dicto cap. ſecundo.

Sententiam Paludani locum habere poſſet in caſu, quo Poenitens ſciens aliquem eſſe excommunicatum peccaret mortaliter communicando cum eo, ſi poſſet ab alio obtinere abſolutionem; tunc enim videretur cooperari peccato ipſius excommunicati, ſicut dixi in dicto cap. 2. & abſolutio eſſet nulla non defectu iuriſdictionis Confeſſarij, ſed quia Pœnitens lethaliter peccaret in ipſamet confeſſione, & ideo fictè accederet, Nauar. in Manua. cap. 9. num. 19.

Maior dubitatio eſt de confeſſione facta Confeſſario excommunicato per publicam denunciationem, ſed alibi, ſi vbi moratur, eius denunciatio communiter ignoratur, & manet expoſitus audiendis confeſſionibus omnium, Poenitens autem ſcit Confeſſarium eſſe denunciatum excommunicatum; an abſolutio ſit valida.

Medina in Cod. de Confeſſione in qu. de Confeſſ. ſcienter facta Confeſſario excommunicato ad finem inquit; quando eſt aliquis Parochus denunciatus, & eſt error communis, tunc geſta ratione publici officij valere quantum ad forum iudiciale, dum toleratur, ſecus in foro poenitentiali, in quo abſolutio lata ab huiuſmodi excommunicato erit inualida. Et ratio eſt, quia in foro iudiciali defectus ſuppleri poteſt per leges humanas, vt facta teneant; in foro autem conſcientiæ abſolutio ſacramentalis ſuppleri non poteſt, quia pœnitens confitendo tali Parocho excommunicato peccata lethaliter delinquit, & itá ponit obicem abſolutioni quo caſu iure diuino abſolutio eſt nulla; immo Medina cum Adriano q. 5. De Confeſſ. dub. 9. aſſerit; quod ſi hic pœnitens, cui nota eſt excommunicatio per denunciationem ipſius Parochi, compelleretur in foro exteriori ab Epiſcopo per cenſuram excommunicationis, vt ab illo Parocho, cuius excommunicatio communiter ignoratur, reciperet ſacramenta, non poſſet licite obedire.

Ego cenſerem huiuſmodi confeſſionem validam eſſe ex parte Iuriſdictionis ipſius Confeſſarij, nám ob communem errorem illam habet, ideo cautè aſſeruit Medina inualidam fieri propter obicem ipſius Poenitentis, & putarem fortaſſe Poenitentem non ponere obicem, quando acciperet abſolutionem á ſuo Parocho, & non haberet alium, cui poſſet confiteri, & neceſſitate compelleretur ad confeſſionem habendam, tunc enim nullo modo delinqueret excuſante neceſſitate.

Hoc caſu excepto dicerem peccatum lethale committere Poenitentem, ſi confiteretur tali ſacerdoti excommunicato denunciato, quia tenetur occultè vitare, & nihil occultius, quàm forum ſacramentale, ex conſequenti confeſſio eſſet nulla, quia poenitens poneret obicem, quod ſi ab illa culpa ratione ignorantiæ iuris excuſaretur, quia ignoraret inuincibiliter, quod tali Confeſſario confiteri non poterat, tunc abſolutio eſſet valida; nam adeſt iuriſdictio ex parte confeſſarij ratione communis erroris, & pœnitens obicem non poneret. Et ſic finem imponamus tractationi de ſecundo effectu excommunicationis Maioris.

DE TERTIO EFFECTV PRINCIPALI EXCOMM. MAIORIS,

Ideſt de Priuatione quorundam bonorum externorum, quæ ratione Excommunicationis interdicuntur, & ſignificantur nomine priuationis extrinſecæ communionis.

DVO priores effectus, de quibus hactenus diſputatum eſt, pertinent ad incommoda, & damna ſpiritualia interna, quibus afficitur Excommunicatus, quia priuatus eſt vſu ſacramentorum actiuè, & paſſiuè, & fructu ſuffragiorum Eccleſiæ. Hic verò tertius effectus reſpicit externa quædam

quædam damna, quæ proueniunt ab ipsa Excommunicatione, & in primis priuationem externæ communicationis, & commercij in ijs, quæ ad res sacras, & diuina officia spectant, deinde in alijs, quæ ad ciuilem, & humanam vitam pertinent, de quibus omnibus dicendum est.

DISPVTATIO NONA.

De Priuatione Externæ Communionis.

Caput Primum. An Commercium, & Consuetudo excommunicati sit vitanda.

Caput Secundum. An omnes Excommunicati Maiori Excommunicatione sint priuati communione, & consortio externo.

Caput Tertium. An Suspensi, Interdicti, Depositi, Degradati, & Irregulares sint vitandi sub eadem poena sicut excommunicati.

CAPVT I.

An Commercium, & Consuetudo Excommunicati sit vitanda.

Excommunicatos nedum vitandos, sed fugiendos esse docuit Ioannes Euangelista, qui, vt narrat eius auditor vir Sanctissimus Polycarpus Smyrneorum Episcopus, cum apud Ephesum lauandi gratia balneum ingressus fuisset, & vidisset ibi Cherintum, continuò discessit non lotus, dicens, fugiamus hinc, nè & balnea ipsa nos corrumpant, in quibus Cherintus lauatur inimicus veritatis, quin & ipse Polycarpus Marcioni dicenti Agnoscis nos? Respondit, Agnosco primogenitum Sathanæ, Refert Beda super Io. epistolam secundam, & habetur in cap. Omnis 24. q. 1. Narrat etiam Seuerus Dialog. lib. 3. Sanctum Martinum, vt consuleret his, quorum ceruicibus gladius imminebat iussu Maximi Imperatoris tutius existimasse ad horam cedere, & inire communionem cum Episcopis congregatis apud Treuiros, qui quotidie communicantes Ithacio communem sibi causam fecerant eo die, quo Felicis Episcopi ordinatio parabatur; & cum postea Martinus ex illa communione non leuis culpæ Reum se agnosceret, & propterea mæstitiæ, & doloris sensu torqueretur quod ad horam noxiæ communioni se immiscuisset, Astitit ei Angelus quadam die repentè, Merito, inquit, Martine compungeris, sed repara virtutem, resume constantiam, & ab illa die satis cauit, nè vnquam se cum illa Ithacianæ partis communione misceret. Ceterum cum quosdam ex energumenis tardius quàm solebat, & gratia minore curaret, cum lachrimis fatebatur, propter peccatum illius communionis cui se, vel puncto temporis necessitate non spiritu, consenserat, detrimentum sentire virtutis? Hactenus seuerus. Sanctissimus vir Antonius Euangelicæ perfectionis sectator ab Hæreticorum, & Schismaticorum hominum congressu, & colloquio sic abhorrebat, vt ne propè quidem ad eos accedendum fore diceret. Semper igitur in Ecclesia à sanctis, & pijs viris summa diligentia custoditum est, nè vlla vnquam in re, etiam minima, & leuissima communionem aliquam haberent, aut amicitiam inirent cum excommunicatis, & præcisis ab Ecclesia. Et interdum

A ob hanc communicationem legimus fuisse aliquos à Deo etiã in hac vita punitos, narrat Beda lib. 3. Hist. Anglor. cap. 22. de Comite quodam qui ab Episcopo excommunicatus fuerat quoniam illicitum contraxerat coniugium, Rex Anglorum rogatus à Comite domum eius intrauit, paulo post domo egredienti occurrit Episcopus, & prædixit fore (quia domo perditi illius hominis noluerat se continere, vt in eadem domo non multo post moreretur, & ità accidit, fuit enim ab ipsomet Comite necatus.

Si dicas, Christus apud Matth. cap. 18. de excommunicato loquens ait, si Ecclesiam non audierit, habendum esse tanquam Ethnicum, & Publicanum. At
B Ethnici, & Infideles non sunt priuati externo conuictu, & communione fidelium, quare non videtur æquũ hac poena afficere excommunicatum, nec è contra fidelem priuare consortio excommunicati.

Respondendum est Christum allusisse ad consuetudinem Iudæorum, qui ab Ethnicorum, & Publicanorum quos pro publicis peccatoribus habebant, consuetudine abstinebant, & penitus eos vitabant, licèt hodie non vigeat hæc consuetudo, vt sub peccato Infideles sint vitandi.

Immò adeò hoc proprium est excommunicationi, vt excommunicatus carere debeat quotidiano, & cõmuni congressu, & è contra fideles illum fugere debeant, vt patet ex c. penult. De Sent. Excomm. Vt nomen
C ipsum excommunicatio nihil aliud significet, quàm secretionem, & separationem, vt declaratum est, ità ergo propria est & connaturalis ipsi excommunicationi separatio ab aliorum communione, vt ab ea nomen sibi comparauerit, vt tradit S. Tho. dist. 18. q. 2. art. 4. Et hæc obligatio est reciproca; afficit enim, & ipsos Fideles non excommunicatos, vt consuetudinem excommunicati cauere debeãt, & ipsummet excommunicatum, vt ab aliorum communione abstinere teneatur, ità quidem, vt si quis probabiliter dubitet; an excommunicatio contra ipsum lata valida sit, aut de Absolutionis valore, potius se excommunicatum, & non absolutum existimare debeat, & aliorum congressum vitare teneatur, textus in c. Illud de Cle-
D ri. Excom. Mini. & ibi Abb. præsertim in his, quæ fiunt extra iudicium, & in foro conscientiæ, in quo, vbi dubij sumus, tutiorem partem eligere debemus, arg. c. Iuuenis de Sponsa. Secùs autem est in iudicio, nam tunc excommunicatio apertissimis argumentis est probanda c. 1. De except. lib. 6.

Nec excommunicatus excommunicati communione vti potest, nam in c. excommunicatos cum duobus seq. 11. q. 3. simpliciter prohibetur, nè quis excommunicati communione vtatur, Glo. tamen in cap. Deuotum 27. q. 1. Excommunicatum cum excommunicato esse posse existimauit, & id desumitur ex illo tex. argumentando à contrario sensu, ibi præcipitur, vt Mulier, quæ peccauit, & fornicata est, antequam ad-
E mittatur in Ecclesiam post poenitentiam peractam, non accedat ad conuiuium vllius Christianæ Mulieris. Indè infert Glos. posse accedere ad conuiuium non Christianæ, sed hæc ratio non probat; nam argumentum à contrario sensu locum non habet, vbi oppositum Iure cautum est, vt dicunt communiter Doctores l. 1. ff. de off. eius. Hic verò contrarium cautum habemus, simpliciter enim prohibetur, nè quis excom municati communione vtatur in dicto cap. Excommunicatos; nec excipitur excommunicatus, ergo nec nos excipere debemus l. De pretio. ff. De Publ. in rem act. & hanc opinionem sequitur Host. in Sum. nu. 11. Vers.

Verf. Illud etiam notandum De sent. Excom. Felin. c. Nulli eod. tit. Abb. ibi, & in c. Illud num. 7. De Cleri. excomm. mini.

Excommunicatus autem potest vti hominum communione sine offensa, quando agit cum hominibus ad obtinendam absolutionem c. Responso, & c. Cum voluntate de Sent. Excom. Hoc enim summopere desiderat Ecclesia, vt excommunicatus resipiscat, & absoluatur. Cum autem aliquid conceditur, id omne concessum existimatur, sine quo haberi concessum non potest, arg. c. Præterea de Offic. Deleg. Hinc & si agere in quempiam excommunicato non sit permissum c. Decernimus De Sent. excomm. lib. 6. Vbi tamen impeditur, quominus absoluatur, agere non prohibetur.

Secundo potest vti hominum communione excommunicatus, vbi necessitate quapiam premitur, vtpotè famis, si non habet, vndè viuat, nisi aliundè quærat; aut morbi, quia medicinis, & Medici opere indiget; Aut quia est in ius vocatus ad respondendum, sicut etiam si cum ijs versetur, quorum communionem vix vitare potest, cuiusmodi sunt Vxor, liberi, & reliqua familia, c. Quoniam multos 11. q. 3. & c. Inter alia De Sententia Excommunic. sicut inferius latius explicabimus.

Tertiò potest excommunicatus vti communione eorum, qui Christiani non sunt. Ratio est, quia per excommunicationem separatur excommunicatus à communione fidelium, c. penult. De Sent. excom. & à Christi Corpore, quod est Ecclesia, vt in c. Engeltrudam 3. qu. 4. Non igitur seiungitur ab Infidelium communione.

E contra autem Fidelis Christianos debet vitare communionem excommunicati c. Sicut Apostoli, & seq. 11. q. 3. & Couar. probat in c. Alma Mater par. 1. §. 1. Debemus autem vitare in diuinis, & prophanis in publicis functionibus, & priuatis in Iudicio, & extra in Contractibus; vltimis voluntatibus, & quotidiano congressu.

Et quamuis quis habeat priuilegium à Romano Pontifice, & sit exemptus, debet tamen vitare excommunicatum, vt in cap. Nulli de sent. excomm. Etenim priuilegio generali concesso non intelligitur concessum, vt Censuras non seruemus, c. Cum & plantare §. Excommunicatos De Priuileg. & c. Permittimus De Sent. Excom. Neque solù in vita communio Excommunicati est vitanda, sed etiam post mortem. Glos. in c. Ad hæc, & ibi Abb. n. 2. De sent. Excom. Nàm Excommunicatio nonsolum animam; sed & corpus afficit, Propterea caret Ecclesiastica sepoltura. Qui vero corpus Excommunicati in profano loco sepulturæ tradit, non est culpæ reus, quique in hoc opem fert, felin. in c. Mulieres De sent. Excom.

Et hæc communicatio cum excommunicato in casibus, quibus non licet, dicitur prohibita de Iure diuino, non quidem in hoc sensu, vt ab ipso Christo immediate vetitum sit, vt abstineamus à consortio excommunicati in ijs omnibus, in quibus talis communicatio interdicta reperitur, vt probaui in Disp. 3. c. secundo; sed talis prohibitio dicitur Iuris diuini: quia postquam aliquis per auctoritatem Ecclesiæ est excōmunicatus, & ex consequenti eius consuetudo vetita, Iure diuino tenemur obtemperare Ecclesiæ, euitando excommunicatum eo modo, & in ijs actibus, in quibus talis participatio est interdicta, & hæc prohibitio potest ab eadem Ecclesia tolli, aut relaxari ex toto, vel ex parte. Hæc in genere de Priuatione externæ Communionis, sed incipiamus declarare in specie, & distinctè hunc tertium effectum.

CAPVT II.

An omnes Excommunicati Maiori excommunicatione sint priuati hac communione, & consortio externo.

OLim omnes Iure antiquo tenebantur vitare occultum excommunicatum occultè, publicum verò publicè, vt dictum est in cap. 2. Disp. 6. Hoc præceptum limitatum fuit in Concilio Constantiensi ad euitanda scandala, & pericula, & ibi definitum est, vt nemo teneatur euitare excommunicatum etiam in administrandis, & recipiendis sacramentis, vel in officiis diuinis, nisi sit excommunicatus nominatim, & publicè denunciatus à Iudice, aut notorius Clerici percussor.

Hic tamen fauor Concilij Constantiensis nihil prodest ipsis excommunicatis, etiam occultis, vt expresse definitum est in eodem Decreto Concilij Constan. Gabr. dist. 17. q. 3. dub. 5. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 35. & est communis opinio; quare ipsi etiam excommunicati occulti tenentur, vt olim, vitare communicationem fidelium, maximè verò in sacramentis, & diuinis officiis, vt patet ex Concilio Constantiense, & Basilien. Et magis peccat excommunicatus communicando aliis, quam alii non vitando excommunicatum, Nauar. in c. Cum contingat Remed. 2. nu. 28. De Rescript. ex c. Illud de Cleri. excom. Mini.

Eodem modo, quo vitandi sunt denunciati, debent etiam vitari publici Clericorum percussores.

Huius igitur duplicis generis excommunicati in communicatione externa sunt vitandi. Et hoc intelligendum est, quando excommunicatio valida est siue sit iusta, siue iniusta, si tamen esset nulla, ex ea non oriretur obligatio ad euitandum excommunicatum, vnde nulliter excommunicatus, etiam denunciatus non est vitandus, & probari potest ex. c. Dilectis in fi. de Appella; vbi habetur sanius fecisse Canonicos Senonenses, qui Decano suo communicarunt in diuinis faciendis, quamuis esset denunciatus excommunicatus ab Archiepiscopo, quia post appellationem excommunicatus fuerat, sicque excommunicatio erat nulla, verba textus sunt: *Senonen. tamen Canonicos, qui saniori ducti consilio communicauerunt eidem; vt appellationi ad nos interpositæ, magis quàm denunciationi ab Episcopo factæ deferrent, inculpabiles iudicamus.* Vnde Abb. in eodem c. num. 15. & seq. infert subditos non debere parere Prælato præcipienti, vt euitent aliquem, quem ille denunciauit excommunicatum, si probabiliter constet oppositum esse verum, quia fuit excommunicatus post appellationem legitimè interpositam; citat Decis. Rotæ 256.

Si dicas sententia Pastoris siuè iusta, siuè iniusta, timenda est, ex Greg. c. 1. 11. q. 3. ergo semper est vitandus excommunicatus.

Respondendum est Gregorium non sine causa loquutum esse de sententia Pastoris, quia si Pastor non est, qui excommunicat. 1. vt inquit Nauar. in c. Cum contingat Remed. 2. nu. 15. si non habet potestatem, & iurisdictionem excommunicandi, eius sententia non est timenda. Deinde aliud est agere de sententia iniusta, quæ semper est timenda, c. Episcopus §. Si ergo 11. q. 3. Aliud de sententia, quæ non solum est iniusta, sed nulla, hæc enim non afficit, nec habet vim excommunicationis, Palud. in 4. dist. 18. q. 1.

Si secundo dicas scandalum semper esse vitandum

suo

sub pœna peccati, sed si excommunicatus non euitaretur, scandalum induceretur, igitur semper erit obligatio euitandi excommunicatum, quousque per Iudicem vel declaratus fuerit innocens, vel absolutus.

Respondet Nauarr. vbi supra nu. 16. Scandalum semper esse vitandum, & idcirco Excommunicatum esse vitandum publicè, si nullitatis excommunicationis causa sit occulta, donec promulgetur, sed cum dicimus Excommunicatum nulliter, non esse vitandum intelligimus, quando nullitas publicè patet, & est manifesta, tunc enim si ex huiusmodi communicatione sumeretur scandalum, non esset scandalum pusillorum sed Pharisæorum vt Palud. loco citato, & B. Antonin. in 3. par. tit. 24. cap. 73. sub fin.

B Quare possunt, & debent fideles communicare Excommunicato etiam in diuinis, quandò certò sciunt denunciatum Excommunicatum ante Excommunicationem appellasse. Hoc enim sentiunt, non tantùm Doctores citati, sed & fatentur expressè Archid. in c. Curæ 11. q. 3. & ante illum Innoc. in c. Pastoralis §. Verùm de Appell. & ibi Host. & alij, quos refert Nauarr. in dicto remed. 2. nu. 31.

Et ob eandem rationem ipsemet excommunicatus nulliter, & denunciatus publicè non tenetur abstinere à diuinis, neq; ab alia hominum legitima communione modo nullitatis causa publica fuerit, vt Palud. & Antoninus vbi supra, docet, & ex Canonistis Innocentius, Oldradus, & alij multi, quos citat Nauar. in dicto cap. Cum contingat in tertia nullitatis causa nu. 5. & Remed. 2. nu. 4. in fi.

C Si quærat aliquis, An teneamur euitare aliquem tanquàm excommunicatum, si contra eum lata sit sententia declaratoria criminis commissi, cui annexa sit Excommunicatio, & talis sententia sit legitimè promulgata, & denunciata.

Respondeo affirmatiuè, satis esse, si declaretur quis commisisse crimen, cui iure adiuncta est pœna Excommunicationis, vt ex obligatione sit vitandus facta denunciatione, ac si declaratus fuerit excommunicatus, vt notat Couarr in c. Alma. par. 1. §. 2. nu. 9. Sot. in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. & dist. 13. q. 1. art. 3. & dist. 22. q. 1. art. 4.

D Sed dubitari potest in specie de Hæreticis, an eo ipso, quod declarari sunt, vel denunciati Hæretici, sine Ecclesiastica constitutione vitandi tanquam excommunicati.

Dominicus Sot. dist. 22. q. 1. art. 4. inquit sufficere, vt quis sit declaratus Hæreticus, vt teneamur illum vitare.

Quod Nauarro in addit. ad lib. de Orat. notab. 22. nu. 6. non videtur omninò de rigore iuris verum, tùm quia non est formaliter idem esse denunciatum excommunicatum, & denunciatum Hæreticum, tùm quia ignorant multi hæreticos esse ipso iure excommunicatos, & ideò licèt sit iuris notorium, non tamen est notorium facti, idcirco inquit ipse non sufficere quem esse denunciatum hæreticum, vt sit vitandus, nisi expressè denuncietur Excommunicatus, non enim rectè fit à separatis illatio l. Papinianus ff. de minor. præsertim in pœnis, c. Pœnæ de Pœnit. dist. 1. saltem quando non est in vtroque eadem omninò ratio iuxta Glos. singul. & ei addita per Domin. & Franc. in c. 1. de temp. ord. lib. 6. qualis non est in hoc casu per prædicta. Mihi magis placet sententia Soti, quia ignorantia iuris regulariter non excusat, maximè quia in Bulla Cœnæ Domini quot annis Hæretici excommunicantur.

Si dicas, ex hac opinione videtur sequi, quod si Papa integram Prouinciam, vel Regnum declararet in genere hæreticum, & de hæresi damnaret, fideles obligati essent sub pœna excommunicationis minoris vitare singulos incolas illius Prouinciæ, ali qui tenent hanc obligationem vigere, Siluest. Excommunicatio 5. §. 18. Sot. dist. 1. q. 5. art. 6. & dist. 13. q. 1. art. 9. & dist. 18. q. 4. art 3. & dist. 25. q. 1. art. 3.

Respondeo ad hanc obiectionem Catholicos communicantes cum huiusmodi Hæreticis excusari propter multitudinem Hæreticorum, qui ibi reperiuntur & necessitatem communicandi, & commercia exercendi, necessitas enim facit licitum, quòd aliàs non esset licitum iuxta Regulam. quod non est licitum de reg. iur. lib. 6. & nihilominus, quantum possunt, tenentur vitare huiusmodi Hæreticos, tùm propter ipsos communicantes, ne Hæreticus, vt cancer eos inficiat, & ad cauendam omnem sinistram opinionem, quæ habetur de eo, qui familiaritatem tenet cum hæretico, sic vxor fidelis manet separata à viro infideli, tùm propter ipsum Hæreticum, vt confundatur, quòd fideles se separent ab illo.

Si quis tamen ipsos alloquatur, vel alio modo ex necessaria, aut iusta, & rationabili causa cum ipsis communicet, non incurrit excommunicationem minorem, nisi sint singuli specialiter nominati, saltem ratione officij noti, Glos. e. cum & plantare de Priuilegijs, Glos. Clem. 1. de vita, & honest. Cler. Sot. dist. 22. q. 1. art. 4.

CAPVT III.

An Suspensi, Interdicti, Depositi, Degradati, & Irregulares sint vitandi sub eadem poena sicut excommunicati.

Dubium esse potest, & controuersum, an sicut statuit Concilium Constantiense, vt omnis notoriè excommunicatus, vbi nulla tergiuersatione celari potest, vel saltem iuxta tenorem decreti Concilij Constantiensis. qui ob violentam manuum iniectionem in Cleric. m notoriè est excommunicatus, sit vitandus etiam ante denunciationem; ita quoque sentiendum sit statutum fuisse de suspensis, interdictis, &c. vt si constet aliquem huiusmodi censuris notoriè detineri, teneamur illum vitare etiam ante denunciationem.

Quidam censent Decretum Concilij solos Excommunicatos complecti, non aliis censuris alligatos.

Quoniam verba Extrauag. videntur clara, quibus excipiuntur soli Excommunicati, & exceptio firmat Regulam in reliquis non exceptis c. Dominus 32. q. 7. c. 2. de coniug. Leprof. Igitur cæteri, quacunq; censura grauati, non sunt vitandi, quamuis sint notorii ante denunciationem.

E Contra, quod illa exceptio sit communis, & omnes amplectatur censuras, probari potest.

Primò quoniam militat eadem ratio de omnibus censuris, & lex ex identitate rationis ex vno casu extenditur ad alium cap. cum dilecta de confir. vtil. illis verbis *Eiusdem æquitatis similitudine* in c. Ad audientiam de Cleric. non resid. in c. iurauit de Probat.

Secundò quoniam grauius est, & maius malum, non vitare interdictum, aut suspensum in iis rebus, in quibus est interdictus, aut suspensus, quàm non vitare excommunicatum, quoniam non vitare Excommunicatum regulariter est peccatum veniale, vt Theologi communiter asserunt in 4. sent. dist. 18. & Cano-

nistæ in c. Sacris, quod metus causa. Non euitare autem interdictum, aut suspensum, in quibus est suspensus, omnes fatentur esse peccatum mortale, ergo si Excommunicatus est vitandus ex notoria manuum iniectione in Clericum multò magis erit vitandus notoriè suspensus, vel Interdictus.

His rationibus ductus Nauar. in §. laboret, c. 1. de Pænit. dist. 6. nu. 19. inclinat in hanc partem.

Sed opinio Nauarri non nititur solito fundamento, quoniam similitudo rationis non valet, vt liceat à disparatis, & distinctis argumentari, & ab vno ad aliud inferre, maximè in pœnis, quæ non sunt dilatandæ, sed coarctandæ, quare cum Concilium Constantiense exeipiat tantùm notoriè excommunicatos, igitur talis exceptio non est trahenda ad notoriè interdictos, suspensos, &c.

Accedit ad hæc, esse peculiarem rationem de excommunicatione, quæ est grauissima omnium censurarum, vt probaui in cap. 3. disp. 2. & est summa pœna, quæ in Ecclesia aduersus grauissima scelera, & delicta imponatur. Et multò magis particularis ratio est de illa excommunicatione, qua incurritur ob percussionem Clerici, hoc enim crimen iura sæpissimè tanquam enormè, & maximè detestabile summoperè damnant, & abhorrent, quarè non rectè illatio fit ab Excommunicatione ob percussionem Clerici ad alias censuras.

Idcirco discedendum est ab opinione Nauarri, quā videtur postea mutasse in Manua. c. 27. 35. & in tract. De Orat. cap. 22. n. 5. & dicendum est simpliciter Concilium excepisse tantùm notorie excommunicatos ob percussionem Clerici, Isti enim etiam ante sententiam Iudicis, & denunciationē sunt vitandi; sed hęc exceptio non habet locum in alijs censuris, Vnde nec suspensi, vel Interdicti notorie, & publice sunt necessario vitandi, nisi postquam per sententiam Iudicis nominatim, & in specie fuerint publice declarati tales, sicut dictum est de excommunicatione, secuta enim publica denunciatione vitandus erit suspensus, vel quauis alia censura alligatus, sicut vitandus est excōmunicatus post denunciationem, Nam constitutio Concilij Constantiensis, & Basiliensis est vniuersalis quantum ad omnes Censuras, vt quicunque sit publice declaratus aliqua censuræ specie obstrictus, sit vitandus siue sit excommunicatus, siue suspensus &c.

Sed modò succedit dubitatio, postquam suspensi, interdicti, & quacunque alia censura obstricti non sunt vitandi ante denunciationem, sicut de Excommunicatis probatum est, an saltem post denunciationem sint vitandi, & in rebus sacris, & prophanis, & communibus, sicut Excommunicati, & sub eadem pœna, respondendum est ad difficultatem distinctè quibusdam propositionibus.

In primis omnes fatentur cum Clerico suspenso ab officio, aut à Sacramentorum administratione, aut personaliter interdicto, etiam si sit denunciatus, non

A esse prohibitum communicare in humanis.

Secundò qui cum illo participat in diuinis non incurrere vllam censuram, quia nullo iure exprimitur, nec datur suspensio minor, quam participans incurrat, sicut datur Excommunicatio minor, quidquid sentiat Abb. vt ostendam cum de suspensione tractabo disp. 1. cap. 3. quem sequuntur Caiet. & Armilla, cum tamen Clericus interdum suspendatur ob peccatum veniale, sicut non datur Interdictum minus, Nauar. in Manua. cap. 25. num. 93. & consil. 4. num. 37. de Pœnitentia libro quinto.

Tertiò; qui Parochum sic suspensum, vel interdictum, denunciatum moraliter inducit, vt violet illam Censuram suspensionis, & interdicti, non minus pec-
B cat; quam ipse Parochus; Nauar. cap. 27. nu. 163. & in cap. 1. De Pœnit. dist. 6. §. Laboret nu. 18.

Sed si quis, secluso scandalo, huius Suspensi denunciati Missam audiret, aut simul cum illo interesset Missæ, aut alijs diuinis officijs, non peccaret, si illum nullo modo induxerit, quia nullo iure id habetur cautum.

Si tamen suspensus sit ab administratione sacramentorum, & denunciatus absoluat, non valet absolutio. Nauar. cap. 27. num. 163. quia caret vsu Iurisdictionis.

Quartò subditus potest licite petere à Parocho suspenso, aut interdicto, si denunciatus publice, & nomi-
C natim non sit, officium, & sacramenta diuina, & Parochus petitus non peccat ministrando in gratiam subditorum, nec sit Irregularis, & valet absolutio peccatorum à sic suspenso impensa. Hoc definitum fuit in Concilio Constantiensi, & explicatum in Basiliensi, & Lateranensi sub Leone 10. sess. 11. Vt non teneamur euitare Excommunicatos, Suspensos, & Prohibitos, idest Interdictos, aut Irregulares, nisi sint publicè, & nominatim denunciati. Nauar. cap. 27. num. 163. Couar. cap. Alma Mater par. 1. §. 2. nu. 7. Victo. §. 327. in Summa, Dom. Sot dist. 1. q. 5. art. 6. Conclus. 8. Silue. Excom. 5. num. 3. Abb. cap. Veritatis num. 33. De Dolo, & Contum.

Idem dicendum est de Parocho irregulari, quando
D non est per notoriam sententiam damnatus de irregularitate, licere subdito ab illo petere, & recipere Sacramenta, & absolutionem.

Irregularis in Concilio Basiliensi, & Lateranensi intelligitur nomine prohibiti, Nauar. c. 27. nu. 239. Couar. 1. par. §. 2. nu. vlt. Igitur, vt teneamur euitare irregularem in Sacramentis, requitur, vt sit publieè denunciatus, sicut de Excommunicato dictum est, rarò tamen damnatur quis in loco publico de suspensione, aut irregularitate.

Tandem degradatum tenemur in Sacramentis vitare, Sotus dist. 1. q. 5. art. 6. conclus. 8. quia degradatio fit cum denunciatione priuatæ personæ, nec incurritur per sententiam generalem. Sufficiant hæc ad hoc caput.



DE

DE EODEM TERTIO EFFECTV EXCOMMVNICATIONIS.



MNIA, quæ pertinent ad hunc tertium effectum Excommunicationis reduci possunt ad quinq; capita, quæ comprehenduntur vulgato illo versiculo, quem ponit Glosa in cap. Statuimus De Sent. Excom. lib. 6. ex Hostien. in Sum. de sententia excommunic. §. Exquisita pœna, vnde postea omnes Summistæ desumpserunt.

Si pro delictis Anathema quis efficiatur
Os, Orare, Vale, Communio Mensa negatur.

Ex his quinque generibus Actionum aliquæ sunt sacræ, & Ecclesiasticæ, quæ intelliguntur ea voce orare, vt audire sacrum, recitare horas in Ecclesia, cantare in Choro, & voce illa Communio, quæ primum prohibet communicationē in administratione, & receptione Sacramentorum, deinde in alijs commercijs. Aliæ verò sunt ciuiles, & Humanæ, quæ communes sunt Fidelibus, & Gentilibus, & significantur illis vocibus Os, Vale, Mensa. Declaremus modò omnia distinctè, & sigillatim.

DISPVTATIO DECIMA.

De bonis, quæ nomine priuationis externæ communionis includuntur.

CAPVT I.

Quæ Actiones ciuiles, & Humanæ prohibeantur ab Ecclesia illis vocibus, Os, Vale, Communio, Mensa.

A Per *Os* intelligitur omnis communicatio, quæ fit alloquendo, osculando, amplexando, recipiendo, vel mittendo, vel dando litteras, nuncium, vel munera c. cum excommunicato, & sequentibus 11. q. 3. Nauar. in Manual. cap. 27. nu. 20. & communiter omnes.

Non licet igitur loqui cum Excommunicato, non modo palàm, sed neque clam, vt habetur in dicto c. Cum excommunicato, etiam si excommunicatus non respondeat, & quamuis ab ipso prouocemur, Silu. V. Excommunicatio 5. §. 2. Caiet. V. Cõmunio, Sot. dist. 22. q. 1. art. 4. Couar. in c. Alma par. 1. §. 2. nu. 1. & semper fuisse vetitum alloqui excommunicatum, vel ad eum scribere, probat luculenter Epistola Flauiani Episcopi ad Leonem Papam, qua certiorem illum reddens de sententia lata in Synodo Constantinopolitana aduersus Eutychetem Hæreticum, qua & priuatus erat presbyterio, & excommunicatione innodatus, à communione fidelium exclusus, tandem concludit epistolam in hæc verba, & habetur post epistolam 8. apud S. Leonem. *Vt sanctitas vestra hoc cognoscens, quod circa illum actum est, omnibus Episcopis sub beatitudine vestra degentibus manifestare dignetur illius impietatem, nè nescientes aliqui, quid ille senserit quasi ad Orthodoxum, vel per literas, vel per aliquam conunctionem loquantur.* Similiter nec nuncium ad excommunicatum mittere possumus, nam paria sunt quidquam tractari verbo, nuncio, & epistola, textus in c. Clericus 81. dist. & c. Vbi periculum §. Nulli de elect. lib. 6.

C Sequitur verbum *Vale*, quo prohibentur omnes salutationes, quæ fiunt mutuis sermonibus, aut epistolis aut etiam assurgendo, detegendo caput, mouendo labia, vel alijs similibus signis denotantibus salutationem sine locutione, vt dicunt Card. Immo & communis in clem. si. de sent. Excom. Silu. Ver. Excomm. 5. §. 3. Nauar. c. 27. nu. 19. Fundamentum huius opinionis est, quia assurgere, detegere caput, & similia dicuntur salutationes non verbo, sed opere, & ita accipiuntur secundum vsum, & morem communem hominum, & spectant ad quandam communicationem, quæ generaliter prohibetur 11. q. 3. c. excommunicatus, & c. qui communicauerit, & c. sicut Apostoli, & hanc opinionem dicit veriorem Silue. Alij censent non esse D prohibitam detectionem capitis, aut si quis assurgat, dummodo non proferat verbum. Ita Ang. V. Excommunicatio 8. §. 4. Anton. 3. par. tit. 25. c. 2. Armill. excommun. nu. 41. Sot. in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. Maior. in 4. dist. 18. q. 2. Ratio ipsorum est, quia pœnæ sunt restringendæ, non ampliandæ de Poenit. dist. 1. c. poenæ, & Reg. odia. lib. 6. Quare cum aperire caput non sit salutatio, quia non interuenit locutio realis, non est igitur prohibita tanquàm salutatio. Conciliari possunt huiusmodi opiniones contrariæ vt prima loquatur in foro exteriori, nã Ecclesia non intendit prohibere salutationē interiorē, quæ in charitate fundatur, sed exteriorē ad punitionē excommunicati, & terrorē aliorum siue facto, siue sermone exerceatur. Vnde vt E inquit Silue. ex mente Archid. si quis debeat scribere Excommunicato in casibus de iure permissis, non potest præmittere salutationem, sed salutationis loco

potest hæc addere, spiritum consilij sanioris infundat tibi Deus, & si fuerit salutatus ab Excommunicato, respondere potest, Deus te emendet, vel similia ex eodem Archid. Secunda verò opinio intelligenda est in foro conscientiæ, quando huiusmodi signa sine intentione, & animo salutandi, vel resalutandi fiunt arg. l. Non omnis ff. si cert. petat. l. Si agris ff. de acquir. re. Domi. quæ communicatio per huiusmodi signa in foro interiori absque voluntate salutandi non est damnata, nec per eam incurritur Minor Excommunicatio, & hoc modo videtur sentire Dominicus Sotus.

Immò, quando periculum immineret, aut damnum alicui, si recusaret detegere caput, aut assurgere Excommunicato, tunc ad euitandum huiusmodi incommodum, licere honoris obsequia præbere excommunicato denunciato. Hac ratione possunt subditi excusari, si honore externo prosequantur, detegendo caput, & assurgendo, Gubernatori Excommunicati, Vices Regis innocentes in Prouincia Gerenti, hic enim actus externus excusatur à culpa, quia vtile est subditis habere Iudicem beneuolum, cum facilè sit incidere in manus eius.

Verbum *Communio* prohibet participationem, quæ habetur in operando, exercendo, & faciendo aliquid simul cum excommunicato, aut habitando in eadem domo, aut in aliqua eius parte, aut agendo cum eo alijs modis. Et hac Communio primum prohibetur in Sacramentorum receptione, & administratione, vt dictum est, deinde in alijs commerciis; si tamen quis sit in eadem domo cum excommunicato, vel etiam cubiculo ad diuersa negocia peragenda, non dicitur participare cum excommunicato secundùm Innoc. cap. Nuper de sent. Excom. & idem dicit Silue. loco citato, secus si ibi manerent ambo ad eundem finem Quarè generaliter de iure prohibentur omnes actus conuersationis politicæ, præcipuè legitimæ, vnde nemo contrahere potest cum excommunicato.

Postrema tandem dictio, *Mensa*, significat comedere in eadem mensa, dormire in eodem lecto, quamuis domus sit aliena, secundum B. Antoni. 3. par. tit. 25. cap. 2. & in tract. de Censuris §. extra prædictos casus, Nauar. c. 27. nu, 20. & ex mente Innoc. in c. Nuper de sent. Excom. Silue. Excommunicatio 5. nu. 3. non potest quis comedere cum Excommunicato etiã in conuiuio ab aliquo alio in eius domo parato, immò debet surgere è mensa, si Excommunicatus accumberet, non tenetur tamen exire domo, sed potest in alia domus parte comedere, si vterque non erat inuitatus ad conuiuium, nàm si ambo erant inuitati, licet duabus mensis diuersis comederent, videbuntur communicare in eodem conuiuio, & simul edere quantum ad hunc effectum, vt dicit Armill. num. 43. Nauarrus cap. 27. nu. 20. Ad hæc addunt aliqui, quod si quis in itinere in hospitio ad mensam recumberet, & superueniat excommunicatus, & sederet in eadem mensa ad edendum, non diceretur hoc actu communicare cum excommunicato, nam etiam si in eadem mensa sedeat, tamen dicuntur diuersa prandia formaliter, licet idem prandium sit materialiter.

Tandem non possumus cum excommunicato quidquam operari, quare si simul multi operentur, inter quos sit excommunicatus, aut eijcient excommunicatum, aut alii ab opere abibunt.

CAPVT II.

An Excommunicati Communicatio prohibeatur sacrificio Missæ, quod significatur verbo illo Orare.

PEr orare significatur omnis communicatio, quæ habetur primum in administratione Sacramentorum, de qua superius diximus, si Excommunicatus enim etiam occultus, & Pastor spontè se ingerens ministret solemniter Sacramentum, peccat mortaliter, Nauar. in Manual. cap. 25. nu. 93. cap. 27. n. 20. & 144. Secus si Parochus à subditis compellatur.

Deinde circa officia diuina, prohibetur enim etiam occultus excommunicatus interesse Missis, & horis Canonicis, quas alii recitant & aliis officiis Ecclesiasticis audiendo, vel dicendo in Ecclesia, vel extra iuxta cap. Nuper de sent. Excom. B. Tho. quodli. 11. art. 9. Palud. in 4. dist. 18. q. 6. Sot. dist. 22. q. 1. art. 4. Et fideles prohibentur cum excommunicato denũciato audire sacrum, sed non extenditur hæc prohibitio, quando excommunicatus est occultus toleratus ab Ecclesia.

De hoc sacrificio Missæ tractabimus in hoc capite, de aliis officiis diuinis dicemus in sequentibus.

Excommunicatus prohibetur interesse Missæ, aut Sacerdoti sacrum peragenti inseruire, quia excommunicatus priuatus est omni communione fidelium, & vna ex præcipuis communicationibus, maxime in rebus sacris est in iis, quæ pertinent ad hoc sacrificium peragendum, vt habetur c. Illud. de Cler. Excom. Minist. in fine illis verbis, *Pœnam quam Canon infligit his, qui post excommunicationem diuina præsumpserit officia celebrare, vel se celebrationi ingesserit diuinorum &c.* c. Is qui c. vlt. de sent. Excom. lib. 6. c. Episcoporum de Priuileg. eod. lib.

Postulabit aliquis, an licitum sit in casu necessitatis, Sacerdoti quando incumbit ei onus celebrandi, & adest tantùm excommunicatus, qui possit tanquam Minister illi inseruire, illum assumere ad hoc ministerium.

Respondeo, vel ille excommunicatus est denunciatus, vel est occultus, & toleratus ab Ecclesia, si est excommunicatus, primo modo prohibitum erit admittere illum, vt inseruiat Missæ, etiam quando vrget celebrandi obligatio, quia tunc temporis interdicta est illius communicatio, secundo modo videtur permissum inducere excommunicatum, vt sibi ministret in sacrificio Missæ, quia iuxta extrauag. Ad euitanda non tenetur illius commercium cauere, si non est denunciatus, & aliàs inducitur ex causa rationabili ad illum inducendum, vnde neque peccatum committet excommunicatus, si in hoc casu administret, quia id non in ipsius, sed in alterius, scilicet Sacerdotis celebrantis fauorem, & beneficium cedit, quanquàm raro huiusmodi casus contingere possit, sed seclusa necessitate, vel rationabili causa celebrandi excommunicatus non excusatur à peccato, si communicet in celebratione sacrificii Missæ, nullam tamen ex huiusmodi ministerio incurrit pœnam, nam quamuis sit imposita excommunicatio minor ab ipso iure in pœnam communicantium cum excommunicato, excommunicatus tamen maiori excommunicatione communicans aliis non contrahit hanc pœnam, quia hæc pœna imposita est non ipsi excommunicato, sed aliis communicantibus cum eo.

Quæret quis, an peccet excommunicatus, si non audiat Missam in die festo.

Respon-

Respondeo ratione huius impedimenti excusari à præcepto audiendi Missam, sicut etiam excusatur Interdictus speciali, aut generali interdicto, quoniam his prohibitum est ab Ecclesia diuinis officijs interesse etiam diebus festis, quod etiam verum est, si quis sua culpa hanc censuram contraxerit, nàm licet tunc peccauerit, tamen postquam factus est impotens ad audiendum sacrum, non peccat non audiendo, maximè si moralem diligentiam adhibuit, vt absolutionem consequeretur. Sed difficultas esse potest, quando talis negligens esset in obtinenda absolutione, quoniam tunc videtur per eum stare, quominus potens sit audire Missam, & implere præceptũ Ecclesiæ, ergo si non audit, peccat, nec videtur ratione huius impedimenti iustè excusari posse, si nõ audiat Missam. B

Confirmatur, qui annuam Confessionem, aut Communionem omittit propter Excommunicationem, si sit negligens in obtinenda, absolutione, non videtur excusari a peccato, neque debet excusari ab obligatione audiendi Missam, Antecedẽs probatur auctoritate Nauarri in Manual. cap. 21. nu. 34. dicens excusari Excommunicatum à præcepto Confessionis, si non sit negligens in obtinenda absolutione, ergo supposita negligentia cessat excusatio.

Verùm idem Nauar. in eod. cap. nu. 3. expressè docet loquens de obligatione audiendi sacrum diebus festis, excusari ab obligatione huius præcepti illos, qui iusta de causa impediti omittunt audire Missam, C quales sunt Excommunicati, & Interdicti, licèt absolutionem obtinere neglexerint, licèt enim peccent, si illam non curant impetrare, quando cõsequi possunt, non committunt tamen peccatum non audiendo missam, quam in Excommunicatione prohibentur audire, arg. c. quia diuersitatem de Concess. Præben.

Et hæc sententia videtur sane probabilis, quia non tenetur quis tàm remotè se disponere, vt habilis reddatur ad obseruationem præcepti de audiendo sacrum, vt propter hanc causam debeat sub peccato procurare absolutionem ab Excommunicatione, vt si id negligat, peccet contra præceptum hoc de audiendo sacrum, sicut infirmus, si sit negligens in recuperanda sanitate, & viribus, vt possit Missam audire, D aut qui in carceribus detinetur, in procuranda liberatione, & idcircò Missam omittat, non peccat peculiariter contra hoc præceptum, quòd non obligat tàm remotè ad tollenda impedimenta, ergo idem dicendum est in proposito casu.

Tandèm sicut non peccat contra præceptum de audiendo Missam ille, qui committit crimen, ratione cuius præuidet se obstrictum iri excommunicatione, & ex consequenti impotentem fieri, nè possit audire missam, igitur idem contingit post peccatum commissum.

Non est tamen eadem ratio de præcepto Confessionis, & Communionis, quia præceptum Confessionis obligat per se, & directè ad purgandam animam E à sordibus peccatorum, & idcircò ad omnem dispositionem necessariam ad peccatorum absolutionem obtinendam. Præceptum etiam Communionis similiter obligat ad præmittendam Confessionem, si necessaria sit, sicut necessariò requiritur in eo, qui peccati mortalis conscientiam habet, propterea in his duobus præceptis major necessitatis ratio considerari potest ad diligentiam adhibendam, vt Excommunicatio tollatur, vt illa seruari possint, quæ necessitas non apparet in præcepto audiendi Missam. Et ita sentit Nauar. in Manual. cap. 21. num. 34. & A 45. dicens tunc excusari fidelem à præcepto Communionis tempore Paschali, si pro viribus procurauit absolutionem ab Excommunicatione ex sententia Gabrielis serm. 21. De Eucharistia.

Postulabit quis, an liceat Excommunicato in aliquo casu audire Missam.

Respondent aliqui posse Excommunicatum ad vitandum scandalum, si est occultus excommunicatus in die festo audire Missam, Victor. in summa §. 342. cum Silnest. Excomm. 5. §. 5. Armill. §. 9.

CAPVT III.

An Excommunicati participatio sit interdicta in celebratione diuinorum officiorum & an nomine diuinorum officiorum concio Verbi Dei, & Lectio Theologiæ comprehendantur.

Eodem modo Excommunicatus priuatus est communione fidelium in alijs diuinis officijs, quæ sub eodem verbo orare comprehenduntur, quia nec Excommunicatus potest illa per se celebrare, neque cooperari ad illa, & concelebrare cum alijs si publicè, & solemniter officia diuina celebrentur, nec potest assistere, quando celebrantur, neque fideles non Excommunicati diuina officia coràm ipsis Excommunicatis administrare possunt, neque simul assistere cum Excommunicatis, dum diuina officia celebrantur. Discrimen tamen est in hac communicatione inter Excommunicatum, & non Excommunicatum, quod Excommunicatus etiam occultus, & toleratus ab Ecclesia priuatus est hac communicatione, fidelis verò non Excommunicatus tenetur solum, ex priuilegio extrau. Ad euitanda in hac communicatione euitare Excommunicatum nominatim denunciatum.

Probatur hæc conclusio, nam Excommunicatus non potest in Ecclesia assistere eo tempore, quo diuina officia celebrantur, text. in c. Responso, & c. nuper de sent. Excom. c. quod in te de Pœnit. & Remiss. c. Alma Mater de sent. Excom. lib. 6. Glos. expressim hoc ipsum tradit. 1. q. 1. Qui studet. 1. q. 1. Innoc. & alij in dicto c. Responso, Felin. in c. 2. de Except. & in eisdem locis idem affirmatur de non Excommunicatis, quibus interdicitur, nè communicent cum Excommunicatis in diuinis officijs.

Sed quid agendum, si Excommunicatus Clericus esset in Choro cum alijs Clericis eiusdẽ Collegij, nũquid tenerentur alii exire, & vitare Excommunicatũ?

Respondet Hostien. in summa in tit. de sent. Excom. §. fin. Contueuit, & illud quæri vers. Quid si aliquis Clericus, quod in tali casu, si res notoria est, moneri debet, vt petat absolutionem, & interim alii non debent exire Chorum, sed potius detinere Excommunicatum separatum ab alijs in cubiculo, & subministrara necessaria ad victum, si aliundè non habet, vt sibi prouidere possit, si verò res est occulta, agendum est cum eo iuxta regulas iuris antiqui, ita dicit Host.

Sed simpliciter responderi potest hoc tempore post Concilium Constantiense vitandum esse solùm Excommunicatum nominatim. Quare si Clericus maneat in Choro nominatim Excommunicatus, est monendus, vt exeat, quod si recusauerit, per vim est expellendus, sine scandalo tamen, & percussione, sicut dicam de Excommunicato, qui ab ecclesia exire nolit, quando Missarum sacrificia peraguntur.

Quæret quis, quæ comprehendantur sub nomine diuinorum officiorum, in quibus Excommunicati communio interdicitur.

Respondeo, secluso officio Missæ, de quo dictum est, sub eodem nomine contineri in primis septem horas Canonicas, quæ communiter intelliguntur sub hac voce officij diuini, & Ecclesiastici, quòd publice in Ecclesiis celebratur.

Deinde sub eodem nomine significatur oratio publica, & benedictio, aut similis ceremonia Ecclesiastica, quæ ex institutione Christi, aut Ecclesiæ solemniter fit, & est annexa ordini Clericali, vt cantare solemniter Euangelium, vel Epistolam, aut etiam functionem aliam propriam alicuius ordinis inferioris solemniter, & ex officio exercere.

Præterea Aquam, Oliuas, aut Candelas solemniter benedicere, & præcipuè Chrisma conficere, vel Oleum sanctum benedicere, & similia.

Hæc omnia sub diuinis officiis comprehenduntur, & patet ex consuetudine Ecclesiæ, & ex interpretatione Doctorum, Palud. distinctione decimaoctaua, quæstione sesta, Siluester Excommunicatio quinta, §. tertio, Caietanus in Summa V. Excommunicatio in fine. Sot. distinctione vigesimasecunda, quæstione prima, articolo quarto, & colligi potest ex capitulo Si quis Episcopus quarto, vndecima quæstione tertia, capitulo primo, cap. Is cui. de sententia Excommunicationis, libro sexto, capitulo primo, de sent. & re iud. lib. 6.

Hæc autem in officiis diuinis prohibita communicatio consistit, vt neque Clerici Excommunicati ministrent solemniter, & ex officio in actione aliqua propriè ad ordinem aliquem pertinente, neq; alii etiam more Laicorum cooperentur ad huiusmodi actiones, & vtroq; modo communicare in his actibus est peccatum mortale ex communi sententia Doctorum, Sanctus Thomas in distinctione decimaoctaua, quæstione secunda, articulo quarto, quæstiuncula tertia ad primum, & quod l. 11. articulo nono, Durandus quæstione quinta, Gabr. quæstione tertia, dub. quarto, Caietan. 1. 2. quæstione 96. articulo quarto, Et in Summa V. Excommunicatio Maior capitulo penultimo, & vltimo, Adrian. quæstione tertia, de Claui. & quodl. primo, articulo tertio, Sot. distinctione vigesimasecunda, quæstione prima, articulo quarto, Couar. qui alios refert, in cap. Alma Mater parte prima, §. secundo, & tertio, & §. septimo, numero quinto, Nauar. in Manual. capitolo vigesimosettimo, numero decimonono, & clarius probabitur sequenti disputatione.

Si quis quærat, an Concio verbi Dei possit vocari officium diuinum ad hunc finem, vt in ea non sit communicandum cum Excommunicato.

Respondeo Concionem non comprehendi nomine officii diuini, & idcirco certum est Excommunicato non esse vetitum sacræ Concioni interesse, quòd expressè desumitur ex c. Responso de sent. Excom. Vbi interrogatus Summus Pontifex ab Episcopo Ferrariensi, an licitum sit concionari, & prædicare verbum Dei Excommunicatis, & interdictis, respondet his verbis, *Sine scrupulo conscientiæ hoc facere poteris, cum videris expedire, dummodo contra formam interdicti nullum eis diuinum officium celebretur.* Ex quibus duo sequuntur, primum est licere Excommunicatis prædicare Verbum Dei, secundum est concionem non posse connumerari inter officia diuina, Ratio huius dicti est, quoniam Prædicatio Euangelij instituta non tantum pro fidelibus, & membris Ecclesiæ, sed pro omnibus etiam Infidelibus, Iudæis, & Hæreticis, vt hoc medio alliciantur ad fidem, & ad Baptis- A mum suscipiendum, & ad Catholicam Religionem, & Gremium Ecclesiæ redeant, Abb. in dicto cap. Responso num. 2. Vnde in Concil. Carthag. quarto cap. 84. ita statutum est, & refertur cap. Episcopus, quod est 67. De Consecratione distinctione prima. *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire Verbum Dei, siue Gentilem, siue Hæreticum, siue Iudæum:* Ergo excommunicatus non est reiiciendus; Vnde Apostolus secunda ad Timotheum tertio inquit: *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, arguendum, & erudiendum.*

Dices Omnis communicatio cum excommunicato vel in sermone, vel in aliis communibus actionibus B est prohibita, ergo etiam videtur multo magis prohibita communicatio in Concione.

Respondendum est Non esse vetitum sermonem habere coram excommunicato ad vtilitatem spiritualē ipsius excommunicati, ad quem finem instituta est prædicatio. Quare propter hanc rationem non erit prohibitum, vt quis prædicet verbum Dei excommunicato, neque ipse alicuius culpæ reus erit, si assistat Concioni; neq; alij fideles peccant, si vna cum excommunicato prædicationi intersint.

Rursus quis obiiciet, Interdictum est ex præcepto Ecclesiæ, ne cibum corporalem cum excommunicato sumamus, vt Apostolus iubet prima ad Corinth. 5. igitur multo magis id erit prohibitum de cibo spiri- C tuali, scilicet prædicatione verbi Dei.

Confirmatur, Prædicatio verbi Dei regulariter fit in Ecclesia iuxta illud Psal. 67. *In Ecclesiis benedicite Dominum*, Sed Aug. in epist. ad Bonifatium 187. Introitum Ecclesię interdixit illi, qui hominem de Ecclesia violenter rapuerat, & excommunicationis sententiam incurrerat.

Respondeo, Ad primum dico non esse simile, quoniam per cibum spiritualem inducitur homo ad correctionem, non autem per corporalem; Ad secundum Respondeo B. Augustinum interdixisse excommunicato introitum in Ecclesiæ solum, nè ibi perciperet sacramenta, & audiret diuina officia, non ad alium D finem; Audire igitur prædicationem Euangelij excommunicatis non est interdictum, quod tamen denegatur Hæreticis iustis de causis, vt inquit Ang. Triumphus in sua summa quæst. 99. art. 5.

Non licet autem excommunicato sine peccato aliis concionari, quia cessat ratio proposita; nam qui aliis concionatur, non suam, sed aliorum salutem quærit, non est autem concessum excommunicatis communicare cum aliis propter illorum salutem, nisi in extrema, aut graui necessitate, maxime quia excommunicatus moraliter loquendo, non posset hoc munus prædicationis obire sine scandalo, & nullum fructum pareret talis prædicatio.

Sotus dist. 22. q. 1. art. 4. putat hoc esse verum de E excommunicato denunciato, & non tolerato ab Ecclesia, qui sine peccato Prędicatoris munere fungi nequit; At si excommunicatus non sit vitandus, sed toleratus ab Ecclesia non peccat, si exerceat hoc officiū, neque alij, qui eius Concioni intersunt; & quidem certum est non committere delictum fideles audientes excommunicatum occultum concionantem, quia non tenentur illum vitare. Verum quoad ipsum excommunicatum occultum, vt sine peccato valeat hoc munus subire, necesse est, vt ex officio illud exerceat in fauorem, & vtilitatem aliorum, à quibus requisitus fuerit, vel morali aliqua necessitate postu-

postulante, quare non esset immunis à crimine, si spontè nulla existente causa ad sui tantum commodum, & fauorem se ingereret. Immò addit Nauar. in Manual. cap. 27. num. 163. vers. octauo infertur, quod licet suspensus ab officio prædicandi celebrando non peccet, nec fiat irregularis, concionando tamen peccat, & est irregularis ob eam rationem, quia actus prædicandi est lege diuina, vel humana, vel saltem consuetudine peculiariter deputatus ordini Diaconatus. Quarè ex solemni eius administratione ex officio incurritur irregularitas, & committitur peccatum, quia exercetur actus lege prohibitus.

Hæc tamen opinio Nauarri est valdè dubia, quia prædicare non est actus proprius alicuius ordinis, sed potius est actus Iurisdictionis, nam cum Christus dixit: *Prædicate Euangelium omni creaturæ* non dedit Apostolis potestatem ordinis, sed iurisdictionis, vnde officium prædicandi nemo sibi vsurpare potest propria auctoritate, sed conuenit tantùm illi, qui à Prælato iussus est iuxta illud Apostoli; *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Et Innoc. Tertius in c. Excommunicamus 1. §. Quia vero de Hæret. mandat excommunicari eum, qui officium prædicandi assumere præsumit, nisi à Sede Apostolica, aut Dioecesano Episcopo licentiam obtinuerit, & Concilium Tridentinum, sess. 5. cap. 2. & sess. 24. cap. 2. de Reform. licèt asserat prædicationis munus proprium esse Episcoporum, & Parochorum, non tamen dicit ordinem aliquem peculiarem requirere, & ideò docet quoties prædicti legitimè impediti fuerint per alios viros idoneos de licentia tamen Episcopi deputandos exerceri posse.

Neque colligi potest ex Epist. 63. Leonis Papæ, & refertur c. Adijcimus 16. q. 1. functionem hanc annunciandi verbum Dei solis Sacerdotibus conuenire, cum dicit, *Hoc specialiter statuentes, vt præter Domini Sacerdotes nullus audeat prædicare, siue Monachus, siue Laicus ille sit, qui cuiuslibet scientiæ nomine glorietur*. Quoniam Leo voluit id statuere non quia iure diuino prædicatio sit annexa ordini Sacerdotali, & quod soli Sacerdotes possint illam præstare, sed quia iudicauit id valdè honestum, & decens, quandò commodè fieri potest, ideo Glos. ibi Ver. Sacerdotes addit, *vel de licentia Sacerdotum*, Accedit, quod Diaconus potest prædicare; vt habetur cap. In sancta quæst. 2. dist. vbi damnatur consuetudo quorundam Diaconorum, qui vocis modulationi, & Musicæ incumbebant, relinquentes munus prædicandi, verba textus sunt, *Et in Diaconatus ordine constituti modulationi vocis inseruiunt, quos ad prædicationis officium, & eleemosinarum studium vacare congruebat*, Immò, & Subdiaconi prædicare possunt, vt inquit Glos. in dicto c. Adijcimus Ver. Sacerdotes similiter, & Laicos, & Mulieres de licentia Prælati prædicare posse affirmat ibi Glos. Prohibitum tamen est sanctissimè in pluribus Concilijs, & Summorum Pontificum sanctionibus, ne Laici, & multò minus fœminæ prædicationis verbi diuini Officium assumant, & referuntur in directo. Inquis. lib. 2. Adnotat. Schol. 8. non quia prædicatio sit actus proprius alicuius ordinis Ecclesiastici, sed ad euitanda multa scandala, & incommoda, quæ frequentius orirentur, si Laici hoc munus obirent, & quia tutius, & decentius per Clericos exercetur c. ad abolendam, c. cum ex iniuncto, c. sicut in vno de Hæret. Sed vbi necessitas ità dictaret propter ignauiam Clericorum, vel ob aliam causam committi posset Laico.

Si quis vlterius quærat, an eadem sit ratio de Lectione, præsertim rerum sacrarum, vt Theologiæ, & diuinæ Scripturæ, vt scilicet liceat Excommunicato interesse huiusmodi lectioni, sicut dictum est de concione.

Ex altera enim parte non videtur dubium Lectionem etiam Sacræ Scripturæ propriè non posse dici officium diuinum, nec communicare in hac Actione est communicatio in sacris. Pro parte verò affirmatiua facit primò, quia Concio verbi Dei per se dirigitur ad conuersionem hominis peccatoris, non autem lectio, quare Concio videtur medium per se conferens, vt excommunicatus facilius resipiscere possit à contumacia, & parere Ecclesiæ, quod est finis præcipuus in Excommunicatione, quod cessat in lectione, quarè est diuersa ratio vtriusq; neque ab vno inferri potest ad aliud, & hac de causa ab ipso iure videtur expressè permissa prædicatio, quod de lectione nullibi statutum reperimus.

Ad hanc difficultatem Respondeo, si loquamur de Excommunicato etiam occulto, & tolerato ab Ecclesia, non posse nec actiuè, nec passiuè spontè se ingerere in hac Actione, idest prohibitum illi esse, & munus Lectoris exercere, & ab alio audire Lectionem.

Patet ex illa generali regula iuris ex c. Illud de Cler. Excom. Mini. Excommunicato prohibitum esse per se, & communicare, & communicari, nisi in actibus Iure permissis, & hæc communicatio, quæ intercedit inter Lectorem, & Auditorem, non leuis est inter humana commercia.

Id tamen diuerso modo intelligendum est de Excommunicato occulto, & tolerato, & de denunciato, Hic enim & vitare debet aliorum consuetudinem, & vitandus est ab alijs. Quarè neq; Magister potest docere disciplinam nominatim Excommunicatum, & denunciatum, neque Discipulus potest audire magistrum hoc modo Excommunicatum, quia esset mutua communicatio contra prohibitionem Ecclesiæ, quare non probo id, quod ait Sott. dist. 22. q. 1. art. 4. posse Præceptorem respondere discipulo Excommunicato interroganti de aliqua difficultate super lectione, Tunc enim verè communicant in actu non permisso à lege, nisi interrogatio esset pertinens ad ipsam Excommunicationem, qua ligatus esset, vt facilius moueretur ad resipiscentiam, & conuersionem.

Quando verò Excommunicatus esset occultus, & toleratus, & ex officio teneretur docere, nec posset per alium satisfacere suo muneri, tunc propter bonum commune posset partes suas exercere, & Auditores non Excommunicati non tenerentur euitare talem Magistrum Excommunicatum, si verò accideret, vt ex Auditoribus interesset vnus Excommunicatus. & denunciatus, non idcirco Magister, & alij Condiscipuli cogerentur cessare à munere suo, quia propriè, humano modo loquendo, neque Magister, neque Condiscipuli communicant cum illo, sicut communicant Auditores in Missa, & cum Sacerdote, & inter se tanquam cooperatores in offerendo sacrificium.

Ex his igitur constat, neque Concionem, neque Lectionem Sacram annumerari posse inter officia diuina, neque in illis prohibitam esse Communicationem cum Excommunicato.

CAPVT IV.

An Clericus Excommunicatus teneatur ad horas Canonicas, sicut ante Excommunicationem, & an debeat illas recitare solus, vel possit alternatim cum socio.

COmmuniter quæri solet; an Clericus beneficiarius, vel si careat beneficio in sacris constitutus aut Religiosus professus possit, aut debeat recitare horas Canonicas, seu officium diuinum.

Respondendum est horas Canonicas, seu officium diuinum dici posse, & celebrari in Ecclesia duobus modis, primo modo publicè, & solemniter, & hoc modo excommunicatus non potest horas canonicas recitare, altero modo priuatim, & sic Excommunicatus potest horas canonicas recitare, quia priuata oratio non prohibetur Excommunicato, vt notauit rectè Glos. in c. Si quis Presbyter Ver. Præsumpserit de Cler. Excom. Mini. cum ait, *In modum enim priuati Suffragij potest dicere horas suas, quod etiam potest Laicus*, & Glos. in c. Illud Ver. officia eodem tit. iterum idem confirmat dicens. *Sed alia officia præter Missam potest occultè dicere non officiando, sed quasi priuata persona.*

Confirmatur arg. à simili sumpto ex c. Quòd in te de Pœnit. & Remiss. de generali Interdicto, tempore enim generalis Interdicti, vt dicitur ibi in tex. *In Conuentualibus Ecclesiis bini, & bini, vel simul tres horas Canonicas valent legere, non cantare ianuis clausis, &c.*

Probatur tertiò, quoniam in c. Si quis Episcopus damnatus &c. seq. 11. q. 3. Prohibetur solùm ne excommunicatus celebret diuinum officium, & exerceat munus suum, sicut prius solitus erat exercere, quasi in officio suo agens, ergo non est ei vetitum, quin possit officium celebrare, vt priuata persona, non solenniter.

Et in hac conclusione conueniunt omnes Doctores, Hostien. in Summa tit. de sent. Excom. circa finem. §. Consueuit & illud quæri, Io. de Ligna. in repet. Clem. Dignum de Celebra. Missa. Specul. in tit. de dispensat. §. Iuxta. ver. Quid si Excommunicatus, Albertus Ferrar. in tract. de Horis Canonicis q. 12. Antoni. 3. par. Summæ tit. 24. cap. 76. ver. Tertio Excommunicatus non potest cum alijs, Nauar. in Manual. c. 27. nu. 20. & fusius, nu. 36. vers. Ad quintum & in tract. de Oratione cap. 7. nu. 16. & seq. Couar. in c. Alma Mater 1. par. §. 3. nu. 8. & idem sentiunt cæteri omnes. Sed omnes animaduertunt, quod quamuis liceat Excommunicato dicere horas Canonicas, & officium diuinum, hoc tamen est intelligendum, si solus, & sine socio recitet, & omittat illum versiculum, *Dominus vobiscum*, vt notat Archid. in c. Presbyterorum 28. dist. & omnes Doctores citati, præsertim Nauar. & Couar. & præter eos Steph. Durant. lib. 3. cap. 22. nu. 12. de Rit. Eccles. Sed debet recitare horas loco illius versiculi dicendo, *Domine exaudi orationem meam* more Laicorum, cuius dicti possunt afferri rationes.

Prima est, quia ille versiculus *Dominus vobiscum* secundum communem vsum, & consuetudinem Ecclesiæ à solis Sacerdotibus, & Diaconis dici consueuit, & pertinet ad dignitatem ordinis, sed per Excommunicationem, & suspensionem homo efficitur indignus hac ordinis dignitate.

Secunda ratio est, quia Excommunicatus non potest cum alio orare c. Cum Excommunicato 11. q. 3. At ille versiculus Dominus vobiscum supponit orationem haberi cum alijs, ideo Excommunicatus debet illum omittere.

Tertia ratio, versiculus ille Dominus vobiscum pertinet ad personam publicam, & ad eum, qui vt Minister Ecclesiæ recitat horas Canonicas, vt inquit Abb. c. Si quis Presbyter nu. 8. in fin. de Cleric. Excom. Minist. Sed prohibetur Excommunicatus orare, vt persona publica, & Minister Ecclesiæ, Sed tantùm potest vti orationibus institutis ab Ecclesia ad modum priuati suffragij vt priuata persona, idcirco non potest dicere Dominus vobiscum.

Immò si Excommunicatus recitet horas Canonicas publicè in Ecclesia tanquam Minister incurrit irregularitatem, vt si celebret Vesperas, aut matutinum, vt notat Abb. in c. Clerici nu. 1. in fin. de Cleric. Excom. Mini. Quod dictum vniuersaliter, & indistinctè non probo, neque enim verum est simpliciter, nam solent etiam in Ecclesia, & in Choro Laici cantare horas, sed dictum Abb. potest habere locum, quando Excommunicatus esset Sacerdos, & diceret horas tanquam Hebdomadarius pronuncians Capitulum, & orationem, quod est proprium Sacerdotum, vt notauit Siluest. V. Irregularitas §. 15.

Censeo etiam posse aliquando intercedere iustam causam excusationis, vt Sacerdos Excommunicatus recitans horas Canonicas pronunciando versiculum illum, Dominus vobiscum, tanquam publica persona, & Minister Ecclesiæ non contrahat hanc Irregularitatem; quoniam cum hæc irregularitas sit pœna, & non oriatur nisi ex culpa, & peccato, quando quis excusaretur à culpa mortali ex inaduertentia, non incurreretur irregularitas.

Non est igitur dubitandum, quod Excommunicatus possit horas canonicas recitare tanquam priuata persona ad modum priuati suffragij.

Sed difficultas est; An Excommunicatus non solùm possit horas canonicas dicere priuatim, sed etiam teneatur, si alioqui ordine sacro præditus sit, vel beneficium Ecclesiasticum possideat.

Ad quam difficultatem respondent omnes Doctores supra citati, tales Excommunicatos, de quibus loquimur, non solùm posse, sed debere horas Canonicas priuatim recitare, Host. Io. de Lignano vbi supra, Abb. in c. Si quis Presbyter nu. 8. De Cleric. Excom. Mini. qui asserit peccatum committi ab Excommunicato, si non dicat horas Canonicas, Siluest. V. Horę §. 4. Nauar. in Manua. cap. 25. nu. 192. & in dicto c. 7. nu. 17. de Orat. & in c. Quando de Consecrat. dist. 1. notab. 7. nu. 18. & in eandem sententiam citat alios, Couar. §. 3. nu. 8. Albert. Ferrar. in tract. de horis Canonicis cap. 12. & 13. Steph. Duran. lib. 3. cap. 22. n. 11. de Rit. Eccl. & alij omnes.

Hoc probatur. Primò auctoritate Glossæ in cap. Presbyterum ver. Priuatus est 28. dist. vbi hæc habet, *Videtur hic, quod si Sacerdos est Excommunicatus, vel suspensus, non debet priuatim dicere horas suas, quod non est verum, immò tenetur, dùm tamen non faciat hoc officiando suam Ecclesiam.*

Deinde idem probatur rationibus, prima est, qua ad idem confirmandum vtitur Couar. Clericus depositus, & degradatus per solemnem Degradationem tenetur recitare horas Canonicas, ergo & Excommunicatus, antecedens asseuerant Albertus de Ferrarijs vbi supra, Siluest. Degradatio §. 10. & probat ex c. Dolentes de Celebrat. Missa. Vbi omnes Clerici in Sacris constituti sine vlla distinctione obligantur ad horas Canonicas. Addit tamen Siluest. Degradatum non debere vti illo versiculo, Dominus vobiscum, & similia vsurpare, quæ pertinent ad dignitatem ordinis, sicut diximus de Excommunicato.

Idem

Idem affirmant Io. de Lignano in Clement. Dignum A De Celebra. Missa. q. 3. Deci. io cap. Intelleximus nu. 5. De Iudi. Si igitur Degradatus tenetur ad horas Canonicas, erit quoque obligatus Excommunicatus, nulla enim potest assignari ratio discriminis ex hac parte.

Secunda ratio Nauarri, excommunicatio non tollit ordinem, remanet enim Character, ergo non potest auferre obligationem annexam ordini, talis est obligatio recitandi horas canonicas.

Tertia ratio Abb. in cap. Si quis Presbyter num. 8. De Cleri. Excom. Mini. Obligatio recitandi horas canonicas est onus quoddam impositum Clerico à Sacris Canonibus ratione ordinis sacri, vel beneficij, B ergo tale onus non potest tolli per excommunicationem, nam hoc modo ex culpa quis consequeretur cōmodum, & delictum conferret immunitatem, quod absurdum est asserere cap. Et si necesse De Donat. inter Vir. & Vxor. l. Relegatorum in fi. ff. De Interd. & Relega.

Obijcies, si hæc ratio concluderet, eadem etiam probaret Parochum excommunicatum nominatim, & denunciatum debere suis subditis sacramenta ministrare, & similia exercere, quæ spectant ad onus curæ animarum; Si enim ab his oneribus excusaretur propter Excommunicationem, commodum, & vtilitatem reportaret ab excommunicatione. Idcirco ratio adducta non videtur valida, & firma.

C Respondeo diuersam esse rationem de administratione sacramentorum, & de recitatione officij diuini; quia Iura expressè priuant Excommunicatum facultate, & ministerio administrandi sacramenta, non idem autem statuunt de horis Canonicis, & ratio discriminis assignari potest; Tum quia administratio sacramentorum fit à Sacerdote, & à persona publica, neq; talis actio priuatim exerceri potest regulariter, sed semper est actio publica, excepto sacramento Baptismi, quod à Laico etiam in casu necessitatis potest conferri, sed Horæ Canonicæ, & publicè, & priuatim dici possunt, vt probatum est, tum etiam quia administratio sacramentorum est actio quædam præcipua, & insignis ex omnibus, quæ conueniunt Mini- D stro Ecclesiastico, neque decens erat propter honorē, & reuerentiam sacramentorum, vt illa tractarentur ab Excommunicato Ministro, tanquam penitus indigno hac prærogatiua, & potestate, quæ causa cessat in recitatione Horarum.

Secundò etiam responderi potest ad obiectionem, quod cum sacri Canones priuant excommunicatum, nè possit administrare sacramenta, simpliciter, & per se intendunt ab eo tollere dignitatem, & facultatem, quæ conceditur Ministris sacramentorum, ex accidenti verò sequitur, vt eximatur ab onere, quod est coniunctum cum tali dignitate, à quo etiam non liberatur omnino, quamuis enim Parochus excommunicatus per se ipsum non possit sacramenta ministrare, E tenetur tamen, nè subditi patiantur detrimentum spirituale, satisfacere muneri suo per alium, & ità manet obligatus conducere suis stipendiis Ministrum idoneum, qui vices ipsius gerat in cura Animarum. At obligatio recitandi officium diuinum est simpliciter onus annexum ordini sacro, vt probat tertia ratio adducta ex Abb. non est dignitas, & priuilegium, idcirco dicitur Beneficium dari propter officium, vt statim ostendam, scilicet quasi stipendium, & merces laboris; quarè non militat eadem ratio in vtroq;

Ex dictis itaq; patet Excommunicatum Clericum remanere obligatum ad recitandas horas Canonicas, priuatim tamen, sicut dictum est, non minus quam tenebatur ante excommunicationem. Et quidem de eo, qui ratione ordinis sacri, aut Religionis professione est obligatus ad horas Canonicas, res est certa, & caret difficultate. Nonnihil dubitationis remanere potest de eo, qui nullum ordinem sacrum habet, & tenetur tantum ad horas Canonicas ratione beneficij, nam cum excommunicatus sit priuatus fructibus beneficij, vt dicitur in cap. Pastoralis in fi. De Appella. & ad officium teneatur propter beneficium, vt dicebam, sequitur, vt sublatis fructibus beneficij ratione excommunicationis debeat cessare obligatio recitandi horas Canonicas.

Propter hanc rationem aliqui vt refert. Couar. lib. 3. Variar. Resol. cap. 13. nu. 8. asseruerunt Beneficiarium excommunicatum non esse obligatum ad officium diuinum, quorum opinionem communiter omnes impugnant, & conclusio est generalis excommunicatum non liberari ab obligatione recitandi horas Canonicas, ex quacunque causa ad illas teneatur siue ratione ordinis sacri, aut Professionis Religiosis, siue ratione beneficij; quod vero etiam ratione beneficij, cuius fructibus caret propter excommunicationem, teneatur ad officium, explicabo plenius in cap. 9. disputatione.

Non obstat, quod beneficium detur propter officium, & excommunicatus sit priuatos fructibus Beneficij. Primo quia Beneficiarius est obligatus ad horas Canonicas, etiamsi nullos percipiat redditus ex beneficio, vt probat Nauar. ex sententia Palud. & est communis in cap. 7. nu. 28. in tract. De Oratione, & in Manua. cap. 25. num. 103. Excommunicatus enim quamuis amittat fructus beneficij, retinet tamen titulum, & possessionem beneficij, & meritò tenetur ad officium diuinum.

Secundo, quoniam culpa excommunicati accidit, vt non faciat fructus sui beneficij, quia & propter peccatum fuit excommunicatus, & liberum est ei petere absolutionem ab excommunicatione, parendo, & recedendo à contumacia, meritò non est liberandus D ab onere recitandi officium diuinum, *Nam damnū, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alijs imputare*, vt dicitur in Reg. Damnum De Reg. Iur. lib. 6. sicut etiam qui non residet in loco beneficij sua culpa, priuatur fructibus beneficij, neque propterea est immunis ab onere recitandi horas.

Sed restat adhuc explicandum, postquam probatū est excommunicatum teneri ad horas canonicas, sicut erat obligatus, antequam excommunicationis censura obstringeretur, sed debere illas recitare ad modū priuati suffragij, vt priuata persona sine versiculo illo Dominus vobiscum; an excommunicatus possit huiusmodi officium cum socio recitare, an tantum liceat ei sine socio priuatim illud dicere, & ita priuatim, & E occultè pronunciare, vt ab alijs audiri nequeat.

Duo dicenda sunt ad propositam dubitationem. Primum est excommunicatum cōmittere peccatum, si recitet horas cum alio, & in eandem culpam incidunt alij, si audiant ipsum excommunicatum recitantem horas.

Ita expresse adnotarunt Nauar. in illo cap. 27. n. 16. in fin. De Oratione, vbi negat licere Abbati cum Monacho suo, aut Abbatissæ cum Moniali dicere officiū, & Couar. in c. Alma Mater, 1. par. §. 3. n. 8. in princ. & probat ex illo generali princ. Iuris, quia omnis exterior communicatio cum excommunicato est interdi-

cta

cta, c. Cum excommunieato 15. q. 3. *Cum excommunicato neque orare, neque loqui, nisi quæ ad eandem excommunicationem pertinent, nec vesci liceat.* Sed dicere officium cum socio est communicare cum illo, ergo neque excommunicatus potest horas eanonicas recitare cum alio, neque alij possunt audire ipsum recitantem, talis enim est communicatio prohibita.

Idem confirmatur ex c. præcedenti excommunicatos ead. causa, & quæst. cum dicit, *Nec cum eis in oratione aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, nec Aue eis dicat.* Et elarum est ibi sermonem baberi de oratione priuata, quia coniuogitur orare cum cibo & potu, & alijs rebus communibus.

Interdictum est igitur Excommunicato, nè in recitandis horis Canonicis vtatur opera, & ministerio alterius, qui eum adiuuet in persoluendo hoc onere. Et hoc verum est, siue dieat horas ex obligatione, siue ex deuotione, neq; alij possunt audire ipsum Excommunieatum recitantem horas. Et eadem ratio est de officio B. Virginis, Defunctorum, Septem psalmis, & de qoacunque oratione sacra, cuiuscunque sit generis, quia Canones citati vniuersaliter loquuntur prohibentes communicationem in oratione cum excommuoicato.

Putarem tamen excusari posse ab hoc peccato cum, qui ratione officij, aut debiti obsequij cum exeommunicato recitat officium, nam qui ex debito teneatur alteri inseruire, non priuatur communieatione, si Dominus excommunicetur in his, qua respiciunt debitum seruitutis cap. Inter alia De Scot. Excom. cap. Quoniam multos 11. q. 3.

Non erit autem communicatio damnata in oratione si excõmmunicatus, & alij initio Concionis signent se signo Crucis, salutent Virginem Matrem, dicendo Aue Maria, neq; si in fine Concionis recitent omnes genu flexi preces, quas Concionatoris suasu singuli solent ad Deum fundere post benedictionem, neq; si Aue Maria dicant audito signo, quod ad salutandam Virginem datur, & ità de similibus ratiocinandum, quia talis communio non potest dici communicatio moralis, licet enim simul adstant; Vnus tamen non adiuuat alterum ad eandem orationem, sed quisq; separatim, & seorsum orat, & ità videtur sentire Nauar. in Manua. cap. 27. oum. 36. Vers. Ad quintum.

Dico secundo excommunicatum priuatim recitantem horas Canonicas cum socio oon committere peccatum mortale, neque eiosdem culpæ mortalis reos esse commuuicantes cum illo in hac atione priuata.

Est sententia Couar. in illo nu. 8. Vbi asserit, quod licet Communicans eum Excommunicato in his diuinis, quæ in specie sunt ei interdicta, mortale crimen committat, non tamen lethaliter peccat, sed venialiter solum, si cum Excommunicato communicet in priuatis horis Canonicis recitandis; quia Excommunieatus non est his actibus priuatus, ideo, licet nemo possit absq; veniali culpa in his cum eo communicare, sieut nec in aliis, quæ ad diuina non pertinent; non propterea tamen contrahit peccatum mortale; nam communieatio in diuinis, quæ ex communi sententia damnata est sub culpa mortali, intelligitur, si quis communicet in sacramentis, in sepultura, in diuinis officiis, quæ solemniter, & publicè in Ecclesia celebrantur.

Hinc sequitur, quod si Sacerdos excommunicatus peccet recitando horas Canonicas priuatim cum so-

A cio, oon tamen idcirco incurrit irregularitatem; quia bæc irregularitas non contrahitur sine graui peccato, quod ex sui genere sit mortale, & quamuis ioterdum accidere posset, vt recitatio hoc modo esset culpa Lethalis, vel ob frequentiam, vel quia fieret in contemptum, tamen cum non sit proprius actus alicuius ordinis, non est causa Irregularitatis, nam obligatus est ad horas etiam is qui sine vllo ordine sacro, vel professiooem Religionis emisit, vel beneficium Ecclesiasticum obtinet.

Sed hie postulare posset quis, si Excommunicatus tenetur ad horas canonicas, sicut obligatus erat ante Excommunicationem; An illarum recitatio prosit ad aliquem fructum, & valorem, & idem quæri potest

B de aliis officiis, quæ spootè, & sine aliqua obligatione recitaret.

Respondeo Tale ministerium nullius esse valoris, & dignitatis, per se loquendo, quoad meritum, & impetratiooem alicuius fructus spiritualis, nec in ordine ad Ecclesiam; Quia Excommunieatus noo potest aliquid agere nomine Eeclesiæ tanquam eius minister, neq; etiam in ordine ad ipsummet, cum maneat in peccato, sed tantum hæc actio erit valida, vt satisfaciat præcepto de recitandis horis; Immò huie obligationi satisfaceret, quamuis in dicta actione peccaret, nimirum si officium persolueret in Choro cum alijs, vel cum socio contra prohibitionem Ecclesiæ,

C nam in hoc casu peccaret, & tameo non teneretur recitare horas priuatim, quia talis actio eadem esset io substantia cum illa, ad quam excommunieatus est obligatus, differret tantum in modo, & sufficit ad præceptum positioum implendum, vt inquit B. Tho. 1. 2. q. 100. art. 9. & 10.

CAPVT V.

An Excommunicatus possit sine peccato Ecclesiam ingredi, quando diuina officia non celebrantur, & ibi orare, & horas Canonicas recitare solus, & sine socio.

Illud etiam à Doctoribus quæri solet; An quando

D io Ecclesia non celebrantur diuina officia possit denunciatus excommonicatus in Ecclesia commorari, & ibi solus sine socio recitare priuatas orationes, aut Canonicas horas.

Hostien. in summa io tit. De sent. excom. §. Et quæ sit pœna Vers. Sed nunquid excòmmunicatus in princ. censet non licere exeommunieato vllo tempore iogredi Ecclesiam, & idem sentit de Interdicto, & suspenso ab ingressu Ecclesiæ arg. c. Cleros 21. dist. vbi enumerantur omnes ordines Ecelesiastici, & officia singulorum, & dieitur muous hostiarij esse arcere ab Ecclesia Excommunicatos. Et idem habetor in cap. Perlectis Ver. Ad Ostiarium dist. 25. Et idem placet Abb. in cap. Responso num. 2. De Sent. Excom. & in cap. Si

E quis Presbyter nu. 9. De Cleri. Excom. Mini. Idem affirmat Nicol. Plou. in tractat. De Excommunicatione in Tit. De Participatione cum Excommunicato nu. 9.

Oppositum tamen est probabilius ex communi sententia Theologorum, & Canonistarum, ità tenet Glo. in cap. Qui studet in fin. 1. q. 1. cum ait: *Peccator quilibet, & etiam excommunicatus potest intrare Ecclesiam causa orandi, dummodò non intersit diuinis officiis, cum non inueniatur prohibitum.* Idem tenet Innoc. in eod. cap. Responso dicens: *Excommunicatos posse ingredi Ecclesiam, dummodo non audiant officium.* Idem repetit in cap. Nuper nu. 3. De Sent. Excom. Turre Crem. in

cap.

cap. Sicut Apostoli nu. 8. 11. q. 3. Imola in cap. 1. num. 12. De Vita, & Honest. Cleri. Vbi Abb. nu. 9. affirmat Excommunicatis non licere ingredi Ecclesiam tempore celebrationis diuinorum officiorum, secus videri, si diuina non celebrentur, & citat ad hoc Glo. notabilem in dicto cap. Qui studet; Quare Abb. sibi aduersatur, cum in cap. Responso De Sent. Excom. oppositum dicat. Eiusdem opinionis est Sot. dist. 22. q. 1. art. 4. Caiet. in summa. Ver. Excommunicatio in fine, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 19. Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 3. num. 7. Vers. Nam Excommunicatus non potest ingredi Ecclesiam, Silue. Excommunicatio 3. in fine dicit hoc esse verius.

Probatur hæc Conclusio; Primò quoniam nullum extat Ius, quod prohibeat Excommunicatis ingressum in Ecclesiam simpliciter, sed solum eo tempore, quo in Ecclesia diuina officia celebrantur, vt patet in cap. Alma Mater De Sent. Excom. lib. 6. in Clem. Grauis eod. tit. & alibi, ergo extra tempus celebrationis Ecclesiarum aditus non erit Excommunicatis præclusus; quia exceptio firmat Regulam in contrarium l. Nam quod liquidè §. vlt. ff. De Lega. 1.

Secundo Officium Ostiarij, quod peculiariter describitur in sacris Canonibus est eiicere excommunicatos tempore, quo diuina officia celebrantur, quando Missa fidelium inchoatur post Missam Catechumenorum; Sic enim habetur cap. Episcopus 2. De Consecr. dist. 1. *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, siue Gentilem, siue Hæreticum, siue Iudæum vsq; ad Missam Catechumenorum.* Si nullus est prohibendus, ergo neq; excommunicatus, & si non denegatur ingressus Ecclesiæ, dum non celebrantur diuina officia, Hæretico vel Iudæo, igitur neque simplici excommunicato. Idem habetur cap. De Incestis, & ibi Glos. Ver. Et inter Cathecumenos 35. quæst. 3.

Tertio non est prohibitum Excommunicato priuatim orare, & ad Deum preces fundere, vt statim declarabitur, igitur poterit Ecclesiam ingredi ad orandum, quando officia ecclesiastica silent, dummodo sine socio oret, & cum alio non communicet. Quare si permissum est ei orare, ergo poterit in Ecclesia orare, quæ peculiariter destinata est ad hunc finem; quod si Excommunicatus dicitur seclusus, & separatus ab Ecclesia, non accipitur Ecclesia pro Templo Materiali ex parietibus, & tecto constructo, sed intelligitur de Corpore mistico Ecclesiæ, cuius caput est Christus, & ab hoc corpore Excommunicatus dicitur separatus tanquam Membrum præcisum, quia priuatus est communione Sacramentorum, suffragiorum, & aliorum bonorum communium, in qua conueniunt reliqua membra huius corporis Mistici; quare nulla apparet probabilis ratio, quæ nobis, vt ab hac communi opinione recedere debeamus, persuadere possit.

Sed petet quis, quià certum est Orationem factam in Ecclesia consecrata, aut benedicta habere maiorem quandam vim impetrandi ob Ecclesiæ dignitatē, & meritum; An oratio excommunicati facta in Ecclesia sit capax huius fructus, & spiritualis commodi.

Respondeo Orationem Excommunicati factam in Ecclesia priuatam esse illo communi commodo, quia Ecclesia intendit solum tribuere illud suffragiū, & virtutem Ecclesiæ, dum illa consecratur, & benedicitur pro membris ipsius, non pro illis, qui separati sunt ab eius corpore, vt sunt Excommunicati.

Hinc sequitur, si Papa concesserit omnibus, qui ter Pater, & Aue recitauerint ante Imaginem Beatissimæ Virgini, vel alterius Sancti sita in tali Ecclesia tot annos Indulgentiæ, & excommunicatus ante illam ad præscriptum Papæ orauerit, non lucrabitur tamen indulgentiam, non tantum quia est in peccato mortali; nam hoc esset impedimentum generale etiā non excommunicatis, sed etiam si sit contritus, & in gratia Dei, præcise ob eam rationē, quia manet vinculo excommunicationis obstrictus, vt adnotauit Adrian. in 4. q. 3. De Claui. in fine ad argumenta. Et ratio est, quia non est supponendum summum Pontificē velle excommunicatis thesaurum Ecclesiæ communicare, quos omni fructu, & commodo suffragiorum, & orationum communium priuatos esse voluit. Idcirco concludunt aliqui Doctores excommunicatum carere omni fructu rei sacræ proueniente ex impetratione ob deprecationem totius Ecclesiæ factam, vel ex applicatione satisfactionis ex thesauro Ecclesiæ, quia non potest se immiscere Ecclesiasticæ cōmunioni. Ob hanc eandem rationem, si se aspergat aqua benedicta, non consequetur fructum impetrationis illi competentem ex institutione Ecclesiæ. Non est tamen priuatus excommunicatus vsu rei sacræ, quatenus priuatæ deuotioni, & Religioni deseruit. Quare poterit vti sacris Imaginibus, signo Crucis, aqua benedicta, & cæteris huiusmodi, vt ex his ad deuotionem excitetur, & ad pœnitentiam prouocetur.

CAPVT VI.

An participatio excommunicati post mortem quoad Ecclesiasticam sepulturam sit prohibita.

AD hoc idem genus communicationis, quæ refertur ad res sacras, reducitur etiam societas illa, quæ inter homines intercedit tradendo corpus defuncti Ecclesiasticæ sepulturæ seruato ritu, & adhibitis ceremonijs, quæ apud Christianos sunt in vsu, est enim communicatio in diuinis; qua priuatus est excommunicatus, & continetur sub eodem verbo *Orare* Quare non solum excommunicatio infert grauia damna, & incommoda in vita, sed etiā post mortem afficit ipsum excommunicatum hac ignominia, & dedecore, vt corpus illius non sepeliatur in loco sacro more Christianorum, quorum corpora cum Psalmis, & Orationibus ad sepulturam deducuntur, vt 23. q. 5. c. Placuit. & eadem causa quæst. 2. cap. Qui diuina. in princ. & c. Quæsitum. sed tanquam vt infamis tāquam Bruti animalis cadauer in loco prophano prophanæ sepulturæ mandetur, & sub dio humatū iaceat; vt planè iusto Dei iudicio in eis Hieremiæ vaticinium compleatur, quo ait: *Sepultura Asini sepelietur, putrefactus, & proiectus extra portas Hierusalem.* & cæt. Hierem. 22.

Et quamuis accidere possit, vt excommunicatus diem suum postremum claudat in gratia exhibitis signis probabilibus contritionis, tamen si absolutionē non obtinuit ab excommunicatione, non potest sepeliri in loco sacro, donec ab Ecclesia absolutionem accipiat iuxta c. A nobis. De sent. excom.

Ad hunc modum disposuit Ecclesia c. Sacris. De sepult. *Sacris est canonibus institutum, vt quibus non communicamus viuis, non communicemus defunctis, & vt careant ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab ecclesiastica vnitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesia reconciliati fuerint.*

Idem statutum est in Clem. 1. De sepult. ibi, *Vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel*

vsu-

vsurarios manifestos scienter sepelire præsumunt. & in c. Consuluisti. De conser. Eccl.& Alt.dicitur, *Cæmeteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut in Dedicationibus Ecclesiarum fieri consueuit*, & in specie de Hæreticis clarissimè idem definitum est in c.Quicunque. in princ.De Hæreticis. lib.6. *Quicunque Hæreticos credentes receptatores, defensores, vel fautores eorum scienter præsumpserint ecclesiasticæ tradere sepulturæ vsque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententię se nouerint subiacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi proprijs manibus publicè extumulent, & proyciant huiusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetua careat sepultura*.

Verum quacunque ratione excommunicatus absoluatur ante obitum etiam à simplici sacerdote in articulo mortis, non est afficiendus hac ignominia vt extra Ecclesiam sepeliri debeat, neque alijs suffragijs spiritualibus priuandus, vt habetur in c.vlt. De sepult.

Dices, sola pœnitentia sufficit, vt interdictus ab Ecclesiæ ingressu etiam ante absolutionem in Ecclesia sepeliri possit, vt habetur in c. Is, cui De sent. excom. lib.6. ibi, *Talis quoque si hoc interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia, vel Cæmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit sepeliri*; Ergo sola pœnitentia satis erit, vt similiter excommunicatus sepeliatur in Ecclesia.

Respondeo, quod licet sola pœnitentia sine absolutione sufficeret vt interdictus sepeliretur in Ecclesia, est tamen casus specialis, qui non potest extendi ad excommunicatum, qui sepeliri non potest sine absolutione habita saltem per simplicē sacerdotē in articulo mortis, vt expresè cautū est in dicto c. fin. De sepult. nisi fortè tales excōmunicati petierint absolui, & per eos non steterit, quominus fuerint absoluti, & tunc post mortem essent absoluendi; ita inquit Gloss. in c.Ad hæc. ver.Eijciant. De priuilegijs.

Immo de interdicto notat Anchar. in dicto c.Is,cui. nu.3.in princ. quod quamuis sufficiat pœnitentia, tutum est accipere relaxationem à sacerdote.

Causa, qua moti summi Pontifices irrogare voluerunt hanc pœnam post mortem in corpora excommunicatorum, assignatur in dicto c.Sacris. *Quoniam illis post mortem communicandum non est, quibus in vita interdicta erat communicatio*, sicut è contra, *Cui communicabatur viuenti, communicandum sit iam defuncto*, vt dicitur in c.Ex parte.in fin. De sepult. exceptis quibusdam casibus, de quibus paulò post.

Sepultura verò Ecclesiastica est quid spirituale, & ad illam habent ius solum filij obedientes; quamuis enim sepultura per se nuda rationem suffragij non induat, Exequiæ tamen, quibus funus curatur, suffragia sunt, vt dicemus; quare communicatio quædam in diuinis esset, si excommunicatus, qui separatus est ab Ecclesia, admitteretur in loco sacro, vbi sepeliuntur alij fideles Christiani; & esset non leue argumentum, vt alij fideles putarēt Defunctum capacem esse suffragiorum Ecclesiæ, quibus tamen propter excommunicationem re vera priuatus esset. Quamuis enim cadauer non videatur capax spiritualis communicationis, tamen hęc poena supponit priuationem communicationis, qua caruit excommunicatus in vita, nisi antequam decesserit, obtinuerit absolutionem ab excommunicatione, vt corpus eius minimè debeat tradi Ecclesiasticæ sepulturæ.

Hæc ratio desumitur ex B. Leone Papa ad Rusticū Narbonensem Episcopum epistola 90. c.2. alias epist. 92.c.6. & refertur in c. De communione. & in c.Sanè.

A 24.q.2,& poctea ex Gelasio Papa c. Quicūque.11.q.3.

Et hunc morem non admittendi excommunicatū ad Ecclesiasticam sepulturam semper seruatum fuisse in Ecclesia declarant Acta Concilij Prouincialis Lemouicensis celebrati Anno 1034. tempore Benedicti Noni, refert illa Illustriss.Card.Baronius Tom. XI. In hoc enim Conc.Actione 2.plura diūntur in detestationem cuiusdam Abbatis qui passus fuerat Vice Comitem quendam ab Episcopo excommunicatum in loco Monasterij sepeliri. Quam accusationem cum audiret ipsemet Abbas qui præsens aderat rogatus suam agere causam, respondit ad sui excusationem, Absit à me vt tale factum commiserim. Quia ille Vice Comes excommunicatus me ignorante à Militibus suis
B adMonasterium nostrum deportatus est,cuius corpus, neque suscepimus neque sepeliuimus, sed sine officio sacro vltra aquā vehi iussimus, vbi Milites ipsi, nullo astante Clericorū,sepelierunt illud longe à loco sacro.

Idque valdè rationi consonum videtur, nam indignus est in Ecclesia sepeliri is, pro quo orare nō licet, & quem Ecclesia declarauit incapacem suffragiorū communium, ob hunc enim finem maximè corpora Christianorum in Ecclesijs reconduntur, vt fideles in eis orantes studio pietatis Christianæ moti, etiam pro defunctis preces ad Deum fundere meminerint.

Hæc pœna, Scilicet carentia Christianę sepulturę, est grauis,quæ in Iure ob maiora quædam scelera tā-
C tum imponitur, Vt his qui in Torneamentis moriuntur c. 1. in fi. De Torneam. & Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 19. Raptoribus,c. super eo. De Raptor. vsurarijs publicis, & manifestis c. Quia in omnibus. De vsur. Illis, qui semel in anno saltem non fuerint sua peccata confessi proprio Sacerdoti,& Eucharistiæ sacramentum in Paschate ad minus receperint, c. Omnis vtriusque. De pœnit. & remiss. Item & illis, qui se ipsos interficiunt 23.q.5.c.Placuit.similiter Monachis habentibus peculium sine licentia Abbatis, si in tali statu decesserint, cap. Monachi cap. Cum ad Monasterium,cap.Super quodam De Sta.Monachi. & alijs, qui recensentur per Archid. in cap. Is, cui De Sent. Excom.lib.6.

D Vnde apparet, quod licet Regula illa B. Leonis semper vera sit; Quibus non communicamus in vita, eisdem neq; post mortem communicandum esse; Tamen oppositam, nempè Cui communicatur viuenti; eidem communicandum esse defuncto,non semper veram esse, sed pati quasdam exceptiones in quibusdam casibus, quos recenset Glossa in cap. Ex parte Ver. Communicabatur De Sepult. & cap. Omnis vtriusq; Vers. Sepultura De Pœnit. & Remiss. Quod statutum fuit à sacris Canonibus, vt inquit Glo.in cap. 1. Vers. Careat sepultura in fi.De Torneam. *Vt potius consula-
E tur Viuis, quam Defunctis, nempe vt fideles terreantur, & abstineant à talibus, cum viderint illos sepeliri in campis,quia vilis sepultura illis defunctis non nocet*. Quæ sententia Glossæ quoad primā partem vera est, sed quoad secundam non est admittenda simpliciter, & indistinctè, sed indiget explicatione, & declaratione, de qua statim dicemus, quia vilis sepultura etiam defunctis obest.

Tria enim continentur in sepultura,quam Christianam,seu ecclesiasticam sepulturam sacri Canones locis citatis appellare consueuerunt, nempè Officium ipsum, & cura humandi, & tumulandi cadauer in loco sacro; Externa pompa, & ornamenta, quibus funus honestatur; Tandem sacræ exequiæ, & officia diuina,quę celebrantur post obitum, vt inquit B. Tho.

4.Sent.

4. Sent. dist. 45. q. 2. art. 3. quęstiunc. 3. & Sot. ead. d. q. & artic. §. Cæterum Missæ. Et ex his omnibus commodum, & vtilitatem spiritualem percipere potest defunctus vel per se, vel saltem per accidens. Et primo ex sepultura excitantur fideles, qui Ecclesias ingrediuntur ad orandum, cum inspicientes sepulturam, memoriam retineant defunctorum, maximè consanguineorum, & pro illis deprecentur Dominum. c. Cũ grauia. 13. q. 2. Ideò monumentum à memoria nomẽ accepit. Similiter sepultura in loco sacro prodest, vt inquit S. Th. defuncto, non quidem ex opere operato, sed magis ex opere operantis, dum scilicet vel ipse defunctus, vel alius, corpus illius tumulari in loco sacro procurans, patrocinio alicuius Sancti eum committit, cuius precibus credendum est adiuuari, simul etiam patrocinio, & orationibus illorum Ministrorũ, qui loco sacro inseruiunt, qui pro sepultis in eo loco frequentius, & peculiarius orant, præter alias rationes, cur homines potius sint sepeliendi in Ecclesijs, quam alibi quas refert Glossa in dicto c. Cum grauia. ver. Sepeliuntur.

His igitur modis plurimum ex Christiana sepultura defunctus adiuuari potest, quãuis per se quatenus locus talis est, siue speciosus, aut vilis parum, aut nihil spiritualis emolumenti, vel incommodi recipiat; & ad hunc modum intelligendum est dictum Glossæ in cap. 1. ver. Careat sepultura. in fin. De Torneam. *Quia vilis sepultura Defunctis non nocet*, & ad hunc sensum dixit B. Augustin. in libro de cura pro Mortuis gerenda cap. 2. & refertur c. Sacris. in fin. De sepultur. *Cum licèt non obsit iustis sepultura nulla, vel vilis, imp s tamen celebris, vel speciosa non prosit*. Eodem modo, quæ ad ornatum sepulturæ exhibentur, prosunt defunctis per accidens, non per se, quia talibus medijs prouocantur fideles ad compatiendum, & ideirco ad deprecandum Deum pro ipsis defunctis, vel etiam quoniam ex sumptibus funeris aut pauperes adiuuantur, aut Ecclesia ornatur. Exequiæ verò propriè suffragiorum rationem retinent, & per se primo dirigũtur in spirituale commodum, & beneficium defunctorum in quibus ante omnia continentur sacrificia, Psalmi, Orationes, & Preces. His omnibus auxilijs priuatur excommunicatus, cum eius cadauer in loco sacro non humatur Christianorum more, sed foras proijcitur, & in sterquilinio sepelitur in signum perpetuæ damnationis, vt dicitur in c. Cum ad Monasterium. §. 1. De statu Monach. Quod si excommunicatus in loco sacro sepeliretur, nõ idcirco particeps fieret suffragiorum Ecclesiæ, sed potius de sua præsumptione damnaretur, vt habetur in c. Quibus peccata. 13. q. 2. ibi, *Quia quos peccata grauiora deprimunt, si in sacris locis se sepeliri faciant, Restat, vt de sua præsumptione iudicentur, quia eos sacra loca non liberant, sed culpa temeritatis accusat*.

Hinc quoque fit, quod licèt locus, in quo sepelitur mortuus, euadat religiosus ff. de rer. diui. l. in tantum. §. Sacræ instit. eod. tit. §. Religiosum. etiam si solum caput sit sibi sepultum, quia est principalis pars hominis, & est id, quo homo cognoscitur, l. cum in diuersis. ff. de Religio. & sumpti. fune. (& ista intelliguntur de iure Ciuili; nam iure Canonico non fit locus religiosus, aut sacer, nisi auctoritate Episcopi, c. Ad hæc. De Relig. Domi. Glo. in c. In Ecclesiastico. ver. Si terram 13. q. 2.) Hoc tamen non est verum, si mortuus esset excommunicatus, vt sentit Goff. c. Sacris. De sepult. Vndè non rectè Glò. in dictu c. Sacris. ver. Exhumari. dubitatiuè loquitur, *Immò fortè nec Religiosum locum facit cadauer excommunicati, si per ignorantiam Sacerdotis, vel eo inuito inferatur*. Sed absolutè ita asserendum est, vt notauit Abb. in eod. c. Sacris. nu. 5.

Immò, vt in eod. c. Sacris. habetur, si ossa excommunicati sunt sepulta in loco sacro, remanet locus violatus, & pollutus, c. Consuluisti. De consecr. Eccl. & Alt. & ossa exhumari debent, c. Sacris. De sepult. c. Ad hæc. De priuileg. si à corporibus fidelium discerni possint, & procul ab Ecclesia proijcienda, sin minus, non expedit, vt cum corporibus excommunicatorum extumulentur ossa fidelium.

Res memoria digna narratur in Conc. Prouinciali Lemouicensi Actione 2. contigisse circa annum Domini 1034. Quidam excommunicatus interfectus fuit & à Militibus apud quandam Ecclesiam sepultus. Mane autem facto corpus eius longe extra Cœmeterium proiectum & nudum super faciem terræ inuentum est. Tumulus autem vbi sepulturam habuerat inuentus, & ita vt dimissus fuerat repertus est. Quem iterum Milites aperuere, & nihil in eo amplius, nisi vestes quibus inuolutum corpus fuerat, inuenerunt; Rursus cadauer ibidem sepelierunt, & diligenter tumulum sub enormi pondere terræ & lapidum, claudunt, sed die altero proiectum cadauer & tumulum intactum vt supra aspiciunt. Quinquies sepeliunt, toties eodem eiectum tenore contuentur. Tanto demum victi stupore, corpus longe à Cœmeterio Ecclesiæ terra obruunt; Quid hoc aliud est, nisi quia sub oculis hominum arbiter hominum affirmat Ecclesiæ suæ auctoritatem, quia excommunicati à sepultura Christianorũ iustè ab Episcopis segregãtur.

Neque satis est, vt ex loco sacro ossa excommunicatorum tollantur, sed quia ex tali depositione locus remanet pollutus, & violatus, ideò reconciliandus est. Ita statutum est in c. Consuluisti. De consecr. Eccles. & Alt. *Cœmeteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut in Dedicationibus Ecclesiarum fieri consueuit*. Quæ reconciliatio, si Ecclesia fuerit consecrata, non potest, nisi ab Episcopo loci fieri, vel de eius licentia per alium Episcopum, vt habetur c. Aqua. De consecr. Eccl. & Alt. & simplici sacerdoti committi non potest, nisi à Papa, vt ait Innoc. quem refert Silu. Consecratio 1. §. 8. Quæ reconciliatio fit per aquam cum vino, & cinere solemniter benedictam, c. Proposuisti. eod. tit. Si verò Ecclesia non fuerit consecrata, sed tantum benedicta, potest à simplici sacerdote per aspersionem Aquæ benedictæ reconciliari, vt c. vlt. eod. tit.

Addit Io. And. vt refert Abb. in dicto c. Consuluisti. nu. 4. De consecr. Eccl. & Alt. aliam conditionem necessariam, nempè parietes radendos esse ex c. Ecclesiam. 2. De consecr. dist. 1. Vbi habetur. *Ecclesiam, in qua mortuorum cadauera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet, sed si apta videtur ad consecrandum, inde euulsis corporibus, & rasis parietibus, vel tignis eius loci reedificetur* Sed quod dicit Io. Andr. vt notauit Abb. non habet locum in reconciliatione Ecclesiæ, sed si denuò esset consecranda, in quibus terminis loquitur dictum c. Ecclesiam. Tunc enim radendi essent parietes, idest dealbandi, vt interpretatur Glo. ibi ver. Et rasis. nam mutata forma perit substantia rei, Abb. in c. Proposuisti. nu. 5. in fin. De consecr. Eccl. & Altar. notat ex Glo. ibi ver. Reconciliari. tres dari casus, in quibus opus est Ecclesiam iterũ consecrare, tres alios, in quibus Altare reconsecratur; Duos verò, in quibus

sufficit

sufficit Ecclesiam reconciliare. Et ante reconciliationem fideles non possunt ibi sepeliri, sicut in simili de Ecclesia polluta per seminis, aut sanguinis effusionem, voluit Bonifatius octauus in c. vni. eod. tit. lib. 6. & eadem est ratio de quacunque violatione, & fortiori ratione in tali Ecclesia, vel loco ante reconciliationem Missarum sacrificia, & alia diuina officia sine peccato mortali, per se loquendo, celebrari nequeunt, cap. fin. De Consecra. Eccl. vt docent omnes Theologi in 4. dist. 18. q. 8. Silue. Consecratio. §. 9. Nauar. in Manua. cap. 25. num. 83. & cap. 26. numer. 250. Ratio est, quia pollutio Ecclesiæ nihil aliud est, quàm censura quædam, seu prohibitio Iure Ecclesiastico inducta, nè sacrum, aut alia diuina officia fiant in huiusmodi Ecclesia.

Quamuis B. Tho. asseueret 3. par. q. 83. art. 3. in Ecclesia violata ante reconciliationem de licentia Episcopi sacrum peragi posse; quia sicut Episcopus impertiri licentiam potest, vt in loco non consecrato sacrificium fiat, pariter poterit idem concedere in loco nondum reconciliato. c. Missarum de Consec. dist. 1. *Missarum solemnia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus*. Et in c. Hic ergo, eadem ratio absolutè, & generaliter adducitur; *Quoniam in alijs locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, nisi in his, in quibus Episcopus proprius iusserit*. Igitur etiam in Ecclesia polluta celebrari poterunt, si Episcopus ità mandauerit. Addit Sot. in 4. dist. 13. q. 2. art. 3. Vers. Ait verò S. Thomas, id non esse concedendum, nisi vrgeat grauis necessitas, quia est dispensatio quædam in lege ecclesiastica, & maior requiritur necessitas ad hoc, quàm ad celebrandum extra Ecclesiam in priuata domo, sed tanta posset dari necessitas, vt si non possit accersiri Episcopus, sine facultate eius id liceat; quia ecclesiasticum præceptum non obligat cum tanto rigore. Hoc modo excusantur, qui in Regionibus Septentrionalibus celebrant in locis, in quibus sepulti sunt Hæretici; nam vel necessitate coguntur, quia alibi commodè sacrificare non possunt, vel etiam Episcopi videntes, & consentientes facultatem præbere censentur.

Si postulet quis; an prohibitum sit ab ipso Iure orare in Templo, in quo excómunicatus sit sepultus.

Respondeo non esse sacris Canonibus expresse interdictum, nè orationes, & preces priuatæ emittantur in Ecclesia, in qua sepultus est excommunicatus, Nauar. cons. 10. num. 4. in tit. De Hæret.

Quæret quis, si corpus excommunicati non potest discerni à reliquis corporibus, nec ab Ecclesia extrahi iuxta verba in cap. Sacris de Sepult. *Quod si discerni non poterunt, expedire non credimus, vt cum excommunicatorum ossibus corpora extumulentur fidelium*; an in hoc casu locus ille debeat perpetuo manere ita pollutus, vt sit inhabilis ad diuina officia, & sepulturam aliorum fidelium.

Respondeo non debere ità violatum remanere, sed reconciliandum modo explicato; quia cap. Consuluisti De Consecr. eccles. & Altar. indistinctè & vniuersaliter loquitur, *Coemiteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt*. Et ibi Glo. in Casu notat, *Eiectis prius corporibus excommunicatorum, si à corporibus fidelium discerni poterunt*, ergo si nequeunt discerni, poterit ecclesia reconciliari etiam non eiectis ossibus excommunicatorum, præsertim quia in hoc casu impedimentum esset occultum, & non posset impedire reconciliationem.

Sed ex dictis oritur dubitatio; an similiter Ecclesia reddatur polluta, & violata, si ab Episcopo excommunicato consecretur, aut benedicatur; nàm Abb. in cap. Consuluisti num. 5. De Consecr. eccl. & Alt. ex illo tex. infert, quod quando Ecclesia, seu Coemeterium fuit consecratum per Episcopum notoriè excommunicatum, est iterum reconciliandum, & reddit rationem; nàm si sepultura corporis excommunicati polluit locum sacrum, multò magis violari debet, si consecretur ministerio Episcopi notoriè excommunicati, vnde deducit Regulam, quod omnia consistentia in exterioribus benedictionibus, & consecrationibus, si per notorium excommunicatum sunt peracta, fidelibus deseruire non debent ante reconciliationem. Et hæc est communis sententia, Host. in eod. cap. Consuluisti, Palud. in 4. dist. 18. q. 8. art. 4. Silue. Consecratio 2. §. 5. in fin. Vers. Quintus est in Ecclesia, & aliorum, & omnes nituntur tantùm ratione illa adducta, & concludunt ante reconciliationem non debere in tali loco per notoriè excommunicatum consecrato, aut benedicto celebrari, nec sepeliri.

Et quidem hæc sententia communis non videtur posse negare consecrationem aut benedictionem loci factam ab Episcopo excommunicato tenere, & validam esse, quia talis actus non requirit Iurisdictionem essentialiter, sed solum potestatem ordinis, quam non aufert excommunicatio, sed significare voluit locum esse interdictum, & violatum, quia non possunt in eo celebrari diuina officia, nisi reconcilietur; remanet igitur consecratus, sed suspensus quantum ad effectum, sicut, quando excommunicatus suscipit ordinem Ecclesiasticum, verè est ordinatus, sed suspensus, ne possit exercere actum ordinis.

Sed quamuis in hac conclusione conueniant communiter, tamen patitur difficultates, & controuersias.

Primò quoniam nulla censura incurritur, nisi hoc expressum fuerit in iure, quod enim communiter asseritur de Irregularitate, ex cap. Is qui De sent. excommunic. lib. 6. id censeo affirmandum esse de quacunque censura, aut pœna ipso Iure incurrenda, quoniam si in Iure non est lata, quomodò ipso iure incurritur? Sed in proposito casu hæc censura, seu pœna violationis, & Interdicti non reperitur in iure, ergo neque ipso iure incurri potest.

Secundò non valet argumentari à paritate rationis, ius voluit, vt Ecclesia violetur per sepulturam excommunicati, ergo voluit similiter remanere violatam si consecretur ab Episcopo excommunicato, nam quamuis concederemus parem militare rationem in vtroque casu, tamen ex aliqua causa potuit ecclesia rationabiliter vnum statuere, non aliud, deinde negari potest paritas rationis, quia iniuria, quæ fit ecclesiæ per depositionem corporis excommunicati, est maior, & diuturnior, quia traditur cadauer quasi semper ibi custodiendum, sed consecratio, vel benedictio facta ab excommnaicato est actio, quæ citò transit.

Confirmatur; quoniam si in proposito casu conuenit sumere argumentum a paritate rationis, potius licebit à contrario sensu argumentari ex cap. A nobis de sacram. non itera. Vbi dicitur non pollui ecclesiam, vel Altare, si in eo Schismaticus, aut excommunicatus celebret, ergo à simili non polluitur, si eam excommunicatus Episcopus consecret, Item si argumentum à simili valet, sicut Ecclesia violatur, si in ea

in ea excommunicatus sepelitur, ita quoque polluetur si sacerdos excommunicatus sepeliat solemniter aliquem in ea, quod tamen falsum est, vt dicitur in dicto cap. A nobis.

Tertio Violatio Ecclesiæ supponit Ecclesiam consecratam, vel benedictam, violatur enim id, quod sacrum est, sed consecratio non supponit Ecclesiam consecratam, aut benedictam, quia non posset iterum consecrari, ergo consecratio facta ab Episcopo excommunicato non potest violare Ecclesiam, quæ non erat consecrata.

His igitur rationibus redditur ambigua contraria sententia communis, à qua tamen non est recedendū, quia tutior videtur, & pietati, ac Religioni magis consentanea.

CAPVT VII.

An omnes excommunicati cuiuscunque generis afficiantur ab ipso iure hac ignominia, vt post mortem in loco sacro sepeliri nequeant, et quid per locum sacrum intelligere debeamus.

QVoad primam partem quæstionis, cum alij sint excommunicati excommunicatione Maiori, alij minori excommunicatione, & alij sint excommunicati excommunicatione maiori à iure, alij ab Homine, aliqui vitandi, alij non vitandi, & ex illis, qui post Concilium Constantiense non sunt vitandi, alij sint occulti, alij publici, merito queritur de quibus excommunicatis intelligenda sit conclusio iuris quod excommunicati in loco sacro sepeliri non debent.

Iure antiquo prohibitum erat: sepelire quemcunq; in maiori excommunicatione decedentem, siue esset excommunicatus ab Homine, siue à Iure, cap. Sacris de Sepult. *Sacris est Canonibus institutum, vt quibus non communicamus viuis, non communicemus defunctis, & vt careant ecclesiastica sepultura qui prius erant ab Ecclesiastica vnitate præcisi.* Omnis igitur excommunicatus maiori excommunicatione priuatus erat ecclesiastica sepultura, quia sicut generali prohibitione communicatio excommunicati interdicta erat in vita, ità & in morte seruata distinctione, occulti, & publici excommunicati, vt occultus occultè, publicus publicè esset vitandus, cap. Cum non ab homine De sentent. Excommun.

Hæc prohibitio innouata fuit, & immutata in Clement. 1. De Sepult. Vbi excommunicantur, qui præsumunt publicè excommunicatos sepelire: Vnde hæc Constitutio non complectitur eos, qui sepulturæ tradunt corpus excommunicati occulti.

Immò Glos. in ead. Clem. asserit non tantum excommunicatum Maiori Excommunicatione sepeliri non posse, sed neque etiam excommunicatum excommunicatione minori. Quamuis enim sepelientes excommunicatum excommunicatione minori non incurrant pœnas iuris latas in dicta Clem. 1. De Sepult: peccant tamen, quia transgrediuntur Constitutionem ecclesiasticam id prohibentem. Ità dicit Glos. ex sententia Innoc. Ver. Excommunicatos, cum ait; *Ab homine, vel à iure, & intelligas de excommunicatione maiori de senten. excomm. cap. Si quem, licet enim excommunicati minori sic decedentes sepeliendi non sint, vt notat Innocent. eodem titulo cap. Sacris, huic tamen pœnæ tunc locus non esset*: Innocen. in cap. Sacris De Se-

A pult. explicans verba Tex. *Excommunicatorum corpora*, scilicet debent exhumari, & procul ab ecclesiastica sepultura iactari, inquit, *Idem de interdictis à communione sacramentorum*, quod efficit excommunicatio minor, quæ impedit participationem passiuam sacramentorum, Card. in dicta Clem. num. 17. idem videtur affirmare, quod ex sepultura excommunicati minori excommūnicatione non incurratur pœna illius Clem. nec Ecclesia indigeat reconciliatione, quia excommunicatio minor non ità inficit, sicut maior, nec prohibemur participatione excommunicati excommunicatione minori, sicut maiori, cap. Excellentissimus 11. quæst. 3. & hoc est, quod dicitur communiter, excommunicationem minorem non transire in
B tertiam personam, cap. Quoniam multos 11. qu. 3. Tamen asserit excommunicatum minori excommunicatione non esse sepeliendum in loco sacro.

Animaduertendum tamen est, hoc quod dicitur de excommunicatis excommunicatione minori, non esse accipiendum generaliter de omnibus excommunicatis hoc modo, etiam ob solam participationem in humanis actibus cum excommunicato Maiori excommunicatione, nempè quod carere debeant Ecclesiastica sepultura, & affici hac ignominia, sed esse interpretandum de illis tantùm, qui per sententiam hominis hoc genere excommunicationis sunt obstricti ob aliquod graue peccatum mortale, & ex consequenti priuati receptione sacramentorum, istis, si in
C excommunicatione decessissent, denegabatur ecclesiastica sepultura, non ratione excommunicationis minoris, sed quia quantum signis, & coniecturis externis apparere poterat, moriebantur in peccato mortali impoenitentes, Turrecrem. cap. Cyprianus 21. quæst. 3.

Et idem erat de quocunq; de quo constabat publicè in peccato mortali extremum suæ vitæ diem clausisse, vt notat Glo. in cap. Quia in omnibus Ver. Accipiant sepulturam De Viu. per tex. in cap. Pro obeuntibus 13. quæst. 2. & 23. quæst. 5. cap. Placuit, & alijs iuribus, quæ ibi citantur, vnde Glos. in dicto capitulo Pro obeuntibus Ver. Pro Impijs proponit quæstio-
D nem, nunquid ecclesia oret pro his, quos constat decessisse in mortali.

Respondet: *Quando euidens est aliquem decessisse in mortali, vt cum quis suspendit se, vel præcipitat, aut alio modo se interficit, pro illo non est orandum*, Et idem dicendum est de sepultura Christiana, Idcirco Glos. in cap. Omnis vtriusque Ver. Sepultura de Poen. & Remiss. dicit in hoc casu, & in nonnullis alijs non habere locum Regulam illam, cui communicamus viuo, eidem communicare debemus mortuo, nàm cum huiusmodi excommunicatis minori excommunicatione permissa erat communicatio in Vita, non autem in Morte, Verum hoc tempore non est in vsu excommunicatio minor per sententiam hominis, sed incurri-
E tur solùm ob participationem cum excommunicato maiori excommunicatione, & est imposita ab ipso iure, vt dictum est supra, cum agerem de excommunicatione Minori.

Quamobrem fideles peccant sepeliendo excommunicatum publicum, si per sententiam saltem declaratus sit excommunicatus. Ipse autem excommunicatus, etiam si occultus sit, peccat, si iubet corpus eius sepeliri post mortem in loco sacro, quia ingerit se illicitè diuinis, ex quorum genere est ecclesiastica sepultura. Qui verò appellari debeant publicè ex-

communicati ad effectum incurrendi excommunicationem & alias pœnas dictæ Clement. tractabo in cap. 1. Disp. 14.

Ad secundam partem quæstionis cum quæritur, quid intelligatur appellatione loci sacri, cum prohibet Ecclesia, nè excommunicatus in loco sacro sepeliatur; Respondendum ante omnia, & præcipuè significari Ecclesiam consecratam, aut benedictam, idest locum ab Episcopo deputatum, vt in eo in primis sacrificium offeratur, administrentur sacramenta, celebrentur diuina officia, vbi fideles ad orandum conueniant, & post mortem eorum corpora sepeliantur.

Et hic est præcipuus finis, cur in Ecclesia Templa erigantur, quæ longius prosequi non est præsentis negocij solum quantum spectat ad sepulturam fidelium dicendum est hunc morem antiquissimo tempore viguisse in Ecclesia Christi. Vnde S. Ambrosius lib. 2. De Offi. cap. 18. *Nemo, inquit, potest accusare, quod templum Dei ædificatum est; Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt.* Et Simeon Metaphrast. referente Suetio in Vita B. Ioannis Tom. 6. narrat de Sancto Ioanne Euangelista, cum esset morti proximus, se in Ecclesiam deferri voluisse, & Viuum in Monumentum ingressum, quod sibi parauerat, ibidem obiisse.

Postea tamen in reuerentiam Templorum cautum fuisse legimus, nè intra ambitum illorum, fidelium corpora tumularentur, sed in Atrio, seu Cœmiterio, vt apparet ex cap. Præcipiendum 13. quæst. 2. ex Concilio Varensi, seu Namneten. cap. 6. Vbi sic habetur: *Prohibitum est etiam secundum Maiorum instituta, vt in Ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in Atrio, aut in Porticu, aut in Exhedris Ecclesiæ, Intra Ecclesiam verò, aut propè Altare, vbi Corpus, & sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliantur.* Idem habetur definitum in Concilio Braccharensi apud Burch. lib. 3. Decreti cap. 157. Exhedræ dici possunt loca, quæ in peristylijs Canonicorum, aut Monachorum, idest claustris vulgò Capitula dicuntur, vt notat Bude. in Annot. prioribus ad l. Si verò ff. De iis, qui deiecerunt, Cœmeterium idem est, quod Dormitorium; vnde locus sepulturæ destinatus vocatur Cœmeterium, quia ibi mortui dormire dicuntur, quasi Mortuorum Dormitorium. Sed hic vsus, & hæc consuetudo vniuersaliter in Ecclesia non seruatur, neq; antiquitus generaliter obseruata videtur; Nam in Concilio Mogunt. cap. 52. sic habetur: *Nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, aut fideles Laici*, & refertur in cap. Nullus 13. quæst. 2. Vbi Glos. per fideles Laicos videtur intelligere omnem Christianum, ita vt in Ecclesia sepeliri possit omnis Christianus, sed non Gentilis iuxta ea, quæ habentur cap. Ecclesiam 1. & 2. De Consecr. dist. 1. exceptis illis Christianis, qui in mortali decesserint, vel in alijs casibus, quos ibi insinuat Glos. & de quibus nos superius diximus. Quarè quod intra Ecclesiam, vel extra in eius Vestibulo, aut Atrio, seu Cœmeterio sepeliantur corpora Christianorum, nihil refert; Vtrumq; enim optimè nititur vel religiosa pietate, vel Christiana humanitate, vt notat Durandus in libro primo capitulo vigesimotertio Diuin. Offic.

Igitur appellatione loci sacri in proposita quæstione, de qua tractamus, intelligitur primò Ecclesia, vnà cum atrio, seu vestibulo.

Deinde eodem nomine accipitur Cœmeterium, & Iura, quando prohibent, nè excommunicatus sepeliatur in Ecclesia, ferè semper loquuntur de Cœmeterio, quod aliquando est contiguum, & coniunctum Ecclesiæ, nonnunquam disiunctum, & separatum, vt colligitur ex cap. Vni. De Consecratione Ecclesiæ, & Alt. libro sexto. Vbi Bonifacius Octauus statuit ex violatione Ecclesiæ pollui etiam Cœmeterium, si sit contiguum Ecclesiæ, secus verò, si sit remotum.

Tertio intelligitur per locum sacrum omnis locus, in quo Missæ celebrantur, licet non sit consecratus, neq; benedictus, talis enim locus ex celebratione Missæ efficitur Sacer, & religiosus, vt nefas sit, quod in eo corpus Excommunicati sepeliatur; Nàm de licentia Episcopi licet extra Ecclesiam celebrare cap. Missarum De Consecra. dist. 1. Vbi habetur: *In locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit*, & in cap. Hic ergo ead. dist. *In locis, in quibus Episcopus proprius iusserit*. Idem legitur cap. In his De Priuileg. Sed hæc facultas Episcopi, vt inquit Nauar, in Manua. cap. 25. nu. 82. fuit limitata per Conc. Trid. sess. 22. cap. De obseruàndis in celebratione Missæ. Similiter potest celebrari extra Ecclesiam in casu necessitatis, vel ex priuilegio concesso à Sede Apostolica celebrandi in quocunq. loco honesto, si tale priuilegium confirmatum fuit post Concilium Trid. Nam hæc priuilegia à Concilio Tridentino reuocata fuerunt; Exquouis igitur capite in aliquo loco communi non consecrato, neque benedicto celebrentur sacrificia Missarum, in illum, corpus excommunicati inferri sine crimine nequit, quia effectus est locus sacer, vt dicitur in cap. Ecclesiæ De Immun. Eccles. *Ecclesiæ, in qua diuina misteria celebrantur, licet adhuc non extiterint consecrata, nullo Iure priuilegium immunitatis admittitur.* Vnde, vt inquit Glos. Ver. Admittitur: *Si polluatur sanguine, aut semine, debet aqua exorcizata lauari, antequam celebretur in ea*, iuxta cap. fin. iuncta Glos. De Consecra. Eccl. & Alt.

Eadem debet esse ratio de omni loco ab Episcopo deputato, vt in eo diuina officia celebrentur, etiam si solemni ritu non fuerit consecratus, habendus est tamen sacer quoad illum effectum, ad quem est deputatus; Idcirco in tali loco non potest humari corpus excommunicati; nam sacri Canones simpliciter vetant, nè excommunicato Ecclesiastica sepultura tribuatur, neque requirunt, vt locus sit specialiter consecratus, aut benedictus. Et idem dicendum erit, quando aliquis locus absq. vlla approbatione, & benedictione Episcopi sola consuetudine destinatus sit sepulturæ fidelium, quia consuetudo habet vim legis, & in tali casu adest Episcopi tacita licentia, & approbatio, & tandem ex communi vsu, & more Christianorum talis locus per depositionem corporũ fidelium reputatur sacer, & religiosus.

Quod est intelligendum, quando res est dubia, & nõ constat de benedictione Episcopi, tunc enim præsumendus est locus benedictus, & gaudet immunitate loci sacri, quamuis re vera non esset, nam vbi certum est locum non fuisse benedictum, nõ gauderet immunitate, nec diceretur Cœmeterium, etiam si deputaretur sepulturæ, quia Cœmeterium non constituitur, nisi post benedictionem cap. Nemo De Consecr. dist. 1. Card. in Clem. 1. De Sepult. nu. 10. Anchar. nu. 4.

Addunt quoq; nonnulli Doctores appellatione loci sacri in his terminis, de quibus agimus, cõprehendi vltra Ecclesias, & Cœmeteria etiã loca contigua, & propinqua Ecclesijs, & Cœmeterijs, in quibus negãt posse

sepeliri

sepeliri excommunicatos, itâ sentit Abb. cap. Sacris A nu. 3. de sepult. Vbi ex tex. colligit; Non esse propè Cœmeterium sepeliendos illos, quibus est interdicta Ecclesiastica sepultura, sed procul ab Ecclesia, & Cœmeterio in loco adeò distante, vt voces Clericorum psallentium exaudiri non possint, arg. cap. Quod in te de pœnit. & remiss. quo permittitur tempore Interdicti horas Canonicas in Ecclesiis recitari posse voce itâ demissa, quod exterius audiri non possit.

Verum hoc dictum durum videtur, & caret probabili fundamento, nam cum dicitur in cap. Sacris. de sepult. corpora excommunicatorum: *Exhumari debere, & procul ab Ecclesiastica sepultura iactari*, id non est intelligendum, vt habeat sensum illum, quod corpus excommunicati debet sepeliri longius, & distantius ab B Ecclesia, & propius humari non possit, sed est phrasis sermonis Latini, & idem valet, ac si dixisset extra Ecclesiam proiici debere; Tex. autem in cap. Quod in te De Pœnit. & Remiss. loquitur de Excommunicatis, & Interdictis viuentibus, quibus vetitum est, nè possint diuina officia audire intra Ecclesiam, vel extra eam, & idcirco præcipit Summus Pontifex, vt summissa voce recitentur, quod aptari non potest corporibus Defunctorum.

Quamobrem dicendum est excepta Ecclesia, Cœmeterio, & quocunq; alio loco peculiariter per Episcopum destinato ad sacras functiones, vel sepulturas fideliũ, in omni alio loco profano posse tumulari corpus excommunicati, quamuis sit contiguus, & vicinus C Ecclesiæ, aut Cœmeterio, siue sit via publica, aut domus priuata, seu Campus; Quod apertè asseruit Glo. in dicta Clem. 1. Verf. Cœmeteriis, cũ inquit; *Si igitur in Campis, & locis priuatis eos sepeliant, non est locus huic pœna, quod intelligo etiã si locus ille esset vicinus, vel contiguus Ecclesiæ, vel Cœmeterio, quia ex quo ad vsum Cœmeterii non est per Episcopum benedictus, non erit locus huic pœnæ.*

Sed dubitari potest, quando Cœmeterium antea benedictum amplificatur, & redditur maius per additionem alterius loci priuati non interueniente aliqua solemnitate, & noua benedictione Episcopi, an ille locus additus debeat dici sacer, vt in eo prohibitum D sit sepeliri corpus Excommunicati.

Ex vtraq; parte dubitari potest, quod prohibitio comprehendat hunc casum, probari potest, quia sicut Ecclesia gaudet immunitate, quamuis non sit dedicata seu consecrata, vt probatum est supra, itâ etiam Cœmeterium, nam Ecclesia, & Cœmeterium in his pari Iure cẽsentur, cap. Consuluisti De Consecra. Eccl. & Alt. Deindè vt pars addita dicatur sacra, & religiosa sufficit, vt de consensu Episcopi ad vsum sepulturæ fuerit aptata, cap. Ad hæc De Relig. Domi. Instit. De Re. diui. §. Sacra.

Contra verò, quoniam ad constituendum locum sacrum requiritur deputatio cum benedictione, & aliis solemnitatibus, & ceremoniis, de quibus in Auten. De Ecclesia. ti. §. Si quis De Fabrica In Auten. De Mona. §. Illud.

Respondendum est ad dubitationem locum additũ Cœmeterio non esse sacrum, si speciali benedictione Episcopi non sit talis constitutus, ideo nullam Ecclesiasticam constitutionem violari, si in tali loco tradatur sepulturæ corpus excommunicati, & hæc est communior, & probabilior sententia, quamuis opposita non careat probabilitate.

Probatur, quia pars addita non est Cœmeterium, Cœmeterium enim est locus benedictus sepulturæ fidelium deputatus; Petrus Anchar. in dicta Clem. 1. nu. 4. in princ. Quod tamen est intelligendũ, quando constat, quod locus additus non sit benedictus, quia recenter facta fuit amplificatio, secus si longiori tempore applicatio facta fuisset, & totus integer locus haberetur pro Cœmeterio, est opinio Card. in dicta Clem. 1. nu. 11. De Sepult. Anchar. dicto nu. 4. in fin. Silue. Excommunicatio 9. §. 67. Verf. Quartò quæritur.

Si contra opponatur; quod Ecclesia non consecrata eodem gaudet priuilegio, sicut consecrata, vt inquit Glo. in cap. Ecclesiæ Ver. Admittatur De Immuni. Eccles. Ergo & Cœmeterium non benedictum eandem debet habere immunitatem, sicut & benedictum.

Respondeo Illud esse verum, quando in Ecclesia non consecrata neq; benedicta celebrata fuerunt diuina officia, & hoc contingit ob venerationem diuinorum officiorum, vt dicta Glos. notat, talis enim celebratio reddit locum sacrum.

Secundo opponitur c. Ligneis De Consecr. Eccl. & Alt. Vbi definitur Ecclesiã non indigere noua consecratione, si tectũ reficiatur, ergo neq; Cœmeteriũ requirit nouã benedictionem, si reddatur magis amplũ.

Respondeo diuersam esse rationem de tecto quoad Ecclesiam, & de parte loci addita Cœmeterio; Nam Consecratio Ecclesiæ consistit in Parietibus quantum ad substantiam, & tectum est quid accessorium Parietibus; verum pars Cœmeterij non est accessoria ad alteram partem præexistentem Cœmeterij, sed vtraq; est æquè principalis, ideo non militat eadem ratio.

Tertio opponitur, cap. Quod in dubijs De Consecr. Eccles. & Alt. Vbi asseritur, quod res nõ sacra admixta sacrę sit tota sacra; quia sacrum tanquam magis dignũ, vt notat ibi Glo. V. Consecrato, trahit ad se non dignum. De qua regula latè tractat Iason in l. Imperium ff. De Iurisd. Omni Iud.

Respondeo Regulam illam locum habere, in finidis, & liquidis, quæ inuicem commisceri possunt; Instit. De Re. diuis. §. Si duorum, & §. Quod si frumentũ, secus est in casu, de quo agimus; Nam vna pars Cœmeterij alteri commisceri nequit, sed vtraq; est per se æqualiter pars distincta ab altera.

DE EODEM TERTIO EFFECTV EXCOMMVNICATIONIS.

NECESSARIA est scientia, & notitia quædam de Excommunicato denunciato, vt teneamur illum vitare; qui enim ignorat probabiliter, excusatur ratione ignorantiæ ab obseruatione præcepti; Requiritur ergo, vt constet de denunciatione, & excommunicatione, sed qualis notitia sit necessaria, inquirendum est.

DISPVTATIO VNDECIMA.

De notitia, & ſcientia Excommunicationis, & denunciationis requiſita, vt fideles teneantur Excommunicatum vitare.

Caput Primum, An obligatio euitandi aliquem tanquam Excommunicatum oriatur ex ſola publica fama excommunicationis, & denunciationis.

Caput Secundum. An probata denunciatione de excommunicatione alicuius etiam ſi non conſtet de excommunicatione fideles illum vitare teneantur.

Caput Tertium. An probata excommunicatione per Ordinarii literas, vel per vnicum teſtem cum iuramento partis opponentis excommunicatus ſit vitandus, & an præſumendum ſit ſemper eſſe excommunicatum, qui ſemel fuit excommunicatus niſi probetur abſolutio.

Caput Quartum. An obligatio ad euitandum alium tanquam excommunicatum oriatur ſtatim ac quis videt Epiſcopum, vel, quod maius eſt, Summum Pontificem communionem eius vitare, quamuis nullam aliam de illius excommunicatione, & denunciatione notitiam habuerit.

CAPVT I.

An obligatio euitandi aliquem tanquam excommunicatum oriatur ex ſola publica fama excommunicationis, & denunciationis.

ALiqui cenſent ſolam famam non ſufficere, quia cum fama habeat vim tantum vnius teſtis, vt conſtat 4. q. 3. §. Itèm. ſæpe ſequeretur vnicum teſtē ſufficere ad probandam Excommunicationem, quod videtur falſum ex cap. 1. De except. lib. 6. & huic ſententiæ videtur adhærere Dec. in cap. Prudentiam §. ſexta in fi. De offic. Deleg.

Quod ſi contra opponatur tex. in cap. Cum deſideres Verſ. ſecundæ quæſtioni De Sent. Excom. vbi ſummus Pontifex pronunciat non eſſe ei comunicandum, de quo publica fama eſt, Clericum verberaſſe, donec ſe purgauerit, vel conſecutus fuerit beneficiū Abſolutionis ad cautelam. Similiter tex. in cap. illud De Cleri. Excō. Mini. vbi Innocētius Tertius declarat irregularem illum, qui poſt Excommunicationem, cuius notitiam per ſolam famam habebat, celebrauit quia in dubijs tutior pars eſt eligenda Vnde debuerat potius abſtinere, quam ſacra pertractare.

Reſpondet Dec. ad hæc, & primò ad cap. Cum deſideres inquit; Inde non poſſe probari repellendum eſſe aliquem à Iudicio propter ſolam famam, ſed tantum vt euitetur illius communicatio in tali caſu dubio, vel illud locum habuiſſe Iure antiquo, ſed aliud poſtea diſpoſitum fuiſſe in cap. 1. De Except. lib. 6.

Ad c. Illud De Cleri. Excom. Mini. reſpondet eſſe intelligendum in foro animæ, vt tutior via eligatur, nè quis incidat in Irregularitatem, de qua tex. loquitur, neq; ex eo tex. probari poſſe ſolam famam excommunicationis poſſe reiicere aliquem à limine Iudicij in foro contentioſo.

Nihilominus communis ſententia Doctorū eſt, vt ipſemet Decius fatetur, proptèr ſolā famā excommunicationis infamatū debere euitari ante purgationē canonicam, vt probatur in dicto cap. Cum deſideres.

A Ad hanc difficultatem reſpondendum eſſe cenſeo cum diſtinctione, vel loquimur de euitando excommunicato quoad actus communes, & commercia attinentiā ad vitam humanam, & multo magis, quando talis communicatio contingit in diuinis circa adminiſtrationem ſacramentorum, celebrationem diuinorum officiorum, & alios actus ſpirituales, & ſacros, vel loquimur de euitando excommunicato in Iudicio quoad actus ciuiles, & iuriſdictionales, vel de puniendis illis, qui excommunicatum non euitarunt.

Si tractetur de actibus prioris generis, affirmandū eſt obligationem euitandi excommunicatum oriri ex fama publica de denunciatione excommunicationis abſq; alio adminiculo, B ſi vero ſermo ſit de actibus poſterioris generis, ſola fama non ſufficit, vt repelli debeat Infamatus de excommunicatione.

Prior pars huius propoſitionis videtur expreſsè definita in cap. Cum deſideres §. Secundæ De Sent. Excom. his verbis: *Secundæ quæſtioni hunc finem duximus imponendum, quod ſi publica fama eſt aliquem verberaſſe Clericum, nec Epiſcopus, nec alius ſibi communicare debet, niſi ad arbitrium Epiſcopi de hoc ſe purgauerit, vel ad cautelam abſolutionis beneficium conſequatur.* Ergo Summus Pontifex ſimpliciter ſtatuit excommunicatum vitandum eſſe propter ſolam famam excommunicationis, donec ſe ipſum purgauerit, & ibi Abb. num. 6. Idem habetur in cap. Illud C De Cleri. Excom. Mini. Vbi Papa conſulit abſtinendum eſse à celebratione ob ſolam famam excommunicationis, quia in dubijs via tutior eſt eligenda, quod confirmat Abb. ibi num. 4. Gloſ. in cap. Licet Verſ. Nunciari De Sent. Excom. lib. 6. Feli. in cap. Prudentiam §. ſexta nu. 17. De Offic. Deleg. Specul. tit. De Notorijs Crimin. §. Fama eſt, Verſ. Quæ ſi agenti num. 9. Dominicus in cap. Pro humani §. vlt. De Homicid. lib. 6. Archid. in cap. Nemo Verſ. vltimo noto 11. q. 3. Abb. & Deci. in cap. Paſtoralis §. Verum de Appell. Rota in Deciſ. 7. & 40. De Excep. in Nouis Rom. conſ. 387. Vbi probat quando dubitatur de Abſolutione tutius eſſe euitare excommunicatum. Nec agere poteſt actione iniuriarū. Idem tenent Na- D uar. in Manua. cap. 27. nu. 27. Silue. Excommunicatio 5. §. 18. Couar. in cap. Alma Mater parte prima §. 2. num. 4. & ſequentibus, Maſcardus de Probat. Concluſ. 701. num. 4. Vol. 2. Ex Theologis idem confirmat B. Thom. Quodlib. 4. artic. 14. & lib. 4. Sentent. diſtinct. 18. quæſt. 2. art. 4. quæſtiuncula ſecunda, & tertia. Palud. in 4. diſtinct. 18. quæſt. 6. articulo ſecundo. Verſ. Re ignorata. Addit tamen Paludanus. Niſi fama hæc eſſet apud paucos, & aduerſarios ipſius Diffamati; Tunc enim non eſſet adhibenda fides, quando non eſſent viri probi, & fide digni, ac teſtes oculati, ſicut notat Nauarrus. Quia nemo in dubio præſumitur malus; ratio verò cur ob ſolam famam ſit vitandus, eſt, quia non E agitur de graui præiudicio. Idem eſt dicendum in probando Interdicto, Gloſ. in cap. 1. Verſ. Publicè promulgauerit De poſtulatione Prælat. quia agitur de modico præiudicio, vt ibi inquit Abbas num. 17. Tum etiam quia in his pœnis ſpiritualibus eligendum ſemper eſt id quod eſt tutius capitulo Iuuenis de ſponſalibus Gloſſa in capitulo vnica de ſcrutin. in ordinatione ſact. Licet Decius in dicto capitulo primo numero vigeſimoſeptimo oppoſitum ſentiat cui conſentire videtur Couar. in dicto §. 2. nu. 5. in fine.

Secunda pars propoſitionis, nempe non ſufficere

solam

solam famam excommunicationis, quando agitur, vt quis repellatur à Iudicio, vel de puniendis illis, qui excommunicatum non vitauerint; Aut de pœna inferenda excommunicato, qui se immiscuit diuinis, aut in similibus casibus probatur auctoritate Specul. in tit. De Notor. Crimi. §. Fama Vers. Quod si agenti, Roma. Singul. 291. incipien. Item quæro, immò non probatur excommunicatio per famam accedente dicto vnius testis; Archid. in cap. Testes §. Item sæpè 9.q.3. Felin. in cap. Veniens 1. nu. 12. De Testi. in cap. Cum contingat De Rescript. & in cap. Cum desideres De Sent. Excom. Mascard. De Probat. Conclus. 701. num. 1. & 2. Vol. 2. Et ratio est, quia quando agitur de graui damno, & præiudicio, fama non probat contra aliquem, quamuis oppositum sentiat Roman. cons. 349. Dum quæritur num. 4. Sed tenenda est communis opinio, quæ comprobatur euidenter ex cap. 1. De Except. lib. 6. Vbi habetur excommunicationem probari debere apertissimis documentis.

Verum licet publica fama excommunicationis non sit sufficiens, vt quis legitimè repellatur ab agendo, aut à beneficio, vel in similibus casibus, tamen iuxta doctrinam Abb. in cap. Prudentiam §. Sexta num. 11. in fin. De Offic. Deleg. Potest Iudex ex officio probata fama excommunicationis reiicere diffamatum à Iudicio, vel beneficio, & assignare terminum ad se purgandum, sed non tenetur ad instantiam partis hunc modum seruare. Assignat rationem Abb. quia indictio purgationis pendet ex officio Iudicis, neque competit actio parti ad illam petendam, vt in tit. De Purga. Canoni. Neque pars conqueri debet, si Iudex non indicit purgationem cap. Pastoralis De Except. Sed Iudex ex officio potest repellere Diffamatum.

CAPVT II.

An probata denunciatione de Excommunicatione alicuius, etiam si non constet de Excommunicatione, fideles illum vitare teneantur.

Ratio dubitandi est, quoniam Glo. in cap. Licet Vers. Nunciari De Sent. Excom. lib. 6. notat ex Denunciatione non inferri necessario excommunicationem; Nec valere consequentiam; Hic est denunciatus excommunicatus, ergo est excommunicatus; Nam aliquando potest quis denunciari iniustè, Abb. in cap. Pastoralis §. Verum num. 5. De Appella. & ibi Dec. num. 4.

Confirmatur idem ex cap. 1. De Except. lib. 6. Vbi habetur, quod excommunicatio debet probari apertissimis documentis, & in cap. Prudentiam §. Sexta Dè Offic. Deleg. dicitur excommunicationem legitimè esse probandam. Facit tex. cum Glo. in cap. At si Clerici in Vers. Legitima probatione De Iudi.

Respondet Abb. in dicto §. Sexta num. 11. De Offic. Deleg. quod si agatur de modico præiudicio, excommunicatio probatur per Denunciationam, secus verò, si de magno præiudicio.

Decius ibidem nu. 10. in princ. obiicit contra Abb. quoniam cum ex Denunciatione oriatur solum præsumptio, non necessaria probatio excommunicationis, hæc præsumptio ità prouenit, si agitur de magno præiudicio, sicut de minimo.

Communis sententia est ex Denunciatione non probari necessario excommunicationem, sed probata denunciatione repelli Denunciatum ab agendo, donec probauerit se absolutum, vel sententiam excommunicationis fuisse nullam, & interim vitandum esse, & reiiciendum ab omnibus actibus legitimis, tam iudicialibus, quam extraiudicialibus; Ita tenet Gloss. in dicto cap. Licet Vers. Nunciari.

In hac quæstione repetenda est distinctio proposita in superiori capite, vel enim agitur de vitando excommunicatum in actibus communibus attinentibus ad vitam humanam, vel de repellendo excommunicatum à Iudicio, aut in aliis actibus, ex quibus sequatur damnum, & præiudicium ipsi excommunicato; Si tractemus de vitando excommunicatum primo modo per denunciationem publicè factam; Excommunicatio probatur, vt fideles teneantur illo modo excommunicati consortium declinare; Tenet Dec. in cap. Dilecti num. 4. De Appella. Felin. in cap. Prudentiam §. Sexta num. 9. De Offic. Deleg. quia agitur de modico præiudicio, & ab hac conclusione nemo est, qui discrepet. Igitur cum primum constat per literas, quæ appellantur Denunciatoriæ, fuisse quempiam excommunicatum, statim vitāda est illius communio, quamuis scientia excommunicationis non habeatur; Probatio enim Excommunicationis est denūciatio, vt inquit Glo. in cap. licet De Sent. Excom. lib. 6. & patet ex Extrau. Ad euitanda, ex qua constat adeò tribuendum esse Denunciationi Excommunicationis, vt quis sit omnino vitandus post denunciationem, & tamen is, qui verè fuerit excommunicatus generaliter, vitandus non est, etiam si constet de excommunicatione; Is tamen vitandus est, quem constat fuisse denunciatum, licet de excommunicatione non aliter sciatur, quam ipsius Denunciationis præsumptione.

Quæret quis, An quando constat de Denunciatione alicuius facta in vna Ciuitate, Denunciatus vitari debeat in alia Ciuitate, vel loco.

Dicendum est vbiq; esse vitandum post Denunciationem; Excommunicatio enim afficit Animam, & sequitur excommunicatum, vt lepra leprosum, c. Citò turpem 1.q.1. c. Cum & plantare §. 1. De Priuileg. vbi Abb. Glo. in c. Officij De Sent. Excom. & ibi Felin. Innoc. in c. Inquisitioni De Sent. Excom. Et hanc opinionem cōmunem esse dicit Nauar. in c. Inter verba 11. q.3. Corollar. 67. Idem tenet Maior. in 4. dist. 18. q. 8.

Si quis postulet, An excommunicatus in vna Ciuitate sit vitandus in alia ab eo, qui Denunciationis certam scientiam habet, sed non potest illam probare.

Respondet Innoc. in cap. Inquisitioni nu. 2. de sent. excom. Talem excommunicatum vitandum esse ab illis, quibus nota est excommunicationis denunciatio & priuatim, & publicè. Ridiculum enim esse, inquit, Asserere solum vitandum esse excommunicatū, quando probari potest denunciatio; Immò addit non esse communicandum huic excommunicato, quamuis defuncti essent omnes, qui denunciationi interfuerunt. Sententiam Innocentij confirmat Abb. in cap. Ad nostram 4. de Iure Iur. & in cap. Cum non ab homine de sent. excom.

Nec contra hoc dictum, inquit Innocentius, facit c. 2. & 3. Sexta q. 2. in quibus locis habetur: Non debere Episcopum promulgare scelus sui subditi, quod probare nequit; Quoniam loquuntur, quando excommunicatio est occulta, & nunquam fuit notoria; Quod etiam notauit Glo. in dicto cap. 2. Vers. Si tantum, sed alia ratio est, quando excommunicatio aliquādo fuit

notoria, nam ſufficit factum fuiſſe notorium aliquando, & alicubi, etiamſi probationes defecerint.

Hæc ſententia Innocentij vera eſt ex parte, quatenus ſcilicet affirmat talem excommunicatum priuatim eſſe vitandum, etiam ſi excommunicatio probari nequeat; quod verò publicè vitari debeat, hoc non videtur ſimpliciter admittendum, De qua re tractabitur in Diſp. . . . cap.

Silue. Ver. Excommunicatio §. 26. & nonnulli alij cenſent tunc eum, cui conſtat de Denunciatione alicuius, obligatum eſſe euitare ipſum excõmunicatum extra Prouinciam, & Dioeceſim, vbi eſt denunciatus, quando probare poteſt illum eſſe alibi excommunicatum, alioquin ſi hoc non poſſit probare, non teneri eum euitare, niſi in loco, vbi fuit excommunicatus, & denunciatus, Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 3. num. 2. aſſerit hanc opinionem eſſe valde piam, & fortaſſe Concilium Baſilienſe eam habuiſſe mentem, vt excommunicati nullibi eſſent vitandi, niſi in ea Prouincia, & Dioeceſi, in qua denunciati fuerint, ipſe tamen non audet tam latè interpretari Decretum Concilij, idcirco reſpondet cum diſtinctione, ſi excommunicatio poteſt commodè probari, tunc vitandus eſt vbique publicè, & occultè; quod ſi probari nequit, ſit tamen re vera excommunicatus, & denunciatus, tunc vitandus erit occultè tantum extra locum, vbi fuit denunciatus, non publicè, & communiter Doctores ità reſpondent.

Tandem quæret aliquis; an Confeſſarius, cui conſtet in Confeſſione ſacramentali de excommunicatione, & denunciatione alicuius, & alia via ignoret extra Confeſſionem, debeat excommunicatum cauere.

Reſpondeo in hoc caſu huiuſmodi Confeſſarium non debere vitare excommunicatum nec publicè, nec occultè; Riccard. diſt. 21. art. 4. q. 2. ad quartum, Med. in Cod. de Confeſſione q. 51. Hoſtien. in c. Cum non ab homine De ſent. excomm. Dom. Sot. in Relect. De ratione tegendi ſecretum mem. 3. q. 4. dub. 2.

Atque id oritur ratione illius omnium maximi ſigilli, quod confeſſioni ſacramẽtali conuenit ad ſecreti obſeruationem, quamuis Scotus contrarium teneat dicta diſt. 21. ſcilicet Confeſſorem teneri euitare excommunicatum, quem ex reuelatione ſecretiſſimæ Confeſſionis ſcit in excommunicationem incidiſſe adhuc coràm alijs, ſi id fieri poſſit abſque Confeſſionis reuelatione. Sed hoc dictum eſt omninò falſum, nàm Confeſſor, & ſi ſcientiam iſtam habeat, verè ignorans eſt huius excommunicationis, nàm cum excommunicatio lata ſit à lege humana exteriori, eodem modo per actum exteriorem debet eius ſcientiam habere, vt vitare teneatur ipſum excommunicatum; igitur nec ſecretò tenetur euitare hunc excommunicatum, licet Adrianus tractans de confeſſionis ſigillo, reprobans Scoti ſententiam concedat Cõfeſſorem debere vitare ſecretò hunc excommunicatum, quod patet eſſe falſum ob rationem allatam. E

Sed qui ſcit extra Confeſſionem promulgationem denunciationis, vel quia fuit præſens, quando promulgata fuit denunciatio, vel legit literas declaratorias publicè affixas in locis ſolitis, vel audiuit à teſtibus fide dignis, tunc temporis manet obligatus euitare talem excommunicatum, neque enim opus eſt, vt audiatur præco promulgans excommunicationem.

Sed quando agitur de repellendo excommunicatum à Iudicio, vel in alijs caſibus, in quibus infertur præiudicium parti, & eſt ſecundum membrum principalis diſtinctionis ad ſoluendam propoſitam diffi-

A cultatem; an probetur excommunicatio per denunciationem, dicendum eſt ſecundum magis communem, & probabilem opinionem Doctorum per denunciationem probari excommunicationem, vt excommunicatus reiici poſſit à iudicio, vt concludit Felin. vbi ſupra dicto num. 9. & citat Archid. in cap. Nemo 11. q. 3. & videtur id comprobare tex. & Gloſ. in cap. Licet De Sent. Excom. lib. 6. Rationem reddit Pariſius Conſ. 104. n. 3. cum ſeq. vol. 4. quia in dubio pro Iudice, & eius actu præſumitur c. In præſentia de Prob. cum aliis per eum citatis, ità vt transferatur onus probandi in aduerſarium de nullitate excommunicationis.

Quod tamen intelligendum eſt non habere locum
B in his caſibus, in quibus per talem probationem ex denunciatione priuatur quis Iure ſuo peremptorio, ſed procedere ſolùm in vim exceptionis dilatoriæ, non peremptoriæ, Rota deciſ. 8. aliàs 252. licet ſi Conteſtatio De except. in Nou. & ità reſpondet Rom. conſ. 349. Dum quæritur num. 4. & comprobauit Dec. in c. Paſtoralis §. Verum De Appella. Quia probato acceſſorio intelligitur probatum principale, ſicut ex ſolutione Vſurarum præſumitur debitum principale, l. 2. C. De Dot. promiſ. Sic ex denunciatione probatur vinculum excommunicationis. Hoc idem voluit Abb. in dicto c. Prudentiam §. ſexta num. 11. De offic. Deleg. Quia in dilatoriis agitur de paruo præiudicio, & eſt communis opinio, vt ſentit Dec. in dicto §. ſexta,
C Couar. in cap. Alma Mater 1. par. §. 3. nu. 1. Et in eandem ſententiam plures alios refert Maſcard. De Probat. concluſ. 698. nu. 21. & ſeq. vol. 2.

Quamobrem denunciatio benè probat excommunicationem; quãdo opponitur in vim Dilatoriæ, quod verum eſt ſi denunciatio continet ſpeciem excommunicationis, & nomen excommunicatoris, vt habetur in cap. 1. De Except. lib. 6. & declarat ibi Dominicus & Philip. Franc. & Felin. in dicto c. Prudentiam §. ſexta De offic. deleg. & hoc videtur ſignificaſſe Rota in Deciſ. 400. Si quis petit de ſent. excomm. cum dixit per Denunciationem non probari excommunicationem aliquo pacto, neque in vim peremptoriæ, neque in vim
D dilatoriæ, & ita in Curia ſeruari, in qua rarò admittitur exceptio excommunicationis, quia nunquam debitè proponitur, neque ſpecificatur, ergo intellexit talem exceptionem in vim dilatoriæ admitti poſſe, vt eadem Rota aſſerit dicta deciſ. 252. ſcilicet quando debitè proponitur, & ſpecificatur, & tunc transfertur in alteram partem onus probandi nullitatem excommunicationis, ſed quando non fit ſpecificatio debito modo, non admittitur etiam in vim dilatoriæ.

Neque contra hanc doctrinam obſtat c. 1. De Except. lib. 6. quod ſtatuit excommunicationem probandam eſſe apertiſſimis documentis, quia textus ille intelligitur, quando in vim peremptoriæ opponitur excommunicatio ſecundum Glo. ibi.

CAPVT III.

An probata excommunicatione per Ordinarij literas, vel per vnicum Teſtem cum iuramento partis opponentis excommunicatus ſit vitandus, & an præſumendum ſit ſemper eſſe excommunicatum qui ſemel fuit excommunicatus niſi probetur abſolutio.

Reſpondendum eſt excommunicationem optimè probari ad finem euitandi excommunicatum per literas Ordinarii, atque etiam per vnicum teſtem cum iuramento partis.

Prima

Prima pars conclusionis probatur ex cap. Post cessionem De Probat. cap. Curiæ 11. q. 3. asserit Felinus in dicto cap. Post cessionem nu. 12. & regulariter Excommunicatio ab Episcopo promulgata non præsumitur ignorari ab his, qui in Ciuitate sunt, vbi lata est sententia, Alij absentes, & remoti possunt excusari probabili ignorantia.

Secundum partem conclusionis probat Imo. in cap. Veniens, & ibi Ant. De Testi. quos sequitur fel in cap. Prudentiam §. Sexta nu. 17. De offic. Deleg. & hoc intelligitur, quãdo ciuiliter agitur, vt inquit Imo. secus autem, quando tractatur criminaliter, crimen enim vnico teste non probatur, vt felin. ait vbi supra Ver. Contrarium, & hoc modo locuuntur specul. in tit. De Noto. Crimine §. fama est Vers. Quod si agenti & Dom. post Io. And. in cap. 1. De except. lib. 6. qui contrarium tenent.

Non Sufficit autem ad inducendam obligationem ad euitandum Excommunicatum dictum cuiusuis priuati dicentis talem esse denunciatum, neque enim facile omnibus est fides adhibenda, Siluester Excommunicatio 5. 26. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 37. cum maio. dist. 17. q. 2. & licet quidam negent credendum esse Pastori asserenti se pronunciasse sententiam Excõmunicationis contra aliquem, nisi ostendat scripturã manu Notarij confectam, oppositum est verius, fidẽ præstandam esse Episcopo affirmanti de Excommunicatione subditi sui, nisi obstet rationabilis causa dubitandi, Palud. dist. 18. q. 6. art. 2.

Similiter si quis fatetur in Iudicio, vel extra se denunciatum fuisse, credendum est ei, quia nulla certior scientia, quam propria confessio eius, qui rem egit.

Requiritur igitur talis scientia denunciationis excommunicationis ad euitandum excommunicatum, vt moraliter loquendo secundum communem vsum possit vocari certa scientia.

Sed dubitari potest, An postquam constiterit semel quem excommunicatum fuisse, præsumendum sit semper in eadem excommunicatione manere donec appareat eum absolutum esse, & idcirco semper vitandum esse.

Respondeo, Qui fuit semel excommunicatus, præsumitur semper excõmunicatus, & nunquam ei communicandum est, quousq; constet de absolutione impetrata; Ita definitum fuit à Summo Pontifice cap. Sicut nobis De Sent. Excom. Vbi Abb. nu. 2. & in cap. Proposuit Vbi Glo. Ver. Perpetuò, Innoc. & Abb. nu. 4. De Cleri. Excom. Mini. Dec. cap. Post cessionem nu. 54. De Probat. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 36. Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 2. nu. 6. & ita decidit Ruta decis. 238. alias 11. De Probat. in Antiq. & ad idem facit decis. Rotæ 4. alias 124. Si probetur De Probat. in Nouis à simili; Vbi cautum est, si probatum fuerit aliquem rem possedisse biennio, præsumi debere vsq; ad mortem continuasse possessionem, nisi probetur contrarium, quia non præsumitur mutatio voluntatis, & confirmat Anchar. cons. 64. Motiua Iudicis, hac ratione, quia excommunicatio cursu temporis non mutatur, ideo præsumitur de præterito ad præsens, sicut qui olim dominus fuit, hodie præsumitur, l. Sicut possidetis C. De Probat. Felin. in cap. Scribam num. 3. De Præsump. multa similia congerit.

Hæc tamen doctrina patitur aliquas exceptiones. Prima est, quando aliquis non fuit excommunicatus simpliciter, sed sub conditione, vt si excommunicetur Petrus, nisi decem infra mensem dederit, nam quia posuit illa decem dare intra mensem, non præsumitur excommunicatus elapso mense. Abb. in dicto cap. Sicut nobis; Mascard. De Probat. Conclus. 704. num. 7. vol. 2.

Secunda exceptio est, quando communi opinione ab omnibus existimatur absolutus, tunc enim quoad communicantes cum eo non præsumitur excommunicatus, sed liber ab excommunicatione. Abb. in eodẽ loco, Alciat. in Tract. De Pręsumpr. Reg. 12. pręsumpt. 6. nu. 2. Couar. in dicto §. 2. nu. 6.

Tertia exceptio vbi elapsum esset aliquod temporis spatium ab ipsa excommunicatione ità longum, vt attenta qualitate personæ præsumendum esset probabiliter eum iam absolutum fuisse, & ad gremium Ecclesiæ rediisse, Abb. in cap. Proposuit num. 5. De Cleri. Excom. Mini. Ang. V. Excommunicatio 8. §. 16. Vnde inspecta integritate illius, qui antea fuerat excommunicatus, eiusq; propriæ spiritualis salutis cura, & sollicitudine liceret cum eo communicare absq; vllo culpæ, aut pœnæ periculo; Silue. Excommunicatio 5. §. 17.

In ordine verò ad ipsum Excommunicatum, si ipse aliquid petat, & opponatur excommunicatio, tunc non satis erit probare, quod communiter habeatur pro absoluto, sed, vt inquit Abb. relinquendum est arbitrio Iudicis, vt consideret, an factum sit antiquum, & an temporis decursu instrumentum absolutionis verisimiliter perire potuerit, puta si ante 40. annos fuit quis excommunicatus ex not. in cap. Illud De Præsumpt. Alciat. dicta præsumpte 6. in tertia Limitatione, Mascard. vbi supra nu. 10.

CAPVT IV.

An obligatio ad euitandum alium tanquam excommunicatum oriatur statim, ac quis videt Episcopum, vel, quod maius est, Summum Pontificem communionem eius vitare, quamuis nullam aliam de illius excommunicatione, & denunciatione notitiam habuerit.

RESPONDENDUM est Romanum Pontificem non idcirco aliquem excommunicare, quod illius communionem euitet, vt sentit Innoc. cap. Cum olim 1. nu. 4. De Priuileg. Quare alij scientes, si cum illo versentur, non afficiuntur pœnis latis contra communicantes cum excommunicatis; Nec repugnat huic doctrinæ cap. Si inimicus 93. dist. Vbi refertur Petrum Apostolum, cum instituit sibi successorem Clementem, docuisse populos, & omnes subiectos, vt nulli communicarent, cui viderent Clementem suis actibus non communicare; Nam illud est intelligendum, vt Innoc. exponit in dicto cap. Cum olim quando à Summo Pont. vitatur aliquis tanquam excommunicatus.

Non erit tamen culpæ expers, qui, quem Romanus Pont. aliusque Ecclesiæ Antistes ob facinora vitat, in suam familiaritatem recipit, vt Osti. & Innoc. vbi sup.

Ob eandem rationem, Si Roman. Pontif. cum excommunicato versetur, non idcirco credendum est illud absoluere velle, vt habetur in Clem. fin. de sent. excomm. Videlicet *si Summus Pontifex cum excommunicato quacunque ratione, etiam scienter participet literis, verbis, vel osculo, vel quouis alio modo, ipsum per hoc absoluere nulla ratione censetur, nisi se velle illum ex hoc pro absoluto habere exprimet; nam tunc absolutus sicut è contra, vitando, erit excommunicatus*; quod colligitur etiam ex cap. Cum desideres De sent. excom. Innoc. in c. Cum olim de priuileg. Silue. Absolutio 4. §. 7. ob eam rationem, quia Summus Pont. Iuris positiui re-

gulis

gulis subiectus non est, cap. Proposuit De Concess. Præben. Quarè nec absoluendo, nec ligando tenetur seruare formam à Iure præscriptam.

Et hæc eadem vera multò magis sunt de Patriarchis, Episcopis, & reliquis Prælatis inferioribus, hoc excepto, quod etiam si exprimant vitando aliquem, vel cum eo participando, velle excommunicare, vel absoluere, non propterea aliquid faciunt, nec ideo ille erit excommunicatus, vel absolutus: quia pontificio iuri subiecti sunt, arg. c. 1. & fin. De Constit. & idcirco tàm ad censuram ferendam, quàm illam tollendam iuris formam seruare debent.

Sed quid si Romanus Pontifex concedat, vt quis excommunicati communione vtatur; an concessio sit valida, & vi huius priuilegii competat habenti talem facultatem ius communicandi absque culpa cum excommunicato, Abb. tenet hoc priuilegium non valere in c. Nulli De Sent. Excom. Idem Felin. sed ob aliam rationem, & diuersam ab ea, qua vtitur Abb.

Couar. §. 1. num. 2. cum distinctione respondet, vel agitur de communione in diuinis, & putat non licere Romano Pontifici dispensare, vt quis in diuinis absq; peccato vtatur communione excommunicati, quia hæc communicatio prohibita videtur iure diuino, Matth. 18. illis verbis, *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*: Et quamuis Papa possit ius diuinum interpretari, non potest tamen illud ex quacunque causa tollere c. Cum inferior De Maio. & Obed. Si verò tractetur de communicatione cum excommunicato in humanis, & temporalibus, quæ iure humano interdicta est, censet Couar. posse Summum Pont. ex iusta causa permittere, vt ex tali communicatione excommunicati nulla incurratur culpa, neque pœna.

Alio modo censerem respondendum esse ad difficultatem; aut quæritur; an Romanus Pontifex concedere possit, vt sine peccato quis excommunicati communione vtatur, vel an possit tribuere priuilegium alicui, vt sine pœna Iuris positiui valeat communicationem habere cum excommunicato.

In primo casu concessio fieri potest dupliciter, vno modo, si nulla adsit causa, quæ dictet tale priuilegium esse conferendum; atque tunc putarem huiusmodi cõcessionem non valere; nam Christus Dominus præcepit, vt qui Ecclesiam non audiret, esset nobis ethnicus, & publicanus, & Christi præceptum diuinum est, & Papa relaxare non potest.

Secundo modo, quando adest iusta causa concedendi; atque tunc sine dubitatione priuilegium erit validum; nam ipsum Ius Canonicum, cuius auctor est Papa, permittit, vt ex causa excommunicati communione vtamur, c. Quoniam multos 11. q. 3. & c. Cum voluntate De sent. Excom. Igitur propter eandem rationem poterit Summus Pontifex alicui hoc priuilegium ex causa concedere, & hæc conclusio locum etiã habet in diuinis, vt probatur in extrau. Ad euitanda, quæ & in diuinis cum excommunicato nobis communicationem permittit in aliquibus casibus, licet contrarium sentiat Couar. Neque tunc Papa relaxat ius diuinum, sed interpretatur. Si verò quæritur, an Summus Pontifex pœnas positas contra vtentem excommunicati communione tollere possit, puta nè in excõmunicationem maiorem, vel minorem talis communicans incidat, & id facere posse absque controuersia omnes fatentur, c. Proposuit de Concess. Præb. Quod non competit inferiori Prælato post Rom. Pontificem, c. Cum inferior de Maio. & obed.

Hinc infertur Summum Pontificem minimè peccati culpam incurrere, si ex causa communicat cum excommunicato etiam in diuinis, quod si nulla extaret causa communicandi, culpam non effugeret, quemadmodum sentit Glos. in dicto cap. Nulli, & Abb. in cap. Cum desideres de sent. excom. Siluester V. excommunicatio 5. Vers. Primum dubium, quod etiam multò magis est affirmandum de Episcopis, & inferioribus Prælatis, Glos. in c. Quod in dubiis Vers. Donec per Ecclesiam de sent. excomm. Non tamen propterea Summus Pont. incideret in pœnas ab ipso Iure positiuo latas contra Communicantes cum excommunicatis, neque enim esset excommunicatus minori excommunicatione, est enim pœna ab ipso iure positiuo inducta, cui non subiicitur Papa, l. Princeps, ff. De legi. l. Digna vox Cod. eod. tit. cap. Proposuit De Concess. Præben.

Sed postulabit quis; an si Episcopus mihi mandet, vt communicem cum aliquo, quem scio esse excommunicatum, debeam illi parere; respondet Specul. lib. 4. num. 12. De Sent. Excom. Episcopo iubenti, vt communicem Francisco excommunicato, & ità exprimat, non esse obediendum, quia mandatum continet manifestum errorem c. Per tuas de sent. excomm. 11. q. 3. Si verò non exprimat Franciscum esse excommunicatum, sed ego sciam illum esse excommunicatum, & denunciatum, similiter debeo abstinere ab illius communicatione propter eãdem rationem, quod si ex hac causa excommunicatione me feriat, tenet sententia, nisi appellatio præcesserit, cap. Difinitiua 2. q. 7. c. 1. 11. q. 3. Verùm si excommunicatus appellatione præcedente, reputans se non esse excommunicatum, velit diuinis interesse, & Episcopus credens appellationem illegitimam hoc nõ patiatur, vnde diuinorum officiorum perturbatio oriatur, excommunicatio ab Episcopo in illum propterea lata censenda est valida, & ille excommunicatus in omnibus erit vitandus, præterquàm in appellationis articulo c. Per tuas de sent. excommunic.

Tandem postulabit quis; an Superior teneatur abstinere à communicatione excommunicati, qui per sententiam Inferioris sui tali fuerit censura innodatus, e. g. Archidiaconus excommunicat suum subditum; an Episcopus debeat illum vitare, Idem dicendum de Archipresbytero respectu Episcopi.

Respondeo debere abstinere; quod enim aliquis legitimè excommunicatus sit vitandus, ab ipso Iure diuino statutum est in genere, à sacris vero Canonibus quantum ad hos, vel illos effectus in specie c. Qui meritò 11. q. 3. Ideo omnes tenentur id seruare.

Sed à quo poterit hic superior in eo casu, si non abstinuerit, absolui, dicendum est posse absolui à suo Confessario, si non communicauit cum excommunicato in crimine, cap. Nuper de sent. excom. dicto cap. Qui meritò 11. qu. 3.

DE EODEM TERTIO EFFECTV EXCOMMVNICATIONIS.



HACTENVS declaratum est, A quorum excommunicatorum communio vitanda sit à Fidelibus hoc tempore post Concilium Constantiense, & in quibus rebus non sit illis communicandum; tandem quæ notitia excommunicationis requiratur ad inducendam hanc obligationem, & similiter ex parte excommunicati explicatum est, quomodo hæc prohibitio ipsum arctet ad alios euitandos, sequitur modò, vt pertractemus de peccato, quod contrahitur ex vtraque parte, si contemnatur hæc Ecclesiastica prohibitio, & admittatur communicatio excommunicati.

DISPVTATIO DVODECIMA,

De culpa, quæ incurritur ex communione cum excommunicato denunciato, & è contra de peccato excõmunicati, si à fidelium consortio non abstineat.

CAPVT I.

Cuius culpæ Reus sit ille, qui excommunicato communicat.

QVAERITVR, an ex communicatione cum excommunicato maiori excommunicatione, oriatur peccatum mortale, vel veniale; nàm ad vtrãque partem adsunt rationes dubitandi; quod hęc participatio sit interdicta sub peccato mortali, primo; videtur colligi posse ex tex. in cap. Sacris de ijs; quæ vi, metusuè cau. fi. Vbi agitur de culpa, quæ contrahitur ab illo, qui inuitus communicat excommunicato, & concludit Summus Pontifex incurri excommunica- B tionem minorem ob communicationem cum excommunicato, & reddit rationem: *Cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere*: Igitur ob participationem cum excommunicato incurritur peccatum mortale.

Secundò in cap. fin. De Cleri. Excom. Mini. hæc habentur: *Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet grauiter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit*, si ex participatione cum excommunicato non contraheretur peccatum mortale, sed veniale, non affirmaret tex. huiusmodi communicantem grauiter peccare.

C Contra verò si talis communio esset causa peccati mortalis, non permitteretur ob necessitatem famis, nec seruis liceret communicare Domino, oppositum definitum est c. Quoniam multos 11. q. 3. & c. Inter De sent. excom.

Abb. in c. Sacris num. 8. De iis, quæ vi, metusuè cau. fi. disputat ad vtramque partem, & refert varias sententias Doctorum.

Goff. in summa in tit. De sent. excom. putauit hanc communicationem esse peccatum mortale Host. similiter in summa tit. de sent. excom. §. fin. Ver. Sed nũ quid participans, censet participantem cum excommunicato contra prohibitionem Canonis esse reum D culpæ venialis, sed communicantem contra præceptũ Superioris incurrere peccatum mortale, & idcirco excommunicari posse, Io. And. existimat regulariter talem communicationem, exceptis quibusdam casibus, esse peccatum veniale. Hanc opinionem fatetur Abb. esse communem, sed valdè dubitat de illius veritate.

Primò quia hæc communicatio videtur interdicta à Christo in Euangelio verbis illis Matt. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquàm ethnicus, & publicanus*, sed qui transgreditur præcepta Euangelica lethale peccatum committit.

Secundò eadem communicatio postea prohibita E fuit ab Apostolis, c. Sicut Apostoli cum tribus sequentibus 11. q. 3. quare res grauis est, igitur violatio eius peccatum erit mortale.

Tertiò eandem prohibitionem confirmarunt alii Summi Pontifices, vt in c. Excommunicatos, c. Cum excommunicato 11. q. 3.

Quartò cap. fin. 11. q. 3. habetur, quod communicans

cans

cans excommunicato per metum, puniendus est, quod si spontè fecerit, grauius erit puniendus, vt cæteri caueant ab huiusmodi communione, sed si talis communicatio tantùm causa esset peccati venialis, non adeò acriter loquerentur sacri Canones, cum peccata venialia facilius dimittantur.

His rationibus ductus Abb. non videtur libenter adhærere huic communi opinioni. Quam tamen tenent B. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. & in Addit. qu. 25. art. 3. & quolib. 11. art. 9. cui adhærent alij Theologi, nec ab illa dissentiunt Canonistæ communiter, vt testantur Nauar. in Manua. cap. 27. num. 29. & Couar. in c. Alma Mater par. 1. §. 3. num. 7. in fi.

Et hæc opinio certè videtur probabilior, quæ ratione corroborari potest, quia licèt lex quælibet ex sui genere possit obligare ad eius obseruationem ad culpam mortalem, tamen si transgressio contingat in materia leui, tunc ex accidēti ratione leuitatis materiæ non contrahitur culpa mortalis, sed venialis, ità quoque potest dici in hac quæstione, de qua tractamus quamuis lex Ecclesiastica de vitando excommunicatum obligaret sub pœna peccati mortalis, tamen si contingeret communicatio in re leuiori, talis transgressio ratione leuitatis esset venialis culpa, Communicare autem in actionibus communibus ad humanū commercium, seu conuictum pertinentibus materia leuis est, quia indirectè tantum, & secundariò ratione excōmunicationis huiusmodi actiones prohibētur.

Quamobrem iuxta hanc communem opinionem magis probabilem, respondendum est quæstioni ad hunc modum.

Communicantes cum Denunciatis excommunicatis regulariter venialem, non mortalem culpam contrahere, idque probatur ex c. Quod in dubiis de sent. excom. dum præsumptuosam communicationem requirit, idest procedentem à contemptu ad hoc, vt cōmunicans cum excommunicato maiori afficiatur excommunicatione: Vnde fit, vt, secluso contemptu, non detur peccatum mortale, quo non existente non potest ferri excommunicatio Maior.

Idem affirmandum est de ipsis excommunicatis, si non caueant fidelium consortium, quod est intelligendum non solùm de denunciatis, sed etiam de excommunicatis generaliter, qui obstricti sunt ex præcepto Ecclesiæ vitare fideles modo sicut ante Conc. Constantiense, vt inquit B. Antonin. par. 3. tit 24. c. 3. referente Caietano in summa tit. de excommunicatione prope finem sub eodem culpę reatu, & ratio est, quoniam illa extrauag. nullum tribuit priuilegium ipsi excōmunicato, quod antea non haberet, illa enim fuit edita in fauorem fidelium, non excommunicatorum. Si obijciat quis, si excommunicatus generaliter, non denunciatus peccat loquendo mecum, ego etiam ero particeps huius culpæ, qui cooperor peccato illius respondendo, Sot. dist. 22. q. 1. art. 4. vtitur distinctione, aut fidelis prius incepit communicare cum excommunicato, aut contrà, si sit primum, neuter peccat, quia fidelis habet priuilegium participandi ex Constitutione illa Conc. excommunicatus similiter non peccat respondendo, quod conceditur illi in fauorem fidelis, loquimur enim modò de excommunicato generaliter solùm; quando vero excommunicatus prius incepit communicare cum fideli, peccat ipse solus, sicut olim ante illam extraua. propter rationem dictam. Cum illis autem duobus generibus excommunicatorum in Conc. expressis, peccatum est communicare tàm ipsis excommunicatis, quàm alijs fidelibus communicantibus cum ipsis, vtrique enim sunt inobedientes præcepto Ecclesiæ inuicem communicando, quamuis cæteris paribus grauius peccet excommunicatus, qui causam dedit excommunicationi, & à communione exclusus est, quàm alij, qui solum in odium excommunicati excluduntur ab eius consortio, vt inquit Sot. in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. Vnde in c. Illud de Cleri. excom. Mini. dicitur excommunicato periculosius esse communicare, quàm communicari, immò neque excommunicato licet communicare cum excommunicato, vt ait Host. in Summa tit. de sent. excom. num. 10. §. Illud etiam notandum in fi.

Sed opus est dissoluere, quæ contra hanc conclusionem communem proponebantur desumpta ex c. Sacris de iis, quæ vi, metusuè cau. fi. & ex c. fin. de Cleri. excom. Mini. quibus addi possunt alia iura, quæ eandem conclusionem impugnare videntur, nàm in cap. exceptionem de exceptio. dicitur, *Ne quisquam in periculum animæ suæ excommunicato communicare cogatur.* Periculum animæ, propriè loquendo, non incurritur, nisi propter peccatum mortale in c. Si vere de Sent. excom. *Excusabiles eritis apud Deum, si in excommunicatorum nauibus existentes cum dolore cordis, sub spe pœnitentiæ communicaueritis ipsis, in quibus communionem eorum euitare non poteritis.* Quæ verba tot conditionibus circumscripta indicant grauem obligationem ad communionem excommunicatorum vitandam.

Accedit, quod ob communicationem cum excommunicato regulariter incurritur excommunicatio minor, vt definitum est pluribus iuribus, quæ est grauis pœna, scilicet priuatio susceptionis omnium sacramentorum, quæ non videtur imponenda ob solum peccatum veniale.

Confirmatur quia ob communicationem cum excommunicato à Papa incurritur excōmunicatio maior, vt dicitur in c. Significauit de Sent. excom. Quare si communicatio cum excommunicato ex sui genere esset res leuis, non posset obligare ad mortale, etiamsi prohibitio esset promulgata à Summo Pontifice, nàm leges etiam diuinæ, & naturales in materia leui non obligant, nisi sub veniali culpa. Similiter interdum ferri potest excommunicatio Maior ab homine in participantes cum excommunicato excommunicatione maiori, quare talis participatio ex sui genere est materia grauis, aliter non posset Superior obligare sub peccato mortali, & sub pœna excommunicationis, & si grauis est materia, sufficit generalis prohibitio Ecclesiæ ad inducendam obligationem sub peccato mortali.

Ad hæc respondemus. Primò ad c. Sacris de ijs, quæ vi, metusuè causa fiunt, quid sit dicendum, patebit ex dicēdis in tertio cap. illuc remitto Lectorem.

Ad cap. Exceptionem de except. respondendum est ibi peculiarirer agi de communicatione forensi, & ciuili, in qua quando committatur peccatum mortale, ostendetur suo loco, modò verò agimus de vsuali, & & communi consortio, quarè textus ille nihil facit contra conclusionem.

Ad cap. Si verè dicendum est Summum Pontificem ibi loqui de communicatione, quæ diuturna futura erat, quàm si aliqui suscepissent spontè, & voluntariè sine legitima causa. vtique fuisset materia grauis peccati, idcirco Summus Pontifex vtitur illis verbis grauibus, vt moneat eos, qui tunc cum excommunicatis communicabant, vt id faciant inuoluntarie potius, quàm spontè, idque indicant verba illa, *Cum dolore, & amaritudine cordis.*

Ad primam confirmationem respondetur, quòd licèt priuatio participationis passiuæ sacramentorum sit graue damnum, verum quia potest quis ab hac pœna facillimè liberari, ideo regulariter excommunicatio Minor incurritur ob peccatum veniale.

Ad secundam confirmationem, responsio colligenda erit ex ijs, quæ fusè disputabuntur in cap. 7. & 8.

Ex dictis itaque concludendum est regulariter ex communicatione cum excommunicato in actibus cōmunibus attinentibus ad vitam, & commercium hominum oriri culpam venialem.

Sed dari possunt casus, quibus excommunicatione cum excommunicatis incurratur reatus culpæ mortalis, & à diuersis Doctoribus plures, vel pauciores enumerari solent casus in quibus delinquitur lethaliter ex consortio, & familiaritate, quæ habetur cum excommunicato ab Ecclesia non tolerato.

Siluester V. excommunicatio 5. §. 6. sed tandem vers. Vnde probabilius alij, reuocat ad quatuor casus tantum. Io. And. vt refert Abb. in c. Sacris nu. 8. in fin. de ijs, quæ vi, metusuè causa fiunt, sex casus enumerat, Similiter Nauar. in Manua. cap. 27. num. 28. sex tantùm casus affert, Sot. in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. quatuor, Couar. in dicto c. Alma §. 3. num. 7. ad tres casus omnes alios reducit, ego ad sex capita commodè hos casus reuocarem. Ex quibus primus casus respicit communicationem in rebus sacris, alij quinquè attinent ad communicationem, quæ fit in humanis.

CAPVT II.

An ex communicatione cum excommunicato in diuinis contrahatur peccatum mortale.

PRimus casus est, si talis communicatio habeatur in rebus diuinis, & sacris, tunc enim incurritur crimen lethale. Et ratio est, quia præceptum de euitandis excommunicatis directè respicit spiritualia, & & ideo, qui excommunicatum ad diuina admittit, atque cum eo communicat, facit contra præceptum directè, ideo peccat mortaliter. Intelligitur autem communicatio in diuinis, vt incurratur mortalis culpa ex sententia Couar. in illo num. 7 si contingat in his diuinis, quæ ipsis excommunicatis interdicta sunt, nempè in sacramentis administrandis, & recipiendis, in officis diuinis, quæ publico nomine, & ritu in Ecclesia celebrantur, ac præcipuè in sacrificio Missæ, & in Ecclesiastica sepultura; de quibus omnibus dictum est in Decima disputatione; nam excommunicatus non potest in ecclesia assistere eo tempore, quo diuina officia celebrantur, tex. in c. Responso, & cap. Nuper de sent. excom. cap. Quod in te de pœnit. & remiss. cap. Alma Mater de Sent. excom. lib. 6. Glo. expressim hoc ipsum tradit cap. Qui studet. 1. q. 1. Innoc. & alij in dicto cap. Responso, Felin. in c. 2. De except. & in eisdem locis idem affirmatur de non excommunicatis, quibus interdicitur, ne communicent cum excommunicatis in diuinis officiis.

Animaduertendum tamen est in hac communicatione, quæ accidit in diuinis officis grauius peccatum committi cæteris paribus à Clerico ministrante solemniter, quam à laico, vel etiam à Clerico, qui more laici priuatim ministrat, & concurrit in celebratione diuinorum officiorum. Hæc enim actio præstantior est, & magis sacra, quando fit à persona magis digna, & peculiariter consecrata ad hoc officium, & ideo tenetur, & sanctius huiusmodi ministerium exercere, & magis Ecclesiæ obedire. Id etiam colligitur ex cap. Significauit de sent. excom. & cap. Sacris de iis, quæ vi, metusuè causa fiunt, & ex alijs cap. 11. q. 3.

Per hanc communicationem cum excommunicato incurri peccatum mortale testantur omnes Doctores, B. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. Silue. excommunicatio 5. num. 9. B. Antonin. 3. par. tit. 25. cap. 1. Adrian. in 4. in Materia de Clauibus q. 3. Abb. & alij in cap. Sacris de his, quæ vi, metusue causa fiunt, & in c. Sacris de sent. excomm.

Hic est primus casus, vbi ex communicatione in diuinis cum excommunicato incurritur peccatum mortale, & aliquando contrahitur etiam excommunicatio maior, vt animaduertit Glo. in c. statuimus Ver. Constitutionibus de sent. excom. lib. 6. si adsint quinq; conditiones de quibus dicam in cap. septimo.

De hac communicatione in diuinis quæri potest primò, an lethalem culpam committat, qui communicat cum excommunicato in officijs diuinis, priuatim recitando horas canonicas cum excommunicato, vel ingrediendo Ecclesiam simul cum eo, tempore quo publicè non celebrantur officia.

Couar. in c. Alma par. 1. §. 3. num. 8. censet peccatum veniale tantum esse, si communicatio sit in priuatis horis canonicis recitandis, & in ingressu Ecclesiarum, si non celebrantur officia diuina ob eam rationem; quoniam excommunicatus ipse non est his actibus priuatus, vnde licet nemo possit cum illo in his communicare sine veniali culpa, quemadmodum nec in alijs ciuilibus actibus, qui non pertinent ad diuina, attamen non contrahitur mortale crimen.

Secundo dubitari potest de ecclesiastica sepultura, quæ ad diuina officia reducitur, & annumeratur inter ea, quæ excommunicato deneganture, & in quibus cōmunicatio cum excommunicato est interdicta, an tradere sepulturæ corpus ipsius excommunicati sit prohibitum sub peccato mortali.

Respondendum est eos omnes, qui operam dant funeri hominis publicè excommunicati, ex suo genere, & per se loquendo reos esse culpæ lethalis.

Qui verò comprehendantur sub nomine sepelientium excommunicatum, explicabo in cap. 3. Disputatione decimaquarta.

Primo quoniam transgrediuntur Constitutionem Pontificiam in re graui, & sacra, quod fieri nequit scienter sine audacia temeritatis, & contemptu Clauium, vt dicitur in Clem. 1. in princ. de sepult. & probat Card. ibi numer. 1. ergo committunt peccatum mortale.

Secundò quoniam ob tale factum imponitur ab ipso iure pœna excommunicationis, quæ non infligitur nisi ob peccatum mortale, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 36. cap. Quicunque §. 1. de Hæret. lib. 6. & dicta Clem. 1. de sepult.

Tertio quia sepultura reducitur ad genus rerum sacrarum, quæ primò, & per se prohibentur excommunicatis, & in quibus communicatio cum illis est vetita sub pœna peccati mortalis regulariter. Clarum igitur est committere peccatum mortale illos, qui scienter corpus excommunicati nominatim, & denunciati, vt dixi in cap. sexto. disput. 10. sepulturæ tradunt.

Quærat aliquis, an committat peccatum ille, qui tumulat excommunicatum in loco sacro, quia Prælatus, & superior ità præcipit.

Respondeo talem sepelientem excommunicatum ex mandato sui Prælati non idcirco excusari à culpa, quoniam non debet parere in his, quæ prohibentur à sacris Canonibus, sed tenetur contradicere, c. Si Do-

minus

minus 9. q. 3. & cap. Non semper, & cap. Iulianus, si cut propter eandem rationem non excusatur à pœnis dictæ Clem. 1. De Sepult. vt inquit Card. ibi nu. 9.

CAPVT III.

An excusetur à reatu lethalis culpæ, qui metu mortis euitandæ compellitur cum excommunicato in diuinis communicare.

PEculiariter dubitari contingit de communicatione cum excommunicato, quæ fit ad euitandum periculum imminens, an talis metus possit excusare à peccato mortali, si communicatio accidat in diuinis, & ratio difficultatis desumitur ex cap. Sacris De his, quæ vi, metusuè causa fiunt. Duo enim ibi dicūtur; Primum est Communicantem cum excommunicato mortale crimen cōmittere; Alterum est, quod nullus metus, nisi vis accedat, excusat communicantem cum excommunicato.

Ex altera parte periculum mortis ratione famis procedens excusat à crimine furti, cap. Si quis propter necessitatem de furtis, & tamen furtū est Iure naturæ damnatum; Igitur idem periculū rationabilius debet excusare à culpa mortali ratione communicationis cum excommunicato, quæ ex constitutione Ecclesiastica est damnata. Accedit, quod licita est talis communicatio ad emendum, & petendum ea, quæ sunt victui, & vestitui necessaria, nè quis fame pereat, c. Quoniam multos 11. q. 3. cap. Inter, & cap. Si verè. §. Est autem De Sent. Excom. Ergo eadem ratione non erit damnata ad cauendam mortem. His Iuribus redditur hæc difficultas valdè controuersa, & ambigua.

Abb. in dicto cap. Sacris n. 4. & seq. varias affert solutiones, Glo. ibi ait; Propterea magis licitum esse vti cōmunione excōmunicati, nè fame pereamus, c. Quoniam multos 11. q. 3. & c. Inter alia de sent. excom. vel, vt consequamur nostrū, vocādo excommunicatū in Iudicium cap. Intelleximus De Iudi. vel alijs de causis, vt inferius dicemus quàm ad euitandū periculū mortis: quoniam Ecclesia id specialiter vetuit, illa permisit.

Alij respondent cum distinctione. Qui communicat cum excommunicato petendo ea, quæ necessaria sunt victui, nullam contrahit culpam nec mortalem, nec venialem, quia non agit directè ad communionē cum excommunicato, sed ad petenda alimenta, quæ necessaria sunt, ne fame pereat, & quia metu mortis ex fame imminente non agit prima intentione, & directa, vt transgrediatur præceptū Ecclesiæ, sed vt petat alimenta, & sibi subueniat. At qui metu mortis instante, nisi communicauerit cum excōmunicato, eidem communicat, metu quidem consentit in peccatum primo, & principali consensu. Vnde in priori casu metus mortis excusat, non sic in posteriori, cum maleficia voluntate distinguātur, cap. Cum voluntate De Sent. Excō. vbi Abb. n. 3. Ita interpretatur dictū cap. Sacris, Abb. nu. 6. in fine vbi post enumeratas varias responsiones, & reiectas, hanc videtur magis approbare, & Adria. Quodli. 1. art. 3. Ver. Ad quintum, & in 4. Sent. in tract. De Claui. q. 3. exceptione 8. & probari potest hæc distinctio optimo exemplo Iudæorum, qui, vt legitur lib. 1. Machabeorum cap. 2. & lib. 2. cap. 7. metu mortis ab iniquo Antiocho incusso carnes suillas comedere noluerunt, quas tamen famē coacti comederunt.

Sed hęc distinctio non videtur solida, nàm idem est, quod mortis periculū intrinsecus oriatur, vel extrinsecus, nec Iudæi recusabant comedere carnes suillas, quia metus erat extrinsecus, sed quia Antiochus pre-

A mebat illos, vt comederent in odium fidei, & contemptum Religionis.

Innocentius in dicto cap. Sacris affirmat neminem excusari posse ex quouis metu, vt cum excommunicato communicare valeat in crimine, nam nullus metus excusat à peccato mortali, & Host. inquit, Beatū esse Sacerdotem, si se ad martyrium præparet, nam, & si metus culpam attenuet, non tamen simpliciter excusat, 32. q. 5. cap. Ita ne. Sed vt inquit Silue. Excommunicatio 5. §. 23. Host. est singularis in hoc dicto, & nemo eum sequitur.

Re vera difficile est reperire rationem diuersitatis inter metum intrinsecum, & extrinsecum, & tradere interpretationem ad textū in cap. Sacris, quæ pendet

B ex eo, vt intelligamus, an Papa in eo textu voluerit nos obligare ad euitandum excommunicatum non obstante metu, & periculo mortis, vel mitior sit eius obligatio; nam si voluntas eius fuit talis, nemini dubium esse debet, quod potuerit nobis interdicere talē communicationem quouis metu nō obstante; Si enim Princeps secularis vrgente legitima causa pot. statuere talem legem condere vt Ciuis prius debeat morti succumbere, quàm illam violare, quare si quis interueniente metu mortis illam transgrederetur, peccaret mortaliter; nam Ciues non solum quātum ad ea, quæ possident, verùm & quantum ad se ipsos sunt partes Reipub. & ideo quando causa communis id exigit, po

C test Princeps aliquid precipere cum periculo vitæ, vt patet in bello, vbi plurimæ huiusmodi leges meritò feruntur; Quarè multò magis dicendum est hanc potestatem residere in Ecclesia, vt possit sub simili pœna aliquid iubere, vel vetare, quando salus cōmunis omnium fidelium id exposcere videtur. Et si illud præciperetur, nullus metus, quantumuis vehemens excusaret, quia potius subeunda mors est, quam vllum peccatum mortale, immò nec veniale committendū, quia licitum, & peccatum repugnant è diametro. Sed hactenus Ecclesia nullam talem edidit legem, vt potius subire mortem, vel probabile periculum vitæ teneamur, quàm eam seruare, vt inquit Sot. in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. nisi vbi de causa fidei ageretur.

D Quarè cum Ecclesia hactenus non promulgauerit legem; ad cuius obseruationem velit obligare fideles sub quocunq; periculo mortis, regulariter non possumus ex hoc capite asserere Cōmunicantem cū excommunicato peccare mortaliter, si id faciat probabili metu mortis, cū ista prohibitio cōmunicationis cum excommunicatis sit ab ipso Iure Canonico indicta.

Idcirco Sot. in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. Ver. Sed quia de hoc primo membro, inquit lege Ecclesiastica interdū aliqua prohiberi, quia mala scilicet quæ intrinsecè continent malitiam; nonnunquam verò aliqua, quæ non sunt ex genere suo mala, sed solum dicuntur mala, quia prohibita. Si loquamur de illis malis, quæ in priori genere continentur, prius debet homo subire

E mortem, quàm legem transgredi, etiam si non esset nisi peccatum veniale, potius enim debet quis oppetere mortem, quā mentiri, quamuis esset solum mendacium iocosum. Si verò loquamur de alijs modis posterioris generis, vt exploremus intentionem legis, considerandà est quantitas rei, quæ præcipitur, vel prohibetur ex natura ipsius rei; nempe quanti intersit obseruatio illius legis Reipublicæ vtilitati, proponit exemplum Sotus, lex Ecclesiastica præcepit Quadragesimale Ieiunium; tamē quando quis infirmatur, non tenetur ieiunare, sed excusatur, quia pluris æstimatur salus hominis, quàm ieiunium; Igitur qui metu mortis

mortis instante cogitur frangere ieiunium, non peccat, nisi metus incutiatur à Tyranno in odium fidei, scilicet in signum, vt ille fidelis fateatur hoc argumento, & signo exteriori fidem nostram, & legem falsam esse, & nullius valoris, nam in eo casu potius debet Catholicus ceruicem gladio subijcere, quàm ieiunium frangere, propter præceptum diuinum, quo tenemur publice coram omnibus profiteri veritatem nostræ fidei quouis imminente periculo.

Solutio huius difficultatis pendet ex decisione illius quæstionis vniuersalis an mala quæ metu mortis committuntur contra legem aliquam humanam, seu ciuilem siue canonicam iustam peccati excusationē habeât; Duę sunt opiniones, prima asserit minimè excusari sic Adrian. in 4. q. 3. de Claui. in 8. except. Caiet. 1. 2. quæst. 96. art. 4. Canonistæ omnes in dicto cap. Sacris de his quæ vi metusue can. si. secunda asserit excusari ira passim omnes Theologi, Dom. Sot. loco citato, Gabriel in 4. distinct. 18. q. 3. art. 3. dub. 5. Mai. dist. 14. quæst. 4. Almai. Tract. 1. Moral. cap. 3. Ang. excomm. 8. nu. 18, Sum. Confess. lib. 33, tit. 33. quæst. 165. Asten. lib. 7. tit. 11. art. 1. quæst. 1. Rosel. excom. 6. init. Silu. excom. 5. q. 14. Tabien. excom. 8. num. 9. & 10. Armil. num. 59. Et qui pluris faciendus quam omnes nominati S. Tho. quol. 11. ar. 9. ad 3. & in Addit. q. 23. art. 3. ad primum; & hæc opinio est communior, & probabilior, & consequenter amplectenda.

Iuxta hanc sententiam, vt accommodemus responsionem ad difficultatem, in qua versamur, si Tyrannus metum mortis sacerdoti offerret, nisi coram excommunicatis celebraret, idque in odium Ecclesiæ ad ostendendam vanam esse potestatem eius, patienter omnia prius tolerare debet, quàm tale sacrilegium committere.

Si obijcias, lex prohibens Matrimonium inter Consanguineos est humana Ecclesiastica, & tamen ob nullum metum mortis licet alicui intra quartum gradum sine dispensatione cum consanguinea contrahere, igitur lex ecclesiastica obligat cum periculo mortis.

Respondeo, & fateor lege Ecclesiastica prohibitum esse Matrimonium inter consanguineos vsque ad quartum gradum sine dispensatione Papæ, tamen matrimonium ex metu probabili, & iusto contractum cum consanguinea, nullum erit, & inualidum: quia Ecclesia declarar illud irritum, & nullum, non irritat hoc modo Ecclesia communicationem cum excommunicato ex simili metu prouenientem. Atq; matrimonium erit nullum ex duplici capite, tùm quia metus cadens in constantem virum dirimit matrimonium, vel iure naturæ, & ex ipsa ratione intrinseca matrimonij, vel secundum alios ex statuto Ecclesiæ; quia deest liber consensus requisitus ad matrimonium, & metum dissoluere matrimonium definitum est, cap. Cum locum, c. Veniens 2. de sponsa. & expressius c. Significauit de eo, qui duxit in Matri. Tum etiam non erit validum tale matrimonium, quia deest materia legitima, Ecclesia enim declarauit materiam legitimam matrimonij non esse Consanguineos vsque ad quartum gradum, quamuis enim Ecclesia non possit mutare essentiam matrimonij, quatenus est sacramentum verum; quia matrimonium non solum est sacramentum, sed etiam contractus ciuilis, potuit Ecclesia desinire consanguineos vsque ad quartum gradum non posse contrahere matrimonium.

Sed contra posset quis opponere, difficultas est nō de validitate, sed de peccato; an qui ad euitandum periculum mortis contraheret matrimonium cum consanguinea peccaret, an verò excusaretur à peccato, sicut excusaretur, qui eodem metu imminente communicaret cum excommunicato, vterque enim transgreditur præceptum Ecclesiasticum de re, quæ non continet intrinsecam maliriam.

Respondeo nullum committere peccatum sic cōtrahentem, licèt enim exterius dicat se contrahere, & proferat verba matrimonii, tamen non debet habere consensum interiorem celebrandi cum illa contra Constitutionem Ecclesiæ, nec propterea mentitur; quoniam debet verba ad aliam intentionem dirigere, & potest in eo casu.

Sed adhuc quærere posset quis, quid dicendum, si post talem celebrationem matrimonij ex metu, qui contraxit vrgente eodem periculo mortis compellatur ad copulam habendam cum Consanguinea, cum qua contraxit?

Respondeo tunc minimè excusari sed committere peccatum incestus ob eam rationem, quia cum ille contractus non sit verum matrimonium, vt probatum est, sequitur, vt illa coniunctio non sit licita, sed fornicaria, & damnata iure naturæ & diuino, & idcirco nullus metus quantumuis vehemens, & eximius posset illum excusare à peccato ex tali copula nefaria, non enim tunc violaret legem Ecclesiasticam, sed naturalem, & diuinam. Et hæc satis obiter dicta sint de hac obiectione.

Redeamus ad principalem dubitationem de communicatione cum excommunicato desumptam ex c. Sacris de his, quæ vi, metusuè causa fiunt, & dicamus textum illum varijs, & diuersis modis fuisse explicatum à Doctoribus, & omnes expositiones esse probabiles, B. Thom. censet in 4. sent. dist. 18. q. 2. art. 4. textum illum esse intelligendum de communicatione in diuinis, quæ est peccatum mortale.

Sed contra, huic interpretationi duo videntur aduersari primum est, quod lex ecclesiastica, quæ prohibet communicationem cum excommunicato in rebus sacris sub reatu culpæ mortalis, potest etiam obligare fideles sub eodem peccato lethali ad vitandum excommunicatum in humanis etiam cum periculo mortis, ergo ratio, cur potius subeūda sit mors, quàm in diuinis communicandum cum excommunicato, non est, quia ex tali communicatione incurratur mortale peccatum; vnde Caiet. prima secundæ quæst. 96. art. 4. tenet legem humanam posse obligare sibi subditos ad aliquid agendum, non obstante quocunque periculo; secundum, quod obstat sententiæ B. Thom. est, quod propter eandem rationem ob nullum metum communicandum esset etiam in humanis, ex qua communicatione incurritur solum culpa venialis regulariter, quia neque veniale crimen ob quemcunque metum committi debet, vt idem B. Thom. asserit in eodem loco.

Accedit præterea, quod interpretatio hæc D. Tho. supponit id, de quo est tota controuersia; an communicare cum excommunicato in diuinis ad fugiendum graue periculum sit peccatum. Alij censent Innocentium Tertium in illo c. Sacris voluisse prohibere communicationem cum excommunicato non ob-

ſtante quocunque metu, quando talis communicatio eſſet cauſa peccati mortalis; quod patet ex ratione, quam affert, cum addit; Quoniam ob nullum metum debet aliquis peccatum mortale committere, quod dicitur ex ſuperabundanti, vt notat B. Tho. & Sot. nam idem eſt de peccato veniali, quodcunque enim periculum potius eſt ſufferendum, quàm veniale peccatum committendum. Quarè textus ſupponit talem communicantem violare aliquod præceptum, quod tenetur ſub reatu mortali ſeruare, vt ſi participaret in crimine, vel in odium fidei, hæc enim tenetur vnuſquiſque cauere quouis periculo imminēte, alias hæc ratio textus nihil ad rem faceret, quoniam ex participatione cum excommunicato regulariter incurritur culpa venialis tantùm, ita ſentiunt Sot. in 4. diſt. 22. q. 1. art. 4. in fine, Sylue. Verb. Excommunicatio 5. §. 13. Io. Maior 4. ſent. diſt. 18. q. 4. Nauar. c. Inter verba 11. q. 3. Prælud. 3. & in Manua. cap. 27. num. 36. Quia quilibet Chriſtianus magis tenetur tueri articulum fidei de auctoritate, & poteſtate ferendi excommunicationem, & valorem eius, quàm vitam corporalem, c. Presbyteros 50. diſt. cap. Ità nè 32. q. 5. Poteſt etiam intelligi textus de metu leui, non de metu iuſto cadente in conſtantem virum, & ideo ibi dicitur, quod culpam diminuit, non excludit. Et hanc expoſitionem tradit etiam Sylu. ſed Abb. num. 4. in fine obijcit contra illam, quia reſtringit verba Textus, quæ ſunt vniuerſalia, immò expreſsè textus ait, *Pro nullo metu, &c.* Atque ita includit etiam metum iuſtum, & probabilem.

Quarè ex varijs explicationibus, quæ à Doctoribus aſſignantur ad illum textum, conſtare poteſt difficilem habere intelligentiam, ex omnibus tamen expoſitionibus illa magis probatur communiter, cui adhæret etiam Couar. in c. Alma par. prima §. 3. numero nono. Verſ. Quartò licet hæc deciſio, vt dicamus Papam in dicto cap. Sacris, noluiſſe prohibere communicationem cum excommunicato cum grauiſſimo mortis periculo in humanis, & temporalibus actionibus, cum ſacri Canones permittant communicationem hanc ex lenioribus cauſis, vt tempore famis, vel ratione iuris paterni, aut coniugalis, aut familiaritatis, ſimiliter neque voluiſſe quempiā obligare ad vitandum excommunicatum in diuinis cum eodem iuſto metu, nàm non eſt pietati Eccleſiæ, Chriſtianorum Matris conſentaneum, vt opinemur cum tali diſcrimine voluiſſe prohibere conſortium excommunicati in diuinis, niſi vbi communicatio contingeret in crimine, vel in detrimentum fidei, & Religionis Catholicæ, vel in contemptum Eccleſiaſticæ Cenſuræ; ſicut explicauimus, & hoc modo intelligendum eſt, cap. Sacris, & hæc interpretatio eſt vera.

Sed poſſumus etiam alio modo interpretari dictum cap. Sacris. Quærebatur in eo; an quis inuitus communicans excommunicato eſſet excommunicatus: reſpondet Papa cum diſtinctione, ſi coactus communicauit, non tenetur excommunicatione, quia non agit, ſed patitur, ſi verò per metum fuit communicatio, eſt obſtrictus excommunicatione, quia pro nullo metu debet quis mortale peccatum incurrere; quare Summus Pontifex duas propoſitiones firmat alteram negatiuam; alteram affirmatiuam, & vtraque eſt veriſſima; negatiua eſt, Communicans per vim, & coactionem abſolutam excommunicato, non eſt excommunicatus, quia talis communicatio eſt ſine vllo conſenſu, & voluntate, & ideirco expers eſt omnis culpæ neque dicitur transgreſſor præcepti, qui per vim cogitur, etiamſi præceptum eſſet diuinū, & naturale non tantum eccleſiaſticum. Affirmatiua propoſitio eſt, ſi communicatio accidat per metum, incurritur excommunicatio, & hæc propoſitio quoque eſt veriſſima, quoniam etiā ſi quis eligat aliquid agere coactus conditionaliter, id eſt ductus ad agendum metu alicuius grauis periculi imminentis, quod intendat declinare, tamen ſpontè, & voluntariè agit, vt oſtendam in lib. 3. cap. 1. diſput. 9. & ideo eſt tranſgreſſor præcepti, quantum eſt ex ſe; ſed quia quando præceptum eſt humanum, & metus eſt cadēs in conſtantem virum, non eſt credendum Eccleſiam velle obligare fideles ad eius obſeruationem cum tam magno periculo; ideo tunc excuſatur transgreſſor à culpa, & pœna, quod accidit ex benignitate Eccleſiæ, quæ non intendit obligare ſubditos, vt potius ſubeant mortem, vel alteri graui periculo ſe ſubijciant, quàm violent præceptum. Eodem modo qui communicat cum excommunicato per metum, non excuſatur à culpa lethali, ſi participatio accidat in diuinis per ſe loquēdo quia voluntarie violat præceptum Eccleſiæ, & quia hæc communicatio eſt illa, quæ per ſe, & directè à ſacris Canonibus prohibetur. ideo in textu expreſſe fit mentio de peccato mortali; ab hoc peccato excuſatur ex benignitate Eccleſiæ, ſi metus ſit iuſtus cadens in conſtantem virum; non excuſatur à culpa neque ab excommunicatione ſi metus ſit leuis & improbabilis, & hoc ſufficit, vt propoſitio illa affirmatiua indefinita verificetur. Et hæc expoſitio rectè aptatur verbis dicti, cap. Sacris.

CAPVT IV.

An contrahatur culpa mortalis ex hoc capite communicationis cum excommunicato in diuinis, ſi Miniſter Eccleſiæ recipiat oblationem ab excommunicato.

AD ſolutionem huius difficultatis præmittenda ſunt aliqua. Primò notandum eſt oblationem dici de omni re, quæ in cultum Dei exhibetur, vt inquit S. Thom. 2. 2. quæſt. 86. artic. 1. Vnde Gregorius Septimus, & habetur cap. Omnis de conſecr. diſtinct. 1. dicit, *Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre*. Triplex autem poteſt genus oblationum, vt notat Sylueſter Ver. Decima §. 2. Primum eſt, quando donatur aliquid à Viuente, Deo, & Eccleſiæ. Secundum, quando cauſa mortis relinquitur aliquid Eccleſiæ à Teſtatore pro anima ipſius, & vocatur mortuarium. Tertium, quotidiana, & vſualis oblatio, vt eſt illa, quam faciunt fideles ad miſſam de qua loquitur dictū c. Omnis Chriſtianus, vel aliæ ſimiles; quarè oblationum finis immediatus eſt Deus, licet ex conſequenti cedant in vſum, & beneficium miniſtrorum Eccleſiæ, vt offerantur Panes, Candelæ, Nummi, Ornamenta, & alia huius generis, ideo oblatio differt ab eleemoſyna cuius finis primarius eſt, vt ſubueniatur indigenti, eleemoſyna enim eſt opus, quo datur aliquid patienti neceſſitatem ex compaſſione propter Deum, vt inquit S. Thom. 2. 2. quæſt. 32. art. 1. Hinc fit oblationem eſſe actum virtutis latriæ, & Religionis eleemoſynam vero eſſe actum miſericordiæ.

Tria

Tria autem requiruntur in oblatione, vt vere, & proprie oblatio vocati debeat, vt inquit Siluester. Primò vt offerens sit Christianus, quia ab infidelibus Ecclesia oblationem non recipit, sed æstimationem oblationis pro interesse, c. quanto, de vsu. Secundò, vt is, cui offertur, sit Ecclesia, quia quod sit priuatæ personæ, non est oblatio, sed donatio, Tertio, vt res data sit licite aequisita, illicite enim acquisita non recipiuntur nomine oblationis, c. quia in omnibus de vsu. c. ex transmissa de Deci. Glos. in summa 14. quæst. 5.

Secundo notandum est posse recipi oblationem ab excommunicato duobus modis. Primo vt detur Ministro Ecclesiæ, vt oret, & preces fundat ad Deum pro ipso, alio modo simpliciter offerendo Deo id, quod donat, sine vlla obligatione, & conditione.

Tertio notandum est posse aliquid offerri ab excommunicato, quod sit suum, & legitimo titulo possideat, vel quod illicite, & cum peccato acquisierit, & vsurpauerit, rursus illicite aequisitum potest esse duplicis generis, aut enim acquiritur contra iustitiam sine translatione dominij, vel saltem datur repetitio, vt in furto, vsura, & simonia; Aut licet sit acquisitum cum peccato, non tamen contra iustitiam, vnde non potest repeti, sed transfertur dominium, vt in turpi lucro meretricio.

Tandem potest aliquid offerri ab excommunicato sponte, & voluntariè, vel ex obligatione, & pacto, quo obstrictus est ante excommunicationem ad dandum.

Modò satisfaciendum est difficultati propositæ quibusdam propositionibus.

Prima propositio sit, certum est Ministrum Ecclesiæ ab excommunicato recipere posse sine peccato oblationes, quæ non spontè dantur, sed aliqua obligatione, vel titulo ab ipso debentur, immo, si tradere recusaret, compelli posset iudicialiter ad soluendum.

Probatur ex c. si verè de sent. excom. vbi ab Innocentio Tertio definitum est ab excommunicatis recipi posse, quod tenentur his verbis, *Cum ab excommunicatis exigi possit, & recipi, quod debetur*, Si enim aliter fieret, & ipsi excommunicati ex eorum contumacia, & inobedientia commodum consequerentur, & alij creditores absq; vlla culpa detrimentum, & incommodum reciperent, sicut declarat Innocentius in eodem c. Si vere paulò ante loquens de Venetis excommunicatis, qui promiscrant suis nauigijs ducere quosdam Cruce signatos in Terram Saracenorum *si aliter fieret videremini vos damnum ex pœnitentia, ipsi verò præmium ex contumacia reportare*.

Quare si Pater excommunicati, vel alius Testator ex Testamento obligauit filium aut alium hæredem, vt singulis annis tali die cereum offerret Ecclesiæ, vel aliud Legatum persolueret, non solum tale relictum recipi potest ab excommunicato, sed peti, & si hæres dare recusat, compelli ad præstandum, c. qui oblationes 13. q. 2. Ita sentit Riccard. dist. 18. art. 6. quæst. 4. Turrecrem. in c. qui communicauerit 11. q. 3. vbi quærit, si excommunicatus mittat alicui xenia, possit illa recipere, & distinguit, si excommunicatus sine obligatione, sed sponte titulo benignitatis, & vrbanitatis mouetur ad tradendum illa munera, hoc casu inquit, ex sententia Hug. non posse ab alio recipi, verùm si sunt debita ex obligatione, licitè possunt non solum recipi, sed etiam exigi.

Ob eandem rationem possunt ab excommunicatis recipi Decimæ, Tributa, & alia similia debita, & A possunt cogi ad tradendum, vt notat latè Glo. in dicto c. Decimæ ver. Negocio 16. q. 1. & in c. oblationes ver. oblationes dist. 90. Innocentius in c. cum voluntate de sent. excom. Turrecrem. vbi supra, Tabien. ver. decimæ in princ. Silue. V. decima §. 12. vers. dico tertio, quod est intelligẽdum generaliter de Decimis Prædialibus, quæ indistinctè soluuntur ab omnibus, etiam Iudæis, & excommunicatis, Innocentius in c. cum voluntate nu. 1. Abb. ibi n. 7. Silue. vbi supra, & debentur quoque ex illicite aequisitis, quia non traduntur intuitu personæ, sed quasi ex censu debito prædiorum, c. de terris de Deci. Quantum verò ad decimas personales, quæ dantur ex acquisitis propria industria, negociatione, & labore, de quibus S. Aug. B serm. 119. de tempore & habetur c. decimæ 16. q. 1. dicit, *De militia, de negocio, de artificio redde decimas*. De hoc lucro, si est acquisitum contra iustitiam, & ex consequenti subiectum restitutioni, decimæ à nemine sunt recipiendæ, si verò est acquisitum cum peccato, sed nulla manet obligatio ad restitutionẽ, vt est quæstus histrionis, & meretricis, in hoc casu durante excommunicatione certum est, & indubitatum ab excommunicato denunciato non esse recipiendas decimas. Idq; confirmari potest illa ratione, quoniam si huiusmodi decimæ personales non sunt recipiendæ à notorio peccatore, vt à publico histrione, meretrice, & similibus, vt inquit Silue. d. ver. decimæ, §. 12. C Abb. c. ex transmissa n. 3. de deci. ne Ecclesia videatur approbare peccatum illorum, ergo multò minus licitum erit illas recipere ab his personis, si sint excõmunicatæ, & denunciatæ, quia vltra peccatum, cuius gratia tales decimæ non licitè recipiuntur adest excommunicatio, & denunciatio, cuius ratione talis persona est inobediens, & contumax, publicè, & notorie ab Ecclesia exclusa, & fidelium communione separata, ideirco non debet Ecclesia ab excommunicato recipere decimas personales ex illicite acquisitis, licet ipse maneat obligatus ad eas dandas, & impetrata absolutione competit ius Ecclesiæ ad repetẽdum decimas præteritas, vt dicunt Innoc. in d. c. cum voluntate, & Silue. vbi supra, & consentit B. Tho. 2. 2. D q. 87. art. 2. ad primum. An vero ex acquisitis legitimè ex honesto artificio, & negociatione possint decimæ personales ab excommunicato recipi, hoc est magis ambiguum. Ego tamen probabiliter existimo tales quoq; decimas ab excõmunicato denunciato minime recipi debere, ne videatur Ecclesia vti cõsortio, & communione excommunicati, & certe speciẽ quandam auaritiæ Ecclesiastici Ministri præberent, si ab excommunicato, quẽ alijs denunciant, & præcipiunt esse fugiendum, oblatum ipsi reciperent, Non tamen propterea excommunicatus liberatur ab onere soluendi huiusmodi decimas, sed semper manet obligatus, & post absolutionem potest conueniri in Iudicio ad erogandum quidquid occasione dictarum deci- E marum tenetur pro tempore, quo vinculo excommunicationis obstrictus fuit vsque ad integram satisfactionem, Neque enim decet, vt dicitur ex c. si vere de sent. excom. vt excommunicatus ex contumacia præmium reportet, &, vt ibi notat Glo. ver. Reportare nemo de improbitate sua consequitur actionem l. itaque fullo §. 1. vers. sed nemo ff. de furt. & delinquentium non debet esse melior conditio l. 3. §. 1. ff. de donat. inter vi. & vxo.

Addo tamen, quod si Minister Ecclesiæ, cui soluẽdæ sunt decimæ ab excommunicato, damnum pateretur ex dilatione receptionis decimarum, & eadem

est ratio de Tributis, & alijs debitis ex quouis Iuris titulo, tunc temporis liceret ei illas exigere, ab Excommunicato, nàm, vt inquit Abb. dicto cap. Si verè nu. 7. & 10. in fi. non tenetur quis euitare excommunicatum cum damno etiam rerum temporalium ratione præcedentis obligationis. Hæc dicta sint de his, quæ dātur ab excommunicato ex titulo aliquo, & obligatione, modo agamus de voluntariis oblationibus.

Sit secunda propositio, ministri ecclesię Rei sunt culpæ lethalis regulariter, si aliquid ab excommunicato denunciato in vita voluntarie oblarum recipiant, quò diuina pro ipso faciant; quod & locum habet, vbi non datur, vt pro excommunicato Deo preces porrigantur, sed simpliciter Ecclesiæ offertur.

Vnde cautum fuit à B. Clemente lib. 4. Apostolicarum Constitutionum, cap. 6. Ne excommunicatus afferret oblationes ad Ecclesiam, & si attulisset, nè reciperentur. Quare si excommunicatus dum Sacerdos in media Missa festis diebus de more ab ijs, qui missæ intersunt, oblationes accipit, pacem ipsis precando, se ingerat aliquid oblaturus, pacemque recepturus, reiici debet, oblatumq; respuetur, sicut etiam si aliquid super altare offerat, repudiabitur.

Dixi, si offeratur aliquid ab excommunicato in vita contra Host. qui putat non posse recipi mortuaria, quæ dicuntur oblationes relictæ causa mortis, vt notaui initio huius cap. Sed oppositum sentit Innoc. in dicto capitulo Cum voluntate affirmans mortuaria, quæ ex Testamento relinquuntur ab excommunicato ecclesiæ simpliciter, licitè recipi posse à Ministris Ecclesiæ, sicut si relinqueret alicui priuatæ personæ, secus verò si legarentur pro anima ipsius, quia pro Excommunicato non est orandum. Quæ sententia probabilior est quoad primam partem, vt etiam inquit Siluester excommunicatio 5. §. 15. Ratio Innoc. est, quoniam excommunicatus non prohibetur testamentum condere, Silue. affert aliam rationem; quoniam in morte cessat potissima ratio, propter quam interdicta est ab Ecclesia participatio cum excommunicato, scilicet vt excommunicatus hoc modo verecundia confusus ad pœnitentiam reuocetur cap. 1. De Sent. Excomm. lib. 6. Et non solum possunt recipi licitè à Ministris Ecclesiæ, quæ ab excommunicato ex testamento relinquuntùr simpliciter, sed etiam si legata sint pro anima ipsius, vt pro eo oretur, licèt oppositum sentiat Innoc. Nam, vt inquit Silue. cessat ratio Innoc. quòd pro excommunicato non sit orandū; Hoc enim intelligitur de oratione publica; non est tamen prohibitum ministro ecclesiæ, vt priuata oratione non possit deprecari Deum pro excommunicato. Quamobrem conclusio non est intelligenda de hoc genere oblationum, quæ ab ab excommunicato relinquuntur ex testamento post mortem, Ecclesiæ, sed de iis, quæ ab ipso viuente voluntariè Deo, & Ecclesiæ fiunt.

Probatur hæc conclusio primò ex cap. Oblationes dist. 90. Vbi prohibetur, nè Sacerdos recipiat oblationes fratrum dissidentium, aut opprimentium pauperes, & ibi Glos. Ver. Dona. refert alias personas, quarum oblationes sunt respuendæ. Et idem intelligendum esse dicit Siluester Ver. Decima, §. 8. ex sententia Hostien. de quolibet Hæretico, & excommunicato, quia lex pœnalis aliquando extenditur, maximè vbi viget maior ratio, sicut est in hoc casu De excommunicato; nam si oblatio hominis in peccato mortali publicè, & contumaciter consistentis non est recipienda ex sententia Hug. vt inquit Glos. in dicto A Ver. Dona, ergo multò magis respuenda erit oblatio excommunicati denunciati, qui supponitur peccato mortali irretitus, & contumax, & propterea ab omni fidelium communione, & maximè in rebus sacris, & ad cultum Dei attinentibus explosus, & oblatio inter res sacras annumeratur, vt Siluester ait Verbo Excommunicatio 3. §. 1. vers. Vigesimo si decedens.

Secundò probatur ex capitulo Sacris De sententia Excommunicationis, vbi prohibetur, nè oblationes recipiantur pro excommunicato, si decessit non impetrata absolutione, verba sunt hæc: *Nec si occumbat in huiusmodi bello, sunt oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes Domino porrigendæ*. Idest publica oratio, B quæ fit à ministro Ecclesiæ, & eius nomine pro omnibus fidelibus eius membris.

Tertiò non permittere, vt aliqui oblationes faciant, & prohibere Ministris Ecclesiæ, nè illorum oblationes recipiant, est pœna grauis instituta à sacris Canonibus contra quosdam publicos peccatores ob quædam enormia scelera in detestationem, & odium illorum delictorum, vt hac ignominia confusi compellantur peccatores ad pœnitentiam, & alij his exemplis caueant à similibus criminibus, vt patet c. Super eo De Rapto. cap. Quia in omnibus De Vsu. cap. Oblationes 90. dist. cap Miror 17. q. 4. cap. Latorem 33. quæst. 2. & alibi, in quibus locis semper tres pœnæ simul imponuntur huiusmodi Delinquentibus, C Nempè non admittuntur ad Altaris communionem; non accipiunt, si in peccato decessissent, ecclesiasticam sepulturam; tandem eorum oblationes respuuntur, vt est videre in dicto capitulo Super eo de Rapto cap. Quia in omnibus De Vsu. quæ omnia ad res sacras reducuntur, immò, peracta pœnitentia, non statim erant admissi ad oblationes, sed antea sacræ communionis gratia cōcedebatur, Deinde persistentes in pœnitentia, eorum oblatio recipiebatur, vt in dicto cap. Latorem 33. quæst. 2.

Quamobrem cum excommunicatus sit priuatus non solum sacra communione, sed omnibus sacramentis, eique ecclesiastica denegetur sepultura, Iure, D & meritò priuatus quoque erit potestate offerendi oblationes Ecclesiæ more aliorum fidelium.

Itaque excommunicatus denunciatus sine graui peccato non potest vnà cum alijs fidelibus oblationes Sacerdoti iuxta laudabilem Sanctorum Patrum consuetudinem ad altare offerre, vt habetur, cap. Omnis Christianus De Consecr. dist. 2. & Sacerdos ab huiusmodi excommunicato oblationes recipiens est reus culpæ lethalis, & incurrit excommunicationem, quæ ex participatione cum excommunicato in rebus sacris contrahitur, vt inquit Riccardus distinctione 18. articulo 7. quæst. 4. Innocen. in dicto capitulo Cum voluntate De sententia excom. Abb. num. 7. Sed quid dicendum est de eleemosyna.

E Sit tertia propositio; quamuis non possit sine peccato recipi eleemosyna ab excommunicato denunciato, præterquam in casu necessitatis, tamen, si recipiatur, non committitur peccatum mortale, sicut contrahitur in receptione oblationum.

Probatur Conclusio quoad primam partem, Primò quoniam prohibita est generaliter communicatio cum excōmunicato, c. Nuper de sent. excom. extra casum necessitatis, vt inquit Glos. in cap. Si vere vers. excommunicatorum eod. tit. Vbi Abb. nu. 10. dicit communionem omninò voluntariam cum excommunicato vitandam esse.

Pro-

Probatur secundò ex cap. Cum voluntate §. Prædicatores De sent. excom. Vbi permittitur Prædicatoribus, & Confessoribus, vt ab excommunicatis, & detinentibus bona aliena, eleemosinam recipere valeāt, præsertim si aliàs sustentari nequeant. Quare si Prædicatoribus, & Confessarijs permittitur, vt possint ab excommunicatis eleemosynas accipere ob peculiarē quandam rationem, ergo id alijs communiter est denegatum ob generalem Ecclesiæ prohibitionem non communicandi cum excommunicato.

Ratio verò specialis, cur Prædicatoribus, & Confessoribus sit permissum recipere eleemosynam ab excommunicato, & Detentore rerum alienarum adducitur in eodem tex. à Gregorio Nono, cum inquit, *In prædicationibus, & confessionibus quasi gerunt causam eorum, ad quos res ipsa spectare noscuntur*. B Quarè Prædicatores, & Confessores, quasi negociorum gestores possunt eleemosynas accipere ab his, quorum negocia gerunt, vt inquit Glo. Vers. Quasi gerunt. Addit tex. *Præsertim si aliàs non valeant in illo loco sustentationem habere*, Glos. in verbo Præsertim, exponit dictionem illam *Præsertim* pro *Maximè*, quia tempore necessitatis alio iure possunt eleemosynas recipere ab excommunicato Prædicatores, sicut omnes alij, cap. Quoniam multos 11. qu. 3. Quarè hæc Constitutio Gregorij nihil illis tribueret, si extra necessitatem eleemosynam recipere non possent, & ità explicat Silue. ex sententia Host. V. Excommunicatio 5. §. 14. C Innocentius verò explicat dictionem illam *Præsertim* pro *Tantum* idest licere Prædicatoribus, & Confessoribus inijcere se in eum vitæ statum, in quo oporteat eos eleemosynas accipere ex acquisitis per rapinam contra id, quod habetur, c. Non est putanda. 1. q. 1. Eodem modo explicat Abb. num. 6. Et hæc opinio tutior est, vt fatetur etiam Silue.

Sed quam ob causam potius possint recipi eleemosynæ ab excommunicatis, quàm oblationes, Innoc. assignat hanc rationem, scilicet quia oblatio fit publicè, eleemosyna verò secreto. Eandem rationem affert Abb. num. 7. Ideo nè Ecclesia videatur fauere excommunicatis, quos declarauit separatos ab vnitate huius corporis, prohibuit, nè oblationes reciperentur. D

Sed hæc ratio non videtur satisfacere, quia cum excommunicato denunciato prohibita est omnis communicatio, non tantum publica, sed etiam secreta, vnde alia ratio assignanda est huius diuersitatis, & dici potest idcirco vetitum esse in specie, nè recipiantur oblationes ab excommunicato, vt probatum est, & de eleemosynis nihil dictum est expressè, quoniam oblationes pertinent ad res sacras, & ideo opus fuit, vt peculiariter in illis euitaretur participatio cum excommunicato ad maiorem illius confusionem; at eleemosyna non annumeratur inter res sacras, quoniam finis eleemosynæ non est cultus diuinus, qualis est finis oblationis, vt dixi initio c. Sed finis eleemosynæ est subuentio indigentis, Propriè enim eleemosy- E na est opus Misericordiæ impensum proximo ad releuandam indigentiam corporalem, propterea non reperimus in iure expressè prohibitum, nè recipiamus eleemosynam ab excommunicato, sicut legimus de oblationibus, sed solùm comprehenditur sub generali prohibitione participandi cum excommunicato.

Et hac ratione probatur secunda pars Conclusionis, nempè quod si recipiatur eleemosyna ab excommunicato, non committitur peccatum mortale, nam cum eleemosyna non contineatur sub genere rerum sacrarū, nec de illa extet specialis prohibitio in iure, A propterea ex tali participatione non contrahitur culpa mortalis, sed tantum venialis, sicut ex communicatione in alijs actibus humanis ad commune commercium spectantibus.

Sed posset quis obijcere tex. in c. Super eo. de Rapto. Vbi præcipitur, nè Raptor, seu Violator Ecclesiæ post mortem admittatur ad ecclesiasticam sepulturā, neque eius eleemosyna recipiatur, ergo eleemosyna connectitur cum Ecclesiastica sepultura, quam sacrā rem esse nemo negare potest, igitur etiam eleemosyna erit res sacra, & spiritualis, verba textus sunt, *Vt nullus Clericorum sepulturæ illius intersit, nec eius eleemosynam præsumat accipere; quod si qui Presbyterorū, aut Clericorum contra hoc in vita, vel in morte poenitētias da-* B *re, aut sepulturæ interesse, vel eorum eleemosynas accipere attentauerint, &c.* Si eleemosyna est res sacra, ergo cōmittitur peccatum mortale ex participatione cum excommunicato in receptione eleemosynæ.

Respondeo, & primo dico nomen eleemosynæ in illo c. vsurpari pro oblatione, & patet ex Glo. vers. Poenitentias dare, vbi loco huius vocis *Eleemosynam* legit *oblationes*. Dico secundo, quod si tex. intelligatur propriè, est prohibitio quædam specialis de Raptore rerum Ecclesiasticarum, qua interdicitur Sacerdotibus, nè eleemosynam recipere possint, à Raptore, & Violatore rerum ecclesiasticarum, quæ non est extendenda ad alios casus, vt inquit Abb. num. 1.

C Tandem posset quis postulare, quid dicendū sit ad casum, quem proponit Silue. excom. 5. §. 16. si quis cōsueuit singulis diebus eleemosynam elargiri quibusdā Religiosis, & præuidens futurum fore, vt infra paucos dies per sententiam à Iudice declaretur publice excōmunicatus, rogat amicum, vt ipsius nomine, eleemosynas, quas ipse dare solitus erat, velit in futurum eisdem erogare, quousque ab excommunicatione absolutus fuerit, promittens se fideliter eidem redditurū, quidquid per ipsum solutum fuerit.

Silue. respōdet licitè, & sine peccato in hoc casu recipi posse huiusmodi eleemosynas, nisi ipsimet Religiosi fuerint auctores inueniendi hunc modū, & illum procurauerint, sed si ipsemet excōmunicatus hoc con- D silium inijt motus ex pia intentione & deuotione, non peccat, sic enim caute prouidet indigentiæ Religiosorum, (quos scit ab ipso durante excommunicatione eleemosynam non fore recepturos,) vt ab amico ipsis ignorantibus illæ subministrētur; quod si hoc ipsi Religiosi consuluissent, commisissent culpam, & fraude, & dolo vsi fuissent aduersus legem, fit enim fraus legi, quoties permanente verborum intelligentia ex noua inuentione dolo malo contra legis mentem itur, l. Contra legem, ff. De legi.

CAPVT V.

Quid agendum sit ad euitandum peccatum, si, dum solemniter diuina officia celebrantur, excommunicatus Ecclesiam ingrediatur, & expelli non possit.

SVperest ad plenā declarationē primi casus, quo ex participatione cum excōmunicato in diuinis officijs mortalis culpa incurritur, vt explicemus modū, quem seruare debet tùm ipse Sacerdos Minister Ecclesiæ, tùm alij fideles, si excomm. velit assistere tempore celebrationis diuinorum officiorum, neque ab Ecclesia eiici possit, vt tale peccatum non committatur.

Clemens Rom. lib. 2. Apost. constit. cap. 10. Excommunic. qui in Ecclesiam per contemptum ingreditur,

 com-

comparat cum Oza, qui arcam tetigit, & cum Achar, A qui, quæ sacra erant Deo, & Regulam auream surripuit, & cum Iezi, qui contempto charismate diuinæ curationis ab Hæliseo factæ nummos accepit, qui omnes continuò pœnas dederunt. Quamobrem meritò dubitari potest, si aliquis excommunicatus paruipendens censuram Ecclesiasticam furore malo percitus in perniciem animæ suæ in Ecclesia, vbi res diuina peragitur, manere velit, quod remedium adhiberi possit.

Ex communi sententia Doctorum tria prohiberi videntur in hac communicatione, scilicet ab excommunicatis audire sacra, illis dicere, & cum illis interesse; nam excommunicatus non potest ingredi Ecclesiam eo tempore, quo diuina officia celebrantur, tex. B in cap. Responso de sent. excom. & probatum est superius.

Supposita hac communi opinione, si excommunicatus vitandus scilicet denunciatus in Ecclesia adsit, & Sacerdos nondum Missam inchoauit, debet abstinere à celebratione, quousque exeat excommunicatus, quod si superuenerit Missa iam inchoata, cessandum est, donec egrediatur, vt patet ex Clement. 2. De sent. excom. vbi noua excommunicatio Summo Pontifici reseruata pronunciatur in illos, qui cum sint publicè excommunicati, & moniti à sacerdotibus, qui celebraturi sunt, vt ab Ecclesia discedant, remanere tamen præsumpserint; quod si excommunicatus exire noluerit, expellatur vi sine scandalo tamen, & percussione, Glos. in dicta Clem. 2. Pertinet enim ad munus ostiarij eijcere excommunicatos ab Ecclesia. Quare si excommunicatus esset sacerdos, violenter expelli posset absque periculo excommunicationis, quia defenditur immunitas Ecclesiæ, & confirmatur arg. c. Veniens de sent. excomm. Vbi Summus Pontifex declarat non esse excommunicatum Sacerdotem, qui eiecit Regularem de Ecclesia officia diuina turbantem, Anchar. in Clem. 2. num. 6. De sent. Excomm. Et hunc morem eijciendi excommunicatos ab Ecclesia eo tẽpore, quo sacrificia celebrantur, confirmat antiqua consuetudo, qua Diaconus clamare solebat: *Qui non communicat, det locum*, quem ritum miraculo, seu re- D uelatione aliquando à Deo comprobatum fuisse refert B. Greg. lib. 2. Dialog. cap. 23. narrans duas sanctimoniales fœminas, quia linguam refrenare noluerunt, & Religiosum virum, qui ad exteriora necessaria eis obsequium præbebat, incautis sæpè sermonibus ad iracundiam prouocabant, à Sancto Dei viro Benedicto monitas fuisse, vt linguã corrigerent, aliàs eas excommunicabat, quæ cum à pristinis moribus nihil mutatæ, defunctæ essent, atque in Ecclesia sepultæ, dum in eadem ecclesia Missarum solemnia celebrarentur, & Diacono clamante, qui non communicat, discedat, visæ sunt de sepulchris suis progredi, & extra Ecclesiam abire.

Quod si excommunicatus, dum Missarum solem- E nia celebrantur, non possit vllo modo expelli, in hoc casu Doctores communiter distinguere solent; aut sacerdos incepit Canonem; aut non dum ad illum peruenit, si Canonem non incepit, dimittenda est Missa, & non perficienda, quod patet ex verbis illius Clem. 2. ex Concilio Viennen. cum ait, *Ex quo frequenter contingit, quod non sine Dei, ac Populi scandalo ipsa missarum solemnia, remanent inexpleta.*

Incepto verò Canone *Te igitur*, debet Missa absolui, & perfici vsque ad sumptionem specierum, vt sentiunt Doctores, Host. in Summa in tit. de sent. excom. §. Quæ sit poena, Ver. Sed nunquid excommunicatus, Gabriel in 4. dist. 18. q. 3. art. 3. dub. 2. Sot. dist. 22. q. 1. art. 4. Anton. tract. de excom. cap. 79. num. 4. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 33. & ita asserit Glos. in dicta Clem. 2. Ver. Inexpleta, idem air Glo. in cap. Sicut Apostoli Ver. vel orauerit 11. qu. 3. & in eadem sententia est Anchar. in dicta Clem. n. 6. Turrecrem. in cap. Sicut Apostoli nu. 8. 11. q. 3. Et alij Doctores; qui omnes id desumpserunt ex Innoc. in c. Nuper num. 3. De sent. Excomm.

Sed oritur controuersia circa secundam partem huius distinctionis; an verum sit, quod inchoato Canone: *Te igitur clementissime Pater*, sit perficienda Missa, si adueniat excommunicatus, & non possit dimitti.

Et dubitatio oritur, quoniam ratio formalis, propter quam est perficienda Missa ingrediente Ecclesiam excommunicato, nulla alia assignari potest, nisi præceptum diuinum perficiendi hoc sacrificium, quod debet esse integrum, neque dimidiari potest, sed substantia huius sacrificij non incipit ab initio Canonis, sed à principio consecrationis: *Qui pridie quam pateretur*: Alia enim omnia, quæ præmittuntur, sunt ceremoniæ, & orationes quasi præparatoriæ ad sacrificiũ, Et idcirco si consecratio inchoata non sit, quamuis Missa omittatur, non tamen relinquitur imperfectum sacrificium. Quarè nihil obstat quo minus aduenien- C te excommunicato missa omittatur etiam inchoato Canone, si non sit incepta Consecratio.

Deinde si incepto Canone non esset dimittenda Missa, ex hoc capite propter eandem rationem non esset omittenda etiam ante Canonem, quoniam illa, quæ præmittuntur ante Consecrationem, non sunt de essentia sacrificij, sed pertinent ad accidentia sacrificij, & differentia, quæ in his accidentibus reperitur secundum maiorem, & minorem distantiam ad ipsam consecrationem, non inducit maiorem, aut minorem obligationem perficiendi sacrificium, vel omittendi. Quarè si inchoato Canone non potest omitti Missa, etiam si non sit peruentum ad consecrationem, idem erit dicendum inchoata missa ante Canonem; quod si hoc secundum non conceditur, neque primum admitti debet.

Præterea si Sacerdos, dum peragit sacrum Missæ ministerium, ante consecrationem grauiter infirmetur, vel in sincopem incidat, aut moriatur, prætermittitur Missa, nec opus est, vt per alium Sacerdotem expleatur, vt cautum est in rubricis Missalis Romani in cap. de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus §. 10. num. 3. Ergo eodem modo prætermitti poterit, si impedimentum contingat ob ingressum excõmunicati; nulla enim apparet ratio diuersitatis.

Quarè hæc reddunt dubium, & controuersum hoc commune dictum, vnde censeo non immeritò Nauar. in tract. De Horis Canonicis cap. 16. nu. 60. asseruisse semper de hac communi opinione dubitasse, quamuis hanc dubitationem non expresserit in Manuali. Mouetur Nauar. Primò quoniam B. Tho. oppositum videtur sentire in 3. par. q. 83. art. 6. in responsione ad 2. Vbi explicat, quid agendum sit, quando sacerdos recordatur in Missa ante, vel post consecrationem se aliquid comedisse, vel bibisse, vel peccato mortali irretitum esse, aut excommunicatione obstrictum, quod antea eius memoriæ non occurrerat; & respondet semper id seruandum esse quod minus periculo subiacet, ideo quia in hoc sacramento illud maximè est animaduertendum, vt sit perfectum, & completum,

tum, nam oppositum est graue sacrilegium quia est contra substantiam Sacramenti, & propterea est magis cauendum, quàm id, quod attinet ad qualitatem sumentis. Vnde si Sacerdos post consecrationem inceptam recordetur se aliquid comedisse, vel bibisse, vel peccatum commisisse, aut excommunicationis vinculo obstrictum esse, tenetur perficere sacrificium, & Sacramentum sumere, si verò horum sit memor ante consecrationem, tutius existimat, maxime in casu manducationis, & excommunicationis Missam inceptam deserere, nisi aliquod magnum scandalum immineret, Igitur B. Tho. censet obligationem perficiendi sacrificium habere locum, vbi consecratio inchoata est, non antea, etiam si Canon inceptus sit, Quamuis enim Sacerdos videatur magis obligatus dimittere Missam. quando ipse est excommunicatus, quàm vbi alius excommunicatus assistit tempore celebrationis Missæ, tamen videtur similitudo sufficiens, vt idem iudicium ferendum sit in vtroq; casu.

Idem confirmatur, quoniam Innoc. qui Auctor fuit huius communis opinionis in illo. c. Nuper nu. 3. non affirmat missam esse complendam, postquam Sacerdos inchoauit canonem, sed postquam incepit communionem missæ, & reddit rationem, quia non admittit diuisionem, quare per communionem intelligit consecrationem, quæ debet esse vna, & integra, & non potest diuidi, concurrunt. n. in hoc casu duo, præcepta, alterum de perficiendo sacrificium, alterum de vitando excommunicatum, aut de celebrandu absq; conscientia peccati &c. & primum vtique magis obligat, quam secundum, sed nullum est præceptum obligans ad perficiendum Canonem, si impedimentum occurrat.

Propter has rationes hæc opinio videtur valdè probabilis, & hoc modo videtur sentire Innoc. & Nauar. locis citatis; Quarè liberum erit Sacerdoti illam sequi, si voluerit, absq; vllo culpæ periculo. Sed contraria opinio est communior, Nempe adueniente excommunicato, incepto Canone perficiendam esse Missam vsq; ad sumptionem Sacramenti, & quoniam in rebus moralibus tutius est non recedere à communi sensu Doctorum, idcirco illam libentius amplector; & censeo in praxi esse sequendam.

Ad cuius confirmationem dici potest Præceptum de perficiẽdo sacrificium inchoatum, non solum obligare post inceptam consecrationem, sed etiàm ante consecrationem, quamuis in vtroque casu non vrgeat eodem modo, & quo magis accedimus ad consecrationem, co maior insurgit obligatio ad perficiendum. Quare magis tenetur Sacerdos hoc misterium complere post inchoatum Canonem, quàm ante inchoationem. Communis verò opinio Doctorum iudicauit hanc obligationem pręponderare alteri de non communicando cum excommunicato in celebratione huius misterij, & propterea in hoc casu perficiendam esse Missam etiam præsente excommunicato, quando eijci non potest.

Confirmatur simili argumento sumpto ex violatione Ecclesiæ, nam si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, dimittitur Missa, si post Canonem, perficitur, Hanc enim regulam præscribunt seruandam Rubrica Missalis Romani in cap. de defectibus occurrentibus §. 10. nu. 2. Ergo si incepto Canone debet perfici Missa, quando occurrit impedimentum ex parte loci, propter similem rationem complenda erit Missa, si impedimentum ex parte assistentium accidat.

Et hæc omnia sunt etiam eodem modo seruanda, si excommunicatus non assistat sacrificio Missæ intra Ecclesiam, sed extra Ecclesiam, vt adnotauit Innoc. in illo c. Nuper nu. 3. cui adhæret Turrecrem. in c. sicut Apostoli in fine 11. q. 3. quia ante Canonem dimittenda est Missa, post inceptum Canonem perficienda est vsque ad sumptionem Sacramenti, quia sumptio vel est de substantia sacrificij, vel plurimum pertinens ad substantiam eius, c. Relatum de consecr. dist. 2.

Post sumptionem verò Sacramenti; si adhuc excommunicatus persistat, & nolit discedere, tunc temporis quod superest ex iis, quæ attinent ad misterium Missę, quia certum est nõ attinere ad substantiam sacrificij, ideo nullo modo peragendum est coram ipso excommunicato, sed Sacerdos redire debet in sacrarium, vel in alium locum secedere, & ibi perficere, quæ remanent, vt inquit Turrecrem. ex sententia Gofred. & Host. in Summa in tit. De Sent. Excom. §. Et quæ sit pœna, Vers. Sed nunquid excommunicatus; Maiol. lib. 3. De Irreg. cap. 24. nu. 4. notat, quod quando excommunicatus ab aliquibus tantum cognoscitur, tunc qui sciunt, egredi debent secreto, nè eum prodant per notata à Glo. in cap. Si tantum. 6. q. 2. & 2. q. 1. cap. Si peccauerit; Quod contingere posset, quando quis in alia ciuitate esset denunciatus excommunicatus, sed vbi moratur, communiter ignoraretur; Ideo, si quis scientiam denunciationis haberet, occultè teneretur illum vitare.

Si quaratur, cuius culpæ reus sit ille, qui tenetur, & potest expellere excommunicatum ab Ecclesia, dum celebrantur Missarum solemnia, & tamen permittit illum in Ecclesia permanere.

Respondetur peccare grauiter. quia transgreditur præceptum Ecclesiæ [illegible] in re graui. & est causa, vt fideles in diuinis communicent cum excommunicato contra prohibitionem Ecclesiæ.

Confirmatur etiam grauitas culpæ Sacerdotis, qui non eijceret excommunicatum, quando diuina officia celebrantur ex eo, quod ex decreto Conc. Triden. sess. 22. De Obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ, Sacerdotes prohibere debent, nè publicè, & notoriè criminosus sacris intersit; Quanto igitur grauius crimen erit permittere, vt excommunicati denunciati ijsdem sacris præsentes assistant.

Sed postquam tractatum est de peccato Sacerdotis celebrantis præsente excommunicato, modo dubitari potest de alijs fidelibus, an assistendo Missarum sacris, quibus excommunicatus etiam intersit, alicuius culpæ Rei efficiantur.

Et meritò videtur posse dubitari: nam inter Celebrantem, & Audientem Missam verè reperitur aliqua communicatio: Quia qui audit, offert etiam per Sacerdotem, & Sacerdos tanquam principalis Minister offert oblationem ipsius Audientis. Similiter Sacerdos ministrat ipsi Audienti, & Audiens fruitur Ministerio ipsius Sacerdotis. At verò inter ipsos Audientes nulla potest considerari communicatio, si sint simpliciter audientes, nam si ex illis aliquis ministraret Sacerdoti, tunc saltem mediatè, & indirectè communicaret alijs, sed secluso hoc casu, nullo modo videntur inuicem communicare; quia vnus non audit alium, nec loquitur cum illo, nec eidem ministrat.

Propter hanc rationem Durand. in 4. dist. 18. q. 5. sentit hanc simultaneam assistentiam in eadem Missa non posse dici in rigore communicationem, & confirmat hoc exemplis; Si duo accedant ad communionem,

nem, & vnus sit excommunicatus, non alter, & Sacerdos vtriq; porrigat sanctissimam Eucharistiam, licèt ipse peccet, & communicet cum excommunicato, alter verò, qui Eucharistiam sumit, non dicitur communicare cum excommunicato. Similiter si Ioannes salutet Petrum non excommunicatum, & Franciscum excommunicatum simul incedentes, & Petrus resalutet Ioannem, non propterea Ioannes dicitur communicare cum Francisco excõmunicato. A

Contraria tamen sententia est communis, quam tenent Palud. dist. 18. q. 6. Sot. d. 22. q. 5. art. 4. Caiet. V. excommunicatio Maior cap. vlt. in fi. Silue. excommunicatio. 5. §. 3. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 19. cum Innoc. c. Nuper de sent. excom. omnes enim affirmant fideles non debere præsente excommunicato assistere celebrationi Missarum, immo, si excommunicatus nolit exire inchoato iam Canone tunc Sacerdotem vna cum solo Ministro manere debere, cæteris omnibus abeuntibus, quia etiam ipse Durand. non audet omninò ab hoc communi dicto discedere, sic enim loquitur, *Quia in talibus non sunt relaxandæ habenæ in elusionem interdictionis Ecclesiæ, ideo nemini consulerem, quod audiret diuina præsente excommunicato ad audiendum.* B

Ab hac communi sententia non possumus discedere, tùm quia communis vsus & praxis fidelium ita interpretata est hanc Ecclesiasticam prohibitionem de euitando excommunicato in celebratione Missæ, & in rebus moralibus vsus communis magnam habet vim ad inducendam obligationem, tum etiam ob eam rationem, quoniam cum assistentes sacrificio Missæ sint offerentes suo modo, qui scienter cum excommunicato intersunt Missæ solemnitati, videntur facto ipso significare velle communicare, & concurrere cum excommunicato ad offerendum, Hæc autem communicatio est prohibita. C

Hinc sequitur, vt si excommunicatus ingrediatur Ecclesiam, & velit interesse Missæ, neq; monitus discedere velit, Tunc alij fideles etiam inchoata consecratione abire debent, & solus Sacerdos tenetur cum ministro remanere.

Hæc autem communicatio coaudientium eandem Missam est infima in ordine ad alias, quæ contingere possunt in eodem genere, & idcirco nulla alia pœna imposita est contra illos, nisi quod ex tali communicatione incurritur excommunicatio minor, & aliquando potest accidere sine peccato mortali, si fiat sine vlla cooperatione, & sine contemptu, & scandalo, maxime si aliqua necessitas, vel rationabilis causa occurreret. D

Ex dictis iam apparet, quando fideles excommunicatione cum excommunicato in sacris, & diuinis functionibus lethale peccatum committant, & è contra quando excommunicati, si le ijsdem functionibus immiscentes non abstineant à consortio fidelium, simili peccato afficiantur, nisi à culpa eos excuset obligatio euitandi scandalum, vel propriam infamiam, aut probabile mortis periculum. E

Et ad hunc modum absoluamus sermonem de primo casu, quo incurritur peccatum mortale, scilicet ex communicatione cum excommunicato in sacris, Transeamus ad alios quinque casus, qui locum habent in ciuilibus, & humanis actibus.

CAPVT VI.

An ex frequenti, & continua consuetudine cum excommunicato incurratur culpa mortalis.

Secundus casus est, si ita frequens esset consuetudo cum excommunicato, vt ipsi præberet occasionem manendi in excommunicatione, & non curandi de absolutione, tunc enim communicans videretur contemnere claues Ecclesiæ, & obedientiam Superioris, B. Tho. in Addit. ad 3. par. q. 23. art. 3. dist. 18. q. 2. ar. 4. Nauar. in Manua. cap. 27. n. 31. & habetur in c. si celebrat de cleri. excom. Mini. Sed rarò dari potest hæc communicatio cum excommunicato ex contemptu legis ecclesiasticæ, quæ fit peccatum mortale, Neq; enim statim ac quis sciens præceptum Ecclesiæ vetans communicationem cum excommunicato, si consuetudine illius vtatur, dicitur transgressor ex contemptu, si propriè loquamur de transgressione, & contemptu, Nam contemptus tribus modis sumi potest.

Primo negatiue, & tunc est idem, quod negligentia, & defectus, idest non adhibere curam, & diligentiam adimplendi legem, nulla tamen iniuria sine odio legislatoris interueniente, & hoc modo propriè non dicitur contemptus, vt inquit Glo. in c. si quis autem 10. dist. sed vocatur simplex transgressio præcepti, de qua intelligitur illud Leuit. c. 26. cum Dominus inquit, *si non audieritis me, & feceritis omnia mandata mea, sed spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, vt non faciatis ea, quæ à me constituta sunt* &c. Quibus verbis dicit Dominus omnes peccatores contemnere leges suas, quia non obediunt eis. Quo quid in modo frequentissimè ab hominibus peccata committuntur, Ideo enim omnes peccant, quia non curant præcepta superiorum implere, & peccare hoc modo ex contemptu non est speciale peccatum, quia oritur vel ex infirmitate, vel ignorantia, vel ex malitia, quæ sunt causæ communes omnium peccatorum.

Secundo modo accipitur contemptus pro irrisione legis absq; vlla legislatoris iniuria, vt docet Sot. in 4. dist. 3. q. 4. art. 2. Nempè quoniam quis iudicat aliquam legem inutilem, vt si Abbas præciperet Monachis, ne quis per hortum post cœnam deambularet, & inde nihil mali sequeretur, tunc irridens hoc præceptum diceretur illud contemnere.

Est ergo tertia contemptus significatio propria, quæ ex sua vi, & natura mortalem culpam præmittit, Nempè cum quis renuit subijci ordinationi legis, quia odio prosequitur legislatorem, & hoc solo procedit ad faciendum contra legem, vel præscriptum Iudicis, vt si quis ita secum statueret, ego non eram commissurus tale facinus, placet tamen modo illud agere, quoniam Princeps lege condita illud prohibuit, ita inquit Gerson. lect. 5. de vita animæ spiritualis, Adria. quolib. 6. art. 2. S. Tho. & ibi Caiet. 22. q. 136. art. 9. ad 3. & q. 105. art. 1. ad 1. & 2. Caiet. in Summa V. contemptus, Alphon. à Castro hoc ipsum explicat lib. 1. de Pot. leg. Pœnalis cap. 5. duo igitur requiruntur, vt vere, & proprie quis dicatur delinquere ex contemptu. Primum est legis transgressio, quæ est actus ipse peccati, secundum est contemptus legislatoris, scilicet causa peccandi, idcirco enim vult transgredi legem; quia superior prohibuit, & contemptus hoc tertio modo sumptus est causa peccati mortalis etiam in minimis præceptis, quorum transgressio citra contemptum nullum esset peccatum, vel saltem tantum veniale.

Cum

Cum igitur vix contingere possit, vt quis vtatur consuetudine excommunicati motus præsertim eo fine, vt contemnat prohibitionem Ecclesiæ, & formaliter, vt transgrediatur eius præceptum, ideo rarissimè committitur peccatum mortale ex communicatione cum excommunicato ex hoc capite; Nonnulli tamen dixerunt, vt Io. Andr. in cap. Sacris De his, quæ vi, metusue cau. fi. Host. in Summa in tit. De Sent. Excom. §. Nec esse, frequentiam actus esse quendam contemptũ adeò quidem, vt si quis frequenter legem trangrediatur, id facere dicatur ex contemptu. Idem affirmat Durand. in 4. dist. 18. quæst. 5. Quare iuxta hanc sententiam, si ista communicatio cum excommunicato fieret adeò frequenter, ac si non esset excommunicatus, etiam si expresse non fieret in contemptum, esset tamen peccatum mortale, quod videtur etiam innuere Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 29. vbi inter casus, quos excipit, secundo loco ponit: *Si communicatio cum excommunicato fuerit nimis frequens*, Sotus tamen vbi supra non approbat, nam cum communicatio cum excommunicato non prohibeatur nisi sub reatu veniali, nunquam in hac re erit contemptus, nisi quando quis excommunicationem pro nihilo duceret, & potestatem Clauium Ecclesiæ in hac parte contemneret, tunc enim quis transgreditur legem ex contemptu, quando ad transgrediendum mouetur eo, quod legem, vel eius auctorem paruifacit, & ita loquitur S. Tho. in illa quæst. 136. art. 9. dicens: *Quando autem propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam, vel iram quis inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, non peccat ex contemptu, etiam si frequenter ex eadem causa, vel alia simili peccatum iteret.* Hæc B. Tho. expressit affirmans non esse contemptum frequentem legis transgressionem. Idem notat Adrian. in dicto quodli. 6. art. 2. Alphon. à Castro vbi supra. Ipsa tamen frequentia actus disponit ad cõtemptum, vt inquit B. Tho. in dicto art. 9. Auctoritate Prouerb. cap. 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit*, Sic accipiendum est, quod scribit B. August. cap. 8. De vera, & falsa pœnitentia à Gratiano, relatum in cap. Vnum orarium 25. dist. Ver. Criminis dum inquit: *Nullum peccatum est adeò veniale, quod non fiat mortale, dum placet*, quod non est ità intelligendũ, quod sola frequentatio actus variare possit peccati speciem, si nihil aliud addatur ex parte operantis, quod faciat ex veniali mortale, sed sentẽtia Augustini accipienda est in hunc sensum, nempè ex ipsa peccati venialis frequentia viam aperiri ad mortale peccatũ propter contemptum, vel quid simile, quod accidere potest ex frequentia actus, sicut Glo. explicat in dicto cap. vnum Orarium, Silue. V. Peccatum q. 4. Almain. in lib Moralium cap. 9. De Circumstantia temporis.

CAPVT VII.

An qui communicat cum excommunicato contra præceptum superioris interdicentis sub pœna excommunicationis huiusmodi communicationem, sit reus culpæ lethalis, & quæ conditiones requirantur, vt excommunicatio in participantes ferri possit.

Tertius casus, quando ad præceptum Iuris, quo prohibetur communicatio cũ Excommunicato, additur nouum præceptum Iudicis prohibentis sub excommunicatione latæ sententiæ, nè quis communicet, & participet cum talibus excommunicatis denunciatis; In hoc casu, qui transgrediuntur decretum Iudicis, communicando cum illis excommunicatis, peccant mortaliter, & sunt excommunicati, & idem affirmant Doctores, si quis ab vno Iudice erat excommunicatus, deinde ab alio Iudice non subordinato excommunicatur per literas de participantibus in communione, tunc enim lethali culpa tenetur, qui participat etiam in humanis cum illo, & incurrit maiorem excommunicationem, Glo. in cap. Statuimus in expositione casus post medium Ver. Ex quibus sequitur. De Sent. Excom. lib. 6.

Hæc doctrina est communis, Archid. ibidem nu. 4. De Sent. Excom. lib. 6. Anchar. nu. 2. Franc. nu. 3. Gemin. nu. 8. B. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. quæstiunc. 3. ad quartum, & in addit. ad tertiam par. quæst. 23. art. 2. Silue. Excommunicatio 2. §. 1. casu 9. Couar. in cap. Alma Mater prima par. §. 3. nu. 6. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 36. Vers. Ad quartum; Dominicus Sotus dist. 22. q. 1. art. 4. qui addit, vt incurratur peccatum mortale ex communicatione cum excommunicato post latam sententiam excommunicationis in participantes necesse esse, vt pronuncietur hæc sententia expressis excommunicatis nominatim, quorum consuetudo est cauenda; Nam si Iudex præciperet sub pœna excommunicationis, vt nemo communicaret cum excommunicatis huius Ciuitatis in genere, sententia esset nulla, quamuis exprimeret cum illis, qui sunt nominatim excommunicati, vel publici Clericorum percussores, quos alias teneremur vitare; Nam talis sententia potius obtenderet laqueos timoratis conscientijs, sed forma Censuræ est ad hunc modum præscribenda; Nemo participet cum Petro, aut Paulo excommunicato, vel saltem nominare eos ex officio, vel alia euidenti qualitate, nempè cum Gubernatore, vel tali officiali.

Reus igitur est criminis lethalis, qui contra præceptum Superioris prohibentis participationem cum nominatim excommunicato sub pœna excommunicationis, illi communicare audet; Et olim iure antiquo ex constitutione Innocentij Tertij cap. Quod in dubijs De Sent. Excom. poterat innodari excommunicatione, nisi monitus à tali participatione desisteret, quia videretur contemnere Claues Ecclesiæ, vt inquit Glo. in citato cap. Quod in dubijs, ex cap. Qui communicauerit 11. q. 3. cap. vlt. De Pœn. & cap. vlt. De Excess. Prælat. Secus autem est de illis, qui scienter communicant ei, qui cum participibus suis est excommunicatus, tunc enim etiam illi ipso facto incurrunt eandem sententiam; Quod est intelligendum, vt inquit Glos. vlt. vbi participant in crimine, vt in cap. Nuper De Sent. Excom. aliàs non essent excommunicati excommunicatione Maiori, sed post admonitionem excommunicari possent, sed de hoc casu tractabo in cap. 9.

Verum quia Episcopi, & Prælati nimium celeres, & proni se præbebant in pronuncianda excommunicatione aduersus eos, qui excommunicatum ab ipsis non declinabant, vt hoc modo, rubore, & verecundia confusi citius sui criminis reatum agnoscerent, & reiecta contumacia ad obedientiam redirent. Idcirco Innocentius Quartus voluit præscribere modum seruandum in excommunicandis participantibus cum excommunicatis in cap. Statuimus De Sent. Excom. lib. 6. *Vt nullus Iudicum participantes cum Excommunicatis ab eo in locutione, & alijs, quibus ligatur participans excommunicatione minori, ante monitionem canonicam excommunicare maiori excommunicatione præsumat &c.* & post pauca addit in fine cap. *Aliter autem in participantes excommunicatio prolata non teneat, & proferentes poenam legitimam poterunt formidare.*

Exci-

Excipit tamen ab hac constitutione eos, qui participant in crimine damnato, qui non præmissa canonica monitione possunt Excommunicari sicut etiã habetur, in cap. Quod in dubijs.

Demũ ad tollendam omnem ambiguitatem, quæ poterat contingere in pronnncianda Excommunicatione contra participantes cum Excommunicato quoad monitionem Canonicam, quam præceperat Innocentius Quartus necessario pręmitendam esse ante huiusmodi sententiam. Gregorius decimus præscribit formam huius Canonicæ monitionis requisitæ ante excommunicationem in cap. Constitutionem eod. tit. & lib. his verbis: *Decernimus ita demum esse monitionem Canonicam in hoc casu, si aliis rite seruatis eos, qui monentur, exprimat nominatim, statuimus quoq. vt inter monitiones, quas vt Canonicè promulgetur excommunicationis sententia, statuunt Iura præmitti, Iudices siue monitionibus tribus vtantur, siue vna pro omnibus, obseruent aliquorum dierum competentia internalla: Nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda.*

Attamen, quoniam contingebat dubitare, an dicta Constitutio Innocentij confirmata, & explicata, à Gregorio haberet locum in Censura excommunicationis tantum, vel potius comprehenderet omnes censuras; Et nonnulli Prælati non valentes excommunicare participantes, nisi nominatim monitos; Post sententiam excommunicationis pronunciatam promulgabant generale præceptum de non participando cũ tali excommunicato sub pœna suspensionis, aut Interdicti eo ipso incurrendi; Idcirco opus fuit, vt Bonifacius Octauus huic incommodo mederetur in cap. Statutum eod. tit. & lib. Vbi præcipit, vt statutum Gregorij in sententijs quoq; suspensionis, & Interdicti, quæ pro huiusmodi participatione plernnq; ab Ordinarijs, vel Delegatis Iudicibus promulgantur, inuiolabiliter obseruetur.

Ex his colligitur, quod licèt regulariter Monitio non pertineat ad substantiam excommunicationis, sed vt iustè, & legitimè feratur ex cap. Sacro De Sent. Excom. de quo latius pertractabitur suo loco, tamen in ordine ad excommunicationem ferendam contra communicantes cum excommunicato in locutione, Mensa, & alijs humanis, & ciuilibus actionibus ità necessariò est præmittenda, vt illa neglecta, reddatur nulla excommunicatio, & est casus singularis.

Hæc tamen Constitutio patitur nonnullas limitationes; Prima est, vt intelligatur, quando fertur Excōmunicatio à Prælato contra communicantes cum excommunicato, ab eodemmet Prælato; Nam secus est quando excommunicantur participantes cum excommunicato ab alio, non præmissa monitione; Vt si Episcopus excommunicaret participantes excommunicato à Papa, vel Archiepiscopo, quamuis illos nō præmoneret, sententia excommunicationis teneret, sed posset esse iniusta.

Desumitur hæc limitatio ex tex. eiusdem cap. Statuimus, cum dicitur *Participantes cum excommunicatis ab eo*, Vbi Glo. ponderans verbum illud, Ab eo, dicit *secus si ab alio, quia tunc monitio non est de substantia excommunicationis, sed de iustitia*. Et reddit rationem Glo. Quarè Papa potius requisierit ad validitatem huius excommunicationis monitionem, quando sententia pronunciatur contra participantes cum excommunicato à se, quàm ab alio, & inquit: *Ratio est, quia Iudices sunt magis incensi, quando auctoritas eorum contemnitur, quàm quando contemnitur auctoritas aliorum.*

Confirmant eandem limitationem omnes Doctores, Archid. in eodem. cap. Statuimus num. 1. Gemini. nu. 4. Petrus Anchar. nu. 1. Franc. nu. 1. Io. And. num. 1. Abb. cap. Quod in dubijs nu. 3. De Sent. Excom. Silue. Excommunicatio 2. §. 1. Vers. Nonus est quando quis.

Quod si in cap. Constitutionem. & cap. Statutum citatis generaliter præcipiatur præmittendam esse canonicam monitionem ante huiusmodi excommunicationem, & non addatur illa clausula *Ab eo*, Omnes tamen Doctores citati interpretantur illa cap. iuxta sententiam tex. in dicto cap. Statuimus; Quod interpretatum fuit per cap. Constitutionem, & cap. Statutum; Quoniam Constitutio Interpretantis est intelligenda in eo casu, in quo locum habet ius interpretatum, vt in Autent. De filijs ante dotalia instrumenta circa fi.

Hæc limitatio licet communiter à Doctoribus proponatur, tamen non videtur solida ratione posse confirmari, nec ratio, quam excogitauit Glosa, videtur firma, quia nullum apparet discrimen, si excommunicentur à Prælato participantes cum excommunicato à se, vel ab alio, vt in primo casu sacri Canones requisierint admonitionem, non autem in posteriori; Sed cum hæc sententia sit communis, ab ea in praxi non videtur recedendum.

Secunda limitatio ponitur à Silue. Vbi supra, vt dicta Constitutio intelligatur, quando Prælatus Inferior intendit excommnnicare participantes cum excommunicato, tunc scilicet esse necessariam monitionem Canonicam.

Quarè Prælatus hodie non potest ferre excommunicationem generalem sub hac forma. Excommunico te cum omnibus tecum participantibus, Abb. in cap. Quod in dubijs num. 3. De Sent. Excom. Id tamen non habet locum in Summo Pontifice, qui nō est subiectus legi; Quarè si Papa excommunicaret aliquem cum participantibus suis non tantum in crimine, sed in communibus, & cinilibus actibus, eo casu, qui excommunicato communicarent, etiam non moniti, essent obstricti per eandem sententiam excommunicationis, à solo Papa absoluendi. dicto cap. Quod in dubijs.

Tertia limitatio ex sententia aliquorum est, vt dictum c. statuimus solum habeat locum, quando sententia excommunicationis est pronuncianda contra certas, & singulares personas ob communicationem cum excommunicato, tunc enim præmonendæ sunt dictæ personæ nominatim, & in specie, vt desistant à dicta cōmunicatione, & si cōtempserint parere Prælatus consimili censura damnare poterit non alias; Quare si ferenda est excommunicatio in genere contra quoscumque communicantes cum tali excommunicato, sufficit monitio generalis iuxta dispositionem Iuris antiqui in c. quod in dubijs.

Hæc sententia est Host. in d. c. statuimus, qui putat conuenire generalem monitionem ante excommunicationem generalem, sicut conuenit specialis monitio ante specialem excommunicationem. Ideò si Iudex intēdit aliquos excommunicare nominatim, debet illos monere nominatim, sed si solum velit excommunicare in genere, sufficit, vt in genere moneat, E. G. Monemus omnes commorantes in hac Parochia sub pœna excommunicationis, ne tali excommunicato communicent, si postea Petrus probetur ei communicasse, Iudex non potest illum excommunicare nominatim, sed solum in genere. Idem videtur sentire Siluester excommunicatio 2. §. 1. vers.

Nonus

Nonus est in fi. licet dubitatiue, cum dicat, in his tri-
bus casibus vel saltem in duobus, scilicet ex defectu
alicuius ex dictis conditionibus timendam esse ex-
communicationem, Abb. ita voluit expresse in cap.
Peruenit 1.nu.4. de appell. vbi docet remedium com-
pellendi laicum, vt satisfaciat pro illata iniuria in
personam Clerici esse si Prælatus ad querelam Cleri-
ci denunciet percussorem excommunicatum, & ex-
communicet omnes, qui cum eo ante absolutionem
communicauerint, tunc enim metu maioris excom-
municationis euitabitur ab omnibus, aliàs ratione
minoris excommunicationis, quæ regulatiter ob ta-
lem participationem incurritur, pauciores ab eius
consortio abstinent. Adhæret Couar. in cap. Alma
Mater par.1.§.3. n.6. dicens hanc opinionem praxim
recepisse, quia monitio tantum generalis præmitti
solet contra communicantes cum excommunicato,
vt tandem contra eos feratur excommunicatio ma-
ior, quæ tamen regulariter non est ferenda, nec ferri
debet, nisi ex grauissima causa.

Contra tamen Glo. in dicto cap. Constitutionem
Ver. Nominatim, tenet expressè hodie correctum esse
Ius antiquum, & tutius esse affirmare non posse ferri
excommunicationem in genere in participantes ex-
communicato; Immò subdit non valere monitionem,
si Index moneat omnes de Collegio, vel Vniuersitate,
& quando nomina ignorantur, cogat Rectorem Col-
legij, & Præpositum Vniuersitatis ad indicandum, ff.
de condit. ob turpem causam. l.4. §.fin. Hanc opinio-
nem Glo. amplectitur maior pars Doctorum, Io. Mo-
nachus, Archid. Io. Andr. Gemin. Anchar. Franc. &
alij in dicto cap. Constitutionem; Qui tamen affir-
mant contrariam opinionem Hostien. esse magis Iuri
consonam, hanc verò putant esse tutiorem.

Existimo ego dictum Glo. magis aptari posse deci-
sioni dicti c. Constitutionem, Nunc ibi Gregorius De-
cimus declarat. c. Statuimus Innoc. Quarti prohiben-
tia, nè excommunicentur participantes cum excom-
municato, nisi antea canonicè moniti, aliàs excom-
municatio sit nulla; & inquit monitionem Canoni-
cam vocari, quando nominatim exprimuntur illi, qui
monentur, igitur intentio ipsius fuit, vt non sufficeret
generalis monitio in hoc casu, vbi excommunicandi
sunt participantes, secus non erat opus edere. c. Con-
stitutionem ad explicationem c. Statuimus, si sufficie-
bat monitio generalis, quæ etiam ex dispositione In-
nocentij Quarti, immò Iure antiquo ex c. Quod in du-
bijs, prærequirebatur.

Confirmatur ex illa clausula, quæ habetur in tex.
In hoc casu, quæ verba, vt benè annotauit Glo. indu-
cunt quandam specialitatem, nempè vbi Prælatus
vult propter participationem excommunicare com-
municantes cum excommunicato.

Quamobrem opinio Hostien. vera est in alijs casi-
bus, in quibus admittitur generalis excommunica-
tio, in ijs sufficit generalis monitio, vt dicunt An-
char. in dicto c. Constitutionem num.4. Franc. num.3.
& notat Glo. Ver. In hoc casu, cum ait, *Quasi diceret,
quod alias benè potest fieri monitio generalis*, c. Si sacer-
dos de offic. Ordi. c. Et si Iudæos in fine de Iudæ. cap.
Post miserabilem de vsu. Glo. in cap. Romana, §. Ca-
ueant, Ver. Causa de sent. excom. lib. 6. Sed si pro-
nuncianda est excommunicatio ob participationem
cum excommunicato, hoc est speciale, siue Iudex in
genere, siue nominatim velit excommunicare, præ-
mittenda est monitio nominatim sub hac forma, vi-
delicet excommunicamus Franciscum, qui quotidie

A magis in sua contumacia insordescit, & censuræ me-
dicinam in sui detrimentum, & aliorum scandalum,
contemnit, Idcirco monemus Petrum, Ioannem, Mar-
tinum, & eodem modo exprimantur alij monendi, nè
cum ipso Francisco in posterum communionem ali-
quam habere præsumant infra sex dies, quorum duo
pro prima monitione &c. quibus elapsis poterit par-
ticipantes excommunicare.

Quærat aliquis, An Iudex possit in ipsa monitione
adijcere sententiam excommunicationis sub hac for-
ma videlicet, Quibus elapsis, si non paruerint, eo ipso
excommunicationis sententiam incurrant.

Respondent Gemin. Anchar. Io. Andr. & Franc in
dicto c. Constitutionem in fi. non posse simul cum mo-
B nitione pronunciari sententiam excommunicationis,
& vtramque cumulari cum clausula ex nunc, prout
ex tunc &c. quoniam est peculiare in hoc casu, quod
canonica monitio præcedere debet, quia in alijs Iu-
dices possunt copulare canonicam monitionem cum
sententia excommunicationis, c. Præterea de appel-
la. Clem. 1. de concess. Præbend.

Secundo quæri potest, An Constitutio Iuris de ad-
monitione Canonica præmittenda, antequam feratur
excommunicatio maior contra Communicantes cũ
excommunicato, habeat locum in omni sententia ex-
communicationis, quæ pronunciatur contra partici-
pantes cum excommunicato.

Respondetur in cap. Statuimus de senten. excom.
C lib.6. Solum declarari nullam sententiam excommu-
nicationis latam contra participantes cum excommu
nicato in communibus actionibus sine monitione, siue
sit pronunciata in genere contra omnes communi-
cantes cum tali excommunicato, siue in specie, puta
contra Franciscum communicantem cum tali excom
municato, sed ibi non prohiberi, nè possit ferri gene-
ralis excommunicatio contra participantes in crimi-
ne damnato sine monitione; Host. Io. Monachus in eo-
dem tex. Gemin. nu.5. Pet. Anch. nu.4. *Vers. Secundò
quæro*, Franc. num. 2.

Tertiò quæritur à Doctoribus, an Iudex Delegatus
possit proferre hanc excommunicationem maiorem
in participantes simpliciter cum excommunicato, à
D se ipso.

Ad vtramq; partem reperiuntur sententiæ Docto-
rum; Pro affirmatiua sentit Archid. in dicto cap. Sta-
tuimus, & mouetur ex verbis tex. cũ initio ait, *Nullus
Iudicum*: Quare loquitur vniuersaliter, & in fine *Pote-
rit Iudex*, & sic loquitur indefinitè, facit cap. 2. in fine
de offic. Deleg. lib.6. & cap. Statutum in fi. de sentent.
excom. eod. lib.

Contra pro negatiua Io. Andr. in eod. cap. Statui-
mus refert Abbatem; Quia nullo Iure habetur; Vt
Delegatus possit ferre excommunicationem contra
communicantes cum excommunicato, & Delegatus
potest exercere suam Iurisdictionem solum in ijs, quæ
continentur in suo rescripto cap. P. & G. cap. Cum
E olim de off. Deleg. Et quamuis concessum sit Dele-
gato posse excommunicare impedientes iurisdictionẽ
suam, cap. 1. de off. Deleg. similiter impedientes Par-
tem, ne possit producere testes, & probationes cap.
Tum literas, & cap. Constitutia de testi. nunquam
tamen legimus posse excommunicare participantes
cum excommunicato, & cum eius potestas sit stricti
Iuris, idcircò non licet illam extendere, Glo. in c. So-
let, Ver. Per Superiorem de senten. excom. lib.6. Hoc
idem sentit Archid. sibi contrarius, cap. Rogo 11.q.3.
vbi concludit, quod si moniti per edictum Delegati
sub

sub pœna excommunicationis, vt abstineant à communicatione excommunicati, non parent, excommunicari debent per sententiam ordinarij.

Gemin. in eod. cap. Statuimus nu. 6. Anchar. n. 2. vers. Ex quo verbo, Franc. nu. 5. conciliant hæc duo dicta contraria ad hunc modum, vt censeant Delegatum posse proferre sententiam excommunicationis in communicantes cum excommunicato, quando ex tali participatione oritur turbatio suæ Iurisdictionis. Exemplum afferunt, si Delegatus excommunicauit Franciscum, quia noluit parere suis mandatis, & nihilominus neglecta excommunicatione, alij ipsius excommunicati consuetudine vtuntur, & ex hac communicatione magis insordescit in sua contumacia, & contemnit præceptum Delegati, hoc casu poterit huiusmodi communicantes punire; Hac enim de causa communicatur ei iurisdictio in quoscunque extraneos subditos tamen Delegantis, c. 1. de Offic. Deleg. & in hoc sensu loquitur Archid. & est interpretandum c. Statutum de sent. excom. lib. 6. Et idem habet locum, si communicarent in contemptum iurisdictionis Delegati, c. Ex literis de Off. Deleg. Quod si ex tali communicatione nullo modo consequitur perturbatio Iurisdictionis Delegati, tunc ille non potest proferre Excommunicationem in communicantes, atque ità intelligitur secunda opinio.

Quartò quæret quis, An pęna aliqua statuta sit ab ipso iure aduersus illos Prælatos, qui non præmissa Canonica monitione audent proferre excommunicationis sententiam in participantes cum excommunicato.

In dicto c. Statuimus in fine hæc leguntur *Aliter autem in participantes excommunicatio lata non teneat, & Proferentes pęnam legitimam poterunt formidare*, Glo. Ver. Pœnam explicat de pœna posita in c. Sacro de sent. excomm. Vbi puniuntur, qui admonitione non præmissa excommunicant subditos etiam si excommunicationis sententia fuerit iusta, vt per mensem sint priuati ingressu Ecclesiæ, sed mense elapso restituti sunt, vt notat Glo. Ver. Per mensem ex c. Si qui sunt 81. dist. Deinde carebunt hominum communione, si visum fuerit Superiori c. De illicita 24. q. 3. Hostien. Io. And. Io. Mona. Archid. Franc. in dicto c. Statuimus in fi. addunt etiam alias pęnas in Iudicem, qui neglecta admonitione excommunicat, tenetur enim actione iniuriarum, c. Illud, & c. Temerarium 11. q. 3 & de sacrilegio 24. q. 3. c Non in perpetuum, Et ad soluendum interesse ipsi excommunicato, si excommunicatio fuerit iniusta, vt in dicto cap. Sacro, & ibi Glo. Ver. Per mensem; Et ad has pęnas agitur contra Prælatum coram ipsius Superiore, c. Venerabilibus §. 2. de sent. excom. lib. 6.

CAPVT VIII.

An contrahatur peccatum mortale ex communicatione cum Excommunicato nominatim per sententiam Papæ.

QVartus casus esse potest, quo ex communicatione cum Excommunicato contrahitur culpa mortalis, si Papa denunciet iudicialiter per sententiam publicè, & nominatim aliquem excommunicatum, quamuis in sententia non exprimat excommunicationem extendi ad participantes, tunc communicans cum Excommunicato mortale peccatum committit, & incurrit maiorem excommunicationem, quando est Clericus, & admittit ad diuina sic A denunciatum à Papa, At si in humanis tantum participet, non videtur peccare mortaliter, nisi frequens consuetudo arguat contemptum, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 93. Silue. excommunicatio. 5. §. 22. & excom. 7. §. 12. Sot. dist. 22. q. 1. art. 4. Couar. in c. Alma par. 1. §. 3. num. 3. & seq. Addit Sylue. excomm. 5. §. 22. tam Clericum, quam Laicum, participantem cum sic excommunicato in diuinis peccare mortaliter, at solum Clericum incurrere maiorem excommunicationem, non Laicum quia textus in c. significauit de sent. excommun. De solis Clericis loquitur Caiet. in Summa V. Excommunicatio cap. 58. aduertit ex tex. vt Clericus scienter, & spontè admittat ad diuina officia denunciatos à Papa, opportet ergo, vt B sit Clericus, & spontè, & scienter admittat denunciatos publicè, & nominatim à Papa ad officia Ecclesiastica, Syluester excommunicatio 7. §. 12. censet etiam tunc Clericum sic admittere, vbi recitat horas cum tali excommunicato etiam extra Ecclesiam, Glo. in c. Statuimus Ver. Constitutionibus. de sent. excomm. lib. 6. notat quinque conditiones esse necessarias ad incurrẽdam excommunicationem maiorem propter communicationem in diuinis cum excommunicato, quas dicit exprimi in dicto cap. Significauit de sent. excom. & easdem ibi recenset Abb. num. 3.

Prima est, quod communicans sit Clericus, Secũda, quod scienter participet; Tertia vt sponte faciat, non C metu coactus; Quarta quod excommunicatus, cui communicat, sit excommunicatus à Papa; Quinta quod communicatio accidat in diuinis.

Maximè autem decet, vt communicans cum excõmunicato à Papa conditionibus illis positis, quas diximus, vinculo maioris excommunicationis obstrictus maneat, cum Summi Pontificis præcepto, & censuræ summa debeatur obedientia.

Excusatur autem à prædicta excommunicatione Clericus, qui non admittit talem excommunicatum ad officia diuina, quamuis cum illo assistat Missæ tanquam priuatus; Nauar. in Manua. cap. 27. num. 93. Caiet. dicto cap. 58. & alij, quamuis Couar. vbi supra oppositum dicat; Secundo in foro conscientiæ excusa- D tur Clericus, si illum admittat ductus metu etiam leuiori alicuius grauis damni, dummodò metus sit causa admittendi, quia non censetur spontè admittere, vt tex. requirit, ita dicit Nauar. dicto nu. 93. cum Sylu. At in foro exteriori non præsumitur metus fuisse causa, nisi sit grauis. Tertiò excusatur Clericus, qui ignorat ignorantia etiam crassa talem fuisse à Papa denunciatum, vt Caiet. supra, & Nauar. cap. 27. nu. 141. affirmant, & colligunt ex tex. cum dicit, Qui scienter id fecerit, si requiritur scientia, ergo quæcunquè ignorantia excusat ab excommunicatione, non autem à peccato mortali; Nàm pęnæ non sunt latius extendendæ vltra sensum, quem propriè verba legis habere possunt.

E

CAPVT IX.

An qui communicat cum excommunicato in crimine committat peccatum mortale.

QVintus casus, Communicans cum Excommunicato maiori excommunicatione vtcunque contingat communicatio, dummodò sit in crimine propter quod alter fuit excommunicatus, & peccat mortaliter, & maiori etiam ligatur Excommunicatione, Text. in cap. Si Concubinæ, & in

in c. Nuper de sent. excomm. Communicatio autem in alijs actibus, vel etiam in alio crimine, cuius gratia excommunicatio non fuerit inflicta minimè est sufficiens ad hoc, vt communicans incidat in excommunicationem maiorem, quamuis peccet, & possit esse peccatum mortale, vel veniale pro qualitate criminis, & incidit in minorem excommunicationem.

Quarè vt participans in crimine cum excommunicato & peccet mortaliter, & incurrat excommunicationem maiorem, requiritur primo, vt participet in crimine criminoso, scilicet in eo ipso, ob quod fuit alter excommunicatus, secundò, vt scienter participet, nempè sciens alterum incurrisse axcommunicationem ratione illius criminis, tandem vt ille fuerit denunciatus de excommunicatione.

Hæc desumuntur ex Beat. Antonin. tertia parte titulo vigesimoquinto capitulo trigesimoprimo Silue. excommunicatio octaua, §. decimo Ang. excommunicatio septima, §. quadragesimoseptimo. Nauar. in Manua. capit. vigesimoseptimo, numero 33. & 112. Couar. in capitulo Alma Mater part. 1. §. 3. numero quinto.

Hæc participantis in crimine excommunicatio extenditur ad eum, qui consilio, auxilio, & fauore participat, quia in dicto capitulo Nuper ità exprimit, Nauarr. dicto capitulo vigesimoseptimo numero trigesimotertio.

Itaque si quis monitus sub poena excommunicationis latæ sententiæ, vt dimittat Concubinam, & recusans parere propterea denuncietur excommunicatus non solùm ipsa Concubina, quæ participat cum ipso excommunicato in crimine, & peccato luxuriæ, cuius causa fuit excommunicatus, sed qui consilio, aut fauore, vel auxilio ipsum iuuaret, nè Concubinam expelleret, vel si eiecisset, vt eam reuocaret eiusdem criminis esset reus, & simili excommunicationis vinculo obstrictus.

Quod tamen non est intelligendum, vbi semel redijsset ad eandem fœminam, tunc enim neque consulens, nec ipsamet fœmina incurrerent maiorem excómunicationem, quamuis à peccato immunes minimè essent; quia in cap. Si Concubinæ de sent. excom. textus loquitur de concubinatu, quæ vox significat consuetudinem vitij, & vnicus actus repetitus non facit concubinatum.

Necesse est etiam ad incurrendam hanc excommunicationem, vt participatio contingat in crimine, postquam quis occasione illius criminis de excommunicatione denunciatus est, vt bene dixit Abb. in dicto cap. Nuper num. 8. nam qui communicat in crimine, cuius causa agena est excommunicatus, sed communicatio accidit, antequàm per sententiam Iudicis pronuncietur excommunicatus, non afficitur hac excommunicatione, Rem exemplo illustremus, si Episcopus edictum promulgaret sub poena excommunicationis latæ sententiæ, nè Clerici mulierem vllam domi retinerent, & cum ea habitarent, qui consuleret Clerico, vel fauore, aut auxilio illum iuuaret ad habendam foeminam, vel ipsamet foemina cohabitans, non incurrerent excommunicationem maiorem, si hæc communicatio accideret, antequàm Clericus denunciaretur excommunicatus: quia hæc excommunicatio non incurritur ex participatione in crimine cum excommunicato, antequam denunciatus sit excommunicatus, quamuis ex alio capite possent alligari vinculo excommunicationis, qui consilio, fauore, auxilio, aut mandato iuuarent ad faciendum aliquid, cui annexa esset excommunicatio in iure, vbi scilicet lex non tantum facientem, sed consulentem, & quouis modo adiuuantem gladio excommunicationis feriret; talis est lex excommunicans percutientem Cardinalem in cap. Felicis de poenia lib. 6. & Clemen. Si quis suadente de Poenit. Sed quando lex excommunicat simpliciter facientem, regulariter non comprehendit consulentem, aut mandantem, vt affirmat Caietan. in Sum. V. Excommunicatio cap. 47. notab. 3. Tabien. excommunicatio 5. casu 44. licet Silue. excommunicatio 8. §. 10. & excommunicatio 10. §. 6. Oppositum sentiat. Et ratio est, quia excommunicatio non debet extendi ex vno casu ad alium, Glos. recepta in Clement. 1. De sepult. & in Clemen. 1. De Consang. eo quod poenæ sunt restringendæ. l. penult. ff. de Poen. & cap. Poenæ de Poenit. dist. 1. At consulentes, mandantes, & huiusmodi non sunt propriè facientes, nám mandatum, & consilium præcedit factum, & plerunque factum executioni mandatur post vitam dantis consilium, vel mandantis; quare fieri non potest, vt ex facto alterius, qui tale consilium, vel mandatum accepit, excommunicentur illi, qui mortui sunt, & fortasse in Cælo beati resident, sed de hac quæstione fusius pertractabo iu cap. ... Disp ...

Quòd si participans re vera concurreret ad illud factum, & crimen, quod prohibitum esset sub poena excommunicationis. ipse quoque efficeretur excommunicatus, non ratione communicationis cum excommunicato, sed ob societatem delicti, Glos. in cap. Significauit de sentent. excommunic. & confirmatur ex cap. 2. De Aposta. Vbi qui rebaptizat, fit excommunicatus, & irregularis, & qui ei ministrat, eandem censuram contrahit, & ità sentit speculat. in titul. de dispensa. §. Iuxta Vers. Vt autem in hac, Idem expresse affirmauit B. Antoni. in tract. de Censu. cap. 81. paulò ante finem, sequitur Maiol. lib. 3. de irregular. cap. 21. num. 17.

Proponit quæstionem Abb. in cap. Si Concubinæ num. 3. de sentent. excomm. Si excommunicetur aliqua Mulier propter Concubinatum cum Clerico; an laicus cognoscens illam carnaliter incidat in excommunicationem Maiorem, Respondet negando, & affert rationem; quia non communicat in crimine damnato, secus esset, si Mulier fuisset excommunicata generaliter ob crimen fornicationis, tunc enim qui se ei commisceret, innodaretur excommunicatione maiori, quia talis communicatio accideret in crimine damnato; idem fatetur Ioann. Andr. in eod. cap.

Excusatur ab hac excommunicatione, qui participat cum notorio Clerici percussore, si tamen non erat per sententiam Iudicis nominatim excommunicatus; quia Concilium Constantiense, vbi exprimitur poena ex hac communione, non meminit participationis in crimine cum notorio Clerici percussore; ergo reliquit illam dispositioni Iuris communis, Nauarr. & Couarr. locis citatis generaliter explicant incurri hanc excommunicationem ob participationem tantùm cum Denunciato.

Deinde excusatur, qui per ignorantiam etiam crassam participat in crimine; quoniam in cap. Nuper ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur, vt scienter communicet cum tali excommunicato, dummodo non sit affectata, quæ æquiparatur

scientiæ, Idem enim est peccatum, si quis agat aliquid scienter, vel ignoranter, quia data opera non vult scire, vt illud agere possit.

Excusatur etiam, qui participat in crimine, cuius causa aliquis incidit in excommunicationem, sed antequam sit denunciatus excommunicatus: quia id Iure non exprimitur.

Quod si frequenter fiat hæc participatio in crimine cum denuociato, augetur excommunicatio ex multiplici causa, & fit grauior, licet vnica absolutione auferri possit, Nauar. in Manua. cap. 27. numero trigesimosecundo.

Ab hac excommunicatione ob participationem in crimine is tantum absoluit, qui potest ab excommunicatione principali, & in principalem lata iure absoluere, Siluester excommunicatio 8. §. vndecimo, & habetur in citato cap. Nuper §. In primo quidem articulo.

Hinc tamen verè concludi non potest, vt annotauit Couar. dicto §. 3. numero quinto. Hanc excommunicationem maiorem, qua communicans in crimine afficitur, esse excommunicatiooem hominis, est enim excommunicatio Canonis, seu Iuris, quamuis eius absolutio competat ei, qui ratione criminis principalem excommunicauit, vt animaduertuot Innoc. Io. Andr. & alij in dicto cap. Nuper, & Abb. ibi fatetur hanc opinionem esse communem.

Vnde sequi videtur id, quod voluit Hostien. in cap. Nuper de sent. excom. quod & minor excommunicatio per communicationem in locutione, & alijs actibus humanis, & maior per communionem in crimine contrahitur à iure, non ab homine, Idcircò incurritur etiam ab ipso Episcopo excommunicante, si ipse communicauerit cum excommunicato à se, vt ioquit Glo. io cap. Statuimus Ver. Constitutionibus de sent. excom. lib. 6.

Probat hoc dictum Hostiens. ex illis verbis textus *Quamuis enim & tunc non Iudicis, sed Iuris sententia excommunicato communicans sit ligatus.*

Quamobrem si feratur excommunicatio generalis contra participantes cum tali excommunicato in crimine damnato, communicans incurrit duas excommunicationes, scilicet iuris, & hominis, sed sententiam hominis, vt inquit Host. non contrahit Episcopus proferens illam, si communicet cum tali excommunicato, quia ipse sua sententia se ligare minimè potuit, l. penult. ff. de arbi. l. Iulianus ff. de iudi. sed incurrit sententiam Canonis. Si autem noo fuisset lata sententia Canonis, sed Episcopi tantum, Puta Episcopus excommonicat aliquem cum his, qui auxiliom dederint, si Episcopus præstiterit auxilium, non erit excommunicatus ex sententia Archid. Ioan. Andr. & Fraoc. numero 4. in fine, in dicto cap. Statuimus.

E Alia tamen ratio est de Summo Pontifice, vt diximus supra in cap. 4. Disp. 11.

CAPVT X.

An qui petit à Iudice excommunicato denunciato sententiam, vel actum alium legitimum, peccet mortaliter.

SExtus, & postremus casus, quando ex communicatione cum excommunicato oritur culpa mortalis, est, si quis à ministro Iustitiæ denunciato petat actum iudicialem, aut sententiam in re graui, de quo

A nihil modo occurrit dicendum, Nam non est dubium reum esse criminis lethalis illum, qui inducit alium ad peccandum, At Iudex denunciatus de excommunicatione pecat mortaliter contra prohibitionem Ecclesiæ, si vsurpans iurisdictionem, qua priuatus est per excommonicationem, fert sententiam, ergo qui inducit illum ad peccatum, simili culpa tenetur, eo magis cum inducat ad actum ex sui genere nullum in præiudicium tertij, cum non valeat sententia Iudicis denunciati; Quod tamen inferius suo loco fusius erit explicandum. Sicq; satis declaratum remanet, quando committitur peccatum mortale ex communicatione cum excommunicato, quod reciprocè committitur tàm ab ipsis fidelibus, quàm ab excom-
B municatis, seclusis autem casibus enumeratis, culpa tantum venialis contrahitur ex huiusmodi participatiooe.

Illod tamen non est prætereundum; Non adeò superstitiose accipiendam esse hanc prohibitionem communicationis cum excommunicato, vt animaduertit Couar, in cap. Alma par. 1. §. 1. nu. 10. vt existimemus non licere vllo pacto cum illo communicare, nam in ijs, quæ ad eius correctionem, & salotem animæ pertinent, licitum est, immò pium, illum adiuuare, vt reducatur ad viam rectam, & à praua contumacia, & inobedientia cesset. Iura enim hoc per-
C mittunt, vt in cap. Responso, & cap. Com voluntate io princ. De sent. excomm. Gratianus docet id in cap. Cum excommunicato 11. q. 3. ex sententia Isidori, B. Tho. 4. sent. distin. 18. q. 2. art. 4. Ideò B. Aug. explicans Psalmum 54. sic ait, *Diligamus inimicos, corripiamus, castigemus, & excommunicemus cum dilectione etiam à nobis separemus. Videte enim, quid dicat Apostolus, Si quis non obedit verbo nostro, per epistulam, hunc notate, & nolite commisceri cum eo, sed ne surrepat tibi iracundia, & turbet oculum tuum, non, inquit, vt inimicum eum existimetis, sed corripite vt fratrem, vt erubescat, à quo indixit separationem, non præclusit dilectionem.* Hæc Augustinus, quorum meminit Alphon. à Castro De Hæresibus V. Excommunicatio ad finem.
D Quare constat non prohiberi cum excommunicato colloquium, quod procedit ex charitate, & ad charitatem ordinatur, dummodò id fideliter exerceatur absque simulatione, Nam si quis alloquatur excommunicatum sciens tale colloquium nihil ad salutem illius profuturum, potius simulatè, quam ex charitate, & fraterna dilectione commonicat, & ideo decipit se ipsum, & fraudem facit legi: Vnde non euadit pęnam, vt notat Io. Maior. in 4. sentent. distinc. 18. q. 2. Igitur debet erga excommuoicatos perseuerare diligentia amoris, etiam dum castigantur, quemadmodum Phrenetici noleotes ligari, amoris studio castigantur, & stimulantur, vt ad sanam mentem redeant, vt inquit Beatus Augustin. in epistola ad festum 167.

DE EODEM TERTIO EFFECTV EXCOMMVNICATIONIS.

DIXIMVS de peccato, quod contrahitur ob participationem cum excommunicato, videndum est modò, an ex tali communicatione tàm in vita, quam post mortem non solum communicans fit reus peccati, sed afficiatur etiam aliqua pœna, vel obstringatur censura aliqua ecclesiastica. In hac disputatione explicabimus pœnas Participantiũ cum excommunicato viuente, in sequenti declarabimus pœnas iure impositas ob communicationem cum excommunicato post mortem.

DISPVTATIO XIII.

De pœnis latis ab ipso Iure contra participantes cum excommunicato in vita.

Caput Primum. An Communicans cum excommunicato efficiatur excommunicatus.

Caput Secundum. An ob communicationem in rebus diuinis, & sacris cum excommunicato contrahatur irregularitas.

CAPVT I.

An Communicans cum excommunicato efficiatur excommunicatus.

COmmunicans cum excommunicato maiori excommunicatione contra prohibitionem Iuris, generaliter vltra reatum culpæ afficitur minori excõmunicatione ab ipso Iure c.vlt. De Cleri. excom. Mini.c.Nuper,c.Cum desideres de sent.excomm.cap.Sicut,c.Excommunicatos cum duobus sequentibus 11. q.3.Et licet aliquando reperiamus Communicantem cum excommunicato in excommunicationem à Iure statutam incidere; illud est intelligendum de excommunicatione minori. Quarè quod dicitur in dicto c. excommunicatos,& in proximo c.Cum excommunicato, participantem cum excommunicato simili excommunicationi subiacere, intelligendum est primũ, vt inquit Dominicus Sot.dist. 22.q.1.art.4.conclus. 4. si communicauerit cum excommunicatis illius duplicis generis Conc.Constantiensis,deinde tex.inquit, subiaceat simili, non æquali excommunicationi, idest quod Communicans subiacebit etiam excommunicationi, puta Minori.

Et incurritur hæc Excõmunicatio Minor, etiam si accidat communicatio post mortem Excommunicati;quodcunque enim obsequiũ præstet quis erga corpus Excommunicati;quod immediatè,& proximè nõ referatur ad Christianam sepulturam, tunc enim oritur excommunicatio maior,sed fit velut extrinsecum, & accidẽtarium est causa excommunicationis mino-
A ris;quare,si quis lauet cadauer excommunicati,si induat vestes,si comitetur ad sepulturam, si deferat Cereos, pulset Campanas, & similia peragat, contrahit notam excõmunicationis,vt probabo in secunda parte cap.tertij disp.sequentis.

Regulariter itaq;excommunicatione cum excommunicato vltra peccatum veniale communicans remanet obstrictus vinculo minoris excommunicationis, & interdum etiam si participans cum excommunicato peccatũ committat lethale, contrahit tamen minorem excomm. tantum, vt si communicatio fiat in diuinis,vel in crimine,nõ tamen in delicto, pro quo
B lata fuit excommunicatio,vel alijs modis; quid sit excommunicatio minor,& quos effectus pariat, ostendi in Disp.4.cap.1.& 2.

Hic quæri potest, an excommunicationem Minorem incurrat ille, qui communicat excommunicato maiori excomm. ex metu cadente in constantem virum,vt si Princeps præcipiat fideli Catholico,vt communicet cum Hæretico nominatim excommunicato sub pœna mortis,si recusauerit communicare, an in hoc casu talis Catholicus communicans cum Hæretico in his,quæ iure prohibentur, incidat in excomm.

Hanc difficultatem pertractauimus in c.3. præcedentis disp. Vnde solutio desumenda est.

C Hæc tamen generalis regula patitur aliquas exceptiones, Dantur enim aliqui casus,in quibus ob communicationem cum excommunicato tàm in vita,quã post mortem, inflicta est ab ipso Iure excommunicatio maior. Prima exceptio est, quãdo participatio est in diuinis,positis quinq; conditionibus,quæ habentur in c.Significauit De Sent.Excom. quas declarauimus in cap.septimo pręcedentis disputationis.Secunda exceptio, quando quis canonica monitione præmissa prohibetur communicare alicui nominatim excommunicato,& denunciato, si non paret præcepto Iudicis, potest innodari per sententiam à Iudice vinculo maioris excomm. c.Statuimus, & c.Constitutionem
D de sent. Excomm. lib.6.& nos pertractauimus in eod. cap. septimo. Tertia exceptio, vbi communicatio est in crimine, cuius causa fuit quis excommunicatus, tunc incurritur excomm. maior, de hac exceptione dictum est latius in cap. nono dictæ disp. His exceptis ex huiusmodi participatione cum excommunicato contrahitur excommunicatio minor.

CAPVT II.

An ob communicationem in rebus diuinis & sacris cum excommunicato contrahatur Irregularitas.

E DVbitatur;an vltra pœnam excommunicationis, de qua diximus superiori capite, impositam aduersus eos,qui excommunicati consuetudine vtuntur, sit alia pœna inflicta ab ipso iure, & dubitatur de irregularitate,an contrahatur ob talem communicationem in rebus diuinis, & sacris, vt si sacerdos celebret coram excommunicatis, an irregularitatis nota afficiatur.

Non est controuersia apud Doctores, quod celebrans coràm excommunicatis grauiter peccet mortaliter, quoniam communicatio est in diuinis, & incurrat excommunicationem Minorem, Dubitant tamen, an ex huiusmodi celebratione incurratur Irregularitas.

Qua in re duæ sunt sententiæ. Prima est illorum, qui putant Celebrantem prima vice coràm excommunicatis peccare quidem, non fieri tamen Irregularem, c.Is, qui De Sent.excom.lib.6. Si verò deinceps celebret coram excommunicatis in Ecclesia, Irregularem effici. Et idem affirmant, si celebrauerit coràm Interdictis, & ratio ipsorum est: quoniam Sacerdoti celebranti coram excommunicatis Maiori excommunicatione ab ipso iure interdicitur ingressus Ecclesiæ propter celebrationem, quàm exercuit coràm excommunicato, c.Episcoporum de Priuil.lib.6. Is verò, cui est interdictus Ecclesiæ ingressus, si saltem intra Ecclesiam celebrationi operam dederit, irregularis efficitur, cap.Is, cui de sent.excom.lib.6. Hanc opinionem tenet Glos. in dicto c. Is, qui in V. Notatis, vbi monet Sacerdotem, vt caueat celebrare præsentibus maiori excômunicatione nodatis, quia id agens proximus est Irregularitati, eadem Glos. in explicatione casus in fine notat celebrantem coram Excommunicato non contrahere irregularitatem, sed esse proximum irregularitati, quia est suspensus, & durante suspensione non debet celebrare, & si facit, est puniendus, Glos. in dicto, c. Episcoporum V. Ingressum, quā ibi sequuntur Io.Andr.Arclud.Domin.Franc.Antoni. 3. par.tit. 26. c. 4. §. 1. Siluester in V. Interdictum 6. q. 2.& Nicol. Plouius in Tract. Sacerdo. tit. de interdicto reg.49.

Secunda opinio est aliorum, qui sacerdotem nulla notatum excommunicatione celebrantem coram excommunicato maiori excommunicatione lethaliter quidem peccare, si metus cadens in constātem virum non excuset illum, sed non incurrere Irregularitatem affirmant, est sententia Calderini in consil. 4. de sent. Excomm. licet cum dubitatione illam affirmet, sed magis expressè Consalus à Villa Diego de irreg. c. 2. in h.illam defendit, & Couar.in c.Alma prima par. §. 6. num. 9. Immò Io. Andr. & alij Doctores in illo c. Episcoporum, ità tuentur contrariam sententiam, vt tamen censeant hanc valde probabilem, Id verò quod in illo c. Episcoporum dicitur, procedit, vt inquit Couar.in exemptis, in quorum odium statutum est, vt sint interdicti ab Ecclesiæ ingressu, si coram excommunicatis, vel interdictis celebrauerint; quæ quidem constitutio non est ad alios casus extendēda. Hæc sententia mihi probatur; quia definita videtur expresse in illo cap.Is, qui, Vbi hæc habentur, *Is, qui in Ecclesiis sanguinis, aut seminis effusione polluta, vel qui præsentibus maiori excommunicatione nodatis scienter celebrare præsumit, licèt in hoc temerariè agat, irregularitatis tamē, cum id non sit expressum in iure, laqueum non incurrit.* Et Glos.in cap.Episcoporum V. officia de Priuileg.lib.6. idem expresse confirmat.

Accedit etiam ratio ad idem confirmandum; quoniam qui celebrat coram excommunicato, non violat directè excommunicationem, neque agit aliquid per se contra illam, sed tantum patitur communicationem excommunicati, non vitando illum, meritò non est imposita ab ipso iure pœna irregularitatis in hoc casu.

Petet aliquis, an seclusa irregularitate, sit alia pœna imposita contra eum, qui celebrat coram excomm.

A Respondeo, Glos. in Clem. Grauis Ver. Nota, quod quis non debet celebrare, &c. Affirmat non debere Sacerdotem celebrare præsente excommunicato, quē scit esse excommunicatum, aliàs suspendi à suis beneficijs. Quod dictum non est intelligendum de sententia lata, sed ferenda, quia suspendi poterit.

Si quæratur, an sacerdos admittens excommunicatum publicè ad missarum solemnia sit obnoxius irregularitati.

Respondet Simon Maiol.in lib.3. De Irregul. c.24. 24.num.4. Vers.Est etiam non Canonicum, Sacerdotem permittentem excommonicatum nominatim interesse celebrationi missarum esse proximum irregularitati, citat Glosam in c.Is, qui Vers. Nota, quod ce- B lebrans de sent.excom.lib.6. Immò addit Maiol. quod si esset nominatim excommunicatus à Papa, sacerdos eum admittens fit verè irregularis, Abb. in c. Significauit De sent. excomm. Specul. in tit. De Dispens. §. Iuxta Vers. Quod autem dixi de excommunicato, idem est de persona interdicta, Armill.in V. interdictum num.61.

Sed hæc responsio est falsa, quia si sacerdos celebrans coram excommunicato non incurrit irregularitatem sicut videtur statutum in dicto c. Is, qui, ergo multo minus id affirmari debet de sacerdote permittente, idest non expellente excommunicatum, dum celebrantur Missæ, si ipse non celebret, & Glosa in di- C cto c.Is, qui, sicut & alij Doctores loquuntur de Sacerdote celebrante coram excommunicato iuxta opinionem multorum ita sentientium, vt dixi.

Accedit ratio illa generalis, quæ adducitur in eodem c.Is, qui de omni Irregul. nempe irregularitatem contrahi tantum in casibus expressis in iure, & nullibi reperitur ex permissione excomm. ad missarum solemnia contrahi irreglaritatem, immò neq; ex celebratione coram excommunicato, vt dictum est.

Postulabit aliquis, an seclusa irregularitate, sit aliqua pœna in iure imposita aduersus eos, qui excommunicatos publice ad diuina officia admittunt.

Respondetur in c. Episcoporum de Priuileg. lib. 6. Interdici ingressum Ecclesiæ illis, qui scienter præ- D sumpserint excommunicatos, vel interdictos publice ad diuina officia, seu sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittere, donec de transgressione huiusmodi ab arbitrium Superioris legitime satisfecerint; Vbi Glos. in Ver. Ingressum animaduertit tales vicinos esse irregularitati contrahendæ, quia si post huiusmodi interdictum in Ecclesia celebrauerint, irregularitatem incurrunt ex cap. Is, cui de Sent. excom. eod.lib.

Secundò quæri potest, qua pœna digni sint illi, qui prohibent, ne publice excommunicati exeant Ecclesias, dum diuina celebrantur.

Clemens Quintus, vt habetur in Clem. Grauis De sent. excom. excommunicationis vinculo obstringit E eos, qui ad officia diuina audienda aliquos excommunicationis vinculo ligatos vocare præsumpserint, aut prohibent, ne publice excommunicati, aut interdicti de Ecclesijs, dum in ipsis missarum aguntur solemnia à celebrantibus moniti exeant, necnon ipsos excommunicatos, qui à Celebrantibusmet nominatim moniti vt exeant, in ipsis Ecclesijs remanere voluerint, à qua excommunicatione statuit illos per sedem dumtaxat Apostolicam absolui posse.

Quare excommunicati iterum excommunicantur, vt notat Glo.in explicatione casus V.Nota, quod excommunicatus potest iterum, &c. Et secunda excommuni-

municatio (vt inquit Glos. habet effectum, quod retinet excommunicatum extra gremium Ecclesiæ, vt quamuis fuerit à prima excommunicatione absolutus, tamen adhuc exclusus est, à gremio Ecclesiæ, donec secundo reconcilietur.

Tria autem genera personarum in dicta Clement. quantum spectat ad rem, de qua agimus, excommunicantur, nempe primo qui quomodolibet ad diuina officia audienda quempiam, excommunicationis præsertim, vel Interdicti ligatum sententia, vocare præsumpserint; Vbi voce illa *Quomodolibet*, vt notat Glos. omnem modum compulsionis comprehendere intendit, scilicet realem, personalem, directam, & indirectam, vt si res ipsorum occupent consanguineos, grauent in personis, vel rebus &c.

Secundo, qui prohibent, nè excommunicati publicè, aut Interdicti à Celebrantibus moniti, exeant de Ecclesijs, dum in ipsis Missarum aguntur solemnia; Vbi duo consideranda sunt, quæ notantur à Glos. Primum non esse locum huic pœnæ, si quis prohibet, nè excommunicatus exeat de Ecclesia, dum celebrantur alia diuina officia, sed solum quando solemnia Missarum aguntur; Secundum est ad incurrendam hanc Excommunicationem non opus esse, vt Excommunicati sint moniti nominatim, sed sufficit generalis monitio, puta si Sacerdos moneat, vt omnes excommunicati exeant, & illi præcipiunt, vt non exeant.

Tertio sunt excommunicati, qui innodati sunt vinculo excommunis publicè, & nominatim moniti à celebrantibus vt exeant, in Ecclesia tamen remanere præsumunt. Qua pœna illi soli excommunicati afficiuntur, qui nominatim moniti, vt exeant, recusant tamen exire. Quare si quis excommunicatus post generalem monitionem remaneat in Ecclesia, non obstringitur pœna huius excommunicationis.

Dubitari potest, An si quis ministret Sacerdoti denunciato excommunicato celebranti; Vel si Sacerdos patiatur sibi ministrari ab excommunicato, vltra peccatum, & censuram minoris excommunicationis incurrat etiam irregularitatem.

Beatus Antoninus in Tract. de Censuris cap. 87. tenet talem irregularem effici, licèt Io. Andr. dixerit oppositum in addit. Ad spæcul. lib. 1. De Dispens. §. Iuxta vers. Vt autem in hac, & citat text. in cap. Is, qui de Sent. Excom. lib. 6. Vbi textus loquitur de Celebrante coram excommunicato, & declarat per hûc actum non incurri Irregularitatem. Verum cum assistere coram excommunicato sit leuius crimen, quam ministrare eidem celebranti, vel pati sibi ministrari ab excommunicato, ideo Glo. in dicto cap. Is, qui rectius sentit, quam Io. Andr. nempè vt in prædictis casibus incurratur Irregularitas, cap. Illud in fin. De Cleri. Excom. Mini. Minimè vero ex celebratione coram Excommunicato; Idem repetit Glos. in cap. fin. Ver. Irritas, & inanes in fine De Excess. Prælat. Glos. in A Clem. Archiepiscopo Ver. Celebrari De Priuileg. Abb. in cap. Illud numero septimo De Cleric. Excomm. Minim. & in capit. finale numero sexto De Excess. Prælat.

Postulabit quis, An efficiatur Irregularis Sacerdos coram Episcopo nominatim excommunicato celebrans, si in fine Missæ, antequam benedictionem impendat, annuat Episcopo, quasi ab eo benedicendi accipiat auctoritatem iuxta cõsuetudinem, de qua Glossa in cap. Ecce Ver. Benedicere dist. 95. & docuit Nicolaus Primus Papa in Epist. ad Michaelem Imperatorem.

Respondeo, Sacerdotem petentem ab Episcopo excommunicato licentiam benedicendi Solemni benedictione in Missa Solemni, & Episcopum concedentem contrahere Irregularitatem, nàm hoc est participare in delicto cum Episcopo excommunicato, qui dando tales benedictiones, efficitur Irregularis, est enim actus, qui Iure ordinario pertinet ad Episcopum, ex cuius administratione in excommunicatione, incurritur irregularitas, vt probabo in disp. .. cap. ..

Ex dictis illud colligi posse videtur, quod quisquis sciens audit diuina officia, aut Missam, vel suscipit Sacramenta ab eo, qui est excommunicatus nominatim, & denunciatus, cum ipse quoque efficiatur excommunicatus minori excommunicatione, id est incapax, nè recipere possit vllum sacramentum; Hac ratione dici posset quasi Irregularis, vt inquit Maiol. lib. 3. De Irregul. cap. 21. nu. 21. cum sit ei interdicta receptio omnium sacramentorum.

His igitur pœnis afficiuntur ab Ecclesia fideles communicantes cum excommunicatis. Ipsi verò excommunicati, si non declinent consortium fidelium, & grauius peccant, vt diximus, & multiplicant causas inobedientiæ, & contumaciæ reddentes se minus dignos absolutione ab Excommunicatione; Et si communicatio fiat in rebus sacris, exercendo actum ordini annexum, incurrunt irregularitatem ex delicto, de qua dicam inferius, est enim proprius effectus excommunicationis.

Præterea si moniti, vt desistant se immiscere diuinis, & sacris, adhuc contumaces persistant, & contra sententiam excommunicationis audeant celebrare diuina officia, præsertim Missam, sine vlla dilatione pœnam incurrunt perpetuæ depositionis c. Clerici, de Cleri. excomm. Mini. Hæc autem depositio intelligitur in perpetuum ab officio, & beneficio, sic Glo. Abb. & alij Doctores in dicto c. Clerici. Hæc pœna non est lata, sed ferenda à Iudice, quia pœna depositionis semper ab homine fertur, non ab ipso Iure, potest autem Episcopus illum deponere ab omnibus beneficijs, non solum, quæ habet in vna Ecclesia, sed etiam in alijs Ecclesijs in c. Fraternitati de Cleri. excom. Mini. Et hæc dicta sint satis ad hoc caput.



DE EODEM TERTIO EFFECTV EXCOMMVNICATIONIS.



ECLARATVM est hactenus, quibus pœnis afficiantur ab ipso iure communicantes cum excommunicatis in vita non solùm in humanis, & ciuilibus actionibus, sed etiam in rebus sacris, & diuinis, modò agendum est de pœnis ob communicationem, quæ accidit post mortem, nempè qnia corpus excommunicati sepulturæ Ecclesiasticæ conceditur; quæ communicatio quoque pertinet ad res sacras.

DISPVTATIO XIIII.

De Poenis Communicantium cum excommunicato post mortem.

CAPVT I.

Quas pœnas incurrant fideles tradentes Ecclesiasticæ sepulturæ corpus excommunicati, & in quibus casibus.

IVRE antiquo vltra peccatum mortale, de quo dictum est supra, ex hac communicatione illi, qui in loco sacro corpus excommunicati tumulabãt, incurrebant excommunicationem minorem, vt dicit Abb. in cap. Sacris num. 1. Ver. Nota primò de Sepult.& probat ex verbis illius tex. cum Defuncto communionem esse posse: *Quibus non communicemus Viuis, non communicemus Defunctis*, hinc infert, ergo Communicans excommunicato in morte incurrit excommunicationem minorem, sicut si communicasset in vita ex generali illa iuris prohibitione, quia cum excommunicatis communicandum non est, & hoc idem expresè docet Glosa in cap. Ad hæc Ver. Sepelierint De Priuileg. dicens, *Ita communicando eis in morte inciderunt in excommunicationem*. Et hæc pœna excommunicationis minoris incurrebatur etiam ab illis, qui sepulturæ tradebant corpus excommunicati occulti, vt tenet Glo. in Clement. 1. Ver. Publicè in fin. De Sepult. remittens se ad Glosam citatam in dicto c. Ad hæc Ver. Sepelierint de Priuileg. Card. in eadem Clement. num. 19.

Sed contra Glos. obijcitur ex Hostien. vt refert Cardinal. dicto num. 19. & Abb. in cap. Ad hæc nu. 2. De Priuileg. ex tali actu sepeliendi excommunicatum non posse incurri excommunicationem minorem, A quia cum mortuo non potest contingere communio, nam homo mortùus non est verè homo cap. In quadam De Celebr. Missa. Deinde quoniam cessat ratio in homine mortuo, propter quam ab Ecclesia interdicta fuit communicatio cum excommunicato, nempè vt excommunicatus hoc modo priuatus omni consortio, & societate hominum confusus, & neglectus citins inducatur ad parendum, & satisfaciendum, vt ab huiusmodi ignominia, & infamia se eximat, & liberet cap. 1. De Except. lib. 6. Hæc ratio locum non habet in Defuncto; quare inquit Host. Sepelientes excommunicatum alia pœna esse puniendos, nempè priuandos esse officio, vt in cap. Excommunicamus 1. §. B Credentes in fi. de Hæret.

Sed Abb. ex sententia Io. Andr. & Card. vbi supra impugnat hoc dictum Host. & sequitur Glosæ opinionem, quæ confirmatur ex cap. A nobis 2. De Sent. Excomm. Vbi Summus Pontifex præcipit, vt excommunicatus absoluatur etiam post mortem, quamuis antequam decederet ex vita, exhibuisset signa contritionis, igitur excommunicatio durat etiam post mortem, ergo accidit communicatio post mortem non ex parte Defuncti, qui nihil agit, sed ex parte viuentis, qui agit, & hoc sufficit, c. Illud de Cleri. excom. Mini. Secus ob eandem rationem non incideret in ex- C communicationem minorem, qui communicaret furioso, vel Dementi excommunicato, qui caret vsu rationis, & voluntariè non agit, similiter si quis loqueretur excommunicato, & ille nihil responderet, non esset excommunicatus, hoc tamen falsum est, nam ad incurrendam pœnam Iuris ob participationem cum excommunicato non requiritur consensus excommunicati, neque verum est cessare in morte rationem, propter quam prohibita est participatio cum excommunicato, vt putat Host. Nam propter hanc pœnam citius inducuntur excommunicati in vita ad parendum, & satisfaciendum, nè afficiantur hoc dedecore post mortem, vt dixi in cap. septimo Disp. 10. Quare D Iure antiquo contrahebatur minor excommunicatio ex participatione cum excommunicato mortuo, tradendo corpus ipsius Ecclesiasticæ sepulturæ.

Quæ pœna aucta fuit postea in Clem. 1. De Sepult. vbi itá definitum legitur à Clem. V. in Conc. Viennensi, *Eos, qui propriæ temeritatis audacia &c Excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel vsurarias manifestos scienter sepelire præsumunt, Decernimus ipso facto excommunicationis sententiæ subiacere. à qua nullatenus absoluantur, nisi prius ad arbitrium Dioecesani Episcopi, quibus per præmissa fuerit iniuria irrogata, satisfactionem exhibuerit competentem nullo eis circa præmissa exemptionis, vel quouis alio priuilegio sub quacunq;* E *forma verborum concesso aliqualiter suffragante.*

Quarè ex dicta Clement. sunt excommunicati ipso facto excommunicatione maiori, qui cadauera publicè excommunicatorum ab homine, vel à iure (secundum Innoc. in c. Sacris De Sepult. & Silue. excommunicatio 9. §. 6. in princ.) in locis sacris sepeliunt, & non possunt absolui nisi prius præstita satisfactione ijs,

quibus

quibus fuerat iniuria irrogata.

Verum nonnullæ conditiones habentur in dicta Clement. quæ requiruntur ad incurrendam hanc excommunicationem, & ad recipiendam absolutionem ab eadem, quæ sigillatim declarandæ sunt, vt intelligatur, quando locus sit huic pœnæ, & quoties quis licitè ab ea excusari possit.

In primis hæc Constitutio Clementis Quinti est generalis, & amplectitur omnes sine vllo discrimine, Clericos, & Laicos, Regulares, & Seculares, exemptos, & non exemptos, viros, & fœminas, vt notat Glo. Ver. Eos, qui, & Anchar. ibidem in princ. Nam sub dictione, *Qui*, continetur dictio, *Quæ*, Quia masculinum concipit fœmininum, Glo. in cap. Generali Ver. Vniuersos De Elect. lib. 6. arg. cap. Si quis suadente 16. q. 4.

Deinde requiritur, vt scienter, & temerariè delinquatur contra hanc Constitutionem; Qui igitur sepeliret excommunicatum ignorans hãc prohibitionem, & fortiori ratione, si laboraret ignorantia facti non Iuris, quia traderet Sepulturæ corpus Defuncti, quem nesciret decessisse in excommunicatione, non incurreret pœnam Clement. Ad contrahendam enim pœnam ratione communicationis cum excommunicato requiritur scientia, vt in cap. Significauit, cap. Cum desideres De Sent. Excom. cap. Quicunque in princ. De Hæret. lib. 6. & ita notat Glo. in dicta Clemen. 1. Ver. Scienter, Anch. num. 2. Card. num. 1. Abb. in cap. Ad hæc nu. 1. de Priuileg. & alij omnes.

Sed dubitari potest circa hanc conditionem, an quælibet ignorantia excuset ab hac pœna, etiam si sit crassa, & culpabilis, Nàm in tex. puniuntur, qui propria temeritate ducti in hoc actu deliquerint, Temeritas autem dari non potest sine dolo, & ignorantia, quæcunque illa sit, excusat à dolo ff. Vi bono. rap. l. 2. §. Si Publicanus, & l. 1. De Ambitu, ergo erunt tantùm excommunicati, qui scienter, & præsumptuosè sepeliunt Excommunicatum, vt inquit Caiet. in Summa Ver. Excomm. cap. 46.

Contra, lata culpa in multis æquiparatur dolo, vt inquit Glo. in l. In actionibus Ver. Non etiam ob culpam, ff. De in li. Iuran. & interdum pœna incurritur ob latam culpam, vt est Glo. singul. in l. liberorum Ver. Non Iuris, ff. De his, qui notan. insa. Ignorare Ius est lata culpa. vt inquit Glo. in dicta l. In actionibus, ergo in re, de qua loquimur, ignorantia culpabilis Iuris, nempè huius Constitutionis, quod Excommunicatus in loco sacro non sit sepeliendus, non excusabit Transgressorem à pœna Excommunicationis, quoniam, vt notat Glosa in dicta l. In actionibus, propter solam contumaciam quis potest excommunicari sine dolo, Dolus enim, vt inquit Vlpia. in l. 1. ff. De Dolo malo, est machinatio, quæ fit alterius decipiendi causa, cum aliud simulatur, aliud agitur.

Respondeo ad dubitationem, quando sepeliens laborat etiam culpabiliter ignorantia facti, quia scilicet ignorat esse publicè excommunicatum, quem tumulat, qui tamen talis habebatur ab omnibus, non afficitur pœna dictæ Clem. 1. quæ requirit scientiam, & temeritatem in sepeliente ad pœnam incurrendam, vt notat Glo. ibi in Ver. scienter, & in cap. Quicunque Ver. Scienter De Hæret. lib. 6. & in cap. Apostolicæ De Cleri. Excom. Mini. Card. nu. 1. & Anchar. num. 2. in ead. Clem. Abb. in cap. Ad hæc. num. 1. De Priuileg. Silue. Excommunicatio 9. §. 68. Vers. Sextò quæritur, Caiet. in Summa Ver. Excommunicatio cap. 46. Ratio est, quia quocunque modo ignoretur Excommunicatio publica, Verum est dicere Non se-

A peliri Excommunicatum scienter. Et idem est dicendum, si id fieret ex graui metu propter verba illa textus, *Qui propria temeritatis audacia*, quæ ostendunt actum voluntariè, & spontè gestum nulla iusta, & rationabili causa impellènte, quamuis dolus non adsit. Simile habetur in cap. Periculosa Nè Cleri. vel Mona. lib. 6. Vbi pertractatur de Monacho, qui temerè, & sine rationabili causa habitum suæ Religionis dimittens ipso facto excommunicationem incurrit, à qua excusaretur, si iusta causa interueniret dimittendi habitum.

Quando vero sepeliens Excommunicatum, habet ignorantiam Iuris tantùm, non facti, tunc respondendum est alio modo, nàm si sit ignorantia probabilis.
B non contrahit hãc excommunicationem, quæ tamen ignorantia Iuris in foro exteriori non præsumitur, nisi probetur, Si verò sit ignorantia culpabilis, non excusat à pœna excommunicationis sepelientem Excommunicatum, nempè si talis sit, cui non licebat ignorare hoc Ius, Permittitur enim aliquibus personis ignorantia Iuris Positiui, vt dicitur in §. Notandum. 2. propè finem 1. q. 4. Vbi Glo. Ver. Omnis ignorantia post medium recenset quatuor genera personarum, quas ignorantia Iuris positiui excusat, scilicet Milites, Rusticos, Minores, & Mulieres, cap. Cum illorum De Sent. Excomm. Ad hunc modum respondent omnes Doctores paulò ante citati.

Tertia conditio similiter necessaria ad incurren-
C dam Excommunicationem dictæ Clement. est, quod Excommunicatus sepeliatur in Cœmeterijs, Nàm in in Clemen: exprimuntur Cœmeteria, & nomine Cœmeterij intelligitur omnis locus sacer deputatus sepulturæ fidelium, vt dixi in disp. decima, cap. septimo, siue sit Ecclesia, siue alius quicunque locus ab Episcopo benedictus, & ad hunc vsum deputatus, siue Ecclesiæ adhæreat, siue ab ea sit seiunctus, & separatus, & est communis sententia, Anchar. num. 4. Card. nu. 12. Abb. in cap. Sacris num. 3. De Sepult. Silue. Excommunicatio 9. §. 63. Vers. Tertio quæritur, ait oportere locum esse benedictum ad incurrendam hanc pœnam, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 137. Vers. Secunda, quod incurrunt.

D Hinc sequitur sepelientes in loco profano, siue publico, siue priuato nõ obstringi pœna eiusdem Clem. Quarè si sepeliatur Excommunicatus in via publica in agro, vel in domo, non erit locus huic pœnæ, vt notat Glo. in Ver. Cœmeterijs, Nauar. vbi supra.

Quarta conditio est, vt Excommunicatus, cuius corpus Christianæ sepulturæ traditur, sit publicè excommunicatus, Nàm verba Clem. hæc sunt, *Excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel Vsurarios manifestos*. Quarè pœna posita in Clement. incurritur solùm, vbi publicus Excommunicatus sepelitur.

Sed dubium est, quid nomine publici Excommuni-
E cati Summus Pontifex significari voluerit.

Nauar. in Manua. cap. 27. num. 137. existimat hodie post Extrau. Ad euitanda Martini Quinti dici posse publicè excommunicatos, quoad hunc effectum, Omnes, & solos illos, qui sunt denunciati excommunicati, Idem censet Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 39. Per publicè Excommunicatum oportere intelligere excommunicatum nominatim denunciatum, vel publicum Clerici percussorem. Hæc sententia confirmari potest ad hunc modum, Nàm dispositio Iuris antiqui, quoad communicationem cum Excommunicato, coarctata fuit per Concilium Constantiense

ad

ad præscriptum extrau. Ad euitanda in ordine ad ipsos fideles, qui communicant cum excommunicatis, licèt quantum ad ipsos excommunicatos non sit innouatum ius antiquum, sed remaneat integrum, sed per dictam extrauagantem prohibetur fidelibus tantum communicatio cum excommunicatis non toleratis ab Ecclesia, scilicet cum illis, qui nominatim sunt excommunicati per sententiam, & publicè denunciati, vel publici Clericorum percussores. Quarè interdictum erit fidelibus hoc tempore solum sepelire excommunicatum nominatim, & denunciatum, aut publicum Clerici percussorem, non alios etiam si sint publicè excommunicati, actio enim sepeliendi magis respicit viuentes, qui sepeliunt, quàm mortuos, qui se ipsos sepelire nequeunt, ideo non magis prohibetur communicatio in hac actione, quàm in alijs omnibus, quæ accidunt cum excommunicatis viuentibus, sed in alijs prohibita est tantum communicatio cum illis duobus generibus excommunicatorum, ergo etiã in hac actione sepeliendi excommunicatum; ad hoc facit cap. Vt Priuilegia de Priuil. Vbi priuilegium Religiosis concessum, vt possint sepelire fratres suos, tempore interdicti intelligitur; *Dummodo non fuerint excommunicati, vel nominatim interdicti*. Similiter Tex. in c. Episcoporum eod. tit. lib. 6. Vbi habetur: *Aut excommunicatos publicè, vel interdictos ad diuina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittant*.

Alij verò Doctores postulant tantum tanquam necessariam conditionem ad incurrendas pœnas Clem. vt excommunicatus, cuius cadauer sepulturæ traditur, sit publicus, nullam mentionem faciunt de denunciatione. Quare Abb. in cap. Exceptionem num. 27. Vers. Et per hoc infero, de except. tenet contra Glos. quod qui sepelirent excommunicatum scientes illum esse excommunicatum per sententiam à Iudice, quãuis excommunicatio non esset publica, neque manifesta, pœnas incurrerent dictæ Clem. & talis excommunicatus vocari posset publicè excommunicatus. Idem sentit Silue. excommunicatio 9. §. 67. Hoc dictum potest ratione comprobari; nàm, quod excommunicatus habeat Ecclesiasticam sepulturam, cedit commodo, & beneficio excommunicati, quia, vt probatum est in disp. decima cap. 6. ex sepultura Ecclesiastica plures proueniunt vtilitates, quibus priuatus est excommunicatus. ergo si quis scienter, & voluntariè audet contra Iuris prohibitionem funeris sacri honore prosequi cadauer excommunicati publicè, quamuis non sit denunciatus solemniter, delinquit contra Constitutionem ecclesiæ, meritò incurrit excommunicationem latam in dicta Clem. & si enim actio sepeliendi spectet ad fideles, quia mortuus non potest se ipsum sepelire, tamen effectus huius actionis dirigitur ad excommunicatum, voluit igitur Summus Pontifex punire eos, qui hanc actionem exercerent erga corpus excommunicati publici, quia, quod publicè factum est, nulli licet ignorare, cap. Quod dicitis 16. dist. cap. Ad hæc de Postul. Prælat. & ideo non prodest alicui, si dicat se ignorasse, cap. Ad probandum De Re Iudi. secus verò est, quando sepelitur occultè excommunicatus, tunc enim non incurritur pœna excommunicationis dictæ Clem. quia nemo potest diuinare, vt inquit Glosa in dicto cap. Ad probandum, Ver. Innodatus ex text. in cap. Vt nostrum vt Eccles. benef.

Hoc idem confirmatur, nàm in dicta Clem. imponitur eadem poena excommunicationis aduersus eos quoque, qui scienter præsumunt sepelire nominatim interdictos, vel vsurarios manifestos, sicut ergo quando scienter sepelitur nominatim Interdictus per sententiam Iudicis, quamuis non sit publicè denunciatus talis, incurritur excommunicatio, similiter quando sepelitur manifestus Vsurarius, Manifestus Vsurarius vocatur, vt inquit Glo. in c. 1. & 2. Ver. Manifestus De Vsu. lib. 6. Vel de Iure, quia confessus est in Iudicio crimen, vel de eo condemnatus per sententiam, vel de facto, quia factum est euidens, & nulla tergiuersatione celari potest, vt si teneat mensam paratam, aut si confessus sit crimen coràm Episcopo, vel sit probatum ex testibus, siue adsint certa argumenta cum fama, ità quoque dicendum videtur eiusdem excommunicationis vinculo innodari eum; qui publicè excommunicatum, sepelire præsumpserit, licèt non sit solemniter denunciatus; immò fortiori ratione hoc est asserendum, nàm ex sepultura excommunicati violatur, & polluitur Ecclesia, & indiget reconciliatione, & ante reconciliationem non possunt in ea celebrari officia diuina, neque fideles sepeliri, cap. Consuluisti De Consecr. Eccles. vel Alt & ossa Excommunicati, si discerni possunt ab alijs, exhumari debent, & procul proijci à loco sacro, cap. Sacris de sepult. Quæ minime statuta in iure leguntur, vbi sepelitur nominatim interdictus, aut manifestus Vsurarius.

Demùm ad idem addi potest auctoritas Glosæ in dicta Clem. Ver. Publicè in princ. De Sepult. Quæ sic habet: *Licet enim fatear illum publicè excommunicatum, contra quem publicè lata est sententia, licèt denunciatus non sit, cum prædicta decretalis ad probandum non dicat publicè denunciatum, sed publicè excommunicatum*, simili argumento licet dicere, dicta Clem. De Sepult. requirit tantum, vt publicè excommunicatus sepeliatur, nihil ait de denunciatione, ergo ad incurrendam illam pœnam non est necessaria denunciatio.

Propter has rationes opinio Abb. & aliorum, quos citaui, mihi videtur probabilior, ex qua infero, vt cohærenter loquamur, violari, & pollui Ecclesiam, si in ea sepeliatur corpus publici excommunicati, quamuis non sit vitandus, sed toleratus ab Ecclesia, idest non sit publicè denunciatus, neque manifestus Clerici percussor, licet oppositum sentiat Victoria in sua summa in materia De Eucharistia q. 90. cum ità ait; *Si in Ecclesia sepeliatur excommunicatus denunciatus* Ratio est, quoniam violatio Ecclesiæ sequitur ex sepultura excommunicati, sicut ex effusione seminis, aut sanguinis; Quare quoties constat in ea sepultum esse excommunicatum, etiam si non fuerit denunciatus, polluta est Ecclesia, & est reconcilianda, vt dictum est in cap. 6. Disp. decim. Et ità habetur in cap. Consuluisti de Consecr. Eccles. vel Alta. *Cœmeteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut in Dedicationibus Ecclesiarum fieri consueuit*.

Quamobrem huic sententiæ adhærentes dicimus excommunicationem latam in dicta Clemen. incurri quoties sepelitur excommunicatus publice, licet non sit denunciatus per Iudicem, sed modò inuestigãdum est, quis vocetur publice excommunicatus ad incurrendam hanc excommunicationem, difficile est enim hoc intelligere, & difficultas consistit in eo; an necesse sit, vt quis sit publice excommunicatus notitia facti, an verò sufficiat notitia iuris, Notorium facti dicitur vt notat Abb. in cap. Vestra num. 14. in fi. De Cohab. Cleri. & Mulie. id, cuius testis populus est, & non relinquitur locus dissimulationi, Archid. c. De Manife-

sta 2.

sta 2. q. 1. Vel alio modo est clara, & famosa locutio ex euidentia rei surgens, quæ tergiuersatione aliqua celari non potest cap. Tua nos De Cohab. Cleri. & Mulie. cap. Euidentia De Accu. Notorium Iuris est id, de quo quis condemnatus fuit per sententiam, vel id, quod quis confessus est in Iudicio; Vel tandē id, quod oritur ex clara, & indubitata probatione, sic enim explicatur notorium Iuris à Glo. in cap. Vestra Ver. Notorium De Cohab. Cleri. & Mulie. & Abb. ibi n. 14. Silne. V. Notorium §. 1. in fin.

Controuersia igitur est inter Doctores, An ad incurrendam poenam excommunicationis latam in dicta Clement. contra sepelientes excommunicatos, requiratur, vt excommunicatus, qui Christianæ sepulturæ traditur, sit publicè excommunicatus notitia facti, an verò sufficiat, vt sit talis notitia Iuris.

Glo. in ead. Clem. in Ver. Publicè, refert sententiam alterius Glos. in cap. Exceptionem Ver. Publicè De Excep. quæ affirmat satis esse, vt quis sit publicè excommunicatus euidentia Iuris, idest si sit excommunicatus per sententiam à Iudice latam in loco vbi publicè iudicare consueuit præsentibus officialibus suis, & partibus, vel altera parte absente per contumaciā. Sed hoc dictum non placet Glosæ in dicta Clem. Sed putat ad iudicandum quando quis dicatur publicè excommunicatus ad incurrendam poenam illius Clem. opus esse inspicere qualitatem fori, & ex consequenti videtur velle necessariam esse euidētiam facti, vt quis vocetur publicè excommunicatus, & non sufficere notitiam Iuris, nempè vt videamus, an, quando fuit pronunciata sententia, fuerunt præsentes multi officiales, an pauci, si enim fuit lata pluribus astantibus, vt merito præsumendum sit sepeliētes scire, vel saltem scire potuisse, & idcirco imputandum illis esse, si ignorauerint, quod publicè agebatur, tunc erit locus dictæ Clem. cap. Qui & humanis 12. q. 2. Alias dicetur occultus excommunicatus, quamuis sit à Iudice per sententiā in loco solito Iuris reddendi, & causas audiendi condemnatus. Huic Glosæ adhærent Anchar. in dicta Clem. nu. 6. Card. nu. 18. Idem tenet Io. Andr. in dicta Clem. vt refert Abbas in dicto cap. Exceptionem n. 2. De Except.

Vbi Abb. soluit hanc quæstionem distinguendo, vel agitur de poena incurrenda ob communicationem cum excommunicato publicè, vt in casu dictæ Clem. 1. De Sepult. & tunc temporis non sufficit, quod quis sit publicè excommunicatus euidentia Iuris, sed requiritur, vt sit talis euidentia facti quia verba sunt accipienda in arctiori significatione; Ne quis puniatur præsertim sine culpa; Sæpè enim contingere potest, vt id ignoretur, quod à Iudice gestū est in suo Tribunali coram paucis. Verum si tractetur in ordine ad ipsum excommunicatum, excommunicatio dicenda est publica, si ipse excommunicatus interfuit, quando fuit prolata sententia, vel saltem si fuit ad hoc citatus; Id enim, quod in Iudicio geritur, dicitur notorium, cap. Vestra, & cap. fin. De Cohab. Cleri. & Mulie. Immò etiam id, quod ex probatione constat, dicitur manifestum, cap. Olim De verbo. signif.

Quamobrem secundum Abb. non afficiuntur pœna dictæ Clem. Sepelientes excommunicatum publicè euidentia Iuris, si non sit etiam publicus notitia facti, dummodo sepelientibus id non innotuerit, scilicet illū fuisse excommunicatum per sententiam Iudicis, quo casu sepelientes incurrerent poenam Clem. quia talis excommunicatus vere dicitur publicus notitia Iuris, quamuis excommunicatio non esset nota multis, sed esset occulta euidentia facti. Verùm si esset occulta de Iure, & de facto licet Sepelientes illam minimè ignorarent, non inciderent in pœnas Clement. quæ requirit tanquàm conditionem necessariam, vt Excommunicatus, qui sepelitur, sit publicè excommunicatus. Hæc est sententia Abb. quem sequitur Silue. Excommunicatio 9. §. 67. Vers. Secundò quæritur, Et ità videtur sentire Caiet. in sum. Ver. Excommunicatio cap. 46.

Felin. in cap. Exceptionem nu. 41. De Excep. non videtur probare sententiam Abbatis, Ait enim quod cum Clem. 1. De Sepult. respiciat pœnam facientis actum cum publicè excommunicato, æquissimum esse, Verbum, Publicè, ibi non sumi pro notitia Iuris, sed facti, Idcireo si quis per sententiam fuit excommunicatus, & hoc non est publicum, & manifestum apud Populum, si alter gerit cum illo actum, non incurrit pœnam legis punientis agentem actum cum Excommunicato non simpliciter, sed publicè excommunicato.

Nàm quando aliquis est per sententiam excommunicatus, dici quidem potest palàm excommunicatus, non publicè, Et hæc duo valdè differunt inter se Palàm, & Publicè, Nā palàm dicitur fieri, quod fit etiam ab vno coràm aliquibus, sed verbum Publicè est potentius, Vndè si Testis dicat, scio, quia publicè dicitur, probat famam.

Ad id affert testimonium But. & Dom. in cap. Illa in fi. De Elect. asserentium eum dici notoriè excommunicatum, qui excommunicatur in publica actione, vel in prædicatione, vel in Ecclesia, præcipuè in solemnibus festiuitatibus, Vnde expressè censent Excommunicationem latam pro Tribunali non efficere propriè notorium excommunicatum.

Facit etiam. cap. 1. De Postul. Prælat. Ver. Publicè promulgatur, Vndè deduxit Feder. cons. 212. cuius initium est, super Themate, quod Edictum publicè fieri dicitur, quando promulgatur in locis præcipuis Ciuitatis, Et idem notat Imo. in c. 2. col. 10. De Constit. & ibi Abb. in fi.

Ex his varijs modis respondendi vnum colligi potest tanquàm certum, in quo conueniunt omnes Doctores, Nimirum Excommunicatū publicè in Clem. 1. De Sepult. significari illum regulariter, qui non tantùm de Iure, sed etiam de facto est publicè excommunicatus, ad hoc, vt ipsum Sepelientes incurrant pœnam eiusdem Clem.

Sed quod versatur in controuersia apud Doctores, est, An Sepelientes excommunicatum incidant in dictas pœnas, quando est publicè excommunicatus de Iure tantùm, quia sit per sententiam Iudicis condemnatus, licèt factum non sit manifestum, & publicum, si tamen notum sit ipsis Sepelientibus.

Qua in re mihi magis probatur opinio Abb. quàm aliorum, nempè quod in tali casu locus sit pœnis dictæ Clem.

Primò quoniam finis illius Clem. 1. De Sepult. est afficere Excommunicatum hac ignominia, & dedecore, vt corpus eius post mortem careat Ecclesiastica sepultura, Propterea imponit pœnam Excommunicationis aduersus Sepelientes, adiecta hac conditione, si Excommunicatus sit publicè, quia tunc præsumendum est Sepelientes scire, vel saltem est eis imputandum, si ignorant, quod publicè scitur, vt inquit Glo. in dicta Clem. in verb. Publicè, ergo quando aliqui sepeliūt Excommunicatum publicè de Iure, nempè per sententiam condemnatum, & sciunt illum esse

excom.

excommunicatum, incidunt in illã pœnam, quoniam sepelitur scienter publicè excommunicatus ad præscriptum Clem. & Christiani funeris obsequio honestatur Excommunicatus contra prohibitionem Ecclesiæ, Et si secus dicamus, lex carebit frequentius fine suo.

Confirmatur, quoniam sicut quãdo statutum Episcopi priuat beneficio Excommunicatum publicè, si in Excommunicatione per annum insorduerit, intelligitur habere locum in eo, qui fuit publicè excommunicatus de Iure tantum, quamuis Excommunicatio non sit nota, & manifesta de facto, & hoc in odium ipsius Excommunicati obdurato animo in Excommunicationis contumacia persistentis, vt inquit Felin. vbi supra, Ita quoque pari ratione, quando sacri Canones imponunt pœnam excommunicationis Sepelientibus Excommunicatum publicè, incurritur hæc pœna, si sepeliatur Excommunicatus condemnatus per sententiam Iudicis, quamuis Excommunicatio non sit publica euidentia facti, dummodo sit nota ipsis Sepelientibus, Et id in odium Excommunicati, vt eo citius à contumacia recedat, Maximè cum Clem. non requirat, vt sit notorie excommunicatus, sed vt sit publice excommunicatus, Notorium enim videtur aliquid plus indicare, quàm publicum, notorium nanque significat id, quod adeo est commune, & publicum, vt a nemine ignoretur, & est omnibus, & singulis manifestum, & ad hunc modum accipitur notorium in cap. Tua nos De Cohab. Cleri. & Mulie. Vnde, quando in materia pœnali, & odiosa fit mentio de notorio, debet accipi pro notorio facti, non Iuris, vt notat Abb. in c. Dudum num. 7. De Elect. Quare potest aliquid dici publicum, quod non sit notorium, vt inquit Abb. in cap. Exceptionem numero 27. in fi. De Except.

Iam igitur satis patet ex dictis, quæ conditiones sunt necessariæ ad incurrendam pœnam Excommunicationis latam in Clem. 1. De Sepult. aduersus eos, qui Ecclesiasticæ sepulturæ tradunt corpus Excommunicati.

Quæ Excommunicatio nõ est reseruata, vt inquit Caiet. in Summa Ver. Excommunicatio cap. 46. in fi. ideo potest ab illa absoluere Episcopus Ordinarius, Card. in dicta Clem. 1. num. 30. De Sepult. & in Clem. 1. Ver. Si quis num. 4. De Reb. Eccles. non alien. Sed absolutio impendi non debet, nisi prius ad arbitrium Diœcesani Episcopi competens satisfactio exhibita fuerit ijs, quibus iniuria irrogata fuit.

CAPVT II.

Explicantur quædam dubia de eadem Materia.

IN primis Glo. in dicta Clemen. Ver. Eos, quibus, quærit, qui sint ij, quibus irrogatur iniuria ob sepulturam Excommunicati, Et respõdet forte significari illos, quorum fauore fuerat lata sententia Excommunicationis, Item, vt inquit Card. n. 31. in fine, possunt intelligi Clerici, quibus inuitis Excommunicatus in eorum Ecclesia sepultus fuit.

Rursus quæri potest, An absolutio præstita non præmissa satisfactione illis quibus iniuria irrogata fuit vt disponit Clem. sit valida, & teneat.

Glo. in Clem. 1. Ver. Nullatenus absoluatur De Sequestr. Poss. & fruct. vbi similia verba leguntur, sicut in Clement. 1. De Sepult. scilicet, *A qua nullatenus absoluatur*, tenet absolutionem concessam non adhibita huiusmodi satisfactione non tenere, Quia hanc

A vim habet dictio illa negatiua, Nullatenus, Sequitur Card. n. 31. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 137. in fi. Ratio est, quia tribuitur facultas absoluendi hoc modo, ergo si omittatur, non valet absolutio, Nàm quando præcipitur aliquid sub certo modo, si quis peccat in opere, & in modo, aut in altero tantùm, non valet id, quod agitur, Glo in cap. vlt. Ver. Alterum ad modum De Restit. spolia. quia forma mandati diligenter est seruanda, cap. Cum Dilecta De Rescript. cap. Venerabili De Offic. Deleg.

Sed contra opponi potest, nam cum in dicta Clem. 1. De Sepult. Summus Pontifex non apposuerit decretum irritans, non videtur voluisse irritare Absolutionem aliter traditam ab Episcopo, non seruata illa

B forma, sed tantum præscribere voluisse Episcopo, quo pacto gerere se deberet in huiusmodi Excommunicatione relaxanda, ergo absolutio, non præmissa satisfactione, erit valida, sed Episcopus absoluens peccaret, & puniendus esset, arg. ca. Dilectus. 2. De Præben. Vbi Papa mandat Capitulo, vt quendam in Canonicum recipiant, & Præbendam vacantem conferant, Canonici de mandato Papæ certiores facti, conferunt præbendam alteri, & talis collatio, quamuis esset contra mandatum Summi Pontificis, remansit in suo robore, & valida ob eam causam, vt notat Glo. Ver. Duxerint conferendum in fi. *Quia non erat apposita illa clausula in literis Summi Pontificis, Quod si contra feceritis, id decernimus irritum, & inane.* Idem habetur in

C Tex. & Glo. in cap. Si soli De Concess. Præb. lib. 6. cap. Decet in fi. De Immun. Eccles. eod. lib. cum alijs citatis per Glo. in Clement. 1. Ver. Inhibentes De Iure Patron.

Respondendum est, quod licet non fuerit adiectum Decretum irritans in dicta Clem. 1. De Sepult. adhuc tamen absolutio præstita ab Episcopo non præmissa satisfactione iuxta formam eiusdem Clem. erit nulla, & inualida, Nam sufficit, quod legislator prohibuerit, ne aliter impendatur absolutio, l. Non dubium C. De legi. c. Quæ contra De Reg. Iur. lib. 6. sicut etiam in cap. 1. §. officiales De Off. ordi. lib. 6. Innocentius Quartus prohibet, ne Vicarius Archiepiscopi præsen

D te Archiepiscopo in Prouincia audeat proferre sententias censurarum in Episcopos Suffraganeos ob reuerentiam, non adijciendo Decretum irritans, Vbi Glo. Ver. Non attentent in fi. quærit, quid si Vicarius contra formam dictæ Constitutionis excommunicet Episcopum, an teneat Excommunicatio, & respondet tenere, quia speciale est in his sententijs, quod iniustè latæ valeant, ergo generaliter in quocunque alio genere prohibitio legislatoris sufficit ad irritandum actum sine alio decreto, Ad cap. Dilectus cum alijs citatis De Præb. dicitur, quod idcirco Collatio Præbendæ contra mandatum Summi Pontificis fuit valida, quoniam Episcopus non recipiebat Ius conferendi præbendam ex mandato Papæ, sed habebat iure ordi-

E nario. Quare cum Papa in mandato non addiderit decretum irritans, factum tenuit, sed Episcopus erat puniendus vt in dicto cap. Si soli De Concess. Præb. lib. 6. in Clem. Vni. de Iudæ. At in Clem. 1. De Sepult. confertur iurisdictio Episcopo ad absoluendum à Papa seruata certa forma. Quare si Episcopus formam præscriptam nõ seruet, deficit iurisdictio, facit l. Cum hi §. Si Prætor ff. de transact. & l. Magis §. Si æs alienum, ff. de Re. Eo. qui sub tu. vel cur. Glo. in dicta Cle. 1. Ver. Inhibentes De Iure patro.

Tertiò quæri potest, an hæc pœna Excommunicationis incurratur ab his, qui in loco sacro præsumit sepe-

sepelire alios quibus Iure denegatur Ecclesiastica sepultura vltra casus in dicta Clem. expressos, nempè si audeant sepelire tempore Interdicti in casibus non concessis à Iure excommunicatos publicè, nominatim Interdictos, & Vsurarios manifestos.

Respondet Glo. in dicta Clem. Ver. Subiacere hanc pœnam Excommunicationis locum non habere in alijs casibus, præterquam in enumeratis. Qui sint alij casus, in quibus Ecclesiastica sepultura est interdicta, recenset Glo. in cap. Ex parte. 2. Ver. Communicabatur De sepult. cap. Monachi Ver. sepulturam, cap. Cũ ad Monasterium Ver. In sterquilinio De sta. Monach. & nos recensuimus supra disp. Decima cap. 6.

Quarto quærit Glo. in dicto Ver. Subiacere; Quid dicendum de illo, qui sepulturæ tradit manifestum Vsurarium excommunicatum publicè, nominatim interdictum, & tempore Interdicti, nunquid vno, vel quadruplici vinculo excommunicationis obstrictus remaneat.

Respondet Glo. siue talis sepeliens in prædicto casu vnica excommunicatione ex pluribus causis, siue quatuor excommunicationibus sit obstrictus, certum esse de omnibus satisfactionem exhibere debere ad præscriptum Clem. & ab omnibus absolutionem esse accipiendam, cap. Ex parte De Off. Ordi. cap. Cum pro causa, cap. Officij De Sent. Excom. & in ijsdem locis Glo.

Et ratio est; quia siue sit vnica sententia lata ex pluribus causis æquè principalibus, quarum quælibet sit sufficiens causa excommunicationis, siue sint plures sententiæ ex pluribus causis, vtrouis modo dicamus, non potest simpliciter, & absolutè tolli tale vinculum, ita vt reus possit dici non excommunicatus, & eius communio non sit prohibita, nisi vel totidem sententiis absolutionis, quot fuere sententiæ excommunicationum, vel vnica sententia, in qua fuerint expressæ omnes causæ excommunicationis, absolutus fuerit, vt explicabitur in cap... disp...

Sed quoad difficultatem propositam, An talis sepeliens in casu narrato incurrat vnicam, aut plures excommunicationes, diuerso modo respondent Doctores, Card. in dicta Clem. nu 29. inquit Paul. sensisse, Talem sepelientem esse ligatum quatuor excommunicationibus, & idem ait Silue. Excommunicatio 9. §. 68. Vers. Sexto quæritur ex sententia Io. And. Contra Io. Georgius voluit vnicam esse excommunicationem, sicut qui pluribus actibus simul sine temporis mora percutit Clericum, non pluribus, sed vnica obstringitur excommunicatione.

Verum ad hanc dubitationem simpliciter respondendum est sepelientem manifestum Vsurarium, qui simul sit publicè excommunicatus, & nominatim interdictus, tempore interdicti quatuor excommunicationibus innodari iuxta regulas, quas tradidi in cap. 8. Disp... ad cognoscendum numerum excommunicationum; Nam quoties quis violat vnico actu legem habentem plures circumstantias, quæ singulæ sint prohibitæ sub censura excommnnicationis, tot incurrit excommunicationes, quot circumstantiæ violantur, quia licet illæ circumstantiæ materialiter sint coniunctæ in vna, & eadem persona, formaliter tamen sunt distincta peccata in specie, & moraliter sunt plures transgressiones; Exemplum, vt si quis percutiat Clericum, qui simul Monachus sit, duo committit peccata, & duas contrahit excommunicationes, & hęc responsio placet Card. loco citato, quia vna, & eadem persona ratione diuersarum qualitatum subit vicem

A plurium personarum formaliter, cap. Cum olim De Re Iudi. cap. Postulastis De Concess. Præb. cap. A Collatione De Appella. lib. 6.

Quinto queritur, An sepelientes excommunicatum in Coemeterio sine recitatione diuini Officij, & absque Clericis innodentur vinculo excommunicationis.

Silue. Excommunicatio. 9. §. 70. Vers. Decimo quid de Sepelientibus, tenet probabilius esse asserere; Non obstringi excommunicatione; Quia est constitutio poenalis, quæ est arcto modo intelligenda, quamuis puniri possint pœna arbitrarie, quoniam generalem prohibitionem contemnere videntur, cap. Engeltrudam 3. q. 4.

B Oppositum tamen videtur verius, quod incurratur hæc excommunicatio, siue sepeliatur excommunicatus in loco communi, & profano seruato ritu, & more Christianorum, quem consueuit adhibere Ecclesia in sepeliendis fidelibus, siue è contra tumuletur in loco sacro priuatim prætermissis ceremoniis; Quoniam Clem. prohibet, nè Excommunicatus sepeliatur in loco sacro; Verum Christiana, siue Ecclesiastica sepultura dicitur tam locus ab Episcopo benedictus fidelium sepulturæ dedicatus, quàm religiosus actus, & officium sepeliendi, vt paulò post probabo ex sententia B. Antonini, & aliorũ de ijs, qui tumulant hæreticos. Et propter hanc rationem eisdem poenis afficiuntur Clerici sepelientes Excommunicatum cum C psalmis, orationibus, & officio diuino in loco communi extra Ecclesiam, secus enim, vt inquit Silue. sepelirentur semper hoc modo cum honore excommunicati sicq; eluderetur Clem.

Sexto quærit Card. nu. 32. An corpora, seu ossa eorum, qui sepulti sunt in loco sacro contra prohibitionem dictæ Clem. sint exhumanda.

Hæc est secunda pœna excommunicatorum post mortem, & aliorum in dicta Clem. damnatorum; Non solum enim prohibentur sepeliri in loco sacro, sed si de facto Ecclesiasticam receperint sepulturam, exhumari debent, & proiici longè ab Ecclesia; Quod est intelligendum, vt inquit Card. ex sententia Glo. Ver. D Eis, quibus in tribus casibus, si tamen horum ossa ab ossibus aliorum fidelium discerni, & separari possunt, cap. Sacris De Sepult.) scilicet quando sepulti sunt publicè excommunicati; Nominatim interdicti, aut Vsurarij manifesti; Non autem in quarto casu, quando tempore interdicti fidelium corpora sepulturæ Ecclesiasticæ traduntur, si pœnitentes decesserint; Quamuis enim non debuerint sepeliri, non exhumantur tamen, saltem post relaxatum interdictum, Glo. in cap. Si Ciuitas Ver. Sepeliri De Sent. Excom. lib. 6. ex sententia Innoc. cap. vlt. nu. 7. De Excess. Prælat. arg. cap. Cum illorum De Sent. Excom.

Immo Glo. in cap. A nobis 2. Ver. Forma seruetur. Eod. tit. idem affirmat de corpore Excommunicati, si E sepultum fuerit in Ecclesia, scilicet non esse exhumandum, si contritus decesserit, & addit. exhumandum esse, si alibi extra Ecclesiam sepultum fuerit, & post traditam absolutionem in Coemeterio sepeliendum, cum iam sit coram Deo absolutus, arg. cap. Tunc vera 11. q. 3.

Quod si Priuilegiati, & Exempti à Iurisdictione Episcopi admiserint Excommunicatos ad sepulturã, & noluerint extra Cœmeteria eijcere, Episcopus potest, & debet hoc exequi, vt habetur in cap. Ad hæc De Priuileg. ibi; Quod si facere noluerint: *Tu hoc de his, quos in excommunicatione defunctos esse constiterit,*

exe-

A *exequaris*, Abb. cap. Sacris num. fin. de sepultur.

Non posset tamen Episcopus impedire, ne priuilegiati Christiani funeris honore, excommunicati corpus prosequerentur, si ita vellent contra Ecclesiasticã Constitutionem, quia non competit Episcopo talis auctoritas in loco exempto contra priuilegiatos, sed liceret ei vti alio remedio, ne excommunicatus sepeliretur in loco sacro, nempe impedire, antequam corpus transferatur ad locum exemptum, ita dicit Abb. loco citato, & in c. Patentibus n, 5. c. Tuarum nu. 8. De priuileg.

Hæc eadem pœna peculiari quadam conditione, & circumstantia aggrauatur contra eos, qui scienter præsumunt sepelire hæreticos, vel eorum credentes, B receptatores, aut fautores in c. Quicunque. de hæret. lib. 6. illis verbis, *Nec absolutionis beneficium mereantur, nisi proprijs manibus publice extumulent, & proijciant huiusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetua careat sepultura*. Ex quibus duplex grauamen colligitur in odium, & detestationem hæresis; Alterum vt qui incidit in excommunicationem. quia sepeliuit, hæreticum, non mereatur beneficium absolutionis, quousque proprijs manibus publicè extumulauerit, & proiecerit ab Ecclesia huiusmodi cadauer damnatorum; Quare non satisfacit, si per alium id fieri procurauerit, Glo. ibi Ver. Proprijs manibus, Archid. num. 7. Idem in cap. Nulli. Ver. De huius proprio iuramento, de Elect. Vnde infert Franc. in dicto capit. C Quicunque num. 3. Quod vbi aliquid debet fieri proprijs manibus, numquam fieri potest per alium, Facit. cap. Si verò Vers. Propria manu, de sent. excom. & Glos. Vers. Proprium, cap. Vt circa de Elect. lib. 6. & tenetur publicè extumulare; Quod videtur intelligere Glo. Ver. Publicè, habere locum; quando hæreticus publicè traditus fuerit sepulturæ, & reddit hanc rationem, *Nam quæ publicè peccantur, publicè emendentur cap 1. de pœnit. & remiss.* Ergo si actio sepeliendi fuit occulta, non est digna publica pœnitentia. Sed Archid. videtur de hac re dubitare; nam si actio sepeliendi publica est, nulla contingit dubitatio, quod sepelientes publicè tenentur satisfacere, quia publica noxa publico eget remedio. Quare D frustra adderetur dictio, Publicè, Igitur siue publicè, siue priuatim tumulatio fiat, sepeliens debet publicè exhumare. Simile habetur c. Quidam 5. q. 1. Verum ex opposita parte videtur obstare inquit Archid. Quod occulta peccata secreta satisfactione, publica manifesta pœnitentia expiari debent. Concludit Archid. & soluit dubitationem ex notatis per eũ in dicto cap. Quidam, & censet additam esse dictionem illam, Publicè, vt comprehenderetur casus, quando crimen sepeliendi esset publicum, & ignoraretur sepeliens, tunc enim procedi posset contra eum in genere, vt publicè errorem suum confiteretur. Alterum granamen est, quod ille locus, scilicet illud Cœmeterium Ecclesiæ, in quo sepulti sunt huiusmodi damnati, redditur in- E habile, ne in eo fideles sepeliri possint, & prohibetur, ne expiari, & reconciliari possit, sed perpetua carere debet sepultura. Hoc tamen puto esse intelligendum de loco illo proprio, & adæquato, in quo depositum fuit corpus hæretici, non autem de Ecclesia tota, aut Cœmeterio, tum quia pœnæ sunt coarctandæ, tum etiam quia tunc multo minus deceret, vt in tali Ecclesia post reconciliationem diuina officia celebrarentur, quæ maiorem loci sanctitatem, & excellentiam postulant, quam sepultura, quod tamen est falsum.

A Sed quæri posset hic; an hæc excommunicatio afficiat tantum eos, qui sepeliunt hæreticus in loco sacro, vel sit vniuersaliter, & complectatur illos quoque, qui corpora hæreticorum in prophano loco tradunt sepulturæ, sed more Christianorum sacris Ecclesiæ ceremonijs adhibitis cum psalmis, & orationibus.

B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 5. in fin, putat prohiberi non solum, ne talium cadauera in Cœmeterio Ecclesiastico tumulentur, sed neque alibi ad modum Christianorum, sed foras ab Ecclesiastica sepultura iactari debere in signum perpetuæ damnationis. Idem prorsus asserit Archid. in dicto cap. Quicunque nu. 7. & Siluest. Excommunicatio. 9. §. 58. addens secundum mentem Archid. incidere in hanc pœnam, qui B corpora hæreticorum inueniens in agro Christianorum more tumulat. Idem sentit Ang. Excommunicatio 7. casu 28. & Ver. Hæreticus §. 19. Hæc opinio mihi videtur probabilior, licet aliqui oppositum sentiant ob eam rationem, quoniam pœnæ sunt restringendæ; verum hoc est intelligendum in re dubia, & ambigua, quæ accipi possit propriè secundum diuersas significationes, tunc eligenda est mitior interpretatio in pœnis, nunquam tamen est recedendũ à propria significatione verborum, vt restringamus pœnas, sed accipiendæ sunt secundum eam latitudinem, quam verba legis admittunt secundum propriam interpretationem. Quare cum cap. Quicunque impo- C nat pœnas aduersus eos, qui cadauera hæreticorum, & cæt. Ecclesiasticę sepulturæ tradere præsumpserint, amplectitur non tantum eos, qui tumulant cadauer in Cœmeterio, sed illos etiam, qui Ecclesiastico ritu sepeliunt extra sacrum locum, nempe cum vexillo Crucis, cum psalmis, & orationibus; hoc enim vt inquit Siluest. est sepelire more Christianorum; vnde Ecclesiastica sepulrura pluribus modis dicitur, vt notat Glos. in § Item quæritur 13. quæst. 2. & inter alios ipse actus, & officium, quod celebrant Clerici in funere defuncti, vocatur Ecclesiastica sepultura, cap. Placuit 23. q. 5. cap. Questa. 13. q. 2. quia est conuitio, sine qua de more fideles sepeliri non solent.

D Accedit, quod hæc prohibitio Ecclesiasticæ sepulturæ imposita est in ignominiam, & dedecus hæretici; at non minori honore afficiuntur defuncti, si adhibitis sacris ceremonijs, & solemnitatibus, Christianorum more ad sepulturam deferantur, quam si in Ecclesia tumulentur; igitur existimandum est Ecclesiam æquali pœna illud, sicut hoc, interdicere voluisse in signum perpetuæ damnationis, cap. Cum ad Monasterium §. 1. de stat. Monach. Idem tenet Bernard. Diaz in sua praxi Canonica cap. 115. in fin. ex sent. Io. de Anan. de pœna priuationis ab officio, quæ statuitur in cap. Excommunicamus 1. §. Credentes Vers. Sane Clerici de Hæret. aduersus Clericos, qui hæreticos fautores & cæt. Ecclesiasticæ sepulturæ tra- E dere præsumunt; & existimat Clericos incurrere prædictam pœnam quomodocunque intersint sepulturæ prædictorum,

Sed dubitari potest, an vltra pœnam excommunicationis, de qua in dicta Clement. incurratur etiam irregularitas, si Clericus cadauer excommunicati sepulturæ tradat. Ratio dubitandi oritur; quoniam ex communicatione cum excommunicato viuente in rebus sacris contrahitur irregularitas, vt probatum est in cap. 2. præcedentis Disput. Sed sepultura Ecclesiastica est res sacra; similiter idem dubitabatur si Clerici recitent psalmos prosequendo funus excommu-

municati, vel cantent officium diuinum ad corpus A ipsius, aut alium honorem Christiano more fidelibus Defunctis debitum, excommunicato exhibeant. Augetur difficultas ex cap. Super eo de Rapto. vbi de Presbyteris, & Clericis, qui sepulturæ Raptoris, de quo ibi est sermo, interesse, vel eleemosynas recipere attentauerint, hæc dicuntur, *Ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur*. Et quod disponitur de Raptore, maiori ratione est intelligendum de excommunicato, cui & Ecclesiastica sepultura, & omnis Christiani funeris pompa denegatur; cum tamen Raptor possit in Cœmeterio sepeliri, sed Clerici interesse prohibeantur, vt notat Glo. Ver. Sepulturæ, (quod est intelligendum, quando pœnituit in morte, & satisfacere non potuit) secus si decessit in peccato rapi- B næ, vt animaduertit Abb. nu. 6.

1. Respondeo ex hoc delicto non incurri Irregularitatem ob illam generalem regulam, cap. Is, qui de sentent. excommun. lib. 6. quod Irregularitas non incurritur, nisi in casibus Iure expressis; at in Clemen. 1. de sepultur. inter alias pœnas ibi relatas nihil habetur de Irregularitate, & in citato cap. Super eo imponitur pœna perpetuæ depositionis per sententiam Episcopi inferenda, non Irregularitatis, vt ibi inquit Abbas num. 2. Et illa pœna fertur ab ipso Iure peculiariter in hoc genere peccati rapinæ, quæ non est extendenda ad alios casus, vt notauit Abb. ibi Ver. Nota primò. Quamuis igitur grauiter peccet, qui cadauer excommunicati Ecclesiasticæ sepulturæ trade- C re præsumit, & ex tali communicatione contrahat maiorem excommunicationem, vt probatum est, nulla tamen irregularitatis nota afficitur. Ita dicit Specul. lib. 1. de Dispens. §. 4. nu. 30.

2. Dubitatur secundò, an Sacerdos fiat irregularis, si sepeliat aliquem in Cœmeterio, in quo scit fuisse sepultos aliquos excommunicatos.

3. Respondeo non incurrere Irregularitatem; nam quamuis Cœmeterium maneat interdictum, donec reconcilietur capit. Consuluisti de consecr. Eccles. & Alt. tamen non est expresse Iure cautum, vt ob id incurratur irregularitas, ita dicit Speculator nu. 29.

4. Tertiò dubitari potest de eo, qui celebrat in Eccle- D sia violata ob sepulturam excommunicati, antequam sit reconciliata.

5. Respondetur similiter non incurri Irregularitatem proximè, & immediatè ratione huius delicti, Siluest. Consecratio 2. §. 9. Quoniam nulli gi in Iure expressum habetur.

Dicet quis, licet non sit expressum sub specifica ratione, est tamen expressum sub generali ratione Interdicti; quoniam, vt habetur in cap. Is, qui de sent. excommunicationis lib. 6. qui celebrat in loco interdicto, est irregularis, sed Ecclesia violata est interdicta.

Respondeo impedimentum violationis Ecclesiæ non esse censuram Ecclesiasticam interdicti, sed esse E aliud genus impedimenti, & inhabilitatis loci; addit tamen Siluester in dicto §. 9. ex sententia Lapi, quod qui celebrat in Ecclesia violata, manet ipso Iure suspensus ab ingressu Ecclesiæ, capit. Episcoporum de Priuileg. lib. 6. Vnde si postea cum hac suspensione in Ecclesia celebraret diuina suo fungens officio, sicut prius, esset irregularis dicto cap. Is, qui.

Sed hæc pœna suspensionis non desumitur ex illo textu; ibi enim statuitur pœna suspensionis aduersus eos, qui celebrant in loco interdicto, sed locus violatus effusione sanguinis, aut seminis, vel ex sepultura excommunicati propriè non vocatur interdictus, loquendo de Interdicto, vt est censura Ecclesiastica, vt euidenter apparet eodem cap. Is, qui, Quo ostenditur non incurri irregularitatem ex celebratione in Ecclesia polluta sanguine, aut semine, vel præsente excommunicato; ergo talis violatio Ecclesiæ, non est Interdictum Ecclesiasticum, quod fertur per sententiam hominis, quo posito, si diuina celebrentur, oritur Irregularitas cap. 1. de Postu. Prælat. cap. Apostolicæ de Cleri. excom. Mini. & idcirco non contrahitur Irregularitas, si celebretur in Ecclesia violata, nec immediatè, nec mediatè, etiamsi repetita sæpius fuerit celebratio.

B Postremò de sepultura excommunicatorum restat quærendum, qui dicantur sepelire excommunicatum ad effectum incurrendi pœnas Clem. 1. de sepultur. Sed hæc difficultas commodius pertractabitur separatim in Cap. sequenti.

CAPVT III.

An omnes dantes operam funeri, & sepulturæ Ecclesiasticæ ipsius excommunicati incurrant pœnas Clement. 1 de sepult. contra sepelientes excommunicatos an aliqui solum, & qui.

C Haec quæstio adeo difficilis, & ardua visa est Glo. in dicta Clement. Vers. Sepelire, vt dixerit ad eam dissoluendam magis desiderandam esse Principis declarationem, quam interpretis opinionem; Nam dubitari potest de ijs, qui ad sepeliendum, excommunicatum portant, non tamen sepeliunt, an peccent, & excommunicati sint; Item de Prosequentibus funus. Tertiò de fodientibus terram; de Ecclesiarum Ministris, qui patiuntur, vt excommunicatus sepeliatur; de ferentibus Crucem; de pulsantibus Campanis, & de reliquis alia parantibus ad sepeliendos mortuos solita, & secundum Prouinciæ consuetudinem requisita.

D Glo. primò probat eos tantum ex hoc actu sepeliendi teneri, qui humo, tumulouè mortuum condunt, & non alios, qui reliquas functiones subeunt, quia si vniuersi sepelire mortuum dicerentur, qui quidpiam faciunt, quod ad sepeliendum pertinet, Ecclesia in suis Constitutionibus non prohibuisset sepelire simpliciter, sed alia omnia, quæ recensuimus.

Accedit, quod Iura quandoq. prohibent in Cœmeterio sepeliri; vt in dicta Clem. cap. Ad hæc de Priuileg. cap. Is, cui de sent. excom. lib. 6. nonnunquam in Cœmeterio tumulari, cap. Sacris de Sepult. Interdum Sepulturæ tradi, cap. Quia in omnibus de Vsur. cap. Quicunque de Hæret. lib. 6. Aliquando ad sepulturam admitti, cap. Quamquam de Vsur. lib. 6. c. Epi- E scoporum de Priuileg. eod. lib. Quandoq. sepulturæ Clericos interesse, cap. Super eo de Rapto. Interdum corpora cum psalmis ad sepulturam duci, capit. Placuit vigesima tertia quæst. quinta. Alibi iubent sepultura carere, capit. 1. de Torneam. capit. Omnis de Pœnitent. & Remiss. Nonnunquam præcipiunt extra Cœmeterium subterrari, capit. Cum ad Monasterium de sta. Monach. Interdum permittunt cum silentio tumulari, cap. Quod in te de Pœnit. & Remiss. Cum ergo Clem. puniat sepelientem, non admittentē, interessentē, vel cooperantem, & sepelire

sit humo, vel tumulo mortuum condere, videtur se- qui solos illos, qui excommunicatum humo, vel tumu lo post mortem imponunt vinculo excommunicationis obstringi, & videtur æquitati consonum, vt ex vnico funere non innodentur multi.

Deniq. portantes pheretrum, comitantes funus, fodientes terram, si non sepeliatur excommunicatus, nō sunt excōmunicati, si punitur solus actus sepeliēdi.

Ex opposita parte probat Glo. Vniuersos, quos diximus comprehendi, alias facile eluderetur citata Clem. & debito frustraretur fine contra c. Commissa de Elect. lib. 6. & cap. Significauit de Iudic. nam frequens populus funus excommunicati prosequi posset, eidem magna Clericorum turba interesse, infimus autem, ac nullius pretij homo excommunicatum in sepulturam collocare.

Tandē Glo. non declarat, quid sentiēdum sit tāquā probabilius, sed relinquit hāc quæstionem indecisam.

Ex Doctoribus variæ, & diuersæ colliguntur responsiones ad hanc difficultatem.

Card. in dicta Clem. n. 23. in fin. putat solos sepeliētes, & mandantes sepeliri esse excommunicatos, sepelientes intelligit illos, qui actu mortuum humo, aut tumulo condunt, & probat ex Glo. citata. De mandantibus autem dicit probari ex cap. Mulieres de senten. excom. Nec propterea dicta Clem. erit ludibrio; nam satis prouisum est huic incommodo, excommunicando ipsos sepelientes, & auctoritatem præstantes.

Petrus Anchar. ibidem qu. 10. ex sententia Steph. tenet tāquam indubitabile innodari excommunicatione deferentes funus, comitantes, aperientes sepulchrū, Clericos, siue Laicos portantes vexilla Crucis; similiter Rectores, & Prælatos Ecclesiarum, qui id fieri patiuntur, cum prohibere possunt, cap. Quantæ de sent. excom. quod habet locum, vt notat Card. vbi supra, quando is, qui non prohibet, est in dolo, secus si imputetur de sola negligentia. Rationem huius dicti, reddit, quoniam omnes dicti participant sepelientibus in crimine damnato sepeliendi, & ideo eadem sententia obstringuntur, cap. Nuper §. In secunda, & c. Si concubinæ de sent. excom. Verum hæc ratio non probat, vt notat Card. quoniam cap. Nuper, & cap. Si concubinæ loquuntur de communicantibus in crimine damnato, postquam excommunicatio iam est contracta, & assignatur ratio in dicto cap. Nuper, quoniam sic communicans delinquit in ipsum, qui excommunicauit, sed alia ratio est, vbi quis communicat alteri in actu, per quem ille contrahit excommunicationem, sicut accidit in proposito casu de participantibus cum ijs, qui excommunicatum sepeliunt.

Siluest. Excommunicatio 9. §. 70. refert varias opiniones tantum, & quam ex illis tanquam probabiliorem sequatur, tacet.

Caietanus in Summa Ver. Excommunicatio c. 46. putat appellatione Præsumentium sepelire in dicta Clem. intelligi solos sepelientes, quibus vere, & proprie tribuitur actio sepeliendi; Et licet huiusmodi sepelientes sint homines inferiores in Ecclesijs, & infimæ conditionis, nihilominus cum verba legis pœnalis sint accipienda in propria significatione, & non sint extendenda, cum summus Pontifex puniat solos sepelientes, apparet noluisse comprehendere mandantes, dantes consilium, & fauorem, & alios similes, sicut in quibusdam alijs casibus, de quibus in sacris Canonibus. Huic opinioni videtur adhærere Nauar. in Manual. cap. 27. nu. 137. Ver. Quinto, quod solum; non enim audet affirmare omnes, qui prosequuntur funus

A in quocunque numero sint innodati excommunicatione ex actione vnica hominis sepelientis.

In hac opinionum varietate censeo media via incedendum, & ab extremis declinandum; quamobrē coarctare verba Constitutionis, vt amplectatur illos solum, qui cadauer excommunicati humo tumulant, puto improbabile esse, & contra intentionem Summi Pontificis, cuius propositum est punire sepelientes in odium, & detestationem excōmunicati, voluit enim enim hac ignominia, & dedecore excommunicatum afficere, vt post mortem careat honore, & sacra pompa Christiani funeris; at Christiana sepultura est non solum corpus in Ecclesia humo recondere, sed psalmis, diuino officio, & alijs sacris ceremonijs B ad sepulturam adducere; ergo æque hoc secundum, sicut primum, prohibere voluit, præsertim cum non minus gloriæ, & dignitatis de Defuncto apud omnes concipiatur ex solemni funere, quam ex tumulatione in loco sacro.

Adde, quod si hoc modo explicemus, fortasse nunquam locus esset pœnæ huius Clem. quoniam ad collocandum cadauer in sepulchro deputātur infimi Ministri Ecclesiæ, quos vt plurimum contingit, quia homines rudes sunt, & simplices, ignorare probabiliter, vel Defuncti excommunicationem, vel huius Clem. prohibitionem, vel si sciant, & recusant sepelire, facili negocio compelli possunt ad opus exequēdum, vnde meritò Glo. Ver. Sepelire dixit Clementinam C ludibrio fore, si hoc modo illam interpretemur.

Contra verò interpretari Clem. vt generaliter comprehendat omnia genera hominum, quos superius enumeraui, similiter eos, qui lauant corpus excommunicati, qui induunt vestes, & alios, qui quouis modo sepulturæ excommunicati intersunt, videtur nimis lata explicatio, cum non sit verisimile Summum Pontificem voluisse ex vnico actu sepeliendi excommunicatum, ingentē fidelium numerū vinculo obstringere.

Quamobrem ad propositam quæstionem ad hunc modum respondendum esse puto, vt dicamus.

Primò eos omnes excommunicatione obstringi ob sepulturam excommunicati, qui ea præstant, & eam adhibent operam in tali funere, sine qua corpus ex- D communicati non fuisset Christianæ sepulturæ traditum, vt qui deferunt funus, & qui effodiunt tumulum; qui humo recondunt, qui mandant hæc fieri, qui auctoritatem præstant, Prælatus, & Clerici illius Ecclesiæ vbi corpus excommunicati sepelitur, qui eum possent, & tenerentur ex officio impedire, non impediūt, Sacerdotes, qui recitant officium diuinum Defunctorum, vbi defertur ad sepulturam. Quæ excommunicatio non incurritur à supradictis, nisi postquam fuerit sepultus excommunicatus sequuto scilicet effectu, sicut iaciens telum in Clericum, si eum non attingat, non est excommunicatus.

Probatur, nam omnes enumerati cooperantur, vt E excōmunicatus habeat Christianā sepulturam, & sunt causa proxima, vt Christiano more sepeliatur, quod Sūmus Pontifex voluit prohibere; non enim requiritur ad incurrendam excommunicationē, vt quis totā actionē sepeliendi exerceat, sed satis est, vt tanquā causa partialis ad illā concurrat, sicut si duo homines se inuicem adiuuent, vt corpus excommunicati in sepulchrum immittant, & humo tegant, ambo erunt excommunicati, licet vterque sit causa partialis, ita incidunt in excommunicationem, qui corpus deferunt, qui effodiunt tumulum, quia sepelire includit has actiones, & qui eorum aliquid egerit par-

tia-

tialiter, vere dicitur ſepelire, quod ſufficit, vt excommunicationem incurrat.

Idem videtur dicendum de Clericis, qui cantant officium Defunctorum, & recitant pſalmos, quamuis enim hæc actio non ſpectet ad ſepulturam ſimpliciter, pertinet tamen ad Eccleſiaſticam, ſeu Chriſtianam ſepulturam, vt probatum eſt Cap. præcedenti, eadem ratione erunt excõmunicati, qui auctoritate ſua præcipiunt hæc fieri, quibus etiam propriè actio ſepeliendi tribuitur, arg. c. Mulieres §. Illi vero de ſent. excom. Vbi ille verè dicitur committere, cuius auctoritate, vel mandato delictum committi probatur; idq. apertè colligi videtur ex verbis eiuſdem Clem. *Eos, qui propriæ temeritatis audacia non ſine contemptu Clauium Eccleſiæ &c.* Quibus ſignificantur illi, qui auctoritate, & B imperio ſunt in cauſa, vt excommunicatus in Cœmeterio ſepeliatur. Eodem modo alligantur excommunicatione Prælati, & Clerici Eccleſiæ, in qua ſepulturæ traditur excommunicatus, ſi ſcienter non impediunt, cum poſſent facilè; & tenerentur impedire ex c. Quantæ de ſent. excõ. vbi dicitur, *Eos delinquẽtibus fauere interpretamur, qui cũ poſſint manifeſto facinori deſinũt obuiare.*

Secundo dico non innodari vinculo Cenſuræ dictæ Clem. illos qui eas operas præſtant, quibus etiam non adhibitis ſepeliri tamen Chriſtiano more excommunicatus poteſt, & ita eorum operæ neceſſario non poſtulantur, vt qui lauãt corpus excommunicati; qui induunt illud veſtibus, qui funus proſequuntur; qui Cruces, Cereosq. ferunt; qui pulſant Cãpanas, & ſimiles. C

Probatur, quoniam huiuſmodi actiones non proximè, ſed valde remote referuntur ad opus ſepeliendi; vnde ſi contingat fidelem in Eccleſia ſepeliri prætermiſſis conditionibus enarratis, non propterea dice- A tur ſepeliri, Chriſtiano, vel Eccleſiaſtico ritu prætermiſſo; nam pulſatio Campanarum, delatio Crucis, & Luminum, licet adhibeantur ad Chriſtianam ſepulturam, non tamen ſicut officium diuinum, & recitatio pſalmorum, ſed tanquam res extrinſecæ, & accidentariæ; idcirco nullibi in Iure reperiuntur prohibitæ, ſicut aliquando legimus de officio diuino, vt in c. Super eo de de Rapto. ne Clerici ſepulturæ interſint, cap. Placuit 23. q. 5. Ne corpora cum pſalmis ad ſepulturam ducantur; quod vbi legimus prohibitum, interdicta etiam apparet Eccleſiaſtica ſepultura.

Sed quamuis non incurrant excommunicationem Maiorem dictæ Clem. qui illas actiones exercent in funere excommunicati, peccant tamen, & contrahũt Minorem excommunicationem ex tali participatione cum excommunicato poſt mortem, lauando enim mortuum, vel veſtiendo, vel ſociando incurritur excommunicatio Minor, vt notat Abb. c. Ad hæc n. 2. in fin. de priuileg.

Quamobrem corpus Defuncti propter excommunicationem priuatur omni honore Eccleſiaſtico, quod defunctis exhiberi ſolet, ſed donatur ſepultura canina, vt inquit Glo. in d. cap. Placuit Ver. ad ſepulturam; idcirco Clerici non poſſunt recipere oblationes pro defuncto excommunicato, cap. Sacris, cap. A nobis de ſent. excom. quia vetitum eſt, ne aliquod Eccleſiaſticum obſequium excommunicato impendatur; nam quamuis oblatio ſit potius ſolatiũ viuentium, quam ſubſidium mortuorum, vt dicitur in cap. Animæ 13. quæſt. 2. & explicaui in Cap. 4 Diſp. xij. Voluit tamen Eccleſia, vt hoc ſolatio priuentur viuentes in odium excommunicati, quia id non fieret ſine aliquo honore excommunicati.

DE EODEM TERTIO EFFECTV EXCOMMVNICATIONIS.



CONSTAT ex dictis, quæ culpa, & pœna contrahatur ex participatione cum excommunicato, modo videndum eſt, an aliqua ratione hæc participatio admitti licitè, & ſine peccato poſſit. D

Quinque ſolent à Doctoribus aſſignari cauſæ, propter quas Iure permiſſa eſt communicatio cum excommunicato, quæ hoc verſiculo communiter ſignificari ſolent, & refertur à Glo. in c. Cum deſideres Ver. Præſtitum de ſent. excom.

Vtile, lex, humile, res, ignorata, neceſſe.
Hæc quinque ſoluunt Anathema, ne poßit obeſſe.

Gregorius enim Septimus, & refertur in cap. Quoniam multos 11. q. 3. cum videret quotidie excommunicationis cauſa homines illaqueari, volens huic malo, & incommodo opportune prouidere, cenſuram ex hac communicatione cum excommunicato prouenientem temperauit prudenter, vt non incurreretur, ſi cauſa communicationis eſſet vtilitas, Neceſſitas, aut titulus aliquis legitimus; & hæc cauſæ ſignificantur illis quinque vocibus enarratis, ſingulæ in hac Diſputatione erunt explicandæ.

Sed antea obijci poteſt ex textu in c. Nulli de ſent. excommun. Vbi præcipitur etiam omnibus priuilegiatis ex priuilegio Papæ, vt excommunicatos vitare debeant; igitur nulla poteſt aſſignari cauſa, quæ valeat excuſare ab huiuſmodi vetita excõmunicatione.

Reſpondet Abb. in dicto cap. Nulli n. 1. textum illũ intelligendum eſſe de priuilegio Papæ abſque cauſa conceſſo. Quando vero filijs, vxoribus, famulis, & ſimilibus permittitur, vt communicent cum excommunicatis, id habent ex priuilegio Papæ cum cauſa incluſo in corpore Iuris, cap. Reſponſo, cap. Cum voluntate, cap. Quod in dubijs, cap. Inter de ſentent. excommun. & cap. Quoniam multos 11. q. 3.

Sed rurſus opponitur, quia priuilegium conceſſum à Papa valet, etiam ſi nulla adſit cauſa, quia Papa eſt E ſupra Ius poſitiuum, & quod excommunicatus ſit vitandus, Iuris eſt poſitiui, Papa vero etiam ſine cauſa poteſt diſpenſare in Iure poſitiuo, & illud tollere; cap. Propoſuit De Conceſſ. Præb. Innoc. cap. Cum ad Monaſterium de ſta. Regul.

Reſpondent Abb. Idcirco non poſſe Papam concedere ſine cauſa, vt licita ſit communicatio cum excõmunicato, quia eſſet tollere vſum communem, & cõſuetudinem totius Eccleſiæ, quod ſine ſcandalo fieri non poſſet, & tolerandum non eſset, cap. Etſi illa. 1. quæſt. 7. Innoc. in cap. Quanta De conſuet. & in cap. Inquiſitioni De Sent. Excom.

DISPVTATIO XV.

De causis, quæ excusare possunt fideles à peccato, & Censura, si communicent cum Excommunicato.

Caput Primum, De explicatione primæ causæ, quæ significatur dictione illa Vtile.

Caput Secundum, De secunda causa, quæ denotatur particula illa Lex.

Caput Tertium, De Tertia causa Excusationis, quæ significatur per verbum Humile.

Caput Quartum, De Quibusdam dubiis circa communicationem cum Excommunicato ratione tertiæ causæ explicatæ præcedenti capite.

Caput Quintum, De aliis duabus causis excusationis, scilicet quarta, & quinta, quæ designantur duobus extremis verbis illius Versiculi, Res ignorata, Necesse.

CAPVT I.

De explicatione primæ causæ, quæ significatur dictione illa Vtile.

VTilitas est primum caput excusationis, cuius gratia permissa est communicatio cum excommunicato. Per vtilitatem intelligitur necessitas quædam moralis ad consequendum aliquid melius, & sic C distinguitur ab vltima dictione *Necesse*, quâ denotatur necessitas simpliciter.

Quamobrem primò propter vtilitatem propriam potest quis communicare cum Excommunicato in Iudicio, & extra; Quarè Creditor poterit in Iudicio vocare suum Debitorem, cap. Intelleximus De Iudi. aliter excommunicatio Debitoris esset detrimento, & incommodo Creditori sine culpa sua.

Extra Iudicium licet petere ab excômunicato consilium pro nobis, si ab alio æquè idoneo consilium non speramus, & etiam pro alijs in re admodum graui, & necessaria dicto cap. Intelleximus, cap. Cum voluntate, cap. Responso De Sent. Excom. Palud. in 4. dist. 18. q. 6. Gabr. q. 3. Ange. Excommunicatio 8. nu. 6. & D alij. Similiter Infirmus potest Medicum excommunicatum vocare, quando non occurrat alius ita idoneus, & peritus in arte. Deniq; quoties opera excommunicati nobis necessaria fuerit, & ab alio haberi non possit licet nobis communicare cum excommunicato, quia excommunicatio non fertur in damnum aliorum fidelium.

Immo non solum propter nostram vtilitatem possumus vti consortio excommunicati, sed etiam id licet ob vtilitatem ipsius excommunicati, quando est necessitas quædam ad melius esse, possumus enim illû corrigere, & monere, vt resipiscat à contumacia, docere illum, quæ ad spiritualem salutem animæ ipsius conferunt, cap. Responso, cap. Cum voluntate De E Sent. Excom. Eadem etiam communicatio permissa est propter corporis indigentiam; Quare possumus excommunicato erogare eleemosynam nô solum vbi constitutus est in graui necessitate, tunc enim obligaret præceptum Eleemosynæ, Ecclesia enim non vult punire excommunicatum, vt fame pereat; Sed etiam ob communem indigêtiam, si sit pauper ad exercendam misericordiam, & pietatem, quam fideles exhibere solent erga communes inopes, & indigentes, & colligitur ex cap. Quoniam multos 11. q. 3. Adrian. q. 3. De Claui. Riccard. dist. 18. art. 11,

A Clemens Romanus lib. 2. Apostolicarû Constitutionum cap. 11. monet Episcopû, ne excommunicatû semel, atq; iterum arceat; Neq; etiam Dominus recusabat cû Publicanis, & Peccatoribus edere; Et cû propterea Iudęi eum arguerent; Dicebat, bene valentes nô indigere Medico, sed qui morbo correpti sunt; Tandê concludit, vt Episcopus cum excommunicato sermonem habeat, & conuictum, & curet eum consolari, ac fulcire nè immoderato dolore ad amentiam tendat.

Ob eandem vtilitatem, seu moralê necessitatem ad melius habendum ipsemet excommunicatus potest cum alijs communicare. Primo ob vtilitatem spiritualem animæ. Vnde potest audire conciones aliorum, Gabr. in 4. dist. 18. q. 3. dub. 5. B

Possunt etiâ excômunicati ab alijs petere consiliû eo modo, quo alij possunt ab excômunicato, similiter petere ab alijs, vt intercedant pro ipsis, præsertim ad Absolutionê obtinendam, hoc enim maxime Ecclesia desiderat, & idcirco licet Rescriptû ab excômunicato impetratum à Sede Apostolica, nihil ei suffragetur, vt dicam inferius suo loco, tamen si impetratû sit ad obtinendâ absolutionê, validû est, c. 1. De Rescript. lib. 6.

Præterea sicut excômunicato indigenti corporali subsidio licite subuenimus, ita ipse Indigens licite potest illud procurare; Quia magis naturale, & propriû est, vt quis sibi succurrat, quam vt alij id præstent, vt Gabr. loco citato dixit.

Si obijcias Extrau. Ad euitanda; Vbi conceditur alijs fidelibus cômunicatio cum excommunicato non denunciato, quod ipsi excommunicato non licet.

Respôdeo esse diuersam rationê; Quia hæ actiones, de quibus tractamus, pertinent ex lege quasi naturali ad bonum naturę, seu personę ipsius excômunicati; At côcessio Extr. est priuilegiû concessû non excommunicatis communicandi cum excommunicatis non denunciatis in omni genere actionum.

Deinde dici potest Per Extrau. prohiberi, ne excommunicatus non denunciatus extra casus necessitatis, de quibus nunc agimus, cômunicationem ciuilê cum alijs inchoet, si tamen prouocetur ab ipsis, nô peccat, si cum eis communicet, quia hoc modo fauori aliorum D consulitur, alias inane esset priuilegium Extrau.

CAPVT II.

De Secunda causa, quæ denotatur particula illa Lex.

VOce illa *Lex* intelligitur Lex Matrimonij, nam quamuis alter Coniux sit excômunicatus, licet alteri communicare non solû in petitione, & redditione debiti, sed etiâ in gubernatione familiæ, & reliquis obsequijs mutuis inter Coniuges, nisi forte excommunicatio lata esset in causa Matrimonij; Quia de validitate Matrimonij dubitaretur, An esset legitime côtractû 11. q. 3. c. Quoniam multos, Nam si esset sentêtia lata aduersus alterû Coniugem propter Matrimoniû illicite contractum; Tunc Coniux non excommunicatus non potest cômunicare cû altero; Si vero est lata propter aliud delictum, possunt inuicem participare.

Quare Vxor permanere potest cû marito excom. & colligitur ex illo c. Quoniâ multos 11. q. 3. Est doctrina cômunis, B. Tho. 3. par. q. 23. ar. 1. Sot. dis. 22. q. 1. ar. 4. Silu. Excômunicatio 5. §. 4. Ang. Excommun. 8. n. 7. Caie. in Sûma c. De Participatione cû excômunicato.

Sed posset meritò quærere aliquis, an hoc dictû sit etiâ intelligendû, quãdo contractum est Matrimoniû cum homine, qui iam erat excommunicatus; nam certum est tale matrimonium validum esse, cap. Si partia-

gnificaſti de eo, qui dixit in matr. quã polluitper adul.

Aliqui videntur aſſerere poſt huiuſmodi matrimonium non poſſe vxorem incipere habitare cum marito, neque exigere, aut reddere debitum, donec ille ab excommunicatione abſoluatur, quia nemo ex iniquitate ſua commodum reportare debet.

Sed oppoſitum eſt probabilius, & probari poteſt; quoniam ſi matrimonium contractum cum excommunicato eſt validum, iam ex eo oritur vinculum naturale, ſicut quamuis filius naſcatur tempore, quo pater eſt innodatus excommunicatione, eſt tamen ſub eius poteſtate, & tenetur illi communicare. Vnde Glo. in cap. Inter alia. Ver. Agente de ſenten. excommunicationis dixit capit. Quoniam multos, vbi Gregorius permittit quædam genera perſonarũ poſſe communicare excommunicatis ſine periculo Anathematis; nempe Vxores, Liberos, Seruos, Ancillas, ſeu Mancipia, necnon ruſticos ſeruientes, & cæt. quo ad quaſdam perſonas in illo cap. Enumeratas, non conſtituere aliquid noui, ſed declarare Ius naturale, ſcilicet quantum ad filios, Seruos, Ancillas, & Vxorem, quantum ad alios conſtituere nouum Ius, nempe quoad ruſticos, & mercenarios, qui iure humano alteri ſubijciuntur. Nec ſolum licet vxori manere cum viro excommunicato, ſed non poteſt ab illo recedere, vt inquit Io. Andr. in cap. Abſolutos de Hæretic. ſicut poteſt, & debet relinquere virum hæreticum, vt ibi Ioan. And. per text. in c. Sic enim 28. q. 1.

Si poſtules, an maritus excommunicatus non ſolum poſſit reddere vxori debitum, ſed etiam liceat ei petere, Gloſ. in cap. Quoniam multos 11. q. 3. negat, cuius dicti illa poſſet aſſignari ratio, quamuis Glo. illam non afferat; quoniam hæc permiſſio facta à lege, vt ex hac cauſa non ſit interdicta conſuetudo cum excommunicato non reſpicit fauorem ipſius excommunicati, ſed alterius indigentis communione ipſius excommunicati; propterea maritus excommunicatus tenetur reddere debitum vxori; priuatus tamen manet Iure petendi; talis enim facultas reſpicit beneficium, & commodum ipſius excommunicati tantum; ego tamen oppoſitum ſentio, quia ſi tunc excommunicatus non poſſet ab vxore debitum petere, Mulier non teneretur reddere; obligatio enim viri, & vxoris ſe inuicem conſequitur, quo enim caſu vnus Coniux priuatus eſt iure petendi; alter liber eſt ab obligatione reddendi, ſed vxor non ſolum poteſt, ſed tenetur præſtare marito excommunicato ea omnia obſequia, ad quæ tenebatur ante excommunicationem, cap. Inter alia de ſent. excommun. Vbi Innocentius Tertius reſpondet ad petitionem quæſtionis cuiuſdam ortæ ex permiſſione Gregorij VII. in illo c. Quoniam multos, communicandi abſq. peccato cum excommunicatis ex quibuſdam cauſis ibi expreſſis; quam conceſſionem aliqui interpretabantur, vt liceret aliquibus perſonis communicare cum excommunicatis; alij vero aſſerebant decretũ illud Gregorij huiuſmodi perſonis imponere obligationẽ communicandi concurrentibus cauſis expreſſis. Ad hanc poſtulationem reſpondet Innocentius teneri eos communicare excommunicato, qui prius erãt obligati ad obſequia familiaria, nempe Vxores, filij, Serui, alios vero non teneri, ſed interdum poſſe neceſſitate vrgẽte. Sed reddere debitum eſt præcipuum, quod licitè ab ipſa ſolum Coniuge haberi poteſt; nam reliqua obſequia poſſunt miniſtrari ab alijs; ergo vxor tenetur reddere debitum viro excommunicato, ſicut ante excommunicationem tenebatur; igitur & vir excommunicatus poterit illud petere ab vxore.

Non poteſt tamen ſponſa eſſe cum ſponſo excõmunicato, tum quia ſponſa non eſt vxor l. ſi qua §. 1. ff. de tit. nup. tum etiam quia ſponſa non poteſt ante benedictionem ſacerdotalem in eadem domo cohabitare cum ſponſo etiam non excommunicato, vt cauit Cõc. Trident. ſeſſ. 24. c. 1. ergo multo minus cum excõmunicato. Non liceret tamen vxori eſſe cum marito excommunicato, quãdo cum eo alius eſſet excommunicatus, ne alterius excõmunicati cõmunione vteretur.

Si verò vxor ſit excommunicata, Silu. Excommunicatio 5. §. 4. tenet maritum non poſſe cum ipſa manere. Oppoſitum ſentit B. Th. 3. par. q. 23. art. 1. ſequitur Caiet. in ſumma, Ang. Excommunicatio 8. nu. 8. Nauar. in Manual. cap. 27. n. 27. Couar. in c. Alma part. 1. §. 1. n. 8. quoniam vir, & vxor pari conditione tenentur, c. Gaudemus de Diuort. Et confirmatur, quoniã maritus excommunicatus obſequijs vxoris non priuatur; ergo multo minus, ſi vxor eſt excommunicata; hoc tamen eſt intelligendum, quando vir non poteſt corrigere vxorem, & recipit ab ea neceſſaria, ſi tamen non curat, vt abſolutionem petat, & recipiat, cũ ſit eius caput, cap. Cum ſit caput 33. q. 5. peccat mortaliter, c. Negligere 2. q. 7. & communicando incidit in minorem excommunicationem. Quod ſi adhibuit omnem operam, vt corrigeret, & nõ potuit, tunc permiſſa eſt cõmunicatio cum illa in ijs, ad quæ ipſa tenetur, vt in copula, & in regimine domus, non autem in menſa, aut familiari colloquio, & cæteris huiuſmodi, & videtur ſententia Glo. receptæ in dicto c. Quoniam multos, quæ affirmat maritum, patrem, dominum non poſſe communicare vxori, filijs, & famulis excõmunicatis, ſcilicet in ijs actibus, qui non ſunt debiti ex aliqua obligatione.

Sed petere poſſet quis, quid dicendũ, quando vterque Coniux eſſet excommunicatus.

Reſpondeo eſſe eandem rationem, ſicut ſi alter tãtum eſſet excõmunicatus quia iam probauimus excommunicatum poſſe petere debitum; ergo alter tetur reddere, ſed eſt cauendum, quando vterq. Coniux eſt excommunicatus, ne per mutuam communicationem alter alterius foueat contumaciam, maximè ſi propter vnum, & idem crimen ſunt excommunicati, tunc enim eſſet cõmunicatio in crimine, & conſequenter nouum peccatum mortale; quod etiam accidere poteſt, ſi alter Coniugũ tantum excommunicatus eſt, & vnus eſt in cauſa, vt alter in excommunicatione obdureſcat, erit enim communicatio in crimine, quod præcipuè cõtingere poteſt, quãdo vxor eſt excõmunicata, ſi maritus negligat corrigere, ſicut dictum eſt.

CAPVT III.

De tertia cauſa Excuſationis, quæ ſignificatur, per verbum Humile.

SEquitur tertia dictio *Humile*, qua ſignificantur omnes illi, qui aliqua legis obligatione ſubijciuntur alteri; quare filij, ſerui, familiares poſſunt cũ parentibus, dominis excommunicatis communicare, & tã ſerui domeſtici, quam ruſticani dicto c. Quoniã multos, Antoni. in c. de minori excõmunicatione incipien. Secunda ſpecies, Silu. Excõmunicatio 5. §. 4. Ang. Excommunicatio 8. n. 11. Sot. diſt. 22. q. 1. art. 4. Et vocantur ſerui, qui ſub dominio alterius ſunt, quocunq. titulo ſint redacti in ſeruitutẽ Iure, vel iniuria; nõ ſufficit tamen, vt ſint ſub dominio, niſi ſimul maneant cum ſuis dominis, & cum illis viuant; propter hanc enim

rationem conceditur priuilegium; Vndè si seruus non esset sub potestate Domini, vel vt separatim ageret vitam, vel si alteri inseruiret aut voluntate Domini, aut ex alia causa, tunc iudicandum esset de illo, sicut dicemus de filio emancipato, non enim posset communicare cum Domino, nisi in ijs, quæ debita essent Domino, titulo, & occasione dominij, non in alijs.

Et præter seruos in eodem cap. Quoniam multos. 11.quæst.3.enumerantur alij seruientes, quibus idem priuilegium concessum est his verbis: *Vt rustici sint, vel non adeo curiales, vt eorum consilio scelera perpetrentur*.

Summus igitur Pontifex vult alios seruientes immunes esse à Censura, si communicent cum Dominis excommunicatis, dummodo non dederint consilium, aut auxilium Dominis suis ad crimina perpetranda, propter quæ excommunicatio lata fuit, tunc enim nō gauderent aliquo priuilegio; Qui enim criminis particeps est, eximi non meretur; Quare si seruiens dederit consilium, aut auxilium, antequam dominus esset excommunicatus ad crimen committendum, tunc consideranda est forma sententiæ excommunicationis, si enim lata est non solum in agentes, sed etiam in Consulentes, & adiuuantes, seruiens simul Domino eandem excommunicationem incurrit, & ità duplici ratione vitare debet Dominum, & propter excommunicationem illius, & propter suam, sed si excommunicatio solum fertur in principaliter agentes, tunc directè non comprehendit seruientem, qui auxilium dedit, tamen obligat ipsum, nè cum Domino excommunicato communicet sub censura excommunicationis, quia ob participationem criminis exemptus non est ab huiusmodi onere, sed si dederit auxilium, aut consilium post excommunicationem contractam à suo Domino, tunc communicat criminoso in crimine, & incidit in eandem excommunicationem.

Eadē ratio extenditur etiā ad Nutrices, & ad alios secundum Hostien. Qui contraxerunt ex contractu, communicandi obligationem, vel alio modo erant antea obligati, quando sine incommodo abstinere non possent, quia non haberent aliunde, quomodò viuere possent, arg. cap. Si vere De Sent. Excom. Vbi excusantur, qui cum excommunicatis Venetis conuenerunt de transfretando contra Saracenos; Idem est sentiendum de Milite, qui militat sub Duce excommunicato; Potest enim Domino suo excommunicato communicare, quamuis non cum ijs excommunicatis, quibus Dominus suus participat.

Sed petes, An necesse sit, vt subiectio illa seruitutis, in qua fundatur hæc exemptio, inita sit ante excommunicationem Domini, & ità etiam de filijs erga Parentes.

Nonnulli negant simpliciter hoc esse necessarium, quoniam Gregorius in illo cap. Quoniam multos 11. q. 3. absolute loquitur, & hanc conditionem non requirit, quod si in cap. Inter alia De Sent. Excom. Innocētius Tertius id affirmauerit de ijs, qui ante excommunicationem tale debitum contraxerunt, non tamen negauit de alijs.

D.Tho. generaliter de Seruis, filijs, & de omnibus, qui sub hac dictione *Humile* continentur, illam conditionem necessariam esse dicit; Idem asserit Ang. Excommunicatio 8. nu. 11. Quare vt hæ personæ priuilegiate ratione subiectionis non incurrant Censuram, si communicent cum suis Superioribus, requiritur, vt vinculum subiectionis ante excommunicationem contraxerint; Vel si postea ortum sit, sine violatione

A Censuræ, oriatur, sicut accidit in filijs, qui geniti sunt à Patre iam excommunicato, si enim ex legitimo matrimonio nati sunt, sine vllo peccato cōcipiuntur, cum Maritus excommunicatus licitè cognoscat vxorem suam, si vero ex illicito concubitu acquirantur, licet excommunicatus censuram violet, dum per fornicationem male filium generat, quia post excommunicationem participat cum muliere, quod ei interdictum est, tamen filius genitus nihil egit contra excōmunicationem, & non potest à se separare naturale vinculum, quod contrahit per generationem erga Patrem, ideo excusatur, si communicet cum Patre. Si autem Sermo sit de filio adoptato, videtur diuersa ratio; Ille enim videtur non posse, nec debere cohabi- B tare cum Patre, quia adoptatio non potest fieri sine consensu Adoptantis, & Adoptati; Vnde oritur aliqua communicatio, quæ prohibita est, atq; ità ex vtroque extremo fieret iniuria excommunicationi. Sed si interueniret ignorantia probabilis in Adoptato, quæ excusaret illum; tunc non esset improbabile dicere posse Adoptatum vti priuilegio Iuris communicandi cum Adoptante excommunicato.

Et idem dicendum est de Clericis illis, qui deseruiunt Episcopo, & sunt familiares, & commensales illius, qui possunt communicare cum Episcopo excommunicato, non titulo subiectionis Episcopalis, sed ratione famulatus, nam mercede, & stipendio sunt con- C ducti: Vnde communicare possunt in his, quæ domestica sunt, & familiaria, non in Episcopalibus; Quia cum Episcopus per excommunicationem sit priuatus vsu spiritualis Iurisdictionis; Subditi quoque sunt priuati omni vsu spiritualis subiectionis respondentis tali Iurisdictioni, & ex consequenti sunt priuati omni communicatione.

Maior est controuersia de Monachis, & alijs regularibus erga Abbatem, vel alium Superiorem excommunicatum, Nam Riccardus, Palud. & alij in 4. Sent. dist. 18. negant licitam esse communicationē, Adrian. Silue. & Sot. dist. 22. quęst. 1. art. 4. affirmant propter cohabitationem, & familiaritatem necessariam in- D ter Religiosos, & Prælatum suum, quam vitare non possunt.

Sed dicendum est Monachos quatenus subditos nō posse cum suo Prælato communicare ob rationem adductam, quia cum Prælatus sit priuatus Iurisdictione, & subditi sunt liberi à subiectione, & ita non licet eis communicare cum Prælato. Qua in re potest admitti tantum illa exceptio de Monachis, qui peculiariter deputati essent obsequijs Prælati, sicut dixi de Clericis. At verò Monachos quatenus Monachos posse cohabitare cum suo Prælato excommunicato, quia hoc non respicit Iurisdictionem, eo modo, quo possent commorari cum alio Religioso excommunicato eiusdem Monasterij; Non tamen posse com- E municare in omnibus, sed in his solum, quæ coniuncta sunt, & annexa moraliter cum cohabitatione.

CAPVT IV.

De quibusdam dubiis circa communicationem cum Excommunicato ratione Tertiæ causæ explicatæ capite præcedenti.

Nonnullæ emergunt dubitationes circa dicta de filijs, & seruis, & alijs inferioribus.

Prima dubitatio esse potest; an filij emancipati gaudeant

deant hoc priuilegio, multi Doctores negant, B. Tho. dist. 17. q. 2. art. 4. Riceard. art. 6. q. 1. Gabr. qu. 5. Sot. dist. 22. q. 1. art. 4. conclus. 3. Hostien. in Summa in tit. De sent. excom. num. 15. V. Humile, Turrecrem. in cap. Quoniam multos 11. qu. 3. & ibi Glo. Silue. excommunicatio 3. §. 4. Nauar. in Manua. cap. 27. n. 27. & alij, ex quibus aliqui addunt limitationem, nisi filius emancipatus habitet simul cum Patre, & ab eo accipiat necessaria. Fundamentum huius opinionis est; quia filius emancipatus est quasi extraneus, & nulla indiget habitatione cum patre, & propterea est prohibita ei voluntaria cohabitatio Patri, & licèt in dicto cap. Quoniam multos, excipiantur Filij simpliciter sine vlla exceptione, an sint emancipati nec ne, quia intentio illius Canonis fuit consulere necessitati humanæ, nè homo propter periculum communionis cum excommunicato non pateretur aliquod incommodum; quæ ratio non habet locum in filijs emancipatis.

Sed hæc sententia non videtur probabilis, si simpliciter intelligatur, quarè explicari debet cum distinctione, dicendum est igitur filium emancipatum, quatenus filius est, posse communicare Parentibus excommunicatis, sicut conuenit filijs non emancipatis, esse vero ei prohibitam huiusmodi communicationem, quatenus est emancipatus; ratio primæ partis est, quia filius etiam emancipatus retinet naturale debitum obsequendi Patri, ergo per excommunicationem Patris non liberatur ab hoc debito; idcirco filius emancipatus debet parere patri; venerari illum; subuenire ei, itá post excommunicationem Patris, sicut tenebatur ante excommunicationem. Quare non peccat, si coram Parente excommunicato surgat, detegat caput, & similia reuerentiæ signa exhibeat, est enim obligatio naturalis, quæ inseparabilis est á filijs. Secunda pars remanet probata ex ratione facta pro communi opinione; ideo non licebit filio nouam, aut maiorem communicationem habere cum Patre excommunicato, quàm antea haberet, vt si prius non habitabat in domo Patris, non potest durante excommunicatione inchoare talem cohabitationem, aut alias actiones familiares exercere, si antea non consueuerat.

Secunda dubitatio est de filijs naturalibus, non legitimis, & ratio dubitandi est, quia Iura non solent his filijs concedere eadem priuilegia, quæ conceduntur legitimis.

Respondeo filios naturales hac in re gaudere eodem priuilegio; quia hoc priuilegium conceditur filijs simpliciter, at appellatione filiorum omnes intelliguntur, deinde filij etiam naturales tenentur ex naturali debito exhibere obsequium Parentibus, quarè si sunt sub cura Parentum, & ab eis aluntur, possunt cum illis cohabitare, si autem sunt emancipati, itá de eis loquendum est, sicut de legitimis.

Tertia dubitatio esse potest de filijs adoptiuis, in iure enim nomine filiorum regulariter non intelliguntur adoptiui.

Respondeo hoc priuilegium Iuris concessum filijs, vt possint cohabitare cum parentibus excommunicatis extendi quoque ad filios Adoptiuos. Primò quia filij adoptiui comprehenduntur appellatione absoluta filiorum l. Adoptiuum ff. de in Ius vocan. Deinde viget eadem obligatio in filijs adoptiuis erga Patrē, sicut in naturalibus, si sint sub cura parentum, & cum illis versentur, sed diuersa ratio est, si sint emancipati, quia tunc non manet naturale vinculum obsequendi

A Parenti, quod manet in naturalibus; ideo iure ciuili filij adoptiui, iam emancipati, non connumerantur inter liberos, vt dicitur in §. Adoptiui Instit. de exhæred. libero.

Si postules, An filius adoptiuus emancipatus possit communicare cum Parente excommunicato.

Respondeo in hoc casu eodem modo differendum esse, ac de filio naturali emancipato, nempe poterit communicare cum parente excommunicato in ijs, quæ spectant ad vinculum naturale, quod nunquàm extinguitur, sed semper durat, non autem in illis, quæ pendent ex morali conuictu, & societate humana, sicut dictum est de filio naturali emancipato.

Quarta dubitatio sit de aliis personis, quæ haben-
B tur loco filiorum, vt Nepotes, & Pronepotes in ordine ad Auos, & Patruos, vel alios maiores propinquiores, similiter de Nuru, & Genero respectu Soceri, & Socri, de Priuigno, & Priuigna respectu Nouercæ, & Vitrici, an omnes istæ personæ gaudeant eodem priuilegio.

Respondeo idem iudicandum esse de omnibus enumeratis, si sint sub cura suorum Maiorum, & cum illis vitam agant, Nepos enim, & Pronepos nomine filiorum comprehenduntur quoad Auos, & Progenitores suos l. Filii, & l. liberorum ff. de verbor. signific. Similiter Nurus, Gener, & alii nominati §. Affinitatis Inst. De nupt. & eadem videtur ratio de pupillo respectu
C Tutoris, qui Parentis munus substinet. Verùm si iam sint separati, ita sententiendum est de illis, sicut de filiis emancipatis, suo tamen gradu, & ordine, nō enim manet in illis æquale vinculum, & par obligatio parendi Superioribus suis, sicut est in filiis erga suos Parentes.

Quæres, quid dicendum sit de Fratre, An possit cōmunicare cum Fratre excommunicato; respondeo posse Fratrem vti communione alterius Fratris excommunicati, dūmodo simul cohabitent non seorsim.

Quinta dubitatio; an ea, quæ dicta sunt hactenus de Filiis, Nepotibus, & aliis inferioribus in ordine ad Parentes, Auos, & alios superiores habeant locum in ipsis Superioribus erga suos inferiores.

D Respondeo, & dico primò Patrem posse communicare cum filiis excommunicatis, & alios superiores, de quibus dictum est, cum suis inferioribus, quamuis Glos. in dicto cap. Quoniam multos, quam Nauar. in Manua. cap. 27. num. 27. dicat esse communiter receptam, senserit oppositum, nempe superiores non posse communicare cum inferioribus excommunicatis.

Probatur tamen nostra conclusio; ius Superioris non est minus validum, & potens, quam ius inferioris; si ergo inferiori concessum est hoc priuilegium, cur non fortiori ratione etiam superiori concessum esse affirmare debemus.

Si dicas de Inferiori, id cautum est in iure, non de Superiore, Deinde inferior tenetur superiori, non
E è contra.

Respondeo, quod licet in Iure Superiores non exprimantur, continentur tamen in suis correlatiuis, sicut in vxore intelligitur Vir; Quamuis autem Superior non cogatur communicare cum Inferiori excommunicato, potest tamen communicare, & est id, de quo disputamus. Neque verò priuari debet aliquis iure suo propter excommunicationem alterius; vnde quilibet potest suum debitum ab excommunicato petere, cap. Intelleximus de Iudi. Quare ob eandem rationem superiores obsequia sibi debita ab inferioribus, etiam excommunicatis exigere possunt,

sunt; Et reduci potest hæc exemptio in his personis ad causam necessitatis, aut vtilitatis, vt dixit Nauar. quia possunt communicare ex hac parte & non tenentur. Verum quia isti Superiores quoad aliqua sunt obligati Inferioribus suis, vt inquit B. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. Vt prouidere illis in necessarijs, corrigere eos, & similia; Et quoad hęc non solum possunt, sed debent communicare illis, quantum necessitas postulat ad hāc obligationem implendam; Et hoc modo comprehenduntur hæ personæ sub verbo, Humile.

Sed difficultas est, An è contra; Quando ipsi Superiores sunt excommunicati possint, vel debeant Inferioribus communicare, & idem quasi potest de inferioribus excommunicatis erga Superiores; Nam multa conceduntur fidelibus non excommunicatis erga excommunicatos, quæ non habent locum in excommunicatis, vt patet ex Extrau. Ad euitanda.

Respondeo idem priuilegium concessum personis enumeratis, si ipsæ sint excommunicatæ, vt possint communicare cum suis Correlatiuis non excommunicatis, & ratio est, quoniam aliter ferè inutilis esset facultas concessa non excommunicatis cōmunicandi cum excommunicatis, si è conuerso excommunicatis non liceret tractare cum illis, vt dixi in Disp. 7. cap. 8. & est communis doctrina omnium.

Confirmatur, quia Inferior propter excōmunicationem non liberatur à debito præstandi obsequia suo Superiori, quia non debet consequi commodum ex sua excommunicatione, cap. Intelleximus De Iudi. Ergo non solum potest, sed etiam tenetur communicare. Eodem modo Superior tenetur subuenire subdito suo, ergo, etiam si excommunicatus, debet communicare suo inferiori.

Quidam tamen Doctores concedunt dictis personis excommunicatis cōmunicationem cum suis Correlatiuis non excommunicatis in ijs, quæ necessaria sunt suo muneri, & humanæ commoditati; Alij simpliciter communicationem in omnibus. Prior ergo videtur probabilior, non tamen est intelligenda in rigore, vt nulla prorsus communicatio sit permissa, nisi in necessarijs, neq; etiam in re minima, & leui, sed hęc facultas intelligenda est morali modo: Vnde in cap. Cum voluntate De Sent. Excom. conceditur, vt possit, qui cum excōmunicato agit pro salute animæ ipsius, aliqua incidenter interponere, regulariter enim non potest omnino distingui communicatio necessaria à non necessaria, sed sunt admonendæ huiusmodi personæ, si Superiores sint, vt corrigant Inferiores, quod sui muneris est, & procurent, vt à contumacia recedant cap. Quantæ De Sent. Excom. Si vero sunt Inferiores, vt caueant, nè vllo modo Superiori excommunicato obsequium aliquod præstent ad fouendam contumaciam, vt in crimine persistant; Et omnes debent abstinere, nè communicent in diuinis, quia hæc communicatio extranea, & omnino aliena est à dicta obligatione, & vinculo naturali, quod intercedit inter dictas personas. Quamobrem si Pater habet filium Sacerdotem excommunicatum, & denunciatus sit, non poterit ab eo Sacramentum petere, nec Missam illius audire; Quia hæc ministeria ad coniunctionem naturalem Patris cum Filio non pertinent, Et idem dicendum est de alijs personis suo modo in similibus casibus; Posset tamen quis aliquo modo excusari, si communicaret in diuinis cum excōmunicato, quando communicatio consisteret in externa actione, & esset connexa cum priori vinculo, maximè si non posset, illam vitare sine incommodo; Vt si fœmina excom-

A municata Missam audiens filias, aut famulas secum ferat, quæ non committunt peccatum, si pareant, & simul assistant Missæ. Tandem omnes dictæ personæ debent animaduertere, nè communionem habeant cum excommunicatis in actionibus extraordinarijs, & suis officijs, nec necessarijs, nec moraliter coniunctis; Vt si nouos Contractus inter se inire vellent, aut quid simile.

Sexta dubitatio esse potest de personis Inferioribus, quæ sunt sub eodem Superiore, vt Fratres, Sorores, Serui, & similes, si vnus sit excommunicatus, an alijs sit permissa participatio cum illo.

Aliqui tenent eamdem facultatem communicandi concessam esse his inferioribus inter se, si accidat, vt
B quis illorum excommunicatione sit innodatus.

Mouentur, vt id asserant, quoniam, cum simul cohabitent (de his enim loquuntur) non possunt moraliter vitare consortium excommunicati, neque frater tenetur recedere à Patre, neque Seruus à Domino, quia alter Frater, aut Seruus sit excommunicatus.

Felinus in c. inter alia de Sent. excom. censet nullū priuilegium concessum esse huiusmodi personis directe communicandis cum alijs Inferioribus excommunicatis, quia in cap. Quoniam multos 11. q. 3. enumerantur simpliciter illæ personæ, quæ habent ordinem ad suas correlatiuas, sed Frater, aut Seruus non dicunt
C relationem ad seruum, aut fratrem, ideo huiusmodi personæ per se, & directè non gaudent huiusmodi priuilegio; Non denegatur tamen eis mutua communicatio indirectè in ordine ad eundem Superiorem, quia supposita cohabitatione communi, moraliter non potest vitari hæc communicatio.

Septima, & postremà dubitatio, An hæc facultas concessa communicandi, cum excommunicato locum habeat in quocunq; excommunicato, ex quacunquè causa sit excommunicatus.

Aliqui excipiunt excommunicatum ob hæresim arg. cap. vlt. De Hæret. Vel si excommunicatio lata sit in participantes.

Communiter tamen omnes asserunt hoc priuile-
D gium intelligēdum esse generaliter de quacunquè excommunicatione, & quomodocunq; lata. Et primò quantum ad communicationem cum Hęretico potest considerari periculum errandi, quod imminet ex tali participatione, & potest cōsiderari excommunicatio, Periculum errandi non nascitur ex ipsa excommunicatione, sed ex natura rei, quando adest probabilis ratio timendi, nequè enim semper eodē modo imminet tale periculum. Si vero consideretur in Hæretico ipsa Censura, tūc illa non magis priuat cōmunione, quàm si lata esset ob aliud crimen; Hæc enim excommunicatio non habet plures effectus, quàm aliæ, licet enim Hæreticus ab ipso Iure alijs pœnis plectatur, vt priuatione dominij bonorum, quę possidet, & ex consequēti
E remaneat priuatus communicatione, quę prouenit ex hac amissione dominij, non tamen est effectus excommunicationis; Vnde ante sententiam non incurrit hāc pœnam, quamuis iam sit excommunicatus. Quantum ad aliam exceptionem de Excommunicatione lata in participantes idem videtur affirmandum; Nam in his personis priuilegiatis à Iure punitur communicatio non concessa, non tamen prohibetur illa, quæ Iure conceditur.

Caput

CAPVT V.

De al s duabus causis excusationis, scilicet quarta, & quinta, quæ designantur duobus extremis verbis illius versiculi, Res ignorata, Necesse.

IGnorantia probabilis excusat à peccato, & censura ob communicationem cum excommunicato dicto cap. Quoniam multos, quando ignorantia est facti secundum omnes, & etiam quando est Iuris dubij per uotata in cap. Ignorantia de Reg. iur. lib. 6. & c. Notandum 1. q. 4. Et dicitur iusta ignorantia eius, qui ignorat excommunicatum esse denunciatum per extrauag. Ad euitanda, si quis tamen audiuit à fide dignis aliquem esse excommunicatum, tenetur illum euitare, arg. c. Illud de Cleri. excom. mini. vt superius probauimus, sed qui dubitat, non tenetur vitare, præsertim coràm aliis, quia inferret ei iniuriam, Maior. in 4. dist. 18. q. 2. De hac causa nulla oritur difficultas.

Eadem vis competit Necessitati, quæ legem non habet, si enim sola vtilitas, vt diximus in primo capite, est iusta excusationis causa, multo magis id tribuendum est uecessitati, & habetur in eod. cap. Quoniam multos, vbi conceditur Peregrino, qui aliundè non potest, vt ab excommunicato emat necessaria ad victũ, & hoc verum est, siue necessitas sit ex parte excõmunicati, siue ex parte participantis, quia debemus in necessitate excõmunicati, ei succurrere, & in nostra possumus ad eum accedere; quare regulariter dici potest, vt notat Silue. Excommunicatio 5. §. 15. omnem communicationẽ, quæ interuenit ad euitandum damnũ ipsius communicantis, excusare à peccato, nam si possum ab eo petere debita, à fortiori euitare damna arg. c. Nos sanctorum 15. q. 6. Quarè necessitate compellente licitè vtimur denunciati communione, siue sit necessitas animæ, corporis, vel rei familiaris.

Ratione necessitatis, vel animæ nostræ, quia habeo dubitationem, quam nemo posset auferre, nisi solus excommunicatus, possum illum adire, Caiet. in cap. Participatio cum excommunicato, Gabr. dist. 18. q. 3. art. 1. Vel etiam animæ ipsius, cap. Responso, cap. Cum voluntate de sent. excom. eodem modo ob corporis necessitatem, & ad tuendas res familiares nostras, cap. Sacris de sent. excomm. Quare possunt Rustici locare operas suas excommunicatis, vt eorum agricolæ, permissum est, eis coquere panem, & alia huius generis necessaria præstare. Sed sunt explicanda quædam dubia circa communicationem cum excommunicato ratione necessitatis.

Et primò vidotur dubitari posse; an sit verum, quod excommunicato indigenti sit subueniendum, quoniam Aug. epistola 48. ad Vincentium Donatistam, & refertur quinta q. 5. c. Non omnis dicit: *Vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligebat*. Ex quibus verbis Glos. in Ver. Tollitur, infert, *Et est hic argumentum, quod excommunicato non est danda eleemosyna*.

Deinde Glos. in cap. Quiescamus Ver. Postulat 42. dist. ait, *Dominus dicit desudet eleamosyna in manu tua, donec inuenias iustum, cui des*. Quæ auctoritas fortasse desumpta est ex Ecclesiast. cap. 12. Non erit igitur excommunicato aliquid elargiendum, quem tanquam impium, contumacem, & ab Ecclesiæ communione, & fidelium consortio separatum, & reiectum vitamus.

Præterea Hieronymus ait in epistola ad Damasum Papam, refertur 16. q. 1. c. vlt. *Quod in pauperibus non tam paupertas, quàm Religio est attendenda*. Qui autem ad eum peruenerunt contumaciæ, & inobedientiæ gradum, vt excommunicationis gladio percuti meruerint; religionis Christianæ imaginem, & formã abieciss, & contempsisse videntur, vt meritò indigni videantur omni pietate, arg. cap. Nimium 23. q. 4.

Ad hanc dubitationem ità respondendum esse existimo eleemosynam erogari posse excommunicato duobus modis, nempè vt commodius, & securius persistat in excommunicatione, & non recedat à contumacia, altero modo, vt subueniatur ipsius inopiæ, & indigentiæ, qua premitur.

Si quis eroget eleemosynam excommunicato primo modo, vt foueat eius contumaciam, vt sic facilius negligat parere suo Prælato, & illius præceptum B contemnat, committit graue peccatum & cooperatur ad culpam ipsius excommunicati.

Probatur primo quoniam, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 32. art. 9. Peccatori non est subueniendum, quatenus peccator est, idest vt tali iuuamine foueatur in peccato.

Secundo hoc idem asserit Glos. in dicto cap. Quiescamus Ver. Postulat in fi. dist. 42. dicens omnibus elargiendam esse eleemosynam, *Nisi quis per securitatem cibi negligat iustitiam, quia tunc subtrahenda est ei, cap. Non omnis 5. q. 5. Nisi iam fame moriatur*. Qui enim non succurrerit homini extrema laboranti inopia, si idcirco moriatur, dicitur homicida illius, vt dicitur C cap. Pasce dist. 86. ex D. Ambrosio in lib. de off. *Pasce fame morientem, quisquis enim pascendo hominem seruare poteras, si non pauisti, occidisti*.

Tertiò idem confirmant rationes adductæ initio dubitationis desumptæ ex iuribus citatis.

Si verò secundo modo detur eleemosyna excommunicato ea intentione, vt egestati illius occurramus, nullum est peccatum, sed est opus pietatis, & misericordiæ.

Probatur primo ex cap. Quam pio 1. q. 2. Vbi prohibetur, ne ab ijs, qui conuertuntur ad fidem aliquid exigatur, neque pretio aliquis ad conuersionem inuitetur, & additur, quod Apostoli Conuersis ad fidem dabant alimenta, *Qua eorum nulli, cuiuscunque professionis* D *esset, ictibualia negabantur*, Vbi Glos. Ver. Negabantur notat *Argumento quod Anathematizato debet dari eleemosyna*.

Secundò quoniam, quãdo eleemosyna petitur pro nutrimento, omnibus est eroganda absque vlla distinctione, vt inquit Glo. in cap. Quiescamus Ver. Postulat dist. 42. Quamobrem S. Io. Chrisost. hom. 11. in cap. 6. Epistolæ ad Hæbræos eleganter sic inquit, *Si vero pro nutrimento postulat nihil in his examines, inquire quomodo Abraham Hospitalem se circa omnes ostendebat, si scrutator fuisset circa refugientes ad se, nunquam Angelos hospitio recepisset, &c.*

Tertio idem confirmatur ex Greg. Septimo, habetur in cap. Quoniam multos 11. q. 3. in fin. *Si quis ex*E*communicatis in substentationem non superbia, sed humanitatis causa dare aliquid voluerit, non prohibemus*, dummodò non sit Ecclesiasticum stipendium, vt bene id notat Glos. Ver. Dare, fructus enim ecclesiastici beneficij non possunt concedi excommunicato indigenti, dummodò non laboret extrema egestate, ne fame pereat cap. Pasce dist. 86. vt fusius declarabo in cap. 9. disp. cum agam, an excommunicatus sit priuatus fructibus beneficij.

Postulet quis, si excommunicatus, & non excommunicatus eadem necessitate premantur, cui potius subueniendum sit.

Respon-

Respondeo rem esse indubitatam cæteris paribus prius subueniendum esse non excommunicato, quàm excommunicato.

Probatur primo testimonio S. Ambrosij lib. 1. De officijs cap. 30. habetur in c. Non satis 86. dist. *Perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur, vt primum opereris circa domesticos fidei*. Quare præceptum de misericordia impēdenda non obligat eodem modo erga omnes, sed vt seruetur gradus, & ordo Charitatis, secundum quam propinquioribus antea prouidere debemus, quàm extraneis, vt inquit B. Tho. 2. 2. q. 32. art. 9. Et hac ratione magis debemus subuenire iusto, & bono viro, quàm impio, & peccatori, & ex consequenti magis non excommunicato, quàm excommunicato. Vnde S. Ambrosius addit, *Nam etsi omnibus debetur misericordia, tamen iusto amplius*. Quare rectè notat Glos. in c. Quiescamus Ver. Postulat in fi. dist. 42. *Quando non possumus omnibus prodesse, tunc danda est potius bono, quàm malo*. Loquitur de eleemosyna, *Consanguineo, quàm* extraneo.

B

Sed quid, si frater, aut Consanguineus sit excommunicatus, & æqualiter indigeat, sicut alius fidelis extraneus non excommunicatus, cui potius occurrere debeam.

Mouet hanc quæstionem Glos. in dicto cap. Non satis Ver. Domesticos, comparationem faciens inter Patrem infidelem, & extraneum fidelem, & reputat quæstionem arduam, & idem repetit in cap. 1. Ver. Fideles 30. dist. & videtur vtramque partem affirmare, Primò ait præferendum esse fidelem extraneum Patri infideli, & fortasse id affirmauit propter illa verba Euangelij, *Qui non reliquerit Patrem, & Matrem propter me, non est me dignus*. Deinde oppositum asseuerat; nempe Patrem infidelem semper præponendum esse cuique alteri fideli etiam iusto, & sancto, idem repetit Glos. in cap. 1. Ver. Fideles 30. dist.

C

Hoc secundum dictum est verius; quare simpliciter respondendum est, semper eos, qui nobis magis coniūcti & propinquiores sunt, etiam si mali sint, & excommunicati præponendos esse, cæteris paribus, quibuscunque alijs fidelibus etiam bonis, & sanctis in ijs, quæ spectant ad opera misericordiæ.

Dico, si cætera sint æqualia; quia si extraneus bonus magis indigeret, quàm coniunctus, & propinquus potius illi subueniendum esset, cap. Pasce 86. dist. Similiter si extraneus magis necessarius esset Reipublicæ, & magis vtilis ad commune bonum, potius illi dandum esset, quàm propinquiori, maximè si non esset valde coniunctus, vt affirmat B. Tho. 2. 2. q. 32. in citato art. 9.

D

Probatur modo Concl. auctoritate S. Ambrosij super Cant. qui declarat verba illa, *Ordinauit in me charitatem*, ait, *multorum est charitas inordinata; quidā enim id, quod est primum, ponunt tertium, vel quartum, sed primo diligendus est Deus, secundo Parentes, deinde Filij, postea Domestici*.

E

Sed contra obijci potest tex. in c. Charitas 2. de pœnit. dist. 2. paulo post medium, vbi sic habetur *Proximos tunc diligimus sicut nos, si non propter aliquas vtilitates nostras, non propter speratа beneficia, vel accepta, non propter affinitates, aut consanguinitates, sed propter hoc tantum, quòd sunt naturæ nostra participes, diligamus*. Quæ accepta sunt ex Prospero lib. 3. de vita contemplatiua cap. 13. & paulò infra, *Non illi tantum proximi nostri credendi sunt, quos nobis gradus sanguinis coniungit, sed proximi nostri credendi sunt omnes homines naturæ nostræ, sicut dixi participes*. Ergo ordo benefaciendi A proximo non est sumēdus ex gradu consanguinitatis, sed ex ratione virtutis, & bonitatis, vt quo quis melior est, & sanctior, eo magis diligatur, eum bonum sit obiectum dilectionis.

Ad hanc obiectionem respondet Glos. in c. 1. Ver. Fideles in fi. dist. 30. & ait Aliud esse loqui de affectu interiori dilectionis, aliud de operibus misericordiæ, siue de actu externo benefaciendi proximo, nā quoad dilectionem non est habenda ratio Consanguinitatis, sed bonitatis, & hoc modo semper magis diligendus est extraneus bonus, quàm propinquus malus, de qua dilectione intelligenda est auctoritas Prosperi citata. Sed alia ratio est de obligatione benefaciendi, & subueniendi, quæ respicit prius coniūctos, & propinquos etiam malos, quàm extraneos bonos. Vnde S. Aug. in lib. de Agen. cura pro Mortuis cap. vlt. & refertur cap. Non æstimemus 13. q. 2. Agens de Sacrificijs, orationibus, & eleemosynis, quæ fiunt pro defunctis, hæc ait: *Diligentius tamen facit hoc quisque pro necessarijs suis, quo pro illo fiat similiter à suis*.

Tertio quæret aliquis, quanta debeat esse hæc necessitas, vt sufficiat ad excusandum; Silue. Ver. Excommunicatio 5. §. 4. Vers. Quinto excusat necessitas; Respondet id esse relinquendum iudicio Superioris, & si res dilationem non patitur, & ad superiorem non est facilis aditus, relinquitur vnius cuiusque prudentiæ, cap. Quod Prædecessor 1. q. 3. & in his casibus etiam, quantum conuenienter fieri potest, euitandus est excommunicatus; Tamen non est expectanda extrema necessitas.

Quarto quæræt aliquis, An in casibus prædictis necessitatis, quando communio permissa est cum excommunicato, possit superior ad comprimendam contumaciam aliquorum excommunicatorum, quos videt quotidie deteriores fieri indulgentia, præcipere, vt quacunquè necessitate occurrente eorum communio euitetur.

Respondeo id licitum esse cap. Constitutionem De Sent. Excom. lib. 6. Gabr. dist. 18. q. 3. art. 1. Semper tamen intelligitur excepta communio, quę naturali, aut diuino Iure præcipitur. Quamobrem prohibere quidem posset Superior, nè filij communicarent Parentibus, nè Vxor Marito, sed nè hæc debitum redderet Marito; Illi obsequium, & honorem Iure naturæ Parentibus debitum præstarent, prohibere non posset.

Quid si Romanus Pontifex præciperet, ne quis Sicarijs, seu Bannitis excommunicatis subueniret sub pœna excommunicationis, An in extrema necessitate subuenire possemus absque censuræ incursu.


Respondeo in eo casu neminem posse illis subuenire; Nam sicut non possemus eripere è manibus Iudicis, vel Curiæ Damnatos ad mortem, vbi ad necem ducuntur, ità quoque non liceret supposito casu liberare huiusmodi excommunicatos ab ea necessitate, qua premerentur, etiam si in mortis periculo essent constituti; Neque tunc tempore excusarentur filij, aut Parentes, quia Summi Pontificis propositum esset hoc modo punire mortis supplicio illos Sicarios. Sic igitur absoluta sit Disputatio de causis, ob quas possunt excusare fideles, si communicent cum excommunicato; Nec plura dicamus de tertio effectu excommunicationis.

FINIS LIBRI PRIMI.



DE EFFECTIBVS EXCOMMVNICATIONIS MAIORIS.

LIBER SECVNDVS.





VCVSQVE copiosè tractatum est de primis tribus effectibus Excommunicationis Maioris, qui potius, vt diximus, constituunt essentiam, & naturam Maioris Excommunicationis, neq; propriè vocari possunt effectus, licet communiter dicantur effectus; Nunc sequitur, vt disputare aggrediamur de illis effectibus, qui vere, & proprie emergunt ex ipsa excommunicatione Maiori iuxta decreta Sacrorum Canonum, & Summorum Pontificum Sanctiones, qui plures sunt, quiq; verè dici posfunt effectus, de quibus ordine suo differendum est hoc libro, & enumerando hos effectus cum alijs tribus hactenus declaratis, in hac prima Disputatione sumus acturi de quarto effectu; Nempe de Inhabilitate ad Ordines Ecclesiasticos, & actus illorum.

DISPVTATIO PRIMA.

De Quarto effectu Excommunicationis, scilicet De Inhabilitate ad Ordines Ecclesiasticos, & actus illorum.

Caput Primum, An excommunicatus sit prohibitus exercere actum aliquem proprium ordinis, & exercendo fiat Irregularis.

Caput Secundum, An Sacerdos excommunicatus administrando sacramenta efficiatur Irregularis.

CAPVT I.

An excommunicatus sit prohibitus exercere actum aliquem proprium Ordinis, & exercendo fiat Irregularis.

PEr Excommunicationem redditur homo inhabilis, ne possit exercere actum aliquem Ordinis, si quem habet, quòd si caret, ne possit durante Excommunicatione promoueri ad ordinem; Non igitur poterit Excommunicatus Sacerdos celebrare, neq; absoluere, aut aliud sacramentum conferre, si ad
A illud ministrandum necessarius sit aliquis ordo. Si sit Episcopus, non potest ordinare, vel confirmare, nequè exercere actum aliquem alicuius ordinis; Quod si præsumpserint cōtra prohibitionem Ecclesiæ aliquid ad actum ordinis Ecclesiastici spectans exercere, efficiuntur Irregulares, id est, vt dicit Gemin. in cap. 1. §. Sciturus num. 11. De Sent. & Re Iudi. lib. 6. facti sunt extra Regulam aliorum, qui possunt ordinari, vel si habent ordines, ministrare in ordinibus susceptis, & quamuis Antiqui Canones non vsi fuerint hoc verbo; Irregularitatis, sed certum est Rem ipsam semper fuisse in vsu etiam antiquitus; Nam vt notat Gemin. ex sententia Io. And. Si Sacerdos excommunicatus celebrabat, erat deponendus, & non poterat dispensari,
B nisi per Papam, sed in libris Decretalium, & in Sexto sæpè reperitur hoc verbum Irregularitatis; Recenset loca Gemin. vbi supra.

Quarè si Excommunicatus Excommunicatione Maiori, qui sciat, aut scire debeat se excommunicatione Maiori innodatum, celebret, vel solēniter exerceat actum ordinis, fit Irregularis ipso Iure, seu suspensus ab executione ordinum. Si autem aliquid huiusmodi Laicorum more agat, non incurrit Irregularitatem; Nullibi enim in Iure hoc habetur expressum.

Quod autem solemniter exercens excommunica-
C tus actum ordinis, aut celebrans diuina officia Irregularitatis notam contrahat, constat ex pluribus Iuribus.

Primò ex cap. Si quis Episcopus 2. 11. q. 3. Vbi hæc leguntur: *Si quis Episcopus in Concilio Excommunicatus fuerit, siue Presbyter, aut Diaconus à suo Episcopo, & post Excommunicationem præsumpserit, siue Episcopus ille, aut Presbyter, aut Diaconus facere oblationem, vel Matutinum, aut Vespertinum Sacrificium, quasi in officio suo agere, sicut prius, non liceat ei, nec in alio Concilio semper reconciliationis habere, nec vltra recolligi.*

Ex cap. 1. De Sent. & Re Iudi. lib. 6. *Quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se diuinis, Irregularitatis laqueo se inuoluet secundum Canonicas San-*
D *ctiones &c.*

Ex cap. 1. De Sent. Excom. eod. lib. magis clarè idem definitum habetur prope finem: *Caueant autem Ecclesiarum Prælati & Iudices vniuersi, nè prædictam pœnam suspensionis incurrant; Quoniam si contingeret eos sic suspensos diuina officia exequi, sicut prius, Irregularitatem*

tatem

tatem non effugient iuxta canonicas sanctiones. Vbi Glo. Ver. *Sicut prius*, inquit idest quasi in officio suo agens, quod verum esse notat *In quocunque officio cantando, & in quibuscunque horis officiet Ecclesiam*, & addit *Quod si intret Chorum cum alijs legendo, & cantando, locus est Irregularitati*.

Idem adhuc magis expresse statutum est in cap. Is, cui eod. tit. & lib. in princ. *Is, cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, cum sibi per consequens censeatur in ipsa, diuinorum celebratio interdicta, Irregularis officitur, si contra interdictum huiusmodi diuinis in ea se ingerat in suo agens officio, sicut prius*.

Abb. in cap. Si quis presbyter num. 4. de Cleri. excom. Mini. asserit, quod suspensus ab officio, & multo magis id affirmandum est de excommunicato, efficitur Irregularis, non solum si celebret Missam, sed etiã si tentet actum alicuius ordinis ministrare, vt si cantet Epistolam, aut Euangelium, & idem repetit nu. 3. & addit, secus vero si exerceat actum, qui per laicum etiam administrari possit, vt si cantet Responsorium in Ecclesia, vel psalmum, quo casu, licet peccet, non contrahit tamen irregularitatem.

Idem confirmat Nauar. in Manual. cap. 27. nu. 163. & 244. & Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 8. nu. 1. Maiol. lib. 3. de Irregul. cap. 21. num. 1. & 2. His addamus Hostien. in dicto cap. 2. de Cler. excom. Mini. Io. Andr. in cap. 1. & cap. Is, qui de sent. excom. lib. 6.

Certum igitur est excommunicatum exercentem solemniter actum proprium ordinis incurrere irregularitatem, non autem si exerceat alios actus, qui non pertinent propriè ad aliquem ordinem; nam nullibi id cauetur, ideo non debemus nos affirmare; Vnde excommunicatus exercens ea, quæ pertinent ad actus iurisdictionis, non efficitur irregularis, vt inquit Siluester V. Interdictum 5. §. 6. Vers. Concludo ergo breuiter, vel etiam si exerceat actum non proprium alicuius ordinis, si recitet Horas aliquas, vel Responsoria, vel Litanias, aut psalmos, quod etiam laicis conceditur, non efficitur irregularis, vt dixi, vel etiam si exerceat actum ordinis, non tamen solemniter, vt si dicat Epistolam sine solito apparatu, non incurrit irregularitatem, vt notat Innoc. in cap. fin. de Excess. Prælat. & B. Antoni. 3. par. tit. 28. capit. 2. Quare opus est ad incurrendam irregularitatem, vt excommunicatus exerceat actum ordinis solemniter, & in hanc irregularitatem incidit etiam ille excommunicatus celebrans, qui nondum fuit denunciatus, quia Constitutio ad euitanda scandala, nullam vtilitatem, vel commodum affert ipsis excommunicatis, & ideo ipsius indulto iuuari non possunt.

Duo dubia tamen hic proponi possunt. Primum est de his, qui tantum minoribus ordinibus initiati sunt, si solemniter exercent illorum ordinum officia in excommunicatione Maiori, an efficiantur irregulares.

Sunt duæ opiniones, altera est Soti in 4. dist. 25. q. 1. art. 3. B. Antoni. 3. par. tit. 28. capit. 1. §. 1. Vers. Si vero Clericus, vbi refert opinionem cuiusdã Gulielmi asserentis, quod Clericus in minoribus ordinibus constitutus excommunicatus, ministrando officium suum solemniter, non efficitur irregularis, quia iura non loquuntur expresse de minoribus ordinibus, & pœnæ sunt coarctandæ, & ab hac opinione ipse non discedit, Armill. Excommunicatio. nu. 9. Palud. in 4. dist. 18. q. 4. in 5. effectu. Nauar. Cons. 44. nu. 10. & seq. in tit. de sent. excom. Hi negant per executionem ordinum minorum incurri irregularitatem. Pro hac opinio-

A ne facit primò, quod nullibi in Iure reperitur pœna irregularitatis imposita contra eos, qui in excommunicatione exercent actus ordinum minorum, & talis pœna incurritur in solis casibus expressis in iure, vt in cap. Is, qui de sent. excom. lib. 6.

Secundò, quia non omnis pena etiam censuræ posita contra non recte vtentem ordine sacro extenditur ad vtentem ordinibus minoribus, nam suscipiens ordines sacros ante legitimam ætatem, vel sine litteris demissorijs, vel extra tempora Iuris, incurrit suspensionem, & si vtatur ordine suscepto, Irregularitatem per Extrau. Pij II. Cum ex sacrorum, relata à Nauar. in Manua. cap. 25. nu. 70. Non tamen eas pœnas incurrit, qui minores ordines sic male suscipit, vel susceptis

B vtitur secundum communem sententiam ex tex. in cap. Vel non est compos de tempo. ordin.

Altera opinio est aliorum affirmantium Irregularitatem incurri etiam exercendo actus ordinum minorum, sic notat Abb. cap. 2. de Cleri. Excom. Mini. nu. 4. & 10. & latius in cap. fin. de Excess. Prælat. nu. 5. Archid. cap. Si quis Presbyter. 11. q. 3. Ang. V. Irregularitas §. 13. dicit esse communem sententiam, & Silue. V. Irregularitas §. 15. Armilla eod. V. nu. 13. quamuis oppositũ dicat Excommunicatio nu. 9. Frãc. in c. 1. §. Caueant n. 3. vsque ad finem de sent. excommunicationis lib. 6.

Hæc secunda sententia mihi videtur probabilior, & recipienda; Primò quia Suspensus, & Interdictus

C simpliciter ab officio, non solum celebrando Missam, & exercendo actus ordinum sacrorum, sed etiã vtẽdo alijs minoribus ordinibus quoad actus eis proprie deputatos, incurrit irregularitatem, vt tenet Abb. & alij Doctores citati; Ergo & excommunicatus vtens ordine minori ad eosdem actus erit irregularis.

Secundò, quia omnes text. Iuris loquuntur in vniuersum de exercente actum alicuius ordinis sine vlla distinctione, vt in illo cap. 2. de Cleri. excom. Mini. Vbi in genere dicitur, *Si quis Presbyter, aut alius Clericus &c.* in cap. fin. de Excess. Prælat. in cap. 1. de re Iudi. lib. 6. in cap. 1. de sent. excom. eod. lib. in capit. 1. de Cler. per sal. promo. Et idem in tribus locis in

D tit. De eo, qui furti. ord. susc. & minores ordines vere pertinent ad sacramentum ordinis, vt dictum est, quamuis Sotus neget, & Nauar. in Manual. capit. 22. num. 18. Et huius opinionis etiam sunt Io. Andr. post Host. in dicto cap. 2. de Cleri. excommun. Mini. Anchar. in cap. 1. §. Caueant de sent. excom. lib. 6. Maiol. lib. 3. de Irregul. cap. 21. n. 5.

Quare excommunicatio Maior sicut est legitimum impedimentum, nè quis possit promoueri ad ordines minores, Ita quoque nè possit illos exercere, est enim eadem ratio. Rationes, quæ pro contraria sententia sunt allatæ, ex dictis corruunt. Hoc tamen dictum intelligendum est, si excommunicatus exerceat actus ordinum minorum ex officio tãquam Minister depu-

E tatus, non sicut laicus, vt notat Glo. in dicto cap. 2. V. Præsumpserit de Cleri. excom. Mini. & citat cap. Si quis Episcopus in Concilio 11. q. 3. & c. Presbyterum dist. 28. Vt si Acholitus deputetur in missa solemni ad deferendos cereos, & ministrãdos vrceolos, alias non incurrit Irregularitatem.

Secundum dubium occurrit de Episcopis, si contrahant irregularitatem exercẽtes solemniter actum proprium ordini, seu consecrationi Episcopali annexum.

Et causa dubitandi oritur, quoniam ex sententia multorum, maximè Theologorum Episcopatus non est

est ordo, nec Sacramentum, ideo etiam si Episcopus exerceat actum sibi competentem ex vi cõsecrationis solemniter, non idcirco exercet actum alicuius ordinis; vnde contrahatur Irregularitas ex hoc capite.

Sed respondẽdum est ad hanc difficultatem ex huiusmodi actibus absque vlla controuersia incurri Irregularitatem.

Primo quoniam opinio est valdè probabilis multorum, non solũ Canonistarum, sed etiam Theologorum Episcopatum esse ordinem, & sacramentum.

Secundo quia, quamuis non esset ordo, nec sacramentum, nihil refert ad præsentem quæstionem; Iura enim expresè statuunt ex talibus actibus Episcopos, & Prælatos incurrere Irregularitatẽ, vt patet in cap. Si quis Episcopus damnatus, 11. q. 3. Vbi ita habetur: *Si quis Episcopus damnatus à Synodo, vel Presbyter, aut Diaconus à suo Episcopo, ausi fuerunt aliquid de ministerio sacro contingere, siue Episcopus iuxta præcedentem consuetudinem, siue Presbyter, aut Diaconus, nullo modo liceat ei nec in alia Synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis &c.* & in cap. seq. *Si quis Episcopus in Concilio excommunicatus fuerit, siue Presbyter, aut Diaconus, à suo Episcopo, & post excommunicationem præsumpserit, siue Episcopus ille, aut Presbyter, aut Diaconus facere Oblationem, vel Matutinum, aut Vespertinum sacrificium quasi in officio suo agere sicut prius, non liceat ei nec in alio Concilio spem reconciliationis habere, nec vltra recolligi &c.* Hoc in loco statuitur incurri Irregularitatem ab Episcopo excommunicato, Presbytero, seu Diacono celebrante Matutinum Officium, aut Vespertinum, & tamen tale officium non est actus proprius alicuius ordinis.

Adhuc magis clarè idem definitum est in cap. 1. §. Caueant De Sent. Excom. lib. 6. *Caueant autem Ecclesiarum Prælati, & Iudices vniuersi, nè prædictam poenam suspensionis incurrant; Quoniã si contingeret eos sic suspensos diuina officia exequi, sicut prius, irregularitatem non effugient.*

Et idem dicendum esse censeo de Abbate, qui ex priuilegio confert ordines minores, si illos conferat, quando excommunicatus existit, quia nomine Prælatorum Abbates etiam comprehenduntur, & idem dicendum erit de Sacerdote, si ex commissione Papæ, ministret sacramentum Confirmationis, nam licet talis actus Iure ordinario non pertineat ad Characterem Sacerdotalem, tamen facta concessione Pontificis character Sacerdotalis extẽditur, vt valeat actum illum exercere, & ratio est, quoniam Papa non posset talem actum committere non Sacerdoti.

Et vniuersaliter idem sentiendum est de omnibus actibus, qui Iure ordinario pertinent ad Episcopum, quorum administratione non solum Episcopus, si excommunicatione innodatus existit, efficitur Irregularis, sed etiã Sacerdos, si eodem exerceat, ex cõmissione Papæ. Huiusmodi actus sunt Ecclesiæ, seu Altaris, aut Calicis consecratio, sacrarum Vestium benedictio, solemnis quoque benedictio, quam Episcopus, vel Abbas Populo dare solet præmisso versiculo: *Sit nomen Domini benedictum*, Hæc enim benedictio Iure ordinario à solis Episcopis dari solet, sed interdum solet etiam Abbatibus quibusdam conditionibus adhibitis concedi, patet ex cap. Abbates De Priuileg. lib. 6. & in Clement. 2. eod. tit.

At verò si simpliciter detur benedictio sine solemnitatibus, non contrahitur Irregularitas, quia talis actus pertinet ad Iurisdictionem, non ad ordinem, sicut excommunicare, & absoluere; Ideò Anchar. in capit. primo §. Caueant num. 3. De Sententia Excomm. lib. 6. asseuerat Episcopum excommunicatum benedicendo Populum in itinere non fieri Irregularem.

Verum hoc dictum non est adeò certũ, & indubitatum, vt careat omni difficultate, quia licet hæc benedictio materialiter considerata possit etiam impendi ab eo, qui non sit Episcopus, tamen, quatenus ex consuetudine, à solis Episcopis dari solet, videtur aliquo modo actus ordinis Episcopalis; Vnde in cap. Abbates De Priuileg. dicitur: *Abbates, qui ex priuilegio possunt post Missarum solemnia, ac Vespertinum, vel Matutinum officium populum benedicere, non posse alibi publicè per vias, Ciuitates, Castra, & Villas, populis, & Plebibus benedictionem facere*: Ergo supponitur talis benedictio actio propria Episcopalis, nec potest esse actus solius Iurisdictionis; Quia licet Episcopus sit electus, & confirmatus, & Iurisdictionem habeat, si non sit consecratus, non solet benedicere; Nisi dicamus ideo ex hoc capite non incurri Irregularitatem, quia talis actus fit sine solemnitate, & non est res admodum grauis, nec sufficiens ad peccatum mortale, nisi ob multiplicatos actus redderetur materia grauis, & præ se ferret virtualem quendam contemptum excommunicationis.

Fortiori ratione idem erit affirmandum absque vlla discrepantia de illis actibus, qui ità sunt proprij ordinis, seu Consecrationis Episcopalis, vt nullo modo possint alijs delegari, quales sunt Consecratio Episcopi, Confectio Chrismatis, Ordinatio Sacerdotis, Degradatio Clerici, Omnes enim hi actus pertinent propriè ad Episcopum, & non possunt ab alijs Inferioribus Prælatis etiam ex commissione Papæ administrari.

Certum igitur est vniuersaliter ex quocunquè actu, qui propriè spectet ad ordinem ecclesiasticum, si exerceatur à Ministro Ecclesiastico tanquam ex officio solemniter, induci irregularitatem, quamuis talis actus sit mixtus non solum pendens a potestate ordinis, sed etiam Iurisdictionis, sicut est absolutio sacramentalis, & absolutio à Censuris, si fiat cum solemnitate, & adhibitis ceremonijs, de quibus dicam suo loco, quia talis absolutio datur à Sacerdote, vt inquit Abb. in cap. fin. nu. 5. De Excess. Prælat.

Ex actibus verò Iurisdictionis non contrahitur Irregularitas, vt inquit Abb. in dicto cap. fin. nu. 5. De Excess. Prælat. Quare si Episcopus excommunicatus iudicet, visitet, puniat, præsentet, eligat, & confirmet.

Hæc enim non pertinent ad potestatem ordinis, & nullibi cauetur, quod ex talibus actibus irregularitatis labes incurratur, cap. Legatur 24. quæst. 2. & cap. Is, cui De Sent. excom. lib. 6. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 244.

Similiter non fit Irregularis Clericus excommunicatus, si sacramenta recipiat, nã ipsa sacramentorum perceptio non pertinent aliquo Iure speciali ad proprium actum alicuius ordinis Ecclesiastici, quamuis talis Clericus peccet, & sit dignus pœna, Couar. in cap. Alma Mater par. 2. §. 1. nu. 1. Excipitur ab hac regula sacramentum Ordinis, de quo dicam paulo post.

Quamobrẽ generaliter verum est excommunicatũ maiori excõmunicatione nõ posse actũ propriũ alicuius ordinis solemniter exercere, Immò incurrere Irregularitatẽ, si exerceat actus adhibita solẽnitate, qua à solis ordinatis administrari solẽt, vt si sacerdos benedicit Fruges, Cereos, Nuptias; si introducit in Ecclesiam

Mulierem puerperam; si fungitur munere Hebdomadarij, inchoando officium diuinum in Choro dicendo orationem, Capitulum, aspergendo populum aqua benedicta, & similia administrando, quæ solis sacerdotibus conueniunt ex officio in Choro, erit Irregularis, Specul. in tit. De Dispens. §. Iuxta Vers. Quid si officio diuino. Immò si ipse excommunicatus illa non recitet, sed iubeat celebrari distribuens ea alijs in Choro auctoritate sui officij etiam irregularitatem incurrit.

Ex quibus intelligi potest differentia, quæ intercedit inter celebrationem Missæ, atque etiam administrationem sacramentorum, & inter alia, quæ sub nomine diuinorum officiorum comprehendi possunt, si administrentur per excommunicatum; quæ differentia colligitur ex Glo. in cap. Illud Ver. Officia de Cler. excom. Mini. & est, quod excommunicatus, & suspensus nec publicè, nec priuatim celebrare debet, nec sacramenta alijs ministrare, cap. Presbyterum 28. dist. Verum alia officia præter Missam excommunicatus occultus potest recitare, non quasi ex officio, sed tanquàm priuata persona, cap. Quod in te de Poeniten. & Remiss. & cap. Si quis Episcopus damnatur, & cap. seq. 11. quæst. 3.

Quod rectè notatur à Glos. & ratio huius differentiæ illa assignari potest; quia Missa nunquam celebrari potest, nisi solemniter, scilicet à Sacerdote tanquàm Ministro publico nomine Ecclesiæ cum vestibus sacris, & adhibitis cæteris cæremonijs, quæ ex vsu, & consuetudine ad huius misterij celebrationem requiruntur, & idem dicendum est de ministerio sacramentorum, excepto Baptismo. At alij actus enumerati, & functiones ecclesiasticæ, ad officium Ministri Ecclesiastici spectantes, non tantum possunt exerceri solemniter, & ex officio, quod attinet ad Sacerdotem, qui gerit vices publici Ministri, & administrat tanquam ordinatus tali ordine, sed etiam celebrari possunt à laicis nullo ordine insignitis sine aliqua solemnitate iuxta doctrinam Innoc. in c. fin. De excess. Prælat. Vt recitare horas Canonicas, Responsoria, Psalmos, deferre Cereos, & similia, quæ laici quoque præstare consueuerunt, vt docet Nauar. in Manua. c. 27. num. 244.

Sed meritò posset quis postulare, quando Clerici habentes tantum ordines minores dicendi sint ità solemniter ministerium proprium peragere, & ex officio, vt si excommunicatione sint innodati, irregularitatem incurrant; quia nihil ex ijs, quæ ad ordines minores pertinent, dari posse videtur, quod & quoad substantiam, & quoad modum non possit fieri, & sæpè exerceatur absquè culpa ab eo, qui omni ordine caret, & est mere laicus. e. g. Ad Accolitum spectat deferre accensos Cereos ante Sacerdotem, & Diaconū, cum Euangelium est decantaturus, & vrceolos vini, & aquæ ministrare in Missa, cap. Accolitus dist. 23. & hoc officium in Missa solemni præstat indutus superpelliceo, & hoc totum quotidie etiam in Ecclesijs insignioribus, in quibus numerus Clericorum viget, per eos exhiberi consueuit, qui nullum habent ordinem minorem, & mere sunt laici, vel ad summum prima consura initiati.

Vnde B. Tho. in 4. distin. 24. q. 2. art. 2. in resp. ad nonum inquit, quod Ostiario in susceptione ordinis datur potestas quædam, vt ex officio alios arcere possit ab introitu Templi, quamuis hoc etiam ab alijs fieri possit; sed non ex officio, & ità contingit in omnibus actibus Minorum ordinum, qui possunt per alios licite ministrari, quamuis illi non habeant hoc officium, sicut etiam inquit B. Tho. in Ecclesia non consecrata potest dici Missa, quamuis consecratio Ecclesiæ ad hoc ordinetur, vt in ea Missa dicatur.

Hac ratione moti nonnulli Doctores asserunt supposito hoc communi vsu Ecclesiæ, qui modò viget, nempe vt actus attinentes ad ordines minores possint licite per laicos sine vllo ordine etiam solēniter exerceri, rarò, vel nunquam contingere posse, vt ex ministerio horum actuum incurratur irregularitas.

Quam opinionem ego probare non possum. Primò quoniam irregularitas incurritur ex hoc capite, si Actus ordinis administretur solemniter, & quasi ex officio, vt patet ex cap. 1. De Sent. Excom. lib. 6. & ex cap. Is, cui eod. tit. & lib. iunctis Glos. Ergo quoties excommunicatus exercet actum ordinis minoris, puta Accolitatum solemniter, idest cum superpelliceo in Missa solemni in Ecclesia frequente populo, & cum alijs ceremonijs, si sit insignitus illo ordine, contrahit irregularitatem, etiam si laicus eūdem actum eodem modo soleat administrare ratione consuetudinis, maxime iuxta illam opinionem, quæ censet ordines minores vere esse sacramentum; quoniam hæc Irregularitas incurritur, si excommunicatus exerceat actum proprium ordinis solemniter, & quasi ex officio, vt iura citata loquuntur.

Confirmatur, quoniam idcircò Clericus in minoribus ordinibus constitutus excommunicatus, si cantet epistolam, quod spectat ad Subdiaconum, non efficitur Irregularis, quia Clericus in minoribus ordininibus non potest cantare Epistolam solemniter, idest cum debitis ornamentis, & solemni apparatu, præsertim cum manipulo, quem nullus inferior Subdiacono deferre debet, vt inquit B. Antonin. 3. par. tit. 28. cap. 5. §. 1. ex sententia Petri Palud. sicut neque Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus eandem irregularitatem incurreret, si epistolam eodem modo cantaret, vt Anton. vbi supra; quare irregularitas propter hanc causam contrahitur, quia exercetur actus proprius ordinis cum debita solemnitate, igitur si Clericus ex officio exerceat solemniter actum ordinis minoris, efficietur irregularis, si sit excommunicatus. Et hoc mihi videtur probabilius asserere.

Multo magis affirmandum est irregularem fieri subdiaconum, si in excommunicatione cum manipulo, & vestibus sacris in Missa solemni cantet epistolā, & fortiori ratione Diaconum, si cantet Euangelium, quod munus non permittitur, nisi habenti ordinem Diaconatus, & cum sacris vestibus, Riccard. dist. 18. art. 7. q. 5. Innoc. in c. fin. De excess. Prælat. & ibi Abb. Silue. V. Irregularitas §. 15. Nauar. De Horis Canon. cap. 27. num. 40.

Dictum est de Actibus ordinum ecclesiasticorum, qui si exerceantur à Clericis in illis ordinib. constitutis in excom. inducunt irregularitatē vt distinctè de singulis actibus probatum est, & propter easdem rationes incurritur irregularitas si suscipiatur aliquis ordo in excom. quod expressum est in iure c. 1. De eo qui furt. Ordi. suscep. c. Cum illorum de sent. excom.

Neq; ignorantia iuris ab hac irregularitate excusare potest, puta quod promotus nescierit, recipientem ordinem in excommunicatione fieri irregularem, neque etiam ignorantia facti, quando est crassa & culpabilis, si tamen esset probabilis ignorantia facti excusaret argument. cap. Apostolicæ de Clerico Excommunicato Mini. Ratio est quia hæc irregularitas incurritur ob delictum, sed qui probabiliter excom-

excommunicationem ignorans ad ordines promouetur, experseſt peccati. Nauar. in Manua. cap. 27. n. 244. Couar. in cap. Alma par. 1. §. 6. nu. 9. Hoc autem intelligendum eſt de excommunicatione maiori, nam obſtrictus minori excommunicatione quamuis ſuſcipiendo ordines peccet, non efficitur tamẽ irregularis cap. Si celebrat De Cleri. Excom. Mini.

Et non ſolum irregularis fit qui in excommunicatione recipit ordines, ſed etiam qui illos recipit ab Epiſcopo excommunicato. Quod non eſt intelligẽdum de quocunq; excommunicato maiori excõmunicatione. Sed hæc conſtitutio iure antiquo locum habebat in Epiſcopo qui publice excommunicatus erat; Vnde ſi Epiſcopus ordinans erat occulte excommunicatus; Ordinatus non ſolum recipiebat characterem, ſed etiam ordinis executionem, Abb. cap. Ad probandum nu. 15. De Re Iudi. Innoc. in cap. 1. nu. 4. De Schiſma. Verum hodie poſt Extrau. Conc. Conſtan. Ad euitanda, hoc ius antiquum coarctatum eſt; Quare hoc tempore qui ſuſcipit ordines ſolum ab Epiſcopo excommunicato nominatim & denunciato, vel notorio Clerici percuſſore, eſt irregularis & ſuſpenſus ab executione ordinis ſuſcepti, non autem ſi ordinatus fuerit ab Epiſcopo alio modo excommunicato. Quamuis Epiſcopus quocunque modo ſit excommunicatus conferendo ordines peccet, & efficiatur irregularis, ſicut etiam quacunque ratione ſit excommunicatus qui promouetur ad ordines, licet recipiat characterem, peccat tamen, & caret executione ordinis; Ratio eſt ſæpius repetita; Quoniam priuilegium Concilij Conſtantienſis nullum fauorem tribuit ipſis excommunicatis.

Quæres An excommunicatus ſciẽter recipiens Clericalem Tonſuram, Irregularis efficiatur; Et dubitari poteſt ob eam rationem, quia appellatione Clericorũ intelliguntur etiam ſolam Tonſuram habentes cap. Cum contingat De Aeta. & Quali.

Reſpondeo non fieri Irregularem, maxime ex ſententia Theologorum qui communi conſenſu affirmãt; Primam Tonſuram non eſſe ordinem, ſed diſpoſitionem, initium, & ianuam ad ordines recipiendos; Neq; habere aliquod officium Eccleſiaſticum annexum, quod ſolemniter exerceri debeat per eum, qui Tonſura initiatus eſt.

CAPVT II.

An Sacerdos excommunicatus adminiſtrando ſacramenta efficiatur Irregularis.

SAcerdos excommunicatus adminiſtrans ſacramenta regulariter incurrit ipſo Iure Irregularitatem, vt habetur in cap. Si quis 4. Vndecima q. 3. & cap. Si quis 3. ead. cau. & quæſt. Et licet in his locis, & in alijs ſimilibus expreſſa mentio fiat ſolum de celebratione, quæ propriè accipitur pro ſacrificio Miſſæ; Tamen Doctores intelligunt illa de adminiſtratione ſacramentorum, & de omni celebratione diuinorum officiorum, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 163. & 244. dicit eſſe communem opinionem Iuriſtarum, & eodem modo dicunt Theologi in 4. diſt. 18. Riccard. art. 7. q. 5. Gabr. q. 2. art. 3. & alij.

Dixi autem regulariter, quia nonnunquàm excommunicatus Sacerdos adminiſtrans ſacramentum non contrahet irregularitatem, nimirum ſi ob huiuſmodi adminiſtrationem non erit reus culpę mortalis; Ratio eſt, quia hæc Irregularitas impoſita eſt in pœnam, non propter ſignificationem, pœna autem non incurritur, vbi culpa non intercedit. Quarè quando adeſt aliqua cauſa legitima, & iuſta, quæ excuſare poſſit huiuſmodi excommunicatum miniſtrantem, non contrahet hanc irregularitatem, vt ſi laboraret ignorantia inculpabili, vt dicitur in cap. Apoſtolicæ De Cleri. Excom. Mini. Et probant Palud. in 4. diſt. 18. quæſt. 6. & Adrian. in 4. q. 3. De Clauibus except. 7. Sed, ſi ignorantia eſſet culpabilis, non excuſaret ab irregularitate; Oportet autem, vt ſit talis negligentia, quæ ſufficiat ad peccatum mortale, quia irregularitas eſt grauis pœna, ideo ſupponit grauem culpam; Vndè in dicto cap. Apoſtolicæ habetur: *Si fortè ignorantia craſſa, aut ſupina, vel erronea fuerit*, Quæ conditiones non cõueniunt illi negligentiæ, quæ ex leui culpa prouenit.

Duæ tamen occurrunt hac in re principales dubitationes, quæ ſunt elucidandæ. Prima dubitatio eſt, an hæc irregularitas cõtrahatur propter adminiſtrationem cuiuſcunque ſacramenti ſine vlla exceptione, nàm Riccard. in diſt. 18. art. 7. q. 5. Videtur excipere ſacramentum Pœnitentiæ, putat enim ſacerdotem excommunicatum, tradendo abſolutionem ſcienter in foro poenitentiæ, non contrahere Irregularitatem, tum quia non inuenitur hoc in Iure expreſſum, nàm in cap. Si quis Epiſcopus in Concilio ita habetur; *Si quis Epiſcopus in Concilio excommunicatus fuerit, ſiue Presbyter, aut Diaconus à ſuo Epiſcopo, & poſt excommunicationem præſumpſerit facere oblationem, vel Veſpertinum, aut Matutinum ſacrificium, quaſi in officio ſuo agere, ſicut prius, non liceat ei nec in alio Concilio ſpem reconciliationis habere*: Nihil dicitur de ſacramento Pœnitentiæ, ergo hæc poena non comprehendit adminiſtrantem hoc ſacramentum: *Quia pœnæ legum interpretatione molliendæ ſunt potius, quam nimis exaſperandæ*, vt dicitur cap. Hæc autem verba §. Poenæ de Poenit. diſt. 1. Tum etiam quia abſolutio ſacramentalis datur ſine ſolemnitate, ergo non inducit irregularitatẽ.

Contrarium tamen eſt verum, ſcilicet irregularitatem contrahi ex adminiſtratione cuiuſcunque ſacramenti, ad quam neceſſarius eſt aliquis ordo, facta in excommunicatione ſine vlla exceptione, Addo, Si neceſſarius eſt aliquis ordo, vt excludam, quando Baptiſmus confertur priuatim, ex illa enim adminiſtratione non contrahitur irregularitas, quia ille actus non requirit neceſſariò ordinẽ, cum conueniat etiam laicis, vt oſtendam paulò poſt, & præter baptiſmum nulla apparet ratio propter quam aliud ſacramẽtum excludere debeamus ab hac vniuerſali Concluſione.

Probatur, quia abſolutio ſacramentalis eſt actus præcipuus ordinis ſacerdotalis; ad hunc enim ordinem duo primarij actus pertinent, nempe conficere Chriſti Corpus, & abſoluere à peccatis. Nec obſtat, quod hoc ſacramentum adminiſtretur ſine ſolemnitate, ſicut inquit Riccar. Primò quia ad incurrendam irregularitatem ſatis eſt, quod adminiſtretur ſacramentum ex officio, & poteſtate Miniſtri, ratione ordinis, quem habet, & qui requiritur ad illam actionẽ, & hoc modo ſacerdos tradit abſolutionem ſacramentalem, tanquam actum proprium ſibi competentem ratione ordinis ſacerdotalis. Secundo falſum eſt ſacramentum Poenitentiæ non habere ſuas ſacras ceremonias tùm in verbis, quæ proferuntur à ſacerdote, tum in alijs actibus exterioribus. Minus obſtat, quod abſolutio ſacramentalis ſecretò impendatur, quia miſſa etiam poteſt celebrari coram vnico tantùm miniſtro, & è contra abſolutio poteſt publicè alijs conſpicientibus tradi, quamuìs confeſſio ſecretò fiat.

Si quis objiciat ex alio cap. nõ oriri irregularitatẽ

Ad incurrendam irregularitatem ob administrationem sacramenti, necesse est, vt sacramentum itá conferatur, vt ad illum actum sit, necessarius aliquis ordo; Solemnitates autē, quæ adhibentur in Baptismo solemni ex vniuersali Ecclesię consuetudine postulant ordinem Sacerdotalem, & à solo Presbytero solent fieri, & hac de causa si Sacerdos excommunicatus illas conferat irregularitatem contrahit.

Si loquamur tandem de dispensatione Eucharistiæ, censeo idem esse asserendum, nempe Sacerdotem excommunicatum distribuendo Eucharistiam, vel deferendo ad Infirmum fieri Irregularem, quia tale ministerium est graue, & spirituale, ac sacrum, & propriū Sacerdotis ratione sui ordinis, quod tantum in necessitate committi potest Diacono; qui similiter, si in excommunicatione ex licentia Sacerdotis hanc functionem exerceat, erit quoque Irregularis; Et totum id sequitur ex Regula generali, nempe semper irregularitatem incurri, quoties excommunicatus exercet actum proprium alicuius ordinis, quem habet.

Sed insurgit ratio dubitandi, an hæc Irregularitas contrahatur ab inferiori Clerico, vel etiam laico, qui præsumpserit Sacramentū Eucharistiæ distribuere.

Respondeo in hoc casu non contrahi Irregularitatem ex hac causa, quia in excommunicatione administret Sacramentum Eucharistiæ, & ratio est, quia pœna irregularitatis ob administrationem Sacramēti, vel alterius Sacræ actionis attinentis ad aliquē ordinem, imponitur Clerico excommunicato ministrāti in officio, & ordine suo, sic enim habetur in c. Is, cui De Sent. Excomm. lib. 6. cap. Si quis Episcopus 11. quæst. 3. Quare si Clericus Inferior excommunicatus vsurpet sibi ministerium ordinis superioris, non erit Irregularis ex hoc capite, vt si Diaconus Missam celebret, vel Subdiaconus Euangelium solemniter cantet; Et multo minus si Laicus hæc attentare audeat, quia hæc Irregularitas solis Clericis imposita est, qui in excommunicatione in ordinibus, & officiis suis præsumunt ministrare, vt patet ex ipsa Rubrica De Clerico Excommunicato ministrante. Hinc est, quod si Laicus excommunicatus fingens se sacerdotem exterius celebret, non incurrit hanc irregularitatem; Ita communiter sentiunt Doctores, Innoc. cap. vlt. num. 2. De Excess. Prælat. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 242. & 244. Dixi autem in his actibus non incurri Irregularitatem ex hac causa, quoniam nolumus excludere irregularitatem ex alio capite, nempè ex ficto ministerio; De qua agitur in Tit. De Cleri. non ordi. mini.

CAPVT III.

De quibusdam dubiis ad explicationem clariorem eiusdem effectus.

PRima dubitatio sit, si quis existimans se esse excommunicatione obstrictum, celebret ex contemptu excommunicationis, An, si re vera non sit excommunicatus, celebrando incurrat Irregularitatem.

Respondeo non incurri in hoc casu Irregularitatem, quia hæc irregularitas non incurritur, nisi propter excommunicationem, ergo vbi non adest excommunicatio, nulla est irregularitas re ipsa, licet quandiù ei non constiterit non fuisse excommunicatum, debeat se gerere tanquam irregularem, & si celebrat in hac conscientia erronea, grauiter peccet; Sed cum primum certior erit non fuisse ex- A communicatum, etiam si celebrauit, non indigebit dispensatione, vt si quis percusserit Titium communiter pro Clerico habitum, & ante absolutionem, vel antequam certior reddatur Titium non esse Clericum, sed Laicum, celebret, non efficitur Irregularis, nec est excommunicatus, quia requiritur veritas Clericatus ad incurrendam excommunicationem, vt notat Glos. in cap. Si verò 2. Ver. Ignorauerit, & ibi Abb. num. 7. De Sent. Excom. Vbi citat Federicum De Senis consil. 13. Idem tenet Siluest. excommunicatio 6. §. 6. Vers. Sed si intendens, & Maiol. lib. 3. De Irreg. cap. 21. nu. 15. Hoc idem dicendum est; Si excommunicatus existimet se exercere actum aliquem attinentem ad ordinem, sed re B vera non sit actus ordinis, nam in hoc casu non contrahit irregularitatem, Vt si Sacerdos in choro recitet psalmos, aut Responsoria, Abb. in cap. fin. nu. 5. De Excess. Prælat. vel si benedicat mensam, vt ibidem notat Abb. arg. cap. fin. 44. distin. Non enim sunt actus ordinis, & à laicis etiam fieri solent.

Ob eandem rationem, si quis credat recepisse talē ordinem, quem re vera non suscepit, & in excommunicatione exerceat actum illius ordinis, quo se initiatum esse censet, non contrahit notam irregularitatis; Quare si Accolitus excommunicatus cantet Epistolam, vel Subdiaconus Euangelium, non efficitur Irregularis, neq; Laicus fictè celebrans. Quamobrem error ex ignorantia facti proueniens, quando aliter C se habet, non est causa Irregularitatis, quāuis peccet, qui scienter contra talem conscientiam erroneam, quam habet, agit contra Legem.

Sed quæri potest, quid sentiendum sit in casu opposito, quando quis credit se non esse excommunicatū, vel dubitat de excommunicatione; An si celebret aut exerceat actum ordinis, efficiatur irregularis, si postea appareat esse excommunicatione innodatum.

Respondendum est cum distinctione, si loquamur de ignorantia facti, quia dubitat quis, an opus commiserit, cui re vera annexa est excommunicatio, tunc si dubitans habet conscientiam Loesam, vel ignorat culpabiliter, & audeat celebrare cum se exponat pe- D riculo, efficitur Irregularis, si postea comperiat verè excommunicationis vinculo obstrictum fuisse, cap. Apostolicæ De Cleri. Excom. Mini. Vbi statutum est indigere dispensatione respectu Irregularitatis Clericum suspensum, vel excommunicatum celebrando, si ignorantia fuit crassa, & supina, Vbi idem confirmat Abb. nu. 1. Quod si ignorantia sit probabilis, non incurrit irregularitatem: Quoniam ignorantia probabilis excusat; Ita expressè habetur in eodem cap. Apostolicæ his verbis: *Verum quia tempore suspensionis celebrastis diuina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos*, & in c. Veritatis de Dolo, & Contum. Vbi Abb. nu. 45. Specul. in tit. De Dispens. §. Iuxta Ver. Vt autē in hac.

Ex his colligitur responsio ad dubitationē in casu, E qui contingere potest, quando Sacerdos ad Altarem accedens nullius est conscius excommunicationis, sed in progressu Missæ ad eius memoriam redit crimen ab eo commissum, vnde cognoscit se esse innodatum aliqua excommunicatione, An si prosequatur Missam, fiat Irregularis.

Dicendum est non debere dimittere Missam, & si illam perficiat, non incurrere Irregularitatē; Ita inquit Silue. V. Eucharistia 2. q. 7. post Hugo. in cap. Nihil 7. q. 1. Quia hæc videtur probabilis ignorantia, quæ excusat innodatum hac Censura, si celebret dicto cap. Apostolicæ De Cleri. Excom. Mini.

Si vero loquamur de ignorantia Iuris, ità vt quis dubitet ex dubio Iuris, an sit excommunicatus, si audeat celebrare, non semper fit Irregularis, sed vtendum est eadem distinctione, si ignorantia fuit probabilis, tunc excusatur ab Irregularitate, si autem fuit ignorantia crassa, & culpabilis, incurrit irregularitatem, quia causa huius Irregularitatis est delictum.

Dubitant Doctores, quando quis percutiens Franciscum, quem putabat Laicum, & tamen erat Clericus, & mente sua anxius, an inciderit in Canonem; Si quis suadente Diabolo, & persistens in hac dubitatione audeat celebrare, an efficiatur Irregularis.

Huius difficultatis solutio pendet ex eo, vt sciamus an percutiens Clericum, volens percutere Laicum, errans in persona incidat in excommunicationem.

Qua in re diuersimodè sentiunt Doctores, Glos. in cap. Si verò 2. Ver. Ignorauerit De Sent. Excom. refert opinionem Ala. qui dixit in Excommunicationem incidere illum, qui putauit percutere Titium Laicum, & errãs circa personam percussit Martinum Clericum; Quam sententiam ibi Glo. in fi. tutiorem esse asserit, & probari potest; Quia iniuria illata est Clerico. l. vlt. ff. De Furt. l. Illud §. vlt. & l. seq. ff. De Iniur. cap. 1. & cap. Veniens De Sent. Excom. Quam opinionem videtur etiam approbare Siluester excommunicatio *6. §. 6.* Vers. Dicit tamen Tancredus, & dicit esse Host. & vtitur ratione ad illam cõfirmandam, quoniam talis dabat operam rei illicitę volens percutere Laicum, quod non fit sine suasione Diabolica.

Oppositum sentit Tancr. & Io. de ligna. quos citat Silnester, nempe Percutientem Clericum ignoranter, si error sit in persona, non esse excommunicatum, & tenet Abb. in dicto cap. Si vero in fi.

Probari potest Primò ex verbis dicti c. Si vero, ibi: *Si vero aliquis in Clericum nutrientem Comam manus iniecerit violentas, Propter hoc non debet Apostolico præsentari conspectui, nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum esse Clericum ignorauerit.*

Secundo error in qualitate, excusat ab excommunicatione, puta si percutiatur Clericus ignoranter, quia non incedebat in habitu, & Tonsura, ergo multo magis error in persona habebit vim excusandi, si concurrat cum errore in qualitate, vt inquit Abb. vbi supra.

Tertio ad incurrendam excommunicationem duo requiruntur, scilicet non tantum actualis percussio Clerici, sed animus, & voluntas percutiẽdi Clericum; Quod indicant verba Canonis, si quis suadente 17. q. 4. cum dicit: *Si quis suadente Diabolo*. Sed hoc postremum cessat in eo, qui, habens propositum percutiendi Laicum, per errorem percutit Clericum, ergo non efficitur excommunicatus, licet enim de facto iniuria illata sit huic personæ ordinis Clericalis, non tamen sub hac ratione formali.

De hac quæstione in terminis legenda est Glosa in l. Si qua per calumniam in fi. C. De Epi. & Cleri. & in l. fin. C. De Cri. Expi. hę.

Ex his duabus opinionibus hæc secunda mihi videtur probabilior, quare dicerem ad propositam difficultatem eum, qui percussit Titium, quem existimabat Laicum, & verisimiliter putabat esse talem, quia habebatur communiter pro Laico, & indutus erat habitu Laicali, non incidere in excommunicationem, si vere postea constiterit esse Clericum, quia licet peccet contra præceptum Dei, non intendit tamen facere contra Constitutionem Ecclesię, cap. Si quis suadente, quia ignorabat illum esse Clericum, arg. cap. Vt ani-

A marum De Constit. lib. 6. Et ex consequẽti si post percussionem celebret, non contrahit irregularitatem; Quæ incurritur solum, quando quis post excommunicationem immiscet se diuinis, nisi teneat contrariam sententiam, quod excommunicatio incurratur in hoc casu. Quod si ignorantia de Clericatu sit culpabilis, & crassa, quia persona percussa deferebat habitum, & Tonsuram, & reputabatur Clericus; Percutiens remanet vinculo excommunicationis ligatus, nam idem est scire, & velle non scire; Quare si persistens dubius de excommunicatione celebret, contrahit Irregularitatem, quoniam talis ignorantia crassa, & affectata non excusat illum, vt dicitur in citato cap. Si verò De Sent. Excom.

B Secunda dubitatio erit, An ad incurrendam hanc Irregularitatem semper necesse sit, vt actus ordinis administretur cum omnibus solemnitatibus, & ceremonijs, cum quibus iuxta communem vsum Ecclesiæ regulariter exerceri solet, & debet, E.G. dubitatur si Episcopus conficiat Chrisma, aut conferat ordines sine vestibus sacris, aut similem actum gerat, qui exerceri nequit in substantia, nisi ab Episcopo. Et idem quæri potest, si sine vestibus sacris, & alijs ceremonijs consecret, vel administret sacrum oleum infirmis.

Respondeo, quod etiam si huiusmodi actus administrentur prætermissis consuetis solemnitatibus, & ceremoniis ex institutione Ecclesiæ adhibendis, nihi-
C lominus Minister excommunicatus eo modo exercens illos actus irregularitatem non euitat.

Ratio est, quia tales actus per se, & quantum ad suã substantiam sunt solemnes, etiam si nulla accidentalis, & extrinseca ceremonia adhibeatur; Neque possunt exerceri, nisi per Ministrum consecratum; Secus verò est de alijs actibus, qui propterea solemniter fieri dicuntur, si solemnitates, & ceremoniæ requisitæ adhibeantur, sicut probatum est in primo cap. Vt est cantare Euangelium, vel Epistolam, vel similia exercere; Ideirco Diaconus, vel Subdiaconus excommunicatus, cantando Epistolam, aut Euangelium sine vestibus sacris, minime contrahunt irregularitatem. Quamobrem, vt sciamus, si sit irregularitas contracta, nec ne,
D perpendendum est, an actus gesti sint prioris, vel posterioris generis.

Tertia dubitatio sit, An minister excommunicatus efficiatur irregularis, si celebret diuina officia non solum in Ecclesia, sed etiam extra eam, de quo dubitare contigit, quoniam in cap. Is, cui De Sent. Excom. lib. 6. ita legimus: *Is, cui est Ecclesiæ ingressus interdictus, cum sibi per consequens consequatur in ipsa diuinorum celebratio interdicta, irregularis efficitur, si contra Interdictum huiusmodi in ea se ingerat in suo agens officio sicut prius.* Igitur si ratione Interdicti Ecclesiastici incurritur irregularitas, solum vbi diuina officia celebrantur in Ecclesia, idem dicendum erit de Excommunicatione; Ideo Glo. ibi Ver. In ea, notat: Nõ fieri irregularem, si sub Aere,
E Vel sub Tentorio, vel in domo priuata celebret.

Oppositum tamen tanquam verius est affirmandũ celebrationem diuinorum officiorum esse causam irregularitatis, siue in Ecclesia celebrentur, siue extra eam, & vbicunq; fiant.

Hoc ostendi potest, primo ex verbis cap. 1. De Sent. Excom. lib. 6. *Si contingeret eos sic suspensos diuina officia exequi, sicut prius, irregularitatem non effugient*, nulla sit mentio de Ecclesia, sed simpliciter sine vlla limitatione prohibetur diuinorum officiorum celebratio.

Secundo excommunicatus excommunicatione Maiori

iori simpliciter suspensus est ab omni actu ordinis, & exercendo incurrit irregularitatem, siue exerceat in Ecclesia, siue extra; ideo si Sacerdos excommunicatus indutus pluuiali intersit publicæ processioni, & extra Ecclesiam publicè dicat orationem, fit irregularis, quia est officium annexum ordini sacerdotali; Eodem modo administrans sacramentum Extremæ Vnctionis, vel Matrimonij extra Ecclesiam. Et ita de alijs similibus.

Tertiò circumstantia illa loci, scilicet Ecclesiæ, non ita reddit ministerium solemne, vt sine illa, si non prætermittantur aliæ solemnitates, & vestitum sacrarum, & aliarum ceremoniarum, non debeat dici solemne, & sufficiat ad inducendam irregularitatem, si fiat contra præceptum Ecclesiæ.

Neque contra hanc conclusionem aliquid faciunt verba illa citata ex cap. Is, cui de sent. excom. lib. 6. quoniam in eo text. agitur de interdicto à ingressu Ecclesiæ, non de suspenso à celebratione diuinorum officiorum, qualis est excommunicatus. Quamobrē rectè infertur ibi, quod is, cui interdictus est ingressus Ecclesiæ, non potest in Ecclesia celebrare diuina officia, & si celebrat, fit irregularis, sed hanc pœnam non incurrit celebrando extra Ecclesiam, vt Anchar. ibi, & cæteri Doctores notant. At excommunicatus simpliciter suspensus est à celebratione diuinorum officiorum, ergo vbicunque se diuinis immisceat, cōtrahit pœnam irregularitatis.

CAPVT IV.

Explicantur aliæ difficultates de eadem materia.

PRima dubitatio esse potest, an si excommunicatus Episcopus, vel Princeps præcipiat Sacerdoti non excommunicato, & sit causa, vt coram ipso celebret, efficiatur irregularis.

Illud ante omnia communiter asseritur ab omnibus Doctoribus excommunicatum irregularitatem non incurrere, si Missam audiat, quia audire Missam non est actus ordinis, pro quo solum irregularitas imposita est ab ipso iure.

Quod si non tantum audiat, sed causa sit auctoritate sua, vt Missa coram ipso celebretur, vt si Episcopus maiori excommunicatione innodatus Sacerdoti subdito suo mandet, vt sacrum peragat coram ipso, quāuis ipse excommunicatus non celebret, sed tantum audiat, tunc videntur in hac sententia conuenire, vt talis excommunicatus efficiatur irregularis.

Hoc probatur ex Glosa in Clementina 2. de Priuilegijs Ver. Celebrari, Vbi animaduertit aliud esse celebrare; aliud quasi auctoritatem præstando, iubere, vt coram se celebretur, aliud simpliciter audire.

In primis duobus casibus asserit irregularitatem incurrere excommunicatum. Hanc Glosam sequitur Abb. in cap. Illud nu. 8. de Clerico excommunicato ministrante, Hostiensis in eodem cap. nu. 12. & capit. vltimo de Exceß. Prælatorum nu. 2. Franc. in cap. 1. de re Iudic. lib. 6. col. 3. Cardin. in dicta Clement. 2. n. 11. Imola num. 9. Hostien. in cap. finali de Exceß. Prælat. Idem sentit Nauar. in Manuali cap. 27. nu. 244. in fin. & Couar. in cap. Alma mater par. 1. §. 6. in fine.

De Sacerdote autem celebrante coram excommunicato, an ex hoc actu irregularitatem incurrat, dixi in capite secundo Disputationis decimatertię.

Fundamentum huius doctrinæ desumitur ex dicto cap. Illud, vbi hæc habentur in fin. *Pœnam, quam Canon infligit his, qui post excommunicationem diuina præsumpserint officia celebrare, vel se celebrationi ingesserint diuinorum, et non duximus infligendam.* Ergo si ille Episcopus, de quo ibi agitur, non esset excusatus, quia sub spe veniæ id fecerat, incurrisset pœnam Canonis, quam intelligunt Doctores de irregularitate.

Quæret aliquis, an eadem sit ratio, quando excommunicatus est causa, vt Sacerdos celebret coram alio excommunicato, non coram seipso, qui iubet.

Respondeo nullam apparere rationem diuersitatis, quia hæc irregularitas incurritur ab excommunicato, qui est auctor, & causa efficiens, vt sacrum celebretur coram excommunicato, quicunque ille sit, vel ipsemet iubens, vel alius.

Sed dicet aliquis, Ergo efficitur irregularis ille sacerdos excommunicatus, qui est causa, & auctor, vt alius sacerdos celebret etiam præsentibus nō excommunicatis, quia hoc modo se ingerit celebrationi diuinorum, & videtur per alium celebrare maxime si nomine ipsius celebraret.

Respondeo hanc Irregularitatem non esse extendendam vltra casus expressos in dicto cap. Illud, & in Glosa Ver. Celebrari in Clem. 2. de Priuileg. ex quibus locis secundum sensum communem Doctorum accipitur hæc Irregularitas, sed tex. in cap. Illud solum loquitur de excommunicato, qui coram seipso celebrari fecit.

Ratio est, quia tunc se gerit virtualiter tanquam celebrans, quia de ratione Celebrantis est vt ipse interfit sacrificio. Quare si non est causa, vt cōram se celebretur, nec coram alio excommunicato, non se ingerit celebrationi, quod attinet ad hanc Irregularitatem incurrendam.

Sed dubitari potest, an hæc irregularitas incurratur solum à Sacerdote, vel Episcopo excommunicato audiendo Missam auctoritatiuè, idest efficiendo, vt ipso præsente celebretur Missa, vel generaliter contrahatur à quocunque excommunicato etiam laico, si eodem modo causa sit celebrationis.

Ratio dubitādi est, quia textus in cap. Illud loquitur de Episcopo excommunicato.

Respondendum est Conclusionem intelligendam esse de quocunque excommunicato generaliter, siue sit sacerdos, siue non sit, qui modo explicato se ingerit celebrationi diuinorum; nam quicunque est causa, saltem mediata celebrationis in excommunicatione contra sacros Canones incurrit irregularitatem, vnde Glo. Abb. Couar. & alij citati simpliciter loquuntur de excommunicato; Immò Nauar. dicto nu. 244. in fine expressè includit Prælatum, aut Dominum, qui ligatus aliqua Censura facit, vt Sacerdos coram ipso celebret siue Sacerdos sit innodatus Censura, siue non sit; & addit hæc verba, *Aut aliquem ligatum, licet ipse non sit ligatus*, idest intelligit contrahere irregularitatem ex hoc capite illum, qui quamuis nulla sit obstrictus excommunicatione, est tamen causa, vt Sacerdos excommunicatus celebret, quia est causa, vt excommunicatus se ingerat diuinis.

Secunda dubitatio; An excommunicatus, qui se existimat iniustè fuisse excommunicatum, si celebret, irregularitas notam incurrat.

Dicendum est proculdubio irregularem fieri si excommunicatus iniustè, nempè quia in proferenda sententia non fuit debitus Iuris ordo seruatus celebret, vel exerceat actum ordinis, etiam si non agat ex contemptu tam in foro conscientiæ, quam exteriori, nisi fortè sententia excommunicationis contineat manifestum, & euidentem errorem, Glo. in capit. Postulatis

ftis in Ver. Spoliandi, vbi Abb.nu.12. & Doctores de Cleri. excomm. Mini. Abb. in cap. 1. not. 1. de Simon. S. Thom. 4. dist. 18. q. 2. art. 1. ad 4. quæst. Siluest. V. Correctio §. 9. & fusè Burg. de Dispensa. par. 6. tit. de Cleri. excom. nu. 17. 18. & 19.

Si tamen iniuste quis excommunicatus fuit non solum quia in pronuncianda Excommunicatione non fuerit seruatus debitus Iuris ordo, sed etiam defectu causæ, quoniam non præcessit causa legitima, & iusta sufficiens ad inferendam excommunicationē, & absq. scandalo celebrauit in animæ iudicio quoad Deum pœnam nullam incurrit, ita tenet Adrianus quod lib. 6. art. 1. & in 4. q. 4. de Confess. Io. Driedo. de liber. Christiana pag. 235. Sot. in 4. dist. 22. q. 1. art. 1.

B Tertia dubitatio, an contrahat irregularitatem, qui celebrat post excommunicationem, quæ nulla sit.

Non incurrit irregularitatem, qui post excommunicationem, quæ nulla est, celebrat, tex. in cap. Non debet 11. q. 3. *Non debet*, inquit, *pœnam sustinere canonicā is, in cuius damnationem non est canonica prolata sententia.* excommunicatio sane, quæ nulla est, non debet timeri cap. Cui. 11. q. 3. Nec debet ea sententia appellari, quæ nulla est quia sententiæ effectus non parit l. 4. §. Condemnatum ff. de re Iudi. Hæc tamen doctrina intelligenda est, quando nullitatis causa publicata fuerit, vt inquit Nauar. in suo Comment. in cap. Cum contingat de rescript. remed. 2. nu. 4. ex sententia Palud. in 4. dist. 18. q. 1. & B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 73. & Maior. ead. dist. 18. q. 2.

Et hanc sententiam tenuerunt in specie Glo. Domi. & Card. cap. 1. 11. q. 3. Host. in summa tit. de sent. excom. §. Quis sit effectus Vers. Hæc vera, & in tit. de Cleri. excom. Mini. §. Qualiter exculetur, Abb. in cap. Per tuas de sent. excomm. S. Thom. in 4 sent. dist. 18. q. 2. ar. 1. quæst. 4. Quam communem esse dicit Couar. in cap. Alma 1. par. §. 7. nu. 7. & plures casus, in quibus sententia excommunicationis nulla est ipso iure, congessit Glos. in cap. Præsenti de sent. excom. lib. 6. & in cap. Reprehensibilis de Appellat. Nauarr. in Manual. cap. 27. nu. 4. & in dicto cap. Cum contingat, vbi enumerat sigillatim quindecim casus, quibus excommunicatio est ipso iure nulla, quos accepit ex Angelo in summa V. Excommunicatio 4. §. 19. Illud certū verissimum est, quod si Clericus, cōtra quem lata fuit excommunicatio, quæ nulla est, cum maximo populi scandalo celebraret, mortalem culpam ob scandalū contraheret, & ab Ordinario arbitraria poena puniendus esset, ita tenet Palud. in dicta dist. 18. q. 1. & Gabr. q. 2.

Quarta dubitatio, An Sacerdos sit irregularis, qui excommunicatus post appellationem illegitimam, quam credit fuisse legitimam, celebrauit.

Respondeo non effici irregularem; Est doctrina Glosæ singularis, & penult. in capit. Solet de sent. excommun. lib. 6. quæ asserit eum, qui appellauit ante excommunicationem, & credit esse legitimè interpositam, tuto posse celebrare, & hanc Glosam omnes ibi probant. Quare qui bona fide credit suam appellationem valere, & in hac opinione persistens celebrat, non efficitur irregularis, licet postea pronuncietur appellatio illegitima, sic tenet etiam Nauar. in Comment. in cap. Cum contingat de Rescript. remed. 2. nu. 7. Et probat hoc dictum Nauar. conclusione quadam, Abb. in capit. Pastoralis §. Verum col. 4. de Appellat. Et est irregularitatem poenam esse contemptus; Et idcirco eum, qui nesciens se esse excommunicatum celebrauit, non esse irregularem, quia

A contemptus cessat, quod est intelligendum de ignorante probabiliter, & de irregularitate, quæ incurritur ex delicto, qualis est illa, quæ contrahitur ob excommunitationem. Idque locum habet, quando re vera adest bona fides in ipso celebrante de validitate appellationis, vt annotauit Nauar. Nam si aliquo modo sciret, vel scire deberet appellationem suam fuisse minus iustam, ac repugnante conscientia verbis solum pronunciaret se existimare appellationem iustam fuisse; Tunc profecto coram Deo incurreret irregularitatem, quamuis forte per falsas probationes, aut Iudicis prauitatem declararetur appellatio legitima.

Quinta dubitatio; an si quis duplici censura alligatus, puta excommunicatione, & interdicto celebret; duas contrahat irregularitates.

Respondendum est incurrere duas irregularitates, seu potius vnam ex duplici causa prouenientem, ita tenet Nauar. consilio 15. libro 5. De Cleri. excom. ministrante, arg. tex. in c. Cum pro causa de Sent excom. & c. ex parte de off. Ordi. Id etiam Nauar. hac nititur probare ratione, quia qui contra duo, vel tria præcepta vnico actu delinquit, totidem peccata committit, quot præcepta transgreditur, aut vnum peccatum cū tot circumstantijs confitendis, responsio Nauarri vera est; sed nititur falso fundamēto, quia qui vnico actu plura præcepta transgreditur, vnum tantum peccatū C committit, quia vnica tantum est malitia. Sed alia ratione in hoc casu possumus confirmare esse plures irregularitates, quia cum nulla ratio reddi possit, cur magis incurratur ex vna causa, quam ex alia, & dici non potest ex neutra incurri, ergo ex vtraq. & ita indigebit irregularis duplici dispensatione, aut vna ex duplici causa, & vna irregularitas sine altera tolli poterit, & donec altera auferatur, non poterit vti dispensatione alterius, sicut accidit, quando quis ex duplici causa est excommunicatus; Indiget enim absolutione ab vtraque causa, & potest vna tolli, altera remanente. Hinc sequitur, vt si dispensatus fuerit super vna irregularitate quis, vt possit beneficium retinere, quod obtinuit in irregularitate, cum pluribus teneretur D obnoxius, debet etiam ab alijs dispensationem impetrare cum noua dispensatione retinendi beneficium in eisdem obtentum, quia voluntas Papæ volentis facere aliquem habilem non obstante quadam irregularitate sibi expressa non fuit velle eum facere habilem, non obstante alia, quā ipse non nouit, quæque ei expressa minimè fuit, vt dicitur in l. de qua re ff. de Iudi. & cap. Super litteris de rescript.

Sexta dubitatio; an si subditus Sacerdos Prælato præcipienti sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, vt aliquid ad certum, & assignatum tempus faciat, non paruerit, & transacto die celebret, efficiatur irregularis.

Respondendum est cum distinctione, vel tale præ E ceptum latum est ab ipso Iudice ad instantiam alterius, vt si Iudex iubeat debenti pensionem, vt infra mensem sub poena excommunicationis latæ sententiæ debeat soluere pensionem super beneficio assignatam, vel tale præceptum fit ab ipso Prælato propria auctoritate ex officio nemine instigante, vt si Episcopus præcipiat Clerico, vt sub poena excommunicationis latæ sententię infra mensem dimittat Concubinam.

Si loquamur de hoc secundo præcepto, quod nullam habet relationem ad tertium, si subditus non pareat, erit excommunicatus ipso facto absque alia in-

tima.

timatione, quia ipsom præceptum habet vim intimationis, vt declarabimus, quando tractabitur de forma seruanda in pronuncianda excommunicatione. Et propterea si clapso termino celebrauerit, cootrahet irregularitatem.

Si vero loquamur de primo pręcepto, quod relationem habet ad alium cuius gratia mandat aliquid superior sub poena excommunicationis, vt in exemplo proposito de Beneficiario, qui tenetur soluere pensionem, solutio difficultatis; an celebrans elapso die assignato, si non soluerit, contrahat irregularitatem, oritur ex alia quæstione principali; an talis Beneficiarius incidat in excommunicationem eo ipso, quod non soluerit, antequam transeat dies termini absque alia intimatione; an vero requiratur consensus ipsius creditoris declarantis velle pensionarium esse obstrictũ, vt non ante sit excommunicatus, qoam creditor declaret velle ipsum esse excommunicatum.

Primam opinionem teoet Antonius Massa in libello de obligatione Camerali pag. 136. & alij Canonistę, Nauar. etiam cap. 27. nu. 274. quia dies interpellat pro homine. Secundã vero amplectitur maior pars Doctorum, Couar. 1. par. §. 9. nu. 4. in cap. Alma Mater, quia pars, dum debitum non exigit, videtur dilationem concedere, & Iudex nõ debet velle excommunicare, nisi iuxta partis voluntatem, de qua controuersia ego inferius suo loco disputabo.

Si tueamur primam sententiam, consequenter dicendum est ad difficultatem propositam, trãsacto termino, si celebret ille, qui præceptum habuit contrahere irregularitatem, quoniam excommunicatus est. Si vero sequamur secundam opinionem, quæ communior est & probabilior, non erit Irregularis, nisi celebrauerit postquam monitus erit de voluotate partis declarantis velle ipsum incidere in excommunicationem, tunc enim obstringitur censura. Ita tenet Cassad decis. 2. nu. 3. tit. de locato. Bernard. Diaz in Pract. Crimin. cap. 233. §. Erit. similiter.

Postremo dubitari potest, an excommunicatus celebrando vltra pęnam irregularitatis iocurrat etiam pœnam depositionis. Ratio dubitandi oritur ex tex. in cap. Clerici de Cleri. excom. Mini. Vbi imponitur pęna perpetuæ depositionis aduersus Clericum excommunicatum, si monitus, celebrare nõ cessauerit, ergo non tantum Irregularitas incurritur, verba tex. sunt, *Clerici autem si qui &c. ante absolutionem diuina officia celebrauerint, nisi m oniti sine dilatione redierint, perpetua depositionis sentẽtiam pro ausu tantę temeritatis incurrãt.*

Respondeo per excommunicationem excommunicatus est suspensus, seo priuatus facultate administrandi sacramenta, & immiscendi se rebus sacris, & diuinis officijs, quod si præsumpserit tractare res sacras, & celebrare diuina officia, sicut prius ex officio, incurrit pęnam irregularitatis ipso Iore, & dignus est perpetua depositione. Talis igitur erit condemnãdus perpetua depositione, quamuis vellet corrigere se & agere pœnitentiam iuxta sententiam Glo. in dicto c. Clerici Ver. Moniti, quæ putat non esse oecessariam monitionem præcedentem, sed præmitti solere dispẽsatiuè, vel potius vt notat Abb. in eod. cap. num. 2. ex sententia Host. Quando excommunicatus, qui celebrauit, paratus est velle se corrigere, tunc Episcopus potest dispensare non deponendo illum, vnde monitio requiritur ad facultatem dispensandi; Quare, vt inquit Abb. in cap. Latores nu. 2. de Cleri. Excom. Mini. Omne crimen inducẽs irregularitatem est depositione dignum, Bernard. Diaz in sua Pract. Crimin. c. 33.

A Hæc tamen differentia est inter vtramque poenam, vt idem Diaz ootat, quod irregularitas contrahitur in casibus ipso iure, tamen poena depositionis, qua punitur irregularis, infligitur per sententiam, vt inquit Io. And. in d. cap. Clerici de Cleri. excom. Mini. quem sequitur Turre Crem. in c. Si quis Episcopus 11. q. 3.

Hinc colligi potest alia differentia, quam iosinuat Abb. in eodem cap. Clerici, quod irregularitate iam contracta ipso Iure non potest Clericus liberari per Inferiorem à Papa; sed à depositione imponenda per Iudicem dispensari potest ab Episcopo, si Clericus paratus sit se corrigere, vt non deponatur, quia cum iam contraxerit ipso Iure pœnam irregularitatis, facilius potest cum illo dispensari quod poenam depositionis B ex dispositione Iuris infligendam, ne duplici poena conteratur, cap. At si Clerici de Iudi.

Quare in criminibus gradatim est progrediẽdum, vt inquit Glo. in cap. Cum non ab homine Ver. Postmodum de Iudi. Quando enim quis per Iudicem Ecclesiasticum punitur pro crimine, si crimen sit adeo graue, vt postulet suspensionem; Debet reus primo suspendi, & si corrigatur, cessandum est à poenis, sin minus, deponendus; quod si vltra in flagitijs insordescat, tradendus est Curiæ seculari, ita dicitur cap. At si Clerici, & cap. Cum non ab homine de Iudi. Crescente enim scelere crescere debet poena, ff. de Poeo. l. Relegati. Vbi vero poena incipit à cõtumacia, si causa digna est poena excommunicationis; Delinquens C excommunicatur, si deinde celebret, efficitur irregularis, quod si non se corrigat, sed iterum, & sæpius Immisceat se diuinis contemnẽs excommunicationem deponitur; Nam, vt diximus, omne crimen inducens irregularitatem est depositione dignum, sed si in profundum malorum veniens hæc omnia contemnat, est Ecclesia oon habeat vltra quid faciat, ne sit perditio plurimorum; Tunc deoium traditur Curiæ seculari, vt dicitur in dicto cap. Cum non ab homine, & ibi Abb. nu. 28. Igitur vltimo loco, vbi nulla manet spes correctionis, tradendus est Curiæ seculari, ne eius prauo exemplo alij inficiantur; Et sic intelliguntur illa cap. Clericus 3. q. 4. & si quis Sacerdotum 11. q. 1. Quando vero Clericus statim post depositionem tradatur D Curiæ seculari notat Glo. in c. Ad abolendam Vers. Relioquatur de Hæret. & Abb. in capit. At si Clerici. num. 37. de Iudi.

CAPVT V.

Quis possit dispensare super hac Irregularitate, quæ ratione Excommunicationis incurritur.

HAec Irregularitas est ex delicto, vt diximus; Incurritur enim in poenam inobedientiæ, qua excommunicatus audet legem Ecclesiæ violare, administrando sacramenta, & communicando in rebus sacris, cum sit priuatus tali potestate propter excommunicationem.

E In qua irregularitate Iure communi dispensat solus Papa, vt omnes Doctores consentiunt, sicut notat Nauarr. in Manuali cap. 27. nu. 245.

Probatur euidenter ex cap. 1. in fin. de sent. excom. lib. 6. Vbi Innocentius Quartus de suspenso à diuinis celebrante ita statuit, *Quoniam si contingeret eos sic suspensos diuina officia exequi, sicut prius, irregularitatem non effugient iuxta Canonicas sanctiones, super qua non nisi per summum Pontificẽ, poterit dispensari.* Ergo multos magis id affirmandum est de excommunicato, quia excommunicatio continet suspensionem & addit

aliquid

aliquid grauius. Quare ex pluribus casibus Romano Pontifici reseruatis hic est vnus, vt inquit Glo. Ver. Sũmum, alij casus referuntur in cap. Quod translationẽ de off. leg. & cap. Sicut vnire de excell. Prælat. Recenset etiam multos casus Host. in summa tit. de off. leg. §. Quid pertinet, & Turre Crem. in cap. Huic sedi dist. 17. idem definitum fuit ab eodem Innoc. Quarto in cap. 1. de sent. excom. & re iudi. eodem lib. De Iudice ob latam sententiam per gratiam, vel per sordes suspenso, *Quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se diuinis, irregularitatis laqueo se inuolues secundum Canonicas sanctiones, à qua non nisi per summum Pontificem, poterit liberari*. Et in his locis Anchar. & Franc. & alij idem affirmant.

Secundò eadem conclusio probari potest ex his, quę dicit Glo. cap. 1. De eo, qui furt. ordi. susce. vbi Alexander Tertius committit Episcopo, vt dispenset cũ quodam, qui Diaconatus ordinem furtiue suscepit, idest sine licentia sui Episcopi, & sine examine, cap. Quando 24. dist. & cap. Promouetur 64. dist. nisi contra hoc facientes lata erat excommunicatio, tunc enim prohibet, ne cum sic promoto possit dispensare, vbi Glos. Ver. Dispenses hæc notat, *Hinc est optimum argumentum, quod Episcopi non possunt dispensare cum illis, qui excommunicati diuinum officium exercere præsumunt, & eo ipso, quod dicit, Tu ipse pro tuo arbitrio dispenses, si excommunicatio lata non fuerit, intelligitur prohibere, cum lata fuerit*. Episcopus igitur Iure communi non poterat dispensare cum excommunicato, qui ordinem suscepisset, nisi talis irregularis excõmunicatus ingressus fuisset Religionem, & ibi laudabiliter per aliquod tempus versatus esset; tunc enim dispensabat Episcopus, sed non iure sui officij, verum auctoritate Papæ, vt inquit Glo. Ver. Poteris misericorditer. Eadem repetuntur in c. vlt. eod. tit. Si ergo non conuenit Episcopo potestas dispensandi cum eo, qui in excommunicatione suscepit sacramentum ordinis, neque etiam poterit dispensare cum illo, qui in excommunicatione administrat sacramentum, cum sit idem impedimentum prouenìens ex eadem causa, nempe excommunicationis.

Sed quantum ad dispensationem ab irregularitate contracta ratione celebrationis in excommunicatione dubitari solet à Doctoribus, an ita soli conueniat Romano Pontifici tantum, vt nunquam illam concedere possit Episcopus Diœcesanus, vel saltem Legatus à Latere.

Pro parte affirmatiua, quod liceat Episcopo, seu Legato à Latere super hac irregularitate aliquando dispẽsare, facit Glosa in §. Nisi rigor Ver. Vt plerisq. 1. q. 7. vbi late, & distincte tractat de dispẽsatione, & simul de causis, ob quas solet concedi dispensatio, & ait Episcopum posse dispensare in omnibus casibus, in quibus non legitur eis prohibita dispensatio; deinde recenset casus, in quibus potest dispensare, & inter alios enumerat, quãdo excommunicatus ministrauit in ordine suo, & citat ad hoc capit. Quanto 2. q. 5. Idem notauit Glo. in Summa, & in cap. Miror dist. 50. & capit. Dilectus de tempor. ordin. similiter Glo. in cap. Si quis Episcopus damnatus Ver. In alia 11. q. 3. loquens de illis, qui post excommunicationem celebrant, inquit, *Posset tamen dici, quod Episcopus cum talibus posset dispensare*, & concludit, quod ipsi delinquentes non debent habere spem fore restituendos ab alia Synodo, *Tamen ipse* scilicet Episcopus *potest in casibus talibus dispensare*.

De Legato è Latere, quod possit dispensare cum

A irregulari ob celebrationem in excommunicatione probatur, quia vt dicit Glo. in cap. Clerici Ver. Moniti de Cleri. excomm. Mini. Legatus gerit vicem Delegantis, & absoluit excommunicatos, quorum absolutio reseruata est Papæ, cap. Quod translationem de off. Leg. cap. Quamuis, cap. Ad eminentiam de sent. excom. Ergo poterit dispensare super irregularitate contracta ratione excommunicationis.

Ex altera parte communiter omnes conueniunt, si tractetur de Episcopis, non conuenire illis facultatem dispẽsandi in casu aliquo cum irregulari in ordinibus sacris constituto, si in excommunicatione scienter celebrauit.

Dixi si in ordinibus sacris sit constitutus, quoniam B si Clericus excommunicatus ministraret in minoribus ordinibus esset aliqua ratio dubitandi ex sententia illorum, qui nolunt incurri irregularitatem ex actibus spectantibus ad minores ordines. Et nonnulli tenent cum Clerico excommunicato ministrante in minoribus ordinibus posse Episcopum dispensare, vt Archid. in cap. Si quis Episcopus in Concilio 11. q. 3.

Hæc conclusio expresse habetur in citatis textibus cap. 1. de sent. & re iudi. lib. 6. cap. 1. de sent. excomm. eodem lib. cum Glo. in quibus idẽ Innocentius Quartus reseruat dispensationem ab hac irregularitate Romano Pontifici. Ad idem confirmandum facit text. in cap. Si quis Episcopus damnatus, & Glo. Ver. in alia 11. q. 3. & cap. Sequens, & cap. 1. cum Glo. Dispen- C ses de eo, qui furt. ordi. susce. Et conueniunt Doctores, Geminia. in dicto cap. 1. de sent. excomm. lib. 6. Franc. ibi §. Caueant nu. 2. Abb. in cap. Clericis nu. 2. de Cleri. excom. Mini.

Episcopis permittitur solum, vt possint dispensare cum illo, qui suscepisset habitum Religionis, & in ea aliquo tempore laudabiliter versatus esset, vt habetur in dicto cap. 1. De eo, qui furt. ordin. susce. *Cui, ex quo in habitu illo aliquanto tempore fuerit laudabiliter conuersatus, poteris misericorditer prouidere*. Idem confirmatur in cap. vlt. *Verumtamen si ad Religionem aliquam voluerunt se transferre, & peracta pœnitentia pro arbitrio tuo eis iniuncta ibidem laudabiliter fuerint conuersati, pro- D cessu temporis cum eis poteris de nostra licentia dispensare*. Neque in hoc casu dispensat Episcopus iure proprio, sed auctoritate Papæ, vt patet ex illis verbis, *De nostra licentia*, vt annotauit Glo. in capit. 1. Ver. Poteris misericorditer, Nauar. in Manuali cap. 27. nu. 241.

Si vero agatur de Legato à Latere Glo. in dicto c. Clerici Ver. Moniti de Cleri. excom. Mini. tenet Legatum posse absoluere ab excommunicatione, dispensare autem non posse super irregularitate; sed hoc reseruatum esse Papæ. Alij Doctores affirmant Legatum posse cum huiusmodi irregulari dispensare, ita Lapus Alleg. 13. in fine, vbi asserit Legatum posse dispensare cum suspenso, qui celebrando irregularitatẽ contraxit, si id in contemptum clauium non fecerit, E etiam si scienter, vel ex crassa ignorantia se immiscuerit diuinis, Specul. in tit. de Lega. §. Nunc de Episcoporum Ver. Quid si Legatus de Latere, Franc. vbi supra, & citat Ioan. Andr. eandem potestatem concedit Legato, sed addit hanc consuetudinem inductam esse potius de facto, quam de Iure, Domin. cap. Ephesijs in 4. Notan. 44. distin. Abb. vbi supra, & citat Host.

Ita possunt conciliari hæc dicta opposita, vt dicamus solum Papam posse dispensare super irregularitate contracta ratione celebrationis in excommunicatione, & hanc potestatem non competere Legato de Iure ratione sui officij & ex generali mandato, sed

tan-

tantum cõuenire posse Legato ratione cõsuetudinis. A

Huius dicti primam partem expressè probant illi duo Textus c. 1. De re iudi. & c. 1. de sent. excom. lib. 6. in quibus Papa sibi soli reseruat hanc dispensationem, & ita dicit Glo. in dicto c. Clerici, & ibi Abb. & Specul. locis citatis. At iurisdictio Legati ex generali legatione non extenditur ad ea, quæ Sedes Apostolica sibi specialiter reseruauit, vt dicitur in c. Quod translationem de off. leg.

Confirmatur, quia dispensatio se habet sicut restitutio in integrum, quæ non delegatur per generale mandatum, vt ff. de Mino. l. illud, ergo nec dispensatio.

Si contra obijcias ex c. quæ de causa 2. q. 5. Vbi B. Gregorius scribens Rauennati Archiepiscopo mandat ei, vt imponat pœnitentiam Maximo Episcopo B Salonitano, quòd excommunicatus celebrauerit, & quidquid de eo disposuerit, promittit se ratum habiturum. Potest igitur Legatus Papę cum his irregularibus dispensare, & talis dispensatio est valida, verba tex. sunt, *Et ideo quidquid vobis, secundum Deum placet, securi disponite, nec aliquod de nobis dubium habeatis; nam quidquid à vobis de hac causa fuerit ordinatum, nos & gratè suscipimus, & libenter admittimus.*

Confirmatur ex c. vlt. 93. dist. vbi idem honor mandatur exhiberi Legato sicut Papæ, & l. vni. in fi. ff. de off. Præfe. Præto. ibi, *Credidit enim Princeps eos, qui ob singularem industriam explorata eorum fide, & grauitate ad huius officij magnitudinem & cæt.*

Ad c. quæ de causa respondendum est ibi inferio- C rem dispensare auctoritate Papæ, & ex speciali eius commissione, & eodem modo intelligendum est c. Quanto eadem cau. & quæst.

Ad confirmationem dico Legatum Papæ Generalem omnia posse, quæ iure, Summi Pontificis auctoritatem postulant, præter ea, quæ sunt Papæ expressè reseruata, c. Nuper de sent. excom. c. quod translationem de off. lega.

Quamobrem de iure dignitas Legationis facultatẽ dispensandi cum excommunicato minimè tribuit, licèt ab excommunicatione Legatus absoluere valeat, ex consuetudine verò de facto legati hac iurisdictione dispensandi vtuntur, vt citati Doctores testantur.

Sed rursus Glosa in dicto c. Clerici Ver. Moniti de Cleri. excom. Mini. quærit, an idem sit dicendum, quando Clericus excommunicatus ob celebrationem fuit per sententiam sui Prælati depositus, & degradatus, scilicet Episcopum nõ posse huiusmodi Clericum depositum restituere, sed id ad solũ Papam pertinere.

Respondit Glo. ex sententia Hug. Ius restituendi Clericum depositum in pristinum gradum dignitatis pertinere ad solum Papam; & habetur in c. si quis Presbyter 7. q. 1. *Quod si &c. inobediens perseuerauerit omni modo ab officio suo deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere, si vero propter hanc culpam depositum alius Episcopus susceperit, & ipse à communi Synodo poenam merebitur increpationis tanquam Ecclesiastica iura dissoluens.* Vbi Glo. in ver. spem, notat non posse restitui Clericum depositum ab Episcopo, vbi pro crimine deponitur, secus si pro contumacia; addit tamẽ Glo. in c. Clerici, quòd si Episcopus deposuit Clericũ tãtum à Sacerdotio, poterit ipsemet illum recipere in inferioribus ordinibus, arg. c. Quid admisit 15. q. 8. Si verò depositus fuit ab omnibus ordinibus, solus Papa restituere potest, quod locum habet, si iustè fuerit depositus, Nam si iniustè hac pœna esset mulctatus ex falsa depositione Testium, vel falsis instrumentis, Episcopus restituere potest, vt dicitur c. Episcopus 11. q. 3. *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus à gradu suo iniustè deiectus, si in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse, quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram Altari de manibus Episcoporum.* Hæc dicuntur à Glo. in c. Clerici.

Verum Glo. in hac difficultate, an Episcopus possit restituere Clericum depositum, & degradatum, vel hoc sit reseruatum Summo Pontifici, varijs & diuersis modis solet respondere, vt animaduertit Abb. in c. Clerici n. 3. de Cleri. excom. Mini. Nam Glo. in c. Ideo Ver. Ac restitutionibus 2. q. 5. proponit hanc dubitationem ad vtramq; partem, & concludit hoc modo. *Ad hoc dicas, quod si est solemniter degradatus, solus Papa potest eum restituere, secus si est verbo solo depositus.* Idem repetit Glo. in c. Contumaces Ver. Dignitatemq; in fi. dist. 50. & in c. si quis Presbyter 7. q. 1. Glo. Ver. Spem paulò ante citata inquit, *Ergo restitui non potest Clericus depositus ab Episcopo, & hoc verum est, cũ pro crimine deponitur, secus si pro contumacia*, Glo. in c. Episcopus Ver. Synodo 11. q. 3. *Hic est argumentum, quod Episcopus potest restituere Clericum depositum, quod verum est, cum dicit depositionem nullam, quia per falsos testes, vel per allegationes est conuictus.*

Quamobrem Glo. variis modis in hac dubitatione loquitur, & hæc varietas ortum habuit ex diuersitate opinionum, quas habuerunt Doctores in hac quæstione de potestate Episcopi, quando valeat dispensare, & quando careat potestate dispensandi, vt est videre apud Glo. in cap. At si Clerici §. de Adulterijs de Iudi. Vbi late tractat hanc dubitationẽ, & latius examinatur in additione, quæ habetur post dictã Glo. sed non opus est referre, quæ à Doctoribus dicuntur ad hanc quæstionem, satis est, si respondeamus ad peculiarem difficultatem, de qua tractamus, an Episcopus possit restituere Clericum depositum, & degradatum.

Ad quam dicimus Episcopum non posse restituere Clericum excommunicatum, depositum, & degradatum propter celebrationem; Quia Episcopus potest dispensare iuxta magis communem opinionem, vbicunque non inuenitur hoc iure prohibitum, c. Nuper, c. A nobis 2. de sent. excommunicat. ergo in his, quæ D sunt ei prohibita, dispensare nequit, huiusmodi est restitutio Clerici depositi in pristinum gradum, sicut habetur in c. si quis Presbyter 7. q. 1. c. si quis Episcopus damnatus cum Glo. Ver. in alia 11. q. 3. & in alijs Iuribus citatis.

Confirmatur hoc idem ratione si Episcopus non potest dispensare cum excommunicato super irregularitate contracta ex causa celebrationis, vt probatum est, ergo multo minus putandum est illi permissum esse restituere Clericum excommunicatum per sententiam degradatum ad suum gradum, cum talis depositio infligatur quasi in pœnam irregularitatis, quia noluit se corrigere, & pœnitentiam agere.

Hæc dicta sint de dispensatione super irregularitate, E quam contrahit excommunicatus celebrando ex dispositione Iuris Antiqui.

Verum hoc tempore post Concilium Trid. ex decreto eius sess. 24. cap. 6. de reform. concessa est Episcopis dispensandi facultas super omni irregularitate prouenienti ex delicto occulto excepto homicidio voluntario, quare cum hæc irregularitas sit ex crimine, vt diximus, poterit ab ea dispensare Episcopus, quando delictum erit occultum. Sed difficultas esse potest, quando dicatur peccatum occultum ex mente Conc. Trid. vt Episcopus dispensare valeat. Qua in re legendus est Abb. c. Vestra de cohab. Cler. & Mulier.

Occul-

Occultum duplex eſt, Vnum per ſe, Alterum per accidens; Per ſe occultum eſt, quod in ſe, & ex ſe cognoſci non poteſt ab hominibus, huiuſmodi ſunt cogitationes mentis, deſideria, & actus interiores voluntatis, & hoc occultum Deus ſolus iudicat, nec ſubeſt excommunicationi, Irregularitati, aut Pœnæ humanæ. Occultum per accidens eſt, quod re vera poteſt ex ſe, & in ſe cognoſci ab hominibus, tamen de facto non cognoſcitur, qualia ſunt dicta, aut facta hominis, quæ ſecretò fiunt. Hæc per ſe, & in ſe cognoſci poſſunt, quia exteriora ſunt, & ſi interfuiſſent homines, quando illa dicebantur, vel agebantur, cognoſci potuiſſent, tamen de facto non ſunt nota, quia nemine præſente ſunt executioni tradita.

Et hoc occultum per accidens duplex eſſe poteſt, alterum, quod opponitur probabili, nempè quod eſt adeo latens, vt nullo teſte probari poſſit, & hoc partim iudicio Eccleſiæ ſubijcitur, partim minimè, duplex enim eſt iudicium humanum; aliud externum, quod in cauſæ cognitione, probatione, & ſententia conſiſtit, & huic iudicio talia occulta non ſubijciuntur, cum deſit medium, quo illa probari poſſint; aliud eſt iudicium humanum, quod in præcepto, aut prohibitione conſiſtit, & pœnam in genere imponere poteſt; vt quando Prælatus præcipit ſub excommunicatione lata, ne quis veſcatur carnibus tali die, Tunc, ſi quis veſcitur, quamuis ità occultè, vt probari nequeat, ſubeſt pœnæ Eccleſiaſticæ, & erit excommunicatus; huic iudicio interiori, hæc occulta per accidens ſubijciuntur, quamuis probari non poſſint; alterum occultum per accidens eſt, quod opponitur publico, ſeu notorio, aut famoſo, quod enim nec notorium, nec famoſum eſt, dicitur occultum, quamuis poſſit per aliquos teſtes comprobari, dummodò non ſint tot teſtes, qui poſſint facere rem notoriam.

His ſuppoſitis, dico facultatem conceſſam Epiſcopo diſpenſandi ſuper irregularitate ex occulto crimine intelligendam eſſe de occulto per accidens, occultum enim per ſe non conſtituit aliquem irregularem, & de occulto per accidens tàm probabili, quàm improbabili, ideſt, vt clarius dicamus, dummodò non ſit notorium, aut publicum, aut proximum notorio, vel publico; quod ex verbis Cõcilij apertè deducitur; permittitur enim, vt Epiſcopus diſpenſare poſſit in occultis, quæ non ſunt deducta ad forum exterius; igitur, ſi ſint eius generis, vt nondum ſint deducta, quamuis deduci poſſint, diſpenſare poterit.

Dices, quid ſi diſpenſauit, quando nondum erant deducta in iudicium, & poſtea fuerunt deducta, exiſtimo diſpenſationem factam prodeſſe in foro interiori, non exteriori.

Si quæratur, an delictum poſſit dici occultum ad hunc finem, vt Epiſcopus valeat diſpenſare, ſi excommunicatio ſit occulta, etiam ſi publica ſit celebratio, vel è contra ſi excommunicatio ſit manifeſta, quamuis occulta ſit celebratio.

Reſpondeo in hoc caſu delictum vocari poſſe occultum, quoniam in ratione delicti non eſt notum, vt enim talis reputetur delinquens, neceſſe eſt, vt ambæ conditiones ſint notæ, nempe vt ſit excommunicatus, & vt celebrando violet præceptum Eccleſiæ; quare ſi altera ignoretur, delictum erit occultum, & Epiſcopus poterit diſpenſare; quod pluribus probat Nauar. in Manua. cap. 27. n. 255. Verſ. duodecimo dico, legendus eſt etiam num. 194. & 241.

Illud quoque prætermittendum non eſt hanc conceſſionem factam Epiſcopo non competere Abbatibus,

A nec Prælatis, Religioſorum, nec Cardinalibus in ſuis titulis iuxta ſententiam ſacræ Congregationis ſuper Concilio ex declaratione Gregorij xiij. Summi Pont. Quia quamuis prædicti habeant iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem ſuo modo, Epiſcopi tamen non ſunt.

Licet quoque Epiſcopo in hoc caſu Irregularitatis occultæ propter excommunicationem poteſtate ſibi à Concilio conceſſa deputare Confeſſarium, qui ipſum abſoluere poſſit, & diſpenſare, ſi forte irregularitatem ex eodem capite contraxerit ex ſententia eiuſdem Congregationis.

B

CAPVT VI.

An excommunicatus ſit priuatus priuilegijs Clericalibus, & immunitatibus Eccleſiaſticis, quamdiu vinculo excommunicationis obſtrictus manet, vel gaudeat aliquibus priuilegijs.

CVM ex his, quæ in hac Diſputatione hactenus pertractata ſunt, conſtet excõmunicatum propter excommunicationem priuatum eſſe ab Eccleſia, ne poſſit legitime ordines Eccleſiaſticos ſuſcipere, neque in ſuſceptis ante excommunicationem adminiſtrare durante excommunicatione, meritò quæri poteſt, an propter eandem rationem ſit priuatus priuilegijs Clericalibus, quæ à Sacris Canonibus, Clericis conceſſa ſunt fauore ordinis, non perſonæ, quibus Cle- C ricus renunciare non poteſt, cap. Contingit 1. de ſent. excomm. cap. Si diligenti de foro compet. Hanc quæſtionem diſcutiemus in hoc poſtremo capite præſentis Diſputationis.

Plura autem, & varia ſunt priuilegia, quibus Clerici gaudent, de quibus tractat Innocentius in cap. Nouerit de ſent. excomm. Gemini. in cap. 1. §. In cæteris num. 4. De Cleri. Coniuga. lib. 6. Alia reſpiciunt perſonam Clerici, Alia res, & bona ipſorum, præcipua ſunt duo Canonis 17. qu. 4. c. Si quis ſuadente & fori c. 2. De foro Compet. Sequuntur deinde alia multa, nempe quod vexari non poſſint exactionibus, & Collectis, neque alijs vexationibus Gloſ. c. vni. Ver. Omni priuilegio de Biga. lib. 6. & Gloſ. in dicto cap. 1. de D Cleri. Coniug. lib. 6. Non tenentur ad pedagia, cap. Quanquam de Cenſi. lib. 6. & c. 1. De immuni. Eccleſiaſt. eodem lib. Non poſſunt cogi ad ſuſcipiendas curas, vel Tutelas l. Generaliter C. de Epi. & Cleri. confirmata in cap. Generaliter 16. q. 1. & cap. fin. 86. diſt. Item non poſſunt accuſari à laicis cap. De Cetero de Teſti. cap. Cum P. De Accuſa. 2. q. 7. in Summa, Non poſſunt compelli, vt per ſe ipſos iurent de calumnia, ſed poſſunt illud preſtare per Procuratorem cap. 1. De Iuramen. Calumn. Habent etiam priuilegium quoad familiam De quo in l. 2. C. De Epi. & Cleri. cap. Iudicatum 89. diſt. De his priuilegijs queri poteſt, an Clericus excommunicatus tempore excommunicationis quouſque abſolutionem non obtinuerit, illis omnibus E carere debeat, vel ſaltem aliquibus.

Hinc inde ad vtramque partem confirmandam rationes afferri poſſunt.

Pro parte negatiua, quod Clericus excommunicatus huiuſmodi priuilegijs, & fauoribus gaudere non debeat, facit primò, quoniam, ſi Clericus contrahens cum corrupta, vel Vidua, ſtatim priuatur omni priuilegio clericali, vt dicitur in c. Quiſquis, & ibi Glo. Ver. Duxerit diſt. 84. & in cap. Altercationis cum Gloſ. eodem Ver. De Biga. lib. 6. Multò maiori ratione equum videtur Clericum, qui propter delictum, & contumaciam, excommunicationis vinculo obſtrictus fuit priuandum

uandum fore omni honore, & dignitate Clericali; Si enim amittitur priuilegium Clericale per talem celebrationem Matrimonij (quod fieri potest sine ulla culpa, si Clericus sit in minoribus Ordinibus constitutus) multò magis amitti debet per excommunicationem, quæ sine graui peccato non contrahitur.

Secundo Clericus immiscens se enormitatibus amittit priuilegium Clericale etiam Canonis, Si quis suadente, quod est commune omnium Clericorum absque vllo discrimine cap. Cum non ab homine, cap. Perpendimus De Senten. Excomm. Ergo eodem modo priuatus erit excommunicatus, cum non nisi pro lethali culpa, cui adiuncta sit inobedientia, & contumacia, infligatur excommunicatio- B nis pœna.

Tertio Clericus depositus priuatus est omni priuilegio Clericali, vt dicitur in cap. 2. in fin. De Pœnis lib. 6. Sed excommunicatio est maior pœna, quàm Depositio, nam, vt inquit Abb. in cap. Mulieres num. 12. De Senten. Excomm. Excommunicatio est maxima pœna, qua nulla maior reperitur in Ecclesia, vt dicitur cap. Corripiantur 24. quæst. 3. & probaui in Disputatione prima, libri primi. Ergo magis excommunicatio hunc effectum producere debet expoliandi Clericum omni dignitate, atq; Immunitate Ecclesiastica.

C Quartus excommunicatus per excommunicationem separatus est à corpore Ecclesiæ, ita vt non dicatur membrom huius corporis, cap. Omnis Christianus, & seq. 11. quæst 3. Vnde non est particeps suffragiorum, & aliorum bonorum communium, quæ aliis fidelibus applicantur ex institutione Ecclesiæ; Ergo iure, & merito carere debet illis immunitatibus, & fauoribus, quibus alij Clerici obedientes Ecclesiæ ex eius benignitate gaudere permittuntur: *Quia frustra Ecclesiæ auxilium inuocat, qui committit in eam*, cap. Quia frustra De Vsur. & Reg. Iur. *Ex eo non debet quis reportare commodum, quod impugnare nixus est*, De Reg. Iur. lib. 6.

D Ex altera parte probari potest per excommunicationem non denudari Clericum huiusmodi priuilegiis. Primo quoniam excommunicatio non potest tollere ordinem Ecclesiasticum ab ipso Clerico, neque delere Charactertm impressum in Anima, cap. Quod quidam prima quæst. 1. cap. Licite 32. quæst. 7. argum. cap. Dictum 81. distinct. Sed hæc priuilegia concessa sunt ordini Clericali, non personæ, & idcirco Clericus non potest renunciare his priuilegiis, cap. Inolita 11. quæst. 1. & ibi Glos. Ver. Pontifice, & cap. seq. & De Foro Compet. cap. Si diligenti, Glos. in cap. Contingit 2. Vers. Coercenda De Sent. Excomm. Quare cum in Clerico excommunicato maneat ordo, non est, cur asserere debea- E mus ab ipso sublata esse priuilegia, quæ ordinem consequuntur.

Secundo Clericus excommunicatus tenetur ducere vitam Clericalem, pertinet ad forum, Ecclesiasticum, non amittit beneficium, quod ante habebat, obligatus est ad horas canonicas, Ergo non est dicendum amittere priuilegia Clericalia.

Tertio idem confirmari potest arg. l. vlt. ff. De Decurio. Vbi prohibetur, nè Decurio, (postquam desierit tali officio fungi, si damnetur) torqueri possit, in memoriam prioris dignitatis; Eodem A modo, Clericus excommunicatus in memoriam pristinæ dignitatis non erit priuandus priuilegiis Clericorum.

Quartò Hoc idem euidenter probari videtur in cap. 1. & cap. De Monialibus De Sent. Excomm. Vbi si duo Clerici, vel Sanctimoniales se inuicem percusserint, vtraque incidit in excommunicationem, & tamen, quæ secundo loco percussit, iniecit manum violentam in excommunicatam, quia cum iam primò verberasset, tenebatur alligata excommunicatione, sicut ergo excommunicatiu non tollit priuilegium Canonis, ità non poterit auferre priuilegium fori, & alias immunitates Ecclesiasticas.

Ad hanc difficultatem quibusdam propositionibus B respondendum est. Prima propositio sit, Clericus excommunicatus, irregularis, suspensus, seu alia censura innodatus non est priuatus priuilegiis Clericorum, & præsertim Canonis, & Fori. Et eadem ratio est de aliis personis Ecclesiasticis quæ eisdem priuilegiis fruuntur.

Et quidem, si loquamur de Excommunicato videntur omnes consentire in hac conclusione, Glo. in cap. Contingit primo Ver. Ordinati De Sent. Excom. Vbi proponit hanc difficultatem quoad priuilegium Canonis; Si quis suadente, & respondet non amitti hoc priuilegium per excommunicationem; Idem asserit de hoc eodem priuilegio Canonis Innocentius C in cap. Si verè num. 3. De Sent. Excomm. Io. Andr. in Reg. Delictum in Mercuria. Abb. in cap. Contingit 3. num. 12. De Sent. Excomm. quia priuilegium Canonis non conceditur fauore personæ, sed ordinis Clericalis, Felin. ibi in fine, Silue. Excommunicatio 6. §. 4. Vers. De Excommunicato verò, B. Antoni. 3. par. Sum. tit. 24. cap. 1. Vers. Percutiens Clericum excommunicatum, Nicol. Plouius in suo Tract. De Excommunicatione in prima par. num. 26. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 79. & omnes alij. Et quod dicitur de priuilegio Canonis, idem est asserendum de priuilegio fori, & de Immunitate in rebus, ob eam rationem, quia talia etiam priuilegia concessa sunt ordini, D non personæ: Vnde priuatus Clericus non potest illis renunciare, vt dictum est supra, notat Glo. in cap. Vni. Vers. Clericalis De Cleri. Coniug. lib. 6. Et hæ tres immunitates, scilicet personæ, fori, & rerum, in quibus consistit priuilegium Clericale, simul comitantur Clericum, simulque etiam, & ob easdem causas amittuntur, vt notat Bonincontrius in Tract. breuissimo De Priuileg. Clericorum §. Sed quia principaliter; Et quod diximus de Excommunicato, idem affirmant Doctores de Suspenso, Interdicto, & Irregulari absque vlla controuersia, vt expresse Nauar. vbi supra. Hoc idem sentiendum est de Immunitate concessa sacris Templis, quæ æque prodest excommunicato, sicut alijs; Nam excommunicatus ob sui E tutelam ad Ecclesiam confugiens ob aliquod crimen non potest inde inuitus abduci eo quod excommunicatus sit, neque à Ministris Curiæ comprehendi potest secundum Hostien. citatum à Couar. lib. secundo. Variar. Resol. cap. 20. num. 11. Imol. in Clement. De Pœnit. & Remiss. Henri. in cap. vlt. De Immun. Ecclesiast. colum. 5. & ratio est, quia hæc immunitas Ecclesiis, non Delinquentibus hominibus ab ipso Iure concessa est, licet non desint aliqui Doctores, qui censeant excommunicatum Ecclesiæ immunitate gaudere non debere, vt inquit Petrus Rebuff. in Tract. super concorda. in Rubr. De Excommunicatis non

vitandis fol. 734. Vers. Vigesima tertia si excommunicatus, ob eam rationem, quia frustra Ecclesiæ auxilium inuocat, qui committit in eam, capitulo Quia frustra de Vsur. & Reg. Iur. ex eo non debet quis reportare commodum, quod impugnare nixus est De Reg. Iur. libro sexto, & idem existimant Felin. capitulo secundo, de except. & Summa Confessorum tit. de immunit. Ecclesiarum quæstione quinta, dum asserunt excommunicatos perinde atq; Infideles indignos esse Ecclesiasticæ immunitatis beneficio.

Sed fortè sunt intelligendi hi Doctores de illo excommunicato, qui se ab Ecclesiæ Sacramentis diù separatum esse patitur, de cuius fidei constantia, & puritate esset nonnihil dubitandum, sicut dubitare solet Ecclesia, quæ excommunicatos huiusmodi negligentes absolutionem obtinere, consueuit post annum hæreticæ prauitatis Inquisitoribus tradere, super Articulis fidei examinandos, talis enim excommunicatus hac Ecclesiastica immunitate incapax iudicari debet, sicut dicunt Doctores de Infideli, & Hæretico, vt probabo in fine huius capitis.

De deposito, seu Degradato est aliqua difficultas, nam Glo. in c. 2. Ver. Priuilegio Clericali de Pœn. lib. 6. infert ex illo tex. reprobari opinionem illorum, qui dicebant percutientem degradatum incidere in Canonem propter Characterem, quem ille retinet, & in memoriam pristinæ dignitatis, Putat igitur Glo. probabilius esse affirmare degradatum Clericum, non gaudere priuilegio Canonis, & si cohærenter loquitur idem dicere compellitur de alijs priuilegijs, Immo Glo. ex eodem tex. ibidem concludit aliud, quod omnino falsum, & erroneum est, nempè non esse verum id, quod aliqui Doctores asseruerunt, Sacerdotem degradatum conficere verum Sacramentum Eucharistiæ, vtrumque repetit Glo. de Clerico degradato in c. Accedens Ver. Presbytero dist. 50. Nempe carere omni priuilegio Clericali, neque conficere posse Sacramentum Eucharistiæ quia omnem potestatem amisit, & confirmat in c. Dictum Ver. Seculariter dist. 81. Vbi ait Clericum degradatum esse exauctoratum, & nudatum omni priuilegio.

Verum hoc, quod ait Glo. Sacerdotem degradatum non posse conficere Sacramentum Eucharistiæ non solum falsum est, sed etiam erroneum, vt dicebam, nam Sacerdos quomodocunq; degradatus siue verbaliter, siue realiter verè conficit, vt omnes Theologi vno consensu docent in 4. sent. distinct. 13. & B. Thom. 3. part. quæstione octuagesimasecunda, articulo octauo, Archid. in capitulo Ostenditur distinct. quarta, Silue. V. Degradatio §. 9. Neque in oppositum facit tex. in capitulo secundo De Pœn. libro sexto, vt videtur sentire Glos. quæ omnino est respuenda.

Quantum vero ad priuilegia Clericalia sit secunda propositio Clericus Depositus, seu degradatus verbaliter per sententiam Iudicis non amittit priuilegium Clericale, sed illud retinet sicut excommunicatus. Huius conclusionis eadem est ratio, quam afferebam de excommunicato, quoniam hæc priuilegia conceduntur ordini, non personæ, & cum Clericus per Degradationem non amittat ordinem, neque per illam deleatur Character, ideo, etiam si sit degradatus, non est priuatus huiusmo- A di priuilegijs, antequam Ecclesia intendat illum dictis priuilegijs ex vere secus accidit in Degradato actualiter qui declaratur priuatus omni fauore & priuilegio vt est text. in capitulo secundo in fin. de Pœn. libro sexto, & ibi Glo. Ver. Priuilegio. Hæc enim priuilegia conceduntur ab ipso Iure, & ab eodem Iure facile tolli possunt vt tradit Gemin. in eodem capitulo secundo, §. Poterit in fin. & Franc. similiter in fi. de Pœn.

Hæc Conclusio est contra Glosam locis citatis, communiter tamen asseritur ab omnibus Doctoribus paulò ante relatis, omnes enim concludunt Clericum verbaliter degradatum gaudere priuilegio Clericali.

B Quamobrem falsa est sententia quorundam asserentium quod vbi lex imponit pro delicto aliquo enormi seuissimum aliquam pœnam, nempe vt delinquens comburatur, aut damnetur ad bestias, vel insutus culeo iactetur in profundum Maris, vel per frusta scindatur, aut quid simile, licere tunc temporis Iudici Laico animaduertere in Clericum delictum atrocissimum committentem, aliquo genere pœnæ ex enumeratis pro grauitate sceleris, quod nulla ratione potest confirmari vt annotauit Abb. in capitulo At si Clerici numero quadragesimoprimo, de Iudi. Quia quantumuis immane scelus Clericus committat nunquã perdit priuilegiũ Clericale antequam per Ecclesiasticum Iudicẽ tradatur seculari pu- C niendus, & patet ex dicto capitulo, Cum non ab homine in princip. De iudi. ibi Quibuscunque criminibus & in capitulo Clerici eodem titul. Vbi dicitur *vt de omni crimine Clericus debent coram Ecclesiastico Iudice conueniri*. Nec contraria consuetudo esset alicuius momenti vt inquit Abb. dicto numero quadragesimoprimo, quoniam Papa in citato cap. Clerici ita statuit his verbis, *Nec debet ex hac parte Canonibus ex aliqua consuetudine præiudicium generari*. Vbi Glo. Ver. Consuetudine reddit rationem cur in hoc casu non potest habere locum consuetudo quocunque tempore sit obtenta; & est quoniam cederet in præiudicium libertatis Ecclesiasticæ cap. Ad audien- D tiam de consuet. Quare proposita conclusio est verissima.

Addunt tamen Doctores dictæ conclusioni hanc conditionem, si talis Clericus sit corrigibilis, quare Clericus incorrigibilis exuitur priuilegio clericali, ita docet Abb. in c. Contingit 2. in fin. de sentent. excommun. & clarius in cap. Ad abolendam numero decimo, Ver. In. Glo. V. Prærogatiua de Hæret. Vbi ait Clericum verbaliter depositum retinere priuilegium Fori, & Canonis, cap. Dictum distinct. 81. & capit. Cum non ab homine De iudi. nisi post depositionem sequatur incorrigibilitas, tunc enim ait priuatum esse omni priuilegio Clericali iuxta veram explicationem dicti capituli Cum non ab homi- E ne, & absque vlla monitione comprimi posse per Iudicem secularem, idem tenet Silue. vbi supra, & V. Degredatio §. 9. Nicol. Plou. dicto numero 26. Nauar. num. 79.

Vt discutiamus quid sentiendum sit de hac conditione, quam postulant Doctores ad hoc, vt Clericus dici possit priuatus priuilegio Clericali, supponẽdum est in puniendis delictis Clericorum seruandam esse à Prælatis Ecclesiasticis formam præscriptam in c. Cũ non ab homine de Iudi. Nempè vt Clericus criminosus primo per Iudicem Ecclesiasticũ deponatur, si de-

licta

licta commissa sint enormia digna depositione, & post depositionem, si adhuc contumax, & incorrigibilis perseueret, excommunicetur; quod si neque etiam hoc remedio resipiscat, anathemate feriendus est, idest ceremonijs, & solemnitatibus ecclesiasticis, de quibus dicemus suo loco, denunciandus est publicè excommunicatus, & ab Ecclesia reiectus.

Quod si etiam post hæc omnia incorrigibilis, & obstinatus in malo persistat, exuitur omni priuilegio clericali. Hic modus describitur in dicto capitulo Cum non ab homine de Iudi. seruandus à Prælato ecclesiastico in ferendis poenis aduersus Clericum pro delictis commissis, si nolit se corrigere, sed quotidie magis ad deteriora labatur, text. ita se habet: *Si Clericus in quocunque ordine constitutus in furto, vel homicidio, vel periurio, seu alio crimine fuerit deprehensus legitimè atque conuictus ab Ecclesiastico Iudice deponendus est; qui si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, deinde contumacia crescente Anathematis mucrone feriri, postmodum vero, si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat, vltra quid faciat nè possit esse vltra perditio plurimorum, per secularem comprimendus est potestatem, ità quod ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur.*

Hoc igitur ordine progrediendum est in criminibus Clericorum puniendis, sed tota difficultas consistit in tribus punctis. Primum est, quo pacto cognosci, & diudicari possit, quando Clericus depositus dicendus sit corrigibilis aut incorrigibilis. Secundum dubium est, an incorrigibilitas absque alia monitione exuat Clericum depositum priuilegio clericali, vel potius sit necessaria monitio, Tertium dubium, si post præmissas monitiones adhuc Clericus depositus non se corrigit, sed ad deteriora prolabatur, an eo ipso priuatus sit absque alia sententia priuilegio clericali, vel sit necessaria sententia Iudicis Ecclesiastici, saltem declaratoria, qua declaretur Clericus incorrigibilis, vt Iudex secularis possit illum punire.

Quoad primum dubium Abb. in dicto cap. Cum non ab homine num. 30. Vers. Quæro qualiter deprehenditur, Dicit, quod Clericus dicitur corrigibilis, si statim post Depositionem se corrigat, vel dicat se paratum esse ad corrigendum, & tunc imposita pœnitentia detruditur in Monasterium ad pœnitentiam agendam, cap. Tuæ de Pœn. Incorrigilis apparet, quādo redit ad priora scelera, vel in illis perseuerat, & ter monitus non desistit, & oportet, quod committat eadem crimina, quorum causa fuit depositus, vel æqualia, non enim sufficiunt minora, & leuiora delicta ad constituendum illud incorrigibilem, quidquid dicat Abb. eodem num. 30. Idcirco enim in text. exprimuntur tria genera delictorum enormium, scilicet Furtum, Homicidium, aut Periurium, quoniam vel eadem, vel paria debent esse, quæ reiterantur, vt Clericus depositus dicatur incorrigibilis arg. cap. Vt famæ De sent. excom. 161. *Qui cum sint incorrigibiles, nec in Monasterijs valeant custodiri, ad similia, vel peiora facilè laberentur*, nām in poenis non est excedendum à proprio casu, cap. poenæ de poen. dist. 1. Si igitur Clericus committeret leuiora crimina, non statim dicendus esset incorrigibilis.

Quantum ad secundum dubium Abbas in dicto capitulo Cum non ab Homine num. 28. refert sententiam asserentium Clericum depositum incorrigibilem absque alia monitione priuatum esse priuilegio clericali. Hæc opinio est falsa, & contra text. in dicto capitulo Cum non ab Homine De Iudi. Vbi non permittitur, vt Clericus depositus, etiam si incorrigilis sit, statim tradatur Curiæ seculari, neque subijciatur foro seculari, sed statuitur, vt gradatim Iudex Ecclesiasticus aggrauando poenas experiatur, an his remedijs Clericum à flagitijs, & sceleribus ad vitæ honestatem reuocare possit, antequam tradatur Curiæ seculari per Iudicem laicum comprimendus, Idcirco necesse est, vt dicebam, primò deponi Clericum, Deinde, si nolit se corrigere, excommunicari; ergo non statim cognita incorrigibilitate subijcitur foro seculari, & antequam excommunicatio proferatur, præmittendæ sunt tres monitiones, vt se corrigat in capit. Sacro de Sentent. Excomm. cap. Constitutionem eodem titul. lib. 6. postea debet anathematizari, & si poenitentiam agere velit, adhuc remanet sub potestate Ecclesiæ; quare monitiones sunt necessariæ, & quousque illæ non præmittuntur, Clericus quantumcunq; incorrigibilis gaudet priuilegio Clericali, non enim sufficit elicere incorrigibilitatem Clerici ex simplici iteratione, & repetitione criminis, sed post dictos tres gradus poenarum præmissis monitionibus, vt nihil supersit, quod Iudex Ecclesiasticus experiri possit erga dictum Clericum; ideo dicitur in text. *Cum in profundum malorum venerit, & Ecclesia non habeat vltra quid faciat, nè futurus sit perditio plurimorum, tunc comprimitur per Iudicem secularem.* Hinc colligitur quod si Ecclesia posset vlterius illum punire, non esset priuatus priuilegio clericali, vt si valeret illum sub arcta custodia carceri mancipare, vel alia via retinere. Verum si omnia tentauit, & non potest illum capere, quia non habet familiam armatam, vel sæpius elusit capturam, aut occasione fugiendi captata è carcere exiuit, vt dicitur in dicto capitulo Vt famæ, nec superest spes vlla correctionis, in hoc casu puniri potest per Iudicem secularem.

Quantum ad Tertium dubium, An sit necessaria sententia Iudicis Ecclesiastici Abbas in dicto capit. Cum non ab homine numero vigesimonono ait Cardinalem existimasse requiri sententiam, aliàs, si Clericus coram Iudice laico exciperet de priuilegio Clericali, Iudex non posset cognoscere, an esset de suo foro, capitul. Si Iudex laicus De Sentent. Excommunicationis lib. 6. Vel saltem, sicut etiam dixit Host. requiri, vt per Iudicem Ecclesiasticum talis Clericus tradatur Curiæ seculari.

Sed Abbas putat neutrum fore necessarium, quia cum præcesserint tot actus coram Iudice ecclesiastico, scilicet Depositio Clerici, Excommunicatio, Anathematis Promulgatio, & non resipiscit offerendo se paratum ad poenitentiam, satis clarè constat de eius incorrigibilitate, & contumacia maxime si deprehendatur in fragranti delicto, eo enim ipso, quod perdurat in illa pertinacia, cum non amplius locus sit inficiationi, amittit priuilegium argum. capit. Euidentia De Accu. & capitulo Quanto De Transla. Prælat. Neque contra hoc opponi posse inquit Abbas text. in capitulo Cum secundum de Hæret. libro sexto. Vbi requiritur sententia declaratoria, antequàm bona Hæretici per Iudicem secularem occupentur, Illud enim intelligitur, vbi factum non est adeo notorium, vt nulla sit opus declaratio; quia in incertis opus est coniecturis, non incertis, vt in cap. 2. de Re Iudi.

Ex his duabus opinionibus multo probabilior mihi videtur opinio Cardinalis, vt necessaria sit sententia Iudicis Ecclesiastici, qua declaret Clericum incorrigibilem, neque ei remanere quidquam, quod vltra experiri possit ad illum emendandum, & idcirco eundem tradere seculari potestati.

Probatur primo vbicunque Iurisdictio competit alicui ratione certæ qualitatis, oportet ante omnia constare de illa qualitate capit. Cæterum de iudi. Sed iudici laico non competit comprimere Clericum depositum, nisi post excommunicationem, & Anathema, venerit in profundum malorum, vt probatum est, ergo in primis id constare debet, igitur necesse est, vt Iudex Ecclesiasticus pronunciet illum esse incorrigibilem, ideo in textu dicitur, *Postmodum verò si in profundum malorum venitur*, illa dictio *Postmodum* denotat interuallum temporis inter Anathema, & insordescentiam in profundo malorum.

Secundo priuatio priuilegij Clericalis est noua pœna, sed pœna non incurritur ipso Iure, nisi quoties in ipsa lege pœnali hoc explicatur, verum nullus extat textus, ex quo colligi possit Clericum eo ipso incurrere hanc pœnam priuationis, antequam Iudex Ecclesiasticus per sententiam ita declarauerit, Immo dictum c. Cum non ab homine de iudi. indicat requiri sententiam Iudicis Ecclesiastici, ibi, *Cum Ecclesia non habeat vltra quid faciat, per secularem comprimendus est potestatem*, Quæ verba secundum propriam significationem non habent hanc vim, vt Iudex secularis possit causam huiusmodi Clerici cognoscere, sed quod Iudex Ecclesiasticus cum non valeat vltra quidquam tentare ad illius correctionem, possit ad id opera, & ministerio Iudicis secularis vti.

Tertiò idem probatur ex c. Vt famæ de sentent. excom. Vbi tractatur de his Clericis incorrigibilibus, & describitur forma seruanda in illis corrigendis, ad hunc modum, *Respondemus, quod cum Prælati excessus corrigere debeant subditorum, & publicæ vtilitatis intersit ne crimina remaneant impunita, & per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerant nequiores, non solum possunt, sed etiam debent Clericos, postquam fuerint de crimine canonicè condemnati, sub arcta custodia detinere, qui, cum sint incorrigibiles, nec in monasterijs valeant custodiri, ad similia, vel peiora facilè laberentur*, ergo quamuis Clericus sit depositus excommunicatus, anathematizatus, & maneat obstinatus, & incorrigibilis, Adhuc Prælatus Ecclesiasticus potest, & debet illum capere, & in arctum Carcerem detrudere, ergo non potest dici priuilegio Clericali denudatus, donec Prælatus declarauerit non posse, vel nolle in huiusmodi causa vlterius se intromittere, sed velle tradere potestati seculari. Hoc idem videntur confirmare verba, quæ sequuntur in eodem tex. *Laici verò citra excommunicationis sententiam capere Clericos, & ad Iudicium trahere possunt, si oporteat etiam violenter, dumtamen id de mandato faciant Prælatorum, quorum illi sint Iurisdictioni subiecti, & quorum est corrigere criminosos, cum hoc non ipsi, sed illi, quorum auctoritate id faciunt, facere videantur & cæt.* Quare si laicus non potest Clericum incorrigibilem capere, & carcerare nisi de mandato Prælati Ecclesiastici, ergo talis Clericus non amisit priuilegium Clericale, tunc enim quidquid agit Laicus, non sua, sed Prælati committentis auctoritate facit.

Addamus quoque iuxta hanc opinionem, quod etiam post sententiam declaratoriam Prælati, Clericus depositus incorrigibilis, non erit priuatus omni priuilegio Clericali regulariter, quia licet tunc remaneat exutus priuilegio fori, tamen adhuc gaudebit priuilegio Canonis, Si quis suadente, Quare si quis illum offenderet, incideret in excommunicationem. Id desumitur primò ex dicto c. Cum non ab homine de Iudi. Vbi non temerè dicitur, *Per secularem comprimendus est potestatem*, quoniam non simpliciter denudatur omni priuilegio Clericali, sed limitate, vt Iudex secularis tantum valeat illum punire, ne eius nequitia alijs nocumentum, & ruinam afferre possit, Non est igitur alijs permissum, vt possint citra excommunicationem illum offendere, quia quoad alios gaudet priuilegio Clericali. Secundo idem colligitur ex dicto c. Vt famæ in fi. ibi, *Dum tamen non amplius eorum violentia se extendat, quàm defensio, vel rebellio exigit Clericorum.* Quibus verbis constat concessam esse facultatem ab Ecclesia Iudici seculari in talem Clericum limitatam, neque posse illam excedere, ergo si egrederetur fines Iustitiæ vltra mensuram pœnæ debitæ pro delictis commissis, incurreret excommunicationem, quod, à Glosa etiam ibi videtur insinuatum, cum in fine concludit, *Et ita patet quod Clericus depositus adhuc gaudet priuilegio Clericali.*

Hoc autem verum est regulariter, exceptis quibusdam peculiaribus casibus, nempe vt in c. Contingit 2. de sent. excom. Vbi quidam Clerici incorrigibiles si post trinam monitionem contempserint se emendare declarantur extorres immunitatis Ecclesiasticæ, simile exemplum habetur in capit. In audientia eodem titul. Vbi de quibusdam Clericis, qui relicto habitu Clericali arma militaria gestare minime erubescebant, ad hunc modum statuitur in fine capituli. *Huiusmodi Clerici si à Prælatis suis tertio commoniti militaria noluerint arma deponere de priuilegio Clericorum subsidium aliquod habere non debent*, In his casibus certè non requiritur alia sententia, & declaratio Iudicis Ecclesiastici, vt competat ius seculari Iudici animaduertendi in tales Clericos præter solam publicam notitiam de incorrigibilitate illorum post trinam monitionem suorum Prælatorum, sed sunt casus peculiares, ex quibus non est trahenda illatio ad alios casus, præsertim cum dicti Clerici non solum essent incorrigibiles, sed dimisissent habitum Clericalem, & arma gestarent militaria, Cum tamen vna ex conditionibus necessarijs, vt Clericus gaudeat priuilegijs Clericalibus, sit, vt in habitu incedat, etiamsi coniugatus sit, vt habetur in c. vni. de Cleri. coniug. lib. 6.

Sed contra hoc dictum opponi potest ex cap. Perpendimus de sentent. excommun. vbi Summus Pontifex præcipit, vt imponatur pœnitentia quibusdam interfectoribus, qui de mandato Comitis necauerant Sacerdotem, qui relicto habitu armis acceptis seditionem fecerat, si ex dimissione habitus, & gestatione armorum absque alia sententia, seu traditione Iudicis Ecclesiastici Clericus efficeretur subiectus potestati seculari, & priuatus Priuilegio Clericali, vt dictum est, Papa non mandasset imponi pœnitentiam illis, qui dictum Sacerdotem sine habitu Clericali, & cum

armis

armis interfecissent, cum obtemperassent mandato Iudicis secularis iustè iudicantis, & ille Sacerdos iam pertineret ad illius Forum, c. Minister 23. q. 5. & c. Miles.

Abb. in dicto c. Perpendimus n. 6. & seq. affert varios modos respondendi ex Host. & Io. And. ad hanc dubitationem, quibus prætermissis ego ita dicerem Clericum assumptis armis dimisso habitu immiscentem se enormitatibus antequam ter fuerit monitus, vt habitum reassumat, & arma dimittat, amittere solum priuilegium Canonis si quis suadente 17. q. 4. c. Cum non ab homine de sent. excom. non autem priuilegium fori, Abb. in c. 1. n. 6. de Apost. Sed vbi gestat habitum, & tonsuram, quamuis immisceat se enormitatibus, neque Canonis, neq; fori priuilegium B perdere, vt inquit Io. And. in c. In audientia, de sent. excom. vnde in c. Contingit 2. eodem tit. statutum est Clericos ex dimissione habitus, & gestatione armorum amittere priuilegium fori non simpliciter, sed addita conditione, si post tertiam suorum Prælatorum monitionem obtemperare noluerint, & incorrigibiles maneant, quare minimè hæc inuicem pugnant. Vel etiam dici potest vt respondet Io. Lupus in tract. de libertate ecclesiastica par. 2. quæst. 9. vltra med. Vers. & isto modo possumus intelligere quod Clericus in dicto c. Perpendimus fuit de mandato Comitis fustigatur & patibulo traditus quia antea monitus fuerat ab Ecclesia ne se immisceret bello & enormibus sed ab his desisteret & cum fuisset C incorrigibilis, ab ipso Iure & Iudice Ecclesiastico degradatus fuit vt in c. Cum non ab homine de sent. excom. & tradita facultas secularibus cum capiendi & puniendi.

Posset hic meritò dubitari, quare facilius amittatur priuilegium Canonis, quàm Fori.

Responderi potest, causam huius discriminis oriri, quoniam priuilegium Canonis inductum est, à Iure positiuo, scilicet ab Innocentio Secundo, in c. si quis suadente 17. quæst. 4. sed priuilegium Fori est de Iure diuino, c. Quamquam de Cens. lib. 6. *Cum igitur Ecclesia Ecclesiasticæq; personæ ac res ipsarum non solum Iure humano quinimmo & diuino à secularium personarum exactionibus sint immunes*, c. Si Imperator in fi. 96. dist. D *Non à potestatibus seculi sed, à Pontificibus, & Sacerdotibus Omnipotens Deus Christianæ Religionis Clericos, & Sacerdotes voluit ordinari, & discuti, recipiq; de errore remeantes*, Innoc. in c. 2. de Maio. & Obed.

Hinc fit, vt Clericus etiam in minoribus constitutus ex sola dimissione habitus, & tonsuræ, quamuis deprehendatur in delicto, non amittat eo ipso priuilegium fori ante legitimas monitiones, vt colligitur ex c. Contingit 2. de sent. excommunicationis, & clarius in c. Si Iudex laicus eodem tit. lib. 6. vt notauit Abb. in c. In audientia n. 3. & in dicto c. Contingit nu. 3. de sent. excom. quare c. 2. de Aposta. vbi dicitur *Clerici qui relicto ordine Clericali, & habitu suo in Apostasia tanquam laici conuersantur, si in criminibus comprehensi teneantur per Censuram Ecclesiasticam, non præcipimus liberari*. Ex quibus verbis videtur probari E posse Clericum ex dimissione habitus, & tonsuræ perdere priuilegium Clericale, interpretandum est omissis alijs explicationibus, quæ afferuntur ibi à Glosa, de priuilegio Canonis, non Fori, vt annotauit Abb. in eodem c. n. 6.

Rursus obijci potest contra dicta ex c. vni. de vi. & honest. Cleri. lib. 6. Vbi Bonifacius Octauus declarat Clericos Iaculatoriam artem per annum exer-A centes, scilicet si fuerint goliardi, aut Busones, aut Histriones, ipso facto, absque alia Iudicis declaratione priuatos esse omni priuilegio Clericali, si verò breuiori tempore, debent ter moneri, & si moniti non desistant, Episcopus debet per sententiam declarare illos denudatos omni priuilegio Clericali, Itaque si Clericus per annum exercens artem Histrionis, est priuatus ipso facto absque alia sententia, & declaratione omni priuilegio Clericali, Non est igitur verum id, quod firmauimus, nempè Clericum ob enormia crimina depositum, & etiam ter monitum deinde excommunicatum, & anathematizatum, tandem incorrigibilem, & obstinatum manentem, adhuc tamen retinere priuilegium Clericale, antequam per sententiam Iudicis declaretur incorrigibilis.

Respondeo pœnam illius cap vnici non excedere casum proprium illius tex. scilicet cum Clericus exercet artem illam ignominiosam Histrionis, nec debere extendi ad alium casum, c. Pœnæ dist. 1. Et quandoq; ponitur maior pœna pro minori delicto, vt retrahantur homines ab illo, ad quod fortassè sunt procliuiores, vnde ex similitudine delictorum non potest illatio fieri tanquam ex necessaria consequentia ad similes pœnas, vt notauit Io. Andr. in Reg. odia. de Reg. iur. lib. 6. in Mercur. & maximè vbi pœna imponitur ipso facto, sicut in citato c. vnico de vi. & honest. Cleri. lib. 6. Arg. l. aut facta in fi. ff. de Pœn. & c. Admonere 33. q. 2. & c. Inter. Quare ex illo c. vni. potius sumi potest argumentum ad corroborandam conclusionem propositam, Nam cum in illo tex. excipiantur casus quidam, in quibus ipso facto amittit Clericus priuilegium Clericale, scilicet cum Ioculatoris, seu Goliardi, aut Bufonis artem exercet, & inter hos casus non annumeretur, quando Clericus ob scelera commissa est depositus, ergo standum est Regulæ generali, quod Clericus ob quæcunque delicta depositus nunquam amittat priuilegium Clericale nisi post sententiam, qua iudex Ecclesiasticus illum tradat potestati seculari puniendum.

Sed hoc in loco quæri potest, An verum sit vniuersaliter de quocunque scelerum genere, Non licere Prælato Clericum, depositum etiam ob atrocissimum crimen Curiæ seculari tradere puniendum, antequam præuijs monitionibus incorrigibilis appareat modo explicato.

Glo. in c. Ad abolendam Ver. Relinquitur de Hæret Regulam generalem in hac quæstione firmare videtur, scilicet Clericum depositum semper priuilegio Clericali gaudere, & clericaliter viuere debere neque Curiç seculari tradi posse, donec declaratus fuerit per Iudicem Ecclesiasticũ incorrigibilis, exceptis tribus casibus in quibus statim post depositionem non expectata incorrigibilitate Curiæ seculari relinquitur, Nempe in Crimine Hæresis, in Crimine falsi, & vbi quis depositus est propter calumniam & contumeliam in suum Episcopum illatam At Glo. in c. Nouimus Ver. tradatur de verbo. signif. Vbi agitur de falsario litterarum Apostolicarum simpliciter affirmat, Non debere Clericum statim post depositionem tradi Curiæ seculari si non fuerit incorrigibilis.

Abb. in dicto c. Nouimus n. m. 3. ex Verbis illius tex. inquit colligi posse regulam generalem contra glosam quod citra incorrigibilitatem potest tradi Clericus Curiæ seculari quando delictum est graue & damnosum, & plenius idem asserit in c. At si Clerici & c. cum non ab Homine de iudi.

Dictũ Abbatis est probabilius, quod satis cõfirmatur vsu & consuetudine communi; quare respondendum est ad difficultatem propositam, falsam esse conclusionem Glosæ, & Doct. dicentium peculiare esse in triplici genere criminum, vt Clericus antequam appareat incorrigibilis tradatur Curiæ seculari, & vniuersaliter affirmandum esse posse tradi pro quocunq. delicto graui & dãnoso, quamuis nõ sit incorrigibilis.

Probatur primo ex text. in cap. de homici. Vbi homicida voluntarius & studiosus debet ab Altari euelli ita vt moriatur; Hic Canon explicandus est de Clerico homicida; Nam Clericus dicitur ab Altari euelli qui Altari seruit, homicidium vero non est delictum illius triplicis generis, quæ recensentur à Glosa; Ergo etiam pro alijs criminibus Clericus, licet non incorrigibilis, amittit priuilegium clericale, & tradi potest Curiæ seculari. Ad idem comprobandum facit textus singularis & notabilis in dicto cap. Nouimus de verb. signif. vbi hæc habentur, *Vt Clericus qui propter hoc*, Agitur de crimine falsi, *vel aliud flagitium graue, non solum damnabile sed damnosum, fuerit degradatus, tanquam exutus priuilegio clericali, seculari foro per consequentiam applicetur*. Quare non solum ob falsi crimẽ sed ob quodcunq. graue delictum quod sit damnabile & damnosum, scilicet nedum ex sui genere atrox sed & damnosum quo ad exemplum aliorum potest Clericus Curię seculari tradi; Neque ex illo textu desumi potest necessariam esse incorrigibilitatem, quia in crimine falsi de quo ille textus loquitur, non requiritur incorrigibilitas. Hoc idem confirmari potest ex cap. 1. de homi. lib. 6. vbi Innocentius Quartus in Cõcilio Lugdunensi disposuit mandantes interfici aliquẽ per assassinos, Item receptantes & defendentes, aut occultantes dictos assassinos siue sint Clerici siue Laici ipso facto excommunicatos esse, & depositos ab omni ordine, officio & dignitate, diffidatos esse cum omnibus bonis suis à toto populo Christiano vt latius in text. continetur; Vnde pro tali homicidio non simplici, sed qualificato Ecclesia non solum relinquit Clericum Iudici seculari, sed etiam permittit ipsum cum bonis suis impune offendi à quocunque non expectata incorrigibilitate.

Ex his igitur manifeste patet, falsam esse cõclusionem Glosæ, quod Clericus semper gaudeat priuilegio Clericali, & non possit tradi Curię seculari antequam per sententiam sui Prælati declaretur incorrigibilis præterquam ex triplici genere Delicti, & dictum Abbatis est probabilius quod vniuersaliter ex quocunq; delicto damnabili & damnoso, vt habetur in dicto c. Nouimus de verb. signif. amittit priuilegium & potest tradi Curiæ seculari, quamobrem ordo & modus descriptus in c. Cum non ab homine de Iudi. seruandus in puniendis delictis Clericorum, quem explicauimus non habet locum in quibusdam sceleribus atrocioribus & qualificatis, sed in communibus delictis, quod indicant quoq; verba tex. in dicto c. At si Clerici de Iudi. ibi, *sed non debet quemlibet depositum pro suis excessibus (cũ suo sit functus officio, nec duplici debeat ipsum contritione conterere) Iudici tradere sæculari*. Cum enim dicit, nõ debere Prælatum quemlibet depositum tradere Curiæ seculari, significat indistincte & sine delectu criminum id non esse faciendum, sed interdum & aliquãdo quando scelus hoc postulat, secundo cum assignat primam rationem, quia Prelatus functus est officio suo, scilicet sufficienter puniẽdo, ostendit quod si crimen sit eius generis, vt non competat facultas Prælato insligendi pęnam cuius seueritas delicti prauitatem æquare possit, liceat tunc illam sæculari Iustitiæ tradere plectendum, vt Iustitiæ æqualitas seruetur; tertio cum affert secundam rationem, quoniam Clericus non est duplici pęna afficiendus, demonstrat quod vnica fuerit sufficiens iuxta mensuram delicti, ergo quando sola pœna depositionis propter criminis atrocitatem non est delicto commensurata, nec superest Prælato quod addere possit ad scelus vindicandũ ne remaneat impunitum, traditur Reus Curiæ seculari & amittit priuilegium Clericale, itaq; verbis huius textus satis probabiliter confirmatur hæc opinio.

Ex omnibus autem criminibus, quibus Clericus, postquam per sententiam fuit depositus, amittit priuilegium Clericale, primum locum tenet Hæresis vt probatur ex c. excommunicamus 5. §. Damnati de Hæret. & est sententia communis Innoc. in c. si vero n. 3. de sent. excom. Abb. in c. Contingit 1. n. 12. de sent. excom. Nicol. Blon. in suo tract. de excom. par. 1. num. 27.

Probatur arg. sumpto ex iure Ciuili Autent. de Priuileg. Dot. Hæret. Mulier. non præstan. §. vbi mulier Hæretica nec priuilegium prælationis habet in sua dote, neq; vllum aliud ex multis, quæ legibus Imperatorum, Mulieribus concessa sunt, nisi ad Orthodoxam fidem redierit, ergo fortiori ratione Clericus hæreticus priuilegijs carere debet, quibus alij Clerici Iure decorantur.

Ob eandem rationem Hæreticus immunitate Ecclesiæ non gaudet, quare Ecclesiæ patrocinio se defendere minime potest, immo inuitus ad punitionem criminis à sacris Templis abduci poterit quod in specie adnotarunt Gonsaluus à Villa Diego in tract. de Hæreticis quæst. vndecima n. 14. Hippolytus l. lex 5. C. n. 10. ff. de Sicar. Boer. decis. 110. & Couar. lib. 2. variar. resol. cap. 20.

Non obstat quod excommunicatus vt supra diximus extrahi nequeat ab Ecclesia inuitus, vt ad supplicium & pœnam ducatur, quamuis & ipse extra Ecclesiæ gremium sit, quia excommunicatus & si Ecclesiæ suffragijs, & sacramentorum participatione sit omnino priuatus, tamen verisimiliter credi potest, nolle in excommunicatione diutius marcescere, sed absolutionis beneficium, quanto citius poterit; & reconciliationem cum Ecclesia, cui se committit, obtinere velle, quod de Hæreticis non præsumitur, cum sint pertinaces in errore, prorsus à fide alieni, & ignorantiæ densa caligine obcæcari.

An autem idem dicendum sit de infidelibus, ex Doctoribus quos plures citat Couar. sunt & qui negant multi, & contra non pauci qui affirmant, Negatiua sententia probabilior videtur, cui adheret Couar. ob eam rationem quoniam æquum non est, ab ecclesia eum defendi, qui illius gremio, tutelæ, ac fidei, committere se ipsum recusat. Et hæc dicta sufficiant de Deposito verbaliter, dicamus iam de Deposito actualiter.

Sit Tertia propositio, Clericus actualiter depositus seu degradatus priuatus est omni priuilegio Clericali.

Habetur expresse hæc Conclusio in c. 2. in fin. de Pœn. lib. 6. Vbi Bonifacius Octauus docens modum per Episcopum seruandum in degradatione Clerici inquit vti debere hac forma verborum scilicet *Auctoritate Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ac nostra tibi auferimus habitum Clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio, & priuilegio Clericali*.

Hoc idem sentit ibi Glo. Ver. Priuilegio Clericali, & in

& in cap. Accedens Ver. Presbytero dist. 50. in cap. 2. Ver. Ceciderit in fi. dist. 54. & in cap. Dictum est Ver. Seculariter dist. 81. Abb. in cap. Ad abolendam nu. 10. Ver. In Glos. V. Prærogatiua de Hæret. & in cap. Contingit 1. num. 12. De Sent. Excom. Felin. ibidem in fi. B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 1. Vers. De Percutiente Depositum, Silue. V. Degradatio §. 8. & excommunicatio 6. §. 4. Vers. De Clerico verò Deposito, Nicol. Plouius in suo Tract. De excom. par. 1. num. 26. Boniucontrius in Tract. De Priuileg. Cleri. §. Ad primum veniens num. 2. Vers. Degradatus ante. Nauar. in Manual. cap. 27. num. 79. Omnes affirmant Clericum per Actualem Degradationem illicò expoliari priuilegio clericali, & remanere subiectum foro seculari.

A Idque ratione congruentissima confirmari potest, nàm sicut Clericus in ipsa actuali ordinatione ad eum dignitatis, & honoris gradum ascendit ministerio Ecclesiæ, vt dignus sit tàm eximijs priuilegijs, & fauoribus decorari, ita contra maximè decet, & iustitiæ ratio postulat, vt idem Clericus postquam sui gradus immemor, prauis, ac teterrimis sceleribus clericalem honorem maculare, ac deturpare non erubuit, vt detractis vestibus, ac ornamentis dignitatis Clericalis, omni fauore, ac priuilegio deponatur, & exauctoretur, non secus ac Miles militiæ desertor, cui militaria detrahuntur insignia, sicque à militia remotus castris reijcitur priuatus consortio, & priuilegio militari, & ad hoc significandum Episcopus in actuali Degradatione solet vsurpare verba opposita illis, quibus vsus est in ordinatione, vt habetur in dicto cap. 2. De Pœn. lib. 6. Nempè dicit in remotione Planetæ; *Auferimus*

B *tibi vestem sacerdotalem, & te honore sacerdotali priuamus, &c.*

DE QVINTO EFFECTV EXCOMMVNICATIONIS.

DE INHABILITATE AD ACTVS IVRISDICTIONIS.



POST Disputationem habitam de Actibus spectantibus ad potestatem Ordinis, transeundum est ad actus Iurisdictionis vtriusque fori, tàm Ecclesiastici, quàm secularis, & plures possunt esse huiusmodi actus, qui includunt communicationem humanam publicam; & grauem, & respiciunt varia genera personarum, quæ in Iudicio concurrere possunt; Nempè Iudex, Actor, Reus, Notarius, Testis, Aduocatus, & Procurator, De quibus omnibus illud in genere affirmari potest omnium communi consensu approbatum, Excommunicatum non posse exercere actum Iurisdictionis absque peccato, & si erit publicè denunciatus, actus gestus erit nullus, & inualidus, cap. Ad probandum De Sent. & Re Iudi. c. Cum inter in fi. De elect. cap. Cum Dilectus De Consuet. Quare excommunicatus non poterit iudicare, beneficia conferre, eligere, præsentare, seu quemcunq; actum iurisdictionis exercere sine peccato, & si erit publicè denunciatus, actus quoque erit inualidus, si verò sit occultus, peccat, sed actus in fauorem aliorum erit validus, si habeat titulum, cuius vi actum gerit, siue titulus sit verus, siue putatiuus, quod communiter omnes teneant cum tali officio fungi, Abb. & Felin. in dicto cap. Ad probandum de sent. & Re Iudic.

Immo Iudex secularis compelli potest ab Ecclesiastico Iudice per Censuram Excommunicationis, vt prohibeat, ne excommunicati exerceant actus legitimos, c. decernimus de Sent. excom. lib. 6. sed iam de singulis enumeratis tractemus distinte, sicque plures emanabunt effectus specifici & primo in hac Disputatione differendum erit in specie de actu Iudicandi.

C

DISPVTATIO SECVNDA De Incapacitate Excommunicati ad officium Iudicis gerendum.

Caput primum, An excommunicatus non toleratus possit exercere officium Iudicis, & ad huiusmodi munus validè eligi.

Caput Secundum, An actus iurisdictionis gestus per Iudicem excommunicatum occulte sit nullus, & inualidus.

CAPVT I.

An excommunicatus non toleratus possit exercere officium Iudicis, & ad huiusmodi munus validè eligi.

D

Excommunicatum denunciatum non posse exercere officium Iudicis in foro Ecclesiastico nemo vnquam dubitauit ob rationem illam communem, quoniam ab humana communione est exclusus, & alij fideles non possunt cum illo communicare, & probatur ex cap. Decernimus De Sent. excom. lib. 6. Vbi de Actore, Aduocato, & Procuratore excommunicato est sermo, sed maiori ratione hoc est affirmandum de Iudice, in hac ergo conclusione conueniunt omnes Doctores.

E Sed difficultas est, An eodem modo Ius prohibeat, nè Iudex secularis excommunicatus exerceat munus suum, sicut prohibet, quando est ecclesiasticus, iurisdictio enim ecclesiastica primò, & per se tollitur per excommunicationem quoad vsum actualè, quia pertinet per se ad communionem Ecclesiæ, quaritur ergo, an eodem modo sit dicendum de Iudice seculari, quòd per excommunicationem sit priuatus vsu iurisdictionis temporalis, vt actus per eū gestus sit nullus.

Com-

Communis videtur sententia Iuris peritorum Iudicem secularem priuatū esse vsu Iurisdictionis, & probant ex cap. Ad probandum de sent. & re Iudi. ex cap. Tanta de Excess. Prælat. cap. Audiuimus 24. q. 1. & cap. Pia de Except. lib. 6. Quibus in locis licet agatur in specie, vel de Iudice Ecclesiastico Delegato à Papa, vel de sententijs latis ab Episcopo, tamen Doctores extendunt ad quemcunque Iudicem absolute.

Hæc tamen communis opinio patitur obiectiones, Primo quia ferre sententiā in seculari Iudicio est actio merè temporalis iure gentium in omni Republica bene instituta tam fidelium, quam Infidelium introducta, ergo per se non pertinet ad Ecclesiasticam potestatem, aut communionem, ergo indirecte solum prohibetur, sicut quæcunque alia humana communicatio; Igitur per Ecclesiasticam potestatem non potest tolli Iurisdictio temporalis, neq; inualidari eius actus.

Secundo excommunicatio ex vi sua non priuat dominio temporali rerum, quamuis prohibeat earum vsum, qui sine humana communicatione non fit, ergo pari ratione non priuabit Iurisdictione temporali; Diuersa ratio est de perceptione fructuum Ecclesiasticorum, quia Ecclesia in illis habet potestatem, & potest illorum vsu priuare Subditum contumacem.

Tertio quando Ecclesia ob grauiora aliqua delicta decreuit, vt excommunicati sententia neq; in Iudicio seculari sit valida, id solet exprimere, vt apparet in cap. Excommunicamus 1. §. Credentes, vbi hęc habentur de Hæretico: *Si fortè Iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur*, & de Violatoribus Immunitatis Ecclesiasticę in cap. Aduersus De Immunit. Eccles. *Quia vero nec sic quorundam malitia contra Dei Ecclesiam conquieuit, adijcimus, vt constitutiones, & sententiæ, quæ à talibus, vel de ipsorum mandato fuerint promulgatæ, inanes, & irritæ habeantur*. Si in his delictis hæc pœna specialiter imponitur, ergo excommunicatio ipsa per se hanc pœnam non parit.

Tandem Contractus initi ab excommunicato; Testamentum, & alij similes actus, quamuis fieri non debeant, facti tamen tenent, vt dicemus inferius ob eam communem rationem, quia non pertinent per se ad communionem Ecclesiæ, cur igitur non idem affirmandum erit de Iurisdictione Temporali.

Nihilominus propter has obiectiones non est recedendum in re tam graui à communi sensu omnium Doctorum, & satis esset, quando alia deessent, ipsa consuetudo communis, quæ interpretata est iura etiam de Iurisdictione seculari, quamuis exprimant solam Ecclesiasticam; Sed præterea hæc consuetudo maxime videtur congrua, & rationi consona; Quoniam hæc Iurisdictio nullum habet vsum, qui intrinsecè non includat communicationem Ecclesiæ, & fidelium, & cum communicatio omninò sit prohibita, conueniens est Iurisdictionem quoq; auferri.

Hæc eadem doctrina confirmari potest ex Sacris Canonibus, videtur enim definita in cap. Ait Celestinus, cap. Aperte, & cap. Miramur 24. q. 1. In quibus Nicolaus Papa docet excommunicatos notorios non posse iudicare, nec eorum sententias esse validas. Idem probari potest ratione. Primo quæ fiunt à Suspensis à suo officio omnino sunt inualida; Excommunicati sunt suspensi ab omni officio, & actu publico, vt habetur cap. Pia De Except. lib. 6. ergo nullū est, quidquid agunt ratione officij publici. Secundo qui non habent Iurisdictionem, nec subditos, nequeunt ferre iudicium, sed excommunicatus priuatur Iurisdictione saltem
A ipsius durante censura, ex cap. Nos Sanctorum cap. Iuratos 15. q. 6. ergo non potest exercere Iudicis officium. Tertio in cap. Decernimus De Sent. Excom. lib. 6. præcipitur, nè Excommunicati sint Testes, vel Actores, vel Aduocati, quod si fuerint, facta illorum sint inualida, & nulla, ergo à fortiori actus Iudicis, cū sit, qui præcipue concurrit in iudicio, si notoriè sit excommunicatus, erunt inualidi.

Ex hac igitur doctrina sequitur sententiam latam à Iudice excommunicato etiam in foro seculari esse nullam tanquam pronunciatam à non habente Iurisdictionem, & idem dicendum de omnibus per eum gestis in Iudicio, vt ferre leges, concedere priuilegia, aut dispensationes, eligere, delegare, & similia. Immò
B si plures sint Iudices in eadem causa, non valet sententia lata ab ipsis communi consensu, si alter eorum fuerit excommunicatus, cap. Ad probādum De Sent. & Re Iudi. Similiter excommunicatus non potest esse Arbiter, vt notat Abb. in dicto cap. Ad probandum, & in cap. Veritatis De Dolo, & Contum. & in cap. Quinta Vallis De Iu. Iuran. dummodò constitutus sit Arbiter cum iurisdictione, & iudicium publicum exerceat ex l. 1. ff. De Arbi. Nam si solum deputatus fuerit ex consensu partium, vt tanquam peritus, & prudens litem componat, tunc peccat quidem propter communicationem contra præceptum Ecclesię, sed actus erit validus, quia non exercetur ratione officij, & publicæ Iurisdictionis, sed ex pacto, & conuentione
C partium.

Et hæc omnia intelligenda sunt hoc tempore post Extrau. ad euitanda de Excommunicato nominatim, & publice denunciato, sed iure antiquo locū habebāt in quolibet Excommunicato publice, vt expresse habetur in cap. Ad probandum de Sent. & re iudi. si vero non sit denunciatus, aut publicus, & notorius Clerici percussor, sententia lata erit valida tamen Iudex administrando Iustitiam peccabit, quia debet ab officio abstinere, quamuis non repellatur, non tamen committit peccatum contra iustitiam, si non abstineat, quia toleratā habet Iurisdictionem, & validos actus
D exercet, de qua re disputabimus in seq. cap.

Si quærat aliquis, an sit peccatum mortale, vel veniale, quod committit talis Iudex excommunicatus Caiet. in summa in cap. de ijs quæ licita sunt Excommunicato, videtur sentire non esse peccatum mortale, quia non est actio sacra, in qua semper committatur peccatum mortale sed est actio forensis, quæ tunc solū est peccatum mortale, quando continet iniustitiam seclusa iniustitia sicut in casu nostro, est tantum culpa venialis.

Ego putarem esse peccatū mortale, quia actio iudicandi, per se sumpta, est grauis, & grauius erit, si Iudicium, quod Excommunicatus vsurpat, sit ecclesiasticum, nisi sit de re admodum leui, vt moraliter
E quasi non existimetur.

Sed dubitabit aliquis, postquam excommunicatus non potest exercere officium Iudicis, quia priuatus est iurisdictione, an saltem excommunicatus valide possit eligi ad officium, & dignitatem Iudicis, dummodo durante excommunicatione non exerceat vsum Iurisdictionis, & est secunda pars difficultatis propositæ in hoc capite.

Respondendum est non posse excommunicatum eligi Iudicem, sicut nec ad alia munera, & dignitates etiam seculares assumi, quibus iurisdictio annexa est, vt dicam in disputatione. 6. cap. 3. Idque ob eam rationem, quoniam cum Ecclesia suspendat vsum Iurisdi-

risdictionis in Excommunicato, prohibet ex conseq. A nè ad illas dignitates assumatur, quæ exerceri nequeunt sine iurisdictione, vel saltem intendit, vt minimum talem electionem irritādam esse, quod habetur expresse in cap. vlt. de Cleri. Excom. Ministr.

An vero talis electio sit ipso facto irrita, controuersium est, Glo. in cap. Venerabilem V. Electus De Elect. & ibi Doct. sentiunt electionem esse nullam ipso facto; Vbi Summus Pontifex declarat non debuisse se inungere Imperatorem quendam, qui censura excommunicationis alligatus, fuerat electus Rex Romanorum. Accedit, quod electio excommunicati ad dignitatem Ecclesiasticam est ipso Iure irrita, ergo pari ratione idem erit asserendum de assumptione ad dignitatem secularem. B

Alij sentiunt talem electionem non esse nullam ipso Iure, sed irritandam, quoniam nullibi in Iure declaratur nulla, Maximè quia pœnæ non sunt extendendæ. Et hæc opinio videtur probabilior.

Quæ adducta sunt ad oppositum probandum, non concludunt. Primo enim ex cap. Venerabilem non probatur manifeste, quod illa electio excommunicati in Regem Romanorum fuerit nulla ipso Iure, quoniā, quamuis fuisset irritanda, potuisset Summus Pontifex illam non admittere, & inualidare, præsertim cum alij defectus in persona illius Electi apparerent, qui ennmerantur in tex. Argumentum verò sumptum à dignitate Ecclesiastica ad secularem non valet, Nam C in Ecclesiasticis certum est Collationem beneficij irritam esse, etiam si iurisdictionem non includat, quod non habet locum in secularibus, quare similitudo non currit. Nos autem loquimur hoc in loco de illis dignitatibus, quæ habent annexam iurisdictionem, vt est Imperialis, Regia, & similis, vt dixi initio dubitationis; Non de alijs, quæ solum sunt ad honorem personarum, vel ordinantur ad lucrum temporale, quæ licet concedi non debeant excommunicatu propter prohibitionem communicationis, tamen postquam sunt concessæ, non solum irritæ non sunt, sed neq; irritandæ, sed tenent, & sunt firmæ; sunt enim tanquam simplices donationes rei temporalis, quæ, si fiant excommunicato, validæ sunt. Hac ratione Decius in D cap. Intelleximus nu. 2. De Iudi. ex sententia Card. & Io. And. affirmauit gradum Doctoratus collatum excommunicato validum esse, vt dicam etiam in disp. 8. cap. 2.

Ratio autem discriminis inter temporales dignitates & ecclesiasticas est, quia sacri Canones de spiritualibus directe disponunt, vt nulli excommunicato conferantur, de temporalibus vero non extat talis cōstitutio generalis, & tātum per illationem colligimus collationē temporalium dignitatum, quibus annexa est iurisdictio esse irritādam, vnde & iure hæreditario iurisdictio temporalis transfertur cum dominio, & proprietate bonorum in excommunicatum quantum ad habitum, etiamsi qui succedit, durante excommu- E nicatione, suspensam, & impeditā habeat iurisdictionem, quia excommunicatio non priuat Iure successionis, vt dicemus suo loco. Quare sicut excommunicatio non priuat iure succedendi ad bona, ita non tollit iurisdictionem annexam cum tali iure arg. cap. ex litteris de Iu. patro. Immo iurisdictio quæ trāsfertur per successionem, adeo est firma etiam si Succedens sit excommunicatus, vt non possit irritari per sententiam; quod secus est, quando iurisdictio acquiritur ex publico munere per electionem, tunc enim, vt dictum est, licet non sit irrita, est tamen irritanda.

CAPVT II.

An actus iurisdictionis gestus per Iudicem excommunicatum occulte sit nullus, & inualidus.

SVperiori capite egimus de publice excomunicato non tolerato ab ecclesia, qui ita priuatus est iurisdictione, vt nullo modo possit officiū Iudicis exercere, Modo tractandum est in hoc capite, an hæc conclusio locum etiam habeat in occulte excōmmunicato vt actus iurisdictionis gestus ab eo ratione officij sit inualidus, & ratio dubitandi desumitur, primo quoniā si quis est excommunicatus ante officij adeptionem non videtur posse valide exercere actum virtute illius officij, quia ratione excommunicationis etiam occultæ incapax erat cuiusque officij, cap. 1. de Rescript. in 6.

Secundo idem videtur asserendum, quando iurisdictio est impedita ratione excommunicationis etiā occultæ contractæ post adeptum officium ex cap. Aduersus de immun. Eccles. Vers. Quia vero, & tenet Glo. in cap. infamis 3. q. 7. Vers. Dum putaretur, Et videtur ita sentire Caiet. V. Excommunicatio §. Excommunicato plura sunt illicita prope finem; Vbi absolute ait, gesta per excommunicatum ratione publici officij esse inualida, & videtur etiam huius sententię Sot. lib. 3. De Iust. q. 4. art. 6.

Huic difficultati respondendum est hac propositione Gesta per Habentem titulum putatiuum obtentū tempore, quo occulte erat excommunicatus, valida sunt, dum excommunicatio communiter latet, & non est publice denunciata.

Probatur, quia quando intercedit communis error excommunicationis, & titulus præsumptus, gesta tenent, nullo enim Iure oppositum asseritur, ius enim solum declarat excommunicatum incapacem esse electionis & gesta per ipsum ex se inualida esse, quando legitimo titulo caret, non tamen statuit minime valere, quando communis error adest excommunicationis, & nullitatis tituli.

Secundo quoniam hæc est differentia, quando quis est grauatus impedimento Iuris diuini aut naturalis, & quando habet tantum impedimētum iuris positiui, quale est excommunicatio, si enim impedimentum sit iuris naturalis, aut diuini, quamuis concurrat titulus putatiuus, & communis error, quæ fiunt, non sunt valida vt si laicus, qui communiter existimetur sacerdos, & Parochus absoluat sacramentaliter à peccatis, absolutio est irrita, & contraria opinio aliquorum Canonistarum est prorsus aliena à veritate. Si verò impedimentum sit iuris positiui, gesta tenent, & ratio huius differentiæ est; quia Ius Pontificium, & Ciuile supplet defectum stante communi errore tribuendo iurisdictionem; Nequit autem supplere defectum iuris naturalis, & diuini, cum inferior potestatem non habeat in Superiorem, sic ait Abb. cap. 2. in fin. De Presby. non bapti. Dec. cap. fin. nu. 54. De Constit. Ang. Confessio 4. nu. 12. Palud. dist. 17. quæst. 6. art. 1. Caiet. in Sum. V. Confessio §. Qua ex parte confessio sit irritanda.

Hinc infertur non esse verum, quod asseruit Ias. in l. Barbarius nu. 64. ff. De off. Præto. valere gesta per Pontificem existimatum virum, si vere sit fœmina; Est enim falsum, cum fœmina iure diuino sit incapax dignitatis Pontificiæ, si tamen electus ad dignitatem Pontificiam non haberet defectum iuris diuini, quia tali iure esset capax, vt si esset vir baptizatus, sed inualide

lidè ad Pontificatum euectus ratione vitij occulti iure humano interuenientis in electione, ob quod electio esset nulla, vel si postea incideret in hæresim iuxta opinionem eorum, qui tenent ipso facto esse depositum, tunc stante communi errore, quo existimaretur verus Pontifex, non careret iurisdictione, & acta valerent, quia impedimentum esset iuris humani, & error communis intercederet cum titulo præsumpto, & in hoc casu verum est, quod asserunt Ias. dicto n. 64. Mascard. de Probat. conclus. 649. num. 29. Ant. Gabr. lib. 1. Com. Concl. Tit. De Probat. conclus. 8. n. 9. nempè valere gesta per Pontificem habentem titulum putatiuum; non haberet autem potestatem definiendi infallibiliter res fidei, Illa enim soli vero Pontifici, & Generali Concilio inest.

Si postules, A quo haberet iurisdictionem hic præsumptus Pontifex, Dicendum est, quod illam haberet ab Ecclesia; quamuis enim Ecclesia nō sit supra Summum Pontificem, esset tamen supra hunc, qui non verus, sed præsumptus Pontifex esset, & hæc Iurisdictio non esset ordinaria, quia non ex iure diuino oriretur, sed esse delegata per Ecclesiam, qualem delegat Vicario Pontificis per ipsam, sede vacante electo.

Secundo infertur eandem esse rationem, si defectus esset iuris naturalis, tunc enim nihil prodesset communis error, vt si Iudex vsu rationis careret, gesta per ipsum essent inualida, quamuis communiter existimaretur sanæ mentis, quia defectus esset naturalis, Abb. cap. Sciscitatus num. 12. De Rescript. Felin. n. 3. Ant. Gabr. & Mascard. locis citatis.

Hinc tertiò infertur valere multò magis gesta per Iudicem occultè excommunicatum post adeptum officium, quoniam si actus sunt validi facti ab eo, qui non habet verum titulum, cum illum acquisierit existēs excommunicatus propter communem errorem, multò rationabilius stante eodem errore erunt validi actus, quando quis habet verum titulum, sed caret iurisdictione, quoniam suspensa est per excommunicationem; neque enim Ecclesia vult excommunicatum vsu iurisdictionis priuare, dum excommunicatio occulta est, propter bonum commune, sic ait Glos. fin. in c. Decernimus de sent. excom. lib. 6. & in cap. Ad probandum de sent. & re iudi. V. Innodatus, Couar. cap. Alma Mater prima par. §. 7. n. 9.

Sed dubitari potest, quid sit dicendum de eo, qui esset publicè denunciatus excommunicatus in alio loco, ibi verò, vbi residet, & exercet iurisdictionem, communis esset error huius excommunicationis, an gesta per ipsum ratione publici officij valerent.

Respondendum est valida esse ea, quæ aguntur per huiusmodi excommunicatum, quia quandiu in illo loco occulta est excommunicatio, potest dici toleratus ab Ecclesia, quia adest communis error facti cum titulo. Huius sententiæ sunt Doctores in l. Barbarius ff. De Offic. Præt. Verisimile enim est seruitutem illam, ob quam Barbarius Iudex esse non poterat, in suo domicilio notoriam fuisse, Glos. c. Ad nostram 3. De iur. iurand. V. Obseruandus, Vbi cum textus dicat in notorijs non esse seruandum ordinem iudiciarium, intelligit Glos. in eo loco, vbi delictum est notorium, secus in alio, vbi occultum est, Nauar. cap. Inter verba 11. q. 3. Corolar. 66. num. 345. Ant. Gabr. com. Conclu. lib. 1. tit. De Probat. concl. 8. num. 12. Mascard. De Probat. concl. 649. num. 63. Hoc tamen dictum est intelligendum, quando excommunicatio est notoria in alio loco adeò distante, vt probabiliter notitia illius haberi nequeat, vbi excommunicatus degit,

A Abb. in cap. Ad probandum de sent. & Re iudi. n. 11. Immo etiamsi in eodem loco esset publicè denunciatus, sed multum temporis spatium interesset, vt iam nulla extaret memoria denunciationis, & communiter ignoraretur, valerent ea, quæ ratione publici officij per huiusmodi hominem agerentur.

Et licet aliqui Doctores excipiant ab hac doctrina sententiam excommunicationis, asserentes illam non valere, si feratur ab excommunicato Iudice, quamuis communi errore talis reputetur, Archid. c. 1. num. 11. De Sent. Excom. lib. 6. Sed oppositum est probabilius, quia iura generaliter loquuntur. Et ratio est, quia ferre sententiam excommunicationis est actus iurisdictionis, qua non est priuatus occultè excommunicatus, B Vnde B. Tho. dist. 18. qu. 2. art. 2. quæstiuncula 3. cum asserit excommunicatum non posse excommunicare, quia priuatus est vsu Iurisdictionis, necessariò loquitur de publico excommunicato, quia occultus non caret iurisdictione, Sot. idem sentit dist. 22. qu. 1. art. 2. ad fin. Palud. dist. 18. q. 2. art. 3.

Sed vlterius potest quis quærere, An sententia, vel reliqua, quæ aguntur per Iudicem excommunicatum teneant, & sint valida etiam quantum ad eos, qui conscij erant excommunicationis, non solum quoad eos, qui ignorabant.

Aliqui tenent solum huiusmodi gesta valere respectu illorum, qui ignorant ob eam rationem, quia hic fauor est ratione ignorantiæ concessus; ne probabili-C ter ignorans, & bona fide ad existimatum Iudicem accedens, careat absque sua culpa, validitate actus, sed conscius excommunicationis Iudicis, cuius causa priuatus est iurisdictione, Reus est culpæ si ad ipsum accedat, ergo respectu ipsius, gesta sunt nulla. Et hanc rationem videtur assignare Glos. cap. Ad Probandum V. Innodatus de sent. & re Iudi. Vbi dicit errorem communem ideircò conferre Iurisdictionem, quia diuinare non poterant vitium occultum.

Secunda sententia aliorum, qui vtuntur distinctione, & gesta per Iudicem excommunicatum occultum respectu scientium, vel esse irrita, vel irritanda, affirmant sic Calderi dicto cap. Ad probandum, & Abb. c. Sciscitatus de Rescript. num. 13. Felin. nu. 5.

Tertia sententia media probabilior dicit valere D quidem ipso Iure gesta per Iudicem excommunicatum, respectu tamen scientium retractanda esse in odium, & punitionem delicti per ipsos commissi, vt si quis ab Episcopo Excommunicato recipiat beneficium conscius excommunicationis communiter ignoratæ, erit beneficio priuandus, quandiu autem non priuatur, potest tuta conscientia retinere.

Probatur, quoniam Ius ad valorem horum actuum non respicit errorem, aut ignorantiam vnius, vel alterius, sed communem, ergo sicut error particularis non sufficit ad inualidanda ea, quæ fiunt à Iudice quoad eos, qui inuincibiliter ignorant excommunica-E tionem, ita nec scientia alicuius particularis impedit, quin gesta respectu ipsius valeant. Et confirmatur, quia cum leges non considerent, quæ in particulari casu contingunt, sed quæ communiter accidunt l. Nam ad ea ff. de legi Cum disponunt ob communem errorem valere gesta Iudicis excommunicati, nullam habent rationem scientiæ vnius, vel alterius priuati, vt quantum ad illos aliud disponant, sic sentiunt Abb. cap. Ad probandum de sent. & re Iudi. num. 15. & c. Veritatis num. 43. de dolo. & contum. Felin. cap. Ad probandum num. 8. Silue. excommunicatio 3. §. 5. Alphon. à Castro lib. 2. de lege poena. cap. vltimo conclus. 2.

cluſ. 2. ad fin. §. Alterum quod circa occulte excommunicatum.

Hodie ramē poſt Concilium Conſtantienſe hæc dubitatio non habet locum, quia cum ſint vitandi ſoli excommunicati denunciati, & publici Clericorum percuſſores, ſi quis ſciat aliquem eſſe excommunicatum, illius tamen excommunicatio non ſit denunciata, neque ſit publicus Clericorum percuſſor, non tenetur illum vitare; quare geſta à rali excommunicato etiam in ordine ad ſcientem erunt valida, iure enim antiquo ſtatutum erat, vt illa geſta poſſent irritari reſpectu illorum, qui ſciebant impedimentum excommunicationis in pœnam ipſorum ſcientium communicantium cum excommunicato, ſed hoc modò ſublatum eſt per Concilium Conſtantienſe, & fauore Fidelium conceſſum, vt excommunicatus non ſit priuatus iuriſdictione ante denunciationem, ergo Iudex excommunicatus ante denunciationem validè agit, nec actum reuocari debet, ſiue is, cuius fauorem reſpicit, ſciat, ſiue ignoret excommunicationem, Nauar. in Manua. cap. 9. num. 10. Couar. in cap. Alma par. 1. §. 6. num. 8. Verſ. Ex his colligitur, & idem dicendum eſſet, quando impedimentum Iudicis eſſet Irregularitas, Suſpenſio, aut Interdictum; nam ad omnia impedimenta extenditur fauor Conc. Conſtantienſis.

Poſſent tamen modò geſta per Iudicem excommunicatum retractari ſolum reſpectu ſcientium excommunicationem, quando valida eſſent tantum ratione ſolius communis erroris, Vt ſi tempore, quo obtinuit publicum officium, & accepit Magiſtratum, erat excommunicatione obſtrictus, etiam occulta, tunc enim cum collatio fuerit inualida, nullam acquiſiuit Iuriſdictionem, ſed valida ſunt acta ratione communis erroris, ſtante titulo putatiuo, ſed detecto errore poſſunt retractari.

Similiter ſi quis nouit Iudicem poſt adeptum officium incurriſſe excommunicationem ob notoriam Clerici percuſſionem, vel eſſe denunciatum de excommunicatione in alio loco diſtante, vel in eodem loco, ſed multò antea, ità vt excommunicatio ſit occulta, quæ fierent ab hoc Iudice, tenerent etiam quoad D ſcientes ratione communis erroris, ſed habita notitia eſſent retractanda in odium, & pœnam illorum, qui ſcirent excommunicationem, & non euitarent excommunicatum; quod tamen habent locum, vbi ſciēs excommunicationem Iudicis delinqueret adeundo eum, & cum ipſo communicando, nam ſi non committeret culpam in tali communione, geſta per dictum Iudicem valerent etiam quoad ipſum ſcientem, & non eſſent retractanda, puta ſi non haberet alium Iudicem, apud quem cauſam ageret; cum enim non teneatur manifeſtare excommunicationem ipſius Iu-

A dicis, quando occulta eſſet, nec eum publicè vitare iuxta cap. Cum non ab homine De ſent. excom. nullam committeret culpam, ſi Iudicem excommunicatum adiret.

Tertia dubitatio, An ea, quæ geruntur à Vicario Generali Epiſcopi, quando Epiſcopus eſt ſententia excommunicationis illaqueatus, ſint valida.

Aliqui dicunt geſta per Vicarium, excommunicato Epiſcopo, eſſe valida, ſiue res ſit integra, ſiue non, Riccard. diſt. 18. art. 10. quæſt. 4. Silue. Abſolutio 2. §. 6. Alij dicunt valere geſta re non integra, ſecus re integra, atque ità valere ſolum quoad negocia incepta, Armill. V. Vicarius num. 10.

Reſpondendum eſt ſuſpenſa Iuriſdictione Epiſcopi B poſt denunciationem excommunicationis, aut notoriam Clerici percuſſionem, ſuſpenſam quoque remanere iuriſdictionem Vicarij; quare tunc temporis ſicut ea, quæ fierent ab Epiſcopo ad iuriſdictionem attinentia eſſent irrita, ita quoque dicendum eſt de geſtis ab illius Vicario, quia eſt vnum, & idem Tribunal cap. 1. De off. Vica. in ſi. lib. 6. & Gloſ. ibi in Verſ. Ipſius Archid. num. 1. in fin. Io. Andr. nu. 2. Silue. V. Vicarius §. 4. Antoni. 3. par. tit. 19. cap. 10. §. 2.

Et idem verum eſt etiam quoad negocia incepta ante Epiſcopi denunciationem; qua in re differt Vicarius à Delegato, cuius poteſtas non ſuſpenditur per Delegantis excommunicationem, ſaltem quantum ad negocia inchoata, cap. Gratum de Off. Deleg. Et C ratio diſcriminis eſt, quia Epiſcopi, & Vicarij eſt vnum, & idem Tribunal, non autem Delegantis, & Delegati, Abbas cap. Licet De off. deleg. num. 8. Rebuff. Praxi benefic. tit. De forma Vicariatus numero 162.

Idem quoque dicendum eſt ob eandem rationem, quando Epiſcopus eſt interdictus, vel ſuſpenſus, Pariſius conſilio 89. numero decimo in fine vol. 4.

Sed quamuis excommunicato Epiſcopo Iuriſdictio Vicarij ſit ſuſpenſa, remanet tamen adhuc verus Vicarius, & retinet iuriſdictionem habitualem, ſicut & ipſe Epiſcopus, ex quo ſit, vt ſi cauſa delegata ſit eidem Vicario, ab alio non ſuſpenditur iuriſdictio Vicarij in tali cauſa ſequuta excommunicatione Epiſcopi, cum & remaneat verus Vicarius, & Iuriſdictio in illa cauſa non oriatur ab Epiſcopo.

Hæc ſufficere poſſunt de hoc effectu Excommunicationis.



DE SEXTO EFFECTV EXCOMMVNICATIONIS.

DE INCAPACITATE EXERCENDI actum quemcunque legitimum tàm in Iudicio, quam extra.



CONSTAT ex superiori disputatione Excommunicatum suspensum esse Iurisdictione necessaria ad officium Iudicis gerendum; Idcirco actus per eum gestos ratione publici officij non tenere, sequitur, vt de alijs Actibus spectantibus ad alia genera personarum tractemus, ab ipsa lege institutis, quorum alij in Iudicio fiunt, alij vero extra limen Iudicij; In hac Disputatione disserendum erit de illis actibus, qui in Iudicio geruntur.

DISPVTATIO TERTIA

De Inhabilitate exercendi actus legitimos in Iudicio.

CAPVT I.

An probibeatur Excommunicatus tanquam Actor, in Iudicio comparere.

IN hac quæstione firmatur Conclusio certissima omnium consensu probata; Nempe Excommunicatum ratione excommunicationis non posse agere in Iudicio siue Temporali, siue Ecclesiastico; Ita definitum est in cap. Decernimus De Sent. Excomm. lib.6. his verbis: *Decernimus, vt Iudices seculares per Censuram Ecclesiasticam ab Ecclesiastici Iudicibus, repellere Excommunicatos, ab agendo, patrocinando, & testificando in suis Curiis, & Iudiciis compellantur*, & intelligitur hæc Conclusio de Excommunicatione Maiori cap. 1. De Except. lib. 6. Nam excommunicatio Minor non repellit Actorem ab agendo, vt Glos. ibi notat Ver. Speciem, merito autem excommunicatus maiori excommunicatione etiam toleratus repellitur ab agendo quia agere in Iudicio respicit fauorem Agentis, Et Concilium Constantiense, noluit in aliquo ipsis excommunicatis fauere, & eadem ratio est de reconuentione; Excommunicatus enim conuentus,

A & vocatus in Iudicio tanquam Reus, non potest suum Actorem reconuenire; Reconuenire enim est agere, seu reagere cap. 2. De Mutuis petit. & cap. 2. De Ord. Cognit. Habetur expressè in cap. Cum inter in fine De Except. & ibi Glo. Ver. Reconuentione, Glo. in cap. 1. Ver. Rescriptum De Rescript. lib. 6. Glo. in cap. Intelleximus Ver. Conueniri De Iudi. & Glos. in dicto cap. Decernimus Ver. Agendo. Vnde excommunicato etiam petenti Ius denegatur cap. Intelleximus De Iudi. cap. 1. De Except. lib. 6. Quare si vir sit excommunicatus, & petat restitutionem Vxoris, non est audiendus cap. penult. De Adult. Sed Iudex ex officio debet illam ei restituere arg. cap. 1. De Iu. Iuran.

Non tamen negatur excommunicato, ne possit se
B defendere in Iudicio, est enim defensio Iuris naturalis, quare potest excipere, si Iudicem suspectum habeat similiter appellare, si iniustè credat se esse condemnatum, sed non potest reconuenire, quia est noua actio, Textus, & Glo. in dicto c. Cum inter, & hoc habet locum, quando excommunicatus Reus vult reconuenire in alia causa distincta ab ea, de qua conuentus fuit in Iudicio, nam si sit de causa eadem, non potest dici reconuentio, sed potius defensio, quare poterit excipere, appellare & alia media adhibere, quæ sunt necessaria ad sui defensionem, cum enim principale permittitur, & accessorium videtur esse concessum, cap. Præterea de off. deleg. Vt si Actor
C à Reo excommunicato debitum petat & ille respondeat iam soluisse, & cautionem ab eo accepisse, Non posse tamen illam in Iudicio producere, quia illam amiserit, vel fuerit combusta, aut furto sublata, & velit hoc probare, vel quid simile in iudicio proferat, non dicitur reconuenire, sed se defendere, licet conueniat, & vocet Actorem, quoniam iudicium versatur in eadem causa, in qua ipse est Reus, & vult se defendere ab iniusta petitione. Eodem modo si Reus excommunicatus Actori similem excommunicationem objiciat, aut aliam obiectionem, quæ iure ab agendo ipsum repellat, audiendus est, quia non est reconuentio, sed defensio, quæ semper est concedenda, vt dicitur in dicto c. Cum inter de except. & ha-
D betur in cap. Significauerunt, & in c. Dilecti filij de except.

Sed Glo. objicit contra dicta, quoniam si Ecclesia non permittit excommunicato, vt agere possit, & conuenire alium in Iudicio, minus quoque videtur ei permissum posse excipere, appellare, & similes actus ad sui defensionem gerere, quia Reus excipiendo fit Actor, l. in exceptionibus ff. de probat.

Respondet Abb. in eodem c. Cum inter num. 11. Reum fieri Actorem excipiendo quoad onus probandi tantum, non proprie, quia non petit sibi aliquid adiudicari, vel fieri, sed intendit repellere Actorem

à peti-

à petitione sua, l. exceptio ff. de except. Vnde potest appellare, & appellationem prosequi, quia appellatio est quędam defensio principaliter instituta ad tollendum grauamen, capit. Suggestum in fine De appell.

Dubitatur à Doctoribus de compensatione an liceat Reo opponere actori petenti aliquid, illud compensatum fuisse, Glo. in dicto cap. Cum inter Ver. Reconuentione, respondet non posse; quia qui compensat, quodammodò agit, l. Quæcunque ff. de Compensa. Atque tunc consequeretur vna via, quod altera prohibetur, quod non permittitur cap. Tuæ de Procurat. Abb. in d. c. Cum inter nu. 23. plenè tractat hanc dubitationem, & refert aliorum opiniones, & tandem concludit in fi. distinguendo, si Actor fatetur se debere Reo, & acquiescit compensationi, tunc Reus excommunicatus est admittendus, nec debet iudex illum repellere ex officio, quia non agit, sed soluit, nec refert, quo pacto satisfaciat, l. Si rem. §. Omnis ff. De Pign. act. Aut Actor negat, & non acquiescit compensationi, & in hoc casu Abb. inquit in rigore veram esse opinionem Glosæ, & aliorum Doctorum, quam dicit esse communem, existimant tamen contrariam esse æquiorem, & seruandam, admittendam scilicet Compensationem Rei excommunicati aduersus Actorem, quia est quædam defensio, idem enim non soluit debitum Actori petenti, quia impeditur ex facto Aduersarij, si enim ipse solueret, quod tenetur, Reus excōmunicatus è contra illi satisfaceret. Quamobrem impeditur culpa Actoris, quominus illi satisfaciat; Vnde Bart. l. Amplius Ver. Super primum quæro ff. rem ra. habe. concludit non esse periurum; qui iurat soluere, si postea compensat. Non obstat dicta l. Amplius, Vbi qui promittit non petere, non potest compensare; nam ibi consideratur effectus compensationis, quæ infert damnum parti contra pactum de non petendo, sed excommunicatus repellitur à Iudicio, quatenus alium stimulat, sed si stimulatur, admittitur volens se defendere, vel compensatione, vel quouis alio modo, & hæc opinio Abb. videtur probabilior, & in praxi seruanda, quia Compensatio est solutio l. 4. ff. Qui poti. in pign. hab. & tenet potius rationem iustæ exceptionis, & defensionis, quàm petitionis, & reconuentionis, l. si ex venditione Cod. de Compensa.

Hinc sequitur, vt notauit Abbas numero 25. quod si quis petat ab excommunicato aliquid ex contractu, vt excommunicatus compelli possit ad exhibendum id, quod ab eo petitur, teneri petentem seruare excommunicato ea, quę promisit in eodem contractu; vnde excommunicatus potest excipere contra emptorem non teneri ad tradendam rem, quam vendidit, nisi soluto sibi precio conuento. Idem notatur in cap. 1. de pact.

Sed quæret aliquis supposita opinione Glos. quod Reus excommunicatus non possit opponere contra emptorem exceptionem Compensationis, an saltem fideiussor excommunicati contentus possit compensare debitum ipsius excommunicati.

Abb. num. 26. affert nonnullas rationes ad probandum hanc compensationem, neque per ipsum fideiussorem fieri posse, demum ex mente Ioan. Andr. quem sequitur, affirmat fideiussorem posse debitum compensare non obstante excommunicatione principalis, idque pluribus probat, sed illa est præcipua ratio, quoniam excommunicatus repellitur ab agendo ob communicationis periculum, & vt rubore suf- A fusus citius ad communionem redeat, cap. Pia de except. lib. 6. Quod in fideiussore cessat, qui ex persona sua proponit exceptionem Reo principali competens Principali conuenit ex iuris dispositione ipsi fideiussori etiam Reo inuito, l. Omnes exceptiones ff. de except. Neque decet, vt Innocens puniatur ob connexionem cum Nocente, sed contra potius, vt toleretur Nocens propter Innocentem cap. Sacris de Sepult. cap. Quam magnum 23. q. 4.

Quæri etiam potest cum excommunicatus possit vti omni defensione, an Reus excommunicatus habens exceptionem contra Actorem, possit, antequam conueniatur ad iudicium, implorare officium Iudicis probata exceptione, vt imponat silentium B Actori, sicut posset Reus non excommunicatus iuxta notata in l. Si contendat ff. de fideiuss. & l. Aurelius §. Centum ff. de li. le.

Respondet Abbas num. 27. id non esse licitum excommunicato ob eam rationem, quia defensio conceditur excommunicato, quando impugnatur ab Actore, Durum enim esset, vt Actore impugnante Reus non posset se defendere, sic enim multoties condemnaretur, qui absoluendus esset, quod cessat Actore non agente, Repellitur enim excommunicatus à Iudicio, vt citius respiscat, admittitur, quando cogitur ab alio, ergo quando vltro se offert implorando officium Iudicis ad sui commodum non est admittendus, nisi antea petat absolutionem, quod est in C sua potestate.

Neque tantum excommunicatus repellitur ab agendo in Iudicio per se ipsum immediatè sed etiam per Procuratorem; quia regulariter, quando lege prohibetur aliquid simpliciter, & absque limitatione, intelligitur vetitum, vt nec per alium fieri possit; qui enim per alium facit, per se ipsum facere videtur.

Accedit, quod interdicta est non solùm communicatio immediata cum excommunicato, sed etiam mediata per Nuncium, per literas, ergo etiam per Procuratorem, Maximè quia Procurator agit auctoritate sui Principalis, sed Principalis excommunicatus repellitur à Iudicio, ergo neque per Procuratorem comparere potest, & ideo in caD pitulo vltimo De Procurator. declaratur nulla constitutio Procuratoris ab Excommunicato facta, & Constitutus ante excommunicationem Adueniente excommunicatione quasi suspenditur, & vim amittit, vt ibi Innocentius & Abbas Siluestr. Verb. Procurator.

Sed quæret aliquis; nunquid Procurator, vel Aduocatus, qui patrocinatur pro excommunicato incidat in excommunicationem.

Respondent Abbas in capitulo Proposuit numero sexto de Cleric. excommunic. Mini. e x sententia Host. quod si communicat excommunicato extra iudicium in ijs, quæ non attinent ad defensionem excommunicati, incidit in excommunicationem E Minorem, Aut exercet officium Aduocationis in iudicio ad defensinnem excommunicati, Atque tunc temporis, si Excommunicatus fouet iustam causam, non peccat Aduocatus, nec incurrit vllam pœnam; qnia cum excommunicato sit permissa defensio, vt dictum est, intelliguntur quoque concessa ea omnia, sine quibus defensio esse nequit, capitulo Intelleximus de Iudic. capitulo Cum inter De Exception. Aut scit causam Excommunicati esse iniustam, & in hoc casu si defendit excommunicatum super crimine, pro quo fuit

excommunicatus, incidit in excommunicationem maiorem, quia, communicat vt dicitur Criminoso in crimine, c. Si Concubinæ de Sent. excom. Aut defendit eum in alia causa, & incidit tantum in excommunicationem minorem propter communicationem, etiam si iuste defenderet, c. Nuper de sent. excom.

Et hæc propositio; quod excommunicatus generaliter non possit in Iudicio agere intelligitur de quocunque excommunicato, siue denunciato, vel non denunciato, de publico, seu occulto, nàm quouis modo sit excommunicatus non potest agere in Iudicio, quia ipse quantum in se est, semper tenetur alios vitare, neque per extrau. Ad euitanda aliquod obtinuit priuilegium, Reus verò licèt possit non vitare illum, si non B sit denunciatus, ius tamen habet ad illum vitandum, si velit, & opponere ei exceptionem excommunicationis, quamuis etiam non sit publica excommunicatio, dummodò ad illam probandam se offerat, hoc enim conceditur iure antiquo Reo non excommunicato, & non tollitur per extrau. Ad euitanda, quæ edita solum est in commodum, & fauorem fidelium communicantium cum excommunicato, non in eorum grauamen, quare per extrauag. non est diminutum, aut innouatum hoc Ius Reo competens, opponendi excommunicationem contra Actorem. Verum quando à Reo non obijcitur exceptio excommunicationis contra Actorem, non tenetur Iudex ex officio repellere excommunicatum à Iudicio, nisi fit denunciatus post Conc. Constant. quia ratio cur ius prohibuerit excommunicato C ne agere possit est ad euitandum peccatum communicationis, vt habetur ex Gemin. & c. Pen. de except. lib. 6. num, 2. & 5. & constat ex c. Decernimus de sent. excom. lib. 6. Vnde in c. 1. de except. lib. 6. præscribitur modus, quo hæc exceptio excommunicationis proponenda est, & admittenda, vt vitentur fraudes eorũ, qui solum ad protrahendas lites solent illam opponere; vbi præcipitur exprimi debere speciem excommunicationis, & nomen excommunicatoris & hæc omnia infra octo dies probanda esse aliàs auditur Actor c. Prudentiam §. Sexta de off. deleg. Quando vero opponitur, & Actor fateatur latam fuisse sententiam excommunicationis contra ipsum, sed dicat fuisse nullã, D aut iniustam, non idcirco est admittendus ad progressum in causa, donec ostenderit nullitatem excommunicationis, c. Solet de sent. excom. lib. 6.

Cum autem dicunt Doctores excommunicatum agere non posse in iudicio, non loquuntur in causa propriæ excommunicationis, in qua admittitur excommunicatus, vt si intendat probare, vel non esse excommunicatum, vel esse absoluendum, Abb. in cap. Cum inter num. 10. De except. Sicut etiam quamuis rescripta Apostolica per excommunicatum impetrata sint nullius roboris, in ordine tamen ad absolutionem obtinendam sunt valida, seruanda tamen est Regula tradita in c. Cum contingat de off. deleg. vbi excommunicatus permittitur agere in Iudicio in causa E propriæ excommunicationis, si excommunicatus probare intẽdat excommunicationem fuisse nullam, & est audiendus, atque eius probationes sunt admittendæ, vt ex illis constet, an verè fuerit excommunicatus, & indigeat absolutione, vel potius declarandum sit non fuisse excommunicatum, si autem intendat probare excommunicationem fuisse tantum iniustè latam, licet validè, tunc non est admittendus ad probationes, nisi prius fuerit absolutus, & hæc regula traditur etiam in cap. Per tuas de sent. excom. Vbi additur etiam in priori casu Sedem Apostolicam solitam fuisse tradere absolutionem ad cautelam, quæ regulariter non est deneganda, vt docet Summ. Pontifex in cap. Solet de sentent. excommun. lib. 6. Quare si excommunicatus petat absolutionem, & non possit obtinere, & idcirco conqueratur iniustè sibi denegari, certum est esse admittendum in Iudicio ad agendum in causa absolutionis, & eius probationes admittendas, tùm quia agit ad defensionem, & defensio est permissa, tum etiam quia agit ad obtinendam absolutionem, & excommunicationem tollendam, quod maximè intendit Ecclesia, & ob hanc causam nunquàm denegat communicationem.

Ex dictis aliqua sunt colligenda.

Primo notandum est exceptionem excommunicationis opponi posse, quandocunque, etiam post terminum præfixum datum ad excipiendum vel opponendum in cap. Exceptionem de except. in cap. 1. eodem titulo lib. 6. Glos. in Clem. 1. & ibi Cardin. in qu. 16. De except. Specul. eod. tit. §. 2. Ver. Idem quoque, etiam si per statutum omnes exceptiones tollerentur; notat Bart. l. 1. §. Et parui ff. Quod vi, aut clam, Immò hoc dictum locum habet, quamuis terminus sit præfixus in specie ad opponendam exceptionem excommunicationis, vt per Card. loco citato, Addit Abbas in cap. Cum dilectus num. 16. De ord. Cognit. Posse obijci excommunicationem etiam post conclusionem in causa, maximè si postea ad notitiam venerit, arg. c. penult. De Except. & c. Pia eodem tit. lib. 6.

Notandum est secundo, quod si exceptio excommunicationis nõ fuerit opposita ab ipsa parte, adhuc excommunicatus repelli debet à iudicio, officio Iudicis si excommunicatio sit publica, etiamsi terminus datus ad illam opponendam sit elapsus, vt est Glos. secundum Card. in dicta Clem. 1. in 16. quæstione, & notat Specul. in tit. De off. Iudi. in §. 2. in fi. & in §. 4. Vers. Item. Quod intelligendum esse existimo, vt paulo ante monebam si excommunicatus fuerit denunciatus, vel notorius Clerici percussor, si verò alio modo sit publicus, non tamen denunciatus, licet Iudex possit illum repellere à limine iudicij, non tamen tenetur ex vi officij sui, quia non tenetur illum vitare, & eodem modo interpretandum cap. Prudentiam §. sexta de off. deleg. Vbi idem dicitur de excommunicato agere volente coram Iudice Delegato, vt vel repellatur, aut absoluatur prius.

Tertio notandum est exceptionem excommunicationis opponi posse in foro quoque sæculari, ne dum ecclesiastico, siue Canonico, quia excommunicatio non est Iuris Canonici inuentio, sed censura ab ipso Christo Ecclesiæ relicta, vt probat Andr. Tiraq. De vtroque retractu §. 1. Glos. 8. n. 275. Vnde infert Consanguineum excommunicatum vocantem in ius emptorem, vt ab eo retrahat rem emptam, posse hac exceptione repelli de Iure communi, & licet Iudex sæcularis de causa spirituali excommunicatus cognoscere nequeat nec principaliter neque incidenter, de facto tamen excommunicationis iudicare non prohibetur, vt ait Bartolus lege Titia ff. soluto Matrimonio.

Dubitant Doctores, An Excommunicatus repelli possit ab agendo ab eo etiam, qui iureiurando se obligauit exceptionem Excommunicationis non opponere.

Aliqui putant non obstante iuramento licere opponere excommunicationem in Iudicio, quia tale iuramentum tanquam illicitum non obliget, vt Ioann. And.

And. in cap. 1. de except. lib. 6. Secus si extra Iudicium petatur ab excommunicato debitum à debitore, qui promisit velle soluere ad certam diem cum iuramento, tunc enim tenetur soluere non obstante excommunicatione Creditoris, vt sentit Innocen. in cap. Veritatis de dolo, & contum. licèt oppositum doceat Bal. in cap. Intelleximus col. 2. Vers. quæruntur de Iudi. & idem tenet Glos. in cap. Nos Sanctorum 15. quæst. 6. Abb. in dicto cap. Veritatis, & in cap. Inter alia de sent. excom. in fi.

Iam igitur satis constat, quo pacto Sacri Canones prohibeant, ne excommunicatus agere, possit in Iudicio.

Hæc tamen Conclusio habet aliquas limitationes quas refert Felin. in cap. Intelleximus num. 14. de Iudi. & alij Doctores breuiter illas recensebo quæ sunt huius loci & de quibus controuersi solet in Doctoribus. Prima exceptio est si contra Actorem opponatur excommunicatio non ab ipso Reo sed à Tertio cuius nihil intersit tunc enim talis opponens in Iudicio non auditur quamuis Actor fuisset ad eius instantiam excommunicatus quare necesse est vt hæc exceptio excommunicationis opponatur contra Actorem à Reo conuento. De hac exceptione plurimum dubitat Felin. vbi supra & contra eam multa affert sed illud est præcipuum quia vbi agitur de periculo Animæ quilibet admittitur, & ad hunc finem inducta est à lege exceptio excommunicationis quare de hac prima limitatione censeo dicẽdum esse iuxta ea quæ tradidi paulo ante in secundo Notando. Secunda exceptio excommunicatus agere potest Reo volente & permittente ita Innoc. in ead. exceptionem in glo. fi. de except. & Abb. in cap. Intelleximus num. 4. de Iudi. Felin. numero 14. Et ratio huius dicti est quoniam alijs si excommunicatus, non posset cogi ad perficiendum iudicium quod inchoauit commodum reportaret ex delicto quod absurdum est. Et quod fauore non excommunicati sanctissime institutum fuit in eius odium retorqueretur, contra l. quod fauore. C. de legi. Dubitat tamen de hac re Abb. in dicto c. exceptionem numero 29. De except. quia Iure cautum est vt à limine Iudicij repellatur excommunicatus non ob priuatam Partis vtilitatem sed præsertim ob publicam honestatem & commune bonum & idcirco parte non opponente Iudex ex officio supplere debet huic incommodo & auctoritate sua repellere excommunicatum ergo sola voluntas Rei, Iudicis officium impedire nequit, quod si Reus inde detrimentum aliquod pateretur tunc inquit Abb. locum habere posset Innocentij opinio & in hoc casu excommunicatus agere posset per procuratorem alias contra eum procedi posset tanquam contra contumacem quia non legitime in Iudicio comparet. Tertia limitatio est vt Conclusio locum habeat in prosequente ius suum priuatum secus autem si excommunicatus agat in Iudicio ratione publici officij tunc enim non ei obest excommunicato nisi sit notoria puta si Prælatus agit pro Ecclesia vt inquit Felin. in cap. Intelleximus num. 24. De Iudi. nam in hoc casu videtur permissa excommunicato hominum communio propter vtilitatem officij quod gerit. Nauar. lib. 1. cons. 1. De Corp. Vitiat. num. 8. citat. cap. Dilecti & cap. Dilectæ de excep. Quarta exceptio est quando excommunicatus cedit alteri cura sua Cessionarius enim tunc agere poterit vt inquit Glo. penult. in capitulo primo, de iure patro. libro sexto, & Felin. in dicto capitulo Intelleximus numero vigesimoquinto.

A Idque pendet ex decisione alterius quæstionis an exceptio quæ obstat cedenti contra Cessionarium quoque opponi possit, Ratio vero ad admittendam hanc exceptionem in materia excommunicationis esse potest quoniam excommunicato, non afficit rem sed personam merito Cessionarius agere poterit vt inquit Glo. in dicto capitulo primo. de Iure Patr. libro sexto. Quinta exceptio est vbi excommunicatus prohibetur ea agere quæ à lege permittuntur, vt enim impedimentum remoueat in Iudicio comparere potest Lap. alleg. 55. initium est, quidam coram Iudice column. 3. in princip. Vt si excommunicatus conuentus prohiberetur constituere procuratorem posset contra impedientem agere in Iudicio quia dene- B gatur ei quod à Iure conceditur Felin. cap. Intelleximus in fi. De Iudi.

Sed quæri potest, quid si excommunicatus agat, & non repellatur, neque exceptio excommunicationis opponatur, an gesta per ipsum valida sint.

Respondeo valida esse omnia, quæ in tali Iudicio acta sunt, Videtur ita definitum in capitulo primo, De except. libro sexto, his verbis, *Sed si post rem iudicatam talis exceptio proponatur, executionem impedit, sed sententia, quæ præcessit, nonminus, robur debitum obtinebit*, subintelligitur, quam si tempore litis, & latæ sententiæ excommunicatus non fuisset, sic enim explicant Glo. & Doct. ergo excommunicatio non facit, quod acta in Iudi- C cio inualida sint.

Sed Glo. ibi Ver. Duraturis contra obijcit ex cap. 1. De Rescript. lib. 6. Vbi Gregorius Nonus statuit processum habitum ab Actore excommunicato, etiam non opposita excommunicationis exceptione, ipso Iure non tenere.

Respondit Glosa dicens capitulo primo, De except. libro sexto, locum habere in Actore, qui fuit excommunicatus post impetrationem rescripti, tunc enim processus habitus coram Delegato est validus, si non fuerit opposita exceptio excommunicationis, & ipso postmodum absoluto reassumitur causa in eodem statu, sic etiam intelligitur capitulo Prudentiam §. Sexto de off. deleg. sed capitulo D primo, De Rescript. loquitur, quando impetratum est rescriptum ab Actore, qui iam erat excommunicatus, quo casu processus habitus, etiam cessante oppositione excommunicationis, est ipso Iure inualidus.

Sed rursus instari potest ex capitulo Exceptionem De except. Vbi idem Gregorius decernit Reum omittentem opponere exceptionem excommunicationis, vt hac via laboribus, & sumptibus Actorem molestet, & perturbet, in expensis legitimis esse condemnandum, Hinc sequitur processum formatum, non opposita excommunicatione, esse ipso Iure nullum, aliàs cur puniretur Reus in expensis, si processus teneret, vt inquit Glo. in dicto c. exceptio- E nem Ver. Condemnandus, & Glo. in c. 1. Ver. Processus De Rescrip. lib. 6.

Respondet Glo. in V. Processus dicto cap. 1. De Rescript. lib. 6. & distinguit, si excommunicatus tempore impetrati rescripti agit corũ Delegato, non valet rescriptum, nec processus vigore talis rescripti habitus, si vero agit coram Ordinario, tunc secundum Iura Antiqua non tenebat processus, etiam non opposita exceptione excommunicationis, vt dicitur in c. Exceptionẽ de except. Sed postea idem Greg. Nonus in d. c. 1. De Rescrip. statuit, vt processus teneret, si Reus

scienter illum admisit, Tandem iure nouissimo Innoc. Quartus in cap. 1. de except. lib. 6. declarauit huiusmodi Processum habitum ab excommunicato validum, & voluit firmum habendum esse. Ratio autem huius discriminis, cur scilicet processus habitus ab excommnicato coram Delegato non opposita excommunicatione sit ipso Iure nullus, at coram ordinario sit validus, multiplex assignatur à Glos. in eod. Ver. Processus, præcipua vero, quàm magis probat, illa est, quod iurisdictio delegata sumit initium ex persona Agentis, & Impetrantis, & ideo cum principium fuerit infectum, cap. Principatus, 1. quæst. 1. non valet rescriptum, nec Processus, ordinaria iurisdictio nõ incipit ab Actore Agente, & ideo non militat idem Ius præsertim; quia iurisdictio ordinaria fauorabilis est, delegata verò odiosa, cap. Ad hæc de rescrip.

Quamobrem hoc tempore certum est valida esse acta in Iudicio tam coram Delegato, quàm coram Ordinario Iudice per Actorem excommunicatum, si à limine Iudicij, vel exceptione excommunicationis per Reum opposita, vel officio Iudicis reiectus non fuerit; quod verum est, etiam si excommunicatio sit publica, vt notauit Abb. in cap. Intelleximus de Iudi. quia notitia excommunicationis non reddit personam magis inhabilem, Similiter hoc est intelligendum non solum in causis Ciuilibus, sed etiam Ecclesiasticis, de neutro enim iudicio oppositum in Iure reperimus statutum.

Objicies gesta per Iudicem excommunicatum, saltem denunciatum sunt nulla, vt probaui in disp. super cap. 1. etiamsi excommunicatio non fuerit opposita in Iudicio, ergo idem videtur asserendum de excommunicatione Actoris.

Respondeo diuersam esse rationem de Iudice, & de Actore; nam in Iudice requiritur iurisdictio, sine qua acta sunt nulla, hæc autem tollitur per excommunicationem, sed ex parte Actoris nulla interuenit iurisdictio.

Secundò objicies Citatio facta ad instantiam excommunicati publicè denunciati non valet, nec obligat Reum ad comparendum, aliàs esset obligatus ad communicandum cum excommunicato; quod lege prohibetur, ergo propter eandem rationem reliqua, quæ in iudicio geruntur per Actorem excommunicatum inualida erunt.

Respondeo in eo casu Citationem dici posse inualidam, quoniam non habet vim obligandi simpliciter Reum ad comparendum, Verùm si Reus citatus venire voluerit, illa citatio sufficiens erit ad prosequutionem causæ, & omnia, quæ in iudicio postmodum gesta erunt, firma, & valida erunt, donec opponatur de excommunicatione, sed idem affirmamus de toto processu causæ, semper enim erit validus, nisi objiciatur exceptio excommunicationis, quæ quandocunque opponi potest, qua opposita statim omnia acta suspenduntur, vt etiam post sententiam latam suspendatur executio, vt dicitur in cap. 1. De except. lib. 6. & impetrata absolutione tollitur suspensio, & permittitur Actori, vt progredi possit in causa ab eo actu, vbi cessauerat.

Sed quæret aliquis, an peccet excommunicatus vocando Reum ad iudicium, & quod peccatum sit.

Respondeo peccare excomm. Actorem si petat ius in iudicio, quoniã violat sacros Canones, quibus hoc ei interdictum est regulariter tamen non erit peccatum mortale ex vi solius excom. nisi interueniat iniustitia, quia petat rem iniustam, vel vtatur fraude, & A dolo sed agat bona fide absque contemptu Ecclesiæ, maximè si causa litis non sit admodum grauis, nec diuturna, & sine continua communicatione agi possit, deniq; tales possunt concurrere causæ, vt Iudex, præsertim secularis, qui non potest absoluere, valeat, & debeat admittere excommunicatum ad agendum, ne graue aliquod detrimentum, & præiudicium imminens ex mora, & dilatione, si prius procuranda esset absolutio, patiatur, vt si timeatur de fuga Debitoris, nisi ex mandato iudicis ad instantiam Actoris capiatur; nam in his casibus non tam diceretur agere, quàm se defendere, & ad sui defensionem implorare Iudicis officium, quod licitum est, vt vidimus, & affirmant Doct. iuribus supr. citatis, Dicit tamen Couar. B lib. 1. Var. Resol. c. 19. n. 5. Apud Hispanos passim admitti à Iudicibus secularibus excom. ad agendum.

CAPVT II,

An Excommunicatus Reus ad Iudicium vocari possit.

PRæcedenti capite disputatum est de Excommunicatione Actoris; In hoc pertractandum est de excommunicatione ipsius Rei. Reus excommunicatus potest compelli in Iudicio comparere non solum in causa excommunicationis, sed in quacunque causa, in qua fuerit prouocatus. Habetur in cap. Intelleximus De Iudi. Secus enim excommunicatus commodum consequeretur ex sua excommunicatione; Qua- C re Reus excommunicatus cogi potest ad ea omnia, quæ si non esset excõmunicatus præstare teneretur, & è contra licent Reo excommunicato ea omnia ad sui defensionem efficere, quæ cuilibet Reo minimè denegantur; Quia defensio Iure naturæ cuilibet est permissa; Quare potest respondere, negare, probare, appellare, & similia agere. Hæc omnia habentur in cap, Cum inter De Except. & cap. vlt. eod. tit. & cap. Revera 3. q. 9. Et sunt intelligenda de quacunque causa extra causam propriæ excommunicationis; Nam si excommunicatus appellet à sententia excommunicationis tanquam iniustè, & iniquè lata, non est audiendus, nisi antea fuerit absolutus, quia per illam sententiam verè manet ligatus in foro Ecclesiastico, si verò D appellet ab illa sententia tanquam nulla, tunc est admittendus, cap. Per tuas De Sent. Excom. cap. Cum contingat De Off. Deleg.

Obiicies, qua ratione fieri potest, vt excommunicatus admittatur in Iudicio ad sui defensionem tanquam Reus, si Reus iuramentum calumniæ præstare debet, sicut Actor toto tit. De Iuram. Calumn. Excommunicato vero non licet tangere sacra, sicut nec ingredi Ecclesiam, cap. Ad eius 5. dist. cap. Cleros 21. dist.

Respondet Glo. cap. Cum inter V. Legitima defensio De Except. In hoc casu concessum esse à Iure in odium ipsius excommunicati, vt valeat ea omnia E agere, quæ pertinent ad causam, & ità poterit iurare, & communicantes cum eo occasione litis non erunt excommunicati, cum talis communicatio sit potius ad damnum ipsius, quam ad commodum.

Sed hic quæri potest Primò An Reus excommunicatus per se ipsum possit in Iudicio respondere, an per alium, puta per Procuratorem.

Respondendum est, Primo Excommunicatum Reum posse in Iudicio comparere per Procuratorem, colligitur ex dicto capit. Intelleximus De Iudi. Vbi dicitur: *Debet per alium in Iudicio respondere*, Quibus verbis primò significatur Reum excom-

excommunicatum posse validè per Procuratorem respondere, secundo non posse per se ipsum comparere, sed per alium hanc enim vim habet verbum illud *Debet* Et hoc modo sufficienter consulitur Actori, Iudici, & Reo; & euitatur communicatio cum excommunicato, quantum commodè potest, Atque ità sentiunt Decius, & alij in dicto capit. Intelleximus, & cap. vltimo de except. & Glos. in c. Pastoralis Ver. Factum proponant. de Iudi. Felin. in d. c. Intelleximus n. 5. disputat hanc difficultatem ad vtranque partem tandem concludit excomm. semper teneri ad constit. Procuratorem qui eius nomine in Iudicio cõpareat, nisi ita ab omnibus destitutus esset, vt neminem inueniret qui eius patrocinium suscipere vellet.

Sed licet videatur conueniens, & rationabile, vt Reus excommunicatus non possit per se ipsum in Iudicio assistere, tamen simpliciter loquendo, non potest cogi ad agendum causam suam per alium, sed potest per se ipsum respondere, vt tenet Glos. in d. c. Intelleximus V. Conueniri potest, vbi tenet non posse compelli excommunicatum committere causam suam alteri arg. c. Querelam de Procur. quia forsitan non reperit alium, qui fideliter causam suam tractet, vel si pauper sit, & mercede non possit conducere Procuratorem, & hæc videtur opinio communis, & ita sentit Abb. in d. c. Intelleximus nu. 5. Vnde in c. Decernimus de sent. excom. lib. 6. repellitur excomm. ab agendo, patrocinando, testificando, & nihil dicitur de respondendo per se ipsum; immo in c. Cum inter, & c. vlt. de except. simpliciter absq; vlla exceptione permittitur excommunicato, vt possit se defendere; quare non videtur coactus constituere Procuratorem, si sit idoneus, & velit per se ipsum iudicio stare.

Ideirco, quando in c. Intelleximus dicit Summus Pontifex *Debet per alium* verbum illud *Debet* interpretandum est, vt non imponat necessitatem, & coactionem, sed tantum significet modum magis decentem, & congruum ex debito honestatis, vt interpretatur Abb. vel vt habeat hunc sensum excommunicatus vocatus ad Iudicium tenetur respondere per alium, idest saltem per alium, si nolit per se ipsum, vel non sit idoneus.

E contra vero quoties excommunicatus potest in Iudicio sistere, potest etiam procuratorem nomine ipsius constituere Innoc. in cap. Intelleximus de Iudi. & ibi Felin. n. 8. facit tex. in c. fin. De Iudic. lib. 6. ibi *Per se vel Procuratorem*, & simpliciter excommunicatus potest Procuratorem constituere ad omnia quæ à iure permittuntur, vt Felin. ibid. notat ex sent. Card.

Secundo quæri potest, an reus excommunicatus admittendus sit ad Iudicium, antequam absolutionem obtinuerit, quando in potestate ipsius est illam obtinere, & nullum intercedit impedimentum.

Felinus in cap. Intelleximus numero 19. De Iudi. tenet Reum excommunicatum non esse admittendum in Iudicio, etiam ad sui defensionem, si sit in mora petendæ absolutionis, & velit perseuerare in sua contumacia.

Quæ sententia non caret omni probabilitate, si explicetur cum duplici limitatione, Prima est, quod in his, quæ spectant ad commodum Actoris simpliciter cogi possit Reus ad comparendum, etiamsi negligat petere absolutionem ab excommunicatione, aliàs ex sua iniquitate, & contumacia commodum consequeretur, at in ijs, quæ spectant ad commodum ipsius Rei non debeat admitti, nisi absoluatur, vel saltem recedat à contumacia. Secunda limitatio est, vt reus

A excommunicatus non admittatur, vt possit per se ipsum stare iudicio, non tamen denegetur ei per alium comparere, & se defendere, vt paulo ante dicebam, quia tunc tollitur periculum communicationis, cuius causa interdictum est excommunicato, nè in iudicio comparere possit.

Verùm quidquid sit de hac sententia, simpliciter affirmãdum est Reum excommunicatum posse in Iudicio se defendere, quamuis non sit absolutus; quia sacri Canones non exigunt hanc conditionem tãquam necessariam, sed absolutè concedunt illi facultatem se defendendi, vt probaui in præced. cap. ex c. Cum inter, c. Dilecti, & c. vlt. de except. Et si Ius Canon. requireret absolutionem, videretur satis durum præceptũ, B nam contingere potest, vt causa agatur coram Iudice seculari, qui non potest absolutionem impendere, nec cognoscere de causa excomm. & an excommunicatus sit in culpa non petẽdo absolutionem; vnde si tunc tẽporis denegaretur ei defensio in Iudicio exteriori sine vlla culpa, esset contra Ius naturale, Asserendũ tamen est liberum esse Iudici ecclesiastico, qui tulit excomm. excludere excomm. à limine Iudicij, nisi recesserit à sua contumacia si causa, propter quam excommunicatus fuit vocatus ad iudicium, agitur coram ipso, & iudicat hoc esse medium expediens, & opportunũ, vt hac via, & ratione quasi confusus excitetur ad petendam absolutionem, & submittendum se obedientiæ Præl. Potest autem Iudex ecclef. vti hoc re- C medio, non tamen tenetur, quoniam ex iure non colligitur.

Tertiò quæri potest, an Reus excommu. ad instantiam Actoris, deinde super eadem causa vocatus ab Actore coram Iudice possit se excusare propter excõmunicationem, vt non teneatur comparere; talis potest esse casus, fuit excommun. Caius à Seio, quia recusauit soluere ei debitum, deinde idem Seius prouocat Caium ad comparendum coram Iudice seculari super causa furti; an possit Caius sic citatus excusare se, & non comparere, si Seius ab excommunicatione non desistat, & non consentiat, vt possit absolui.

Respondent aliqui licitum esse reo in tali casu obijcere excommunicationem ad euitandum Iudicium, D quando opponit excomm. fuisse iniustam, secus si excommunicatio fuit iusta, Glo. in c. Cum inter Ver. Legitima defensio de except. Reddunt rationem, quia quando excom. fuit iniusta, Reus iniustè est spoliatus, ne accusare, aut conuenire possit, & ideo si probauerit iniustitiam excommu. prius est in suum statum restituendus, antequam compelli possit ad respondendum suo Actori in alia causa, arg. cap. Frequens de restit. spoliat. lib. 6. & cap. Nullus 2. q. 2.

Quæ sententia caret dubitatione, quando Reus opponit non solum de iniustitia, sed de nullitate excommunicationis, tunc enim non indiget absolutione, sed declaratione. Sed dubitationem aliquam habet, quando opponit excommunicationem fuisse E iniustam, quia debet antea probare iniustitiam, vt iure possit se excusare contra Actorem, ad probandum autem non videtur posse admitti, nisi antea absoluatur, cap. Cum contingat de off. deleg. cap. Per tuas de sent. excommunicationis.

Nihilominus sententia communis est vera, nam Reus excommunicatus excipiendo de iniustitia excommunicationis intendit consequi absolutionẽ respectu sui Actoris, ad cuius instantiam fuit excom. & à quo postea cõuenitur super alia causa, & hoc totũ habet rationẽ iustæ defensionis, quæ permissa est excom.

R 3 At

At in cap. Cum contingat, & in cap. Per tuas sermo est de illo, qui immediate ex officio Iudicis fuit excõmunicatus, & agit contra Prælatum, qui excommunicauit, opponens de iniustitia excommunicationis; quo casu, & propter reuerentiam excommunicationis, & dignitatem Prælati, prius est petenda absolutio, antequam audiatur, quia quamuis probaret iniustitiam excommunicationis, adhuc indigeret absolutione.

Quarto quæri potest, An quando Ius Canonicum concedit excommunicato Reo, vt possit in Iudiciu excipere, & se defendere, interpetrandum sit de Reo, qui vocatur Reus necessarius, an etiam de Reo voluntario, Reus necessarius vocatur ille, qui per citationem specialem, aut generalem in Ius venire compellitur, redditur enim iuditium in inuitum l. inter stipulantem §. si Stichum ff. de verbo. oblig. Reus voluntarius dicitur ille, qui petit, vt Actor iudicium suum prosequatur, vel qui exceptionem opponit, ante quam conueniatur, & generaliter quicumque ob sui vtilitatem in iudicium sisti vult, cum possit non respondere, quia non compellitur, nec vocatur Reus nisi sub conditione, si voluerit, vel si commodum ei fuerit, exemplum est in Auth. Si omnes C. Si vt se ab Hære. absti. & in c. Veniens a de restit.

Innoc. in d. c. Cum inter tenet Reum necessarium posse se defendere in Iudicio, voluntarium autem reũ non esse audiendum, & ratio est, quoniam c. Intelleximus de Iud. Loquitur de Reo, qui cogitur respondere in iudicio, & vocatur in iudicium inuitus, vt grauetur de re aliqua, & ne incommodum patiatur, cogitur cõparere & se defendere. Voluntarius autem Reus non compellitur comparere ab aliquo, & si iudicium petit, id facit non propter Actoris vtilitatẽ, sed propriã.

Confirmatur, nam Reus voluntarius potius habet vim Actoris, quam Rei, nam ipse prouocat ad Iudiciũ, & Actorem ad agendum compellit. Eandem sententiam tenet Abb. in c. Cum inter n. 12. de except. & concludit, quod si reus excommunicatus vult in iudicio comparere ad aliquid consequẽdum in sui commodũ, & vtilitatem non admittitur, quia est volũtarius reus c. Pia de except. lib. 6. Aut comparet ad euitandum grauamen sibi imminens, nisi compareat, & debet audiri, sicut contingit in appellatione.

Quinto quæri potest, an excommunicatus in casibus, in quibus potest in iudicio comparere possit petere, vt Iudex ferat sententiam in sui fauorem.

Respondet Abb. n. 10. in eod. c. Cum inter; quod si excommunicatus cõparet, vt actor in casu, quo potest puta in causa absolutionis, tunc conceditur, vt possit petere sententiam, facit c. 1. de rescr. lib. 6. c. Except. de except. Aut est in iudicio, vt reus, & non potest petere sententiam pro se, quia nihil potest in iudicio consequi ad sui fauorem, c. Intelleximus de iud. licet Iudex ex officio suo possit illum absoluere à petitione Actoris si videat Actorẽ non probasse. Quare si Actor causa contestata, & oblata petitione desisteret ab agẽdo, Reus excom. non posset cogere illũ ad agendum, quia potest solum iudicio stare stimulatus ab alio.

Sextò quæri potest, an excommun. possit semper, & quandocumq; appellare, & appellationem prosequi.

Resp. Abb. ibi n. 15. si tractetur de appell. iudiciali, excomm. semper potest appellare, quoties posset appellare non excommun. hac enim in re non differunt, quamuis excom. ab initio fuerit Actor, quia ad actum appellationis compellitur stimulo sententię, c. Significauerunt de except. & potest prosequi appellationem,

A & literas super ea impetrare, nulla facta mentione de excommunicatione, cap. si. De excep.

Si postules, an excom. possit appellationem per Aduers. interpositam prosequi Aduers. non prosequente.

Dicendum est non posse, si tractatur de appellatione iudiciali, quamuis aliqui tueantur partẽ affirmatiuã, ratio est, vt inquit Io. And. in c. Pia de except. lib. 6. quia quantum ad prosequutionem appellationis in casu proposito excom. non vegetur, cum rata, & firma remaneat sententia in sui fauorem lata, Aduers. non prosequente, c. Personas, & c. Cum sit de Appell.

Si vero agitur de appellatione extraiudiciali, scilicet, an excomm. possit appellare extraiudicialiter ante litis contestationem, & antequam patiatur grauamen aliquod
B Abb. in d. c. Cum inter. n. 17. ex sent. Io. And. asserit, quod quando appellatio est merè extraiudicialis excommunicatus non potest appellare, quia talis appellatio est prouocatio ad causam, vt in d. cap. Cum sit de appell. & habet vim conueniendi, quæ excommunicato denegatur, aut non est merè extraiudicialis, quo casu permittitur appellatio.

Sed quid dicendũ, si aliquis non excom. appellauit extraiudicialiter, deinde innodatur excommunic. An potuit prosequi appellationem interpositam, non obstante excommunicatione, quæ superuenit.

Abb. in d. c. Cum inter n. 17. refert aliorum opinionnes, & concludit tandem, excom. non posse prosequi appellationem interpositam antequam esset excom-
C municatus, quia appellatio extraiudicialis nõ est propriè appellatio, sed potius quædã prouocatio ad causam, vt est tex. in dicto c. Cum sit de appel. Nec grauamen postea superueniens mutat naturã huius appellationis, sed solum vires assumit, vbi prius erat conditionalis, & pendebat à futuro grauamine, & sic cum appellans teneat locum Actoris, potest semper repelli ratione superuenientis excomm. c. Prudentiam 9. sexta de off. deleg. c. except. de except. & c. 1. eod. tit. lib 6. Quod ũ in c. si. de excep. permittitur excomm. vt possit appellationem prosequi, hoc est intelligendum de appellatione proprie sumpta, scilicet iudiciali; nisi enim liceret in hoc casu appellare, & appellationem prosequi, sententia transiret in rem iudicatam; quare
D appellando, & prosequendo appellationem propriè se defendit, hæc verò cessant in appellatione extraiudiciali, de qua loquimur, ideo est diuersa ratio; poterit tamen excommunicatus, obtenta absolutione, prosequi grauamen, saltem per viam querelæ, c. Concertationi de Appell. lib. 6. Idcirco nulla imminet dubitatio de re iudicata.

Sed hoc in loco occurrit difficultas, quam longius prosequitur Abb. in d. c. Cũ inter n. 19. An illis casibus, in quibus non licet excom. appellare, possit saltẽ, obtenta absolutione, etiam post lapsum decẽ dierũ, qui à lege præscripti sunt ad appell. interponere appell.

Breuiter putarem esse respondendum, multis omissis ex doct. Inno. vt excom. transactis decẽ diebus post
E latam sententiã, etiamsi absolutus sit, non debeat audiri per se, & directè, sed possit petere restitutionem integrũ, quæ non est ei deneganda, postquam, obstante excomm. non potuit Ius suum nec per se ipsum immediate, nec per Procur. prosequi l. Sed etsi, ff. ex qui. cau. maio. l. Papinian. exuli, ff. de Minoris.

Vel dici potest quod etiam affirmat Innoc. quod excomm. non currit tempus ad appellandum, ex quo non potuit agere, & appellare, & post absolutioné poterit appellare infra decẽ dies, quasi tẽpus concessum ad appellandũ mensurari debeat à die impetratæ absolu-

solutionis, & ad probandum, quod excommunicato tempus non currat, citat cap. Quia diuersitatem de Concess. Preb.

CAPVT III.

Nunquid excommunicatus officium Procuratoris, aut Aduocati in Iudicio exercere possit.

IN hoc capite primo loco tractabitur de Procuratore, deinde de Aduocato, & de eo, qui patrocinatur in causa.

Quantum ad Procuratorem primò quæri potest, an si quis excommunicatus constituatur ab aliquo Procurator, possit admitti in Iudicio.

Ad quam dubitationem respondent omnes Doctores, nemine excepto, excommunicatum non posse ad procurationis officium assumi, neq; excommunicatum posse Procuratorem constituere, immò si plures cõstituant Procuratorem, & ex eis aliquis sit excommunicatus, vt Rector, Prælatus, & talis fit expressus in literis, & mandato procurationis, constitutus Procurator poterit repelli à Iudicio.

Huius assertionis pars secunda habetur euidenter definita in c. fin. de Procur. Vbi Summus Pontifex statuit Procuratorem constitutum ab Vniuersitate, in qua Rectores Ciuitatis erant excommunicati, si tales non fuerunt expressi in mandato procurationis, nec eorum auctoritate Institutio Procuratoris facta fuit, nec Vniuersitas sciens Rectores esse excommunicatos vna cum illis constituit Procuratorem, non esse reiiciendum, ergo à contrario sensu quando aliqua ex dictis causis intercedit, constitutus Procurator officium licitè exercere minime poterit. Probat Abb. in dicto c. fin. nu. 6.

Probatur secundò à simili ex c. Ad probandum de Re iudi. Vbi declaratur irrita sententia prolata à pluribus Delegatis Iudicibus, si vnus eorum erat excommunicatus ob eam rationem, vt ibi inquit Abb. num 4. Quia Iurisdictio singulis tribuitur pro parte, non insolidum, & sententia non potest pro parte valere.

Prima autem pars eiusdem Conclusionis, nempè excommunicatum non posse assumi ad officium procurationis postulat longiorem explicationem, & in primis ad eam confirmandam plura adduci possunt.

Probatur Primo, quia excommunicatus non potest communicare cum alijs, sed officium Procurationis non potest exerceri sine communicatione, ideò excommunicatus non potest esse Procurator.

Secundo excommunicatus non potest stare Iudicio, nisi tanquam Reus ad sui necessariam defensionem, cap. Intelleximus de iudi. cap. Licet de sent. excom. lib. 6.

Tertio excommunicatus non admittitur in iudicio tanquam Testis, cap. Decernimus de sent. excomm. lib. 6. Ergo multò minus admittendus erit tanquam Procurator, quod maius est.

Tandem vel excommunicatus comparet in Iudicio tanquam Procurator Actoris, vel Rei, Non potest comparere pro Actore, quia si Actor excommunicatus non potest per se ipsum comparere in Iudicio, ergo multo minus poterit stare Iudicio per alium excommunicatum. Neq; etiam potest tueri partes Rei, nam in dicto cap. Decernimus repellitur ab omni patrocinio, Abb. in cap. Intelleximus n. 10. de Iudi.

Obijcies, qui non est excommunicatus potest exercere in Iudicio officium Procuratoris pro Reo excommunicato ad illius defensionem, vt dicitur in citato cap. Intelleximus, ergo commutata proportione excommunicatus poterit gerere officium Procuratoris pro Reo non excõmunicato, & ratio est, quia magis oportet fauere non excommunicato, quàm excommunicato.

Respondendum est negando consequentiam, non enim est par ratio in vtroq; casu, si enim non excommunicatus patrocinetur pro Reo excommunicato, non sequitur communicatio cum excommunicato, sed potius minuitur, quantum commode fieri potest, sed si excommunicatus compareat pro non excommunicato, sequitur necessario communicatio cum excommunicato.

B Quamobrem regulariter, secluso casu necessitatis, semper peccatum erit, tum ratione excommunicati, si ipse excommunicatus suscipiat officium Procuratoris, tum ratione Deputantis, & Eligentis excommunicatum ad tale munus, sed non eodem modo in vtrisque, ex parte enim excommunicati semper hoc erit illicitum, quamuis occultus sit, ex parte vero Eligentis, culpa contrahitur solum quando Procurator electus est denunciatus excommunicatus iuxta extrauag. Ad euitanda, quia tamẽ, vt alias monui, extrau. Ad euitanda non præcipit communicationem cum excommunicato non denunciato, sed solum permittit, & non prohibet, idcirco extrau. non impedit, quo minus Iudex possit repellere excommunicatum publicum, ne compareat tanquam procurator in Iudicio etiamsi denunciatus non sit, Item aduersarius litis potest opponere exceptionem excommunicationis in Iudicio, etiamsi excommunicatio sit occulta, dummodo probari possit, quia probata repellendus erit, quod si excommunicatus non denunciatus à nemine repellatur, alij non peccãt communicando cum illo, sed ille, qui inducit eum, non poterit excusari à culpa, saltem cooperationis, & inductionis ad actum prohibitum, nisi occurreret casus necessitatis, tunc enim propter fauorem alterius, talis actio excusaretur à culpa.

D Quanta vero sit culpa in excommunicato exercere munus Procuratoris, colligenda est ex genere procurationis, si enim excommunicatus sit Procurator Actoris, cum graue peccatum sit Actori excommunicato comparere per se ipsum in Iudicio, certe multo grauius erit agere Procuratorem pro alio, quod si excommunicatus sit Procurator Rei, quia defensio Iure naturæ conceditur, ideo huius peccatum erit, si excommunicatus alium defendit, Tandem semel, vel iterum in Iudicio assistere pro alio, licet leuior videatur culpa in excommunicato, tamen assumere officium procuratoris animo illud exercendi, graue peccatum censendum est.

Quæret aliquis, an saltem excommunicatus possit gerere officium Procuratoris pro socio, & litis E Consorte.

Respondet Abb. in c. Post Cessionem nu. 20. De Probat. excommunicatum non posse in Iudicio agere pro Consorte, & hoc videtur clarum, vt nulla indigeat probatione, nam si ipse stare non potest in Iudicio, cap. Intelleximus de Iudi. in causa propria, ergo multo minus hoc ei permissum erit in causa aliena, nisi causa esset indiuidua, tunc enim in illis casibus, in quibus ei permissum esset agere in Iudicio ratione sui ad defendendam causam suam, liceret quoque defendere consortem absque aliquo mandato, l. 2. §. ex his ff. de verbo. oblig.

De

De peccato igitur non est dubitandum, si excommunicatus interfit Iudicio tanquam Procurator siue pro Actore, vel pro Reo, sed difficultas esse potest de validitate eorum, quæ per excommunicatum Procuratorem geruntur antequam à Iudice repellantur.

Ad quam dubitationem respondēdum est ex communi sententia Canonistarum, si quando quis constituitur Procurator, non erat excommunicatione innodatus acta in iudicio per huiusmodi Procuratorem, etiam postquam fuit excommunicatus, quamdiu à limine Iudicii non repellitur, valida censenda sunt. Ita Abb. in cap. Post Cessionem nu. 17. de Probat. & alii in cap. 1. de Except. lib. 6. & ratio est, qunniam talis potestatem accepit legitimam ad exercendum Procuratoris officium, sed accedente excommunicatione repellitur solum propter communicationis periculū, quare si excommunicatio non opponitur, & vtatur huiusmodi potestate, factum tenet, sicut etiam excōmunicatio non priuat excommunicatum alijs Dignitatibus, Officiis, aut Beneficiis prius obtentis, sed solum suspendit illorum executionem, licet igitur procurator excōmunicatus male vtatur communicatione prohibita, actio tamen valorem suum retinet.

At cum primum Exceptio excommunicationis opponitur, si Procurator non desistit ab officio, quidquid ab eo geritur, nullius est valoris, tunc enim quasi ipso iure suspenditur omnino potestas illa agēdi vt patet ex illo cap. 1. de Except lib. 6. & potest probari à simili arg. cap. iudex de off. deleg. eod. lib. vbi commissio facta à iudice post exceptionem, oppositam non tenet.

Illud quoque ad rem, de qua modò agimus, non est prætermittendum; Cum dicimus actus Procuratoris excommunicati, antequam oppositum fuerit de Excōmunicatione, validos esse, locum habere non tantum in Actibus gestis in Iudicio, sed etiam extra Iudicium; Quare Matrimonium contractum per talem Procuratorem excommunicatum validum est, & idem dicendum est de alijs Contractibus per eundem celebratis.

Hæc, quæ diximus de Procuratore legitimè constituto, si postea vinculo Excommunicationis obstrictus fuerit, admittuntur ab omnibus.

Verum quid sentiendnm est, si supposita excommunicatione constituatur quis Procurator.

In qua difficultate certum est excommnnicatum non debere constitui Procuratorem, nec ipsum posse officium illud licite accipere, cū non possit illud exercere, & ratio est, quoniam hæc fieri non possunt, sine communicatione, quæ prohibita est tam respectu fidelium erga excommunicatum, sicut è contra, nisi necessitate vrgente, vt explicatum est suo loco, aut nisi procuratio detur conditione non exercendi eam durante excommunicatione, sed post obtentam absolutionem; Vnde ex his constat peccatum esse, & graue constituere Excommunicatum ad officium Procuratoris exercendum.

Dubium tamen est, An constitutio Procuratnris excommunicati sit valida ità vt talis persona vere maneat Procurator, & potestatem accipiat ad exercendum oficium procurationis sublata excommunicatione per absolutionem, sine nono consensu Constituentis.

Communis sententia Doctorum est, Specnl. in tit. De Procur. in princ. Cald. Io. And. Butr. & aliorum, qnns sequitur Abb. in cap. Post Cessionem nu. 17. De Probat. & in cap. Veritatis nu. 34. De Dolo, & Cōtum.

A Constitutionem Procuratoris excommunicati esse ipso Iure nullam, & probat Abb. ex eodem tex. Post Cessionem, & ibi Glos. vbi consideratur tempus assumptionis officij; Vnde desumitur argumentum quod mandatum ipso Iure ab initio fuit nullum, ex quo sequitur ex sententia Abbatis talem Procuratorem repelli posse, si velit agere, etiam post obtentam absolutionem.

Quod si obiicias contra hanc opinionem; Primò quia ille, qui Procurator ob aliquem defectum esse non potest, si constituatur, poterit agere, nisi repellatur, vt notat Bart. in l. Filium Familias §. Veterani in fi. ff. de Procuratoribus, in l. Pomponius §. Rati ff. eod. tit. in l. Licet col. penult. C. De Procur. Ergo similiter

B Procurator excommunicatus non erit ipso Iure inhabilis, sed poterit repelli ope exceptionis.

Secundò Glo. in l. Exigendi Ver. Non iustè C. De Procur. & ibi Bart. affirmauit, quod licet Minor non habeat legitimam personam, tamen si Procurator constituatur pro alio, constitutio valet, & iudicium tenet, nisi opponatur, ergo idem videtur dicendum in Excommunicato.

Ad hæc respondent, qni tuentur sententiam Abbatis, non bene inferri ex aliis casibus adductis ad excommnnicationem; In illis enim ideo tenet ipso iure Procurator constitutus contra prohibitionem legis, & valet processus eum eo factus, nisi per exceptionem repellatur, quoniam nullibi in Iure peculiariter de-

C claratur nulla, & irrita talis constitutio; Secus est in Excommnnicato, nam in dicto cap. Post cessionem De Probat. consideratur tempus, quando excommunicatus recipit officium procurationis, sic enim habetur: *Quod V. Excommunicatus erat, cum Procurationis officium assumpsit, ipsum tanquam Procuratorem non duximus admittendum.* Et hoc dicunt esse speciale in odium ipsius excommunicati, vt ipso Iure non admittatur.

Contraria tamen opinio est aliorum, quorum auctor est Innoc. in eod. cap. Post Cessionem, qui existimant excommunicatum non esse ipso iure inhabilem ad officium procurationis, sed posse tantum repelli via exceptionis. Huic opinioni adhæret Dec. in dicto

D cap. Post Cessinnem nu. 17. Vers. Mihi tamen placet, quam plnribus confirmare nititur.

Primo refellit fundamentum contrariæ sententiæ, quod in odium excommunicati ius peculiariter statuerit Constitutionem Procuratoris excommunicati esse eo ipso nullam, & irritam; Nam hoc odium non attenditur in ipso principali excommunicato pro se ipso agente, cuius gesta valida sunt, nisi vel à parte per exceptionem, vel officio Iudicis reiiciatur, cap. 1. De Except. lib. 6. & nullum extat particulare Ius, quo cautum fuerit excommunicatum esse inhabilem ad comparendum pro se in Iudicio, quod magis quis probabiliter existimare potuisset, qnia maiori odio habendus est excommunicatus, dum agit proprio nomine, quia tractatur de suo commodo, & vtilitate, & tamen

E ipso Iure non reiicitur, ergo minus debet excludi, quando agit vt Procurator, quia tractatur potius de vtilitate, & commodo statuentis, quàm ipsius.

Secundo minor prohibitio videtur, quando quis agit nomine alieno, quam si agat proprio nomine arg. l. Furti §. Qui alieno ff. De Infam. Vnde magis videtur prohibitum, vt excommunicatus sit in Iudicio pro se ipso, quam nomine alterius, & tamen nomine proprio excommunicatus ipso Iure non repellitur, vt dictum est; Ergo multo minus debet excludi, quando agit vt Procurator.

Tertio

Tertio contractus celebrati ab excommunicato validi sunt, cap. Veritatis De dolo, & contum. ergo & constitutio Procuratoris, quatenus quidam contractus erit valida.

Si dicas Constitutionem Procuratoris esse inualidam ipso Iure ratione officij, quia officium Procuratoris est publicum, saltem auctoritate, licet vtilitate sit priuatum, vt docet Abb. in dicto cap. Post Cessionem num. 13.

Respondet Dec. falsum esse id, quod assumitur cum officium Procuratoris quacunque ratione consideratum sit priuatum, nam & à priuato conceditur, & à priuato exercetur, & ad priuatam vtilitatem refertur, vnde & auctoritate, & vtilitate est priuatum, vt tenet Bart. l. 1. §. si plures col. 2. ff. De exercer. & ipse Abb. idem dicit in c. Prudentiam in princ. col. 3. Vers. secundo membro principali de officio deleg. Quare neque ratione officij Constitutio Procuratoris excommunicati erit inualida, remanet, vt prohibitus sit excommunicatus gerere Procuratoris officium ad Iudicia ex Regula generali iuxta textum in cap. Intelleximus de Iudi. quod excommunicatus in Iudicio stare non potest, Regula tamen hæc intelligitur, vt non possit stare in Iudicio ope, exceptionis, c. 1. de except. lib. 6. ergo similiter talis Procurator vi exceptionis tantum à limine Iudicij repelli potest.

His rationibus ductus amplector hanc secundam opinionem Innoc. & Dec. tanquam probabiliorem, cui adhæret etiam Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 23. licet prima sit communior.

Et quidem opinio Innoc. caret omni difficultate, si loquamur de Procuratore excommunicato constituto ad negocia, & ad actus extraiudiciales, quamuis oppositum sentiat Abb. cap. Post Cessionem nu. 19. Ratio est, quia hæc actio est contractus quidam priuatus inter constituentem, & constitutum Procuratorem, contractus autem cum excommunicato celebrati validi sunt, vt diximus.

Obijcies prohibita actione aliqua censentur prohibita ea omnia, quæ ad actionem ordinantur cap. Si celebrat de Cleri. excom. Ministr. ergo excommunicatus prohibitus est ab actione procurandi etiam extra iudicium, ergo exclusus erit, ne talis procuratio ei committi possit.

Respondeo aliud esse Actionem esse prohibitam, aliud esse nullam ipso Iure, vnde quamuis actio procurandi sit interdicta excommunicato ex Iure, non tamen declaratur nulla, ideo ex eo principio nihil sequitur. Accedit, quod illud principium desumptum ex cap. Si celebrat, potest intelligi ne actione prouenicnte ex munere, & officio publico, quod publica auctoritate confertur, tunc enim collatio officij facta alicui, actio propria illius officij prohibita est, posset dici irrita ipso Iure, sed alia ratio est de officio Procuratoris quod non est publicum vt dixi.

Quamobrem si cõstituatur excommunicatus Procurator ad negocia, & ad contractus, verus est Procurator, & ex consequenti omnia ab eo gesta virtute accepti mandati valida sunt, quamuis sine culpa, & peccato durante, excommunicatione non fiant, & sublata excommunicatione per absolutionem, idem procurator non solum validè agit, sed etiam sine peccato, nam excommunicatio solum impedit communicationem, quamdiu durat.

Si verò loquamur de Procuratore ad lites, & ad actus iudiciales, quamuis opinio Innocentij non sit adeo certa, adhuc tamen mihi probabilior videtur, quam opinio Abbatis, & aliorum.

Nam precipuum fundamentum, quo nititur opinio Abbatis, est textus in dicto cap. Post cessionem, Vbi Summus Pontifex non admittit aliquem ad procurandum in Iudicio ob eam solam rationem, quoniam excommunicatus erat, cum procurationis officium assumpsit, ergo supponit Papa ratione excommunicationis fuisse inhabilem ad officium procurationis suscipiendum, sed ex hoc tex. si rectè explicetur, nihil concluditur contra dictam opinionem Innoc.

Decius enim interpretatur textum ad hunc modũ, dicens Summum Pontificem considerasse tempus assumptionis ad officium procurationis, non quidem ad ostendendam talem assumptionem fuisse nullam, sed quia eo tempore constabat per literas Ordinarij illum constitutum Procuratorem fuisse excommunicatum, tempore vero, quo talis Procurator agere incœpit, oppositum fuit de excommunicatione, & idcirco non esse admittendum, & Summus Pontifex decreuit ad probandam excommunicationem præcedentem sufficere probare fuisse excommunicatum tempore assumptionis officij quia semel excommunicatus semper præsumitur excommunicatus, nisi probetur absolutus, cap. Sicut nobis, & ibi Abb. de sent. excom. cap. Proposuit, & ibi Glo. & Abb. de Cleri. excom. Mini. Consideratur igitur in cap. Post cessionem tempus, quo excommunicatus officium procurationis accepit ad probandam eius excommunicationem quoniam de illo tempore constabat per literas Ordinarij, non autem ad ostendendam Constitutionem talis Procuratoris ab initio fuisse nullam, & confirmatur hæc explicatio contra sententiam Abbatis, quoniam in textu non habetur, quod ille constitutus Procurator erat excommunicatus, quando fuit constitutus, sed tantum tempore, quo recepit officium, quo casu non poterat repelli ab officio, nisi ope exceptionis, vt dictum est supra, cum ab initio esset legitimè constitutus, quare ex illo textu probari minimè potuisset constitutionem excommunicati ad officium Procuratoris esse ipso Iure nullam, quod intẽdit Abb.

Ad hunc modum interpretatur Decius c. Post cessionem, quæ explicatio non videtur omnino ad mentem Summi Pontificis, qui, vt statueret excommunicatum illum procuratorem repellendum esse à Iudicio, non mouetur ex eo, quod tunc cum Procurator agere intendebat, esset excommunicatus, quod certe expressisset, si hæc fuisset vnica ratio sed propter eam rationem, quod tempore assumpti officij erat excommunicatus.

Quamobrem aliter etiam respõderi potest, ex verbis illius textus non posse concludi Constitutionem Procuratoris excommunicati fuisse ipso iure nullam, sed fore ab Ecclesia irritandam tanquam factam in ordine ad actum prohibitum, & propterea talem Procuratorem esse suspendendum ab illo munere, sicut accidit aliquando, vt, qui Iudex, vel Sacerdos est electus, ob aliquam causam suspendatur, à munere suscepto, immo si maiores dignitates, & officia secularia collata excommunicato tenent, & non sunt irritæ collationes, quamuis interdum irritari possint, iurisdictionem includunt, multo magis videtur hoc asserendum de officio Procuratoris.

Ex hac sententia sequitur primò gesta per Procuratorem ab initio excommunicatum tempore constitutionis valere, quousque ab officio priuatus fuerit, vel ab executione illius reiectus, quia talis Procurator veram accipit potestatem, ergo actus validos facit,

cit, sed iuxta sententiam Abbatis, & communem gesta per talem procuratorem excommunicatum inualida erunt; Immo si acta per Procuratorem excommunicatum essent nulla idem dicendum esset, etiam si talis excommunicatus esset occultus, & ex ignorantia inculpabili tale munus ei impositum esset, quia deesset illi potestas, sed hoc videretur valdè rigidum, & multa, ac maxima inde sequi possent incommoda, & pericula; Antecedens probatur: Quia acta talis Procuratoris non diriguntur ad publicum officium, vt talis defectus occultæ excommunicationis propter probabilem ignorantiam censeatur supplectus publica authoritate, sicut dicitur in l. Barbarius ff. de off. præt. & in cap. Ad probandum de re Iudi. de Iudice occulte excommunicato, vel ob aliam rationem inhabili, quia officium Iudicis est publicum, sed exercere munus Procuratoris est actus priuatus, Bal. l. Non omnis §. Si pupillus ff. Si cer. peta. qui non tenet stante inhabilitate aut publica, aut priuata; Innocentius cap. Cum dilectus De Consuet. Io. Andr. in cap. 1. De Rescript. lib. 6.

A

B

Sequitur secundo ex eadem sententia Innoc. quod si talis excommunicatus ab initio constitutus Procurator, absolutionem consequatur debet admitti in iudicio ad agendum, & non potest repelli per exceptionem, quia prima constitutio, qua fuit illi collatum tale officium ab initio fuit valida, ideo semper retinet potestatem ad agendum. Verum, qui tenent opinionem Abbatis, vt cohærenter loquantur, affirmare debent etiam post impetratam absolutionem talem procuratorem remanere inhabilem ad agendum, quia attenditur inhabilitas tempore constitutionis, Glos. in dicto cap. Post Cessionem, & in cap. Dilectus 2. De Præb. Vbi ait non valere impetrationem Iudicis excommunicati, etiam si tempore receptionis literarum absolutus sit; Immo aliqui addunt non solum requiri habilitatem tempore Constitutionis, sed etiam tempore receptionis officij ità quidem, vt si aliquis legitime fuerit constitutus Procurator, & postea tempore acceptationis obstrictus sit excommunicatione, non possit agere valide etiam post obtentam absolutionem, facit tex. in §. In extraneis Instit. De Hæred. quali. & diffe. Vbi consideratur habilitas tempore receptionis; Hoc tamen alij non admittunt, quoniam non habenda est ratio temporis, quo officium recipitur, sed quando confertur, & recipiens incipit, agere, tunc enim concurrit voluntas vtriusque; Nam voluntas Constituentis habetur ab initio, quando Procuratorem constituit, & in tali voluntate durare præsumitur cap. Maiores De Baptis. Vbi vero Procurator absolutus ab excommunicatione agit in Iudicio, videtur ex consequenti acceptare, arg. l. 2. ff. De Iurisd. omn. Iudi. Et virtute huius tacitæ acceptationis ex vtraque parte voluntas concurrit, quamuis acceptatio facta antea expresse, non valuerit propter excommunicationem.

C

D

Sequitur tertio ex eadem sententia, quod si Procurator excommunicatus constitutus fuerit, cum potestate substituendi, substitutio per eum facta erit valida, quia cum talis Institutio Procuratoris, excommunicati non sit ipso Iure nulla, vtique non denegatur ei, vt substituere valeat, immo inquit Ant. Butr. in cap. Post Cessionem, quod Procurator excommunicatus substituere potest etiam retenta opinione Abbatis, quod Institutio excommunicati ad officium Procuratoris sit ipso Iure nulla, ob eam rationem, quoniam talis substitutio sit per Contractum, & excommunicatus non censetur inhabilis in contractibus ineundis, cap. Veritatis De Dolo, & Contum. Verum hæc ratio non concludit contra opinionem Abbatis, quia licet Substitutio Procuratoris expediatur per Contractum, tamen iste contractus dirigitur ad iudicia ex tex. in cap. Post Cessionem iuxta interpretationem Abbatis, & communem: Vnde sicut ex hoc tex. Secundum hanc opinionem excommunicatus est inhabilis ipso Iure, ne possit esse Procurator in Iudicio, ità etiam erit inhabilis, ne possit substitutionem facere, per quam ad Iudicia deuenitur, Glo. in Clement. Religiosus Ver. Commissum De Procur. Quia prohibito fine omnia media ad finem prohibita videntur, l. Oratio ff. De Sponsa.

Qua in re animaduertendum est etiam retenta opinione Abbatis, & communi, quod Procurator excommunicatus sit ipso Iure inhabilis ad Iudicia, & idcirco valide non possit substituere, hoc esse intelligendum, vt inquit Card. in cap. Post Cessionem vbi talis procurator generalem habet potestatem substituendi, secus si fuit specialiter nominata persona, quæ substituenda sit, tunc enim talis nominatio personæ substitutæ valide fieri potest per talem Procuratorem excommunicatum, cum sit nudus minister, & substitutio non fiat Procuratore excommunicato, sed à principali Domino, l. Cum Pater §. Hæreditatem ff. De leg. ij.

Sed contra obiicitur; Ergo ob eandem rationem, quando fuit concessa generalis potestas substituendi, Procurator excomunicatus substituere poterit, quia talis etiam substitutus dicitur ab ipso Principali substitutus, Glos. in cap. 1. Ver. Substituendi De Procur. lib. 6. tenet Bart. l. 1. circa med. ff. De Procur. & videtur hoc probari in dicta l. Cum Pater §. Hæreditatem ff. De leg. 2. Vbi generaliter data erat potestas eligendi.

Respondet Dec. in dicto cap. Post Concessionem num. 21. quod quamuis Procurator substitutus à Procuratore excommunicato cum facultate substituendi indistincte dicatur substitutus à Domino Principali, qui potestatem dedit ad substituendum, quantum ad Iuris interpretationem, quia, qui per alium facit, per se ipsum facere videtur l. 1. §. Deiecisse De vi & vi armata; Vere tamen, & proprie factum fundatur in persona Procuratoris, qui cum sit inhabilis ipso Iure ex sententia Abbatis, actus substituendi in eo non videtur posse fundari, secus est, quando est nominata persona, quæ debet substitui, tunc enim iam facta est substituto, & sola nominatio fit à Procuratore, qui eo casu dicitur nudus minister, & nūcius, in cuius persona actus non fundatur, l. Qui autem §. fin. cum l. seq. ff. De Consti. pec. Non obstat textus in dicta l. Cum Pater §. Hæreditatem, quia ibi actus tenuit ab initio, sed in casu nostro Procurator ab initio erat inhabilis ipso Iure, si sequamur sententiam Abbatis. Et de procuratore excommunicato hæc dicta sint in prima parte huius capitis; Restat, vt pertractemus in secunda parte de Aduocato.

E

Et quantum ad Aduocatum res paucis expediri potest; Nam vel agimus de peccato, scilicet An excõmunicatus Iurisconsultus peccet, si patrocinetur in Iudicio pro Reo, vel Actore, vel tractamus de validitate Patrocinij, an factum teneat.

Si loquamur de Peccato certum est excommunicatum exercentem officium Aduocati peccare, est enim eadem ratio de Aduocato sicut de Procuratore, de Teste, & similibus; Id patet, tum quia hoc onus exer-

ceri

ceri non poteſt ſine communicatione cum non excommunicatis, quæ cõmunicatio Iure prohibita eſt, & qui contra facit, inobediens eſt Eccleſiæ, tum etiam quoniam in ſpecie interdictũ eſt excommunicato patrocinari in Iudicio expreſſis verbis cap. decernimus de Sent. excom. lib. 6. ſcilicet *Repellere excommunicatus ab agendo, patrocinando, & teſtificando in ſuis Iuris, & Iudicis compellantur* Vbi Glo. Ver. Patrocinando reddit rationem huius prohibitionis, ſi enim excommunicatus non auditur pro ſe multo minus conuenit, vt audiatur pro alio, cap. Omnibus 4. q. 6. cap. Directo de Sent. excom. lib. 6. Idem. quoque colligitur ex c. Intelleximus de Iudi. vbi ſolum excommunicato Reo locus conceditur in iudicio ad reſpondendum, & ſe defendendum; Vnde infert Abb. in eod. cap. Intelleximus num. 2. Excommunicatum Aduocatum eſſe non poſſe; Idem ibi confirmat Decius.

Quare ad repellendum excommunicatum ab officio Aduocati poteſt opponi exceptio excommunicationis, & parte non opponente; Iudex poteſt ex officio illum reijcere à Iudicio, ſicut diximus de Actore, & de Procuratore; Immo ſi ſit excommunicatus vitandus ad præſcriptum Extrauag. Ad euitanda, idest nominatim excommunicatus, & publice denũciatus, non ſolum poteſt, ſed debet repelli, Quod ſi non ſit denunciatus, poteſt quidem reijci, à parte, vel Iudice, ſi conſtet de excommunicatione, ſed poteſt quoq. licitè admitti, ſi pars, vel Iudex conſentiat.

Poteſt quoque eadem doctrina congruentibus rationibus confirmari, quas proponit Dec. Nam Aduocatus dicitur egregia perſona, Bart. l. 1. C. De Adu. Diuer. Iudi. Excommunicatus eſt turpis perſona, Bal. in dicto cap. Intelleximus col. 2. Ver. Sed nunquid excommunicatus, & excommunicatus non appellatur vir bonus, nec honeſtus, cum non toleretur ab Eccleſia, vt docet Maria. Socci. conſ. 45. Viſa appellatione.

Quod ſi tractemus de Validitate eorum, quæ geruntur ab Aduocato excommunicato, dicendum eſt valida eſſe, & tenere ea, quæ fiunt ab huiuſmodi excommunicato; Munus enim Aduocati eſt, conſilium præbere, & tueri cauſam ſecundum Iura, & rationes, ideo ſe conſilium ab eo præſtitum rectum ſit Iuri conſentaneum, & allegationes firmæ, ac ſolidæ, non habent minorem vim nec carent aliqua efficacia, ſi prodeant ab ore excommunicati Aduocati.

Obijciet aliquis, Aduocatus non tantum conſulit in cauſæ de remedio, & via tenenda ad inchoandum Iudicium, & proſequendam litem, vt eius Clientulus victor remaneat, ſed præterea aliquando debet voce tollere difficultates emergentes, nonnũquam ſcriptis veritatem coram Iudice aperire, ſed hæc denegantur excommunicato.

Dicendum eſt hanc rationem probare tãtum poſſe Iudicem vel debere aliquando hæc, quæ proueniunt ab Aduocato excommunicato, non admittere, ſi tamen admittat, valida erunt ad proſequendam cauſam, & patet euidenter ex eo, quoniam ſi dicta Teſtis excommunicati, vt oſtendam, & Actoris acta quandiu non repellantur, ſunt valida, vt probatum eſt, multò magis cenſenda ſunt valida geſta per Aduocatum excommunicatum, qui Actori, & à fortiori Reo patrocinatur. Accedit, quod nullum extat Ius, quo decernantur irrita, quę fiunt per Aduocatum excommunicatum.

Poſtremo in fine huius Capitis ad illud concludendum dubitari poteſt, poſtquam excommunicatus officium Aduocati licite exercere nequit, an ſi nihilominus illud ſubeat, lucrum, quod patrocinando acceperit, reſtituere teneatur, & idem dubitari contingit de Procuratore excommunicato.

A Aliqui Canoniſtæ cenſent tale lucrum acquiſitum ab excommunicato non tolerato Pauperibus erogandum eſſe. ita tenet Io. And. in cap. Decernimus de Sent excom. lib. 6. & Hoſt. in c. Pia de except. lib. 6. ſed oppoſitũ eſt probabilius licere Aduocato, & Procuratori excommunicato condignum ſtipendium accipere, & colligitur in ſimili ex Nauar. lib. 2. de reſtit. num. 232.

Probatur, quoniam ſtipendium datur pro æquiualente labore, nec idcirco iuſtitia lęditur, ſi huic labori adiungatur circumſtantia extrinſeca, & accidẽ-
B taria mala contra obedientiam Eccleſiæ, ſi tamen miniſterium Aduocati in Iudicio admiſſum fuerit, nam ſi tale miniſterium inutile reddatur ipſi Clienti ob excommunicationem Aduocati, tunc Aduocatus non poteſt petere licitè ſtipendium, niſi excommunicatio Aduocati nota fuiſſet ipſi Petenti patrocinium, & nihilominus eius opera, & induſtria vti voluiſſet, tunc enim & Aduocatus poteſt mercedem petere, & Cliens tenetur ſoluere, quoniam ſibi imputare debet ſi tali periculo ſe expoſuerit.

Confirmatur nam labor Aduocati eſt pretio æſtimabilis & eſt vtilis parti neque vllo iure cautum reperitur vt Aduocatus ſit inhabilis ad recipiendum iuſtum ſtipendium.

C

CAPVT IV.

An excommunicatus ſit etiam excluſus, vt non poſſit officium Notarij, ſeu Tabellionis exercere, & an Inſtrumenta ab eo confecta ſint valida.

De Notario, ſeu Tabellione excommunicato quantum ad peccatum ſi exerceat tale munus durante excommunicatione idem eſt aſſerendum, quod de alijs concluſum eſt, nempè non licere Notario excommunicato ſuum munus exercere & ſi tentet id facere, Reum eſſe culpæ, idque ob rationem illam generalem, quæ habetur in cap. 1. De except. lib. 6. quoniam excluſus eſt, ab omnibus Actibus commu-
D nibus; Nam propter excommunicationem interdicitur communicatio, Officium vero Tabellionis exerceri non poteſt, ſine communione hominum; Et eodem modo alij non poſſunt vti operæ Notarij excommunicati ad conficienda Inſtrumenta.

In hac concluſione conueniunt omnes Doctores, Glo. in c. Decernimus Ver. Et teſtificando in fi. De ſent. excom. lib. 6. Franch. latè ibi n. 7. Abb. in c. Intelleximus nu. 2. De Iudi. ibi Dec. nu. 4. Domi. in c. Nullus 3. q. 4. & in dicto cap. Decernimus Card. in c. Perpendimus in 39. q. De ſent. excom. & alij.

Et graue peccatum regulariter committit Notarius excommunicatus, ſi aliquid agat ratione muneris ſui, quia eſt res non leuis, eſt enim Notariatus pu-
E blicum munus, vt ex c. Ad Audientiam De Præſcript. & ex huiuſmodi actibus multa poſſunt ſequi incommoda, & lites inter partes ipſas, Et hoc verum eſt, ſiue ſit publicus, ſiue occultus excommunicatus, quomodocunque enim ſit excommunicatus, ſuſpenſus eſt ab omnibus actibus communibus. Quoad alios vero, qui opera notarij excommunicari vti intendunt, non incurritur peccatum, ſi non ſit nominatim excommunicatus, & denunciatus, etiam ſi ſit publicus, dummodo non ſit Clerici Percuſſor, quia ex priuilegio extrau. Ad euitanda aliorum excommunicatorum

A rum communicatio permissa est, Hinc fit, vt si Notarius excommunicatus, non tamen nominatim, neque denunciatus, inducatur ab alio ad actum aliquem peragendum, quem ex officio tenetur agere ob necessitatem, aut vtilitatem eorum, qui operam talis Notarij requirunt, non est Reus peccati in tali opere, & communicatione, quia non spontè, sed inductus agit id, quod ex officio tenetur, aliàs, si peccaret, licitè posset, & teneretur denegare operam suam petenti ad euitandum peccatum, vnde priuilegium extrauag. Ad euitanda nihil vtilitatis tribueret fidelibus non excommunicatis, quod si nulla intercederet necessitas, aut vtilitas petentis, & Notarius peccaret operam suam præstando, & alius ad malum inducendo. B Hæc vera sunt de peccato Notarij excommunicati,

Sed maior controuersia est de validitate eorum, quæ fiunt à Notario excommunicato, sicut eadem quæstio est de Procuratore, Tutore, & alijs, an Instrumenta celebrata, à Notario excommunicato sint valida, vel inualida & an illis adhibenda sit fides, quæ Instrumentis authenticis, & publicis præstari debet.

Glo. in cap. Decernimus Ver. Et testificando in fine de sent. excom. lib. 6. refert diuersos modos respondendi ad hanc difficultatem, Inquit.n. aliquos affirmare Instrumentum confectum per Tabellionem excommunicatum valere arg. cap. excommunicamus 1. §. Credentes de Hæret. Vbi de Hæretico ex- C communicato dicitur, *Si fuerit Tabellio excommunicatur instrumenta confecta per ipsum nullius sint momenti*, Quæ intelliguntur iuxta conditionem generalem initio §. appositam, si postquam quis fuerit excommunicatione notatus infra annum satisfacere contépserit, ergo instrumenta confecta per Notarium excommunicatum, antequam in excommunicatione per annum insorduerit, erunt valida, alij contra negant huiusmodi Instrumenta vim aliquam habere, pro qua opinione optimè facit c. Nullus 3. q. 4. Vbi hæc habentur, *Nullus Anathematizatorum suscipiatur, nec à quoquam credantur, quæ ab eis dicuntur, vel conscribuntur*. Tertius modus respondendi, quem Glo. ibi tribuit, Host. & Gul. est, vt Instrumenta con- D fecta per Notarium excommunicatum habeant valorem, quandiu excommunicatio est occulta, vel etiã manifesta, sed probari non potest, arg. l. Barbarius ff. de off. Præsi. 3. q. 7. §. Tria, l. 1. C. de Testa. cap. Ad probandum De Re Iudi. c. 1. §. Si verò De except. lib. 6. secus si excommunicatio sit notoria, cap. exceptionem de except. cap. Vestra de Cohab. Cleri. & Mulie. sicut enim ibi notorius Concubinarius suspenditur etiam quoad alios, ita notoriè excommunicatus Tabellio, & publicè denunciatus repellitur etiam ab extraiudicialibus, c. Licet de sent. excom. lib. 6. & Instrumenta per eum confecta non probant, sed ipso facto sunt nulla, nam valor instrumentorum in hoc solum consistit, quod eis fides adhibeatur.

E Hæc tertia responsio videtur opinio communis Canonistarum, quam clarius, & distinctius explicat Francus in cap. Decernimus num. 7. de sent. excom. libro sexto, ex sententia Dom. & Io. And. Aut agitur de ijs, quæ fiunt à Notario excommunicato in Iudicio, vel extra, similiter aut tractatur de publico, & notorio excommunicato, aut de occulto, si sermo sit de gestis in Iudicio ab aliquo tanquam Notario causæ, tunc si sit notoriè excommunicatus, gesta per eum non tenent, & ratio est, quia vel Notarius censetur facere Instrumentum vt iudex, vt notat Innoc. in cap. Cum à nobis de Testi. & hoc casu Instrumentum non valet quia publica excommunicatio inficit acta Iudicis, cap. Ad probandum de Sent. & de Iudi. si vero Notarius facit instrumentum vt testis quod est probabilius, ex tex. in cap. Cum Ioannes de fide instr. Atque tunc similiter nulla erit habenda fides Instrumento Notarii publice excommunicati, nã Testi notorie excommunicato nõ creditur, cap. Nullus 3. q. 4. nec in iudicio stare potest, cap. intelleximus de iudi. quod si sit occulte excõmunicatus, acta eius in iudicio valent, quia quæ fiunt ab excommunicato ratione publici officii, quale est munus Notarii tenent, cap. 1. de Except. lib. 6. nisi sit excommunicatus nominatim per sententiam; & denunciatus nam ipsa toleratio reddit valida ipsa acta. Si vero tractatur de actis Notarii excõmunciati extraiudicialibus, dicit francus non valere instrumenta Notarii excommunicati per sententiam nominatim, & publice, verum si est excommunicatus occulte, vel etiã publice, non tamẽ nominatim per sententiam, tenere huiusmodi contractus, Turre Crem. in dicto cap. Nullus 3. q. 4. simpliciter asserit, non distinguendo de iudicio, vel extra iudicium, scripturam ab excommonicato confectam carere omni vi & efficacia si excommunicatio sit notoria, ob eam rationem, quia scriptura sumit auctoritatem ex persona scribentis, eandem opinionem tenent. Abb. Dec. & alii Doct. superius citati.

Hæc sententia patitur difficultates, quoniam Notarius non habet Iurisdictionem, vt tradit Abb. in c. Sicut te nu. 1v. & seq. Ne Cle. vel Mon. sicut habet Iudex, quare Instrumenta confecta per Notarium excommunicatum non possunt dicitur irrita propter excommunicationem defectu iurisdictionis, sicut diximus de Iudice. Deinde cap. Nullus 3. q. 4. non loquitur in specie de Notario, sed generaliter, ne fides præstetur ijs, quæ dicuntur, vel conscribuntur ab excommunicato, quare verba illa referri possunt ad Accusatorem, ad Testem, sicut illa refert Turre Crem. At nec accusatio, nec Testimonium verbo, aut scripto latum est ipso Iure nullum, nisi ope exceptionis, ergo idem dicendum erit de Instrumentis Notarij excommunicati.

Ad hanc quæstionem existimo duabus propositionibus satisfieri posse adhærendo communi opinioni.

Prima propositio est, quæ fiunt in Iudicio ab excõmunicato tanquam notario in aliqua causa, si sit notorie excommunicatus, sunt eo ipso inualida, & nulla.

Probatur, quia talis excommunicatus Iudicio stare non potest, sed Notarius debet in Iudicio assistere & ita dicunt Abb. in cap. Intelleximus num. 2. de Iudi. & Dec. num. 4.

Si obijcias excommunicatum non posse in Iudicio stare, quia per exceptionem excludi potest, non tamen inde sequi gesta per eum, antequam expellatur, esse ipso Iure inualida.

Respondeo totum valorem scripturæ manu Notarij confectæ in eo consistere, vt ei fides adhiberi debeat, si ergo, probata excommunicatione Notarij, partes eius scripturis nõ tenentur credere, sed possunt illas reijcere, sequitur illas esse inualidas ipso Iure.

Secunda propositio sit, idem quoq; tanquam probabilius affirmandum esse censeo de Instrumentis, & contractibus extra Iudicium inter ipsas partes celebratis per Notarium excommunicatum publicè, & notoriè, scilicet tales contractus ipso Iure inualidos esse.

Ita

Ita tenet Abb. in cap. Intelleximus num. 2. in fin. De Iudi. Decius expressè num. 4. facit tex. in cap. licet de sentent. excom. lib. 6. Vbi vniuersaliter expellitur excommunicatus ab omnibus actibus legitimis, & clarius cap. Nullus 3. quæstione 4. Vbi cautum est, nè fides adhibeatur ijs, quæ conscripta sunt ab excommunicato, quamuis enim ibi non fiat expressa mentio de Notario, & verba illa referri quoque possint ad alios excommunicatos, vt dicebam, quorum scripta non sunt eo ipso irrita, vt est Accusator, & Testis, tamen diuersa ratio est de Notario, quia Accusator, & Testis non agunt ex officio publico, at Notarius est publicus minister electus auctoritate publica ad exercendum officium, cuius munus est conscribere scripturas, quæ ratione officij accipiunt vim, & efficaciam, vt apud omnes plenam faciant fidem, & recusari nequeant, verum gesta post excommunicationem ratione publici officij non tenent, capitulo Veritatis, capitulo fin. De Dolo, & Contum.

A

B

Probatur eadem conclusio ratione, Nam excommunicato Notario interdicitur, ne possit exercere officium suum, ergo actus gestus ab eo ratione officij contra hanc prohibitionem erit inualidus, arg. cap. Pastoralis §. 1. de appell. aliàs prohibitio esset elusoria, quod est absurdum, l. si prætor ff. De Iudi. cap. Commissa de elect. lib. 6.

C Quare etiam si partes non ignorantes excommunicationem Notarii admitterent illum ad conscribendam scripturam publicam, & Instrumentum faciendum, non propterea redderent scripturam illam authenticam, quia hic consensus partium non confirmat actum contra prohibitionem attentatum, vt in eisdem terminis de Instrumento celebrato à Clerico, cui vetitum est, ne possit officium Notarij exercere, notat Abb. in cap. Sicut te num. 10. Ne Cleri. vel Mona. ex Bart. in l. Prætor ait ff. De Noui operis nunciatione.

Dicitur autem in Conclusione, si Tabellio sit notorie excommunicatus, quia si excommunicatio est occulta, vel publica, sed probari non potest, Instrumenta erunt valida, & fidem facient quoad ipsas partes, quia vt sæpè dictum est, gesta ratione publici officij tenent, saltem quoad ignorantes, vt in specie de Notario excommunicato notat Glos. in cap. Decernimus Ver. & testificando de sentent. excomm. libro sexto, Abb. in cap. Sicut te num. 11. in fin. Ne Cleri. vel Mona.

D

Posset tamen vltimo loco dubitari, Postquam Instrumenta confecta à Notario excommunicato non sunt valida, an saltem si excommunicatus creetur Notarius, valeat hæc Institutio, ita quidem vt sublata excommunicatione per absolutionem, vere retineat huiusmodi officium, & Acta ipsius valida sint, neque indigeant nouo priuilegio.

E Quidam Doctores negant esse validam huiusmodi electionem, est enim Regula in capitulo Si celebrat de Cleri. excom. Mini. quod interdicto aliquo actu interdictum intelligitur omne id, quod ad executionem illius actus dirigitur ex l. Oratio. ff. de Sponsa. Sed oppositum existimo probabilius, Nullus enim extat Canon, quo talis electio declaretur irrita ipso Iure. Quamobrem peccant quidem, qui scienter officium Notariatus excommunicato contra prohibitionem legis, qua ab omni actu legitimo excluditur (vt probatum est) conferunt, & talis collatio irritanda est per sententiam Superioris, & hoc ad summū probari potest ex illo cap. Si celebrat, sed ante irritationem tenet, & est valida, vnde & Instrumenta, quæ ab ipso post absolutionem conficiuntur, authentica sunt, & fidem faciunt.

Posset hoc in loco quæri etiam nunquid valeat priuilegium ab excommunicato concessum, ab alio tamen conscriptum & huic difficultati respondet Abb. in capitulo Aduersus, numero decimotertio. De Immun. Eccles. cum distinctione, vel priuilegium conceptum est ab excommunicato ratione officij publici quo fungitur & tunc adhibenda est distinctio de publico vel occulto excommunicato iuxta ea quæ dicta sunt ex communi sententia Doctorum ex cap. Probandum, De Re. Iudi. Vel priuilegium respicit factum priuatum quia illud concessit in præiudicium Iuris sui, & tunc decisio dubitationis pendet ex solutione alterius quæstionis an Donatio facta ab excommunicato teneat, de qua disputant Doct. in c. Veritatis de Dolo & Contum. & concludunt omnes valere ex commodum & vtilitatem alterius.

CAPVT V.

An excommunicatus repellatur simpliciter, nè vlla in re testimonium possit ferre.

SI loquamur regulariter, excommunicatus repellitur simpliciter, ne possit vlla in re testimonium ferre in Iudicio, cap. Decernimus, & ibi Glo. V. Testificando de sentent. excomm. libro 6. capitulo Veniens 2. in fin. & ibi Abb. numero quinto, & 18. Felin. num. 38. De Test. cap. Testimonium de Test. cap. Licet de sent. excom. in 6. Silue. excommunicatio 3. n. 1. Vers. vndecimo interdictus est; & alij, quos refert Gabr. lib. 1. Commun. Conclus. de Testi. Conclus. 19. numero 1. Et hoc dictum intelligendum est de excommunicato excommunicatione maiori, non minori, Glo. in dicto capitulo Decernimus, quam ibi Doct. sequuntur, & ponit Felin. in dicto capitulo Veniens columna fin. Vers. Tertio fallit.

Immo excommunicatus non potest esse testis contra excommunicatum, notat Specul. in tit. De Testi. §. 1. col. 14. Vers. Sed nunquid excommunicatus, Gabr. vbi supra num. 4.

Habet locum hæc doctrina quoque quando quis est excommunicatus, quia non sit confessus semel in anno iuxta præceptum capitulo Omnis vtriusque de Pœnit. vt declarat Felin. in capitulo Testimonium columna prima, de Testi. per Paris. consilio 58. columna decima, volum. 4. Quamuis oppositum sentiat Marian. Iun. consilio 32. col. penul. volum. 2. & Ruin. consilio 106. columna prima, in fin. & col. 4. vol. 5.

Quod intelligitur non solum de excommunicato publico, sed etiam occulto, & tolerato, vt Phil. Franc. capitulo Pia Vers. In Actibus vero de except. libro sexto, Ant. Butr. capitulo Ex literis columna tertia, de Transact. Ver. Aduerte quia, & alij, quos citant Gabr. in dicta concl. 19. De Testi. numero 12. & 13. & Mascard. de Probat. Concl. 205. Put. Decis. 3. nu. 4. libro 1. & decis. 4. num. 12. & seq. eiusd. lib. Ratio est, quoniam, vt alias probatum est, & pluribus confirmat Cassad. decis. 1. numero quarto. De Præben. occultus excommunicatus non differt à publico in his, quæ geruntur Iure priuato, si enim excommunicatus aliqua agat, vel cum eo gerantur non ra-

S tione

tione publici officij, sed priuati spectantia ad vtilitatem eius priuaram, seu alterius, si acta huiusmodi sint aliàs excommunicato prohibita non valent, etiam si putaretur non excommunicatus; Quare cum ferre testimonium sit actus excommunicato interdictus, nihil refert, an sit publicus excommunicatus, vel occultus, dummodo excommunicatio sit Iudici probata, Imol. l. cum lege in fin. de testam. Felin. cap. Ad probandum de re iudicata. A

Si contra opponatur dictum Felin. in cap. Veniens 2. col. fin. vers. Secundo fallit de testi. vbi citat Bart. in l. 1. Verbo quæro quid de infamibus C. de testam. qui voluit, ad hoc vt testis dicatur habilis, attendendum esse, quomodo habeantur, & reputetur tempore depositionis. B

Puteus in dicta decis. 4. num. 16. & 17. affert tres responsiones ad dictum Bart. Et vltima responsio est, Bartholum interpretandum esse, quando testes adhibentur ad solemnizandum actum, à persona tertia, quæ ignorat defectum illorum, puta vt assistat celebrationi testamenti, & tunc attenditur status eorum, in quo reperiuntur tempore testamenti, secus est in actu iudiciali in præiudicium tertij, qui aduersus testem inductum de legalitate opponit, & ita videtur sentire idem Felin. in dicto cap. Ad probandum.

Neque solum testimonium excommunicati reijcitur à limine iudicij, verum etiam excommunicatus non potest adhiberi testis extra forum iudiciale; quare non admittitur ad contractus, & instrumenta; cum C enim communione hominum careat, repellitur etiam ab Actibus extraiudicialibus, qui sine hominum communicatione fieri nequeunt, cap. Licet de sent. excommunicationis lib. 6. quod locum habet solum vbi fuerit declaratus excommunicatus, non in excommunicato occulto; nam per Extrauag. Ad euitanda occulte excommunicatus non est vitandus Put. dicta decis. 4. num. 18. lib. 1.

Quare regulariter validum erit Instrumentum, in quo occulte excommunicatus descriptus erit testis, Specul. de instrum. edit. §. Instrumentum vers. Quid si testis Innoc. in cap. Nihil in fin. de Elect. Card. in cap. Perpendimus de sent. excom. & alij, quos refert Mascard. conclus. 705. de Probat. nu. 12. vol. 2. Excipitur D tamen, vbi instrumentum suspectum habetur; nam si in eo testis descriptus sit excommunicatus, adiuuare ipsum non poterit, excipitur etiam, vbi quis excommunicatus est, quia Hæreticos fouet; huius enim testimonium non recipitur, cap. Excommunicamus 2. §. Credentes de Hæret. Nec ad testamentum adhiberi testis excommunicatus potest.

Sed contra objcias, quoniam Hæreticus excommunicatus est, cap. excommunicamus 1. de Hæretic. & tamen testis in testamento esse potest, vt dicitur in l. quoniam vers. Cæterum, C. de Hæretic.

Respondeo vel eam legem correctam esse, vt inquit Bart. l. qui testamento §. Eum qui ff. de testam. vel illud licere iure Ciuili, secus autem iure Pontificio, vt E vt dixit Glos. in cap. Si hæreticus. 2. q. 7.

Sed iterum objcies, quia in c. Excommunicamus 2. §. Credentes de Hæretic. Qui Hæreticis fauent, excommunicati sunt, & Ecclesia prohibet, ne ipsorum testimonium recipiatur; ergo vbi cessat hæc causa, excommunicati ad testimonium ferendum admitti poterunt.

Respondeo, quod licet illud Ius vetus speciatim in huiusmodi excommunicatis locum habebat, hodie tamen commune Ius factum est.

Et cum dicimus excommunicatum non esse admittendum ad testimonium ferendum, intelligendum est, quandiù manet excommunicatus; nam excommunicatus absolutus potest testificari de actu gesto tempore, quo erat excommunicatus, vt Archid. & Phil. Franc. in cap. Decernimus de sentent. excommunicationis lib. 6. 4. quæst. 1. in Summa, vbi plura dicuntur à Glo. Qua in re differt excommunicatus ab eo, qui repellitur propter infamiam ex crimine contractam, qui quantumuis sit de crimine emendatus, quia semper illum comitatur infamia, ideo semper reijcitur à testimonio, Abb. in cap. Testimonium num. 6. de testi.

Sed cõtra id quod diximus excommunicatum post absolutionem debere admitti ad testimonium ferendum, faciunt ea quæ affert Glo. 4. quæst. 1. in Summa, vbi probat quod excommunicatus etiam post absolutionem non admittitur ad actus legitimos arg. cap. Accusatores 46. dist.

Glosa ibi tradit duas responsiones. Prima est, si quis excommunicatus est pro crimine, & contumacia, tunc repellitur etiam post absolutionem, secus si pro contumacia tantum, quia absolutio tollit, quod inducit excommunicatio §. Notandum 2. q. 3. c. Qua diligentia de Elect.

Secunda responsio est, Aut crimen, pro quo est excommunicatus, infamat, aut minime, primo modo semper reijcitur, non autem secundo modo.

Innocent. in cap. Testimonium num. 5. & 7. de Testib. multa dicit ad hanc quæstionem, & ibi Abb. nu. 10. Vbi concludit, respondendo difficultati, ad hunc modum, si quis fuit excommunicatus pro causa, quæ non est sufficiens ad repellendum testem, puta pro simplici contumacia. Et in hoc casu non sufficit post absolutionem probare excommunicationem præcessisse; aut causa est sufficiens, & tunc temporis si infra decem dies assignatos ad appellandum obtinuit absolutionem, non prodest de ea objcere post absolutionem, nisi aliter vere probetur crimen, aut infra decem dies non appellauit, sed illis elapsis obtinuit absolutionem, vel si appellauit, tamen appellationem deseruit; quo casu satis esse putat Abb. probare excommunicationem ad probandum crimen, ad effectum vt repellatur à testimonio etiam post absolutionem, quia non appellando videtur acquieuisse sententiæ, & licet non transeat in rem iudicatam, quo minus possit peti absolutio, transit tamen quo ad certos effectus, & inter alios vt præsumatur iusta; quæ locum habent indistincte, si in sententia fuit expressum crimen, quod damnato irroget infamiam; In alijs criminibus obstat probatio excommunicationis, vbi non sufficit emendatio, vt in periurio, sed vbi sufficit emendatio, non obstat excommunicatio præterita, quia probatur emendatio per absolutionem. Hæc afferuntur ab Abb. ad solutionem huius difficultatis.

Præterea hæc regula generalis, quod excommunicatus excluditur à testimonio dicendo vera est, etiam si excommunicatus dicat esse nullam excommunicationis sententiam, quæ contra ipsum lata fuit, vt est textus in dicto capitulo Veniens, & ita voluit ibi Aretin. not. 8. Felin. in capitulo Intelleximus columna prima de Iudi. Quare vt in hoc casu excommunicatus admitti possit ad testificandum, antea absoluendus est ad cautelam cum reincidentia vt

ibi

ibi in dicto cap. Veniens dicit tex. Et declarat Areti. hoc esse permissum quando probatio per alios fieri nequit, Felinus in dicto cap. Veniens 2. numero 33. Postquam autem testificatus est denuo cadit in excommunicationem. Vnde Abb. in dicto c. veniens num. 18. Vers. Primus, quando allegatur; enumerat tres casus diuersos attinentes ad hanc difficultatem. Primus est, quando allegatur nullitas excommunicationis, vt quod sit post appellationem lata, & tunc in dubio post absolutionem ad cautelam, excommunicatus licitè fert testimonium. Secundus casus, quando opponitur iniustitia excommunicationis, de qua probabiliter dubitari potest, & tunc secundum Host. potest absolui, donec tulerit testimonium cum reincidentia in eandem excommunicationem, sed secundum Innoc. non est absoluendus, nisi vbi desint aliæ probationes iuxta ea, quæ dicuntur à Glo. in fin. in capit. Cum Dilecti De elect. Tertius casus, quando constat de iustitia excommunicationis, & tunc excommnnicatus non est absoluendus, nec ex consequenti admittendus est ad testimonium. Verum id, quod inquit Abb. de hoc tertio casu non videtur probabile, quia aliquando datur absolutio non ad cautelam, sed ex certa scientia præexistentis excommunicationis ad certum actum cum reincidentia in eandem actu completo, vt videtur docere Couat. in prima par. c. Alma Mater §. 11. numero sexto. Et ratio est clara, quia sicut potest esse occasio, & necessitas sic absoluendi ad cautelam, vt excommunicatus possit testificari, ita potest contingere eadem necessitas, vt sit absoluendus ab excommunicationis sententia quamuis sit manifesta & nota cum reincidentia.

Dices, quando excommunicatio ignoratur, vel est dubia, Iure quis ita absoluitur: quia potest esse vtile, & excommunicatus præsumitur dispositus ad obtinendam absolutionem, cum possit occurere talis necessitas, vt non detur locus inquirendi de veritate excommunicationis, At quando constat de excommunicatione, maior videtur difficultas, quia vel excommunicatus est dispositus ad absolutionem, & recessit à contumacia, & simpliciter est absoluendus, non ad actum testificandi solum, & ablata excommunicatione non incidet iterum in eandem, quia non est amplius contumax, vel non est dispositus ad absolutionem, quo casu neque est absoluendus ad tempus, vt possit testificari.

Respondeo vtroque modo posse contingere, vt rectè detur hæc Absolutio. Primo enim fieri potest, quod licet excommunicatus non sit dispositus ad recipiendam absolutionem simpliciter, quia vel non omnino satisfecit, vel non vere recessit à contumacia, tamen expediens sit, & vtile propter bonum commune Ecclesiæ illum absoluere, vel etiam propter vtilitatem priuatam alterius, vt possit in Iudicio deponere veritatem, & idem est de similibus actibus. Immò aliquando ex rationabili causa prudenter talis absolutio concedi poterit in commodum A ipsius excommunicati, ne patiatur aliquod graue damnum, si Prælatus ita iudicauerit expediens, si enim interdum simplex, & totalis absolutio concedi potest, etiam si excommunicatus non recedat à contumacia, vt dictum est supra cap. . Disp. . Multò magis hoc erit verum de absolutione ad tempus, & ad certum actum.

Secundo contingere etiam potest, vt excommunicatus sit dispositus, & dignus simplici absolutione, & tamen non absoluatur simpliciter, sed ad talem actum, & potest id prouenire ex defectu potestatis, quando Absoluens non tulit talem excommunicationem, sed potest absoluere solum ex potestate, quam habet ad aliam causam, vel actionem in or- B dine ad talem causam, vel actionem, Non enim potest perfectiorem absolutionem concedere, cum careat potestate, quantumuis excommunicatus sit dignus absolutione, quia dispositio excommunicati nihil refert, si in Absoluente deficit potestas, e. g. Iudex Ecclesiasticus deputatus ad aliquam causam potest absoluere excommunicatum, vt in dicta causa ferat testimonium, si desint aliæ probationes, & est priuilegium peculiare iure inductum, vt lites facilius expediantur, quod non est extendendum ad collationem beneficij, & ad alios similes actus, Nauar. in cap. Ita quorundam De Iudæ. No- C tab. 11. numero 18. & 22. Vel etiam contingere potest, vt excommunicatus non sit dispositus ad recipiendam absolutionem simplicem ex impotentia, vt si fuerit excommunicatus, donec satisfecerit, si interim non possit satisfacere superueniente festiuitate Natiuitatis D.N. Iesu Christi, vel Paschatis absoluitur à Prælato ad reincidentiam, vt possit confiteri, suscipere Eucharistiam, si Superior ita expedire iudicauerit, Veral. Decis. 2. numero quarto, parte 1.

Tandem ad perficiendum hoc caput animaduertendum est hanc conclusionem vniuersalem, quod excommunicatus sit à testimonio ferendo, pati non- D nullas exceptiones, Prima est fauore fidei, Nam excommunicatus potest esse testis contra Hæreticum defectu aliarum probationum cap. In fidei de Hæret. libro sexto, quod non solum verum est ad inquirendum sed etiam ad accusandum. Direct. Inquis. par. 3. quæst. 64. Secundo testimonium excommunicati admittitur in ijs casibus, in quibus admittitur Infamis, nam in eisdem excommunicatus poterit esse testis arg. cap. Tanta de Simon. Eodem modo excommunicati testimonium ratum esse potest, iuxta sententiam Bal. in cap. Præterea requisiuisti numero 6. Vers. Quæro pendente excommunicatione De appella. si sit excommunicatus sub conditione, & illa E pendente testimonium tulerit, si enim postea conditio purificetur, non retrotrahitur vt valeat testimonium latum reddere nullum. Mascard. concl. 705. numero decimosexto, de Probat.



DE EODEM SEXTO EFFECTV EXCOMMVNICATIONIS.

DISPVTATIO QVARTA

De Incapacitate excommunicati exercendi actus legitimos extraiudiciales.

CAPVT I.

An prohibitum sit excommunicato, nè possit inire Contractus.



VPLEX in hoc Capite tractanda est controuersia, Altera est; An Contractu legitimè celebrato ante excommunicationem, si deinde alter contrahentium excommunicetur, licitum sit virtute eiusdem contractus agere, vel ad recuperationem debiti, vel ad solutiunem einsdem; Altera disputatio esse potest, an supposita excommunicatione, contractus celebrari possint licite, & sine peccato.

Quantum ad primam difficultatem, excommunicatus considerari potest vel vt Creditor, aut vt Debitor, si sit Debitor, ius manet penes Creditorem non minus, quam ante excommunicationem exigendi ab excommunicato id, quod debet, quia excommunicatio nullum commodum tribuit excommunicato, neque priuare potest Innocentem Iure suo, cap. Intelleximus de iudi. & ad hunc finem concessa est communicatio cum excommunicato, & ipsi excommun. non solum permissa est, sed etiam necessaria, & sub obligatione illa communicatio, quæ requiritur ad persoluendum debitum, per excommunicationem enim non liberatur ab obligatione sua.

Si autem excommunicatus sit Creditor, licet per excommunicationem non sit priuatus Iure suo, quia excommunicatio per se non priuat dominio rerum temporalium, tamen priuatus est ab ipsa lege actione petendi debitum in iudicio, non est tamen specialiter prohibitum excommunicato in hoc casu priuatim, & extraiudicialiter à suo debitore debitum exigere, cum excommunicatus ius suum integrum retineat, & Debitor non erit reus culpæ, si debitum soluat, & communione ad hoc necessaria vtatur, Caiet. in sum. V. excommunicatio, cap. de ijs, quæ excommunicato illicita sunt.

Sed potest quis quærere, an in hoc casu Debitor non solum possit, sed teneatur Creditori excommunicato debitum suum soluere.

A Abb. in cap. inter alia de Sent. excom. in fi. respondet Debitorem non debere soluere Creditori excommunicato debitum suum, sed deponere, donec Creditor absoluatur, probat ex Glo. in cap. Iuratos 15. quæstione 6. sed non facit ad rem, Magis confirmat illam opinionem Glo. in cap. Nos Sanctorum Ver. Constricti sunt ead. cau. & quæstione. Eadem opinio confirmari potest illa ratione, quoniam non est licita communicatio cum excommunicato, nisi in casibus Iure expressis, cap. Quod in dubiis, & cap. Inter alia de Sent. excom. hic autem casus non exprimitur in cap. Quoniam multos 11. quæstione 3. eandem sententiam tenet Glos. vltima capit. fin. de Hæretic. Vbi B concludit, quod si quis iurauit tali die soluere, si illo die Creditor sit excommunicatus, non tenetur soluere, quia semper subintelligitur conditio, si licite possit; aut si in eo statu permaneat, in quo possit secum communicare ex cap. Quemadmodum de Iure iur. sed specialiter loquitur de excommunicato Hæretico, & eadem opinio est Hostien. vt refert Siluest. excommunicatio 5. §. 21.

Contrariam sententiam tenet Innocent. in cap. Veritatis de dolo, & contum. quam censeo probabiliorem, nempe Debitorem teneri ad solutionem debiti Creditori excommunicato, eadem est sententia B. C Thom. distinct. 18. quæst. 2. art. 4. & Medi. in Cod. de restitut. quæst. 3.

Ratio huius dicti est, quia creditor per excommunicationem non est priuatus, aut suspensus iure suo; ergo Debitor remanet obligatus ad soluendum; quare non est illi prohibita communicatio ad hanc obligationem implendam; hoc enim est fundamentum generale, quo vtitur summus Pontifex in illo cap. Inter alia de sent. excomm. quia quoties obligatio contrahitur ante excommunicationem remanet post illã, Glo. in cap. 1. 41. dist. & in c. Si vero de sent. excomm. quas sequitur Couar. in c. Alma mater par. 1. §. 1. n. 8. Propter eandem rationem probat D. Tho. & alij vxo- D rem, filium, seruum teneri ad præstanda debita obsequia Marito, Patri, & Domino, quia hæc debita, & hæ obligationes non expirant, neque suspenduntur propter excommunicationem superuenientem Mariti, Patris, aut Domini. Idem annotauit Silu. excommunicatio 5. §. 21.

Sed dicet quis in dicto c. Quoniam multos 11. q. 3. Vbi specialiter excipiuntur aliquę personæ, inter quas etiam supposita excommunicatione, permissa est communicatio, non recensentur Debitores respectu Creditorum, quando sunt excommunicati; ergo inter illos non est licita communio.

E Respondeo idcirco Debitores nõ annumerari, quoniã illis non cõceditur simpliciter, & absolutè cõmunicatio cũ Creditoribus excõmunicatis, sicut est permissa inter virũ, & vxorem, filios, & parentes, & alios ibi nominatos; Diuersa enim est ratio, & necessitas continuæ habitationis, & ineuitabilis familiaritatis in his, quæ in illis non consideratur; Nihilominus proportionalis quædã cõmunicatio necessaria est illis ad im-

implendam suam obligationem, & tales possunt comprehendi sub generali clausula dicti c. Quoniam moltos, Vbi non prohibetur communicatio cum excommunicato, si quis aliquid ei dederit humanitatis causa, ergo multo minus prohibetur communicatio, quando aliquid ei datur causa iustitiæ, & debiti.

Sed posset quis opponere licitum quidem esse vti contractu inito ante excommunicationem in vtilitatem, & commodum proprium, non in fauorem ipsius excommunicati.

Respondendum est Actionem competere ex cōtractu inito ante excommunicationem etiam in fauorē excommunicati, quia talis obligatio est adimplenda, non quia sit vtilis agenti, sed quia Iustitiæ æquitas id postulat, iustitia autem æqualitatem ex vtraq; parte exposcit.

Huc vsque dictum est de obligatione proueniente ex contractu celebrato ante excommunicationem, superest, vt tractemus, quando contractus celebratur cum excommunicato.

In qua difficultate illud est indubitatum, simpliciter, & per se loquendo, peccatum esse contractum inire cum excommunicato, Innoc. in c. Si verè num. 1. & 2. De sent. excom. ratio est, quia id fieri nequit sine communicatione cum illo, quæ generaliter est interdicta, exceptis casibus necessitatis, & hoc est intelligendum, vt sæpè monui de excommunicato denunciato, cùm alijs enim sicut licita est communicatio, ita & celebratio contractuum. Sed animaduertendum est excommunicatis non denunciatis non licere inchoare contractum, & inuitare, ac prouocare alios ad contrahendum, quia priuilegium extrauag. Ad euitanda nullum commodum tribuit ipsi excommunicatis, sed postquam ab alijs sunt prouocati, licitum esse illis contrahere, aliàs qui non sunt excommunicati, peccarent contrahendo cum excommunicatis, quia cooperarentur ad peccatum aliorum, atque ita priuilegium extrauag. nihil eis suffragaretur. De Peccato igitur non est controuersia.

Sed dubitatio est de validitate, an Contractus initus stante excommunicatione sit validus supposita denunciatione. Pro parte negatiua facit regula illa Iuris, quæ contra legem fiunt, inualida sunt, l. Non dubium C. De legi. c. quæ contra Ius de reg. Iur. lib. 6. Contra verò pro parte affirmatiua est illud Iuris principium, Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.

Probabilior, & vera est sententia affirmans Contractus initos cum excommunicatis denunciatis validos esse, si alium defectum non habeant præter excommunicationem, quantum pertinet ad substantiam illorum, & obligationem mutuam.

Est sententia Innoc. in cap. Veritatis De Dolo, & contum. & in c. si verè de sent. excom. Abb. in dicto cap. Veritatis num. 35. Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 1. num. 9. Vers. Qua in re, Ioan. De Ligna. Tract. de Censu. §. 15. Alphon. Castr. lib. 1. De Potestate legis pœnalis cap. vlt.

Probari potest hæc opinio, Primo ex tex. in c. Felicis §. Verum de Pœn. lib. 6. Vbi Summus Pontifex videtur concedere cuidam excommunicato repetitionem eorum, quæ acquisierat post excommunicationem, ergo supponit Papa contractus ab illo factos durante excommunicatione validos fuisse.

Secundo probatur, Nam Matrimonium celebratum ab excommunicato valet, non solum quatenus sacramentum, sed vt contractus est. Propterea

A Summus Pontifex in cap. Significasti de eo, qui dux. in Matr. quam polluit per adult. solum considerauit ad validitatem matrimonij, an cessarent alia impedimenta, nihil dixit de excommunicatione. Similiter donatio ab excommunicato facta valida est, cap. Inter Dilectos de donat. ergo idem censendum est de alijs contractibus, & ratio est generalis, quia Contractus mutuo consensu verbis expresso perficitur, & hoc satis est ad eius valorem, quoties per Superiorem, aut legem non irritatur, sicut specialiter id statutum est in Hæreticis, & Schismaticis, cap. excommunicamus §. Credentes de Hæret. & ibi Glo. Ver. Intestabilis, & l. Manicheos C. de Hæret. & in l. Apostatarum C. De Aposta. In his enim delictis

B propter eorum grauitatem adiuncta est hæc pœna, vt Contractus per huiusmodi delinquentes initi sint nullius roboris, ideo hæc pœna non est effectus generalis excommunicationis.

Confirmatur, quoniam valent etiam contractus celebrati cum Infidelibus, quia ad ineundum contractum non est necessaria communio Ecclesiæ.

Animaduertendum tamen est, quod isti contractus celebrati supposita excommunicatione possunt esse nulli, & irriti ex alio capite, quod est commune alijs contractibus initis etiam inter non excommunicatos.

Tres tamen præcipuæ possunt esse causæ nullitatis attinentes ad hanc materiam. Prima est, si cele-

C bretur contractus cum excommunicato virtute Rescripti Apostolici per excommunicatum impetrati, cuius virtute suppleatur aliqua conditio, sine qua contractus nullius esset valoris, Tunc enim ille contractus esset inualidus, non quia cum excommunicato sit initus, sed quia rescriptum est nullum, & idcirco deest in illo contractu conditio necessaria, quam inualidam rescriptum minime potuit supplere, capitulo primo, De Rescript. libro sexto & annotauit Felin. in capitulo Cum illorum de sentent. excommun. & in cap. fin. De except. Vt si Rescriptum impetratum esset de supplenda ætate necessaria, aut de dispensando in gradu prohibito, vel similia.

D Secunda causa esse potest, si fiat promissio ab excommunicato de contractu faciendo durante excommunicatione, nulla esset promissio, tanquam de re illicita, sicut dicitur de voto, Votum illicitè factum valere, sed votum de re illicita esse nullum, sed hoc impedimentum non est effectus excommunicationis, eadem enim necessitas orietur, si promissio fieret à non excommunicatis faciendi aliquid tempore excommunicationis, tanquam facta de re obiectiue, & intrinsecè mala.

Tertia causa nullitatis esse potest, si excommunicatus contractum efficiat tanquam persona publica, vt Ecclesiæ Minister ex potestate, quam habet ratione sui muneris, tunc enim contractus

E erit nullus defectu potestatis, quia suspensa est Iurisdictio, & potestas per excommunicationem, Vnde Gabr. in 4. distinct. 18. quæstione secunda, art. 3. dixit non valere contractus per excommunicatum celebratos ratione publici officij, & hæc nullitas similiter non oritur ab excommunicatione immediatè, quatenus omnem communicationem prohibet, sed ex defectu Iurisdictionis, quam tollit excommunicatio.

Ex his igitur satis probatum esse videtur contractus initos per excommunicatum esse validos, &

portato, sed potius Relegato. Huius etiam opinio- A nis sunt Silue. excommunicatio 3.n.19. Ang. V. Testamentum num.2. Sed quamuis Testamentum conditum ab excommunicato sit validum, condendo tamen Testamentum peccat quandoquidem rogat dis testibus, vt testamento intersint, hominum communione vtitur, quæ ipsi prohibita est, arg. c. Illud. De Cleri. excom. Mini. & c. penult. de sent. excom.

Si quæras, quid dicendum sit de Tabellione, de testibus, & alijs assistentibus Testamento excommunicati ex necessitate, vt sit validum.

Respondeo hac in re Distinctionem illam notissimam de publico, & occulto excommunicato locum sibi vendicare, si enim excommunicatus sit publicus, & denunciatus, peccabunt, cap. Cum non ab Homi- B ne de sent. excom. & in extrauag. Ad euitanda, si sit occultus excusabuntur.

Si quæras secundo, An excommunicatus institui possit Hæres, & si instituatur, an Institutio facta teneat.

Respondeo peccare Testatorem, si instituat Hæredem excommunicatum, vel ei aliquid relinquat, quia contra prohibitionem legis communicat cum excommunicato, nihilominus propter eandem rationem institutio valida erit, quia solum quibusdam excommunicatis prohibitum est, ne ex testamento capiant, vt potè iis, qui excommunicati sunt, aut quod Hæreticis fauorem dederint aut quod numero Hæreticorum babeantur, aut quod Cardina- C les insequuti fuerint, vt habetur cap. excommunicamus de Hæret. & Felicis de Pœn. lib. 6. ergo alij excommunicati institui possunt. Consequenter excommunicatus hæres institutus poterit adire hæreditatem, si hominum communione non vtatur. Hoc contingit, cum animo quis hæreditatem adit, vt per taciam acceptationem hæreditatis, vel per realem possessionem rei, aut alio simili modo, arg. l. Potuit. C. de Iur. Delib. secus si Iudicis opera vtatur, quamuis aditio nihilominus valeat, Verum adita hæreditate, & si iura omnia in hæredem transeant, non tamen transfertur possessio.

Quamobrem sine fundamento Silue. V. Hæreditas 3. §. 2. Armill. n. 26. Ang. V. Hæres n. 22. Tabien. n. D 20. secuti Host. dixerunt Institutionem Hæredis excommunicati esse nullam, Iura enim, quæ ad id confirmandum citant, nempe l. sed & si conditioni §. solemus, & l. si alienum §. In extraneis ff. De Hæred. Instituen. solum probant ad valorem Testamenti tempus ipsius Institutionis inspiciendum esse, vt eo tempore hæres institutus habilis sit, & capax, quod verissimum est, sed excommunicatio, qua obstringitur Hæres tempore, quo instituitur, non reddit ipsum incapacem, vt probauimus, ideo illi textus non faciunt ad rem.

Sed dubitabit aliquis, an ille, cuius interest, vt excommunicatus Testamentum faciat, quia sperat fore institutendum hæredem, possit inducere sine peccato E ipsum excommnnicatum ad testamentum condendum, & similiter an in hoc casu excommnnicatus licitè, & absque violatione excommunicationis possit testamentum condere.

Et ratio dubitandi est, quoniam extran. Ad euitanda licet nihil innouet Ius antiquum respectu ipsius excommunicati, cui nullum fauorem, & commodum tribuere intendit, Alijs tamen fidelibus priuilegium confert, vt valeant licitè cum excommunicatis communicare, quo casu neque prohibet ipsis ex-communicatis communionem cum fidelibus.

Respondeo licere Hæredi instituendo in hoc casu petere Testamentum ab excommunicato, inducendo illum, ne patiatur damnum ob alterius delictum, tū ratione priuilegij extrau. Ad euitanda, tum ex communi lege excommunicationis, quæ permittit communicationem cum excommunicato propter vtilitatem ipsius communicantis. Vnde neque excommunicatus peccabit conficiendo testamentum. Hoc tamen est intelligendum, quando non possit anteà commodè peti absolutio ab excommunicatione, tūc n. esset prius impetranda absolutio, antequam conderetur Testamentum.

Quid si excommunicatus nolit absolutionem petere, quamuis possit facilè eam impetrare.

Respondeo etiam in hoc casu alium sine culpa posse inducere excommunicatum ad testamentum faciendum, nec posse appellari Cooperatorem ad peccatum, quod committit excommunicatus condendo Testamentum, & ratio est, quia petit rem bonam, & sibi vtilem, quam excommunicatus, si velit, potest rectè exequi, & sine peccato, si vult impetrare absolutionem, & peccatum erit solum ex parte ipsius excommunicati.

CAPVT III.

An prohibeatur excommunicatus ne possit officium tutoris, aut Curatoris, seu quamlibet aliam administrationem temporalem assumere, & exercere.

Distinctionem illam, qua vsi sumus superiori Disp. capite tertio in pertractanda quæstione de excommunicato Aduocato, accomodare debemus ad propositam difficultatem huius capitis dissoluendam. Si enim agitur de Peccato non est ambigendum excommunicatum recipientem officium Tutoris, aut Curatoris, aut simile, vel illud exercentem committere peccatum, & simili modo eum, qui tale officium excommunicato confert, & id probari potest ijsdem rationibus, & auctoritatibus, quas proposuimus ad idem asserendum de Procuratore excommunicato, aut Aduocato. Idque semper est intelligendum iuxta dispositionem extrauag. Ad euitanda, idest vt publicè denunciatus sit excommunicatus, quantum ad alios, qui excommunicatum deputarent Tutorem, aut Curatorem, sed quoad ipsum excommunicatum, etiam si sit occultè excommunicatus, peccat, si suscipit tale officium, vel illud exerceat, Abb. in c. Veritatis num. 34. De dolo, & contum. & communiter Doctores.

Quod si disputetur de validitate eorum, quæ fiunt ab excommunicato tanquam Tutore, vel Curatore, opinio aliquorum est Actus, qui fiunt ab excommunicato ratione Tutelæ, vel Curæ, aut similium munerum, nullam habere vim, & efficaciam: Vnde si Tutor excommunicatus interponat suam auctoritatem pro Pupillo in alienanda re Pupilli, talis contractus erit nullus, sicut si suscipiat administrationem, aut alia Instrumenta celebret.

Fundamentum huius sententiæ est, quoniam dicunt officium Tutoris, aut Curatoris publicum esse, idest publica auctoritate Iudicis collatum, quidquid autem fit ab excommunicato titulo publici officij nullum esse, arg. c. Ad probandum De Re Iudi. Ita sentit Abb. in c. Veritatis num. 34. De dolo, & contum. Vbi affirmat Actus publicos per excommunicatum gestos nullius esse roboris, quales sunt, qui geruntur

runtur à Tutore,Procuratore, Arbitro, & est opinio communior Canonistarum, quam sequitur Silne. excommunicatio 3. §. 2. & Tabien.excommunicatio 2. §. 14. voi ait tutorem excommunicatum non solum peccare administrando res pupilli, cũ cõmunicatione aliorũ contra præceptũ Ecclesię cõtrahendo, alienãdo in iudicio,vel extra;sed acta per eũ inualida reddi.

Vt hæc opinio clarius intelligatur, notanda est distinctio actuum, qui fiunt ab excommunicato, quam ponit Abb. in c. Veritatis n. 33. & seq. de Dolo, & Contum.& in c. ad probandum n. 8.& seq. de Sent. & re Iudi. quidam sunt actus gesti per excommunicatũ priuata auctoritate, & isti tenent, & sunt validi, siue fiant ab occulto, siue ab excommunicato manifesto, quia vt inquit Innoc. in c. cum dilectus de consuetudine in his, quæ non geruntur ratione publici officij, sed priuato nomine, non est discrimen inter manifestum & occultum excommunicatum, & idem voluit Io. And. in c. 1.de Rescrip. tales actus sunt inire contractus, vel quasi contractus, valet enim contractus initus ab excommunicato publico, etiam ad acquirendam obligationem ipsi excommunicato; sed non potest excommunicatus virtute talis contractus agere, nisi post obtentam absolutionem, vt apertè probatur in c. felicis §. cum autem, & seq. de pœn. lib. 6. c. Veritatis de Dolo & Contum. eodem modo in quasi contractu; nam excommunicatus reus potest in iudicio stare, & se defendere contra Actorem, c. Pia de Excep. lib. 6. in iudicio verò quasi contrahimus l. 3. ff.de Pecu.no. potest similiter excommunicatus testari, etiam si publicus sit, vt inquit Io. And. in c. decernimus de Sent. excom. lib. 6. similiter excommunicatus non potest eligere, conferre, excommunicare, siue sit publicus, siue occultus excommunicatus, si illos actus non gerat ratione publici officij dicto c. cũ Dilectus de Consuetudine & c. cum inter R. de Elect. quibus locis electio facta à suspenso declaratur irrita, nulla facta distinctione de publico,vel occulto, quia electio non fit à Canonicis iure publico, sed iure proprio, Capitulum habet ius eligẽdi anctoritate cõmuni, vt notat Innoc. in dicto c. cum Dilectus. Quando vero huiusmodi actus exercentur ab excommunicato ratione publici officij, quod gerit, tunc, si sic excommunicatus occultus, toleratus ab Ecclesia, tenent actus non tantum temporales, sed etiam spirituales,vt administrationes sacramentorum propter communẽ errorem, de qua difficultate late tractaui in disp. 11. cap. 11. & hi Doctores intelligunt valere id quod geritur ab excommunicato occulto, & tolerato ab Ecclesia ratione publici officij: de officio publico auctoritate, & vtilitate,secus si sit publicum auctoritate, & priuatum vtilitate, vt est officium tutelæ,procurationis, & similia, vt notauit Abb. in c. post Cessionem n. 17. in fi. de probat. tales enim actus tenent, si fianc ab occulto excommunicato, quandiù non probetur excommnnicatio, qua probata redduntur inualidi,& nulli ob eam rationem, vt notat Abb.dicto n.17.quia in Procuratore,Tutore, & similibus deficit potestas agendi, si fuerunt constituti, quando erant excõmucatione innodati. Ex bis colligitur explicatio sententiæ Abbatis, & aliorum, qni asserunt gesta per excõmunicatũ ex officio tutoris pro pupillo esse inualida, quoniam sunt actus publici, idest gesti ratione publici officij collati auctoritate iudicis, licet immediatè non ordinetur ad vtilitatem publicam, sed priuatam ipsius pupilli, sed quæ fiunt ab excommunicato hoc modo sunt inualida.

Hanc sententiam nonnulli impugnant ob eam rationem, quoniam quæ fiunt per procuratorem excõmunicatum, quamdiu ope exceptionis non fuerit reiectus, valida sunt, & tenent, vt probatum est cap.3. disp. 3. ergo pari ratione gesta per excommunicatum tutorem pro pupillo erunt valida, quoniam snnt officia eiusdem ordinis, vt Abb. Silu. locis citatis, & alij confitentur, ergo quod asseritur de vno, negari non potest de altero; nam sicut officium Procuratoris est pnblicum auctoritate, & vtilitate priuatum, simili modo officium Tutoris,Curatoris, & similium Administratorum est publicum auctoritate, non vtilitate. Et vterque reijcitur à iudicio propter solam excommunicationem; neque apparet aliquid peculiare in Tutore, cuius gratia magis sit inhabilis ad agendum propter excommunicationem, quam Procurator.

Confirmatur, quoniam si Tutor excommunicatus absoluatur ab excommunicatione, non debet dennò institui Tutor auctoritate Iudicis, sed potest agere quęcunque iudicat expedire ad vtilitatem pupilli virtute prioris deputationis absq. noua commissione, argumentum igitur est excommunicationem non reddidisse ipsum inhabilem ad susceptionem illius officij.

His rationibus sententia relata redditur maxime dubia, & controuersa, & idcirco censeo oppositã esse probabiliorem, nempe gesta per Tutorem, aut Curatorem excommunicatum tam in iudicio, quam extra nomine Pupilli, quamdiu ope exceptionis reiectus non fuerit, suam retinere firmitatem eodem modo, sicut dictũ est de gestis à Procuratore excõmunicato.

Probatur primo, quoniam nullnm extat peculiare Ius, qno cautum sit excommunicatum non recipere valide potestacem Tutoris, ergo id non est affirmandum. Confirmatur, quoniam collatio beneficij facta excommunicato, aut dignitatis secularis, aut aliorũ officiorum, quæ non habent annexam iurisdictionem, tenenc, ergo multo magis id affirmandum erit de Tntore, & Curatore, cum non sit officium præcipuũ.

Secundò prohibitio, propter quam à iure excluditur excommunicatus ab officio Tntelæ, est generalis cæteris omnibus communis, quibus committitur aliquid gerendum inter homines, nempe periculum cõmunicationis, quæ ratione excommunicationis interdicitur, vt patet ex cap. 1. de except. lib. 6. illis verbis, *Dum à communibus Actibus excluduntur*, sed hæc generalis prohibitio facit quidem culpæ reum excommunicatum, si tentet illos actus gerere, non tamen irritat actus, vt patet de Procuratore, Aduocato, & alijs.

Fundamentum vero pro contraria opinione dissolui potest; nam cum dicitur Acta per excommunicatum ratione publici officii esse innalida, & officium Tutoris esse publicum Instit. de Tute. in princ. & idcirco excommunicatum non esse idoneum ad illnd exercendum.

Respondendum est principium illud, quod assumitur, si vniuersaliter accipiatur, non esse verũ, sed esse intelligendum de officijs publicis, quæ includunt iurisdictionem, & sunt publica anctoritate, & vtilitate, quorum actus dicuntur ciuiles, vt inquit Glo. cap. 1. Ver. Communibus de except. lib. 6. vt iudicare, arbitrari, l. cum Prætor ff. de Iudi. cap. 1. §. Tria, 2. q. 7. Tales enim actus non valent, nisi adsit communis error excommunicationis, vt dixi in dicto Cap. 11. Disp. 11. Sed officium Tutoris non eadem ratione dicitur publicum, sed potest tantum appellari publicum auctoritate, quia nõ potest quis illud suscipere à semetipso,

sed

sed indiget legis auctoritate, & Iudicis ministerio; at A quantum ad vtilitatem est priuatum, vt ipsemet Abb. Silue. & alij citati fatentur, quia refertur ad commodum, & vtilitatem priuatam ipsius Pupilli; propterea in eo locum non habet Regula illa generalis; quare de officio Tutoris idem est sentiendum, sicut dictum est de Procuratore, Aduocato, & Testibus; tales enim propter excommunicatioñe reijci possunt, nè talium numerum actus proprios exerceant ob eas causas, quæ exprimuntur ab Innoc. Quarto in dicto cap. 1. De Except. lib. 6. Nimirum vt ex hoc magis Censura Ecclesiastica timeatur, communionis periculum euitetur, contumaciæ vitium reprimatur, & excommuni- B cati, dum à communibus actibus excluduntur, rubore suffusi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur; atque ita, vt inquit Glo. in dicto cap. 1. Ver. Communibus, excommunicati erunt inter homines, & eorum carebunt suffragiis; Donec tamen Tutor, Procurator, &c. non expelluntur, eorum acta valent, & eodem modo si excommunicatus instituatur Tutor, institutio tenet, sicut probatum est de Procuratore, sed in eo instituendo committitur culpa, vnde sublata excommunicatione non indiget noua institutione Iudicis, vt tutelam exercere valeat.

DE SEPTIMO EFFECTV EXCOMMVNICATIONIS.

NEMPE DE INCAPACITATE AD conferendum beneficia.

DVPLEX est in genere Iurisdictio, C & Potestas, ecclesiastica, & Spiritualis, altera est fori interioris, quę versatur circa administrationem Sacramentorum, de qua pertractauimus in Disp. septima lib. 1. Altera est fori exterioris, & hæc duobus modis accipi potest, scilicet propriè quatenus dicit potestatem ad præcipiendum, iudicandum, & similes actus præeminentiæ, & potestatis exercendum, de quibus diximus in Disp. 2. Secundo modo latius pro Iure, & facultate conferendi beneficia ecclesiastica, eligendi ad illa, præsentandi, & cæteros actus necessarios exercendi, de qua potestate, vt ad singulos actus extenditur, distinctè in hac disputatione discu- D tiendum est.

DISPVTATIO QVINTA De Suspensione Potestatis conferendi beneficia Ecclesiastica.

Caput Primum. Vtrum Excommunicatus priuatus sit potestate conferendi beneficia Ecclesiastica.

Caput Secundum. An Excommunicatus priuatus sit Iure eligendi, & si eligat, an electio sit nulla.

Caput Tertium. An Excommunicatus priuatus sit Iure præsentandi ad beneficium Ecclesiasticum, & si præsen- E tet; an Præsentatio irrita habeatur.

CAPVT I.

Vtrum Excommunicatus priuatus sit potestate conferendi beneficia Ecclesiastica.

IN hac difficultate Conclusio generalis, & certa communi consensu omnium proponitur, Excommunicatum neque licitè sine peccato, neque validè beneficium ecclesiasticum conferre posse.

Desumitur hæc Conclusio in primis ex cap. vni. Nè Sede vacan. lib. 6. Vbi Bonifacius Octauus statuit Collationem beneficij communiter ad Episcopum, & Capitulum attinentem posse fieri ab ipso Capitulo, si Episcopus sit suspensus à collatione, ergo multò magis idem esset affirmandum si Episcopus esset excommunicatus, nàm hæc suspensio includitur in excommunicatione, vt ex eodem tex. apparet, nàm idem statuitur, si contra contigerit, Capitulum suspensum esse ab ipsa collatione, vel singulariter omnes de Capitulo maioris excommunicationis vinculo innodari, cũ enim Capitulum non possit excommunicari cap. Romana §. In Vniuersitate de sent. excom. lib. 6. si singuli excommunicentur, excommunicatio indirectè afficit Capitulum, quod ex singulis cõstituitur quoad hunc effectum, vt non possit conferre beneficia, sed collatio fieri debeat à solo Episcopo.

Confirmatur ex cap. Tanta de excess. Prælat. Vbi Pontifex declarat irritas, & inanes collationes beneficiorum factas ab Episcopo, qui interdictum violauerat, & in cap. Quia diuersitatem De Concess. Præben. Vbi agitur de Episcopo suspenso.

Ratione quoque probari potest eadem conclusio, nàm Ecclesia in odium, & pœnam Excommunicatorum voluit eos priuare potestate iurisdictionis, vt diximus in Disp. secũda. Sed conferre beneficia est actus Iurisdictionis, vt inquit Glos. in cap. Transmissam Ver. De Talibus De Elect. ex cap. Nosti eod. tit. & c. 1. De Transl. Episc. non enim est actus ordinis, sed Iurisdictionis, ergo excommunicati sunt priuati potestate conferendi beneficia.

Alia quoque ratione probari potest desumpta ex Glos. in cap. Cum olim Ver. Capitulo De Maior. & Obed. Vbi reddit rationem, cur, vacante Ecclesia, collatio Beneficiorum, quæ pertinebat ad Episcopum, non deuoluitur ad Capitulum, quia omnes fructus Episcopatus debent fideliter custodiri, & reseruari Successori, cap. Hæc huius placiti 12. q. 2. & cap. Cum vos De Off. ordi. Sed Collatio beneficiorum inter fructus Episcopatus computatur; quare cum excommunicatus sit priuatus fructibus beneficiorum, vt probabo se-

bo sequenti Disputatione, erit quoque ex necessaria consequentia priuatus iurisdictione conferendi beneficia; quare si tentet conferre, collatio erit nulla.

Ità sentiunt omnes Doctores in cap. Postulastis De Cleric. excom. mini. & in cap. Cum Dilectus De Consuet. cap. vni. §. Cum verò Ne sede vacan. lib. 6. Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 7. num. 9.

Sed occurrunt dubitationes dissoluendæ, Prima esse potest de quo excommunicato intelligenda sit hæc Conclusio, cum dicitur Collationem beneficij factam ab excommunicato esse inualidam.

Respondendum est Iure antiquo intelligendam esse de excommunicatione publica, nam excommunicatio occulta non impedit actus prouenientes ratione publici officij, nec facit, vt tales actus non sint validi, non quidem respectu ipsius excommunicati, qui peccat, & actus gestus nihil ei prodest, sed sunt validi in ordine ad alios; ita etiam accidit in collatione beneficiorum, Franc. in cap. vni. num. 4. Nè Sede vacan. lib. 6. Lapus alleg. 89. & 136. Couar. loco citato, & colligitur ex cap. Veritatis De Dolo, & Contum. Vbi Abb. & Doct. communiter; at Iure nouo post extrau. Ad euitanda collatio beneficij facta ab excommunicato, non denunciato nominatim, etiamsi sit publicus, dummodò non sit notorius Clerici percussor, tenet, & est valida non in fauorem ipsius Conferentis, sed eius, cui confertur; quoniam in his, quæ procedunt à publico officio, excommunicatus interim toleratus vitandus non est ante denunciationem, etiam ab his, qui sciunt eum esse excommunicatum, sed in his, quæ procedunt priuata auctoritate diuersam esse rationem, inquit Couar. quia extrau. Ad euitanda nihil Iuris tribuit ipsi excommunicato, sed iura vetera quæ suspendunt potestatem ipsius excommunicati manent illæsa etiam ante denunciationem, sed solum extrauag. Ad euitanda tribuit priuilegium, quod excommunicato communicantes ante denunciationem non afficiantur pœnis à iure statutis contra communicantes cum excommunicatis; quare in collatione beneficiorum distinctio de publico, & occulto excommunicato nihil conducit, si Collatio fiat priuata auctoritate, non ratione publici officij, quia nulla erit collatio, etiam si fiat ab occulto excommunicato, vt probat Abb. in dicto cap. Veritatis num. 47. De Dolo, & Contum. & ità etiam animaduertit Innoc. in c. Cum Dilectus De Consuet. & Io. And. in cap. 1. De Rescript. libr. 6.

Si dicas Collatio beneficij competit ratione publici officij, ergo non potest fieri priuata auctoritate.

Respondeo posse etiam Ius conferendi conuenire alicui, vt priuatæ personæ, sicut accidit in electione, vt notat Abb. in dicto cap. Veritatis num. 47. De Dolo, & Contum. ex sententia Innoc. quod Electio quamuis pertineat ad Capitulum ratione publici officij, ad Canonicos tamen pertinet singulares ratione Canonicatus, nam quilibet Canonicus non habet officium publicum in eligendo.

Dices secundò, si excommunicatus, cui conuenit Ius conferendi beneficia, peccat illa conferendo, ergo non erit immunis à culpa, qui ab eo beneficium suscipit, quia videbitur cooperari ad peccatum alterius.

Respondeo, Si excommunicatus conferat beneficium sponté, & libera voluntate peccat, si vero id faciat ad alterius postulationem, cuius fauorem simpliciter respicit, tunc Petens non peccat, si excommunicatus non sit nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percussor, quia ex priuilegio extrau. Ad euitanda

A licitum est communicare cum excommunicatis etiam publicis, nisi sint illius duplicis generis; quare neque ipse excommunicatus in eo actu peccatum committet, alioqui priuilegium extrauag. esse inane, & sine effectu, vt aliàs diximus.

Tandem postulabis, an excommunicato Episcopo Vicarius, qui eius gerit vices, possit beneficia cōferre.

Respondeo non posse, quia principali excommunicato, & ex consequenti suspensa eius iurisdictione censetur quoque suspensa iurisdictio illius, cuius tota Iurisdictio pendet ab ipso Principali non tantum in habitu, sed etiam in actu, vt De Delegato respectu Delegantis excommunicati, quia est vna Iurisdictio, vt cap. 1. De Off. Vic. lib. 6.

B Secunda dubitatio principalis est; quid intelligatur nomine beneficij Ecclesiastici, cum dicimus in Conclusione excommunicatum non posse conferre beneficium Ecclesiasticum.

Respondeo nomine beneficij significari quodlibet spirituale Ius perpetuum, quod confertur ex institutione Canonica ad percipiendum fructus temporales Ecclesiasticos, vt in Reg. 1. Beneficium De Reg. Iur. lib. 6. & hoc modo acceptum beneficium in genere complectitur Dignitatem, Præbendam, Beneficium simplex, & etiam cum cura, vt inquit Glos. in dicta Reg. 1. & ibi Franc. & Glos. in Clem. Auditor de Rescript. Quæcunque igitur sint beneficia Ecclesiastica, illa neque licitè, neque validè ab excommunicato con-
C ferri possunt.

Quæres, An nomine beneficij hac in re significetur Pensio.

Respondeo nomine beneficij in Conclusione non comprehendi Pensionem, Tum quia Pensio non est beneficium, etiam latius accipiendo nomen beneficij Ecclesiastici, sed est certa portio ex fructibus beneficij ad tempus, non in perpetuum separata, vnde Pensio est quid prophanum, nihil habens spiritualitatis, vt probat Hieronymus Gig. in tract. De Pensio. qu. 1. Tum etiam quia vera Pensio à Summo Pontifice tantum constitui potest, sed Papa excommunicationis vinculo obstringi non potest, ideo hæc difficultas locum non habet in hac quæstione, de qua tra-
D ctamus.

Tertia Dubitatio principalis est, quid intelligatur nomine Collationis, cum dicitur Collationem beneficij ab excommunicato factam esse inualidam.

Respondeo nomine Collationis beneficij, si propriè accipiamus nomen Collationis significari in Iure Actionem illam, qua Superior transfert in alium, Canonicum Ius ad obtinendum beneficium Ecclesiasticum, quæ vocatur etiam Institutio, vnde ille, cui facta est Collatio, dicitur obtinere Canonicum Ius in Beneficio Ecclesiastico, Glos. in dicta Reg. 1. de Reg. Iur. lib. 6. Franc. ibidem num. 2. Et hæc collatio beneficij de Iure communi pertinet ad Episcopum, vt inquit Glosa in eadem Regula ex cap. Conquerente de
E Off. Ordin.

Quæres, an quando Ius conferendi beneficia pertinet ad plures coniunctim, collatio reddatur nulla, si ex Conferentibus aliquis sit excommunicatione obstrictus.

Respondeo Collationem nullam reddi, si ex Conferentibus aliquis sit excommunicatus publicè, & denunciatus iuxta ea, quæ diximus ad explicationem primæ dubitationis; quarè si Collatio conueniat Episcopo, & Capitulo, & Canonici sint excommunicati, non possunt simul cum Episcopo conferre, cap. vni. Nè

Sede

Sede vac. lib. 6. & ibi Franc. num. 4. secus si essent occulti excommunicati, vel publici, non tamen denunciati tunc enim valeret collatio, quia Capitulum confere ratione publici officij, vt inquit Franc. ex sententia Innoc. & Io. Andr. in c. Si verè De Sent. Excomm. & in cap. Cum Dilectus de Consuet.

CAPVT II.

An Excommunicatus priuatus sit Iure eligendi, & si eligat, an electio sit nulla.

IN hac etiam quæstione absque vlla controuersia omnes Doctores videntur affirmare electionem ab excommunicato factam nullam esse, & irritam.

Sed explicandum est, quid nomine electionis intelligant sacri Canones, antequam ad declarationem, & probationem propositæ conclusionis accedamus.

Electio, vt inquit Silue. V. Electio 1. §. 1. ex sententia Host. & Io. And. est idoneæ personæ ad dignitatem seruata forma canonica facta vocatio, quare differunt Electio, Institutio, Collatio, & Præsentatio, licèt omnes actiones sint, quæ dicunt ordinem, & relationem ad beneficium Ecclesiasticum, nàm Præsentatio, vt inquit Glos. in c. 1. De Reg. Iu. lib. 6. dicitur, quando non confertur aliquod Ius in beneficio Ecclesiastico, sed solum à Patrono præsentatur persona idonea, & actio illa Patroni dicitur Præsentatio, Collatio dicitur, quę fit de beneficio non Patronato, quod spectat ad Episcopum pleno Iure sine præsentatione Patroni, Institutio verò propriè sumpta dupliciter dicitur, Primò cum aliquis instituitur per Episcopum ad præsentationem Patroni, & Episcopus sic instituēs dat titulum in beneficio, alio modo accipitur pro cōfirmatione, quando Superior confirmat personam electam ab his, quibus competit ius eligendi, sic patet differentia inter enumeratas actiones, quæ referuntur ad beneficiū Ecclesiasticum, seu dignitatem obtinendam, sed præter illas repetitur etiam Postulatio, quæ longè etiam diuersam significationem habet ab electione; nam quando quis simpliciter aliquem eligit, nihil aliud facit, vt inquit Innoc. in cap. 1. num. 1. De Postul. Prælat. quàm consensum præbere in illum tanquam in Prælatum, sed si persona sit talis, vt non possit esse Prælatus sine dispensatione, vt si sit Irregularis, tunc postulatur, & nisi placuerit Maioribus, à quibus postulatur, tunc potest variare, & alium eligere, cap. Bonæ de Post. Præla. Si autem placuerit, erit electus Prælatus, cap. Super eo de Cond. app. Agit de his varijs modis acquirendi beneficia Rebuff. in sua Praxi Benef. pag. 20. & seq. sub tit. Canonica Institutio, quæ dicatur. Hoc autem Ius eligendi competit primò, Iure communi Collegio, quod sibi Prælatum Iure eligere potest, nisi obstet consuetudo, aut priuilegium cap. 1. De Elect. cap. Congregatio 16. quæst. vlt. cap. Abbatem 18. quæst. 2. Secundò ius elegendi acquiritur ex consuetudine, vel priuilegio cap. Cumana De elect. Tertiò eligere potest Prælatus, vel alius, cui commissa fuerit hæc potestas, cap. Quia propter De Elect. His præmissis comprobari potest Conclusio.

Colligitur primò hæc Conclusio ex cap. Cum inter R. in fi. De elect. Vbi sermo est de electione facta à suspensis, & cassata dicitur, Vbi Glo in V. Cassata inquit *idest cassa nunciata, quia suspensi eligere non possunt*, ergo multò magis id est asserendum de excommunicatis, vt in simili de Collatione prnbabam in capite præcedenti. Idem habetur de Suspensis in cap. Cum dilectus de consuet. his verbis; *Quia nobis con-*

A *stitit electionem ipsam à Suspensis, & de Suspenso etiam celebratam, eam iustitia cassauimus exigente*, vbi Glos. V. Cassauimus eod. modo sicut in cap. Cum inter R. sic notat, *Idest* cassam nunciamus, Innoc. in cap. Cum dilectus num. 4. De consuet. & ibi Abb. num. 20. in fin. & dicto cap. Cum inter R. nu. 5. de elect. Silue. V. Electio 1. §. 5. Couar. in prima par. cap. Alma Mater §. 7. numer. 9.

Ratione idem confirmatur, quia excommunicatus suspensus est omninò ab officio, & beneficio, quare nihil potest agere eorum, quæ ei conueniunt ratione officij, & beneficij, sed electio est talis, igitur excommunicatus eligere non potest.

Confirmatur, quia electio est actus Iurisdictionis,
B vt inquit Abb. in dicto c. Cum Dilectus nu. 20. in fin. de Consuet. sed excommunicatus priuatus est potestate Iurisdictionis, quam habebat, ratione publici officij, ergo non potest eligere, & si tentet, electio erit nulla.

Quamobrem electio facta ab vno, cui Ius eligendi conueniat, si ille sit excommunicatus, non erit valida, & si fiat à pluribus, vt à Capitulo, & singulæ personæ sint excommunicatæ, similiter erit irrita.

Sed difficultas est, quando Ius eligendi ad plures pertinet, quorum aliqui sunt excommunicati, cæteri vero habiles ad eligendum, an in hoc casu electio sit valida, & teneat, vel potius dicenda erit irrita.

In explicanda hac dubitatione, Iuris Pontificij In-
C terpretes plura dicunt, Innoc. in cap. Illa de elect. Io. And. in Reg. Quod alicui in Mercur. Abb. in cap. Illa num. 7. & in cap. Messana nu. 3. de elect. & latè in cap. fin. num. 4. & seq. de Procur. Couar. in 1. par. in cap. Alma Mater §. 7. num. 9. & alij, ad dissoluendam hanc difficultatem vtuntur quibusdam distinctionibus. Primo enim dicunt aliud esse quærere, an electio facta, à, multis, ex quibus aliqui sunt excommunicati, reddatur nulla ratione excommunicatorum, qui interfuerunt, aliud verò si ad electionem admittantur aliqui inhabiles non tamen ex causa excommunicationis, sed ob alia impedimenta, puta si non professi, vel conuersi cum professis, Secundo aliud esse loqui, quando excommunicati scienter admittun-
D tur ad electionem, aliud quando ignoranter ex probabili ignorantia, Similiter aliud esse, si inhabiles, vel excommunicati admittuntur ad electionem ab alijs habilibus spontè, & volūtariè, vel per vim, & violentiam, & ipsis inuitis. His positis respondent Doctores ad difficultatem.

Primo quando plures Electores conueniunt ad eundem eligendum, vel plures Iudices ad eandem ferendam sententiam, sicut etiam in Constitutione Procuratoris, vel in alijs rebus agendis, & ex eis vnus sit inhabilis, vel excommunicatus ignoranter admissus, tenet sententia, electio, & quidquid aliud actum sit.

Probatur primo ex Glos. vltim. in cap. Si quando de elect. lib. 6. quæ asserit. Non valere electionem factam
E ab eligentibus si sciebant aliquem ex eis esse excommunicatum secus si id ignorabant, & confirmat ibi Gemin. num. 3. vers. Glos. fin. in princ. quærit &c. Anchat. num. 2. vers. Quæret Glos. fin. &c. Franc. nu. 3.

Probatur ex cap. Ad probandum de re Iudi. Vbi sententia lata à Iudicibus delegatis, quorum vnus erat publice excommunicatus, declaratur nulla, idem in cap. Cum super de off. deleg. similiter electio, cap. Cum Vintoniensis, cap. Messana de elect. eod. modo constitutio Procuratoris cap. fin. de Procurat. ergo à contrario sensu quando excommunicatio est occulta,

& ex-

& excommunicatus ex ignorantia probabili admittitur ad eligendum, ad ferendam sententiam, ad constituendum Procuratorem, talis actus non est inualidus, Tex.optimus cap. Apostolicæ De cleri. excomm. Mini.quia nemo cogitur diuinare de occultis,cap.Vt nostrum,vt Eccl. Benef.l. Si putator, ff.Ad l.Aquil.l. Si Fideiussor §. Si cum debitor ff.Manda.Glos.in cap. Exceptionem V. Publice de except. Quare cum excommunicatus occultus non sit vitandus, nam vnusquisq; secundum communem opinionem habetur liber,& non excommunicatus, quidquid interim facit, valet,cap.Infamis §. Tria Vers. Veruntamen si seruus 3.q.7. & cap. Consultationibus de Iur.Patro.

Secundo dicunt Doctores, quod si Electio fiat, vel sententia pronuncietur à pluribus, ex quibus aliqui sunt excommunicati,vel inhabiles occulti, quam tamen excommunicationem non ignorent alij Coelectores,& Coniudices, & admittantur excommunicati ad actam illum communem scienter, valet, quod fit ab eis.

Ita tenet Innoc. in dicto cap. Illa num. 4. De Elect. quod dicit locum habere, si præmittatur protestatio ab ipsis veris Iudicibus, vel Electoribus, quod nullo modo consentire intendunt, vt alij, qui non possunt consentire electioni, & iudicio,habeant vocem, sed per se ipsos tantum eligere volunt,vel iudicare,& suis votis electionem inniti decernunt,arg. cap.Plerique 2.q.7.Et quando non poterunt re ipsa Excommunicatos excludere ab Electione,tunt satis erit.si huiusmodi protestatio fiat publicè,si audent, sin minus, occultè,cap. Perlatum quod me. cau.

Probatur; quoniam in hoc casu Actus geritur nomine Vniuersitatis, aut Collegij, Ius verò Vniuersitatis residet penes habiles, etiam si esset vnus solus, vt notatur in cap. Gratam de Post. Præla. & in l.Sicut ff. Quod cuiusquam vni.Inno.in c.Illa n. 2.De elect.Abb. in c.fin.n.4. De Procur. Idcirco actus gestus nomine omnium, qui attinent ad Collegium, aut Vniuersitatem, non debet corruere propter præsentiam excommunicatorum, nàm omnes habiles videntur gessisse actum efficaciori modo,quo poterant, arg.l.3. ff. De Test.Mili. Immo inquit Innoc. & benè in d.c.Illa n.3. De elect.& confirmat Abb.in c. fin.n.6.De Procur. tenet electio,quamuis vnus solus sit non excommunicatus,& alij omnes sint excommunicati,quia in illo solo remanet Ius vniuersitatis, & Collegij, & hanc sententiam Innocentij communiter sequuntur omnes, vt Abb. vbi supra testatur,& Silue. V.Electio 1.§.17.

Secundo cum Excommunicatus careat Iure eligēdi,non potest irritare id. quod legitimè factum est ab alijs,quia vtile per inutile non vitiatur Reg. Vtile De Reg. Iu.lib. 6. quando vtile separari potest ab inutili, vt inquit ibi Glos. & sic conciliat Iura, quæ contra Regulam afferri possunt, secus si actus sit indiuiduus arg. c. Cum super De Off. deleg. Vbi retractatur sententia lata à pluribus Iudicibus ob vnius inhabilitatem,quia causa commissa erat communiter omnibus, & alij non poterant sine illo, cui impedimentum inerat, iurisdictionem exercere;quare propter connexionem actus reuocatio fit quoad omnes;ita inquit Glos. in c. Ad probandum V. Cassata de sent.& Re Iudi. Et simile habetur in l.Pedius in fin. ff. De Arbitr. Contra vero dicendum est,quando actus est diuisibilis,& separari potest, vt in terminis,in quibus loquimur de Electione, quæ fieri debet ab omnibus, sed non est definitus certus numerus Eligentium,tunc enim vnus licèt sit excommunicatus,vel duo,si alij omnes consentiant in eandem personam, electio tenet, quia impedimentum excommunicationis non obest alijs, qui legitimè vtuntur Iure suo in facienda electione, & hic actus nō est indiuiduus,sed separari potest,arg.l.1.§. sed Pomponius ff. Quod cum fal. Tut. Vbi si verus Tutor auctoritatem præstitit cum falso Tutore, tenet auctoritas veri Tutoris, Idem in cap. Cum Ventoniensis de Elect.

Animaduertendum est tamen cautè, vt notat Innoc.vt hac in re nihil agant Electores veri, vnde præsumi possit ipsos velle consentire,vt excommunicati, & inhabiles simul cum eis eligant,iudicent, vel aliud agant;vnde si idonei inquirant, & scrutentur excommunicatos, hoc ipso videntur cum eis agere, nec valeret protestatio, quæ contradiceret facto, cap. Sollicitudinem de appell.

Tertiò dicunt, si Electio fiat à pluribus, ex quibus sint aliqui notoriè,& publicè excommunicati,& tales admittantur ab alijs veris electoribus scienter, electio inficitur, & redditur nulla.

Hoc dictum confirmant textus supracitati, scilicet c.Ad proband. de re iudi. c. Cum super De off. deleg. Vbi delegata erat causa duobus cum clausula, vt altero nolente,aut non valente delegationem exercere, alter solus procedere posset, si tamen vnus ex eis sit inhabilis,& admittitur ad sententiam ferendam, sententia est nulla, c. Cum Ventoniensis, c. Messana de elect.c. fin. De Procur. Nam si Electores veri scienter admittunt excommunicatos, videntur fateri, vt inquit Abb.in c.fin. De Procur.n.7. non velle,nec posse agere sine illis,& ideo nō valet actus arg.dicti c. Cum super,& est doctrina Innoc. in dicto cap.Illa, quæ vniuersaliter intelligenda est quoad excommunicatos, quod si scienter admittantur ad actum aliquem communem ab alijs non excommunicatis,actus inficitur, & redditur nullus; verum si admitterentur alij ex alia causa inhabiles, tunc distinguendum esset, vt adnotauit Abb.in dicto c.fin.num.7.in fi.De Procur. Aut admittuntur prohibiti interesse electioni,& actui,fauore Iuris publici, quo casu eo ipso Electio redditur nulla, aut fauore ipsorum habilium,& tunc possunt habiles, & idonei cedere Iuri suo, & admittere inhabiles, vt in dicto c.Cum Vintoniensis.

Postulabis, quid dicendum, si excommunicati admittantur in eadem electione scienter, sed tamen non eligitur eadem persona,nam non excommunicati eligunt vnum,alium vero excommunicati, an electio facta à non excommunicatis remaneat valida.

Respondet Innoc. in citato c. Illa electionem non subsistere ob eam causam, quia scienter admiserunt excom.& cum eis coeligere intenderunt arg.l. Duo ff. De re iudi. & l.Si intres ff.de Arbitr.

Quæres secundò; quid dicendum, quando admittuntur excomm.publicè, & notorie sed excommunic. ignoratur ab alijs veris electoribus,vel ipsi scientes coguntur inuiti admittere excom. ad simul eligendum, an probata excommunicatione electio irritetur.

Respondet Innoc. in c.illa num. 5. De elect. valere talem electionem,quia tunc veri Electores non dicuntur scienter eligere cum excommunicatis, quia hoc non intendunt,nec præsentia excommunicatorum eis obesse potest.

Verum quid si ex veris electoribus erant aliqui,qui sciebant illos esse publicè excommunicatos.

Respōdeo ex sententia Innoc.etiam in tali casu electionem esse validam,& illos,qui nouerant Excommunicatos,posse validum suffragium ferre vna cum alijs

veris

veris Electoribus ad electionem faciendam; dummodo illi, qui sciebant excommunicatos, non consenserint expresse, quod excommunicati vocarentur ad electionem, tacitus enim consensus, vel præsentia scientium non obest, cum etiamsi contradicerent, & protestarentur, non tamen ignorantes cogerentur propter eorum assertionem, nec etiam deberent non vocare illos, qui sunt excommunicati, sed ignorãtur, sed si illi, qui sciunt adesse aliquos excommunicatos, appellarent ab electione, assignantes causam, quia sciunt aliquos ex electoribus esse notorie excommunicatos, & in causa appellationis probarent excommunicationẽ notoriam, irritabitur, quidquid factum erit post appellationem interpositam.

Sed hæc postrema responsio Innoc. non videtur carere difficultate; nam excommunicatio notoria, etiã si ignorata fuerit in ipsa electione, postea tamen probata videtur irritare electionem antea factam, quia nulli licet ignorare, quod publice factum est, c. Quod dicitis 16. dist. c. Ad hæc de post. Prælat. l. Nec supina. l Regula ff. de Iu. & fac. igno. Quare non debet alicui prodesse, si dixerit se ignorasse, sicut dicitur de Iudice publice excommunicato in c. Ad probandum de re iudi. & de Actore publice excommunicato, qui si per exceptionem ab aduersario ignorante excommunicationem non expellatur à iudicio, potest excludi ex officio Iudicis. Dicitur quis publice excommunicatus, si Iudex tulerit sententiam in loco, vbi publice iudicare consueuit, præsentibus suis officialibus, C. quomodo, & quando iu. si vt proponis l. 2. Glo. in c. Exceptionem Ver. Publice in fin. de except.

Confirmatur, quoniam si iure cautum est, vt electio facta ab illis, inter quos aliquis erat obstrictus publica, & notoria excommunicatione, sit nulla, & irrita, vt statim probabimus; ergo ignorantia huius excommunicationis nihil facit ad validitatem electionis, vt detecta excommunicatione non sit declaranda irrita, & cassa, quare responsio illa non videtur omnino certa.

Hæc colliguntur ex Canonistis supracitatis; & præcipue ex Innocentio quem alij sequuntur circa propositam quæstionem de electione facta à Collegio, aut Vniuersitate, in qua sit aliquis censura excommunicationis notatus.

Fundamentum autem huius sententiæ communis, quod electio nulla sit, si ad eam faciendam concurrat notorie excommunicatus admissus ab alijs electoribus voluntarie, est prohibitio Ecclesiastica facta in odium excommunicatorum, vt inquit Abb. in capit. fin. nu. 7. de Procur. ex sententia Innoc. propter iniuriam, quæ fit Ecclesiasticæ potestati.

Animaduertendum tamen est, quod alias sæpe dixi, Per excommunicatum notorie nos intelligere excommunicatum nominatim, & publice denunciatum, aut manifestum Clerici percussorem, Alij vero excommunicati, etiam si sint publice excommunicati, & admittantur voluntarie ad electionem, non possunt inficere ipsam electionem, neque qui eos admittunt, peccant, quia non tenentur abstinere ex priuilegio Extrauag. Ad euitanda.

Sed quæri potest, an si ex electoribus reperiatur aliquis occulte excommunicatus, non nominatim, & ab ijs, qui eligi cupiunt, vel ab aliquo ex electoribus obijciatur talis exceptio excommunicationis, & non obstante hac exceptione admittatur, an electio sit valida.

Respondeo ante electionem talem exceptionem
A opponi posse, & merito posse, & debere expelli ab electione, quia Extrauag. Ad euitanda nullum fauorem, aut commodũ tribuit ipsi excommunicato, & quamuis alijs permiserit, vt possint cũ illo communicare, ad hoc tamen non obligat, ergo quilibet potest eum repellere, cum ipse careat omni iure; Quod si talis exceptio non fuerit opposita, nec ab electione fuerit reiectus, tunc suffragium ab eo latum erit validum; nam quæ fiunt ab excommunicato occulto ratione publici officii tenent, licet enim ipse priuatus sit iurisdictione, Ecclesia tamen, quandiu eum tolerat, supplet ad illũ actum iurisdictionẽ; Vnde etiam si solus talis excommunicatus electionem faciat ratione publici officij tenet, vt inquit Couar. in illo §. 7. n. 9.

B Aliter tamen dicendum est in electione, quæ fit ratione iuris, & officij priuati, in qua hæc distinctio de notorio excommunicato, & de occulto, ac tolerato ab Ecclesia locum non habet; nam vt annotauit Abbas in c. Veritatis n. 47. de dolo, & contum. Electio facta ab excommunicato, quantumcunque occulto iure proprio, & priuato non tenet, siue ante electionem, siue postea probetur excommunicatio.

Si obijcias, electio conuenit ratione publici officij, cap. 1. de elect.

Respondet Abb. ex doctrina Innoc. ad Capitulum pertinere ratione publici officij, Ad Canonicos ratione Canonicatus, & spiritualis fraternitatis, sicut dixi de Collatione in cap. præcedenti.

C Hęc autem regula generalis de nullitate electionis, si facta fuerit admissio aliquo excommunicato, locũ non habet in grauissimo omnium, quæ in terris ab hominibus peragũtur, negotio, in electione nempe eius, qui ex votis Cardinalium denunciatur summus Pontifex Christi Vicarius; neque enim de nullitate electionis dici poterit eius, qui per duas partes Cardinalium vnanimiter in Cathedra Petri collocabitur, si eligentium excõmunicatio aut suspensio opponatur, quamuis notoria sit, quoniam sic placuit summo Põtifici Clementi V. in Clem. de Elect. c. 2. §. Cæterum; Vbi constitutionem Gregorij X. in Concilio Lugdunensi editam circa electionem Romani Pont. innouauit, & quo ad omnia confirmauit. Nec videri debet
D huiusmodi Decretum repugnare rationi, quoniam illa Dignitas talis est, vt non ab homine, sed ab ipso Christo immediate conferatur, sed tantum per homines forma, & ritu ab Ecclesia pręscripto fit designatio personæ, quam Christus infallibiliter admittit, vt dignitatem illi conferat; Et quamuis contingere posset, vt designatio personæ ab excommunicatis electoribus fieret, tamen propter pericula schismatum, & alia grauissima incommoda, quæ Christianæ Reipub. sequi possent, si daretur locus exceptionibus post electionem semel factam, prouisum est in dicta Clem. vt nulla obstare possit eligentium censura, quo minus valida censeatur electio, etiam si omnes Cardinales essent excommunicati, quoniam text. loquitur gene-
E raliter non posse aliquem ex Cardinalibus prætextu excommunicationis, & censuræ reici ab illa electione, & Clem. hęc confirmauit aliam antiquiorem Constitutionem in cap. Licet de Elect. Vbi sancitum erat electum à duabus partibus Cardinalium absque vlla exceptione habendum esse pro vero Pontifice, Vbi Glos. Ver. Exceptio inquit *Speciale est in Papa vt nulla exceptio admittatur*. Neque etiam exceptio opponi potest ex persona ipsius electi, vt dicitur in dicto capitulo Licet; Et talis Constitutio fuit maxime necessaria, ne

Ecclesia longo remaneret tempore destituta suo Pastore; neque tunc incurritur culpa communicando excommunicatis auctoritate iuris, quod remouet omnem exceptionem, vt inquit Glo. in eit. Clement. Auct. Io. Andr. cap. 1. distin. 79. Nam in casu necessitatis permissa est talis communicatio, sed maior necessitas, quam carentia Vicarij in eius Ecclesia excogitari nequit, est enim tunc temporis sine Capite 22. distinct. cap. Omnes 2. quæst. 6. cap. Ad Romanam. Nec plura de Electione.

CAPVT III.

An Patronus excommunicatus priuatus sit Iure præsentandi ad beneficium Ecclesiasticum, & si præsentet, an præsentatio irrita habeatur.

PLures difficultates includuntur in hac quæstione. Prima est, quæ non habet difficultatem; An liceat excommunicato præsentare ad beneficium Ecclesiasticum; Nam certum est in tali actione peccare excommunicatum ob rationem illam generalem communem omni actui, qui fit ab excommunicato communicando cum alijs; omnis enim communicatio interdicta est excommunicato, præsertim Ecclesiastica ex cap. penult. de sent. excom. Sed præsentatio ad beneficium non potest fieri sine magna communicatione, & est Ecclesiastica communicatio; ergo non permittitur excommunicato.

Si quæratur; An excommunicatus acquirere possit ius patronatus, fundando, & dotando Ecclesiam, similiter an excommunicatus possit transferre ius patronatus in alium, & communior sententia est Episcopum non debere admittere, vt excommunicatus ex constructione, & dotatione Ecclesiæ acquirat ius patronatus, si tamen admiserit, acquiri hoc ius ab excommunicato, sed eo vti non posse ante absolutionem, Io. Andr. Abb. & alij in capit. Nobis de iur. patronat. Rocchus Curt. in Tractat. de iur. patronat. V. Competens quæst. 8. num. 20. Selua in Tractat. de benef. par. 3. quæst. 4. nu. 17. Gemin. in cap. vni. §. fin. de iur. patron. lib. 6. ex sententia Specul. tenet excommunicatum non amittere ius patronatus, si incidat in excommunicationem, sed illud retinere, & si vendat Villam, aut Castrum transferre tale ius in emptorem, cui licebit statim vti facultate præsentandi, quamuis id non competat venditori excommunicato, vt sentit Rota in antiq. decis. quæ incipit Patronus excommunicatus in tit. de iure patron.

Sunt nonnulli Doctores in ead. decis. citati, & in Antiquioribus decis. decis. 2. eod. tit. qui voluerunt Patronum laicum excommunicatum posse præsentare ob eam rationem, quoniam in his, quæ sunt facti etiam in rebus spiritualibus tenent gesta per excommunicatum, vt affirmat Abbas, & dicit rem esse certam in cap. Veritatis nu. 42. de dolo, & contum. vt est immittere prouisum, vel electum confirmatum in possessionem corporalem, quia inde nullum ius transfertur, licet enim euitari debeant excommunicati, gesta tamen illorum maxime occurrente necessitate, tenent, & est casus in cap. Pro illorum de præben. & ibi notant Innocent. & alij, sed præsentare est quid facti; ergo non denegatur excommunicato, sed oppositum est probabilius. Probatur, excommunicatus non potest eligere, ergo non potest præsentare, Antecedens probant Doctores in dicto capitul. Veritatis, præsertim Abb. in fin. Consequentiam confirmat Lapus Alleg. octaua; Præsentatio enim est quædam electio, cap. Quærebam De Elect. lib. 6. & ibi Io. Andr. Vbi textus loquens de electione trahitur ad præsentationem; Neq. verum est, præsentationem esse quid facti; Nam actus præsentandi dicitur quid facti, præsentatio est Iuris, quia dicitur Ius annexum spiritualitati, idest institutioni, vt declarat Abb. in cap. Quanto De Iudi.

Altera difficultas est maior, de qua non leuis controuersia est apud Doctores, An talis præsentatio sit valida, nempè si præsentatus fuerit Clericus ad beneficium Ecclesiasticum ab excommunicato Patrono & Præsentatus fuerit institutus ab Ordinario an talis institutio sit valida, & ex consequenti collatio beneficij teneat.

Qua in re sunt tres modi respondendi; Duo omnino oppositi, tertius medius.

Primus est aliquorum, qui existimant talem præsentationem esse validam; Fundamentum quia nullũ extat Ius peculiare, quo talis præsentatio declaretur irrita, Denegatur excommunicato, nè licitè valeat præsentare ad beneficium ecclesiasticum, sed inde non sequitur necessariò, ergo si tentauerit præsentare, præsentatio erit nulla, Multa enim prohibentur excommunicato, quæ tamen facta tenent, vt patet de Matrimonio, & de alijs contractibus, ergo idem de Præsentatione dici potest.

Confirmatur, nam, quod talis Præsentatio valeat, non cedit commodo ipsius excommunicati, quoniam etiamsi inualida esset, adhuc non amitteret Ius præsentandi, vt ei non liceret postquam esset absolutus, præsentare eandem, vel diuersam personam currente tempore præscripto à sacris Canonibus; Quare validitas talis præsentationis prodest ipsi Præsentato, neq. repugnat dignitati Ecclesiasticæ, nam per præsentationem non confertur Ius aliquod spirituale ad beneficium, sed per Institutionem, & confirmationem, quã facit Episcopus, illa nanq. est vera collatio ad beneficium.

Accedit, quod si Præsentatio facta à Patrono excommunicato non valeret, non leue damnum, & incommodum pateretur beneficium, & Ecclesia, quia inde sequeretur, vt Ecclesia diũ maneret orbata Pastore, & Rectore, & longius protraheretur collatio beneficij, quod Iura detestantur; Id autem manifestè prouenit ex contraria sententia, si enim excommunicatus non potest valide præsentare, neq. tamen propter excommunicationem amittit Ius præsentandi, igitur expectanda erit absolutio, vt possit vti Iure suo, præsentando, & interim Ecclesia manebit sine Rectore, quia beneficium Iuris Patronatus conferri non potest sine legitima præsentatione, cap. Decernimus 16. quæst. 7. Ad euitandum igitur hoc non leue præiudicium dicendum est talem præsentationem esse validam.

Hoc idem probari potest ex differentia, quæ intercedit hac in re inter Collationem, seu Electionem ex vna parte, & Præsentationem ex altera; Nam vbi Conferens beneficium, aut Eligens propter excommunicationem, validam collationem, aut electionem facere non potest, tunc statim collatio, seu electio deuoluitur ad Superiorem, vel ad alios Coelectores, vt habetur in cap. vni. Ne Sede vacan. lib. 6. Sed Ius præsentandi, excommunicato Patrono, non deuoluitur ad alium, quod argumentum esse potest, vt credamus talem Præsentationem Iure non inualidari, alias prouisio beneficij suspensa remaneret.

Tandem

Tandem ad idem persuadendum facit, quod licet excōmunicatus repellatur ab agendo c. Intelleximus de Iudi. potest tamen multos actus gerere, licet enim ei petere se mitti in possessionem ex primo decreto c. Cum inter de Except. potest se obligare ex contractu, vt per Host. in Summa de pœnit. & remiss. §. Quibus & qualiter, & potest exercere actus extraiudiciales, Innocent. in cap. Dilecti de maio. & obed. Io. Andr. in cap. Quia de except. lib. 6. in Nouel. Præsentare vero est actus extraiudicialis.

Secunda opinio opposita negat simpliciter talem præsentationem esse validam. Huius sententiæ videtur Abb. in cap. Nobis num. 3. de iure patron. vbi docet excommunicatum non esse admittendum, vt possit acquirere ius patronatus, quod si admissus fuerit, acquirere quidem tale ius, & potestatem præsentandi, non habere tamen exercitium huius iuris, nempe quia actu præsentare non potest. Eandem sententiam sequitur Lambert. de iur patron. ter. par. lib. 2. quæst. 9. art. 4. cui adhæret Couar. in cap. Alma mater 1. par. §. 7. nu. 9.

Fundamentum huius sententiæ est, quoniam vt supra dicebam, præsentatio in iure est quædam electio, & hæc duo inuicem æquiparantur; Patronus enim eligit illum, quem præsentat, similiter electores, quando ipsis non conuenit ius conferendi beneficium, nihil aliud faciunt, quam præsentare Superiori eum, quem elegerunt; Et sicut, si eligatur excommunicatus, electio est nulla, idem quoque verum est de præsentatione, vt probabo in sequenti Disputatione; Ergo pari ratione, sicut electio facta ab excommunicato non tenet, ita quoque non erit valida præsentatio; nam quamuis, proprie sumendo electionem, & præsentationem, differant inter se, vt notauit Abb. in cap. Nobis num. 4. de iur. patron. quia per electionem acquiritur ius electo, cap. Cum inter Canonicos de elect. Glos. in capit. Quanto 63. distinct. vbi ait, Per electionem acquiri ius Prælaturæ, & ius administrandi, & per confirmationem acquiritur exercitium Prælaturæ, & administrationis, sed per præsentationem non acquiritur ius præsentato arg. cap. Quod autem de iure patron. Et idcirco Superior non dicitur confirmare præsentatum, sed instituere; nam proprie electus confirmatur, idest simul firmatur, quia per electionem fuit translatum ius, sed præsentatus non confirmatur, quia per præsentationem nullum fuit ius translatum, sed per institutionem transfertur plenum ius; vnde instituere est ius in beneficio in alium transferre, capit. Auctoritate de institu. cap. Cum illis de præb. lib. 6. & cap. 1. & 2. de institu. eod. lib. Tamen in ordine ad beneficium Ecclesiasticum electio, & præsentatio eandem videntur rationem assumere; Vtraq. enim est quædam inchoatio, seu præparatio, & dispositio ad beneficium, quare sicut electio facta ab excommunicato est irrita, idem quoque videtur dicendum de præsentatione.

Confirmatur eadem ratio ex cap. Si celebrat de Cleri. excommunic. Mini. vbi declaratur inhabilis, vt possit eligi, obstrictus vinculo minoris excommunicationis ob eam rationem, quia priuatus est vsu Sacramentorum, ad quem ordinatur electio, vnde colligunt Doctores idem asserendum esse de præsentato, vt animaduertit Rocchus Curt. in tract. de iur. patr. Ver. Honorificum quæst. 4. numer. 19. ergo similiter præsentatio, sicut electio non valebit, quia vtraque ordinatur ad Collationem beneficij, quæ ab excommunicato facta inualida est.

A Tertia sententia media est aliorum, qui respondent cum distinctione, vel sermo est de præsentatione ad beneficium facta à Patrono laico excommunicato, vel à Clerico, si de priori, validam esse dicunt talem præsentationem, & in hac parte concordant cum prima opinione; Si vero tractemus de præsentatione facta à Patrono Clerico excommunicato, negant huiusmodi præsentationem valere, atque ex hac parte conueniunt cum secunda opinione.

Hanc distinctionem ad quæstionem propositam dissoluendam excogitauit Rota in Antiquioribus dec. 2. Cuius initium est Patronus excommunicatus in tit. de iur. patron. vt refert Rocchus Curt. in dicto Tract. Ver. Competens q. 8. n. 21. Et ita etiam narrat Ludo- B uicus Gome. in Tract. de Expectatiu. nu. 60. fuisse decisum in vna Zamoren. ipso præsente.

Rationem diuersitatis inter Patronum Clericum, & laicum assignant, quia Patronus laicus nihil iuris confert ad beneficium, sed ex quadam gratia, & benignitate permittitur ei, vt possit nominare personā; quæ sit instituenda ab Episcopo cap. Quoniam de iur. patr. Idcirco concessum est Patrono laico, vt possit variare, quoniam talis actus est mere facti, & totalis dispositio ad beneficium depēdet ab institutione Episcopi tanquam sola ius in beneficio tribuens, est considetanda, potius quam præsentatio Patroni excommunicati, sed præsentatio Patroni Clerici habet vim electionis, cap. Cum autem de iur. patr. cum annota- C tis ibi ab Innoc. Abb. & alijs, ideo ex tali præsentatione transfertur ius in præsentatum, quare Episcopus non confert totale ius in beneficio. Quamobrem cum talis præsentatio habeat vim, & efficaciam partim à persona inhabili, scilicet Patrono Clerico excōmunicato, partim ab institutione Episcopi, & sit actus indiuiduus ex cōsequenti secundum vtramque rationem infectus remanet. Accedit, quod hoc ius præsentandi semper Clerico competit ratione alicuius beneficij, vel dignitatis Ecclesiasticæ, sed ab illis suspensus est excommunicatus, propterea non potest actum illum valide exercere.

Hanc tamen distinctionem inter Patronum Clericum, & laicum non approbat Couar. cit. §. 7. nu. 9. D asserens nullam discriminis rationem inter vtrumque agnoscere, & propterea existimat institutionem factam ab Episcopo ad præsentationem Patroni siue laici, siue Clerici excommunicati nullam esse.

Ex his tribus opinionibus hæc tertia est communior, & probabilior, præsertim quantum ad id, quod asserit de validitate præsentationis factæ à Clerico Patrono, sed quantum ad aliam partem non est adeo certa, quia non caret difficultate, quod asserunt præsentationem factam à Patrono laico excommunicato tenere, & esse validam, contra illam enim facit cap. Decernimus 16. q. 7. vbi facultas conceditur Patronis, vt possint præsentare Episcopo, idoneos Rectores, & si Episcopus illos non instituerit, sed alios ordi- E nauerit, declaratur irrita ordinatio Episcopi, & alij, quos Patroni voluerint, substituuntur, quare præsentatio non est tantum expressio voluntatis Patroni, quam etiam excommunicatus facere potest, sed est determinatio certæ personæ, cui necessario ab Episcopo facienda est institutio, nec repudiari vllo modo potest si non reperiatur indigna, sed excommunicatus non potest hoc modo determinare personam ad rem spiritualem; qualis est beneficium Ecclesiasticum, est enim quædam species electionis, vt dicebam in confirmationem secundæ sententiæ quæ

denegatur excommunicato, neque etiam dici potest talem præsentationem censeri validam, quia cum sit ius Patronatus laicorum, quod acquiritur ex fundatione, & dotatione, & idcirco fundamentum huins iuris sit Patrimoninm ipsorum laicorum posse excommunicatum sicut valide retinet administrationem sui patrimonij, ita quoque valide præsentare ad beneficium; Nam falsum est concessum esse excommunicato, posse exercere ius administrandi suum Patrimonium in ijs, in quibus requiritur communicatio fidelium, quæ per excommunicationem prohibetur, talis est actus præsentandi. Propter has rationes redditur dicta sententia in hac parte dubia, & controuersa; quare putarem ad dubitationem hoc modo responderi posse; nempe vt dicamus præsentationem factam à Patrono laico excommunicato esse nullam, & inualidam, sed Episcopum illam admittere posse, & talem præsentatum instituere, & institutio erit efficax, & tribuet ipsi præsentato ius in beneficio.

Sed dices, si talis præsentatio est inualida, ergo Episcopus non poterit illam conualidare.

Respondeo, negando consequentiam; nam licet sit inualida quoad efficaciam, quia non habet vim determinandi certam, & designatam personam, quam instituere cogatur Episcopus, non enim compellitur Episcopus instituere præsentatum à tali Patrono excommunicato, potest tamen Episcopus, si voluerit, talem defectum snpplere, & præsentatum instituere, quoniam talis inualiditas non respicit aliquod ius pertinens ad Collationem beneficij, quod non potest conferre Patronus laicus, vt dicebam, quidquid iuris est in beneficio, prouenit ex institutione Episcopi. Aliud esset, si actus præsentandi esset nullus defectu iuris necessarij ad obtinendum beneficium, vtique illud nec excommunicatus posset conferre, nec Episcopus snpplere.

Quæret aliquis; An præsentatio facta à Patrono laico excommunicato sit inualida, etiam si excommunicatio sit occulta & non publice denunciata.

Respondeo in primis excommunicato, siue occulto, siue publico non licere sine culpa præsentare ob eam rationem toties repetitam, quoniam Extrauag. Ad euitanda nullum maius priuilegium tribuit excommunicato, quod iure antiquo illi non competeret. Si vero loquamur de Episcopo instituente, dicendum est, non esse reum culpæ Episcopum instituentem præsentatum à Patrono excommunicato occulto, quoniam post dictam Extrauagantem non tenetur huiusmodi excommunicatum euitare, quod si sit denunciatus, peccat Episcopus, si instituat, quoniam id fieri non potest sine communicatione, & talis communicatio interdicta est cum huiusmodi excommunicato, quod si tractetur de validitate præsentationis; certum est iuxta dicta inualidam esse præsentationem factam à Patrono laico denũciato excommunicato modo explicato scilicet quia Episcopus non compellitur instituere talem præsentatum, quamuis, si velit cedere iuri suo, & instituere illum, talis institutio sit valida, & conferat ius in beneficio ipsi præsentato, atque ad hunc modum interpretanda est decisio Rotę citata, peccat tamen Episcopus, & male facit, illum instituendo, similiter si sit excommunicatus occultus non vitandus non cogitur Episcopus instituere præsentatum, quia Extrauag. Ad euitanda, quod frequenter necesse est repetere, facit quidem potestatem alijs communicandi cum huiusmodi excommunicatis, neminem tamen ad hoc obligat; ergo

A Episcopus non tenetur admittere pręsentatum ab excommunicato occulto, quia præsentatio, & institutio fieri non potest sine aliqua communicatione.

Iterum quæret aliquis, quæ sit ratio huius discriminis inter Patronum Clericum, & laicum, vt institutio Episcopi facta ad præsentationem Patroni laici excõmunicati sit valida, & conferat ius ipsi Præsentato, si vero institutio fiat ad præsentationem Clerici excommunicati non valeat.

Respondeo hanc differentiam maxime oriri ex illa diuersitate, quę intercedit inter Patronum Clericum, & laicum supra explicatam, quoniam Præsentatio Patroni Clerici confert ius ipsi Præsentato, sicut electio, cap. Cum autem de Iu. Patro. distinctum à Iure, quod
B habetur per institutionem Episcopi, ex defectu igitur talis iuris propter excõmunicationem, actus est nullus, nec potest conualidari ab Episcopo, quia vtramq. causam requirit, secus est in Patrono laico, vt dictum est.

Sed suboritur quæstio, an Patrono Clerico, seu laico excommuuicato currat tempus à iure pręscriptum ad pręsentandum.

Rocchus Curtius in dicto tract. de iur. Patro. Ver. Competens q. 8. num. 22. refert Rotam in Antiq. in dicta decis. 2. in fi. Tit. de iur. Patro. sub dubio respondisse ad hanc dubitationem, nempe qnod si excommunicatus tẽtauit præsentare, & Episcopus prætextu excommunicationis illum repulit, & noluit ad-
C mittere, præsentationem, fortasse in tali casu non currere illi tempus ad præsentandum arg. cap. Quia diuersitatem de concess. præb. Vbi habetur non currere suspenso tempus præscriptum ad eligendum, aut conferendum, quamuis fuerit suspensus ex culpa sua. vbi Glos. Ver. Suspensus notat, quod illi, qui etiam culpa sua inciderit in excommunicationem, vel suspensionem, non imputatur id, quod ex illa culpa processerit, cap. Si concupiscentia cap. Inebriauerunt 15. quæst. 1.

Cuius dicti assignat tationem Abb. in eodem text. numer. 11. & 13. quia impedimentum, quo suspensus detinetur, ne possit conferre, aut eligere, non oritur immediatè ex culpa, sed ex suspensione, quæ non est
D culpa, sed pœna culpæ; Idcirco non debet ei imputari, qnod sequitur ex tali pœna, vt euidenter habetur in dicto capit. Quia diuersitatem, semper enim est inspicienda causa immediata, non mediata cap. vni. de Custo. Eucha. capit. Sicut de testi. c. de Occidendis 23. quæst. quinta, & ibi Glo. cap. de Cætero de Homic. Et huius rationis fundamentum illud est, quoniam ob vnicum delictum non debet quis bis puniri, si propter aliquod crimen fuit quis suspensus, & ex suspensione sequatur aliud malum, & incommodum non videtur rationi conueniens, vt illud damnũ possit obesse ipsi suspenso.

Sed quid dicendum secundum hanc opinionem si suspensus, aut excommunicatus esset negligens, &
E morosus in petenda absolutione, an tunc tempus illi curreret.

Respondet Antonius Butrius in dicto cap. Quia diuersitatem circa fin. supposita negligentia & mora excommunicati, & suspensi in petenda absolutione currere illi tempus, quia impedimentum eo casu oritur directe, & immediate ex culpa non petendi absolutionem, idem ait Glos. ibi Ver. Suspensionis arg. capit. Si autem de Rescript. l. qui potest. ff. de regul. iur. l. non omnes §. Qui captus ff. de re Militari.

Hæ

Hæc responsio Rotæ ad propositam difficultatem confirmari potest ex aliis iuribus relatis à Glos. in cap. vlt. Ver. Currit de Elect. in quibus definitum est non currere tempus illis, qui agere non possunt, scilicet Tit. ne sede vacante per totum cap. Placuit de Præscript. & capit. de Quarta, & tempore schismatis non currit tempus cap. Cum nobis olim, de Præscript. Hoc idem de excommunicato dici potest, quod illi non imputatur, si non possit conferre beneficium, nec interim ei currere tempus datum à iure ad beneficii collationem, notant præter Doctor. in dicto cap. Quia diuersitatem de concess. præben. Felin. in capit. 1. de præscript. Iason in §. Rursus num. 26. de Actio. & ibi Lud. Gomez. num. 15. Balbus de præscript. 1. par. sextæ part. princ. cas. 22. Dec. in cap. 1. de Iudi. lect. 2. Vers. Nono nota, Couarr. in Clemen. Si furiosus initio tertia parte numero quarto Vers. Ad hæc præterea facit.

Sed contra hanc doctrinam multa opponi possunt.

Primò enim contra illam videtur expressus tex. in cap. vlt. de Elect. Vbi habetur currere tempus à Canone statutum ei, cui interdictum est, ne sine licentia Superioris eligere præsumat, si currit tempus, quando quis est in mora non petendi licentiam, quod contingere potest aliquando sine vlla culpa, sed ex iusto impedimento, quanto magis æquum erit, vt currat excommunicato, qui propter culpam necessariò fuit excõmunicatus, & ex consequenti priuatus potestate eligendi, vel præsentandi.

Confirmatur illi, qui infirma valetudine detinetur, vt non possit agere, si per alium non transmiserit actionem mouendam, tempus currit l. 1. §. Planè ff. de diuer. & tem. præscr. Similiter ei, cui iusta de causa non licet appellare, currit tempus appellationis, nisi hic coram publicis personis fuerit protestatus, cap. Si iustus metus de Appellat. & cap. Pastoralis de off. ordi.

Secundò nulla afferri potest probabilis ratio, cur excommunicato non debeat currere tempus, quamuis enim prohibitus sit præsentare propter excommunicationem, tamen huius impedimenti causa est ipsius culpa, & peccatum commissum, propter quod fuit excommunicatus; quare quamuis durante excommunicatione prohibitus sit, ne præsentare valeat, ab ipso iure, & idcirco impedimentum sit inuoluntarium, & ob hanc rationem aliquis putare possit æquum non esse contra talem excommunicatum præscribi posse, tamen quoniam istud impedimentum prouenit ex causa voluntaria, quæ est culpa, ideo videtur non posse excusari propter impedimentum, sic enim culpa illi prodesset; & quod currat tempus præscriptum ad præsentandum ipsi excommunicato, quamuis habeat impedimentum necessarium inductum à lege, non est in pœnam excommunicationis, sed peccati, propter quod lata est excommunicatio, sicut dicitur de ebrio in cap. Inebriauerunt & in cap. Sane 15. quæst. 1. non esse omnino liberum à culpa, & pœna, si delictum committat, quia saltem ex ebrietate vitium contraxit, culpamque commisit, non enim melior debet esse conditio eorum, qui delinquunt, quam aliorum, l. 3. §. 1. ff. de donation. inter vir. & vxor cap. Ad hæc vers. Nos &c. de Postul. Prælat. Glos. in cap. Contingit. V. Melioris de dolo, & contum.

Sed hæc dissolui possunt ad cap. fin. de Elect. respondet ibi Glos. Ver. Currit, dicens ibi Sum. Pontificem statuisse Electoribus impedimentis currere tempus,

A quia poterant impedimentum tollere, petendo licentiam à Superiore eligendi; Quare, si sunt in mora, & negligunt ius suum, deuoluitur electio ad Superiorem. Huiusmodi enim negligentia digna est pœna l. veluti in princ. ff. de eden. Nec stultis solet succurri, sed errantibus, l. regula §. Siquis ius in fin. ff. de iu. & fac. ignor.

Diuersa tamen ratio est in casu nostro de excommunicato, qui non est in mora præsentandi, sed prohibitus est ab ipsa lege, ne possit præsentare; Quare impedimentum non oritur ex culpa ipsius, vt non præsentet, sed ex dispositione legis, quamuis propter culpam fuerit excommunicatus; meritò videtur satis æquum, vt non currat illi tempus ad præsentandum,
B Glo. in cap. Cum non liceat Ver. Non obstante de Præscript. recenset casus, in quibus non habet locum Præscriptio, Abb. in cap. 1. de Præscrip. notat excommunicato non currere præscriptionem; Hinc sequitur (vt dicebam) quod si excommunicatus sit in mora petendi absolutionem, & negligat, tunc asserendum esse currere illi tempus ad præsentandum, quia in eo casu impedimentum non nascitur ab ipso Iure, sed ex culpa ipsius, & hoc modo intelligendum est dictum cap. fin. de Elect. vt animaduertit Dec. in dicto cap. 1. Lect. 2. Vers. Octauo nota de Iudi.

Sic etiam responderi potest cum quærunt Doctores, An iura & res excommunicati præscribi possint; Nã vtraq. pars ob diuersas rationes affirmari potest
C nẽpe contra excommunicatum non currere præscriptionem ex cap. Quia diuersitatem de concess. præben. & ob rationem Glo. in reg. Imputari de reg. Iur. lib. 6. Abb. in cap. Placuit nu. 8. de præscript. & reddit vllam rationem, quia impedimentum agendi non oritur immediate ex culpa excommunicati sed ex pœna excõmunicationis, idẽ Abb. in cap. Ad aures nu. 4. de Sim. Siluest. Ver. Præscriptio 2. §. 19. Simul etiam negari non debet, contra excommunicatum præscriptionem currere vt probat Felin. in cap. Ex transmissa num. 3. de Præscript. quando absolutionem petere potuit, & non curauit, quia non dicitur impeditus qui facile impedimentum tollere potuit.

Eadem ratione dissoluuntur obiectiones propositæ
D de eo, qui cessat ab agendo, vel appellando, in his enim casibus locum habet Præscriptio, quia adest mora, quæ semper nocet, vt inquit citata Glo. in dicto cap. fin. Ver. Currit de Elect. & hæc dicta sint satis de Præsentatione ad beneficium facta à Patrono excommunicato.

Eadem aptari possunt suo modo ad alios actus, quibus competit eadem ratio, & vis ab ipso iure, quãuis alijs nominibus significentur, vt est Postulatio Prælati, & nominatio, de quibus in tit. de Postula. Præla. quæ sunt inualidæ, si fiant ab excommunicato, & Superior non tenetur illas admittere, posset tamen, si vellet admittere, & teneret admissio, quod est intelligendum in Postulatione solemni, Duplex
E enim est Postulatio, vt inquit Abb. in cap. 1. numero 34. de Postu. Præla. Alia solemnis, quando postulatur ab eo, qui potest super omni impedimento Postulati dispensare, alia non solemnis, quando postulatur ab eo, qui non potest dispensare super impedimento, requiritur tamen consensus eius, in Postulatione igitur solemni quando Episcopus, vel alius habet facultatem dispensandi super impedimento Postulati, si Postulatio fiat ab excommunicato, quamuis sit inualida, tamen si Episcopus velit illam admittere, & confirmare, tenet confir-

matio ob eandem rationem, qua idem asserimus de institutione Episcopi quoad Præsentatum à Patrono laico excommunicato, quia Postulantes nullum tribuunt Ius spirituale ipsi Postulato ad dignitatem, sicut nec Patronus ei, quem præsentat, sed tantum nominant personam postulatam, & electam, qua potestate sunt priuati per excommunicationem, vt in cap. Cum dilectus de consuetud. cap. Cum inter R. de elect. Abb. ex sententia Innocentij inter alios casus, in quibus eligentes sunt priuati potestate eligendi, enumerat hunc, si Eligentes, aut Postulantes sunt excommunicati, vel suspensi in cap. Gratum nu. 14. de Postul. Prælat. Verum si Episcopus admittat postulationem, talis admissio habet effectum Electionis, & Confirmationis, vt Abb. ibi notat num. 13. Idem asserendum est de Institutione facta ab Episcopo excõmunicato, quæ non tenet, sicut probatum est de Collatione beneficij; nam institutio est quædam Collatio facta personæ nominatæ, seu præsentatæ, Abb. cap. Ex frequentibus de Instit. Quare sicut collatio facta ab excommunicato non valet, vt probaui in primo Cap. huius Disputationis, ita quoque irrita erit institutio.

Sed in hoc loco dubitari potest de duobus. Primo de immissione in possessionem beneficij; an si hæc immissio fiat ab executore excommunicato, sit inualida, an potius teneat. Secundo de resignatione beneficij Ecclesiastici; an excommunicatus possit valide resignare beneficium in fauorem tertij.

Quantum attinet ad primam dubitationem. Respondendum est cum distinctione, quæ desumitur ex eis, quæ hactenus diximus, si loquamur de mero executore, qui nulla vtatur iurisdictione ad immittẽdum prouisum in possessionem beneficij, neque vllum conferat Ius prouiso, & talis immissio est valida, vt expresse asserit Abb. in cap. Veritatis nu. 42. de dolo, & contum. Et ratio est, quia ponere prouisum, vel electum, & confirmatum in possessionem corporalem beneficij est quid facti, & inde nullum ius transfertur; In his autem, quæ sunt facti, tenent gesta per excommunicatum, & in terminis de immissione in possessionem beneficij habetur in cap. Pro illorum in fin. de præben. Vbi Summus Pontifex mandat, vt non absoluantur Canonici cuiusdam Ecclesiæ, qui innodati fuerant vinculo excommunicationis ab Episcopo, quoniam recusabant recipere in Canonicum, quendam prouisum à Papa, vbi Glo. in V. in Canonicum notat, excommunicatos posse recipere aliquem in Canonicum, & valere talem receptionem, quia tenent, quæ faciunt excommunicati in eorum præiudicium, & aliorum commodum, cap. Cum inter de except. & Abb. in dicto cap. Pro illorum de præben. nu. 16. reddit rationem, propter quam summus Pont. mandat, vt illi Canonici excommunicati, antequam absoluantur, debeant admittere Prouisum ad ius Canoniæ, & talis admissio sit valida, & ratio est, quoniam prouisus obtinuerat inuestituram ab Archiepiscopo, ad quem directus fuerat à Papa, & consequutus fuerat omne ius ab eo, remanebat solum nuda receptio facti, quæ per excommunicatos in ipsorum odium fieri poterat, & idem sentit Innoc. in cap. eam te de Rescrip. quia Canonici recipientes aliquem in Canonicum non exercent actum aliquem iurisdictionis, sed tribuunt alteri quod suum est, cum acceperit integrum ius ab eo, qui poterat illud conferre, quare Canonici excõmunicati non solum valide, sed etiam licite & sine peccato poterant illum admittere, præsertim supposita necessitate, vt in dicto casu cap. Pro illorum vt inquit Abb. in cit. cap. Veritatis nu. 42. de dolo, & contum. Quia excommunicatus non prohibetur soluere debitum, & dare alteri, quod suum est; neque alter prohibetur rem suam ab excommunicato petere.

Quod si sermo sit de executore mixto, non mero, qui debet exercere actũ aliquem iurisdictionis; vt immittat in possessionem, vt cum Iudex Ecclesiasticus vtitur potestate sui officij ad immittendum aliquem in possessionem talis executor si sit excommunicatus, & peccat exercendo hunc actum, & actus est irritus. Ratio est, quia vsus iurisdictionis per excommunicationem manet suspensus, vt sæpe dictum est, & probat Abb. in illo cap. Veritatis nu. 45. de dolo, & contum. & in specie de executore beneficij idem asserit Abb. in capit. Fraternitatis nu. 9. de testi.

Ad secundam dubitationem de Resignante beneficium, dicendum est excommunicatum priuatum esse facultate resignandi beneficium, ac si resignare tentet, Resignationem esse irritam. Fundamentum est, quia resignatio non est quid facti, sed per illam transfertur à Resignante Ius, quod habet in beneficio in alium, hoc autem interdictum est excommunicato, ita sentit Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 7. numero nono, Vers. Quid autem respondendum sit, dicens Collationem beneficij factam ab aliquo vt priuato non ratione publici officij esse nullam, si ille sit excommunicatus etiam occultus, sed quando quis resignat beneficium, quod ipse possidet, alteri, tunc vere confert vt priuata persona, licèt requiratur, vt Papa admittat resignationem, hoc enim discrimen est inter ea, quæ fiunt ratione publici officij, & illa, quæ geruntur tanquam à priuata persona, quod gesta ab excommunicato ratione publici officij tenent, quandiu excommunicatus est toleratus ab Ecclesia, vt Abb. in dicto capitulo Veritatis de Dolo, & contum. Si verò sunt gesta tanquam à priuata persona non sunt valida, siue excommunicatus sit publicus, siue occultus, vt inquit Couar.

Confirmatur, excommunicatus est priuatus fructibus beneficij, vt ostendam in sequenti Disputatione, ergo multò magis erit priuatus potestate donandi illud alteri.

Obijciet contra aliquis, Resignans non tribuit Ius aliquod Resignatario ad beneficium, sed simpliciter resignat in manibus Prælati, à quo confertur beneficium, quare nihil obstar, quo minus supposita resignatione facta ab excommunicato valida censeri debeat collatio beneficij ab Episcopo alteri facta, cum id non cedat commodo, & vtilitati excommunicati, sed ipsius Prouisi.

Respondeo, si tractetur de Resignatione beneficij simpliciter, & liberè facta in manibus Prælati, non de illa, quæ fit in fauorem certæ personæ, vtique argumentum videtur habere vim, & concludere, Nam si hoc modo resignetur beneficium ab excommunicato, resignatio erit firma, & valida, quia talis actus est quid facti, & excommunicatus non est prohibitus agere, quæ sunt facti, & per talem actum excommunicatus non confert aliquod Ius in alterum, nec directè, nec indirectè, sed tantum abdicat à se ius, quod habet in beneficio, quod est permissum, vt enim ostendam in sequenti Disputatione, licèt excommunicatus non possit acquirere beneficium, potest tamen illud dimittere, quo dimisso si Episcopus illud alteri confert, collatio est valida. Verum quando dicimus resignationẽ beneficij factã ab excommunicato

esse

esse inualidam, loquimur de resignatione facta in fauorem tertiæ personæ, tunc enim resignans non abdicat à se simpliciter Ius, quod habet in beneficio, sed transfert illud in tertiam personam, quantum pertinet ad ipsum idest consentit, vt beneficium conferatur ab ordinario illi personæ per ipsum nominatæ, & ordinarius non potest alteri conferre, quare Resignans concurrit ad collationem beneficij, præbendo consensum, sine quo Episcopus non potest conferre. Ad hunc modum absoluamus hoc tertium Caput, & concludamus hanc disputationem.

DE OCTAVO EFFECTV EXCOMMVNICATIONIS.

INTER alia damna, & incommoda, quæ ab ipsa excommunicatione emergunt, illud annumeratur, quod inter exteriora mala non infimum tenet locum, & est, quod per Excommunicationem redditur excommunicatus incapax, & inhabilis ad beneficium Ecclesiasticum obtinendum, & ad percipiendum fructus illius, si beneficium ante excommunicationem acquisierit. Postquam igitur superiori Disputatione tractatum est de Collatore beneficij, quandiu vinculo excommunicationis est obstrictus, modò sequitur in hac Disputatione, vt de Recipiente beneficium dicamus.

DISPVTATIO SEXTA

De Incapacitate ad obtinendum beneficium Ecclesiasticum, & percipiendum fructus illius.

Caput Primum. An excommunicatio reddat hominem incapacem ad Beneficium, & dignitatem Ecclesiasticam.

Caput Secundum. An Collatio beneficij facta excommunicato sit ipso Iure nulla.

Caput Tertium. An Electio, Postulatio, Præsentatio, vel Nominatio, aut quæcunque prouisio excommunicati ad beneficium sit ipso Iure nulla.

Caput Quartum. An Pensio super beneficio Ecclesiastico excommunicato collata sit ipso Iure nulla.

Caput Quintum. An si Collatio beneficij, Electio, seu quæuis alia Prouisio legitimè facta sit ante excommunicationem, possit prouisus vinculo excommunicationis postea obstrictus validè acceptare beneficium ei collatum.

Caput Sextum. An Collatio beneficij facta ei, qui reputatur communiter excommunicatus; qui reuera non sit, vel est iniustè excommunicatus, valida sit.

Caput Septimum. An Collatio beneficij infecta ratione excommunicationis conualidari possit, & quomodo.

Caput Octauum. An excommunicatus sit priuatus fructibus, suorum beneficiorum in vtroque foro, quamdiu est excommunicatus, & non petit absolutionem.

Caput Nonum. In quo dissoluuntur dubia occurrentia circa eandem amissionem fructuum ecclesiasticorum.

CAPVT I.

An Excommunicatio reddat hominem incapacem ad beneficium, & dignitatem Ecclesiasticam.

IN hac quæstione duæ includuntur difficultates. Prima est, An per excommunicationem Beneficiarius priuatus sit beneficio, quod ante excommunicationem legitimè possidebat, Secunda est, An Collatio beneficii facta excommunicato sit ipso Iure nulla, de qua dicemus in sequenti capite.

Quantum attinet ad primam difficultatem, duo quæri possunt. Primum est, An excommunicatus eo ipso, quod incidit in excommunicationem, sit priuatus beneficio, quod ante excommunicationem obtinebat, Secundum est, An saltem priuari possit per sententiam Superioris.

De primo dubio nulla est disceptatio apud Doctores, omnes enim affirmant excommunicatum non esse priuatum ipso iure beneficio, quod ante excommunicationem possidebat. Probatur, quoniam nullo iure peculiariter hoc cauetur, immò sacri Canones priuant solum excommunicatum fructibus, & redditibus beneficij durante excommunicatione, vt videbimus in hac Disp. cap. viij. & habetur in cap. Pastoralis §. Verum de Appell. ergo supponunt non amittere ipso iure beneficium propter excommunicationem, & ita sentiunt Doctores, Innoc. in cap. Cum bonæ num. 3. De Aetat. & Quali. Archid. in cap. Cum contumacia nu. 2. De Hæret. lib. 6. Abb. in cap. 1. n. 24. De Iudi. & in cap. Contingit num. 7. De Dolo, & Contumacia, Decius in dicto cap. 1. De Iudi. Silue. V. Excommunicatio 3. §. 1. Vers. nono beneficium Ecclesiasticum in fine.

Confirmatur idem ex cap. Excommunicamus §. Qui autem De Hæret. & cap. Cum contumacia eod. tit. lib. 6. In quibus locis habetur condemnandum esse tanquam hæreticum illum, qui ob suspicionem hæresis excommunicatus fuerit, si infra annum non comparuerit ad probandum innocentiam suam, & se purgandum; quare si talis excommunicatus ob hæresis suspicionem si in sua contumacia persistat post annū, per sententiam pœnis Hæreticorum puniendus est, & ex consequenti priuandus bonis suis, & beneficijs, quæ possidebat, ergo per excommunicationem non erat ipso Iure priuatus, quare multò magis id affirmandum erit de excommunicatis ob alia crimina, quæ non sunt adeò grauia, sicut est Hæresis.

De secundo dubio, nempè an excommunicatus priuari possit beneficijs, quæ ante excommunicationem legitimè obtinebat, Respondet Innocentius in c. Bonæ num. 2. De Aeta. & Quali. Excommunicatum, si per Annum in excommunicatione insorduerit, priuandum esse per sententiam omnibus beneficijs tam acquisitis ante excommunicationem, quam post ipsam excommunicationem, & probat ex dicto c. Cum bonæ, vbi Celestinus Tertius consultus, an quidam Clerici suspensionis censura obstricti possent retinere bene-

beneficia Ecclesiastica, quæ adepti erant, Respondet non licere eis beneficia, quæ antea habebant, aut postmodum sunt consecuti, vllo modo retinere. Et quamuis illi Clerici in excommunicatione triennio permansissent, vt habetur in tex. tamen satis fuisset, si elapsus esset annus, vt ibi notat Innoc. & Io. And. & sic habetur in summa illius cap. Idem probatur ex cap. Rursus, & cap. Quicunque 11. qu. 3. In quibus conceditur annus excommunicato, vt possit se defendere, & innocentiam suam probare, quo elapso non debet amplius audiri, & potest priuari beneficijs, & ex dispositione dicti cap. Rursus dicit Glos. ibi, & Innoc. in cap. Cum bonæ corrigi rigorem illorum Canonum, quibus præcipiebatur, vt statim deponeretur Clericus, qui contemneret excommunicationem, vt habetur in cap. Si quis Presbyter 11. q. 3. Idem affirmant communiter Doctores de hac mora vnius anni in excommunicatione, asserentes propter illam excommunicatum posse priuari possessione rerum suarum, & omnibus beneficijs, & omnes confirmant banc conclusionem ex illis duobus cap. Rursus, & quicunque 11. q. 3. Quæ tamen limitantur, & coarctantur à Glo. in cap. Contingit Ver. Non potest De dolo, & contum. vt non sint intelligenda generaliter in omni casu, sicut intellexit Io. Andr. Quare illa non habent locum in causa ciuili, sed tantum in causa criminali, siue criminaliter, siuè ciuiliter agatur; quam Glosam dicunt esse notandam, & singularem, Abb. in dicto cap. Contingit num. 7. & Silue. V. Excommunicatio 3. §. 1. Vers. Beneficium ecclesiasticum in fi. Quare casus, de quo agitur in dicto cap. Contingit, vt ibi considerat Glosa, non comprehenditur sub dispositione dictorum cap. Rursus, & quicunque 11. qu. 3. quia in cap. Contingit tractatur de causa ciuili, nempè de eo, qui non admiserat Actorem in possessionem, contra quem plura sunt instituta remedia, & enumerantur, in cap. Tuæ. Vt lit. contest. & inter alia, quod si per annum steterit in excommunicatione, perdit possessionem rei, de qua agitur, quod tamen non accidit ex vi excommunicationis, vt inquit Glo. contra Io. Andr. Sed quia non admittit Actorem ad possessionem vi Constitutionis illius c. Contingit.

Verum contra banc communem opinionem Doctorum obijci potest, quoniam non videtur posse colligi ex ipso iure apertè, elapso anno excommunicatum, si in excommunicatione persistat statim spoliari posse per sententiam beneficijs, quæ antea obtinebat.

Primo quoniam cap. Rursus 11. q. 3. Vnde omnes Doctores hanc conclusionem deducunt, ne verbum quidem dicit de beneficijs, solum ait, quod si Accusatus de crimine, & legitimè citatus noluit comparere, & idcirco pro contumacia excommunicetur, si intra annum excommunicationis venerit, est audiendus super crimine, Anno præterito non amplius debet audiri, quia habetur pro conuicto, Iuris interpretatione, verba textus sunt *Si vero intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox postea penitus audiatur*, Aliud est, quod Contumax transacto anno habeatur conuictus de crimine, super quo erat accusatus, quod significant verba illius c. Aliud, quod possit à Iudice per sententiam priuari beneficijs, quod affirmant Doctores, eodem modo cap. Quicunque post dictum cap. Rursus idem disponit his verbis: *Quicunque intra anni spatium ciuiliter siue publicè causam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint ipsi sibi aditum audientiæ clausisse videantur*, Et de priuatione beneficiorum nihil dicitur.

Secundo quia iura non eodem modo, sed diuersimodè disponunt de tempore, quo expectari debeat Contumax, si velit se purgare, & probare innocētiam suam, nàm in c. Decernimus 3. q. 9. Præcipitur, Reum Post litem contestatam, si citatus non comparuerit; statim in illum, tanquam in Contumacem sententiam ferri posse, in cap. Ex tuæ de Cleri. non Resid. Innoc. Tertius decernit Clericum absentem, si nescitur, vbi sit, per edictum publicum citari debere, & non comparentem posse post sex menses priuari beneficijs, idem spatium assignatur in cap. Quoniam frequenter §. Porrò vers. Quod si forsan vt lit. non contest. In cap. Inter quatuor eodem tit. si Clericus absens non comparuerit intra tempus congruum à Prælato ei assignatum, potest priuari Ecclesia, in cap. Cum bonæ de Act. & Quali. statuit Papa Clericos quosdam suspensione obstrictos beneficijs esse priuandos, quoniā triennio suspensionem sustinuerant, in c. Qualiter de Cleri. non Resid. priuatur Ecclesia Episcopus absens postquam vltra quadriennium expectatus fuerat, in cap. Ex gestis eod. tit. Anastasius Cardinalis tituli S. Marcelli deponitur, quia Parochiam suam per quinq; annos deseruerat, ex quibus videtur inferri posse non esse certam, & indubitatam Conclusionem hanc communem Doctorum, quod excommunicatus, si per annum in excommunicatione insordescat, priuari possit elapso anno, & non antea beneficijs ecclesiasticis, Quare Glos. in cap. Rursus 11. q. 3. Ver. Rursus in fin. videns hāc iurium varietatem ait excommunicatum non haberi pro conuicto de crimine ante annum; sed solum posse priuari beneficijs ante annum.

Oritur igitur difficultas de intelligentia horum Canonum, Ad hanc difficultatem respondeo varias esse Constitutiones sacrorum Canonum de spatio temporis, quo transacto Beneficiarius possit spoliari beneficio, quia diuersæ sunt causæ, propter quas obtinēs beneficium sit dignus tali pœna, Iuxta igitur leuitatem, vel grauitatem causæ rationi consonum fuit, vt Ius indulgeret delinquenti longiorem, vel breuiorem moram ad se purgandum, antequam locus esset condemnationi, hinc Abb. in c. 1. num. 24. De Iudi. rectè annotauit aliud esse, si agatur de priuatione beneficij ob crimen, de quo tractatur in cap. Veritatis De Dolo, & Contum. Aliud, si agatur de priuatione beneficii ob non Residentiam, de qua re in cap. Quoniā §. Si verò Vt lite non contest. & c. Ex tuæ De Cler. non resid. Aliud si agatur de priuatione ob insordescentiam in excommunicatione, de qua tractatur in cap. Rursus, & cap. Quicunque 11. q. 3. Et banc causam modò discutimus, cuius explicatio, vt inquit Abb. pēdet ex intelligentia illorum cap. Rursus, & Quicunq; quæ variis modis solent explicari, vt notauit Abb. in dicto num. 24.

Specul. in tit. De Accusa. §. sequitur Ver. Porrò secundum Canones in princ. sentit excommunicatum non audiri amplius elapso anno super crimine, sed haberi conuictum, & posse priuari beneficio, Glos. citata in dicto c. Rursus, & in cap. Contingit Ver. Constituatur De Dolo, & Contum. & in dicto cap. 1. De Iudic. ex opposito dicit, elapso anno posse audiri super crimine, non autem super beneficio, & idem censet Innoc. in cap. Cum bonæ de Aeta. & Quali. & Archid. in dicto cap. Rursus, Abb. tenet in dicto num 24. in fin. & 25. Excommunicatum post annum non esse audiēdum super crimine, sed Iuris interpretatione haberi pro confesso, non tamen semper post annum priuari debere beneficio, ex quocunque crimine fuerit excommunicatus,

nicatus, quia in cap. Rursus, nullus sermo habetur de beneficio, eiusdem sententiæ est Nauar. cap. 27. nu. 23. Affert rationem Abb. sui dicti, quoniam non debet magis operari ficta confessio, quàm vera, sed si huiusmodi excommunicatus in contumacia verè confiteretur aliquod leue crimen, non esset priuandus beneficio, cap. Inuentum 16. q. 7. ergo multò minus mulctandus est hac pœna ex tacita confessione eiusdem criminis quæ præsumitur ex contumacia non comparendi, Idcirco Abb. quantum ad priuationem beneficij ex hoc capite excommunicationis, putat distinguendum esse, vel causa excommunicationis digna est priuatione beneficij, vel non est digna tali pœna, si primo modo, subdistinguendum est, vel est digna priuatione ipso iure, & tunc posita insordescentia in excommunicatione per annum excommunicatus erit priuatus ipso iure, aut est digna priuatione per sententiam Iudicis, quo casu elapso anno opus est sententia Iudicis, vt sequatur priuatio beneficij; quod si causa non est digna priuatione beneficij, quia crimen commissum sit leue, tunc temporis transacto anno excommunicatus neque erit priuatus ipso facto beneficio, neque poterit priuari per sententiam, sed erit plectendus pœna arbitraria.

Si contra obijcias posse priuari beneficio post annum ratione illius sceleris, quod committit post excommunicationem, nempè quia per annum persistit in excommunicatione.

Respondet Abb. satis esse ad puniendum hoc delictum, si habeatur pro confesso de crimine, super quo accusatus erat, non enim debet duplici pœna puniri, cap. At si Clerici in fin. De Iudi. Nec pœna ex pœna trahi debet, cap. Quia diuersitatem De Concess. Præben. Glo. in Reg. Imputari De Reg. Iu. lib. 6. Addit tamen Abb. quod si post annum, cum iam habeatur cōuictus de crimine adhuc indurato corde insordesceret in excommunicatione, quia contraheret tunc suspicionem hæresis, vt dicam infra, cum de hoc effectu disputabo, posset priuari beneficijs, & sic inquit Abb. posse intelligi c. Cum bonæ De Aet. & Quali. Vbi Papa mandat priuari beneficijs illum, qui trium annorum spatio in suspensione permanserat, quia non sufficiebat solus annus, vt communiter ibi dicunt Doctores, quod repetit etiam Abb. in cap. Postulastis n. 7. De Cleri. Excom. Mini. Et ideo benè notauit Glos. in cap. Cum contumacia Vers. Hæreticus De Hæret. lib. 6. quod in alijs criminibus, excommunicatus in contumacia post annum habetur pro conuicto, non tamen habetur tanquam hæreticus, sed si quis ob probabilem suspicionem hæresis, anathematis gladio feriatur in contumacia, quia vocatus propriam innocentiam congrua purgatione non monstrauerit, & per annum in excommunicatione persisterit, tunc velut hæreticus condemnatur, cap. Excommunicamus §. Qui autem, & ibi Glo. Ver. Condemnentur de Hæret. & bona deuoluuntur ad Fiscum, & in hoc casu est, priuatus beneficijs, non ratione excommunicationis, sed quia talis excommunicatus damnatur tanquam hæreticus, & incurrit pœnas latas contra hæreticos, & inter alias est priuatio beneficiorum. Hæc colliguntur ex Abbate in dicto cap. 1. De Iudi. quibus videtur adhærere Couar. in cap. Alma Mater prima par. §. 7. num. 10.

11. Verum neque hæc doctrina Abbatis caret omni ambiguitate; nam, vt inquit Dec. in dicto cap. 1. De Iudi. lect. 2. lit. D. Vers. Sed nunc aduertendum est, etiam si causa, pro qua aliquis fuit excommunicatus

A in contumacia, sit digna priuatione beneficii, non tamen post annum erit priuatus, vel priuandus beneficio, nisi verè constet, & probatum sit commissum fuisse delictum tale dignum priuatione beneficij, & non satis est contumacia arg. l. Si ideo ff. de Euic. quia lis non est contestata cap. penult. De Purga. Cano. Vbi ex hoc capite reuocatur sententia priuationis beneficiorum, quia lata erat in contumacia lite non contestata, & notatur in cap. Veritatis De dolo, & contum. Ad idē facit ratio Abbatis de leui crimine, quod post annum satis punitur, si Reus habetur pro confesso, & non decet, vt duplici pœna puniatur, sed hæc ratio concludit, etiamsi crimē sit graue, Accedit, quod semper erit graue crimen, si fuit causa legitima ad excom-

B muniendum. Præterea non videtur verum, quod propter excommunicationem, in qua quis perseuerauit, post annum sit priuandus beneficiis, quia hoc iure cautum non reperitur, vt notat Card. in c. Perpendimus qu. 33. De sent. excom. Nec obstat textus in c. Cum bonæ de ætat. & qual. Primò quia textus loquitur de contumacia per triennium, secundo quia erga Apostolicam Sedem fuit commissa illa contumacia. Tertiò quia ille suspensus fuit à Summo Pontifice, & ab eodem beneficijs priuatus, quare est textus in casu singulari, qui non est trahēdus generaliter ad alios casus. Quamobrem sententia Abbatis videtur nimis dura.

Ex dictis igitur iuribus, quæ inuicem videntur pu-

C gnare, & ex diuersitate opinionum, quibus Doctores nituntur illa conciliare, oritur difficultas propositæ dubitationis, vnde Pet. Rebuff. in repet. in cap. Postulastis à num. 242. vsque ad 267. Fusius prosequitur hanc materiam, & propositis quibusdam conclusionibus respondet quæstioni, & iura concordat.

Dicit igitur Primò, qui spatio etiam mille annorum perseuerat in excommunicatione lata ratione contumaciæ in causa ciuili, puta pro debito, elapso anno non intelligitur priuatus beneficio, nec est priuandus, Glos. sing. in cap. Contingit in Ver. Non potest de dolo, & contum. Roma. sing. 303. Angel. excommunicatio vlt. num. 17. facit cap. Quoniam in fin. Vt lit. non contesta. Ratio est, quia non est quis priuatus

D beneficijs, nisi in casibus iure expressis, Glo. in cap. fi. De Iur. Patro. sed hic non reperitur expressus.

Ex consuetudine tamen seruari solet, vt post annum talis excommunicatus citetur instante Procuratore Episcopi responsurus super articulis, & negocio fidei, & si non compareat, ac deinde post alium annum in eadem excommunicatione contumax persistat, est priuatus beneficiis, Henri. Boic. in cap. Excommunicamus §. Qui autem de Hære. Felin. in cap. Apostolicæ De except. vbi ait esse suspectum de Hæresi, qui ità induratus permanet in excommunicatione, & præsumitur malè sentire tām de sacramentis Ecclesiæ, cum illa non recipiat eo tempore, quo tenentur

E fideles, cap. Omnis de poenit. & remiss. quàm de eius potestate, cum non curet de censura excommunicationis, Abb. in cap. fin. De Poen.

Secundo dicit, Excommunicatus pro contumacia super crimine hæresis, vel alio, ipso Iure priuante Reū beneficio, & in excommunicatione per annum perseuerans est priuatus beneficijs, cap. Rursus, & seq. 11. q. 3. & in cap. Excommunicamus in princ. §. Qui autem de Hæret. cap. Cum contumacia eod. tit. lib. 6. Card. in Repet. cap. Perpendimus num. 16. Vers. Quæro igitur de sent. excom. Et ratio est, quia post annum habetur pro conuicto, Glos. & Doct. in dicto §. Qui autem.

autem, & dicto cap. Cum contumacia de sent. excom. Vnde in dicto cap. Rursus dicitur *Si vero intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox penitus audiatur*, quod intelligitur super beneficijs, non super crimine, Archid. ibi, Innoc. & alij in cap. Cum bonæ de æta. & quali. quia super crimine debet condemnari per sententiam, super beneficiis, ipso Iure est priuatus, quando accusatus est de crimine ipso iure priuante, vt in dicto cap. Rursus. ibi *nulla eorum vox penitus audiatur*, & in dicto cap. Cum bonæ in Ver. *Aliquatenus retinere*, & ibi *spoliare*, quæ sunt verba denotantia pœnam latam ipso Iure, vt ibi tradunt Doct. Requiritur tamen annus integer, & continuatus, vt notat Archid. in dicto cap. Cum contumacia. Vnde si semel excommunicatus spatio sex Mensium fuerit excommunicationis vinculo absolutus, & postea incidat in excommunicationem in qua insordescat per octo menses, non censetur permansisse per annum in excommunicatione, vt in simili dicit Bart. l. fin. ℣. Quoties Vers. Anno continuo ff. de Publi. & Vectig. Alexander cons. 34. Visis, & ponderatis Volu. 5. Vt si quis deferat habitum Religionis ad sex Menses, & postea illum dimittat, & iterum Religionem ingrediatur, & in ea permaneat ad alios sex menses, non est dicendum fecisse professionem, quia illa tempora non coniunguntur, vt annum integrum constituant, Lap. Alleg. 47. Factum ita se habuit, licèt contrarium sentiat Glos. in Reg. Eum, qui certus est De Reg. Iu. lib. 6. & Alex. cons. 54. Viso puncto col. vlt. lib. 4. Quod intelligi potest, quando perficit alios sex menses diuiʃos in eadem Religione, tunc enim satis potuit deliberare, secus si aliam Religionem ingrediatur.

Similiter requiritur, quod in excommunicatione perdurauerit animo pertinaci per annum, vt habetur in dicto cap. Cum contumacia, quare si intra annum instaret excommunicatus pro obtinenda absolutione, non haberet locum illa pœna priuationis, neque alia pœna, eodem modo si excommunicationem ignorasset, non esset puniendus illa pœna, cum non sit pertinax, vel sidolo Episcopi excommunicantis, aut partis appellantis, & iniustè impedientis, non potuit obtinere absolutionem intra annum, non esset ei trouendum frandi. Præterea requiritur post annum sententia declaratoria, cap. Cum secundum leges de Hæret. lib. 6. Felin. fusè in cap. Rodulphus vers. Sed declaratoria de rescript. & in cap. Cum non ab homine col. 4. De Iudi. Sed ante declarationem poterit beneficium impetrari, cap. De multa de Præben. Glo. in cap. Commissa Ver. Iusto de elect. lib. 6. Dec. in cap. Cum in cunctis §. Cum verò de elect.

Quæret aliquis, an post annum probata innocentia possit ad beneficium restitui, Respondet Rebuff. vbi supra posse ex æquitate antequam alteri fuerit collatum, Glos. & Doct. in cap. Quamuis de rescript. lib. 6. Requiritur tamen noua collatio arg. cap. Si beneficia De præb. lib. 6. cum sit ipso iure priuatus.

Tertiò dicit, Perseuerans in excommunicatione per annum, in quam incidit ob contumaciam super crimine; quod dignum est priuatione beneficij per sententiam, sed non habet annexam priuationem ipso iure puta propter homicidium, non est priuatus beneficio post annum, sed habetur pro conuicto, vel confesso, & est priuandus per sententiam, Glos. in dicto cap. Rursus. Quam propositionem asserit etiam Bernardus Diaz in sua pract. Crim. cap. 116. vers. Prima assertio, ad quam confirmandam plures citat doctores qui testantur esse communem opinionem, &

A est iuri consentanea nam quamuis sola contumacia ad condemnationem non sufficiat, vt in cap. Nullus de præsumpt. Tamen vbi cum contumacia concurrit perseuerantia in excommunicatione sufficit; quia vehemens inducitur præsumptio quæ ad condemnationem satis est cap. Afferte de Præsumpt. quidquid sentiat Dec. in dicto c. 1. 2. lect. num. 19. & Io. De Selua de Benef. 2. par. q. 4. num. 53.

Nõ obstant adducta per Abb. & Dec. & ad primam rationem, quod non debet plus operari ficta confessio, quàm vera respondet quandoque magis prodesse fictam confessionem, quàm veram affert instantiam ex Glo. c. Sicut vrgeri. 1. q. 1.

Ad secundam rationem, quod quis minimè debet B priuari beneficijs pro crimine, de quo non constat, nisi per contumaciam, respondet argumentum concludere, quando nulla alia adest probatio criminis, nisi contumacia, secus est, quando contumacia habet coniunctam excommunicationem annalem, vt patet in dicto cap. Cum contumacia, & dicto c. Cum bonæ.

Ad tertiam rationem, quod quis pro eodem crimine non debet duplici pœna puniri respondet id habere locum, quando per inflictionem vnius pœnæ delictum sufficienter est purgatum, secus est, quando prima pœna non sufficit, cap. Felicis de Pœn. lib. 6. Glos. & Doct. in cap. Cum percussio 7. q. 1.

Non obstat, quod inquit Decius Iure cautum non repetiri, vt quis mereatur priuari beneficijs ob ex-C communicationem annalem, nam oppositum dicit esse verum ex cap. Rursus 11. qu. 3. & dicto cap. Cum bonæ, facit cap. Inuentum 16. q. 3. Vbi quis pro graui culpa potest priuari beneficio. cap. Satis peruersum 56. dist. sed grauiter delinquit, qui per annum perseuerat in excommunicatione.

Quartò dicit, Perseuerans in excommunicatione, in quam incidit ob contumaciam leuis criminis per annum, non est priuatus beneficiis, sed habetur pro confesso super crimine Glo. in dicto cap. Rursus.

Illud tamen certum est apud omnes, vt supra diximus quod affirmat etiam Abbb. hac pœna priuationis beneficii non posse mulctari eum, qui fuit excommunicatus propter causam ciuilem, non criminalem, D etiamsi contumax in excommunicatione spatio mille annorum insordesceret, vt limitat Glos. in cap. Cum contumacia de Hæret. lib. 6. Innoc. in cap. Cum bonæ de ætat. & quali. Butrius in cap. 1. De Iudi. Glos. singularis in cap. Contingit de dolo, & contum. Silue. excommunicatio 3. §. 1. Vers. Nono beneficium in fin. & omnes alij.

Et ad hunc modum videtur probabiliter respondendum ad propositam quæstionem, ad cuius exactiorem cognitionem, plura etiam dicenda restant in cap. 3. Disp. viij.

CAPVT II.

E *An Collatio beneficij facta excommunicato sit ipso Iure nulla.*

TRactandum est in hoc capite de beneficijs quæ excommunicato conferuntur, tempore, quo excommunicationis vinculo manet districtus.

Certum est indubitatum communi omnium consensu Collationem beneficij factam excommunicato esse ipso iure nullam in vtroque foro, textus est in cap. Postulastis de Cleri. excom. Mini. Quo in loco Innoc. Tertius declarat Collationem beneficii excommunicato factam non tenere, & Conferentem scienter beneficium

neficium excommunicato à beneficiorum collatione suspendit, Rota in Antiq. decis. 363. Cassad. decis. 1. De Præben. Put. Decis. 78. num. 1. lib. 3. Boer. decis. 390. num. 2.

Cuius Constitutionis illa potest assignari ratio, quia, beneficium potissimum datur propter officium Ecclesiasticum cap. Cum secundum de Præben. c. vlt. de rescript. in 6. cap. Concesso 17. q. 2. Notat Glo. in cap. vlt. De off. Vic. ipse verò excommunicatus, vt supra probauimus, suspensus est ab administratione rerum sacrarum, & celebratione diuinorum officiorum cap. Pastoralis §. Verùm de Appell. ergo beneficium Ecclesiasticum ei conferri non potest, & desumitur hæc ratio ex cap. Si celebrat de Cleri. excom. Mini. & ex Glos. in cap. Apostolicæ de except. sicut propter eandem rationem beneficium Ecclesiasticum non potest ei concedi, qui tempore collationis esset Irregularis, sed collatio est nulla ipso Iure, Innoc. in c. Cum nostris de Concess. Præben. Mil. in Reper. in Ver. Irregularitas. Quia Irregularis inhabilis est ad ordinem, & vsum eius, & beneficium prærequirit ordinem, & vsum illius, & hoc est verum, etiam si irregularitas contrahatur sine culpa, & sit Irregularitas ex defectu, quamuis enim, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 251. talis irregularis non incurrat poenas iuris, redditur tamen inhabilis ad officium necessario requisitum ad beneficij consecutionem.

Quod tamen intelligendum est de irregularitate, quæ nascitur ex defectu ad vsum illius ordinis, quem postulat beneficium, minimè vero si ille defectus non impediret vsum ordinis iam suscepti, & requisiti ad illud beneficium, nam licèt quæcunque irregularitas sit impedimentum ad omnem ordinem suscipiendum, non tamen ad omnem vsum ordinis iam suscepti, vt constat ex cap. 2. De Corpo. Vitia. Vt si quis Presbyter amittat aliquod membrum, quo redditur inhabilis ad sacrificandum, non ideo fit inhabilis ad canendum in Choro, & ad audiendas confessiones, & ideirco non erit inhabilis ad beneficium, cuius ministerio sufficit vsus illius ordinis, quem exercere potest.

Alia quoque ratione probari potest, Collationem beneficij factam excommunicato, esse inualidam, quam affert Innoc. Tertius in dicto cap Postulastis de Cleri. excom. Mini. nempè quod per excommunicationem repellitur excommunicatus ab omni Ecclesiastica communione, sed assumere aliquem ad beneficium Ecclesiasticum fieri nequit sine magna communicatione, & societate, atque hæc est communis doctrina Theologorum, Riccardi dist. 18. art. 7. q. 4. Palud. q. 4. Antoni. 3. part. tit. 24. cap. 76. Sot. dist. 22. q. 1. art. 4. & Canonistarum in dicto cap. Postulastis, Couar. in cap. Alma Mater prima par. §. 7. nu. 2. Nauar. in cap. Si quando exceptione decima num. 9. De Rescript. & in Manua. cap. 27. n. 21.

Et hæc conclusio intelligitur de quocunque excommunicato maiori excommunicatione, siue sit excommunicatus à iure, siue ab homine, Innoc. in cap. Cum Dilectus col. penult. De Consuet. Abb. in cap. Apostolicæ de except. Couar. in c. Alma Mater prima par. §. 7. num. 1. vers. Tertio constat.

Similiter eadem ratio est, siue excommunicatus petierit beneficium, quod consecutus est in excommunicatione, & eo instante collatio facta fuerit, siue Motu proprio ex mera Conferentis gratia, vt sentit Card. in Clem. 1. § 1. q. 4. De Relig. Domi. & fatetur hanc opinionem communem esse, & ratio est, quoniam & si motus proprius multa operetur ad tollendam surreptionem, non tamen inducit dispẽsationem aliquam, nec tollit vitium, quod patitur quis, & quo impeditur iure obtinere id, quod sibi conceditur, sicut si motu proprio quis obtineret beneficium, & antea haberet aliud beneficium, quæ simul iure canonico retineri non possent, non dicitur per Motum proprium dispensatus ad illa obtinenda, Glos. communiter recepta in cap. Si motu proprio De Præb. in 6. secus si illa beneficia non erant incompatibilia, vt statuitur in dicto cap. Si Motu proprio. Nec Motus proprius irregularitatem tollit, nec super ea dispensat, Felin. in cap. Causam q. 2. De Testi. præsertim si Papa in Collatione beneficii illius vitij ignorantiam habuerit, & ad hunc modum respondet etiam Couar. in cap. Alma Mater prima part. §. 7. num. 2. Vers. Quarto hæc ipsa principalis conclusio, secus verò esset dicendum, si Romanus Pontifex excommunicationis notitiam habens beneficium excommunicato conferret, tunc enim ex quadam tacita absolutione videretur velle tollere impedimentum excommunicationis, saltem nè quo ad effectum consequendi beneficium illud ecclesiasticum haberetur inhabilis, quod probari potest ex l. 2. & ibi Glos. C. de crim. sacril. l. Quidam consulebant ff. De Re Iudi. Romanus in cons. 327. & alij, quos refert Couar.

Item eadem Conclusio locum habet, etiam si post Collationem sequuta sit legitima absolutio ab excommunicatione, cap. Cum bonæ de ætat. & Qualit. Vbi Glos. Ver. Postmodum sunt adepti affirmat suspensos, qui adepti sunt beneficia tempore suspensionis, non posse illa retinere, etiã si postea fuerint absoluti, quia tempore impetrati beneficij inhabiles erant ratione suspensionis, & cum ab initio nulla fuerit collatio, sequuta absolutione vires assumere nequit, Reg. Non firmatur de Reg. Iu. lib. 6. Archid. in cap. Nullus dist. 63. Abb. & Anchar. in cap. Postulastis De Cleri. excom. Mini. Nauar. in Manua. cap. 27. n. 21. Vers. Octauò, facit Couar. in cap. Alma Mater part. 1. §. 7. nu. 2. Vers. Septimò idem respondendum, nec potest excommunicatus tuta cõscientia retinere beneficium, quod acquisiuit tempore excommunicationis, nisi fuerit dispensatum cum eo, cap. Postulastis De Cleri. excom. Mini. & ibi Abb. nu. 2. vt in cap. vij. fusius ostendam.

Adhuc hæc Concl. intelligitur: non solùm quando beneficium confertur excommunicato, cuius excommunicatio nota est, & manifesta, sed etiam si excommunicatio sit occulta, & excommunicatus bona fide recipiat beneficium suam ignorãs excommunicationem, aut probabiliter existimans se esse ab illa absolutum; quia ignorantia probabilis potest quidem excusare à culpa, & ex consequenti a pœna, cap. Apostolicę De Cleri. excom. mini. non tamen tribuit valorem actui alias inualido, nec potest suspendere effectum excommunicationis legitimè latæ, vt Collatio beneficij, quæ propter excommunicationem nulla est, subsistere valeat ex causa ignorantiæ excommunicationis, Glos. notab. in cap. Apostolicę de Cleri. excom. mini. Ver. Probabilis paulò ante med. Vbi hæc habet *Credo quod quidquid facit, antequam sciat se excommunicatum non imputetur ei, tamen postquam nouerit se excommunicatum, debet abstinere,* Quod notauit etiam Abb. in dicto cap. Apostolicæ num. 6. explicans illum textum, tum statuit excommunicatum ignoranter celebrando, non incurrere irregularitatem, & ait Textum loqui in ordine ad poenam imponendam, quæ non peccanti minimè est infligenda, c. 2. De Constit. non autem ratione validitatis actus, & idem sentit in cap.

Postulastis num. 4. De Cleri. excom. Mini. & ibi Doctores, & in cap. Pastoralis §. Verum De Appell. quam opinionem communem esse fatentur Nauar. in Manua. cap. 27. num. 21. & Couarr. in cap. Alma Mater par. prima §. 7. n. 3. Ver. Decimo in hac controuersia.

Nec sufficeret probare ad obtinendum beneficium testimonio Confessoris obtentam fuisse absolutionem ab excõmunicatione ante collationem, ita tenet Rebuff. in Concorda. in for. Manda. Apost. Ver. Absoluentes fol. 551. Si verè constaret de excommunicatione tempore Collationis, sicut è contra ad infirmandam, & inualidandam Collationem non satis esset probare post collationem Prouisum manere in excommunicatione, Textus in cap. Proposuit de Cleri. excomm. Mini. Rota in Antiq. Decis. 238. Couar. in cap. Alma B Mater prima part. §. 7. num. 2. Vers. Octauò ad præmissa.

Si postulet aliquis, An ad repellendum quempiam à beneficio sufficiat probare illum ante collationem fuisse excommunicatum, ità quidem vt teneatur Prouisus ostendere absolutionem ad hoc, vt collatio indicari possit valida.

Respondeo probata excommunicatione ante Collationem præsumi prouisum esse excommunicatum etiam tempore Collationis, facit ad hoc Rota in Antiq. decis. 238. asserens vbi probatum est aliquem fuisse excommunicatum ante electionem præsumendum esse excommunicatum etiam tempore electionis auctoritate Cin. l. sicut possidetis C. de Probat. quia illa probatio, iuris præsumptione adiuuatur, nam semel excommunicatus semper præsumitur excommunicatus, Dec. in l. Non hoc col. 2. C. Vnde legit. Idem Dec. in cap. Post Cessionem num. 54. & 55. De Probat.

Sed iterum potest quis postulare, An similiter ad inualidandam Collationem beneficij sufficiat probare Prouisum ante Collationem, vel etiam tempore collationis fuisse publicè denunciatum excommunic.

Ratio dubitandi est, quoniam Glos. in cap. licet Ver. Nunciari de sent. excom. lib. 6. notat ex denunciatione non inferri necessario excommunicationem, nec valere consequentiam, Hic est denunciatus excommunicatus, ergo est excommunicatus.

Respondeo multa disputari à Doctoribus vtrùm D ex denunciatione probetur excommunicatio, quæ pertractata sunt à nobis supra lib. 1. Disp. 11. c. 2. Sed quantum spectat ad propositam dubitationem, dicendum probata denunciatione excommunicationis, posse repelli Prouisum à beneficio, quia collatio beneficij ei facta, qui denunciatus est excommunicatus, non habet vim, nec sortitur effectum suum, nisi purgauerit se, & probauerit absolutionem obtinuisse ante collationẽ, vel excommunicationem fuisse nullam, nam Denunciatio, quamuis non sit euidens probatio, tamen est præsumptio præcedentis excommunicationis, & hæc probatio sufficit, vt dari debeat illi, cui opponitur excommunicatio, competens dilatio ad se purgandum, quia opponitur excommunicatio in vim dilatoriæ exceptionis, & agitur de modico præiudicio, vt dicit Abb. in cap. Prudentiam §. sexta num. 11. De Off. Deleg. Secus si opponeretur in vim peremptoriæ exceptionis; eo enim casu non satis esset probare denunciationem ad ostendendam excommunicationem, vt inquit Glos. in cap. 1. Ver. Opponit, & ver. Nomen de excep lib. 6. & Dec. in cap. Pastoralis Verùm num. 4. De Appell.

Sed rursus quæri potest, An sufficiat probare famã communic. ad repellendum aliquem à beneficio.

A Doctores communiter sentiunt; vt Dec. fatetur in cap. Prudentiam §. Sexta in fin. De offic. deleg. licèt ipse videatur contrariæ opinioni adhærere, posse Iudicem ex officio, probata fama excommunicationis, reijcere infamatum à receptione beneficij, donec legitime infra tempus ei assignatum se purgauerit, non teneri tamen ad partis petitionem illum repellere, donec fuerit sufficienter probata excommunicatio. Assignat rationem Abb. in dicto §. Sexta num. 11. in fin. Quia indictio purgationis pendet ab officio Iudicis, neq; ad id competit actio ipsi parti, vt in Tit. De Purg. Canon. Neque potest pars conquæri, si Iudex non indicit purgationem, cap. Pastoralis de except. Sed Iudex potest repellere Diffamatum est officio.

Tandem illud non est ignorandum, quod si contra Prouisum opponatur excommunicatio, & probetur simpliciter, non idcirco opponens suam obtinuit intentionem, cum possit intelligi de Minori Excommunicatione, vt responsum est, à Dec. cons. 321. nu. 6. & 7. Vbi animaduertit, quod licet appellatione excommunicationis de maiori intelligatur capitulo penultimo. De Sent Excommunicationis, hoc tamen non habere locum in probatione excommunicationis, & refert Abb. in cap. In Præsentia notab. penult. De Probat.

Sed dubitari potest primo de quo excommunicato sit intelligenda hæc conclusio, quod Collatio beneficij facta excommunicato sit inualida, & occurrit du-
C bitatio tàm circa personam, cui fit collatio, quàm circa rationem excommunicationis. De Persona quæri potest, si concedantur literæ ad beneficium Capitulo, vel Collegio eo tempore, quo personæ Capituli sunt excommunicatæ, an literæ expeditæ valeant.

Ad hanc dubitationem respondendum est cum distinctione, nàm vel sunt aliquæ personæ Capituli excommunicatæ, vel omnes, in primo casu literæ erunt validæ, tunc enim corpus Capituli remanet in aliis membris non excommunicatis, neque enim vtile per inutile vitiari debet, neque Innocentes ex consortio aliorum priuari debent gratia, & priuilegio suo, immò si vnus tantùm maneat habilis, & non excommunicatus, in eo censetur Capitulum conseruari, arg. l. Sicut municipium ff. Quod cuiusque Vniuers. Abb. capitulo primo nu. 5. De Elect. Nauar. Consil. 38. in tit. De Regula. Si autem omnes essent excommunicati, effectus gratiæ esset impeditus, non quia Capitulum possit excommunicari, id enim fieri nequit cap. Romana de Sent. Excom. lib. 6. Sed quia haberet omnia membra inhabilia, vnde resultaret totum corpus incapax, cap. vni. Ne Sede Vacan. lib. 6.

Secundò dubitari potest de ratione excommunicationis, An dicta Conclusio locum habeat in excommunicato non vitando iuxta extrauag. Ad euitanda, scilicet in Excommunicato occulto, non publico, neque denunciato.

Et quidem, si loquamur de excommunicato reci-
E piente beneficium, absque controuersia est, quod excommunicatus quicunque etiam occultus non potest beneficium accipere, nec acceptum retinere, nec fructus percipere, vt paulo ante probatum est; quia Constitutio Martini Quinti ad euitanda, ipsos excommunicatos nullo priuilegio afficit, nec illis aliquam vtilitatem, aut commodum affert, & quantum ad eos iura antiqua sunt seruanda, Abb. in capitulo Postulastis n. 4. de Cler. excom. Mini. Couar. in c. Alma Mater par. 1. §. 7. n. 2. Vers. Sexto hæc principalis conclusio, Cassad. decis. 1. num. 4. & 5. De Præben.

Sed

Sed difficultas est de ijs, ad quos pertinet collatio beneficij, An ipsi teneantur non conferre beneficium, aut non eligere excommunicatum occultum, quem sciunt esse excommunicatum, etiam si non sit denunciatus, aut publicus Clerici percussor.

Ratio dubitationis est, quoniam ex priuilegio dictæ extrauag. non tenemur euitare huiusmodi excommunicatum occultum in vllo genere communicationis, ergo possumus illi conferre beneficium.

Ex opposito si alijs liceret conferre beneficium occultè excommunicato, licitè ipse excommunicatus posset illud recipere, dare enim, & recipere sunt correlatiua, & vnum sine alio subsistere nequit.

Respondendum est, simpliciter loquendo, Conclusionem propositam comprehendere omnem excommunicatum, non solum nominatim denunciatum, sed etiam occultum, & non vitandum, non tantum ex parte recipientis beneficium, sed etiam conferentis.

Probatur quia eligere personam inhabilem, & incapacem ad beneficium est intrinsecè malum, ergo peccant, qui scienter eligunt excommunicatum, qui ratione excommunicationis est incapax ad beneficium.

Confirmatur, quoniam in ijs, quæ respiciunt commodum ipsius excommunicati, nulla est differentia inter occultum excommunicatum, & publicum, & vterque est vitandus, sed Collatio beneficij ordinatur ad vtilitatem ipsius recipientis, ergo quocunque modo sit excommunicatus, non potest ei conferri beneficium, Repugnat enim, quod actio ex parte conferentis sit valida, & quod versetur circa subiectum incapax, ergo cum per extrauagantem ad euitanda excommunicatus non reddatur capax ad beneficium obtinendum, magis quam antea esset iure antiquo, minus quoque videtur concessum, vt talis collatio ex parte conferentis rata sit, & firma.

Quare concludendum est Conclusionem intelligendam esse de omni excommunicato, siue à iure, siue ab homine, siue per sententiam generalem, siue specialem, siue publicè, siue occultè sit excommunicatus, hæc enim inhabilitas est effectus excommunicationis, vt excommunicatio est.

Rursus dubitari potest de quibus beneficijs intelligatur hæc Conclusio.

Respondendum est intelligendam esse de quocunq; genere beneficij Ecclesiastici, siue sint beneficia maiora, vt Episcopatus, & similia, siue minora, Nam licet beneficium in arctiori significatione sumptum non comprehendat beneficia maiora, cap. Cum in illis de Præben. lib. 6. c. fin. eod. tit. extra, vt si mandet Papa prouideri alicui de dignitatibus, vel alijs beneficijs Ecclesiasticis, non facta mentione de cura Animarum, tale mandatum non intelligitur de beneficijs curatis, & maioribus, tamen beneficium latè sumptum comprehendit etiam maiora beneficia, & probatur ex Reg. 1. de reg. Iu. lib. 6. *Beneficium Ecclesiasticum non potest sine canonica institutione licitè retineri*, quæ Regula locum habet in Episcopatu, Archiepiscopatu, & in omnibus beneficijs, & clarius in cap. Si tibi concesso de Præben. lib. 6. Vbi appellatione beneficij comprehenditur beneficium curatũ, Dom. in cap. Si propter tua debita in 2. col. de Rescrip. lib. 6. & in c. fin. in fi. de off. Vic. eod. lib. Eodem modo in proposita materia, de qua tractamus, cum Sacri Canones definiunt Collationem beneficij factam excommunicato inualidam *esse ipso Iure*; accipiendum est nomen beneficij propriè quidem, sed in latiori significatione vt complectatur omne beneficium Ecclesiasticum cuiuscunque generis, & quomodocunque appelletur, siue sit curatum, siue simplex, siue ex maioribus, siue ex minoribus.

Ratio est, quia Iura generaliter loquuntur declarantia excommunicatum inhabilem ad beneficia Ecclesiastica, vt constat ex cap. Postulastis de Cleri. excom. Mini. ibi, *Quod cum excommunicatis communicari non debeat, Clericis excommunicationis vinculo innodatis ecclesiastica beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea licitè retinere*. Et quamuis in tex. non legatur signum vniuersalitatis *omnia Ecclesiastica beneficia*, sed loquatur indefinitè *Beneficia Ecclesiastica*, nihilominus illa indefinita propositio æquipollet vniuersali, sicut in cap. penult. de verbo. signif. Priuilegium concessum de percipiendis fructibus Beneficiorum indefinitè intelligitur de omnibus beneficijs, vbi Glo. in Ver. Beneficiorum notat verbum indefinitè positum generaliter accipiendum esse, vt nomine Clericorum significantur omnes Clerici maiores, & minores, cap. Cum tibi, & Glo. in Ver. Appellatio Clericorum eod. tit. Tanto magis, quia in dicto capitulo Postulastis propositio est negatiua *Clericis excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica beneficia conferri non possunt*. Quæ negatio omnia destruit, ac si dixisset nullum beneficium recipere potest, simile exemplum habetur in capitulo Cum bonæ de Aeta. & Quali. Vbi statuitur, suspensos, qui beneficia adepti sunt tempore suspensionis, non posse illa retinere, cujus constitutionis sensus est, non posse vllum beneficium retinere.

Accedit postremo, quod in proposita quæstione, de qua tractamus, nulla ratio apparet, propter quam nomen beneficij non sit latè accipiendum, vt comprehendat etiam beneficia maiora, quia si sacri Canones voluerunt excommunicatum reddi incapacem, & inhabilem ad obtinendum beneficia Ecclesiastica, maximè intellexerunt hanc incapacitatem ad beneficia maiora, quod videtur magis rationi consonum.

Verum contra hanc doctrinam obijci potest capitulum Felicis Vers. Quod si quis prædictorum de Pœn. libro sexto, ibi *Beneficiatos quouis beneficio, etiam si Pontificalem adepti fuerint dignitatem, sint eis ipso Iure priuati*. Si nomine beneficiorum comprehenderentur maiora beneficia, vt Episcopatus, non erat opus exprimere *dignitatem Pontificalem*, nec addere signum illud distributiuum vniuersalitatis *quouis beneficio*, Ideo Glo. in Ver. Pontificalem notat illam Constitutionem de huiusmodi dignitatibus Pontificiis non potuisse intelligi nisi Summus Pontifex expressisset; Non est igitur verum nomine beneficiorum indefinitè intelligenda esse beneficia maiora, præsertim quando agitur de pœnis, quæ sunt potius coarctandæ, & confirmatur ex capitulo Dilectus de concess. Præb. Vbi Innocentius Tertius declarat Constitutionem Lateranen. Concil. capitulo octauo, sub Alexandro Tertio contra negligentes conferre beneficia vacantia infra sex menses, non extendi ad Archiepiscopatum, vel Episcopatum, sed ad Personatus, & minora beneficia, Ad idem facit capitulo Inquisitores de Hæret. libro sexto, capitulo Quia periculosum de sent. excomm. eodem lib. Adde Rom. consil. 340.

V Respon-

Respondendum est beneficium Ecclesiasticum sumi posse in latiori, & arctiori significatione, & vtroque modo propriè, vt superius monui; & in diuersis iuris diuersimodè accipitur modo in vna, modò in altera significatione; si in latiori significatione accipiatur, complectitur Episcopatus, & alia maiora beneficia, si in arctiori, tantùm minora, sicut nomine Clericorum latè accipiendo illud, omnes personæ Ecclesiasticæ continentur etiam maiores, vt inquit Glos. in dicto capitulo Cum tibi Ver. Appellatio Vocabuli, De Verb. sign. strictius verò, tantum minores Clerici. Verum quando in hoc, vel in illo sensu accipiendum sit, nomen Beneficij assignari solet ad ad id diudicandum regula generalis, nempè in fauorabilibus esse latè interpretandum, In pœnis, & odijs. strictè accipiendum, Glos. in dicto cap. Cum tibi De Verb. sign. arg. cap. Olim eod. tit. Vbi Innocentius Tertius declarat beneficia Principum largissimè esse interpretanda, & ibi Glos. Ver. Largissimè ad idem citat plura Iura, Abbas in cap. Dilectus num. 1. De Concess. Præben. Quam distinctionem affert etiam Mandos. & pluribus confirmat super Reg. Canc. Reg. 22. q. 3. num. 1. Reg. 20. q. 8. num. 7. Reg. 21. qu. 6. num. 4. & 34. q. 16. num. 4. Et hoc modo appellatione dignitatis significatur omnis dignitas, capit. 2. De Iudi. vbi Abbas num. 16. Contra si quis fuerit dispensatus, vt possit promoueri ad dignitatem, non poterit promoueri ad Episcopatum, quia dispensationes sunt odiosæ, ideò restringendæ, cap. Quod dilectio de Consang. & Affin. cap. 1. & 2. De Fil. Presbyt. lib. 6.

Hæc est regula generalis, ex qua desumitur solutio ad omnia Iura citata, in quibus nomine beneficiorum, vel Clericorum in genere non intelliguntur maiora beneficia, nec Maiores Clerici, quoniam in illis agitur de pœnis, sed diuersa ratio est, cum definiunt sacri Canones excommunicatum esse incapacem ipso Iure ad obtinendum beneficium, quod quidem institutum est fauore Ecclesiarum, neque enim decet eum, qui ab Ecclesia præcisus est, Ecclesiæ præficere eiusque administrationem illi committere, idcirco nulla ratio nos conuincit, vt nomen beneficij in hac materia coarctemus, Immò à fortiori sumitur argumentum, vt illud latius extendere valeamus; quia si excommunicatus redditur incapax ad minora beneficia, vt dicebam, multò magis erit incapax ad maiora, quæ fauorabiliora, & digniora iudicatur.

Neque tantum excommunicatus incapax est, nè possit impetrare beneficium ecclesiasticum, quod requirit canonicam institutionem, & habet titulum spiritualem perpetuum, & ius annexum percipiendi fructus ratione officij, sed etiam excluditur ab omni officio, & dignitate ecclesiastica, quamuis ad tempus concedatur, & possit ad nutum Superioris auferri, quale est munus Vicarij, cap. Is, cui De elect. libr. 6. Officium Prælati in Religione Munus Legati, Subdelegati, & Inquisitoris, & similia, quæ non sunt propriè beneficia ecclesiastica, & tamen excommunicatus redditur incapax ad illa administranda; quia requirunt vsum iurisdictionis, quo priuatus est excommunicatus, & executione alicuius actus prohibita, prohibetur omne id, quo ad illum actum peruenitur, Abbas cap. fin. numero tertio De Cleric. excommunic. Mini. & hæc officia administrari nequeunt, nisi communicando cum alijs, quæ communicatio interdicta est excommunicato, Abb. in capit. Pastoralis §. Verum numero decimoctauo. De Appell. & in capitulo Postulastis numero primo De Cleric. Excom. Mini.

Quæret aliquis, An Superior conferens beneficium excommunicato incurrat aliquam pœnam.

Respondeo, quod Conferens beneficium excommunicato sciens illum esse excommunicatum, Primum sic conferens, eligens &c. peccat mortaliter, tum quia communicat in diuinis cum excommunicato, quia beneficia, res quædam sacræ, & spirituales sunt, licet in ordine rerum sacrarum non pertineant primum locum, sunt tamen in eo genere res graues, Tum quia in hac materia, efficere actionem irritam, & nullam est notabilis inordinatio, eligitur enim persona inhabilis contra iustitiam, & commune bonum, vel contra Ius aliorum, vt notauit Caietanus in Summa V. excommunicatio puncto 2. Deinde punitur ab ipso Iure poena suspensionis à collatione beneficiorum, donec super hoc à suo Superiore veniam consequi mereatur dicto cap. Postulastis De Cleric. Excom. Mini.

Dubitant aliqui, an hæc poena suspensionis incurratur ipso facto, & nonnulli affirmatiuè respondent ex capitulo Cum in Cunctis Ver. Clerici De Elect. Vbi eligentes indignum contra formam illius Canonis, priuati sunt prima vice potestati eligendi, & Glos. ibi Ver. Priuatos explicat de priuatione ipso Iure.

Alij censent hanc poenam suspensionis non incurri ante sententiam Iudicis ex dicto capitulo Postulastis De Cleric. Excom. Mini. quod præcipit eos, qui scienter beneficia excommunicato contulerint, suspendendos esse à collatione, ergo hæc suspensio non incurritur ipso facto.

Abbas in dicto capitulo Postulastis numero sexto, curat conciliare has opiniones, dicens primò, quod capit. Cum in cunctis intelligi potest, quando conferuntur beneficia curata, capit. verò Postulastis de beneficiis simplicibus, quia maior diligentia adhibenda est, quando conferuntur curata, vel dici potest capit. Cum in cunctis esse intelligendum de collatione facta indigno quoad mores; capit. autem Postulastis quando Prouisus est inhabilis ex aliquo impedimento, puta excommunicationis.

Probabilius igitur existimo Conferentem scienter beneficium excommunicato esse suspendendum per sententiam Iudicis à collatione beneficiorum, neque esse necessariam aliam monitionē, vt inquit Abb. ibi num. 3. quæ requiritur in c. Graue De Præb. in suspendendum esse à perceptione fructuum proprii beneficij in c. Nihil eod. tit. Quod si probabiliter ignorabat excommunicationem, quæ ignorantia frequentius accidere potest ex parte Conferentis, & Eligentis, quàm accipientis beneficium. Conferens nullius culpæ est reus, nec dignus vlla poena, semper tamen collatio erit nulla, & inualida, Abb. dicto n. 8. Nàm si bona fides, & ignorantia probabilis ipsius Prouisi de sua excommunicatione non suffragatur eidem, vt collatio beneficij sibi facta teneat multò minus ignorantia Collatoris poterit illam firmare.

Postulabis à quo sit imponenda poena suspensionis à collatione beneficiorum Conferenti beneficiū scienter excommun. & tollenda, postquam est inflicta.

Glo. in Ver. Mereantur inquit esse imponendā per Superiorem, & Abb. nu. 11. explicat esse irrogandam per Superiorem immediatum ipsius Collatoris, vt si est Inferior Episcopo poterit suspendi per Episcopum, si sit Episcopus per Archiepisc. si Archiepiscopus per

proprium

proprium Patriarcham, quod pluribus iuribus Abb. conatur comprobare.

Quæret secundò aliquis, an Collatio beneficij facta excommunicato, qui communiter habetur pro non excommunicato, teneat.

Glos. cap. Pastoralis §. Verùm V. excommunicatio secum trahat post med. De Appell. censet Collationem beneficij factam excommunicato, qui putabatur absolutus, valere, quoniam probabilis error illum excusat, cum interim communicetur ei in omnibus sacramentis.

Oppositum est probabilius, & ità tenet Cassad. decis. 1. numer. 5. De Præb. & Glosæ opinionem impugnat Abbas in eodem capitulo num. 15. Qui distinguit de ijs, quæ geruntur ab excommunicato, quando probabiliter existimatur non excommunicatus, vel absolutus; quædam fiunt ratione publici officij, & hæc sunt valida, cap. Ad probandum De re iudi. l. Barbarius ff. de Off. Prætor. Quædam geruntur per excommunicatum, vel cum excommunicato non ratione publici officii, & respiciunt vtilitatem, & commodum excommunicati, aut alterius, & sunt ex genere illorum actuum, qui excommunicato sunt interdicti, & prohibiti, & huiusmodi actus non valent, quamuis excommunicatus haberetur communiter pro non excommunicato, cap. Cum Dilectus de consuet. Ex quo infert Abb. contra Glosam Collationem beneficij factam excommunicato, quem omnes putant non excommunicatum non valere, Glos. fin. in cap. Solet de Sent. Excom. lib. 6. & Glos. fin. in c. licet eodem titulo & libr. Alia denique fiunt ab excommunicato quasi in contemptum excommunicationis, & pro eis pœna ab ipso iure est constituta, Vt est pœna Irregularitatis constituta contra excommunicatum celebrantem in excommunicatione, & hæc pœna non incurritur ab excommunicato, qui non credit se excommunicatum; vel probabiliter censet se absolutum, quia talis, si celebrat, non facit in contemptum, Vnde neque est puniendus poena contemptus, cap. Ad Apostolicæ De Cleric. Excom. Mini.

Tertio quæri potest, An excommunicatus possit tota conscientia retinere beneficium, quod tempore excommunicationis obtinuit, similiter an per adeptionem secundi beneficij tempore excommunicationis vacet primum legitimè ante excommunicationem acquisitum.

Ad primam partem dubitationis Respondeo Excommunicatum non posse retinere beneficia collata tempore excommunicationis, aut Suspensionis, Archid. in cap. Nullus 63. dist. Quia excommunicatus non recipit titulum, & idcirco etiam post absolutionem non potest retinere, nisi fuerit cum eo dispensatum, vnde excommunicatus non potest iuuari decreto de pacifica possessione, cum careat titulo, Pet. Rebuff. in Repet. in cap. Postulastis num. 336. De Cleri. Excomm. Mini.

Ad secundam partem quæstionis respondet idem Rebuffus numero 337. ex text. in cap. Eum qui De Præben. lib. 6. Quod vi occupans beneficium priuatur primo, sic accidit in excommunicato scienter recipiente secundum; quare existimat excommunicatum priuari etiam primo beneficio; quod est intelligendum, si virtute collationis factæ in excommunicatione consecutus sit pacificam possessionem secundi beneficij, quia per assecutionem secundi vacat primum, c. De multa de Præben. quando pacificè possideat per duos mēses secundum beneficium cū primo.

Quarto quærat aliquis, An collatio beneficij facta excommunicato excommunicatione minori sit ipso iure nulla.

Ad hanc dubitationem respondi latè in lib. 1. cap. 2. Disputat. quarta. Non est, quod hoc loco addere debeam.

Quinto quærere posset quis, An sicut iure cautum est, nè excommunicato conferatur beneficium ecclesiasticum, eadem ratione vetitum sit, nè admittatur ad Religionem.

Respondeo excommunicatum non esse admittendum ad Religionem ante absolutionem, sicut non est ei conferendum beneficium, Differentia tamen est inter vtrumque; nam collatio beneficij est ipso iure inualida, Sed susceptio habitus Religiosi, & emissio professionis tenent, vt inquit Abbas in capitulo Cum illorum numero quarto De sent. excommunic. Sic nec Matrimonium impeditur per excommunicationem, vt in capit. Significasti de eo, qui duxit in vxo. & receptus poterit absolui, vt inquit Host. in dicto capitulo Cum illorum, à Prælato Religionis, in qua absolutione intelligitur inclusa ipso iure conditio, si perseuerauerit, alioquin exiens ab ipsa Religione reincidit in eandem sententiam, nisi se præsentet ei, qui alias potuisset absoluere, vt in cap. Eos de sent. excommunic. lib. 6.

Tandem dubitari potest peculiariter de Collatione facta à Summo Pontifice, vtrùm, si Papa conferat beneficium excommunicato, quem sciebat esse excommunicatum, talis collatio sit inualida.

Respondeo, Si Papa conferat beneficium ei, quem nouit excommunicatum, aut irregularem, censetur ipso facto dispensare, scilicet ad hunc effectum solùm, nam quantum ad alia remanet excommunicatus, Gomez. Reg. de Trienna. quæst. 10. Nauar. in Manua. cap. 25. num. 74. Couarruu. capit. Alma par. prima §. 7. numero secundo. Mandos. super Regul. Cancell. Regul. 21. quæst. 9. num. 12. & Regul. 22. De Vnione num. 12. Sot. lib. 9. De Iust. & Iur. quæst. 8. art. 2. Silue. V. Dispensatio §. 15. Et ratio huius dicti est, quoniam Papa conferens aliquid ei, quem scit iure humano esse inhabilem ipso facto sine dispensationis expressione censetur velle habilem reddere, etiam si nulla intercedat causa, quoniam non eget causæ cognitione, cum sit supra ius commune, Nauar. dicto cap. 25. num. 74. Sed hæc ratio non militat in Episcopo, nam Episcopus non potest dispensare in Iure communi, nisi quando necessitas non relinquit facilem recursum ad Papam, quia inferior non potest dispensare in lege superioris, & in Iure communi, nisi cum impeditis ex tacita Papæ commissione, Caiet. prima 2. q. 96. art. 5. Sot. lib. 1. De Iust. q. 7. art. 3. & in 4. dist. 21. q. 2. art. 3. Quare Episcopus impedimento cognito solo facto non dicitur dispensare, id conuenit tantum Papæ; Sed hæc dubitatio hodie non habet locum, quia stylus Curiæ hoc tempore, ad tollendam omnem difficultatem, seruat, vt in omnibus collationibus beneficiorum, vel aliarum gratiarum, quæ fiunt à Papa, sicut diximus, præmittatur absolutio, ad effectum illarum duntaxat consequendum.

CAPVT III.

An Electio, Postulatio, Præsentatio, vel Nominatio, aut quæcunque prouisio excommunicati ad beneficium sit ipso Iure nulla.

Diximus de Collatione, quando scilicet is, qui potestatem habet, confert beneficium excomm.

Modò videndum est, an sit eadem Iuris dispositio, A
quando alijs modis transfertur ius in excommunicatum ad beneficium Ecclesiasticum.

Qua in re communis est Conclusio Doctorum Electionem Excommunicati, Postulationem, Præsentationem, siue Nominationem ad beneficium Ecclesiasticum nullam esse, & inualidam, quia de his omnibus eadem est ratio, & idem est de singulis ab ipso Iure definitum.

Et in primis de Electione est textus in capitulo Cum Dilectus de Consuet. ibi *Quia nobis constitit Electionem ipsam à Suspensis, & de Suspenso etiam celebratam eam iustitia cassauimus*, Vbi Glos. ait in Ver. Cassauimus idest *cassam nunciauimus*, Et si hoc affirmatur de suspensione, à fortiori asseritur de ex- B
communicatione, quæ includit suspensionem, & in capitulo Constitutis 1. De Appellation. Vbi de Electione excommunicati agitur, Glos. in Ver. Excommunicationis notat *Idem esset, si suspensus esset, nam suspensi, & excommunicati nec eligere, nec eligi possunt*, in capitulo Si celebrat De Cleri. Excomm. Mini. Vbi Summus Pontifex statuit Excommunicatum Minori excommunicatione eligere posse, non tamen eligi, & si electus fuerit, electionem esse irritandam, aliqui interpretantur, irritam declarandam, ergo fortiori ratione erit irrita Electio, si eligatur is, qui maiori excommmunicatione est innodatus. Si dicas, cum in citato capitulo Cum Dilectus De Consuetud. cap. Cum inter R. De Elect. cap. Quia diuersitatem De C
Concess. Præb. & alibi sæpè pronuncietur irrita Electio facta à Suspensis, qua ratione in dicto capitulo Si celebrat conceditur excommunicato facultas ad eligendum, non vt eligatur? Soluit hanc dubitationem Glos. ibi Ver. Nec eligere prohibetur, & ait Iura citata, & similia intelligenda esse de Suspensis ab homine, Illi enim nec eligere possunt, & irregularitatem incurrunt diuina officia celebrando, sed cap. Si celebrat loquitur de excommunicatis, aut Suspensis à Canone propter solam participationem cum excommunicato maiori Excommunicatione, Ideo Abbas dicto capitulo. Cum inter R. num. 6. & 15. De Elect. animaduertit Suspensum posse aliquando eligere, nunquam vero eligi, Idem ait in capitulo Si celebrat numero primo De Cleric. Excom. Mi- D
ni. Eadem Conclusio desumitur ex capitulo Illa De Elect. cum Glos. Ver. Canonicam, Bertacch. in Tractato De Episcopis libro secundo parte prima quæst. quarta. Archid. capitulo Nullus 63. distinction. Et hanc esse communem opinionem testatur Couarruu. in cap. Alma Mater prima part. §. 7. num. 1. Vers. Primùm quod excommunicatus.

Quæ confirmatur probabili ratione, Nam si excommunicatus est priuatus facultate eligendi, vt probatum est in Disputatione Quinta, capitulo secundo multo magis priuatus erit, ne possit eligi, Hoc enim cedit maiori commodo, & honori ipsius excom- E
municati, ergo verisimilius est sacros Canones potius voluisse interdicere excommunicato, nè eligi posset, quàm vt non eligeret, hoc postremum denegarunt, ergo & primum. Neque solùm Electio excommunicati est nulla, quando excommunicatio est manifesta, & publicè denunciata, sed etiam si sit occulta, vt inquit Abbas in cap. Venerabilem num. 21. De Elect. Hoc idem affirmat Glos. in cap. Apostolicæ Ver. Probabilis De Cleric. Excom. Mini. Vbi licèt prius dicat excommunicatum posse eligi ab illis, qui ignorant eius excommunicationem, postea tamen concludit ad hunc modum, *Non credo, quod Electio de ipso facta teneat, licet ignoret, se excommunicatum, vel suspensum*. Idque locum habet non tantum in electione ad dignitatem ecclesiasticam, sed etiam secularem, excommunicatus enim, si eligatur ad Imperialem, Regalem, vel Ducalem dignitatem, nullum consequitur Ius ad illam dignitatem; quare electio est nulla dicto capitulo Venerabilem De Elect. & ibi Abbas numero vndecimo, & in hoc actu mortaliter peccat, vt inquit Sot. distin. 22. quæst. 1. artic. 4. Et licet Textus in citato capit. Venerabilem loquatur solum de Rege Romanorum, vel Imperatore, quem electum à Principibus, Roman. Pontifex confirmat, consecrat, & coronat, Propositio tamen est generaliter vera de Regibus, & Principibus aliarum Nationum, Siluester excommunicatio 3. §. 1. Tabien. excommunicatio. t. num. 1.

Ab hac tamen Conclusione generali excipienda est tantum electio ad dignitatem Summi Pontificatus, quæ exceptione excommunicationie non redditur irrita, vt inquit Silue. Ver. Excommunicatio 9. §. 5. & sequ. & ostendimus in cap. 2. Disp. 5.

Quod probatum est de Electione, Idem quoque dicendum est de Postulatione, quando quis inhabilis ob vitium aliquod animæ, aut corporis, vel ob defectum ætatis, seu alterius conditionis eligi non potest, & postulatur à Superiore, vt impedimento non obstante eligi valeat, excommunicatus non potest postulari, & si postuletur, postulatio est nulla.

Colligitur ex cap. 1. De Postul. Prælat. Vbi declaratur nulla Postulatio eius, qui Interdictum Ecclesiasticum violauerat, ergo multò magis id asserendum est, si postuletur excommunicatus, quia vtreque est censura ecclesiastica innodatus, & inhabilis ad obtinendum beneficium ecclesiasticum, ergo quod constitutum est de vno, extenditur ad alium, Glo. ibi Ver. Priuare cum Abb. num. 31. Text. in cap. fin. De Excess. Prælator. Vbi non seruantes Interdictum suspenduntur ab omni officio, & Iurisdictione, & Glos. ibi Ver. Irritas vltra med. dicit tales non posse eligere, nec eligi, nec postulari, Et Postulantes scienter excommunicatum sunt priuati ea vice potestate eligendi, vt inquit Glos. dicto Ver. Priuare, sicut de eligentibus scienter indignum statutum fuit in Concil. Lateranen. cap. Cum in cunctis De Elect. & quid per illam clausulam. Prima vice intelligendum sit, explicat fusè Abb. in cap. Cum Vintoniensis num. 11. & 13. De Elect.

Eodem modo sentiunt Doctores de Præsentatione, excommunicatus non potest præsentari à Patrono Laico, nec Clerico ad beneficium Iuris Patronatus, Archid. in c. 1. n. 3. De excep. lib. 6. Lap. Alleg. 8. Rocch. Curt. in Tract. De Iu. Patr. Ver. Honurificum q. 4. nu. 19. Petr. Rebuff. in Concord. pag. 728. Ver. Præterea excommunicatus, Couar. in c. Alma Mater 1. par. §. 7. num. 1. Vers. Secundò est ad idem.

Probant hoc dictum omnes Doctores arg. ducto ab electione ad præsentationem, quoniam omnia iura, quæ loquuntur in electione, habent locum in præsentatione, c. Sciant de Electio. lib. 6. Vbi Glo. Ver. Alios, pœnam statutam contra eos, qui perturbant electores, vel eorum cõsanguineos ex causa electionis transfert ad præsentationem, Clarius idem asserit Glos. in cap. fi. Ver. Electione eodem tit. & lib. Vbi formam præscriptam in Confirmatione electionis seruandam extendit ad postulationem, & præsentationem, & Præsentatio latius sumpta dicitur electio cap. secundo De

De Iur. Patron. & ibi notant Doctores.

Confirmatur ratione, nam ob eandem rationē propter quam electio personæ inhabilis ad beneficium nulla pronunciatur ab ipso iure ob personæ incapacitatem, eodem modo ob eandem incapacitatem personæ censenda est irrita Præsentatio, excommunicatio autem reddit personam indignam, & inhabilem ad beneficium, & dignitatem ecclesiasticam, vt probauimus. Eadem ratio militat in nominatione, & quacunque prouisione ad beneficium, nam excommunicatus ad beneficia, & dignitates non potest nominari, quia nominatio est quædam electio, Abb. in cap. Cum inter vniuersas num. 5. De Elect. & in cap. Quod sicut num. 1. ibidem.

Hinc sequitur Permutationem beneficij factam per excommunicatum nullam esse, cum in permutatione collatio requiratur, quia per permutationem acquiritur nouus titulus beneficij, cuius incapax est excommunicatus, Cardin. in Clemen. 1. Vers. Ipsius De Poen. Choimas in Pragmat. Sanctio. §. Insuper Ver. Disponere de Collation. Rebuff. vbi supra in Concord. pag. 729. Vers. Nec valet etiam, Couar. dicto §. 7. nu. 2. Vers. Quinto hinc constat.

Addit quoque Rebuff. Non posse redire ad suum beneficium eum, qui scienter illud renunciauit, vt excommunicato conferretur, si obtineat beneficium excommunicati per text. in Clem. vni. De Rer. Permut. & cap. Si beneficia de Præben. lib. 6. licèt excommunicatus non obtineat resignatum sibi beneficium propter suam incapacitatem.

Ex dictis etiam sequitur omnem impetrationem literarum ad beneficia obtentam per excommunicatum esse ipso iure inualidam, quia tempore excommunicationis nullum beneficium acquirere potest, cap. fin. De Excess. Prælatorum, Asten. in Summa tit. 9. quæst. 7. & est communis opinio omnium Doctorum, Cardin. in Clem. 1. §. 1. quæst. 5. De Relig. domi. Rebuff. vbi supra pag. 729. Vers. Excommunicatus etiam beneficium, Gig. in Tract. De Pensio. quæst. 14. n. 2. quos citat Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 7. Vers. Vndecimo non tantum, & colligunt hanc conclusionem ex cap. 1. De Rescript. lib. 6. Vbi Gregorius Nonus statuit nullum esse ipso iure rescriptum ab excommunicato impetratum, & quidquid inde secutum est, & licet Textus loqui videatur de rescripto ad lites impetrato ab excommunicato, & in pœnalibus non sit facienda extensio de casu ad casum, tamen Doctores generaliter illum intelligunt de quocunque rescripto, & Couar. loco citato id probat; nam si impetratio rescripti ad lites est nulla, fortiori ratione nulla erit impetratio literarum ad beneficia, quam illationem inquit probari ex tex. in cap. Ad audientiam 2. De Rescrip. & in cap. Quamuis de Præben. in 6. & certè nulla potest reddi ratio, cur Gregorius Nonus maluerit declarare impetrationem literarum ab excommunicato obtentam esse irritam, si tractetur de litibus, & controuersijs non autem si agatur de beneficio, vel in quocunque alio rerum genere.

Accedit, quod verba textus sunt generalia, ideo generaliter sunt intelligenda, excipiuntur solum rescripta super excommunicationis, vel appellationis articulo, & hæc duplex exceptio firmat regulam vniuersalem in omnibus alijs casibus, vt notauit ibi Gio. Vers. Alio.

Confirmatur idem ratione, quia rescriptum ad beneficium respicit commodum, & vtilitatem ipsius Prouisi, ergo maximè conueniens fuit in odium ip- A sius excommunicati, vt tale rescriptum, si impetretur per excommunicatum, tanquam nullum nihil ei suffragetur, Abbas in cap. Veritatis num. vltimo De Dolo, & Contum.

Sed Curia Romana iam consueuit in literis, & Rescriptis ad beneficia, vt tollantur omnes controuersiæ ad lites, ex hoc capite, quæ oriri possent super nullitate literarum Apostolicarum inserere in eis clausulam generalem absolutionis ab omnibus censuris ad illum effectum solum, vt collatio beneficij teneat, vt fusius ostendemus in Disp. sequenti.

Sed insurgit Dubitatio, an competat Episcopo facultas absoluendi aliquem excommunicatum ad eum finem tantum, vt collatio beneficij ab ipso facta te- B neat, & excommunicatus validè possit acceptare beneficium, vtque hoc actu legitimè præstito, remaneat excommunicatus.

Facit difficultatem, quia si Episcopus potest dispensare, vt qui in excommunicatione obtinuit beneficium, post absolutionem valide illud retinere possit absque noua collatione, vt dicunt Doctores in cap. Postulastis De Cleri. Excom. Mini. vt ostendemus in cap. 7. fortiori ratione poterit dispensare in ipso actu collationis, vt excommunicatus licite valeat acceptare beneficium, & expedito actu, propter quem absoluitur, statim reincidet in excommunicationem.

Deinde Testes excommunicati absoluuntur ad ef- C fectum deponendi testimonium tantummodò in cap. Veniens 2. & ibi Abb. num. 18. De Testi. Similiter Oratores Principis absoluuntur, si sint excommunicati, quousq; fungantur legationis officio apud Pontificem secundum Host. in cap. Apostolicæ De Except. Ergo eodem modo poterunt absolui excommunicati, vt collationes beneficiorum eis factæ teneant, & sint validæ, & deinde eiusdem censuræ vinculo obstricti maneant.

Propter has rationes Boer. decis. 290. num. 3. Vers. Et aduerte, inclinat in hanc opinionem, vt Episcopus valeat absoluere excommunicatum ad hunc finem solùm, vt collatio beneficii sit valida.

Oppositum tamen censeo probabilius, quia si iu- D ra statuunt excommunicatum esse inhabilem, & incapacem ad beneficia ecclesiastica ipso iure, vt ex c. Postulastis De Cleric. Excom. Mini. probatum est, in capitulo secundo huius disputationis; ergo Episcopus non poterit dispensare cum ipso absoluendo illum ad hunc finem solum, vt collatio sit valida, quia inferior non potest dispensare contra legem Superioris.

Non obstat id, quod dicitur de Dispensatione, quæ potest concedi ab Episcopo, vt quis licite retineat beneficium tempore excommunicationis impetratum, post absolutionem ab excommunicatione; quoniam hoc priuilegium conceditur in eodem capitulo Postulastis illis verbis, *Nisi forsitan cum eis* E *fuerit misericorditer dispensatum*, vt latius ostendemus in capitulo septimo. Sed alia ratio est de receptione beneficij ante absolutionem, cum Excommunicatus ipso iure sit incapax ad beneficium, & absoluere excommunicatum ad actum solum receptionis beneficij proprie non est absoluere, sed dispensare, ne in hoc actu excommunicatio impedimentum afferat, quod Episcopus efficere non potest contra Constitutiones sacrorum Canonum.

Minus obstat exemplum de Testibus, quia illud est priuilegium peculiare Iure inductum, vt lites facilius, & citius expediantur, quod non est

extendendum ad collationem benefitij, vt inquit Nauat. in c. ita quorundam de Iudæ. notab. 11. nu, 18, & 22.

Deinde quod testes excommunicati absoluũtur solum, vt possint testimonium ferre non simpliciter permittitur neq. semper, & indifferenter, sed quando desunt aliæ probationes, itá vt causa expediri nequeat; Neq; id fit in vtilitatem, & commodum ipsius Testis excommunicati, sed in ordine ad bonum commune, vel saltem ad commodum, & vtilitatem priuatam alterius, quæ omnia cessant in Collatione facta excommunicato, ergo ex huiusmodi exemplis nihil inferri potest.

Sequitur postremo ex ijsdem Commendationem beneficij, & Ecclesiæ factam excommunicato inualidam esse ob eandem rationem, quia commendatur alicui beneficium, vt illius regimen, & curã suscipiat, & in eo exerceat functiones ecclesiasticas, sed excommunicatus est inhabilis, & incapax, ne possit exercere officia ecclesiastica, nec sacramenta ministrare, quare nulla erit commendatio Ecclesiæ ei facta; Idem enim est, si commendetur alicui Ecclesia, vel conferatur in titulum; Neq. enim licet alicui commendare Ecclesiã, nisi vnam, & nisi in ætate legitima, & in sacerdotio constituto, vt dicitur in cap. Nemo De Elect. lib. 6. sicut nec conferre in titulum; Idcirco sicut Collatio Ecclesiæ facta excommunicato est nulla, itá quoquè erit irrita Commendatio.

CAPVT IV.

An Pensio super beneficio Ecclesiastico excommunicato collata sit ipso Iure nulla.

HActenus probatum est omnem Collationem, & Prouisionem beneficij factam excommunicato esse ipso Iure irritam, & inualidam; Videndum est modò, An hæc Conclusio extendatur ad Pensiones, quæ imponuntur super beneficiis Ecclesiasticis, quia pensio non est beneficium, sed est quædam portio fructuũ ex mensa beneficij ex causa ad tempus, non perpetuò separata, vt inquit Card. in Clem. 1. §. 1, quæst. 3. De Supplen. neglig. Prælat. Gig. in Tract. De Pensio. q. 1. & vocatur Pensio, quia pendet à beneficio, à quo extrahitur, sicut Vsusfructus à proprietate, vt in cap. fin. De Pigno.

Et quoniam duæ sunt licitarum Pensionum species, quæ imponuntur super beneficiis Ecclesiasticis, prætermissis illicitis, de quibus modò non opus est sermonem habere, quædam, quæ dantur in titulum beneficij; Vt quando certa portio fructuum ex pingui beneficio extrahitur, super qua instituatur beneficium perpetuum, de hac pensione tractat Card. vbi supra, & Abb. in cap. Conquerente num. 5. De Cleri. non Resid. affirmat licere Prælato ex redditibus Ecclesiæ ditioris, quæ ministro indigeret, pensionem certam constituere, vt esset beneficium conferendum Clerico, qui eidem Ecclesiæ deseruiret; Non obstat cap. Extirpandæ in fine, vbi est interdictum, nè quis de prouentibus Ecclesiæ, quæ curam habet alteri vltra proprium sacerdotem, pensioné pro beneficio conferre præsumat; Neq. cap. Maioribus De Præb. quod statuit beneficiũ non debere diuidi; Hæc enim Iura intelligenda sunt, quando Superior ex fraude, & dolo constituit beneficium deducta pensione ex redditibus alterius Ecclesiæ sine vlla necessitate, & vtilitate eiusdem Ecclesiæ. Exemplum affert Abb. Vt si Episcopo esset Nepos, cui ob ætatis defectum beneficium curatum vacans conferre non posset, & decerneret ex fructibus beneficij extrahendam esse pinguem pẽsionem, ex qua erigeret beneficium simplex, & Nepoti assignaret, id enim nullo modo liceret. Hæc igitur est prima species pensionis, quæ datur in titulum beneficij, & est perpetua durante vita. Altera species pensionis est, quæ absque spirituali titulo conceditur auctoritate Superioris ex diuersis causis super fructibus beneficij; Aliquando pro seruitio impenso, vel impendendo, puta pro officio pulsandi Campanas, aperiendi fores Ecclesiæ, pro munere aduocandi, vel procurandi, aut similibus; Nonnunquam ex causa cessionis Iuris ad dirimendam litem, & controuersiam inter Collitigantes super beneficio ortam; Interdum ex causa lucratiua; Vt quando assignatur alicui pensio super fructibus beneficij, vt commodius sustentari valeat, vt quotidie fit, de his speciebus pensionis loquitur Gigas in Tract. De Pensio. q. 3.

Si tractemus de Pensionibus prioris generis, res videtur carere omni difficultate; Nimirum huiusmodi pensiones non posse assignari excommunicato, & si assignentur, nullas esse, & inualidas.

Fundamentum huius Conclusionis est, quoniam Collatio beneficij facta excommunicato irrita est ipso iure, vt probatum est in cap. 2. Sed huiusmodi pensio est beneficium Ecclesiasticum, ergo si conferatur excommunicato, Collatio erit ipso Iure nulla, Minor probatur auctoritate illius cap. Conquerente De Cleri. non resid. Vbi conceditur facultas Prælato ex fructibus vberioribus alicuius Ecclesiæ constituendi pensionem sub titulo alterius beneficii assignandam Clerico, qui in eadem Ecclesia obsequium præstare debeat, & ibi notant Doctores, & Pensio sic separata ex fructibus alterius beneficij semper deinceps remanet beneficium Ecclesiasticum, & confertur tanquam beneficium; Vnde Abb. ibi in 1. not. hoc expresse animaduertit ex illo tex. Nempe posse super redditibus Ecclesiæ vnios constitui certum beneficinm, assignando determinatam pensionem pro beneficio erecto. Idem affirmat Gig. de Peosionibus q. 28. in fi. ex Clem. 1. De Supplen. neglig. Prælat. & io q. 54. num 5. huiusmodi pensionem appellat intitulatam, & dicit esse beneficium; Hoc idem asserit Couar. Practi. quæstionum cap. 36. nu. 10. §. Quartò quoties pensio, Vers. Nam licet Pensio, Vbi fatetur ex mente Gomez. in Reg. De Annal. possessore q. 21. Pensionem constitutam loco beneficii, vt frequentius accidit in stipendium pauperum Clericorum, non esse proprie beneficium; Tamen vbi constituitur in titulum beneficii cum onere alicuius ministerii Ecclesiastici, tunc beneficium propriè dici, & leges consequi beneficii Ecclesiastici; Ad idem confirmandum accedit optima Glo. in Clem. vlt. in Ver. Quodcunque beneficium De vi. & honest. Cleri. dicens verba illa, quodcunq. beneficium includere præstimonium, vel pensionem, quam quis habet in titulum; Vnde hæc pensio, quæ perpetua est, & semper deducitur ex fructibus beneficii, non differt à præstimonia, At certe nemo dubitat, quin præstimonium verè, & propriè vocari debeat beneficium Ecclesiasticum, vt probat Dom. Sot. lib. 10. De Iust. & Iu. q. 5. art. 3. Calde. in cap. In nostra De Rescript. Rebuff. in Praxi Beneficiorum in prima par. in titulo, Seculare beneficium quotuplex nu. 16. vocat præstimoniũ, seu præstimonium, seculare beneficium simplex ex cap. fin De Concess. Præb. lib. 6. Idem repetit in Practi. Cãcellariæ, Apostolicæ in tit. Notabilia super Vacantibus non reseruatis Ver. Beneficii appellatione pag. 639. Licet videa-

A videatur dubitare, an præſſimonia dentur in titulum; Mandos. in Reg. 34. De Annal. quæſtione 12. diſputat hanc quæſtionem ad vtranq. partem; Et primu pro parte negatiua, quod appellatione beneficiorum non intelligantur Pręſſimonia adducit Io. And. in cap. vni. nnm. 3. Verſ. Et nota, quod dicit beneficia De Rer. Permut. lib. 6. & Abb. conſ. 47. nu. 4. lib. 2. & Feln. in cap. Poſtulaſtis nu. 8. De Reſcript. Deinde pro parte affirmatiua multò plures auctoritates Doctorum citat; Tandem concludit, & conciliat contrarias opiniones, diſtinguendo. Aut eſt ſermo de Præſſimoniis, quæ in titulum perpetuum dantur, & habent annexũ aliquod obſequium ſpirituale, & vera eſt opiniu aſſerentium Præſſimonia eſſe beneficia Eccleſiaſtica; Aut B tractatur de Præſſimoniis in ſola temporalitate conſiſtentibus, quæ non conceduntur in titulum, quorum Laici ſunt capaces, & in his locum habet opiniu, quæ negat huiuſmodi præſſimonia dici poſſe beneficia. Huius diſtinctionis meminit Rebuff. De Pacif. Poſſeſſ. nu. 90. Verſ. Decimo ſeptimo etiam procedit in Præſſimoniis; Tandem ſubdit Mandoſ. Hodie omnia Præſſimonia regulariter, præſertim in Hiſpania in titulum perpetuum dari, & habere annexum obſequiũ ſpirituale; Quare propriè dici debent beneficia Eccleſiaſtica, quod ſuſcepimus probandum, Sequitur igitur huiuſmodi Præſſimonia, ſeu Penſiones Excommunicato collatas nullas, & inualidas eſſe, cum Excommunicatus beneficiorum Eccleſiaſticorum non ſit capax.

C Quod ſi loquamur de aliis Penſionibus temporalibus, magis dubitari poteſt, An validè concedantur excommunicato, quia illæ non ſunt vere beneficium Eccleſiaſticum, niſi latiſſime accipiatur nomen beneficij, vt citati Auctores aſſerũt, & tradit Mandoſ Reg. 16. q. 38. nu. 2. 3. & 5. & Reg. 19. q. 11. nu. 11. Nauar. in Manuali cap. 23. num. 111. & probari poteſt euidenti ratione. Primo quia ad intrinſecam rationem beneficii pertinet, vt ſit Ius perpetuum, Gloſ. in cap. vni. Ver. Perpetui De Reſcrip. lib. 6. ſcilicet vt duret vita ſuperſtite illius, cui collatum fuit, hoc enim dicitur perpetuum, vt inquit Glo. in eod. cap. in Not. poſt caſum ex l. 1. ff. Pro ſoc. At penſio ex ſui genere eſt temporalis, & durat, quandiù Penſionarius exhibet miniſterium, & obſequium, ratione cuius conceſſa fuit Pen- D ſio, vt ſi detur Aduocato pro patrocinio & defenſione præſtanda in cauſis Eccleſiæ, ceſſante Patrocio adimitur Penſio, vt concludit Bart. l. Cum quid in fi. ff. Si certum petatur, eodẽ modo ſi aſſignata fuit pro alio officio temporali. Secundo huiuſmodi penſiones per ſe non dantur in titulum, nec habent annexum miniſterium, & officium ſpirituale; Hoc autem requiritur in beneficio Eccleſiaſtico. Tandem id manifeſte patet ex cap. Quamuis De Præben. lib. 6. Vbi Bonifacius Octauus decernit literas ſuper obtinendis beneficiis impetratas non eſſe intelligendas de Penſionibus, niſi de penſione in literis mentio habeatur expreſſa, & ibi Gloſ. in Ver. In Penſione in Additione hæc habet: *Per* E *beneficia quis intitulatur, & obligatur Eccleſiæ, & tenetur ad continuam reſidentiam De Cleri. non reſid. cap. fin. Sed per penſionem non intitulatur, nec ad reſidentiam tenetur, cum illa poſſit etiam Laico concedi*; Ex quibus videtur poſſe colligi excommunicationem non reddere ità inhabilem ipſum excommunicatum, vt non poſſit tales penſiones validè obtinere.

In hac difficultate tres reperiuntur diuerſæ Doctorum opiniones; Prima eſt aliquorum ſimpliciter affirmantium firmas eſſe, & validas collationes penſionũ factas excommunicato; Idque aſſerunt ducti rationibus propoſitis, quia non ſunt beneficia, nec officia Eccleſiaſtica, ſed ſunt donationes quædam temporales, quæ, quantum eſt ex natura illarum, pecunia redimi poſſent, ſed ad tollendos abuſus, cautum eſt, ne id fiat abſque Pontificis auctoritate.

Secunda opinio oppoſita aliorum, qui negant tales penſiones aſsignari poſſe excommunicato, quia propter excommunicationem redditur incapax ad illas obtinendas; Hanc tenet Gig. de penſio. quæſt. 14. in fin. & dicit eandem amplecti Romanam Curiam, quæ ſolet in litteris reſeruationis penſionis apponere clauſulam illam ſolitam etiam inſeri in litteris beneficiorum, videlicet Teq. à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. ſi quomodulibet innodatus exiſtis ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes &c. Couar. eſt eiuſdem opinionis in cap. Alma mater 1. par. §. 7. n. 2. Verſ. Nono idem in penſiune, licet enim illa non ſit beneficium Eccleſiaſticum, neque detur propter officium, & miniſterium ſpirituale, ſicut datur beneficiũ, & idcirco non ob hanc rationem aſsignatio penſionis facta excommunicato ſit inualida, ſicut eſt collatio beneficij ex cap. Poſtulaſtis de Cleri. excom. Mini. Tamen inquit Couar. hoc ſtatutum eſt in odium excommunicatorum, & quia penſiones ſunt redditus Eccleſiaſtici.

Tertia opinio media aliorum, qui diſtinguunt penſiones, alias dicunt aſſignari propter cauſam mere temporalem, & prophanam ſine vlla ordinatione ad munus Eccleſiaſticum, vt propter obſequia, & ſeruitia præſtita à parẽtibus in Militia pro Repub. vel Principe, vel ex ſimili cauſa onerosa, & huiuſmodi penſiones non negant poſſe excõmunicato conferri; Alias vero dari putant immediate propter munus ſpirituale, & cum ex cauſa datur Coadiutor Epiſcopo, vel Adminiſtrator in Epiſcopatu, & ex redditibus Epiſcopatus aſsignatur certa penſio in ſtipẽdium ipſi Coadiutori, aut Adminiſtratori, & talium penſionum non eſſe capacem excommunicatum, cui interdicta eſt adminiſtratio rerum ſpiritualium. Tandem alias penſiones reperiri, quæ medio modo ſe habent, quæ neque proxime, neque immediate dantur propter ſpirituale munus, & oriuntur ſaltem remote, & mediate ex aliqua cauſa ſpirituali, vt quando ad terminãdam litem inter duos ortam ſuper beneficio, alteri relinquitur beneficium, aſsignata alteri penſione ſuper beneficio iuxta textum ſingularem in cap. Niſi eſſent de præben. Vel cum quis renunciat beneficium alteri, reſeruata ſibi penſione, quæ remote ſaltem confertur ob titulum beneficii prius habiti, vel in ſuſtentationem quodammodo debitam ob ſeruitium, & miniſterium ſpirituale antea Eccleſiæ exhibitum, & de hoc tertio genere penſionum dubitant ad vtranque partem, an poſsit excommunicatus illas recipere.

Ex his diuerſis modis reſpondendi ad difficultatem propoſitam ſecundus videtur probabilior, & magis iuri conſentaneus, & illum ſequentes dicimus; Non licere aſsignare penſionem excommunicato ſuper beneficio Eccleſiaſtico, cuiuſcunque generis ſit penſio, ſed præſertim ſecundi, & tertij generis, & multo minus conceſſum eſſe excommunicato illam recipere.

Probatur primo ex cap. Poſtulaſtis de Cleri. excom. Mini. Vbi ſummus Pont. hac ratione probat Eccleſiaſtica beneficia conferri non poſſe excommunicato, nec ab eo retineri, quia excommunicato communicari non debet, ſed aſsignatio penſionis eſt communicatio in re Eccleſiaſtica, & ſpirituali, igitur non eſt permiſſa,

missa, licet enim fructus constituentes pensionem sint temporales, sunt tamen redditus Ecclesiæ, & Deo dicati, vt inquit Couar.

Secundo excommunicatus, quandiu est excommunicationis vinculo obstrictus, non potest licitè exigere fructus Pensionis, quam obtinuit ante excommunicationem, & in Iudicio, si excommunicationis exceptio opponatur, repelli potest à petitione pensionis iuxta cap. Exceptionem De Except. & cap. Prudentiam §. Sexta De Off. Deleg. Ergo fortiori ratione non poterit Ius ipsum pensionis acquirere.

Confirmatur, Nam quando quis redditur inhabilis ad aliquem actum, multò magis est inhabilis ad recipiendum de nouo illud, quod est principium Actus. Hæc regula desumitur ex cap. Si celebrat De Cleri. Excom. Mini. Quare si excommunicatus non potest recipere fructus pensionis, ergo multo minus poterit acquirere pensionem, quæ est Ius exigendi illos fructus.

Hinc sequitur ob eandem rationem, sicut diximus in cap. tertio de Beneficiis, literas ab excommunicato impetratas super assignatione Pensionis nullius esse roboris, & valoris, nisi in illis apposita fuerit clausula absolutionis ad hunc effectum, quia omne rescriptum per excommunicatum impetratum, præterquam super articulo Absolutionis, & Appellationis, est nulli ex cap. Dilectus De Rescript. & cap. 1. eodem tit. lib. 6. Abb. in cap. Veritatis De Dolo, & Contum.

CAPVT V.

An si Collatio beneficij, Electio, seu quæuis alia Prouisio legitimè facta sit ante excommunicationem, possit prouisus vinculo excommunicationis postea obstrictus validè acceptare beneficium ei collatum.

Hactenus tractatum est de impedimento, quod oritur ab excommunicatione, quando confertur beneficium Ecclesiasticum excommunicato; Videndum est in hoc capite, Vtrum, quando collatio beneficii facta fuit, antequam Prouisus esset excommunicatus, & ex consequenti fuit valida, si superueniente excommunicatione acceptet beneficium, talis acceptatio sit nulla.

Proponitur hæc difficultas ob eam rationem, quoniam licet per Collationem Ius in beneficio ecclesiastico acquiratur, quia canonica collatio Ius in re tribuit etiam absq. eiusdem possessionis apprehensione, vt habetur in cap. vlt. in fin. De Concess. Præben. lib. 6. Glo. in cap. penult. in Ver. Collatio De Præb. eod. lib. & ibi communiter Doctores; Tamen Ius plenum, & completum non acquiritur, vt beneficium dici valeat illius, cui canonicè collatum fuerit. donec is collationem ratam habuerit, & acceptauerit; Tex. expressus in cap. Si tibi Absenti De Præb. lib. 6. l. Absenti ff. De Donat. l. Qui absenti ff. De Acquit. Poss. Et quamuis ante dictam acceptationem Collator siue absenti, & ignoranti, siue præsenti, & scienti contulerit beneficium, minimè possit collationem reuocare, & beneficium alteri conferre, vt in dicto cap. Si tibi absenti, Non tamen hoc accidit, quia per collationem plenum, & integrum Ius acquiratur ante acceptationem, sed idcirco Collator pænitere non potest, nec recedere à collatione facta, vt inquit Abb. in cap. Accedens nu. 3. De Præb. & in cap. Publicato nu. 3. De Elect. quia functus est officio suo, eo ipso quod contulit beneficium, nec potest variare; Quod non est peculiare in Beneficiis, sed locū

A habet in quibuscunq; Iuribus, quando conferuntur ab eo, cui potestas conferendi conuenit ratione officij, quod gerit, tunc enim absoluta actione non potest pænitere, secus est, quando confert nomine proprio, Card. consil. 105. Oldra. consil. 57. pulchrè, Rom. consil. 295. Abb. locis citatis. Quamobrem si is, cui collatum est beneficium, tunc acquirit integrum Ius in beneficio, cum collationem ratam habet, & illam acceptat, & excommunicatus incapax est ad Ius acquirendum, præsertim spirituale, & Ecclesiasticum, sequitur acceptationem beneficij factam per excommunicatum esse nulla, merito igitur reuocatur in controuersiam, vtrum excommunicatus possit acceptare collationem beneficij sibi ante excommunica-
B tionem legitimè factam.

Augetur difficultas, quoniam in illis Ecclesijs, in quibus consuetudo est, vt in Vacatione Præbēdarum, & dignitatum competat actio optandi Canonicis antiquioribus, pinguiorem Prabendam, & maiorem dignitatem, Canonicus excommunicatus priuatus est iure optandi iuxta c. fin. De consuet. in 6. Rota decis. 195. incipit, Acceptatio, in Nouis, Rebuff. in tit. excom. non vitan. Vers. Ideo optio fol. 730. & tamen in optione non fit noua collatio, vt tenet Archid. in c. fin. num. 1. De Consuet. lib. 6. Nec acquiritur nouus titulus vel nouum, Ius, sed tantum acceptatur noua Præbenda in eadem Ecclesia, dimissa priori, vigore consuetudinis Ecclesiæ, igitur multo
C minus excommunicatus poterit acceptare beneficium, cuius titulum, & ius nunquam habuit, sed tunc primò obtinet.

Ex his apparet difficultas propositæ dubitationis, quam Couar. in c. Alma Mater par. 1. §. 7. nu. 4. in fine dixit admodum vrgere.

Duæ Doctorum opiniones ad eam dissoluendam reperiuntur. Prima est asserentium per acceptationem beneficij conferri ius ad illud, vt probauimus, quare excommunicatum non posse validè illud acceptare, quia qui grauatus est excommunicatione, incapax est ad obtinendum Ius spirituale. Fuit sententia Cardinalis in c. Postulatis de Cleri. excom.
D Mini. Felin. c. Ad probandum nu. 6. de re Iudi. Vbi docet gesta Iure priuato per occultè excommunicatum etiam ante denunciationem non valere, & ponit exemplum, vt acceptatio beneficij, contractus Electio, & huiusmodi, Alciat. cap. 1. de Iudi. nu. 12. videtur eiusdem sententiæ, Caiet. in summa Ver. excommunicatio ad fi. §. Vbi scito, & Couar. lib. 3. Variar. Resol. cap. 16. nu. 4. Vers. At idem esse in excommunicato, censet rem dubiam esse, & controuersam, an excommunicatus possit acceptare beneficium sibi ante excommunicationem collatum ob eandem rationem, scilicet quia tempore acceptationis acquisitio Iuris spiritualis fit, quæ excommunicato minimè conuenire potest, vnde quamuis fateatur
E contrariam sententiam, quam amplectitur Rota, vt videbimus, esse magis communem, illam tamen non omnino approbat.

Altera est sententia opposita aliorum, qui censent acceptationem beneficij legitimè collati factam tempore excommunicationis tenere, & habere vim, ac per eam excommunicatum acquirere beneficium.

In hac sententia est Rebuff. in Rub. De excom. non vitan. Vers. Tertio fallit fol. 732. Gig. de Pension. q. 63. num. 15. Vbi quærit, An excommunicatus possit optare, & concludit affirmatiuè, quia per optionem non acquiritur nouum Ius, & in eandem sententiam

citat

A citat Dominicum, & Franc. in c. fin. de consuet. lib. 6. Idem tenet Gomez. in Tract. de expectat. nu. 60. Nauar. in cap. Si quando exceptione 10. nu. 9. Vers. facit septimò de rescript. & dicit esse communem opinionem, tandem Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 7. num. 4. & lib. 3. Variar. Resol. cap. 16. num. 4. Vers. At idem esse in excommunicato, qui licet non damnet contrariam opinionem, hanc tamen dicit esse communem, & declarat, quomodo sit intelligenda, hanc sententiam sequuta est Rota in Antiq. decis. vlt. hodie est quarta in tit. de sent. excom. & decis. 126. in Antiquis, & est octaua de sent. excom. Nota, quod excommunicatus.

Probari potest hæc opinio. Primo ex Praxi, quia consuetudo, & stilus ita seruat, & hunc stilum pro- B bant Decisiones Rotæ.

Secundo, quoniam dispositio legis, quod collatio beneficij facta excommunicato non teneat, est odiosa, & pœnalis, idcirco potius coarctanda. Quare cum Iura prohibeant, & irritent simpliciter Collationem beneficij factam excommunicato, neque aliquid dicant de acceptatione beneficij, in quo actu se habet, vt priuatus, nam non confert sibi, neque eligit se, sed exprimendo consensum, & acceptando punit conditionem, & dispositionem, sine qua collatio non haberet plenum effectum, igitur excommunicatus poterit acceptare beneficium.

Tertio excommunicatus redditur incapax ad ac- C quirendum Ius ad beneficium, sed Ius ad beneficium acquiritur in collatione, igitur si tempore Collationis prouisus erat capax, & non excommunicatus, potuit acquirere Ius ad beneficium, quod si deinceps euadat excommunicatus, antequam consequatur beneficium, hoc non irritat collationem iam factam, cum Ius ad beneficium habitum sit, & agatur solum de beneficij receptione, quæ potius ad factum, quàm ad Ius pertinet, igitur non de beneficio acquirendo, sed de acquisiti receptione.

Ab hac communi sententia minimè recedendum est, sed explicanda est clarius, & distinctius.

Et primo dicendum est excommunicationem superuenientem post legitimam beneficij Collationem D ante acceptationem non irritare ipsam Collationem, nec tollere, aut minuere ius illud ad rem, quod sola Collatio ante acceptationem potuit tribuere.

Probatur primo ex tex. Si tibi Absenti de Præben. lib. 6. Vbi prohibetur, ne Episcopus, qui beneficium alicui contulit, possit illud alteri conferre, etiam si prior ante acceptationem in excommunicationem inciderit, quia excommunicatio impedit acquisitionem noui Iuris, sed non irritat Ius acquisitum.

Secundo si collatum fuit beneficium alicui, qui postea excommunicetur, & deinde obtenta absolutione virtute collationis factæ illud acceptet, vtique per talem acceptationem acquirit Ius in beneficio, ergo vis, & efficacia Collationis per excommunica- E tionem sequentem minimè extincta remansit.

Secundo dicendum est acceptationem factam per excommunicatum tempore excommunicationis non tribuere illi plus iuris in beneficio, quam antea haberet.

Hanc conclusionem euidenter probare videntur rationes initio capitis propositæ, quarumuis consistit in hoc, quod licet ex Collatione Ius in beneficio detur, id tamen non acquiritur, donec acceptatio fit, vt inquit Couar. libro 3. Variar. Resol. cap. 16. numero 4.

Nam is, cui beneficium collatum est, non acquirit Ius in illo, vt suum dici possit, antequam acceptet, sed tantum acquirit Ius ad ipsum beneficium, vt dicatur sibi debitum, vt inquit Franc. in c. Si tibi absenti nu. 2. de Præb. lib. 6. cum aliud sit beneficium esse suum, ex quo competit sibi ius in re, & aliud esse sibi debitum, & tunc competit Ius ad rem facit c. fin. de concess. Præb. lib. 6. Clem. Auditor, & ibi Glo. Ver. Debitum de rescrip. & Clem. 1. vt lit. Pend. in Ver. Collatio in princ. ex quibus clarum est tempore acceptationis acquisitionem Iuris spiritualis fieri, quæ excommunicato minimè potest conuenire, vnde ante acceptationem non tenetur recitare horas Canonicas, Nauar. in Manuali cap. 25. n. 103. & lib. de orat. notab. 7. n. 29. & Miscell. 61. num. 136. Couar. in dicto cap. 16. nu. 1.

Secundo eandem conclusionem probat doctrina quædam communis Canonistarum, quod si quis electus in Episcopum, atq; etiam confirmatus inhabilis fiat ante consecrationem, repellendus est ab Episcopatu, vt refert Nauar. in cap. Si quando exceptione 10. nu. 13. De Rescript. quæ doctrina saltem vera est. si ille sua culpa contraxit inhabilitatem, vt limitat Abb. cap. ex parte nu. 6. De Cler. Aegrot. quare sicut electus, & confirmatus, qui habet ius quæsitum in re, & spiritnale vinculum contraxit cum Ecclesia, c. super his de Accusat. c. Transmissum de elect. cap. Inter corporalia de Transl. Episc. si inhabilis fiat, non C potest consequi Ius, quod illi restat acquirendum, ergo fortiori ratione ille, cui collatum est beneficium, si interim ante acceptationem vinculo excommunicationis obstringitur, non potest durante excommunicatione ius in beneficio acquirere, quia, vt dictum est, Collatio tribuit quidem Ius, sed illud non acquiritur ante acceptationem & per excommunicationem inhabilis fit prouisus ad illud acquirendum.

Ex his sequitur, quod quamuis collatio beneficij, & literæ impetratæ ad beneficium per superuenientem excommunicationem non irritentur, excommunicatus tamen, antequam acceptet beneficium, debet obtinere absolutionem, vt ei prosit acceptatio.

Sed dicet quis, si collatio beneficij adueniente ex- D communicatione non redditur nulla, sed retinet vires suas, neq; beneficium potest alteri conferri, parum, vel nihil refert, si excommunicatus acceptet beneficium durante excommunicatione, vel post obtentam absolutionem.

Respondeo plurimum interesse. Primò quia si contingat mori excommunicatum, cui collatum est beneficium ante absolutionem ab excommunicatione, beneficium nõ dicitur vacare per obitum ipsius, quia nunquam illud acquisiuit, quod necesse est scire, vt intelligamus, ad quem pertineat noua illa collatio, vt notauit Couar. in dicto cap. 16. nu. 3. Si enim Papa beneficium eius collationi reseruatum alicui contulerit, & is ante acceptationem mortem obierit, ad- E huc manet reseruatio integra, quia beneficium non dicitur vacare obitu illius, qui eius collationem nondum acceperat, similiter beneficium vacans in Curia Romana collatum alicui, qui ante eius acceptationem extra Curiam moriatur, adhuc vacat in Curia, non per mortem illius, cui collatum fuit, Oldrad. consil. 53. & alij, quos citat Couar. sed post acceptationem beneficij reseruati expirat reseruatio, & si vacat etiam ante apprehensionem possessionis, non est amplius reseruatum, vt Doctores asserunt, quos citat Couar.

Deinde iuuat scire, quo tempore acceptatio fiat; Nam si ab Episcopo assignatus sit competens terminus ei, cui collatum est beneficium ad consentiendum, & acceptandum, & interim ante acceptationem excommunicetur, & durante excommunicatione acceptet, elapso termino, & non obtenta absolutione poterit Episcopus beneficium alteri conferre; Vt habetur in dicto cap. Si tibi absenti, quia talis acceptatio fuit inualida ad effectum acquirendi beneficium.

Sed dices, si acceptatio facta ab excommunicato tempore excommunicationis nihil ei prodest, & per eam non acquirit excommunicatus Ius in beneficio, neque facit illud suum, ergo falsa est communis opinio Doctorum, quam sequitur Rota.

Respondeo cum Nauar. in dicto cap. Si quando Except. 10. nu. 9. & Couar. in cap. Alma Mater prima par. §. 7. nu. 4. & lib. 3. Variar. Resol. cap. 16. nu. 4. Ver. Nisi quispiam dixerit, Opinionem communem intelligendam esse, vbi de sola facti simplici acceptatione agitur; Qua ratione qui habet literas ad beneficium vacaturum, poterit, & si excommunicatus sit, tempore, quo vacat illud, acceptare virtute literarum, & collatio erit suspendenda, donec ab excommunicatione absoluatur, vt tunc Iure fiat, cap. Postulastis De Cleri. Excom. Mini. Et hoc voluit Rota in Antiquis decis. 33. Nota quod excommunicato, hodie est quinta in tit. De Sent. Excom. Quamobrem sequuta absolutione ipso facto absq. noua acceptatione acquiret Ius in beneficio, & illud faciet suum. Cuius dicti illa ratio est; Quia causa efficax Iuris, quod acquirit ille, qui obtinet beneficium, est collatio illius, cui competit Ius conferendi beneficium, Glos. in cap. penult. Ver. Collatio De Præben. lib. 6. Consensus enim, & acceptatio Recipientis est tantum conditio, vel dispositio ex parte subiecti, & pertinet ad nudum factum, non est actus Iurisdictionis, nec est collatio Iuris, sed solum declaratio proprij consensus, quæ declaratio necessaria est tanquam causa, sine qua non acquiritur Ius in beneficio; Ideirco cum excommunicatio illius, qui recipit beneficium, sit causa, ne collatio ipsius Conferentis pariat effectum suum, quæ, quantum est ex se, manet in suo robore, ideo sublata excommunicatione ex parte Recipientis, collatio statim habet effectum suum.

Hinc sequitur multo magis validam esse apprehensionem possessionis beneficij collati ante excommunicationem, si possessio apprehendatur ab excommunicato, facit cap. Pro illorum, & ibi Glo. Ver. In Canonicum De Præb. & Abb. nu. 16. Idem Abb. in cap. Veritatis nu. 42. De Dolo, & Contum. Selua De Benef. par. 3. q. 4. nu. 12. quia apprehensio est quid facti, non iuris; Similiter si excommunicatus mittit aliquem ad capiendam possessionem beneficij, vt si Canonicus excommunicatus mittit alium ad capiendam possessionem Canonicatus; Illa possessio, & receptio in Canonicum erit valida, quoniam hæc non sunt Iuris, sed facti, Abb. vbi supra; Tabien. V. Excommunicatio 1. nu. 45. Et ratio est, quoniam sola canonica collatione absq. apprehensione possessionis Ius in beneficio acquiritur sequuta acceptatione, & ratihabitione illius, cui collatum est beneficiũ, cap. vlt. De Concess. Præb. lib. 6. Et nihilominus apprehensio possessionis beneficij facta per excommunicatum non erit illi vtilis, nec prodesse potest durante excommunicatione, antequã consequatur absolutionem ab excommunicatione, cum eo tempore medio maneat suspensus ab omni administratione Ecclesiæ, & vsu spiritualium, & pri-

A uatus omnibus fructibus, & commodis beneficij.

Ex his possumus respondere ad dubitationem propositam de Optione.

Dicendum est igitur 3. in hac quæstione excommunicatum durante excommunicatione non posse optare beneficium, aut dignitatem, vt ex tali optione collatio illi fieri valeat, aut Ius acquirat in beneficio; Secus quando per optionem non mutatur beneficium, nec fit noua collatio.

In hac Conclusione includuntur duæ partes, & in vtraq. videntur conuenire omnes Doctores. Primum enim, quod excommunicatus non possit optare beneficium, ità vt acquirat Ius in illo; Asserunt Rebuff. in Rub. De Excommunicatis non vitan. Vers. Ideo B optio non potest. fol. 730. Gig. in Tract. de Pension. q. 63. nu. 15. Couar. in cap. Alma Mater prima par. §. 7. nu. 4. & lib. 3. Variar. Resol. cap. 16. nu. 4. Vers. Ad eandem rationem.

Fundamentum huius doctrinæ est, quoniam, quando quis per mutationem beneficij, quod possidet, optat aliud melius, intercedit noua collatio beneficij; Sed excommunicatus incapax est nouæ Collationis, & noui beneficii, igitur excommunicatus optare nequit, sed posset tunc optionem acceptare differendo executionem, seu permutationem vsque ad tempus obtentæ absolutionis, quæ procuranda est infra terminum sibi ad optionem faciendam consuetudine, aut iure concessum iuxta cap. fin. De Consuet. lib. 6. C alioqui Ius optandi ad alium deuoluitur. Et hæc acceptatio optionis prodesset ipsi excommunicato ad effectum simplicis declarationis, qua significaret voluntatem, quam haberet optandi beneficium post absolutionem, vt inquit Couar. in illo cap. 16. nu. 4. Vers. Ad eandem rationem.

Quod vero excommunicatus possit optare Præbendam, quando non intercedit mutatio beneficii, nec noua collatio, omnes etiam Doctores admittunt; Franc. in dicto cap. fin. nu. 6. De Consuet. lib. 6. inquit non fieri mutationem beneficii, quando is, qui in Ecclesia obtinet beneficium, mutat præbendam, vel domum, quia totum retinetur nomine Ecclesiæ; Vnde secundum Archid. & Io. And. in eod. cap. fin. quando fit D Optio, non debet fieri noua collatio, sed Optans inhæret collationi factæ de Præbenda antiqua, & Consuetudini Ecclesiæ, & sic sine collatione, aut noua institutione dimittit antiquam, & optatam recipit. Idem tenet Dominicus in fi. eiusdem cap. fin. & ob hanc rationem, quia optio non est noua collatio, Concludit Rota decis. 195. in Nouis incipit Acceptatio facta, Optionem factam per excommunicatum in terminis dicti cap. fin. valere, & decis. 5. De Concess. Præb. initiũ est Quod acceptatio, Gig. De Pension. q. 63. nu. 15. Similiter ob eandem rationem permissa erit excommunicato Optio, de qua agitur in cap. Referẽte De Præb. Vt cum quis possidet duo beneficia, & conceditur illi Optio, vt vno dimisso alterum retineat, quod malit; E Quamuis enim excõmunicatus existat, factum tenet, quia nihil acquirit, quod antea non haberet, sed potius dimittit, qua in re nullus ei fauor conceditur. Satis igitur patet ex his, quæ diximus, excommunicatum non posse optare, aut acceptare beneficium Ecclesiasticum.

Quæret aliquis, An excommunicatus acceptando, vel optando beneficium ei collatum tempore excommunicationis peccet mortaliter.

Respondeo regulariter sic acceptando Reum esse culpæ mortalis, sicut dictum est de Conferente in

cap.

cap. 2. Quia communicat in diuinis contra prohibitionem sacrorum Canonum, beneficia enim sunt quędam res spirituales, & sacrę, etiam si id faciat animo supplendi defectum per dispensationem Superioris, quia ille actus in eo statu est illi prohibitus, & est res grauis contra iustitiam.

Sed dubitari potest, an committatur peccatum mortale ab excommunicato acceptando beneficium; cuius collationem ante excommunicationem obtinuit canonica institutione.

Aliqui censent etiam in hoc casu incurri peccatum mortale, quia excommunicatus est indignus ad beneficium Ecclesiasticum, & non tantum contra Canones est, conferre beneficium indigno, sed etiam illud recipere, deinde communicat in diuinis cum alijs, quod excommunicato interdictum est.

Alij contra censent nullum esse peccatum, Nam cum acceptatio beneficij non sit prohibita excommunicato, vt visum est, sine peccato fieri potest; & quamuis excommunicatus sit indignus administratione beneficij, tamen non est considerandus status excommunicationis, in quo nullum acquirit Ius, nec recipit beneficium, sed tantum declarat voluntatem suam recipiendi beneficium suo tempore, scilicet postquam absolutionem consecutus erit, in quo iam erit dignus, & habilis ad beneficium. sicut excommunicatus non peccat mortaliter retinens beneficium antea obtentum, licet durante excommunicatione sit inhabilis ad exercendum munus sibi debitum ratione beneficij. Ex his duabus opinionibus hæc secunda videtur probabilior, & magis consentanea cum his, quæ de acceptatione diximus, in qua facienda nulla est necessaria communicatio cum alijs, sed simpliciter absque vlla communicatione excommunicatus declarat voluntatem suam.

CAPVT VI.

An Collatio beneficij facta ei, qui reputatur communiter excommunicatus; qui reuera non sit, vel est iniustè excommunicatus, valida sit.

QVoties excommunicatio est ipso Iure lata, vel ab homine per sententiam generalem contra aliquod scelus, quamuis publice existimetur aliquis commisisse tale crimen damnatum, & idcirco communiter reputetur excommunicatus, si re vera delictum non commisit, non propterea sit inhabilis ad beneficium consequendum. Ratio est, quia hæc inhabilitas est effectus excommunicationis, vbi ergo excommunicatio non est, iste effectus non sequitur, Nam Iura pronunciant excommunicatum inhabilem esse ad beneficia, qui vero tantum hominum opinione, & existimatione reputatur excommunicatus, re vera non est excommunicatus, ergo non est incapax ad beneficium.

Confirmatur sicut excommunicatus existimans etiam probabiliter se impetrasse absolutionem, si tamen illam re ipsa non obtinuit, remanet excommunicatus, & collatio beneficij eidem facta non valet, Abb. cap. Pastoralis §. verum n. 15. de appell. & semper tenetur habita notitia excommunicationis petere absolutionem, ita quoque è contra opinio etiam publica excommunicationis nō constituit quempiam excommunicatum, si non est censura excommunicationis innodatus, & ex consequenti minimè illum inhabilem facit ad beneficia.

Ob eandem rationem sequitur generaliter, quoties sententia excommunicationis pronunciatur à Iudice in aliquem ita iniusta, vt sit etiam nulla, quia non est lata à suo Iudice, vel est pronunciata post appellationem, vel continet intolerabilem errorem, aut ex alijs causis, (de quibus Doctores in cap. Per tuas, & cap. Sacro de sent. excom.) Excommunicatus non afficitur aliquo Iuris impedimento, quo minus sit habilis ad beneficium, & ideo Collatio beneficii facta eidem non erit nulla ex hoc capite, quod excommunicato facta fuerit, nam excommunicatio nulla nec in animæ iudicio, nec in exteriori vllum effectum habet, si constet illam esse nullam, Abb. in cap. ita quorundam in fi. de Iudæ. quod expresè probatur ex cap. Dilectis in fi. de appella. quod statuit, Rectius fecisse Canonicos Senonenses, qui Decano suo communicarunt in diuinis, etiam si denunciatus esset excommunicatus ab Archiepiscopo, quia fuerat excommunicatus post appellationem, & in specie, quod electio, aut Collatio beneficij facta ei, qui nulliter fuit excommunicatus, valida, & rata sit, affirmat Glo. in c. Sæpe Ver. Rata manet de appell. & ad hoc facit tex. sing. in cap. licet de sent. excom. lib. 6. Vbi definitum est ob negligentiam non prosequentis debito tempore appellationem, excommunicationem non conualescere, sed posse tunc denunciari, & debere vitari, donec de sententiæ nullitate docuerit, ergo probata nullitate, qui existimabatur excommunicatus, declaratur habilis, vt validè potuerit obtinere beneficium, & magis in particulari casu, de quo agimus, facit textus in cap. Solet eod. tit. & lib. sub fi. Statuens eum, qui probat se esse excommunicatum post appellationem, probatione pendente, in Iudicio esse euitandum, non autem extra iudicium in officijs, postulationibus, & electionibus, ac alijs legitimis actibus, & Glo. ibi Ver. In officijs, notat eum, qui appellatione nititur, posse post excommunicationem securè celebrare, c. Ad præsentiam nostram, c. Dilectus de appella. Quamobrem excommunicatio nulla non infert aliquam inhabilitatem, quod enim nullum est, nullum parit effectum, cap Cum contingat de off. deleg. & dicto cap. Per tuas de sent. excom. Vnde Gemin. cons. 99. cuius initium est super primo, asserit Collationem beneficij factam ei, qui post appellationem excommunicatus fuerat, validam esse, & canonicam, nisi aliud impedimentum obsistat, & in hac conclusione non est discrepantia apud Doctores, ita sentiunt Rebuff. in Rub. de excom. non vitan. fol. 73 1. Vers. Primò fallit, & citat Innocentium, & Io. And. in cap. Dilectus in fi. de appell. & Abb. in cit. c. Ita quorundam de Iudæ, idem ait Nauar. in cap. Cum contingat Remed. 2. numero 9. & seq. de Rescript. Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 7. numero 5.

Est autem intelligenda hæc Conclusio, quando constat de nullitate excommunicationis, tunc enim collatio beneficij erit valida, sed quando non constaret, tunc Reus esset culpæ mortalis, qui conferret beneficium illi, quem putaret probabiliter esse obstrictum vinculo excommunicationis, Innoc. in dicto c. Dilectis num. 6. Ang. Ver. excommunicatio 4. §. 19. Rebuff. vbi supra, quamuis collatio teneret patefacta postea veritate, cap. Veritate 8. dist. Vbi verò res esset dubia, an valeret excommunicatio, vel esset nulla, eo casu validitas electionis, seu collationis pendet ex futuro euentu arg. l. exitus ff. de acquir. poss. Nam si nulla pronuncietur excommunicatio, firma erit collatio, si secus, erit inualida, Rebuff. loco citato.

Quan.

Quando vero excommunicatio esset tantumodò iniusta, quia lata esset ex falsa causa quoad rem ipsam, licet vera secundum allegata, & probata, vel quia Iudex pronunciasset illam ex odio, aut non seruato legitimo ordine, aut non præmissa monitione, vel ex alio capite, sed non esset nulla ipso Iure, sed irritanda per sententiam, tunc collatio beneficij non valeret, antequam reuocaretur sententia tanquam iniusta; Quoniam talis excommunicatio vera est, & timenda, cap. Episcopus §. Si ergo 11. q. 3. & eum excommunicato hoc modo iniustè, non licet communicare ante Absolutionem, Abb. in dicto cap. Itâ quorundam nu. 4. De Iudæ. Nauar. in illo Remed. 2. nu. 15. Couar. dicto nu. 5. in fin. Reuocata autem sententia, & pronunciata innocentia Rei tunc redderetur collatiò beneficii rata, & firma, sicut dictum est, quando dubium est de nullitate sententiæ; Nihilominus conferens beneficiū huiusmodi excommunicato peccatum mortale contraxisset, quia contra decretum Iuris, excommunicato beneficium Ecclesiasticum contulisset.

CAPVT VII.

An Collatio beneficij infecta ratione excommunicationis conualidari possit, & quomodo.

EXcommunicatus, cui tempore excommunicationis facta fuit collatio beneficii, non potest illud licite retinere, cum canonicè consecutus non sit, cap. Postulastis, & ibi Glo. Ver. Canonice de Cleri. Excom. Mini. Vbi Abb. nu. 2. & cæteri Doctores etiam post impetratam absolutionem, Cassad. decis. 1. num. 7. De Præben. nam sola absolutio non confert titulum, & beneficium sine legitimo titulo, & canonica institutione retineri non potest, Palud. in 4. dist. 18. q. 4. Gabr. q. 2. art. 3. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 21. Conar. in cap. Alma Mater par. prima §. 7. nu. 2. Vers. Septimo idem respondendum.

Quod igitur excommunicatus non possit retinere huiusmodi beneficium, sed teneatur illud relinquere, non reuocatur in controuersiam, sed quæritur, an impetrata absolutione ab excommunicatione possit Episcopus, aut Papa absque noua collatione, & expeditione literarum dispensare, vt is, qui absolutus est ab excommunicatione, licite retineat beneficium, quod tempore excommunicationis consecutus est.

Ratio dubitandi esse potest, quoniam Dispensatio non videtur posse conualidare collationem beneficii, quæ ab initio nulla fuit, quemadmodum Matrimonium nullum ob aliquod impedimentum non reualidatur, si impetretur dispensatio nisi consensus Coniugum renouentur. Nauar. in Manua. cap. 22. nu. 86. quia dispensatio tollit quidem impedimentum, & reddit ipsos Contrahentes habiles ad contrahendum, sed non potest firmum, & validum efficere, quod nulliter gestum est; Eadem videtur ratio in materia, de qua loquimur, si collatio beneficii nulla fuit ratione excommunicationis, quamuis tollatur excommunicatio per absolutionem, & dispensatio sequatur, non propterea videtur ipsa collatio conualidata.

Nihilominus ex communi consensu omniū Doctorum affirmandum est licere excommunicato post acceptam absolutionem ab excommunicatione retinere tuta conscientia beneficium tempore excommunicationis impetratum, si dispensationem ab Episcopo impetrauerit.

A Hæc Conclusio desumitur ex cap. Postulastis De Cleri. Excom. Mini. Vbi Innocentius Tertius statuit beneficia Ecclesiastica licitè retineri non posse ab excommunicatis, etiam post absolutionem obtentam: *Nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum*, ergo talis Collatio per dispensationem conualidatur.

Ratio est, quia hæc dispensatio est quædam virtualis collatio beneficii, & idcirco dispēsatione concessa, alia collatio non postulatur, vt notauit Abb. in dicto cap. Postulastis nu. 2.

Confirmatur; quoniam idem accidit, vbi collatio beneficii est nulla ob aliud Iuris impedimentum, puta si recipiens sit Irregularis, qui dispensatione acB cepta licite retinere poterit beneficium, quod, dum erat Irregularitate notatus, obtinuit, vt animaduertunt Couar. in cap. Alma Mater prima par. §. 7. num. 1. & Reg. Peccatum 2. par. §. 8. num. 6. Gabr. in 4. dist. 18. quæst. 8. in princ. Antoni. 3. par. tit. 15. cap. 1. §. 2. Nauar. in Manua. cap. 25. nu. 133. in fi. & cap. 27. num. 194. Vers. Sexto per quam.

Et quoniam non videtur Iure expressum irregularem esse inhabilem ad beneficium, pluribus id probat Nauar. nu. 249. §. 6. & in cap. Si quando De Rescript. except. 11. ad 8. Quod tamen intelligendum est de eo Irregulari, qui vel nullum habet ordinem, & est inhabilis, vt possit ordinem suscipere; Vel si habet ordines, efficitur ineptus, vt nullum actum ordinis possit Iure administrare, tunc enim collatio benefiC cii est nulla; Sed si post ordines validè susceptos amputetur alicui manus, & ita efficiatur Irregularis, nè possit celebrare, Sacramentum Eucharistiæ ministrare, & alia exercere, quæ manus ministerium requirunt, poterit tamen confessiones audire, & canere in Choro, & alias functiones Ecclesiasticas celebrare; non erit inhabilis omninò ad recipiendam collationem beneficii, & ita videtur sentire Siluester Excommunicatio quarto §. quarto. Immò ipse Nauarrus dicto numero 249. fatetur Irregularem non omnem esse inhabilem beneficio simplici.

Diuersa tamen ratio est de Matrimonio, quando fuit nullum, & irritum ob aliquod impedimenD tum dirimens, quod post impetratam dispensationem à Papa minimè incipit valere, quia Papa non potest supplere consensum Coniugum iure naturæ requisitum, sed necessarium est, vt Coniuges dennò contrahant, vt inquit Innocentius in cap. 1. in fin. De eo, qui duxit in matrimonio. Quod tamen clam, & secreto fieri potest ad tollenda omnia scandala, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 22. num. 47. & 86. Sed impedimentum excommunicationis, seu Irregularitatis, aut suspensionis ad beneficia obtinenda est inductum à Iure positiuo; Ideo sublata excommunicatione per absolutionem, potest Episcopus ex potestate sui officii dispensare, vt E Collatio alias irrita accipiat robur, & vim, sine noua collatione, sicut posset denuo idem beneficium conferre; Immo si noua collatio esset necessaria, inanis esset dispensatio.

Quæ facultas dispensandi cum excommunicato, vt post absolutionem licitè retineat beneficium, regulariter pertinet ad Episcopum, sicut Glos. notat in dicto cap. Postulastis Vers. Dispensatum De Cleri. Excomm. Mini. & ibi Abb num. 8. Et fundamentum huius dicti, vt inquit Glos. est principium illud, cuius Auctor est Innocentius in cap. Dilectus De Temp. Ordi. Quod vbi à Iure permittitur dispensatio

Iure permittitur dispensatio super aliqua re, nec exprimitur, ad quem pertineat facultas dispensandi, intelligitur concessa Episcopis. Hæc regula colligitur ex cap. Nuper de senten. excommunc. Vbi Innocentius Tertius simili ratione vtitur ad probandum absolutionem excommunicationis pertinere ad Episcopum, quando Auctor Canonis illam sibi non reseruauit; Eandem admittunt Abb. & Felin. in capitul. At si Clerici §. de Adulterijs de Iudic. Vbi late disputant de hac dispensatione, & relatis aliorum opinionibus tandem concludunt, sicut dictum est. Quamobrem cũ in dicto cap. Postulastis ius permittat, vt cum excommunicato, qui obtinuit beneficium, dispensari possit, vt post absolutionem illud tuta conscientia retinere valeat, nec exprimat, cui concedat talem dispensandi facultatem, neque ibi reseruet, ideo supponitur cõcessa Episcopis, Siluc. Excommunicatio 3. §. 1. & Beneficium 2. §. 20. Ang. Beneficium §. 44. Sot. lib. 9. de Iust. & iur. q. 8. art. 1. in fin.

Hæc regula habet locum, etiam si excommunicatio lata sit à Papa, & eidem reseruata, vel à Synodo, vt dicunt Abb. & Felin. locis citatis, quos sequitur Iacobutius lib. 5. de Concil. artic. 19. & Couar. in capit. Alma mater prima parte §. 7. numero octauo; nam & in hoc casu Episcopus dispensare poterit, si tamen absolutio excommunicationis obtineatut ab eo, qui Iure possit illam concedere, licet Dec. in dicto cap. At si Clerici §. de Adulterijs numero septimo de Iud. sentiat hanc conclusionem non habere locum, si excommunicatio sit Papæ reseruata, tunc enim inquit dispensationem quoque esse Papæ reseruatam, cum ille tantum possit absoluere, qui condemnare potuit, Præualet tamen communis opinio, quoniam iam supponimus absolutionem impetrandam esse à Papa, si excommunicatio erat reseruata vel ab eo, cui facultas absoluendi competebat, sed dicimus obtenta absolutione Episcopum posse concedere dispensationem retinendi beneficium.

Sed limitanda est hæc Conclusio, vt intelligatur concessa potestas Episcopo dispensandi super retentione beneficij, quod excommunicatus obtinuit tempore excommunicationis, si collatio eiusdem beneficij ad Episcopum pertineat. Quamobrem, si Summus Pontifex contulit beneficium, non poterit Episcopus dispensare, aut supplere defectum, si collatio fuit nulla ex parte recipientis, quia Beneficium esset affectum Pontifici, ex capit. Vt nostrum de Appellat. Abb. in dicto capit. Postulastis numero decimo Couar. in dicto numer. 8. in fin. qui alios refert, & eadem ratio militat, si beneficium conferatur per electionem, non poterit Episcopus dispensare, & supplere nullitatem electionis, sed vel iteranda erit electio, vel recurrendum ad Superiorem, qui potestatem habeat conferendi beneficium sine electione, & videtur esse solus Papa. Similiter si collatio beneficij pertineat ad Prælatum inferiorem Episcopo, & illud contulerit excommunicato, non poterit Episcopus dispensare in ea collatione, quia si Episcopus non habebat potestatem conferendi illud beneficium, non acquisiuit illam propter irritam collationem ab alio factam; Hæc autem dispensatio est veluti quædam collatio, vt diximus, Ita sentit Couar. in illo §. 7. numero 8. contra Abb. in dicto cap. Postulastis num. 9. sed recurrendum erit in eo casu ad Summum Pontificem, si Prælatus, qui contulit scienter beneficium excommunicato, priuatus fuerit per sententiam pro illa vice potestate conferendi iuxta dispositionem eiusdem cap. Postula-A stis, nisi ipsemet Prælatus consentiat, vt Episcopus possit tunc dispensare, sicut Couar. limitat dictum Abbatis, In hac enim dispensatione necessarius est cõsensus Prælati inferioris, sicut requiritur ad permutationem beneficij, quæ auctoritate Episcopi fieri debet, vt notat Glo. in cap. vni. de rer. permut. lib. 6. & alij, quos citat Couar.

Sed contra dicta obijcitur; nam si Episcopus, qui contulit beneficium excommunicato scienter in poenam huius delicti priuatur ab ipso iure potestate conferendi denuo illud, vt habetur in cap. Postulastis de Cleri. excommunic. Mini. & ibi notat Abb. num. 9. & alij Doctores, ergo Episcopus nunquam poterit dispensare in hac re, si necessaria est potestas in Episco-B po conferendi beneficium, vt posit dispensare super inualida collatione facta excommunicato.

Respondeo argumentum non concludere. Primò quoniam si Episcopus bona fide, & ex probabili ignorantia beneficium contulisset excommunicato, optime posset dispensare, quoniam ex huiusmodi collatione non esset priuatus facultate conferendi, ergo neque dispensandi. Secundo quia quamuis scienter excommunicato contulisset beneficium, adhuc non esset priuatus ipso facto potestate conferendi iterum illud beneficium, sed esset priuandus per sententiam à Superiore. Et ratio est, quia nulla est lex, quæ imponat hanc poenam ipso Iure, Textus in dicto capit. Postulastis, solum dicit, debere à beneficiorum col-C latione suspendi, ergo antequam per sententiam hac potestate priuetur, poterit beneficium, quod antea illicite contulit, bene conferre, & eod. modo poterit dispensare. Vbi vero fuerit Episcopus per sententiam suspensus à collatione beneficiorum, in eo casu fatendum est non posse dispensare super beneficio collato, sed pertinebit dispensatio ad superiorem Prælatum, si ad eum collatio beneficij deuoluitur, si vero spectet collatio ad Inferiorem, vt ad Capitulum, vel Archidiaconum, tunc ab illo erit collatio repetenda, vel dispensatio impetranda à Summo Pontifice.

Quidam tenent posse Episcopum in foro conscientiæ tamen, ex tacita commissione Papæ, dispensa-D re cum illo, qui inualidam accepit collationem beneficij propter excommunicationem, vel aliud impedimentum, & reualidare titulum beneficij ex causa, quamuis collatio pertineret ad Summum Pontificem; Multum enim potest Episcopus Iure diuino, præsertim in iis, quæ expresè non sunt reseruata Summo Pontifici; Vt si quis per Simoniam accepisset beneficium, & idcirco collatio nulla reddita esset, & ipse inhabilis factus ad beneficia consequenda postquàm per dispensationem Episcopi factus esset habilis, quod facere potest Episcopus; Quia Simonia etiam completa, præter Confidentionalem, non exprimitur reseruari Papæ, vt Summistæ Ver. Simonia, Sotus lib. 9. De Iust. & Iu. quæst. 8. art. E primo. Nauar. in Manuali cap. 23. num. 110. & Conc. Trid. Sess. 24. De Reform. cap. 6. concedit Episcopo facultatem dispensandi in omni casu occulto, & tunc temporis idem Episcopus ex causa posset eidem denuo conferre, seu reualidare collationem beneficij. Non liceret tamen Episcopo dispensare, nisi cum viro benemerito, & ad decentiam sui status retinendam externis adiumentis indigente, & quando sine scandalo vix posset deserere habitum beneficium, & ob paupertatem non posset commodè adire Summum Põtificem, vt ab eo impetraret

dispensationem. Ad hunc modum Episcopus ex tacita Papæ commissione dispensat in occulto impedimento Matrimonij iam contracti, quando non patet aditus ad Summum Pontificem; Nauar. in Manua. cap. 22. nu. 83.

Illud etiam omittendum non est, post obtentam absolutionem ab excommunicatione interim quandiù Reus curat intra breue, & necessarium tempus obtinere dispensationem, & reualidationem tituli, licere percipere fructus beneficij, quos tanquam Depositarius conseruabit, sed nè maneat in vitio intrusionis, non debet præstare officium Parochi, aut aliud beneficio annexum, nisi fortè ad tempus ad euitandum periculum scandali, sed debet pascere oues per Vicarium ab Episcopo designatum, vel debet curare obtinere absolutionem ab excommunicatione, vt possit celebrare, dum expectat dispensationem, sicut, si post matrimonium deprehendatur occultum impedimentum, licebit Coniugibus simul cohabitare, sed absq. periculo congressus, interim dum curant obtinere dispensationem, vt colligitur ex Nauar. in Manua. cap. 3. nu. 5.

Quantum verò ad fructus perceptos potest idem Beneficiarius obtenta reualidatione tituli retinere, quia fructus reseruantur Successori; Quod si dispensationem obtinere non potuit, & dimisit beneficium, & tamen per se ipsum, aut Vicarium exhibuit debitum seruitium beneficio annexum, posset eam portionem fructuum sibi retinere, quæ ad honestam sustentationem iuxta prædictum seruitium debebatur.

CAPVT VIII.

An excommunicatus sit priuatus fructibus suorum beneficiorum in vtroque foro, quamdiu est excommunicatus, & non petit absolutionem.

LOquimur in hoc capite de fructibus illorum beneficiorum, quæ legitimè possidebat ante excõmunicationem, & quorum dominium per excommunicationem non amittitur ipso facto, vt probatum est in cap. 1. Nam de redditibus beneficiorum, quorum collationem accepit tempore excommunicationis, res est euidens, si enim collatio talis est irrita, & nulla, & Prouisus illa beneficia retinere non potest, vtiq. non poterit suos fructus facere, nisi cum dispensatum fuerit, vt dixi in calce superioris capitis.

Est communis sententia Doctorum excommunicatum non posse percipere fructus beneficij, Abb. in cap. Pastoralis §. Verum nu. 18. De Appella. Dec. ibi nu. 9. & in cap. 1. lect. 2. col. 5. Vers. Octauo nota De Iudi. Archid. cap. Ad hæc 32. dist. Caiet. V. Excommunicatio ad fin. Vers. Vbi scito, Silu. Clericus 4. §. 25. Excommunicatio 3. §. 1. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 21. & cap. 25. nu. 124. Couar. lib. 3. Variar. Resol. cap. 13. nu. 8. Turre Crem. cap. Contumacia 30. dist. nu. 2. Ex Theologis Palud. in 4. dist. 18. q. 4. Gabr. q. 2. art. 3. Adrian. De Claui. quæst. 3. Polanca in Directorio Confess.

Quam Conclusionem omnes colligunt ex dicto §. Verum in fin. Vbi Innoc. Tertius de excommunicato loquens habet hæc: *Et illi prouentus Ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur*: Notat Glo. in cap. Studeat 50. dist.

Ratio huius Conclusionis ex iisdem verbis §. Verum desumitur, quia per excommunicationem excommunicatus repellitur ab Ecclesia, & eius commu-

A nione; Est enim membrum præcisum, idcirco non debet frui bonis Ecclesiæ.

Confirmatur, quia beneficium datur propter officium, & fructus assignantur, vt beneficiarius expeditè, & liberè possit exercere debitum officium, cap. Cũ secundum Apostolum De Præben. Sed exercere Ecclesiasticas funciones, & administrationem Ecclesiæ gerere, interdictum est excommunicato, meritò ergo priuatus remanet redditibus Ecclesiasticis.

Sed statim suboritur dubitatio, An excommunicatus ipso facto propter excommunicationem sit priuatus fructibus beneficij non expectata Iudicis sententia, ita vt non possit illos tuta conscientia retinere, sed teneatur restituere; Vel potius ad incurrendam B hanc priuationem sit necessaria sententia Iudicis.

Quod requiratur sententia Iudicis ex pluribus persuaderi posse videtur. Primo quia, vt pœna incurratur, semper requiritur sententia, saltem declaratoria criminis, nisi in lege aliud exprimatur, sed nullibi reperimus Iure cautum excommunicatum ipso facto priuatum esse fructibus beneficij, ergo poterit illos retinere, antequam sequatur sententia; Nec verba illius §. Verum De Appella. indicant esse pœnam ipso Iure latam; nam verba illa *Prouentus Ecclesiastici subtrahuntur* intelligi possunt de subtractione facienda per sententiam Iudicis, quod videtur significare Glo. in V. Subtrahuntur, cum ait *Item illud intelligi potest in eo casu, quando in sententia hoc exprimitur, quod bona Eccle-* C *siæ subtrahuntur*.

Secundo rationes adductæ minus hoc conuincunt; Nam quamuis excommunicatus, tanquam membrum præcisum, sit reiectus ab Ecclesiæ communione, non idcirco sequitur illico ex vi excommunicationis priuatum esse prouentibus Ecclesiasticis, alias multo minus beneficia, vel alia bona retinere posset, quod tamen verum non est, ergo talis priuatio non potest oriri immediate ex propria ratione excommunicationis, sed debet prouenire ex dispositione legis, quæ tamen non apparet. Neque secunda ratio probat hanc priuationem fructuum ipso iure latam esse; nam non statim ac quis impeditus est exercere munus sibi debitum ratione beneficij ecclesiastici, quod possidet, pri- D uatus est fructibus beneficij, potest enim aliquando per alium suæ obligationi satisfacere; Et sunt aliqua beneficia, quę non habent aliud onus annexum, quam obligationem recitandi horas canonicas, quas persoluere potest, & debet excommunicatus; Quod si teneatur residere, & diuinis officijs in Choro assistere, quod excommunicato non est permissum, adhuc non amittit omnes fructus præbendæ, sed tantum distributiones quotidianas, quas lucrantur tantum pręsentes.

Confirmatur, si quis post obtentum beneficium fit Irregularis, vt homicida, non amittit titulum beneficij, nec fructus, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 249. & tamen non potest exercere officium, & munus ecclesiasticum, quod tenetur ratione beneficij, cur igi- E tur propter hanc rationem excommunicatus est priuatus fructibus beneficij.

Accedit, quoniam Hæreticus nõ priuatur proprijs bonis ante sentẽtiam saltem declaratoriam criminis; ergo neque excommunicatus erit priuatus ipso facto fructibus beneficij, sed priuandus per sententiam.

Ex altera parte, quod Beneficiarius excommunicatus ipso iure sit fructibus beneficii priuatus etiam ante sententiam Iudicis, affirmat communis sententia Doctorum, vt late Abbas in dicto §. Verum n. 17. & Glo. in cap. Studeat Ver. At tale beneficium

distin.

distin. 50. Vbi agitur de eo, qui depositus est ob crimen, inquit, depositum ipso iure priuatū esse officio, & beneficio, quoniam hæc annexa sunt, & cui interdicitur vnum, denegatur etiam alterum, & eadem militat ratio in excommunicato, quoad hunc effectum.

Ad propositam dubitationem respondendum est ex communi sententia Doctorum, excommunicatum Beneficiarium priuatum esse fructibus beneficij, eo ipso, quod in excommunicationem incidit, quamuis per sententiam Iudicis ad amissionem illorum non fuerit comdemnatus, Idque omnes colligunt ex dicto §. Verum, vbi Summus Pontifex decernit excommunicatum, etiamsi appellet post sententiam ab excommunicatione posse denunciari, & fructus beneficii spoliari; reddit rationem huius decreti, quoniam excommunicatio secum trahit executionem, & excommunicatus per denunciationem non magis ligatur, quam antea erat; Eadem ratione illi subtrahuntur fructus Ecclesiastici, quia iam per excommunicationem separatus est à communione Ecclesiæ, & fructuum priuatio est effectus immediate proueniens ab ipsa excommunicatione; Neque ad incurrendam hanc poenam necessaria est sententia Iudicis, tunc enim non esset effectus excommunicationis, sed sententiæ, sicut quando Hæreticus per sententiam Iudicis excommunicatur, & priuatur bonis, priuatio bonorum non est effectus excommunicationis, quia si non apponeretur in sententia, Hæreticus remaneret excommunicatus sine priuatione bonorum, non ita accidit quantum ad priuationem fructuum Ecclesiasticorum, quæ ita est effectus excommunicationis, vt quamuis non exprimatur in sententia, excommunicatus tamen tuta conscientia illos, suos facere nequit.

Confirmatur, quia si excommunicatio vi sua non priuaret actu excommunicatum fructibus beneficij, sed solum constitueret illum dignum tali priuatione, & significaret posse iure, & debere per sententiam à Iudice fructibus spoliari; Tunc, si reus appellaret à sententia excommunicationis, priuatio fructuum suspendenda esset, donec appellationis iustitia examinaretur, quia cum talis priuatio non esset effectus excommunicationis, pendente appellatione non posset Iudex hanc poenam inferre, nisi cognita causa appellationis; Per appellationem enim interpositam ab excommunicato post latam excommunicationem, ea tantum non suspenduntur, quæ immediate ab excommunicatione proueniunt tanquam effectus illius, ob eam rationem, quia excommunicatio secum trahit suam executionem, sed Papa in dicto §. Verum statuit non obstante appellatione excommunicatum priuandum esse fructibus beneficij; Igitur hæc priuatio est effectus excommunicationis, non sententiæ Iudicis.

Confirmatur secundo quoniam in dicto §. Verum proponitur dubitatio habens duas partes; Nempe, an interposita appellatione post sententiam excommunicationis, liceat denunciare excommunicatum; Atque etiam priuare illum ad tempus fructibus beneficij. Et ad vtranque respondet affirmatiue, sicut ergo denunciatio non est noua pœna, & ideo executioni traditur non obstante appellatione, ideo priuatio fructuum non est noua poena, sed effectus, & executio ipsius excommunicationis.

Denique Glos. in cap. Præter 32. distinct. Ver. Ab Ecclesia explicans verba illa text. *Neque partem ab Ecclesia suscipiat*, Vbi prohibetur, ne Sacerdoti concubinario aliquid detur ex redditibus Ecclesiæ, notat id esse intelligendum de Sacerdote suspenso à Canone, vel excommunicato. Idem inquit Innocent. in capit. Qualiter 2. in fin. de Accusa. Petrus Rebuff. in Repet. cap. Postulastis num 81. de Cleri. excommunicato Ministrante, Ideo Abb. in dicto §. Verum nu. 17. miratur Glosam contrarium sensisse; Nimirum excommunicato non subtrahi redditus beneficij, nisi hoc sit expressum in sententia, cum ipsamet ibi dicat excommunicatum, quia extra Ecclesiam est, nihil debere possidere nomine Ecclesiæ, quæ ratio habet locum, etiamsi in sententia nihil fuerit expressum.

Quamobrem non videtur dubitandum excommunicatum eo ipso priuatum esse iure percipiendi fructus beneficij, quod est intelligendum de excommunicato, qui est in mora petendi absolutionem, sicut priuatur fructibus, qui per Iudicem suspensus est à beneficio, vt Doctores probant cum Glo. in dicto cap. Pastoralis §. Verum de Appell. Felin. in cap. Apostolicæ num. 12. de Except. Petrus Rebuff. in Repet. in cap. Postulastis num. 81. de Cleri. excommunic. Ministran. Nauar. in dicto cap. 25. numer. 124. & capit. 27. num. 160. Maiol. lib. 3. de Irregular. cap. 19. nu. 10. & alij, quos paulò ante citaui; Non est tamen eadem ratio de Irregulari, sicut dicebam pro ratione dubitandi; Nam licet irregularis nun amittat fructus beneficij, non sequitur, vt idem asserendum sit de excommunicato; nam hæc poena oritur ex constitutione Ecclesiæ, Ecclesia statuit, vt suspensus, aut excommunicatus amittat dominium fructuum beneficij absque alia sententia declaratoria; Id tamen non statuit de Irregulari. Ad eum modum, quo dicitur de Vidua, quæ sub conditione, quandiù caste vixerit, facta est vsufructuaria bonorum mariti; si cōtinentiam non seruauerit, amittit vsumfructum non expectata sententia, Nauar. in Manuali cap. 23. num. 62. & 63. & cap. 25. nu. 65. Couar. 2. part. de Spons. cap. 2. §. 6. num. 10. quemadmodum etiam ab Ecclesia definitum fuit, vt excommunicatus non fruatur communibus suffragiis fidelium, quibus non est priuatus Irregularis. Itaque excommunicatus priuatus est fructibus beneficii, quandiù negligit absolutionem petere, & ad Ecclesiæ obedientiam redire, Quod si poeniteat delicti, & contumaciæ, & per ipsum non stet, quo minus absoluatur ex pia Ecclesiæ voluntate facit fructus suos beneficii in conscientia, Nauar. dicto cap. 25. num. 124. Abb. in dicto §. Verum nu. 16. de Appellat. vbi Glos. fin. sicut etiam fruitur in eo casu suffragijs illis Ecclesiæ, quæ pro eo specialiter offeruntur; Nam excommunicatus priuatur fructibus, non solum quia non potest exercere functiones Ecclesiasticas propter quas percepit fructus beneficij ex Ecclesiæ constitutione, sed etiam in poenam suæ contumaciæ; Cessante vero causa contumaciæ cessat in foro conscientiæ hic effectus poenalis, & gaudet fructibus, quia potest præstare officium in Ecclesia debitum per se, vel per alium, & potest recitare horas, & habet titulum cum possessione, & est operarius dignus mercede sua; At in foro exteriori post sententiā saltem criminis declaratoriam, priuabitur fructibus, quia præsumitur contumax.

Sed postulabit, quis postqnam ipso iure excommunicatus priuatus est fructibus beneficij ante omnē sententiam, an teneatur in conscientia se ipsum spoliare his fructibus, eosque restituere, aut non recipere, etiamsi nullum Iudicis ministerium interueniat, neq. per sentētiam declaratus sit excommunicatus; nam si

excommunicatus non facit fructus suos, ergo tuta conscientia non poterit illos retinere. At hoc videtur graue onus; Nemo enim tenetur in se ipsum pœnam exequi, quæ propriam ipsius Rei actionem requirat ante sententiam Iudicis, saltem declaratoriam criminis.

Respondeo in dicto §. Verum, sermonem haberi de excommunicatione pronunciata à Iudice contra aliquem nominatim; Atque in hoc casu cessat omnis difficultas; Tunc excommunicatus in conscientia non potest recipere fructus beneficij, & si receperit, tenetur restituere; Et idem videtur dicendum, si non fuerit per sententiam specialem excommunicatus, sed tantum declaratus Reus criminis contra Legem, Statutum, aut Sententiam generalem, cui erat annexa excommunicatio, nàm per excommunicationem, qua obstrictus est ratione criminis commissi, priuatus est dominio horum fructuum, & per sententiam declaratur reus criminis; Igitur nihil aliud requiritur. Idem quoque puto affirmandum esse, si quis incurrat excommunicationem latam à Iure, vel ab homine per generalem sententiam, quamuis per sententiam specialem Iudicis non fuerit excommunicatus, nec declaratus reus criminis, tunc etiam tenetur restituere fructus, quia iam priuatus est dominio illorum lege ità statuente, & ex consequenti non est amplius legitimus possessor illorum; Quia Beneficiarius etiam ante excommunicationem non habet ius in re, sed ad rem, quantum ad fructus beneficij; Hoc autem Ius impeditum est per excommunicationem, ideo Beneficiarius non acquirit dominium horum fructuum; Quare magnum est discrimen inter hanc pœnam, & illam, qua aliquis lege priuatur suis bonis, vt Hæreticus, vel similis Reus; Nàm Hæreticus supponitur habere verum dominium suorum bonorum, & legitimam illorum possessionem, & vsumfructum, ideo licet ex seueritate legis à die, qua pertinaciter dissentit à fide, & Religione Catholica, priuatus sit directo dominio bonorum, ex benignitate tamen, & moderatione eiusdem legis non est coactus se ipsum possessione, & vsu talium bonorum priuare, donec per sententiam de crimine condemnetur.

Hinc sequitur excommunicatum, etiam si occulta sit excommunicatio, teneri per se loquendo fructus beneficij non recipere, & receptos restituere, etiamsi ipsemet excommunicatus ignoret suam excommunicationem, cognita enim excommunicatione tenetur restituere fructus ignoranter perceptos; Quia quod ab excommunicato, vel ab aliis ignoretur, non impedit effectum excommunicationis, quantum ad ipsum excommunicatum, neq. tollit illam obligationem, quæ nascitur ex natura excommunicationis.

Dixi per se loquendo, nam ex accidenti ab hac obligatione restituendi excusari posset excommunicatus ob aliquam causam legitimam, puta si recipiat hos fructus bona fide, & ex probabili ignorantia, & eodem modo illos consumpsisset, vt propterea non esset factus ditior, quia in eo casu res aliena non subsistit, & sine iniuria alterius consumpta est; Vel si non posset priuare se illis fructibus sine magno scandalo, vel infamia, vt dicam paulò post.

Petet aliquis, An excommunicatus, sicut priuatus est fructibus beneficij, & illos non facit suos, ità quoque teneatur abstinere ab administratione bonorum temporalium beneficij.

Aliqui sentiunt non esse excommunicato interdictam huiusmodi administrationem, quamuis ex illa nihil vtilitatis, & commodi consequi debeat; Abb. in dicto §. Verum num. 18. probabilius affirmat excommunicatum prohiberi etiam temporaliter administrare bona Ecclesiæ; Tum quia interdicta est illi communicatio cum aliis, tum quia est suspensus ab officio, & ex consequenti à beneficio, sed suspensus à beneficio non debet se immiscere administrationi ipsius beneficij; Idem probat ex cap. Veritatis De Dolo, & Contumacia. Facit cap. 1. De Electione libro sexto. Vbi agitur de illo, qui propria auctoritate se ingerit beneficio, à quo erat suspensus; Vnde censet Abb. beneficio ipsius excommunicati assignandum esse Oeconomum, vel Vicarium ad tempus à suo Superiore, iuxta ea, quæ in simili disponuntur in cap. Peruenit De Appellatione cap. Cum ex eo De Elect. lib. 6. cap. fin. De Sta. Regul.

Dictum Abb. sequitur Decius ibi num. 9. & asserit illud benè probari ex dicto cap. Veritatis De Dolo, & Contum. quamuis impugnet alias rationes Abbatis.

CAPVT IX.

In quo dissoluuntur dubia occurrentia circa eandem amissionem fructuum ecclesiasticorum.

VErum, vt hæc, quæ communi consensu Doctorum firmata sunt, clarius, & exactius explicentur, opus est proponere nonnullas dubitationes, illasque elucidare.

Primò dubitari potest, An Excommunicato Indigenti, & inopi, qui aliundè non habeat, vnde sibi, & familiæ suæ subueniat, saltem iuxta conditionem sui status, liceat in proprium vsum, & sui sustentationem conuertere fructus beneficij.

Glo. in dicto §. Verum Ver. Subtrahuntur in fine putat excõmunicato non esse aliqua in re subueniendum, nisi fame periret, sic enim habet: *Ego credo quod licet Deposito prouideatur, nè in Clericorum opprobrium mendicare cogatur, quod excommunicato in nullo sit prouidendum qui contemnit claues Ecclesiæ, cui participandum non est, nisi fortè fame periret, tunc debet ei subueniri, quia poterat adhuc ad Ecclesiam redire.* Idem clarius habet Glosa in cap. Studeat Ver. Vt tale beneficium dist. 50. Vbi Presbyter deponitur ab officio, qui alium occidit, & Glo. inquit fuisse quoque beneficio de Iure priuandum; nam malemeriti continua egestate laborare debent l. Bona fides ff. Deposi. *Sed ideo dispensatur, nè propter necessitatem victus ad turpia lucra conuertatur, cap. Ad reatum 81. dist.*

Hoc dictum Glo. placet Abb. nu. 16. Vbi reddit rationem ex mente Io. And. cur Deposito sit aliquid elargiendum ex redditibus beneficij, non autem excommunicato, quia excommunicatus potest sibi consulere petendo absolutionem, vt licitè valeat fructus beneficii recipere, sed Depositus caret hoc remedio, quia cum depositus fuerit propter crimen, quãtumuis pœnitentiam egerit, & sit emendatus, non restituitur ad primum statum, idcirco Ecclesia, ex tacita dispensatione permittit, vt ex fructibus beneficii aliquid ad necessariam sui sustentationem retinere possit sine peccato.

Sequitur Felin. in cap Apostolicę nu. 12. De Except.

appro-

approbans eandem rationem diuersitatis inter excommunicatum, & Depositum, propter quam huic subministrandæ sint alimenta, non illi, duo tamen animaduertit. Et primo duplicem addit exceptionem quoad excommunicatum, Prima est, nisi fame periret, tunc enim ex vniuersali præcepto Iuris naturæ sine vllo discrimine subueniendum esset excommunicato, sicut alijs, inquit Glo. citata in §. Verum. Secunda nisi iusta, & legitima causa excusaretur, cur non eximeret se vinculo excommunicationis, Secundo quantum ad Depositum dicit Conclusionem illam, quod Deposito prouidendum est, ne egeat, intelligendam esse de Deposito verbaliter, qui vitam Clericalem ducere debet Glo. in cap. Dictum 81. dist. Dedecus enim esset ordinis clericalis, si mendicaret, capit. Diaconi 93. distinct. Verum si Depositus esset actualiter, Ecclesia non maiorem de eo curam haberet, quàm de alijs laicis egestate laborantibus, vnde Depositus verbaliter retinet priuilegium fori, non autem Depositus actualiter, Idem tenet Dec. in dicto §. Verum num. 9. Silue. excommunicatio 3. §. 1. Vers. Nono beneficium, & V. Clericus 4. §. 17. Vers. Vigesimo quinto quæritur, Nauar. in Manua. capitulo 25. numero 124. Couar. lib. 3. Variar. Resol. capitulo 13. numero 8. Vers. Duodecimo hinc, denique hæc conclusio videtur ab omnibus recepta, qua supposita ad propositam dubitationem adhunc modum responde re possumus.

Primo dicendum est durante contumacia ipsius excommunicati, qui est in mora petendi absolutionem, non posse Prælatum sine peccato mortali ex bonis Ecclesiæ alere ipsum excommunicatum, quamuis inopia, & egestate laboret.

Id affirmant omnes Doctores ob eam rationem, quoniam ipsa actualis contumacia, & mora petendi absolutionem meretur hanc pœnam, vt Ecclesia non debeat ex bonis suis alere excommunicatum, etiamsi indigeat, & mendicare cogatur, & quidquid dedecoris inde prouenire potest in personam potius excommunicati, quam in ordinem redundat, & totum id permittitur propter maius Ecclesiæ bonum, quod est contumaciæ correctio.

Secundo dicendum est non licere sine peccato mortali ipsi excommunicato in tali statu constituto ex dictis fructibus aliquid sibi vsurpare, etiam vt subueniat suæ indigentiæ, & egestati.

Ratio est, quoniam excommunicatus propter excommunicationem priuatus est ab Ecclesia dominio horum fructuum, vt dictum est, qui spectant ad Ecclesiam, nemo autem potest contra Domini voluntatem retinere bona aliena, vt suæ necessitati subueniat, quando non est extrema necessitas, qualis non potest dici necessitas huius excommunicati, quia semper potest ab eo statu recedere, si velit.

Tertio dicendum est, si excommunicatus verè recessit à contumacia, & paratus est obedire, & petit absolutionem, sed Prælatus ex iusta causa illam differt, in hoc casu poterit Prælatus iustè, & absq; culpa ex redditibus Ecclesiæ alimenta subministrare excommunicato, & ipsemet ex ijsdem fructibus propria auctoritate poterit suæ inopiæ occurrere, si aliunde non potest se alere.

Ratio est, quoniam & si adhuc duret excommunicatio, & ex consequenti non competat actio excommunicato petendi hos fructus, tamen ex quadam charitate, & æquitate possunt illi tribui, ne cogatur mendicare, cum iam per ipsum non stet, quominus absoluatur, & ipsemet propria auctoritate poterit retinere, quia, cum non sit in mora petendi absolutionem, potest alimenta suæ sustentationi necessaria sibi retinere.

Hoc modo expressè explicant conclusionem communem Nauar. in Manua. cap. 25. numero 124. & Silue. in Ver. Clericus 4. §. 17. Vers. Vigesimo quinto quæritur, duos casus excipit, in quibus excommunicatus non amittit fructus beneficij. Primus, quando non est in mora petendi absolutionem, secundus, si non habet, vnde viuat, idem asserit Nauar. Non est autem sufficiens altera conditio ex illis duabus, sicut aliqui censent, vt excommunicatus licitè percipere possit fructus beneficij sed vtraque requiritur simul, nam sola diligentia adhibita ad obtinendam absolutionem non sufficit, vt excommunicatus faciat fructus suos, si desit inopia, & indigentia, quoniam, vt impediantur effectus excommunicationis, non satis est diligentia procurandi absolutionem, nisi excommunicatio tollatur, quod probatur ex dicto §. Verum, vbi excommunicatus, de quo ibi agitur, non fuit negligens, & morosus, cum ad superiorem appellauerit, & tamen declaratur priuatus fructibus beneficij, accedit, quod excommunicatus, quandiu actu non fuerit absolutus, etiam si omnem adhibuerit diligentiam ad absolutionem consequendam, & recesserit à priori contumacia, paratusque sit parere Prælato, incapax est ad beneficium impetrandum, ergo eodem modo priuatus erit iure percipiendi fructus beneficij, vtrumque enim est effectus excommunicationis, ex qua semper proueniunt, quandiu illa manet, & non fuerit sublata per absolutionem. Quamobrem, vt excommunicatus possit licitè, & sine peccato fructus beneficij accipere ad sui, & suarum sustentationem necessariam, opus est, vt & per ipsum non steterit, quo minus absolutionem habuerit, & alia bona non habeat, vnde sibi alimenta subministrare possit, & id verum est, siue sit excommunicatus occultus, siue manifestus, quod si excommunicatus in extrema necessitate versaretur indistinctè, prouidendum ei esset, ne fame periret, capitulo Pasce, & capitulo Non satis 86. distinct. & notant Felin. in capitulo Apostolicæ numero duodecimo, de except. Dec. in dicto §. Verum numero nono, etiamsi culpa sua in talem necessitatem redactus esset, Glo. notabilis in capitulo Sacrorum 12. quæstione secunda. Hinc infert Abb. vbi supra solutionem ad illam dubitationem, an peccatum committat, qui eleemosynam elargitur excommunicato, nam si extrema laboraret inopia, subueniendum esset ei ex præcepto, sed vbi non premeretur tanta necessitate, non liceret ei opem ferre, De qua difficultate pertractaui in capit. 5. Disp. xv. lib. 1.

Confirmant hanc sententiam, quæ dicuntur à Glo. in capitulo Cum Vintoniensis Ver. Admiserant in fi. de elect. Vbi de suspensis à beneficio loquens sic ait *Tamen modicam sustentationem debent habere, ne ex toto egeant*, & sequitur additio Io. And. *Sed si tales suspensi à beneficio haberent patrimonium, vel aliud, vnde viuere possent. tunc ex beneficio nihil habere deberent.* Ad idem facit Glo. in Clem. 2. Ver. Pars dimidia de Aeta. & quali. Vbi agitur de ijs, quibus confertur beneficium habens ordinem annexum, quem si post annum non assumpserint, amittunt dimidiam partem reddituum, & Glos. addit

etiam si reliqua dimidia ad sustentationem ipsorum non sufficit, & imponent sibi, cum per ordinis susceptionem hanc pœnam vitare possint, Ex quibus verbis desumitur ratio à simili, si licitè subtrahitur pars fructuũ beneficii illi, qui infra annum ad præscriptum sacrorum Canonum non suscipit ordines, quamuis reliqua portio non possit supplere necessitati ipsius ob eam rationem, quoniam liberum est ei hanc poenam vitare suscipiendo ordines, ergo propter eandem rationem idem asserendum erit de excommunicato, facit etiam Clem. 2. De Vi. & Honest. Cleri. Vbi Clerici, qui dimissis vestibus proprio ordini congruentibus, & alias ibi expresse prohibitas assumentes per sex menses à perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinent, eo ipso declarantur suspensi, hoc idem probat cap. Quia sæpe De elect. lib. 6. Vbi suspenduntur ab officio, & beneficiis quibuscunque, ipso facto, qui præsumpserint bona Ecclesiæ vacantis occupare, & Glos. in Ver. Beneficiis quibuscunque in fin. assignat rationem diuersitatis inter dictum cap. Quia sæpe, & inter cap. Cupientes §. Cæterum, & cap. Si Compromissarius §. penult. & vlt. eod. tit. & lib. in quibus apponitur tantum poena suspensionis à beneficiis, & inquit *Grauior pœna benè debuit hic apponi, cum possit statim sibi prouidere restituendo, in illis verò cap. Suspensio imponebatur ad triennium.*

Ex ratione, qua vtitur hæc Glos. & Glos. in dicta Clemen. 2. De Aetat. & Quali. atque aliæ supra relatæ infertur ita priuatum esse fructibus beneficij suspensum à beneficio propter contumaciam, sicut excommunicatum, & omnia, quæ asseruimus de excommunicato, quantum ad amissionem fructuum, intelligenda esse de Suspenso ob contumaciam, quia vterque potest sibi consulere petendo absolutionem, & è contra si excommunicatus non est in mora petendi absolutionem, vel est impeditus ex iusta causa, vt non possit illam petere, aut obtinere eodem modo esse ei prouidendum, sicut suspenso, & ità interpretandum est dictum Glos. in cap. Quia diuersitatem Ver. Suspensus De Concess. Præb. cum ait quod etiam si quis culpa sua inciderit in excommunicationem, vel suspensionem, non imputatur tamen ei id, quod ex illa culpa processit, vnde Suspenso, non currit tempus ad eligendum, aut conferendum beneficium; hoc enim verum est, si id, quod sequitur post excommunicationem, vel suspensionem, est effectus ipsius criminis, pro quo quis fuit excommunicatus, aut suspensus, & non fuit negligens, & morosus in petenda absolutione, secus est, quando id, quod prouenit, est effectus excommunicationis, aut suspensionis, sicut est amissio fructuum ecclesiasticorum, tunc enim imputatur excommunicato, aut suspenso, qui fuit in mora petendi absolutionem, & eximendi se ab huiusmodi incommodo. Vnde quando Glos. fin. in dicto §. Verum De Appella. concludit Deposito, & Suspenso prouidendum esse, vt ex redditibus Ecclesiæ viuere possint, non tamen excommunicato, intelligenda est de Suspenso ob crimen, qui non potest arbitratu suo à suspensione immunis fieri, non de suspenso ob contumaciam, ad hunc modum interpretantur Glosam omnes, Abbas ibi numero decimosexto, Dec. numero nono, Felinus in capitulo Apostolicæ numero duodecimo, De Except. Nauar. in Manual. capitulo vigesimoquinto numero 124. Couarruu. lib. 3. Variarum Resolutionum capitulo decimotertio numero octauo. Vers. Duodecimo hinc etiam.

Animaduertendum tamen est hæc, quæ diximus de diligentia excommunicati in petenda absolutione, & de inopia ipsius, quæ requiruntur, vt excommunicatus non committat peccatum, si sibi vsurpet fructus beneficii, intelligenda esse quantum ad primam receptionem, Postquam enim de facto excommunicatus huiusmodi fructus sibi retinuit, licet peccet, & non faciat illos suos, poterit tamen excusari ab obligatione restituendi, etiam si non vergat ad inopiam, sed satis sufficiens causa excusationis erit, si nequeat restituere sine notabili sui status diminutione cum infamia, & scandalo iuxta regulas generales, quæ traduntur à Doctoribus in Materia de Restitutione iudicio, & prudentia boni viri accommodandas occurrentibus casibus quo ad restitutionem fructuum ecclesiasticorum ex causa excommunicationis, vel suspensionis ratione contumaciæ.

Ex eadem ratione infertur etiam id, quod notauit eadem Glos. fin. in dicto §. Verum de Appella. Nimirum filio excommunicato alimenta minimè deberi à Patre, nisi omninò fame periret ratione contumaciæ ob non petitam absolutionem, quæ quidem ratio cum cesset in filio bannito, debentur ei solita alimenta, Bart. in l. Si constante in princ. ff. Solut. Matri. & alii, quos refert Ioannes Baptista Pontanus in Tractat. De Alimentis, capitulo secundo, numero decimoquarto. Diuersa tamen est ratio de filio erga Patrem, non enim eximitur filius ab obligatione humanę charitatis alendi Patrem, si excommunicatus sit Pater, nàm excommunicatio non tollit humanam rationem patris alendi, cap. Sacris De Sentent. Excommunic. Glos. in capitulo primo distinct. trigesima, & in capitulo Non satis distinct. 80. & ibi Archid. & ita sentit Pontanus in eodem Tract. cap. 9. num. 5.

Secunda dubitatio principalis esse potest, quæ comprebendantur sub nomine fructuum, vel prouentuum Ecclesiasticorum cum sacri Canones prohibent, nè excommunicatus percipiat prouentus ecclesiasticos.

Nàm, vt inquit Couarruu. lib. 3. Variarum Resolutionum cap. 13. in princ. quidam sunt fructus Ecclesiastici, qui ex solo titulo canonico habēti beneficium, competunt, & redduntur, Alij sunt, qui distributione quadam diuiduntur inter eos, qui ministerio quotidiano in celebrandis officiis diuinis Ecclesię deseruierint, & vocantur distributiones quotidianæ, Cæsar de Grassis decis. 116. num. 9. alias manualia beneficia, seu victualia, cap. vni. De Cleri. non resid. lib. 6.

Respondeo ad dubitationem, & primò dico Certum esse excommunicatum non posse lucrari distributiones quotidianas, si enim amittit alios fructus ecclesiasticos, ergo multo magis distributiones quotidianas, nam in omnibus casibus, in quibus amittuntur alij fructus, amittuntur etiam distributiones, non è contra cap. Ad audientiam, cap. De Cætero De Cleric. non resid. cap. licet De Præbend. Quare si excommunicatus priuatur alijs fructibus, multo magis erit priuatus distributionibus.

Deinde rationes illæ, propter quas asseruimus in cap. præcedenti statutum fuisse in dicto cap. Pastoralis §. Verum De Appellationibus denegari fructus Ecclesiasticos ipsi excommunicato, multo magis militāt quoad distributiones quotidianas, quæ cum sint extractæ ex fructibus Ecclesiæ, tanquam potior, & præstantior illorum portio, non debent concedi excommunicato, qui ab Ecclesia est separatus, & cum assignatæ sint Clerico, non vt quomodocunque officium, & functiones Ecclesiæ præstet, sicut reliqui fructus, qui

etiam

etiam ex solo titulo canonico acquiri possunt, sed tanquam merces, & stipędium quotidianum, vt Clericus per se ipsum resideat, & assistat diuinis officiis in Ecclesia, meritò excommunicatus, cui interdicitur ingressus in Ecclesiam, & assistentia, dum celebrantur diuina officia, illis penitus carere debet.

Dices, distributiones non comprehenduntur sub generali dispositione fructuum Ecclesiasticorum, igitur quod iure cautum est de his, non statim extendi debet ad illas; Nam in cap. Licet De Præb. Honorius Tertius concedit Clerico absenti in Theologię studio, vt prouentus suorum beneficiorum percipiat integrè, minimè tamen id intelligit de distributionibus quotidianis; Similiter in cap. De cætero, & cap. Ad audientiam De Cleri. non resid. qui manet in seruitio Episcopi, exigit fructus beneficij tanquam residens pręter distributiones quotidianas, in cap. Cum dilectus eod. tit. Familiaris Papæ percipit fructus beneficij in absentia non obstante contraria consuetudine Ecclesiæ, & Glo. ibi in Ver. Fructus ait non intelligi decretum illud de victualibus, idest de distributionibus quotidianis; Hinc sumitur interpretatio vt inquit Glos. Ver. Distributiones in dicto cap. Licet De Præben. ad cap. Super specula. De Magistr. Vbi & Magistris docentibus, & Clericis incumbentibus ad studia Theologiæ absolutè permittitur, vt integrè percipiāt fructus suorum beueficiorum; Quod Glo. inquit intelligendum esse de fructibus Præbendarum, non autem de distributionibus quotidiaois.

Respondeo fructus Ecclesiasticos accipi posse & in ampliori, & rursus in magis contracta, & arctata significatione, & vtroque modo propriè, si in ampliori significatione sumantur, includūt omnes fructus, quocunque modo acquirantur, siue ex titulo canonico, siue ex actuali ministerio, & assistentia, dum celebrantur diuina officia, & sunt distributiones quotidianæ, si vero fructus accipiantur in magis contracta significatione, comprehendunt tantum redditus præbendarum, non distributiones quotidianas, quæ habent potius rationem mercedis, & stipendij, & assignantur pro labore, & ministerio corporali, Cæsar de Grassis decis. 116. nu. 1. & 4. Vnde solui potest obiectio proposita; Nam quando sermo esset de fructibus beneficij in re fauorabili, hoc nomen late esset sumendum, vt comprehenderet etiam distributiones quotidianas, quæ vere dicuntur fructus, Cæsar de Grassis decis. 54. num. 2. In materia vero odiosa non includerentur distributiones eo modo, quo diximus in cap. 2. De nomine beneficij; Et quoniam in Iuribus citatis agitur de fructibus in materia odiosa, nempe vt Clericus absens percipiat fructus beneficij, quod cedit incommodo ipsius Ecclesiæ, quæ remanet priuata numero suorum ministrorum, & ità diminuitur cultus diuinus; Idcirco sub nomine fructuum Ecclesiasticorum nō continentur distributiones quotidianæ; At quando sacri Canones prohibent, ne excommunicatus gaudeat fructibus beneficij, accipi debent fructus in latiori significatione, vt comprehendant distributiones quotidianas, fauore Ecclesiarum, ne Minister excommunicatus, qui ab Ecclesia expulsus est, aliquid commodi, & vtilitatis ex ea consequatur; Immo absq. dubio, si Clericus excommunicatus incapax est ad percipiendos fructus ipsius Præbendæ, multo magis erit priuatus distributionibus, cum non possit assistere diuinis officiis, & distributiones acquirant solum assistentes diuinis officiis.

Dico secundo nomine fructuum in quæstione proA posita intelligi omnes redditus, qui ex bonis Ecclesię proficiscuntur, vel causa Ecclesiæ proueniunt, vt sunt Decimæ, Oblationes, & Eleemosynæ, quæ fiunt à Fidelibus, atq. etiam pensiones, quia sunt prouentus Ecclesiastici, cum ex bonis Ecclesiæ extrahantur, & licet pensio non sit beneficium, pendet tamen à beneficio, sicut vsusfructus à proprietate, Imol. in Clem. 1. §. Eadem De Supplen. neg ig. Prælat. Gig. De Pension. quæst. 71. nu. 1.

Sed hoc loco quæri potest; Postquam excommunicatus caret penitus omni Iure percipiendi fructus beneficij, an nihilominus teneatur ad onera, & obligationes beneficio annexas, sicut si fructus perciperet.

Respondeo, & primo dico ex communi sententia B excommunicatum, siue iuste, siue iniuste fuerit excommuoicatus, nec percipiat redditus beneficij, teneri tamen, vt superius probaui in lib. 1. Disp. 10. cap. 4. horas canonicas priuatim, & occulte dicere ratione beneficii, Glos. in cap. Presbyterum Ver. Priuatus est, 28. dist. Vbi agens de excommunicato, & suspenso, an teneantur recitare horas Canonicas sic ait: *Immo ad hoc tenetur, dum tamen non faciat hoc officiando suam Ecclesiam, vt colligitur 11 q 3. cap. Si quis Episcopus.* Card. in Clem. 1. oppo. 6. De Regula. Hier. Gig. De Pension. q. 64. nu. 4. Ne delinquentis melior sit conditio, & delinqueus ex fraude, & malitia commodum consequatur cap. Eum qui De Præbeo. cap. Sedes Apostolica De Rescript. Accedit, quod excommunicatus debitor nō C liberatur à debiti solutione, cap. Si vere De Sent. Excom. cap. Excommunicatus De Hæret. cap. Intelleximus De Iudi. Clerici vero ratione ordinis, & beneficii debitores Deo dicuntur quoad dioinum officium, cap. 1. De Celebra. Missa. ibi *Pensum seruitutis suæ*, preces tamen excommunicatus recitare debet in modum priuati suffragii non in Ecclesia, vt inqoit Glos. citata in dicto cap. Presbyterum Ver. Priuatus est 28. dist. & Glo. in cap. 2. De Cleri. Excom. Mini. Ver. Præsumpserit, Quia recitare horas Canonicas priuatim licet etiam Laicis; Idem confirmat Glo. Ver. Officia eod. tit. his verbis: *Nec Excommunicatus, nec Suspensus publicè, vel priuatim celebrare debet, nec sacramenta alii dare, sed alia officia præter Missam potest occultè dicere D non officiando, sed quasi priuata persona, &c.* Vnde in dicto cap. Si quis Episcopus in Concilio, 11. q. 3. prohibetur excommunicatus facere oblationem, aut Matutinnm, seu Vespertinum sacrificium quasi in officio suo agere, sicut prius, & idem docent Doctores in Clem. Graui De Celebr. Missa. Interdicitur autem excommunicato, ne publice in Ecclesia officium diuinū celebret, tum quia illud simul cum aliis recitare non valet, cap. Cum excommunicato, 11. q. 3. tum etiam quod hoc pertineat ad dignitatem ordinis, qua excommunicatus, vel suspensus, indignus efficitur. Idem tradunt Host. in Summa in tit. De Sent. Excommunicationis §. Consueuit, & illud quæri, Archid. in dicto E cap. Præsbyterum, Albert. De Ferrar. in Tract. De Horis Canonicis cap. 9. 12. & 13. Henri. Bulc. cap. 2. De Cleri. Excom. Mini. Turre Crem. cap. 1. dist. 91. Dec. in cap. Intelleximus nu. 5. De Iudi. Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 3. nu. 3. & lib. 3. Variar. Resol. cap. 13. Vers. Duodecimo hinc etiam; Immo non tantum excommunicatus, sed etiam degradatus ad preces canonicas obligatur; Archid. Card. & cæteri in cap. Presbyterum 28. dist.

Secundo dico excommunicatum, licèt sit priuatus fructibus beneficii teneri ad onera realia beneficio annexa, vt ad pensionem soluendam, ad charitatiuum

uum subsidium debitum Episcopo, ad Decimas Papales, & ad alia similia.

Ita tenet Gigas in Tract. De Pension. q. 64. & citat dictum Bart. in l. Inter quos §. Damni ff. De Dam. infect. Vbi ait Sacerdotes Vltramontanos, qui excõmunicati fructus beneficiorum non percipiunt, debere censum soluere, si culpa sua excommunicati sint, l. Si merces §. Culpæ ff. loca. & est regula Iuris Damnum, quod quis sua culpa De Reg. Iur. lib. 6. opinionem Bart. sequitur Paulus de Castro in dicto §. Damni, facit etiam cap. Si vere De Sent. Excom. Vbi habetur non liberari excommunicatum propter excommunicationem superuenientem ab obligatione, qua tenebatur, aliquid præstare non excommunicato, sicut Bannitus, qui fructus suorum beneficiorum sua culpa non percipit, & tamẽ tenetur ad onera, vt Bart. & alij Doctores asserunt in dict. §. Damni, sicut etiam nobilis, qui propter delictum nobilitate priuatur, tenetur tamen ad onera, & collectas ad quas tenentur cæteri nobiles, quia nobilitate priuatur solum quoad sui commodum, non autem quoad eius incommodum, vt asseruit Bart. in l. 1. C. de Infam. lib. 10. & in l. 1. C. de Digni. lib. 12. Hoc idem confirmat quantum ad subsidium charitatiuum, Ballenc. in Tract. suo De Subsidio charita. q. 33. quod licèt Clericus excommunicatur sua culpa non percipiat fructus beneficii, tenetur tamen soluere subsidium charitatiuum. Ad eandem Conclusionem confirmandam alia plura proponit Gig. in dicta q. 64. quam conclusionem dicit intelligendam esse, si excommunicatus retinet possessionem beneficij.

Nonnulli tamen Recentiores oppositum sentiunt, nimirum excommunicatum eo tempore, quo priuatur fructibus beneficij, non teneri ad pensionem soluendam, neque ad alia onera realia, sed illa extrahenda esse ex fructibus, quos amittit excommunicatus, Mouentur ad hoc asseren.

Primò quia Pensio non est imposita super persona, sed super fructibus beneficij, ergo ex illis est soluenda, nàm cum hoc onere transeunt ad quemcunque.

Secundò quia excommunicatus priuatur tantum illis fructibus, quos ipse poterat lucrari, Portio autem illa fructuum, super quibus imposita erat pensio, debita est Pensionario, ideo excommunicatus, quamuis nulla esset excommunicationis Censura irretitus, illam acquirere non posset, ergo neque illam potest amittere, sed semper integra remanet pro Pẽsionario.

Tertiò solutio pensionis non est grauamen, quod oriatur ex ipsa excommunicatione, sed est impositum beneficio ante excommunicationem, ergo nulla dictat ratio, cur beneficium sit eximendum à tali onere propter solam ipsins Beneficiarij excommunicationem.

Nihilominus hæc non conuincunt nos, vt communem opinionem dimittere debeamus, Rationes enim adductæ, si quid concludunt, probant solum Beneficiarium excommunicatum non teneri ad solutionem pensionis, & aliorum onerum ex proprijs bonis, hoc enim videretur admodum durum, & hoc non asserit communis opinio Doctorum, sed affirmat excommunicatum obligatum esse ad huiusmodi onera ex redditibus beneficij, quos acquisiturus erit, postquàm absolutionem obtinuerit, & fructus beneficij, quos percepisset tempore excommunicationis si excommunicatio non fuisset ei impedimento, in satisfactionem dictorum onerum minime conuertendos esse sed illos fructus cedere debere, vel vtilitati aliorum Cle-

A ricorum, qui in Ecclesia celebrant, vel Ecclesiæ applicandos, vt paulò post declarabo. Et ad rationes respondendum est.

Ad primam dico Imponi posse pensionem super fructibus beneficij duobus modis, Primo modo gratia taxationis, vt quando vnica oratione, fit assignatio pensionis, & expressio rei, ex qua soluenda est, vt si dicatur imponimus Pensionem quinquaginta aureorum super fructibus talis beneficij Titio persoluendam, Quo casu Beneficiarius, si non percipiat fructus, non tenetur soluere pensionem, Secundo modo gratia demonstrationis, vt quando duplex oratio apponitur; altera exprimens dispositionem, quod pensio soluenda est, altera, quæ demonstrat rem, vnde sit B soluenda, quo casu pensio debetur etiam si Beneficiarius non percipiat fructus, exemplum sit in Legato, Si Testator diceret Volo decem dari Sempronio per Hæredem meum, & volo, vt ista decem illi soluantur ex redditibus talis fundi, tunc, licèt ex fundo nulli percipiantur fructus, Hæres tamen cogitur soluere decem; non igitur necessariò sequitur Pensio imposita est super fructibus, ergo, si fructus non exiguntur, pensio non debetur, Caccialup. in Tract. De Pensio. qu. 16. Gig. q. 62. Sed quoniam regulariter in literis pensionum fructus, ex quibus debet solui pensio, & ipsa pensio exprimuntur sub vna, & eadem oratione, & ideirco fructus apponuntur gratia taxationis, Vnde, illis non existentibus, pensio non debetur, idcirco aliter C respondendum est ad rationem.

Quare secundo dico Pensionem impositam esse super omnibus fructibus beneficij, & omnes fructus, qui extrahũtur ex bonis ipsius beneficii esse obligatos pro pensione. Quamobrem si Beneficiarius nullos percipit fructus, non est obligatus ad solutionem pensionis, etiamsi beneficium possideat, Rom. consilio 369. incipit Circa primum propositæ consultationis articulum col. antepen. Vers. Quoad sextum, Gig. dicta q. 62. num. 5. in fi. Verùm quando caret aliqua parte fructuum, vel propter sterilitatem anni, vel ratione excommunicationis, aut suspensionis, vel ex alia causa, sed aliam percipit, tunc non est exemptus à solutione D pensionis, & aliorum onerum, quia pensio imposita est super fructibus in genere, & omnes fructus sunt hipothecati pro pensione, qui perueniunt ad manus ipsius Beneficiarii, Vnde inquit Paul. de Castro Consil. 338. col. pen. in fin. in primo vol. Quando annua præstatio reddenda est ex fructibus certæ rei, si vno anno fructus non extant, expectanda est vbertas anni sequentis, & sterilitas cum vbertate est compensanda, l. Ex eo ff. De Vi. Triti. & Ole. legat. Et idem volunt alij Doctores, quos citat Gig. in dicta q. 62. nu. 7. Sic igitur, etiam si excommunicatus non percipiat fructus beneficij tempore, quo manet excommunicatione obstrictus, tamen post impetratam absolutionem, si possideat beneficium, erit percepturus fructus, E ex quibus pensionem soluere poterit.

Tertio dico ad eandem rationem illam propositionem, qui non percipit fructus beneficii, non tenetur ad solutionem pensionis, intelligendam esse quando quis caret fructibus absque culpa sua, secus si impedimentum, ratione cuius priuatur fructibus, prouenit culpa sua, sicut accidit, quando Beneficiarius incidit in excommunicationem, ita ait Bellenc. in Tract. De Subsidio Charita. q. 34. Gig. vt supra num. 8. Couarr. lib. 3. Variar. Resol. cap. 13. num. 8. Vers. Duodecimo hinc etiam in fi. Sic apparet rationem illam non concludere, & eodem modo dissoluuntur aliæ duæ rationes.

ctiones, quæ eodem fundamento nituntur.

Tertia dubitatio principalis erit, in quos vsus conuertendi sint fructus beneficiorum, quos amittit excommunicatus tempore excommunicationis.

Huic dubitationi satisfaciendum est repetendo distinctionem illam fructuum Ecclesiasticorum, quam superius proposui, Duplex enim genus fructuum reperitur, nempe distributiones quotidianæ, quæ acquiruntur ex actuali ministerio præstito in Ecclesia in celebrandis diuinis officijs, & fructus alij principales à quotidianis distributionibus distincti. Si loquamur de distributionibus quotidianis, illarum partes, quæ excommunicatis, nisi tali impedimento detinerentur, & præsentes in Ecclesia forent, deberentur, cæteris præsentibus accrescunt, & ad eos pertinent, Glos. in Clem. 2. de Aeta. & Quali. in Ver. Pars dimidia, & Glo. in Clem. 2. in Ver. Suspensus de vit. & honest. Cleri. Abb. & Imol. in capit. penult. de Cleri. non residen. Felin. in cap. Apostolicæ n. 13. de Except. Dec. in cap. Pastoralis §. Verum nu. 9. de Appellat. Couar. lib. 3. variar. resolut. cap. 13. nu. 7. Et eadem ratio est de excommunicatis, sicut de absentibus, sicut distributiones, quæ absentibus, si præsentes forent, competerent, accrescunt præsentibus, & de seruientibus ita quoque eisdem accrescunt portiones eorum, qui propter excommunicationem, aut suspensionem, vel ex alio impedimento proueniente ex culpa, & delicto, diuinis officijs interesse non possunt, quod si singuli Ministri Ecclesiæ sint excommunicati, aut suspensi, & non possint in Ecclesia ministrare, omnes distributiones, quæ illis forent dandæ, ad Ecclesiam ipsam pertinent, Dom. & Franc. in capit. vlt. de Cleri. non resid. lib. 6. Cassad. decis. vnica nu. 3. in tit. de Cleri. non residen. Couar. vbi supra.

Sed animaduertendum est, cum dicimus portionem distributionum quotidianarum, quæ peruenisset ad excommunicatum, si excommunicatione obstrictus non esset, diuidendam esse inter alios ministros deseruientes iure accrescendi, vel non decrescendi, id intelligendum esse iuxta decretum Bonifacij Octaui in c. vni. de Cleri. non resid. lib. 6. Si tamen in aliquibus Ecclesijs aliter seruaretur, standum esset consuetudini; nam idem Bonifacius addit, diuisionem distributionũ faciendam esse iuxta Ecclesiæ cuiusque ordinationem rationabilem, factam, seu faciendam, vnde in Conc. Trid. sess. 22. cap. 3. de Reform. Statuitur, vt qui personaliter in Ecclesia seruitium sibi præscriptum quolibet die statuto non impleuerit, illius diei distributionem amittat, & fabricæ Ecclesiæ, si indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarij applicetur; Quare vbi viget talis mos, & consuetudo, illa est retinenda; Et idem dicendum est, si in alijs Ecclesijs aliud fuerit rationabiliter institutum: Est enim regula certa, distributiones quotidianas, quæ vel propter excommunicationem, aut suspensionem, vel ex alia causa amittuntur, applicandas esse illis, quibus ex approbata cõsuetudine dari consueuerunt iuxta ordinationem cuiusque Ecclesiæ.

Si vero sit sermo de alijs fructibus principalibus distinctis à distributionibus, excommunicatorum partes in Ecclesiam conferuntur, & ei debentur, vt Glossæ, & Doctores citati affirmant, Franc. in cap. vlt. de Rescript. lib. 6. Ex quibus tamen extrahenda est portio necessaria, vt munera, & officia Ecclesiastica, quæ ex titulo aliquo iustitiæ Ecclesiæ debentur, nullo modo prætermittantur, sed integre persoluantur per alios ministros cum assignatione conuenientis stipendij, Ecclesia enim non debet priuari debito seruitio, nec qui illud exhibet, aliunde, quam ex Ecclesiæ bonis ali debet, sicut in absentia ministri statutum fuit ab Alex. Tertio in cap. Peruenit 2. de Appellat. scilicet, deseruiri debere Ecclesiæ per Vicarium de fructibus beneficij sustentandum, Et idem habetur definitum à Greg. Nono in cap. Cum ad hoc de Cleri. non resid. Ex ijsdem etiam fructibus rationabiliter detrahi etiam portio quædam debet arbitrio prudentis viri pro quantitate, & rata fructuum, quos amittit excommunicatus eroganda, & distribuenda pauperibus, & egenis, illa scilicet portio, quam ipse Minister excommunicatus si fructus percepisset, in eiusmodi pium vsum exponere prudenter debuisset; Hęc autem applicatio, & distributio fructuum, si excommunicatio sit publica, & lata ab homine per sententiam, auctoritate Superioris fieri debet. Quando vero est occulta ab ipso excommunicato fieri potest, qui, si cõuertat huiusmodi fructus in pium vsum suæ Ecclesiæ, videtur obligationi suę satisfecisse.

Quarta dubitatio erit, an post obtentam absolutionem ab excõmunicatione, possit repetere fructus, quos amisit tempore excommunicationis.

Respondet Glos. in cap. Pastoralis §. Verum Vers. subtrahuntur post medium De Appell. cum distinctione, si excommunicatus per sententiam fuit iustè excommunicatus, fructus deperditos recuperare non potest etiam post absolutionem C. De Re Milit. cum allegatis lib. 12. alioquin spe restitutionis facilius delinqueretur, cap. 1. dist. 50. quia facilitas veniæ cupiditatem excitat delinquendi, cap. Est iniusta 23. q. 4. neq. pœnæ repeti solent, l. Pœnæ ff. De Condi. Indeb. l. qui proprio §. vt in cæteris ff. de Procura. & idem docent Doctores, Abb. in dicto §. Verum nu. 22. de Appella. Rebuff. in Repet. cap. Postulastis num. 82. de Cleri. excom. Mini. vbi citat B. Antoni. 3. part. tit. 24. cap. 76. Vers. Nono excommunicatus, Silue. Ver. Clericus in vlt. quæst. Felin. in cap. Apostolicæ num. 13. & in cap. Cum inter num. 19. de Except. Immo Nauar. ait cons. 50. de sent. excommunicationis teneri Confessarium monere excommunicatum Clericum, qui distributiones sui beneficij receperit durante excommunicatione, quæ occulta erat, vt illas restituat, tum quia illæ pertinent ad alios deseruientes, tum etiam quia Confessarius tenetur admonere pœnitentem ea, quæ sunt necessaria ad remissionem peccati confessi, arg. c. penult. §. Sacerdos de Pœnit. dist. 6. & obligatio restituendi, quam scire debet pœnitens, pertinet ad salutem animę.

Si verò excommunicatio declarata fuerit per sententiam iniusta, poterit repetere fructus præteritos, cap. Super causa, & ibi Glo. Ver. Beneficia 2. q. 5. l. penult. ff. De Re Milita. Abb. in dicto nu. 22. Felin. in dicto cap. Apostolicæ nu. 13. Nauar. cons. 11. nu. 6. & 7. De Cleri. non resid. & in Relect. in cap. Si quando Remed. 2. nu. 32. De Rescrip. & in Manua. cap. 25. n. 133. Gabr. in 4. sent. distinct. 15. q. 8. art. 3. B. Antoni. 3. par. tit. 15. §. 14. Ang. Ver. Clericus 7. nu. 7. Silue. Residentia §. 7. & Beneficium 5. §. 3. vnde Felin. inquit, quando dubium esset, an quis iuste, vel iniuste esset excommunicatus, fructus essent conseruandi, vt si constaret excommunicationem fuisse iniustam, redderentur ei, qui iniuste excommunicatus fuerat, post impetratam absolutionem, fructibus enim consumptis difficilior esset restitutio.

Quod quidem verum est indistinctè de fructibus principalibus beneficiorum, qui acquiruntur ex solo

titulo

titulo canonico, sed quoad distributiones quotidianas, quas lucrantur Clerici solum ministerio actuali deseruiendo in Ecclesia, hoc dictum non est simpliciter verum, sed tunc solùm restituendæ erunt excommunicato iniustè distributiones illæ, quas amisit tempore excommunicationis, antequam declararetur iniusta, si ipse excommunicatus præsens erat in loco, vbi beneficium habebat, & solitus erat frequentare chorum, & assistere diuinis officijs, Felin. in cap. Apostolicæ num. 13. De Except. Couar. lib. 3. Variar. Resol. cap. 13. num. 8. Vers. Duodecimo hinc etiam, quāuis Dom. in cap. Contumaces 50. dist. oppositum teneat, cuius opinionem intelligendam esse dicit Couar. quando talis excommunicatus ante excommunicationem non consueuerat diuinis officijs interesse. Qua in re eadem ratio est de excommunicato, sicut de Infirmo, qui vt definitum fuit in cap. Ad Audientiam De Cleri. non resid. debet percipere omnes fructus beneficii, nam, vt ibi notat Glos. Ver. Infirmitas, Hoc ipso satis punitur, neque addenda est afflictio afflicto, vbi Abb. num. 5. & cæteri Doctores quærunt, an quilibet Infirmus debeat lucrari distributiones quotidianas, & respondent negatiuè, quoniam ille tantum infirmus potest illas percipere, qui causa infirmitatis duntaxat est impeditus à residentia; quare qui abest à loco beneficij tempore infirmitatis, vel qui non erat solitus interesse diuinis officiis, si morbo correptus fuerit, & non valeat assistere diuinis, non acquirit distributiones, quia Infirmitas non fuit causa non residendi, arg. l. 3. §. Stichus ff. de Sta. li. facit quod in simili notat Innoc. cap. Ex transmissa de præscript. & Cald. cons. 1. De Cleri. non resid. Ità quoque asserendum est de excommunicato.

Sed hic quærere posset aliquis, postquam iniustè excommunicatus repetere potest omnes fructus, & distributiones, quas amisit tempore excommunicationis, à quo debeat illas repetere, vel quis teneatur eas restituere.

Et quidem de aliis fructibus beneficiorum non videtur difficultas, quia cum pertineant ad Ecclesiam, ab eadem poterit Beneficiarius recipere, sed tota controuersia est de distributionibus quotidianis, quæ si amittuntur ab excommunicato, accrescunt alijs deseruientibus, vt probatum est, & illis adiudicantur tanquam stipendium, & merces ministerij, & officii per eos præstiti in celebratione diuinorum, quare acquisitum est illis Ius super huiusmodi distributionibus, ideo non tenentur eas restituere.

Propter hanc rationem quidam Doctor recentior censet in hoc casu distributiones non esse repetendas ab illis, quibus adiudicatæ sunt, sed ab ipso Prælato, aut Iudice, qui iniustam tulit excommunicationis sententiam, arg. cap. Sacro De Sent. Excom. ibi *Cumque aduersus excommunicatorem de iniusta excommunicatione constiterit, excommunicator condemnetur ad interesse*, Idem notat Glo. in cap. Temerarium in fi. q. 3.

Hanc opinionem non probo, quia non videtur corroborari firma, & solida ratione, non enim verum est Clericos, & Ministros deseruientes Ecclesiæ acquirere Ius, & dominium portionis distributionum Clerici excommunicati, si iniustè fuit excommunicatus, illa enim semper pertinet ad illum, qui fuit iniustè excommunicatus, & si distributa fuerit inter ipsos deseruientes, competit actio excommunicato post obtentam absolutionem, cum primum de iniustitia excommunicationis constiterit, repetendi eam tanquam sibi iure hypotecatam, ab illis, inter quos diuisa fuit, quia Ius accrescendi, quod transfert dominium distributionum, quas lucrarentur absentes, in præsentes, ac actu deseruientes, cessat, quando quis abest absque culpa, & delicto, vt probatum est, ita accidit in eo, qui iniustè est excommunicatus.

Confirmatur, quia si Clerici deseruientes acquirerent ius, & dominium illarum distributionum, quæ pertinerent ad Clericum iniustè excommunicatum, ita vt ad eas restituendas cogi non possent, idem dicendum esset, quando aliqui abessent à Choro ex alia quacunque causa, & impedimento, si cessaret culpa, & delictum, Eadem enim ratio esset in omnibus, quod tamen est manifestè falsum, & contra omnium mentem, vt patet de infirmis, quibus debentur distributiones, cap. vni. De Cleri. non resid. lib. 6. & si illorum portiones exactæ fuerint à Clericis præsentibus ab ijsdem tantum repeti possunt, similiter de illis, qui absunt à diuinis officiis propter aliquam euidentem Ecclesiæ vtilitatem, vt in eodem cap. vni. Eodem modo si quis detineatur iniustè in Carcere, in his, & aliis similibus casibus non amittuntur distributiones, vt Couar. probat in illo cap. 13. lib. 3. Variar. Resol. num. 8. Vers. Sexto hoc ipsum, & tamen non competit actio ad illas repetendas contra alios, præterquam contra eos, qui illas sibi diuiserunt, ergo idem asserendum erit de portione spectante ad Clericum iniustè excommunicatum.

Addamus ad hæc, quod Iudex malè iudicās, & iniustam ferens sententiam non facit litem suam, nec puniri potest, etiam si sententia, vt iniqua retractata fuerit per appellationem, nisi conuictus fuerit odio, vel gratia, aut pecunijs corruptus scienter sententiam iniustam protulisse, vt statutum fuit in Conc. Carthaginensi tertio cap. 10. & refertur in cap. Hoc etiam placuit 2. q. 6. Neque enim contra Iudicem ex officio aliquid agentem, malum est præsumendum, nisi conuincatur, cap. Absit 11. q. 3. c. Si Episcopus fortè 9. q. 2. Vnde Innocentius Quartus in cap. 1. De re Iudi. lib. 6. dixit Iudicem tunc condemnandum esse parti læsæ in æstimationem litis, & suspendendum esse per annum ab executione officii, & alijs poenis sacrorum Canonum puniendum, cum contra conscientiam, & contra iustitiam, vel per gratiam, vel per sordes aliquid in iudicio fecerit in grauamen partis, & Glos. ibi Ver. Per sordes notat fieri per sordes, intelligi, quando Iudex prece, pretioꝙ, timore, vel odio corruptus mouetur ad aliquid agendum in Iudicio contra conscientiam, & iustitiam, & hoc modo intelligendum est id, quod dicitur l. Iniuriarum §. Item labeo ff. de Iniur. Nempè Iudicem condemnantem aliquem iniustè, iniuriam illi facere, & ex consequēti Reum posse agere contra Iudicem actione iniuriarum, l. 2. C. de Pœn. Iud. qui ma. iudi. & Iustit. De oblig. quæ ex quasi delic. nasc. §. 1. Hoc enim verum est, quando Iudex dolo fecerit, vt declarat Paris. de Put. in Tract. De Syndi. super Ver. lis sua cap. 1. num. 3. Tandem hoc idem in specie de Iudice iniustè excommunicante confirmauit expresse Glos. in cap. Illud planè Ver. Iniuriam 11. q. 3. explicans verba illa in tex. scilicet *Illud planè non temerè dixerim, quod si quisquam fidelium fuerit anathematizatus iniustè, potius ei oberit, qui facit, quàm qui hanc patitur iniuriam*, Quod inquit Glo. *Verum est, cum dolo excommunicauit, aliàs non* l. 2. §. Si publicanus ff. Vi. bo. rap.

Neque his aduersatur cap. Sacro De Sent. Excom. Ibi enim agitur de Prelato non seruante formam præscriptam in pronuncianda excommunicatione, scili-

cet non præmissa competenti monitione, & ex causa manifesta, & rationabili, & contrafacienti imponitur pœna, & supponitur quod Prælatus dolo ita agat, nam si ego passus sum damnum ex dolo Prælati, tenetur ipse ad interesse meum, & quoad æstimationem damni standum erit iuramento meo, ita ibi declarat Abb. A num. 16. Vnde quando non apparet de dolo, non tenetur ad interesse, Felin. ibidem num. 10. Quare ex hoc textu confirmatur potius nostra sententia, & ad hunc modum absoluamus hoc caput, & finem imponamus præsenti Disputationi.

DE NONO EFFECTV EXCOMMVNICATIONIS.

DISPVTATIO SEPTIMA
De Incapacitate ad obtinendum rescriptum.

Caput Primum. An rescripta quæcunque impetrata per excommunicatum inualida sint, & nihil ei prosint.
Caput Secundum. An Rescriptum ab excommunicato impetratum pro tertia persona sit nullum.

CAPVT I.
An Rescripta quæcunque impetrata per excommunicatum inualida sint, & nihil ei prosint.

GRegorius Nonus cap. 1. De Rescript. lib. 6. decreuit Rescriptũ impetratum ab excommunicato, & processum eius virtute habitum esse ipso Iure nullum, præterquam super excommunicationis, vel appellationis articulo, Verba Gregorij sunt, *Ipso iure rescriptum, vel processus per ipsum habitus, non valent, si ab excommunicato super alio, quàm excommunicationis, vel appellationis articulo fuerit impetratum*. Quare nõ valent rescripta impetrata per excommunicatum non solùm super beneficijs, vt diximus in cap. 3. Disp. Superioris. Et licèt Greg. in dicto cap. 1. videatur loqui de rescripto ad lites, constitutio tamen est generalis, & ratio vniuersalis, & ita omnes interpretantur, vt probaui in dicto cap. 3. & præter alios latè Felin. in cap. vlt. num. 1. & seq. De Except.

Sed in primis super verbis dicti cap. 1. De Rescrip. lib. 6. quæri potest, an dicta Constitutio sit intelligenda de omnibus rescriptis, & gratiis etiam ab ipsis Episcopis, & alijs ordinarijs concessis, an verò locum habeat tantum in gratijs, & rescriptis Papæ, & Imperatoris.

Quod dicta Constitutio intelligenda sit solum de Rescriptis Papæ, probari potest.

Primo à simili ex Clement. 2. De off. Ordi. Vbi statutum est Impetrationem beneficii factam à Papa, vel eius Legato, non facta mentione beneficij prius obtenti esse subreptitiam, & ipso Iure nullam, non autem impetrationem factam ab Ordinario, ergo aliqua apparet diuersitas inter gratiam Papæ, & Ordinarii Inferioris.

Secundò non videtur eadem ratio de rescripto impetrato à Papa, & de impetratione facta ab ordinario, quia facilius potest impetrari rescriptum subreptitium à Papa, qui plurimis, & grauissimis detinetur occupationibus, quàm ab Ordinario paucioribus occupato, cap. Quod dicitis 16. dist. cap. Quosdam. B De Præsumpt. Card. in citata Clem. 2. q. 17. De Offic. Ordi.

Tertiò quoniam nec Io. Monach. nec alius Doctor in dicto cap. 1. De Rescript. lib. 6. affirmat rescriptum obtentum ab Ordinario per excommunicatum esse ipso Iure nullum, sed omnes loquuntur de Rescriptis Papæ.

Quartò in Rescriptis Summorum Pontificum solet ex antiquo stilo Curiæ apponi absolutio à Censuris, per quam tollitur nullitas, quæ in rescriptis inesset, si per excommunicatum impetrata essent, & hoc modo remanent firma, & valida, ita quidem vt si dicta clausula omitteretur, esset subintelligenda, aut reformandum esset rescriptum cum insertione dictæ clausulæ, C vt tradit Petr. Rebuff. in Praxi benef. par. 1. De declara. Bullæ nouæ prouisionis §. Teque Absoluentes, Hæc tamen clausula non solet apponi in literis Ordinariorum, quare essent penitus inanes, & impetrans remaneret destitutus omni remedio.

Quintò dictum cap. 1. De Rescript. lib. 6. loquitur generaliter de Rescriptis sine vlla declaratione, sed rescriptum in genere prolatum comprehendit in Iure solùm Rescriptum Pontificium, Imperiale, aut Regium, vt colligitur ex tit. De Rescriptis tàm Decretalium, quàm Sexti, & Clementinarum, & ex l. Rescriptum, l. Quoties, & l. vlt. C. de Preci. Impe. Offer. & l. fin. C. si contra Ius, vel vtil. publ. cap. Rescripta 25. quæst. 2.

D Ad oppositam verò partem Primò faciunt verba dicti cap. 1. quæ generalia sunt, scilicet *Ipso Iure Rescriptum, vel Processus*, Ergo generaliter debent intelligi, Vbi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, Vnde Felin. in Rub. de Rescript. in princip. hoc verbum Rescriptum tanquam genus distinguit in Rescripta Principis, quæ habent vim legis, & Rescrip. Inferiorum, quæ carent huiusmodi potestate.

Secundo Glosa in eod. cap. 1. Ver. Processus censet Processum excommunicati coram Ordinario valere, & coram Delegato ab eo non valere, & ità tenet impetrationem delegati per rescriptum obtentum per excommunicatum ab Ordinario ipso Iure esse nullũ.

Nauar. in Cons. 44. nu. 2. vsque ad 10. De Sent. Ex- E com. tractat difficultatem ad vtramque partem, & asserit à paucis, vel à nemine fuisse tractatam, Tandem concludit, dictum cap. 1. De Rescript. lib. 6. non comprehendere inferiorum Ordinariorum rescripta, saltem quoad forum conscientiæ, maxime si excommunicatio sit occulta.

Hanc Nauarri opinionem puto esse probabilem in foro conscientiæ, si excommunicatio sit occulta, propter rationes adductas in confirmationem huius partis.

Sed

Sed multò probabiliorem existimo oppositam, intelligendam esse Constitutionem Gregorii Noni, de omni rescripto in genere sine vlla distinctione, sicut etiã omnes Doctores in dicto cap. 1. generaliter loquuntur, & rationes pro contraria sententia non concludunt, Probant enim solùm esse aliquas differentias inter rescripta Papæ, Imperatoris, Regis, & aliorum Inferiorum, quod non est negandum, sed eum text. vtatur nomine rescripti in genere, & non descendat ad aliquam speciem, accipiendum est vniuersaliter, vt complectatur quodcunq; rescriptum, vt fusius probatum est in cap. tertio Disp. præced. vbi tractaui de literis ad beneficia per excommunicatũ impetratis.

Secundò quæritur, an valeat impetratio rescripti per excommunicatum obtenti, in quo facta fuerit mentio excommunicationis.

Respondendum est cum distinctione, Vel rescriptum impetratum est à Papa, vel ab Inferiore Ordinario, si à Papa, tenet rescriptum, quia videtur concessum ex certa scientia, Archid. in dicto c. 1. in princ. Franc. num. 18. per Glo. in c. 1. Ver. Noscatur de Constit. lib. 6. Si verò rescriptum emanauit ab Inferiore, non erit validum, quia Inferior non potest derogare dispositioni dicti cap. 1. argum. Clem. Ne Romani De elect. Sed in casibus, in quibus valide potest excommunicatus impetrare rescriptum, etiamsi nulla de excommunicatione facta sit mentio, validum erit, vt inquit Franc. ibi num. 19.

Tertio quæritur, si rescriptum impetratum fuerit per excommunicatum, & præsentatum in Iudicio, & pars, seu Iudex scientes excommunicationem, non opposuerint, sed Iudex processerit ad sententiam, an gesta virtute talis rescripti sint valida.

Respondeo non valere, vt inquit Glos. in dicto cap. 1. Ver. Ipso iure, quia quando in Constitutione habetur, quod actus ipso Iure non teneat, tunc tacitus consensus partis non opponentis, vel tacita pronunciatio Iudicis ad vlteriora tendentis, non possunt conualidare actum, Immo si semel opposita exceptione excommunicationis, adhuc Iudex sententiam tulerit, non valet, vt inquit Franc. num. 4. contra Lapum, quia caret penitus iurisdictione, vt inquit Innocẽtius in cap. 2. De Dilat.

Sed postulabit quis, quid dicendum sit, si virtute rescripti per excommunicatum obtenti Iudex ferat sententiam contra ipsum excommunicatum, an sententia teneat.

Res videtur controuersa in vtramque partem; quod sententia teneat facit, quia cap. 1. De Rescript. lib. 6. inualidans rescriptum, promulgatum est in pœnam excommunicati; quare in eius odium valida erit sententia, contra ipsum lata, Ità tenent Innoc. & Ioan. Andr. in cap. Prudentiam de off. deleg. Idem Innoc. in cap. Exceptionem in Glos. fin. De excep. Ex opposito textus in dicto cap. 1. de Rescriptis lib. 6. declarat tale rescriptum esse nullum ipso Iure, ergo non potest vim, & iurisdictionem vllam tribuere. Ad hunc modum sentiunt Ant. & Dom. quos citat Franc. vbi supra num. 5. Quod dicit esse intelligendum ex sententia Imol. quando Aduersarius habens notitiam de excõmunicatione partis, quæ obtinuit rescriptum, non opposuit excommunicationem, quia tunc fuit in culpa per notata in cap. Ad probandum de re Iudic. Si enim ignorauit excommunicationem, valida erit sententia lata in fauorem ipsius.

Quarto quæritur, si rescriptum in Iudicio producitur, & pars opponat de excommunicatione ipsius Im-

A petrantis, quam probare nequeat, & idcirco succumbat, an vigore eiusdem rescripti possit agere contra illum, qui impetrauit rescriptum, reconueniendo eum.

Respondeo licere eidem, qui impugnauit rescriptũ, post sublatam exceptionem excommunicationis per sententiam, reconuenire partem virtute eiusdem rescripti, cap. Mulieri de iure iur. Vbi Innoc. notat cuilibet permissum esse post sententiam, agere contra suam confessionem, immo hoc licet etiamsi Actor, quando reconuenitur à reo, renunciare vellet rescripto, quia, vt notat Franc. in eod. cap. 1. num. 7. ex sententia Io. Andr. & Dom. post præsentationem rescripti non potest renunciare inuita parte.

B Quid si rescriptum fuit impetratum ante excommunicationem, sed deinde impetrans obstringitur vinculo excommunicationis, quando vtitur, & talis exceptio opponitur ab Aduersario, an rescriptum remaneat nullum.

Glos. in dicto cap. 1. Vers. Impetratum de rescript. lib. 6. dicit textum illum non habere locum, quando opponitur exceptio excommunicationis, cuius vinculo ligatus fuit Actor post impetratum rescriptum, licet enim tunc repelli possit Actor à Iudicio propter impedimentum excommunicationis, non tamen rescriptum redditur nullum, & idcirco inspiciendum esse tempus datæ, & idem tradit Franc. num. 21. in principio.

C Idem dicendum est de quocunque rescripto, etiam si nulla adsit pars opponens, Vnde si quis obtineat licentiam assumendi ordines à quocunque ante excommunicationem, hæc licentia non perit eo ipso, si excommunicatio superueniat, cap. Pia de except. lib. 6. & dicto cap. 1. cum Glos. Ver. Ipso iure, quia nulla pœna incurritur ipso iure, nisi exprimatur, Glos. fin. in c. vlt. de iur. Patro. 2. q. 4. vel 5. cap. Consuluisti. Quamobrem licet non possit excommunicatione durante vti dicta licentia, poterit tamen obtenta absolutione, excommunicationem non perimit rescriptum impetratum, sed vsum suspendit, sicut impedit vsum aliarum communicationum.

D Quinto quæri potest, cur in illo cap. 1. de rescript. lib. 6. cum distinctione loquatur Summus Pontifex, rescriptum, vel Processum impetratum ab excommunicato esse nullum, multis prætermissis, quæ à Doctoribus afferuntur circa differentiam rescripti, & processus.

Respondeo Processum dici totum id, quod producitur in Iudicio ab vtraque parte, scribendum à Notario vsque ad sententiam, cap. Quoniam, & ibi not. omnes de probat. Rescriptum vero dicitur particula quædam Actorum, & sic processus se habet vt genus, Rescriptum vt species, & licet appellatione processus veniat etiam rescripti præsentatio, & hac ratione

E sufficeret, quod textus irritaret tantum processum, tamen non inconuenit, quod speciei, & generis fiat expressio, vt in Rub. C. de serui. & aqua. & talis expressio multum operatur, vt dicit Io. And. per textum in cap. Nimis de excess. Prælat. & tradit Felin. in cap. Venerabili num. 2. De Off. deleg.

Ex quo infertur non tam prohiberi excommunicato impetrare rescriptum, quàm præsentare illud in Iudicio, & eius vi prosequi causam, in qua processus fundatur, quia ex processum potest prouenire cõmodum ipsi excommunicato, ex sola rescripti impetratione, nihil vtilitatis consequitur, illa enim sola est sine effectu ante præsentationem, cap. Super eo, de appell. quæ ab

ab excommunicato fieri potest, cum nihil referat, per quem preces porrigantur, l. Vniuersis, C. De Preci. Imp. Off. Sed benè refert, per quem fiat præsentatio in Iudicio, cap. Intelleximus De Iudi. & ità tenet Rota in Antiq. decis. 194. Put. decis. 128. lib. 3. Felin. in cap. Nonnulli §. Sunt & alii num. 37. De Rescript. Et hæc est ratio, quare excommunicatus à limine Iudicij repellitur, quæ ponitur in dicto cap. Intelleximus in fi. scilicet nè ex hoc actu vtilitatem aliquam percipiat, sed ex sola impetratione absque prosecutione nullum excommunicatò paratur commodum, Vndè forsan deduxit Glos. in cap. prudentiam §. Sexta Vers. Aliam iustam causam in fin. de off. deleg. Quod rescriptum impetratum ab excommunicato cessante excommunicatione, & obtenta absolutione potest conualidari, & retrotrahi ad tempus Datæ, & colligitùr ex doctrina Baldi cap. Cum ex Officij Vers. Ad hoc adduco de Præscript. Sed contrarium voluit Abb. in dicto cap. Prudentiam §. Sexta num. 10. Vbi dicit falsam esse opinionem Glosæ, quæ posset locum habere in eo casu, quando aliquis idcirco esset excommunicatus ab Episcopo, si impetraret rescriptum contra ipsum, vel ob aliam similem causam, vt inquit Felin. in cap. Venerabilem num. 3. Vers. Fallit secundo de except.

Hæc Conclusio quod Rescriptum sit nullius roboris habet locum in excommunicato publico, siue occulto, etiamsi ipse inscius sit suæ excommunicationis; quidquid dicat Archid. in dicto cap. 1. num. 1. De Rescript. lib. 6. vt expresè notauit Abb. in cap. penult. num. 6. De Cleri. Excom. Mini. contra Glosam affirmantem literas obtentas per excommunicatum ignorantem suam excommunicationem valere, obtenta absolutione, & ità sentit Couar. vbi supra num. 3. Vers. Vndecimo non tantum, & Felin. in dicto cap. vlt. num. 5. De Except. quod tamen Felin. ex doctr. Innoc. & Butr. putat esse verum, quando Excommunicatus non impetrat rescriptum nomine sui officij, & dignitatis, sed nomine proprio, Innoc. cap. Cum dilectus de Consuet. & in c. Rodulphus in fi. de rescrip. Vbi asserit l. Barbarius ff. de off. Præt. non habere locum in his, quæ geruntur ab excommunicato iure priuato, in quibus non est differentia inter occultum, & publicum excommunicatum, & idem docet Abb. in cap. fin. num. 11. & seq. De Procur. Eodem modo c. Ad probandum De Sent. & re iud. loquitur de gestis per excōmunicatum ratione publici officij, quæ tenent, si excommunicatio sit occulta, non de iis, quę geruntur ab excommunicato vt priuata persona, in quibus, vt inquit Cassad. decis. 1. numer. 6. de præbend. ignorantia excusat excommunicatum à pœnis, sed non prodest ei ad validitatem actus, in quo agitur de lucro, nam iura diuersam habent rationem lucri à damno.

Sed dubitant Doctores, An Rescriptum impetratum ab excommunicato pro suscipiendo habitu Religionis, vel super Professione sit validum.

Felin. in cap. Venerabilem n. 2. De Except. ex sententia Calde. Cons. 12. de Regul. & cons. 4. de rescript. negat huiusmodi rescripta habere vim, & valorem.

Nec obstat textus in c. Cum illorum ad fin. de sent. excom. Vbi Professio facta per excommunicatum censetur valida, nam inquit Felin. esse diuersam rationem, quia in eo textu recipiebatur professio auctoritate ordinaria, & non vigore specialis rescripti; sed re vera c. Cum illorum nihil facit contra hanc difficultatem, ibi enim agitur solùm de regulari excommunicato ob violentam manuum iniectionem, qui absolui potest à Prælato Religionis, & admitti post absolutionem ad ordines, si deliquit ignoranter, & factum non fuit graue.

Alij contra censent idem intelligendum esse ex paritate rationis, si rescriptum fuerit impetratum pro suscipiendo habitu Religionis fauore Religionis, in qua de animæ vtilitate tractatur, sicut de rescripto impetrato in casu absolutionis ab excommunicatione, vbi etiam agitur de animæ salute. Similiter validum erit rescriptum pro recuperatione famæ, vt dicit Ioan. de Anania in cap. Dura. de crim. falsi. Nàm extensio de casu ad casum permittitur etiam in pœnalibus, & correctorijs, vt inquit Glosa in l. Illud C. de Sanct. Eccles. cum simil. alleg. per Alex. in l. Si constante ff. solut. Matr. & Glo. in cap. Sciant cuncti de Elect. in 6. cum pluribus alijs, quæ congerit Ias. in l. Cum quidam num. 24. De libe. & posth. Hæc sententia videtur probabilior.

Quærit etiam Io. And. An Procurator excommunicati admittatur ad impetrandum rescriptum pro ipso excommunicato in casibus expressis in eod. cap. 1. scilicet appellationis, & absolutionis, si solum habeat generale mandatum ad impetrandum.

Respondet idem Io. And. post Archid. non sufficere generale mandatum, sed requiri speciale, nisi in generali mandato adsit clausula expressa; quod Procurator ea omnia perficere valeat, quæ Constituens poterat per se ipsum implere, c. fin. de dilat. c. Qui ad agendū de Procur. lib. 6. sequitur Anchar. in eodem c. 1. in fi.

Hæc tamen Regula, quæ ex dicto c. 1. De rescrip. lib. 6. desumitur, nempè rescripta per excom. impetrata esse inualida extra articulum Absolutionis, & Appellationis patitur alias exceptiones, & limitationes. Primò non habet locum hæc regula in excommunicato excommunicatione minori, quia cum textus simpliciter de excommunicato loquatur debet de maiori intelligi, c. pen. De sent. excom. & ita sentit Abb. c. A nobis de except. & communiter omnes, & probatum est in lib. 1. c. 2. disp. 2. Secundò limitant aliqui, quando excommunicatus impetrat simul cum non excommunicato in re diuidua, quam excommunicatus per se impetrare non posset, quia tunc benè valeret rescriptum ratione impetrantis non excommunicati, qui potuisset solus impetrare, secus si esset res communis pro indiuiduo, tunc enim rescriptum esset ipso iure nullum, Ità Io. And. in Reg. vtile De Reg. iur. Probat Ludou. Rom. in sing. 727. Nunquid rescriptum, & sequitur Fel. in d. c. Venerab. n. 3. vers. Fallit quarto de except. Hoc tamen dictum videtur dubium, quia eadem ratione, qua rescriptum est nullum respectu rei indiuisibilis, propter odium adiuncti excommunicati, deberet esse nullum, quando res, super qua impetratur rescriptum, est diuisibilis, si enim separari potest ab excommunicato, tunc, qui non est excommunicatus, poterat per se ipsum sine excommunicato impetrare rescriptum; quare admittendo excommunicatum ad impetrationem videtur se inhabilem reddere argum. text. in capitulo Cum super de off. deleg. & odium excommunicati hoc operari debet, nè etiam ex persona alterius consequatur illud, quod per se non potest, Immò si alterutro rescripto vis aliqua conueniret, probabilius sustineri posset, rescriptum valere, quando res, super qua impetratur, est indiuisibilis, quam è contra, cū potior ratio militet, quia quando res est indiuisibilis, non est, cur imputari debeat non excom. si excommunicatum

ad communionem admisit, cum ex qualitate rei indiuisibilis, & consequenter potius necessitate compulsus, quàm voluntate hoc fecerit, nam solus impetrare non poterat propter subiectam naturam rei indiuiduæ, arg. cap. Per tuas De Arbi. & cap. Sacris de Sepult. Multa enim conceduntur ratione actus indiuidui, quæ aliàs in actu diuiduo non concederentur. Quare potius dicerem in terminis, de quibus agitur, valere rescriptum, si res sit indiuidua, attenta habilitate alterius impetrantis, quia magis dignum attrahit ad se minus dignum, cap. Tuam De Ordi. Cognit. cap. Quanto, & ibi Abb. De Iudi. Idcirco tale rescriptum erit validum fauore Impetrantis non excommunicati, Nullam autem vtilitatem ex eo percipere poterit excommunicatus. Tertiò quidam dicunt hanc Conclusionem esse intelligendam de rescripto impetrato ad partis instantiam, vt patet ex illo verbo Impetratum, quod habetur in text. dicti cap. 1. de rescript. quod partis petitionem indicat, vt patet in l. 1. & ibi notat Bart. C. Peti. bono. subla. lib. 10. non autem in rescripto concesso Motu proprio, Motus enim proprius operatur, quod tale rescriptum valeat per tex. notab. in l. Si quis iniquum ff. Quod quisque Iuris, & in cap. Si Motu proprio de Præben. lib. 6. Nec obstat, quod Motus proprius non habilitat personam, vt diximus supra cap. ij. Disput. 6. quia verum est per Motum proprium non tolli inhabilitatem prouenientē ratione personæ, vt videlicet censeatur sublatum impedimentum Excommunicationis, Irregularitatis, vel aliud simile, vt habetur in cap. Non potest de Præb. lib. 6. & Glo. cap. Si Motu proprio citato, Clem. Si Summus Pont. de sent. excom. Rescriptum tamen obtentum per Motum proprium erit validum, vt dicitur in Clem. Si Romanus Pont. de Præben. Nec poterit opponi de surreptione, vt in citato capit. Non potest in fine. Sed tamen opponi potest iure commun impedimentum personæ, scilicet excommunicatio Impetrantis, vt inquit Glo. in dicto capitulo. Si Motu proprio, quoniam Motus proprius non tollit impedimentum ex parte personæ, nec reddit illam habilem.

Quarto ex sententia aliquorum hæc regula non est intelligenda, quando quis est excommunicatus excommunicatione generali lata per processus generales ab homine, Rota in antiq. decis. 20. de senten. excomm. Quod tamen dictum non videtur probabile, quoniam si quis incidit in excommunicationem generaliter latam ab Homine contra facientes aliquid, verè est, excommunicatus, & ita sentit Felin. in dicto cap. vlt. num. 3. De Excep.

Quinto non extenditur hæc regula quando quis est excommunicatus sub conditione, nam tenet rescriptum, etiam si postea eueniat conditio, quia excommunicatio non retrotrahitur, Ancharan. cons. 154. Felin. dicto num. 3.

Sexto hæc regula non intelligitur, vt inquit Felin. numero quarto si petatur committi causa in Curia Auditoribus Rotæ, Huiusmodi enim rescriptum valet, quamuis Impetrans alias sit inhabilis, & excommunicatus Rota decis. 5. De Iud. in Nouis, quia tales commissiones non dant iurisdictionem Auditoribus, cum habeant illam in habitu, sed operantur solum distributionem causarum decis. 40. & 41. De Appella in Nouis.

Sed obijcit Franc. in dicto capit. 1. num. 20. de Rescrip. lib. 6. Quod Auditores Rotæ habent quidem ordinariam iurisdictionem in cognoscendo, sed dele-

A gatam in sententiando, vt per Glos. in Clem. Auditor de rescrip. Ideo quando rescriptum committeret Auditori decisionem causæ, esset potius concessio iurisdictionis, quàm distributio, vnde rescriptum impetratum quoad sententiam, non esset validum.

Respondet Franc. quod rescriptum posset esse validum pro parte, & pro parte inualidum, vt est textus in cap. Si eo tempore de rescrip.

Ad euitandas autem omnes controuersias, & lites, quæ ex hoc capite facillimè oriebantur ad inualidanda rescripta Apostolica consueuit Romana Curia apponere in literis Apostolicis clausulam generalem absolutionis ab omnibus censuris, per quam absoluitur Impetrans pro illa tantùm vice, vt literæ Apo-

B stolicæ sortiantur effectum suum, & non possit de nullitate illarum dici ex hoc capite.

Quarè receptum est in Romana Curia, vt quoties conceduntur literæ ad beneficia, Pensiones, vel de quacunque alia re, detur etiam, absolutio impetranti ad illum tantum effectum, vt testantur Staphil. De lit. Gratiæ & Iust. fol. 82. Hier. Gig. De Pensio. q. 14. in fi. Petrus Rebuff. in Concord. tit. De excom. non vitand. Vers. Ideo solet Romana Curia fol. 729. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 271. Couar. in cap. Alma Mater prima part. §. 7. num. 3. Vers. Vndecimo non tantum.

Sed quæret quis, an hæc clausula absolutionis, quę apponitur in literis Apostolicis, suffragetur ipsi Im-

C petranti quibuscunque Censuris, & Excommunicationibus sit innodatus, siue sint non reseruatæ, siue reseruatæ etiam in Bulla Cœnæ Domini.

Respondeo per hanc clausulam generalem absolutionis, quæ inseritur in gratijs Summorum Pontificum, Impetrantes absolui ab omnibus Censuris, & capaces reddi ad effectum gratiæ duntaxat consequendum, non solùm si censuræ non sint reseruatæ Pontifici, sed etiam si sint reseruatæ, & contentæ in Bulla Coenæ Domini, vt inquit Nauar. in cap. Ità quorundam notab. 11. num. 21. De Iudæ. Decis. in cap. Apostolicæ column. 2. Vers. vltimo prædicta regula de except. Hæc tamen regula fallit in quibusdam casibus. Primo si committatur aliquod ex illis crimini-

D bus contentis in Reg. Cancellariæ de Insordescentibus, cuius auctor fuit Innocen. Octauus, vt inquit Boer. decis. 290. num. 2. & illius tenorem refert. Innocentius edidit illam regulam, nè Absolutio generalis apposita in literis Apostolicis indifferenter alicui tribueret occasionem censuras vilipendendi, & insordescendi in eis; quare qui committunt aliquod ex illis criminibus contentis in dicta Regula, & enumeratis à Boer. vbi supra, & per quatuor menses in illo insorduerint transacto hoc tempore quatuor mensium, nullum commodum ex rescripto impetrato consequi possunt, Recenset etiam dicta crimina Rebuff. in Praxi Benefic. super declaratione formæ No-

E uæ prouisionis §. Teque absoluentes &c. num. 12. Ex Regula Iulii Tertij, A quo Pontifice inquit rem hanc fuisse clarius explicatam, quàm à quouis alio Pontifice ante ipsum Iulium, factum fuerit; quare hæc absolutio non prodesset in dictis casibus excommunicatis impetrantibus literas Apostolicas, nisi in signatura adderetur, vt notat Rebuff. hæc clausula scilicet, *& cum absolutione à Censuris ad effectum, &c. etiam in casibus Regulæ, & cum illius derogatione*, quod non solet Papa apponere.

Putat Rebuff. non prodesse etiam hanc generalem absolutionem ei, qui assereret se familiarem, vel Ne-

potem

potem Cardinalis, vt facilius gratiam impetraret, A quia est excommunicatus, nec est verisimile Summū Pontificem velle absoluere hunc furem, & ita loquit cōsuluisse Paulum Parisium Cons. 37. In Causa Vol. 4. Quare illis, qui in huiusmodi excommunicationes inciderunt, rescriptum Apostolicum etiam cum dicta clausula generali absolutionis impetratum nihil suffragatur, & multæ excommunicationes, quæ in dicta regula exprimuntur, habentur in Bulla Cœnæ Domini; Quare si Impetrans non manserit spatio quatuor mensium in huiusmodi excommunicationibus; Absolutio illa clausulæ generalis operabitur effectum suum, etiam si sint excommunicationes Bullæ, & rescriptum erit validum; Nauar. dicto nu. 21. & 14. arg. B cap. Quoniam De Coniug. Lepros. l. Quasitum §. Deniq; ff. De Fund. Instru.

Fallit etiam hæc doctrina in excommunicatione ob Hæresim, quæ non tollitur per illam clausulam generalem absolutionis, quia peculiari quadam ratione est reseruata Papæ, & non includitur sub hac generali absolutione, vt expresse tradit Felin. in cap. Apostolicæ De Except. & probabo, cum agam de absolutione ab excommunicatione iuris reseruata.

Fallit quoq. generaliter in quacunq. excommunicatione, si quis per annum in ea obstinatè insorduerit, tunc enim talis absolutio non habet vim, & rescriptum erit nullum, vt probat Nauar. in dicto cap. C Ita quorundam De Indę. notab. 11. nu. 14. per citatam regulam Cancellariæ, Rota diuers. decis. 850. prima par. lib. 3. dicit absolutionem huiusmodi non suffragari insordescenti per Triennium. Put. decis. 128. lib. 3.

CAPVT II.

An Rescriptum ab excommunicato impetratum pro tertia persona sit nullum.

IAson in l. Vniuersis C. De Preci. impe. offerē. & Dominicus in dicto cap. 1. De Rescript. lib. 6. Ver. Quære an excommunicatus, post Archid. tenent nul- D lius esse roboris rescriptum ab excommunicato in sui fauorem obtentum, valere verò, si per excommunicatum pro alio impetretur. Contrarium tenet Abb. in cap. fin. nu. 11. De Procuratoribus, motus quia dictum cap. De Rescrip. generaliter loquitur, & debet intelligi, siue pro se, siue pro alio impetretur, & idem repetit cap. Ad probandum De Re Iudi. Addit Felin. quod etiam si excommunicatus esset occultus, non posset pro alio impetrare, cap. Post Cessionem De Probat. Possunt tamen hæc conciliari, quod si loquamur in casibus concessis excommunicato in illo cap. 1. De Rescrip. tunc quemadmodum pro se, ita & pro alio impetrare potest rescriptum, scilicet in causa absolutionis, vel appellationis, & ita procedit dictum Ias. & aliorum, & ita intelligitur Glo. in cap. fin. De Procur. Hoc enim poterat habere aliquam dubitationem, nam dispositio respiciens excommunicatum, videtur strictè intelligenda respectu personæ suæ, non autem alterius, arg. cap. Sanè De Priuileg. tamen in hoc casu secundum opinionem horum Doctorum, oppositum statuitur; Si vero loquamur in casibus excommunicato prohibiti, tunc procedit dictum Abbatis, & aliorum, quod rescriptum impetratum ab excommunicato pro alio non teneat, quia etsi maior ratio militet, quando excommunicatus impetrat pro se, quam pro alio ad inualidandum rescriptum; Tamen illud magis, & minus non variat dispositionem Iuris, arg. tex. in l. 1. §. Quod autem ff. De Alcato. per quem tex. decidit quæstionem Bald. in l. Fin. in 2. col. nu. 4. C. Si contra ius, vel vtilit. publ. Vbi dicit, quod statutum permittens Bannitum impunè offendi, quia loquitur simpliciter, debet intelligi tàm de offensione personæ, quàm rerum, licèt maior ratio sit in vno, quam in alio casu. Idem etiam potest probari ratione, quia excommunicatus prohibetur, nè possit impetrare rescriptum, nec comparere in iudicio propter periculum communicationis, & etiam nè ex malitia sua commodum reportet; Tandem quia videns se prohibitum à commercio, quo boni, & honesti homines vti solent, verecundia pulsus citius conuertatur; Quæ omnia ità vera sunt, quando excommunicatus pro alio impetrat exercendo officium Procuratoris, & Defensoris, sicut si pro se impetraret, consequitur enim aliquod commodum, & vtitur aliorum commercio. Sed dices, etiam in casibus in dicto cap. 1. concessis excommunicato, militat periculum communionis, & eædem rationes concurrunt, & tamen rescriptum ab excommunicato impetratum valet. Respondeo in dictis casibus concessam esse dispensationem à iure in fauorem animæ, nè priuatio communionis periculum spirituale inducat, quod non reperitur expressum in alijs casibus. In casu enim absolutionis, & appellationis videtur illud permissum ratione cuiusdam defensionis, & vtilitatis animæ, quæ excommunicato non denegatur, cap. Cum inter De Except. vt expresse dicit Abb. in cap. Prudentiam §. Sexta num. 10. De Off. Deleg. Concluditur igitur, quod rescriptum impetratum ab excommunicato non est validum, siue excommunicatus sit publicus, siue occultus, siue pro se, siue pro alio impetret, vt dicit Abb. in cap. Ad probandum num. 14. De Re Iudi. & in cap. Pastoralis §. Verum num. 15. De Appella. Et hæc dicta sint de nono effectu excommunicationis.



DE TRIBVS ALIIS EFFECTIBVS EXCOMMVNICATIONIS.

Nempe de Exemptione Subditorum à vinculo fidelitatis per Excommunicationem Principis, De Infamia, quæ contrahitur per Excommunicationem, Tandem de Præsumptione, quæ oritur contra Excommunicatum, si per annum in Excommunicatione obstinatus insordescat, vt censeri debeat de crimine, super quo accusatus fuit, conuictus, & habeatur suspectus de Hæresi.



OMNES hi Effectus explicabuntur præsenti Disputatione, & erit absoluta tractatio de Effectibus Excommunicationis, Reliqui omnes effectus licet plures, ad eos, de quibus diximus, reduci possunt.

DISPVTATIO OCTAVA
De tribus postremis effectibus Excommuuicationis Maioris.

Caput Primum. De decimo effectu, An Subditi liberentur à vinculo fidelitatis, si Princeps excommunicationis censura obstrictus maneat.

Caput Secundum. De Vndecimo effectu, an excommunicatus reddatur per excommunicationem infamis.

Caput Tertium. De duodecimo effectu excommunicationis, An accusatus super crimine, & ob contumaciam excommunicatus, si per annum in ea perseueret, censendus sit de crimine conuictus, & an suspectus haberi debeat de Hæresi.

CAPVT I.

De decimo effectu, An Subditi liberentur à vinculo fidelitatis, si Princeps excommunicationis censura obstrictus maneat.

NON deest ratio ad probandum Subditos licitè & sine peccato posse cum suis Dominis communicare, Nam nulla apparet maior ratio de Seruis, Colonis, Famulis, & de alijs, de quibus supra disputatum est, quàm de his subditis, nam eadem obligatione iustitiæ tenentur tributa, & alia debita suis Principibus soluere, qua serui debent obsequia præstare suis Dominis.

Ex opposito verò Subditos, qui iuramento sunt obstricti seruare fidelitatem Principi suo, si ille sit excommunicationis vinculo alligatus, ab huiusmodi obligatione liberari, quandiu Princeps est excommunicatus, habetur in cap. Nos Sanctorum, & cap. Iuratos is, quæst. 6. Vbi statuit Gregorius subditos propter excommunicationem Principis absolutos esse à fidelitate, & debito præstandi obsequia, ac seruiendi eidem, etiam si obligatio talis sit iuramento firmata, similiter prohibendos esse Milites, nè seruiant

A Duci excommunicato, quandiu in Excommunicatione persistit, & de excommunicatis propter Hæresim id apertè statutum est in cap. Absolutos de Heret. Vbi Summus Pontifex Gregorius Nonus absoluit à debito fidelitatis, & cuiusque obsequij eos, qui Lapsis in hæresim quocumque pacto tenebantur obstricti, Cuius dicti illa redditur ratio à Glosa in dicto cap. Absolutos, quoniam Papa potest absoluere à Iuramento fidelitatis, quia ad ipsum spectat interpretatio iuramenti, cap. Venerabilem de elect. Ex quibus Iuribus colligunt Doctores subditos non teneri, nec posse cum suis Principibus excommunicatis communicare, & ratio diuersitatis, cur isti subditi non excipiantur, sicut alii inferiores, nulla alia assignari potest,
B nisi quia ius, à quo proueniunt omnes effectus excommunicationis, diuersimodè de his subditis, quàm de alijs Inferioribus disposuit, fortasse ob eam rationem, quia communicatio cum seruis est magis necessaria ad vitam humanam, vel potius quia delicta, quorum causa excommunicantur Principes, solent esse grauia, & atrocia, & indigent acriori pœna.

Hinc infert Glos. quod si sub pœna subditus tenetur quidpiam soluere ad certam diem Principi, si interim ille obstringatur censura excommunicationis licèt non soluat, non incidit in pœnam, etiam si Iure
C iurando promiserit, quoniam in illa obligatione, & Iuramento tacitè intelligitur, si tales Principes permanserint, quibus communicare liceat 22. quæst. 2. cap. Ne quis arbitretur, l. Cum quis ff. De solut. De hac difficultate satis dixi superius capitulo primo, Disput. iij.

Sed dubitare potest aliquis, An subditi semper peccatum committant, si quouis modo cum suis Principibus excommunicatis communicent.

Silue. excommunicatio 5. num. 18. refert tres opiniones de hac dubitatione.

Prima est Riccard. affirmantis subditos semper peccatum committere, si participent cum suis Principibus excommunicatis, & ratio eius est, quia absoluti
D sunt à Iuramento fidelitatis durante sententia excomm. vtin c. Nos Sanctorum 16. q. 6. Secunda Innoc. & Host. in c. Veritatis de dolo, & Contum. qui nihil audent definire, referunt opiniones contrarias, quamuis videantur eligere priorem tanquam tutiorem.

Tertia est aliorum dicentium tunc subditos peccare communicando, quando eos vitare teneantur, nempe quando in sententia excommunicationis apposita fuerit clausula, vt subditi absoluti à iura-

Iuramento fidelitatis, & non debeant amplius Domino obedire, & sic est intelligendum c. Nos Sanctorum.

Siluester soluit dubitationem, quod subditi communicando cum Dominis non peccant, sed benè è contra peccare Dominos, si cum subditis participent, quia Dominus, cum sit excommunicatus, non potest agere, ipsi tamen subditi debita reddere tenentur, & quoad hoc licitè communicant, & non alio modo, & quāuis cap. Nos Sanctorum absoluat subditos à iuramento fidelitatis, non tamen à solutione debitorum, quæ multa sūt vltra fidelitatē, vt dicitur ibi in text. & Glo.

Probabilius tamen videtur ità esse respondendum ad hanc difficultatem. Primo si loquamur in his, quæ necessaria sunt, ita excusari subditum communicantem cum Domino excommunicato, sicut contra Dominum cum subdito, sicut dicebam supra lib. 1. Disp. 15. cap. 3. ob eam rationem, quoniam hæc excusatio prouenit ex causa necessitatis, vel vtilitatis, quia & Principes possunt petere debita à suis subditis iure naturali, & diuino, & subditi tenentur reddere.

B

Si vero sermo sit de Dominio Regni, & Populorū, & de obsequiis, Tributis, & aliis seruitutibus debitis à subditis ratione dicti dominij, tunc dicimus hæc non cessare ratione excommunicationis regulariter, nec in illis prohibitam esse communicationē cum excom.

Idque ex eo probari potest euidenter, quoniam Domini non sunt priuati iure exigendi tributa, & obsequia à suis subditis, nisi antea priuati fuerint dominio temporali, cuius gratia sunt illis debita huiusmodi obsequia; quia permanente integro dominio, subditi ipso iure tenentur obedire suis Principibus, & communicare cum illis, quantum necesse est ad hanc obligationem implendam, cap. Inter alia de Sent. excom. & antequam per sententiam superioris Princeps huiusmodi iure priuatus fuerit excommunicatio per se non habet hunc effectum regulariter, vt priuet excommunicatum dominio suorum bonorum, dixi autem regulariter, quia de nonnullis excommunicatis, vt de Hæreticis, & similibus, ius specialiter disponit, illos priuatos esse Iure dominij, quo vtuntur, & ex hac exceptione speciali colligimus hūc effectum non prouenire generaliter ex vi excommunicationis, sed ex ipsa particulari iuris dispositione; quare non est effectus excommunicationis in illis casibus, sed pœna adiuncta cum ipsa excommunicatione, neque in c. Nos Sanctorū tractatur de priuatione dominij, sed de absolutione à Iuramēto fidelitatis; quę sunt longè diuersa.

C

D

Hæc autem poena priuationis dominij duobus modis imponi potest à lege, Altero modo, vt sit imponenda per Iudicem, quoties tale crimen committitur, Altero modo, vt ipso facto contrahatur. Primo modo non sufficit ad incurrendam hanc poenam, vt delictū sit publicè commissum, & illius gratia contracta sit excommunicatio, vt possint subditi tributa, & alia debita obsequia denegare suis Dominis excommunicatis, sed requiritur sententia Iudicis, qua Principes declarentur ob crimina commissa priuati iure dominij suorum Populorum.

E

Qua in re discrimen est inter dominium, quod respicit communem, & politicum vsum rerum, aut personarum, & inter iurisdictionem, quæ versatur inter actus forenses, & iuridicos, vt iudicare, leges ferre, dispensare, & similia, nam hæc posterior iurisdictio, licet per excommunicationem non auferatur penitus quantum ad habitum, & potentiam, suspenditur tamē quantum ad vsum, seu actum, At vero dominium nec quoad habitum tollitur, nec quoad vsum suspenditur

A

per excōmunicationem; Ideo si lex talem pœnam non imponat ipso facto incurrendam, nemo ratione Excommunicationis priuatur iure sui dominij, donec per sententiam iudicis declaratus fuerit priuatus.

Quando verò Lex imponit ipso facto pœnam priuationis dominij, licet posset tunc merito dubitari, An statim, cum constat de delicto commisso subditi possint denegare omnem subiectionem, & ex consequēti communicationem Dominis excommunicatis, quia cū in hoc casu; Domini sint priuati iure dominij, subditi quoq; sunt liberi ab ipsa obligatione subiectionis, ergo non remanet iustus titulus communicationis.

Verum etiam in hoc casu requiritur sententia Iudicis delaratoria de crimine commisso per Dominū, vt subditi possint denegare debita obsequia Domino, & debeant vitare eius communicationem, quamuis oppositam sententiā tueatur Felin. in cap. Rodulphus De Rescript. & alij Canonistæ in cap. Cum non ab homine De Iudic. Sed oppositum est communius, & probabilius, & probatur ex cap. Cum secundum Leges De Hæret. lib. 6. Vbi definitum est, quod licet bona Hæreticorum sint ipso iure confiscata, executio confiscationis fieri non debere, donec sententia fuerit super tali crimine promulgata.

Et quidem hoc dictum post Extrauag. Ad euitanda adeo certum, & indubitatum est, vt nulla indigeat probatione, cum ex priuilegio illius Extrauag. nemo teneatur excommunicatum vitare, nisi postquam fuerit nominatim denūciatus excommunicatus, sed etiā habet locum ante tempora illius Extrauagantis, vt patet ex illo tex. Cum secundum leges; Si enim Domini post cōmissum crimen nō sunt priuati iure dominij vtilis ante sententiam, quamuis sint priuati dominio directo, ergo subditi non possunt denegare debita obsequia illis, priuata auctoritate; Idem sentit Silue. Excommunicatio 5. §. 18. vbi alios refert.

Hoc autem, quod diximus, intelligendum est, dummodo ex communione cum Dominis excommunicatis non immineret aliquod periculum, aut damnum Reip. & Ecclesiæ, tunc enim Iure defensionis naturalis possent subditi eos repellere, & negare illis obedientiam; Quod etiam liceret, si non essent excōmunicati. Similiter hoc idem licitum esse aiunt, quādo Princeps secularis excōmunicatus impediret omnibus modis, nè Iudex Ecclesiasticus proferret contra ipsum sententiam criminis declaratoriam, tune enim subditi possent se subtrahere ab obedientia talis Principis ex ratihabitione, & tacito consensu Prælati, qui in eo casu vim patitur, vt non possit apertè declarare voluntatem suam, sed ex facti euidentia, magnitudine periculi, & aliis circumstantiis potest colligi talis voluntas, temere autem id non esset præsumendum, nisi concurrentibus multis, & probabilibus inditiis huius voluntatis.

Sed posset quis contra dicta obiicere; Ante Concil. Constantiense Princeps excōmunicatus priuatus erat vsu Iurisdictionis etiam ante denunciationem, & sententiam declaratoriam, quamuis non esset priuatus principatu, quod nun habet locum hoc tempore post Concilium Constantiense, sed vectigalia, & tributa soluūtur Principi principaliter ob admiuistrationem Iustitiæ, Igitur poterant tunc temporis subditi iustè, & licitè denegare talia obsequia Principi excommunicato, cuius oppositum firmauimus.

Respondendum est Tributa non solum à Subditis Principi propter actualē administrationem Iustitiæ, sed ratione tituli, & dominij, atq; ob obligationē, qua

tenentur Principes regere suos populos, & illos tueri, ac defendere ab aduersarijs, quæ obligatio non statim tollitur per excommunicationem. Accedit, quod licet Princeps excommunicatus non possit exercere actus iudiciales per seipsum, potest id efficere per suos Ministros ordinarios, iurisdictio enim ordinaria Ministrorum non vacat per excommunicationem Principis, quare non possunt subditi in his se subtrahere ab obedientia Principis, nisi vel talis facultas concessa illis fuerit à iure, vel propter magnum damnum Reip. imminens, & potest hæc veritas comprobari ex text. in cap. vlt. de pœn. & ex notat. ibi ab Host. & Abb. Quod si Abb. n. 6. dicat subditos absque alia sententia absolutos esse ab obedientia Domini Excommunicati, hoc dictum intelligendum est de sententia condemnatoria, quæ non est necessaria, non de declaratoria, ante quam sententiam possunt communicare in his, quæ pertinent ad debita obsequia præstanda; Et eadem ratio est de Dominis erga subditos excommunicatos, possunt enim cum illis communicare exigendo ab eis debita tributa, & alia ad ipsorum munus attinentia.

Et hæc omnia, quæ dicta sunt de subditis temporalibus, aptanda sunt suo modo erga subditos spirituales, & ecclesiasticos, vt sunt Clerici erga Episcopos, & Monachi erga Abbates, & Superiores suos, Non enim licet Clericis regulariter communicare cum suis Episcopis excommunicatis, nec Monachis, & Regularibus cum suis Superioribus.

Ratio est, quia hæc communicatio pendet ex subiectione, subiectio oritur ex iurisdictione spirituali, sed Prælati per excommunicationem priuantur omni vsu iurisdictionis spiritualis, ergo subditi priuantur omni vsu subiectionis correspondentis, ergo omni communicatione, cui ratione huius tituli erant obligati, & hæc doctrina communis est, & desumitur ex cap. vlt. de Excess. Prælat. cap. Miratus 93. dist. cap. Sacerdotes 2 quæst. 7. Excipiuntur tamen Clerici deseruientes Episcopo, & Regulares suo Prælato, vt ostendi in cap. 3. Disput. 15. primi Libri.

Et hæc intelligenda sunt de excommunicato denunciato, & publico Clerici percussore, si vero Prælatus non sit denunciatus, non est interdicta subdito communicatio cum illo ex priuilegio Extrauag. Ad euitanda, sed si nolit communicare, non potest cogi à suo Prælato, quia vt sæpe dictum est, illa Extrauagans nullum côcedit commodum ipsi excommunicato, igitur non concedit ei aliquam potestatem, qua possit alios obligare ad secum communicandum; Quare licet alij possint communicare, non tamen obligantur, Idcirco censeo etiam hoc tempore subditos posse vitare suos Superiores excommunicatos, sicut ante Extrauagantem poterant, scilicet vel occulte, si excommunicatio sit occulta, vel publice, si sit publica.

Quare cum dicitur excommunicatum post Concilium Constantiense retinere vsum iurisdictionis, antequam denunciatus sit, hoc est intelligendum de vsu iurisdictionis voluntariè respectu subditorum; Fuit enim id concessum ab ipso Concilio in vtilitatem, & gratiam non excommunicatorum, non de vsu coacto, & impellente subditos ad communicandum.

Propter eandem rationem Prælatus non potest cômunicare cum subdito excommunicato post denûciationem quoad communicationem ciuilem, & politicam non interueniente alio titulo necessitatis, & seruitij, quia in c. Quoniam multos 11. q. 3. hæ personæ non excipiuntur; Immò Episcopus non potest cômunicare cû subdito à se excômunicato ex c. Cû desideres de Sent. Excom. vt dixi in dicto c. 3. Disp. 15. lib. 1. Si enim cum illo communicet, incidit in minorem excômunicationem, & si communicet in crimine, incidit in maiorem iuxta cap. Nuper, & cap. Si Concubinæ De Sent. Excom. & cap. Statuimus eod. tit. lib. 6. Et in hoc casu Episcopus non incurrit excommunicationem à se latam, sed ab ipso Iure. Non priuantur tamen Episcopi in hoc casu regere subditos excommunicatos præcipiendo, & monendo ratione sui muneris, & subditi sine peccato possunt, & tenentur, in similibus parere, & communicare cum suis Prælatis.

CAPVT II.

De Vndecimo effectu excommunicationis, An excommunicatus reddatur per excommunicationem infamis.

Clemens Rom. lib. 2. Apostoli. constitut. cap. 47. decernit iustè excommunicatum à vita mortali, & gloria æterna reiectum esse, & apud iustos, & pios homines inhonoratum, & inglorium haberi, excommunicatus igitur redditur infamis ex tex. notab. cap. Infames 6. qu. 1. Vbi inter personas, quæ secundum Canones habentur infames, Stephanus Papa enumerat excommunicatos his verbis: *Et omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos*, Glos. Inst. de capit. dimin. in §. Minor æquiparat excommunicatum Deportato, seu damnato ad Metallum, Silue. V. excommunicatio 3. §. 1. Vers. Octauo non potest eligere, & Vers. Decimoseptimo Infamis efficitur, addit maxime si excommunicatio sit manifesta, & notoria, B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 76. Petr. Rebuff. in Repet. in cap. Postulastis num. 44. & seq. De Cleri. excom. Mini. Nauar. in Manua. cap. 27. numer. 21. Vers. Septimo facit, & in cap. Si quando de rescript. remed. 2. num. 44. ait excommunicatum non esse personam honestam secundum Soccin. consi. 45. & Anton. in cap. Constitutus, & cap. Cum dilectus de purga. Can. Ludouicus Rom. in singul. 675. An excommunicatus, dicit tex. illum, in cap. Infames esse singularem, quem limitauit tamen in singul. 682. in princ. vt solum procedat in excommunicato ob causam afferentem infamiam Iuris, aut ob contumaciam in causa infamiam inurente, Innoc. in cap. Testimonium in fi. De Testi. Archid. in Summa 4. qu. 5. Vnde inter alias pœnas, quibus Ecclesia meritò excommunicatos plectendos fore decreuit, infamia recensetur, quæ tantò grauior æstimari debet, quanto fama reliquis omnibus bonis anteponitur. Melius est *nomen bonum, inquit Salomon Prouerb. 22. quam diuitiæ multæ*, Hoc autem nomine bono priuatus est excommunicatus, siue occultus, siue manifestus. Interest autem inter occultum, & manifestum, quod occultus excommunicatus sola iuris infamia censetur grauatus, ad quam Iuris decreto excommunicatus damnatus est, vt in citato cap. Infames, & non infamia facti, quia eius crimen, cum nondum sit manifestum, famam illius tollere non valet, excommunicatus autem manifestus, & infamia facti, & infamia Iuris censetur infamis; quia infamiam facti incurrit quisque post criminis sui manifestationem, tanto grauiorem, quanto grauius est crimen, quod commisit, ideo nullus honor excommunicato exhiberi debet, siue sit excommunicatus à iure, siue ab homine, Rota decis. 363. Nota quod excommunicato, in Antiquis, Rebuff. vbi supra num. 46. Quia Infamibus portæ dignitatum non patent, l. 1. C. De Infamibus lib. 10. & l. 2. C. de dignit. lib. 12. & Regula Infamibus de Reg. Iur. lib. 6.

Sed

Sed vt hæc, quæ de infamia per excommunicationem contracta, ex Doctoribus adduximus, magis perſpicua reddantur, breuiter explicemus, quid & quotuplex ſit infamia. Infamia vt ex ipſa vocis ſignificatione conſtat, nihil aliud eſt niſi ſine fama ſimpliciter dicta, ſemper in bonam partem accipi ſolet, & eſt: *Illeſæ dignitatis ſtatus vitæ, & moribus comprobatus, & in nullo diminutus*, l. Cognitionem ff. De Var. & extraord. Crimin. ergo infamia erit diminutio huius ſtatus, quæ per publicam, & malam opinionem prouenit, & hæc ſiniſtra opinio, & conceptus publicus de perſona aliqua, vocatur infamia. Quamobrem ſicut D. Aug. lib. 83. quæſt. q. 31. dixit, bonam famam eſſe claram notitiam cum laude; ità nos dicere poſſumus; Infamiam eſſe obſcuram notitiam, reprehenſione, & vituperatione dignam.

Infamia duplex eſt, ſcilicet Iuris, & facti, De priori agitur l. 1. 2. & 3. ff. De his, qui notantur infamia, cap. Infames 3. q. 7. De poſteriori in cap. Licet De Teſti. c. Licet De Probat. l. 2. & l. Licet ff. De Obſeq. à libe. cap. Sunt plurimi 6. q. 1. Infamia Iuris dicitur illa, quæ ex vi alicuius legis humanæ habet aliquos morales effectus, ratione quorum ſpecialis quædam moralis macula reputatur; Infamia facti eſt opinio quædam apud homines, quæ obſcurat perſonæ æſtimationem, & quaſi vilem, & abiectam illam reddit nô ex vi alicuius legis, quia nullam inde habet inſtitutionem, ſed ſolum ex apprehenſione, & communi hominum opinione; Et ita explicatur hæc diuiſio infamiæ communiter à Silue. & alijs Summiſtis Ver. Infamia, Caſtro lib. 2. De iuſta Hæret. punit. cap. 9.

Rurſus infamia Iuris diſtinguitur in Ciuilem, & Canonicam; Infamia Ciuilis eſt quam irrogant Leges ciuiles, vt quæ infligitur Mulieri, quæ intra annum Luctus tranſit ad ſecundas nuptias, l. Liberorum §. 1. ff. De his, qui notan. infam. quam Ius Canonicum ſuſtulit cap. penult. & cap. vlt. De ſecund. nupt. Alia eſt infamia Canonica, quæ à Iure canonico eſt impoſita, quæ peculiariter exprimitur in quibuſdam caſibus, vt in cap. Excommunicamus 1. §. Credentes De Hæret. & cap. Felicis De Poen. lib. 6. Sed in genere irrogatur ex quolibet peccato mortali, cuius cauſa prohibetur delinquens, nè ad Sacerdotium promoueri poſſit, vt dicitur in cap. 2. 6. q. 1. Quare non omnis Irregularis eſt infamis Iure Canonico; Quoniam nec Bigamus, nec corpore vitiatus, nec Iudex, qui iuſtam ſanguinis Sententiam tulit, ſunt infames, vt notauit Glo. in dicto cap. 2. Ver. Leges, Innoc. & Abb. in cap. Teſtimonium De Teſti. Sed ille tantum qui irregularitatem contraxit ex delicto. Ex his ſequitur aliquos eſſe infames Secundum Canones, qui non ſunt infames ſecundum Leges Ciuiles; Nec omnes dici infames Iure Canonico, qui tamen infames habentur Iure Ciuili; Quia infamia iuris Ciuilis per ſe diſtincta eſt ab infamia iuris Canonici, ſed illud verè dici poteſt Omnem infamiam iuris Ciuilis, quæ iure Canonico expreſsè ſublata non eſt, dici etiam infamiam Canonicam, vt aſſeruit Innoc. in cap. Qualiter & quando 2. De accuſa. & colligitur ex cap. 2. 6. q. 1. Vbi habetur: *Omnes infames eſſe dicimus, quos leges ſeculi infames appellant*, Quod intelligitur, niſi ius Canonicũ talem infamiam reuocauerit; Et hæc infamia incurritur in multis caſibus, de quibus agitur ff. De his, qui notan. infam. c. Infames 6. q. 1. & in aliis locis citatis; Ratio verò, quare ſint aliqua peccata, quæ inducunt infamiam canonicam, quæ non afferunt infamiam Ciuilem, eſt, quam notauit Turre Crem. in dicto cap. 2. 6. q. 1. Quia A plus exigitur ad ſtatum Eccleſiaſtici ordinis, eiuſque decentiam, quam ad Ciuilem, & temporalem politiam, ac decorem.

Tandem vtraq. hæc infamia iuris, ſcilicet Ciuilis, & Canonica poteſt inferri vel per actum iuridicum, vel per facti notitiam, & manifeſtationem; Quamuis enim hæc infamia ſemper ſit ex inſtitutione iuris, tamen applicatio eius ad talem perſonam poteſt fieri vel iuridico modo per ſententiam iudicis, vel per ſolam facti publici euidentiam, & hi duo modi ſignificantur in cap. vlt. De Temp. Ordin. ibi: *Si propoſita crimina ordine iudiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent &c.*

Obiiciet aliquis non poſſe infamiam iuris ſiue Ciuilis, B ſiue Canonici prouenire ex ſola ſententia Iudicis neque ex ſolo facto hominum; Quia ſi infamia (vt diximus ſupra) conſiſtit in opinione, & conceptu hominum, ergo non ſufficit ſola ſententia Iudicis; Si enim ſententia non proferatur publicè, ſed in priuata domo, non poteſt publicam notitiam parere, quæ ex diuulgatione, & locutione hominum naſcitur, E contra non videtur ſufficere notitia hominum ad infamiam legalem, quia quamuis factum ſit publicum, & manifeſtum, & ex illo apud homines de perſona aliqua, ſiniſtra opinio concipiatur, non habebit tamen effectus inſtitutos ab ipſa lege, ante ſententiam Iudicis.

Reſpondeo tria poſſe conſiderari in infamia; Pri- C mum eſt ius, quod quiſque habet ad ſuam famam, & vocari poteſt dominium famæ; Secundum eſt poſſeſſio famæ, ſeu illius priuatio per publicam facti notitiam; Tertium eſt id, quod ſequitur ex tali infamia ex inſtitutione legis, ſcilicet effectus, & inhabilitates, quas conſequitur perſona ſic diffamata; Ex his primum fit immediatè per ſententiam ipſam, ſi definitiua ſit, & delictum ſit ex numero illorum, quæ notantur infamia, l. 1. cum ſeq. ff. de his, qui notan. infam. & C. Ex quibus cau. infa. l. 1. ff. de poſtulando, & cap. 1. eod. tit. cap. Infames §. Porro 3. q. 7. Statim enim prolata ſententia per Iudicem infertur hæc pœna amiſſionis dominij famæ; Neque ad eius executionem requiritur aliud mi- D niſterium hominis. Hinc ſequitur non eſſe contra iuſtitiam manifeſtare delictum hominis iuridicè condẽnati, quia iam eſt priuatus dominio ſuæ famæ, licet aliquando oriatur obligatio tacendi ex charitate; Secundum, ſcilicet actualis priuatio famæ prouenit etiam ex ſententia, quia ſententia dat publicam notitiam delicti, ſicut illius cauſa eſt ſcientia Iudicis, quæ publica eſt ratione publici officij, & talis ſententia tribuit aliis facultatem diuulgandi factum, ſi velint, ergo ſententia ex vi ſua tollit famam, licet non poſſit omnibus tribuere hanc notitiam, & idcirco infamia creſcit facto hominum. Tertium, ſcilicet effectus prouenientes ex infamia iuris oriuntur etiam abſq. vlla difficultate ſtatim, quos ſecum affert ipſa ſententia, E vt reddere ipſum diffamatum, inhabilem ad beneficium, ad dignitates, ad teſtimonium ferendum, & ad alia iuxta rationem infamiæ.

His ad hunc modum explicatis de infamia in genere, iam facilius, & clarius intelligi poterit, quo pacto verum ſit. Excommunicationem reddere hominem infamem.

Etenim abſque vlla controuerſia affirmare poſſumus excommunicatum ex cauſa excommunicationis contrahere vtranque infamiam iuris, & facti, excommunicatio infamat infamia facti, cum non ob quod-

cunque

cunque crimen incurratur excommunicatio, sed ob graue, & enorme, cuius causa sequitur maxima famę denigratio apud viros probos, & pios; Et propterea fit, vt ab omnibus euitetur, tanquam ethnicus, & publicanus, & omnes ab illius commercio caueant, vt dicitur in cap. 1. De except. lib. 6. & cap. Sicut Apostoli 11. q. 3. Contrahitur etiam infamia Iuris Canonica, per excommunicationem, cum excommunicatio ferri non possit, nisi pro peccato mortali, & impediat excommunicatum, ne possit promoueri ad ordines, nec in susceptis administrare, & hæc est infamia canonica, vt diximus. Aliquando potest etiam contrahi infamia Ciuilis, si incurratur excommunicatio ob delictum, quod Iure ciuili irroget infamiã, de quibus agitur Iuribus supra citatis, sed regulariter per excommunicationem incurritur infamia canonica, non ciuilis, vt notat Innoc. in cap. Cum te de re Iudi. & Bald. in l. quid ergo §. Pœna grauior Vers. Vltimo quæro ff. de his, qui notan. infam. Dec. in cap. Intelleximus nu. 2. de Iudi. His igitur modis excommunicatus dicitur infamis.

Sed occurrunt dubitationes, an ex sola transgressione legis habentis annexam excommunicationem ipso facto oriatur infamia ante omnem sententiam Iudicis.

Respondeo, quando lex præcipit, aut prohibet aliquid sub pœna excommunicationis, eo ipso, vel ipso Iure, absque alia declaratione, tunc ex violatione legis, ipso facto oritur infamia, nulla expectata sententia, Ratio est, quia lex in hoc casu nihil aliud requirit, quàm factum, & per se ipsam fert sententiam, quod facere potest, maximè in pœnis priuatiuis, quales sunt Censuræ, vt dicam suo loco.

Sed objicies contra, ex hac enim responsione sequitur ad incurrendam hanc infamiam non esse necessariam publicam notitiam delicti, sed satis esse delictum esse commissum, etiam si occultum sit, sicut sufficit ad incurrendam excommunicationem, & tamen superius diximus notitiam publicam pertinere ad rationem Infamiæ facti contrahendam.

Respondeo, si consideremus substantiam huius maculæ, quæ infamia vocatur, quę consistit materialiter, & subiectiuè in fama, & opinione hominum, hæc fama non tollitur, (maximè si loquamur de ipsa actuali possessione,) antequam crimen sit manifestum, & ex consequenti non concipitur infamia de aliqua persona, quamdiu delictum, & violatio legis est occulta, vt probat argumentum. Quantum verò ad dominium, quod quis dicitur habere suæ famæ, vt distinguamus actualem possessionem, à dominio, maior est ratio dubitandi, sicut enim hæreticus iuxta probabilem sententiam à die commissi criminis priuatur dominio bonorum ex vi legis, quamuis non priuetur possessione, & vsu illorum, ita forte existimare posset quis dicendum esse de fama, tamen tutius est asserere ante sentẽtiam excommunicationis, post commissum delictum occultum contra legem, neque delinquentem amittere dominium famæ, vnde ante sententiam non poterit diffamari per publicationem delicti occulti. Quod si consideremus in infamia conditionem formalem, scilicet vim, quam habet ad producendum effectus quosdam ex institutione legis, hac ratione statim violata lege habente annexam excommunicationem, incurritur infamia, quoad hos effectus, etiam si crimen sit occultum. Ratio est, quia eo ipso Reus excommunicatus redditur indignus, & incapax ad hos effectus, non solum ratione

A excommunicationis, sed etiam ratione infamiæ contractæ, si crimen sit ex genere illorum, quę ipso Iure habent annexam infamiam, vt de Hæretico affirmant Doctores, quare non poterit obtinere beneficium, aut officium publicum, quia impetratio erit nulla, & idem de alijs effectibus, de quibus dicemus, & sententia declaratoria excommunicationis postea lata retrotrahetur ad diem commissi criminis, quoad hos effectus, & declarabitur talis persona ab eo die infamis, & indigna, licet ignoraretur; Idcirco hæc infamia simul dici potest infamia iuris, quatenus virtute legis incurritur, & infamia facti, quia ad eam incurrendam non est necessaria, alia sententia, & omnes actus gesti à tali excommunicato à die commissi
B delicti, erunt nulli, si sint tales, vt ab infami persona fieri nequeant, idest si non sint actus, publici officij, ex titulo talis officij, vel veri, vel existimati facti, tales enim tolerantur in gratiam boni communis, sed si sint actus priuati, irritantur per legem, & ex consequenti lata sententia eorum nullitas retrotrahitur. Quare si talis excommunicatus recipit ordines post latam sententiam, declarabitur ordinatio nulla quantum ad executionem, & exercitium; Eodem modo, si recepit beneficium, collatio erit nulla.

Secundò dubitari potest, quantum duret hæc infamia, quæ contrahitur ex ipsa excommunicatione.

Respondeo infamiam contractam per excommunicationem, quatenus excommunicatio est formali-
C ter, tolli per pœnitentiam peccati, & absolutionem ab excommunicatione, quia est infamia canonica, & talis infamia aufertur per pœnitentiam; nam vt inquit Innoc. in cap. Testimonium num. 5. de testi. Excommunicatio non est culpa, sed medicina, & poenitentia, ideo ea cessante per absolutionem, non debet aliqua infamia remanere: Vnde vt animaduertit Abbas in cap. Proposuit nu. 3. de Cleri. excommun. Mini. excommunicatio non irrogat perpetuam infamiam ipsi excommunicato, sed sublata excommunicatione per absolutionem tollitur infamia, & redditur homo capax omnium honorum, & dignitatum, vt colligitur ex eod. c. Proposuit. Idem asserit Glo. in cap. 2. Ver. Leges in fi. 6. q. 1. dicens, *Item infamia contracta ex sen-*
D *tentia excommunicationis tollitur per absolutionem, sicut finito tempore relegationis tollitur infamia orta ex sententia l. ordine. ff Ad Munic.*

Si vero sermo sit de infamia contracta ob crimen commissum, ratione cuius fuit quis excõmunicatus, distinctione opus est.

Vel enim loquimur de infamia facti, vel de infamia iuris, si tractetur de infamia facti illa semper durat, & tolli non potest, nisi per contraria facta, & bona opera, quibus sinistra opinio mentibus hominum concepta, euanescat, & alio modo talis infamia extingui nequit, vnde nec Papa, nec vlla potestas humana efficere potest, vt qui propter delictum proprium malè audit, & infamatus est apud alios, bene audiat, bo-
E namque de illo opinionem concipiant, vt late probant Præpo. & Gemin. in cap. Euphemium 2. quæst. 3. Si vero agatur de infamia Iuris etiam ciuilis, dicendum est omnem infamiam iuris auferri posse à quocunque per Papam, ita dicunt Host. Innoc. Abb. in c. Cum te de sent. & Re Iudi. Gemin. & Præpos. in dicto c. Euphemium, & potest Papa infamem Iuris infamia in integrum restituere. Sed antequam restitutio fiat, semper erit infamis, qui condemnatus erit de crimine publico per sententiam Iudicis, l. Athletas §. Calumniator ff. ex qui. cau. infa. irrog. Vel etiam de

priuato

priuato crimine, quod descendat ex ea actione, quæ etiam damnato in priuato indicio infamiam irrogaret, vt de furto, vi. bo. rap. l. Athletas §. fi. ff. De his, qui notan. infa. Et itá dicit Innoc. in cap. Testimonium nu. 4. De Testi.

Tertia dubitatio ex dictis oriri potest; Postquam Excõmunicatus est infamis, An possit creari Doctor, Cum enim Doctoratus sit Dignitas Dignitates autẽ Infamibus nec tribuantur, neq. tribui possint, vt habetur cap. Omnes, cap. Infamibus De Reg. Iur. lib. 6. videtur excommunicatus minimè capax huius dignitatis.

Hac ratione Bald. ductus in 1. Constit. Cod. §. Ideoque in fi. existimat excommunicatum Doctorem creari non posse, & idem ibi affirmat Salic.

Respondendum est huic difficultati cum distinctione, aut quæritur, An Excommunicatus Doctor creari debeat, & hoc modo, quia hominum communione caret, sine qua Doctor creari quis non potest, ob hanc causam Doctor creari non debet: Aut quæritur: An si Doctor creetur, dignitatem eam consequatur, & tunc affirmo; Itá tenet Card. cap. Perpendimus nu. 19. De Sent. Excom. & Io. Andr. quos refert, & sequitur Dec. in cap. Intelleximus nu. 2. De Iudi. & quæ diximus de Doctore, eadem de Equite, & alijs Dignitatibus intelligenda sunt, quas qui habent, alios honore antecellunt, sed Iurisdictionem nullam tenent.

CAPVT III.

De Duodecimo effectu Excommunicationis, An accusatus super crimine, & ob contumaciam excommunicatus, si per Annum in ea perseueret, censendus sit de crimine conuictus, & an suspectus haberi debeat de Hæresi.

DVuodecimus effectus excommunicationis est similis præcedenti, & ex eadem causa prouenięs, quod accusatus super crimine, & ob contumaciam excommunicatus, si in excommunicatione per annũ perseueret, conuictus censetur de eo crimine, super quo accusatus fuit; De qua re plura dixi in cap. 1. Disp. 6. Vbi pertractaui quæstionem illam, An Excommunicatus post annum suæ Excommunicationis non obtenta absolutione sit ipso iure priuatus beneficijs Ecclesiasticis, vel saltem possit per sententiam à Prælato priuari, sed adhuc supersunt multa explicanda de hac contumacia in excommunicatione vltra annum, quæ pertinent ad hunc duodecimum effectum.

Disputant Doctores, qua pœna plectendus sit excommanicatus, si per annum, & vltra excommunicatione obstrictus in ea obstinatus perseueret; Quæ disputatio multas includit difficultates, quas clarius, & distinctius elucidabimus, si propositiones quasdam proponemus, quibus difficultatibus satisfaciamus, atq. his addendo alias conclusiones in dicto cap. 1. Disp. 6. confirmatas, nihil erit desiderandum ad plenam huius duodecimi effectus notitiam.

Prima propositio sit Excommunicatus in excommunicatione insordescens, in causa non solum criminali, sed etiam ciuili per annum, & anno quoq. non elapso poterit arbitraria pœna multari; Ita scribunt Io. And. & Felin. in cap. Postulasti De Homi. Couar. in cap. Alma Mater prima 1. §. 7. nu. 10. quamuis de hoc dubitet Iacob. Menoch. De Arbitr. Iudi. quæst. lib. 2. centu. 5. Casu 4. 16. nu. 11. addit tamen, quod si Iudex esset ad coercendam pertinaciam, & audaciam eorũ, qui diu vinculo excommunicationis obstricti ab illo

A absolui, & liberari negligunt, opinioni Io. Andr. & aliorum adhæreret.

Hinc colligit Bernar. Diaz in sua Pract. Canon. cap. 116. num. 6. Cõstitutiones Regni Hispaniæ iustas esse, quibus decretum est, vt laici, qui per mensem in excõmunicatione permanserint, à Iudice seculari puniantur; Quod, si spatio sex mensium contumaces fuerint, aggrauanda sit pœna, si ad annum peruenerint, adhuc acrius plectantur. In Regno Neapolitano, Synodali Constitutione si sancitum est, vt perdurantes in excõmunicatione vsque ad mensem, teneantur soluere vnũ auri florenum, Idque sacris Canonibus minime contrarium esse probat idem Bernardus Diaz exaduerso Concilij Triburiensis cap. 3. Vbi hæc leguntur: *Vt qui* B *post excommunicationem non fuerint ad pænitentiam inclinati, per secularem Principem puniantur, vt quos Dei timor non corrigit, saltem pœna temporalis corripiat.*

Possunt etiam Iudices Ecclesiastici punire tales excommunicatos insordescentes in excommunicatione pecuniaria multa; Quibus tamen non licet, ex proprijs sententijs contra excommunicatos contumaces latis, commodum aliquod reportare, sed pecuniariam pœnam debent in pios vsus Ecclesiæ conuertere, vel pauperibus applicare.

Quare solent Episcopi statuere, vt tales excommunicati, qui in excommunicatione iacent, si in Paschate absoluti ab excommonicatione, nõ susceperint sacramenta Confessionis, & Communionis, non absoluan- C tur ab excommunicatione, nisi soluant pecuniam constitutam, quæ non datur simoniace in pretium absolutionis, sed in pœnam, Siluest. Excommonicatio 3. §. 1. effectu 18. ex sententia Host. & Io. Andr. licet per priuilegium Summi Pontificis, concessum quibusdam Regularibus, vel per Bullam Cruciatæ, absolui possint absque illius pœnæ solutione.

Secunda propositio, Contumacia in excommunicatione per annum io causa criminali efficit, vt excõmunicatus habeatur pro confesso super crimine, quod ei obiectum fuerit, siue ciuiliter, siue criminaliter, Glo. in cap. Contingit de Dolo, & Contu. & ibi Abb. Franc. in cap. Cum contumacia de Hæret. lib. 6. Alciat. in c. 1. de Iudi. nu. 54. Nauar. in Manual. cap. 27. n. 23.

D An vero perseuerantia in excommunieatione per annum ob causam ciuilem vim habeat, vt excommunicatus censeatur pro confesso, non est certum apud omnes, Couar. vbi supra affirmat, & Bernard. Diaz in illo cap. 116. nu. 9. & mouentur ob illam rationem; quia si contumacia in excommunicatione per annum hunc effectum parit in causa criminali, in qua clariores probationes desiderantur, vt in l. fin. C. de prubat. multo magis debet illum producere in causa ciuili, licet immerito videatur hoc negare Ripa in c. 1. nu. 77. De Iudi.

Sed quamuis hæc annalis perseuerantia in excommunicatione efficiat, vt excommunicatus in contumacia habeatur pro confesso, nunquam tamen præclu- E ditur via excommunicato, vt non possit semper probare innocentiam suam etiam post latam sententiam contra ipsum, vt affirmant Butr. in dicto c. 1. de Iudi. Ripa d. cap. 77. Innoc. in cap. Cum bonæ num. 2. Vers. Post talem de Acta. & Qualit. Et ita notat Glos. in cap. Rursus 11. q. 3. Quamobrem perseuerantia in excommunicatione operatur solum, vt Actor, vel Fiscus, qui instant contra Accusatum, & Excommunicatum in contumacia, nõ teneantur probare crimen obiectum, postquam per annum excommunicatus sustinuit excommunicationem, sed præsumitur probatum per ta-

citam

A citam confessionem, vnde transfertur in reum onus probandi suam innocentiam, l. 2. C. de Requi. Reis. & confirmat Io. Neuiza. cons. 60. nu. 2. 3. & 4. Dec. cap. Ex parte 2. nu. 7. de off. Deleg. Neque oppositum desumitur ex citato cap. Rursus, vbi prohiberi videtur, ne perseuerans in excommunicatione, transacto anno amplius audiatur; Nam loquitur in casu, quo talis excõmunicatus non solum neglexit suam probare innocentiam priuatiue, quia nihil egit ad sui defensionem, sed quando fuit negligens positiue, quia pluries monitus, renuit se ab impositis purgare; Tunc temporis enim penitus excluditur à iudicio; Et ita interpretatur illum text. Menoch. de Arbi. Iudi. quæ. lib. 2. cent. 5. casu 416.

B Tertia propositio, Contumax in excommunicatione per anni tempus quacũque ex causa reus factus suspectus hæresis habetur.

Hæc conclusio confirmata est, Conc. Trid. auctoritate, sess. 25. cap. 3. vbi hæc habentur, *Excommunicatus quicunque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta, & communionem fidelium non recipiatur, sed si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam de Hæresi suspectum procedi possit.*

Circa hoc decretum Concilij quidam annotauit Bernard. Diaz in citato cap 116. nu. 12. Vers. primo quod non solum, Primo dicit constitutionem Concilij locum habere, siue excommunicatio lata sit ob causã criminalem, **C** seu ciuilem; Nam obstinatio persistendi sub vinculo excommunicationis per annum, eadem est, & vniformis in vtroque casu; Eodem enim modo videtur despicere, & contemnere vincula Ecclesiæ; Immo minori excusatione videtur dignus, qui negligit adire Prælatum, & quærere absolutionem ab excommunicatione, in causa ciuili, quam in causa criminali, quoniam in priori casu, nihil est, quod eum verisimiliter possit retrahere, ne compareat coram Iudice, cũ nulla sublit rationabilis causa formidandi conspectũ Iudicis, in causa ciuili, secus in criminali, cuius gratia potest timere, ne ob crimen ei impositum, aliqua pœna afficiatur à Iudice, & ad hoc significãdum, Cõcilium vtitur dictione illa vniuersali, *quicunque excom-* **D** *municatus*, vt omnes includantur. Secundo ait, cum Concilium dicit, *per annum insorduerit*, intelligere de anno completo, l. Vrbana familia §. Pernoctare ff. de verb. signif. Franc. in cap. Cum contumacia num. 2. de Hæret. lib. 6. Tertio quod ista contumacia per annum in excommunicatione est coniectura, vt excommunicatus habeatur suspectus de Hæresi; Ex hac tamen præsumptione non potest condemnari tanquam hæreticus, Glo. in cap. Contingit Ver. Constituatur de Dolo, & contum. est præsumptio iuris, & de iure, sed leuis, vt inquit Auctor Direct. Inquit. lib. 2. Schol. 61. & lib. 3. Schol. 31. & Couar. dicto §. 7. Quarto quamuis hæc suspicio sit leuis, sufficit tamen ad inducendam purgationem, quam si excommunicatus subire nolue- **E** rit, sed permanserit in excommunicatione, tunc veluti hæreticus est condemnandus, c. Excommunicamus §. Qui autem de hæret. & cap. Cum contumacia eod. tit. lib. 6. Innoc. Host. & Doctores in cap. vlt. de pœnit. cum alijs, quos referunt Couar. & Diaz.

Quarta propositio, si quis suspectus de hæresi, & hac de causa vocatus ab Inquisitoribus, iudicium subterfugiens, comparere noluerit, & idcirco ob contumaciam declaretur excommunicatus, & in ea contumacia per annum contumax remaneat, tunc per sententiam potest pronunciari hæreticus, & vt talis puniri. Ita definitum fuit expresse in cap. Cum contumacia, de hæret. lib. 6. his verbis, *Cum contumacia in causis præsertim fidei, suspicioni præsumptionem adijciat vehementem, si suspectus de hæresi vocatus à nobis, vt de fide respondeat excommunicationis vinculo, pro eo quod parere subterfugit, aut contumaciter se absentat, per vos fuerit innodatus, quam si per annum sustineat animo pertinaci, ex tunc velut hæreticus condemnetur.*

Vbi Glo. Ver. Vehementem notat, quod vbi suspicio adest contra aliquem, quod male sentiat de fide, citatur, vt veniat responsurus, si contumax est, & nolit comparere, iam dicitur vehementer suspectus, & excommunicatur, quod si per annum in excommunicatione persistat, præsumptio, quæ erat vehemens, transit in violentam, & tunc potest condemnari vt hæreticus. Ad idem in simili est textus in c. Excommunicamus §. Qui autem de hæret. lib. 6. Et quamuis in criminibus sentẽtia ferri debeat ex certissimis probationibus, vt in l. vlt. C. de probat. non ex coniecturis; Tamen, vt inquit Glo. in dicto Ver. Vehementẽ, licet vehemens præsumptio non sit sufficiens ad condemnationem, violenta inducit condemnationem, & ad hoc citat Glo. penult. in cap. Litteras de Præsumptionibus, & cap. Accusatus in princ. de Hæret. lib. 6. Et est enim simile, quod notatur in cap. Insinuatum in vlt. Glo. de Simo. & re vera magna esset præsumptio in hoc casu, quæ iuris adminiculo non leuem afferret probationem, & sufficeret ad condemnationem ordinariam; Ex triplici vero capite hæc probatio oritur. Primo ex ipsa suspicione hæresis, cuius causa accusatus ab Inquisitoribus ad iudicium vocaretur. Secundo ex ipsa fuga & contumacia, cap. Nullus de Præsumptio. cap. Decernimus 3. q. 9. cap. Christianus 11. q. 1. Tertio ex animo contumaci persistendi in excommunicatione per annum, vide Directorium Inquisitorum par. 2. q. 55. & 56.

Sed hæc conclusio intelligenda est tunc habere locum, Primo quando contumax suspectus de hæresi citatus fuerit expressim, vt ad iudicium accedat super rebus fidei, vel super crimine hæresis cuius accusatur, aut suspectus habetur, responsurus, vt inquit Glo. in dicto cap. Cum contumacia, communiter recepta, & satis est, quod in Edicto exprimatur crimen hæresis in genere, nec opus est, vt species hæresis significetur, cuius accusatur, vt notat Franc. in dicto cap. Cum contumacia, & Repertorium Inquisitorum in Ver. Contumacia; Secundo requiritur, vt is sit verus contumax; nam conclusio non habet locum in ficto contumaci, vt tradit Villa Diego quæst. 12. de hæret. Couar. dicto §. 7. Quare si Absens iustum habuerit impedimentum, quo legitime detentus non potuerit eo tẽpore ad iudicium accedere super hæresis suspicione responsurus, tunc de hæresi condemnari non poterit; Iustas autem absentię causas, & legitima impedimenta poterit ipse allegare, & probare, l. 2. ff. si quis cautio. Item & procurator eius nomine admittendus erit ad allegandas iustas absentiæ causas, & legitima impedimenta; At vbi vere fuerit contumax, & nullam adduxerit legitimam absentiæ causam, anno contumaciæ finito potest iudicari hæreticus, & à fine anni bonorum publicatio à iure facta, & aliæ hæreticorum pœnæ locum habere incipiunt secundum Host. Anan. Doct. in cap. Excommunicamus in 1. §. Qui autem de hæret. Archid. & Franc. in dicto cap. Cum contumacia.

Quod si etiam anno elapso ante condemnationem contumax compareat in iudicio, velitque propriam inno-

innocentiam ostendere, admittendus est, etiam vt effugiat bonorum confiscationem, post ipsam vero condemnationem captus, si velit vere pœnitens Ecclesiæ reconciliari, non est tradendus Curiæ seculari, immò admittendus est ad Ecclesiæ gremium, quin etiam, si tunc temporis vere probet non fuisse contumacem, admitti debet eius defensio ad effugiendam omnem pœnam, si eius innocentia constiterit, quia deficit ratio cap. Cum contumacia ex eo, quod contumax non fuerit. Vlterius si impedimenta non probauerit, sed in crimine hæresis, cuius erat accusatus, vel de quo erat suspectus, reperiatur innocens, & suam integritatem probauerit, sententia lata contra eum est reuocanda quoad pœnas corporis, & infamiæ, licet non quoad bonorum confiscationem, l. penult. de Requir. Reis l. 2. C. eod. tit. Et hæc quidem procedunt, licet captus fuerit ab Inquisitoribus; nam si seipsum sponte carceri exhibuerit, multo facilius erunt hæc, quæ diximus, admittenda.

Concludamus igitur hoc caput, & finem imponamus Disputationi de Effectibus excommunicationis.

Ex his, quæ tractata sunt de præcipuis excommunicationis Maioris Effectibus, ad quos reduci possunt omnes effectus excommunicationis, & Petr. Rebuff in 1. par. Concord. in Rubrica de excommunic. non vitan. recenset, sexaginta duos Effectus, facillime quisque percipere poterit huius censuræ vim, & tobur; quę tam multos, ac perniciosos producit effectus, ad hominem obstinatum, & contumacem affligendum, non solum quoad animam, sed etiam quoad corpus; Quare etiam apud impios, & iniustos tanta semper de Excommunicationis sententia formido cōcepta fuit, vt potuerit aliquando excommunicationis vis e Petri A Cathedra, velut Dei throno, instar fluminis, magno tonitru immissa, continere furentem Regem, eiusque atque suorum impetum coercere, Torrentemq. exundantem obice opposito retrorsum conuertere; Huius rei testis esse potest Desiderius Rex Longobardorum, qui Anno 773. vt legitur apud Anastasium Bibliothecarium, cum infestaret Ciuitates Romanæ Ecclesię, atque iniuste illas occuparet, & coacto Exercitu ad ad Vrbem venire pararet, acceptis litteris ab Adriano Papa, quibus illum excommunicationis sententia obstrictum pronunciabat, si fines Romanorum, fineve eius absolutione ingredi, atque conculcare præsumeret, illico cum magna submissione è Ciuitate Viter- B biensi confusus ad propria est reuersus, Eiusdem rei exemplum habemus Lotharij Regis Galliarum, cui cum Arsenius Sedis Apostolicę Legatus à Nicolao Papa missus proposuisset, vt è duobus vnum eligeret, vel propriæ vxori reconciliari abdicato Vunldradæ pellicis consortio, aut protinus anathematis gladio sauciari. Hac necessitate constrictus vellet, nollet, Theupergam Reginam in matrimonium recepit, interposito iusiurandi Sacramento se cum illa in futurum ita victurum, sicut coniugij iura dictabant, refert idem Nicolaus Papa epist. 27. Tom. 3. Epistolarum Decretal. Rom. edit. Horum Regum exemplis & alijs similibus relatis Cap. III. Disput. III. primi Libri. C Vnusquisque Christianus sibi consulens, discere potest, quanta cura Prælatis Ecclesię sit in omnibus obtemperandum, ne tanquam ethnicus apud fideles habeatur, & tandem excludatur à Regno Cęlorum.

FINIS LIBRI SECVNDI.



DE

DE QVATVOR GENERIBVS CAVSARVM QVÆ IN EXCOMMVNICATIONE PRONVNCIANDA ATTENDI ET SERVARI DEBENT.

ET DE SVBIECTO EXCOMMVNICATIONIS IDEST DE IIS QVI POSSVNT EXCOMMVNICARI.

LIBER TERTIVS.



XPEDITA tractatione de Effectibus excommunicationis, ſequitur modo,ſuo ordine, vt agamus de Cauſis, quæ ad conſtituendam Excommunicationis Cenſuram requiruntur, vt validè,& iuſtè proferatur; Nempè inquirendum eſt,quæ cõditiones, & qualitates ſint præſcriptæ ab ipſo Iure ſeruandæ in quolibet cauſarum genere, vt excommunicatio vim habeat,& effectus ſuos producere valeat. In hoc igitur Libro Tertio diſputabitur de Cauſa Materiali Excommunicationis, De Forma, Fine,& Efficiente, & initium ſumemus ab ipſa Cauſa materiali.

DISPVTATIO PRIMA

De cauſa materiali Excommunicationis, nempe de Culpa, quæ ſubeſſe debet, vt legitimè Excommunicatio infligatur.

POſtquam ex dictis conſtat grauem eſſe pœnam excommunicationis in Eccleſia, immò grauiorem, & acerbiorem, qua Eccleſiæ Prælati poſſint inobedientes filios coercere; Hinc Sancti Patres ſuis libris frequenter ſolent monere Prælatos Eccleſiæ, vt cum Cenſura excommunicationis tot, & tam magna Chriſtifidelibus inferat nocumenta, & incommoda, non ſolum interius, ſed exterius, ne temere,& paſſim,

A ſed maturo conſilio, & ſumma prudentia hoc gladio feriant eos tantum, qui parere contempſerint poſt alia omnia remedia, vt ſic confuſi erubeſcant, & tandem fortaſſe reſipiſcant, iuxta Apoſtoli admonitionem in epiſtola 2. Cor. cap. 10. cum ait: *In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam*: Idcirco meritò inquirendum eſt modo, quod genus peccati dignum ſit tali cenſura corrigi, & emendari.

CAPVT I.

An ſolum pro lethali culpa excommunicatio infligi legitimè poſsit.

CErtiſsimum eſſe debet, & abſq. vlla ambiguitate ſtatuendum; Neminem poſſe excõmunicatione Maiori

Maiori perenti, nisi pro culpa mortali, & qui alioqui corrigi non valet, ita vt sit contumax, quia persistat in peccato mortali, & ab eo cessare nolit, aut propter inobedientiam, & contumaciam non comparendi, aut non parendi Superioris præcepto, vt colligitur ex c. Nullus cap. Nemo 11.q.3.cap.1. de Iudi. cap. A nobis 1. cap. Sacro de sent. excom. Et propterea nemo incurrit excommunicationem impositam à lege generali, vel statuto, aut Iudicis præcepto, ob peccatum veniale; Et hæc est regula certissima, & verissima, quam omnes Doctores admittunt, B. Thom. in 4. dist. 18. q. 2. art. 1. Durand. q. 3. Palud. q. 1. art. 2. Adrian. in 4. in tract. de Claui. q. 3. Riccard. & Maior. dist. 18. q. 2. Sot. dist. 22. q. 1. art. 2. Ledesma 2. part. q. 23. Victoria in 4. de excomm. B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 27. Siluest. V. Excommunicatio 1. num. 11. Nauar. in Manuali c. 27. nu. 9. Couar. in cap. Alma Mater 1. par. §. 9. nu. 1. Et ratio huius dicti affertur à B. Thom. quoniam per excommunicationem Iudex Ecclesiasticus excommunicatos excludit à regno Cæli quodammodo; Vnde cum non debeat excludere, nisi indignos, nec aliquis reddatur indignus, nisi qui propter culpam mortalem amiserit charitatem, quæ est via ducens ad Regnum, Ideo nemo excommunicari debet, nisi pro peccato mortali. Hinc patet lege lata, cui addita sit excommunicationis pœna, Legislatoris intentionem esse obligare transgressores ad mortalem culpam, quare in talem excommunicationem non incidet is, qui ex violatione huius legis, vel præcepti, non peccat mortaliter, quoties per aliquam circumstantiam, & qualitatem actus, talis transgressio alioquin mortalis culpa ex suo genere iudicatur venialis, tunc enim non est locus excommunicationi, vt etiam inquit Siluest. loco citato, & ob hanc rationem, ob leue furtum, ob leuem Clerici percussionem, non incurritur excommunicatio, quandoque enim furtum peccatum veniale est, quando in re leui contingit, vt inquit B. Thom. 2.2. q. 59. art. 4. q. 66. art. 6. Quando igitur quis tutus est in conscientia non commisisse peccatum mortale, contra præceptum Ecclesiæ, certus est non incidisse in excommunicationem, licet ratione scandali, vel præsumptionis, in foro exteriori debeat se gerere vt excommunicatum, sed regulariter vbicunque à Canone, vel à Iudice aliquid præcipitur sub maioris excommunicationis censura, præsertim si id ad commune bonum, publicamq. vtilitatem ordinetur, dicendum est, peccatum mortale incurrere, qui non paret eius præcepto, etiamsi illius transgressio alias ex sui genere non esset peccatum mortale, vt inquit Sot. loco citato; Vt si Prælatus iubeat, ciues concionem festis diebus sub pœna excommunicationis audire debere, vel vt omnes Clerici interesse teneantur processioni ad implorandum Dei auxilium pro necessitate Reipub. Quamuis enim huiusmodi omissiones non habeant ex suo genere rationem lethalis culpæ, Superioris præcepto secluso, illo tamen posito, non obedire mortalis reatus est; Nam cum Prælati ecclesiastici sint Iudices in spiritualibus, eo ipso, quod sub excommunicationis poena, aliquid iubent, constituunt illud, vt præcipuum actum virtutis, cuius transgressio est peccatum mortale, nisi Superior esset adeo facilis in excommunicationibus ferendis, vt illis abuteretur, etiam pro re leuissima, tunc enim præceptum contineret manifestum errorem, & non obligaret.

Interdum tamen Iudex præcipiens aliquid in re leui, non censetur velle obligare sub mortali, sed iubet sub poena excommunicationis ad terrorem, Sot. lib. septimo, de iust. quæst. secunda, articulo primo, Couar. in capitul. Alma Mater part. prima, §. 9. numero tertio, post med. inquit Victor. in Summ. tit. de Excommunicat. §. quinto, si pro leuissimo furto Iudex excommunicationem pronunciet, certum esse, quod non intendit obligare; Addit Couar. numero secundo, præcipuè quando res leuis pars est materiæ, vt si quis restituat magnam pecuniarũ, summam furto subiatam, pro qua excommunicatio lata erat, relicto sibi semi argenteo.

Et nonnunquam etiam iura quædam iubent circa res leuiores ex sui genere, sub comminata excommunicatione, quæ, vsus, & communis sententia Doctorum interpretatur non obligare sub mortali, ita vt reus legis possit excommunicari, nisi præcedente noua Iudicis monitione, Caiet. in Summ. Ver. Præceptum, & V. Clericorum peccata, Petr. Sot. Lect. 3. de excommunic. Nauar. in Manuali capit. 23. numero 53. & 59. & capit. 25. numero 111. Couar. in capitulo Alma part. 1. §. 9. numero quinto. Nec oppositum tenet Caietan. 2. 2. quæst. 186. articulo nono; Nam declarat se loqui, quando tale peccatum est, vt dignus sit Reus excommunicatione, sine noua monitione, tunc noua monitio non erit necessaria.

Eadem ratione si excommunicatio fertur ab ipso iure pro opere, non sufficit opus esse inchoatum, puta excommunicantur percussores Clericorum, si quis contorsit hastam in Clericum, nec tetigit illum, non incidit in excommunicationem.

Sed posset quis probare licere excommunicationem ferre etiam vbi non reperitur culpa mortalis. Primò hac ratione in Concilio Carthaginensi quarto capit. 24. habetur, quod Sacerdote in Ecclesia verba faciente, si quis exierit, excommunicetur, & quod talis poena sit intelligenda de excommunicatione Maiori, probatur ex cap. Si quem de sent. excommunicat. Vbi Gregorius Nonus affirmat, quoties in Canone habetur, Illum excommunicamus, vel sit excommunicandus, intelligendum esse de excommunicatione Maiori, & tamen exire ab Ecclesia non videtur, nisi peccatum veniale.

Respondet Sot. & tradit duas responsiones dist. 22 1. quæst. prima, articul. secundo. Sed prima mihi non placet, secunda responsio est, quod fortasse Canon ille Concilij intelligendus est, quando quis præmonitus, vt concionem audiret, monitionem contemnebat, quod habetur vt mortale crimen.

Secundo videtur hoc non esse proprium excommunicationis maioris, vt non possit ferri, vbi non præcessit culpa mortalis; Nam & excommunicationi minori hoc competere videtur, quia per minorem excommunicationem homo priuatur sacramentorum participatione, quod autem impedit receptionem alicuius sacramenti, non est, nisi peccatum mortale; Quare causa excommunicationis minoris erit etiam peccatum mortale.

Respondeo excommunicationem minorem regulariter exceptis quibusdam casibus, vt dixi in Capit. Quarto Disput. quarta, primi Libri incurri propter peccatum veniale, scilicet propter communicationem cum excommunicato excommunicatione maiori, esse tamen impedimentum ex constitutione Ecclesiæ, ne quis ante absolutionem possit recipere

sacramenta; nam excommunicatio minor priuat passiua participatione sacramentorum, vt dicitur in cap. Si celebrat de Cleri. excom. Mini.

CAPVT II.

An pro mortali peccato interiori imponi possit excommunicationis poena.

Probatum est peccatum mortale esse causam materialem excommunicationis maioris, sed insurgit ratio quærendi; An quodlibet peccatum mortale sit sufficiens, vt canonice, & legitime ferri possit excommunicatio; Et ante omnia dubitari potest de inobedientia sola interiori, qua quis transgreditur legē, continentem poenam excommunicationis; Puta an hæreticus, qui per actum solum mentis interiorem, ex deliberata voluntate procedentem, assensum præbet alicui falsæ, & damnatæ propositioni, & dogmati erroneo, contra fidem & Religionem Catholicam, etiam si hunc errorem suum nemini aperiat, neque illum verbis, aut signis quibuscunque exterioribus patefaciat, incidat in censuram excommunicationis latam ipso iure contra hæreticos.

Hæc quæstio oritur ex alia quæstione, videlicet; An Ecclesiæ iurisdictio, & potestas attingat etiam actus humanos interiores, scilicet actus mentis, & voluntatis, ita quidem, vt possit punire crimen omnino occultum.

In qua quæstione duæ sunt sententiæ oppositæ; Altera est illorum, qui tuentur partem affirmatiuam, quod lex humana, præsertim Ecclesiastica, possit punire actus interiores; Quam opinionem in primis habuit Glo. Clem. 1. de Hæret. §. Verum, Vers. Eo ipso incurrant, Vbi ex verbis Clem. quæ excommunicat ipso iure Inquisitores Hæreticorū, qui odio, aut amore aliquid fecerint contra hæreticos, non faciendum, aut aliquid omiserint, quod facere debuissent, infert Glos. non esse iam dubitandum de eo, quod Archid. dixerat esse rem dubiam; An videlicet hæreticus occultus sit ipso iure excommunicatus, quoniam ex text. huius Clem. ait Glosa, apertissime constat Ecclesiam posse punire actus animæ interiores, Eandem sententiam defendunt Abb. in cap. 2. nu. 13. de off. Ordin. & in capit. Extirpandæ §. Qui vero nu. 12. circa med. de præben. Felin. in cap. Porro de sent. excom. Arelat. in Tract. de hæresi q. 9. Gerson Lect. 3. de Vita spirituali animæ, Adrian. Quodli. 8. art. 1. & in 4. Sent. in materia de Confess. q. 1. & Albertinus in Tract. de hæreticis q. 33. Albertus Pighius libr. 3. de Ecclesia, Hierarch. cap. 16. Medi. in eod. de Oratione q. 15. Ambros. Catherinus contra Caietanum super Summula Verbo. & Nota. de excom. & in Ver. Hæreticus.

Ad hanc opinionem confirmandam nonnulli text. ex iure afferuntur.

Primus ex cap. Excommunicamus 1. de hæret. & ex cap. Nouerint de sent. excom. Quibus locis excommunicantur omnes hæretici nulla distinctione opposita, cum ergo iura vniuersaliter loquantur, vniuersaliter etiam debent intelligi, vt notat Bald. in l. In fraudem §. fin. ff. de Testam. Milit. l. de Pretio ff. de Publicia. Excommunicatio vero est poena ecclesiastica, quę ab Ecclesia fertur contra hæreticos; Quare Ecclesia potest punire hæreticum siue manifestum, siue occultum.

Secundus ex cap. Ad abolendam de hæret. Ibi summus Pontifex excommunicat omnes, *Qui aliter sentire, aut docere præsumunt de Ecclesiæ sacramentis, quam Ecclesia Romana docet*, Per dictionem autem illam *Sentire* significatur hæreticus occultus, Verbo autem illo *Docere* exprimitur manifestus hæreticus ex capit. Dolentes de Celebra. Missa. Vbi Concilium Lateranense sub Innocentio Tertio sub poena suspensionis inhibet districtè præcipiens in virtute sanctę obedientię omnibus Clericis, *vt diuinum officium nocturnum, pariter ac diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent, pariter & deuote*, Non satisfacit itaque pręcepto de recitandis horis attentè, & deuotè, si scienter, & ex proposito quis euagatur mente; Immò peccat mortaliter.

Tertius ex c. Commissa. de elect. lib. 6. Vbi statuitur, vt si quis Parochialem Ecclesiam susceperit sine animo accipiendi Præsbyteratum, ipso facto beneficium amittat, & fructus suos non faciat, igitur actus interior voluntatis punitur ab Ecclesia.

Ad idem faciunt etiam hæ rationes. Prima ratio est.

Papa potest sibi reseruare peccatum hæresis purè mentalis, & hoc est in confesso apud omnes, quia reseruare peccata pertinet ad Pontificem, & ad Supremum Iudicem in foro conscientiæ, cui reliqui Sacerdotes sunt subordinati, Propterea potest coarctare aliorum iurisdictionem, reseruando aliqua peccata sibi absoluenda, igitur poterit punire talia peccata per sententiam excommunicationis.

Secunda ratio, multa sunt decreta apud Sacra Concilia, quæ relationem habent solum ad actus interiores, & citantur à Medi. loco citato, vt est id, quod habetur in Conc. Toletano primo, auctoritate Leonis Papæ congregato, vbi de Articulo Omnipotentiæ Dei, & articulo distinctionis personarum, & de multis alijs statuitur, si quis contrarium dixerit, vel crediderit, anathema sit, vbi non solum dicere, quod exterius est, sed etiam ipsum credere, quod est actus internus intellectus, sub censura excommunicationis damnatur, & multa alia similia decreta affert.

Tertia ratio, si quis sit de aliqua hæresi accusatus, cuius suspicionem nec dictis, nec factis vnquam dederit, & interrogetur à Iudice, an credat, exempli gratia, Christum esse Deum, & hic accusatus ingenue fateatur ad Iudicis interrogationem recessisse iam diù à recta Christi fide, & in errore cordis hactenus persistisse, tunc absque dubio punietur tanquam hæreticus, ergo pro solo peccato cordis potest aliquis ab Ecclesia puniri, neque enim peccat confitendo suū errorem, cum veritatem dicat, & aliàs mentiretur, & confessio illa exterior verbis expressa non est falsa, sed vera, & idcirco non peccat confitendo, quare neque pro tali confessione potest ille puniri, igitur punitur pro solo errore interno, quare iustè ob solum actum internum poterit quis excommunicari.

Altera opinio contraria est aliorum, Silue. in Ver. excommunicatio 7. §. 3. & in Ver. Hora §. 13. B. Antoni. 3. parte titul. 23. capitulo quarto, Caiet. 2. 2. quæst. 11. art. 3. & in Summa V. Hæresis, Gabr. in Canone Missæ lect. 62. Palud. in 4. sentent. dist. 17. quæstione secunda, artic. 1. Maio. in 3. sentent. dist. 25. quæst. 3. Almain. in Tract. de Potest. Ecclesiæ capitulo 3. Sott. in 4. sentent. dist. 22. quæstione 2. art. 3. concl. 5. & lib. 10. de Iust. & Iur. quæst. 5. art. 5. concl. 6. Turre Crem. cap. Si quis non dicam de Pœnit. dist. 1. num. 12. & 24. quæst. 1. capitulo 1. Nauar. de Pœnit. distinct. 5. in princ. numero 19. & in Manua. cap. 11. numero 17. Driedo. in tractat.

de li-

De Libert. Christia. lib. 3. pag. 40. Couar. in 2. part. Relect. super Reg. Peccatum §. 1. & in Relect. c. Alma Mater de sent. excom. 1. par. §. 11. nu. 4. Alphon. à Castro lib. 2. de Iusta hæret. punit. cap. 18. & lib. 2. de potest. leg. pœna. cap. vlt. concl. 1. Domi. Bannes in Comment. super 2. 2. B. Thom. in eadem q. 11. art. 4. §. Quæritur 2. & plurium aliorum.

Fundamentum principale pro hac opinione est illud, quod ecclesiasticæ pœnæ solum infligūtur in foro exteriori, sed iurisdictio fori exterioris solum se extendit ad actus, qui aliquo pacto cognosci possunt in tali foro, actus mentis omnino interiores non possunt vlla ratione percipi in hoc foro, ideo neque in illo puniri poterunt. Idcirco B. Tho. 1. 2. q. 91. art. 4. in corp. ait, Quod de his potest homo legem ferre, de quibus iudicare potest, quod colligitur ex cap. 2. de Constit. lib. 6. & l. fin. ff. de iurisdictione omn. Iudi.

Hæc quæstio difficilis est ex vtraque parte, ita quidem, vt Alphonsus à Castro dixerit inuenisse illam difficiliorem, quam putabat, cum eam prima facie conspexisset; Tamen ex his duabus contrarijs opinionibus multo probabilior videtur hæc posterior, quæ partem negatiuam tuetur ad quam clarius explicandam, præmittenda sunt quædam:

Primò notandum est in hac quæstione non tractari de pœna excommunicationis, quæ est per Iudicem infligenda; etiam si sit à lege statuta; De hac enim non controuertitur, cum enim huius excommunicationis executio pendeat à Iudicis voluntate, constat tandiu reum fore liberum ab huiusmodi excommunicatione, quandiu crimen illius fuerit Iudici occultum, quatenus Iudex est, sed intelligitur quæstio de poena excommunicationis ab ipso iure imposita ipso facto absque Iudicis ministerio; An reus penitus sit immunis ab illa, quando crimen est internum, & difficultas oritur ex eo, quia lex nō requirit ad poenæ inflictionē testiū probationem, aut aliud iuris adminiculū, sicut Iudex, sed sine vllo iuris processu eā infert.

Secundò reuocanda est in memoriam distinctio de Duplici occulto, seu interno, alterum per se, alterum per accidens, vt ait Caiet. loco citato. Occultum per se dicitur, quod ex sui ratione sibi vendicat, non subesse cognitioni sensitiuæ, à qua incipit humana cognitio, secundum quam Ecclesia iudicat, vt si quis mente solum, conciperet erroneam propositionem, ita vt illam nec verbis, nec signis non solum alijs, verum nec sibi ipsi reuelauerit, & id appellatur omnino occultum, vt dicit Glo. in V. Omnino in l. Cum exceptione §. Quatenus ff. Quod metus causa capit. Ex parte 1. & ibi Felin. de Off. Deleg. Alexan. in l. Precibus colum. 1. de Impub. & alijs substit. Est itaque omnino occultum, quod nulla ratione probari potest, & de quo nemo loquitur, quia nescitur, secundum Host. vt scribit Turrecrem. In cap. Manifesta 2. q. 1. & tandem talia sunt crimina, quæ solo corde committuntur, & intus retinentur, atque ad nullum opus exterius dicto, seu facto perueniunt. *Quis enim hominum* ait Paulus, *scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Occultum vero per accidens est, quod licet sensui subiaceat, testem tamen non habet, & id proprie appellatur occultum per accidens, idest quod non in solo corde committitur, sed voce, aut opere, per aliqood corporis membrum exercetur, Et hoc accidere potest pluribus modis; Nempe vel quod à nemine probari potest, vel quia paucis sit notum, puta duobus, vel tribus, alijs sit incognitum; Item quod ab Ecclesia toleratur, etiam si à pluribus probari pos-

A set, vocatur occultum, vel etiam alijs modis, de quibus tractant Iurisperiti, sed ad propositam quæstionem non faciunt, ideo illos prætereo.

Tertiò notandum est actum interiorem dupliciter exerceri posse; Primo modo cum quis non intendit vlterius progredi in actum exteriorem, vt si in corde suo sibi complacens, non credit aliquam propositionem de fide, vel odio prosequitur proximum, nec intendit vllo modo hanc suam prauam intentionem, & voluntatem ad exteriorem actum perducere, secundo modo talis actus interior considerari potest, vt causa commissionis, vel omissionis actus exterioris, vt cum quis ex odio interiori motus occidit proximum, vel aliud facit ad extra.

B Quartò animaduertendum est in hac quæstione quædam esse certa apud omnes. Primo constat leges Ecclesiasticas, vbi nnn simpliciter aliquid præcipiunt, vel prohibent, sed tanquam conditionem ad aliquid consequendum, tunc in vim habere, & potestatem in actus interiores. Hac ratione Ecclesia beneficia Ecclesiastica huic, vel illi conferre potest, si habeat hunc, vel illum animum, ita quidem vt si talem animum non habuerit, nulla sit collatio ipso facto; Eodem modo cum quis in aliquod Collegium admittitur, iure ab illo exigitur, vt debeat habere hoc, vel illud propositum, & intentionem; Id autem non prouenit, quia lex humana habeat au nritatem in actus mentis, verum ex eo, quod quisque potest sua bona concedere alteri hac, vel illa conditione. C Secundo certum est legem humananı hoc ipso, quod præcipit, vel prohibet aliquid exterius, præcipere, vel prohibere actum internum necessarium, videlicet illum, qui est causa exterioris actus, v.g. Ecclesia indicit Ieiunium, vel præcipit audire sacrum, tunc iubet actum exteriorem humanum, sed actus humanus non potest esse, nisi sit voluntarius, & liber. Tertio conuenit etiam apud omnes, quod si Ecclesia præcipit aliquid, quod sit præceptum iure diuino, tunc obligare etiam ad actus interiores patet in præcepto ecclesiastico annualis confessionis, quod etiam includit obligationem confitendi peccata interna, & id ob eam rationem, quia Ecclesia non instituit sacramentalem D confessionem peccatorum, sed eam institutam à Christo, præcipit quibusdam anni temporibus fieri; Vult autem eo modo fieri Confessionem, quo est instituta à Christo, & impetrata; De iure enim diuino non omnia tempora definita sunt, quibus fidelis debeat sua confiteri peccata. Propterea Ecclesia statuit, vt saltem semel in anno vnusquisq. ad eā teneatur.

Modo his annotatis respondeo quæstioni duabus propositionibus. Prima conclusio sit Actus interiores soli, qui dicuntur res omnino, & per se occultæ, cum non subiaceant Ecclesiæ iudicio, non possunt ab eadem in foro exteriori puniri poena excommunicationis, nec alijs censuris, & poenis Ecclesiasticis. Hæc Conclusio est verissima, & probatur euidenter.

E Primò quia nulla poena ecclesiastica a iure decreta potest infligi, nisi ab ipso iure, vel ab homine illius ministro, Homo autem non potest cognoscere crimen intra cordis recessum absconditum, ergo non potest propter illud, poenam inferre, consequentia fit nota ex eo, quod nullus Iudex potest aliquē punire, nisi propter crimē, quod fuerit sibi iuris ordine notum; Quod si poena excommunicationis à Iure sit imposita, quamuis non requiratur processus, sicut in causa, quæ infligitur ab ipso homine, requiritur tamen Legislatoris auctoritas, & potestas, & hæc ad

illa ſolum ſe extẽdit, quæ ab ipſo Legislatore cognoſci poſſunt; Sed quæ intra mentem noſtram manent occulta, non poſſunt cognoſci, Inde ſequitur non poſſe humanæ iuriſdictioni, & poteſtati ſubeſſe, & propterea minus poſſe aliquo humano iure puniri; Idq. confirmatur verbis Iuriſconſulti Vulpiani in l.Cogitationis ff.De Pœn. *Cogitationis poenam nemo patitur*.

Secundo Eccleſia nõ iudicat de occultis, ſed de manifeſtis; Nam homo videt, quæ patent, Deus autẽ intuetur cor, 1.Reg.16. *Nolite* inquit Paulus, *ante tempus iudicare quoadusq. veniat Dominus, qui manifeſtabit conſilia cordium & c.* 1.ad Corint.4. Tex.in c.Sicut tuis in fi. De Sim. c.Erubeſcant 32.diſt. & ibi Glo. c.Chriſtiana 32.q.5. Nãm ſi omnia in hoc ſæculo punirentur, locum non haberent diuina iudicia; Idẽ habetur in c.Si quando is q. 6. in c. Conſuluiſti 2.q.5. *Incognita, & occulta illi ſunt relinquenda, qui ſolus nouit corda filiorum hominũ*, c.Deus, qui 24.q.3. *Ex voluntate, quæ non procedit ad actũ, non ſcandalizatur Eccleſia* Vnde ſi quis in mente ſua ratam habuerit iniectionẽ manuum in Clericũ, licẽt talis quoad Deum ligatus ſit, arg.c.Tua nos De Sim. nõ eſt ligatus quoad militantẽ Eccleſiã, quæ non iudicat de occultis dicto c.Sicut tuis in fi. vt dicit Glo.in c. Cũ quis De Sent.Excom.lib.6. cum latentia peccata vindictam in hoc mundo non habeant in c.Cogitationis pœnam De Pœnitentia diſt.1.

Secunda Concluſio, Actus illi occulti, qui dicuntur occulti per accidẽs, continentur intra limites Eccleſię Iuriſdictionis, quare poſſunt ab Eccleſia pœna excommunicationis, & aliis cẽſuris puniri in foro exteriori. Probatur per c.Porrò De Sent. Excom. c.Clericis De Immun.Eccl.lib.6. & in Extrau.Cũ deteſtabile de Sim.

Probatur ſecundo ratione, ſentẽtia à Iure in genere lata nunquam eſt de peccato præterito, & commiſſo, ſed de futuro, ſententia verò ab homine lata contrariam habet conditionem, quia nunquã eſt de peccato futuro, & hic oritur inter hæc duo alia diuerſitas, quia ſententia à Iure lata nõ requirit proceſſum, ſed ſolum requirit crimen eſſe perpetratũ; Sententia hominis, vt iuſta ſit, requirit cauſæ cognitionem, quia debet iudicare ſecũdum allegata, & probata; Si ſententia à Iure lata non exigit proceſſum, ergo quotieſcunque fuerit commiſſum crimen, propter quod excõmunicatio eſt à Iure lata, ſtatim illius criminis reus, erit excommunicatus, quamuis crimen ſit occultum.

Sed dices, Si propterea Eccleſia non animaduertit in actus ſimpliciter occultos, quia de occultis nõ iudicat, eadem ratione ſub Eccleſiæ iudicium non caderet actus per ſe manifeſtus, ſed per accidens occultus; Nã cum iſte actus non ſit notus Eccleſię, de illo non poteſt iudicare, cap.Sicut tuis De Sim. illis verbis: *Erat commiſſa Simonia actualis, ſed quia non conſtat Eccleſiæ, Eccleſia non punit*.

Reſpondeo argumentum ſolum probare, quod illa crimina, quæ ſunt per accidens occulta, puniri nõ poſſunt, quamdiù manent occulta, & legitime probari nequeunt, publica punitione, quia neq. expediebat ad rectam Eccleſiæ gubernationem obligare hominẽ, vt ſe ipſum proderet; Eſt enim hoc contrarium legi naturę, ſicut etiam non erat æquum, & rationi conueniens, vt reus etiam, poſtquã crimen eſſet probatum, & per ſententiam Iudicis damnatum, teneretur in conſcientia ſubire pœnas ciuiles, & poſitiuas, ad quas infligendas opera hominis concurrere debet, vt ſunt pœnæ corporis afflictiuæ, & pecuniariæ, quamuis tales pœnæ ipſo facto, vel ipſo Iure impoſitę eſſent; Sed alia ratio eſt de excommunicatione, quæ eſt pœna priuatiua, non poſitiua, cõuenit enim, ac decet, vt praua opera exteriora occulta ſine teſtibus commiſſa, pœna priuatiua puniri poſſint ab Eccleſia, ſcilicet excõmunicatione, & alijs cenſuris, & ratio diſcriminis harum pœnarum, non ſolum illa eſt, vt Caiet. inquit, quia excommunicatio eſt priuatio mera, ad quã non eſt neceſſaria actio aliqua hominis, ſicut ad pœnas ciuiles requiritur; Nã ſequeretur inde Reum poſſe per legem, vel per Iudicis ſententiam obligari in conſcientia, vt etiam ſi patentem carceris ianuam reperiret, teneretur nõ aufugere, vel ſi haberet paratum cibum, non deberet guſtare, ſed fame perire, ſunt enim pœnæ priuatiuæ; Quod ſi reſpondeas idẽ eſſe non guſtare cibum, & ſe interficere, quare cum lex, vel Iudex non poſſit præcipere ſecundum, nec primũ; Contra ſaltẽ ſequeretur, quod delinquens poſſet ipſo facto priuari ab ipſa lege antẽ ſententiã Iudicis priuilegio aliquo, aut Iure, quod haberet, eligendi, vtendi, fruendi re aliqua, quoniam non eligere, non eſt agere, quod tamen videtur falſum. Quare ratio huius differentiæ inter excommunicationem, & alias pœnas ciuiles, non eſt ſolum, quia excommunicatio eſt pœna priuatiua, ſed præcipuè, vt inquit Sot. quia Eccleſia, dum priuat hominem ſuis ſuffragiis, ideſt dum excõmunicat, non priuat eum bonis ſuis propriis, quæ iure peculiari poſſideat, vt ad ea dimittenda neceſſaria ſit actio externa, ſed communibus bonis, quorum Eccleſia eſt diſpenſatrix. Propterea excommunicare poteſt ipſo facto, non expectata ſententia Iudicis, aut externo miniſterio, quaſi Eccleſia ita velit dicere in lege; Qui hanc legem non ſeruauerit, volo non eſſe participem ſacramẽtorum, ſuffragiorum, & aliorum bonorũ communium, quæ ex diſpenſatione mea pendent; At aliæ pœnæ tollunt ab homine aliquod bonum ipſius proprium, & ideo non incurruntur in conſcientia, niſi poſt ſententiæ executionem.

Reſpondendum eſt modò ad argumenta pro contraria ſententia, & 1. ad Glo.in Clement.1.§. Verũ De Hæret. reſpondent omnes Papam nõ apponere ibi ſententiam excommunicationis, aut ſuſpenſionis propter ſolum odium, aut ſolam lucri ſpem, ſed propter perſecutionem, aut afflictionem innocentis ex odio, aut ſpe lucri procedentem, & quãuis odium, & ſpes ſint penitus occulta, perſecutio tamen, & afflictio innocẽtis ex odio, aut ſpe lucri procedens non eſt ſic occulta, quin poſſit apertè ab hominibus videri; Quare quoties punitur animus, nõ punitur ſolus actus interior, ſed vt eſt coniũctus actui exteriori, vt in l.Si quis non dicã rapere C.De Epiſc.& Cleri. Vbi non multatur quis, quia de raptu Virginis ſola mẽte cogitauerit, ſed quia exequi ceperit, quamuis non conſumauerit; Et idem cõtingit in omnibus illis caſibus, in quibus leges, aut Canones præcipiunt puniri affectũ, quamuis non ſequatur effectus, vt in l.Pro humani §.Sacri De Homic. lib.6. & ſimilibus, quia ibi non punitur ſolus affectus homicidij, ſed mãdatum homicidij, & occultatio, ac defenſio homicidæ, quæ omnia conſiſtunt in opere exteriori; Et idem dicendum in caſu l. Quiſquis C. Ad legem Iuliam Maieſt. Similiter intelligendum eſt, quod dicitur in cap.vni. De Schiſma. §.Omnẽ lib.6. Vbi Bonifacius Octauus excommunicat omnes, qui quoſdam Petrũ, & Iacobum habuerint, & tenuerint tãquam Cardinales, quod intelligitur de illa exiſtimatione, quæ per aliqua ſigna exteriora demõſtretur, puta appellãdo illos Cardinales, aut talem honorem, & reuerentiam illis exhibendo, qualis exhiberi debet, & ſolet Cardinalibus, & hæc optimè confirmat textus in l. Fugitiuus ff.De Verb.Signif.

Ad

Ad illos textus, quibus omnes heretici nullo addito A discrimen excommunicantur, respondent omnes Doctores, quod illæ Censuræ feruntur in actus interiores, quatenus per aliqua exteriora signa manifestantur, vel pronunciantur per actus exteriores, vt sunt commissiones, vel omissiones ex tali animo prouenientes; Nam cum Ecclesia non intendat punire, præcipue pœna excõmunicationis, nisi peccata mortalia, & grauia. Atqui commissiones, & omissiones exteriores peccata non sint, nisi ex certo animo, & deliberata voluntate fiant; Ideo in dictis Textibus, in quibus talis irrogatur pœna, fit mentio de animo, vel deliberatione, vel scientia &c. ex quibus ipsa exterior actio talis est, vt in hũc modum puniri potuit; Propterea decepta est Glo. illius Clem. primæ De Hæret. vt ait Caiet. quia non posuit B discrimẽ inter actum cordis solum, & illum, vt rationẽ actus exterioris; Idcirco cũ Clem. 1. De Stat. Monach. prohibet accessum ad Curiã Principum, animo offendendi, non prohibet animũ offendendi secundũ se, sed vt colligitur ex tali accessu; Itaq. talẽ accessum interdicit sub tali pœna, non cuilibet, sed habenti animũ nocendi, ipsum tamen animũ simpliciter non prohibet; Vnde accedens tali intentione statim incidit, quia cogitatio procedit in opus, & in hunc modũ sunt explicandi omnes alij textus, quos non intelligit Glosa, vt inquit Silue. quia agitur de materia Theologali; Ita sentit etiã Host. in c. Mulieres De Sent. Excom. & idem habetur ex Glo. in c. Cũ quis in casu Veri. Sed quid si non ratificandi eodẽ tit. lib. 6 Vbi dicitur, quod habẽs C ratam percussionẽ Clerici corde tantum, non incidit in excommunicationem quoad Ecclesiam, & Alphon. à Castro affirmat nullum in iure decretum reperiri, quod pœnam aliquam statuat in alium, propter solum actum animæ interiorem, puta odium, vel amorem.

Ad secundũ argumentũ dico in illo c. Ad abolendã, excommunicari illos, qui aliter sentiunt de sacramẽtis Ecclesiæ, quam Ecclesia Romana docet, quando sensũ illum interiorẽ vel voce, vel alio signo exteriori, manifestant; Neque negamus in eo textu verbũ: *Sentire*, significare quid diuersum à verbo: *Docere*, Nã per vocẽ *Qui aliter sentiunt* intelliguntur hæretici occulti, qui tamẽ expresserint suã hæresim aliquo signo exteriori absque testibus; Particula illa; *Qui doceat* denotantur illi, D qui coram testibus errorẽ suum significarunt. Ad confirmationem ex c. Dolẽtes De Celebra. Missa. De recitandis horis canonicis studiosè, & deuotè diuersi diuersimodè intelligunt hoc præceptũ; Quare oriuntur ex multiplici intelligẽtia illius cap plures etiã responsiones. Aliqui affirmant Papam velle iniungere obligationẽ Clericis recitandi horas canonicas *deuotè* quantum ad intentionem, & *studiosè* quantum ad modũ recitandi; Et secundum hanc explicationẽ responderi potest. Ius humanum attingere posse actum interiorem, non secundũ se, sed quatenus colligatur cum actu exteriori; Vnde præcipiendo exteriora, præcipere potest interiora, sine quibus illa esse nequeunt; Sic Durand. in 4. dist. 15. q. 12. n. 6. Palud. dist. 15. q. 5. art. 2. concl. 4. Sicut si iubetur accessus ad Missam, præcipitur voluntas audiendi, & è contra prohibendo exterius, prohibet quoq. interius, quo posito statim sequitur opus; Quare peccat volens deliberatè frangere ieiunium, licet non frangat. Alij dicunt sub præcepto esse horas recitare, cætera vero, quę in deuotione cõsistunt, suadendo proponi, non iubendo; Quod innuitur ibi: *Quantũ Deus dederit*, quemadmodũ videntur intellexisse Host. & Antonin. quia Ecclesia non iniicit laqueum, 17. q. 1. c. De Viduis: Nec homines alligare debet oneribus importabilibus 26. q. 7. c. Alligant. Verum (vt inquit Silue. quamuis isti verũ dicant, quod attentio actualis nõ sit sub præcepto, in dicendis horis canonicis, non tamẽ ea ratione, quia ea, quæ in deuotione consistunt, suadẽtur tantum. Silue. interpretatur præceptũ de attentione, & deuotione tam in actu exteriori, quam interiori; De exteriori, vt dum recitẽtur horæ, ab aliis operibus cessemus; Ita vt, dum persoluimus officium diuinum, manibus, & reliquis corporis membris aliud agendo, aut confabulando, aut sincopãdo notabiliter, à proposito fine non deflectamus. De interiori autem attentione, quatenus est causa illius exterioris deuotionis, cuiusmodi est velle satisfacere præcepto Ecclesiæ, & velle abstinere à prędictis, & talis intẽtio, & deuotio virtualis, vt radix, & circumstantia exteriorum actuũ, potest præcipi ab Ecclesia, dum enim annualẽ confessionem indixit, vt ait Dom. Sot subsequenter iussit, vt mẽte de peccatis cogitemus, illaq. in memoriam reuocemus. Alij, vt Caiet. 2. 2. q. 83. art. 13. Maior. in 4. dist. 14. q. 7. Gab. in Can. Missæ lect. 62. Sot. lib. 10. De Iust. & Iu. q. 5. art. 5. concl. 7. affirmant prohiberi in illo Can. voluntariam quamcunq. distractionẽ interiorem non solum actum exteriorem, incompossibilẽ cum debita attentione; Omnes solutiones allatæ ad cap. Dolentes bonæ sunt, & dirimunt difficultatem; Vera tamen intelligentia ad illud tex. illa esse videtur, vt deuotio, & attẽtio, de quibus textus loquitur, nõ sit actus mẽtis interior, sed exterior modestia, & recollectio omnium sensuũ, nempè vt officiũ diuinum persoluentes, ea euitent, quæ deuotionẽ mentis, & attentionem impediunt. Et hæc expositio optimè conuenit verbis cap. Idq. apparet ex Clem. vni. De Celebra. Missa. Vbi Prælatis, & Superioribus præcipitur, vt curent sollicitam diligentiam habere, vt in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, cæterisq. aliis, officium diuinum debitè, reuerẽter, & deuotè celebretur. Ex quibus colligitur, quod sub deuota, & debita celebratione, non cadit interior mentis deuotio, & attentio, cũ de his Prælati non possint certiores reddi, quamcunq. diligentiã adhibeant, nec eos valeant punire, qui sine deuotione interiori officiũ dicunt; Et tamen ibi mandatur Prælatis, vt eos compescant, & puniãt, qui non deuotè, & debitè officiũ compleuerint. Quare sequitur, cũ Ecclesia iubet adhiberi deuotionẽ, & attentionẽ, non loqui de actu interiori, sed de exteriori, vt dixi, qualis est decens modestia, & compositio quędã omnium partiũ, qua Clerici extranea vitantes, quæ deuotionem, & attentionem mentis impediũt, horas suas persoluunt reuerenter. Ad c. Cõmissa De Elect. Respondeo in eo c. Contineri legẽ conuentionalẽ inter Ecclesiã conferẽtem suum beneficiũ Parochiale, & eum, qui suscipit, & ideo iustè Ecclesia potest constituere, nè is, cui confertur beneficiũ, faciat illud suũ, nisi habeat animũ suscipiendi sacerdotiũ intra annũ. Ad argumentũ de reseruatione peccati interioris Respondeo Papam posse sibi reseruare peccatum hæresis internũ, non tamen posse illud punire pœna excõmunicationis quia reseruare peccata pertinet ad Summũ Pontificem, qui est Iudex supremus in foro conscientiæ, cui reliqui inferiores Iudices sunt subordinati, quamuis talis reseruatio peccati interioris non expediat, sed sit inutilis, cum non possit Prælatus inde fieri cautior, & diligentior in gubernatione Grecis sibi commissi, & esset iniicere laqueum prorsus intolerabilem conscientijs Piorum; Sæpè enim ignorant homines, an consenserint tentationi interiori. Quamobrem hæresis, quæ reseruatur in Bulla Cœnæ Domini est illa, quæ exprimitur aliquo signo exteriori.

Ad aliud argumentum desumptum ex diuersis decretis Conciliorum generalium, quæ afferuntur à Medina in confirmationem eiusdem opinionis; Respondeo omnia illa intelligenda esse, quando infidelitas interior, & hæresis mentalis detegitur aliquo signo externo, vt patet cuicunque attente legenti verba Côciliorum, nec opus est, vt per omnia percurramus. Ad rationem Medinæ de Hæretico mentali, qui à Iudice interrogatur de sua falsa propositione &c. Respondeo talem hæreticum puniri ab Inquisitoribus nô propter peccatum mentis solum, sed quia tale peccatum voce expressit, licet interior deprauata voluntas sit causa exterioris confessionis; Et quamuis confiteatur id, quod sentit, neque mentitur; Et ex hac parte non peccet, simpliciter tamen affirmat id, quod est falsum, puta Christum non esse Deum, vel quid huiusmodi, & propterea grauiter peccat, & quamuis corde solum, & animo ita sentiret, non mulcatur tamen de peccato cordis præcise, sed de eo tanquam causa, & occasione illius expressionis.

Verum adhuc contra dictas Conclusiones posset quis dubitare. Primo Papa potest dispensare super voto mêtali, igitur potestas Papæ extenditur ad actus interiores, & eodem modo poterit illos immediate præcipere, & prohibere, & similiter transgressores pœna excommunicationis afficere.

Secundo si quis hæreticus hæsitans in fide, interroget Doctorem aliquem ea intentione, vt ab ipso consilium petat, & sequatur opinionem illius, & explicet verbis dubitationem suam in fide, quam habet, non videtur probabile in hoc casu talem innodari excommunicatione, qua antea liber erat, ob eam causam solam, quia suam dubitationem expresfit ob eum finem, quam diximus, scilicet, vt adhæreret dicto illius.

Ad primum de dispensatione voti mentalis; Respondeo primo concedendo antecedens, negando consequentiam, igitur potest Papa imponere obligationem actibus interioribus; Quia aliud est obligationem tollere, aliud imponere; Nam non omnis, qui potest primum, valet ad secundum. Pater potest tollere obligationem voti per filiû emissi, vt patet Num. cap. 30. Similiter vir potest irritare votum vxoris, & tamen nec Pater potest filio, nec vir vxori obligationê voti imponere. Quare mirum videri nô debet, si Papa tanquam communis Pater omnium possit per dispensationem tollere obligationem voti mentalis, non tamen possit immediate obligare ad actus cordis, est enim diuersa ratio. Dico secundo cum summus Pontifex dispensat super voto mentali, iam non potest dici omnino mentale, quia iam manifestum est illi. Si dicas, Prælatus potest irritare vota interna Religiosorum, absque aliqua cognitione; Respondeo exerceri hoc à Prælato, non quia ins habeat in actum interiorem, sed in subditû, qui debet occupari, vt adimpleat constitutiones suæ Religionis, iuxta voluntatem Prælati, Vnde illud est tollere materiam voti, vt subditus non possit vouere sine consensu Prælati.

Ad secundum argumentum respondeo; Aut ille dubius in fide est etiam pertinax, quia sciens, & prudens dubitat de aliqua propositione Catholica ab Ecclesia approbata, eo casu si interroget Theologum animo se subscribendi eius dicto, incidit in excommunicationem, quando profert suam hæresim, quia tunc non est paratus corrigi ab Ecclesia, quia potius præponit iudicium vnius hominis determinationi totius Ecclesiæ, contra illud ad Galatas primo: *Licet nos aut Angelus de cælo euangelizet præterquam quod*

A *euangelizauimus vobis, Anathema sit*; Aut ille sic infide dubitans iam in corde suo statuit, velle ingenium suum in obsequium fidei auctoritati Ecclesiæ subiicere, & tunc non incidit in censuras, quamuis cum amico sententiam suam aperiat; nam tunc non confitetur hæresim, quod necessarium est ad hoc, vt sit excommunicatus, sed potius detestatur; nam actus exterior, qui est excommunicationi subiectus, dicitur ille, quo quis protestatur assensum erroneum. Propterea Pœnitentiarios, vt recte notat Caiet. oportet diligenter inquirere, cum audiunt Confessiones eorum, qui sunt tepidi in fide, si victi tentationibus consenserint contra dogmata fidei, an in corde solum fuerit error, an vero progressi sint ad aliquod signum exterius, & si
B prauum animum alteri patefecerint, qua intentione, & quo fine, & alia similia interrogare, vt facilius percipere valeant, an Pœnitens sit innodatus excommunicatione.

Ex dictis concludendum est legem ecclesiasticam non posse imponere pœnam excommunicationis, & multo minus alias pœnas, in foro exteriori contra transgressores omnino mentales, si verbo, vel aliquo signo exteriori, suam deprauatam voluntatem expresserint.

CAPVT III.

An pro quocunque lethali crimine, quod ad exteriorem actum exierit, imponi possit pœna excommunicationis.

C POstquam actus interiores non subiacent ecclesiasticis pœnis, sequitur, vt discutiatur quæstio de exterioribus actibus; An qualibet culpa mortalis exterior, sit sufficiens materia excommunicationis.

Nô quodlibet peccatû mortale exterius est idonea causa, vt homo excômunicari possit, vt ex Conc. Trid. constat sess. 25. de refor. c. 3. sed illud solum, quod adiunctâ habet inobedientiam, scilicet quando quis monitus, Ecclesiam audire noluerit; Hæc autem monitio fieri potest vel per ipsam legem præcipientê, vel prohibentem aliquid sub censura excômunicationis ipso
D facto incurrendam, talis enim lex includit sufficientê monitionem, vt illius transgressor dicatur inobediês, & côtumax, & idcirco incidat in excommunicationê, vel fieri debet monitio per Iudicem, antequam ferat excommunicationis sentêtiam pro delicto commisso, vt Reus vere constitutus sit contumax, & inobediens.

Necessariam esse inobedientiâ, vt iuste, & canonice promulgetur excommunicationis censura aperte significauit nobis Christus verbis illis Matth. 18. cap. quibus tradit Prælatis Ecclesiæ potestatem excommunicandi illos tantum, qui præmissis necessarijs correctionibus, & monitionibus Ecclesiæ obedire renuerint; Nam ad hunc finem reliquit hunc gladium Ecclesiæ, vt subditos posset in suam obedictiam cogere. Quare si quis committat grauissima scelera, dummodo Ecclesiæ parere voluerit, non potest excommunicari, vt
E probabo euidenter sequenti Cap. quamuis possit Index pro crimine commisso, alijs pœnis illum plectere; Inobedientia autê, & contumacia grauissima est culpa iuxta illud 1. Reg. c. 15. & habetur 8. q. 1. c. Sciendû *Quasi peccatum Ariolandi est repugnare, & quasi scelus Idololatriæ non acquiescere.*

Ad hæc, excommunicatio est grauissima omnium pœnarum, quæ ab Ecclesia soleant inferri in criminosos; Per illâ enim expellitur homo à fidelium cœtu, sacramentis, suffragijs, & precibus, & nemo videtur tali

tali priuatione dignus, nisi qui per inobedientiam ab Ecclesia se subducit; Excommunicatio igitur pœna est ad comprimendam inobedientiam, & contumaciam. Duplex autem est inobedientia, Altera formalis contra peculiarem virtutem obedientiæ, & est vera, & expressa contumacia, vt siquis citatus dicat Iudici, vel Ministro se nolle comparere, immò Caiet. cũ B. Tho. 2. 2. q. 104. art. 2. ad 1. inquit ad inobedientiam formalem satis esse facere cõtra voluntatem insinuatam Prælati; Altera est inobedientia materialis, scilicet transgressio cuiuslibet præcepti, & legis nulla præcedente noua monitione. Hanc distinctionem docet D. Tho. dicta q. 104. & q. 105. art. 1. ad 1. Caiet. 2. 2. q. 69. art. 2. & in Summa Ver. Contemptus, Couar. 1. part. c. Alma Mater §. 9. n. 3. Quare, vt iuste pœna excommunicationis inferatur, non satis est inobedientia materialis, vt quis transgrediatur præceptum, aut legem, etiã sub peccato mortali, sed necessaria est inobedientia formalis, vt post monitionem factam sub poena excommunicationis, vel generalem, quæ fit à lege, vel per specialem, quæ fit à Iudice, fit contumax, Ecclesiæ non parendo, vel non comparendo, vt clarius ostendã sequenti Capite. Hinc fit, vt inquit Glo. in c. Duo dist. 96. Posse aliquem excommunicari ob contumaciam etiam in re leui ob eam rationem, vt inquit Glos. in Clem. vni. de Dolo, & contum. Glo. in l. Creditor ff. de Appell. quia cõtumax peccatum formalis inobedientiæ committit, quod non aliter, quam ex contemptu oritur, vt explicat S. Thom. 2. 2. q. 105. art. 1. & Caiet. 104. ar. 2. Contemptus autem mortale peccatum est; Igitur contumacia etiam in re leui, iustissime pœna excommunicationis puniri potest aliquando. Pluribus autem modis quis dici potest contumax formaliter, sed omnes reducit ad tres Siluest. V. Contumacia n. 2. ex sententia B. Tho. Primus est, si Reus nõ compareat ante Iudicem, & tripliciter accidit; Primo si quis citatus peremptorie venire contemnit; Secundo si callide, & malitiose se occultet, ne citetur; Tertio si impediat citationem, ne apud ipsum deferri possit; De quibus agitur c. Quoniam frequenter Vt lit. non contest. Secundus modus est, quando citatus comparet, sed absque licentia Iudicis ante finem causæ discedit, cap. Certum 11. q. 3. Tertius quando non vult parere sententiæ latæ, cap. Ex par. in fin. de verb. signif. Verum non potest certa regula præscribi vniuersalis, quando ob talem contumaciam iustè sit ferenda excommunicatio, vt patet ex ijs, quæ diximus in primo cap. Sed id relinquendum est prudentiæ legislaturis, & Prælati, vt ponderet omnia, quæ in ferenda excommunicatione animaduertenda sunt.

Ex dictis infertur, si necessaria est contumacia, & inobedientia formalis, vt legitime feratur excommunicatio, quod si constet Reum excusatum esse à peccato inobedientiæ, etiam Iuris ignorantia, erit quoq; excusatus ab excommunicatione, vt si nouit peccatum esse, quod committit etiam contra ius naturæ, sed inuincibiliter ignorat damnatum esse ab Ecclesia sub censura excommunicationis, quamuis multi Doctores in opposita sint sententia, de qua difficultate inferius fusè pertractabo. Interdum tamen contingere potest, vt quis sit inobediens, & contumax in transgressione legis, vel mandati ipsius Prælati, nec tamen excommunicationem incurrat, vt si quis percussit laicum volens, & credens percutere Clericum, hic vere contumax est contra legem prohibentem percussionem Clerici sub pœna excommunicationis, optimè enim illam nouerat, & ex professo quantum
A ad voluntatem intendit illam violare, & tamen non est excommunicatus, quia re vera non percussit Clericum, Glo. c. In audientia de sent. excom. Victo. in summa tit. de excommunicatione §. 338. Couar. Clement. Si Furiosus 2. par. in princ. ad fi. in c. Alma Mater par. 1. §. 10. num. 8. & 15. Siluester excommunicatio 2. §. 2. Si quis tamen crederet propositioné, quam putat damnatam ab Ecclesia tanquam hæreticam, esset excommunicatus, quamuis propositio illa esset catholica, militat enim diuersa ratio in actu fidei, Nam qui ita crederet, recederet à ratione formali fidei, & ab Ecclesia, ac perinde esset hæreticus cum signo externo, ac si diceret, non credo, etiam si illud, quod mente concipit, definitum sit ab Ecclesia.
B Contra vero si dissentiret ab aliqua propositione vera simpliciter, quam tamen crederet probabiliter repugnare definitioni Ecclesiæ, esset excusatus ab hæresi, & ab excommunicatione, quia non esset pertinax, & inobediens formaliter, Simanch. De Cathol. Institut. cap. 26. nu. 4. Ad excommunicationem igitur ferendam requiritur peccatum mortale cum contumacia, & inobedientia.

Hinc dubitari posset, an minor, qui sciat Tutoris contumaciam in causa propria, & potest illam purgare, & non purgat, excommunicari possit.

Dicendum est non posse, quia si Tutor, & Curator contumax est, non idcirco debet puniri pupillus, vt l. vni. §. 1. ff. si quis Ius di. non ob. Nec dolus Tutoris,
C aut Curatoris, minori obest, l. neque ff. de re Iudi. Nisi talis esset causa, in qua iure censeretur maior, nam tunc excommunicari posset, & deberet, c. ex parte de testit. spoliat. Si vero non sit talis causa, sed sit adultus, sententia excommunicationis in minorem lata tenebit, & erit valida, sed non esset ferenda. Si vero esset impubes, & non capax doli, tunc nec iustè ferri posset, nec lata teneret, Specul. lib. 2. tit. de contum. §. vlt. nu. 18.

CAPVT IV.

An pro peccato præterito possit quis excommunicari.

D HAec quæstio non habet locum in censura, quæ apponitur in lege aliquid præcipiente, vel prohibente, nam cum lex respiciat semper futura, & non trahatur ad præterita, excommunicatio contenta in lege numquam erit pro peccato commisso. Sed hæc difficultas est intelligẽda de Censura particulari, quæ pronunciatur per sententiam Iudicis contra certas personas, an talis censura possit ferri pro peccatis commissis, ita vt peccatum ab aliquo patratum puniri possit pœna excommunicationis, sicut alijs pœnis Ecclesiasticis multari potest.

Caiet. 2. 2. quæst. 69. art. 2. Glo. in capitulo Romana de sentent. excom. in 6. Silue. excommunicatio 1. §. 3. & 4. & excommunicatio 2. §. 2. & 4. tenent posse delinquentem excommunicari simplici-
E ter pro peccato præterito, sed inter omnes clarius eam tuetur Caietanus, qui tenet, quod sicut potest excommunicatio comminari, ne fiat peccatum futurum, ita & post factum, potest excommunicari, qui fecit non solum sub conditione, si non restituerit, satisfecerit &cæt. Sed absoluté in pœnam peccati omnino præteriti, quia tunc reperitur inobedientia contra præceptum Dei, & probat ex textu in capit. Quidam Maligni 5. quæst. 1. Vbi B. Gregorius excommunicauit quendam secretum infamatorem, qui libellum famosum in publicum ediderat, & licet

Papa

Papa ibi dicat, ſi non exierit, & publicè confeſſus fuerit, ſit excommunicatus, dicit tamen Caietanus ſententiam non ferri in conditionem illam, ſi ſe non prodiderit, ſed in perpetratum crimen editi libelli, appoſita autem fuit illa conditio ex gratia, vt poſſet Reus, ſi vellet euadere excommunicationem, prodere ſe, & conſiteri delictum ſuum.

Secundò, eadem opinio confirmari poteſt ex c. Inter querelas 23.q.4. Vbi ſimiliter idem Greg. reprehendit quendam Epiſcopum, quod alium excommunicauerat ob iniuriam in eum illatam, neque corripit illum, quod pronunciaſſet excommunicationem pro peccato commiſſo, immò ſupponit illam fuiſſe validam, ſed potius quod ex vindicta ad iniuriam repellendam maledictionem anathematis rependere voluerit, & in cap. Guilliſarius ead. cau. & q. Siluerius Papa excommunicationis vinculo eos obſtrinxit, qui per vim ipſum ceperant, & in exilium miſerant, cap. In primis 2. qu. 1. excommunicantur, qui Epiſcopum quendam depoſuerant. Præterea ſæpè in Iure cenſura excommunicationis infertur in eos, qui crimina aliqua grauia commiſerant, vt in cap. Duo ſunt 96. diſt. vbi referuntur facta Innocentii excommunicantis Arcadium Imperatorem, & Ambroſij excommunicantis Theodoſium pro culpis præteritis, in cap. Epiſcopi 11.q. 3. præcipitur communione priuari debere Epiſcopum, qui pro minimis cauſis excommunicare aliquem præſumpſerit, ergo, ſi crimen graue fuerit, excommunicatio ferri poteſt, etiam ſi non adſit contumacia, & tandem ad idem adduci poteſt factum Apoſtoli Pauli 1. ad Corinth. 5. excommunicantis Corinthium illum propter commiſſum inceſtum.

Poſtremo & ratione idem perſuaderi poteſt, ſi Eccleſia poteſt punire delicta commiſſa contra ius naturale, & diuinum, alijs pœnis, ergo etiam excommunicatione, conſequentia probatur, quoniam ſi peccatum inobedientiæ, & contumaciæ contra præceptum Eccleſiæ, poteſt puniri pœna excommunicationis, quę eſt ſumma pœna, quæ ab Eccleſia imponatur, igitur multo magis decet, vt eadem poena poſſint puniri Furtum, Homicidium, Adulterium, & cætera delicta, quæ iure naturali, & diuino prohibentur, & ſunt deteriora, & maiora crimina, quàm inobedientia contra præceptum Eccleſiæ.

Accedit, quod ad incurrendam excommunicationem non eſt neceſſaria formalis inobedientia, & contumacia, vt reus velit transgredi legem, quia nolit parere Legislatori, & Superiori, quod fieri non poteſt ſine aliquo contemptu, ſed ſufficit materialiter non obedire, ideſt transgredi legem, & mandatum, aliàs enim raro incurreretur excommunicatio, quoniam vt plurimum homines laudant legem, & fatentur eſſe ſanctam, & optimam, ſimul etiam amant, & venerantur legislatorem, & Prælatum, ſed ex amore, timore, vel alio affectu ducti ceſſant legem ſeruare; quare poteſt infligi excommunicatio etiam propter delictum commiſſum contra præceptum Eccleſiæ nulla comminata excommunicatione, e. g. Prælatus poteſt excommunicare illum, qui non ieiunauit in Quadrageſima, ſimiliter poterit Eccleſia eodem gladio excommunicationis ferire eos, qui deliquerint contra præceptum Iuris naturæ, vel diuini, Tales enim ſunt inobedientes contra Deum, & ideo grauius peccant, & ſeuiori poena ſunt digni.

Oppoſitam tamen ſententiam tenent communiter Doctores non poſſe excommunicationem ferri pro peccato commiſſo, niſi intercedat inobedientia, &

A contumacia contra præceptum Eccleſiæ, & ſententiam excommunicationis latam non exiſtente contumacia eſſe inualidam.

Huius opinionis ſunt B. Tho. in 4. diſt. 8. q. 2. art. 1. quæſtiuncula 3. Gerſon. 3. par. De Vita ſpirituali lect. 4. Corol. 7. Sot. diſt. 22. qu. 1. art. 2. & lib. 5. De Iuſt. & Iur. q. 6. art. 2. in Relect. De tegen. ſecreto. mem. 2. q. 8. ad ſecundum Victo. in Summa de excom. num. 6. Petr. Sot. lect. 3. De excom. Alphon. à Caſtro lib. 2. De lege pœnal. cap. vlt. Abb. in cap. P. & G. num. 7. De Off. deleg. Nauar. in cap. Cum contingat de reſcript. nullit. 5. & in Manua. cap. 27. num 9. & 11. Couar. in cap. Alma Mater prima par. §. 9. num. 4. & §. 10. num. 2. & ſeq. & eſt opinio communis.

B Quare iuxta hanc opinionem affirmandum eſt non poſſe aliquem excommunicari propter peccatum mortale præteritum, quantumuis enorme.

Probatur hæc doctrina. Primo, Aut Cenſuræ feruntur pro culpa futura, ſcilicet quicunque hoc fecerit, vel nõ euitauerit, ſit excommunicatus, & hanc cenſuram hoc modo prolatam certum eſt non pronunciari pro peccato commiſſo, ſed ſolum ſupponere præceptum de cauendo peccato, aut cenſura pronunciatur contra aliquem, qui delictum commiſit, puta quia noluit concubinam dimittere, tunc etiam ſimpliciter non excommunicatur, quoniam commiſit peccatum, ſed propter conditionem aliquam futuram, quia ſcilicet non vult deſiſtere à peccato, vel pro illo ſatisfa-
C cere, vt inquit Nauar. vbi ſupra in 5. Nullit. cauſa, & id colligitur ex cap. Ex parte 1. De Verbo Signif. Vbi dupliciter diſtinguitur cenſura, Altera pro contumacia tantum, quia ſcilicet citatus ſtare noluit Iuri, Altera pro offenſa, quia ſcilicet iuſſus noluit maleficium emendare; prior pertinet ad peccatum futurum, poſterior ad præteritum, Sed vtraque fertur pro contumacia, vt benè ibi notat Glo. Ver. Pro contumacia, licet altera dicatur lata pro contumacia, altera pro offenſa; nam, vt inquit Gloſ. Quicunque vocatus ad iudicium legitimè non venit pro quacunque re, contumax reputatur; vnde propter talem contumaciam excommunicari poteſt; ſimiliter pro offenſa, commiſit quis delictum, & illud fuit notorium, vel per
D ſententiam, aut per euidentiam facti, vel per confeſſionem, & condemnatus de delicto non ſatisfaciẽs excommunicatur, quare & in hoc caſu, quamuis crimen præteritum ſit, non fertur excommunicatio, niſi poſt contumaciam.

Semper igitur ad pronunciandam validè excommunicationem, ſi ſit per ſententiam hominis, requiritur contumacia, vt etiam animaduertit Gloſ. in dicto cap. Epiſcopi Ver. Minimis 11.q.3. ſecus ſi ſit excommunicatio lata à Iure, vt cap. Si quis ſuadente 17. quæſt. 4.

Secundo probatur, quia in Euangelio non traditur alia facultas Eccleſiæ, vt valeat denunciare aliquem tanquam Ethnicum, & Publicanum, quàm ſi eam non
E audierit; nemo autem dicitur Eccleſiam non audire, niſi præmonitus recuſauerit obedire.

Tertio cum excommunicatio debeat ſemper ferri pro peccato mortali, vt viſum eſt, ſi quis pro peccato mortali præterito excommunicaretur abſque monitione, ſæpe contingeret excommunicari quempiam, qui iam eſſet per contritionem in gratia Dei.

Quarto excommunicatio per ſe ordinatur ad lucrandum fratrem perditum, vt frater reſipiſcat in futurum, ergo, ſi velit parere, non eſt excommunicandus. Aliæ poenæ imponuntur pro peccato præterito,

vt

A vt priuatio beneficij, Degradatio, Flagellatio, & similes, cap. Romana de sent. excom. lib.6.cap.Cognoscantur, & cap.fin.extra eod. tit. Quare nec Papa potest in pœnam peccati omninò præteriti inferre poenam excommunicationis, B. Tho. in Addit. ad tertium par.q.21. art.3. nisi in futurum pendeat scandalum, restitutio, aut satisfactio, vel reus monitus adhuc maneat in peccato absque poenitentia. Contra vero pro præterito furto, vel Homicidio potest reus suspendi, Clericus priuari beneficio, officio, vel degradari, licèt sit emendatus, & restituerit damnum, idcirco peculiaris ratio est de poena excommunicationis, B. Ambrosius excommunicauit Theodosium, quia monitus satisfacere omittebat, Apostolus 1. ad Corinth. 5. sæpè monuerat incestuosum illum, & cum (B) videret obstinate in peccato insordescere, illum excommunicauit..

Dices monitionem esse quidem necessariam ante excommunicationem, vt debitus ordo Iuris seruetur, & sententia excommunicationis iuste, & legitime feratur, inde tamen non sequi esse necessariam ad validitatem illius, ità vt si pronuncietur excommunicatio absolutè pro præterito peccato absque monitione, sit nulla, & inualida.

Respondeo ex verbis Christi Matt. 18. colligi euidenter monitionem esse necessariam conditionem, vt excommunicatio sit valida, Cum enim Christus inquit, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus*, (C) sequitur nunquam fideles obligari ad habendum aliquem tanquam Ethnicum, nisi postquam Ecclesiā non audierit, ergo requiritur, vt possit validè excommunicari, vt sit contumax, & inobediens Ecclesiæ. Quare non poterit excommunicari pro peccato commisso, sed quia in futurum est obstinatus post monitionem nolens parere, vel satisfacere, aut comparere, &c.

Sed iam respondeamus ad rationes pro contraria sententia, Ad Textum citatum à Caiet. Respondeo Gregorium ibi non excommunicasse pro commisso crimine, sed iussisse, vt ille Difamator se proderet, quia ad hoc iure naturæ tenebatur, si ipse non poterat aliter famam alterius resarcire, & nisi de periculo (D) vitæ dubitasset, & in his casibus intelligitur illud Chrisosto. *Non tibi dico, vt te prodas*, cap. Quis aliquando de Poenit.dist.1. Propterea addit Gregorius, quod quamdiu exire noluerit, hoc est satisfacere, vt debebat, à sacrosancta Eucharistia abstineret, quia erat in peccato mortali, ideo tenebatur abstinere, quod si à sacramento non abstineret, anathematis mucrone percussus esset itaque sub poena excommunicationis fuit præmonitus, nè ad sacramentum accederet, quod si sumeret, laqueo excommunicationis remaneret colligatus, ideo non simpliciter pro peccato præterito fuit excommunicatus, sed pro futuro. Et eandem responsionem tradit Sot. in Tract. de Ratione tegen. & Retegen. secretum mem. 2. q. 6. in so(E)lut. ad secundum arg. vbi fusius illam prosequitur.

Ad cap. Inter querelas dicimus, cum ibi legimus excommunicationem esse latam propter iniuriam factam, id esse intelligendum seruato ordine requisito, sicut pronunciatur excommunicatio pro furto commisso, non quatenus præteritum est, & elapsum, sed quatenus durat, si ablatum non est restitutum. Eodem modo, quando lata est excommunicatio ob iniuriam factam, intelligimus esse pronunciatam, non quatenus iniuria iam transijt, sed quatenus perseuerat, si non sit facta compensatio per satisfactionē.

Sed obijcies, si excommunicatio in eo tex. per illum Episcopum inflicta erat canonicè, præmissa monitione, vt delinquens satisfaceret pro iniuria illata, cur B.Greg. corripit, & reprehendit illum Episcopum.

Respondeo reprehendi à Gregorio quia in propria causa iudicium sibi vsurpauerat, quod iure vetitum est, & idcirco dicitur in textu, *Pro vindicta propriæ iniuriæ*, quod sacris Canonibus prohibetur, *maledictionem anathematis inflixisti*.

Eodem modo dicendum est ad cap. Guillisarius, Excommunicantur illi, qui Pontificem comprehenderant, & in exilium miserant, quia in peccato perseuerabant. Patet expressè ex verbis textus, *Me in exilium miserunt, in quo sustentor pane tribulationis, & aqua angustiæ*.

Dici etiam potest ibi non pronunciari sententiam excommunicationis, sed declarari illos incidisse ipso facto in excommunicationem, quia iniecerant violentas manus in Pontificem, similem responsionem recipit cap. In primis, & alia, quæ in Iure habentur, in quibus videtur excommunicatio lata in Delinquentes propter scelera commissa; nam semper excommunicatio respicit aliquid futurum; vel quia non satisfecerint, non paruerint, non cessauerint à delicto, non abstulerint scandalum, vel quid simile.

Atque ad eundem modum respondemus ad facta Innocentij, & Ambrosij in cap. Duo sunt 96. dist. fuisse excommunicatos Arcadium, & Theodosium Imperatores, vt cogerentur, sicut debebant ob scelera grauia, quæ commiserant; vnde scandalum, & damnum contigerat, condignam subire pœnitentiam, & satisfactionem præstare. Et patet id ex ijs, quæ leguntur in vita S. Ambrosij; nam cum Theodosius in sui excusationem referret exemplum Dauid, qui, & si grauiter peccauit, veniam tamen obtinuit; respondit S. Ambrosius; qui secutus es peccantem, sequere poenitentem, & peracta poenitentia fuit absolutus; similiter Arcadius fuit excommunicatus ab Innocentio, quoniam non reuocabat ab exilio Chrisostomum.

Sed contra hanc sententiam, difficultatem quandam faciunt verba, quæ leguntur cap. In loco 5. q. 4. Hæc scilicet *Vt violator illius legis trium dierum excommunicationis sententiam perferat*, quæ verba indicare videntur, poenam illam excommunicationis fuisse latam in peccatum commissum, vt reus illam sustineret, etiamsi resipisceret, & parere vellet.

Respondeo modum illum excommunicādi ad tres dies, non fuisse veram censuram excommunicationis, quantum ad omnes effectus, quos modò ex consuetudine ecclesiæ parit excommunicatio, sed speciem quandam Censuræ, qua aliquando delinquentes à Prælatis multabantur ob aliqua delicta patrata; quare huiusmodi rei non erant priuati participatione omnium sacramentorum, nec alijs bonis Ecclesiæ, sed solum communione Eucharistiæ, vt dixi in primo capit. 2. Disp. lib. 1. & à consortio, & communicatione fratrum, & fortassè solum priuabantur externa communicatione, quod videtur colligi ex verbis textus, cum ait, *Cum omni dedecore de confessione abstractus à communi Cœtu secedat, & trium dierum excommunicationem sustineat*. Et idem indicat Glos. & declarat Archidia. & hunc morem extitisse antiquitus separandi peccatores ad aliquod tempus à consortio, & communione fidelium, colligi potest ex cap. Præsenti 5. qu. 2. Quæ priuatio communionis cessabat transacto illo tempore, etiā non recepta absolutione, & ob hanc causam apparet non fuisse veram excommunicationem.

Et

Et de hac priuatione à conſortio, & externa communione fidelium intelligendum eſt, vbi in Iure reperimus prolatam fuiſſe ſententiam excommunicationis contra delinquentem ſimpliciter pro peccato præterito, ſine aliqua relatione ad futurum; Prælatus enim ſicut poterat alijs pœnis animaduertere in criminoſos, ita quoque poterat hanc poenam infligere pro diuerſitate criminis, vt magis expedire iudicabat. Simile exemplum habetur in cap. Neminem diſt. 45. Vbi textus ait Clericum non eſse cædendum, ſed ſi ita exigit eius culpa, triduo priuandum eſse honore, & erat genus quoddam ſuſpenſionis, vt ibi notat Gloſ.

Cenſura ergo excommunicationis poteſt conſiderari, vel vt modo eſt in vſu in Eccleſia, vt ſcilicet eſt pœna aliqua plura damna, & detrimenta homini afferens ſpiritualia, ſcilicet priuationem ſacramentorum, ſuffragiorum communium Eccleſiæ, orationum, & omnium rerum ſacrarum, & temporalia, vt priuationem honoris, dignitatis, iuriſdictionis; vlterius nè poſſit agere, & verſari cum alijs, & alia multa, de quibus diximus agentes de effectibus excommunicationis, quæ non inferunt ſpirituale nocumentum animæ, ſed potius dedecus, & ignominiam ipſi excommunicato. Si conſideretur hoc modo excommunicatio, nunquam ferri poteſt pro ſolo delicto commiſſo ſimpliciter, ſed ſemper dicit relationem ad futuram reſipiſcentiam; hic enim eſt finis excommunicationis, vt inquit Apoſtolus 1. Ad Corinth. ſcilicet *Tradidi eum Sathanæ, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini.* Si imponeretur excommunicatio pro delicto commiſſo abſolutè, ſicut infliguntur aliæ poenæ, operaretur contrarium effectum ab eo, quem Chriſtus intendit, & cuius gratia Eccleſiæ reliquit hunc gladium, ſi enim peccator vinculo excommunicationis obſtringeretur pro ſcelere patrato, quando paratus eſset reſipiſcere, & pœnitentiam agere, tunc priuaretur auxiliis ſpiritualibus opportunis, quibus maximè adiuuari poſset ad obtinendam veniam à Deo, & idcirco redderetur difficilior eius conuerſio, & reſipiſcentia contra finem, quem intendit Eccleſia per excommunicationem; vel conſideratur excommunicatio ſolum quoad damna temporalia, aut etiam quantum ad aliquam ſpiritualem priuationem, quæ non afferat graue detrimentum animæ, & illa poteſt inferri ad puniendum delictum commiſſum ſimpliciter, nulla habita relatione ad reſipiſcentiam; atque hoc modo legimus in Iure aliquos priuatos fuiſse officio, honore, dignitate pro ſceleribus commiſſis, quamuis parati eſsent ſatisfacere, & obedire, immo fuiſse aliquo modo reiectos ab vſu Euchariſtiæ, vt diximus in dicto primo cap. 2. Diſp. lib. 1. ad breue tempus, quamuis enim hoc eſſet damnum ſpirituale, tamen abſtinentia ab hoc cæleſti cibo, præſertim ad paucos dies, ſolet eſse vtilis peccatori, gignit enim maiorem venerationem, & deuotionem poſtea, quando ad illum ſuſcipiendum admittitur. Quamobrem, licèt excommunicatio ſimpliciter ſumpta quoad omnes effectus non poſſit infligi contra delinquentem pro peccato commiſso abſolutè, non repugnat tamen quoad aliquos effectus minus principales ferri poſse pro ſcelere commiſso, ſed non eſt dicenda propriè excommunicatio, quia caret fine excommunicationis. Hinc videmus Hæreticum, qui ipſo iure eſt excommunicatus, eo ipſo quod deſerens pertinaciam, & errorem abijciens fatetur velle obedire Eccleſiæ, & credere, ſtatim ad gremium fidelium recipitur, & abſoluitur ab excommunicatione, quamuis pro crimine hæreſis, alijs pœnis afficiatur, ſignum igitur eſt euidens, pœnam excommunicationis locum non habere, vbi adeſt reſipiſcentia, & voluntas parendi.

Ex his patet reſponſio ad rationem factam initio contra hanc ſententiam; fatemur enim poſſe Eccleſiã punire delicta contra ius naturæ, & diuinum commiſſa etiamſi nulla ſit inobedientia formalis contra Eccleſiam, alijs tamen pœnis, non pœna excommunicationis. Et ratio huius differentiæ eſt, quia de intrinſeca ratione excommunicationis eſt, vt infligatur contra inobedientes, & contumaces. Reliquit enim Chriſtus hanc cẽſuram Eccleſiæ, vt eius vi compeſcere valeret eos, qui recuſant eius præcepto parere, vt ad obedientiam cogere poſſet, & hoc medio ad poenitentiam commiſſi peccati prouocare; hic enim eſt finis excommunicationis, & ſit finis capitis.

CAPVT V.

An pro futuris culpis poſſit excommunicatio generalis ab homine ferri.

POſtquam probatum eſt excommunicationem per ſententiam hominis contra certam perſonã pronunciari non poſſe pro peccato præterito, niſi adiunctam habeat aliquam conditionem futuram, inquirendum eſt modo an eadem ſit ratio de ſententia excõmunicationis generaliter lata ab homine, An hæc poſſit ferri pro futuris culpis, ſicut fertur excommunicatio ab ipſo Iure.

Reſpondendum poſſe Prælatum ſententiam excommunicationis generaliter contra omnes indiſtinctè pronunciare pro futuris culpis.

Probatur primo ex tex. in cap. A nobis 1. de ſent. Excomm. Vbi proponitur excommunicatio generalis in hunc modum lata; quiſquis furtum fecerit, ſit excommunicatus; idem probatur cap. Vt animarum periculis de Conſtit. lib. 6.

Sed difficultatem facit, quia cum excommunicatio ſit grauiſſima poena, poſtulare debet culpam præſentem, vt videtur docere Innocentius Quartus in c. Romana de Sent. Excom. lib. 6. his verbis *Caueant etiam, nè tales ſententias excommunicationis ſiue generaliter, ſiue ſpecialiter in aliquos pro futuris culpis, videlicet ſi tale quid fecerint, vel etiam pro iam commiſſis ſub hac forma, ſiue illis infra tale tempus minimè ſatisfecerint, proferre præſumant, niſi mora in exhibenda ſatisfactione, ſeu culpa, aut offenſa præceſſerit, quibus meritò ad iniungendam ſatisfactionem huiuſmodi, & taliter prohibenda ſimilia inducantur, aut alia rationabilis, quam in ipſis ſententijs exprimant, cauſa ſubſit, &c.* Propter hanc auctoritatem Gloſ. communiter recepta in Ver. futuris, tenet non poſſe ab homine ſententiam excommunicationis generaliter pro futuris culpis ferri, à ſtatuto vero, & lege poſſe ferri. Alij conantur alio modo ſoluere illas auctoritates, quæ videntur inuicem contrariæ, & dicunt inter generalem hominis ſententiam, & legis, eam eſse differentiam, quod lex poſſit reſpicere, & reſpiciat ſæpè futura, ſententia vero hominis, vt plurimum præſentia tantum tractet, & Glo. in dicto cap. Vt animarum periculis. & in dicto c. Romana §. Caueant, & notat Card. in Clement. 1. q. 32. De Priuileg. Henri. in dicto cap. A nobis, & Franc. in dicto §. Caueant, octo differentias tradidere inter ſententiam Iudicis generalem, & ſtatutum. Aliter reſpondet Couar. §. 10. num. 1. in c. Alma Mater par. prima qui affirmat ſententiam excommunicationis ab homine gene-

generaliter ferri poſſe pro futuris culpis non indiſtinctè, & ſemper, ſed exiſtente cauſa, quæ hanc generalem excommunicationem permittat; Quod videtur quoque concedi in dicto §.Caueāt, Cauſa antem, propter quam iuſtè poſsint ferri huiuſmodi excommunicationes generales ab homine, contingit, quoties aliquod delictum in aliqua Vrbe eſt frequentiſsimum, tunc poterit ſententia excommunicationis generaliter ferri ab homine ad imitationem legis aduerſus eos, qui illud crimen commiſerint; Nam cum moneantur ab ipſo Iudice, nè illud crimen committant, illius tamen monita ſpernant, nec ſcelus ipſum quotidie magis perpetrare vereantur, iuſtè excommunicantur, donec ſatisfactione præmiſſa abſolutionem ab Eccleſia humili petitione poſtulauerint. Idem etiam dici poteſt quoties aliquod crimen coniectura veriſimili timeatur, nā in eo caſu poteſt ferri ab homine excommunicatio generalis in eos, qui id delictum commiſerint, & hæc excommunicatio generaliter lata pro futuris culpis ſimilis eſſe videtur ſtatuto, & ità ſecundum praxim, & vſum Curiæ iam diù inductum eſt, quod iſtæ excommunicationes generales ferri poſsint ab homine pro futuris culpis, ſed magnum eſt diſcrimen inter excommunicationem generalem latam ab homine pro futuris culpis, & promulgatam per ſtatutum, vel legem, nam hoc poſteriori caſu ligantur hac cenſura, qui aduerſus prohibitionem egerint intra Legislatoris Territorium, quamuis eo tempore, quo lata lex fuit, minimè eſſent ſubditi intra territorium Legislatoris, & eadem etiam afficiuntur alij non ſubditi, intra territorium Legislatoris delinquentes, nam præter alia, ratione delicti quis forum ſortitur, cap. vlt. De Foro compet. notant omnes in cap. 1. De Raptor. Priori autem caſu tantum hi, ſententia ligantur, qui tempore latæ ſententiæ ſub Iudicis eam pronunciantis iuriſdictione continentur, non autem futuri ſubditi, vt Abb. & Doctores in dicto cap. A nobis poſt Innocentium. Eſt alia etiam differentia inter Statutum, & Sententiam, quæ traditur à Glo. in dicto cap. Romana Ver. Porro, De Sent. Excom. lib. 6. Nam excommunicatio lata per ſtatutum Metropolitani ligat non tantum ſubditos proprios ipſius Archiepiſcopi ratione Diœceſis, quam à Suffraganeis diſtinctam habet, ſed & eos, qui Suffraganeis ſubditi ſunt; At excommunicatio lata per ſententiam Metropolitani tantum eos afficit, qui eidem Metropolitano iure diſtinctæ Diœceſis ſubiecti ſunt.

CAPVT VI.

An pro damno temporali excommunicatio ferri poſsit.

Ratio dubitandi eſſe poteſt, quia pœna non debet excedere culpam, ſed pœna excommunicationis eſt priuatio aliquorum bonorum ſpiritualium, quæ omnibus bonis temporalibus præferri debent, ergo nemo pro temporalibus eſt excommunicandus, & confirmatur; Nam excommunicatio eſt pœna, & medicina ad curationem animæ adhibenda, non ad temporalia incommoda reſarcienda, nam cura vindicandi temporales iniurias ad ciuilem poteſtatem perſpectat; Quare non poſſunt Iudices Eccleſiaſtici hoc titulo aſſumere glagium ſpiritualem.

Contra, pro bonis temporalibus excommunicationis pœnam infligi poſſe oſtendit Gregorius in Epiſtola ad Natalem Epiſcopum Salonitanum his verbis: *De excommunicationis articulo, quæ tamen interpoſita*
A *conditione gradus, Secundo, vel tertio iam, vt ità dicam, ex neceſſitate ſubiuncta eſt. Beatitudo Veſtra immeritò conqueritur, cum Paulus Apoſtolus dicat In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam; Cum igitur quędā contumacia hominem implicauerit, quæcunque ex cauſa illa proceſſerit, ſeu ex fide, quæ omnium eſt maxima, ſiue ex bonis temporalibus, quæ cenſentur omnium minima, eiuſdem ſeueritate cenſuræ poteſt iure percelli.* Vnde Auguſtinus in Epiſtola 54. de his, qui poſsident aliena bona, hæc ait ſcribens ad Macedonium: *Nolentes autem reddere, quos nouimus, & male abſtuliſſe, & vnde reddant habere, arguimus, increpamus, & deteſtamur quoſdam clam, quoſdam palam, ſicut diuerſitas perſonarum diuerſam videtur poſſe recipere medicinam, nec in aliorum*
B *perniciem ad maiorem inſaniam concitari; Aliquando etiam, ſi res magis curanda non impedit, Sancti Altaris communicatione priuamus.* Hæc Auguſtinus.

Idem ratione perſuaderi poteſt, excommunicatio ferri poteſt pro peccato mortali, vt diximus, ſed homo in temporalibus poteſt peccare mortaliter, & contra charitatem delinquere, ideo pro damno temporali illato poteſt Eccleſia aliquem excommunicare. Verum cum excommunicatio ſit grauiſsima pœna, & habeat rationem medicinæ, ſapientis eſt medici à leuioribus prius incipere; Ideo inquit S.Tho. in Addit. ad 3. par. q. 21. art. 3. vltimo loco deueniendum eſſe ad excommunicationem.

In ha quæſtione ſupponendum eſt, vt certum, & in-
C dubitatum ex communi ſententia omnium Doctorum, competere Iudici Eccleſiaſtico hanc poteſtatem pronunciandi excommunicationem, & alias cenſuras in ordine ad cauſas temporales, nempe vt reſtituantur ablata, ſoluantur debita, reuelentur occulta, & ad ſimiles alios fines temporales.

Hanc Concluſionem in primis probat praxis communis, & vſus totius Eccleſiæ; Eſt enim conſuetudo Eccleſiæ generalis, vt pro his rebus feratur excommunicatio.

Deinde Concilium Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. De Reform. refert hanc Eccleſiæ conſuetudinem, & ſupponit illam honeſtam, & iuſtam, poſtquam præſcribit quaſdam conditiones, quas ſeruare debet Prælatus in ferenda
D excommunicatione pro his rebus Verba Cōcilij ſunt: *Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmiſsis ad finem reuelationis, vt aiunt; Aut pro deperditis, aut ſubtractis rebus ferri ſolent, à nemine prorſus, præterquam ab Epiſcopo decernantur, & tunc non alias quam ex re non vulgari, cauſaq. diligenter, & magna maturitate examinata, quæ eius animum moneat, nec ad eas concedendas cuiuſuis ſecularis, etiam Magiſtratus auctoritate adducatur, ſed totum hoc in eius arbitrio, & conſcientia ſit poſitum, quando ipſe pro re, loco, perſona, aut tempore, eas decernendas eſſe iudicauerit. In cauſis verò Iudicialibus mandatur omnibus Iudicibus Eccleſiaſticis, cuiuſcunque dignitatis exiſtant, vt quandocunq executio*
E *realis, vel perſonalis in qualibet parte iudicii propria auctoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineant ſe tam in procedendo, quam definiendo à cenſuris Eccleſiaſticis, ſed liceat eis &c.* Et paolò poſt, *Quod ſi executio realis, vel perſonalis aduerſus reos hac ratione fieri non poterit, ſitq. erga Iudicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio ſuo præter alias pœnas ferire poterit. In cauſis quoque criminalibus, vbi executio realis, vel perſonalis, vt ſupra fieri poterit, erit à cenſuris abſtinendū, ſed ſi debitæ executioni locus eſſe non poſsit, licebit Iudici hoc ſpirituali gladio in delinquentes vti, ſi tamen delicti qualitas præcedente bina ſaltem monitione etiam per edictum id poſtulet &c.*

Et

Ex quibus manifestè apparet esse quidē penes Ecclesiam hanc potestatem excommunicandi pro rebus temporalibus, & Prælatum Ecclesiasticum licitè posse interdum, quando ita expedire iudicauerit, illam exercere, adhibita moderatione, & seruatis conditionibus, quæ ex concilio desumuntur.

In primis Concilium prohibet, vt istæ excommunicationes, quæ feruntur, vt restituantur ablata, vel deperdita, reuelentur occulta, soluantur debita, aut ad alios similes fines, à nemine prorsus, præterquam ab Episcopo decernantur, Hæc est prima conditio requisita ab ipso Concilio.

Sed hic inquiri potest, quo pacto sit intelligenda hæc conditio iuxta mentem Concilij, deinde quos voluerit significare Concilium nomine Episcopi.

Quoad primam partem dubitationis verba Concilij prima facie videntur reddere hunc sensum, nempè solos Episcopos habere facultatem pronunciandi excommunicationem ad reuelandum, & denunciandum aliquid occultum, & tamen via, & praxi vniuersali totius Ecclesiæ oppositum videtur receptum, cū hæ excommunicationes pronuncientur etiam ab ipsis Visitatoribus, & alijs Prælatis, qui non sunt Episcopi in subditos suos. Quamobrem dicendum est aliud voluisse significare Concilium illis verbis, sententia igitur Concilij est, vt excommunicationes illæ, quæ in finem reuelationis feruntur tantum pro rebus deperditis, vel subtractis à nemine decerni possint, præterquam ab Episcopo, non tamen vetat, quin excommunicationes ad finem reuelationis pro alijs criminibus ab alijs Prælatis ferri possint, & ita videtur explicare decretū Concilij Nauar. in Manu. c. 27. n. 10.

Quoad secundam partem dicendum est primo nomine Episcopi Concilium comprehendere velle Vicarium Episcopi Generalem, quare Vicarius poterit etiam decernere huiusmodi excommunicationes pro rebus deperditis, & subtractis, & ratio est, quia quoties iura concedunt aliquam facultatem Episcopo, & non exprimūt, quod per se ipsum teneatur illam exercere, non per alium, licet tunc ei opera, & ministerio Vicarij vti ad illam exercendam, est enim vnum, & idem Tribunal Episcopi, & Vicarij, & vna, & eadem Iurisdictio, cap. 2. de consuet. lib. 6. sicut Concilium Trid. sess. 24. cap. 6. De reform. concedit facultatem Episcopo absoluendi ab Hæresi occulta in foro conscientiæ duntaxat, & statim declarat id esse permissum Episcopo, non eius Vicario, idem patet sess. 23. cap. 10. De facultate conferendi ordines, & concedēdi literas dimissorias. Dicit autem *à nemine prorsus, præterquam ab Episcopo*, vt excludat Visitatores, & aliquos Archipresbyteros, & Archidiaconos, quibus ex consuetudine competit Iurisdictio ad excommunicandum. Secundo nomine Episcopi censeo Concilium voluisse etiam significare Abbates, & alios Prælatos exemptos à Iurisdictione Episcopi, quibus non videtur esse denegatum, posse has excommunicationes pro rebus deperditis, aut subtractis ferre, & quando Concilium prohibet huiusmodi excommunicationes ferri ab alijs, præterquam ab Episcopis, vult significare alios Prælatos, qui subiecti sunt Iurisdictioni Episcopi. Quare non prohibet, vt Prælatus exemptus, qui habet Iura Episcopalia, & est immediatè subiectus Sedi Apostolicæ, non possit ferre huiusmodi excommunicationes, si hanc Iurisdictionem solitus sit exercere.

Secunda conditio requisita à Concilio est, vt hæ excommunicationes ex re non vulgari, & causa diligen-
A ter, ac magna maturitate per Episcopum examinata proferantur, quare illud debet esse certissimum, vt Victo. in sua sum. in tit. De excom. §. 5. Gerson. 3. par. Tract. de Vita spirituali lect. 4. corol. 6. aiunt esse peccatum concedere excommunicationem pro rebus deperditis, aut subtractis, nisi vrgeat grauis causa, & diligenter per Episcopum discussa, vbi Episcopus adest, vel per illum Prælatum, qui in eo loco iurisdictionem Episcopalem exercet.

Tertia conditio est, vt quoties executio realis, vel personalis potest habere locum, Iudex Ecclesiasticus abstineat tam in procedendo, quam definiendo à Censuris Ecclesiasticis, sed quando executio realis, vel personalis fieri nequit, & Reus persistit in contumacia,
B tunc in subsidium aliorum Iuris remediorum permissum est vti anathematis mucrone aduersus contumaces, Concilium igitur permittit tantum huius gladij spiritualis vsum in subsidium, postquam omnes aliæ viæ tentatæ sunt, sicut prudens, & expertus medicus seruare solet, qui prius omnia alia artis remedia experitur ad curandum vlcus, quę si admota, effectu careant, tunc coactus ad tuendam vitam infirmi, ne pereat, tandem ad membri abscissionem recurrit, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 9. in fi. Couar. pract. quæst. cap. 10. At vbi via executiua procedi nō potest, quia debitor est ignotus, aut fugit, & damnum temporale est graue, concedi potest excommunicatio, præsertim si damnum accidit in rebus Eccle-
C siasticis, S. Tho. in Addit. ad 3. par. q. 21. art. 3. cap. Omnes decimæ 16. q. 7. Nauar. in Manua. c. 17. n. 59. & cap. 21. nu. 32. Concil. Trid. sess. 25. cap. 12. Hæ tres conditiones præscribuntur à Concilio in illo cap. 3. sess. 25. seruandæ omnino in pronunciandis excommunicationibus in finem reuelationis pro rebus deperditis, aut subtractis, & aliæ quoque ibi proponuntur, quæ requiruntur in alijs excommunicationibus, quas enumerat Nauar. in cap. 27. in Manuali nu. 10. sed non pertinent ad præsentem quæstionem.

Illud non est prætereundum, non posse Principem secularem, aut Magistratum prohibere, ne Iudex Ecclesiasticus pronunciet contra aliquem sententiam excommunicationis, si ita iudicauerit expedire, vel vt
D latam excommunicationem reuocet sub prætextu, quod omnes conditiones requisitæ ex decreto Concilij ad illam proferendam non fuerint adhibitæ, cum disertis verbis id ab eodem Concilio in fine eiusdem capitis prohibitum sit his verbis, *Nefas autem sit seculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico Iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet sub prætextu, quod contenta in præsenti decreto non sint obseruata, cum non ad seculares, sed ad Ecclesiasticos, hæc cognitio pertineat*.

Sed difficultas est explicare, quæ indicanda sit res temporalis non vulgaris, vt loquitur Concilium, quæ possit esse legitima causa huius excommunicationis.

E Fuit opinio aliquorum asserentium non posse ferri hanc excommunicationem, nisi supposita aliqua graui culpa in eo, contra quem fertur, & idcirco aiunt, quando Reus tutus est in conscientia non commisisse peccatū mortale ante excommunicationem latā, scilicet non restituendo, vel non reuelando secretū nō incurrere in foro cōscientiæ illam excommunicationē, fundamentum huius opinionis est, quia excommunicatio non fertur, nisi propter peccatum mortale.

Sed hęc propositio potest habere duplicem sensum, alter est verus, nempe hanc excommunicationem non posse contrahi ab aliquo, nisi prius peccatum mortale

le committat ex transgressione ecclesiastici præcepti. Alter sensus esse potest, vt hæc excõmunicatio, non solum antequam incurratur, sed etiam antequã pronunciatur, & feratur, supponat peccatum mortale commissum in receptione, seu retentione rei alienæ, vel in nõ manifestanda veritate occulta, ita vt excõmunicatio ordinetur. vt reus a tali peccato cesset, aut pro illo satisfaciat; Et secundũ hũc sensũ intellecta hæc opinio, nõ videtur vera. Neq. enim necessarium est, vt hæc cẽsura feratur semper ad corrigendũ delictũ antea commissum. Potest .n. Prælatus pręceptũ aliquod imponere sub pœna excõmunicationis ad quãcunq. obligationẽ implendã, etiamsi nulla præcesserit transgressio, sed vt subditi sint obediẽtes legi, & ne transgrediantur legẽ.

Neq. enim necesse est, vt hæc excõmunicatio semper feratur ad hunc finẽ, vt corrigatur delictum prius cõmissum, quam Prælatus præceptũ imposuerit sub poena excommunicationis; Nam licet excommunicatio sit vtilis ad correctionem sceleris commissi, tamen potest ordinari ad quamcunq. obligationẽ implendã sub conditione, vt transgressio non committatur; Et hoc modo excommunicatio regulariter fertur à sacris Canonibus, & potest etiã ferri per præceptũ ab homine.

Id patet, quia excommunicatio ita distinguitur; nã alia est pro futuris culpis, alia pro præteritis cum aliqua relatione ad futurum. Hoc modo Iudex Ecclesiasticus citat aliquem ad comparendum infra certum tempus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, si non comparuerit. Idem seruari potest in alijs rebus, & in his excommunicationibus ad finem reuelandi.

Si obijcias, finis excõmunicationis, quæ ab homine fertur, est correctio fratris iuxta illud Matt. 18. *Si Ecclesiã non audierit, sit tibi tanquã ethnicus, & publicanus*, Correctio autẽ fraterna supponit in proximo peccatũ mortale, ideo dicitur, *Si te audierit, lucratus eris fratrẽ*, Et videtur hoc cõfirmari posse ex c. Romana de sent. excom. lib. 6. Ibi, *Caueant etiã, ne tales sententias excõmunicationis siue specialiter, siue generaliter in aliquos pro futuris culpis, videlicet si tale quid fecerint, vel etiam pro iã cõmissis sub hac forma, si de illis infra tale tẽpus nõ satisfecerint, nisi mora in exhibẽda satisfactione, vel culpa. seu offensa præcesserit &c.* Ergo non præcedente culpa nõ potest Prælatus ferre excõmunic. ad finem correctionis.

Respondeo correctionẽ fraternã non esse adæquatũ finẽ excõmunicationis, sed tunc solũ quando excõmunicatio fertur pro peccata cõmisso, sed etiã ferri potest excõmunicatio, quãuis nullũ præcesserit crimẽ, vt subditi obediãt præcepto Pręlati, & illud nõ transgrediãtur, Et sic proponitur ad cauendã culpã, non ad corrigendã, & id cõfirmãt verba, quæ sequuntur in d. c. Romana, cũ ait, *Aut alia rationabilis, quã in ipsis semẽtijs exprimãt, causa subsit*, Si enim alia causa rationabilis sufficit, etiã si mora, vel culpa nõ præcesserit, ergo simpliciter non est necessariũ, vt culpa præcedat. Et idem videtur confirmari posse ex c. A nobis 2. de sent. excom.

Obijcies secundo nõ posse Prælatum præcipere alicui, vt restituat, satisfaciat. reuelet, nisi supposita obligatione naturali illud faciẽdi; Quare semper ante excõmunicationẽ præcedere debet culpa trãsgressionis.

Respondeo, quod etiã si supponenda esset obligatio faciendi ante pronunciationem excommunicationis, non tamẽ idcirco præcedere deberet culpa, fieri enim potest, vt nondum aduenerit dies, vel occasio soluendi, aut satisfaciendi ad obligationem implendam.

Deinde nõ est sẽper verũ in omni casu supponendã esse naturalem obligationẽ ante excõmunicationem; quia Prælatus potest obligare subditũ ad aliquid agẽ- A dum, si ita expedire iudicauerit, etiamsi ex natura rei nulla oriatur obligatio, opposita pœna excõmunic.

Quamobrẽ nõ est necessariũ, ante prolationẽ censuræ vt pręcesserit culpa, sed tantũ vt existat causa rationabilis, & iusta, ad præcipiẽdũ aliquid sub pœna excõmunicationis, scilicet pro re graui, vt transgressio iudicetur digna excommunicationis poena.

Ex dictis igitur satis constat, posse Prælatos validè, & iustè pro causis temporalibus excommunicationẽ inferre interdum corrigendo crimina, offensiones, & scandala commissa, non simpliciter vt præterita sunt, sed vt aliquo modo habent futuram successionem, & continuationem, vt in posterum tollantur, vel resarciantur. Nonnunquam prohibendo futura crimina, B vt euitentur, & Ecclesiastica obedientia obseruetur.

Hinc sequitur proximam, & immediatam causam excommunicationis, quæ fertur in huiusmodi rebus temporalibus esse contumaciam contra obedientiam Ecclesiastici præcepti, scilicet vt timore excommunicationis ecclesiasticũ præceptum impleatur; Et idcirco proxima causa huius excõmunicationis semper est spiritualis; Nã obedientia ecclesiastici præcepti spirituale bonũ est, & pertinet ad cõmune Ecclesiæ bonũ.

Sed oritur difficultas; An vt præceptũ Pręlati impositũ sub pęna excõmunicationis sit iustũ, debeat referri in spiritualẽ finẽ, vel satis sit, vt referatur incõmodũ temporale, publicũ, aut priuatum alicuius personæ.

Respondendum est, quod licet res, quæ præcipitur à C Prælato, sit tẽporalis, & ordinetur ad tẽporale cõmodũ, finis tamẽ, & ratio, propter quã moueri debet Prælatus ad pręceptũ proponẽdũ sub pęna excõm. necesse est, vt sit spiritualis aliquo modo, & sub aliquo titulo.

Probatur, nã Iudex ecclesiasticus duobus modis potest aliquid pręcipere circa actus tẽporales. Primo modo in materia, in qua sit naturalis obligatio faciendi talẽ actum, vt restituendi, aut soluendi debitũ, & tunc titulus est spiritualis, & subditus faciat quod in cõsciẽtia tenetur, & ita vel recedat, à culpa, vel illã non cõmittat. Secundo modo in materia, quæ intrinsecè non obliget ad talẽ actum, si cessaret præceptũ positiuum Prælati, vt si Prælatus iubeat omnes subditos aliquid debere cõtribuere ad construendã Ecclesiã, ad D subueniendũ alicui Monasterio, vel occurrendũ necessitati alicuius Hospitalis, vel quid simile, & tunc finis est spiritualis, licet enim ipsa contributio sit quid tẽporale; Illã tamen curare, & prouidere est quid spirituale; nã finis est euitare spiritualia dãna, quare huiusmodi præcepta materialiter sunt temporalia, formaliter sunt spiritualia, & possunt, si rei conditio postulet, cõmuniri pœna excommunicationis, siue respiciant crimina, offensiones, & scandala cõmissa, non vt præterita simpliciter, sed vt tractũ successiuum habent, vt in futurum tollantur, siue respiciant solum futura crimina, vt euitentur, & ecclesiastica obedientia seruetur.

Sed hic quærere posset aliquis; An huiusmodi excõmunicationes, quæ ferri solent in his causis tempora- E libus, nempe vt restituatur ablatum, & occultum detegatur &c. possint pronunciari solum generatim, & cõfusè; scilicet contra personas detinentes, & nõ restituentes, scientes, & non reuelantes, aut etiã cõtra personã certã, & nominatã, quando persona cognita est.

Respondendũ est regulariter non esse licitum contra certam personam ferre hoc modo excommunicationẽ, verum, si fieret, teneret excõmunicatio, & id est intelligendum. quando res temporales tractantur inter personas seculares, quæ in his rebus non subiiciuntur directè potestati Ecclesiasticæ; nam si res agatur

inter perfonas ecclefiafticas , & idcirco pertineat ad forum ecclefiafticum, tunc abfq; dubio poterit Iudex Ecclefiafticus vti hoc gladio fpirituali,itá contra certã perfonam, ficut contra incertam etiam in caufa tẽporali, quia Prælatus in fuo foro poteft cogere fuos fubditos pœnis fpiritualibus,& etiam excommunicatione,quando res non poteft alio modo expediri.

Probatur modo vtraq; pars refponfionis, & prima pars ex eo conftare poteft , quia fi debitor laicus certus eft,poteft cóueniri coram fuo Iudice laico, ad quẽ fpectat per fe cognitio caufæ temporalis , ergo non licet ecclefiaftico Iudici fe intromittere,& ad excomm. recurrere, vt habetur in c. Caufam 2. Qui filij fint legitimi , vbi apertè Alex. III. affirmat agere de poffeffione rerũ temporaliũ ad Regem , non ad Pontificem pertinere. Et quia hoc remediũ ceffat, quando perfona eft incerta, quæ occultè retinet bona aliena,nã Iudex fecularis non põt agere cõtra incertam perfonã, ideo vt illud crimen aliqua ratione corrigi poffit recurrendũ eft ad aliud remedium,quod adhibere põt folus Iudex ecclefiaft. fcilicet gladio fpirituali percutere perfonas incertas,& occultas per accidens; quod verũ eft cómuniter,& regulariter, nã aliquando ex aliqua vrgente caufa erit licitũ, etiã fi caufa temporalis coram Iudice laico cognofci poffit recurrere ad ecclefiafticũ,e.g. fi Iudex fecularis nollet remediũ adhibere,neq; accufationẽ eius , qui iniuriam paffus eft, fufcipere,& progredi ad caufæ cognitionem, tunc enim fpectat ad cómune bonum, ad pacẽ,& quietem inter Ciues retinendam,vt Iudex ecclefiafticus poffit illa peccata tanquam publica corrigere.c. Mulieres 2. de iur.iur.in 6. c.Qualiter de Iudi. præfertim quando Iudex fecularis non habet fuperiorẽ, ad quem haberi poffit recurfus. Hæc igitur eft vna caufa, in qua licitũ eft Prælato vti gladio ecclefiaftico,fi Iudex fecularis non vult, vel certè non poteft fuo munere fungi . Alia caufa effe põt, fi perfona fit tantæ dignitatis , vt non habeat fuperiorẽ in tẽporalibus, tunc Prælatus ecclefiafticus poteft cogere per cenfuras ad feruandam iuftitiam,vt docet Innoc. III. in c. Nouit de Iudi. Et hæc fuit perpetua Ecclefiæ cõfuetudo,vt refert Card.Belar.lib.5. de Rom. Pont.c.6.& feq. Et aliæ fimiles poffunt effe caufæ , in quibus licet Iudici Ecclefiaftico fuam auctoritatem interponere;fed in his omnibus magna prudentia , & moderatiò neceffaria eft; nè aliquid fiat præter cõfuetudinẽ Ecclefiæ, & præfcriptũ facrorum Canonũ. Sed licèt hæc prudẽtia nõ adhibeatur, & fine caufa Iudex ecclefiafticus fe intromittat, & excõmunicet, & excõmunicatio fit iniufta,erit tamẽ valida,& ex confequẽti timenda,quoniam non apparet aliquis Canon,quo talis excommunicatio declaretur irrita.

Secundò quæri poteft,fi ab Epifcopo monitorium, feu præceptũ fiat Debitori,vt foluat infra menfem fub pœna excõmunicationis, nõ appofita claufula iuftificante, *Si te fenferis grauatum , infra dictum terminum compareas*; & fic tale præceptum ante caufæ cognitionem, & fententiam condemnationis latam contra eundem debitorem, fit validũ,& obliget ipfum debitorem, vt, fi non paruerit dicto mandato, remaneat excommunicatione alligatus.

Refpondet Bald.in l.1.n.14.C.de re iud.& dicit talẽ excomm. non obligare, quia eft nulla,& ante ipfum Innoc.in c.Propofuit de Conceff. Præb. Nauar.in cap. Cũ contingat, octaua nullit.caufa n.2. de refcript. Et ratio huius dicti eft, quia non licet incipere ab executione, antequam pronuncietur fententia, & reus condemnetur , nifi cum prædicta claufula iuftificante,per

A quam præceptũ executiuum refoluitur in fimplicẽ citationẽ iuxta Glo.fingularẽ in c. Ex part.1. Verf.Si vero dubia de Verb.Sign.Nau.in d.c.Cũ contingat caufa 5. nullit.n.9. Quare vbi deeft hęc claufula,tale mãdatũ neq; habet,vim citationis cõtra eum,qui excufationẽ iuftã habet,Innoc in c.Tua De Cohab.Cler.in h. n.7.& 8.Citatio eft fundamentum totius Iudicij §.fin. Iuftit. De Pœna temerè litigantium c.1. de ca. poffeff. & propriet.& eft de iure naturæ,vt neq; à Principe tolli poffit,Clem.Paftor.§.Cæter.De re iud.quod probat optimè Io.Monac.in Extr.Rem non nouam. De dolo, & Contum. Quare cũ fine fundamento res confiftere nequeat,c.Veniens de Presb.non bapt.c.Cum Paul.1. q.1.Ideo executorium mandatũ fine claufula illa iufti-

B ficante, *Si te fenferis grauatum*,eft nullum,& inutile.

Vnde licèt excomm. hoc trina monitione canonica fit valida regulariter; quamuis iniufta, vt oftendã in lib.3.Difp.3 c.5.Hoc tamen fallit, quãdo illa continetur in monitorio aliquo executorio fine caufæ cognitione , & fine illa claufula iuftificante ; quia tunc ficut monitorium eft nullum,ita quoq.excommunicatio in eo appofita,arg.l.Non dubium C.de legi. & Reg.Acceffurium de Reg.Iur.lib.6.Nau.in dict.c.Cum contingat caufa octaua nullit.n.5.de refcrip.

CAPVT VII.

Explicantur dubia quadam de excommunicationibus latis ad finem foluendi debitum.

C ET primo dubitari poteft,an huiufmodi excõmunicationes femper obligent,fcilicet quando fubditi teneantur parere præcepto Prælati fub pœna excommunicationis præcipientis, vt foluant debita.

Ad hanc difficultatem dicendum eft , quoties quis excufatur à peccato mortali, excufari etiam ab excõmunicatione;quare fi quis rem alterius clã accepit nõ animo recipiendi alienũ, fed recuperandi rem fibi debitã,quam non poterat alia via recuperare,tunc non obftringitur excõmmunicatione,licet eã rem non manifeftet,nec reddat,quia in eo non peccat.Quare præceptum Prælati eft interpretandum contra detinentẽ iniufte. Similiter inuincibilis ignorantia præcepti fuperioris fub pœna excommun. latæ fententiæ, excufat Reũ, fi infra terminũ non fatisfaciat, quia talis igno-

D rantia excufat à culpa . Similiter fi præceptum Superioris , antequã elabatur terminus , protrahatur, vel fufpendatur, non incurritur excõmunicatio poft elapfum terminum,fi non fuerit fecuta folutio; quod contingere poteft,vel ex voluntate Iudicis, vel quia deceſſerit è vita,aut priuatus fit iurifdictione,vel ex voluntate partis , ad cuius inftantiam lata fit excommunicatio ; vel fi ob impotentiam reus non foluat , aut ex alia fimili caufa rationabili, nam eo tempore obligatio reftituendi dormit.

Sed dubitari põt de illis excommunicationibus,quæ folent ferri contra eos , qui vuas furripuerunt ex aliqua vinea,nã tale damnum,licèt integrum, & quoad totam quantitatẽ fit graue,tamen quoad partes,quas

E quifq; furatus eft,leue eft,& non fufficiens ad culpam mortalem conftituendam, vt fi quis ex vinea alterius duos tantũ, aut decẽ racemos vuæ furripuerit (quod non eft nifi veniale) alius fex racemos, & eodẽ modo alii multi,adeo vt paulatim totã vineam vindemiauerint, nec tamen fint criminis conſortes; tunc quia totum damnum eft multũ precio æftimabile poteft effe fufficiens materia excommunicationis , vt reftitutio fiat , & tamen nullus peccauit mortaliter, Nauar.in Manua.c.17.n.130.tenet eos, qui fic accipiẽdo non peccarunt mortaliter, non teneri ad reftitutionẽ,

&

& Couar.in c. Alma mater 1.par.§.9.n.2. illatione 4. ait excōmunicationes generalitce latas cōtra eos, qui furtum commiſerunt, non ligare eos, qui furando ſolum venialiter peccarunt. Quare ex ſententia horum Doctorum excommunicatio lata in caſu propoſito contra eos, qui vuas ſurripuerunt ex vinea, non afficit eos, qui ratione paruitatis materiæ non commiſerunt peccatum mortale, nec illa parua furta ſunt ſufficiens materia excommunicationis ferendæ.

Contraria ſententia eſt communiter recepta, quā ſequitur Maior in 4.diſt. 15.q. 25.& 26.Med.C.de reſt. q.8.& 10.quos ſequitur Couar.lib.1.var.reſol.c.3.nu. 12. idē tenet Sot.in 4.diſt.22.q.1.ar.2. & lib.4. de iuſt. & iur.q.7.ar.3. Corduba in Summa caſuum q.70.caſu 9.quorū opinio eſt probabilior. Quamobrem reſpondet Sotus, quod quamuis ſurripere vuam reſpectu ſingulorum non fuerit peccatū mortale, tamen quia pro toto damno excommunicatio fuit iuſta, ſinguli tenentur ſub peccato mortali id, quod acceperunt, reſtituere, niſi ſit adeo paruum, vt pro nihilo reputetur; Quo in loco Sot.non immerito digreditur contra abuſum illorum Iudicum, qui hoc lethali gladio perperā vtuntur, & pro qualibet re leuiſſima hac acerrima excommunicationis cenſura paſſim homines innodare non ceſſant, Quod optimè, & prudenter animaduertit Sot.

Reſponſio tamen tradita ab ipſo ad arg. indiget clariori explicatione; Dicendum eſt igitur, quando plures furantur ſummam aliquā pecuniæ, & tamen quiſq. aufert ſolū e.g.obolū, ſimiliter quādo plures diripiunt eandem vineam, & tamen quiſq. accipit vnum tantum racemū, vt inquit Sotus, vel tres, ſi illi plures ſimul conueniunt ad furandū inito conſilio, ac cōmuni cōſenſu, tunc ſinguli mortaliter peccant, quamuis quiſq. partē minimam auferat; nam peccatum mortale non eſt cōmiſſum ea ratione, quod quis partem minimam abſtulerit, ſed quod ſimul cum alijs conuenerit, & omnes ſimul partē notabilem ſurripuerint; nam eo ipſo graue damnū Domino attulerunt; Vnde iuſtiſſime hoc caſu poteſt ferri excommunicatio contra eos, qui nō reſtituerint, & excommunicatio afficit omnes, & ſingulos, niſi reſtituant. Ex quo ſequitur, vt ſinguli debeant reſtituere inſolidum totum damnum, quod eſt illatum, ideſt quiſque, ſi cæteri nolint, vel nō poſſint reſtituere, debet totum reſtituere. Si tamen ſinguli cōueniunt ad reſtituendum, ſinguli tenentur pro ſuis portionibus, & id locum habet, quādo mutuo ſeſe incitarunt ad furādum, aut omnes tanquā ſocij facti audaciores ſunt, & firmiores in delicto, ſi tamen nullus alium incitauit ad furtum, nec ex hoc, quod alij fuerūt ſocij, factus eſt audacior, & firmior in furando, tunc licet excommunicatio lata, iuſtiſſima ſit, & eſficiat omnes, tamē ſinguli euadunt pœnam excommunicationis, ſi reſtituerint pro ſuis portionibus, quia nullus cooperatus eſt cum alio in furto, ſed caſu conuenerunt in idem furtum, ſi vero non omnes ſimul conuenerunt ad furtum ex cōmuni conſenſu, ſed quiſq. ſeorſum, & per interualla tēporum minimam partem abſtulit, tūc quamuis in auferendo minimam partem mortaliter non peccauerint, tamen quiſq. ſimul, ac nouit notabile damnū eſſe Domino illatū, eo quod multi per interualla tēporum partes minimas abſtulerint, ſi non reſtituit, quod abſtulit, peccat mortaliter, & conſequenter incurrit in excōmmunicationē latā contra nō reſtituentes; Et ratio eſt, quia ſicut mortaliter peccant plures, quando conueniunt ad furandum, etiamſi quiſq. minutatim furetur, ſic plures mortaliter peccant, quando conueniunt in retinenda re aliena, etiamſi vnuſquiſq. mini-

A mā partē retineat; Et hæc eſt vera ſolutio argumenti.

Secundo dubitari poteſt de illis, qui detinent rem alterius, vel clam ſurripiunt titulo compenſationis; an ſemper ſint liberi ab excommunicatione lata à Prælato contra eos, qui non reſtituunt, ſi ceſſant, à reſtitutione, quia aliter non poſſunt conſequi, quod ſuū eſt.

Reſpondēdum eſt, conſideranda eſſe verba ſententiæ excommunicationis, ex quibus colligenda eſt voluntas Iudicis ſententiam proferentis; Nam poteſt ſententia ferri contra eos, qui cōmiſerunt verū furtū, & contra eos, qui commiſerunt aliquid, quod habet rationem furti, & appellatur furtum ſimilitudinariū; nam quāuis ſit contrectatio rei alienæ cōtra voluntatē Domini, non tamen eſt contra diſpoſitionē legis ſer- B uatis quibuſdā conditionibus, quæ communiter ſolent aſsignari, ſi excommunicatio pronūcietur contra eos qui verū furtum commiſerunt, poterit creditor loco debiti tantundē de bonis debitoris clam abſq. peccato, & abſq. debito reſtituendi retinere, etiā poſt latam excommunicationē, ſi ſimpliciter pronunciata eſt contra eos, qui verū furtum commiſerunt, qui ſcilicet furati ſint aliquod alias indebitū; Si vero excommunicatio generaliter pronuncietur contra omnes, qui rē alterius quomodolibet ſuſtulerint, tunc ſi res eſſet ablata per viā recompenſationis, & debitū non eſſet liquidū, & certū, iuſte poſſent per cenſurā compelli ablata reſtituere, & eo caſu, qui propria auctoritate retinet aliena, quando creditū non eſt clarū, vel ſi liquidū eſt, C poteſt abſq. incommodo notabili per viā iudicij illud recuperare, incidit in excommunicationē, quia tunc tenetur ſententiæ Iudicis parere, & reſtituere acceptū; Nam quamuis ante Iudicis præceptum in conſcientia ablatum reſtituere non tenebatur, poſt ſententiā latā tenetur. Sed quo pacto cognoſci poterit, an Iudex voluerit præcipere reſtitutionē furti veri, vel ſimilitudinarij, id colligendum erit ex verbis ſententiæ Iudicis; Aliquando fertur mandatum in hunc modū, Omnes, qui per furtum deprauato animo aliena ſurripiunt, nō timentes Deum &c. & tunc tēporis ſententia eſt de vero furto interpretanda, non de ſimilitudinario, quod ſæpe licitum eſſe conſtat, & abſq. conſcientiæ præiudicio admittitur. Nonnunquā tale præceptum concipi- D tur alijs verbis, nempe contra eos, qui clam aliena ceperunt quocunque titulo, & ex quacunque cauſa retineant, & tunc extēditur ad furtum ſimilitudinarium, quod retinetur in compenſationem debiti.

Communis tamen ſententia Doctorum tenet, quod quāuis ſententia feratur contra eos, qui aliena in compenſationē acceperunt, non tamen comprehendat caſum, quo concurrunt omnes conditiones requiſitæ ad hoc, vt talis ablatio ſit permiſſa, ſcilicet primo quod debitum ſit liquidū, ſecundo quod creditor non poſſit debitū via Iudicij, vel alio modo repetere ſine notabili ſua iactura, tertio quod veriſimiliter inde ſequi non poſſit infamia, vel ſcandalū, quarto quod non accipiatur aliquid vltra debitū; His enim conditionibus exi- E ſtentibus, quoniam res redacta eſt ad æqualitatē, idq. abſque culpa ipſius creditoris, iniuſtum videretur innocentem re ſua, aut ſibi debita, inuitum priuare, qualiter per præfatam ſententiā priuaretur, ſi in conſcientia obligaret. Confirmatur, quia vel præfata ſententia iubet rem ablatam priori poſſeſſori reſtitui per viam reſtitutionis, aut per viam punitionis ob culpam commiſſam, ſurripiendo rē propria auctoritate. Primum non eſt dandum, quia re ad æqualitatē redacta reſtitutio locum non habet, etiam ſi in huiuſmodi reductione nonnulla culpa interuenerit. Secundum

A etiam non est admittendum, quia in hoc casu culpa non intercedit, & propterea non est innocenti poena imponenda. Deinde etiam si Iudex sub censura præciperet expresse, vt qui per viam recompensationis alienũ accepit, illud redderet hac intentione, vt priore possessore in suam possessionem restituto creditor audiretur, & eidem iustitia ministraretur, adhuc, si non speraret creditor posse recuperare suum, sententia esset iniusta, & contineret errorem, & idcirco non teneretur illi parere; Si vero non posset dubitare de iustitia, teneretur ad restitutionem rei ablatæ, propterea tutius esset in his casibus accedere ad Superiorẽ, & rem illi plene aperire ad perquirendam eius sententiam, vt sciri posset, quid agendũ. Ita sentiunt Caiet. B 2.2.q.66.ar.3. Silu. Ver. Furtum n. 12. & 13. & V. Bellũ 1. §.9. & Bellũ 2. §.8. Alex. Alens. 4. par. q. 86. mem. 3. ar. 1. Sot. de iust. & iur. lib. 5. q. 3. ar. 3. Nauar. in Manuã. c. 17. n. 112. & 113. & c. 25. n. 45. & c. 27. n. 14. & 15 Med. in C. de reb. rest. q. 11. Cordu. in sũm. q. 295. ar. 2.

Tertio dubitatur, an si excõmunicatus fuerit reus, qui vigore obligationis in forma Cameræ vltro, citroque obligatoriæ promisit soluere actori, talis excommunicatio sit iusta, & valida, si non constiterit antea Iudici, Actorem pro parte sua adimpleuisse.

Respondeo talem sententiam excommunicationis non solum esse iniustam, sed nullam; nam Actor, qui vult agere ex obligatione correspectiua, debet docere prius adimpleuisse, quod tenebatur ex parte sua, l. cum C personas 2. Cod. de pact. Veral. decis. 127.

Quarto dubitari potest de excommunicationibus, quæ sunt in vsu in Vrbe, & solent pronunciari per Auditorem Cameræ contra eos, qui promiserunt soluere per stipulationem, cum obligatione in forma Cameræ Apostolicæ, infra certum tempus, an elapso termino huiusmodi debitores incurrant excommunicationem, & possint declarari excommunicati, etiam si ex impotentia tempore statuto soluere non potuerint.

Respondeo talẽ debitorem, qui intra terminũ assignatũ non soluit ex impotentia, non incurrere excommunicationem in conscientia, & foro interiori; Ratio est, quia promissio illa, qua se obligauit etiã in forma Cameræ de soluendo statuto tẽpore, subijciendo etiã D seipsum excommunicationi ipso facto incurrendæ, sẽper est intelligenda cũ illa conditione, si eo tẽpore sit soluendo, idest si spontè, & volũtariè omittat solutionẽ, ideo si cesset soluere, quia non potest, nõ est contumax, & propterea excõmunicatio lata non valet; nam actio creditoris, vt inquit Med. in C. de rebus restit. q. 3. in princ. inanis est, quã inopia debitoris excludit, l. nam is ff. de dolo malo. Quare si tunc non potest restituere, & obedire mandato Iudicis, non incurrit excõmunicationẽ, quia ad impossibile nemo tenetur, dicit tamen Sot. in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. quod in hoc casu cauenda est fraus, si enim non potest restituere in totũ tenetur reddere eam partem, quam potest, etiam cũ aliqua iactura sui status; nã non licet bonis alienis per E iniuriam sublatis, honorem, & æstimationem proprij status seruare, & si ad pinguiorẽ fortunam venerit, tenetur omnia restituere. aliter innodatur excommunicatione; Nam ex ipsa iniusta rei alienæ occupatione, orta fuit obligatio tantundem restituẽdi, quæ obligatio superueniente extrema necessitate sopita fuit, non extincta, ideo tali necessitate cessante, reuiuiscit prior obligatio, & ita debet, quod cõsumpsit restituere, nisi rationabiliter, & non temere præsumi posset, quod Dominus rei, si occupantis indigentiam agnosceret, & sciret, quod rem illã consumpsisset, constitutus in ma-A xima necessitate, liberaliter donaret; Tũc enim, vt inquit Med. non teneretur restituere, nec propterea incurreret excommunicationem, secus si verisimiliter præsumeret oppositum. Verum, si quando lata fuit excommunicatio, diues erat, & commodè restituere poterat, & non restituit, manet excommunicatus, quamuis postea deuenerit ad inopiam, & egestatem.

Verum difficultas est, quo pacto hæc regula locum habeat in foro exteriori; Qua in re animaduertẽdum est, duobus modis posse aliquẽ obligari in forma Cameræ. Primo personaliter per proprium consensũ, secundo per procuratorem atq. adeo per voluntatẽ alterius, non propriã, nisi remotè, quatenus alteri cõcessit facultatẽ se obligandi. Quando obligatio fit priori B modo, quia iam satis constat debitori de obligatione assumpta sub tali onere, & per ipsam obligationẽ assidue admonetur, vt termino adueniente, vel saltẽ intra mensem post terminũ assignatũ, vt Praxis seruat, debitum soluere debeat, ideo si nõ soluerit statuto tempore, incurrit excõmunicationem ipso facto, & potest statim per Iudicem declarari excõmunicatus, etiamsi absens sit, quia ex obligatione præcedẽte, & solutione infra terminũ non probata, constat in foro exteriori debitorẽ incidisse in excõmunicationẽ. Et quãuis possit habere legitimam excusationem, ratione cuius re vera non sit innodatus excommunicatione, quamuis solutio suo tempore secuta non fuerit, tamen quia talis excusatio non fuit adducta in foro exteriori per ip-C sum reum, & alioqui constat de sua obligatione, & nõ solutione infra terminum assignatum, si in Vrbe corã quocunq. Tribunali fuerit citatus, elapso termino solutionis, & citationis, iuste in foro exteriori potest declarari excommunicatus, & tenebitur in eodem foro abstinere à die præsumptæ contumaciæ; Immo si non statim à principio declaretur excõmunicatus, sed antea Iudex mandet, vt debitor personaliter citetur, & illi innotescat excômunicatio, & durante contumacia postea declaretur excõmunicatus, tamẽ declaratio excõmunicationis quasi retrotrahitur, idest declaratur excommunicatus à die, quo fuit in mora, nõ soluendo.

Si vero obligatio fuit facta per Procuratorẽ, nomine sui principalis, tunc donec talis obligatio innotue-D rit principali, & fuerit illi intimata, non potest incurrere excõmunicationẽ, neq. etiã in foro exteriori, pro excõmunicato reputabitur, antequã probatum fuerit habuisse notitiã obligationis; Quia cõsensus præstitus per Procuratorẽ nõ est sufficiens monitio, quæ necessario præmitti debet ante excõmunicationẽ; Illa enim debet esse personalis, vt ostẽdã in Disp. 3. Cap. 2. Quare qui scientiã non habuit consensus præstiti per Procuratorem in obligatione, nõ potest dici contumax, si non soluat suo tempore, & ex cõsequenti non incurrit excommunicationem; Ideo consensus ille Procuratoris præcisè non sufficit, vt principalis suus incurrat excommunicationem; Hæc est doctrina communis. De qua latius dicam in Cap. 2. Disp. 3.

E Ex qua obtinuit vim, vsus in Rom. Curia, vt si quis personaliter cõsentiat reseruationi pẽsionis super beneficio, & promittat illã statutis tẽporibus soluere sub poena excõmunicationis ipso facto incurrẽdæ, & durãte termino iuxta formã obligationis nõ soluerit, incurrere eo ipso excõmunicationẽ, etiãsi literæ, quibus pẽsio cõstituitur, nõdũ fuerint eidẽ ostensæ, & intimatæ, minimè tamẽ dicta excõmunicatione affici ante intimationẽ literarũ, si per Procuratorẽ pensioni cõsenserit. Ita tenet expresse Cassad. decis. 2. in tit. de Pens. & decis. 12. in titul. de Rescript. quem sequuntur

Gig.

Gig.in Tractat.de Penf.q.77.num. 20. & q.84.num.2. Nauar.in Manual. cap.23.nu.104. & cap. 27. nu.274. Couar.in c. Alma Mater §.10.nu.7. Verf. Præter hæc in fin.In eandem fententiam citantur Antonius Maffa de obligat.in for.Cam.pag.136. Vbi tradit ordinem, qui feruari folet in Iudicio,& Mando.fuper Reg.Cancell.Reg.27.q.7.num.4.Qui licet fimpliciter affirment in his cafibus incurri excommunicationem, ftatim ac debitor eft in mora foluendi poft fufficientem confenfum, vel notificationem literarum, non afferunt tamen debitorem non poffe excufari in confcientia propter impotentiam,quamuis in ordine ad forum exterius neceffe fit,vt huiufmodi impotentia fufficienter probetur, qua probata coram Iudice competenti vel abfoluendus erit in eodem foro, vel declarandum erit nô incidiffe in excommunicationem iuxta diuerfas expofitiones c. Odoardus de folut. vbi Abb.nu.9. propendit magis, vt huiufmodi excômunicatio cû fit notoriè iniufta, fit etiã nulla, ideo non indigeat abfolutione,fed declaratione; Immò apud Gig.in d. q.77. n.10.ad addit.Margin.dubitatur de decifione Caffadori,quia videatur nimis dura,& rigorofa; Nam licet quis perfonaliter côfenferit penfionis referuationi,tamen certum eft contra eum agi non poffe, nifi litteris expeditis; Eft enim Regula Cancellariæ,quod iudicari non debet iuxta formam fupplicationis, fed litterarû expeditarum, fed ille,qui confenfit folutioni penfiunis, certus effe non poteft, quod litteræ fuerint expeditæ, nifi poftquam ei intimatæ fuerint; Quare res non caret omni difficultate.

Et idcirco ad moderandû hunc rigorem, & ad tollendum omne periculum, ne quis fine culpa in aliquo cafu habeatur pro excommunicato, vfu feruari folet, vt elapfo termino ad penfionem, aut debitum foluendû, defignato in dicta obligatione in formâ Cameræ, excommunicatio non cenfeatur incurfa,donec Creditor declaret fe velle,vt debitor illam incurrat; Quod fi antequã id declaret,vel ipfe, vel debitor moriatur, vel foluatur penfio,vel fiat concordia,nunquã incurritur, & hic eft ftilus,qui feruatur in Curia, vt Nauar. in Manua.c.23.n.104.tradit ex Caffad. Et licet multa poffent adduci ad impugnãdam dictû ftilum, quæ proponuntur à Gig.in dicta q.77.n.1.& feq.& quamuis etiã hic mos non videatur iuri conueniens, quia excômunicatio lata ad têpus, vel fub conditione termino adueniente,vel conditione impleta non poteft manere fufpenfa,& pendens, vt dicitur in c. Ad hæc quoniã de Appella.nam ftatim ligat,c.Præterea 2.de Appell.Tamen hic vfus in penfionibus, iã longo temporis fpatio præfcriptus viget; & feruatur in Curia abfq. contradictione,Papa fciente, & permittente. Illa autem voluntas Creditoris,qua declarat velle Debiturê incurrere excômunicationem,non fatis eft, vt fit priuata, fed vt per decretum Iudicis fit intimata debitori, vt inquit Caffad.ex ftilo eiufdem Curiæ, cuius illa ratio affignari poteft, quia excommunicatio lata fit ad inftãtiam Creditoris, donec ipfe cum illo rigore defcripto in obligatione, petat penfionem, aut aliud debitû, cenfetur dilationem permittere, nec Iudex intendit, nifi iuxta illius voluntatem excommunicationê pronunciare, ideo conuenit, vt hæc voluntas Creditoris intimetur Debitori iuridicè; Tunc autem fi Creditor probabiliter certus fit de impotêtia debitoris ad foluendum, non poteft ex iuftitia velle, vt ille incurrat excommunicationem,& fi id velit,tamen in confcientia excommunicatio nulla erit.

Vnum addit Nauar.in dicto cap.23.n.104. Quod fi

A creditor poft menfem, vel annum declaret, ficut diximus,fe velle debitorem non foluentem innodari excommunicatione. tunc haberi pro excommunicato à primo die termini elapfi, fi perfonaliter præftitit confenfum penfioni.

Hoc tamen dictum videtur valdè ambiguum, & nô admittendum.

Tandem talis debitor ante declarationem creditoris admittitur ad receptionem facramentorum, ad fuffragia Ecclefiæ, ad communionem fidelium, ergo non poteft poftea his bonis fpiritualibus iam habitis per declarationem creditoris priuari. Qua ratione excommunicatio, quoad eius effectus vel ftatim ligat vel nullum infert damnum.

B Ratio eft, quia vel debitor re vera excommunicationem contraxit ab initio poft elapfum terminum, & hoc non poteft dici, fi affirmemus, ficut dictum eft, neceffariã effe declarationem creditoris, & fupponimus creditorem antea non declaraffe voluntatem fuam; Quod fi ab initio non fuit excommunicatus, ergo declaratio poftea fecuta non retrotrahitur ad diem termini iam elapfi, quia declaret rem falfam, nempe fuiffe excommunicatum eo tempore, quo vere non erat,vnde rectè animaduertit Couar. in c. Alma mater 1.par.§.10.nu.6. In cenfuris non effe locum fictionibus, fed femper attendendam effe veritatem, Archid.cap.vni.de Voto lib.6. quem fequitur Abb. c. Confuluit de Iur.Patro. Textus eft in c. Licet de fent.

C excom.lib.6. Deinde æquum non eft, vt debitor iudicetur excommunicatus eo tempore, quo nondum iam contumaciam commifit, quæ ad excommunicationê contrahendam neceffaria erat fcilicet, vt effet in mora foluendi poft declarationem ipfius creditoris.

Hinc fequitur, quod fi talis debitor fit facerdos, & celebrauerit illo têpore ante declarationê, non iudicabitur irregularis, nec priuabitur beneficijs etiã in foro exteriori, quãuis ad euitandû fcandalum debeat abftinere ab exterioribus actionibus publice corã alijs, quãdo nô côftat publicè de legitima excufatione.

Propter eandem rationem, fi plures fint debitores, vel fideiuffores obligati pro debitore eodem modo,& creditor vnum excipiat,eumq. admoneat, nolle ipfum

D comprehendi; quamuis litteræ generaliter promulgentur, talis exemptus non erit obftrictus excommunicatione, nec in foro interiori, nec exteriori.

Illud dubium effe poteft, quod confiderauit etiam Nauar.in Manua c.27.n.15. Vtrum ficut excômunicatio nô incurritur per Penfionarium elapfo termino folutionis,nifi poftquam ille,cui debetur penfio declarauerit voluntatem fuam, ita pari ratione poffit idê prorogare terminum folutionis fine confenfu Iudicis, vt fi lata erat excommunicatio, nifi infra menfem folueret, poffit pars prorogare ad duos menfes, quibus elapfis excommunicatio incurratur, fi non foluerit.

Aliqui dicunt non competere hanc facultatê parti abfq.confenfu Iudicis, hãc opinionem tenet probabi-

E liorê Innoc.c.Præterea 2.de appell. Idem afferit Silue. Excommunicatio 2.§.1.cafu 13.& Nauar.loco citato Quia licet excommunicatio lata ad inftantiam partis non incurratur fine confenfu ipfius, & poffit tolli ab ipfa parte, non tamen poteft fufpendi, neque differri, aut mutari, vt femel fublata iterum incurratur; Id enim pertinet ad iurifdictionê, quã ipfa pars nô habet.

Abb.tamen in eodem c.Præterea n.4. qui citat Innocen. oppofitû docet,& Dec.ibidê.Et hanc opinionê dicit effe probabiliorê, Tolet.in Sum.Cafuû lib.1.c.9.

Et idem ego exiftimo, quoniã non videtur magis

actus Iurisdictionis prorogare terminum solutionis, quàm facere, vt elapso termino debitor non incurrat excommunicationem, si igitur Creditor potest hoc secundum, ergo & primum; Et ratio est, quia iurisdictio est quidem necessaria in proroganda, vel suspendenda, vel mutanda excômunicatione, sed quando excommunicatio lata est ad instantiam partis; Iudex profert excommunicationem dependentem ab ipsius partis voluntate, consensus enim Indicis requisiti non excedit intentionem ipsius requirentis; Quare sicut absque conseosu Iudicis poterit adueniente termino creditor suspendere excommunicationem, vt non incurratur per debitorem, si non declaret consensum suum, ità poterit prorogare terminum, est enim eadem ratio.

Sed circa ea, quæ dicta sunt de impotentia soluendi, remanent aliquę difficultates dissolnendæ. Prima oritur ex cap. Odoatdus De Solut. vbi statutum est Clericum, qui ob inopiam soluere non potest sua debita, non debere excommunicari, præstita cautione de soluendo, cum venerit ad pinguiorem fortunam. Modo dubitari potest, si Clericus promiserit se soluturuoi sub obligatione in forma Caoieræ, & ex consequenti renunciauerit huic fauori Iuris communis, possit excommunicari, si obtineat beneficium, & valeat cum aliquo sui incommodo, & molestia ex fructibus illius suluere, & nolit, quia vult retinere decentiam pristioam sui gradus, & status.

Respondendum est in primis non esse dubitandum, quod si adsit impotentia simpliciter debitotis ad soluendum, non potest excommunicari, & si excommunicetur, non erit valida excommunicatio, tunc enim cessat contumacia etiam stante illa renunciatione, quia impotentia soluendi eximit ab omni culpa, & tollit, vel suspendit obligationem restituendi, Couar super Reg. Peccatũ De Reg. Iur. lib. 6. Card. post Glo. in Clem. 2. §. 1. De Hæret.

Dicendum est secundo, quod duplex potest esse Impotentia in debitore; Altera simpliciter, & absoluta; Altera moralis. Impotentia simpliciter absq. dubio semper excusat à culpa non obstante quacunq. obligatione etiam sub forma Cameræ, & ex consequenti ab excommunicatione vt dixit Impotentia moralis licet per se suspendant obligationem naturalem restituendi, tamen si quis renunciauit huic impotentiæ, quæ interuenit, vbi quis posset quidem soluere simpliciter, sed cum diminutione sui status, & gradus, & in hoc casu talis impotentia non videtur posse excusare à culpa, nec à censura, quia talis impotentia non includit absolutum defectum potestatis ad solneodum, sed adiungit solum difficultatem moralem, ad quam superandam potest quis proprio conseosu se obligare, maximè si sit talis impotentia moralis, quæ non afferat grauem infamiam, aut indecentiam status, vel simile nocumentum; Posset tamen talis debitor deueniens ad hanc impotẽtiam moralem accedere ad Auditorem Cameræ supposita tali obligatione, vt vellet illi, ex fructibus beneficij assignare congruam sustentationem ad decentiam gradus Clericalis, cæteris fructibus beneficij assignatis Creditoribus. Sed ad euitanda hæc incommoda, solent tales debitores impetrare priuilegium à Papa, vt non obstante quacunq. obligatione Camerali, possint coram quocunq. Ordinario vti priuilegio dicti cap. Odoardus.

Secunda difficultas de eadem impotentia est, si Iudex præcipiat, vt quis soluat infra mensem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & propter impo-

A tentiam excusetur à culpa, & excommunicatione; An si postea euaserit ditior, & possit commodè soluere, si cesset à solutione, sit reus peccati, & obstrictus maneat vinculo excommunicationis.

Respondeo Debitorem in huiusmodi casu, si deuenerit ad pinguiorem fortunam, & non soluerit debitum, committere peccatum transgressionis contra præceptum Superioris, & incurrere eo ipso excommunicationem, vt patet ex dicto cap. Odoardus, & ratio est, quoniam tempus assignatum io præcepto, non est ad finiendam, & terminandam obligationem, sed ad differendam executionem præcepti dicto tempore durante, ideo ex quacunq. causa etiam rationabili excusetur debitor ab obligatione soluendi, non id-
B circo extinguitur obligatio, sed remanet, vt semper teneatur debitor, quando potest, non differre solutionem ad euitandam culpam, & censuram.

Tertia difficultas esse potest, An si debitor reddatur inops, & ex consequenti efficiatur impotens ad soluendum, non casu, & ex accidenti, sed voluntariè, vel ex sua prauitate, & vitio, vel saltem ex negligentia, incurrat excommunicationem, vel potius excusetur ex huiusmodi impotentia.

Respondeo talem impotentiam non excusare ab excommunicatione, puta Debitor obligatus in forma Cameræ ad soluendum infra mensem, potens est initio mensis ad soluendum, sed interim omnia dilapidat, vel ludendo, vel viuendo dissolutè, & turpiter, redditur
C inops, vt satisfacere nequeat durante mense, non propterea excusatur ratione impotentiæ ab excommunicatione, quia culpa sua reddit se contumacem contra præceptum Superioris, sicut, qui proiicit Breuiarium in mare voluntariè, peccat, si postea non recitet horas canonicas, quia culpa sua reddit se impotentem. Sed animaduertendum est in hoc casu non incurri excommunicationem eo tempore, quo committitur peccatum, quia debitor peccat, quando voluntariè reddit se impotentem ad soluendum; Excommunicationem autem incurrit, quando completo termino non soluit iuxta formam obligationis, tunc enim transgreditur præceptum Superioris, nisi per ipsum maoifestata tali impotentia, cuius ipse causa fuit vo-
D luntaria, & culpabilis, & oblata idonea fideiussione de soluendo, vel alio modo possibili satisfaciẽdo obligationi suæ postulet ab ipso Iudice, vt Censuram excommunicationis suspendat, & id non poterit Iudex denegare, si videat debitorem peccati sui pœnitentem à contumacia recessisse, sicut in simili casu non liceret denegare absolutionem excommunicato, sed erit iniungenda conueniens pœnitentia pro peccato commisso, quod dedit causam impotentiæ.

CAPVT VIII.

Vbi declarantur dubia quædam de excommunicationibus latis ad finem reuelandi secretum, denunciandi crimen occultum, aut manifestandi scripturas.

E

CONtrouersia est, si Prælatus præcipiat sub pœna excommunicationis, vt quicunque habuerit scripturas ad aliorum Iura spectantes, teneatur illas restituere, vel denunciare, si sciat illarum Occupatorem; An qui scripturas illas habent, & non restituunt, excommunicationis gladio iugulẽtur; Et idem est de præcepto reuelandi secretum, aut denunciandi crimen occultum.

Vt clarius declaretur, quo pacto gerere se debeat quisque in casibus particularibus, qui frequenter accidere

cidere ſolent, quando pronunciantur huiuſmodi excommunicationes, proponendæ ſunt quædam regulæ valdè probabiles, & certæ, ad quas recurrendum eſt.

Prima regula erit, quoties excommunicatio fertur ad finem manifeſtandi veritatem, vel prodendi ſcripturam in caſu, quo ante excommunicationem tenebatur quis vel Iure naturæ, vel alio quocunque titulo ad illam veritatem, aut ſcripturam prodendam, talis excommunicatio obligat.

Ratio eſt, quia cum in hoc caſu teneatur quis ad manifeſtandam veritatem, ſi ceſſet, peccat grauiter, ideo per publicam, aut ſecretam monitionem compelli poteſt ſub pœna excommunicationis ad id faciendum, vt peccatum fugiat.

Poſſunt in hoc genere nonnulla adduci exempla. Vt ſi quis propter commune bonum teneatur occultum hæreticum, aut ſimilem hominem facinoroſum, Reipub. hoſtem, & rebellem denunciare ſuperiori, ſi aliquid huiuſmodi ſub excommunicatione latæ ſententiæ infra certum tempus præcipiatur, talis excommunicatio ligat illum, qui intra præſcriptum tempus non paret. Similiter ſi quis habeat ſcripturam alienam, in qua ſcilicet non ſolum agitur de alieno iure, & titulo, ſed etiam cuius dominium vel vſus ad alium ſpectat, & huic ſub pœna excommunicationis mandatum ſit, vt ſcripturam prodat, vtiquè tenetur illam tradere, alias incurrit excommunicationem, quoniam etiam ſublata excommunicatione debet illam reddere Domino ſuo ex præcepto iuſtitiæ, eodem modo dicendum eſt in ſimilibus caſibus.

Sed in huiuſmodi excommunicationibus pronunciandis, quando cauſa, propter quam fertur excommunicatio, merè temporalis eſt, & agitur inter perſonas ſeculares, ſeruandæ ſunt conditiones ſuperius explicatæ, nempè vt res ſit non vulgaris, ſed grauis, vt neceſſitas vrgeat, quia nullum aliud medium adſit ad conſequendam ſcripturam occultam, aut ad habendam notitiam criminis occulti, vel ſi alia extant remedia, quod illis adhibitis, & tentatis, nihil effectum ſit.

Dicet quis, nemo tenetur ante præceptum Iudicis ferre teſtimonium in aliena cauſa, ergo neque tenetur tradere ſcripturam, videtur enim eadem ratio.

Reſpondeo negando conſequentiam, Eſt enim differentia inter ſcripturam, & teſtimonium, nam ſcriptura eſt res exterior, & permanens, quæ poteſt cadere ſub dominium alterius, & ideo abſque alio præcepto Iudicis iuſtitia obligat, vt Domino reddatur. Teſtimonium conſiſtit ſolum in actione propria, vnde non poteſt ad alterum pertinere, niſi quando actu fertur. Propterea iuſtitia non obligat ex ſe ad illud ferendum, licet aliquando poſſit quis obligari ex charitate ad teſtimonium ferendum, vt dicetur paulo poſt.

Secunda Regula erit, quando excommunicatio fertur ad finem manifeſtandi veritatem, aut prodendi ſcripturam in caſu, quo ante excommunicationem latam non tenebatur quis aliquo titulo iuſtitiæ, ad veritatem manifeſtandam, ſi res eſt eius generis, vt Prælatus poſſit iuſtè id præcipere, tunc ſi adiungatur præcepto excommunicatio, talis excommunicatio erit valida.

Hæc regula videtur etiam certa, quoniam Prælatus non tantum poteſt excommunicationem pronunciare ad corroborandam antiquam obligationem naturalem, & ſic ad corrigendum peccatum commiſſum, in quo caſu locum habet prima Regula, ſed etiã

A ad inducendam nouam obligationem, vt quis non committat peccatum, & hoc modo intelligenda eſt ſecunda regula, nam pertinet ad officium Prælati, ſi videat expedire bono communi, & iuſtitiæ ſeruandæ, præcipere ſubdito, vel nominatim, vel generaliter omnibus, vt manifeſtent veritatem, reuelent ſcripturas, vt veritas eluceſcat etiam in his caſibus, in quibus ſubditi ceſſante præcepto ſuperioris non eſſent obligati, ſicut patet à ſimili de Teſtibus, ſæpè aliquis non vocatus, neque interrogatus non tenetur teſtimoniũ ſuum ad Iudicem ferre, At poſtquam Iudex aliquem vocat, & iuridicè interrogat, reſpondere tenetur, & teſtimonium dicere, quia præceptum eſt iuſtum, & obligationem inducit, quamuis antea, nulla interce-

B deret obligatio, & eadem eſt ratio de præcepto promulgandi ſcripturam, quamuis ſcriptura propria ſit illius, qui eam retinet, quia teſtimonium etiam eſt proprium, & tamẽ ſuperior poteſt obligare ſubditum ad illud ferendum, ergo idem eſt de ſcriptura; neque enim ob hanc cauſam Dominus amittit dominium, aut vſum ſcripturæ, neque patitur graue incommodum, ſi exhibeat ſcripturam.

Vt autem liceat ſcire, quando Prælatus præcipiat reuelationem ſcripturæ, aut occulti criminis ſub pœna excommunicationis ad confirmandam antiquam obligationem ad præſcriptum primæ regulæ, vel ad imponendam nouam obligationem, vt inquit ſecunda regula, Animaduertendum eſt, An Edicta, quæ ſolent

C promulgari continentia has excommunicationes, (& vocãtur Paulinæ, quia hic mos increbuit à Paulo III.) quibus mandatur per viam inquiſitionis, vt occulta inſtrumenta, vel ſcripturæ manifeſtentur, concedantur ad petitionem, & inſtantiam partis, an verò ſimul in punitionem publicam detentoris.

Deinde conſiderandum eſt, quibus verbis proponatur excommunicatio, vt ſi dicat Iudex, qui furatus eſt, vel detinet alienas ſcripturas ſine Dei timore, non obligat eum, qui prudenter occultat proprias ſcripturas, quamuis partim contineant Ius aduerſarii col litigantis, cap. Nouit de Iudi. & ibi Nauar. D. Tho. 2a. q. 66. art. 3. Sot. lib. 5. De Iuſt. q. 3. art. 3. Dec. in cap. 1. De probat. n. 36. Si vero abſolutè feratur excommuni-

D catio, vt quicunq; ſcripturas habet ad talem cauſam, manifeſtet, Iudex autem procedit via inquiſitionis abſque præcedentibus inditiis, & ſemiplena probatione, neque in hoc caſu Reus tunc tenetur in medium edere inſtrumenta contra ſe ipſum Iure canonico, quamuis eſſent partim aliena, vt ſi Inſtrumenta ſint vtrique parti communia, nec poſſit edere, quæ proſunt parti, niſi ſibi noceat, & amittat verum Ius ſuum, Gregorius Nonus cap. 1. De Probat. ait Reum non compelli ad edendum inſtrumenta actori, quia eſſet præbere arma aduerſario contra ſe, Antonius Gabr. com. concl. tomo 1. lib. 9. V. Inſtrumentum; quia Ius Canonicum, dum excommunicat, reſpicit ſimul forũ conſcientiæ; quod ſi Actor iam habet Ius, & proba-

E tiones, inchoata lite, ſed quærit maiorem probationem ad coadiuuandam ſuam intentionem, tenetur Reus edere inſtrumenta, & ſcripturas alienas, ſeu cõmunes, Dec. dicto cap. 1. De Probat. nu. 33. Antonius Gabr. ſupra, ſicut Reus ſemiplena probatione conuictus tenetur confiteri veritatem, ſed excuſari poteſt Reus, ſi ex eo, quod inſtrumenta ederentur, pateretur graue præiudicium propriis Iuris, ea enim præſumitur intentio Iudicis, dum iubet ſub excommunicatione, vt reus non incurrat illam, non manifeſtando, ſi fortè graui cauſa excuſetur. Sot. in Relect. De ratione

tegen.

tegen.&c. mem.2. q.6.dub.5. Nauar. in Manua. cap. 25. num.50. & cap.18. num.38. Verum ſi intentio Iudicis, qui ex præſumptione procedit ſit, vt Reus nihilominus edat inſtrumenta, quamuis præiudicium patiatur, adhuc non tenetur reſpondere, quoniam ab hac obligatione præcepti priuati Iudicis, eximitur Iure canonico Pōtificis, qui eſt benignior Iudex, Iura enim concedunt, ne Reus teneatur edere inſtrumenta Actori, ſi ſuſtineret damnum in re ſua excepto caſu publicæ neceſſitatis, boni communis, nam publica vtilitas præferenda eſt priuato commodo, Sot. lib.5. De Iuſt. q.3. art.1. ad 3. & art.3. ad 1. Nauar. in Manua. cap.17. num.114. Vt ſi Reus accepiſſet clam in compenſationem, vel ſi legitima temporis præſcriptione factus eſſet Dominus rei, quam habet, Couar. Reg. Poſſeſſor. 3.par §.2. num.3. illat.3.Sot.lib.4. De Iuſt.q.5.art.4.& lib.5.q.3. art.1.& 3. Nonnunquam Reus, quamuis non ſit expers pœnæ excommunicationis non manifeſtando, liberatur tamen à culpa, vt inquit Sot.ex ſententia Silue. De ratione tegen. mem. 3.q.1.conclu.4.

Tandem ſi Reus habet authenticum Inſtrumentū, quod iniuſtè ſuffuratus eſt à Tabellione, aut ab Aduerſario, tenetur compulſus ſub excommunicatione edere, vt ſatisfaciat damno per iniuriam dato, Sot. diſt.22.q.1. art. 2. caſ.3. ad fi.lib.5. De Iuſt.q.7. art.1. & in Tract. De ratione tegen. ſecretum mem. 2. q. 7. dub.4.Silue. V.Falſarius §. 3. Secus quando bona fide cœpit poſſidere inſtrumentum tanquam aliquo modo proprium, ſicut licet ſtatum iuſtè quæſitum conſeruare, quamuis differat, & detineat ſolutionem debiti; Nec tenetur cum amiſſione iuſti ſtatus, ſtatim reſtituere debitum; Nauar.in Manua.cap. 17.nu.57.

Tertia Regula, quando excommunicatio fertur ab homine, & non ſupponit grauem culpam commiſſam in tacenda veritate, vel occultanda ſcriptura, neque priorem obligationem ad reuelandum; Neque Iudex intendit nouam obligationem inducere; Tunc ſi quis non obediat iuxta formam præcepti, non obſtinguitur excommunicationem.

Hæc regula euidens eſt; Nam ſi nulla exiſtit obligatio ad reuelandum, nulla committitur culpa, aut contumacia, & ſic deeſt cauſa excommunicationis.

Exempla afferri poſſunt, quibus magis elucidabitur ipſa Regula, puta ſi Iudex præcipiat reuelationem rei omninò occultæ, quæ cedat in infamiam, vel graue damnum alicuius, contra quem nec ſemiplena probatio, nec publicus rumor, aut fama præceſſit; Aut ſi præcipiat. Iudex denunciari furtum ante præmiſſam correctionem, & quando non deeſt ſpes correctionis, neq. agitur de alterius damno, aut periculo vitando, B.Tho.2. 2.q.33. art.7. ad 3. Sot.De ratione tegen.mem.3.q.1.conclu.4. dub.1. Nauar. in Manua. cap.25.nu.42.

Aliud exēplum eſſe poteſt de Teſtibus, qui per edictum generale ſub pœna excommunicationis monentur ad reuelandum quidquid ſciuerint, qui ſi cognoſcunt Reum in conſcientia excuſari poſſe, ipſi quoque eiſdem de cauſis erunt excuſati, ſi non reuelent. Pluribus etiam alijs modix excuſari poſſunt teſtes, ſi non pareant præcepto Prælati, quamuis habeat annexam cenſuram excommunicationis.

Primo excuſantur iure coniunctionis naturalis: vt filius, vxor, frater, & ſimiles, qui priuilegio Iuris, eximuntur, ne compelli poſſint teſtimonium ferre contra Parentem, maritum, & fratrem, neq. è contra. Quamobrem, licet edictum proponatur, vt quilibet
A debeat reuelare eos, qui tale facinus commiſerint, &
præcepto nulla deſit conditio, ad eius iuſtitiam, & va-
liditatem requiſita, tamen non obligat huiuſmodi
perſonas coniunctas, quoniam id redundaret in pro-
priam ipſorum infamiam; Vnde in cap.Si teſtes ante
med. 4.q.3. hæc referuntur ex l.Iulia ff. De Teſti. *Lege*
Iulia publicorum Iudiciorum cauetur nè inuito denuncie-
tur, vt teſtimonium litis dicat aduerſus Socerum, Generum,
Vitricum, Priuignum, Sobrinum, Sobrinineè natum, eoſue,
qui priori gradu ſint, Nauar.in Manua. cap.14.nu.12.
Verſ.Septimo filius, & in cap.25.nu.49.Vnde Dec. in
cap. 1.nu.7. in fi. De Probat.aſſerit pœnam à Iure ſta-
tutam contra ſcientes, & non reuelantes crimen læſæ
Maieſtatis, non habere locum in Patre, qui non debet
B filium offerre ad ſupplicium, eſſet enim tunc quaſi
Carnifex filij, l. Miles §. Deſertorem ff. De Re Mili.
Eadem immò multò maior militat ratio de filio in
ordine ad Patrem, cum magis debeat filius patri, quā
pater filio, quamuis Nauar. dicto cap.14.nu.12.Verſ.
Septimo filius, teneant quod quamuis filius regula-
riter non ſit obligatus, in crimine proditionis contra
Regem, vel Remp. denunciare Patrem, putat tamen
in his caſibus licere filio reuelare patrem, arg. l.Mini-
mè ff. De Relig. & Sumpt. funer. & aliquando obli-
gari.

Secundo excuſantur ex priuilegio Iuris, perſonæ
quædam inſignes, vt viri honorati, qui compelli ne-
queunt ad teſtimonium ferendum, niſi in caſu hære-
C ſis, aut ſi res per alios probari non poſſit, Glo.in cap.
Quamquam Ver. Occultetur 14.quæſt.2. cap. Statu-
tum, & ibi Glo.Ver.Ad teſtimonium 2.quæſt.6.Feliu.
in cap. Dilectorum De Teſt. cogen. Nauar. in dicto
cap.25. nu.49.

Tertio excuſantur, qui ſub ſecreta conſultatione
rem norunt, quamuis ſciant ea in re Reum mortalis
criminis notam incurrere, Sot. De ratione tegen.
mem.3. q.7. art.1. concl.4. & lib.5. de Iuſt.& Iu. q. 7.
art. 1.Nauar.in Manua.cap.25.num.41.& 46. & cap.
18.nu.54.55.60. quia Eccleſia vult, vt conſeruetur fi-
delitas in ſecretis; Vt ſi Aduocatus, aut Doctor de
re aliqua conſultus ſit, niſi immineret graue dam-
num futurum in perniciem Reipublicæ, aut Proximi,
D B.Tho.2.2.q.33. art.7. Sot. & Nauar. ſupra. Propter
eandem rationem multo magis excuſatur, qui rem
nouit in confeſsione, & hic caſus nullam admittit ex-
ceptionem.

Quarto excuſantur à denunciatione, ſi Reus ſit
notus, aut ſi ita ignoratus, vt rem ſaltem vnico teſte
probare non poſsint, quia id potius eſt infamare,
quam iuridicè denunciare; Textus eſt in cap. Quali-
ter, & cap. Quando De Accuſa. ibi *Exceptis occultis*
criminibus, Aut ſi qui crimen occultum commiſit, iam
emendatus eſt, à damno ceſſauit, B. Tho. 2. 2. q. 33.
art.7. ad 5. Sot.lib.5. De Iuſt. q.5. art.1. ad fi. Nauar.
in Manua.cap.25.nu.46.& probat ex cap. Si peccaue-
rit 2.q.1. Quia facta reparatione ceſſat intentio, & vis
E Edicti.

Ob has cauſas poteſt quis legitimè excuſari, ſi non
reuelauerit rem occultam poſt latum præceptum à
Superiore ſub pœna excommunicationis, quibus ceſ-
ſantibus ſi non paret præcepto, remanet innodatus
cenſura.

Poſtulabit aliquis ſi promulgato Edicto Superio-
ris, vt quicunque ſciat Reum ſceleris commiſsi, te-
neatur infra decem dies ſub pœna excommunicatio-
nis reuelare, & elapſo termino qui nouerat delinquen-
tem, non reuelauit, & idcirco incidit in excommuni-
cationem

cationem, an poſſit ab excommunicatione abſolui A poſtea, etiamſi non reuelet, vel ſemper maneat obligatus ad reuelandum.

Reſpondeo obligationem præcepti per ſe ſemper durare, quia terminus aſſignatus non eſt ad extinguendam obligationem, ſed ad prorogandam, niſi intercedat aliqua cauſa, cuius gratia tollatur obligatio præcepti; vt ſi moreretur Prælatus, qui edictum propoſuit, aut ab officio remoueretur, aut ſuſpenderetur, vt dictum eſt ſuperius. Quare ſi quis ignorans præceptum Prælati durante termino non paruit, habita notitia remanet obligatus ad parendum, An verò tunc teneatur ſtatim, vel potius infra terminum æqualem tempori in edicto aſſignato. Controuerſum eſt, Aliqui putant ſatisfacere ſuæ obligationi, ſi obediat infra equalem terminum.

DISPVTATIO SECVNDA
DE EADEM CAVSA MATERIALI EXCOMMVNICATIONIS.



QVOD peccatum ſubeſſe debeat, vt Prælatus non perperam, neque temere, ſed iuſtè, & legitimè, vt ſacri Canones requirunt, ac Sancti Patres poſtulant, excommunicationis gladium proferre valeat, Ex his, quæ ſuperiori diſputatione explicata ſunt, ſatis conſtare poteſt; in hac verò diſputatione pertractandum eſt, quo pacto cognoſci poſſit, ſi excõmunicatio ratione eiuſdem cauſæ materialis ſit iniuſta tantùm, & quando iudicanda ſit non tantum iniuſta, ſed etiam inualida, ſimiliter an excommunicatio lata contra facientem comprehendat mandantem, & conſulentem; tandem an ignorantia excommunicationis excuſet transgreſſorem legis, vel præcepti, vt non incurrat huiuſmodi cenſuram.

Caput Primum. Vtrum Excommunicatio iniuſta per legem, vel ſententiam hominis lata obliget, & producat effectus excommunicationis.

Caput Secundum. An Excommunicatio lata ab ipſo Iure, vel homine contra facientes aliquid, comprehendat quoque mandantes illud fieri, Conſulentes, & ſimiles, An ſolùm facientes, & vtrum omnes tales quacunque ratione agant.

Caput Tertium. An ignorantia præcepti, vel legis continentis excommunicationem excuſet transgreſſorem, vt non incurrat excommunicationem.

CAPVT I.
Vtrum Excommunicatio iniuſta per legem, vel ſententiam hominis lata obliget, & producat effectus excommunicationis.

DIuiditur excommunicatio, vt ſupra diximus in cap. 5. Diſputationis ſecundæ lib. 1. in Excommunicationem iuſtam, & iniuſtam iuxta Gloſam in ſumma 11. q. 3. Excommunicatio, vt dici poſſit iuſta, tria exigit. Primum vt feratur à Superiore habente poteſtatem in eum, quem excommunicat, ſecundum vt imponatur propter iuſtam, & rationabilem cauſam, tertium vt ſeruetur debitus modus ſecundum ius Canonicum deſcriptus, ità Gloſ. & Doctores in c. Sententia. dicta cauſa, & quæſt. in cap. Per tuas, & cap. Sacro de ſent. excom. B. Tho. Palud. Durand. Maior in 4. diſt. 18. q. 1. & 2. B. Antoni. 3. part. tit. 24. cap. 26. Silue. V. Excommunicatio 2. §. 1. & 2. Caiet. 2. 2. q. 70. art. 4. & in Opuſc. Tract. 10. q. 7. De effectu excommunicationis, Sotus diſt. 22. qu. 1. art. 3. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 3. & 4 Couar. in cap. Alma Mater part. 1. §. 7. num. 5. Iniuſta excommunicatio illa erit, cui aliqua harum trium conditionum deerit, illa; quæ iniuſta dicitur, ſemper eſt valida, non tamen neceſſario, iniuſta excommunicatio ſemper eſt inualida, ſed quædam erit valida, quædam inualida, ſicut & aliæ ſententiæ, licèt iniuſtæ regulariter valent in foro exteriori, & executioni mandantur, ſicut & iuſtæ, cap. Cum inter de re Iudi. & l. Res iudicata ff De. Reg. Iur. Aliquæ tamen ſunt nullæ, & irritæ l. Prolatam C. De Sent. Sic C etiam ſententia excommunicationis quamuis iniuſta valet regulariter, Vnde Gregorius hom. 26. in Euang. & refertur in cap. 1. 11. q. 3. dixit ſententiam Paſtoris, ſeu iuſtam, ſeu iniuſtam timendam eſſe, aliqua nihilominus excommunicatio iniuſta eſt inualida. Difficultas igitur conſiſtit, quando excommunicatio iniuſta dicendo ſit inualida ità vt non obliget. Qua in re ſi loquamur de excommunicatione, quæ promulgatur à lege, vel per mandatum hominis generale poteſt ſtatui hæc concluſio.

Si lex, vel mandatum generale hominis nullum eſt, & inualidum, excommunicatio, quæ in huiuſmodi lege vel mandato continetur, nulla erit, & qui facit con D tra talem legem, non incurrit excommunicationem.

Probatur, Acceſſorium ſequitur ſuum principale, Pœna excommunicationis eſt quid acceſſorium in lege reſpectu actus, qui præcipitur, vel prohibetur, ſi igitur principale eſt nullum, igitur & acceſſorium.

Secundo quia ſi lex non obligat, ergo transgreſſor legis non dici poteſt contumax, nec inobediens, ergo ceſſat cauſa materialis excommunicationis.

Sed dicet aliquis, Difficultas erit cognoſcere, quando lex, vel mandatum debeat dici nullum, & iniquum, quod non obliget.

Reſpondeo poſſe legem dici nullam quantum per- E tinet ad hanc quæſtionem.

Primò ex defectu Iuriſdictionis ipſius legiſlatoris, vt ſi non ſit ſuperior, qui poteſtatem habeat præcipiẽdi, & hæc lex dicitur iniqua, etiam ſi materia illius eſſet maximè rationi conſona ratione vſurpatæ Iuriſdictionis, cap. Sententia 11. qu. 3. cap. Ad noſtram de Conſuet.

Secundo modo dicitur nulla ex parte rei impera-

ta,

tæ, vt ſi præcipiat rem turpem ex ſuo genere malam, & contrariam bono communi, aut omnino inutilem. Quæ enim ſunt huius generis, non poſſunt præcipi, maximè ſub pœna excommunicationis quæ eſt omnium grauiſſima, cap. Venerabilibus §. Poteſt quoque de Sent.excom.lib.6.cap. Qui præeſt 11.qu.3. Verùm oportet, vt conſtet euidenter legem eſſe talem, vt inualida cenſeatur, nam in dubio parendum eſſet legi, quia Superior habet Ius præcipiendi, & ideo potior eſt eius conditio.

Tertiò interdum, licèt lex non poſſit dici nulla ex defectu Iuriſdictionis, nec iuſtitiæ in cauſa, tamen non obligat, vel quia non eſt legitimè promulgata, vel nō eſt recepta à ſubditis communiter, vel per contrariam conſuetudinem præſcriptam eſt abrogata. Et in his caſibus etiam excommunicatio in lege poſita non obligat, neq́ eſt ſeruanda, nec quoad Deum, neque in foro exteriori abſtinere debet Reus quoad alios, ſed ſcandalum ſemper eſt vitandum, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 3. & in cap. Cum contingat de reſcript. cauſ. nullit 9.

His igitur modis excommunicatio lata per legèm, vel mandatum hominis generale poteſt eſſe inualida.

Modo tractandum eſt de excommunicatione, quæ per ſententiam Iudicis fertor contra particularem perſonam, frequentius enim accidere poteſt, vt hæc ſententia ſit iniqua, quàm lex. Et ſimiliter hæc poteſt eſſe iniuſta pluribus modis; validè, & inualidè, quia aliquando obligat, nonnunquam minimè, & omnes caſus in particulari quando ſententia hominis eſt ipſo Iure nulla, & non obligat, enumerat Silue. Excommunicatio ſecundo, ſed nos ità dicamus excommunicatio eſt iniuſta Primo defectu iuriſdictionis, quia Iudex nullam habet poteſtatem in excommunicatum, & hæc ſimul etiam erit nulla, & inualida. Quatuor autem modis contingere poteſt eum, qui excommunicauit, non habere poteſtatem in excommunicatum; vel quia non eſt Iudex, aut Superior illius, cap. Nullus de Paroch. Vel quia eſt non toleratus ab Eccleſia, qualis eſt excommunicatus, ſuſpenſus à iuriſdictione, aut interdictus, & denunciatus talis, aut publicus Clerici percuſſor, Vel quia excommunicat contra tenorem priuilegiorum, cap. Quanto de Priuileg. cap. 1. §. Ex parte de Conceſſ. Præb. lib. 6. Vel quia ferat excommunicationem poſt interpoſitam legitimam appellationem, cap. Per tuas de ſent. excom. cap. Ad præſentiam de Appellat. Per appellationem enim ſuſpenditur Iuriſdictio Iudicis, cap. Paſtoralis §. Verum de Appella.

Secundò poteſt huiuſmodi ſententia eſſe iniuſta, quia in ea pronuncianda non ſit ſeruatus præſcriptus ordo Iuris, & hic vel eſt accidentalis, ſcilicet quod nō fuerit præmiſſa trina monitio, vel quod ſententia non ſit lata in ſcriptis, &c. aut eſt ſubſtantialis, & neceſſarius, puta quod ſaltem vnica monitio non præceſſerit, quod cauſa ad illam pronunciandam nō ſit plenè probata, & aliæ ſimiles conditiones.

Quando deeſt conditio ſubſtantialis, certum eſt excommunicationem latam non ſolùm eſſe iniuſtam, ſed inualidam, quia talis ſententia intrinſecè eſt nulla, ergo nullum poteſt producere effectum, l. 4. §. Condemnatum ff. de re iudi. Omnes autem modi, quibus ſententia excommunicationis non tantum ſit iniuſta, ſed etiam nulla, recenſentur à Gloſa in cap. Præſenti Ver. Ad Cautelam de ſent. excom. lib. 6.

Si vero deeſt in ſententia ſolùm ordo Iuris accidentalis, tunc poteſt dici ſententia iniuſta quidem, quia

A eſt pronunciata contra præſcriptum iuris, non eſt tamen inualida, & hoc modo loquuntur omnes Iuriſperiti, & Canoniſtæ, ſed de his non agimus ex profeſſo, ſed quantum ſpectat ad explicationem ſententiæ excommunicationis, Id docet etiam B. Tho. 2. 2. qu. 65. art. 5. ad 3.

Sed dubitari poteſt de hoc ſecundo modo nam aliquando ſentētia excommunicationis ſolo ordine prætermiſſo, qui ſeruandus erat, non ſolùm iniuſta, ſed etiam nulla à Doctoribus iudicatūr, Innoc. in cap. Venerabili num. 5. De Cenſi. quem refert, & ſequitur Felin. in cap. Cum in Iure peritus num. 2. De off. deleg. & in cap. Sacro num. 3. De ſent. excom. vbi limitat Reg. quod excommunicatio ſine monitione teneat, niſi ex-
B communicatio lata ſit à Iudice Delegato, Abb. in eodem cap. Cum in Iure num. 3. qui aſſerit excommunicationem latam à Iudice Delegato a Papa, qui copiam ſuæ commiſſionis petenti dare recuſauit, eſſe non tantum iniuſtam; ſed etiam nullam, & nihilominùs defectus accidit ſolum in ordine, non in iis, quæ ſpectant ad ſubſtantiam excommunicationis, & idem videtur ſentire, licèt ſub dubio, Rot. in nouis impreſſis, deciſ. 15. De Dolo, & Contum. quam Felin. citat.

Reſpondeo primo hanc doctrinam Innoc. quam alij citati Doctores ſequuntur, non eſſe tanquàm certam admittendam, quoniam hic caſus non annumeratur inter alios, qui redduot excommunicationem ipſo iure nullam, quos retulit Gloſa in cap. Præſenti Ver.
C Ad cautelam de ſeot. excomm. lib. 6. Deinde quia excommunicatio ſiue iuſta, ſiue iniuſta ligat, cap. 1. 11. q. 3. & ab hac regula non poſſumus recedere, niſi in iis, quę in iure expreſſa ſunt, l. Omnis definitio de Reg. iur. & in Rub. eod. tit. lib. 6. Tandem quoniam non omnia, quæ Delegatus iniuſtè agit, ſunt nulla, vt probat Abb. in cap. tm. nu. 5. De Præben. ſed ſolum illa, ad quæ non extenditur eius poteſtas.

Secundo reſpondeo, ſi tenenda eſt opinio Innocentij, dicendum eſſe propterea ſententiam latam a Delegato contra Ordinarium, non conceſſa copia ſuæ Delegationis Ordinario petenti, eſſe nullam, quoniam talis defectus non accidit in ordine accidentario, ſed ſubſtantiali, ſcilicet circa iuriſdictionem, nam
D vt inquit Abb. in dicto cap. Cum in Iure num. 3. Delegatus non habet iuriſdictionem in Ordinarium, niſi quando illi aduerſaretur, & nollet obedire, ſed petendo fidem de ſua Delegatione, agit, quod ei à Iure permittitur, ideo non poteſt dici inobediens, & contrarius; vnde in hoc caſu non tenet excommunicatio defectu Iuriſdictionis.

Tertio poteſt ſententia excommunicationis eſſe iniuſta ex defectu legitimæ cauſæ, quia pronunciata eſt, vel ſine cauſa ſufficienti, ſed leui, vel etiam iniqua, aut cum cauſa quidem ſufficienti, ſed non vera re ipſa, ſed ſecundum acta, & probata, vel tandem vera ſecundum ſe, ſed non ſufficienter probata in Iudicio.

In primo caſu, quando conſtat de iniuſtitia mani-
E feſta cauſæ, vel de leuitate, ſententia excommunicationis eſt iniqua, & non obligat, vt ſi pronuncietur quis excommunicatus de opere bono commiſſo, vel de peccato veniali, tunc enim excommunicatio nihil operatur in foro interiori, neque exteriori, & multo magis erit inualida, & non obligabit, ſi ſit iniuſta tum ex defectu iuſtæ cauſæ, tum ex defectu probationis, quia Iudex non ſeruata iuris forma ex abſoluta poteſtate, & libera voluntate excommunicationem pronunciat.

Talis ſententia propriè eſt illa, quam Doctores dicunt

eunt continere intolerabilem errorem, & propterea eſt nulla ex communi ſententia omnium; Verum vt ſit nulla, & inualida, oportet, vt hic intolerabilis error in ipſa ſententia contineatur, vt quando Iudex excommunicaret aliquem explicando in ipſa ſententia cauſam vel omnino iniquam, & iniuſtam, vel penitus leuem, vt ſi ferret excommunicationem contra aliquem, quod Miſſam non audierit quotidie, vel concionem, & tunc abſq. dubio ſententia eſt nulla tam in interiori foro, quam in exteriori, quoniam ius ita diſponit. cap. 2. cap. Venerabilibus §. Poteſt De Sent. Excō. lib. 6. & in cap. Solet eod. tit. & lib. Clarius idem habetur his verbis: *Intolerabilem errorem in ſententia fuiſſe patenter expreſſum*.

Obiicies, Abſolutio ab excommunicatione valida eſt, etiam ſi ſola voluntate abſque cauſa legitima impendatur à Superiore. Similiter diſpenſatio in lege ſaltem humana ſine cauſa tenet, cur non eodem modo ſententia excommunicationis ſine cauſa erit valida?

Reſpondeo quidquid ſit de exemplis, diuerſam eſſe rationem de excommunicatione, quoniam in exemplis allatis agitur de gratiis conferendis, quæ licet aliquando concedantur non ſeruata iuſtitia legis, nec habita ratione ad bonum commune, nulla tamen iniuria infertur ei, cui conceduntur, ſed beneficium communicatur, & ideo validæ ſunt, & poſſunt operari effectum ſuum, ſed ſententia excommunicationis eſt pœna, & infert plurima damna, & grauia excommunicato, merito, ſi cauſa ſit manifeſtè iniqua, non debet operari aliquem effectum reſpectu ipſius excommunicati.

Obiicies ſecundo, quid dicendum, ſi Iudex proferens ſententiam excommunicationis in ea non exprimat cauſam omnino iniquam, & iniuſtam, ſed proferat ſententiam, & nullam declaret cauſam, neque illam excludat, re vera tamen nulla præceſſerit iuſta cauſa excommunicationis ferendæ.

Reſpondeo, quod licet ſententia ad hunc modum prolata ſit contra præſcriptum Iuris, ob hanc tamen cauſam ſolam, ſententia non poteſt dici nulla, quod in ea non ſit deſcripta cauſa excommunicationis, vt dicitur in cap. 1. De Sent. Excom. lib. 6. Sed erit inualida in conſcientia, quia lata eſt ſine iuſta cauſa, & ideo ſi ab illa appelletur, & coram Superiore talis defectus probetur, meritò declarabitur nulla, & tunc talis excommunicatus non indigebit abſolutione, ex quo apparet excommunicationem fuiſſe ab initio nullam, & inualidam.

Quod videtur apertè probari poſſe verbis Gelaſij Papæ in cap. Cui eſt 11. quæſt. 3. cum ait: *Ita ergo ea, ſe non abſolui deſideret, qua ſe nullatenus perſpicit obligatum*, & in cap. Irritam ex Concilio Carthaginenſi quarto, dicitur: *Irritam eſſe iniuſtam Epiſcoporum damnationem, & idcirco à Synodo retractandam*, & ſimilia habentur in variis locis Auguſtini in cap. Cœpiſti, cap. Quid obeſt, cap. Nō debet, & cap. Illud planè ead. cau. & quæſt. & ex B. Hieronymo in cap. Si quis non rectè 24. q. 3. Quare ſententia lata contra iura, ex iniuſta cauſa, erit per ſe nulla, etiam ſi in ipſa defectus non exprimatur, ſaltem in foro interiori; Nec ille, contra quem lata erit, tenebitur in conſcientia parere ſententiæ, ſed ſolum erit obligatus vitare ſcandalum, & propterea debet publicè coram aliis exiſtimare ſe tanquam excommunicatum, donec ſententia declaretur nulla. Quando igitur conſtat de iniuſtitia cauſæ excommunicatio eſt nulla, & inualida, & hic erat primus caſus.

A Quando verò res eſſet dubia, an exiſteret cauſa inſufficiens, & iniuſta ad excommunicandum, & an eſſet iuridicè probata, tunc temporis ſeruanda eſt excommunicatio, quia in dubiis, quando agitur de ſalute animæ præſertim, tutior pars eſt amplectenda, alioquin dubitans exponeret ſe periculo peccati mortalis, ſic etiā docet Sot. in 4. diſt. 22. q. 2. art. 3. Inimo addit, quod ſi celebret ſic excommunicatus, efficitur irregularis. Et hic eſt caſus propriè, de quo loquitur Gregorius, Sententiam Paſtoris iniuſtam eſſe timendam.

In tertio caſu quando cauſa eſt iuſta, & ſufficiens, & vera ſecundum ſe, ſed non probata in iudicio, tunc ſententia erit inualida ex defectu ordinis ſubſtantialis iudiciarij, vt diximus; Non enim ſatis eſt, vt ſubſit vera
B cauſa ſufficiens ad excommunicandum, & illa conſtet Iudici, vt eſt priuata perſona, vt patet ex cap. Cum alijs 6. quaſt. 2. Gloſ. Abb. & alij in cap. Sacro De Sent. Excom. Nauar. in Manua, cap. 27. n. 11. & in cap. Cum contingat De Reſcript. can. nulli. 8. Sed debet in Iudicio probari; Si quis obiiciat cap. Nemo 2. q. 1. & cap. De illicita 24. quaſt. 3. Quibus in locis prohibetur ferri cenſura antequam cauſa probetur, ſed ſi ſecus ferri contingat, vt dicitur ibidem: *Maioris ſacerdotis auctoritate ad communionem redire debet*. Item in cap. Audiuimus 24. q. 1. hæc habentur: *Quia Excommunicatus te excommunicare non potuit, Apoſtolica auctoritate te, tuoſq. abſoluendo, mandamus exinde nunquam curare*; Ecce igitur poteſt eſſe excommunicatio iniuſta defe-
C ctu ordinis ſubſtantialis, & tamen indiget abſolutione, ergo erit valida.

Reſpondeo illa verba, quæ in dictis Iuribus leguntur, ſcilicet *Maioris Sacerdotis auctoritate ad communionem redeat*, vel illa alia *Apoſtolica auctoritate te, tuoſq. abſoluendo* non ſemper ſignificare priorem ſententiam excommunicationis fuiſſe validam, ſed ſolum indicare declarationem, qua oſtendebantur illi non ligati priori ſententia; Vel, vt Gloſ. ibi monet, abſoluendo de facto, ideſt faciendo, vt ad communionem redeant, qui de facto ab illa ſeparati erant.

De tertio igitur caſu non eſt diſcrepantia inter Doctores, quando ſententia excommunicationis pronunciatur ex cauſa iuſta, & ſufficienti, ac vera, ſed non le-
D gitime probata.

Quamobrem tota difficultas videtur eſſe in ſecūdo caſu, quando excommunicatio lata ex cauſa re ipſa falſa, probata tamen iuridicè, an huiuſmodi excommunicatio ſit valida, & afficiat ipſum Reum, vt illam ſeruare debeat.

Pro parte affirmatiua ſunt rationes. Primo quia hæc ſententia excommunicationis eſt valida in foro exteriori, ergo habet ſuum effectum.

Secundo Iudex rectè, & Iure dictante pronunciauit huiuſmodi ſententiam, ergo reus tenetur parere, & ſententiam ſeruare.

Tertiò ſi Innocens ſecundum allegata, & probata morti adiudicetur, tenetur illam patienter ferre, nec
E poteſt licitè per vim reſiſtere, etiamſi valeat, ergo multò magis idem dicendum erit de excommunicatione, quæ eſt pœna ſpiritualis, & ideo magis timenda, vt diximus.

Ex altera parte talis reus, cum ſit verè Innocens, non eſt in foro conſcientiæ obnoxius alicui pœnæ quoad Deum, ergo neque ab Eccleſia poteſt vinculo excommunicationis obſtringi.

Secundo qui condemnatur ex præſumptione Iuris, ſi verè opus damnatum non commiſit; poteſt in conſcientia licitè effugere talem pœnam, niſi per vim com-

compellatur, sed pœna excommunicationis est maxima, ergo idem contingit in excommunicatione.

Tertio si quis in conscientia non est transgressus legem continētem pœnam excommunicationis, quamuis ab aliis communiter habeatur Reus legis, non incurrit excommunicationem; Igitur eadem ratio esse debet, quando pronunciatur sententia excommunicationis per Iudicem ex probatis, & deductis in Iudicio contra eum, qui verè est innocens a culpa, quæ ei obiicitur, & cuius gratia excommunicatur.

In hac dubitatione duo sunt, de quibus controuertitur, à Doctoribus. Primum est, an hæc excommunicatio, qua lata est ex falsa, vel ex leui, & non adæquata causa, & iusta secundum veritatem, sed ex actis, & probatis iusta, & sufficienti, producat illos omnes effectus plenè, & integrè, qui competunt validæ excommunicationi.

Secundum est, an si talis excommunicatio re ipsa iniusta non possit habere omnes effectus, quos parit vera excommunicatio, & iusta, saltem habeat aliquos, & quales sint.

Quantum ad primum duæ sunt Doctorum sententiæ. Prima est asserentium quamcunq. excommunicationis sententiam etiam iniustam, dummodò valida sit quantum ad formam Iuris, habere suum effectum integrum, & completum quoad Ecclesiam; Ita quidē vt, si Clericus fuerit hoc modo excommunicatus, & exerceat ordines, fit irregularis, est opinio Silue. in Ver. Excommunicatio 2. §. 2. & Ver. Restitutio 8. §. 6. Alexan. in 4. par. quæst. 81. mem. 2. B. Tho. in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 1. quæstiuncula 4. Riccard. art. 3. quæst. 5. Palud. q. 1. art. 3. Durand. q. 4. B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 23. Glos. in c. 1. de sent. excom. lib. 6. Ver. propter quā Host. & aliqui Canonistę in c. per tuas de sēt. excom. quam opinionem communem esse existimauit Couar. in c. Alma Mater prima par. §. 11. n. 14. probatur primò quoniam huiusmodi excommunicatio secundum iura est valida, vt in dicto cap. Per tuas, ergo debet sortiri suum effectum; Secundo quoniam talis excommunicatio indiget absolutione, vt in eod. cap. Per tuas, igitur ligauit; Tertio quoniam non obstat id, quod ex aduerso dicitur Durum videri credere hominem innocentem excommunicari ab Ecclesia, non enim inconuenit id fieri propter commune bonum, & disciplinam ecclesiasticam, vt patet à simili, quā Iudex secularis tenetur secundum B. Tho. & alios hominem innocentem punire secundum allegata, & probata, & innocentes etiam interdicuntur secundum communem opinionem Doctorum; Huic etiam sententiæ adhæret Nauar. in Manua. cap. 27. num. 3. Vbi contra Caietanum, qui dixit excommunicationem iniustam non esse propriè excommunicationem, sicut nec homo mortuus est homo, probat esse veram excommunicationem, cum ei tota definitio excommunicationis conueniat, quippe quæ separat à communione sacramentorum, & hominum quantum ad forum exterius, & etiam quoad interius, vbi sciunt illum esse excommunicatum, & ignoratur eius innocentia quantum ad effectum peccandi, nisi eum euitent. Et quamuis hæc excommunicatio non priuaret excommunicatum suffragiis Ecclesiæ, non propterea sequeretur non esse veram, & validam excommunicationem, sicut non desinit quis esse homo, si non videt, non audit, non ambulat, si deniq. non faciat omnia opera, quæ alij faciunt, modo aliqua opera vitalia faciat, ità, quamuis hæc excommunicatio nō efficiat omnia, quæ iusta facit tamen aliqua, propter quæ potest verè ap-

A pellari excommunicatio, sicut dictum est. Idem asserit, & probat Nauar. nu. 38. De Excommunicatione lata ex falsa causa, Couar. in cap. Alma Mater 1. par. §. 7. nu. 5. concl. 1. censet excommunicationem iniustam non obligare in animæ iudicio, & conclus. 3. tenet peccare mortaliter illum, qui iniustè est excommunicatus sine causa, si contemnat excommunicationem, & in §. 11. num. 14. Vers. Ego sanè, idem tenet de excommunicatione lata ex falsa causa. Altera est opinio aliorum, qui censent, huius excommunicationis iniustæ secundum rei existentiam, nullos esse effectus in foro conscientiæ, seruandam tamen esse in foro exteriori; Ita Abb. cap. Ex parte De Off. Ordi. & Card. ibi Felin. in cap. Quod super De Fid. Instrum. Dec. in
B cap. Cum venerabilis De Except. Latè Adrian. quodli. 6. art. 1. conclus. 1. Caiet. 2. 2. q. 20. art. 4. Sot. dist. 22. q. 2. art. 3. & 4. & in lib. De ratione tegen. mem. 3. q. 1. Concl. 4. Turre Crem. in cap. Si quis Episcopus 11. q. 3. Omnes isti affirmant eum, qui certus est se esse innocentem, quamuis secundum allegata, & probata legitimè excommunicetur, in rei veritate non esse excommunicatum, neque suffragiis, & orationibus communibus Ecclesiæ priuatum. Probat Sotus hanc sententiam; Primo quia Theologi, qui rei veritatem maximè incipiunt, non distingunt iudicium iniustum à nullo, & inualido, quia iudicium, vt inquit S. Tho. 2. 2. q. 70. art. 1. est determinatio iusti, sed iniusti non est iudicium; Vnde eodem modo excommunicatio
C iniusta ex parte causæ, non est excommunicatio, atq. idcirco, quantum est ex natura sui, nec ligat, nec est seruanda. Verum Iurisconsulti, qui non tam ad rei veritatem, quam ad præsumptionem iuris attendunt, propterea distingunt inter sententiam iniustam, & nullam, quia potest esse iniusta vel per se, vel per accidens. Per accidens, si feratur ex odio, & inuidia, vel prætermisso Iuris ordine, quæ non sunt de essentia, & tunc non est simpliciter iniusta, & ideo ligat. Per se autem iniusta erit ex parte causæ, quando non interfuit causa iusta, sed vel iniqua omnino, vel iusta solum ex præsumptione, & probatione externa, sed re ipsa iniqua, vt quando innocens condemnatur, & tunc nulla est, & inualida. Secundo, in foro ciuili senten-
D tia lata à Iudice seculari secundum allegata, & probata, in foro conscientiæ non ligat innocentem, immò potest Reus aufugere, dummodo non inferat vim Ministris Iustitiæ, vt dicebam superius, & non soluere id, ad quod est condemnatus, si sine scandalo id exequi potest, ergo similiter in spiritualibus, dum innocens, à Iudice Ecclesiastico excommunicatur, talis excommunicatio nullius erit roboris, quia Ecclesia non habet auctoritatem excommunicandi, nisi pro peccato. Quare vbi nullum re vera est peccatum, nulla erit excommunicatio. Tertio si iniustus, & iniquus animus Iudicis nihil obest Reo, ergo neque deprauata, & corrupta mens testium falsum deponentium eidem quidquam obesse poterit; Antecedens
E probatur auctoritate B. Augustini, & refertur 11. q. 3. cap. Illud planè dicentis: *Illud planè non temerè dixerim, quod si fuerit aliquis fidelium anathematizatus iniustè, potius ei obest qui facit, quam qui patitur iniuriam*, & confirmatur auctoritate B. Hieronymi cap. Si quis 24. q. 3. *Si quis non recto iudicio ab Ecclesia expellitur, ita vt non egerit, cur mereretur exire, nihil læditur ab eo, quod non recto iudicio agitur*. Innocens autem non meruit excommunicari. Tandem quoniam in cap. Cui est illata 11. quæst. 3. Gelasius inquit: *Si sententia iusta non est, tanto curare eam non debet, cui illata est,*

quanto

quanto apud Deum, & eius Ecclesiam, non potest grauari iniqua sententia.

Hæ sunt duæ Doctorum sententiæ in hac difficultate, ad quam respondendum censeo ad hunc modum.

Huiusmodi excommunicationem latam ex falsa causa re ipsa, probata tamen in iudicio, non habere omnes effectus, nec afferre omnia damna, & detrimenta, quæ secum trahit vera, & valida excommunicatio. Neque enim credibile est Ecclesiæ intentionem esse, vt per huiusmodi excommunicationem priuatus sit excommunicatus innocens participatione communium suffragiorum, & orationum, sicuti apud Deum fructu huiusmodi bonorum spiritualium non est priuatus, etiamsi ab hominibus excommunicatus habeatur, & eadem ratione non erit vetitum huic excommunicato audire sacrum, interesse diuinis officiis, recipere sacramenta, & alia spiritualia, quæ excommunicatis sunt interdicta, dummodò cesset scandalum, idest secreto, publicè vero seruanda est excommunicatio, nam in foro exteriori necesse est obedire præcepto Ecclesiæ, secus enim cederet in contemptum Ecclesiæ, cum eius præceptum sit publicum, & excusatio Rei innocentis sit occulta, Idcirco peccaret, si publicè Missam audiret, aut sacramentum reciperet.

Sed postulabit quis, an hæc obligatio seruandi excommunicationem in foro exteriori in hoc casu, oriatur per accidens, ratione vitandi scandalum, an verò per se, ex vi ipsius sententiæ, quæ iusta est in foro exteriori, cum sit lata legitimè ex deductis, & probatis in iudicio.

Respondeo obligationem hanc proximè oriri non solum propter scandalum vitandum, sed etiam ex natura talis sententiæ, quæ iusta est in foro exteriori, Multum enim derogaretur auctoritati Ecclesiæ, si talis excommunicatio publicè contemneretur. Quare hæc vis obligandi ad seruandam excommunicationem est etiam in foro interiori, & hinc oritur differentia inter sententiam hanc ex falsa causa, probata tamen, & sententiam omninò nullam, vt inferius explicabo, quoniam ex sententia omninò nulla non oritur aliqua obligatio etiam in exteriori foro, & quoad publicas actiones, nisi aliquando ex accidenti ex generali obligatione charitatis, sed ex sententia lata ex falsa causa, sed probata in iudicio oritur obligatio, vt diximus. Et hanc ob causam superior non potest iustè punire transgressorem excommunicationis nulla, quia illa simpliciter nullam habuit vim, nisi per accidens, vel quia de nullitate iuridicè non constat, vel quia contempta, & neglecta fuit, antequam constaret, vel si negligatur cum scandalo. At ille, qui transgreditur excommunicationem in foro exteriori iustam, per se & directè potest puniri à Iudice, quamuis occultè, & licitè in foro conscientiæ illam transgressus fit, & hoc est propriè illam sententiam in foro exteriori esse validam, quod Iudex potest cogere Reum ad illam sententiam seruandam in foro exteriori, cum in illo foro sit iusta.

Sed ex hac doctrina oritur dubitatio non leuis. Primò an Transgressor huius censuræ iustæ in foro exteriori, sed iniustæ simpliciter, si contemnat publicè, & cum scandalo, incurrat poenas iure impositas contra violantes excommunicationem, puta an si talis publicè celebret, vel exerceat actum proprium ordinis, efficiatur irregularis.

Caietanus 2.2. quæst. 70. art. 4. ad secundum & tomo primo opusc. tract. 19. ad 2. tenet, vt dicebam, hãc sententiam non esse propriè excommunicationem, sicut homo pictus non est homo, quare cohærenter afferere debet ex violatione huius excommunicationis non incurri aliquam poenam Iuris, Nauar. in Manua. cap. 9. num. 4. & cap. 27. num. 3. affirmat esse veram excommunicationem, quare affirmare debet transgressorem illius aliquas poenas Iuris contrahere, Cour. quamuis videatur asserere hanc excommunicationem non esse veram excommunicationem; tamen in §. 7. num. 7. vniuersaliter, eum, qui illam non seruat, incurrere poenas iuris affirmat.

Dicerem ego absolutè cum Caietano loco citato, Adriano quodl. 6 art. 1. conclus. 1. & in 4. sent. q. 4. De B Confess. Ioanne Dried. de Libertate Christiana pag. 235. Transgressorem huius excommunicationis non incurrere poenas Iuris, nec fieri Irregularem, & probari potest, quia re vera ille non est excommunicatus, vel illa excommunicatio est valdè imperfecta, & diminuta, ergo non sufficit, vt reus ille incurrat poenas iuris, licet talis in foro exteriori, & opinione hominũ habitus erit tanquam irregularis, & indigebit dispensatione ad existimationem publicam recuperandam.

Secundo dubitari potest, an huiusmodi excommunicatio, quæ tantum est valida in foro exteriori, si contemnatur, efficiatur valida etiam in interiori.

Nauar. putat hanc excommunicationem per subsequentem contemptum quodammodo formari, & C effici veram.

B. Tho. solùm docet eum, qui contemnit huius censuram, peccare mortaliter, & hoc verũ est, sed propter hoc peccatum mortale non est lata in iure excommunicatio, & illa prior excommunicatio, quæ per sententiam lata fuit, non cadit in culpam, quæ in eius transgressione committitur. Quamobrem certum erit ex tali peccato non incurri excommunicationem, neque priorem augeri, quamuis possit Episcopus sub noua excommunicatione prohibere, nè illa prior contemnatur, & hoc casu ex illius contemptu contraheretur vera excommunicatio. Et hæc sufficere possunt ad primam partem huius quæstionis.

Modo remanet secunda quæstionis pars discutien- D da, & est, si concedamus excommunicationem iniustã re ipsa, sed in Iudicio ex actis, & probatis iustam, non esse veram excommunicationem, & non habere omnes effectus, quos parit iusta excommunicatio, an habeat aliquos effectus, & dubitari potest, an saltem sic excommunicatus sit priuatus iurisdictione spirituali, & administratione sacramentorum, & aliarum rerum sacrarum, & diuinorum officiorum, & in conscientia teneatur ab his omnibus abstinere. Insuper an teneatur euitare consortium externum, & communicationem fidelium. Quantũ ad primum effectum de Iurisdictione spirituali diuersimodè respondent Doctores.

Ego puto per hanc excommunicationem non au- E ferri Iurisdictionem etiam in foro interiori, quare absolutio sacramentalis data ab huiusmodi excommunicato erit valida, quantum pertinet ad Iurisdictionem ipsius Absoluentis.

Ratio est, quoniam licèt huiusmodi iurisdictio non pertineat ad bonum spirituale animæ ipsius Vtentis, quia non est ex genere eorum bonorum, quæ ordinantur ad vtilitatẽ ipsius habentis, sed aliorum ad modũ gratiæ gratis datæ, & ideo non sit inconueniẽs ex hoc capite, vt per hanc excommunicationem iniustam auferatur, sola enim bona spiritualia, quæ instituta sunt ad vtilitatem habentis, non decet, vt tollantur

per iniustam excommunicationem ab innocente; tamen negari non potest hanc iurisdictionem esse rem magnæ æstimationis, & pertinere ad commune bonum Ecclesiæ, ideo non apparet ratio, cur Ecclesia velit hoc bonum tollere ab homine innocente, & idem dicendum est de iurisdictione in foro exteriori, dummodo exerceatur sine strepitu Iudicij, & sine scandalo.

De altero vero effectu, scilicet consortio externo, & communicatione fidelium seruanda est regula superius tradita, Nempè talem excommunicationem non obligare in conscientia excommunicatum, vt se priuet hoc consortio, & communicatione, & reliquis bonis temporalibus externis, quando illis vti potest secretò, & sine scandalo; neque etiam hanc excommunicationem obligare alios, vt se abstineant ab huiusmodi excommunicato, si pro comperto habeât illum esse Innocentem, & sententiam esse iniustam, publicè vero, & vbi oriri potest scandalum, obligatio abstinendi à communicatione externa inest tàm excommunicato, quam aliis ob reuerentiam debitam Ecclesiasticæ potestati.

Quæret aliquis de Collatione beneficij facta huic Excommunicato an sit valida, vel nulla.

Respondendum est talem excommunicationem nō reddere re ipsa inhabilem excommunicatū ad beneficium ecclesiasticum, vt collatio ipso iure sit nulla, sed posse declarari irritam in foro exteriori, Idque asserimus ob eandem rationem superius propositā, quoniam collatio beneficij connumerari potest inter bona non leuia, sed magnæ æstimationis, & quæ ad bonum commune referuntur, Idcirco innocens, ex actis tamen in foro exteriori excommunicatus, non videtur dignus priuatione tanti boni, maximè cum ex tali collatione nullum sequatur Ecclesiæ detrimentum, si valida habeatur, antequam talis excommunicatus recipiat absolutionem ab excommunicatione, quā vtique, si posset, teneretur procurare ante collationem beneficij ad tollenda scandala, & dubia in re graui, Sed supponitur, vt non possit obtinere absolutionem, & ratio cur talis collatio possit dici valida est, quia iam habet titulum beneficij, & illud apparens impedimentum proueniens ex tali excommunicatione potest esse ita occultum, vt nihil obstet, quominus illa beneficij collatio, etiam si publica esset, valida sit.

Verùm si postea talis collatio beneficii in Iudicio declareretur nulla ob eam causam, quia facta esset excommunicato, iusta esset talis declaratio.

Ex dictis primo cognosci potest, quæ differentia sint inter excommunicationem omnino iniustam, & inualidam, quia lata sit ex falsa causa, & non iuridicè probata, & est illa, quæ continet intolerabilem errorem, & excommunicationem iniustam, quæ sit pronūciata ex falsa causa, sed in iudicio legitimè probata iusta, & sufficienti, Nam prior illa nullum prorsus habet effectum, hæc verò habet aliquos effectus, excommunicatio enim euidenter inualida non priuat perceptione sacramentorum, neque suffragiis communibus, nec externa communione fidelium, Hæc autem posterior, licèt non priuet suffragiis communibus, seruanda est in foro exteriori quoad alios effectus, non solùm propter scandalum, vt dixi, sed quia peccatum est Superiori non obtemperare, Secundò illa non facit inualidam collationem beneficij, hæc autem facit inualidam, quia irritari potest, vt dixi, & probat Nauarr. cap. Cum contingat de Rescript. Remed. 2. Tertiò illa Celebrantem publicè non facit.

A Irregularem, hæc autem facit, in foro exteriori, & indiget dispensatione, Nàm quando excommunicatio est manifestè nulla ipso iure, quia continet intolerabilem errorem, etiamsi excommunicatus celebrauerit cum scandalo, aut se diuinis immiscuerit, non erit irregularis, quia nunquam fuit excommunicatus, & irregularitas à iure inflicta est in hoc casu non ratione scandali, sed excommunicationis, quamuis peccaret ille, qui cum scandalo coràm ipsis, qui excommunicationem nullam fuisse prorsus ignorant, celebraret, aut diuinis immisceret, sicut affirmant Palud. in 4. senten. distin. 18. quæst. 1. & Gabr. qu. 2. Ang. in Summa Ver. Excommunicatio 4. §. 19. refert quindecim casus speciales, in quibus dicit ex-
B communicationem nullo modo esse timendam. nec quoad Deum, nec quoad Ecclesiam, quando notoriè constat de aliquo ex illis casibus, Notorium autem hac in re, vt aduertit Nauar. in cap. Cum contingat Remed. 2. numer. 24. non debet intelligi eo modo, quo notorium capitur in cap. Vestra De Cohab. Cleri. & Mulie. nec vt accipitur in cap. fin. De Temp. Ordi. Sed in genere pro eo, quod est manifestum, hoc est secundum Abb. in illo cap. Vestra num. 3. pro clamosa insinuatione certo auctore præcedente patefacta.

Secundo intelligi potest ex his, quæ diximus, quo sensu accipienda sit vulgata illa propositio, cuius auctor est B. Gregor. hom. 26. in Euangel. & refertur
C 11. quæst. 3. cap. 1. *Sententia Pastoris siue iusta, siue iniusta timenda est*, Non est enim accipienda in eo sensu, vt Beatus Gregorius voluerit omnem excommunicationem, ex quocunque capite iniustam, validam esse, Hæc enim propositio ità absolutè prolata esset falsa, vt annotauit Gerson tom. 1. in opusc. peculiari de hac re, & patet ex his, quæ hactenus probata sunt, quia dantur sententiæ iniustæ, & inualidæ, vt habetur ex cap. Cum contingat De Off. Deleg. Quamobrem propositio D. Gregorii primum locum habet de sententia excommunicationis, quæ iniusta est, sed tamen valida, Vt si Prælatus pronunciet excommunicationem ex praua intentione, vel non seruato ordine ab ipso Iure præscripto, sed ex vera,
D & iusta causa, & ex consequenti valida, talis excommunicatio verè ligat, Et hæc est propria sententia huius propositionis, in quo sensu interpretandum est quoque dictum Vrbani Papæ in sua Epistola Decretali capit. quinto cum ait Valdè timendam esse sententiam Episcopi, licèt iniustè liget aliquem.

Potest etiam propositio Gregorij habere locum interdum in sententia iniusta, quæ re ipsa sit nulla, quando non constat certò de nullitate, quia in re dubia parendum est Prælato, & hoc pertinet ad commune bonum, & conuenit optimo regimini Ecclesiæ, & est magis expediens ad salutem animæ, cum agatur de poena spirituali. Qua in re tutior pars est eligen-
E da. Tandem illud etiam est addendum, quod quamuis sententia excommunicationis esset iniusta, & nulla, & id constaret Reo, non tamen illam contemnere deberet in exteriori foro, si in illo de sententiæ inualiditate non appareret, vel cum aliorum scandalo, vel etiam si omnia essent publica, & nota, non idcirco Reus ità Prælati sententiam despicere posset, vt eius potestatem negligere videretur, sed moderate, ac prudenter liceret ei solum iure suo vti, & ad hunc etiam sensum potest intelligi propositio illa, quod sententia Pastoris siue iusta, siue iniusta est timenda.

Ex

Ex dictis colligi potest, an hæc excommunicatio iniusta, sed valida in exteriori foro egeat absolutione, postquam constiterit reum fuisse innocentem; Si enim hæc excommunicatio est valide, vt dictum est, quoad aliquos effectus ex ijs, qui oriontur ab excommonicatione, ab illa debet excommunicatus absolui, aliter non differret ab illa, quæ est manifestè inualida, quæ non eget absolutione. Idem etiam deducitur ex tex. in cap. Per tuas De Sent. Excom. Ibi enim asseritur hanc excommunieationem ligare ante absolutionem. Deinde cum excommunicatus contendit excommunicationem fuisse, & esse notoriè nullam, datur ei absolutio ad cautelam, quia forsan excommunicatio valuit, & absolutio necessaria erat, & forsan nulla fuit, & tunc absolutio non erat necessaria. Sed cum opponit exeommunicationem fuisse iniustã, datur simpliciter absolutio iuxta formam iuris; Quare absolutio oecessaria etiam est, quamuis sententia excommunicationis fuerit iniusta; Quod desumitur ex cap. Venerabilibus §. Porrò, & §. Sed si ex causa De Sent. Excom. lib. 6. & cap. Solet eodem tit. & lib. Ea enim est vniuersalis Ecclesiæ institutio, vt velit excommunicatum etiam iniustè in terris ligatum esse in foro exteriori, & teneri ante absolutionem seruare Canones, qui de excommunicatis loquuntur sub poenis ab eisdem in dictis; Atque primis Ecclesiæ temporibus iudicium Episcoporum tauti ponderis æstimabatur, vt licet iniustam exeommunicationis sententiam aliquando Reos subire contigisset, haud tamen contemnendam putarent, sed ad alios talia passi, Episcopos recurrerent, agentes supplicibus votis, vt iniustè lata sententia ab eo, qui eam tulerat, scinderetur. Est de his exemplom egregium apud Augustioum in Epistola 75. Secus est, vbi excommunicatio est notoriè nulla, non enim tunc requiritur absolutio, Glo. in cap. 1. 11. q. 3. & in cap. Solet citato in V. In officiis, copiosè Nauar. in cap. Cum contingat De Rescript. remed. 3. Quanquam & hanc timere, & ab illa absolutionem petere animi sit verè humilis, & mansueti, & fide sincera, ac spectata excellentis. Huius rei certissimum argumentum desumi potest ab exemplo Theodosij iunioris Imperatoris relato à Theodoreto lib. 1. cap. 36. Niceph. lib. 14. cap. 4. Vir quidam vitam excolens monasticam animo paulò audaciore præditus, ad Imperatorem rei cuiusdam petendæ gratia accedit. Quod cum sæpius fecisset, nec ab Imperatore quicquam impetrare meruisset; Imperatori Ecclesiastica interdicit communione, vinculoque Ecclesiæ ei iniecto decedit. Imperator autem fide excellens in primis ad Palatium veniens, cum tempus instaret conuiuij, & omnes conuiuæ adessent, dixit se non prius capturum cibum, quàm Ecclesiæ vinculo solueretur. Proinde vnum ex familiarissimis ad Episcopum mittit, vt potestatem faciat ei, qui ipsum ligauerat, vinculo soluendi. Cum autem Episcopus respondisset non debere cuiusque vinculum admittere, significaretq. eum solutum esse, non tamen solutione illa contentus fuit, donec is, qui eum ligauerat, magno cum labore conquisitus, communioni illum restituisset. Huiusmodi erat Imperatoris erga leges Ecclesiasticas fides, & deuotio; Hæc auctores citati, Illud fortasse ex institutione Sanctę sororis; Theodosius mente versans de seruis Dei dictum Numer. 24. *Qui benedixerit tibi, benedictus erit, & qui maledixerit, erit maledictus.* Nec plura ad hoc capur addamus.

CAPVT II.

An Excommunicatio lata ab ipso Iure, vel homine contra facientes aliquid, comprehendat quoque mandantes illud fieri, Consulentes, & similes, An solùm facientes, & vtrum omnes tales quacunque ratione agant.

QVidqoid sit de illa quæstione, an poena legis posita contra delinquentem afficiat mandantem; De qua non leuis est controuersia, quod vt cognosci possit, ad verba legis, quibus Legislatoris voluntas colligitur, recurrendum est, vt late disputat Duarenus io tract. crim. lib. 9. cap. 32. De qua difficultate modo non agimos, sed quod spectat ad rem nostram, De excommunicatione, Duæ sunt opiniones. Prima est illorum, qui negant comprehendi mandantem, consulentem, & alios similes, sed solum ipsummet facientem. In hunc modom sentit Caietanus in Sum. V. Excommunicatio in princ. & cap. 47. Siluest. sibi contrarius excommunicatio 10. dubio 4. Tabieo. Excommunicatio 5. casu 44. Nauar. in Manual. cap. 27. num. 51. Altera opinio est illorum qui affirmant talem legem attingere etiam ipsum mandantem, quando excommunicatio est à iure communi lata, non tamen si excommunicatio imposita fuerit ab Ordinario, particulari aliquo statuto; Est sententia Abbatis in cap. Mulieres de sentent. excom. quem citat, & seqoitur Ang. Ver. Mandatum num. 1. & Siluester Mandatum 4. §. 4. qui etiam refert alios Auctores in eandem opinioom; Et hæc videtur opinio communis Canonistarum, & Iurisconsultorum. Tota huius rei difficultas nascitur ex cap. Mulieres de sent. excommunic. Vbi Pontifex aperte decernit mandantem percussionem Clerici contraxisse excommunicationem Canonis, Si quis suadente Diabulo, & addit rationem, quia qui mandat delictum fieri, vere committit illud. Ex his duabus sententijs prima est multo probabilior, vt monui etiam in capit. . . . & Iulius Clarus in Praxi crim. q. 86. §. 2. dicit esse communem, quæ opinio de consulente est magis certa; Nam, vt probat contra Ioannem Andream Abb. in capit. Nuper num. 7. de sentent. excommun. nullus tenetur ex consilio, vt in Regul. Nullus de Regul. Iur. libro sexto, (Excipitur tamen, quando consilium datum est cum fraude, & dolo) quia consilium non cogit, nec infert necessitatem. Non obstat text. in l. Si remunerandi §. Si tibi ff. Mandati, Vbi mandans tenetur ex mandato, quando qui facit, non erat alias facturus, nisi mandatum præcessisset, nam respondet Abb. illum §. Si tibi intelligendum esse de solo Mandante, non autem de Consulente, vt patet etiam ex ipsa rubrica. Quantum verò ad Mandantes, nonnulli Doctores sentiunt cum secunda opinione, quia qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, & actus magis tribuitur Mandanti, quàm Mandatario, cum hic agat nomine illius, sicut Procurator agit nomine sui principalis, & maximè id videtur habere locum, quando Mandans præcipit alicui, qui iure ipso; Imperanti parere debet, vt filius, serous, famulus, quoniam, etiam si in delictis isti noo teneantur obedire, sunt tameo personæ iure ipso subiectæ, vt Abb. inquit io dicto cap. Mulieres nu. 9.

Probabilius tamen videtur idem sentiendum esse de Mandante sicut de Consulente, & alijs similibus, & probatur primò, quia re vera aliud est facere, aliud

mandare, vt fiat; quare lex loquens de faciente non debet extendi ad Mandantem, nam Bartol. in leg. Si is, qui pro Emptore, ff. De vſuc ap. num. 56. & melius in l. Sed ſi vnicus §. 1. ff. de Iure iur. communiter receptus ſeenndum Iaſ. in dicta l. Si is, qui ex profeſſo tenet eum, qui per alium facit, non verè ſed fictè facere, niſi illud aliud ſit iuſtrumentum motum ab eo, neceſſario, quale eſt baculus, vel gladius, inferens ex eo mandantem non verè, ſed fictè facere id, quod Mandatarius facit, præſertim vbi Mandatarius non obligatur ad id, etiam poſt ſuſceptum mandatum, vt contingit in materia delictorum, de quibus loquimur.

Probatur ſecundò, quoniam apud ſacros Canones frequenter poſt latam excommunicationem contra ipſoſmet delinquentes, reperimus eandem pœnam excommunicationis repetitam contra ipſos Mandantes, igitur re vera ſub faciente non comprehenditur mandans, nam alioquin non eſſet opus fruſtra exprimere mandantem, vt in c. Felicis de Pœn. lib. 6. Clem. Si quis, ſuadente de pœn. in multis capitulis Bullæ Cœnæ Domini in l. Si quis id, quod ff. de iuri. omn. Iudi. & in alijs multis, in quibus exprimuntur Mandantes, Conſulentes, & cæteri, quia legislatores voluerunt illos comprehendere, vnde c. Quicunque de Sent. Excom. lib. 6. probat excommunicationem latam contra Dantem licentiam malefaciendi non extendi ad vtentem illa, niſi expreſsè id exprimatur, & Clemen. 1. De Conſang. excommunicans contrahentes cum conſanguineis non comprehendit Conſulentes, Mandantes, neque aliter conſentientes.

Ad citatum c. Mulieres de Sent. excom. Vbi ſupponitur tanquam clarum Mandãtem percuſſionem Clerici eſſe excommunicatum ob eam rationem, vt inquit Papa, quia lata eſt excommunicatio contra percuſſorem Clerici. Quare Papa intelligit nomine facientis comprehendi mandantem. Reſpondeo in tex. ſupponi, vt certum; mandantem percuſſionem Clerici eſſe excommunicatum, non ob eam cauſam, quia Mandans verè percutiat, vt cenſet Abbas; ſed quoniam alijs conſtitutionibus ſancitum erat excommunicationem latam contra percuſſorem Clerici cõprehendere etiam Mandantes, Ordinantes, &c. vt in cap. Quantæ de ſent. excom. & cap. Sicut dignum de homi. Deinde quamuis in his Iuribus non fuiſſet definitum excommunicationem latam contra percuſſores Clericorum comprehendere etiam Mandantes, potuit Papa in illo cap. Mulieres explicare, & declarare in hunc modum cap. Si quis ſuadente, & extendere illud, vt amplecteretur etiam mandantem, etiam ſi ex vi Canonis antea non includeretur Mandans, Talis etiam extentio quandoque fit de vno caſu in alium, ne lex fruſtretur ſuo fine, vt in c. Significauit de Iudæ. quod habet Mittentem arma ſaracenis ita eſſe excommunicatum, ac Deferentem per Canonem latum contra facientem, aliter lex careret ſuo effectu, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 51. Similiter cap. Si Ciuitas de ſent. excom. Interdictum Ciuitatis extendit ab ſuburbia, nè lex reddatur inanis.

Verum adhuc ex verbis eiuſdem capituli Mulieres poſſet quis obijcere cõtra dicta, nam ibi Papa inquit, qui mandat percuti Clericum, verè committit crimen, *nam quod per alios facimus, per nos facere videmur*, Reſpondeo ſenſum illorum verborum eſſe Mandantem verè committere contra legem quantum ad culpam criminis, non quoad poenam, ſi in iure non exprimitur, vel dicamus Mandantem verè committere crimen iuris fictione, non ex natura rei, idest ius commune Mandantem delictum habere pro committente in his ſcilicet caſibus, quos Ius expreſſit, quod autem ſic debeat intelligi, patet, quia in aliis iuribus Mandans diſtinguitur à faciente delictum, vt colligitur ex cap. 2. De Clericis pugnantibus in duello ex cap. Si quis viduam diſt. 50. & ex cap. Sicut dignum de Homicid. Præterea ipſimet Canoniſtæ teſte Abbate in dicto cap. Mulieres aiunt, quod licèt Iure communi Mandans habeatur pro faciente delictum, At verò ſtatutis municipalibus, ſi poena irrogetur facientibus delictum, non comprehendi mandantes illud, quia mandans committit delictum iuris fictione, non natura rei, & ſtatuta non ſunt extendenda ad caſus iure fictos, ſed ad veros, igitur etiam ex ſententia Canoniſtarum excommunicatio lata contra facientem non extenditur ad mandantem, niſi in lege id exprimatur, Atque tunc non quia mandare ſit facere, ſed quia legislatori ità placuit exæquare vtrumque ad poenam ibi impoſitam.

Quæri poteſt hoc loco primo, an ſi Mandans percuſſionem Clerici decedat è vita, antequam reuocet mandatum, & Mandatarius vi mandati percutiat Clericum, an Mandans mortuus incidat in excommunicationem, Tres ſunt opiniones Canoniſtarum. Prima aſſerit Mandantem in hoc caſu non incidere in excommunicationem, quia mandatum morte mandantis finitur. Ita ſentit Gloſ. Innoc. & Hoſt. in dicto cap. Mulieres de ſent. excom. Secunda opinio tenet mandantem incidere in excomunicationem, quia decedit ex vita in ea voluntate, quam ante obitum habuit, & non reuocauit, argum. cap. Maiores De Baptiſmo, & eius effectu, vbi dicitur poſſe baptizari Amentem, vel Dormientem, ſi ante inſaniam, vel ſomnum, baptiſmum petijt, & eam voluntatem non reuocauit. Hanc ſententiam tribuit Silue. excommunicatio 6. §. 5. verſ. ſi autem Mandator ante percuſſionem, &c. Innocen. Hoſt. & Gofrei ſi enim Mandator in articulo mortis non fuit abſolutus à peccato vel ſaltem non apparuerunt in eo poenitentiæ ſigna debet haberi tanquam excommunicatus ſequuta percuſſione ſi notum & manifeſtum erat ipſum mandaſſe percuſſionem vnde non debet ſepeliri in loco ſacro, non quia obſtringatur excommunicationis cenſura poſt mortem quia Eccleſia non ligat eos qui in Terra non viuunt cap. Quodcunque 24. quæſt. 1. Sed quia declaratur deceſſiſſe ligatus idem ſentit Philipp. in cap. Cum quis num. 3. De ſent. excom. lib. 6. Tertia opinio diſtingnit, aut Mandans ante obitum poenitentiam egit iniqui mandati, quod mandauerat, & ſignis exterioribus contrariam voluntatem declarauit, vel nihil tale egit, ſi primum, mandans non incidit in excommunicationem, ſi ſecundum detur, incurrit in eam, quoniam decedit abſque poenitentia delicti, quod commiſit prius, Sic Abbas Ioann. Andre. Petr. de Ancha. dicto capitulo Mulieres. Mihi videtur verior prima opinio, quoniam poenæ, & odia ſunt reſtringenda, & mandatum morte mandantis finitur, & extinguitur, ergo & poenæ, ac odia finiuntur, leg. Mandatum Cod. Mandati, leg. Inter cauſas, & leg. Si quis aliam §. Mortem ff. Mandati, vnde magna differentia eſt inter ea, quæ quis conſtituit per modum mandati, vel præcepti, aut per modum Statuti, vel legis, Id enim, quod ſtatuitur per modum mandati, ceſſat morte ipſius, ſi vero per modum Statuti, vel legis, non ceſſat, Quod dictum de Mandante intelligi debet de Conulente, Defenſore, Auxiliante,

liante,

siantē, Fautore, & Mediatore, Aduertendum tamen est, quandocunq; opus est trahere Canonem ad Consulentem, non comprehendere itá simpliciter Consulentem consilio adeò simplici, vt sine illo tám certo, & iniquo animo fuisset crimen commissum, ac cum illo per c. Felicis §. Illud de pœn. lib. 6. iuncta Glos. Verbo Simplici, cui similis Glos. consentit in Clemen. Si quis suadente De Pœn.

Dubitatur secundo in hac quæstione, an quando Mandans, siue Consulens &c. excommunicatur, incidat in excommunicationem eo ipso, quod mandat opus contra legem, antequam opus executioni mandetur, an vero post criminis executionem.

Respondeo ex sententia Caietani, & Nau. locis citatis ad hunc casum inspiciendas esse duas regulas. Prima est, si Constit. Canonis eod. modo loquitur de Mandante, & Consulente, sicut de Faciente, quando pœna excommunicationis æquè principaliter lata est in vtrumq; tunc statim dato mandato, vel consilio ipse mandans, vel Consulens est excommunicarione innodatus, etiā si opus non sit perfectum, nam qui mandat interfici aliquem per Assassinos, statim est excommunicatus etiam nō sequuta morte c. 2. de homic. lib. 6. quia textus ille equè principaliter excommunicat Mandantem, sicut Occidentē, & Religiosus, qui concionatur animo retrahendi Auditores à solutione decimarum, statim est excommunicatus, quamuis nihil persuadeat, Clem. Cupiens §. 1. de pœn. & idem dicendū est, quando altera lex infert excommunicationem contra facientem aliquod opus, altera autem imponit excommunicationem contra mandantem, nulla mentione facta facientis, eo enim casu mandans eo ipso post datū mandatum efficitur excommunicatus. Secunda Regula est, quando lex primo, & principaliter imponit pœnam excommunicationis contra Facientē, & secundario contra Mandantem, aut Consulentē, ita quidem vt legislator excōmunicet primo facientē, deinde subiungat, extendendo legem, similiter excommunicamus mandantem, tunc mandans non incurrit excommunicationem, nisi opus sortitum fuerit effectum. Vnde Mandans alicui etiam millies, vt percutiat Clericum, nō est excommunicatus, donec percussio sequatur, & nunquam erit excommunicatus, si non sequatur percussio. Istæ etiā regulæ locum habent de Auxiliante, cæterisque similibus, Glos. cap. In Audientiam §. Iniuriarum de sent. excom. Couar. in rubr. de homic. 2. par. rele. nu. 5. dicit esse communem sententiam.

Verum dices, qua ratione fieri potest, vt mandans non contrahat pœnas legis, nisi effectu sequuto, cū sæpè contingat, vt mandans per veram pœnitentiā purgauerit delictum, antequam sequatur effectus. Quo casu si crimen committatur à Mandatario, id non prouenit ex voluntate Mandantis, Respondeo non esse inconueniens, vt pœnæ Iuris contrahantur eo etiam tempore, quo aliquis verè dolet de suo peccato, quoniam Ius punit opera exteriora, & satis est, si illa opera sequantur ex aliqua voluntate præcedēte, aliud vero est loqui de culpa, quæ non contrahitur, nisi eo tēpore, quo voluntariè illam admittimus, ergo si quis mandauit percussionem Clerici, & deinde ante percussionē eum verè pœniteat sui mandati, percussio tamē sequitur tanquam effectus naturalis ex voluntate præcedente mandatum, in qua voluntate fuit tota culpa contracta, licet deinde, cum delictum executioni mandatur noua culpa non contrahatur.

Dubitatur tertio, postquam excommunicatio lata

A contra facientem aliquod opus, non extenditur regulariter contra mandantes illud opus, an saltem comprehendat omnes, qui opus faciunt quomodocunque etiam imperfectè, vel ad incurrendam excommunicationem requiratur, vt opus sit simpliciter perfectum, & consumatum.

Respondeo opus aliquod posse dici imperfectum. Primo ex parte ipsiusmet operis præcepti, vel prohibiti, quoniam non habet vltimum finem, & effectum formaliter tali operi conuenientem. Secundo ex parte Agentis. Priori modo prohibetur sub poena excommunicationis homicidium, percussit quis alterum lethali vulnere, tale vulnus dicitur imperfectè homicidium, vnde percussor non erit excommunicatus, si nō

B sequatur mors, prohibetur enim homicidium, quamuis tale vulnus illatum sit sufficiens causa homicidij, non est tamen homicidium; quare nec vulnerans erit excommunicatus, & desumitur hęc doctrina ex c. Perpetuo de elect. lib. 6. Vbi definitum est non incurrere poenas, ferentem suffraginm pro indigno, si electio non sortitur effectum, nám verba legis propriè intelligenda sunt, præsertim in materia poenali, & multo magis hæc regula erit vera, quanto magis actus erit imperfectus, & longius distabit á fine intento, vt si volens percutere Clericum contorqueat hastam in illum, verum minimè contingat. Quod si commisso tali opere ex sui ratione formaliter imperfecto, sequatur per accidens, vel ex alia causa effectus, & finis

C prohibitus à lege sub poena excōmunicationis adhuc exercens illud opus non incidit in excommunicationem, quamuis hac intētione dirigeret actionem suam ad consequendum illum finem, vt si quis leui vuulnere alterum percutiat, quod ex sui genere non sit sufficiens ad mortem inferendam, quamuis contingat illum mori ex aliqua superueniente causa accidentali, vel quia ipse vulneratus occasionem dederit morti, qui percussit; non erit excommunicatus, quia mors non est sequuta ex eius actione, quamuis etiam vulnerans habuisset intentionem lethale vulnus infligendi, & occidendi, quia intentio non sufficit ad censuram, nisi sequatur actio externa. Verum, quando res dubia esset, & incerta, àn mortis causa fuisset

D actio illa, tunc tutius esse seruare Censuram, & petere absolutionem.

Quando vero actus est imperfectus ex parte agentis, quia non præbuit perfectum consensum, tunc inspicienda sunt verba legis, si lex contineat verba, quibus significetur expressus, & completus consensus, Vt e. g. si dicat, Qui præsumpserit hoc facere, Qui temerario ausu hoc fecerit, vel alio modo simili, tunc non erit excommunicatus, qui directa voluntate ex certa scientia, & proposito non violauerit legem. Si vero lex simpliciter loquatur, tunc intentio illa, quæ sufficit ad peccandum, erit sufficiens ad incurrendam excommunicationem, etiamsi non ex voluntate violándi legem illud egerit,

E sed ex amore, vel timore humano, aut ex alia passionè.

Sed objiciet quis, Qui transgreditur Canonem prohibentem sub censura excommunicationis, nè hæreticus recipiatur ab aliquo, domi, si consanguineus affectu naturali motus in domum admittat, non erit excommunicatus, vt inquit Nauarrus in Manual. capitulo vigesimoseptimo numero 55. quia non adest voluntas violandi legem, ergo requiritur expressa, & deliberata voluntas ad incurrendam excom municationem.

Respondeo in eo casu hospitem heretici non esse excommunicatum, quia non transgreditur legem, Prohibetur enim iu Canone receptio haretici, vt hæreticus est, ideo quando admittitur vt Consanguineus, vel amicus, non fit contra legem.

CAPVT III.

An ignorantia pracepti, vel legis continentis excommunicationem excuset transgreßorem, vt non incurrat excommunicationem.

HOmines per ignorantiam transgrediẽtes leges, vel statuta, aut Iudicis mandata, non videntur de crimine, ac delicto damnari posse, nec ex consequẽti in excommunicationis pœnam incidere, sed excusari debere propter ignorantiam, quoniam excommunicatio fertur propter peccatum mortale tantum, & id quidem contumaciæ, vt in c. Nemo 11. q. 3. & nos superius demonstrauimus in cap. 4. superioris Disputationis, sed contumacia procul abest ab ignorante, quia omne peccatum voluntarium est, vt inquit Beatus Augustinus lib. 1. Retract. cap. 9. Sed ignorantia causa est actus inuoluntarij, vt ait B. Ioan. Damascen. lib. 2. Fid. Ortho. cap. 24. quia ignorantia tollit cognitionem, quæ necessariò præexigitur ad voluntarium, Nàm voluntas non fertur in incognitum, vt inquit Ar. 3. & hic cap. 1. Igitur ignorantia omninò excusat à peccato, & idcirco à pœna excommunicationis. Ex altera parte quod Violans legem ex ignorantia nihilominus pœna excommunicationis in lege contenta innodetur, & ob ignorantiam non excusetur, Deducitur ex eo, quod Ignorans potest committere culpam mortalem, & fieri contumax, Nàm Augustin. lib. 3. De libero arbitrio cap. 18. affirmat multa per ignorantiam facta rectè improbari, & digna esse vituperio; immo ignorantia videtur potius aggrauare, quàm diminuere peccatum, Beatus enim Ambrosius super illis verbis Apostoli Pauli ad Romanos 2. *An ignoras quia benignitas Dei &c. Grauissimè peccas, si ignoras* inquit Ambros. & videtur id etiam confirmare Ar. 3. Eth. cap. 5. ante med. ex sententia antiquorum de illa ignorantia, quæ omninò tollit vsum rationis, Affirmat enim Ebrium non solum non excusari à peccato propter ignorantiam, sed mereri duplices maledictiones; quare ignorantia non minuit peccatum. In hac quæstione, quæ difficilis est, & controuersa, nonnulla sunt explicanda de ignorantia, deinde quibusdam propositionibus res tota est aperienda.

Ignorantia duplex est, alia Iuris, alia facti, Art. 3. Ethic. cap. 1. alio modo distinguit, scilicet in ignorantiam rei vniuersalis, & ignorantiam rei singularis, Ignorantia Iuris est ignorantia legis, quam tenemur seruare, Ignorantia facti est, quando ignoratur factum lege prohibitum. Rem explicemus exemplis, Si quis ignoraret percussionem Clerici habere excommunicationem annexam, laboraret ignorantia Iuris, si quis verò non ignoraret Canonem, si quis suadente 17. quæst. 4. Sed percuteret aliquem, quem ignorabat esse Clericum, haberet ignorantiam facti. Et hæc eadem diuisio ignorantiæ Iuris, & facti intelligi potest de excommunicatione lata per præceptum hominis.

Rursus tam excommunicatio, quæ ab ipso Iure promulgatur, quàm illa, quæ per præceptum hominis imponitur, potest esse de opere ex sui genere malo, & damnato, Atque etiam de opere per se licito, seclusa lege, & præcepto, Vt quamuis percussio Clerici non esset sub censura excommunicationis interdicta adhuc percutere Clericum esset res per se mala, & contra legem Dei. Contra vero, vt Monachi audiant Ius ciuile, non est ex suo genere malum, sed indifferens, & tamen est sub excommunicationis pœna vetitum, cap. Non magnopere, cap. Super specula nè Clerici, vel Mona. & ita de similibus.

Præterea ignorantia Iuris aliqua est Iuris communis, vt cum ignorantur Canones à Summo Pontifice editi, vel Concilio Generali, Aliqua est Iuris particularis, vt sunt Statuta edita ab Episcopis in suis Diœcesibus, vel Sinodis Nationalibus.

Postremo vtraque ignorantia aut est probabilis, quando aliquis vel ignorat, quę Iure non tenetur, aut, si tenetur ea scire, non potuit, nec per ipsum stetit, quominus sciret, eadem vocatur inculpabilis, seu inuincibilis, Aut est ignorantia improbabilis, seu vincibilis, aut culpabilis, quando aliquis ignorat, quæ scire debuit, ac potuit, & hæc duplex esse potest, Alia voluntaria directè, & formaliter, vt cum quis non vult scire aliquid ex professo, vt possit operari contra legem, & hæc vocatur affectata, de qua intelligitur Iob. 21. *Qui dixerunt Recede à nobis scientiam viarum tuarum nolumus* & Psal. 35. *Noluit intelligere, vt benè ageret*, Alia est indirectè voluntaria; quando quis ignorat, quæ scire debet, & potest, sed simpliciter priuatiuè se habens, quia non adhibuit diligentiam, & appellatur ignorantia crassa, & supina, quæ iuxta rationem negligentiæ erit vel peccatum mortale, vel veniale.

His præmissis respondemus ad quæstionem, in qua quædam sunt certa, quæ apertè sunt in Iure definita, & ab omnibus Doctoribus absque dissentione admittuntur.

Primum est ignorantiam probabilem, seu inuincibilem facti, siue liciti, siue illiciti excusare ab excommunicatione lata à Iure, vel ab homine.

Probatur, talis ignorantia excusat à culpa, ergo ab excommunicatione, antecedens patet, quia talis ignorantia tollit omnino voluntarium, sine quo non est peccatum, consequentia probatur, quoniam excommunicatio incurritur solum propter culpam mortalem, vt probatum est.

Secundo probatur ex cap. Si vero 2. de sent. excommun. vbi Summus Pont. declarat non incidisse in excommunicationem percutientem Clericum, quem ignorabat esse Clericum, licèt peccauerit contra præceptum Dei.

Secundum, quod etiam conceditur communi consensu omnium, est ignorãtiam probabilem Iuris particularis, veluti statuti Prouincialis, quando opus ex sui genere est licitum, excusare Transgressorem ab excommunicatione.

Id videtur in Iure definitum in cap. Vt animarum De Constit. lib. 6. Vbi habetur statuta Episcoporum non ligare ignorantes, cap. Excellentissimus 11. quæstio 3.

Ratio etiam allata hoc idem probat, quoniam ignorantia probabilis excusat à culpa, ergo & à pœna, Alphons. Castro latè lib. 2. De Potest. leg. pœna cap. 14.

Tertium certum est Ignorantiam improbabilem, crassam, & supinam Iuris, seu communis, seu particularis, non excusare ab excommunicatione.

Patet hoc in Iuribus citatis, cap. Vt Animarum de Constit. lib. 6. cap. Si vero 2. De Sent. Excom. cap. Excellentissimus 11. q. 3. Quibus locis definitum est Ignorantiam probabilem excusare quidem, non autem

tem

tem crassam, & supinam. Vnde in cap. Si culpa De Iniur. absolutè dicitur: *Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti.*

Ad cognoscendum verò, quando est ignorantia probabilis, & inuincibilis, & quando ignorantia improbabilis, traditur hæc regula; Quando præceptum, vel factum, quod ignoratur, non spectat ad proprium officium illius, qui ignorat, tunc ignorantia præsumitur probabilis; Quando verò pertinet ad propriũ officium, non dicitur ignorantia probabilis, quia ignorantia eius, quod quis scire debet, non est inculpabilis, Institut. De Lege Aquil. §. Præterea, habetur imperitiam in re ad proprium officium pertinente non excusare. Regula tamen hæc est intelligenda, si ille, qui officium habet, iuxta qualitatem B officij, & personæ conditionem, adhibuit sufficientem diligentiam, vt sciret id, quod ad suum officium pertinebat; Si autem fuit negligens, vt perquireret obligationem officij sui, erit ignorantia culpabilis. Quanta vero debeat esse huiusmodi diligentia, non potest simpliciter, & absolutè definiri, sed relinquendum est prudenti iudicio ponderatis omnibus ad tale præceptum, & ministerium pertinentibus, quæ in foro conscientiæ magis certa esse possunt; Nam in foro exteriori regulariter præsumetur ignorantia culpabilis.

De tribus his propositionibus allatis non est dissensio apud Doctores, sed discrepant primò, an ignorantia probabilis Iuris particularis, puta statuti Pro- C uincialis excuset ab excommunicatione, si factum ex sui genere sit illicitum, & damnatum.

Probabilior tamen est illorum opinio, qui affirmãt huiusmodi ignorantiam excusare ab excommunicatione, quamuis opus sit damnatum Iure naturæ, vel diuino. Id afferunt Anchar. in dicto cap. Vt animarum; Adria. in 4. in q. 3. De Claui. Excep. 3. & apertè deducitur ex dicto cap. Vt animarum, vbi vniuersaliter dicitur Statuta Ordinariorum non ligare Ignorantes. Huiusmodi autem statuta frequentius lata sunt de rebus Iure naturæ prohibitis; Vnde ibi Sermo est de furto, & cap. A nobis 1. De Sent. Excom. similiter loquitur de statuto prohibente furtum.

Secundo magis dubitant de ignorantia probabili D Iuris communis, constitutionis scilicet Pontificiæ, quæ obligat omnes; An quando factum est per se illicitum excuset ab excommunicatione in Iure contenta, tamen etiam de ignorantia Iuris communis probabilius est affirmare excusari illum ab excommunicatione, qui inculpabiliter ignorat legem Summi Pontificis, vt si quis probabiliter ignoraret prohibitum esse ab Ecclesia sub censura excommunicationis; Nè quis Clericum violenter læderet, non incurreret excommunicationem in foro conscientiæ, quamuis contra Ius naturale, & diuinum iniuriam inferret Clerico.

Afferunt hanc propositionem Antoni. 3. par. tit. 25. cap. 33. Ang. V. Excõmunicatio 7. casu vlt. & V. Ignorantia nu. 4. Silue. Excommunicatio 2. §. 3. & V. Ignorantia §. 16. Sot. in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. Io. Maior. in 4. dist. 18. quæst. 4. Io. Duedo. De libertate Christiana lib. 2. pag. 246. Nauar. in Manuali cap. 27. num. 16. Alphon. Castro lib. 2. De Potest. leg. Poenal. cap. 14. Eadem videtur Innocentij cap. Si verò 2. De Sent. Excom. Domin. & aliorum in dicto cap. Vt animarum.

Probatur hoc dictum validis rationibus. Primò Nemo pœna excommunicationis multari potest, nisi A propter peccatum inobedientiæ, & contumaciæ; Est enim fundamentum, & causa adæquata excommunicationis, ideo Christus inquit: *Si Ecclesiam non audierit;* Qui autè inuincibiliter Ecclesiæ præceptum ignorat, nullatenus potest appellari inobediens Ecclesiæ, ergo talis non potest censura excommunicationis innodari. Nec valet responsio Scoti in 4. dist. 6. q. 8. quod talis ignorans est inobediens Deo, quia committit id, quod scit, vel saltem tenetur scire lege diuina prohibitum esse, nàm, vt inquit Domin. Sotus aliud est transgredi præceptum Dei, aliud præceptum Ecclesiæ, aliud non obedire Deo, aliud non obedire Ecclesiæ; Qui enim transgreditur præceptum Dei, peccat grauiter, & punietur à Deo in alia vita, nequit tamen ab Ecclesia puniri pœna excommunicationis imposita contra inobedientes Ecclesiæ, si inuincibiliter præceptum Ecclesiæ ignorauit; Nam talis ignorans, quamuis committat culpam contra Deum, non tamen est inobediens Ecclesiæ.

Secundo sequeretur ex contraria opinione, quod si quis occideret Sacerdotem ignorans inuincibiliter esse Sacerdotem, sciens tamen esse hominem, innodaretur sententia Canonis, cum id agat, quod scit Iure naturali esse prohibitum, consequens tamen est falsum, & contra textum in cap. Si verò 2. De Sent. Excomm.

Tertio ignorantia Iuris, & facti in hoc solum differunt, quod non tam facilè admittitur ignorantia inuincibilis Iuris, quam facti, sed eodem modo excusat à delicto vna, sicut altera; Excommunicatio autem non fertur nisi contra delinquentes; Quare si vtraque ignorantia excusat à delicto, ergo vtraque excusabit à poena excommunicationis; Ignorantia facti omnium consensu excusat, ergo & ignorantia Iuris.

Hæc afferuntur ad comprobandam hanc opinionem; Non desunt tamen multi, qui oppositum sentiunt; Nempè alligari vinculo excommunicationis eum, qui opus aliquod ex sui genere illicitum committit damnatum Iure diuino, & naturali, quamuis omnino ignoret ecclesiasticum præceptum, quo tale factum sub poena excommunicationis prohibetur. Et fundamentum huius dicti est, quoniam satis est, vt quis sciat, vel scire debeat factum illud ex suo genere esse malum. In hac sententia est Scotus in 4. dist. 6. quæst. 8. Adria. quæst. 3. De Claui. Glos. super cap. A nobis De Sent. Excom. Io. Andr. cap. Vt animarum De Constit. lib. 6. Bart. in l. Cunctos Populos C. De Summa Trini. col. 7. Vers Secundo quæro, & ibidem Bald. col. 13. Vers. Circa maleficium; Quibus adhæret Couar. prima par. in cap. Alma Mater §. 10. num. 8. & seq. quamuis affirmet hanc quæstionem esse difficilẽ, & contrariam opinionem esse communem Canonistarum, profitetur tamen constanter hanc esse veram, & esse manifestum errorem oppositam defendere. Probat Couar. suum dictum; Nam ignorantia pœnæ E in lege contentæ non excusat transgressorem legis.

Verum hæc ratio non impugnat contrariam sententiam, quam existimo probabiliorem, quoniam illa non loquitur de ignorantia solum poenæ contentæ in lege Ecclesiastica, sed de ignorantia legis, ratione cuius ignorantiæ, excusetur Reus à culpa transgressionis legis; An vero si quis sciens legem aliquid prohibentem, agat opus prohibitum, incurrat excommunicationem, quam ignorabat contineri in lege, est alia dubitatio, ad quam diuersimodè respondent Doctores.

Cano-

Canonistæ teste Couar. loco citato communiter tenent ignorantiam excommunicationis sufficere, vt reus non incurrat excommunicationem.

Probatur hæc responsio, quia excommunicatio peculiari ratione requirit inobedientiam, & contumaciam erga Ecclesiam, quæ contumacia non reperitur in eo, qui ignorauit excommunicationem, quamuis legem sciret; Nam ad incurrendam hanc contumaciam necesse est, vt præcedat monitio sub comminatione excommunicationis; Ille autem, qui sola lege admonetur, si ignorat excommunicationem legi annexam esse, non admonetur sub comminatione censuræ, ergo non admonetur eo modo, vt possit dici contumax ad excommunicationem incurrendam; Et propterea non potest ferri excommunicatio pro peccato præterito simpliciter, vt diximus in cap. 4. præcedentis disp. quamuis sit contra legem Ecclesiasticã, & hac ratione transgressor sit inobediens materialiter Ecclesiæ, quoniam non est inobediens secundum illam rationem specialem, quæ inuenitur post monitionem sub comminatione censuræ; Vnde qui peccat probabiliter ignorans censuram excommunicationis, quamuis legem nouerit, non potest magis propter eã causam excommunicari, quam propter quodcunque peccatum commissum contra obedientiam Ecclesiæ, cui non erat annexa censura excommunicationis.

Secundo probatur idem ex cap. Vt animarum De Constit. lib. 6. Vbi Summus Pontifex declarat eos non ligari statutis Ordinariorum, qui ea inuincibiliter ignorant, & Papa etiam est Ordinarius, vt annotauit Silue. Excommunicatio 2. §. 3. & excommunicatio vlt. §. 3. non in particulari Dioecesi, sed in vniuersa Ecclesia, quia habet iurisdictionem ordinariam, quamuis, vbi simpliciter sermo est de Ordinario in iure, non intelligatur Summus Pontifex.

Alij vero respondent ad illam dubitationem, contrariam defendentes sententiam; Ignorantiam scilicet probabilem excommunicationis non excusare transgressorem legis ab excommunicatione; Ita sentit Couar. §. 10. num. 8. & seq. & dicit esse opinionem Bart. Bald. & aliorum Doctorum, qui de pœna in genere loquentes affirmant, ignorantiam pœnæ non excusare transgressorem legis à pœna apposita in lege. Probat hanc Conclusionem Couar. Primo quia si requireretur scientia pœnæ appositæ in ipsa lege aduersus crimina, & delicta, sequeretur eos, qui adulterium, furtum, incestum, vel quid simile commiserunt, scientes se delictum committere; Ignorantes tamen probabili ignorantia poenas in lege statutas, puta rusticos, vel foeminas non posse puniri poena legis communis apposita contra committentes talia crimina; Quod videtur apertè falsum, & passim in hos ita delinquentes animaduertit Iudex, ergo non est necessarium, vt agens contra legem sciat hanc, vel illam poenam pro eo actu constitutam esse, sed satis est scire, quod actus lege prohibitus sit.

Secundo argumentatur, Hæc scientia poenæ contentæ in lege aut requiritur, vt legis transgressor verè dicatur criminis reus, & inobediens Legislatori, vel vt poenæ legis visus sit consentire, vt rectius, ac iustius puniri valeat. Sed prima causa non facit ad rem, cum per ipsius legis prohibitionem simplicem, manifesta sit voluntas Legislatoris iubentis, vt omnes legi obtemperent, cui naturali quadam obligatione subditi parere debent.

Secunda vero causa falsa est, non enim verum est obligationem naturalem ad sustinendam poenam ex

A delictis oriri, à consensu, nihil enim magis alienum est ab ipsius delinquentis animo, quàm in legis poenã consentire, & S. Tho. in 4. Sent. dist. 18. q. 2. art. 5. ad secundam quæstionem inquit poenæ principium extra nos esse, nec ad rationem poenæ requiri, vt sit voluntaria, immò potius de ratione ipsius est esse contra voluntatem. Quare nullo modo requiritur hæc cognitio poenæ contentæ in lege, & idcirco poterit puniri pœna legis siue cõmunis, siue municipalis, committens actũ lege prohibitum, etiamsi poenæ ignarus sit.

Tertio ignorantia iusta, & inuincibilis non alia ratione excusare potest à pœna, quàm quod efficiat actũ inuoluntarium quoad malitiam, quia non potest esse peccatum, nisi voluntarium. Id vero, quod procedit ex ignorantia inuincibili, non est voluntarium.
B Quare si nulla alia de causa ignorantia, à peccato, & deinde ab eius pœna excusare potest, quam quia ratione actus inuoluntarij nulla inest operationi malitia, vt inquit B. Tho. 1. 2. q. 29. art. 1. & 3. sequitur manifeste tunc solum ignorantiam à pœna excusare, cum fuerit inuincibiliter ignoratum id, à quo peccati, & actus, malitia pendet, & è contra non excusare, cum id, quod ignoratur, ad malitiam actus non pertinet, quia tunc ignorantia non est causa illicitæ operationis, vt inquit B. Tho. in dicto art. 1. Igitur si quis e. g. furtum committit sciens illud iure damnatum esse, ignorans tamen pro eo crimine Synodali Episcopi constitutione latam esse pęnam excommunicatio-
C nis, tunc in hoc casu ignorantia non contingit circa id, quod peccati malitiam constituit, nec excusatur talis fur à malitia furti, propter istam ignorantiam pęnæ, & ideo minimè à pœna excommunicationis pro tali furto excusari debet.

Hęc sunt argumenta ad hanc sententiam confirmandam pluribus verbis, & longiori sermone ab ipso Couar. amplificata. Huic opinioni adhæret etiam Bartholomeus Medina in Commissarijs in 1. par. B. Thom. in art. 3. q. 76. quam solum probat diuersis exemplis, vt si quis occidit Clericum ignorans inuincibiliter pœnam excommunicationis efficitur tamen excommunicatus, similiter si affirmet quis pertinaci animo dogma aliquod falsum contra fidem, incidit
D in hæresim, & est ipso facto excommunicatus, etiam si ignoret latam esse ab ipso Iure excommunicationem contra hæreticos, & nonnulla alia similia affert exempla.

Alij media via incedunt in solutione huius dubitationis, ex quibus quidam dicunt ignorantiam pœnæ regulariter non excusare transgressorem à pœna, excipiendam tamen esse ab hac regula pœnam excommunicationis, Abb. & Felin. in capitulo, A nobis de sentent. excom. & Glo. ibidem, nonnulli autem vtuntur distinctione inter Canones Summorum Pontificum vt sunt Pastores vniuersales totius Reipublicæ Christianæ, & statuta Episcoporum, & aliorũ Ordinariorum, dicunt igitur ignorantiam excõmuni-
E cationis, quę continetur in Constitutionibus Episcoporum, excusare, ne censura incurratur, sed ignorantiam legis pontificiæ non excusare. Hanc responsionem videtur probare Abb. in dicto cap. A nobis, & Scot. dist. 6. quæst. 8. Adria. quęst. 3. De Claui. Maior dist. 18. q. 4. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 75. §. 2.

Fundamentum huius distinctionis esse debet, quia hęc excusatio non est ex sola rei natura, vt qui nouit legem, si ignoret excommunicationem in ea contentam, & violet legem, non incurrat excommunicationem, ergo solum erit ex permissione, & indulgentia

Ecclesiæ,

Ecclesiæ, quæ in cap. Vt animarum declarauit habere locum hanc moderationem in Statutis Ordinariorum, & non extendi ad Constitutiones pontificias, quidquid dixerit Silue. quia nomine Ordinarij in Iure non comprehenditur Sum. Pontifex, vt patet ex tit. De Offic. Ordi.

Accedit, quod aliquando in Canone Pontificio legimus violatores Canonis etiam ignorantes censuram incurrere.

Ex his tribus modis respondendi ad dubitationem propositam. Primus est probabilior, nempè ignorantiam probabilem excommunicationis sufficere, vt aliquis excusetur, nè eam incurrat, etiam si alias prohibitionem legis, vel mandati non ignoret.

Ità sentiunt Silue. Nauar. Sot. & alij citati, qui indistinctè loquuntur de ignorantia excommunicationis, & de ignorantia Statuti, seu legis, sed ignorantia legis excusat, ergo & ignorantia excommunicationis excusare poterit.

Ad rationes Couar. pro contraria opinione facilè est respondere, illæ enim probant solum non esse vniuersaliter verum, vt omnis, qui ignorat pœnam legis, si delinquat in legem, non incurrat pœnam illam, quamuis nonnulli Canonistæ hoc fundamentum admittant, sed nos existimamus esse falsum, vt rationes Couar. optime probant, sed dicimus hoc esse peculiare in censura excommunicationis, & fortassè in alijs censuris, quæ requirunt inobedientiam, & contumaciam formalem, quia excommunicatio nõ ordinatur primo, & per se ad puniendum delictum commissum, quatenus commissum est, sed ad eius emendationem, & Nauar. affirmat hoc etiam habere locum, quando pœna est exorbitans, & extraordinaria, quia illius ignorantia excusat delinquentem ab huiusmodi pœna, sed pœna excommunicationis est grauissima omnium pœnarum, idcirco maximè verum erit id de excommunicatione.

Deinde cum dicit, vel talis scientia requiritur, vt qui transgreditur legem verè dicatur criminis reus, vel vt per hanc scientiam ipse delinquens consentiat pœnæ contentæ in lege, & sic æquius cogi possit ad subeundam dictam pœnam.

Respõdeo talem scientiam excommunicationis requiri, vt ipse reus criminis, verè sit inobediens, & cõsequenter possit hac censura innodari, quę non fertur nisi in inobedientes formaliter, qui vero ignorat excommunicationem, non potest dici inobediens, ignorantia enim producit actum inuoluntarium.

Tertium argumentum erat, ignorantia illius qualitatis, & circumstantiæ, quæ ad malitiam actus non pertinet, non excusat à culpa, neq à pœna, sed ignorantia excommunicationis non est ignorantia alicuius qualitatis pertinentis, vel aggrauantis malitiam actus, vt si lex feratur sub poena excommunicationis contra homicidas, qui ignorat hanc excommunicationem, non propterea dicitur nescire aliquid, quod ad rationem homicidij spectet, igitur propter talem ignorantiam non erit immunis à poena excommunicationis.

Respondeo delinquentem ex ignorantia in legem continentem excommunicationis sententiam, committere actum inobedientiæ contra Ecclesiam inuoluntariè, & ex hac parte excusari à poena excommunicationis ab Ecclesia latæ, qui enim committit homicidium, non ignorat prauitatem totã huius actus, ideo voluntariè peccat contra Deum, & puniri debet poena huic crimini adæquata, sed quia nescit præce-

A ptum Ecclesiæ sub poena excommunicationis, hanc ob causam hic actus dicitur inuoluntarius ex hac parte, nec potest transgressor talis appellari formaliter inobediens Ecclesiæ, & idcirco minimè erit excommunicatus.

Ex his manent etiam soluta, quæ allata sunt initio capitis ex Aug. cum ait multa per ignorantiam esse digna vitoperio, & ex B. Ambrosio, qui asserit grauissimè peccare illum, qui ignorat, hæc enim, & similia sunt intelligenda de ignorãria volũtaria, & affectata.

Sed insurgit dubitatio, quoniam si idcirco ignorãtia probabilis excusat ab excommunicatione, vt vidimus, quoniam, qui sic ignorat, non potest propriè cõtumax appellari, & inobediens Ecclesiæ, cum ignoret B præceptum, & poenam excommunicationis in eo appositam, propter eandem rationem sequeretur debere etiam ignorantiam vincibilem, & culpabilem excusare, qui enim ex tali ignorantia peccat, non potest propriè contumax dici, sicut, qui ex ignorantia vincibili erat in fide, non est verè hæreticus, quia non est pertinax.

Et confirmatur, qui ignorat legem, etiamsi culpabiliter eam ignoret, tamen re vera non admonetur per legem, ne id, quod prohibitum est, agat, ergo non erit excommunicatus, quia deficit conditio essentialis ad incurrendam excommunicationem.

Respondendum est ad hanc dubitationem. Primò si loquamur de ignorantia culpabili affectata, C propterea ignorantiam affectatam non excusare ab excommunicatione, quoniam, qui tali ignorantia laborat, supponitur habere aliquam suspicionem, & dubitationem legis, & excommunicationis, & propterea tenetur aliquam diligentiam adhibere, vt sciat, an sit talis lex, alioqui temere se exponit periculo transgrediendi illam, quod si adhibere diligentiam nolit, vt veritatem agnoscat, merito dicitur temerarius transgressor, ideo non meretur excusationem, quia voluntariè vult sic operari cum morali periculo transgrediendi legem.

Dico secundo ignorantiam crassam, & supinam, licet minus voluntaria sit, quam affectata, tamen cũ illa superari possit adhibita aliquali diligentia, non D excusare à pœna excommunicationis, patet ex cap. Vt animarum de constit. lib. 6. Vbi à statutis Ordinariorum, dicitur, excusari ignorantes, nisi ignorantia fuerit crassa, & supina.

Dico tertio, si loquamur de ignorantia quadam vincibili, quæ neque est affectata, neque etiam adeo crassa, & supina, vt illi ferè æquiualeat, sed sit tamen culpabilis ex quadam communi & ordinaria negligẽtia humana, hanc ignorantiam, siue sit facti, siue Iuris, nunquam excusare ab excommunicatione, nisi sit sufficiens ad excusandum à culpa mortali, pro qua lata est excommunicatio, & tunc erit probabilis ignorantia, quod si à tali culpa excusaret, reus non incurreret excommunicationem, quamuis illa ignorantia E non haberet vim excusandi à peccato mortali simpliciter, nec à pœna debita pro illo peccato, exemplo rem explico, si quis percutiat Clericum, ignorando illum esse Clericum, talis ignorantia non excusat à culpa simplicis percussionis, ergo neque potest excusare à poena debita pro tali crimine, & sicut potest excusare à peccato sacrilegij, ita excusat à censura excommunicationis. Hoc exemplum habetur in cap. Si vero 2. de sent. excom. & alij similes casus recensentur in cap. Si quis cum duabus, & cap. Si quis cum Matre, & cap. Quidam 34. q. 2. & eadem ratio est de igno-

igno-

ignorantia Iuris; Non ignorat quis homicidium esse damnatum Iure naturæ, & diuino, neque excusari potest à culpa huius facti, neque à pœna debita, ignorat tamen ab Ecclesia esse interdictum sub pœna excommunicationis, igitur erit excusatus à culpa inobedientiæ contra Ecclesiam, & à Censura excommunicationis.

Huius dicti illa videtur optima ratio, quia in Iure non reperitur ignorantia vincibilis, quæ ad lethalem culpā sufficiat, & non sit vel affectata, vel saltem crassa, & supina; Si est affectata, non potest dari sine A dolo, & malitia, & est directè voluntaria, si verò est crassa, & supina, potest prouenire ex duplici capite, vel ex pura negligentia, & desidia, vel ex nimia sollicitudine, & occupatione ad alias res, & negocia, quæ impediunt debitum studium, & curam sciendi ea, quæ quis scire tenetur. Quando oritur ex primo capite, dicitur crassa, quando ex posteriori, dicitur supina; Sed ignorantia huiusmodi non excusat à pœna excommunicationis, vt vidimus, ergo nulla ignorantia vincibilis potest excusare. Et sic finem imponamus huic disputationi.

DE CAVSA FORMALI, ET RATIONE, SEV MODO PRONVNCIANDI SENTENTIAM EXCOMMVNICATIONIS.



XCOMMVNICATIO est poenarum vltima, & durissima; Quare non temerè, & inconsultè à Prælatis est infligenda, sed summa adhibita prudentia, atq; pluribus conditionibus requisitis, nō solum antequam pronuncietur, sed in ipso etiam actu ferendi, denique postquam lata fuit. Quæ omnia ad causam formalem excommunicationis pertinent. Hæc forma præscribitur ab Innocentio Tertio in Concilio Lateranensi cap.27. & refertur in cap.Sacro De Sent. Excom. Nempè vt excommunicatio non promulgetur, nisi præmissa competenti, & canonica admonitione, & præsentibus idoneis personis. Tandem ob iustam causam. Innocentius Quartus in Concilio Lugdunensi in cap. Cum medicinalis De Sent. Excom. lib. 6. addit præter has enumeratas alias conditiones, scilicet vt sententia excommunicationis in scriptis proferatur, & vt Iudex requisitus infra mensem sententiæ copiam, & exemplum tradat. De hac igitur forma tractandum erit, & primo disputabitur de ijs, quæ præmitti debent ante excommunicationem, deinde de requisitis in actu excommunicandi; tandem de subsequentibus excommunicationē.

DISPVTATIO TERTIA
De ijs, quæ præmitti debent ante sententiam Excommunicationis.

Caput Primum, An necessarium sit ante omnem sententiam excommunicationis monitionem præmittere.

Caput Secundum, An requiratur ante excommunicationem admonitio personalis, idest vt persona ipsa excommunicanda admoneatur, vel satis sit, vt fiat ad domum, vbi solet frequenter habitare.

Caput Tertium, An hæc monitio debeat esse trina, & vtrum requirat alias conditiones.

B *Caput Quartum, An semper requiratur monitio ante excommunicationem, vel aliquando licitum sit illam prætermittere.*

Caput Quintum, An excommunicatio lata non præmissa canonica monitione non solum iniusta sit, sed etiam inualida.

CAPVT I.
An necessarium sit ante omnem sententiam excommunicationis monitionem præmittere.

Sententia excommunicationis pronunciari potest ab homine pro peccatis, & delictis præteritis, & C iam commissis, atque etiam pro futuris culpis, quia assumitur tanquam remedium, vt homo à peccato desistat, & se ipsum corrigat, & interdum nè prolabatur in peccatum, sed huius grauissimæ censuræ formidine caueat à delicto, suoq. Prælato obediat.

Si tractetur de excommunicatione lata pro futuris culpis, dicendum est hanc excommunicationem nullam requirere præcedentem monitionem, vt Innocentius inquit in cap. Sacro in princ. De Sent. Excom. & Felin.nu.5. & in cap.Cum sit Romana De Appella.qui ad hoc citat Io. Andr. in cap. P. & G. De Off. Deleg. Idem notat Nauar. in cap. Cum contingat quinta nullit. cau. num.4. De Rescript. Et ratio est, quia ipsummet præceptum latum sub poena excommunica- D tionis vim monitionis habere dicitur, vt cum quis debet alteri soluere summam pecuniarum, & promittit infra mensem se soluturum simul consentiens, vt Iudex contra ipsum tunc pronunciet excommunicationem, si infra statutum terminum non soluerit. Aliud exemplum quotidianum affert.Lap. Alleg.83.

Et hac de causa ad incurrendam excommunicationem, quæ in lege continetur, non est necessaria alia monitio, sed lex ipsa legitimè promulgata satis monet omnes, vt illam seruare debeant; Quare qui illam transgreditur, dicitur inobediens, & contumax, vt iustissimè excommunicationis vinculo obstrictus maneat, nisi ipsamet lex monitionem exigeret, vt habe-

habetur in Clement. vlt. §. fin. De sta. Monach. cum ait *Nisi moniti resipiscant, ipso facto excommunicationis sententiam se nouerint incursuros*, & simile legitur in Clem. 1. de Deci. Hoc autem est quid peculiare, atq; ob eandem rationem idem est asserendum de sententijs generalibus, & praeceptis latis ab homine continentibus excommunic. quæ ex hac parte non differunt à legibus, vt dixi in cap. 5. Disp. 1. quamuis non durent in perpetuum, sicut leges, sed extinguantur cum ipso homine, & id colligitur ex cap. A nobis 1. de sent. excom. Et clarius apparet ex cap. Quia periculosum de sent. excom. lib. 6. Vbi eodem modo incurritur excommunicatio ipso facto per sententiam generalem sicut per Statutum, igitur in his non requiritur monitio, neque oppositum præcipitur in cap. Romana de sent. excom. in 6. Vbi prohibetur excommunicatio ferri non præmissa monitione tam generaliter, quàm in specie, nam, vt dixi in dicto cap. 5. ex sententia Couar. ibi solum prohibetur, ne indistinctè, & regulariter ab homine proferatur sententia excommunicationis in genere pro futuris culpis, nisi existente iusta causa, vt tunc explicabam, vel dicendum est, vt alij respondent in dicto cap. Romana, non haberi sermonem de Censuris generalibus, quæ feruntur propter culpas futuras, sed pro culpis, & offensis præteritis, vel præsentibus, quæ aliquando sunt contra certas personas in particulari, aliquando cõtra quascunque in genere, sed semper sunt contra speciale delictum, & in his est diuersa ratio, quia quando delictũ commissum est, non præcessit monitio nec per legem, nec per sententiam Iudicis generalem, propterea Canones postulant monitionem ante huiusmodi excommunicationem, hoc non est necessarium in excommunicatione pro futuris culpis, etiamsi in specie præceptum sit impositum tali personæ, vt hoc, vel illud faciat, aut fugiat sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, quia talis excommunicatio incurritur à transgressore præcepti absque alia monitione propter eandem rationem, & ita tenent expressè Innoc. c. ex parte 1. nu. 4. de verb. signif. Abb c. Cum sit Romana n. 28. de appella.

Quamobrem sequitur admonitionem esse necessariam ante excommunicationem solum, quando excõmunicatio fertur ab homine per sententiam latam contra certam personam ob crimen commissum.

Id constat ex cap. Romana de sent. excom. lib. 6. & c. Sacro extra eod. tit. cap. Cum speciali de appella. c. 1. & ibi Glo. de excess. Prælat. c. Constitutionem de sent. excom. lib. 6. & alibi. Et ad hanc conditionem seruandam obligantur omnes, qui pollent iurisdictione ferendi excommunicationem. Et cum hæc conditio sit maximè vtilis, & necessaria bono spirituali animarum, graue peccatum est illam negligere.

Neq; solum Inferiores Prælati tenentur monitionẽ præmittere ante excõmunicationem, sed etiam Summus Pontifex, si loquamur de monitione quatenus Iure naturæ præcipitur, scilicet vt sine sufficienti causa nemo condemnetur, & nemo causa incognita puniatur. Non tenetur autem Papa præmittere admonitionem eo modo, quo requiritur ex præscripto Iuris positiui, vt scilicet est trina monitio cum sufficienti dilatione temporis, & alijs conditionibus requisitis, quia Summus Pontifex non est subiectus Iuri positiuo. Posset etiam Summus Pontifex aliquando, & propter grauitatem delicti, & euidentiam illius, vel aliquam necessitatem occurrentem propter bonum publicum dispensare, vt in casu particulari sine monitione com-

A peteri, & canonica pronunciaretur excommunicatio, quod confirmatur ex cap. In causis de sent. & re Iudi.

Solent autem dubitare Doctores, vt notat Couar. 1. par. in c. Alma Mater §. 9. n. 6. An hæc monitio sit necessaria, quando excommunicatio fertur à Prælato contra certam personam in defensionem proprij Iuris potius vt priuata persona, quàm Iudice, vt contra occupantem bona ecclesiastica. Et licet multi Doctores, quos refert Couar. teneãt partem negatiuam, tamen nulla ratio apparet, cur hæc constitutio generalis de admonitione præmittenda ex c. Sacro, non debeat habere locum etiam in hac specie excommunicationis, vt animaduertit Couar.

Probatur, quoniam, licet censura excommunica-
B tionis feratur in certam personam ad defensionem proprij Iuris, tamen est lata ab ipso Prælato tanquam ab habente potestatem excommunicandi, & idcirco semper erit actus Iurisdictionis, vnde requirit monitionem iuxta cap. Sacro. Quare si Episcopus in visitatione non admittatur ab aliquo Abbate, quia existimet se esse exemptum, & hanc ob causam vtatur cõtra eum gladio excommunicationis, illa excommunicatio vel feratur in pœnam peccati commissi, quia noluit Episcopum admittere, & tunc Episcopus se habet vt Iudex, postquam punit delictum, quod spectat ad Iudicem, & Superiorem, ergo tunc seruandus est ordo, & forma præscripta à Iure, antequam pronuncietur excommunicatio, vel Episcopus excommuni-
C catione vtatur non ad corrigendum delictum Abbatis, sed vt hac via compellat illum desistere ab huiusmodi impedimento, atque hoc casu non potest aliter id facere, quam præcipiendo sub pœna excommunicationis incurrendæ, & ita habebit rationem præcepti pro peccato futuro, idest si contradicendo perseuerauerit impedire iurisdictionem ipsius, & in hoc casu iura non requirunt nouam monitionem ante excommunicationem, quia ipsum præceptum habet vim admonitionis, vt diximus, & transacto termino in præcepto apposito statim ipso facto incurretur excõmunicatio. Quare nullus reperiri poterit casus, in quo ferri possit excommunicatio canonicè non præmissa monitione in specie, vel saltem in genere con-
D tenta in ipso præcepto.

Pœnæ vero, quibus puniri debet Iudex omittens canonicam admonitionem ante excommunicationem, habentur in cap. Sacro de sent. excom. de quibus dicam in cap. 5.

CAPVT II.

An requiratur ante excommunicationem admonitio personalis, idest vt persona ipsa excommunicanda admoneatur, vel satis sit, vt fiat ad domum, vbi solet frequenter habitare.

QVamuis Iure communi legitimè dicatur admonitio, seu citatio facta, si fiat ad domum illius,
E qui citandus est, nẽpe vbi habitare solet, l. scire oportet §. Qui autem ff. de excus. Tut. cap. Causam de dolo, & contum. in Clem. causam Vers. Quod si forsan de elect. Audr. Tiraq. de retract. §. 9. Glo. 2. n. 1. In nonnullis tamen casibus non sufficit huiusmodi citatio ad domum. Ex quibus primus casus est, quando quis est excommunicandus, neque enim tunc sufficit admonitio ad domum solitæ habitationis, sed regulariter requiritur monitio personalis sicut inquiũt Innoc. & Abb. c. vlt. De eo, qui init. in poss. Rota in nouis decis. 271. & 366. Felin. in cap. Cum sit Romana

mana De Appella. numer. 13. Latè Andr. Tiraq. De Retract. §. 9. Glo. 2. nu. 4.

Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus etiam ad excommunicationem proferendam in aliquem non est necessaria monitio personalis, sed satis sufficiens erit ad domum habitationis. Primus est, quoties qui excommunicandus est, dolo latet, vt subterfugiat monitionem personalem, sic enim notat Innoc. & Doctores in dicto cap. vlt. tex. in cap. 1. Qui Matrim. accus. poss. & in cap. Quoniam frequenter §. 1. Vt lit. non contest. Andr. Tiraq. in dicta Glo. 2. nu. 7. Secundus est, cum quis legitimè iam semel fuit citatus personali citatione, etenim si postea citetur ad domum, aut per edicta, vel in ipso Tribunali, poterit excommunicari, vt Rota in nouis decis. 399. & Felin. in dicto cap. Cum sit Romana num. 14. Tertius casus contingit, quoties citatio, vel monitio ad domũ facta peruenit ad ipsius excommunicandi notitiam, hæc enim sufficit, vt legitimè excommunicari possit, & excommunicatus censeatur, notat Felin. in dicto cap. Cum sit Romana nu. 15. Rota in nouis decis. 402. Textus in Clem. Causam in fi. De Elect. ex quo citatio illegitima cum notitia subsequente ità ligat, sicut citatio ab initio legitima. Idem Andr. Tiraquell. in dicto §. 9. Glos. 2. num. 16. Quartus casus, cum quis fuerit malè absolutus ab excommunicatione, & tractetur de reducendo eum in primam excommunicationem, erit enim tunc satis, quod citetur ad domum, & moneatur; Nec requiritur personalis monitio, vt censet Rota in nouis decis. 399. cui accedit Felin. in dicto cap. Cum sit Romana num. 15.

Hic dubitari potest, quid respondendum sit in quodã facto, quod refert Ant. Mas. Gal. in tract. De Oblig. Cam. pag. 135. De processu agens num. 8. Constituit quis absens procuratorem ad contrahendum, & se obligandum pro obseruando Contractu sub forma Camerali facta obligatione, & transacto præfixo termino satisfaciendi; An procedi possit ad excommunicandum eum, quem non constat habuisse vnquam notitiam obligationis eius nomine per procuratorem factæ, Cassiad. Decis. 12. De Rescript. & Decis. 2. De Pension. vult, quod is, qui consensit obligationi pensionis per procuratorem, non possit ob non solutionem pensionis excommunicari, nisi antea fuerint ei intimatæ literæ ob grauitatem poenæ excommunicationis, quæ requirit certam, & indubitatam notitiam, & citat Innoc. in dicto cap. fin. De eo, qui mitti. in possess. cau. rei seruan. & concludit Rota ità seruare, Ant. Mas. loco citato, licet non audeat rem decidere, videtur tamen potius in contrariam sententiam inclinare, & probat ex cons. Raph. Cumæ. 162. Visa copia col. 2. Vers. Nec in hoc prætendi potest ignorantia, Roman. Cons. 480. Præsentis dubitationis, qui concludunt non esse probabilem ignorantiam rei gestæ per procuratorem, præsertim specialiter ad eam rem constitutũ, quia vtrinque culpa in ipsum principalem recidit, siue fuerit ipse negligens in requirendo, quid eius Procurator gesserit, siue malam fecerit procuratoris electionem, qui non curauerit ei rem gestam significare; Et ità inquit hic Doctor in executione obligationis Cameralis quotidie seruari, habita duntaxat ratione, quod inter obligationem factam, & executionẽ illius vigore faciendam tãtum temporis intercesserit, quod verisimiliter obligationis factæ notitia ad obligatum peruenire potuerit, & post habitam notitiam obligatus promissa adimplere. Mihi magis placet sententia Cassiadori, & eius opinionis est Hier. Gig. in Tract.

A De Pensio. quæst. 84. num. 2. Primò quia fundamentum pro contraria sententia non est firmum, & validum, quod si ipse principalis non habuit notitiam rei gestæ per procuratorem, ipsemet fuit in culpa, quia potuisset habere, si constituisset procuratorem diligentem; Quare non est probabilis ignorantia, sed potius crassa, & affectata, quæ non excusat; Nam fieri potest, & id sæpè accidit, vt procurator fuerit accuratus, reddendo certiorem suum principalem, & tandem literæ non peruenerint ad eius manus, quo casu ex neutra parte culpa considerari potest; Nec præsumptio satis est, vt quis iustè, & legitimè excommunicari debeat; Excommunicatio enim est grauissima poena, quæ non debet infligi, nisi omnibus alijs
B remediis tentatis. Quare si propter vehementem præsumptionem non potest quis puniri Glo cap. Literas De Præsumpt. & Innoc. in cap. Qui verisimili De Præsumpt. inquit non esse de facili quempiam ex præsumptionibus condemnandum, igitur multò minus potuit excommunicari. Secundo si ad aliquem excommunicãdum non sufficit citatio ad domum facta, nisi constet ad eius notitiam peruenisse, vt probatum est, quo pacto erit sufficiens notitia procuratoris, vt legitimè excommunicari queat principalis, nisi appareat euidenter obligationis eius nomine per procuratorem factæ cognitionem habuisse? Nec licet id ex coniectura inferre. Tertiò quid si Procurator fuerit negligens, & morosus, vt rem totam commonefacere
C ret suum principalem, & sic ipse solus sit in culpa, cum principalis existimauerit è contra eum virum accuratum, & tractandis negociis valdè idoneum, nec secus censendum est, alioquin eius curæ negocia, & res suas non commisisset; Quo casu vel nullius culpæ, vel tantum venialis Reus esset principalis, ob quam iustè non esset excommunicandus, cum excommunicatio infligatur solum pro culpa mortali.

Postremò etiam si talis principalis ea teneretur ignorantia, quæ non excusaret illum à culpa mortali, nec ab alijs poenis iuxta doctrinam Glos. cap. A nobis Vers. Non nisi subditi De sent. excom. Id tamen non haberet locum in poena excommunicationis, quę
D non incurritur sine contumacia, quæ non potest supponi in hoc casu, si non constet principalem habuisse notitiam obligationis, atque ita docent Abb. & Felin. in dicto c. A nobis, & ita interpretantur dictum Glosæ. Quare hæc sententia videtur tutior, & æquitati, & rationi magis consentanea.

CAPVT III.

An hæc monitio debeat esse trina, & vtrum requirat alias conditiones.

Optimè, ac sapienter iura postulant, antequam Iudex excommunicationis sententiam in contumacem pronunciet, vt legitimè proferatur excommu-
E nicatio, præmittendam esse competentem monitionẽ, & canonicam, cap. Sacro De Sent. Excom. cap. Statuimus, & cap. Cõstitutionem eod. tit. lib. 6. Quæ vero dicatur canonica monitio, definitum est in dicto cap. Constitutionem hoc modo: *Decernimus ità demum esse canonicam monitionem, si aliis ritè seruatis, eos, qui monentur, exprimat nominatim.* Et Glos. in Vers. Seruatis declarat, quæ sunt alia, quæ seruari debent, scilicet quod inferatur causa, super qua fit monitio, & aliqui sint præsentes, per quos possit probari, cum competenti temporis interuallo. Idem habet Glos. in

in dicto cap.Statuimus Verf.Monitiooem canonicam. A Debet autem reus ter moneri, vt dicatur canonica, & competens admonitio, vt notat Glof. iu capit. Reprehenfibilis Verf.Canonica admonitione de Appell. Vbi pluribus iuribus id probat. Optimè vero, ac fapienter à facris Canonibus definitum eft, vt antequã, à Iudice pronuncietur excommunicatio in delinquentem, præcedere debeat non vnica tantum, fed trina monitio propter maiorem maturitatem iudicij, vt Iudex clarius, & firmius valeat explorare, an tanta fit contumacia fubditi, quæ digna fit hac cenfura corrigi, & huius trinę monitionis neceffitas colligitur primum ex illo loco Euang. *Si peccauerit in te frater tuus, & cæt.* Vbi Christus admonet Petrum, vt peccantem fratrem corrigat primo fecretè, deinde adhibeat duos B teftes, quos fi non audierit, iubet denunciari Ecclefiæ. Ex quo loco io Concilio Rothomagienfi fuit definita hæc triplex monitio, 16. quæft. 7. cap. Omnes decimæ his verbis, *Statuimus, vt decimas dare nolentes fecundum Domini præceptum, admoneantur femel, fecundo, & tertio, quod fi non emendauerint, anathematis vinculo feriantur,* & idem habetur ex decreto Nicolai cap. de Presbyterorum 17.quæft. 4. in cap. Contingit 2. de fent. excommun. lib. 6. & cap. de Illicita 24. quæft. 3. & alijs citatis.

Hæc trina monitio debet effe diftincta in tres terminos, fcilicet vt fiant tres monitiones diuifæ in tria tempora, vel poteft effe vnica continens tria dierum interualla dicto cap. Conftitutionem, in hunc fane C modum e.g. Te admonemus, vt intra quindecim dies, quorum quinque pro prima, quinque pro fecunda, & quinque pro tertia, vltima, & peremptoria monitione afsignamus, fatisfacias, ad iudicium accedas &c. Glo. in dicto c.Conftitutionẽ Ver. Vna pro omnibus.

Hæc eft fufficiens monitio, vt probat tex. & ibi Glo. in dicto cap. Conftitutionem. Quantum vero temporis intercedere debeat inter vnam, & aliam monitionem, oon eft certum apud omnes. Aliqui exiftimant quamlibet monitionem debere ad minimum concedere fpacium duorum dierum, vt tenet Glof. in dicto cap. Conftitutionem, & mouetur ex tex. Vbi habetur dictio pluralis, fcilicet *obferuent aliquorum dierum competentia interualla &c.* Et ita inquit Nauar. in Manua. D cap. 27. nu. 11. dummodò ex mora non immineat aliquod periculum.

Hoc tamen fpatium temporis non explicatur in dicto c.Conftitutionem, fed folum ibi afferitur, quod debeant intercedere aliquorum dierũ interualla, & Abb. in c.Sacro de fentet.excom. tenet, quod vnica dies fit fufficiens pro quolibet termino per textum in l. Inter accufatorem ff.de Publ.Iudi. & in l. Si conuenerit in fi. ff.de pigno. Gemi. in eod.cap. Conftitutionem §. Statutum nu. 2. & Franc. cenfet tutius effe, fi quælibet dilatio faltem duos dies contineat. Communiter tamẽ folent concedi quinque; vel fex dies inter vnam, & aliã monitionem, & poffunt. vt ex eod. c. Conftitutionem in fine habetur, vel pauciores, vel plures admitti; Nam E conceditur Iudici, vt pro facti grauitate, & necefsitate pofsit difponere de illis interualis, non tamen pro libito, fed vbi facti oecefsitas poftulare videtur, ita dicitur in fine dicti c.Conftitutionem, vbi Glo. in Ver. Necefsitas, Exemplis rem declarat, vt fi partes fint paratæ ad rixam, vel arma, nec curent Epifcopi præceptum, ex text. in l.Aequifsimum ff. de vfufruct. In hoc exemplo Glo.Hoft.confulit in c. Romana de fent. excom.lib.6. Quod fi Iudex verifimiliter iudicat non fore ceffaturos à pugna eos, qui funt ad arma parati metu excommunicationis, abftineat à pronunciatione excommunicationis, & præcipiat fub comminatione excommunicationis, vt deponant arma, in hofpitium fe recipiant, aut quid fimile. Interdum etiam nec locus, nec tempus patitur plenius deliberationis confilium, ff. de exem. Act. l. 1. Refponfo 1. Nonnunquam res celeritatem defiderat, l. 1. ff. de dam. infect. Petr. Anch. in dicto cap. Conftitutionem n. 4. Archid. in fin. Gemin. c.Statuimus nu. 2. Franc. nu. 2. Quando igitur Iudex exiftimat probabiliter ex iufta, & vrgente aliqua caufa, tempus admonitionum effe diminuẽdum, licet folitum, & confuetum interuallum variare; Regulariter tamen feruandus femper eft hic ordo, & forma trium monitionum per tria temporum debita interualla ab ipfo iure ftatuta, nec pafsim ex quacũque leui caufa omittenda. Et fi illam prætermittere neceffitas cogit, & vna tantum prætermittenda eft monitio, illa debet continere iuftum temporis fpacium, vt reus pofsit, fi velit, commodè refipifcere.

Præterea in hac canonica monitione vltra debita temporis interualla iura poftulant exprimi eum nominatim debere, qui excommunicandus eft, vt definitum fuit in dicto c.Conftitutionem, vel talibus conditionibus appofitis defignari, quæ habeant vim proprij nominis, vt inquit Glo. ibi Ver. Nominatim l. certum ff. fi cert.pet. c. Licet de tefti. c. 2. de fenten.excom. lib. 6. Similiter valida erit monitio, fi moneatur filius Petri, fi Petrus vnicum filium habeat, l. 2. ff. de libe. & pofthu. Inftit. de Exhære. liberorum §. Nominatim, fecus fi duos haberet, quia tunc neuter eorum dicitur monitus. Et licet dictum c. Conftitutionem, loquatur in cafu, quo Prælatus velit excommunicare participantem cum excommunicatis à fe, tamen eadem ratio militat de omni excommunicatione ob quamcũque caufam infligatur; Nam vt optime notat Glo. in c.Statuimus Verf.Monitionem canonicam, hoc eft regulare in excommunicrtione hominis, vt femper præcedat monitio.

Dubitant Doctores, an requiratur monitio fpecialis, & indiuidua, quando ferenda eft excommunicatio in genere, contra omnes, ne tale quid committant, an vero fufficiat generalis monitio.

De hac difficultate fusè pertractaui in Cap. IV Difp. . . . & probaui fufficere generalem monitionẽ fi generaliter pronuncietur fententia excommunicationis, præterquam in cafu quo excommunicantur communicantes cum excommunicato, tunc enim requiritur monitio fpecialis, vt ftatutum fuit in dicto cap. Conftitutionem, quia in cap. Statuimus de fent. excommunic. lib. 6. correctum eft ius antiquum, vt non poffit ferri excommunicatio generalis in participantes cum excommunicato, legenda funt, quæ dixi in dicto Cap. IV.

Dubitat Glo. in dicto cap. Conftitotionem in Ver. Nominatim, an valeat monitio, & fit legitima, & canonica, fi generaliter moneantur omnes de Collegio, & Vniuerfitate, & concludit monitionem debere effe fpecialem, vt finguli nominatim moneantur, contra quos excommunicatio ferri debet.

Tandem neceffe eft, vt in monitione declaretur caufa, propter quam admonetur reus, fcilicet vt fatisfaciat; vt pareat; vt defiftat fub poena excommunicationis incurrendæ; Nam hæc excommunicatio fertur per fententiam; In pronunciatione vero fententiæ, vt legitimè fiat, requiritur, vt in citatione exponatur caufa, nempè vt pars veniat auditura fententiam, alias etiam appellatione nõ inter-

posita rescinditur ff. Quæ sentent. sine Appell. rescin. l. 1. § Item cum ex eo. in Clem. de verbor. signif. sæpe, §. penult. Glo. in cap. Cum contumacia §. Respondeat de Hæretic. lib. 6.

Postremò monitio debet fieri præsentibus idoneis personis, vt possit probari; Nam vt inquit Glos. in dicto cap. Sacro Vers. Possit probari, non crederetur soli Iudici in præiudicium alterius, cap. Quoniam de Probat. Huius igitur modi admonitio præmittenda est ante excommunicationis sententiam.

CAPVT IV.

An semper requiratur monitio ante excommunicationem, vel aliquando licitum sit illam prætermittere.

AB illa generali cõstitutione de admonitione præmittenda ante excommunicationem solent à Doctoribus excipi aliqui casus.

Primus est, quando delictum est publicum, & notorium; In hanc sententiam Couar. in cap. Alma Mater 1. par. §. 9. n. 6. refert Felin. & Butrium, & Abbas etiam ita loquitur cap. illud de Cleri. excom. Mini. dicens in notorijs monitionem non requiri, sed hæc exceptio caret omni fundamento, quoniam non requiritur ante excommunicationem monitio ad habendam notitiã criminis, sed ad explorandam voluntatem ipsius rei, an velit obedire, & parere præcepto Iudicis, vel potius obstinatè in contumacia perdurare, cum excommunicatio non sit infligenda, vbi non præcessit contumacia, vt satis supra probatum est.

Quamobrem licet verum sit ex communi sententia Doctorum quod vbi factum est notorium potest reus condemnari ipso non citato vt probatur in Clem. Pastoralis §. Cæterum de re Iudi. præsertim si qualitates facti etiam notoria sint, idest vbi manifestum est; Non competere ipsi reo defensionem vt dicit Glo. in capit. Quanto de Transla. Prælat. & c. Illud de Excess. Præla. & affirmant Imo. Ant. de Butr. & Abb. in cap. Vestra de Cohab. Cleri. & Mulier. Et maxime id locum habet si Princeps vti velit plenitudine potestatis vt notant Hostien. & Io. And. in cap. In nostra de Procur. Tamen id fallit in pœna excommunicationis in qua infligenda semper requiritur monitio ob peculiarem illam rationem adductam quæ cessat in alijs pœnis in quibus citatio præmittenda est solum ad habendam notitiam criminis; Atque vt delinquens suas defensiones adducere possit; Quamobrem vbi ex publica at manifesta facti notitia constat euidenter de crimine, simulq. apparet nullam reo excusationem & defensionem superesse licet Principi citatione prætermissa ad pœnas debitas declarandas progredi.

Hanc ob causam alij dixerunt, vt admonitio possit prætermitti, non solum necessariam esse publicam delicti notitiam, sed etiam contumaciam debere esse notoriam; Ita ait Couar. Sed intelligi non potest, quo pacto possit esse contumacia notoria contra Ecclesiam, si non fuerit monitus reus; Nemo enim potest existimari contumax, nisi recuset agere id, quod ei præcipitur; Quare alij putant posse omitti admonitionem non simpliciter, sed secundam, & tertiam monitionem, quando post primam apparet reus incorrigibilis, Gratian. 2. quæst. 1. initio, & incipit, Quod autem, Abb. in capit. Cum sit Romana de Appellat. num. 32. Couar. §. 9. num. 6. Et hoc modo Apostolus Paulus excommunicauit Corinthum illum 1. ad Co-

A rinth. 5. absentem, & irrequisitum, vt dicitur in cap. Cum sit Romana §. vltim. de Appellat. non quod non fuisset sæpe admonitus, vt inquit ibi Glo. Ver. Irrequisitum; Sed quia cum nollet se corrigere, non erat opus vocare illum per Edictum ad iudicium. Vel dicere possumus hanc exceptionem, quam aliqui asserunt, quod in notorijs criminibus excommunicatio ferri possit absque præuia monitione, locum habere, non quando sententias excommunicationis infligitur, sed quando fit denunciatio tantum, vt si quis committat crimen prohibitum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & delictum sit notorium, cum excommunicatio sit ipso facto contracta in ipso actu delicti, poterit reus statim ob facti notorietatem
B denunciari excommunicatus per Iudicem non præmissa alia monitione, Textus in cap. de manifesta 2. quæst. 1. capit. Euidentia de Accusat. capit. Illud de Cleric. excommunic. Mini. & cap. Bonæ memoriæ 1. de Elect.

Secundus casus est, quando periculum est in mora, Nauar. in cap. Cum contingat de Rescript. cau. 5. Sed hæc exceptio est intelligenda respectu trinæ monitionis; Potest enim hæc triplex monitio omitti, si ex dilatione excommunicationis immineret aliquod periculum, vt probaui superiori Capite. Neque potest omitti omnis monitio, quodcunque instet periculum, quoniam contumacia debet præcedere, alias inualida esset excommunicatio; Igitur semper requi-
C ritur, saltem vt præcesserit præceptum sub conditione si hoc fecerit, vel omiserit, vt Nauar. ibi docet.

Tertius casus, quando est cognita, & manifesta contumacia ipsius rei per eius confessionem, quia dixerit se non pariturum, quia cum monitio sit præmittenda, vt constet Iudici, an reus velit parere eius mandato, vel recuset eius voluntati se subijcere, & ita tanquam contumax possit excommunicari, si appareat inobedientia, & contumacia ex verbis eiusdẽ rei, iustè poterit excommunicatione obstringi absq. alia monitione.

Quartus casus solet excipi, quando quis excommunicationem pronunciat non tanquam Iudex, sed vt Exequutor ex capitul. vltim. §. vltim. de Offic. De-
D legat. Vbi dicitur Exequutori non committi iurisdictionem, sed solum ministerium, ideo vices suas alteri committere non posse, quoniam est merus Exequutor ad rem sibi demandatam exequendam, & nullam habet iurisdictionem; Sed ex illo text. desumi non potest, posse excommunicationem inferri ab aliquo sine vlla monitione præmissa, sed illud solum intelligi poterit, In pronuncianda excommunicatione sub Exequutore, cui hoc officium commissum fuerit, posse supponi admonitionem factam fuisse à Iudice, à quo causa cognita fuit; Et ideo non opus esse, vt noua monitio præmittatur.

Quintus casus, quando excommunicatio fertur pro culpis futuris, vt sunt excommunicationes gene-
E raliter latæ ab ipso Iure, vel ab Homine, Quicunque hoc fecerint, vel omiserint, & cæt. Has enim excommunicationes incurrunt trãsgressores legum, & præceptorum statim post ipsam transgresionem absque trina monitione, quia ipsa lex, & præceptum assidue monent omnes, ideo qui violant, satis declarant se inobedientes, & contumaces, sed necessaria est trina monitio in excommunicatione contra certã personã pro peccato cõmisso. Immo addunt aliqui, postquã delinquens per transgresionẽ legis ipso facto cõtraxit excõmunicat., posse iterũ per sententiã

ab

ab homine excommunicari absque alia monitione, vt asserit Additio ad Abb. in cap. Reprehensibilis de Appellat. Quod tamen non caret dubitatione, quoniam si talis reus per Iudicem excommunicatur, re vera obligatur nouo vinculo, vt inquit Glos. cap. Ita quorundam de Iudæ. Quare nouam postulare videtur admonitionem; Nam quamuis fuerit contumax erga legem violando illam, non potest tamen vocari contumax respectu hominis, si non sit præmonitus. Immo Couar. in 1. par. in cap Alma mater §. 9. nu. 5. tener neque denunciationem de excōmunicatione ipso iure contracta fieri posse iuridice, nisi prins citata parte, vt de crimine constet, & aliter faciam denunciationē esse ipso iure nullam, Glos. in Clemen. Præsenti in Ver. Constiterit de Censi. & in Clem. Multorum de Pœn. notat Roman. cons. 482. col. vlt. Gig. de Pensio. q. 78. num. 5. quod à simili probari potest ex capit. Cum secundum leges de Hæret. lib. 6. Vbi definitum est, quod licet hęreticus ipso iure amittat dominium bonorum, non tamen illis priuandus est, donec per sententiam de crimine constet; Igitur multò magis idem dicendum est de bonis spiritualibus, quibus homo priuatur per denunciationem excommunicationis. Quare nullus erit denunciandus excommunicatus, nisi monitione præmissa, quamuis non sit necessaria canonica monitio, scilicet trina monitio, vt declarat Glo. cap. Sacro de sent. excom.

Sexto excipitur casus, qui habetur in cap. Eos de sent. excom. in 6. Nimirum quãdo absoluuntur aliqui ab excommunicatione sub conditione satisfaciendi, vel se præsentandi coram Superiore, vel alia simili cōditione, si enim conditionem non impleuerint incidūt in eandem excommunicationem respectiue absque alia monitione. Quę tamen excommunicatio posterior non dicitur tradita ab homine, sed ab ipso iure in illo c. Eos, & idcirco vere non potest dici exceptio ad regulam generalem, quæ intelligitur, vt diximus, de excommunicatione, quæ fertur ab homine, sed si à Iudice absolueretur reus ab excommunicatione non apposita conditione, & postea ageretur de reuocanda absolutione tanquam temere impensa, necessaria esset noua admonitio, & non sufficeret prior, Couar. §. 9. num. 4. quia illa est noua censura; Et id intelligendum est, quando absolutio fuit valida; nam si nulla fuisset, excommunicatio remaneret in suo robore, neque opus esset alia monitione.

Solent etiam addere alios casus, scilicet quando Prælatus excommunicat aliquem ad defensionem sui iuris, de quo diximus supra in Capite primo, & probauimus hoc dictum carere fundamento. Similiter quando Prælatus est regularis, & excommunicat suos subditos regulares. Tandem quando peccatum, & crimen, cuius causa aliquis excommunicatur, commissum est coram Iudice, & ipso præsente, sed isti etiā duo casus nulla ratione firmari possunt; Non enim potest excogitari causa, cur in his monitio nō debeat præcedere, cum ex præcepto Christi absque vlla exceptione sit necessaria ante excommunicationem, quæ fertur ab homine contra certam personam.

Postremò excipi etiam solet, quando prononciatur excommunicatio in hominem iam defunctum iuxta cap. A nobis 2. de sentent. excom. & cap. 24. q. 1. quia defunctus non potest admoneri.

Sed hæc exceptio etiam potest omitti. Primo quoniam, vt dicemus, Mortuus non dicitur propriè excommunicari, sed declarari incidisse in vita in excommunicationem. Ad declarationem autem non requiritur necessario semper admonitio, vt diximus. Secundo quia per talem sententiam excommunicationis non priuatur defunctus aliquo spirituali iure, quod propriè competit excommunicationi, sed prohibentur alij, ne pro ipso orent, vel offerant sacrificia, quod fit potius ad terrorem, & correctionem aliorum, non ad medelam ipsius defuncti.

Quamobrem ex dictis concludere possumus regulariter excommunicationem nunquam ferri posse iuste, & legitime sine trina admonitione, quæ dicitur canonica, sed ex iusta causa posse reduci ad vnam cum competenti temporis interuallo; Cuius rei non potest assignari certa regula, sed res relinquenda est prudentiæ ipsius Iudicis.

CAPVT V.

An excommunicatio lata non præmissa canonica monitione non solum iniusta sit, sed etiam inualida.

HVic quæstioni respondent communiter omnes Canonistæ excommunicationem latam non præmissa canonica monitione esse quidem iniustam, scilicet pronunciatam contra ordinem iuris, non tamen esse nullam, & inualidam, quia producit effectus excommunicationis, & obligat ipsum reum ad eam seruandam, quia licet lex præscribat hunc ordinem seruandum in pronuncianda excommunicatione, non tamen definit illum vt substantialem, & necessarium, quare si cætera essentialia non desint, & prætermissa tantum sit canonica monitio, excommunicatio erit valida.

Intelligendum autem est hoc commune dictum de trina monitione; Hæc enim appellatur canonica monitio, & de hac loquuntur sacri Canones, quos statim citabo, Glo. in cap. Sacro Ver. Competenti de senten. excom. At si loquamur de monitione simpliciter, hæc est necessaria ante excommunicationem omnem, siue à iure, siue à Iudice feratur, vt probauimus in dicto Cap. IV. vbi ostendimus excommunicationem non posse ferri pro peccato præterito absolutè, nisi habeat aliquem ordinem, & relationem ad futurum, & tunc monitio continetur in lege, & mandato generali prohibente aliquid sub pœna excommunicationis. Quare si omnis admonitio fuerit prætermissa, excommunicatio erit nulla, & inualida.

Probatur modo propositio ex tex. & Glo. communiter recepta in cap. Romana de sent. excom. lib. 6. in Ver. Iniustas, vbi notat idcirco excommunicationum sententias absque competenti monitione promulgatas non esse nullas, sed iniustas, quia excommunicatio lata sine monitione ligat, Glo. in cap. Sacro de sent. excom. & ibi Abb. Felin. & alij, vbi in textu habentur hæc verba, *Si contra præsumpseris*, scilicet Iudex, *etiamsi iusta fuerit excommunicationis sententia, ingressum Ecclesię per mensem sibi noueris interdictum*. Vbi appellatur iusta sententia excommunicationis, etiamsi canonica monitio non præcesserit, quatenus iusta distinguitur à nulla, & confirmatur auctoritate eiusdem Glosæ in cap. Cum medicinalis de sent. excom. lib. 6. in Ver. Causam quæ, vbi affirmat excōmunicationem latam contra ordinem, & formam illius constitutionis validam esse, non autem nullam, etiamsi Iudex puniendus sit pœnis ibidem statutis, quam opinionem sequuntur Io. And. Dom. & Franc. ibi Abb. in cap. Reprehensibilis n. 13. de Appella Felin. in cap. Sacro n. 3. de sent. excom. Nauar. in c. Cum contingat quinta cau. nullit. nu. 6. de Rescript.

Quod ratione etiam confirmari potest; Nam excommunicatus hoc modo, scilicet non præmissa canonica admonitione, debet absolui ab excommunicatione, cap. Si Episcopus 11. q.3. cap. Sacro De Sent. Excom. Absolutio verò supponit valorem eius, quod soluit, arg. cap. Ad dissoluendum De Desp.Impub.l. Manumissiones ff. De Iust. & Iur. cap.Statuimus De Sent.Excom.lib.6.

Quæ conclusio intelligenda est ex communi consensu Doct.de omni excommunicatione, siue pronuncietur ab Ordinario Iudice, siue Delegato, vt Abb.notat in dicto nu.13.& latius ibi Dec.qui conciliat duas Rotæ decisiones per eum relatas; Nam etiam excommunicatio lata à Iudice Delegato non præmissa canonica monitione, non est nulla, immo valet ipso Iure, vt B inquit Abb.in cap.vlt.De Præb.& Felin.in cap.Cum sit Romana col.penol. De Appella.

Sed quamuis sit valida sententia excommunicationis inflicta non præmissa legitima monitione; Iudices tamen Ecclesiastici, quibus iure diuino,& humano vsus huius censuræ competit, cauere debent in ea infligenda, nè negligant Iuris Pontificij decreta, & sanctiones, & ordinem ab eis institutum, alioquin peccant grauiter, & puniendi sunt pœnis statutis in dicto cap.Sacro De Sent.Excom. Latè Lap. in Allegat. 73. Ab hac tamen communi regula excipiuntur tres casus, in quibus excommunicatio, canonica prætermissa monitione non solum esset iniusta, sed inualida; Primus est, quando in ipsamet sententia excommunicationis exprimeretur, monitionem fuisse prætermissam, quia non esset necessaria ad excommunicationem, tunc talis sententia esset nulla, quia contineret intolerabilem, & manifestum errorem, cum oppositum doceat vbique ipsum Ius. Secundus est cum Iodex Delegatus in mandatis habuisset, quod excommunicationem ferret canonica præuia monitione, si ab ipso lata fuerit absque trina monitione, nulla erit, quasi lata sit expresse contra mandati formam, cap. Cum Dilecta De Rescript.cap.Pisanis De Restit.Spolia. & ibi Innocen. cap. Romana De Sent. Excom.§. Sed nec lib.6.Tertius casus est, quando Iudex pronunciat excommunicationem contra participantes cum excommunicato à se ipso, si enim sententia fuerit lata non præmissa canonica monitione, tunc hæc excommunicatio erit inualida. Idque definitum est in cap. Statuimus, & cap. Constitutiones De Sent. Exc. lib. 6. Vbi huiusmodi excommunicatio lata contra participantes non præcedente canonica admonitione declaratur irrita, & nulla; Et hic solus est casus singularis, & in Iure expressus, quo excommunicatio sine canonica monitione est nulla, & irrita, quando excommunicantur participantes cum excommunicato ab ipsomet Iudice. Ex quo sequitur, quod excommunicatio, quæ fertur ab vno Prælato contra participantes cum Excommunicatis ab alio Episcopo etiam non præmissa admonitione non est irrita, & nulla. E

Addi potest alius casus, in quo excommunicatio sine tali monitione est nulla, quem refert Nauar cons. 4.nu.3.in tit.De Sent.Excom. Quando Iudex pronunciat excommunicationem in eum, cui sine causæ cognitione præceperat, vt solueret, vel condemnauit non præmissa citatione, vel clausula iustificante, concedendo terminum ad adducendum causas iustas, si quas habuerit, cuius clausulæ vigore præceptum re- A soluitur in simplicem citationem, aut monitorium, & sicut condemnatio est nulla, ità quoq. excommunicatio tanquam ei accessoria.

Quod autem Prælatus in ferenda excommunicatione non seruans ordinem hunc Iuris peccet, patet, quia expressè violat legem in re graui, & ob huiusmodi delictum ponitur poena priuationis ingressus Ecclesiæ per mensem, vt habetur in eod. cap. Sacro De Sent. Excom.& affirmat Siluester Interdictum 4. §. 3. Vers.Quintum est.

Sed dubitat Glo. quo pacto eadem excommunicatio iniusta non seruato iuris ordine priuet excommunicantem ingressu Ecclesiæ,& simul ipsum Excommunicatum, qui etiam post excommunicationem priuatus est ingressu Ecclesiæ; Qua ratioce igitur Priuatus potest alium priuare? Sed dicendum est, quod per eandem sententiam non priuatur Excommunicans,& excommunicatus; Nam excommunicatus priuatur sententia sui Prælati, Prælatus verò priuatur ingressu Ecclesiæ auctoritate legis ita statuentis. Quare alter punitur à Iure, alter à Iudice.

Hanc autem pœnam incurrit Prælatus ipso iure, si omissa canonica monitione excommunicationis sententiam proferat, per mensem tantum, sed mense elapso restitutus est, cap.Si qui sunt 81.dist.

Dicet aliquis, si contingat, vt quis iniustè hoc modo excommunicatus ab ipso Prælato suspenso ab ingressu Ecclesiæ statim petat absolui, An, si Prælatus absoluat, absolutio sit valida; C Non videtur enim quis Ecclesiæ reconciliari posse ab eo, qui Ecclesiæ ingressu careat.

Dicendum est cum Glo. quod licet Prælatus in pœnam delicti sit priuatus per mensem ingressu Ecclesiæ, tamen retinet Iurisdictionem suam; Neque enim est excommunicatus, ideo absoluere potest, cap. Ab Excommunicato De Rescript.cap. Si celebrat De Cleri.Excom.Mini.cap.Duobus De Sent.Excom.

Sed postulabit aliquis, An si quis renunciet huic Iuri, quod habet, ne possit excommunicari non præmissa canonica monitione, excommunicatio lata in eo casu contra ipsum sine admonitione sit iusta, & legitima. D

Respondeo neminem posse huic Iuri renunciare, quia non est ius aliquod particulare in fauorem priuatæ personæ concessum, sed est ius publicum in bonum commune institutum, idcirco nemo illi renunciare potest: Nam consensus priuatorum ius publicum tollere non potest, cap. Si Diligenti De For.compet.l.Ius publicum ff.De Pact. Igitur talis renonciatio erit nulla, & ob eandem causam excommunicatio in tali casu sine monitione dicenda erit iniusta.

Et hæc dicta sint quantum ad ea, qua seruanda sunt à Iudice, antequam proferat sententiam excommunicationis.



MODO

MODO TRACTANDVM EST DE FORMA, ET CONDITIONIBVS EX CONSTITVTIONE IVRIS REQVISITIS, QVANDO SENTENTIA Excommunicationis fertur à Iudice Eccleſiaſtico.

DISPVTATIO QVARTA De Conditionibus requiſitis in ipſomet actu pronunciandi ſententiam excommunicationis.

Caput primum, An requiratur voluntas, & intentio in ipſo Iudice excommunicandi.
Caput Secundum, An excommunicationis ſententia ſit in ſcriptis proferenda cum cauſa expreſſione, & an illius exemplum, ſeu copia ſit tradenda excommunicato.
Caput Tertium, Quas poenas Iudex Eccleſiaſticus incurrat excommunicationem pronuncians præſcripta Iuris forma non ſeruata.

CAPVT I.

An requiratur voluntas, & intentio in ipſo Iudice excommunicandi.

EX conditionibus, & qualitatibus requiſitis, vt legitimè per Iudicem ſententia excommunicationis proferatur, ante omnia neceſſaria eſt voluntas, & intentio ipſius Iudicis intendentis excommunicare aliquem; Si enim Iudex exterius ſolum conſcriberet ſententiam, & illam proferret, propoſitum tamen non haberet verè excommunicandi, ſed ſolum intẽderet ſubditum terrere, vt timore, atq. formidine excommunicationis aliquid ageret, vel ab agendo deſiſteret, ſi tũc ſubditus Iudicis præceptum tranſgrederetur, & non pareret, minime re vera excommunicationis vinculo innodatus remaneret; Abb. cap. Ex parte nu. 6. De Off. Ord. Immò, quando excommunicatio pronũciatur ad inſtantiam partis, requiritur etiam eius voluntas, vt contrahatur excommunicatio; Vt ſi quis excommunicationem petierit contra eos, qui ei ablata non reſtituerint, & non intendat tamen hac excommunicatione obſtringi filios ſuos, ſi fortè aliquid ab eo ſurripuerint, etiamſi excommunicatio generaliter feratur, filij quidem, ſi aliquid ab ipſo Patre ſurripuerint, non erũt excommunicati; Ang. Excommunicatio 3. §. 16. Quia officium Iudicis requiſitum non excedit intentionem requirentis.

Hinc poteſt deſumi ſolutio ad dubitationem quandam non leuem apud Doctores; nimirum quando incurratur excõmunicatio, ſi Prelatus præcipiat ſubdito, vt aliquid faciat ad certum tẽpus ſub pœna excõmunicationis eo ipſo incurrendæ, ſi fuerit inobediens, & tẽpore præſcripto negligat exequi Prælati mandatũ.

In qua difficultate duæ ſunt ſententiæ Doctorũ. Aliqui dicunt poſſe ſententiam excommunicationis in aliquem ferri, ſi intra certum diẽ non ſatisfecerit, etiã nulla præcedenti monitione, modo cõſenſus ipſius excommunicandi accedat in hunc ſanè modum; Vt quis promittat ante Iudicem Eccleſiaſticum ſoluere centũ Titio intra mẽſem ſubiturus alioquin excõmunicationis cenſurã ab eodem Iudice ſtatim in eum ferendam,

A tunc etenim tempus illud datum videtur ad canonicã monitionem conſtituendam. Hanc opinionẽ tenet Io. Andr. in c. P. & G. De off. Deleg. auct. Glo. ibidẽ in Ver. Promulgares; Nonnulli tamen exiſtimant hũc conſenſum nõ eſſe ſufficientẽ, vt excõmunicatio feratur abſq. canonica monitione. Quare Hoſt. Innoc. Abb. in dicto c. P. & G. duas conſtituerunt ſpecies huius quæſtionis; Prima quando quis promittit alteri ſoluere intra mẽſem centũ conſentiens mẽſe finito excommunicationi abſq. vlla monitione; Quo caſu conueniũt Innoc. Hoſt. Abb. Felin. & omnes hũc Debitorẽ excommunicari nõ poſſe, licet intra menſẽ non ſoluerit, vt promiſit, Quoniã videtur pactũ iniquũ, & contrariũ canonicis ſan-
B ctionibus, quia ad vtilitatẽ publicam exigunt trinã canonicã monitionẽ præuiã, vt dixi in capite 5. Superioris Diſputationis. Secũda verò ſpecies facti eſt, vt Debitor, qui promittit alteri ſoluere centũ intra menſem, cõſentiat pronũciationi excõmunicationis, quę in eod. inſtanti fertur contra ipſum ſub eadem conditione, ſi intra menſem non ſoluerit centũ; Etenim hoc in hoc caſu pro futura culpa potuit excommunicari abſq. monitione; nam quamuis excommunicatio conditionalis ferri non debeat abſq. rationabili cauſa, vt dicitur c. Romana §. Caueant de ſent. excom. lib. 6. ſatis tamẽ rationabilis cauſa eſſet conſenſus ipſius excommunicandi; Et in hoc ſenſu intelligenda eſt Glo. in Ver.
C Promulgares in dicto c. P. & G. de off. Deleg. alioqui obſcura, vt notat Lapus Alleg. 73. Nauar. in c. Cum contingat de Reſcript. quinta nullit. cau. Couar. in cap. Alma Mater 1. par. §. 10. num. 4.

Hæc dicuntur ab alijs ad hãc difficultatem, ad quã ſic putarem magis diſtincte reſponderi poſſe. Primò quoties præceptum Iudicis latum eſt ex officio ipſius, non ad petitionem partis, vt ſi præcipiat alicui, vt infra quindecim dies ad iudicium accedat ſub poena excommunicationis ipſo facto incurrendæ, tunc termino elapſo, ſi venire contempſerit, erit excommunicatus, ſi ante aduentum diei non prorogetur terminus iuxta communem ſententiam Abb. & aliorum, quos
D citat Decius in c. Præterea 2. de Appell. Secus ſi diceret, Excommunico te, donec comparueris ad iudiciũ, tũc enim ſtatim erit excõmunicatus, Clem. 1. de Deci. Felin. in c. 1. col. 1. Ver. Excommunicatio de Iudi. Sed ſi dicat Iudex Excommunico te, niſi infra quindecim dies comparueris, Vel præcipio tibi ſub poena excommunicationis, vt infra quindecim dies compareas, tũc non incurritur excommunicatio, niſi tranſacto termino aſſignato, c. Præterea 2. de Appella. Bald. in l. Quibus diebus §. Quidam Titio ff. de cond. & demonſtr. &
E ibidem Soc. col. fin. Verſ. Et prædicta, & elapſo die termini excommunicatio eo ipſo incurritur.

Si vero præceptum Iudicis latum eſt ad partis petitionem, vt ſi dixerit, niſi ſolueris infra decem, eo ipſo ſis excommunicatus, tunc iuxta opinionem illam, quã ſtilus Cur. Romanæ ſeruat, de qua tractauimus in Cap. 7. Diſp. 1. Debitor tranſacto die aſſignato nõ erit excommunicatus, niſi creditoris acceſſerit conſenſus.

CA-

CAPVT II.

An excommunicationis ſententia ſit in ſcriptis proferenda cum cauſæ expreſſione, & an illius exemplum, ſeu copia ſit tradenda excommunicato.

IN cap. Cum Medicinalis de ſent. excom. lib. 6. Innoc. Quartus ſtatuit in pronuncianda ſententia excommunicationis, vt legitimè, & ad præſcriptum Sacrorum Canonum, Iudicem illam pronunciare in ſcriptis debere, in qua ſcriptura contineretur cauſa, propter quam illam ferre coactus eſſet, atque huius ſcripturæ copiam & exemplum, ſi requiſitus eſſet, tradere intra menſem ipſi excommunicato deberet. In hac igitur forma, & ordine requiſito ad excommunicationem proferendam tres conditiones, ſeu qualitates ſeruandæ includuntur, de quibus diſtinctè in hoc capite eſt pertractandum.

Quantum ad primam conditionem, quod Iudex in ſcriptis ſententiam excommunicationis pronunciet, illud in primis eſt animaduertendum non ſatis eſſe, vt ſententia prius deſcribatur, deinde per Iudicem ſine ſcriptis promulgetur, ſed neceſſe eſt, vt Iudex, vel alius nomine ipſius ex ſcriptis illam proferat, Hoc enim ſignificant verba, quæ habentur in tex. ſcilicet, *quiſquis excommunicat, excommunicationem in ſcriptis proferat &c.*

Ratio vero, propter quam Ius ſtatuerit ſententiam excommunicationis proferri debere ex ſcriptis, adducitur in dicto cap. Cum medicinalis, nempe vt Prælati non temere ex quacunque leuiſſima cauſa vnico verbo excommunicationis gladio iugulent, ſed maturius ponderatis omnibus antea, quæ ſunt conſideranda ad excommunicationem recurrant, cum excommunicatio non ſit *pœna mortalis, ſed medicinalis non eradicans, ſed diſciplinans*, vt in eodem tex. dicitur, ſcribendo enim, quid magis deceat, animaduertit Prælatus, quàm ſi repentino quodam impetu ductus ad hãc extremam, & omnium pœnarum diriſſimam det manus. Hanc ob cauſam Greg. lib. 12. Epiſtolarum, epiſtola 26. redarguit Maximianum Epiſcopum, quod nimis feſtinus fuerit in excommunicationis ſententia ferenda contra Euſebium quendam Abbatem, vbi S. Greg. hæc ſcribit '*frequenter me admonuiſſe vos recolo, vt in proferenda ſententia eſſe præcipites nullatenus debeatis &c.*

Si quærat quis, qualis debeat eſſe hæc ſcriptura, an publica, & authentica, ſcilicet confecta manu Notarij, vel ſufficiat priuata ſcriptura.

Reſpondendum eſt nõ eſſe neceſſariam ſcripturam publicam manu Notarij conſcriptam, ita vt ſi Iudex id non curet, peccet, & incurrat pœnas iuris, quoniam textus hoc non aſſerit. Mandat enim ſolum ſententiã excommunicationis in ſcriptis pronunciari, & ad hũc modum ſentiunt ibi Doctores, quod ſi ius exigeret publicam ſcripturam, expreſſiſſet, ſicut in eod. tex. legitur, quando loquitur de copia ſententiæ reo danda, ſi illam requiſierit; Iubet enim, vt de tali requiſitione conficiatur publicum Inſtrumentum, vel literæ teſtimoniales ſigillo authentico conſignatæ. Quare ſi huius generis ſcripturam, ſcilicet publicam ad ſententiam excommunicationis exigeret, illud expreſſe ſignificaſſet.

Sed quamuis non ſit neceſſaria ſcriptura publica, requiritur tamen talis ſcriptura, quæ habeat vim probandi, ſi opus ſit tam penes reum, quam apud Superiorem, & alios, tenorem ſententiæ excommunicationis; Hic enim eſt finis, propter quem ſacri Cano- A nes in pronunciatione ſententiæ excommunicationis requirunt ſcripturam. Ideo neceſſe erit, vt hæc ſcriptura talem auctoritatem habeat, quæ ad hanc fidem faciendam ſufficiat, alioqui careret ſuo fine. Quare oportet, vt ſaltem ſit ſubſcripta manu ipſius Iudicis, vel idoneis teſtibus legitime probari poſſit ſententiã prolatam eſſe ex illis ſcriptis.

Quæri etiam poteſt, An Iudex teneatur ſententiam excommunicationis ſic cõſcriptam per ſeipſum legere, & promulgare, an poſſit per alium.

Aliqui dicunt Iudicem debere per ſeipſum promulgare ob eam rationem, quoniam in cap. fin. de ſenten. & re Iudic. in 6. præcipitur Iudicibus, vt per ſeipſos ſententias ferant, Excipiuntur autem Epiſcopi ob ſuã B dignitatem.

Verum oppoſitum videtur probabilius, quia verba illius tex. in dicto cap. Cum medicinalis hoc nõ ſignificant, ſunt enim hæc *Excommunicationem in ſcriptis proferat*; Nec addit dictionem per ſe, Ergo etiam ſi per alium proferat, ſatisfactum eſt legi; Neque etiam hæc conditio eſt neceſſaria ad finem, & intentionem legis, finis enim huius conſtitutionis de neceſſitate ſcripturæ eſt, vt Iudex non temere, ſed caute, & mature ad excommunicandum accedat. Propterea poſtulat ſcripturam, ſed ad hunc finem nihil facit, ſiue hanc ſcripturam legat ipſemet Iudex, ſiue alius nomine ipſius.

Accedit conſuetudo Eccleſiæ; Nam Iudices non C ſemper legunt ipſi ſentẽtiam excommunicationis, ſed mandant frequenter per Notarios, & alios Miniſtros promulgari, & tamen ſententiæ tales cenſentur validæ, & legitimæ. Confirmatur, quoniam ſi ipſi Iudices neceſſario deberent ſententias excommunicationis legere, multo magis tenerentur illas conſcribere. Oppoſitum tamen eſt probabilius, vt oſtendimus.

Neque contra hanc doctrinam facit textus ille in cap. fin. de ſent. & re Iudi. lib. 6. quoniam ſub illa generali regula non comprehenditur ſententia excommunicationis quantum ad omnia, quæ ſtatuuntur de ſententia in illo text. vt paulò poſt declarabo, ſed ſententia excommunicationis habet peculiarem ritum, & formam etiam quantum ad hanc qualitatem ſcri- D pturæ. His igitur de cauſis Iudex Eccleſiaſticus non tenetur per ſeipſum legere ſententiam excommunicationis; Et hoc multo magis affirmandum eſt de Epiſcopis propter eorum dignitatem, & excellentiã.

Tertio dubitari poteſt; An hæc conditio, vt ſententia excommunicationis proferatur in ſcriptis, ſit de ſubſtantia ipſius ſententiæ, an vero pertineat ſolum ad ordinem accidentarium, vt ea etiam prætermiſſa teneat excommunicatio, & valida ſit.

Reſpondet Glo. in dicto cap. Cum medicinalis hanc conditionem nõ eſſe de ſubſtantia excommunicationis, ſed de iuſtitia, quia tenet excommunicatio, etiãſi non ſit lata in ſcriptis. Idque confirmari poteſt tum ex verbis, quæ ſequuntur in eod. text. ſcilicet, *Superior vero*, E *ad quem recurritur, ſententiam ipſam ſine difficultate relaxans*, &c Si relaxanda eſt, ergo ſupponit reum excommunicatum fuiſſe, *ſine difficultate* autem debet dari abſolutio, ideſt ſine vllo grauamine ipſius rei, vt explicat Glo. ratione illius defectus, & Gloſ. in cap. Sicut de ſent. & re Iudi. vbi Abb. n. 12. Tum etiam probari poteſt ex cap. Sacro de ſent. excom. Vbi textus dicit excommunicationem latam non præmiſſa canonica admonitione iuſtam eſſe, ideſt validam, & eadem eſt ratio de ſcriptura; Immo magis videtur monitio requiſita, quam ſcriptura.

Si opponas cap.fin.de sent.& re Iudi. lib. 6. Vbi in genere de omni sententia affirmatur; Quod si lata fuerit sine scriptis, sit nulla, nisi in causis summariis l. 1.C.De Sent. ex breui.recit.in Auth. Nisi breues eod. tit. In Clem.Sæpè De Verb. Sig.

Respondet Glos. in dicto cap. Cum medicinalis Constitutionem illam esse intelligendam de sententiis definitiuis; Sententia excommunicationis non est talis, quæ non est in poenam, sed potius in correctionem, & medicinam; Propterea respiciente Reo, statim conceditur absolutio.

Quare præter alias, duæ colliguntur differentiæ ex dicto cap. Cum medicinalis, vt notat ibi Glos. inter sententiam difinitiuam, & sententiam excommunicationis; Quod etsi vtraq. debet ferri in scriptis, tamen si difinitiuam non pronuncietur in scriptis, non est valida, vt in dicto cap. vlt. De Sent.& Re Iudi.lib. 6. Sententia autem excommunicationis, licet iniustè feratur sine scriptis, est tamen valida, sed excommunicans incurrit poenas Iuris, de quibus dicemus postea. Secundo in sententia difinitiua non est necesse exprimere causam, cap. Sicut De Sent. & Re Iud.extra. Verum in sententia excommunicationis opportet causam reddere ipsius excommunicationis expresè, vt definitum est in dicto cap. Cum medicinalis.

Casus verò, in quibus ab ipso Iure requiritur scriptura, & quam ob causam, recensentur à Glo. cap. 1.§. Postquam autem Ver. In scriptis De Censi. lib. 6. notat Felin.in Rubr.De Constit.nu.8. 10.& seq.

Requiritur igitur scriptura, vt iusta sit sententia excommunicationis.

Si postulet aliquis, An consuetudo inducere possit, vt procedatur sine scriptis ad sententiam excommunicationis iustè, & absque culpa.

Bella. Decis. 243. dicit Consuetudinem posse id inducere, licet allegaretur contrarium, quod talia, quæ conceduntur solum ex priuilegijs, non inducuntur consuetudine, vt quod procedatur sine libello summariè, vt notat Arch.cap. Consuetudo 8. dist. & cap. fin. De Hæret.lib. 6.

Secundo loco necesse est, vt in hac scriptura apponatur, vt dicebam, expresè causa ipsius excommunicationis, de genere verò huius causæ, & conditionibus dixi in disp. prima. Nempè qnod Reus monitus, vt compareret, recusauit venire, vel quia noluit satisfacere ad tempus præscriptum ex mandato Iudicis, vel aliam causam describere, qua Iudex fuerit coactus recurrere ad censuram excommunicationis.

Sed dnbitari potest, An hæc Constitutio de expressione causæ locum habeat in omni excommunicatione, etiam quando fertur in genere contra incertam personam, scilicet contra quemcunque, qui tale scelus commisit, vt cap. Quidam 5. q. 1. & cap. Si Sacerdos De Off. Ordin.

Respondeo hanc conditionem plenè, & completè posse seruari tantum, quando pronunciatur excommunicatio pro peccato præterito contra certam personam, quia tunc in sententia potest explicari nòn solum causa remota, scilicet delictum commissum, sed etiam causa proxima excommunicationis, quæ est cõtumacia, & inobedientia formalis ipsius Rei, quia scilicet præmonitus, vt satisfaceret, vt restitueret, vt cessaret à crimine &c. noluit parere. At quando fertur excommunicatio pro peccato commisso contra incertam personam, quamuis in sententia possit exprimi causa remota, scilicet scelus commissum, non tamen causa proxima. Quidquid dicat Glos. in Ver. Cau-

A sam in dicto cap. Cum medicinalis, quia causa proxima est contumacia, quæ adhuc non præcessit, qnando fertur excommunicatio, cum per tale mandatum requiratur, qui illud facinus patrauit ad satisfaciendũ &c. infra certum tempus sub pœna excommunicationis, quo termino durante Reus non potest dici contumax, sed illo completo, si non paruerit, verè est contumax, & incurrit excommunicationem, si est latę sententiæ. Et ita est explicandum decretum Conc. Tridentini sess. 25. De Refor. cap. 3.

Potest etiam quis quærere, An requiratur aliqua certa, & præscripta forma verborum in pronunciandaexcommunicatione, an liceat Iudici quæcunque verba vsurpare, quæ sufficiant ad expressionem causæ, B & ostendendam voluntatem ipsius excommunicantis.

Respondeo ex communi consensu Doctorum nullam esse præscriptam verborum formam ad excommunicationis sententiam proferendam, quæ scilicet sit pro forma substantiali excommunicationis; Oportet autem vti illis verbis, quæ exprimant consensum Iudicis tempore præsenti excommunicantis, sicut in simili dicitur cap. Si inter Virum Desponsa. & cap. 1. De Spon. Duo. Quamobrem, vt rectè annorauit Host. in Summa De Sent. Excom. §. Qualiter col. 1. Nihil refert, an Iudex dicat Excommunico te, aut separo te à communione, aut similia, quibus declaret voluntatem suam excommunicandi de præsenti; Illa tamen C verba, quæ ipse Host. putat sufficere ad tradendam hanc sententiam excommunicationis, scilicet cognosco, & habeo te pro excommunicato dicta à Iudice non satis sunt ad hanc pœnam insligendam, vt inquit Nauar. in Manua.cap.27.nu.12.nisi quando apponuntur in excommunicatione Canonis, aut Decreti, aut in excommunicatione conditionali, quales sunt omnes, quæ non dantur cum monitione canonica, sed propter peccata futura, arg. cap. 2. De Testi. cogen. & cap. Præterea 2. De Appella. vel etiam nisi aliter cõstiterir de mente Iudicis, quia semper ita solitus sit dicere, tunc enim est excommunicatio, quia verba deseruiunt intentioni, non è contra 12. q. 5. cap. Humanæ, & sermo rei, non res sermoni est subiecta, cap. In- D telligentia De Verb. Signif. In foro tamen pœnitentiali tutior vita est eligenda, vt se putet Excommunicatum, si dubitet de intentione Iudicis, vt tenet Silue. Excommunicatio 1.§. 15. Similiter si Iudex dicat Incurras indignationem Dei, aut Apostolorum Petri, & Pauli, aut nostram, his verbis non fertur excommunicatio, Ang. Ver. Lex nu. 3. Tabien. nu. 29.

Dubitat Abb. in cap. 1. nu. 34. De Iudi. An per hæc verba nullus eidem communicet, feratur sententia excommunicationis, & ratio dubitandi desumitur ex eod. cap. 1. Vbi post dicta verba subiungitur: *Donec fuerit absolutus*, quæ indicant vinculum excommunicationis inductum fuisse, postquam opus est absolutione, & ita sentit ibi Io. Andr. Si duo concurrant, E scilicet quod Iudex hoc intendat, & habeat potestatẽ ad excommunicandum; Nam similibus verbis vtuntur etiam Iudices, quibus hæc potestas non inest, cap. vlt. De Immun. Eccles. lib. 6.

Respondet Abb. quod regulariter verba relata non sunt apta, & disposita ad inducendam excommunicationem, nec Iudex reperiretur adeo iudiciariæ praxis ignarus, qui pronunciaret aliquem vinculo excõmunicationis obstrictum dictum loquendi modum vsurpans, maxime post cap. 1. de sent. excomm. lib. 6. Vbi præscribitur forma seruanda in sententia excommuni-

municationis. Si tamen aliquis Prælatus his verbis vteretur ad excommunicandum aliquem, teneret ſententia iuxta mentem Io.Andr.vt notatur in c. 1. & c. Sacro de Sent.excom.2.q.1.in ſumma, & 11. quæſt.3. in Summa. Vnde concludit Abbas. Quando conſtat de mente Iudicis intendentis huiuſmodi verbis excommunicare, valere excommunic. ſi verò dubitatur de mente, tunc ſi proferuntur hæc verba ab eo, qui non habet poteſtatem excommunicandi, non inducitur excommunicatio, quia etiamſi intenderet, defectu poteſtatis non poſſet excommunicare, ſi proferuntur ab habente poteſtatem, vt ſi Iudex dicat Nemo communicet Franciſco, donec fuerit abſolutus ſatiſfactione præmiſſa, tunc valida erit excommunicatio, quia extrema verba vinculum excommunicationis ſupponunt, arg.l.Decem ff. De Verb.oblig.& leg. Ad diſſoluendum ff. De Deſp. Impub. Hanc Abb. reſponſionem confirmat, & explicat Dec. ibi.lit.E. Ver. *Subſequenter Abb inſiſtit*.

Dicat quis, Si Iudex dicat excommunico te, vel ſimilibus verbis vtatur, quibus conſtet de voluntate excommunicandi, talis ſententia de qua excommunicatione ſit intelligenda de excommunicatione Maiori, vel Minori.

Reſpondeo eſſe intelligendum de excommunicatione Maiori, Silue. Excommunicatio 1.§.18. vt probatum eſt lib. 1. Diſp. 2.cap. 2. Ratio eſt, quoniam quando Iudex ſimpliciter loquitur ſine limitatione nihil aliud exprimens ſemper ſignificare intendit Maiorem excommunicationem per tex. in cap. Si quem De ſent. excom.quia verba ſimpliciter lata debent accipi ſecundum propriam, & conſuetam ſignificationem, vt cap. Ex literis de ſponſa. & l.labeo ff. de Sup. leg. Communis autem vſus habet, vt nomine excommunicationis ſemper intelligatur Maior, generaliter loquendo.

Petat iterum aliquis, An ſi Iudex ità dicat excommunico te, ſi appellaueris ab hac ſententia, vel præparaueris appellare, teneat excommunicatio, Innoc. in cap. Præterea 2. De Appella. affirmat hunc modum excommunicandi non valere, & illum non eſſe excommunicatum, quia non videtur perfecta conditio, niſi appellatio intercesſerit, Vnde quia conditio debet adimpleri, non incidit excommunicationem, antequam appellauerit, neque poſt excommunicationem erit excommunicatus, quia hæc ſententia contineret intolerabilem errorem, tūc enim eſſet lata poſt appellationem, vnde videretur quis excommunicari, ſi ſe defenderet, quod eſt contra ius naturale, quod defenſionem concedit. Idem affirmat Silue. Excommunicatio 1. §. 16. niſi in caſu ſingulari, quo Iudex datus eſſet cum clauſula appellatione remota, tunc enim poſſet excommunicare appellantem probabiliter ab eo, quia illa appellatio expreſſè à Iure non approbatur, nec poteſt ſuſpendere iuriſdictionem Iudicis, & eſt caſus notabilis, vt animaduertit Abb. in cap. Paſtoralis De Appella. num.9. in quo tenet excommunicatio lata poſt appellationem probabilem.

Quærat tandem aliquis, An ſi Epiſcopus prohibeat Prælato ſibi ſubiecto habenti auctoritatem ad excōmunicandum, vt non ferat ſententiam excommunicationis in Titium, & Prælatus non obſtante præcepto illum excommunicauerit, An Titius ſit excommunicatus, Reſpondit Burgaſius in 6. par. De Irreg. in tit. An in excōmunicatione requiratur certa forma, &c. nu. 10. Vtrumque remanere excommunicatum, nam Titius eſt excommunicatus à Prælato ſuo, qui, quando protulit ſententiam excommunicationis, non erat excommunicatus, vnde potuit excommunicare, ſed ſtatim inflicta excommunicatione incidit Prælatus in ſententiam excōmmunicationis contra ipſum pronunciatam à ſuo Superiore ſub conditione ſi excommunicaret Titium. Quare completa conditione locū habet ſententia Superioris, & Inferior contrahit excommunicationem.

Poſtrema conditio in eod. c. Cum medicinalis de ſent. excom. lib.6. quam requirit Sum. Pont. in excommunicatione pronuncianda, eſt, vt Iudex exemplum ſcripturæ continentis ſententiam excommunicationis requiſitus tradat ipſi Reo. Hæc conditio non præſcribitur ab ipſo iure neceſſaria abſolutè, & ſimpliciter, ſicut duæ priores, ſcilicet ſcriptura, & expreſſio cauſæ, ſed ſub conditione, ſi Iudex infra mēſem requiſitus fuerit; quare, ſi non requiratur, non afficitur pœna, Gig. in tract. de penſ.q. 27.num.6.

Gloſ. in dicto cap. Cum medicinalis in Ver. Exemplum ex ſententia Io. Andr. aſſerit hoc exemplum debere eſſe integrum, & cōtinere excommunicationem de verbo ad verbum cum annotatione diei, menſis, & anni, & probat arg. cap. Eam te de reſcript. & cap. Reſcripta §. Libellorum 2.q.8.

Similiter notat Gloſ. in Ver. Excommunicato ex tex. cum ait, *Teneatur ſcripturæ exemplum tradere excommunicato, &c* Hanc obligationem intelligendam eſſe, quando excommunicatur certa perſona, non autem quando pronunciatur ſententia excommunicationis contra quoſcunque, qui hoc, vel illud fecerint, & ita perſona excommunicata eſt incerta, tunc enim non tenetur Iudex ſub pœnis contentis in hoc cap. tradere copiam ſententiæ, ſed aliæ duæ conditiones habent locum etiam, quando fertur excommunicatio contra incertas perſonas, vt ſit lata in ſcriptis cum expreſſione cauſæ, ſaltem remotæ, vt diximus.

In fine huius Capitis illud tandem quæri poteſt, An ſententia excommunicationis, in qua reperiuntur omnes conditiones declaratæ, & ad iuſtitiam ipſius ex Conſtitutione Summorum Pontificum requiſitæ, habeat vim ſententiæ diffinitiuæ, vel intelocutoriæ.

Reſpondet Abb. in rub. De Sent. excom. nu. 2. non poſſe dici propriè, & verè ſententiam diffinitiuam, neque interlocutoriam, Non dicitur diffinitiua, quia non definit cauſam, immò excommunicato petenti abſolutionem nunquam denegatur audientia, cap. Ex parte 1. de verb. ſignif. & per eundem Iudicem, qui eam tulit, poteſt reuocari, non eſt interlocutoria, quia interlocutoria eſt illa quæ profertur inter initium, & finem cauſæ à Iudice, vt in Clem. 1. De Sequeſtr. poſſ. & fruct. Sed excommunicatio quandoque fertur extra Iudicium cauſæ in c. Dilecto de ſent.excom.lib.6.

Propriè igitur non eſt ſententia diffinitiua, nec interlocutoria, Dicit tamen Abb. magis accedere ad naturam interlocutoriæ, quàm diffinitiuæ tam in appellatione interponenda, quàm in alijs. Poteſt tamen habere vim diffinitiuæ, quando fertur cum cognitione cauſæ, Put. Deciſ. 388. num. 3. & 4. lib. 2.

CAPVT III.

Quas pœnas Iudex Eccleſiaſticus incurrat excommunicationem pronuncians præſcripta Iuris forma non ſeruata.

PRælatus pronuncians ſententiam excommunicationis Iuris ordine neglecto hactenus explicato ante omnia reus erit grauis culpæ, cum in re non leui

violet

violet legem; deinde incurrit suspensionem ipso facto per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & participatione diuinorum officiorum. Præterea si excommunicatus Superiorem adierit, tunc sine difficultate ab ipso Superiore est absoluendus, & Iudex, qui excommunicationem tulit, est condemnandus ad expēsas, & interesse, & alia etiam digna animaduersione poterit puniri, si Superior iudicet expedire, vt Iudices pœna docente discant, quàm graue sit exeommunicationum sententias sine debita maturitate fulminare. Quod si Prælatus ità suspensus diuinis officijs se immiscuerit, incurrit Irregularitatem, super qua à Summo Pontifice dispensari potest. Hæc omnia statuta sunt ab Innocentio Quarto in dicto cap. Cum medicinalis contra Iudices negligentes præscriptum Iuris ordinem in pronuncianda excommunicatione. Eadem pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ per mensem lata erat ab Innoc. Tertio contra illos Indices, qui prætermissa canonica monitione excommunicationis sententiam promulgare tentarent cap. Sacro de sent. excommun.

Vt autem clarius hæc explicentur, dubia, quæ inde emergunt, proponenda sunt & dissoluenda, & in primis animaduertere oportet hanc pœnam suspensionis, & alias enumeratas non incurri ab Episeopis, nec ab alijs Superioribus Prælatis, quoniam eorum non fit expressa mentio in tex. vt fieri debet, vt ipso facto suspensionem incurrunt, c. Quia periculosum de sent. excom. lib. 6. Quare istæ poenæ incurruntur solùm à Prælatis Inferioribus.

Dubitant aliqui; an istæ pœnæ incurrantur à Prælatis Regularibus, si excommunicent suos subditos non seruato dicto ordine.

Lapus Allegat. 73. de sent. excom. & Felin. in c. Sacro de sent. excom. num. 7. Simpliciter tenent Prælatos Regulares non alligari huiusmodi pœnis; quoniā Prælati Regulares quantum ad regimen suorum subditorum seruant diuersum ordinem, & ritum ab eo, quem tenent Prælati Seculares, Nàm esset durum, & incommodum Prælato Regulari, qui frequenter, immò sæpe in die, ita exigente disciplina monastica ob varias causas, debet modò monere, modò increpare, modò pręcipere sub censura suis subditis regularibus, sempet præ manibus habere calamum, & chartas, & prius conscribere, quam sub pœna excommunicationis mandare.

Oppositum tamen est probabilius, quoniam Constitutio, qua definitum est, vt hic ordo seruetur in pronuncianda sententia excommunicationis est generalis absque vlla exceptione, & nullibi in Iure habetur, quod Prælati Regulares non contineantur sub generali constitutione, nisi fuerint expressi.

Neque admodum diffieilè est Prælato Regulari seruare hunc ordinem, nec enim debet qualibet hora excommunicare aliquem ex suis Religiosis, immò debet vti maiori maturitate, quàm Iudex secularis. Accedit, quod Religiosi minus sunt inobedientes, & contumaces erga suos Prælatos, quàm Seculares. Quare rarius cogetur regularis Prælatus ad excommunieationem recurrere. Poterit igitur increpare, admonere, quoties voluerit, sed si intendat gladium excommunicationis in inobedientes inducere, ordinem Iuris seruare tenetur, nisi periculum instaret in mora, si scriptura esset componenda, vel aliud, iuberent constitutiones Religionis, vt docet Aug. excommunicatio 2. §. 3. Et quando immineret perieulum, eadem esset ratio de alijs Prælatis, vt inquit Glos. in Ver. Temerarius in dicto cap. Cum medieinalis, Lap. Alleg 73. num. 4. Felin. in c. Sacro nu. 4. de sent. excom.

Secundo dubitari potest, An ignorantia huins Constitutionis possit excusare Prælatum ab huiusmodi pœnis, & ratio dubitandi desumitur ex tex. cum inquit, *Si quis autem Iudicum temerarius huiusmodi Constitutionis extiterit violator, &c.* Temerarius violator dicitur ille, qui scienter, & dolosè contemnit legem, ergo si probabiliter ignorans prætermitteret hunc ordinem, non afficeretur huiusmodi pœnis, facit l. 2. ff. Vi. bono. Rap. §. Doli mali.

Respondeo Ignorantiam culpabilem non excusare ab his pœnis, Quare quamuis Iudex omiserit hunc ordinem definitum ab ipso iure ex negligentia, stoltitia, fatuitate, vt loquitur Glos. in Verbo Temerarius, incurrit suspensionem, & alias pœnas, quoniam ignorantia eius, quod ad officium proprium pertinet, non excusat; Instit. De lege Aquil. §. Præterea habetur: *Imperitiam in re ad proprium officium pertinente non excusare.*

Vocatur autem in tex. Temerarius violator, non quia requirat dolum, ad contrahendam hanc pœnam, sed dicitur temerarius violator, quando Iudex prætermittit ordinem definitum voluntariè, & spontè, non propter aliquam iustam, & rationabilem causam, vt diximus, scilicet ad euitandum periculum aliquod instans; Tunc enim, quia periculum probabile instaret, posset variari ordo præscriptus, & non diceretur temerarius violator; Propterea euitaret poenas Iuris. Simile habetur in cap. Periculosa; Ne Cleri. vel Mona. lib. 6. Vbi textus inquit, *Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto*, loquitur de Monacho, qui temerè, & sine rationabili causa habitum suæ Religionis dimiserit, qui ipso facto excommunieationem incurrit, à qua excusaretur, si iusta causa occurreret dimittendi habitum.

Tertiò quæri potest, quo pacto intelligenda sit hæc pœna suspeosionis ab ingressu Ecclesiæ, & quæ includantur in hac pœna.

Dicendum est, quod si Prælatus in pronunciāda excommunicatione non seruauerit formam hanc ab ipso iure præscriptam, ipso facto manet priuatus per integrum mensem ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officijs in ea celebrandis, vt in dicto cap. Cum medicinalis, & in cap. Is cui eodem tit. & lib. Transacto vero mense absque alia relaxatione tollitur suspensio, cap. Si quis 81. dist. & eap. Non est nobis de Sponsa. Quod tamen est intelligendum ex sententia Host. si sententiam seruauit, & pœnituit, alias quantum ad se semper manet suspensus, quia hæc suspensio incurritur ex peccato mortali, sed non erit suspensus quoad alios, c. fin. De Cohab. Cleri. & Mulier.

Sed postulabis, an contraheret Irregularitatem iste Prælatus, si celebraret in Ecclesia; nam si quis celebrat in Ecclesia sanguinis, aut seminis effusione polluta, vel pręsentibus excommunicatis non efficitur irregularis, eap. Is qui de sent. excom. lib. 6. ergo idem dicendum erit, si celebrat ille, cui est interdictus ingressus Ecclesię, cum non sit suspensus ab officio, quod etiam extra ecelesiam celebrari potest.

Dicendum est Prælatum ob hanc causam suspensum, si diuinis se immiscuerit durante mense, absque dubio fieri irregularem, quoniam ità definitum est in fine dicti cap. Cum medicinalis, & hanc irregularitatem contrahit, siue celebret in Ecclesia, siue extra Ecclesiam, quoniam suspenditur à Summ. Pontifice non

solum

solum ab ingressu Ecclesiæ, sed etiam à diuinis officiis. Fit igitur suspensus æquè principaliter ab vtroque actu, scilicet ingrediendi Ecclesiam, & celebrandi,& hæc est suspensio Maior, quæ inducit irregularitatem; si ea existẽte celebretur aliquis actus proprius ordinis sicut si ab excommunicato maiori excommunicatione fieret 11. quæst. 3. cap. Si quis Episcopus damnatus, & cap. Si quis Episcopus in Concilio ead. cau.& quæst. De sent.& re Iudi. lib.6.cap. Cum æterni. Alia verò ratio esset, si talis Prælatus non seruans ordinem definitum in pronuncianda excommunicatione, esset priuatus absolutè ingressu Ecclesiæ tantùm,sicut in c. Sacro definitum est de Iudice, qui excommunicat prætermissa admonitione canonica, ille enim ex consequenti est priuatus celebratione diuinorum officiorum solum in Ecclesia, & idcirco si in Ecclesia celebret, fiet irregularis cap. Is cui de sent. excom.lib.6. secus verò si sub diu in Tentorio, in domo priuata, vt notat Glos. in dicto cap. Is cui Ver. In ea, & ratio est, quia non est priuatus principaliter à diuinis officijs, sed ab ingressu Ecclesiæ solùm, vnde si ingrederetur Ecclesiam, non contraheret irregularitatem, quia non est actus ordinis, sed fieret irregularis, si celebraret in Ecclesia tantum.

Dices,si talis Prælatus, postquam declaratus est suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiæ, appellet ad Superiorem, vtrum per appellationem suspensa sit sententia suspensionis, vel interdicti?

Respondeo non suspendi per appellationem sequentem,vt dicitur in dicto cap. Is cui,quia est propriè censura,quæ obstringit animam, latè ibi Glos. Verb. Sequentem.

Dices etiam,an,si contingat,durante mense interdicti, Prælatum mori, possit in Ecclesia sepeliri. Respondetur ex tex.in dicto cap.Is cui, non posse sepeliri in Ecclesia, nisi antea interdictum relaxatum fuerit.

Ab hac irregularitate solus Romanus Pontifex potest dispensare,quoniam in dicto cap. Cum medicinalis expresse Innoc. Quartus illam reseruauit Romano Pontifici,nisi factum esset occultum,& non deductum ad Iudicium; tunc enim vigore facultatis Episcopis concessæ à Concil. Trident. sess.24. de Reform. cap.6. dispensandi super quacunque irregularitate proueniente ex crimine occulto liceret Episcopo super ea dispensare.

Quarto dubitari potest, an Prælatus pronuncians sententiam excommunicationis non seruato ordine præscripto, puta si voce absque scriptis excommunicationem tulerit,vel sine expressione causę,contrahat dictam poenam suspẽsionis, etiamsi excommunicatio non sit sortita suum effectum, vel quia antequam adueniret dies termini assignati Reus appellauit, vel paruit.

Lapus allegat.73. De sent. excom. initio Vers. Sed de secundo, tenet in hoc casu Prælatum non incurrere pœnas. Probat ob eam rationem, quoniam huiusmodi pœnæ non sunt amplificandæ, sed potius coarctandæ; quare intelliguntur inflictæ,quando actu lata est excommunicatio, quæ consequuta est effectum. Quare si nunquam sententia lata, habuit effectum sententiæ,quia nunquam ligauit, nunquam debet habere locum dicta pœna, vnde sicut ipsa sententia lata in diem, vel sub conditione suspenditur per appellationem medio tempore interpositam, ita quoque debet suspendi poena, quæ prouenit ex prolatione ipsius sententiæ,quia poena est accessoria ad talem sententiam excommunicationis,donec ergo talis senten-

A tia excommunicationis principalis firma sit, non debet habere locum poena accessoria Reg. Accessoriam de reg.iur.lib.6. Hoc dictum Dominicus in dicto cap. Cum medicinalis in fine inquit fortasse esse verum, & Franc. ibi §. Si quis num. 3. censet esse probabile, licèt dicat oppositum tutius, & vtrum verius sit, relinquit cogitandum.

Sed quamuis hæc sententia Lapi probabilis sit, vt ait Franc.tamen opposita videtur multò probabilior, & censeo simpliciter illam esse in praxi seruandam, quoniam tutior est,& probatur.

Primo quoniam Sacri Canones imponentes hanc poenam aduersus Prælatos transgressores huius ordinis considerarunt solum factum,& animum facientis,

B non iuris effectum. Quare si quis tentat ferre sententiam excommunicationis nõ seruata debita iuris forma, afficitur poenis, etiamsi sententia sit inualida, Card.Clem.1. opposit.8. De Consang. optimè Felin. cap.Tua nos de iur.iur. num 7.& cap.ex tenore de rescript.num.9. Vers.Cæterum ad multa.

Secundo probatur ex doctrina Bart.l.Non dubium num.20.C.de legi. Vbi ait facta contra legem haberi pro infectis quantum ad vtilitatem facientis, secus quoad damnum eiusdem; quam doctrinam sequitur ibi Paul.num.9. Iason.num.9. Tiraquell.alios referens De retract.§.26.Glos.2. nu.8. Paris. Iunior dicit hanc esse communem de resig. benef. lib.7. quæst. 1. nu.23.

C Ex his igitur sequitur sententiam excommunicationis latam prætermisso iuris ordine existimandam esse semper validam ad eum finem, vt Iudex illam ferẽs afficiatur poenis. Et confirmatur ex doctrina Card. in Clem. fin.q.12. De elect.& Bertachini in Repertorio litera P. Verbo Poena inualida Vers. Poena imposita, qui docent poenam impositam in casu alicuius actus habere locum, si actus contingat, licèt de iure non sit validus.

Tertio ex l. Quid ergo §. Cum autem ff. De his,qui notan.infam.ex quo loco colligit Bart.in fi.legem non curare de iuris effectu,quãdo respicit factum,si actus habet speciem, & formam facti in lege contenti,vnde infert Testamentum falsum, si testamenti formam re-

D tineat,licèt ob aliquam causam nullum sit,puniri posse poena falsi. Si ergo sententia excommunicationis contra formam iuris lata retinet figuram excommunicationis, quamuis sit inualida, Iudex tamen, qui eam tulit, erit subiectus poenis.

Postremo licèt matrimonium cum consanguinea contractum, sit ipso iure irritum, Contrahentes tamen incurrunt excommunicationem in Clem. 1. De Consang. Quamuis Beneficiarius sacris initiatus inualidè celebret nuptias, incurrit poenam amissionis beneficii, Couar.4.Decret.2.par.cap.6.§.3. numer.4. Ergo similiter, si Iudex pronunciauit excommunicationem inualidam ex aliqua causa non seruata iuris forma,incurrit poenas latas à lege contra huiusmodi

E transgressores.

Quanto dubitari potest, an, vt Prælatus incurrat poenam suspensionis,necesse sit,vt transgrediatur ordinem definitum in pronuncianda excommunicatione, quantum ad omnes conditiones, vel satis sit, vt vnicam conditionem prætermittat, etiamsi alias adhibeat.

Respondeo, si negligatur vna tantum conditio ex his, quæ constituunt ordinem ab ipso iure definitum in ferenda excommunicatione, ipso facto contrahi suspensionem ab ingressu Ecclesiæ,quamuis aliæ conditiones seruentur.

Pro-

Probatur primo, quoniam in cap. Sacro, hæc pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ per mensem, imponitur contra eos Prælatos, qui solam canonicam monitionem prætermiserint.

Secundo in cap. Cum medicinalis præcipitur, vt excommunicatio in scriptis promulgetur cum expressione causæ, & copia sententiæ tradatur Reo petenti intra mensem; Deinde imponitur pœna transgressoribus his verbis: *Si quis autem Iudicum huiusmodi constitutionis temerarius extiterit violator &c.* Sed qui vnam tantum ex his conditionibus negligit, violat profectò constitutionem præcipientem illam formam; Igitur ipso facto incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ.

A Sed præter pœnam suspensionis alias etiam pœnas debet pati, qui iniuste excommunicat, quæ arbitrio Superioris reseruantur infligendæ pro culpæ qualitate, vt dicitur in cap. Sacro, Priuatur enim communione hominum ad tempus, cap. De Illicita 24. q. 3. Item tenetur ad damna, & interesse, quæ sustinuit excommunicatus circa sumptus litis, siue in aliis, dicto cap. Sacro, & alias pœnas, vt notat Glos. in Ver. Per mensem in eod. cap. Sacro.

De forma igitur, & ordine Iuris, quem Prælati seruare debent in sententia excommunicationis fulminanda hac dicta sint.

DE HIS. QVÆ SVBSEQVVNTVR. POST PROLATAM SENTENTIAM EXCOMMVNICATIONIS.



POSTREMA pars remanet explicanda ad perficiendam disputationem de causa formali excommunicationis; Nempè de ordine, & ritu, qui seruari debet post latam sententiam excommunicationis; Nam post quamcunque sententiam sequitur executio sententiæ ex parte Iudicis. Similiter pars potest appellare, si sentit se grauatam, ita post sententiam excommunicationis succedit appellatio, si Excommunicatus existimans excommunicationem fuisse iniustam velit appellare. Similiter executio excommunicationis, & denunciatio, qua Excommunicatus ad sui maiorem confusionem, & aliorum terrorem, & exemplum declaratur, & publicè adhibitis multis ceremoniis, & ritibus plumulgatur excommunicatus; De quibus omnibus disputandum est.

DISPVTATIO QVINTA

B

CAPVT I.

An Appellatio suspendat effectus excommunicationis.

DVo sunt præcipui effectus Appellationis; Suspendere, & deuoluere, vt inquit Abb. cap. Ad reprimendam nu. 9. De Off. Ordi. Suspendit enim Appellatio id, quod iudicatum est, & deuoluit causam ad Superiorem, vt in cap. Non solum, & in cap. Si is à Iudice De Appella. lib. 6.

In causa Excommunicationis si appellatio interponitur, antequam incurratur excommunicatio, producit vtrumque effectum, nam & deuoluit causam ad C Superiorem, hoc enim conuenit omni appellationi, & suspendit sententiam excommunicationis, vt si Episcopus præcipiat subdito, vt infra decem dies comparеat in Iudicio sub pœna excommunicationis; Si durante termino Reus appellet ad Superiorem, suspenditur executio excõmunicationis cap. Licet, cap. Venerabilibus §. Sed si ex causa; De Sent. Excom. lib. 6. Quod si post appellationem pronuncietur sententia excommunicationis, excommunicatio est nulla, quamuis, donec constet de nullitate, sit concedenda absolutio ad cautelam dicto. §. sed si ex causa.

Si verò lata fuerit sententia excommunicationis ante appellationem, tunc appellatio non habet vim D suspendendi cap. Ad Reprimendam De off. Ordi. sed tantum deuoluendi, vt Superior possit cognoscere de iustitia excommunicationis cap. Is cui in fi. De sent. Excom. lib. 6. Quare non est inanis, & inutilis omninò appellatio interposita post sententiam excommunicationis, sed parit plures effectus, vt inquit Abb. & Felin. in cap. Sacro in fi. De Sent. Excomm. contra Glo. ibi in Ver. *Satisfacere compellatur*, quæ existimat huiusmodi appellationem nec prodesse, nec esse necessariam; Primo enim deuoluit causam ad superiorem quando talis esset Superior, cui non competit cognitio causæ citra appellationem, sicut est Archiepiscopus quoad subditos suorum Suffraganeorũ; Vnde si excommunicatus non appellet infra decem dies,

non

non potest deducere causam ad suum Superiorem, A sed debet petere absolutionem ab eo, qui excommunicauit; quod si excommunicator noluerit absoluere, tunc poterit ex nouo grauamine appellare ad Superiorem. Secundò prodest appellatio ab excommunicatione, quia si excommunicatus non appellat, traosit in rem iudicatam in ordioe ad illum actum, pro quo lata fuit excommunicatio. Vnde si quis fuit excommunicatus ob contumaciam, & non appellauit infra decem dies, non potest negare contumaciam, & si petit absolutionem, debet prius satisfacere, quãuis respectu vinculi nunquam trãseat in rem iudicatã.

Sed quæri potest, cur appellatio interposita post sententiam excommunicationis, non suspendat executionem ipsius excommunicationis, nec impediat eius B effectus, sicut operatur in aliis sententijs diffinitiuis,

Glos. in dicto cap. Ad Reprimendam inquit Ver, Suspendatur, Causam huius differentiæ esse, quia sententia excommunicationis trahit secum executionẽ, & non potest existere sine effectu suo, cap, Pastoralis §. Verum De Appella. Quare excommunicatio vel statim ligat, vel nulla est, Glos. ibi Verb. Excommuoicatio.

Hanc rationem Glosæ non probat Abbas in dicto cap. Ad Reprimendam num. 5. Nàm sententia lata in causa furti trahit secum executionem, quia illicò infert infamiam, nam Condemnatus remanet infamia notatus, l. Non potest ff. De his, qui notan. infam. Et tamen per appellationem suspenditur effectus senten- C tiæ, vt in l. Furti ff. eod,

Quare ipse Abb. in cap. Pastoralis §. Verum num. 8. De Appell. colligit quatuor rationes ex Glos. in Ver. Executionem, cur appellatio non suspendat excommunicationem. Prima est, quia per excommunicationem Christus ligat, non homo, vt dicitur in cap. Nemo 11. q. 3. à cuius sententia appellari non potest.

Sed hæc ratio non concludit ex pluribus, Primò quoniam licèt potestas excommunicandi à Christo concessa sit Ecclesiæ, tamen excommunicatio fertur ab Ecclesia, & effectus, quos parit excommunicatio, sunt ex institutione Ecclesiæ, & nulla est excommunicatio immediatè lata à Christo contra peccatum, D quodcunq; sit, vt ostendi in cap. 2. Disput. 2. Secundò quoniam, vt inquit Host. relatus ab Abb. in dicto cap. Pastoralis, quamuis à sententia Summi Pontificis non appelletur ad effectum suspendendi senteotiam, tamẽ supplicatur, & supplicatio habet eundem effectum c. Tum ex literis, cap. Ex literis de Restit. in integr. Tertiò quoniam etsi excommunicatio iusta posset dici lata a Christo, hoc tamen non esset verum in excommunicatione iniusta. Nàm per eam Christus non ligat c. Cum æterni de re iudi. lib. 6. cap. A nobis 1. De Appella. & tamen excommunicatio iniusta non suspenditur per appellationem quoad Ecclesiam in foro exteriori.

Secunda ratio est, vt homo dum cogitur parere E sententiæ excommunicationis, & illam sustinere discat timere disciplinam ecclesiasticam, & non transgredi præceptum Prælati, & hæc ratio est probabilis, & ostendit id esse rationi congruum, sed non est propria, & formalis causa huius effectus, quoniã, vt ostendam statim, quod excommunicatio non suspendatur per appellationem, non nascitur solum ex constitutione ipsius Ecclesiæ, quia ità decreuit, sed per se ex natura ipsius excommunicationis.

Tertia ratio, quæ videtur incidere cum præcedente asserit id nasci ex constitutione Ecclesiæ, quod appellatio oon suspendat effectus excommunicationis, non ex natura excommunicationis, & fuit id institutum, vt magis timeretur excommunicatio; neque solum in hoc casu, sed in alijs appellatio est ab ipso Iure interdicta, vt inquit Abb. in dicto §. Verum numer. 8. De Appella

Quarta ratio est, quod appellatio non suspendit sententiam, & hac in re nulla est differentia inter sententiam excommunicationis, & alias sententias diffinitiuas, sed appellatio suspendit solum effectus sententiæ, & executionem eius, quæ est futura. Sed cum excommunicatio statim habeat vires, & secum trahat executionem, neque vlla alia futura executio expectetur, merito non suspenditur per appellationem.

Hæc est ratio superius impugnata, quam affert Glos. io cap. Ad reprimendam, & facit contra eam, vt inquit Abb. in dicto §. Verum cap. Pastoralis de Appella. tex. in l. 2. ff. de pœn. Vbi dicitur, quod Appellans non dum videtur condemnatur, ergo appellatio ne dum suspendit executionem sententiæ, sed ipsam sententiam.

Quare Abbas reiectis his rationibus, alias quinq; vel sex rationes excogitauit in dicto cap. Pastoralis vsque ad num. 14. quas non opus erit recensere.

Ego censerem causam huius differentiæ, cur scilicet appellatio non suspendat excommunicationem, prouenire ex ratione formali excommunicationis, quoniam excommunicatio est actus spiritualis potestatis Clauium, vt dixi in c. 2. Disp. 2. & est vinculum, qno spiritualiter quantum ad animam obstringitur ipse excommunicatus, & huiusmodi vinculum tolli non potest absque absolutione, quæ impendi debet à Superiore, Vnde etiam post mortem tradenda est absolutio, vt liceat communicare cum defuncto excommunicato cap. A nobis 2. De sent. excom. Quare cum Appellans careat hac potestate Clauium, hanc ob causam appellatio non potest suspendere excommunicationem. Aliæ sententiæ non priuant bonis spiritualibus, nec dependent à potestate Clauium, & idcirco non inconuenit, vt earum executio suspendatur per appellationem.

Accedit, quod nemo excommunicatur, nisi pro contumacia, vt habetur in cap. Nemo 11. q. 3. & nos probauimus supra cap. 3. Disp. 1. Contumax autem appellans non auditur, vt cap. Ei, qni §. Sunt etiam quorum 2. q. 6.

Adde tertio aliam caosam valdè probabilem ex Abbate in cap. Sæpè num. 15. De appella. quoniam censuræ propric sunt medicinæ iostitutæ ad correctionem eorum, qui sunt inobedientes, & contumaces cap. Cum medicinalis de sent. excomm. lib. 6. Vnde nè prætextu friuolę appellationis impediretur correctio, factum est, vt per appellationem non suspenderetur effectus excommunicationis, & aliarum censurarum.

Patet igitur, quod appellatio post latam excommunicationem non suspeodit effectum excommuuicationis, sicut accidit in aliis sententiis, & ratio huius differentiæ explicata est, sed huiusmodi appellatio operatur solum, vt deuolnatur cognitio causæ ad superiorem, ad quem pertinebit cognoscere de iustitia huius excommunicationis.

Quod si appellatio interposita fuerit ante sententiam excommunicationis, non solùm deuoluit cognitionem causæ, sed suspendit excommunicationem, quoniam, vt dicitur cap. Pastoralis §. Verum de appella. Per appellationem iurisdictio excommnoicantis dormitat; nam per appellationem legitimam eximi-

tur

tur appellans à potestate Iudicis sui ad tempus, quantum ad illum certum articulum, super quo appellauit. Si verò appellatio, & excommunicatio eadem die latæ sint, nec appareat, vtra sit prior, supponendum est pro excommunicatione, vt inquit Glos. in capitulo Venerabilibus §. final. in Ver. Postquam De sententen. excom. lib. 6. Si pars non probauerit prius appellatum fuisse, quamuis non opus sit, vt probet nullitatem causæ, quia illa probata non absolueretur ad cautelam, sed declararetur sententia excommunicationis nulla cap. Per tuas de senten. excom. cap. Cum contingat de off. Deleg. Tonc enim Iudex absoluit ad cautelam, quando constat excommunicationem latam esse post appellationem, & dubitat de veritate causæ.

Glos. in Ver. Secum trahat in dicto capit. Pastoralis mouet dubitationem, si Iudex adhuc post probabilem appellationem interpositam à reo pronunciat sententiam excommunicationis, an reus remaneat excommunicatus, dubitat ex vtraque parte, pro parte negatiua facit, quoniam excommunicatus est post legitimam appellationem, ergo non est excommunicatus c. Per tuas de sent. excom. c. Dilectis de appell. Pro affirmatiua facit, quoniam si Iudex appellationis postea pronunciaret appellationem inualidam fuisse, ex consequenti declararet excommunicationem fuisse validam. Quamobrem in tali casu excommunicatio videtur manere suspensa.

Respondet Abb. ad hanc difficultatem in dicto capitulo Pastoralis §. Verum num. 14. cum distinctione, Aut notum est, & manifestum appellationem fuisse nullam, & tunc sequens excommunicatio per appellationem præcedentem non suspenditur, sed illicò afficit excommunicatum; nam tenuis, ac friuola appellatio non suspendit iurisdictionem Iudicis in cap. Cum appellationibus, cap. Non solum de appellat. lib. 6. Aut certum est appellationem esse probabilem, & validam, & eo casu certum quoque esse debet Reum non esse obstrictum excommunicatione dicto cap. Dilectis, quod si res sit dubia, tunc quantum ad nostram cognitionem validitas excommunicationis pendet ex futuro euentu, nempè ex declaratione Iudicis, an appellatio fuerit nulla, vel valida, sed veritate inspecta constabit excommunicationem ab initio semper fuisse validam, vel nullam, quare effectus excommunicationis nunquam erit suspensus, quamuis tutius sit dubitare de validitate appellationis ante declarationem, c. Licèt de sent. excom. lib. 6.

Vlterius quæri potest, An excommunicatio lata post legitimam appellationem conualescat, & vires accipiat, si appellans non prosequatur appellationem infra legitimum tempus, & ità remaneat deserta appellatio, vel fuerit renunciatum appellationi.

Hæc difficultas tollitur ex text. in capit. Licet De Sentent. Excommun. lib. 6. Vbi statutum est sententiam excommunicationis post appellationem legitimam promulgatam ob negligentiam appellantis non prosequentis appellationem minimè ratificari. Reddit rationem Glos. in Ver. Rata cap. Sæpè de appella. quoniam ex hac parte nullum est discrimen inter sententiam excommunicationis, & alias sententias, quando appellatio præcedit, quia tunc suspendit iurisdictionem Iudicis, cap. Si à Iudice de appella. libr. 6. ergo excommunicatio, vel quicunque alius actus sequens erit nullus cap. Ad hoc, capitul. Non solum de appella. ergo per desertionem appellationis non conualescit, Reg. non firmatur de Reg.

A Iur. libr. 6. Ità tenet Couarru. in capitulo Alma Mater prima parte §. decimo numero sexto. Vnde in censuris non est admittenda Iuris ciuilis fictio, vt retrotrahantur actus.

Tertio dubitari potest, An si post sententiam excommunicationis appellet quis in casu, quo appellatio fuisset valida, si lata fuisset ante excommunicationem, & vim habuisset impediendi excommunicationem, possit appellans denunciari excommunicatus à Iudice non obstante appellatione.

Respondet ad hanc dubitationem Innoc. III. in cap. Pastoralis §. Verum de appell. Quod cum excommunicatio trahat secum suam executionem, & excommunicatus non obstringatur amplius per denunciationem, quam sit ante denunciationem, hanc ob causam
B posse Iudicem etiam post appellationem illam, denunciare excommunicatum, vt ab aliis euitetur. Hinc Abb. in eo loco §. Verum n. 1. colligit, quod vbi appellatio non suspendit actum iam gestum, neq; suspendit actum gerêdum, si ille sit omninò accessorius, & consequens ad actum præteritum, denunciatio vero est quid consequês ad ipsam excommunicationem, vt excommunicatus ab alijs vitari debeat, infert 2. Abb. n. 5. quod denunciatio excômunicationis non probat necessariò denunciatum esse excommunicatum, quia denunciatio non est vinculum, & denunciatio potest esse iniusta, Glos. in capitulo Licet de sent. excomm. lib. 6.

C Quarto dubitatur, An eadem ratio militet de alijs censuris, nempè de suspensione, & interdicto, sicut de excommunicatione, quod appellatio sequens non valeat impedire effectus suspensionis, & interdicti, sicut non potest suspendere excommunicationem.

Dicendum est has tres censuras quantum ad hunc effectum non differre, vt habetur in capitulo Is cui de Senten. Excomm. lib. 6. Et ibi Glos. in Ver. Sequentem cap. Ad hæc extra De sentent. excom. sicut etiam pares sunt quantum ad ordinem seruandum in illis ferendis cap. Cum medicinalis eod. tit. & lib. Et in cap. Statutum similiter eod. tit. & lib. Suspensio igitur, interdictum, & excommunicatio non suspenduntur per appellationem. Hoc autem dictum intelligendum
D est de suspensione, & interdicto, vt Censuræ sunt ecclesiasticæ, scilicet ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis, vt in tex. dicitur in cap. Is cui, & notat Glos. in Ver. Sequentem, Nàm de Suspensione à temporalibus, vt ab ingressu possessionis de interdicto aquæ, & ignis est diuersa ratio, vt ibi docet Glos. l. Non tantum, ff. de Appella. Nam talium suspensionum, & interdictorum effectus suspenduntur per appellationem sequentem.

Sed quid dicendum, si esset suspensio à beneficio, An impediatur effectus talis suspensionis per appellationem, Glos. ibidem ex sententia Innocen. inquit esse verum in omni suspensione ecclesiastica, Host.
E vero distinguit, Aut est suspensio à beneficio, & hoc casu cum ipsum beneficium spirituale sit, vera est opinio Innoc. Aut est suspensio à perceptione fructuum beneficijs, & tunc, cum sit res temporalia, appellatio sequens suspendit eius effectum.

Probabilius est asserere generaliter, vt inquit Glo. suspensionem à beneficio impediri per appellationem sequentem, quoniam in text. fit mentio solum de Suspensionibus ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis, si idem significare voluisset de suspensione à beneficio, vtique expressisset. Quare regula, quod appellatio sequens non suspendat censurâ, locum habet in his,

Dd quæ

quæ sunt merè spiritualia, quibus anima obstringitur.

Sed contra hanc doctrinam obijci potest, Depositio suspenditur per appellationem sequentem, Glos. in cap. Sæpè Ver. Rata manet De Appella. Sed Depositio ab ordine continet in se suspensionem; nam Depositio est perpetua remotio ab Altaris ministerio, suspensio verò ad tempus, cap. At si Clerici de Iudic. Si igitur depositio suspendi potest per appellationem, multò magis suspensio.

Respondet Abb. in dicto c. Sæpè num. 15. De Appel. Proprium esse, & peculiare trium Censurarum, vt non suspendantur per appellationem sequentem, vt dixi in cap. 3. Disp. 1. Sed depositio non est censura, vt probaui in c. 2. Disp. 1. lib. 1. & facit c. Quærenti de verb. sig. Propterea depositioni non conuenit hæc proprietas, & huius differentiæ causa est, vt explicauimus superius, quoniam censuræ propriæ sunt medicinæ institutæ ad corrigendos inobedientes, &, nè prætextu friuolæ appellationis impediretur necessaria correctio, inductum est ab ipsa lege, vt appellatio vim non habeat suspendendi effectus censurarum, At Depositio non est in correctionem, sed est pœna maxima, si latius sumamus nomen pœnæ, vt comprehendit etiam impedimenta, vt dixi in illo cap. 2. Disp. 1. dicto cap. Quærenti De Verbor. signif. cap. Tuæ de pœn. non immeritò debet suspendi per appellationem, sicut aliæ sententiæ.

Quinto dubitatur, An propositio illa, quod appellatio sequens non suspendat excommunicationem, neque alias Censuras intelligenda sit, quando sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti fertur simpliciter, Vel etiam quando talis sententia pronunciatur sub conditione, Nempè si Iudex dicat nisi Titio infra viginti dies satisfeceris, scias te esse excommunicatum, vel suspensum, aut interdictum, Vtrùm si ille, in quem fertur sententia, appellauerit medio tempore currente, & ad statutum diem minimè satisfecerit, tali sententia maneat obstrictus.

Respondendum est diuersam esse rationem, quando sententia censuræ fertur absolutè contra aliquem contumacem pro peccato commisso, & quando pronunciatur sub futura conditione, Primo enim modo statim tenet, vel est nulla, & ideo non potest suspendi per appellationem, vt hactenus probauimus, si verò lata sit secundo modo sub conditione, non tenet, nisi extante conditione, cap. A nobis 1. De sent. excomm. Quare si medio tempore ante conditionem appellatum sit, impeditur executio sententiæ cap. Præterea 2. De appell. & ibi Glos. Ver. Impedire.

Animaduertit Abb. in dicto cap. Præterea num. 8. ex Glos. ibi differentiam inter sententiam excommunicationis conditionalem, & alias sententias conditionales, quod in excommunicatione licitum sit appellare vsque ad purificationem conditionis etiam post decem dies à tempore promulgationis sententiæ excommunicationis, sed in aliis sententijs currit tempus decem dierum illico à die promulgationis.

Quare in sententia excommunicationis, & in alijs censuris licet appellare quandocunq; ante euentum conditionis, purificata conditione non licet quoad effectum suspensiuum, sed potest etiam infra decem dies appellari quoad deuoluendam causam ad superiorem. In alijs verò sententiis conditionalibus currit tempus à die promulgationis, & infra decem dies semper potest appellari etiam existente conditione, vt si Iudex præcipiat Titio; nisi infra quinque

A dies comparueris, eo ipso sis priuatus beneficio quamuis non comparuerit poterit appellare antequã transeant decem dies, & huius diuersitatis assignatur ratio ab Innoc. & Io. Andr. quia in sententia excommunicationis euentus conditionis non retrotrahitur ad diem promulgationis, alias sequeretur, quod interim deberet vitari, & quod esset excommunicatus etiam si postea non succederet conditio, quod est omninò absurdum affirmare, idcirco merito sententia excommunicationis incipit alligare à die conditionis impletæ, quare interim semper appellari potest, quia vsque ad diem conditionis non videtur lata sententia, neque illa adueniente trahitur retro ad diem pronunciationis, Couarruu. in cap. Alma Mater part. prima §. 10. numero quinto. Ver. In hac autem sed in
B alijs sententiis conditio adueniens retrotrahitur ad diem promulgationis sententiæ, & ab illa die est condemnatus Reus, & ob hanc causam terminus decem dierum ad appellandum incipit currere à die promulgationis, sed dicto spatio decem dierum currente etiam post impletam conditionem potest interponi appellatio, non solum quoad effectum deuolutiuum, sed etiam, vt dixi, suspensiuum.

Sed postulabit aliquis, Postquam semper licet appellare ab excommunicatione conditionata ante aduentum conditionis etiam ad effectum suspendendi executionem, An impleta conditione post lapsum decem dierum, si pars non appellauit, sententia
C transeat in iudicatum, vt appellatio postea interposita non valeat etiam operari deuolutionem causæ ad superiorem.

Respondeo ex Glos. In capitulo Ad Reprimendam De Off. Ordi. & ex Abbate num. 6. sententiam excommunicationis nunquam posse transire in rem iudicatam, quin possit retractari etiam post mille annos, & idem dicendum est de interdicto, & suspensione, cap. fin. De Pœn. Immo si excommunicatus ex diuturno tempore efficeretur deterior, Iudex ex officio deberet illum absoluere, Ioan. Andr. cap. 1. De Senten. Excommun. lib. 6. Sed quoad alios effectus facit transitum in rem iudicatam, sicut & aliæ sententiæ, Debet enim excommunicatus appellare in-
D fra decem dies, quibus elapsis non auditur, vt tenuit Glos. in dicto capitulo Ad Reprimendam, quam sequuntur omnes Doctores, Ideo si quis fuit excommunicatus in contumacia, non audietur post decem dies volens se defendere super contumacia, & super expensis, quæ debentur ratione contumaciæ, quia non appelando videtur acquieuisse sententiæ, Glos. in capitulo Venerabilibus Ver. Querimonias De sent. excommun. libro sexto. Quare sententia excommunicationis, quia semper potest relaxari, non transit in rem iudicatam quoad vinculum, sicut aliæ sententiæ, sed quoad alios effectus sortitur naturam aliarum sententiarum argum. l. Præcipimus in fin. C. De
E appell. & hæc dicta sint de appellatione ab excommunicatione.

CAPVT II.

An sententia excommunicationis statim operetur suos effectus, & secum trahat executionem, vel potius eius executiuo post aliquod tempus differatur.

AGimus de excõmunicatione, quæ ab homine fertur contra certam personã; an illico nulla interposita

posita

posita mora executionem habeat; Nam de excommunicatione iuris, an statim transgressores afficiat & operetur effectum suum absque ulterio aliquo, est alia quæstio, de qua pertractabimus in Disp. VIII. Cap. II. Loquendo igitur de excommunicatione ab homine lata, res omni difficultate caret; Nam cuiuscunque sententiæ finis est imponere terminum causis in iudicium deductis, vt notat Glo. in Clem. vni. de Sequestr. poss. & fruct. Hunc effectum producit sententia, si executioni tradita fuerit; Tunc enim dicitur res iudicata, idest absoluta causa l. 1. ff. de sent. & re iudi. Quare sententia debet habere promptam, & paratam executionem, vt inquit Glo. in Extrauag. Ad conditionem in princ. Ver. Mobilium in ini. de verbor. signif. & regulariter differri non debet cap. Sicut sine 2. q. 1. nisi suspendatur per appellationem, exceptis quibusdam casibus, & recensentur à Glo. in cap. Cum apud 11. quæst. 3. Dicitur autem sententia operari executionem statim quantum ad effectus, quos habet ab ipso iure, non quoad effectus, in quibus requiritur ministerium hominis, vt si per sententiam quis damnetur de furto, vel simili delicto, cui irrogatur infamia ab ipso iure, vt in l. Qui vltimo, & l. Furti, ff. de iis, qui notan. infam. & in cap. Infames §. Porro 3. quæst. 7. Sed si executio fieri debet ministerio hominis, tunc sententia non traditur statim executioni, sed post decē dies de iure, vt probat Bart. in dicta l. Qui vltimo, Vt si mors, mutilatio membri, vel aliæ pœnæ similes sint inferendæ; Et ratio, cur assignetur spatium decem dierum post sententiam ante executionem huiusmodi poenarum, illa est, quoniam si hoc tempus conceditur in ciuilibus causis, multo magis videtur concedendum in criminalibus, vt inquit Abb. in cap. Iurgantium numer. 3. de sent. & re iudi. quia agitur de maiori præiudicio, Glos. in cap. Sæpe de Appellat. Quod si oppositum ex more, & consuetudine videatur seruari; Nam regulariter hoc temporis interuallum decem dierum expectari non solet, Respondet Abb. id fieri, quoniam semper, vel frequentius nemo damnatur pœna vltimi supplicij, vel alterius corporalis damni, nisi sponte confessus fuit delictum, vel ita deprehensus in scelere, & testibus, atque argumentis conuictus, vt negare non possit, text. in l. Qui sententiam C. de Pœn.

Effectus autem excommunicationis sunt instituti ab ipso iure, nec requirunt operam hominis, & ideo illorum executio statim oritur ab ipsa sententia.

Quare si de sententia vlla verum est affirmare habere ab ipso iure executionem expeditam absque retardatione, maximè id certissimum esse debet de sententia excommunicationis, & aliarum censurarum, quæ non indigent externa hominis opera, idcirco statim prolatæ executionem secum afferunt.

Vnde Glo. in Clem. vni. de dolo, & contumacia in declaratione casus appellat censuras potius poenas, quam sententias, quia puniunt, & videntur magis posse vocari effectus sententiæ, nempè qui sequuntur post sententiam ob eam rationem, quoniam inter excommunicationem, atq. eius executionem (& idem dicendum est de aliis censuris) nullum intercedit tempus mediū, sed ipsa sententia est sui ipsius executio, quantum ad ipsum excommunicatum; nam illico prolata alligatus est vinculo, & priuatus omnibus illis bonis, & actibus, quorum excommunicatio est causa, quamuis quoad alios hoc tempore post Concilium Constantiense nō pariat effectus ante publicā denunciationē, neque alij teneantur ipsum excommunicatum vitare.

A

B

C

D

E

Verum contra dicta obiici potest; Nam si absens excommunicatur per epistolam; In hoc casu excommunicatio nō potest parere effectum statim pronunciata sentētia per iudicem, sed postquam notitia sententia peruenerit ad ipsum excommunicatum; ergo non semper verum erit sententiam excommunicationis statim producere effectum suum.

Glo. in cap. Apostolica Ver. Probabilis de Cleri. excom. Mini. proponit hanc quæstionem; Quando sit re vera excommunicatus absens, qui per epistolam excommunicatur, An quando scribitur, vel quando recipitur epistola; Et respondet Glo. cum distinctione, vel per Prælatus, qui excommunicauit, voluit, vt statim pronūciata sententia esset excommunicatus, Quo casu illicò est excommunicatus, sed talis excommunicatio non nocet ei, donec illius notitiā habuerit, arg. cap. 1. 4. q. 5. illis verbis. *Ex quo literas accepisse constiterit*, & l. Si mandassem ff. Mandati, Vel non constat de tali voluntate iudicis, & tunc non intelligitur excommunicatus, antequam recipiat litteras; Et hanc distinctionem vsurpat lex in seruo manumissu per litteras l. Qui absenti ff. de Acquir. poss. & l. Si quis vi §. 1. eod. tit. Ideo non imputatur sententia ignoranti, quia nulla sententia ligat efficaciter, nisi postquam scitur, cap. Biduum 2. q. 6. Nec etiam lex cap. Proposuisti 82. dist. & l. vlt. ff. de Decre. ab Ord. fac. Et in hoc casu dici potest aliquo modo, quod excommunicatio non secum trahat suam executionem, & hoc verum est, cum probabilis est ignorantia, secus si crassa, & supina arg. c. Illud de Cleri. excom. Mini. De executione excommunicationis hæc sufficiant, Restat, vt de Denunciatione tractemus.

CAPVT III.

An post sententiam excommunicationis debeat sequi publica Denunciatio, & quam ob causam fuerit instituta. Ex quæ cæremoniæ seruandæ sint in illa facienda.

IN cap. Curæ 11. q. 3. Honorius Papa ex sententia Burchardi lib. 11. cap. 44. præcipit omnibus Episcopis, vt excom municatorum nomina publicè denuncient. Quæ denunciatio nihil aliud est, nisi solemnitas quædam, & cæremonia ab ipso iure imperata adhibenda post sententiam excommunicationis in promulganda excommunicatione. Neque peculiare est in excommunicatione, vt post eam promulgetur Denunciatio, sed est commune post omnes censuras, etiam post suspensionem, & interdictum; Nam de Interdicto hoc præscribitur in cap. Peruenit 2. & capit. Pastoralis §. Verum de Appellat. & in Clem. vlt. de Censi. De Suspensione vero idem asseritur in Clem. 2. de Pœn. Quod tamen in iure magis definitum est de excommunicatione ob eam causam; Quoniam excōmunicati sunt vitandi ab aliis. Quæ obligatio, maximè post Concilium Constantiense non oritur, nisi postquam excommunicatus est nominatim, & publicè denunciatus, euitari autem non possunt, si ignorentur; Idcirco prudenter ab ipsa Ecclesia prouisum fuit, vt lata sententia excommunicationis, publicè denunciarentur excōmunicati ad tollendam ignorantiam. Nullibi vero in iure peculiariter cautum est Iudicem Ecclesiasticum teneri adhibere diligentiam, vt censura suspensionis, vel interdicti publicè denuncietur, vt suspensi, & interdicti sint vitandi ab aliis. Posset tamen Iudex, si expediens iudicaret, dictas censuras promulgare, & quandoque etiam erit obli-

gatus, vt in casibus in iure expressis, vel si sceleris grauitas, & contumacia delinquentis id exigere videretur. In Censura verò excommunicationis necessaria est talis Denunciatio, & interdum adeo esse potest enorme delictum, & tanta Delinquentis pernicacia, & obstinatio, vt ad maiorem ipsius confusionem, & infamiam, & aliorum exemplum, & terrorem non semel tantum, sed sæpius denunciatio excommunicationis promulgari debeat, vt statim declarabimus,

Hæc Denunciatio publica excommunicationis necessariò fieri debet, quando sententia excommunicationis fertur ab homine contra certam personam pro peccato commisso, & vt id executioni tradatur, pertinet ad munus Episcopi, patet ex illo capit. Curæ 11. quæst. 3. Vbi dicitur *Cura sit omnibus Episcopis &c.* Tum etiam quia hæc denunciatio, vt diximus, est necessaria, vt excommunicatio consequatur suum integrum effectum, nempè vt excommunicatus sit vitandus ab omnibus, & hoc curare debet Episcopus; qui excommunicationem pronunciat. Quando verò excommunicatio incurritur per violationem legis, vel præcepti generalis, tunc generaliter non incst obligatio Episcopo denunciandi excommunicationem, nisi instaret pars aduersa pro denunciatione, quia cum talis excommunicatio non sit seruatis seruandis in Iudicio prolata per sententiam, non vrget necessitas deducendi illam in notitiam aliorum, maximè post Concilium Constantiense, cum Fideles non teneantur euitare excommunicatum, nisi post denunciationem. Sed potest Prælatus, si iudicauerit id expedire, quando constiterit ei aliquem transgressum fuisse legem continentem sententiam excommunicationis, publicè denunciare eundem excommunicatum, & in aliquibus casibus tenetur ex præcepto legis, vt habetur expressè in Clement. 1. De pœn. De eo, qui capit Episcopum, In Clement. 2. de ijs, qui capiunt viros ecclesiasticos ad finem, vt renuncient suis beneficijs, in extrauag. vni. de furtis de iis, qui surripiunt bona Ecclesiæ, & tam in his casibus, in quibus Episcopus tenetur ad præscriptum Sacrorum Canonum denunciare excommunicationem ob transgressionem legis, quàm in alijs, in quibus posset illam omittere, semper, si velit denunciationem promulgare debet antea ipsum excommunicatum per sententiam declarare reum illius legis, cuius causa incidit in excommunicationem, etiam si crimen sit notorium, Nàm hæc denunciatio est quædam executio pœnæ impositæ ab ipsa lege, executio autem pœnæ requirit declarationem delicti cap. Peruenit 1. & cap. Consuluit de Appell. & sentiunt Doctores, quos refert Couar. 1. par. in cap. Alma Mater §. 2. num. 9. Qua declaratione præmissa tenetur Episcopus ad denunciationem, sicut quando excommunicatio fertur per sententiam ab homine, si antea Reus non appellauerit ab hac declaratione, a qua appellare potest; nam licèt à pœna Iuris appellari non possit, vt in cap. Quia de appell. l. Si qua pœna ff. de verb. signif. potest tamen appellari à sententia Iudicis declarantis Reum incidisse in pœnam iuris, quia hæc declaratio est sententia hominis, non iuris, Glos. sing. in cap. Cupientes §. Quod si per viginti Ver. Priuatos De Elect. lib. 6. Abbas in dicto capitulo Peruenit numero sexto.

Igitur denunciatio excommunicationis, quam quis incurrit ob transgressionem legis tunc necessariu facienda est, quando Prælatus declarauit excommunicatum commisisse crimen contra legem, & quando ipsamet lex præscribit denunciationem esse faciendam, vt in cap. Parochianos de sent. excomm. Vbi Summus Pontifex mandat denunciari excommunicatos illos, qui manus violentas iniecerant in Monachos, & ibi Abb. & in aliis casibus superius relatis.

Anfæ verò, propter quas definitum sit ab ipso iure post latam sententiam excommunicationis debere sequi publicam denunciationem, duæ sunt potiores. Prima, vt ad maiorem infamiam, & dedecus ipsius Excommunicati sit ei præclusus aditus Ecclesiarum, non in vno tantum loco, sed vbique, & ab omnibus sit notatus tanquam infamis, & reiectus à communi consortio. Secunda. vt nemo valeat vllo excusationis prætextu se tueri, si excommunicati consuetudine vtitur, seque eius communioni, & societati adiungit.

Modus, & oado seruandus in facienda denunciatione non est vnus, & idem semper, sed diuersus pro varietate criminum, & diuersitate locorum, & aliquando in denunciatione solent adhiberi plures ceremoniæ, aliquando pauciores, sicut etiam olim reperimus non eodem modo denunciationem excommunicationis fuisse in vsu, in cap. Curæ 11. quæst. 3. dicitur, quod in denunciatione nomina excommunicatorum mittebantur ab Episcopo ad alios Episcopos vicinos, & ad Parochos, & eadem descripta publicè proponebantur omnibus conspicua ante fores Ecclesiæ, vt vniuersis innotescerent, in cap. Debent eadem causa & quæstione enumerantur plures ceremoniæ ad formam denunciationis; nempè duodecim Sacerdotes Episcopo debent assistere, & candelas accensas manibus tenere, easque in conclusione excommunicationis projjcere in terram, & pedibus conculcare, deinde epistolæ mittendæ sunt per Parochias continentes nomina excommunicatorum, & causas excommunicationis. Hæ ceremoniæ recensentur etiam à Couar. prima par. in cap. Alma Mater §. 8. num. 6. ex Gratiano in dicto cap. Debent, & Glos. in cap. Ad Apostolicæ in narratione casus de sent. & re. iudi. lib. 6. refert easdem solemnitates adhibuisse Innocentium Quartum in Concilio Lugdunensi in promulgando anathemate contra Fridericum Imperatorem ob eius contumaciam, & inobedientiam in Ecclesiam Romanam.

Adhuc in solemni anathemate, quando sceleris grauitas ità postulat ad atrocitatem criminis declarandam, adhibentur plures aliæ solemnitates, & ritus, vt inquit Alphonsus à Castro lib. 2. De iusta Hæret. punit. cap. 2. propè med. Nimirum promulgatur excommunicatio ex eminenti, & publico ecclesiæ loco recitatur execratorius psal. 108. maledictionum plenus, Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, &c. Extinguuntur cerei, & candelæ à sacerdotibus aqua superinfusa, proferendo hæc verba sicut hæc candela extinguitur in hac aqua, ità anima huius excommunicati pereat in Inferno, Sacerdotes assistunt pullis vestibus induti, deinde in signum mœstitiæ pro anima sic pereunte Crucis vexillum eleuatum velamine nigro tegitur. Aliquid huic ritui simile præcipit Summus Pontifex in capitulo Cum non ab homine De Iudi. esse seruandum aduersus Clericum incorrigibilem, vt postquam excommunicatus erit, anathematis mucrone feriatur, ex quibus apparere potest, sicut nos probauimus pluribus contra Dominicum Sotum in capit. primo Disput. 2. lib. 1. inter excommunicationem maiorem, & anathema, &

inter

inter excommunicare, & anathematizare non esse differentiam aliquam essentialem, sed accidentalem, quæ consistit in eo, quod anathema addit supra excommunicationem ceremoniam, & solemnitatem publicam, quæ adhiberi solet, quando delicti grauitas, & contumacia delinquentis id postulare videtur ad maiorem horrorem excommunicati, & ad metum aliis incutiendum, & hæc maledictio cum huiusmodi solemnitatibus, & imprecationibus ab antiquis vocatur anathema.

Quibus verbis sententia denunciationis olim promulgaretur non desunt exempla apud scriptores vnum vel alterum referam insigne est illud Gregorij Septimi qui anno 1076. gladio Apostolico Henricum Quartum Regem feriendum censuit, cumque regio Germaniæ, atque Italiæ titulo & iurato Principum, Populorumque obsequio abdicauit. Narratur à Sigonio libro nono. De Regno Italiæ. Verba decreti fuerunt huiusmodi *Audi me, Princeps Apostolorum Petre, Tu mihi, Beatusque Paulus frater tuus optimè præter cæteros testes esse potestis me inuitum ad sanctæ tuæ Ecclesiæ gubernacula esse pertractum, ob eamque rem mihi persuadeo tibi placere, vt ego populo Christiano tibi precipuè à Deo commisso præsim, ac summam ligandi, atque soluendi in Cælo, atq; in Terra potestatem obtineam, tibi præsertim à Christo Domino Nostro delatam. Hac igitur fiducia nixus pro Ecclesiæ tuæ honore ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti iure auctoritatis tuæ, Henrico Regi Henrici Imperatoris filio, qui aduersus tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit toto Regno Germaniæ, atque Italiæ interdico, & omnes Christianos vinculo sacramenti, quo se illi obstrinxerunt, exoluo, & ne quisquam ei vt Regi obtemperet, veto, æquum est enim, vt qui studet honorem Ecclesiæ tuæ minuere ipse honore dispolietur, quem videtur habere. Et quoniam, vt Christianum decet, auctoritati meæ non paruit, neque ad Deum reuertitur, quem reliquit, Absentorum consuetudine vtens, & cum salutaria mea præcepta despiciens, atque Ecclesiam tuam tentans scindere, omninò se ab illius corpore separauerit, ob eam rem tuo nomine vinculo Anathematis ipsum alligo, vt Gentes sentiant, quod tu es Petrus, & super tuam petram filius Dei ædificauit Ecclesiam tuam, & portæ Inferi non præualebunt aduersus eam.*

Eiusdem anathematis, & solemnis excommunicationis forma, quæ erat in vsu, colligi potest ex Synesio Episcopo Ptolomeydis Cyrenensis Pentopolitanæ Prouinciæ in Aegypto epistola 58. qui in Andronicum eiusdem Prouinciæ Præfectum, propterea quod nouis, & sæuis tormentis reos excruciaret, quod edictum præ foribus Ecclesiæ affixisset, & Sacerdotibus grauia comminatus esset, atque alia enormia perpetrasset, excommunicationis sententiam tulit his verbis conceptam.

Postquam non amplius admonendus est homo, sed velut insanabile membrum à nobis resecandus, vt ne societatem etiam, quod sanum est, simul corrumpatur, nàm inquinamentum facilè distribuitur, & qui tangit scelestum, particeps fit ratus illius, oportet autem omnes corpore, & mente puros Deo esse. Propter hæc Ptolomeydis Ecclesia ad omnes vbique Terraram sorores suas hæc demandat, Andronico, & suis, & Tonanti, & suis nullum templum Dei aperiatur, omnis sacer Cœtus, omne sacrum Templum conclusum sit, Nou est Diabolo portio in Paruidiso, qui etiam si clandestinè ingressus fuerit, expellatur. Admoneo igitur & priuatum quemque, & Principem, vt ne sub eodem tecto cum ipse habitet, neque eandem mensam participet, Sacerdotes autem præcipuè neque viuentes ipsos alloquantur, neque mortuos simul ad sepulturam deducant, &c.

Ad hunc modum publicè promulgata fuit sententia excommunicationis ab ipso Synesio tempore Theodosij Iunioris Imperatoris, cum Alexandrinæ Ecclesiæ præesset Theophilus. Si igitur exiguæ Ciuitatis Episcopus hæc in Prouinciarum Præsides, quid putandum fecisse cæteros, qui maioribus præessent Ecclesijs, vt Metropolitanos, vel Patriarchas, ac denique ipsum Episcoporum Episcopum Pontif. Romanum.

His igitur modis describitur forma Denunciationis, qua sententiam excommunicationis promulgare consueuerant antiquitus SS. Pontifices.

Sed nonnullæ occurrunt dubitationes circa dicta. Primo an hæc forma denunciationis cum singulis ceremonijs enarratis debeat hoc tempore necessario retineri in promulganda excommunicatione.

Respondendum est Ad officium Iudicis excommunicantis pertinere post latam sententiam excommunicationis illam denunciare; vt & ab alijs seruetur, & ipse etiam excommunicatus ad illam seruandam compellatur. Non puto tamen semper obligari Episcopum ad eas omnes solemnitates adhibendas, quæ olim erant in vsu, tùm quia non semper videmus hoc tempore illas seruari in omni denunciatione excommunicationis, tùm quia diuersus est ritus denunciationis pro diuersitate Prouinciarum; neque etiam antiquitus vno, & eodem modo hæc promulgatio excommunicationis fieri solebat, vt vidimus. Quare censeo Episcopum satisfacere muneri suo, si in denunciatione excommunicationis curet, vt excommunicati nominatim publicè promulgentur in Ecclesia Cathedrali, aut saltem in Parochia inter Missarum solemnia, dum frequens adest Populi concursus, aut apponãtur Schedulæ, in quibus nomina excõmunicatorum descripta sint præ foribus Ecclesiæ, aut in locis publicis, in quibus edicta affigi solent, etiam si aliæ ceremoniæ omittantur, si enim hoc sufficit in promulgatione statuti, vel edicti, vt habeat vim obligandi omnes, debet etiam satis esse in denunciatione excommunicationis. Quando verò adhibendæ sint solemnitates illæ denunciationis descriptæ in iure, puto relictum esse prudentiæ ipsius Episcopi attenta delicti grauitate, & ipsius Rei contumacia. Excipiuntur tamen peculiares casus in Iure expressi, in quibus describitur modus denunciationis, vt in cap. 1. De Tregua & Pace, in cap. Parochianos de sent. excom. in Clem. 1. De Furt. in Clem. 1. De Priuileg. in Clemen. vlt. de Cens. & in alijs locis.

Secundo dubitari potest, à quo debeat fieri denunciatio excommunicationis.

Respondeo, Si excommunicatio lata sit ab homine, denunciationem fieri posse in primis ab ipso Iudice, qui tulit sententiam; ille enim habet iurisdictionem exequendi suam sententiam ex capitulo Pastoralis §. Verum De Appellation. Deinde denunciari potest excommunicatus ab eo, cui tale ministerium fuerit commissum ab ipso Prælato, qui excommunicauit, Ille enim executor habet iurisdictionem delegatam ad hanc actionem exercendam, & exequitur ministerium sibi commissum, & de causa excommunicationis nihil cognoscit, vt inquit Glos. in Ver. Executorem in cap. Super 2. De offic. deleg.

Si vero tractetur de denunciatione excommuni-

cationis latæ ab ipso iure, dicendum est primo, Si quis incidat in excommunicationem ob violationem Statuti Episcopalis, posse eodem modo denunciari vel à suo Episcopo, vel ab ipso Executore, cui id committatur à Prælato.

Secundò si incurrat excommunicationem ob trãsgressionem Constitutionis Pontificiæ, denunciatio facienda est vel ab Ordinario ipsius Delinquentis, vel si delictum in aliena Diœcesi commissum sit, ab Ordinario illius loci ratione delicti ibi commissi, patet ex Clem. 2. de pœn. in fin. cap. de illis 6. quæst. 3. & cap. 1. de Rapto.

Tertiò dubitatur, An denunciatio excommunicationis facta non præmissa citatione sit valida vel inualida.

Respondeo denunciationem excommunicationis, & aliarum censurarum factam non præmissa citatione non solum iniustam censendam esse, sed nullam & inualidam; Nam denunciatio excommunicationis, seu declaratio quod aliquis incidit in eam fieri non potest absque citatione ipsius excommunicati, & antequam audiatur vel contumax iudicetur, & si fiat absq. citatione est ipso iure nulla & nullum impedimentum affert quo minus gesta postea per excommunicatum valeant, vt notat Glo. in c. Cupiẽtes paulò post princ. Vers. Quod si per, de Elect. lib. 6. & pluribus confirmat Felin. in cap. Rodulphus num. 9. de Rescript. sicut omnes aliæ sententiæ eodem modo pronunciatæ sine citatione legitima sunt nullæ nisi res sit notoria Clem. Pastoralis 9. Cæterum de re Iudi. quia parte non audita neque etiam Papa aliquid definire potest, vt ipsemet testatur, in cap. 1. de cau. possess. Idem habetur in cap. Nos in quemquam 2. quæst. 1. Hæc tamen doctrina patitur exceptionem in casu quo inflicta sit excommunicatio à iure contra committentes aliquod crimẽ & sit notorium illud crimẽ fuisse ab aliquo patratum, sua enim Doct. affirmant, licere Iudici absque alia citatione deuenire ad denunciationem, & declarare delinquentem excommunicatum nulla præmissa citatione, ita tenet Abb. in cap. Parochianos nu. 2. de sent. excom. & in cap. Peruenit nu. 5. de Appella. & colligitur ex cap. de Manifesta 2. q. 1. & cap. Euidentia de Accusat. cap. Illud de Cleri. excom. Ministr. cap. Bonæ memoriæ 1. de Elect. Idem confirmat Siluest. Excommunicatio 5. §. 12. & 13. Tabien. num. 3. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 10.

Quartò dubitari potest, An si quis citatus fuerit à Prælato ad videndum fieri denunciationem excõmunicationis, in quam supponitur incidisse ob transgressionem Canonis, & appellet; An huiusmodi appellatio possit impedire denunciationem.

Respondendum est cum distinctione, quam assignat text. in capit. Peruenit 1. de Appellat. & illam probat Abb. in cap. Parochianos num. 2. de sent. excom. Aut constat notoriè aliquem incidisse in excommunicationem ob transgressionem legis, & tunc, etiam si appellet, potest denunciari excommunicatus, vt expresse habetur in dicto cap. Parochianos, quia per denunciationem non alligatur amplius, quam antea erat, vt in cap. Pastoralis de Appellat. Eodem modo sicut per appellationem nõ impeditur denunciatio excommunicationis latę per sententiam Iudicis, vt dixi superius in Cap. I. Si verò res esset dubia, an inciderit in excommunicationem legis, puta an percusserit Clericũ, nec nè, & an ex causa percusserit, quæ ipsum excuset ab excommunicatione, tunc deferendum esset appellationi, vt asseritur in dicto cap. Peruenit De Appell.

A & in hoc casu, vbi manifestè non constat ob tale crimen Delinquentem incidisse in excommunicationem Canonis, debet Ordinarius ante denunciationem citare ipsum denunciandum, vt compareat ad se defendendum iuxta Glo. in Clem. Præsenti De Censi. & in Clem. 2. De Pœn. Nauar. conf. 56. num. 5. De Sent. Excom. & probato delicto debet Iudex declarare reum commisisse tale crimen, cuius causa in excommunicationem incidit, & ab hac declaratione poterit appellare, nisi notoriè constet de contrario; Nam à sententia legis appellari non potest, sed appellari potest à sententia Iudicis declarantis aliquem incidisse in pœnam Iuris, Glo. in cap. Cupientes de Elect. lib. 6. Facit cap. Cum secundum leges De Hæret. eod. lib. &
B interim suspendenda est denunciatio. Quando verò Iudex declarauit aliquem per sententiam excommunicatum, & præcipit, vt talis denuncietur excommunicatus, etiam si appellauerit, erit vitandus post denunciationem, sicut si non esset interposita appellatio, quousque constet de iustitia, vel iniustitia excommunicationis, quia hæc appellatio non suspendit effectũ excommunicationis, vt dixi in cap. 1. Atq. in hoc casu, quando Reus appellat à sententia excommunicationis, & vult probare sententiam esse iniustam, contra vero Episcopus dicit iustè excommunicasse eundem, & postulat à Superiore admitti suas probationes, non est Episcopus audiendus, antequam impẽderit absolutionem ipsi Reo, vt habetur in c. Cum
C contingat De Off. Deleg. & ratio in tex. apposita est; Quoniam est si constaret iustè fuisse excommunicatũ, nihilominus absolui deberet. Si verò Reus per appellationem interpositam vellet probare excommunicationẽ fuisse nullã, puta si consequeretur se post appellationem legitimam fuisse excommunicatum, & Episcopus oppositum velit probare, sunt admittendæ probationes vtriusque partis, antequam absoluatur, quibus apparere possit, vtrum absolui debeat, vel declarari potius non excommunicatus, vt in eodem cap. Cum contingat expresse dicitur.

Animaduertit tamen Nauar. in cap. Cum contingat remed. 6. num. 7. De Rescript. dari posse casum, quo appellatio interposita post excommunicationem
D latam per sententiam ab homine impedire potest denunciationem; Nempe vbi per Denunciationem excommunicatio fit validior, & difficilius tolli potest, vt in casu cap. Tua De Sent. Excom. Vbi absolutio ab excommunicatione ob incendium rerum Ecclesiasticarũ, quę regulariter nõ est reseruata Sedi Apostolicæ; Si tamen fuerit denunciata, à solo Papa relaxari potest; In hoc enim, & similibus casibus cessat ratio, quæ affertur in cap. Pastoralis §. Verum De Appella. Quod excommunicatio post denunciationem non magis ligat, quàm ante denunciationem. Hinc infert Nauar. hoc tẽpore post Extrauag. Conc. Constantiensis ad euitanda Nunquam posse denunciationem fieri post appellationem interpositam, nisi antea
E cognitum fuerit de iustitia excõmunicationis; Quia hodie per denunciationem excommunicatio accipit maiorem vim.

Quæ doctrina Nauar. quamuis videatur probabilis in casu proposito, & in aliis similibus, quia in illis denunciatio videtur aliquem effectum addere erga Excommunicatum vltra illos, qui oriuntur ab ipsa excommunicatione; & ità cessat ratio cap. Pastoralis; Tamen id, quod deducit vniuersaliter de omni denunciatione, videtur carere probabilitate; Quoniam denunciatio regulariter nõ tribuit vim aliquam majorem

iorem

iorem ipsi excommunicationi, nec excommunicatio habet effectum aliquem post denunciationem erga ipsum excommunicatum, quo careat ante denunciationem, sed denunciatio solum operatur, vt alij fideles teneantur excommunicatum vitare; Verum, vt dicitur in dicto §. Verum non obstante appellatione denunciatio excommunicationis fieri debet etiam ad hunc effectum, vt excommunicatus ab aliis vitari debeat; Igitur eadem ratio militat hoc tempore, sicut ante Concilium Constantiense, & sicut tunc appellatio non erat impedimentum ad denunciationem, similiter non erit hodie.

Quinto dubitat Abb. in cap. Pastoralis §. Verum num. 23. De Appella. ad quem Iudicem pertineat denunciare excommunicatum, qui appellauit à sententia excommunicationis, An id fieri possit à quocunque Iudice non obstante appellatione.

Respondet Abb. ex sententia Innoc. Iudicem ordinarium ipsius excommunicati posse ferre denunciationem, quamuis ipse non pronunciauerit sententiam contra illum, arg. cap. Curę 11. q. 3. & cap. 1. De Treg. & Pa. Hoc autem non conuenire Iudici Delegato, si appellatio per excommunicatum interposita recepta est à Superiore, arg. cap. Pastoralis §. Præterea De Off. Deleg. Et hanc doctrinam Innocentij de Iudice Delegato explicat Abb. hoc modo; Aut excommunicatus appellauit à Iudice Delegato ante denunciationem, & ipse detulit appellationi, quo casu non poterit denunciare, quia per delationem factam appellationi, non remansit Iudex, vt in cap. Cum appellationibus eod. tit. lib. 6. Nec sua inter est, vt talis excommunicatus vitetur, cum non sit suus Ordinarius, Aut non detulit appellationi, & tunc aut appellatio fuit recepta à Superiore, & non potest denunciare, quia per receptionem reuocatur prorsus iurisdictio à Delegato, vt in dicto §. Præterea, Aut non dum fuit recepta, & potest denunciare, quia sua interest, vt excommunicatus euitetur, vt citius resipiscat, & sibi obediat, arg. cap. Ad aures De Appel. Vbi Delegatus præfigit terminum appellanti ad appellationem prosequendam, vt citius reassumat iurisdictionem. Sed si loquamur de Ordinario, quærit Abb. quid si Iudex ad quem præcipiat Ordinario, nè excommunicatum, qui iam appellauit, denunciet, an teneatur parere; Respondet debere obtemperare, etiam si pars aduersa appellet ab huiusmodi decreto, quia nullum incommodum propterea patitur, nàm ante exitum appellationis, etiamsi excommunicatus denunciaretur, non posset compelli ad satisfaciendum; Nisi esset excommunicatus pro manifesta offensa, tunc enim sua interesset appellare à decreto superioris præcipientis Ordinario, nè denunciaret aduersarium excommunicatum post interpositam appellationem, quia talis appellatio supposita manifesta offensa non fuit valida, cap. Consuluit, cap. Ad hoc, cap. Cum sit Romana De Appel. Et pendente quæstione Iurisdictionis, quia dicitur, quod appellatio non tenet, non potest Iudex ad quem se immiscere in causa principali cap. Romana De Appella. lib. 6. Nec plura addamus ad hoc caput.

CAPVT IV.

An aliquando Iudex teneatur non denunciare excommunicationem.

Vt denunciatio excommunicationis necessariò fieri debeat, requiritur in ipso Denunciante A potestas, & obligatio, vt patet ex dictis in præcedenti cap. Vbi verò non adest obligatio ad denunciandū, quamuis possit omitti absque peccato, vel differri, & interdum ratio persuadere posset id fore expediens, vt minor infamia, & nocumentum Proximo inferatur, cum nonnunquam denunciatio reddat difficiliorem absolutionem ab excommunicatione, vt in fine præcedentis cap. Probaui ex cap. Tua De Sent. Excom. Non tamen vniuersaliter affirmari potest, quoties Iudex non tenetur aliquem excommunicatum denunciare, semper peccare, si denunciet; Id enim relinquendum est prudentiæ Iudicis, si existimet ob aliquas probabiles causas bonum esse, & vtile denunciationem facere, & quando denunciat Iudex, vtitur potestate sua.

B Difficultas tamen est, & non Leuis; An quando iuxta ea, quæ dixi in præcedenti cap. denunciatio excommunicationis facienda est ex præcepto sacrorum Canonum, possit, & debeat ille, cui committitur, vt quempiam publicè denunciet excommunicatum, in aliquo particulari casu ex causa illam prætermittere, & non denunciare, puta si ei euidenter constaret excommunicationē ab ipso Iudice latam, fuisse iniustā.

Hæc quæstio latissimè tractatur à Doctoribus non solum in sententia excommunicationis, sed in omni sententia de quacunque re, & potest disputari non tantum de Executore, sed de ipso Iudice; An possit secundum allegata, & probata contra propriam scientiam iuste iudicare, & sententiam executioni C tradere.

In hac ardua quæstione opinio est multorum asserentium non posse Iudicem iustè iudicare secundum allegata, & probata contra veritatem, quam nouit vt priuata persona, sed in proferenda sententia debere sequi propriam conscientiam, & veritatem.

Hanc sententiam tenet Calde. & Abb. in cap. Pastoralis §. Si verò De Off. Deleg & alij, quos citat Couar. in lib. 1. Variar. Resol. cap. 1. quæ multo magis habet locum in sententia excommunicationis, cum maxima inferat damna.

Hæc opinio innititur his fundamentis. Primò omne, quod non est ex fide, peccatum est, vt inquit Apostolus ad Rom. cap. 14. cap. Quærat aliquis De Pœnit. D dist. 4. cap. vlt. De Præscript. ex fide 1. ex conscientia, vt exponit Ambro. in dictum cap. 14. Gratia. in dicto cap. Quærat aliquis; Peccatum etenim est omne, quod non est ex conscientia, siquidem faciens contra conscientiam, ædificat ad Gehennam cap. Literas De Restit. Spoliat.

Confirmatur, quoniam Iudex sententiam dicens contra veritatem sibi priuatim compertam mentitur in læsionem alterius, Mendacium autem est contra Ius naturale, & diuinum Exodi 23. *Non suscipies vocem mendacii, neque in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à veritate devies*, & subditur, *Innocentem, & iustum non occides.*

E Secundò probatur c. Qui scādalizatur de Reg. Iur. dicitur, *Vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas deferatur.* Quare veritas non est deferenda, etiamsi Actor, & Ciues scandalizentur ex denegata sententia secundum acta contra veritatem.

Tertiò ius non cogit Iudicem, vt iudicium ferat secundum allegata, & probata, sed ad iudicandum secundum iura, sed iudicare secundum iura est ius suum vnicuique tribuere. In iudicijs autem proponuntur multa, & probantur contra veritatem; Veritas autem vitiari nequit erroribus gestorum, sed semper veritas præferenda est, cum pateat.

Quar-

Quartò maior auctoritas inest sententiæ Iudicis, quam dictis testium, & alijs deductis in iudicium, quę per sententiam adhuc definita non sunt, & tamen, vbi sententia Iudicis discrepat à veritate, non est parendum sententiæ, sed sequenda est veritas, Id euidenter ostenditur in casu, quo Iudex præcipiat per sententiā alicui sub pœna excommunicationis, vt debitum coniugale reddat fœminæ, quam ipse certo scit eius vxorem non esse; Ille enim non tenetur Iudicis sententiæ stare, immò nec potest, si canonicum impedimentum obstet. Text. est in cap. Inquisitioni de sent. excomun. Notant Doctores in cap. Dominus de secun. nupt. Sic etiam Iudex omissa auctoritate Actorum, causæ sententiam dicere debet ex his, quæ certa sibi sunt, & ita nota, vt vera esse manifestò sciat.

Postremò hanc eandem opinionem probat text. in cap. 1. de re Iudi. lib. 6. & in Clem. 1. §. Verum de Hæretic. Quibus locis Iudici committitur, vt iuxta propriam conscientiam sententiam ferat.

His auctoritatibus, & rationibus, & alijs plurimis similibus potest confirmari hæc sententia, quod Iudex non debet, nec potest secundum probata in iudicio sine peccato mortali contra conscientiam sententiam excommunicationis proferre, & multo minus eam publicè denunciare.

Oppositum tamen communiter tuentur tam Iurisconsulti, quam Theologi, Glo. in cap. 1. de off. Ordin. cap. Iudicet 3. q. 7. & in cap. Pastoralis §. Quia vero de off. Deleg. & ibi Felin. & Imola, Præposi. in dicto c. Iudicet, Archid. in cap. Si sacerdos de off. Ord. Nauar. in cap. Si quis de Pœnit. dist. 7. nu. 128. Couar. lib. 1. Variar. resol. cap. 1. Ex Theolog. in primis B. Tho. 2. 2. q. 67. art. 2. & ibi Caiet. Io. Ma. in 3. sent. dist. 43. q. 4. Siluest. in Ver. Iudex 2. nu. 5. Turrecrem. in dicto cap. Iudicet, B. Antoni. 3. part. tit. 9. capit. 2. §. 6. Palud. in 4. distinct. 18. quæst. 6. & alij plures, qui omnes conueniunt in hac conclusione Iudicem in pronuncianda sententia debere omnino sequi actorū, quæ in iudicio deducta sunt, probationes, nō priuatæ sciētiæ veritatē.

Nonnulli tamen distinguunt inter causas criminales capitis, vel mutilationis membri, & inter causas criminales leuiores, aut ciuiles, quæcunque illæ sint. Dicunt in causis prioris generis Iudicem non debere ex probatis iudicare contra veritatem; In alijs vero criminalibus leuioribus, & causis ciuilibus ex actis dicere sententiam debere contra id, quod certo scit.

Hæc opinio fuit cuiusdam Rodulphi Iurisconsulti antiqui, vt refert Ang. V. Iudicare nu. 7. Eandem tenent Rosella V. Iudex, Adria. quodl. 6. art. 3.

Fundamentum horum Auctorum est, quia idcirco Iudex debet pronunciare secundum allegata, & probata, quoniam leges humanæ, & ciuiles ita statuunt, & in illas Respub. & Populus consenit ob pacem publicam, & ad finiendas lites. Verum nemo potest disponere, aut suo consensu firmare constitutionem, nisi in his, quorum ipse est Dominus, Respub. est quidem Domina bonorum suorum Ciuium, non autem vitæ, & membrorum, ergo potuit consentire in leges definientes, vt Iudices ferant sententiam secundum allegata, & probata in ciuilibus causis etiam contra veritatem ad dirimendas lites, non autem in criminalibus maxime pertinentibus ad vitam, & membra, cū cum in hæc nullum habeat dominium, nec possit ea tollere, vel exponere periculo, nisi aut puniendo verū delictum, Vel in bello iusto, & defensione Patriæ, sed nihil horum occurrit, quando reus est innocens, & ex actis probatur delinquens.

A Hæc opinio videtur omnino improbabilis, vnde meritò reijcitur ab omnibus, & fundamentum est omnino falsum, nempe Iudices iudicare debere secundum testes, quoniam leges humanæ ita definiunt, quia hæc obligatio prouenit ex iure naturali, & diuino, & ex natura officij, quod tenent, quia iudicant vt personæ publicæ, & potestate publica, ideo tenentur in iudicando sequi scientiam publicam, non priuatam.

Falsum est etiam Populum, & Rempub. consensisse in huiusmodi leges quantum ad causas ciuiles, non autem potuisse consentire quantum ad causas criminales; Nullibi enim legitur talis consensus Populi; Neque communiter leges proponuntur ex consenso Populi, sed ex auctoritate Principis, & in vtilitatem boni B communis; In his enim duobus consistit tota vis, & iustitia legum.

Tandem falsum est Rempub. esse Dominam bonorum temporalium Ciuium, non autem vitæ, & membrorum, non enim est magis Domina bonorum, quam vitæ, quia sicut non potest libere disponere de vita, & membris Ciuium, ita quoque neque libere disponere potest de bonis temporalibus, & sicut potest tollere bona propter culpam, & applicare Fisco, aut illa exponere periculo pro bono communi, ita potest tollere vitam propter culpas, & illam exponere pro bono communi, vt in bello iusto.

Quamobrem hæc sentētia videtur omnino improbabilis, & meritò dimittenda. Ex alijs duabus opi- C nionibus, opinio B. Thomę est probabilior, & communior; Nimirum Iudicem debere sententiam ferre ex actis, & probatis etiam contra veritatem, quam nouit ex priuata scientia, & notitia rei gestæ. Et hæc doctrina vera est non solum in causa ciuili, sed etiam criminali, & in sententijs censurarum, quamuis grauissimæ sint pœnæ.

Fundamentum huius opinionis est, quoniam Iudex agit vt persona publica in iudicando; Igitur duo illa, quæ maxime requiruntur in ipso, scilicet potestas, & scientia, debent esse publica, vt quemadmodum id tātum agere debet, quod ei tribuit potestas publica, ita quoque oportet ipsum iudicare iuxta ea, quæ per scientiam publicam ipsi nota sunt, Iudex enim publi- D ca auctoritate fungitur, & ex ea iudicat l. Barbarius ff. de off. Prato. cap. 1. de re Iudi. lib. 6. Clem. 1. de Sequestr. Poss.

Qua ratione debet in controuersiis definiendis vti scientia publica.

Quamuis autem hæc opinio sit multò probabilior alijs, non est tamen ita intelligenda, vt existimemus statim Iudicem oportere ferre sententiam ex probatis in iudicio contra veritatem, quam ipse vt priuata persona certo scit, sed debere antea tētare omnes vias possibiles, omnia media experiri, vt contra innocentem non pronunciet sententiam. Quare primo loco in tali casu debet admonere Actorē, vt desistat à molestiis inferendis aduersus eum, quem ipse certo scit E esse innocentem, arguendo illum, & medio iuramento veritatem attestando. Quod si nequeat obtinere ab Actore, secundo loco debet procurare aliquo modo dicta, & depositiones testium reijcere, & non admittere. Quod si id non contingat, omni diligentia debet illos interrogare, examinando vnūquemq. seorsū, & multoties de omnibus circūstātijs tēporis, loci, personarum & cæt. ad detegendam veritatem, sicut fecit Dan. cap. 13. circa testes illos falsò accusantes Susannam. His enim medijs adhibitis fieri non potest, vt non deprehendat eorum mendacium, vel discrepan-

pantiam; Vnde constet non esse contestes. Et si hæc nō proficiant, poterit publicè cum iuramento affirmare sibi notā esse innocentiam illius accusati, non tamen prodere debet Nocētem, si putet hoc modo aut postulatione totius Populi illū liberandum, aut ad Superiorem causam esse deferendam, præsertim si agatur de pœna capitis, vel mutilationis membri; Vel, si sine scandalo fieri potest, debet permittere, vt Reus exeat è Carcere, vel etiam ad tempus officium Iudicis dimittere, vt causa ab alio cognoscatur, & tunc vt testis deponere veritatem.

Quamobrem moraliter loquendo, vix potest contingere casus, vt his remediis non sit consultum innocentiæ ipsius Rei.

Ex dictis deducitur secundum magis probabilem opinionem B. Thomæ, vt diximus; Quod si Iudex, à quo cognita fuit causa, apertè ex actis, & probatis intelligit accusatum esse excommunicationis vinculo per sententiam obstringendum, quamuis ipse certò sciat esse innocentem, posse iustissime contra eum, tentatis prius illis remediis, de quibus diximus, sententiam excommunicationis ferre, & illam denunciare. facilè modo soluuntur, quæ in prioris opinionis confirmationem adducta sunt; Neque enim verum est Iudicem sententiam dicere contra conscientiam, si pronunciet ex his, quæ vt Iudex scit, etiam si vt priuatus contrarium cognouerit, neq. dicitur mentiri, cum auctoritate publica sententiam dixerit ex his, quæ vera apparent inspectis publicis documentis.

Tandem nec vltima ratio, licet videatur prima facie aliquantulum apparens, concludit contra hanc sententiam; Nam is, cui Iudex præcipit aliquid, quod ipse absq. peccato exequi non valeat, persona priuata est, & in executione præcepti priuata, non publica iurisdictione fungitur, & ideo oportet, vt priuatam, & particularem scientiam potius, quàm publicam sequatur. Iudex vero auctoritate publica iustitiam ministrat, & eadem ratione publicam scientiam sequi debet; Quare militat diuersa ratio.

Sed quamuis ea, quæ dicta sunt, probabiliora videantur, si sermo sit de Iudice, qui cognitionem causæ habeat, nempe talem posse excommunicationis censura eum damnare, quem ex actis, & probatis in Iudicio inobedientem, & contumacem cognouerit, etiam si secundum rei veritatem oppositum verum esse sciat; Tamen difficultas est, an eadem ratio sit de Executore, cui sine aliqua causæ cognitione committitur solum ministerium, scilicet an merus Executor, cui committitur executio, & denunciatio excommunicationis, si verè sciat sententiam excommunicationis latam esse iniustam, possit Excommunicatum publicè denunciare.

Et ad vtramq. partem adest ratio dubitandi. Pro parte affirmatiua adest tex. vbi videtur hoc expresse definitum ab Innoc. Tertio cap. Pastoralis §. Quia vero De Off. Deleg. Vbi hæc habet: *Attendentes itaq; quod non cognitio, sed executio tantum demandatur eidem. Respondemus, quod cum Ordinarius obsequi teneatur Delegato, etsi sciat sententiam illam esse iniustam, exequi nihilominus tenetur eandem, nisi apud eum efficere possit, vt ab hoc onere ipsum absoluat.* Ex his igitur verbis apparet Executorem debere exequi sententiam etiam iniustam.

Deinde idem probari potest ratione; Mero Executori non committitur causæ cognitio, sed mera executio; Quare talis Executor non debet audire exceptiones, nec admittere appellationem, vt inquit

A Glo. in dicto §. Quia verò Vers. Et si sciat, & de hoc Executore loquitur l. Si vt proponis C. De Exec. Rei Iudi. & cap. De Cætero De Re Iudi. Ideo debet exequi sententiam excommunicationis, etiamsi cognouerit illam iniustam; Quia debet exequi sententiam vt persona publica, & eodem modo debet operari secundum scientiam publicam, sed cognitio, quam habet de iniustitia sententiæ, est priuata, ergo illa non obest, quominus debeat exequi sententiam; Secus si sciret sententiam esse nullam, vt tenet Glo. in dicto §. Quia verò vbi supra.

Confirmatur, quia denunciatio propriè non est executio excommunicationis; Nam excommunicatio secum affert executionem, vt superius dixi in cap.
B 1. Vnde denunciatio non addit vinculum, sed declarat impositum cap. Pastoralis §. vlt. De Appell. cuius potissimus finis est, vt Excommunicatus ab aliis sit vitandus; Quod etiam fieri debet, quando excommunicatio est iniusta; Igitur notitia de iniustitia sententiæ non debet impedire denunciationem.

Pro parte vero negatiua oppositum persuaderi potest, quoniam recta ratio dictare videtur non esse aliquem tanquam excommunicatum promulgandum, quem certo scimus esse innocentem; Est enim res intrinsecè mala, licet enim per denunciationem non magis ligetur excōmunicatus, quam antea esset quo ad seipsum; Tamen denunciatio ligat alios, vt teneantur excommunicatum vitare. Hanc ob causam in c.
C Inquisitioni de sent. excom. idem Innoc. docet Coniugem, cui certo constat matrimonium esse nullum, non debere cum altero Coniuge copulari, etiamsi per Iudicem sub pœna excommunicationis compellatur, quia accedere ad nō suam est intrinsece malum, sicut nec milites vocati à suo Principe ad bellum iniustum, si id eis constiterit, tenentur parere iuxta communē sententiam Theologorum, vt habetur cap. Quod culpatur 23. q. 1. ex B. Augustino, & videtur similis ratio de pœna corporali infligenda, Non debere Lictorem, & Carnificem mortem alicui inferre, si euidenter sciat sententiam capitis in reum latam esse iniustam, aliter possent à culpa excusari omnes Martyrum Carnifices, si alias illis Martyrum innocentia constabat.

D Pro solutione huius difficultatis distinguēdum est, quod sententia iniusta alia est valida, alia est nulla, & inualida, Prior iniusta scilicet, & valida, alia potest esse iniusta secundum se, & re ipsa, sed iusta ex actis, & probatis, alia vero etiam iniusta secundum acta, & probata.

Secundo distinguendum est posse Exequutori constare de iniustitia sententiæ dupliciter; Primo quia habet priuatam notitiam facti: secundo quia talem iniustitiam cognouit ex inspectione actorum, & eorū, quæ sunt deducta in iudicio; Et hæc secunda iniustitia vel potest esse contra essentiam ipsius iudicij, vel contra accidentariam formam, & ordinem iuris non seruatum.

E Tandem duplex status considerari potest sententiæ iniustæ; Alter est ante elapsum tempus ad appellandum, in quo vel nondum appellatum est, vel etiam si iustè appellatum fuit, Iudex tamen noluit admittere appellationem; Alter status est post elapsum tempus ad appellandum concessum, in quo appellatum non fuit, & sententia fecit transitum in rem iudicatam.

His positis dicendum est ad dubitationem. Primò quoties Exequutori certo constat sententiam excommunicationis esse nullam, quacunque ratione id sciat, non potest licite illam denunciare.

Id

Id probatur ex Glo. cap. Ex literis De Off. Deleg. A V. Denuncietis; Vbi asseritur sententiam, quæ nulla est, non esse executioni mandandam, & probat ex cap. Si quando eod. tit. Et huiusmodi Executori potest per vim resistit, sicut resisti potest Officiali, si venerit vt accipiat bona alicuius; Nisi ab Imperatore potestatem habuerit l. Prohibitum est ff. De Iu. Fisci. Confirmat Abb. ibidem nu 1. & 2. Idem probatur ex cap. 2. De Crim. falsi; Vbi Papa commendat Episcopum, qui noluit sententiam ei commissam, quam nouit esse latam auctoritate falsarum literarum, executioni demandare.

Secundo dicitur, si excommunicationis sententia sit iusta secundum allegata, & probata, idq. notum sit executori, licet sciat re ipsa esse iniustam, & contra B veritatem causæ, posse executorem & debere superiore præcipiente illam denunciare.

Probatur ex cap. Pastoralis §. Quia vero De Off. Deleg. & ibi Glos. Vers. Et si sciat; Vbi definitum est Executorem, quia ei non cognitio causæ, sed ministerium delegatur, quamuis certò sciat sententiam esse iniustam, exequi tamen nihilominus illam debere.

Ratio huius dicti est, quia præceptum Superioris mandantis Executori, vt denunciationem excommunicationis promulget, iustum est, ergo Executor tenetur parere.

Si obiicias, quamuis præceptum Superioris respectu ipsius sit iustum, quia laborat probabili ignoran- C tia sententiæ iniustæ, & ideirco non peccet mandandu, tamen est iniustum respectu Executoris, qui nouit iniustitiam sententiæ, & ideo non tenetur parere, sicut in cap. Inquisitioni De Sent. Excom. dicitur de viro, cui ab ipso Iudice præcipitur, vt consumet matrimonium cum muliere, quæ in Iudicio probata est illius vxor, & tamen vir habet notitiam occulti impedimenti, quod reddit nullum matrimonium; Hic enim non debet obedire, vt diximus, & si pareat, peccat.

Iam responsum est ad hanc obiectionem In hoc casu virum non debere obedire Superiori, quia consumare matrimonium est actio, quæ geritur ab eo vt priuata persona, & vt talis scit hanc actionem intrin- D secè esse malam, quia est fornicatio; Propterea non potest parere. At in executione sententiæ tam Superior, qui excommunicauit quam ille, cui committitur executio, sunt publicę personę, & habent scientiam publicam de iustitia sententiæ excommunicationis, ergo denuncianda est stante mandato Superioris.

Tertio dicitur, quando Executor debet priuatam scientiam de iniustitia sententiæ, ignorat autem, vel dubitat, an sit iusta secundum allegata, & probata; In hoc casu potest Superiorem adire, vt moneat Superiorem, & certiorem reddat de veritate facti, si possit illi persuadere, vt sententiam reuocet, vel ipsum liberet ab officio Executoris ad præscriptum cap. Si E quando De Rescript. Vbi hæc habentur: *Patienter sustinebimus, si non feceris, quod praua nobis fuerit insinuatione suggestum.* Verum si Superior nolit fidem illi præstare; Nec ab officio Executoris eximere, tunc temporis non solum potest, sed debet Superiori obedire.

Probatur manifestè ex verbis paulò ante relatis ex §. Quia verò cap. Pastoralis Vers. Et si sciat De Off. Deleg. *Et si sciat sententiam esse iniustam, exequi nihilominus tenetur.*

Quarto dicendum est; Si mero Executori constet sufficienter sententiam esse iniustam secundum allegata, & probata, tunc non potest, nec debet licitè talem sententiam exequi.

Hoc dictum desumitur ex Glo. in citato cap. Pastoralis §. Quia verò Vers. Etsi sciat De Off. Deleg. Vbi ait: *Non esse obediendum Iudici, si iniquum est mandatum ipsius*, cap. Quid culpatur 23. quæst. 1. cap. Non semper 11. q. 3. & duobus sequen. cap. Si quis præpostera 80. dist.

Probatur etiam ratione; Nam ideirco parendum est Iudici præcipienti denunciationem excommunicationis, quia præsumitur iusta ex deductis in Iudicio, quamuis Executor sciat priuatim esse iniustam, & tale præceptum est licitum, & iustum; Committitur enim executio sententiæ iustæ; Ergo quando apparet sententiam esse ex omni capite iniustam, cum tale mandatum sit omnino iniustum, non est obediendum mandanti, quia si Executor executioni tradat sententiam, quæ non possit aliqua ratione excusari, videtur cooperari peccato Superioris, & agere rem intrinsecè malam.

Sed posset quis opponere; Diudicare sententiam esse iniustam ex actis, & probatis pertinet ad eum solum, qui potestatem habet cognoscendi de meritis causæ, sed mero Executori nulla tribuitur potestas cognoscendi causam; Et de tali Executore sermo est in dicto §. Quia vero, cap. De Cætero De Re Iudi. & l. Si vt proponis C. De Exec. Rei Iudic. Igitur merus Executor non potest iudicare sententiam esse iniquam ex actis, sed debet illam supponere iustam; Quare tenetur obedire Superiori, si mandet, vt sententiam excommunicationis denunciet, quamuis ipse sciat illam esse iniustam ex deductis in Iudicio.

Respondeo, quod quamuis Executori non committatur potestas cognoscendi de meritis causæ, vt diximus, non tamen denegatur id, quod naturale est, vt actione ei commissa à Superiore in executione sententiæ per cognitionem, quam habet, inuestigare possit de causa excommunicationis; Quam cognitionem debet accipere non solum ex nudis verbis sententiæ, sed etiam ex toto processu; Et quando in illo §. Quia vero, dicitur, quod Executor tenetur sententiam exequi, etiam si nouerit sententiam esse iniustam, loquitur de scientia priuata, non de publica, quæ habetur ex iis, quæ deducta sunt in Iudicio.

Postremò dicendum est in hac difficultate; Quando sententia excommunicationis & re ipsa, & secundum allegata est iusta, & valida quantum ad causæ iustitiã, & æquitatem, licet sit iniusta quoad modum, quia non sit in ea pronuncianda seruatus debitus Ordo Iuris propter aliquem defectum in tela iudiciaria commissum, tunc merus Executor, quocunq. modo sciat huiusmodi iniustitiam, potest, & debet excommunicationem denunciare.

Hoc dictum est etiam verissimum, maximè de sententia excommunicationis. Probatur, quia talis sententia supponitur iusta, & valida, ergo verè ligat, sed Executor nihil aliud facit, nisi declarare talem sententiam ligare, ergo denunciando verum dicit, ideo non peccat.

Confirmatur, quia si sententia continet aliquam iniustitiam, ad eam non cooperatur Executor, quia fuit tantum commissa à Iudice in modo procedendi, cum non seruauerit legitimũ ordinem, sed partes executoris non respiciunt ordinem, sed solum executionem sententiæ, quæ iusta est.

Sed obiicies, Iudex post talem latam sententiam iniustè faceret, si illam denunciaret, cum teneatur

potius

potius illam reuocare, ergo iniuſtè præcipit Executori, vt talem denunciationem faciat, ergo Executor non poteſt illam excommunicationem denunciare, quia cooperabitur iniuſtitiæ illius, ſi ei conſtaret ex actis de iniuſtitia ſententiæ.

Confirmatur, Nàm quamuis denunciatio non inferat nouum vinculum, affert tamen nouum detrimẽtum, tum ob maiorem infamiam, quam addit, tum quia plures effectus parit excommunicatio ſequuta denunciatione poſt Extrauagantem Ad Euitanda, & aliquando affert nouum vinculum, quia in aliquibus caſibus excommunicatio poſt denunciationem efficitur reſeruata, quæ antea non erat, vt diximus in cap. 3. & patet ex cap. Tua nos De Sent. Excom. Igitur ſi conſtet Executori ex actis talem ſententiam eſſe iniuſtam, non debet illam exequi.

Reſpondeo non ſemper teneri Iudicem ſuſpendere denunciationem excommunicationis, ſi in ipſo proceſſu cauſæ aliquis defectus contigerit circa ordinem iudiciarium, ſi ſententia alias ſit iuſta quantum ad æquitatem cauſæ, quia talis defectus non eſt ſubſtantialis, & excommunicatio ſecum affert executionem, ſicut propter eandem rationem definitum eſt in cap. Paſtoralis §. Verum De Appell. Vt non obſtante appellatione à ſententia excommunicationis illa poſſit denunciari. Et licet nonnunquam in aliquo caſu ob talem defectum in ordine Iuris, quamuis excommunicatio ex parte cauſæ eſſet valida, & iuſta, non poſſet Iudex, qui ſententiam tulit, ad denunciationem pro-

A gredi; Executor tamen non tenetur iniuſtitiam illam cognoſcere, vel talem exceptionem, ſi opponatur à parte admittere, ſed ſimpliciter exequi munus ſuum, vt dicitur in citato cap. Paſtoralis §. Quia verò De Off. Deleg. ex l. Ab executione C. Quando Appell. non recipi. & ego annotaui in cap. 2. maximè quando pars legitimo tempore non appellauit, vel ſi appellauit, non eſt proſequuta appellationem, nam tunc ſententia tranſiuit in rem iudicatam.

Poſſet tamen, ſed raròcontingere caſus, vt talis eſſet huiuſmodi defectus ordinis non ſeruati, vt habita

B conſideratione cauſæ, & perſonæ noua eſſet iniuſtitia deuenire ad Denunciationem Excommunicationis, idq. eſſet notum abſquè aliqua cognitione cauſæ, & perſonæ, ipſi Executori, tunc enim non deberet Executor obedire Superiori, & deuenire ad executionem; Idq. videtur colligi ex verbis Gloſæ in Clement. vnica De Foro Compet. in fine Ver. Requiſiti, cum ait: *Nec iuſtam haberet cauſam parèndi, vt quia notorii ſunt iniuſti*, & citat cap. Si quando De Off. Deleg. & cap. Studuiſti De Offic. Deleg. & Card. in eadem Clem. idem ſentit.

Et hæc ſufficiant ad hanc difficultatem, ex quibus

C patet, quid ſit reſpondendum ad ea, quæ initio pro parte dubitandi ad vtramquè partem propoſuimus, & ad hunc modum concludamus hanc Diſputationem De Forma, & ordine ſeruando poſt latam ſententiam Excommunicationis; Nec plura dicamus de iis, quæ pertinent ad cauſam formalem Excommunicationis.



DE FINE CVIVS GRATIA EXCOMMVNICATIONIS GLADIVS SIT EDVCENDVS.



Dictum eſt de cauſa materiali, & formali excommunicationis, ſequitur, vt modo dicamus de cauſa finali. Duplex autem poteſt conſiderari finis excommunicationis, Alter ex parte ipſius excommunicationis tanquam effectus ipſius, & eſt obſtringere hominem ſpirituali vinculo, & ex conſequenti priuare illis bonis communibus, quæ ex inſtitutione Eccleſiæ tolluntur per excommunicationem, de quibus fusè tractauimus agentes de effectibus excommunicationis, & hic eſt finis intrinſecus, & eſſentialis excommunicationis, ſed per accidens, & ſecundariò intentus ab ipſo Superiore, qui pronunciat excommunicationem, nempè tanquam medium ad obtinendam reſipiſcentiam excommunicati, alter eſt finis ex parte Prælati excommunicantis, & eſt fructus ille, quem intendit Superior, quando per legem, aut per ſententiam aliquid præcipit ſub pœna excommunicationis, nempe vt ſubditus veniat, pareat, ſatisfaciat, reſtituat, recedat à peccato, tandem vt obediat. Et hic eſt finis, quem per ſe intendere debet Prælatus, cum excommunicat, licet reſpectu excommunicationis ſit finis per accidens, & remotus. Itaq; finis ex-

D communicationis eſt, vt peccator vexatus tot, & tam magnis malis, & incommodis, quę ſecum trahit huiuſmodi cenſura, redeat ad obedientiam ſui Prælati. Hunc finem reſpexiſſe Apoſtolum Paulum, cum interdum, tentatis aliis omnibus remediis, ad hanc cenſuram recurrere cogebatur, euidenter declarant verba ipſius. 1. Ad Corinth. cap. 5. *Iudicaui eum tradere Sathanæ in interitum carnis, vt Spiritus ſaluus fiat in die Domini*. & 1. Ad Timot. 1. *Tradidi eos Sathanę, vt diſcant non blaſphemare*. De hoc fine tractandum eſt in hac Diſputatione, quam ad duo capita reuocabo.

E

DISPVTATIO SEXTA.

Caput Primum, An Excommunicatio ſit medicinalis, & quam ob cauſam vocetur medicinalis potius, quam mortalis, cum tàm multa, & magna mala afferat animæ.

Caput Secundum, An iuſtè Prælatus poſſit excommunicationis gladium exercere contra quem certo ſcit moraliter non eſſe obtemperaturum eius præcepto.

CA-

CAPVT I.

An excommunicatio sit medicinalis, & quam ob causam vocetur Medicinalis potius, quam mortalis, cum tam multa, & magna mala afferat animæ.

INnocentius Quartus in Concilio Lugdunensi c. 1. De sent. excom. lib. 6. docet excommunicationem esse Medicinalem, nō mortalem, disciplinare, non eradicare, dum tamen is, in quem lata fuit, non contemnat, eadem repetuntur ab Ang. lib. de Pœnit. hom. 50. cap. 12. in cap. Multi 2. q. 1. Vbi excommunicatio vocatur Medicina Animæ, & in cap. Notandum 24. q. 3. dicitur aliud esse excommunicationem, aliud eradicationem, qui enim excommunicatur, vt Apostolus ait, ad hoc excommunicatur, vt Spiritus eius saluus fiat in die Domini, sed huic doctrinæ nonnulla aduersari videntur.

In primis si excommunicatio est maxima, & acerbissima pœna omnium, quæ sunt in vsu in Ecclesia, & priuat hominem pluribus, & magnis bonis non solum spiritualibus, sed etiam temporalibus, vt visum est in tractatione de effectibus, quo pacto dici potest Medicinalis, & non potius est appellanda Mortalis, si per excommunicationem homo separatur ab Ecclesia, & dicitur membrum præcisum ab hoc corpore mistico, vt probatum est, qua ratione verum erit, quod non sit eradicans, sed disciplinans.

Accedunt verba Euangelicæ parabulæ Matt. 13. & referuntur in citato c. Notandum, quibus Christus præcepit Ministris, vt zizania non eradicarent, sed sinerent illa crescere vsque ad tempus Messis.

Qua similitudine videtur significare neminem debere excommunicari ab Ecclesia, quo loco S. August. idem indicare videtur, cum ait *Non est præcidenda vnitas, ferendi sunt mali, non abyciendi*, ergo Prælati non debent vti aduersus peccatores hac pœna excommunicationis.

Tandem si excommunicatio est pœna grauissima, quo pacto est conueniens, & consentanea pietati, & misericordiæ, quàm Ecclesia benignissima Mater erga omnes fideles filios suos exercere debet? Simulq; qua ratione esse poterit Medicina, quæ ad bonum, & commodum Infirmi dirigitur, non vt detrimētum, & perniciem afferat, sicut excommunicatio facit? Hæc inuicem videntur, & se mutuo destruere, si tamē rem diligenter perpendamus, apertè intelligemus verissimam esse sententiam Ecclesiæ communi consensu Sanctorum Patrum, & Doctorum confirmatam excommunicationem scilicet esse pœnam grauissimam, & simul esse medicinalem, non mortalem.

Quod excommunicatio sit pœna, nemo est, qui controuertat, neque etiam Hæretici, & apparet manifestè ex his, quæ diximus de effectibus excommunicationis, cum enim secum trahat quamplurima damna, & incommoda spiritualia, & temporalia, quibus non tantum anima, sed etiam corpus vexatur, & torquetur, meritò & est, & vocatur pœna maxima, & summa inter omnes pœnas.

Verum explicare oportet, & probare excommunicationem esse medicinalem, non mortalem, & quam ob causam, si adeo noxia est, & aduersa vitæ spirituali animæ, dici potest medicinalis.

Excommunicationem vocat medicinalem non solum Augustinus ex Patribus, sed & Ambr. super Psal. 18. De excommunicatione loquens, *Rectè inquit Sacerdos, vlcus ne latius serpat, à toto corpore Ecclesiæ quasi*

A *bonus Medicus debet abscindere*, Idem repetit lib. 2. de off. cap. 27. *Cum dolore curatur etiam quæ putruit pars corporis, si potest sanari medicamentis, si non potest, tunc à Medico bono abscinditur.*

Causæ vero, cur excommunicatio sit, & dicatur medicinalis, plures afferri possunt. Prima est, quoniam Prælatus, qui fert excommunicationem, respicit bonum commune, & vtilitatem aliorum in pronuncianda excommunicatione, & hæc ratio est communis excommunicationi cum alijs omnibus pœnis, vt tradit Couar. in cap. Alma Mater 1. par. initio nu. 9. quoniam vnius pœna est multorum correctio, & exemplo vnius puniti, alij admoniti minimè delinquere audēt. Quare poena non tantum imponitur ad compensan-
B dum delictum, & scelus, quatenus affert dolorem ipsi Reo, & tristitiam, & est cōtra voluntatem ipsius, cum ptiuet illum aliquo bono pro mensura delicti, sed etiā vt remedium non tantum ipsi Delinquenti, vt postquam pœnæ seueritatem expertus fuerit, caueat in futurum à peccato, sed multò magis aliis, vt exemplo illius abstineant à peccatis, & ideo pœna non potest dici simpliciter malum hominis, sed secundum quid, vt docet B. Tho. 1. 2. q. 87. art. 7. Quare assumitur vt medium, vt cessent homines, à peccatis; Quemadmodum Medici amaras proponant potiones infirmis, vt conferant sanitatem; Sic, quos Dei timor à malo non reuocat, Ecclesiasticæ disciplinæ seueritas coercere solet cap. Cum in cunctis §. vlt. De Elect. cap. Docen-
C dus 62. dist. cap. Plurimos in fi. 82. dist. cap. Si quis in fi. 23. q. 4. Clem. 1. de offic. ordi.

Quamobrem si quis ita vitiorum labe sit inquinatus, vt pœnæ acrimoniam negligat, & contemnat, & de vitæ emendatione nihil cogitet, adhuc pœna vtilis erit, & proficua aliis, qui perterriti exemplo eorum, qui sceleris commissi pœnas dederunt, prosilire ad similia meritò pertimescunt, dicta Clement. 1. de off. ordi. c. Irrefragabili eodem tit. c. Quapropter 2. q. 7. c. 2. De Calum. c. Ad liberandam de Iudæ. Quamobrem semper pœnæ erunt medicinæ ipsi Reipub. & membris eius, vt inquit etiam Arist. 2. Ethic. cap. 3. Vel quia prosunt ipsi punito, vt corrigatur, vel saltem alijs, qui pœnæ timore abstinebunt à criminibus com-
D mittendis, quod experientia ipsa docet. Hæc igitur est prima causa, cur excommunicatio vocetur Medicinalis, & est communis causa conueniens omnibus pœnis cuiuscunque generis.

Secunda causa propria excommunicationi, propter quam dicitur Medicinalis, est, quia licèt excommunicatio priuet hominem multis, & maximis bonis spiritualibus, tamen ex institutione Christi ordinatur per se ad maius bonum, scilicet vt excommunicatus obediat, & pareat Ecclesiæ, & vexatio det ei intellectum, & idcirco superius agentes de causa materiali excommunicationis diximus non posse ferri excommunicationem pro peccato quantumlibet enormi, &
E nefando, nisi habeat adiunctam contumaciam, & inobedientiam. Aliæ pœnæ inferuntur in delinquentes, etiam si resipuerint, & velint in futurum vitam meliorem inchoare, quia imponuntur ad compensandam culpam, vt iustitiæ æqualitas retineatur. Excommunicatio vero fertur propter contumaciam, quare quamprimum excommunicatus rediens ad sanam mentem paratus est Prælato obedire, etiamsi grauiter deliquerit, tollenda est excommunicatio, & propterea est dicenda optima ratione medicinalis, nam quemadmodum ea, quæ purgant corpus, tametsi multis alioqui damnis ipsum afficiant, mederi tamen dicun-

dicuntur, sic pari modo, vt inquit benè Roffen. contra Lutherum art.23. quid obstitit, quominus id animę salutare medicamen dicatur, quod ad salutem eius finalem exhibetur, quanquam interea spiritualis nocumenti nonnihil inferat; Nam suo bono spirituale dispendium anima patitur, si per hoc dispendium ex morte possit ad vitam reuocari; Extat egregiū exemplum huius rei apud D.Gregorium lib.4.Dialog.cap.55. Hic est finis excommunicationis, vt diximus initio Disputationis ex Apostolo Paulo 1.ad Timot.1.cum ait: *Tradidi eos Sathanæ, vt discant non blasphemare*: & idem habet 1.ad Corinth.cap.5.

Sic plurimum Theodosio Imperatori profuit excōmunicatio, cuius memini in Disp.3.cap.3 primi lib. Qui ob crudelem multorum hominum cædem Tessalonicæ factam illius iussu ab Ambrosio Mediolanensi Episcopo excommunicatus fuit, & ab ingressu Ecclesię prohibitus. Quam excommunicationem Imperator patienter tolerans octo continuis mensibus ab ingressu Ecclesię abstinuit, atq. domi manens fletibus, & gemitibus pœnitentiam sceleris agebat, veniamq. à Domino postulabat. Quod Ambrosius cognoscens trāsactis octo mensibus communionem illi restituit. Quo facto adeò Imperator perterritus fuit, vt nunquā postea, etiam aliis irritantibus fuerit Ambrosio contrarius. Quare illa excōmunicatio valdè profuit Theodosio; Felix enim est illa necessitas, quæ nos ad meliora perducit. Memorabile est etiā illud, quod de Henrico III. referunt Historici, de quo sermonem habui in eod.c.3. qui cùm in omnia scelera, & flagitia prorupisset, etiā vniuersalis Ecclesiæ Pastorem contemnendo à Greg. VII. Anathematis mucrone ictus, aliquāto post ad eundem Pōtificem omni regio ornatu deposito nudis pedibus ieiunus à mane vsq. ad vesperā per triduum supplex iuit, vt absolutionis beneficium mereretur, quod sub dura cōditione obtinuit. Eodē modo Philippus Imperator, eò ob multa peccata esset huiusmodi vinculo obstrictus, nō prius ab Episcopo, vt ait Eusebius lib.6. cap.27. ad sacra est admissus, quàm se vltrò collocesset eo in loco, vbi reliqui peccatorum nexu obstricti erāt constituti; Et Episcopus ille erat Fabianus Papa. Et eiusdem rei plura exēpla enarraui in dicto cap.3. Propter hanc igitur rationem excōmunicatio dicitur medicina, quia ordinatur ad salutem ipsius excommunicati, vt hoc modo vexatus resipiscat.

Quod si excōmunicatus contēnens excōmunicationem pœnitere negligat, neq. velit se subijcere imperio sui Prælati; Tūc huic homini excōmunicatio non erit medicinalis culpa sua, sed lethalis; Idcirco in illo c. Cū medicinalis De Sent.Excom. lib.6. dicitur excōmunicationem medicinalem esse: *Dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat*. Quibus verbis satis declarat Summus Pontifex, quibus Medicinalis sit excōmunicatio, nimirum illis, qui resipiscunt. Verū Obstinatis, & pertinacibus nō medicamē est, sed gladius interimēs; Sed in hoc etiam casu erit medicinalis reliquis fidelibus membris Ecclesiæ: Hoc enim conuenit omni pœnę cuiuscunque generis, vt dixi, Tollenda enim est ouis scabiosa, & morbida ex Grege, nè totū gregē corrumpat; Nec propterea Pastor dicendus est crudelis, immò impius esset, & crudelis, si illam à reliquo grege nō segregaret, vt eleganter docet Ambro. in psal. 118. verbis illis paulò ante citatis, & in illo cap.27. lib.2. De Offic. Hieron. vt refert Gratianus c. Resecandæ 24.q.3. *Resecandę sunt inquit putridę carnes, & scabiosę Oues à caulis repellendę, nè totum ouile corrumpatur, & intereat*, Medicinalis est igitur excommunicatio, si excommuni-

A catus non contemnat Ecclesiam, & eius potestatem, tunc enim affert mortem, & interitum. Hanc ob causam S.August.q.39. in Deuteron. affirmat: *Hoc agit in Ecclesia excommunicatio quod in veteri lege fecisse legitur mors, corporalis*, Cui suffragatur Ciprianus lib.1. Epistola 11. dicens *interfici Deus iussit Sacerdotibus suis non obtemperantes; Iudicibus à se ad tempus constitutis non obedientes, & tunc quidem gladio occidebantur; Quando adhuc & Circumcisio carnalis manebat, Nunc autem, quia Circumcisio spiritualis esse ad fideles seruos Dei cœpit, spirituali gladio Superbi, & contumaces necantur, dum de Ecclesia eiiciuntur, &c.* Et hæc dicta sint de secunda causa, cur excommunicatio dicatur Medicinalis.

Immo Plato lib.9. De Legibus sic ait: *Quos insanabi-* B *les Legislator esse senserit, vltimo supplicio afficiet, nō ignorans satius fore his, qui insanabiles sunt, mori, quam viuere; Ac si vita priuantur, dupliciter prodesse cæteris; Nam boni exemplum à peccato cæteri deterrentur, & improbis hominibus ciuitas ipsa mundatur*, & Parens eloquentiæ Cicero in Philippica octaua egregiè hæc habet *In corpore si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, vri, ac secari patimur, vt membrorum aliquod, potius quàm totum corpus intereat; Sic in Reipub. corpore, vt totum saluum sit, quod est pestiferum amputatur*, Hinc ille ait.

Prius tentanda, sed immedicabile vulnus
Ense rescindendum, nè pars sincera trahatur.

Sed & tertia etiam afferri potest causa, quę nascitur ex dicta, quod excommunicatio iuxta constitutionem C Ecclesiæ, & eius consuetudinem est quoddam vinculū dissolubile, potest tolli quandocunq. quia Ecclesia itā instituit, & ratio est, quia excōmunicatio non consistit in priuatione alicuius boni proprij, & particularis ipsius hominis attinentis ad personam, vel bona eius; Non enim tollit aliquam potentiam ad agendum, vel aliquem habitum, sed solum impedit quasdā actiones. Est vinculum quoddā impediens potentiam, nè possit legitimè exire in actum. Tale autem vinculum ex sui institutione habet, vt sit dissolubile; Vnde includit conditionem; Donec excommunicatus resipiscat; Et hoc est cōmune tribus censuris, vt sint vincula dissolubilia, & ex consequenti non perpetua, sed ad tempus. Vnde Degradatio, & Depositio, quia sunt pœnæ perpetuæ, D non possunt dici censurę, vt dixi in Cap.3. Disp.1. lib.1.

Propterea licet aliæ sententiæ post decem dies postquam latæ sunt, nisi Reus appellauerit, transeant in rem Iudicatam, & tolli non possint, vt dictum est in cap.2. Disp. Superioris, & habetur in cap. Quod ad cōsultationem De Sent. & Re Iudi. Cēsuræ verò per sententiam latæ post quodcunq. tempus auferēdæ sunt, si Reus resipiscat, vt colligitur cap. Ex literis De Cōstit. & huius dicti ratio est, Quoniam excommunicatio nō est simpliciter pœna, sed est simul medicina. Quare licet de ratione pœnæ sit, vt debeat esse perpetua, vt inquit Glo. in Clem.1. De Reb. Ecc. non alienan. V. Pœnā, Abb. n.10. Felin. n.34. in citato cap. Ex Literis De Constit. Tamen excommunicatio, quia non solum est pœ- E na, sed est medicina, non est perpetua, sed temporalis.

His igitur de causis excommunicatio appellatur Medicinalis, nec propterea cessat, quin sit omnium pœnarum, quæ in Ecclesia sunt in vsu, maxima, & seuerissima, quod plura, & magna damna spiritualia afferat animæ. Idcirco Sancti Patres grauissimum omnium eiusmodi Censuræ pondus considerantes non nisi ex grauissima causa eam esse adhibendam tradiderunt; Et postquam Prælatus omnia alia expertus sit remedia instar sapientis Medici, qui à Leuioribus medicinis incipere debet, quæ minorē molestiā, & dolo-

dolorem corpori afferre possunt, Et inter alios Gregorius Nazianz. in Orat. de Moder. in disput. seruanda, & in Apolog. 1. inuehitur in eos, qui statim temerè ad membri sectionem recurrũt, Chrysostom. hom. 70. ad Populum Antiochenum multa dicit de hac re, tandem concludit, *Nos non spontè, & volentes, sed dolentes omninò ligatis iniecimus vincula, Si quis autem hęc contemnat, Iudicii tempus aderit, quod eum doceat, &c.* Clamens Rom. lib. 2. Apostol. Constitu. cap. 41. post multa eruditè in eandem sentẽtiam enarrata hæc addit, *Nè igitur facilis sis, & præproperus ad secandum, neque celeriter ad serram dentatam prosilias, quin potius vtere prius scalpello ad curandum apostema, vt causa morbi, quę intus residet, educta, corpus seruetur à dolore incolume, Vbi vero quem à pœnitentia alienum videris, & obdurnisse, hunc tu cum mærore vt insanabilem eiice, ex Ecclesia, &c.* Leo Epistola 89. ad Episcopos Galliæ Viennensis Prouinciæ admonet eosdem, ne pro leui causa sententiam inferant excommunicationis in aliquem, Multa alia similia ab alijs Patribus ad eãdem confirmandam sententiã afferuntur, vt ab Orig. in Hierem. hom. 9. Gregor. hom. 26. in Euang. & lib. 12. epist. 26. Vbi reprehendit Maximianum Episcopum tanquam nimis festinum in excommunicationis sententia ferenda, quæ superfluum est recensere. Quare Conc. Trident. sess. 25. cap. 3. initio confirmans ea, quæ statuta erant iure antiquo in cap. Dilecto de sent. excommunic. lib. 6. c. Multi in princ. 2. q. 1. c. Visis in fin. 16. q. 2. & cap. Corripiantur 24. q. 3. docet, *Sobriè, magnaq. circumspectione gladium excommunicationis exercendum esse, cum experientia doceat, si temerè, aut ex leui causa incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciẽ potius parere, quam salutem.* Sed quid tunc fit, si Episcopi, non vt decet Pastores, se gerunt, sed quod reprehendit Apostolus 1. ad Timoth. cap. 3. *Percussores se exhibent,* De his hæc Orig. in Leuit. hom. 14. *Interdũ fit, vt aliqui non recto iudicio eorum, qui præsunt, Ecclesia pellantur, & foras mittantur, sed si apertè ante non exijt, hoc est, si non egit, vt mereretur exire, nihil læditur ab eo, quia non recto iudicio videtur ab hominibus expulsus, & ita fit interdum, vt ille, qui foras mittitur, intus sit, & ille foris, qui intus retineri videtur.* Hęc ipse.

Quare si lata fuerit excommunicatio contra innocentem, nihil ei obest, sed ipsi Iudici perniciem affert, sicut cum gladius in manu furiosi est, quo seipsum interficit, sic se habet ista censura instar sagittę, quæ in emittentem reuertitur iuxta illud Psalm. 63. *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagę eorum, & infirmitatę sunt contra eos linguæ eorum.* Semper tamen, quomodocunque pronuncietur timenda est, vt dicunt Hieron. in in cap. 17. Ezechiel. Greg. in dicta hom. 26. in Euang. & Chrysostom. hom. 4. ad cap. 2. epist. ad Hebræ. & refertur cap. Nemo 11. q. 3.

Ex quibus euidẽter patet, quam falsò, & impiè nefandus ille, & scelestissimus Lutherus ex dicto c. 1. de sent. excom. lib. 6. Vbi Romanus Põtifex excommunicationem Medicinalem appellat, inferat excommunicationem non priuare fidelem bonis spiritualibus, neque suffragiis Ecclesiæ, aut communione aliorum, quia tunc esset mortalis, non medicinalis, & idcircò magis esse diligendam, quam timendam. Hoc enim est falsissimum, & blasphemum; Nam probatum est, qua ratione excommunicatio dici possit medicinalis, quamuis simul etiam sit horribilis, & pertimescenda pœna. Quare non aliter quidem diligenda est, quam à sanis pharmaca, vel ab innocentibus, iniquorũ hominũ poenæ diligantur; Et tamen poenæ medicinæ sunt,

A vt probatum est, Multa enim, quę facinorosis hominibus imponitur, medicina est improbitatis, vt eleganter docet Plato lib. 9. de Legi. Scribens Nullum supplicium lege factum ad malum tendere, sed duorum alterum ferè semper efficere, vt aut melior, aut certe minus prauus, qui poenas dederit, euadat. Nec plura ad hoc caput.

CAPVT II.

An iustè Prælatus possit excommunicationis gladium exercere contra eum, quem certò scit moraliter non esse obtemperaturum eius præcepto.

B COuar. in c. Alma Mater 1. par. initio nu. 10. refert opinionem Iasonis, Io. Andr. & Dom. asserentiũ Iudicem non debere ferre sententiam excommunicationis in eum, quem scit, aut verisimiliter suspicari potest minimè cessaturum ab ipsa contumacia. Fundamentum huius sententiæ est, quoniam si excommunicatio est medicina, vt probatum est, ergo non est adhibenda à Prælato, quando probabili coniectura constare ei potest nihil vtilitatis ex ea consequi debere, quemadmodum Medicus infirmo propinare non debet pharmacum, quod iuxta principia suæ artis existimet verisimiliter mortem potius ægro, quam sanitatem fore allaturum,

Huic quæstioni respondẽdum videtur adhibita distinctione, C aut Prælatus probabiliter iudicat ex delatione excommunicationis spem subesse alliciendi ipsũ contumacem ad resipiscentiam, aut caret omni spe.

In primo casu supersedendum esset ab excommunicatione, vt illum lucraretur.

Id in primis videtur sentire B. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. quæstiunc. 2. ad 2. Argumentum; Hæc enim verba habet, *Manente eadem contumacia potest Iudex discretè excommunicationem iustè latam remittere, si videat saluti illius expedire, in cuius medicinam excommunicatio lata est,* Igitur si ex sententia S. Tho. Iudex legitimè, & iustè potest absoluere reum ab excommunicatione, quamuis persistat in sua contumacia, nec pœnitentiam agat erroris commissi, fortiori ratione id D locum habere potest, antequam Prælatus ad hunc gladium posuerit manũ, scilicet vt in casu, quo expediens iudicauerit ad spiritualem profectum ipsius cõtumacis, possit, & debeat rationabiliter differre fulminationem excommunicationis, etiam si reus non recedat à sua contumacia. Et ratio huius dicti colligi potest ex Augustino, & refertur in cap. Prodest 23. q. 5. & c. Sequenti; Nam peccator, quando adest spes correctionis, blandis verbis, & leuioribus pœnis alliciendus est ad pœnitentiam, non asperis, & durioribus irritandus, vt magis contumax efficiatur.

Secundò idem comprobari potest testimonio Archid. in cap. Si peccauerit 2. q. 1. asserentis, quod licet E vnusquisq. ex præcepto Euangelico teneatur ad correctionem proximi, cessat tamen hæc obligatio, vbi verisimiliter dubitari potest, quod monitus sit futurus deterior, Tunc enim melius est omittere correctionem; nam ex ea sequeretur oppositum eius, cuius gratia hoc præceptum à Christo nobis relictum esse constat.

Eadem ratio militat in excommunicatione, quãdo iure suspicari potest Prælatus inutilẽ futurã, & vilipendio habendam. Hanc ob causam Host. quem citat Felin. in c. Apostolicæ de Except. num. 3. inuehitur contra quendam Legatum, qui cum duo Duces cum suis

mili-

militibus armatis in prelio instarent iam ad pugnam, & signo dato mox essent congressuri, praecepit illis sub poena excommunicationis Latae sententiae, vt arma reponerent, & canerent receptui. Tale enim mandatum illi contempserunt, & ex tali inobedientia creuit eorum culpa. Et cum in eo cōgressu multi ex illis hinc inde occisi fuerint, non tantum illorum corpora, sed etiam animae perierunt, cuius damni causa extitit mandatum Superioris non opportuno tempore, & inconsiderate Latum, non praeuidens periculum imminens. Excommunicatio autem est gladius spiritualis Ecclesiae, qui non occidit, sed viuificat cap. Inter haec 33.q.2. Ob eandem causam Dominicus, & Imol. in fi. in cap. 1. De Off. Deleg. monent Delegatum, vt suspendat sententiam excommunicationis, si eos, qui perturbant suam Iurisdictionem adeò obstinatos videt, vt si excommunicentur, deteriores futuros probabiliter existimare possit. Vnde Host. in cap. 1. De Diuort. tenet Mulierem non esse cogendam à Iudice sub poena excommunicationis, vt caueat de non insidiando marito, si tanta appareat in illa prauitas, & iniquitas, vt nec per censuram a malo compesci valeat, sed potius licentia marito tribuenda est, vt illam, si velit, expellere possit, & Clericus non coercetur vinculo iuramenti ad eiiciendam concubinam, quando dubitatur de reincidentia c. Clericos De Cohab. Cleri. & Mulie. & alia similia exempla ad hanc rem refert Felin. in cap. Apostolicae nu. 3. De Except. Quamobrem ad impediendum scandalum, & malum ne sequatur, potest differri excommunicatio, quia propter scandalum aliquando desistendum est ab ipso rigore Iuris, vt probat Glos. in cap. Nihil cum scandalo De Praescript. Et haec de primo membro diuisionis, quando sperari potest correctio ipsius Contumacis.

Si verò cesset omnis spes emendationis, & adhibitis omnibus alijs remedijs reddatur Reus obstinatior, & Iudicis benignitate, & patientia abutatur ad sui perniciem; Tunc temporis, cum nolit obedire Ecclesiae, debet à communione Ecclesiae separari. Quo casu licet excommunicatio sit mortalis ipsi Excommunicato, erit tamen medicina alijs, qui illius exemplo sibi cauebunt.

Hac distinctione ad conciliandas contrarias opiniones in hac difficultate vtitur Abb. cap. Ab Excommunicato num. 10. in fi. De Rescrip. & Felin. in citato cap. Apostolicae nu. 4. quibus adhaeret Couar. in dicto nu. 10. in cap. Alma Mater prima par. initio. Et haec sufficiant ad hanc difficultatem, quae fusius explicabitur in Disputatione De Absolutione ab Excommunicatione; Vbi tractabitur; An non petens Absolutionem & inuitus absolui possit, & debeat.

De Fine igitur Excommunicationis dictum sit satis.

DE CAVSA EFFICIENTE EXCOMMVNICATIONIS.



X quatuor generibus causarum, quae in excommunicationis Censura considerari possunt, absolutis iam Disputationibus De Materiali, Formali, & Finali, sese offert modo Disputatio tractanda de Causa efficiente; Nempè de illis, qui instituere, & ferre possunt sentētiam Excommunicationis.

DISPVTATIO SEPTIMA.

CAPVT I.

De illis, qui excommunicationis sententiam, quae vocatur ab homine, pronunciare possunt Iure Ordinario.

DVae includuntur difficultates in quaestione proposita, qua quaeritur; Cui sit concessa potestas excommunicandi. Prima est, pènes quem sit potestas instituendi censuram excommunicationis, & eadem ratio est de aliis Censuris.

De hac difficultate copiosè disputauimus in disputatione tertia lib. 1. cap. 2. Vbi probatum est relictam esse à Christo hanc potestatem ferendi Censuras Ecclesiae ad coercendos inobedientes, & contumaces, & pertinere ad Claues Ecclesiae, accipiendo latius Claues, vt comprehēdunt potestatem iurisdictionis cuius actus est excommunicatio. Potestas enim Iurisdictionis propriè, & plenè non dicitur Clauis, quia sola non est apta aperire Regnum Caelorum, vt constat, quando haec iurisdictio est in Episcopo confirmato, si non dum consecratus sit Sacerdos. Excommunicatio autem est actus non Iurisdictionis interioris, sed exterioris; Iurisdictio enim interior pertinet ad Populum regendum in foro interiori conscientiae, exterior ad eundem regendum in foro exteriori; Et ad hunc finem instituta est excommunicatio; Igitur potestas instituendi Censuras propriè residere debet pènes Summum Pontificem, cui potestas Clauium fuit à Christo immediatè concessa. Quare Summus Pontifex solus potest instituere Censuras quantum ad

ea, quæ essentialia sunt in ipsis Censuris, & quantum [A] ad effectus, qui ab ipsis censuris oriuntur; Nam sunt pœnæ quædam generales institutæ à Summo Pontif. tanquam vniuersali Pastore totius Ecclesiæ Catholicæ, quibus vti possint Episcopi, & Pastores particulares in suis Prouinciis, & Dioecesibus ad coercendos inobedientes; Nequè enim Episcopi possunt instituere nouas Censuras in suis Ecclesiis quantum ad essentiam diuersas ab ijs, quas sacri Canones editi ab ipso Papa præscribunt, quamuis variare possint modum, & formam accidentalem, quæ adhibetur in vsu, & prolatione Censurarum. Idque patet eo signo, quoniam excommunicatus in vna Ciuitate ab vno Episcopo excommunicatus haberi debet in vniuerso Orbe Christiano, & omnes fideles tenentur il- [B] lum vitare; Quæ obligatio non posset oriri, si excommunicatio esset instituta ab Episcopo particulari, sed talis obligatio nascitur virtute generalis institutionis factæ à Summo Pontifice. Et id confirmari etiam potest ab vsu vniuersali totius Orbis Christiani; Nullibi enim reperiuntur aliæ Censuræ, quàm illæ tres, quibus vtitur Romana Ecclesia. De hac igitur potestate instituendi censuras non opus est, vt aliud addamus, cum satis de illa dictum sit in Disputatione 3. cap. 2. lib. 1.

Sed potest esse secunda difficultas de hac potestate excommunicandi, cui concessa sit hæc iurisdictio, & auctoritas, vt possit validè pronunciare excommunicationem aduersus delinquentes, ità vt afficiat reum, [C] & remaneat obstrictus vinculo excommunicationis, & eadem ratio est de aliis censuris, Qua in re sicut duplex est genus excommunicationis, quia alia est excommunicatio Iuris, alia hominis, ita quoque duplex erit causa efficiens excommunicationis, scilicet ipsum Ius, & Homo. Et quoniam nulla est excommunicatio lata ab ipso Iure diuino, vt probaui satis in lib. 1. Disp. 3. cap. 2. Remanet igitur, vt sit Ius Ecclesiasticum, quo pronunciantur excommunicationes Iuris, de quibus dicam postea; Modò tractandum est de causa efficiente excommunicationis, quæ fertur ab homine.

Et huic quæstioni respondendum est in primis hanc potestatem ferendi Censuras, & alligandi homines esse supremam, & maximam in Summo Pontifice Pastore [D] vniuersali totius Reipublicæ Christianæ; Hoc enim pertinet ad perficiendam dignitatem Pontificiam; Nam, vt Latè probatum est in lib. 1. 1. cap. Disp. 1. ad Summum Pontificem pertinet imponere præcepta, quæ iudicauerit vtilia, & necessaria ad optimum Reipublicæ Regimen, & cogere pœnis impositis etiam spiritualibus, scilicet Censuris contumaces, & rebelles ad eorum obseruantiam. Quare nulla potest esse dubitatio de hac re.

Secundo hæc potestas conuenit etiam alijs post Sūmum Pontificem; Idq. contingere potest duobus modis, scilicet vel Iure ordinario, vel delegato cap. Graue De Offic. Ordi.

[E] Iurisdictionem ordinariam dicitur habere is (quantum spectat ad facultatem ferendi censuras) qui in foro exteriori ex vi proprij officij est Superior aliis, & potest illam alteri committere.

Delegatam verò Iurisdictionem, vt possit censuras ferre, habet ille, cui facultas commissa est ab Ordinario, neq. potest illam alteri subdelegare.

Et hæc Iurisdictio non requirit potestatem ordinis necessario, vt declaratum est in eodem cap. 2. Disp. 3. Quare potestatem excommunicandi ordinariam habent omnes illi, qui Iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori exercent in alios, & de hac Iurisdictione ordinaria tractabimus prius, deinde agemus de delegata.

Primo igitur Iure ordinario potestas excommunicandi conuenit Episcopis, quia illam habent ratione sui muneris pastoralis, & idcirco illis tātum conuenit, qui Episcopatum habent; non aliis Episcopis, qui carent Episcopatu, etiamsi retineant potestatem ordinis, quia hæc potestas excommunicandi nō pendet ex potestate Ordinis, sed Iurisdictionis; Est enim coniuncta cū munere Episcopali tanquā necessaria ad regimen Populi Christiani cap. Cum ab Ecclesiarum De Off. Ordi. vt valeant comprimere rebelles, & repugnātes, quando opportunum iudicauerint, vinculis excommunicationis, sicut ad eundem finem possunt subditorum excessus prudenter alijs pœnis corrigere, & punire, vt dicitur in cap. Qualiter 2. De Accusa. & cap. Transmissam De Elect. & confirmauit Conc. Trid. sess. 6. De Reform. cap. 3. & sess. 14. cap. 1. & 4. & sess. 25. cap. 6. & 9. De Reform.

Sed postulabit aliquis, An hæc Iurisdictio ordinaria, quam Episcopi habēt, vt possint excommunicare, & eadem ratio est de aliis censuris, tribuatur Episcopis ab ipso Christo immediatè, ita vt sit de Iure diuino, & accipiant illam ex vi consecrationis, an verò illam Iure positiuo Ecclesiastico, scilicet ab ipso Deo per Summum Pontificem consequantur.

Respondeo, quod licet de potestate ordinis apud omnes Doctores certum esse debeat illā æquè immediatè habere à Deo Episcopos, ac Summum Pontificē ex vi consecrationis, quæ æquè operatur in vno, sicut in alio; Similiter de potestate Iurisdictionis in foro interiori, quamuis sit aliqua dissentio, an conferatur æqualiter omnibus Sacerdotibus in ipsa ordinatione, an vero ab homine per simplicem iniunctionem, & impositionem officij; Tamen omnes consentiunt in eo, quod huius potestatis vsus pendeat ab homine per iniunctionem, & impositionem officij. At de potestate, & iurisdictione exteriori, de qua nunc agimus, omnes affirmant Iurisdictionem Episcoporum saltem in genere esse de Iure diuino; Nam Christus ipse ita ordinauit Ecclesiam, vt in ea essent Pastores, Doctores &c. vt docet Apostolus ad Ephes. cap. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios Pastores, & Doctores &c.* Et nisi ità esset, posset Pontifex mutare hunc ordinem in Ecclesia, & instituere, nè vllus esset in Ecclesia Episcopus; Quod sine dubio facere non posset. Quare consequenter omnes asserere debent hanc potestatem ordinariam coactiuam, scilicet vi censurarum cogendi fideles ad obedientiam Ecclesiæ competere Episcopis iure diuino; Idq. colligitur ex illis verbis Christi Matt. 18. *Dic Ecclesiæ*, idest Pastoribus Ecclesiæ, & cum subdit: *Quæcunque alligaueritis*, supponit futuros in Ecclesia Pastores, qui hac potestate fungerentur; Sed difficultas est inter Doctores, an Episcopi accipiant à Deo immediatè hanc iurisdictionem, sicut accipit Summus Pontifex. De qua dubitatione sunt diuersæ Doctorum sententiæ, ex quibus probabilior videtur opinio Caietani, quod Episcopi non accipiant à Christo immediatè hanc auctoritatem, sed à Summo Pontifice. Ità sentit Caiet. in Tract. De auct. Papæ. & Conc. cap. 3. Dom. Sot. in 4. dist. 20. q. 1. art. 2. Gabr. in Canone Missæ lect. 3. & alij. Igitur habent quidem Episcopi potestatem ferendi censuras à Christo, sed per Summum Pont. à quo præscribitur, & limitatur, vt iudicat expedire ad optimum Ecclesia regimen.

Quare

Quare Papa à tempore Apoſtolorum, vt patet ex Can. 13. & 16. Apoſtolorum, adiecit iure communi quaſi naturalem proprietatem conſequentem excommunicationem, quod excommunicatus ab Epiſcopo nō ſolum ſit priuatus ſuffragijs Eccleſiæ propriæ illius Epiſcopi, quod poſſet efficere Epiſcopus propria auctoritate, & ne alij ſubditi cum illo communicarent, ſed ſtatuit Summus Pontifex, vt talis excommunicatus ſit priuatus omnibus ſuffragiis totius Eccleſiæ Catholicæ, & ſi ſit denunciatus, euitandus ſit ab omnibus in toto Orbe, vt nec ipſi Epiſcopo liceat ſine causa cum illo agere. Poſſet modo Papa ſtatuere, ſi ita ei videretur conuenire, vt per excommunicationem Epiſcopi priuaretur ſubditus ſuffragijs, ſeu beneficiis in illa Diœceſi tantum, & vt denunciatus eſſet tantum vitandus à ſubditis illius Diœceſis. Hæc ergo poteſtas excommunicandi in Epiſcopis dependet, & menſuratur iuxta voluntatem, & auctoritatem Summi Pontificis.

Sed vlterius quæri poteſt; An hæc poteſtas ordinaria excommunicandi aliis inſit, præterquam Epiſcopis. Nomine Epiſcoporum intelliguntur omnes Superiores Epiſcopis, vt Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ.

Reſpondeo hanc poteſtatem conuenire etiam aliis Prælatis poſt Epiſcopos. Id ex multis locis in iure apertè colligi poſſe videtur; In primis cap. Cum ab Eccleſiarum de off. Ordin. Supponitur lata excommunicatio à Plebano Sancti Pancratii in ſuum ſubditum, vbi Glo. Ver. Eccleſiaſtica ſententia, aſſerit poteſtatem excommunicandi, cum non pertineat ad poteſtatem ordinis, ſed iuriſdictionis, competere generaliter omnibus Prælatis inferioribus Eccleſiarum Collegiatarum, etiam ſi ſubiecti ſint Epiſcopis, quia ſunt Iudices ordinarii quoad ſubditos ſuos, vt dicit cap. 1. 15. quæſt. 4. & cap. Decernimus de Iudi. Hanc tamen poteſtatem dicit Gloſ. competere huiuſmodi Prælatis, ſi ſint electi à Collegio, vel Vniuerſitate, vel ſint confirmati ab Epiſcopo cap. 1. de Elect. & capit. Legimus 93. diſtinct. Deinde Abbati eadem poteſtas videtur conceſſa excommunicandi, capit. Sicut de Simo. cap. P. & G. de off. Deleg. cap. Significaſti de foro comp. Similiter de Archidiacono idem aſſeritur in cap. 1. De eo, qui furti. ordi. & ſuſce. cum Glo. Ver. Archidiaconorum, & c. Referente, & ibi Glo. Ver. Aſtrinxit de Præb. & Innoc. tenet Archidiaconos habere iuriſdictionem à canone, etiam ſi non eligantur ab Vniuerſitate, vel non confirmentur ab Epiſcopo cap. 1. cap. Ad hæc de Off. Archid. Idem affirmatur de Priore in Canonicos Regulares cap. Cum in Eccleſiis de Maio. & obed. Tandē Glo. in capit. Nemo Epiſcopus Verſ. Excōmunicet, multis auctoritatibus iuris, probat Prælatos minores iuriſdictionem habere, & idcirco poſſe excommunicare.

Sed obiicies contra hanc reſponſionem. Primò cap. Viſis in fin. 16. q. 2. & 24. q. 3. c. Corripiantur, in quibus locis excommunicatio appellatur Mucro Epiſcopi, & Epiſcopale iudicium, ergo hæc poteſtas pertinet ad ſolos Epiſcopos.

Deinde Petro, & Apoſtolis cōceſſa eſt poteſtas Clauium, vt habetur cap. In Nono diſt. 21. & cap. Quorum vices 68. diſt. Sed Epiſcopi ſunt ſucceſſores Apoſtolorum, ergo ipſi tantum, non alii inferiores Prælati poſſunt exercere hanc iuriſdictionem.

Reſpondendum eſt hanc iuriſdictionem primò, & per ſe conuenire Epiſcopis, qui ſunt Superiores Prælati in ſuis Ciuitatibus, & idcircò in ſacris Canonibus ſæpè tribuitur illis hæc poteſtas, quoniam illi ſoli poſſunt eam exercere in omnem Populum Ciuitatis, cum aliorum Prælatorum iuriſdictio ſit limitata in ſuos ſubditos tantum. Accedit, quod poteſtas excommunicandi iure diuino annexa eſt dignitati Epiſcopali, ſicut diximus; Nam Matth. 18. Apoſtolis dicitur, *Quodcunque ligaueritis ſuper terram, &c.* Et videtur id rationi conſonum, vt inquit B. Thom. 4. Sent. diſt. 18. q. 2. art. 2. Quia ea, in quibus imminet graue periculum, ſunt maioribus reſeruanda. Sed poena excommunicationis eſt valdè periculoſa, niſi cum moderatione fiat, ergo non debet cuilibet committi. Prælati autem inferiores hanc iuriſdictionem accipiunt iure Eccleſiaſtico tantum.

Deinde dici poteſt ſolis Epiſcopis competere poteſtatem anathematizandi, ſeu excommunicandi adhibitis illis ſolemnitatibus, quæ recenſentur in c. Debent 11. quæſt. 3. & de quibus nos diximus ſuperius in Cap. III. Diſp. V. & ita reſpondet Glo. in citato c. Cum ab Eccleſiarum, Quæ ſolemnitates hodie communiter, & regulariter non ſolent ſeruari in omni excommunicatione, & ad hunc modum inquit intelligenda eſſe dicta in cap. Viſis, & cap. Corripiantur citatis; Et hoc idem docet Couar. in cap. Alma Mater 1. par. §. 8. n. 6. & Abb. in c. Cum contingat de foro compet. nu. 31. Hoc tamen dictum Gloſæ eſt intelligendum regulariter; Nam aliqui etiam Prælati inferiores vel ex priuilegio, vel ex conſuetudine vtuntur hoc iure anathematizandi ſolemniter, & conſuetudo dat iuriſdictionem, c. Conqueſtus 9. q. 3. l. 1. C. de Emanci liber. Glo. in cap. de Perſona Verſ. Non ab alio 11. q. 1.

Tertiò quæri poteſt, Poſtquam hęc iuriſdictio ordinaria excommunicandi conuenit etiam aliis Pręlatis, qui ſint huiuſmodi Prælati, qui hac poteſtate polleāt.

Reſpondeo pluribus conuenire hoc ius. In primis hoc iure vtuntur Legati Summi Pontificis. Tria autem ſunt genera Legatorum, vt inquit Glo. in cap. 1. de off. Legat. li b. 6. ſcilicet Legati de Latere, Legati nati, & Legati miſſi; Quidam enim ſunt Legati Cardinales, qui vocantur Legati de Latere, quia aſſumuntur de Latere Papæ; Nam ſicut Imperator, & eius Conſiliarii faciunt vnum corpus, cuius Imperator eſt Caput, & Conſiliarii dicuntur membra, ſic Papa, & Cardinales conſtituunt vnum corpus, cuius Papa eſt Caput, & Cardinales ſunt membra; Ideo, quando eligitur aliquis ex Cardinalibus, vt mittatur Legatus, dicitur ſumptus, è Latere, & vocatur Legatus de Latere.

Dubitat Glo. in Ver. Commiſſam in cap. Excommunicatis de offic. Legat. an alii etiam Prælati exiſtentes in Curia, puta Capellani Papæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ſi mittantur à Papa, poſſint dici Legati de Latere.

Reſpondet, propriè ſolos Cardinales poſſe vocari de Latere Papæ, quia ad latus eius ſemper aſſiſtunt, ſed addit idem videri de Capellanis ſcilicet Auditoribus Rotæ, & aliis Curialibus, quia & illi aſsiſtunt Papæ, licet non ſint Conſiliarii ſecreti. Quare ex hac cauſa illi poſſent dici de Latere Papæ, qui exiſterent in Vrbe, etiam ſi non eſſent Cardinales, ſi mitterentur à Papa ſpecialiter in aliquam Prouinciam cum generali iuriſdictione, quam habent Legati. Mos tamen, & conſuetudo obtinuit, vt propriè Legati de Latere ſint Cardinales cap. Ad eminentiam de ſent. excommunic. lib. 6. quia ipſi dicuntur membra corporis Papæ. Alii ſunt Legati nati, ſicut eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis, vt patet ex

cap. 1. Extra De Off. Lega. Similiter Archiepiscopus Eboracensis, vt inquit Glo. Ver. In concessione in fi cap. Dilectus eod. tit. Isti vocantur Legati ratione dignitatis, quia ex priuilegio habent huiusmodi Legationis officium in sua Prouincia cap. 1. De Appella. & isti non dicuntur mitti de Latere Papæ; Quare minor est illorum potestas. Alij tandem sunt Legati missi, qui mittuntur ad aliquam Prouintiam ad eam gubernandam ad aliquod tempus, & non sunt Cardinales, & sunt Legati ratione personæ cap. Volentes De Off. Lega. cap. Cum dilecti De Accusa. cap. Mandata De Præsumpt. & hi hodie communiter vocantur Nuntij Apostolici, quibus conceditur facultas Legatorum.

Horum Legatorum iurisdictio quantum ad aliquos actus par est, & æqualis, vt dicitur Glo. cap. 1. De Off. Lega. lib. 6. in Ver. Legati, in multis tamen differunt, & inter alia, quod qui non sunt Legati de Latere, non possunt absoluere Excommunicatos ob iniectionem manuum violentam in Clericum cap. Excommunicatis De Off. Lega. Nec conferre beneficia dicto cap. 1. De Off. Lega. lib. 6. Legati verò de Latere ratione Legationis omnia possunt, quæ specialiter non sunt reseruata Summo Pontifici, & quæ sunt Papæ reseruata, recensentur à Glo. in cap. Quod translationem in Ver. Reseruata extra eodem tit.

His omnibus Legatis, & potissimum Legatis è Latere Papæ omnes Doctores affirmant competere iurisdictionem ordinariam ad excommunicandum quæ non expirat per obitum Papæ, vt expressè habetur in cap. Legatus De Off. Lega. lib. 6. & ibi Glo. Nauar. in Manuali cap. 27. num. 45. & in Tract. De Iubileo Notab. 28. num. 19. Mandos. De Regul. Cancell. Reg. 34. quæst. 50.

Secundo Cardinales in proprijs Ecclesijs, in quibus sunt Titulares, iurisdictione ordinaria possunt excommunicare suos subditos tex. Singularis in cap. His quæ De Maio. & Obed. Vbi Abb. num. 1. notat, Cardinales in suis Ecclesiis, & in aliis subiectis eisdem Ecclesiis habere Iurisdictionem Episcopalem; posse corrigere subditos; fulminare censuras Ecclesiasticas, & cætera agere, quæ sunt Iurisdictionis Episcopalis.

Vicarius Episcopi iure ordinario potest excommunicare Glo. in cap. Licet De Off. Vica. lib. 6. Ver. Officialem; Nam vnum, & idem est tribunal Episcopi, & Vicarij, vt in cap. 2. De Consuet. lib. 6. & cap. Romana De Appell. eodem lib. Hoc autem intelligendum est de Vicario principali Episcopi, vt notat Abb. in cap. Si quis contra Clericum nu. 30. De Foro compet. Hic enim habet ordinariam iurisdictionem, non de Vicariis Foraneis, qui non habent ordinariam, sed delegatam potestatem, nec faciunt idem Consistoriū cum Episcopo, Abb. ibidem, & ob eandem rationem id est affirmandum de Vicario Archiepiscopi in Dioecesibus Suffraganeorum, qui in causis appellationum gerit vices Archiepiscopi, & potest cognoscere causas appellationum, corrigere, excommunicare, interdicere, & suspendere, vt habetur in cap. 1. §. Officiales De Off. Ordi. Hic tamen Vicarius non potest excommunicare Episcopos Suffraganeos, cum hoc ei expressè interdicatur ab Innoc. Quarto in dicto §. Officiales ob reuerentiam dignitatis Episcopalis, maximè si Archiepiscopus sit præsens in Dioecesi Episcopi, vel non longe absit.

Quærit Glo. Ver. Non attentent; Quid si Vicarius Archiepiscopi audeat excommunicare Episcopum, An talis excommunicatio sit valida; Videtur enim nulla, cum per canonem prohibitum sit l. Non dubium C. De Legi.

Respondet Glo. validam esse talem excommunicationem, & seruandam, quia de Iure Vicarius Archiepiscopi, licet sit minor Episcopo ordine, tamen maior est iurisdictione ratione Archiepiscopi, cuius vices gerit cap. vlt. 93. dist. & cap. 1. 94. dist. Sed Papa prohibuit ne excommunicet Episcopos Suffraganeos ratione honestatis. Peculiare tamen est in sententia excommunicationis, & in aliis censuris, quod, etiamsi iniustè sint latæ, ligent. cap. 1. 11. q. 3. cap. Sacro De Sent. Excom. Debet tamen puniri Vicarius, qui hoc attentaret contra prohibitionem Sacri Canonis.

Idem affirmandum est de Vicario electo à Capitulo post obitum Episcopi sede vacante; Nauar. in Manuali cap. 27. num. 5. ex cap. Cum olim De Maio. & Obed. & ratio est, quoniam, vt ibi inquit Glo. in Ver. Capitulo, vacante Ecclesia potestas, & iurisdictio tota Episcopi, exceptis quibusdam, deuoluitur ad Capitulum, & in specie facultatem absoluēdi excommunicatum ab Episcopo competere Capitulo sede vacante, vel ei, qui est electus ab ipso Capitulo, expresse asseritur in cap. vni. De Maio. & Obed. lib. 6. & ibi Glo. in Ver. Is ad quem.

Multo magis eandem Iurisdictionem ad excommunicandum, & ad alias censuras conuenire Capitulo Ecclesiæ Cathedralis post obitum Episcopi patet euidenter ex iuribus citatis.

Præterea Abbates, Priores, Præpositi Ecclesiarum Collegiatarum, etiamsi non sint consecrati, neq. benedicti, dummodo sint confirmati, vel prouisi, possunt excommunicare suos subditos Iure communi cap. Transmissam, cap. Suffraganeis De Elect. cap. Cum ab Ecclesiarum De Off. Ordi. Dominicus Sotus dist. 22. q. 2. art. 1. Non sufficit autē, vt quis dicatur Abbas, seu Prior in Ecclesiis, vbi sunt multi beneficiarij, si non viuant collegialiter, vt possit illos excommunicare Iure communi, & potestate ordinaria, vt bene annotauit Nauar. loco citato; Talis enim nullam habet Iurisdictionē fori exterioris ex Glo. in cap. Statutum Ver. Collegiatis De Elect. lib. 6. & in cap. Dilecta De Excess. Prælat. eodem lib. Ver. Nec sunt vnum corpus, & Abb. in cap. Nobis De Iur. Patro.

Multi etiam Archidiaconi, & Archipresbyteri, Decani, vel alio nomine nuncupati habent hanc iurisdictionem ordinariam ferendi Censuras, quibus cum aliqua iurisdictio exterior in subditos sit concessa, hæc coactiua potestas necessaria est, vt ipsorum gubernatio externa sit efficax. De Archidiacono idem expressè habetur in cap. Cum ab Ecclesiarum De Off. Ordi. vt superius diximus, & in cap. 1. & ibi Glo. Ver. Archidiaconorum De eo qui furt. ordi. susce. De Archipresbytero idem asserit Glo. in Extrauag. Execrabilis in Ver. Prioratus in fin. De Præben. & Dignit.

Si contra obiicias cap. Archidiaconis De Off. Archid. Vbi Summus Pont. statuit non licere Archidiaconis iuxta Ecclesiasticam institutionem, nisi auctoritate Episcoporum sententiam in aliquos promulgare, & ibi Glo. notat Archidiaconos de Iure communi non posse excommunicare, nisi auctoritate Episcoporum.

Glo. in Ver. Promulgare in dicto cap. Archidiaconi. Respondet primò Archidiaconis non licere excommunicationem ferre iure communi, sed consuetudine hoc Ius fuisse consecutos. Quod si Summus Pontifex in c. Cum statis eod. tit. videatur tollere hāc consue-

consuetudinem tanquam iniustam, & minimè rationi consonam, Glo. ibi in Ver. Consuetudinis explicat verba Canonis de consuetudine non præscripta; Aliqua enim pertinent ad Archidiaconum iure communi, & habentur in cap. Ad hæc eod. tit. Visitare autem, & corrigere exercent ex consuetudine. Vel respondendum est, vt etiam notat Glo. quod Archidiaconus eo ipso, quod eligitur à Collegio, & per Episcopum confirmatur, habet iurisdictionem in subditos, & potest excommunicare arg. cap. Legimus 93. distin. & quod dicitur in dicto cap. Archidiaconus, *Non videtur licere, vt sententiam proferant*, est interpretandum ex antiqua institutione Ecclesiastica, Nam hæc potestas nô inest generaliter omnibus Archidiaconis, sed illis tãtum, qui vel in ipsa institutione, vel ex consuetudine legitimè præscripta hoc ius sunt consecuti.

Hæc etiam potestas ordinaria inest Inquisitoribus Sancti Officij tanquam Delegatis Sedis Apostolicę in causa fidei, & in aliis ad eorum officium spectantibus, ita Nauar. Cons. 1. de off. Deleg. Simãca de Hæret. tit. Inquisitor n. 7. Franc. in cap. Ne aliqui de hæret. lib. 6. contra Archid.

Quantum ad Regulares, Generales, & Prouinciales sunt ordinarij Pastores Regularium suo iurisdictione in vtroque foro iure communi non tantum ex priuilegio, cap. Cum in Ecclesijs de Maio. & obed. cũ Glo. in Ver. Excommunicationis, & Glo. in cap. de Persona Ver. Aut Monachum in fin. 11. q. 1. cap. Quanto, & ibi Glos. in Ver. Si Prælati in fin. de off. Ordin. Addunt etiam Doctores ex iuribus citatis vltra Generalem, & Prouincialem alios Superiores, & Præfectos Religiosorum habere hanc potestatem, vt Priorem, vel Custodem, aut Rectorem Monasterij. Denique eum, qui Præfectus est Conuentui, quocunque nomine nuncupetur, & Superiorem non agnoscit in eodem Conuentu. Qua in re tamen attendenda est potissimum consuetudo, quæ dat iurisdictionem, vt inquit Glo. in dicto cap. Quanto in Ver. Prælati ex text. in c. Conquestus 9. q. 3. & C. de Emen. liber. l. 1. & vlt.

Tandem hoc ius ordinarium fulminandi censuras residet etiam in quibusdam Communitatibus, & Congregationibus Ecclesiasticis, vt in Concilio Generali, in Prouinciali, in Sinodali. Similiter Congregationes Regularium, quæ legitimę sunt, & approbatæ, habent etiam hanc iurisdictionem; Idque patet euidenter, quia singula hæc faciunt vnum corpus cum suo capite. Quare si probatum est de capite sigillatim, quod habet hanc potestatem, videtur satis probatum eandem conuenire debere corpori simul cum capite. Accedit etiam ad idem confirmandum vsus, & consuetudo, quæ seruatur in omnibus Communitatibus, & Congregationibus enumeratis.

Quamobrem iam constat, quibus conueniat iure ordinario potestas excommunicandi, & fulminandi alias censuras; Et hæc potestas in his omnibus vocatur ordinaria, quia illam habent vi proprij officij, & dignitatis, qua funguntur, non ex peculiari commissione, & conceditur, vt possint officium, vt decet administrare, & cogere, atque compellere subditos, qui eis essent impedimento, & molestiam afferrent. Quare hæc iurisdictio commensurata est in vno quoque ex his, quos enumerauimus iuxta necessitatem. & cõgruitatem sui officij, & iuxta sacrorum Canonum concessionem, & consuetudinem approbatam, & præscriptam.

Quamuis autem hæc iurisdictio excommunicandi, quæ conuenit omnibus, quos recensuimus, debeat dici

A ordinaria; Tamen magnum est discrimen inter Episcopos, & alios inferiores Prælatos, de quibus diximus; Nam in Episcopis hæc iurisdictio ordinaria ducit originem ab ipso iure diuino, quia illã accipiunt ab ipso Christo per Summum Pontificem, vt monebam superius. Alii vero Prælati illam consequũtur solum ab ipso iure Ecclesiastico, scilicet Summo Pontifice; Et hanc ob causam liberum est Summo Pontifici, si ita putaret opportunum ad commune bonum Reipub. Christianæ tollere hanc potestatem ferendi censuras ab his Prælatis. At non eodem modo posset hac iurisdictione priuare Episcopos, quia illam habent, à Christo, quamuis Papa posset in Episcopis hanc potestatem diminuere, augere, & immutare.

B Neque omnes descripti, quibus inest hæc potestas, habent illam immediatè à Summo Pontifice; Sed aliqui immediatè, aliqui vero mediatè; Nam Legatus Papæ, Episcopus, Congregationes Religionum, & similes habent à Summo Pontifice immediatè; Alii vero habent a Papa mediatè, vt Vicarius Episcopi mediante Episcopo qui illum elegit, Prouincialis Religionis medio Generali, Generalis mediante Capitulo, à quo electus fuit.

Rursus animaduertendum est, quod licet hæc iurisdictio dicatur ordinaria in iis omnibus, quos recensui, quoniam illis conuenit non ex speciali commissione Superioris, sed ratione officii, & dignitatis, quam obtinent, non tamen eodem modo hæc iurisdictio ferendi censuras

C coniuncta est officio, & dignitati in singulis, sed aliqui illam habent ex priuilegio Papæ, vel Episcopi, aut alterius Superioris habentis hoc ius. Quod priuilegium conceditur vel ob necessitatem officii, vt in Prælatis Religionum ad compescendum Religiosos inobedientes, qui non sunt subiecti Ordinario, vel ob decentiam, & prærogatiuam dignitatis, vt in Legato, Abbate, Archidiacono, & aliis. Alii vero acquirunt hanc iurisdictionem consuetudine legitimè præscripta. Ita habetur in cap. Cum contingat de foro compet. Vbi statuitur Clericos delinquentes debere conueniri coram suo Episcopo, nisi consuetudo, aut priuilegium aliud inducat; Vbi latè disputat Abb. An consuetudo possit tribuere potestatem

D excõmunicandi, & concludit nu. 16. Quod si est Prælatus, & habeat subditos, tunc ex consuetudine legitimè præscripta potest acquirere hanc potestatem, licet ratione suæ Prælaturæ, & administrationis alias nõ haberet, sed si est priuata persona nomine proprio, etiam si habeat subditos, & supposita consuetudine præscripta non potest acquirere hoc ius excommunicandi, quia cum dependeat ex potestate Clauium, non potest quis illud obtinere nomine proprio tanquam priuata persona. Accedit, quod excommunicatio aut est meri imperii, vt notat Innoc. in c. Transmissam de Elect. in fin. Vt quando quis excommunicat sine cognitione causæ, sed habere merum imperiũ est habere gladii potestatem ad animaduertendum

E in facinorosos homines, quod non potest conuenire nisi ratione officii, & administrationis, Vel est mixti imperii, quia cum causæ cognitione pronuncietur, aut ad instantiam partis, cap. Venerabilibus de sent. excommunic. lib. 6. & tunc multo minus hæc potestas potest acquiri per priuatã personã, cũ causæ cognitio requirat iurisdictionem, quæ datur cum officio, & administratione, & ea, quæ sunt mixti imperiĩ, non competunt inferioribus l. Imperium, & l. Iubere cauere ff. de Iurisd. om. Iudi.

Concludendum est igitur posse quidem obtineri iu-

iurisdictionem excommunicandi consuetudine legitimè præscripta sed per eum, qui Prælatus sit scilicet si habeat aliquam dignitatem, & prærogatiuam, & habeat subditos, in quos possit exercere hos actus, vt inquit Abb. in cap. Quæsiuit de his quæ fiunt à Maio. par. cap. num. 7.

Sed dubitant Doctores, An si quis præscribat sibi vi legitimæ consuetudinis ius excommunicandi, possit etiam potestatem habere ad ferendas alias censuras, & absoluendi. Pro parte affirmatiua facit, quod appellatione Ecclesiasticæ censuræ intelligunt tres Censuræ, scilicet Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum cap. Quærenti de Verbo. signif. & hæ tres Censuræ videntur pares, & æquales, & semper in iure de his tribus videntur eadem iudicari absque discrimine cap. Is cui in fi. De sent. excom. lib. 6. ergo cui competit ius ad vnam, videtur competere ad omnes, deinde cui competit facultas ad excommunicandum, videtur conuenire potestas ad absoluendum, quod est fauorabilius, & colligitur ex cap. Verbum de pœniten. dist. 1.

Respondendum est ad hanc dubitationem iuxta communem opinionem Doctorum, quod præscribēs facultatem ad excommunicandum, vel ad aliam censuram, non acquirit Ius, vt possit ferre alias Censuras, quarum potestatem per consuetudinem non præscripsit.

Idque probari potest euidenter primò ex cap. Cum olim de rescript. Vbi Summus Pontifex confirmauit quendam Abbatem contra Episcopum in possessione excommunicandi, & interdicendi, & absoluendi, cuius potestatis vsum probauerat. De Suspensione autem nulla ibi fit mentio, sed generaliter quoad omnia alia Iura Episcopalia, condemnauit Abbatem, & subiecit illum Episcopo, ergo ab vno actu non potest fieri extensio ad alium.

Secundo quia vno exercente, & possidente vniuersalem iurisdictionem in Ciuitate, si alius exerceat iurisdictionem in certis articulis, etiam animo acquirendi vniuersalem iurisdictionem, non idcirco illlam acquirit, sed tantum præscribit, quantum exercuit, Innoc. in cap. Dilectus de Cappel. Monach. Secus verò esset, si nemo vniuersaliter possideat tex. in cap. 1. De Relig. Domi. Sed Episcopus habet iure communi ordinariam iurisdictionem, ergo qui exercet actus aliquos ad Episcopi potestatem spectantes, quales sunt pronunciare Censuras, tantum potest præscribere peculiariter illos actus, quos solitus est exercere præcisè, non alios.

Tertio potestas ferendi censuras non est indiuisibilis, vt acquisita circa vnam Censuram, necessariò debeat acquiri circa aliam specie distinctam, nulla enim est necessaria connexio inter ipsas censuras, vt est in casu, quem ponit Bart. l. 1. §. Si quis hoc interdicto ff. De Iti. Actuq. pri. Vbi affirmat, quod si quis concessionem habet ab eo, qui habet Ius concedendi omnem potestatem, & exerceat in vno, acquirit in aliis, Hoc enim dictum inteligendum est in his, quæ inseparabilia sunt, & in quibus eadem militat ratio in vno, sicut in aliis, facit textus in l. Possideri in princ. ff. de acqui. possess. Vbi statuitur ad acquirendam possessionem fundi nō opus esse, vt possessor omnes glebas terræ circumeat, sed sufficit, vt quamcunque partem fundi ingrediatur, dummodò voluntate integrum velit possidere, sed valdè diuersa ratio est in Censuris, quæ ab inuicem sunt omninò distinctæ, conueniunt solum in genere. Quare qui præscribit sibi Ius ad vnam, non idcirco acquirit ad alias. Idem affirmat Abb. in dicto cap Cum olim de præscript. num. 7.

An vero idem dicendum sit etiam quoad absolutionem, nempè vt qui exercuit potestatem excommunicandi tantum non absoluendi, ius acquisierit solum ad excommunicandum, non ad absoluendum. Mihi videtur res magis dubia, & potius descendo, vt putem partem affirmatiuam probabiliorem esse, vt acquisito iure ad excommunicandum, censendum sit acquisitum etiam ad absoluendum, qui potest enim excommunicare, potest absoluere, quod est fauorabilius. De qua tamen re tractandum est ex proposito in materia de absolutione.

Tandem quæret quis, vt absoluamus hoc caput, postquam omnes illi, de quibus diximus, vtuntur ordinaria potestate in excommunicando; quid intersit inter eos, qui habent hanc ordinariam Iurisdictionē, & illos, qui vtuntur delegata, & commissa facultate ad ferendum censuras.

Respondetur magnum esse discrimen; nam qui habent potestatem ordinariam, possunt illam alijs committere, & delegare, vt patet l. More. ff. de iurisdict. omn. Iudi. l. vni. C. qui pro sua iurisd. c. Vt litigantes de off. ordi. lib. 6. & ità legatus Papæ potest iurisdictionem suam delegare, Abb. cap. vlt. num. 3. de offic. lega. Illi verò, qui habent commissam, & delegatam iurisdictionem, regulariter non possunt illam subdelegare l. A Iudice C. de Iudi. cap. Cum causam de appella. Rationem diuersitatis affert Abb. in cap. Cum Bertoldus num. 23. De Sent. & Re Iudi. quia Delegatus non habet iurisdictionem propriam, ideo non potest alteri committere, quia nemo dat, quod non habet, vt cap. Duibertum 1. quæst. 7. & cap. Quod autem de Iu. Patro. Peculiare tamen est in Delegato Papæ, vt subdelegare possit ex priuilegio cap. Si pro debilitate, cap. Quoniam de offic. deleg. & in specie, an is, cui committitur, vt excommunicet &c. possit hoc ius alteri subdelegare &c. tractatur in dicto cap. Quoniam §. Cæterum, & statuitur non posse eum, cui committitur tale ministerium, vices suas alteri delegare. Hoc tamen non habere locum in legato Sedis Apostolicæ, Idem tradit Ias. in l. A Iudice C. de Iudic.

Deinde differentia etiam est inter Habentem potestatem ordinariam, & eum, qui habet delegatam, nàm qui ordinariam potestatem habent, quoniam talis potestas dependet ab officio, & dignitate, qua funguntur, non amittunt illam etiam concedente defuncto, sed perpetuo illam retinent, quousq; non sunt priuati dignitate, & officio. Verùm qui habent potestatem delegatam, illam amittunt Concedente defuncto, quoniam pendet ab ipso Concedente in conseruari, maximè si causa non sit inchoata, cap. Gratum, & c. Licet de off. deleg. & c. Si à subdelgato eod. tit. lib. 6.

Postremo non est hoc loco pretermittendum supradictis omnibus concessam esse facultatem excommunicandi, dum intra suæ Diœcesis fines commorantur, Quare legatus extra Prouinciam existens non potest excommunicare de off. lega. cap. Nouit, Specul. lib. 1. tit. De legato §. 7. num. 10. ob eam rationem, quia excommunicatio causæ cognitionem postulat, sine qua ferenda non est, cap. Nemo 2. quæst. 1. & cap. Nemo Episcoporum 11. q. 3. & est pronuncianda à Iudice pro tribunali sedente. Id autem non conceditur alicui extra suam Prouinciam, ac Diœcesim, cap. Peregrina 11. q. 1. & c. Peruenit de Paroch. & hæc dicta sint de illis, qui potestate ordinaria possunt excommunicare.

CA-

CAPVT II.

Qua ratione Episcopus, & alii Prælati inferiores possint ferre sententiam excommunicationis ferre iure ordinario, quæ obliget omnes etiam non suos subditos.

Ratio dubitationis est, quia excommunicati debent vbique abstinere à communicatione omnium fidelium, & sacramentorum perceptione, sed Episcopus, & alii Prælati non possunt sententias ferre, quæ obligent subditos extra territoria propria commorantes.

Deinde excommunicatio obligat omnes fideles ad vitandum excommunicatum. Præceptum autem Episcopi non potest fideles non sibi subditos obligare.

Confirmatur, quia Episcopus non potest concedere indulgentias non sibi subditis, vel in aliena diœcesi, ergo non poterit eadem ratione obligare excommunicatum ad vitandum fideles in aliena diœcesi, vel alios fideles in propria diœcesi ad vitandum excommunicatum à se.

Scotus in 4. dist. 19. q. 1. art. 5. asserit Episcopum non posse iure proprio, & potestate ordinaria ferendo excommunicationem obligare fideles non sibi subditos ad vitandum excommunicatum, sed tantum suos subditos, quod si omnes fideles tenentur excommunicatum vitare, id accidit, quoniam hac in parte Episcopus habet delegatam potestatem à Sede Apostolica.

Sed hæc opinio patitur difficultates. Primo, quoniam, vt probauimus superiori capite, sæpè iura dicunt excommunicationem eo modo, quo nunc est in Ecclesia, propriè pertinere ad officium Episcopi, & ei ordinario iure conuenire, vt patet ex c. Cum ab Ecclesiarum de off. ordi. cap. Transmissam de elect. cap. Corripiantur 24. q. 3. & in alijs locis.

Secundò Episcopi sunt Pastores suarum Ecclesiarum, nec in illis alium superiorem agnoscunt, igitur vt Populum sub eorum cura existentem possint regere, indigent non solum potestate directiua, sed etiam coactiua, vt per impositionem pœnarum, & censurarum pro varietate delictorum delinquentes coercere valeant, vt dictum est præcedenti capite; igitur potestas excommunicandi eo modo, quo nunc est in vsu in Ecclesia, conuenit Episcopis iure ordinario; quare hæc solutio non soluit difficultatem.

Propterea alij, vt Iacobus Almain. dist. 18. quæst. 1. art. 3. tenet excommunicatum esse vbique vitandum iure diuino, quo prohibita est communio cum excommunicatis.

Hæc tamen sententia non tollit difficultatem propositam, nam licet verum sit fundamentum huius obligationis, qua tenemur vitare excommunicatum, vt facis ex illis verbis Christi Matth. 18. *Sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, si Ecclesiam non audierit*, Tamen inde colligitur solum prohibitio generalis de vitando excommunicatum iuxta modum tamen, & conditiones per Ecclesiam statuendas. Quare Summus Pontifex caput Ecclesiæ potest variare hanc obligationem, addendo, vel minuendo, vt iudicat magis opportunum ad bonum commune totius Reipublicæ, sicut variauit post Concilium Constantiense, vt fusius tractaui lib. 1. in disputatione 6. cap. 1. Hæc potestas igitur excommunicandi cum hac vniuersali obligatione, sicut modò seruatur in Ecclesia, non competit Episcopo iure diuino.

Dicendum est igitur iuxta magis communem sententiam, si loquamur de institutione Censurarum, A Episcopo non competere auctoritatem instituendi Censuras, quibus Ecclesia vtitur, vt probatum est superiori capite, Si vero tractemus de potestate applicandi excommunicationem, & alias Censuras, quas Ecclesia instituit, sic Episcopus Iure ordinario sibi conueniente, ratione sui muneris, & dignitatis Episcopalis, habet auctoritatem ferendi excommunicationem iuxta eum modum, & cum iis effectibus, quos parit excommunicatio, vt instituta est ab Ecclesia, & eodem modo de aliis censuris. Immo Episcopus, etiãsi vellet, non posset impedire, vt excommunicatio, quam ipse pronunciaret in aliquem sibi subditum, non haberet totam illam vim, & omnes illos effectus, quos habet excommunicatio regulariter iuxta institutionem B Ecclesiæ.

Ex his soluuntur obiectiones propositæ. Ad primam dicendum est nihil referre, si subditus excommunicatus à suo Episcopo egrediatur fines diœcesis proprii Episcopi, & alibi collocet domicilium, quia excommunicatio afficit animam, & sequitur excommunicatum, vt lepra leprosum cap. Cito turpem 1. q. 1. ex Ambrosio in Commentariis ad 2. cap. S. Lucæ, & superius probatum est. Igitur, vbicunque moretur, debet declinare fidelium consuetudinem, & abstinere à sacramentorum perceptione, atque ab aliis, quibus propter excommunicationem priuatus existit, an vero Episcopus possit iure ordinario excommunicationis gladio ferire suum subditum extra Diœcesim com C morantem, tractabimus inferius.

Ad secundam obiectionem dicendum est omnes fideles obligatos esse euitare excommunicatum, à quocunque fuerit excommunicatus, etiam si non sit ipsorum Prælatus seruata forma Concilij Constantiensis. Et hæc obligatio non nascitur, quia fideles teneantur obedire Episcopo excommunicanti, si non sit ipsorum Episcopus, & Superior, sed oritur ex præcepto Ecclesiæ, & Summi Pontificis, qui instituit excommunicationem, vt haberet hanc vim; & pareret inter alios hunc effectum; vt quicunque excommunicatus esset necessario vbiq; locorum vitandus ab omnibus, vt probatum est supra suo loco, & habetur in Canoni- D bus Apostolorum cap. 13. & 16. In Concilio Arelatensi 2. can. 8. tex. in cap. Cum & plantare §. 1. De Priuileg. Glos. in cap. Pastoralis §. Verum de appella. cum aliis multis relatis per Couar. in cap. Alma Mater prima part. §. 3. num. 2. Hæc sufficiant de hac difficultate.

CAPVT III.

An hæc ordinaria iurisdictio ferendi excommunicationem conueniat Parochis.

Censent aliqui Doctores Parochis non esse denegatam omnino potestatem excommunicandi, vt in nullo casu liceat eis excommunicationem, vel E alias censuras fulminare, vt id audeant affirmare, his fere rationibus ducuntur.

Primo maius est ligare in foro pœnitentiæ, quam in foro fori, sed Parochus potest suos subditos in foro interiori obstringere, ergo multo magis poterit in exteriori per excommunicationem.

Secundo excommunicatio est actus Clauium, sed Parochus habet potestatem Clauium, ergo poterit excommunicare.

Tertio videtur id definitum in cap. Si sacerdos de off. ordin. quo innituntur multi Doctores, vt censeant Rectorem Parochialem posse excommunicare; habe-

tur

tur enim in text. Quod si Sacerdos scit aliquem reum alicuius criminis, & noluerit satisfacere admonitus, poterit illum excommunicare nō nominatim, nisi crimen fuerit probatum, sed in genere, Quicunque fecerit factum tale, sit excommunicatus. Idem habetur in cap. Nemo Episcopus 2. q. 1. *Nemo Episcopus, nemo Presbyter excommunicet, &c.* Ex quibus verbis Glos. Ver. Excommunicet sumit argumētum, quod simplex sacerdos habet potestatem excommunicandi. Accedit cap. Cum ab Ecclesiarum de off. Ordi. Vbi supponitur, Plebanis inesse potestatem excommunicandi, sed Plebani sunt Rectores Parochiales, igitur possunt excommunicare.

Postremò illi possunt excommunicare, qui habent potestatem iudicandi in foro exteriori, sed hoc licet Rectori Parochiali cap. Decernimus de Iudi. Vbi tractare negocia Ecclesiastica conceditur Episcopis, Abbatibus, & alijs Ecclesiarum Prælatis, &c. Nullus Episcoporum 15. q. 4. Prohibetur, ne Episcopus, aut Presbyter die Dominica negocia tractet. Idem dicitur in cap. Nullus Episcopus ead. q. Si igitur habent potestatem in foro exteriori, ergo poterunt excommunicare.

Propter has rationes visum est aliquibus concedere hanc potestatem excommunicandi Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, diuersimodè tamen à diuersis id asseritur.

B. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 2. quæstiun. 1. tenet Episcopos tantum ex officio posse excommunicare, sed in aliquibus casibus ab ipse iure concessis, vt in furto, rapina, & similibus delictis posse etiam Parochum excommunicare. Quam sententiam interpretatur Siluest. Excommunicatio 1. §. 5. esse veram, dummodò Episcopus patiatur, & non prohibeat, vel quando hoc ius fuit ab ipso Parocho acquisitum consuetudine legitimè præscripta contra Episcopum; Nam consuetudo dat iurisdictionem, quod etiam fatetur Riccardus in 4. dist. 18. art. 4. q. 1.

Host. vt refert Siluest. vbi supra, & Abb. in capit. Si Sacerdos de off. Ordi. nu. 8. putarunt Sacerdotem habentem curam Animarum posse excommunicare suū subditum in genere pro delictis notorijs, quæ non indigent cognitione causæ, putà qui commiserit tale furtum, sit excommunicatus. Et similiter Glo. in cap. Quæsiuit Ver. Habet ius Episcopale, De his quæ fiunt à ma. par. capit. Censet Canonicum posse Ecclesiam subijcere interdicto Ecclesiastico, & dictum Glosæ interpretantur Doctores, vt inquit Abb. in dicto capit. Quæsiuit nu. 7. De Canonico, qui habet Ecclesiam Parochialem annexam Præbendæ, tunc enim, cum habeat Parochianos, potest interdicere Ecclesiam; Hoc enim videtur pertinere ad curam. Si igitur potest interdicere, potest etiam excommunicare. Si verò cōsuetudine acquisiuerit sibi Parochus hoc ius excommunicandi, tunc ex sententia Host. poterit ferre sententiam excommunicationis cum cognitione causæ contra certam personam.

Archid. cum Glo. in cap. Romana de sent. excom. lib. 6. Idem cap. 2. de Constit. eod. lib. existimat Sacerdotem Curatum posse excommunicare, quia recipit ratione curæ quandam iurisdictionem in suos subditos, licet potius declinet in naturam fori Poenitentialis, quam contentiosi, & idcircò habere iurisdictionem solum ferendi excommunicationem generalem ad correctionem suorum subditorum.

Card. in cap. 1. de sent. excom. lib. 6. tenet Parochū non posse excommunicare propriè, quia nō est Iudex,

A & Iudex tantum potest excommunicare, vt in dicto cap. 1. Vbi ter repetitur nomen Iudicis, sed impropriè dicitur excommunicare, quando scilicet prohibet aliquem ex suis subditis à communione, non per modum præcepti, sed consilij.

Respondendum est difficultati ex communi sententia Doctorum.

Dicimus igitur vniuersaliter Rectori Parochiali nō conuenire iure ordinario ratione sui officij potestatem excommunicandi suos subditos nec in specie, nec in genere, & multo minus aliis Sacerdotibus, & Confessariis; Et idem est affirmandum de alijs censuris.

Credit tamen Abb. in dicto cap. Quæsiuit De his, B quæ fi. à ma. par. Cap. quod ex iusta causa possit imponere cessationem à diuinis, putà si subditus nollet soluere decimas, vel alias obligationes debitas iuxta notata in cap. Omnis Christianus de Consecr. dist. 1. & cap. Ex parte de restit. spoliat.

Verum si censet Abb. posse Parochum auctoritate sui officii inducere hoc impedimentum Canonicum cessationis à diuinis, vt vniuersaliter cesset in Ecclesia celebratio diuinorum officiorum ob iniuriam Ecclesiæ illatam, non adhæreo eius sententiæ; Nam inducere hoc impedimentum cessationis à diuinis pertinet ad officium Episcopi cum Capitulo, vt habetur in dicto cap. Quæsiuit, & in cap. Si Canonici de offic. Ordi. Si autem Abb. vult significare posse Parochum subtrahere se à celebratione diuinorum officiorum, C si Parochiani cessēt subministrare illi solitas decimas, & debita alimenta, censeo verum esse, quod asserit, quia qui Altari seruit, de Altari debet viuere, & qui seminat spiritualia, debet metere temporalia, vt inquit Apostolus, sed hæc obiter, suo enim loco exactè explicabuntur.

Probemus conclusionem propositam, quod potestas excommunicandi non conueniat Parochis.

Primò excommunicare est actus iurisdictionis contentiosæ fori exterioris, nec potest ferri sine causæ cognitione, & pronunciatur in inuitum cap. Nemo Episcopus 2. q. 1. sed Parochus non habet iurisdictionem fori contentiosi, sed poenitentialis tantum c. de Persona 11. q. 1. igitur non potest excommunicare.

D Secundò excommunicatio est meri imperii, vt dixi supra ex Innoc. in cap. Transmissam de Elect. Rector vero Parochialis nō habet ea, quæ sunt meri imperii.

Tertiò iura docent excōmunicationem à Iudicibus ferri debere in cap. 1. de sent. excom. lib. 6. cap. Quærenti de verbor. signif. cap. Archidiaconus de off. Archid. sed Parochus non habet facultatem iudicandi in foro exteriori, ergo non potest excommunicare.

Postremò idem patet clarissimè ex communi vsu, & consuetudine vniuersali Ecclesiæ, quæ est optima legum interpres cap. Cum dilectus de Consuet. & l. Si de interpretatione ff. de Legi. Nullibi enim viget mos, & vsus, vt Parochi vsurpent hoc ius fulminandi censuras.

E Si contra opponas, Parochus potest absoluere à quibusdam excommunicationibus, vt inferius in disputatione de absolutione ostendemus, & communiter asserunt Doctores, B. Thom. in Addit. ad 3. par. q. 24. art. 1. Bonan. in 4. dist. 18. q. vlt. Maior. q. 2. dub. 3. & alii; Quare poterit etiam excommunicare, quoniam non minus est actus iurisdictionis fori exterioris absoluere ab excommunicatione, quam excommunicare; Si igitur primum non denegatur Parocho, ergo neque secundum denegari potest.

Respondendum est Parochos posse absoluere ab excommunicatione non in foro externo, sed in foro con-

scien-

scientiæ tantum in ordine ad absolutionem sacramentalem; quare sic Absolutus indiget alia absolutione, quam debet recipere in foro externo à suo Iudice ordinario, à quo fuit excommunicatus. Competit autem facultas Parocho, & aliis Confessariis in aliquibus casibus absoluendi ab excommunicatione, quia præceptum est, vt absolutio ab excommunicatione semper præcedere debeat absolutionem sacramentalem, vnde quia hæc ratio non militat in alijs censuris, ideò eo nullo iure, vel consuetudine competit Parocho potestas absoluendi à suspensione, aut interdicto personali, nec relaxare interdictum locale, aut tollere cessationem à Diuinis, quia ablatio horum impedimentorum non exigitur ante absolutionem sacramentalem à peccatis.

Hæc opinio est communis Theologorum, & Canonistarum, B. Tho. loco citato, sicut explicat Siluester, Riccardi vbi supra, Palud. dist. 18. q. 2. quem citat Nauar. in Commentariis in cap. Cum contingat de Rescript. secunda Nullit. cau. num. 26. & eandem ipse sequitur, & in Manua. cap. 27. num. 5. Sot. dist. 22. q. 2. art. 1. Abb. in dicto cap. Quæsiuit num. 7. De his, quæ fi. à ma. par. Cap. in cap. Cum contingat. num. 30. De for. compet. & in cap. Si Sacerdos num. 10. De off. ordi. Glo. in cap. Nemo Episcopus 2. q. 1. Ver. Excommunicet, & in cap. Cum ab Ecclesiarum Ver. Ecclesiastica sententia de off. ordi.

Animaduertendum tamen est, quod quamuis Parochis non conueniat iure communi potestas ad excōmunicandum, tamen possunt illam acquirere ex consuetudine præscripta, & tunc tantam habebunt, quantam consuetudo dederit. Ita sentiunt omnes Doctores citati, & eiusdem opinionis est Angelus excommunicatio 1. num. 6. Tabie. excom. 4. num. 1.

Si obiicias ex iis, quæ diximus in primo Capite potestatem excommunicandi non posse etiam ex consuetudine longi temporis præscribi ab eo, qui caret omni dignitate, & prærogatiua Prælaturæ in alios, vt notant Doctores in dicto cap. Cum contingat de foro compet. Sed Rector Ecclesiæ Parochialis non dicitur Prælatus, nec fungitur dignitate, ergo non poterit præscribere potestatem excommunicandi.

Respondeo verum esse non posse ab aliquo præscribi Ius ferendi censuras sine iurisdictione, vel aliqua prærogatiua in alios, sed consuetudo potest tribuere iurisdictionem in alios cap. Conquestus, & ibi Glos. 9. q. 3. cap. Dilecti de Arbitris; Quare Parochus cum habeat iurisdictionem, & prærogatiuam in suos subditos, licèt non in foro exteriori, potest consuetudine illam acquirere in illo foro, & ex consequenti Ius, vt possit subditos excommunicare, sicut probaui in cap. 1. huius Disp. de Capitulo, Archidiacono, vel Proposito, & sicut inquit Abb. dicto num. 7. in cap. Quæsiuit de Canonico quantum ad potestatem interdicendi Ecclesiam.

Ex his facilè solui possunt rationes initio propositæ ad persuadendum oppositum. Ad primam dicendum est, quod licet sit maius ligare in foro interiori, quàm exteriori, non ideo sequitur, vt cui cōueniat primum, debeat etiam competere secundum, nàm sunt diuersorum generum, ex quibus ab vno non fit illatio ad alterum, nam ligare in foro interiori est actus ordinis, sed ligare in foro exteriori est actus iurisdictionis contentiosæ, sicut non valet, si dicamus cōsecrare corpus Christi maius est, quàm consecrare Ecclesiam, igitur si simplex sacerdos potest primum, poterit etiam secundum.

Ad secundam dico potestatem excommunicandi pendere ex potestate Clauium, vt diximus, quia illa relicta est à Christo Ecclesiæ in traditione Clauium, & quicunque illam exercent, ab Ecclesia eam recipiunt. Pertinet tamen hæc potestas ad potestatem iurisdictionis fori exterioris, qua carent Parochi.

Ad tertiam ex cap. Si sacerdos de off. ordi. Vbi potestas excommunicandi supponitur reperiri in Sacerdote Abb. ibi numer. 10. nomine Sacerdotis intelligit Episcopum, nam Episcopi olim appellabantur Sacerdotes 95. dist. cap. Omnium, Nam sacerdos est nomen dignitatis, & honoris cap. Cleros 21. dist. & probar id tum ex Rub. quæ est de officio ordinarij Iudicis, vt igitur decretalis conueniat cum titulo, debet intelligi de sacerdote Iudice ordinario, Nigrum enim debet aptari rubro, vt notat Glos. in cap. Tibi qui de rescript. lib. 6. & cap. Bonæ de Confir. vti. vel inut. & in cap. Si super gratia de off. deleg. lib. 6. Sed Parochus non est Iudex in foro exteriori, Tum etiam probat ex verbis illius Canonis, cum dicit *Nisi iudiciali ordine, &c.* Sed certum est à Parocho non peti iustitiam, nec procedi coram eo ordine iudiciario, ergo ibi non est sermo de Parocho.

Ad cap. Nemo dicendum est cum Glos. in Ver. Excommunicet posse sacerdotem Parochum excommunicare, si hoc ius sibi acquisierit consuetudine, vt explicauimus, vel ex speciali commissione Episcopi, vel ex priuilegio, & primæua institutione, sicut dictum est in cap. 1. & ità inquit Riccardus, ex consuetudine habebant olim Parochi, vt excommunicarēt suos subditos in crimine furti, & rapinæ, quando crimen erat notorium, & pronunciabant excommunicationem in genere, vt declarauimus, & hoc affirmat B. Tho. Sed iam ista consuetudo, & mos cessauit, sicut etiam Concil. Trid. sess. 25. De Reform. cap. 3. reuocauit, & cassauit consuetudinem, vt pro rebus subtractis, aut deperditis excommunicationes ferantur ab aliis Prælatis post Episcopum, & statuit hoc Ius ad solum Episcopum pertinere. Quo pacto autem sit intelligendum hoc decretum, declaraui in cap. 6. Disp. 1. Et eodem modo explicandum est cap. Cum ab Ecclesiarum, in quo idem affirmatur de Plebanis.

Ad quartam rationem ex cap. Decernimus de Iudic. & cap. Nullus Episcoporum 15. quæst. 4. in quibus prohibetur, nè Presbyter tractet negocia die Dominica, ergo habet potestatem iudicandi, similiter respondendum est illos textus esse intelligendos de illis Parochis, qui vel ab ipsa institutione, vel ex priuilegio, vel ex speciali Episcopi delegatione, & commissione habent potestatem iudicandi causas, vel illud ius acquisierunt ex consuetudine.

Demum illud addi potest in fine Capitis, quod licèt potestas Parochi non complectatur hoc ius excommunicandi, & ferendi alias censuras, vt dictum est, non tamē inficiari debemus licere Parocho, & alijs etiam Sacerdotibus Confessarijs in foro Pœnitentiæ, iniungendo prudenter pœnitentias suis subditis, illos ad tēpus priuare communione Eucharistiæ, suspendere pœnitentem Sacerdotem à celebratione Missæ, aut ab auditione confessionum, vel interdicere ab ingressu Ecclesiæ, sed hoc propriè non est ferre censurā, quia non fit per iurisdictionē fori exterioris; quare si pœnitens promiserit seruare præceptū, & postea illud violet, & neglecta prohibitione exerceat illos actus, peccat quidem, non tamen efficitur irregularis, Nauar. in Manua. c. 27. n. 152. Maiol. lib. 3. De irreg. c. 19. n. 21. Glo. c. Is qui de sent. excom. lib. 6.

CA-

CAPVT IV.

An Iudex excommunicatus possit excommunicare, ita vt si excommunicet, teneat excommunicatio.

Nonnulla videtur ratio dubitandi; quoniam excommunicatio est actus iurisdictionis, quæ est annexa dignitati, & officio ecclesiastico, & ab illo pendet, sed Prælatus excommunicatus non est priuatus per excommunicationem officio, & dignitate, qua ante excommunicationem fungebatur, ergo, si tentet excommunicare, & alia requisita non desint, valida erit excommunicatio.

In hac dubitatione vnum est certum, in quo Doctores non discrepant; nempè sententiam excommunicationis latam à Iudice, qui fit nominatim excommunicatus, & publicè denunciatus ad præscriptum Concilij Constantiensis, vel sit publicus Clerici percussor, esse nullam, & inualidam, D. Tho. in dicta dist. 18. q. 2. art. 2. Caiet. in Sum. Ver. Excommunicatio ad finē, Silue. excommunicatio 2. §. 1. casu 2. Couar. in cap. Alma Mater §. 11. num. 4. part. 1. & ratio est, primò, vt inquit B. Tho. in dicta dist. 18. q. 2. art. 2. quia Iurisdictio fori exterioris est ab homine ad alium hominē, sed excommunicatus est à communione fidelium separatus etiam quantum ad alios post denunciationē, igitur non potest alium excommunicare, quoniam cum ipse sit per excommunicationem priuatus à consortio Ecclesiæ, & sit extra Ecclesiam, nō potest alium à corpore Ecclesiæ separare.

Deinde excommunicatio est actus iurisdictionis c. Transmissam de elect. cap. Si celebrat de cleri. excom. Mini. sed excommunicatus est priuatus iurisdictione facta denunciatione, vel saltem vsu iurisdictionis non solum respectu sui, sed aliorum, vt patet ex cap. Miramur 24. q. 1. & latè probaui supra in lib. 2. Disp. 2. c. 1. ergo excommunicatus non potest excommunicare, & eadem ratio est de Suspenso à Iurisdictione.

Præterea id habetur expressè definitum, quantum ad actum excommunicandi, nempè hunc actum excommunicandi non posse conuenire excommunicato, in cap. Audiuimus 24. q. 5. Vbi Summus Pontifex loquens de Archiepiscopo excommunicato, qui excommunicauerat Episcopum inquit, *Excommunicatum excommunicare non posse*.

Neque solum verum est Prælatum excommunicatum, puta Episcopum non posse excommunicare, sed id etiam est affirmandum de Vicario illius, scilicet Episcopo denunciat excommunicato, Vicarium non posse ferrre excommunicationis sententiam in aliquem, sicut nec exercere alium actum iurisdictionis ratione sui officij, idque ob eandem rationem, nam cum gerat vices Episcopi, & eius iurisdictio pendeat ab Episcopo, suspensa principali iurisdictione Episcopi, cessat quoque iurisdictio Vicarij cap. 1. de off. Vic. lib. 6. & idem etiam asserendum est de legato excommunicato delegante, cap. Si is, cui de off. deleg. lib. 6. saltem quantum ad negocia integra, & non inchoata, Vicarij autem iurisdictio suspenditur quantum ad omnia negocia, vt plenius dixi in dicta Disp. 2. cap. 1.

Sed quis contra hanc doctrinam posset objicere tex. in illo cap. Audiuimus, Vbi Alexander Secundus Papa scribens ad Episcopum excommunicatum ab Archiepiscopo excommunicato hæc habet, *Te, tuosque Apostolica auctoritate absoluendo mandamus, &c.* Igitur si ille Episcopus indigebat absolutione Summi Pontificis, ergo valida fuerat talis excommunicatio.

A Respōdet ibi Glosa Ver. Absoluendo, & interpretatur vocem illam *Absoluendo* idest *ostendendo te absolutum, & non ligatum*, 11. q. 3. cap. Excellentissimus, cap. Auctoritatem 15. q. 6. Vel inquit Glos. *Absoluendo de facto*, cap. Si quis confugerit 1. q. 1. cap. Concilia distinct. 17.

Quamobrem, quod Iudex excommunicatus denunciatus, vel suspensus à Iurisdictione non possit excommunicare, clarum esse debet, & si excommunicare tentet, & grauiter delinquit, cum exerceat actum contra Ecclesiæ prohibitionem in re graui, quo directè per excommunicationem est priuatus. Atque etiam talis excommunicatio est nulla, & inualida defectu iurisdictionis, sicut de quocunq; actu iurisdictionis prolatum est in dicta Disp. 2. cap. 1.

B Sed tota difficultas in hac quæstione consistit, quando Prælatus est occultè excommunicatus, vel si sit publicè excommunicatus, & denunciatus in alia Ciuitate, tamen vbi fungitur officio, ignoratur communiter excommunicatio, An tunc temporis, si ferat excommunicationis sententiam in aliquem, talis excommunicatio sit valida, & hanc dubitationem pertractaui in cap. 2. eiusdem disp. 2. nihil occurrit addendum. Quantum verò ad obligationem ipsius excommunicati, qui prohibitus est per Ecclesiæ præceptum actum iurisdictionis exercere, siue occultè sit excommunicatus, siue publicè, si ex officio aliquem excommunicet, semper erit reus culpæ, quia vsurpat vsum iurisdictionis, qua caret manēs in excommunicatione. Id autem

C non potest fieri regulariter sine peccato mortali, vt inquit B. Tho. 2. 2. q. 60. art. 6. quia Constitutio extrauag. Ad euitanda nullum priuilegium tribuit ipsis excommunicatis, nec respectu ipsorum corrigit ius antiquum, vt sæpè est notatum. Id tamen est intelligendum de illis, qui vere, & validè sunt excommunicati.

Sed posset merito dubitari, an eadem ratio sit de irregulari, quod non possit excommunicare, sicut dictum est de excommunicato, & ratio dubitandi est, quoniam excommunicatio est actus Iurisdictionis exterioris, quæ nascitur tanquàm effectus ex Prælatura, & officio, quo quis fungitur, sed irregularitas priuat hominem Prælatura, vt habetur in cap. 1. de ætat. &

D quali. ordi. & cap. Cum in cunctis §. Inferiora de elect. ergo irregularis non poterit excommunicare.

Accedit, quod suspensus, vt diximus, non potest excommunicare, quia caret iurisdictione cap. Cum dilectus de Consuet, & cap. Cum inter de elect. Sed omnis Irregularis est suspensus, ergo non poterit excommunicare.

Tandem irregularis, qui suis culpis exigentibus non potest ad sacerdotium promoueri, est infamis c. Omnes verò 6. q. 1. sed omnes actus legitimi sunt penitus interdicti infamibus cap. Ad hoc, & ibi Glos. Ver. Testimonium De Testi. cap. Inter dilectos de excess. Prælat. Glos. cap. Inter sollicitudines de Purg. Can. ob hāc causam Irregularis non poterit excommunicare.

E Respondendum est ad hanc difficultatem diuersam esse rationem de irregulari, & excommunicato. Excommunicatus non potest excommunicare, quia excommunicatio per se suspendit vsum iurisdictionis, irregularitas per se non suspendit iurisdictionem, sed vsum ordinis, vt inquit Glos. in citato cap. 1. de ætat. & qualit. ordin. Quare nihil impedit, quominus exerceat suam Iurisdictionem, & excommunicet suos subditos. Per accidens autem contingere potest, vt non liceat Irregulari pronunciare sententiam excommunicationis, nempè si factus sit Irregularis culpa sua, & in

pœnam

pœnam delicti commissi per sententiam Superioris priuetur dignitate, & officio, quod gerit, tunc etiam ex consequenti erit priuatus Iurisdictione, & ità non poterit excommunicare, vel etiam si propter delictum priuetur priuilegio Clericali, vel reddatur infamis; nam Clericus prima tonsura initiatus, si dignitatem, vel officium habeat, poterit excommunicare, Prælatus autem irregularis à suo gradu deiectus non poterit excommunicare.

Quæ contra opposita sunt, dissolui possunt. Ad primum negamus irregularitatem tollere vsum iurisdictionis & tex. in c. 1. De æta. & qua. loquitur de eo, qui propter crimē priuatus est dignitate, & prælatura, qua sublata tollitur iurisdictio, quæ est eius effectus.

Ad secundum dicimus suspensum ab ordine posse excommunicare, & hoc modo irregularis potest dici suspensus. Suspensus verò à iurisdictione non potest excommunicare, quia non potest exercere actum iurisdictionis, c. Quia diuersitatem de concess. præben. Sic autem non omnis irregularis dicitur suspensus, vel dici potest suspensum ab homine non posse excommunicare, irregularis autem dicitur suspensus à iure.

Ad tertium dicendum est infamem peracta pœnitentia culpæ, propter quam infamia notatus est, posse excommunicare; neque omnis irregularis est infamis, si excommunicatus enim ex quadam ignorantia celebrauit impetrata absolutione, non remanet infamis, quia per absolutionem tollitur, vt inquit Glossa c. Omnis vero, & c. Illi qui 6. q. 1. & Glos. in c. 1. 4. q. 1. Immo irregularis, & infamis potest esse Abbas, & præfici Monasterio, necessitate tamen vrgente, vt dicitur in c. Tuam de æta. & qual. & Glos. in Ver. Non ascendat. Et hæc satis ad hoc caput,

CAPVT V.

An Abbatissa, vel Præfecta Monialium habeat potestatem excommunicandi suas sanctimoniales.

TRactatur hæc quæstio communiter ab omnibus Doctoribus sumpta occasione ex vsu, & consuetudine; nam Abbatissæ solent habere aliqualem vsum Clauium in suas Moniales subditas, vt eas possint dignè gubernare. Quare corrigunt eas, puniunt, & ita loquitur S. Tho. in addit. ad 3. par. qu. 19. art. 3. ad 4. Palud. dist. 19. q. 1. art. 2. Sic etiam possunt quædam vota Monialium irritare, & dispensant cum illis in ieiunijs, & quibusdam legibus Ecclesiasticis, dum causa vrget. Si igitur exercent actum iurisdictionis spiritualis extrorsis in Moniales, ergo possunt excommunicare. Et hæc cōsuetudo videtur sacris Canonibus expressè confirmata, etenim in c. Dilecta de Maio. & obed. Honorius Tertius mandat Abbati S. Michaelis, vt cogat quosdam Canonicos & aliquos Clericos subiectos parere præceptis Abbatissæ, quę solebat ab officio, & beneficio suspendere, ergo Summus Pontifex approbat huiusmodi potestatē suspendendi, & supponit esse validam. Quare si Abbatissa potest suspendere, poterit excommunicare. Item in cap. Dilecti de Arbitr. Summus Pontifex affirmat in partibus Gallicanis excellentiores, & nobiliores quasdam fœminas ex consuetudine approbata habere iurisdictionem ordinariam in suos subditos, vbi Glo. notat consuetudinem posse tribuere iurisdictionem fœminæ. Item in cap. Dilecta de excess. Præla. Abbatissa cuiusdam Monasterij vocatur caput, & Patrona Presbyterorum, & Cleric. Sotren. Ecclesię, & vetat Papa, ne dicti Clerici constituant Collegium, nec habeant sigillum, sed sint subiecti ex consuetudine dictæ Abbatissæ, si Abbatissa est Caput Clericorum, &

A habet in illos iurisdictionem, ergo poterit illos punire, & excommunicare.

Confirmatur, quia Clerici Cappellarum subiectarum sunt subiecti ratione Ecclesiarum Prælato illarū Ecclesiarum, & ab illo possunt excommunicari, Abb. c. His quæ de Maio. & obed. n. 1. Quare & Abbatissa, si eidem sint subiecti Clerici ratione suarum Ecclesiarum, poterit excommunicare. Ex his igitur oritur difficultas in hac dubitatione.

Sed tanquam certum, & ab omnibus approbatum in hac quæstione affirmandum est nullam competere auctoritatē Abbatissæ, & Præfectæ Monialium excommunicandi, vel pronunciādi alias censuras in suas Moniales, & multò minus posse hanc iurisdict. conuenire

B alteri fœminæ, quæ non sit Deo dicata, & consecrata.

Probatur primo ea ratione, quæ fundamentum est huius conclusionis, quoniam potestas excommunicandi pertinet ad Claues, vt probatū est, sed fœmina quantumuis insignis virtute, & regia potestate prędita non est capax Clauiū Et quidem de iurisdictione spirituali Clauium in foro interiori pœnitentiæ certum est, & indubitatū, vt docet D. Tho. in Addit. ad 3. par. q. 19. art. 3. ad 4. & in 4. dist. 19. q. 1. art. 3. ad 4. & dist. 25. q. 2. art. 1. quæstiun. 2. ad 1. Palud. dist. 19. q. 2. art. 1. & omnes alii Doct. de iurisd. vero spirituali Clauium in foro exteriori, quæ necessaria est ad ferendam sententiam excommunicationis docet B. Antoni. 3. part. tit. 17. c. 2. & probat per c. Dilecta de Maio. & obed. Nau.

C in Manua. cap. 27. n. 6. Couar. 1. par. in c. Alma Mater §. 11. n. 2. & ratio à priori huius dicti est, quoniam hæc iurisdictio videtur repugnare sexui fœmineo; quia fœmineus sexus naturaliter poscit subiectionis statum, Paulus ad Ephes. c. 5. *Fœmina sit subiecta viro, nec debet dominari in virum* 1. ad Timot. cap. 2. Igitur fœmina non est capax huius iurisdictionis.

Secundo probari potest ex sacris Canonibus ex c. De Monialib. de sent. excom. Vbi dicitur Moniales, si in se ipsas, vel in conuersas, aut Clericos manus iniecerint violentas, non posse absolui ab Abbatissa, sed debere absolui ab Episcopo, Si igitur Abbatissa nequit absoluere ab excommunicatione, ergo multò minus poterit excommunicare, in cap. Noua de Pœnit.

D & remiss. prohibetur, ne Abbatissa benedicat, audiat confessiones, & publicè prædicet, ergo videtur à simili interdictum, nè possit ferre censuras, maximè ex verbis in fine capituli additis; nimirum *quod Beatissima Virgo licet dignior, & excell. nitor fuerit vniuersis Apostolis, non tamen il i, sed istis Dominus Claues Regni Cælorum commisit.*

Tertiò Mulier est incapax ordinis, vt in disputatione de Sacramēto ordinis tractant Doctores. Potestas autem excommunicandi requirit ordinem, vel saltem dispositionem ad ordines, scilicet primam tonsuram, vt probaui in lib. 1. disp. 3. c. 2. ergo hanc potestatem non possunt habere Mulieres.

E Postremo iure ciuili fœminæ ineptæ censentur, vt possint iudicare, & arceantur ab omnibus officiis publicis l. 2. ff. de reg. iur. Quare multo æquius videtur, vt non possint ferre sententiam excommunicationis, quę est omnium pœnarum grauissima.

In hac sententia conueniunt vltra Doct. citatos Io. Roffen. in ar. 13. contra Lutherū, Alphon. à Castro contra Hæreses V. Absolutio, Silue. excomm. 1. §. 6. & V. Abbatissa §. 2. & 3. Abb. in c. Dilecta n. 3. De maio. & Obed. & in c. Noua n. 1. de pœn. & remiss. Philip. Dec. in Reg. 1. de Reg. iur. n. 39. latè Victoria in 2. Relect. De Potest. Ecclesiæ q. 2. num. 3. & seq.

Ff Verùm

Verùm posset quis obijcere contra hãc Conclusionem, Nam potissima ratio, qua innititur hæc sentẽtia tanquam fundamento, non videtur concludere, quoniam qui habet iurisdictionem ecclesiasticam, etiamsi non habeat claues, potest excommunicare, vt videtur dicere B. Tho. 4. sent. dist. 18. q. 2. ar. 2. quæstiunc. 2. Et laicus potest excommunicare ex priuilegio Papæ, vt inquit Glo. in cap. Præter Ver. Duci 32. dist. Vbi Gregorius scribit cuidam Duci, vt Simoniacos scienter, & fornicarios prohibeat à sacris ministerijs. Quamobrem, etiamsi Abbatissa non possit recipere ordines, nec habeat propriè vsum Clauium, cum tamen iurisdictionem quandam ecclesiasticam in suas Sanctimoniales exerceat, non est existimanda omninò incapax huius potestatis spiritualis, vt non valeat excommunicare, quando res postulat, suas subditas.

Propter hanc rationem Palud. in 4. dist. 19. q. 2. art. 1. Sot. dist. 20. q. 1. art. 4. Nauar. in Coment. in cap. Nouit De Indi. Notab. 3. num. 143. & in conf. 1. De Sent. Excom. intelligunt hanc sententiam, quod Abbatissa non possit excommunicare potestate accepta ab ipso Iure communi, aut ex generali consuetudine, & more communi, asserunt tamen Papam posse facultatem excommunicandi committere Abbatissæ ex plenitudine potestatis, sicut potest illam delegare mero laico, vt inquit Glo. in illo cap. Præter, & in cap. 2. De Iudi. quia hoc non est contra Ius diuinum, sicut quod fœmina possit ordinari, aut habeat potestatem spiritualis iurisdictionis in foro exteriori, sed repugnat Iuri positiuo, in quo Papa potest dispensare, tamen secundũ communem legem, & vsum generalem talis potestas non põt committi fœminæ, sicut neque laico cap. Benè quidem 96. dist. & dicto cap. 2. De Iudi. Nec potest concedi ab Episcopo, sed solùm à Papa, qui habet plenitudinem potestatis, vt inquit Glo. in dicto cap. Præter Ver. Duci, & in cap. Menuam Ver. Arbitrio 2. q. 5. sicut Regina interdum ex priuilegio Papæ habet Ius præsentandi ad beneficia etiam curata, & Episcopatus, Ita etiam ex eodem priuilegio aliquæ Abbatissæ habent, vt facta per illas nominatione Sacerdotis Papa eo ipso conferat Ius in beneficio etiam curato, vel ad audiendas aliorum Confessiones, eodem modo ex priuilegio habere possunt, vt valeant Clericos sibi subditos suspendere ab officio, & priuare beneficio, vt inquit Dom. Sot. in illo art. 4. Glo. in cap. Dilecta Ver. Iurisdictioni De Maio. & Obed.

Verùm hic vsus Clauium in Abbatissa non arguit in ea esse Claues, scilicet potestatem spiritualem, sed quosdam actus illius, vt dũ Papa cõmittit Sacerdoti, vt conferat sacramentum Confirmationis, non dat ei permanentem potestatem Episcopi, sed vt quendam illius potestatis actum exercere valeat.

Respondeamus ad ea, quæ difficultatem afferebant initio capitis proposita. Ad primum, Abbatissæ in Monasterijs Sanctimonialium promulgant statuta, & præcepta ad modum Episcoporum, Errantes Moniales corrigunt, puniunt, ergo habent iurisdictionem spiritualem coactiuam, quare poterũt excommunicare.

Respondendum est, quod Abbatissæ nullam habent potestatem, aut iurisdictionem spiritualem in suas Virgines, quia vt inquit Victoria loco citato, periculosum esset committere salutem spiritualem animarum fœminæ, quæ ex conditione sexus minimè idonea videtur, vt iudicare valeat, quid expediat animarum incolumitati, Tamen auctoritate sui officij, quia regunt, & gubernant alias, competit illis aliqualis iurisdictio similis vsui Clauium ad rectam Monasterij gubernationem, vt possint ferre præcepta, punire inobedientes, & similia exercere iuxta morem Episcoporum, Idq; eis sapientissimè concessum videtur ad euitandam euidentem periculi occasionem, quod probabiliter immineret, si Prælatus cohabitaret intra fœminarum claustra, Vel cogeretur frequenter cum illis versari ad eas per se ipsum immediatè regendas, satius visum fuit, vt gubernaret per Abbatissam, Sic Debora dono prophetiæ dotata Iudic. 4. gubernabat Populum, sic Regina gubernat temporale Regnum, & fert leges.

Hinc sequitur Abbatissam non posse aliquid mandare suis Sanctimonialibus in forma præcepti, scilicet in virtute sanctæ obedientiæ, & licet hoc modo præcipiat, præceptum tamen non obligat, sicut obligaret præceptum Episcopi, aut Prouincialis, vel Prioris, Hæc enim potestas non est commissa Abbatissæ, quia requirit scientiam, & doctrinam, vt intelligat, quando res postulet huiusmodi obligationem, & quando quis sit transgressus præceptum, sed hac eruditione fœmina regulariter caret.

Sed dices ergo Moniales non tenentur parere Abbatissæ præcipienti.

Respondeo, tenentur, sed non ob eam causam, quod Abbatissa habeat spiritualem iurisdictionem Iure cõmuni auctoritate sui officij imponendi hanc obligationem, nisi ex priuilegio speciali Papæ fuerit illi delegata, sed tenentur obedire, primò quia in ipsa professione Iureiurando se obstrinxerunt ad Regulam seruãdam. In ipsa verò Regula continetur, vt omnes debeant esse obedientes Abbatissæ, secundò debent obedire Abbatissæ, quoniam est Superior, & tanquam à Mater ipsarum, sicut filij debent parere magistris, & Parentibus.

Ad argumentum desumptum ex sacris Canonibus dicendum est ad cap. Dilecta De Maio. & Obed. Vbi Summus Pontifex videtur approbare suspensiones, quas Abbatissa pronunciare solebat in Clericos sibi subiectos, Respondet ibi Abb. quod illa suspensio non erat vera Censura. & patet, quoniam in tex. Papa asserit Abbatissam illam non potuisse excommunicare, igitur neq; propriè poterat suspẽdere, æqualem enim iurisdictionem requirit, sed erat quædam prohibitio, & priuatio, quæ generali nomine appellatur suspensio. Et quia talis suspensio non erat vera Censura, igitur Papa mandat Episcopo, vt Clericos, qui contemnebant suspensionem Abbatissæ, compellat per censuras ecclesiasticas salutaria monita, & mandata illius obseruare.

Ad cap. Dilecti De Arbitr. Vbi mentio habetur de Iurisdictione, quam habent in Gallia quædam fœminæ in suos subditos, Aliqui respondent interpretando illud cap. de iurisdictione temporali, quæ non repugnat fœminæ, quod si intelligamus tex. de Iurisdictione spirituali, quoniam loquitur de potestate, quam habet fœmina in Clericos, quæ non potest esse temporalis, possumus respondere, sicut ibi respondet Abb. esse id accipiendum de iurisdictione, quam potest habere foemina ex speciali priuilegio Papæ, quæ tamen iurisdictio non est tanta, vt sufficiat ad censuras ferendas, Et eodem modo respondendum est ad cap. Dilecta De Excess. Prælat. Vbi Abbatissa vocatur caput Clericorum, & Presbyterorum, Hanc enim potestatem non habet vt Abbatissa iure communi, sed recipit à Papa ex speciali priuilegio. Nec plura de hoc capite Quinto.

CA-

CAPVT VI.

Cui possit validè delegari potestas excommunicandi, & quæ conditiones sint necessariæ in ipso Delegante & Delegato.

POtestas excommunicandi, seu ferendi alias censuras, vt dicebam in 1. Cap. huius Disput. duobus modis potest alicui conuenire; vno modo iure ordinario pendens ex dignitate, vel officio. De qua iurisdict. hactenus tractatū est, & visum est, qui sint illi, qui hac ordinaria potestate funguntur, vt possint excommunicare, & Censuras ferre & qui careant hac iurisdictione. Alio modo cōpetit hęc potestas ex delegatione & commissione superioris, de qua nunc tractandum est, & discutiendum, qui sint capaces huius iurisdictionis, & quæ conditiones ad illam requirantur.

Hanc enim iurisdictionem posse alteri committi patet clarissimè tum ex natura huius iurisd. quæ est communicabilis, sicut etiam iurisdictio spiritualis fori pœnitentialis, tum ex vsu communi Eccles. vt colligitur ex c. 1. & c. Præterea de off. deleg. & ex aliis locis.

Sed requiritur ex parte delegantis, vt delegatio sit valida, vt qui delegat, habeat potestatem delegandi, hoc enim ante omnia supponi debet; nō enim sufficit, vt quis habeat hanc iurisdictionem ferendi excommunicationem, sed vt habeat eo modo, vt possit alteri cōmunicare, & non sit impeditus, quin actū exercere valeat, vt saltem delegatio teneat. Vnde si delegās esset excom. vel suspensus, Delegatus nullam acciperet iurisdictionem. Ille autem habet potestatem concedendi hanc delegatam iurisdictionē, qui illam habet iure cōmuni tanquam Ordinarius Iudex, ratione officii & dignitatis, qua fungitur; nam hoc munus delegandi est quidā vsus iurisdict. ordinariæ, vt docent Doct. l. More ff. de Iurisd. omn. Iudi. quare Abb. in c. Cum Berthol. n. 5. de sent. & re iudi. asserit quemlibet ordinariū posse delegare pro sua iurisd. l. vni. C. Qui pro sua Iurisd. c. Vt litigantes de off. ord. lib. 6. c. Si quis contra Cler. de foro compet. Qui verò non est ordinarius non pōt iurisdict. suam delegare, nisi talis facultas ei cōueniat ex singulari quadam ratione, & priuilegio, sicut est de delegato Papæ, vt dicitur in dicto c. Cum Berthold. & eadē est ratio de Delegato Principis, vt inquit ibi Abbas ex c. Pastoral. de off. deleg. Duobus autem modis delegatus Papæ potest delegare, vt inquit Glos. in c. Si is cui de off. deleg. lib. 6. Vel in totum nullam sibi iurisdictionis partem reseruando, vel ex parte reseruando sibi sententiam aut executionem. In primo casu nō potest reuocare subdelegationem, nisi re existente integra, tunc etiam si contingat, vt reus appellet, debet appellare ad Papam, & non ad ipsum Subdelegantē, In secundo potest commissionem suam reuocare etiā re non integra, & appellatio est interponenda ad ipsū Subdelegantem, & non ad Papam, nisi in duobus casibus expressis in illo c. Si is cui, scilicet quando Delegatus est excommunicatus, aut mortuus.

Neque solum requiritur in Delegante potestas ad delegandum, sed etiam voluntas, vt velit iurisdictionē concedere, est enim actus voluntarius, qui spontè exercetur, & reuocari potest, licèt sine iusta causa, vel consensu ipsius delegati id fieri non possit. Vt igitur validè, & legitimè delegetur alteri potestas, vt possit excommunicare, & ferre alias censuras, necesse est, vt ipse delegās habeat potestatem committendi alteri hāc iurisdictionem, idest vt ipse iure ordinario ratione officij, quod erit, possit excommunicare, deinde vt velit hanc iurisdictionem alteri committere.

Hinc fit, cum hæc iurisdictio excommunicandi in ip-
A so Delegato non proueniat ex officio, & dignitate aliqua, sicut in ipso Delegante, sed ex mera voluntate ipsius Delegantis, vt non possint agnosci certæ personæ, quibus hæc iurisdictio delegata conueniat, sed solum possint describi quadam conditiones, quæ necessariæ sunt in eo, cui talis potestas est committenda, vt verè sit capax illius. Quę conditiones requiruntur etiam in illo, qui iure ordinario potestatem excommunicandi exercere debet, sed eo ipso, quod admittitur ad officium, & dignitatem, supponitur illas habere.

Itaq. necesse est primò, vt sit homo viator, cui talis iurisd. delegatur; quare neq. Angelus, neq. Beatus est capax huius iurisdictionis, quia Christus institutione sua noluit Angelos etiam bonos esse capaces Clauiū,
B ordinis, aut iurisd. B. Tho. 3. par. q. 64. art. 7. Neq. etiā Beatum, cum sit extra viam. Et videtur satis conueniens, vt Ecclesia militans, & visibilis gubernari debeat per ministros in ea militantes, & visibiles. Primò igitur necesse est, vt sit homo viator ille, qui validè vult excommunicare, vel alias censuras ferre; non opus est autem, vt viuat Iudex excommunicans, quando excommunicatio consequitur effectum, & afficit ipsum contumacem, vt probabo suo loco.

Non possumus tamen negare, si certò cōstaret Angelū bonum aliquem excommunicasse, illam excommunicationem esse validam, & parere effectus veræ, & validæ excom. quoniam S. Tho. in 3. par. q. 64. art. 7. & in 4. dist. 5. q. 2. art. 2. quæstiun. 4. cui adhærent Sot. Ca-
C iet. & alii, affirmat Baptismum collatum à bono Angelo in assumpto corpore valere, & esse verum baptismū, quamuis Christus potestatem conferendi sacramenta solis hominibus communicauerit. Similiter Templum per Angelum consecratum esse vere consecratū, & non esse reconsecrandum, quamuis potestas consecrandi sit concessa solis Episc. quia existimandum esset Angelum talia non fuisse operatum, nisi potestate sibi à Deo concessa. Idem affirmat Silue. V. Baptism. 3. §. 3. Et eodem modo loquitur ex sententia Aureoli de Anima beata non habere potestatē administrandi sacramenta, si tamen administraret; factum tenere. Diuersa tamen ratio esset de Angelo malo, vt inquit S. Tho. vbi supra, semper enim suspicandum esset probabiliter, nè
D quidquid ageret, praua, & corrupta intentione operaretur ad decipiendum nos, semper enim incumbit in nostram perniciem. Et in hoc dicto conueniunt etiam alij Doct. Tabien. Baptismus 6. §. 4. Ang. Baptismus 5. prine. Archid in c. Propriè de consecr. dist. 4.

Quamobrem eodē modo, & validiori ratione idem videtur affirmandū de potestate excom. quia licèt nō sit concessa Angelis, nec Beatis, sed hominibus viatoribus, si tamē constaret de excom. lata à bono Angelo in aliquē, habēda esset valida, & ille verè esset excom. quoniā credendum esset Angelum non pronunciasse excom. propria voluntate, sed facultate accepta à Deo. Sicut etiam legimus Angelos aliquando ministrasse sa-
E cramentum Euchar. Sozom. lib. 6. Histo cap. 29. refert brachiū Angelicū ministrasse Eucha. B Marco Erem. Hoc idē refert de B. Cather. de Senis B. Antoni. 3. par. Hist. tit. 23. c. 14. §. 8. Non tamen Angelus conficit sacramentū Euchar. nec pōt conficere, quod admiratur S. Chriso. lib. 3. De Sacerd. Et hæc de prima cōditione.

Secunda conditio necessaria est. vt habeat vsum rationis, qui est recepturus hanc iurisdict. excommunicandi; qui enim caret vsu rationis, non pōt iudicium ferre, nec sententiam pronunciare; nam vt dicitur in c. Indecorum de Aeta. & Qualit. *Qui non valent se ipsos regere, quo pacto alios rectè gubernare poterunt?* Maximè

cum excommunicatio sit grauissima pœna, & indigeat, vt legitimè pronuncietur prudentia, & scientia. Quare non debet committi hæc potestas Carenti vsu rationis, siue sit talis ex aliquo vitio superueniente, vt est Amens, Stultus, Mentecaptus, siue defectu ætatis, vt puer. Idque probari potest l. Cum Prætor ff. de Iudi. Vbi vniuersaliter statuitur, non omnes dari posse Iudices ab ijs, qui Iudicis dandi ius habent, & sigillatim enumerantur illi, qui ferendo iudicio incapaces iudicantur, & inter alios recensentur Furiosi, & Impubes, quia iudicio carent, idest discretione, vt interpretatur Glos. ex §. Præterea inst. quib. non est permiss. fac. Test.

Requiritur autem, vt is, cui committitur potestas excommunicandi, sit mentis compos quantum ad vsũ huius potestatis, vt possit validè, & legitimè illã exercere, secus enim non esset actio humana, sed quantum ad potentiam remanet hæc potestas delegata in eo, cui à superiore esset demandata, si tunc habebat rationis vsum, & idcirco capax erat, & idoneus ad illam recipiẽdam, quamuis postea in amentiam, vel furiam incidisset, & si liber remaneret à furia, & cessaret amẽtia, validè fungi posset officio Delegati.

Si quis quærat, An sicut hæc potestas superueniente defectu vsus rationis non expirat, sed conseruatur in illo cui ab initio fuit collata, ita quoque pari ratione posset delegari carenti vsu rationis, vt in illo persistat, & possit eã exercere, quando ad vsum rationis peruenerit, puta an possit concedi puero ante annos iudicij, & discretionis, vt ea vtatur postea factus adultus.

Aliqui censent non posse concedi hanc potestatem illi, qui caret vsu rationis ob eam rationem; quoniam requiritur consensus, & voluntas illius, cui communicatur hæc iurisdictio, vt velit illam recipere, quæ voluntas deest in Amente, vel puero, ideo talis commissio non erit valida.

Sed ego oppositum existimo probabilius, licèt enim sine scandalo, & graui peccato id fieri non possit, nec debeat, factum tamen teneret, & potestas hæc communicaretur, & si enim puer non sit idoneus tunc temporis ad ea officia, quę conuenirent huic iurisdictioni, tamen adueniente ætate cum iudicio redderetur aptus. Et probari potest ex c. Ex ratione de æta. & quali. Vbi Summus Pont. non declarat irritas collationes Ecclesiarum factas pueris à quodam Episcopo, sed iubet administrationes dictarum Ecclesiarum Clericis idoneis committi, donec prædicti pueri ad congruam peruenerint ætatem. Nec apparet vlla ratio, cur talis delegatio ipso Iure sit irrita, licèt irritari possit, Consensus enim in Delegato, vt velit recipere Delegationem, non est necessarius tunc, quando à Delegante committitur, sed antequam exerceat actum iurisdictionis. Quare satis est, vt puer Delegatus, cum peruenit ad legitimam ætatem, & vult exercere officium suum, tunc habeat vsum rationis, & sit præditus iudicio, vt munus ei commissum gerere valeat.

Tertia conditio necessaria est, vt ille, cui committitur hæc iurisdictio, sit baptizatus; quare Infidelis non est capax huius potestatis. Et hæc conditio probatur euidenter ex ijs, quæ diximus; nam si potestas excommunicandi est potestas spiritualis pertinens ad iurisdictionem ecclesiasticam fori exterioris, quæ pendet ex potestate Clauium, sequitur non posse conuenire homini non baptizato, qui nullo modo potest habere Claues.

Deinde qui exercere debet potestatem excommunicandi, aliquo ordine debet esse initiatus, saltem prima tonsura; vt statim dicam, sed ordines non suscipiun-

A tur ante baptismum, qui est ianua omnium sacramentorum cap. 1. & 3. De Presby. non baptiz. mini. igitur qui non est baptizatus, non est idoneus ad hanc potestatem recipiendam.

Demum Baptismus exigitur ante omnes functiones spirituales, & ecclesiasticas, ergo multo magis ad potestatem excommunicandi, quæ præcipua est in Ecclesia, & conuenit tantùm Episcopis, & Prælatis Ecclesiæ ad optimum regimen subditorum, & indignum esset, atq; alienum ab omni ratione, & repugnans omni ordini, vt qui per baptismum non est membrum Ecclesiæ, haberet potestatem separandi ipsa membra ab vnione, & corpore Ecclesiæ.

Si postulet aliquis, an ita necessarius sit baptismus B in eo, cui hæc iurisdictio spiritualis demandatur, vt non possit Papa etiam de potestate absoluta eam delegare Infideli non baptizato.

Respondeo, Cum infidelis non baptizatus nõ sit incapax huius iurisdictionis spiritualis iure diuino, sed tantũ humano, non existimarem omninò improbabile asserere Papam posse hanc iurisdict. delegare nõ baptizato; quãuis nulla appareat ratio, cur id fieri debeat, & sit contra perpetuũ vsum, & consuetudinẽ ecclesiæ.

Huius verò dicti illa afferri potest ratio, quia delegatus operatur auctoritate Delegantis, cuius personã representat, non proprio nomine, vt dicitur in c. Valdè dist. 94. Vnde illemet operatur, qui cõmisit. Quare si Papa committeret infideli potestatem excommuni- C candi, ipse excõmunicaret c. Sane de off. del. C. Vbi, & apud quem restitutio peti debeat l. 3. C. de iudic. l. vlt.

Accedit, quod infidelis potest conferre baptismum, ita vt valeat, si illum administret, & tamen hæc iurisdictio administrandi sacramenta competit tantum Parocho respectu suorum subditorum c. Interdicimus 26. q. 1. Si igitur infidelis non est incapax iure diuino iurisdictionis necessariæ ad administranda sacramenta cap. A quodam Iudæo de Consecr. dist. 4. quod maius est, neque erit incapax iure diuino iurisdictionis, quæ requiritur ad cognoscendas causas spirituales, & proferendam sententiam excommunicationis.

Quarta conditio requiritur, vt sit Vir, non foemina. De hac iam diximus.

D Quinta conditio requisita est, vt hæc iurisdictio cõmittatur Clerico, qui solus iure cõmuni positiuo, & solito more, atq; vsu Eccles. est capax huius potestatis.

Hæc cõditio desumitur ex iure pluribus in locis ex c. 2. de Iudi. Vbi prohibentur laici generaliter tractare negocia ecclesiastica. Idem confirmatur c. Cum laicis de reb. eccl. non alien. c. Contingit de Arbitr. c. Ecclesia de constit. & in specie de potestate excommunicandi statuitur in c. Benè quidem dist. 96. *Non licere laico anathema dicere*, & confirmatur in c. Duo, & c. Si Imperator ead. dist. & ex multis aliis iuribus, quæ referuntur à Couar. 1. part. in c. Alma Mater §. 11. n. 3. & ad id probandum vtitur etiam Couar. hac ratione, laicus non potest constitui Vic. Episc. c. Innoua 16. q. E 7. Igitur non potest tractare negocia ecclesiast. & spir. Dec. c. Decernimus n. 15. Feli. n. 6. de Iud. ergo non põt habere iurisd. ad excommunicãdum, vt ibid. Abb. n. 5.

Tandem in hac conditione conueniũt omnes Doct. Theologi, & Canonistæ, B. Tho. in 4. dist. 19. q. 1. art. 2. quæstiun. 1. & in Addit. q. 22. ar. Ricc. dist. 18. ar. 4. q. 3. Sot. dist. 22. q. 2. art. 1. Silue. Excommunicatio 1. §. 6. Et ad eandem conditionem comprobandam legenda sunt, quæ dixi in c. 2. Disp. 3. lib. 1. Ob hanc rationem multò minus licitum erit laicis inire contractũ adiecta clausula, vt, nisi conuenta intra constitutum diem

adim-

adimpleuerint, susceptioni censurarum consentiant, quia excommunicatio ferri nō potest in aliquem sine iurisdictione ecclesiastica c. L. & G. de off. deleg. etiam si Contrahentes sint Clerici, & Notarius sit persona ecclesiastica, quia Notarius non est Iudex, nec vllam habet iurisdictionem, arg. l. Priuatorum C. de iurisd. omn. Iudi. Vnde nec in Vrbe obligatio Cam. cū huiusmodi excommunicatione conditionali celebrari potest coram solo Notario, vt Gallesi. in libell. formul. oblig. Cam. 2. par. ad 3. particul. q. 3. n. 12. tradit.

Sed ad clariorem intelligentiam huius conditionis nonnulla quæri possunt, quæ indigent explicatione.

Et primò posset quis postulare, Postquam laicus nō est capax huius iurisdictionis, sed debet esse Clericus, an necesse sit, vt in Presbyteratus ordine sit constitutus, vel saltem sacris initiatus, an verò sufficiat, vt sit simplex Clericus per solam primam Tonsuram.

Respondendum est, vt insinuaui in illa Disp. 3. c. 2. hanc iurisdictionem posse committi ei, qui non sit sacerdos, nec sacris initiatus, nec habeat vllum ordinē minorem, dummodò sit Clericus prima tonsura insignitus. Vnde Vic. Episc. cum sola prima tonsura potest excom. Ad hunc modum sentiunt omnes citati Doct.

Ratio est, quoniam hæc potestas est actus iurisdictionis, non ordinis, nec pertinet ad iurisdictionē spiritualem in foro pœnitentiæ, sed fori contentiosi, quæ non indiget Charactere, quare B. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 2. ait *Quamuis ille qui non est sacerdos, non possit ligare, & soluere in foro interiori, potest tamen exercere iurisdictionem in foro contentioso, & ideo potest censuras ferre* Et colligitur idem ex c. Transmissam de elect. Vbi Summus Pontifex asserit per confirmationem electionis conferri Episcopo electo, non consecrato potestatem exercendi ea, quæ sunt iurisdictionis, non ordinis, & ibi Glos. Ver. De talibus ponit exemplum, nempè *Vt possit iudicare, excommunicare, &c* Confirmat Abb. num. 2. & alij Doctores.

Secundò si necessarius esset ad hanc potestatē exercēdam aliquis ordo aut ille requireretur iure diuino, vel humano. Non diuino, quia non est actus ordinis, vt dictum est, neque humano, quia sacri Canones exigūt solum Clericatum, vt is, cui communicatur talis potestas, non sit laicus, vt dicitur. c. In noua 16. q. 7. Glo. in c. Benè V. Præter dist. 96. Vbi negat laicum ex delegatione Episcopi posse causas spirituales tractare, aut excommunicare. Quare subiungit, *Nihil faciunt qui per pueros excommunicant, & seruientes*, & in dicto cap. Transmissam.

Si quis opponat eandem Glos. in d. c. Bene V. Prçter in fi. Vbi dubitat, an clerici ecclesiastico cultui emancipati ex c. Duo sunt 12. q. 1. possint excommunicare, & respondet non posse, nisi sint Presbyteri, & ex c. Canonica de sent. excom.

Respondeo primo, quod ipsamet Glos. in dicto cap. Canonica Ver. Presbyter, *Nisi esset Presbyter, non concederetur de facili hoc officium, vel saltem Clericus*, Igitur censet posse sufficere Clericatum. Deinde c. Canonica non loquitur de excommunicatione, sed de absolutione ab excommunicatione, quæ, an demandari possit simplici Clerico, vel requirat Presbyteratum, disputabitur in proprio loco.

Secundò posset quis quærere, An simplex Clericus, si coniugatus sit, idoneus, & capax iudicetur huius iurisdictionis.

Respondent omnes Clericum coniugatum non esse capacem administrationis Ecclesiasticæ, & idcirco nō posse ei delegari iurisdictionem ad excom. Probant ex c. 1. de Cler. coniug. lib. 6. Vbi statutum est Clericos coniugatos, qui cum vnicis, & Virginibus contraxerunt, si deferant Tonsuram, & vestes, duobus priuilegiis Clericalibus, scilicet Canonis, & Fori gaudere. In cęteris autem nullum priuilegium Clericorum eis cōpetere; quare inquit *Coniugatus Clericus tantum habet ista duo priuilegia, scilicet Canonis si quis suadente, & fori. Ne possit conueniri coram Iudice seculari, omnibus alijs est priuatus*: Igitur non gaudet hoc priuilegio, quod proprium est Clericorum, vt causæ ecclesiasticæ, & spirituales eis committi possint. Idem probat Abb. & alij ex c. Sanè 1. extra eod. tit. Vbi Clericus coniugatus iudicatur minimè idoneus ad administrationem ecclesiasticam, aut ordinem, vel beneficium, inde infert Abb. non posse constitui Vicarium ab Episcopo.

Hoc idem sentit de Religioso, qui non sit Clericus, Victoria in 2. Relect. q. 2. n. 4. de potest. Ecclesiæ.

Tertio quærat aliquis, an ita requiratur Clericatus in eo, qui debet exercere potestatem excom. & ferendi alias censuras, vt nullo modo possit delegari laico, etsi id fiat, talis delegatio sit nulla, & quod factū erit ab ipso delegato virtute delegationis, sit irritum, & nullū.

Mouet hanc dubitationem Glo. c. Præter Ver. Duci dist. 32. & respondet, quod licèt in c. Decernimus de iud. vetitū sit Prælatis, nè causas spirituales committāt laicis, quia de rebus spiritualibus iudicare non possunt; tamen Papa, qui fungitur plenitudine potestatis, pōt hanc administrationem eis committere, & delegare potestatem excōmunicandi multo magis, quàm fœminæ, de qua dixi cap. præcedenti.

Hoc idem deducit Glo. in dicto c. Benè Ver. Præter Rom. Pont. dist. 96. ex illo tex. Vbi asserit Papam posse committere laico quamlibet causam ecclesiasticam, arg. c. Mulier 23. dist. c. Valdè 94. dist. & c. qui Episcopus 5. qu. 3. Sed hoc ius non inest Episcopo, quare laicus non potest ex delegatione Episcopi, inquit Glos. causas spirituales tractare, nec excōmunicare, sed Episcopus poterit solum committere laico causam ciuilē, & ita inquit intelligendum esse c. In nona 16. q. vlt.

Ratio verò huius dicti illa assignari pōt, quia hæc qualitas Clericatus in delegato ad cognitionē causarum spiritualium, & ad potestatem excommunicandi requiritur iure humano sacrorum Canonum, quorum auctor est Papa, idcirco ipse solus potest dispensare in huiusmodi lege, quando ita iudicat opportunum. Episcopus non potest, quia inferior non dispensat in lege Superioris. Ad hunc modum etiam sentiunt Nauar. in Manua. c. 27. num. 6. Couar in illo nu. 3. §. 11. & etiam antiquiores, quos citaui supra initio explicationis huius quintæ conditionis.

Quarto adhuc vrgere posset aliquis, an ex antiqua consuetudine legitimo tēpore præscripta sine vlla interpellatione possit laicus acquirere sibi hoc ius, vt habeat iurisdictionē administrandi res ecclesiasticas, & ferendi censuras; si enim hæc prohibitio oritur tantum ex iure positiuo, cum consuetudo præscripta possit derogare iuri positiuo, & illud tollere, ergo poterit conferre hanc potestatem laico, quæ iure cōmuni ei denegatur, nam consuetudo potest etiam induci cōtra Canones, vt inquit Abb. in c. Cum tanto n. 8. de consuet.

Abb. in dicto c. Cum tanto n. 15. tenet ius spirituale non posse acquiri à laico nec præscriptione, nec consuetudine argum. cap. Causam de Præscript. & cap. Massana, & c. Sacrosancta de elect. Præscriptio dicitur ius formatum, & completū, Consuetudo est mediū disponens ad præscriptionem, vt inquit Abbas num. 7. Reddit rationem Abb. Quare hoc ius spirituale non

possit acquiri par laicum, & ratio est quia consuetudine acquiritur Ius ad illas res, quæ alias præscribi possunt, laicus autem non est capax Iuris spiritualis, igitur illud ex consuetudine acquirere non potest. Et tũc solùm, inquit Abbas consuetudo posset laico suffragari circa spiritualia, si Papa sciens hanc consuetudinem induci, non contradiceret, qui potest facere laicos capaces ad huiusmodi iura spiritualia, sed addit fortasse etiam talem consuetudinem induci non posse, quia nnn videtur rationabilis, & ratio est quasi causa formalis ipsius consuetudinis, sicut etiam legis, forma autem dat esse rei c. Quia propter de elect.

Idem tenet Nauar. in Manua. cap. 27. num. 7. ex sententia Rosellæ, & Ang.

Quintò quærere quis posset, si committatur hæc iurisdictio non singulari personæ, sed Congregationi, aut Collegio, quod fieri potest, si enim penes Congregationem, & Collegium potest residere potestas ordinaria ferendi censuras, vt probaui in primo cap. ergo multò magis eidem hæc iurisdictio poterit delegari, si ergo sit Collegium constans ex Clericis, & laicis, an sit capax huius iurisdictionis.

Respondeo in tali casu videndum esse, an tale Collegium dici possit ecclesiasticum, vel seculare, si enim erit ecclesiasticum, existimandum erit capax huius iurisdictionis, si seculare, minime.

Ad diudicandum verò, An Collegium sit ecclesiasticum, vel seculare assignat Reg. Abb. in c. Ex literis nu. 3. de Const. Si plures sunt Clerici, ex quibus conflatur Collegium, quàm laici, erit ecclesiasticum, si laici plures, erit seculare, & quando essent pares est dicendum ecclesiasticum, quia magis dignum trahit ad se minus dignum c. Quod in dubijs de Consecr. Eccl. & Alt. Idem ait Abb. in c. Cum super n. 11. De off. deleg. Si fiat aliquid à Collegio, in quo sint habiles, & inhabiles, id, quod gestum est, tenet ratione habilium. Quæ regula vera est generaliter, fallit tamen in quibusdam casibus, quia ita dispositum fuit ab ipsa lege vt si Collegium scienter admitteret excommunicatum, actus esset inualidus in odium ipsius excommunicati c. fin. de Procur. Sed si ignoranter admitteretur Canonicus excommunicatus ad Capitulũ, valeret actus ratione Canonic. habilium c. Illa de elect. de qua difficultate dictum est supra lib. 2. c. 2. Disp. 5. Hucusq; satis sit de quinta conditione in delegato ad censuras ferendas.

Sexta cõditio est, vt eo tempore, quo delegatus incipit operari virtute delegationis, & cognoscere causam, iurisdictio principalis duret in delegante. Quare si antequam causa fuerit inchoata à Delegato, cesset iurisdictio in delegante, vel per obitum ipsius, vel per remotionem ab officio, siue ex quouis alio capite, eo ipso delegatus amittit iurisdictionem, & ratio est, quoniam iurisdictio delegati pendet non solum in fieri à delegante, sed etiam in conseruari, quoniam operatur nomine delegantis. Quare sublata iurisdictione à delegante, expirat etiam in delegato, si res integra sit, vel ratio esse potest, quam assignat Abb. in c. Relatum num. 8. De off. deleg. Quia per actum delegationis non transfertur efficaciter iurisdictio in Delegatum, Vnde qui delegauit, potest commissionem reuocare re integra c. Quamuis de off. deleg. lib. 6. Igitur cum iurisdictio re integra sit re vera penes delegantem, & per mortem ipsius extinguatur sua iurisdictio, ex consequenti extinguitur potestas delegata, quia extincto iure Auctoris, extinguitur ius successoris. sed quando delegatus cœpit exercere iurisdictionẽ ante mortẽ delegantis, iurisdictio iã est radicata in persona ipsius delegati, ideo morte delegantis nõ extinguitur.

Et est commune dictum, in quo conueniunt omnes, & desumitur ex c. Relatum, vbi Abb. n. 7. & in c. Gratum nu. 10. in c. Licet n. 1. de off. deleg.

Dicitur res integra etiam si delegatus vocauit Notarium, & testes, & promulgauit delegationem sibi factam animo perpetuandi iurisdictionem, & inchoandi iudicium, dummodò non fuerint citatæ partes ad iudicium, vt inquit Abb. in d. c. Licet nu. 4. & probat ex c. vlt. de off. deleg. & ex citato c. Gratum.

De hac conditione nonnulla dubitari possunt. Primum est, an si post delegationem factam excommunicetur delegans, an eo casu delegatus possit vti iurisdictione delegata, & ferre sententiam excommunicationis, vel potius talia iurisdictio maneat suspensa durante excommunicatione delegantis, ratio dubitandi esse potest, quoniã, vt inquit Glo. in citato c. Licet Ver. Quid si excommunicetur, excommunicatio põt comparari morti ciuili. At cum iura dicant mandatũ expirare morte mandantis, sunt intelligenda de morte naturali. Contra verò Glos. in c. Rom. De off. Vic. cum tex. tenet excommunicato Episcopo suspensam remanere iurisdictionem Vicarij, ergo suspenso, vel excommunicato delegante, suspenditur iurisdictio delegati, quia delegatus nihil proprij habet, sed iurisdictio est delegantis c. Sanè de off. deleg. & l. 1. ff. de Off. eius, cui manda. est iurisd.

Abb. in citato c. licet n. 8. refert diuersas responsiones Innoc. Host. & Io. Andr. ad hanc difficultatẽ, ipse verò respondet distinguendo, & conciliat opiniones, aut delegans fuit excommunicatus re integra, atque tunc suspenditur iurisdictio delegati arg. c. Quãuis de off. deleg. Aut res desijt esse integra, quia iudiciũ fuit inchoatum, & tunc non suspenditur iurisdictio per excommunicationem delegantis iuxta tex. in c. Si is cui de off. deleg. Qua in re differt delegatus à Vicario, cuius iurisdictio suspenditur excommunicato Episcopo, etiamsi iudicium inceptum sit ante Episcopi denunciationem, vt dixi in c. 1. & 4. ob eam rationem, quia Episcopi, & Vicarii est vnum, & idem Tribunal, non autem delegantis, & delegati.

Secundo dubitari potest, an, quando iurisdictio spiritualis fuit delegata ad vniuersitatem causarum, iurisdictio expiret morte concedẽtis, ita vt, si delegatus sententiam excommunicationis ferat, illa sit nulla defectu iurisdictionis.

Respondeo ex sententia Abbatis in d. c. licet nu. 7. quod, etiamsi delegatio facta fuerit ad vniuersitatem causarũ, expirat tamen morte concedentis, nam quãuis delegatio ad vniuersitatẽ causarũ in multis æquiparari possit iurisdictioni ordinariæ, vt Glo. & Bart. in l. Si vt i ff. de re iud. tamen non cõueniunt in omnibus, maximè vbi adest diuersa ratio. Ratio verò, cur pereat iurisdictio in delegato, ità militat in particulari delegatione, sicut si facta fuerit ad omnes causas, scilicet quia iurisdictio remanet penes delegantem, & delegatus nihil agit nomine proprio c. Sane de off. deleg. l. 1. ff. de off. eius, cui manda est iurisd.

Excipitur tamen ab hac regula iurisdictio, quæ delegatur iudicibus S. Officii, Iurisdictio enim Inquisitorum Hæreticæ prauitatis non expirat morte Concedentis etiã re integra c. Nè aliqui de Hæret. lib. 6. fauore fidei, ergo cessante fauore fidei expiraret talis iurisdictio. Et tamen Inquisitores in certa Prouincia habent delegatã iurisdictionem ad vniuersitatẽ causarũ, vt notat Io. Andr. in cap. Per hoc de off. deleg. lib. 6. Et hic casus specialis firmat regulam in contrarium.

Tertiò

Tertio dubitatur, quid dicendum, si Iurisdictio hæc A ferendi excommunicationes, & alias censuras fuerit delegata, & re integra moriatur Delegans, sed antequam mors innotescat; Delegatus ferat sententiam excommunicationis, an talis excommunicatio erit valida.


Mortuo Delegante re integra quidquid postea agitur à Delegato virtute Delegationis, etiam probabiliter ignorante obitum Delegantis nullum esse, & inualidum asserit Abb. in cap. Gratum nu. 10. De Off. Deleg. ob eam rationem, quia ignorantia non potest tribuere iurisdictionem nō habenti l. Priuatorum C. De Iurisd. Omn. Iudi. cap. Significasti De Fo. compet. Nec huic sententiæ inquit aduersari tex. in l. Bar- B barius ff. De Off. Præ. Vbi habetur communem errorem litigantium reddere sententiam validam; Nam Innoc. in cap. Cum Dilecta De Rescript. censet legem illam non habere locum in Delegato, vel verius dicendum est secundum communem opinionem, vt probaui secundo lib. in Disp. 2. cap. 2. in casu illius legis non extitisse tantum communem errorem, sed titulum aliquem, emanauerat enim Officium ab Habente potestatem, & perseuerabat iurisdictio ipsius Committentis, qui fungebatur officio, vel vero titulo, vel putatiuo, sed in casu dubitationis difficultas est, quando extincta Iurisdictione manet solus error, qui non potest tribuere iurisdictionem; Quemadmodum C si quis emit rem à Prælato intruso, qui nullum habet titulum à Superiore nec verum, nec putatiuum, quamuis communiter existimetur Prælatus; Contractus non tenet; Nec iste cōmunis error potest aliquid operari, vt in cap. Alienationis, & ibi Archid. 12. q. 2. & Innoc. in cap. Nihil De Elect.

Quarto dubitari potest, An teneat sententia excommunicationis lata à Iudice Delegato post reuocationem commissionis, sed antequam ad eum peruenire potuerit notitia de reuocatione.

Eodem modo videtur respondendum, sicut ad præcedentem dubitationem. Si reuocatio fiat re integra; Quidquid geritur postea à Delegato, nō tenet defectu Iurisdictionis, si verò causa sit inchoata, gesta tenent ob rationem, quam afferebam ex Abbate supra in declaratione huius sextæ conditionis.

Riccard. in dist. 18. art. 4. q. 5. tradit duas responsiones. Prima est affirmando tenere gesta à Delegato, antequam ad eum reuocatio commissionis perueniat, quia adhuc Iurisdictio manet. Secunda responsio est; Aut Delegans reuocans commissionem intendit inualidare, quidquid postea gestum fuerit per Delegatum, & tunc sententia lata à Delegato non erit valida, vel non apponit hanc clausulam, quo casu sententia erit valida.

Septima, & postrema conditio requisita in illo, cui delegatur à Superiore potestas ad excommunicandū, est voluntas, & cōsensus ipsius Recipientis, sicut enim initio dicebam esse necessariam voluntatem dandi iurisdictionem in Delegante; Ità quoque ex altera parte est necessaria voluntas recipiendi in Delegato; Est enim veluti quidam Contractus humanus initus inter Delegantem, & Delegatum. Quare postquam accessit voluntas Delegati, non potest reuocari Delegatio sine iusta causa, aut sine consensu ipsius Delegati, quia mandatum initio est voluntarium, & post receptionem fit necessarium, & ad hunc modum concludamus hoc sextum Caput.



DE CAVSA EFFICIENTE EXCOMMVNICATIONIS, QVAE VOCATVR A IVRE.



TRACTATVM est copiosè de ijs, D quibus conuenit potestas pronunciandi excommunicationem ab homine, & sigillatim dictum est de omnibus, qui ordinaria, vel delegata Iurisdictione possunt excommunicare, & de conditionibus requisitis, vt hæc facultas validè communicetur; Nunc disputandum est de illis, quibus competit hoc Ius promulgandi censuram excommunicationis per legem, & quid in eis sit obseruandum.

DISPVTATIO OCTAVA.

CAPVT I.

Qui possint ferre & promulgare excommunicationes à Iure.

ANte omnia illud tanquam certum est statuendum, quæcunque præcedenti Disputatione diximus de causa efficiente excommunicationis, quæ vocatur ab homine, aptari debere etiam ad excom- E municationem, quæ à Iure dicitur, quoniam per hominem promulgatur, & constituitur, & conditiones necessariæ, vt validè pronuncietur excommunicatio ab homine, requiruntur etiam in excommunicatione à Iure, sed præter eas aliæ etiam sunt necessariæ in illo, qui validè debet promulgare excommunicationem à Iure.

Quamobrem ille tantum homo potest excommunicationem à Iure ferre, qui ipsum Ius, aut Legem

coa-

condere, & statuere potest. Hoc autem requirit non solum potestatem iurisdictionis talem, qualem supra diximus necessariam ad ferendam excommunicationem ab Homine, sed maiorem, & superiorem quandam potestatem iurisdictionis. Hanc verò potestatem Summus Pontifex in Ecclesia habet summam, & supremam à solo Christo immediatè dependentem, eandem vniuersalem potestatem quoad omnes fideles dependenter tamen ab ipso Summo Pontifice retinent Concilia generalia legitimè congregata. Potestatem verò limitatam, & coarctatam recipiunt Legati Papæ regulariter, vt possint exercere in aliquo Regno, aut Prouincia, ad quam mittuntur, quamuis ex priuilegio, & concessione Papæ possint habere vniuersalem. Similiter Episcopi in suis Dioecesibus erga subditos suos. Concilia etiam Prouincialia, & Sinodi nationales possunt ferre Leges sub pœna censurarum, quæ afficiant subiectos, sed potius debent vocari statuta. Eodem modo alij Prælati, qui ex priuilegio, vel consuetudine, aut alio modo gaudent Iurisdictione Episcopali, quos in primo Capite praecedentis Disputationis recensuimus, possunt hanc potestatem exercere in suis Territorijs erga suos subditos, Silue. Excommunicatio 1. §. 5. & 6. & alij Summistæ; Hi enim omnes, vt inquit Sot. in 4. dist. 22. q. 2. art. 1. non solum veluti Iudices per sententias, sed etiam velut Legislatores possunt excommunicationes ferre. Alij verò Inferiores Prælati, etiam si possint ratione suæ potestatis per sententias excommunicare certas personas ob peculiarem contumaciam, & inobedientiam, nequeunt tamen Leges, aut statuta condere; Et propterea neque sub hac forma excommunicare. Possunt tamen Visitatores Dioecesum, & Religionum in ipsa visitatione ordinationes, & edicta sub pœna Excommunicationis, & Censurarum promulgare, & relinquere, vt ab omnibus in futurum obseruari debeant, & hæc vim habebunt, quousque reuocentur.

Ex his infertur necessariò ad excommunicationem ferendam hoc modo concurrere debere omnes conditiones, quæ ad iustam legem condendam necessariæ sunt; De quibus agitur in materia de Legibus, hic supponuntur. Nam si Lex non esset valida, & iusta, nec excommunicatio dicenda esset valida, & iusta.

Immò vltra omnes conditiones requisitas ad iustam Legem, opus est etiam ad validitatem, & iustitiam excommunicationis, vt opus, quod præcipitur, vel prohibetur sub pœna excommunicationis, sit dignum, & conueniens tali pœnæ, fieri enim potest, vt ipsa Lex Lata sit iusta, & rationabilis, tamen materia non sit adeo grauis, vt sub tam acri pœna præcipi, vel prohiberi debuerit; Nam Lex pœnalis non tantum debet seruare æquitatem in re ipsa, quæ iubetur, vel prohibetur, quæ est materia Legis, sed etiam in commensuratione pœnæ, nè res leuissima, & modici momenti inæquali admodum pœna statuatur. Tunc enim licet Lex vocari posset iusta, & rationabilis, poena tamen esset iniusta, & iniqua. Et quando ex hoc capite excommunicatio sit iniusta, & inualida, dixi in Disp. 1. cap. 1.

Quæ verò intercedant differentiæ inter hanc speciem excommunicationis, quæ dicitur à Iure, & illam, quæ vocatur ab homine, ostendi in cap. 5. Disp. 2. lib. 1. Præcipua illa est, quod sicut de essentia Legis est, vt sit perpetua, non respiciat tempus aliquod determinatum, sed semper durare debeat, quousque à Superiore fuerit abrogata, vel à Successore eiusdem auctoritatis, vel per consuetudinem contrariam. Ità quoq. semper habebit vim excommunicatio in Lege apposita, & afficiet transgressores. Nisi Lex vno ex dictis modis abrogetur in totum, vel saltèm ex hac parte, vt non habeat excommunicationem adiunctã.

CAPVT II.

An Ius possit ità ferre sententiam excommunicationis, vt non indigeat ministerio hominis ad hoc, vt excommunicatio producat effectus suos, & afficiat transgressores.

ORitur dubitatio, quoniam (vt sæpè dictum est) censura est poena, lex autem licèt possit statuere, & imponere poenam, non potest tamen per se ipsam inferre, aut infligere illam, sed poena per Iudicẽ, vel ministrum illius inducitur.

Accedit, quod nemo tenetur se ipsum punire extra forum poenitentiæ, sed solum debet patienter sine vlla reluctatione pati poenam ab alio sibi inflictam. Sed si lex per se ipsam excommunicationem inferret, obligaret transgressorem ad subeundam spontè poenam Legis, nemine impellente, cum nulla intercederet persona, quæ excommunicatione vteretur in reum.

Difficultas hæc pendet ex generali quæstione, An Lex humana poenalis reum obliget ad poenam soluendam ante condemnationem criminis in Iudicio factam. In qua quæstione duæ sunt sententiæ. Prima est Legem humanam poenalem, quacunque sit poena, obligare Delinquentem ante condemnationem Iudicis; Si enim Lex dicat Hæreticus ipso facto, vel ipso Iure sit bonorum suorum dominio priuatus, tunc eo ipso, quod aliquis labitur in hæresim, amittit Ius suorum bonorum, & nihil illorum retinere potest in foro conscientiæ. Si verò Lex contineat poenam ferendam, tunc talis poena non contrahitur à Delinquente ante sententiam latam à Iudice de crimine commisso, & eodem modo loquuntur de poena excommunicationis.

Hanc sententiam sequutus est Alphonsus è Castro lib. 1. De Leg. Poena. cap. 8 & seq. & lib. 2. De Iust. hæret. puni. cap. 6. Eam apertè docet Abb. cap. Canon. De Constit. nu. 11. & cap. Dilecti De Arbitr. num. 12. Citatur etiam Felin. pro hac opinione in cap. Canon De Constit. nu. 33. & seq. Sed re vera non est huius sententiæ, vt dicam infra. Pro hac opinione sunt argumenta. Primò in cap. Secundum Leges De Hæret. lib. 6. statuitur, vt Hæretici, & Rei Læsæ Maiestatis à die commissi delicti priuentur bonis suis, & Fisco applicentur, ergo huiusmodi poenæ incurruntur ante condemnationem. Secundò multæ sunt Leges, quæ obligant ad restitutionem in foro conscientiæ, & multæ, quæ priuant beneficijs ipso facto, & quod Clericus non faciat suos fructus sine vlla mentione sententiæ. Tertio nulla est repugnantia, vt quis sit reus, & poenæ executor; Nam per sententiam Iudicis potest reus condemnari, vt ipse sit Executor poenæ, ergo non pugnat cum ratione, vt Lex imponat Transgressori poenam, quam sustinere debeat in foro conscientiæ statim post commissum crimen. Vltimo multæ poenæ consistunt in priuatione, & passione, vt censuræ, similiter quæ priuant Iure Dominiorum; Ergo licet Lex non posset obligare Reum ad soluendam poenam, quæ in actione consistit, poterit saltem obligare ad eas, quæ consistunt in priuatione, & passione.

Secunda sententia est asserentium nullam Legem poenalem, excepta excommunicatione, & alijs censuris

ſuris, etiam ſi lex ipſo facto poenam irroget tranſgreſſoribus, obligare in foro conſcientiæ ad eam ſoluendam ante declarationem ſaltem criminis in Iudicio. Et hæc eſt communis ſententia Iuriſconſultorum, Canoniſtarum, & Theologorum, vt rectè dixit Silue. in V. Aſſaſinus q.5. & Hæreſis 1. q.8. Vbi citat Io. Andr Archid. Alex. & alios. Communem etiam dicit eſſe Felin. in cap. Canon De Conſtit. num.43. & ſeq. Sot. lib. 1. De Iuſt. q. 1. art. 6. Medi. prima 2. q. 96. art. 4. Corduba q. 36. lib. 1. Couar. de Matrim. p. 2. cap. 6. §. 8. num. 10.

In hac quæſtione vnum videtur clarum, quod ab omnibus abſque diſcrepantia aſſeritur, Delinquentem non teneri ad ſoluendam poenam legis, ſi ſit poena poſitiua, vt eſt mors, mutilatio membri, & ſimiles, ante ſententiam latam à Iudice. Sed tota difficultas eſt de poenis, quibus priuatur homo aliquo bono externo, ſiue ſit bonum proprium, & peculiare hominis, vt de confiſcatione bonorum, amiſſione beneficij, vel officij, & ſimilium, ſiue ſit bonum commune, vt accidit in excommunicatione, & alijs cenſuris. Maior autem difficultas eſt, ſi loquamur de poenis, quibus priuatur homo aliquo bono proprio, & peculiari. De quibus duo quæri poſſunt. Primum eſt, An lex E. G. quæ ipſo facto poenam confiſcationis bonorum imponit, priuet reos poſt violationem legis ſtatim dominio ſuorum bonorum, vt ſunt Inceſtuoſi, Raptores Virginum, Hæretici, Rei læſæ Maieſtatis, & Deferentes arma Saracenis, & ſimiles, & quod dicitur de dominio, idem dicendum eſt de titulo beneficij, vel officij, vel dignitatis, quam habent.

Secundum eſt, An, ſi huiuſmodi Tranſgreſſores legum in foro conſcientiæ ſtatim careant dominio, vel titulo, poſſint recta conſcientia retinere poſſeſſionem, quouſq; accedat declaratio criminis, Hæc enim duo diſtincta ſunt in Iure. Aliud eſt enim habere dominium, & titulum, aliud poſſeſſionem, Nàm aliquando poſſeſſio eſt penes vnum, dominium verò, & titulus apud alium.

In qua difficultate tres ſunt opiniones. Prima ait, quod Tranſgreſſores legum imponentium ipſo Iure confiſcationem bonorum, nec ſunt priuati dominio, nec in foro conſcientiæ poſſeſſione ante declarationem criminis. Ad hanc ſententiam videtur accedere Sot. Secunda ait, quod huiuſmodi Rei ſunt priuati dominio, non tamen poſſeſſione, Et hæc eſt communis Iuriſconſultorum, & Canoniſtarum, & leges ita videntur loqui, Aiunt enim ipſo facto careant, vel priuati ſint dominio bonorum ſuorum. Tertia opinio putat tales violatores legum priuatos eſſe dominio, & poſſeſſione, nec in foro conſcientiæ etiam ante declarationem criminis poſſe illa retinere, ſed debere tradere ei, cui ſunt applicata per legem, quamuis non cogantur ſuum crimen prodere. Hanc ſecutus eſt Alphonſus Caſtro loco ſupra citato.

Reſpondeo ſigillatim difficultati. Si loquamur de poenis, quibus reus priuatur bono aliquo proprio, & peculiari, qui tranſgrediuntur legem continentem poenas huiuſmodi, ipſo Iure non intelliguntur priuati dominio rei, vel poſſeſſione in conſcientia, niſi ſaltem per ſententiam declaratum ſit crimen fuiſſe commiſſum, ſed pronunciata ſententia condemnatio retrotrahitur à die patrati ſceleris, E. G. Tribus ab hinc annis fuit quis reus læſæ Maieſtatis, nunc fertur ſententia qua declaratur eius crimen, ſententia retrotrahitur ad diem commiſſi delicti, Vnde ſequitur, quod à die commiſſi delicti reus impeditus fuit, vel

A factus per leges inhabilis ad alienanda bona ſua. In hoc ſenſu, quod alienationes, ſi quas fecerit, non ſunt firmæ, & ratæ, Nam aliud eſt, vtrum peccet alienando, nec ne. Probatur hæc Concluſio.

Primò Conſuetudo eſt optima legum interpres, ſed communi vſu receptum eſt, vt leges huiuſmodi poenas impunentes intelligantur in hunc ſenſum, vt poenæ illæ ipſo facto, vel ipſo iure contrahantur poſt declarationem criminis, & non antea.

Secundò poenæ, & odia ſunt reſtringenda ſemper, ergo huiuſmodi poenæ legum ſunt reſtringendæ eo modo, quo iure poſſunt, ergo, ſi lex non addit hæc verba, ipſo facto contrahuntur poenæ etiam in foro conſcientiæ ante quamcunque declarationem crimi-
B nis, ſemper poena poteſt iure reſtringi, vt intelligatur lata poſt declarationem criminis.

Tertiò humana lex debet eſſe tolerabilis, quia lex fertur, vt obſeruetur, At re vera vix tolerari poteſt, vt poena ſit ſoluenda in foro conſcientiæ ante declarationem criminis.

Quartò in cap. Cum ſecundum leges De Hæret. lib. 6. Vbi imponitur poena ipſo facto confiſcationis bonorum, ſtatim ſubiungitur, *Fiſcus tamen non capiat, aut apprehendat bona, quouſq; ſententia declaratoria criminis ſit promulgata*. Ex quibus videtur rectè colligi poſſe, ante declarationem criminis, iure tranſgreſſorem ſua bona poſſidere.

Dico ſecundò Si loquamur de poena excommuni-
C cationis, vel de alijs cenſuris, quibus homo priuatur communibus bonis, quæ prouenìunt ex applicatione Eccleſiæ, longè diuerſa eſt ratio, Nam ſi lex continet ſententiam excommunicationis ferendam, qui contra legem delinquit, toto illo tempore, antequam Iudex proferat ſententiam condemnationis iuxta legis diſpoſitionem, non obligatur in conſcientia ſubire excommunicationis poenam, Nemo enim ex vi legis obligatur ad plus faciendum, vel deferendum, quod ſit per legem ipſam expreſſum. At lex, quæ ſtatuit poenam ferendam excommunicationis, non præcipit reo, vt ipſe per ſe poenam illam ſubeat, ſed vt Iudex poſſit eum excommunicationis vinculo obſtringere, ergo reus non tenetur ad illam per ſe ſuſcipiendam,
D ſed poſtquam Iudex eum condemnauit, Secuta verò condemnatione tenetur in conſcientia poenam illam ſuſtinere, & ſe gerere tanquam excommunicatum, quoniam ſubditus obligatur in conſcientia obedire iuſto Iudicis præcepto, & ità docet B. Thom. 2. 2. q. 69. artic. 3.

Sed obijciet aliquis, ſi condemnatus Reus in poenam excommunicationis per ſententiam Iudicis teneretur ſtatim illam ſeruare, eadem ratione ſequeretur, delinquentem damnatum in poenam abſciſionis manus, vel alterius membri, debere ſibi ipſi manum abſcindere, ſi Iudex ita præciperet, quia tenetur parere præcepto Iudicis, quod tamen eſt falſum.

E Reſpondeo ex ſententia Caiet. 2. 2. in illa quæſtione 64. artic. 3. non eſſe eandem rationem de omnibus poenis. Quædam enim ſunt poenæ, quæ in paſſione conſiſtunt, ad quas non aliter quis damnatur, niſi vt patiatur, cum infliguntur, vt patet de morte, mutilatione membri, flagellis, tortura, & ſimilibus, Non enim damnatur aliquis, vt ſibi ipſi mortem inferat, ſecet membrum, ſed vt patiatur hæc ſibi illata. Quædam verò ſunt poenæ, ad quas ſic aliquis damnatur, vt cooperetur ad eas, vt patet de excommunicatione, ſimiliter de exilio, & alijs huiuſmodi, Excommunicatus enim aliquis debet ceſſare à tracta-

tione

tione Sacramentorum; euitare communionem fidelium; non communicare in celebratione diuinorum officiorum cum alijs, eodem modo Relegatus debet in loco exilij manere ad statutum tempus.

Quare ab executione harum poenarum non licet alicui se substrahere post sententiam, quia Damnatus est ad eas ferendas; Sed poenas prioris generis licitè euitare etiam potest post sententiam, si fuerit ei permissum. Ante sententiam verò tuta conscientia potest declinare, & fugere poenas tam prioris generis, quam posterioris. Tunc verò dicitur quis post sententiam declaratus excommunicatus, vbi nullum habet Iuris remedium, quo possit condemnationis sententiam irritam facere, si enim reus sit à Iudice condemnatus post appellationem interpositam, vt putet probabiliter se iniustè damnatum, non tenebitur in conscientia seruare excommunicationem, quousque contra eum vltima prolata fuerit sententia, à qua non possit iustè appellare; Nam Lex dicit; *Si condemnatus appellauit, statu eius integer erit*, l. vni. ff Nihil innouetur appellatione pendente; Vnde inquit Glo. in cap. 1. 18. quæst. 4. Si Prælatus appellaret à sententia Iudicis condemnantis illum ad priuationem Prælationis, & pendente appellatione excommunicaret suum subditum, excommunicatio teneret, etiam si postea declararetur appellatio iniustè interposita, & tandem priuaretur sua dignitate, quia pendente appellatione iustè retinet Prælationem, ac si non fuisset condemnatus; Vnde excommunicatus ab illo verè censendus esset excommunicatus, & tanquam talis ab omnibus euitandus, quia, vt dicitur in cap. Pastoralis De Appella. excommunicatio trahit secum executionem.


Dico tertio si loquamur de Lege, vel præcepto continente sententiam Latam excommunicationis, talis Lex obligat in conscientia transgressorem ad excommunicationem impositam non expectata alia Iudicis sententia. In quo quidem dicto omnes doctores conueniunt. Hoc enim proprium est, & peculiare excommunicationis, & aliarum Censurarum, vt quando Lex continet sententiam excommunicationis Latam obliget transgressorem ad illam seruandam statim absque alia sententia, vt etiam asserit Dominic. Sot. lib. 1. De Iust. & Iur. quæst. 1. art. 6. qui putat nullam Legem obligare statim post crimen commissum in conscientia ad soluendam poenam in Lege contentam, quæcunque sit poena, nisi post sententiam Iudicis condemnatoriam, vel saltem declaratoriam, excepta poena excommunicationis, quæ statim Transgressorem post commissum crimen obligat, cum sit poena spiritualis.

Idque patet solemni, & perpetuo Ecclesiæ vsu; Excommunicantur Percussores Clericorum ipso Iure, vt patet 17. quæst. 4. cap. Si quis suadente, cap. Pro humani De Homic. lib. 6. Receptores Assasinorum, & cap. Ad abolendam De Hæret. Excommunicantur eodem modo Hæretici; Deduciturque id ex verbis Euang. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*. Quare *Publicanus*, quoniam eum Iuri inobediens fuerit, statim ab Ecclesiæ suffragijs excluditur.

Idem confirmari potest per Textum in cap. Tanta De Excess. Prælat. Vbi Gregorius Nonus sic inquit contra quendam Episcopum, qui Interdictum Ecclesiasticum ab Apostolica Sede positum violauerat: *Authoritate Dei Omnipotentis omnem institutionem, destitutionem, collationem Prabendarum, Beneficiorum per eundem Episcopum præsumptas, & excommunicationes, seu interdicti sententias in quoscunque hac occasione prolatas ab eo post Interdicti violationem decernimus irritas, & inanes*. Hæc Gregorius; Quorum verborum illud potissimum est annotandum, quod dicit irrita, & inania omnia ab illo Episcopo gesta post violationem Interdicti. At si Iudicis sententia requireretur, non omnia essent irrita gesta post violationem Interdicti, sed illa solum, quæ post Iudicis sententiam acta essent. Eiusdem sententiæ est B. Thom. 2. 2. in citata q. 69. art. 3.

Ex dictis solui possunt, quæ initio opponebantur; Nam non est vniuersaliter verum de ratione poenæ esse, vt per Iudicem inferatur, & non per Legem; Nam certum est ex sententia omnium hoc dictum non habere locum in poena excommunicationis, & in alijs censuris, vt tenet Domin. Sot. Vel secundùm Caietanum. Ab hac regula excluduntur omnes poenæ priuatiuæ, vel tandem iuxta sententiam aliorum dicendum est Vniuersaliter non excedere potestatem Legis humanæ, vt obliget reum ad executionem poenæ contra se ipsum, siue talis executio consistat in actione, siue in passione, dummodo modus infligendi poenam per se ipsum iudicetur expediens ad commune bonum; Neque poena imposita sit adeò grauis, & difficilis, vt repugnet naturæ, sicut est se ipsum occidere, vel mutilare membrum, vel flagellare se publicè, vel quid simile. Hæc autem cessant in poena excommunicationis, & in alijs censuris, & Ecclesia iudicauit ad commune bonum expedire, vt qui propter grauiora delicta, censurarum poenis digni sunt obstringi, eo ipso absque externo aliquo ministerio incurrant illa omnia damna, & incommoda, quæ ex censuris sequuntur.





DE CONDITIONIBVS, QVÆ NECESSARIÆ SVNT, VT QVI FVNGVNTVR POTESTATE FERENDI EXCOMMVNICATIONEM,

validè, & iustè posſint illam pronunciare, & quibus modis posſit id efficere.



AM satis ſuperque diſputatum eſt de cauſa Efficiente ipſius excommunicationis tam Iuris, quam hominis, & ſigillatim, ac diſtinctè de omnibus, quibus vel Iure ordinario, vel ex delegatione poteſt huiuſmodi Iuriſdictio conuenire, tractatum eſt. Verum quia ad agendum non tantum requiritur virtus in cauſa efficiente, ſed etiam neceſſariæ ſunt diſpoſitiones quędam, quibus non exiſtentibus nō produceretur actio; Idq. verum eſt non ſolum in cauſa naturali, ſed etiam in motali ſuo modo, meritò igitur poſt explicationem de cauſa efficiente excommunicationis, tractandum eſt de conditionibus requiſitis ad inferendam cenſuram excommunicationis, & eadem eſt ratio de alijs cenſuris, ſimul etiam de modis, quibus excommunicatio ferri poſſit.

DISPVTATIO NONA.

Caput Primum, An ſententia excommunicationis à Prælato Lata per metum ſit valida.

Caput Secundum, Vtrum valida ſit ſententia excommunicationis Lata ſub conditione.

Caput Tertium, An valida ſit ſententia excommunicationis Lata diſiunctimè; Vt ſi Iudex dicat Excommunico te, vel ſuſpendo &c.

Caput Quartum, An Cenſura excommunicationis Lata ab eo, qui iam vita functus eſt, ſit valida.

Caput Quintum, An Excommunicatio à Prælato per ſtatutum, vel ſententiam Lata pro futuris culpis poſsit ligare ſubditos ipſius ſtatuentis, vel Iudicis agentes extra Territorium.

CAPVT I.

An ſententia excommunicationis à Prælato Lata per metum ſit valida.

NOn controuertitur modò, An actio, qua fertur excommunicatio, debeat eſſe libera, quatenus libertas opponitur neceſſitati abſolutæ; Nam ſi eſt actio humana proueniens ex rationis vſu, vt proba-A tum eſt in Cap.6. Diſp.7. inter alias conditiones hanc eſſe neceſſariam, vtique erit actio libera, ideſt non per vim, & coactionem illatam; Hanc enim neceſſitatem ſolus Deus poteſt voluntati imponere, ſed difficultas tota eſt, an debeat eſſe actio ità libera, vt excludere debeat etiam grauem metum; Nempè an Excommunicatio Lata à Prælato, qui graui metu vel mortis, vel alterius mali incuſſo ad eam pronunciandam impulſus eſt, ſit valida.

Aliqui moti auctoritate tex. in cap. vni. De ijs quæ vi, metuſquè cau. fi.lib.6. cēſent excommunicationem Latam ex metu cadente in conſtantem virum non eſſe B validam, quoniam ibi Gregorius Nonus irritat omnē abſolutionem ab excommunicatione, ſuſpenſione, vel interdicto per vim, aut metum quacunquè ratione à Superiori extortam. Sed vna, & eadem eſt ratio excommunicationis, & abſolutionis; Nam in cap. Verbum De Pœnit. diſt. 1. dicitur *Dominus par Ius & ſoluendi, & ligandi eſſe voluit, qui vtrumque pari conditione commiſit, ergo qui ſoluendi ius non habet, nec ligandi habere poteſt.* Hæc omnia ibi leguntur; Ex quibus colgunt, quod ſi Abſolutio ab excommunicatione impenſa per metum nulla eſt, vt dicitur in illo cap. vni. quod eodem modo excommunicatio ex metu lata erit C inualida. Ratione etiàm poſſet eadem opinio confirmari, quoniam iura magis prona ſunt ad abſoluendum, quam ad condemnandum; Si ergo irritant abſolutionem per metum extortam, debent etiam irritare fortiori ratione excommunicationem ſimili metu prolatam.

Nihilominus oppoſitum videtur probabilius, & plurium conſenſu approbatum. Dicendum eſt igitur excommunicationem latam à Prælato, qui per metum cadentem in conſtantem virum, nempè ad effugiendam mortē, vel aliud graoe malum, quod ei vel Rex, vel quicunque alius comminatur, niſi ſententiam ex-D communicationis in aliquem pronunciet, impellitur ad illam ferendam, validam eſſe, & obligare excommunicatum ad eius obſeruationem, niſi ex alio capite appareret de iniuſtitia, & inualiditate.

Ità tenet Glo. in dicto cap. vni. De iis, quæ vi, metuſuè cau. fi.lib.6.& Glo. in cap. Quatuor Ver. Timore 11. quæſt. 3. vniuerſaliter de quacunq. ſententia lata per metum aſſerit eſſe ipſo iure validam, quamuis elidi, & impugnari poſſit per exceptionem, & idem confirmat in cap. Iniuſtum Ver. Non valet ead. cauſa, & quæſt.

Proba-

Probatur etiam ratione, quoniam ſi excommunicatio lata per metum inualida dicenda eſſet, & non teneret, vel id accideret per ſe, & ex natura ipſius rei, quia ſcilicet talis actus per metum elicitus non eſſet voluntarius, & liber, atq; ideo non teneret, Vel quia Ius humanum poſitiuum illum infringeret, & irritaret, ſed neutrum dici poteſt, ergo talis excommunicatio erit omninò valida.

Et primò quod dici non poſſit excommunicatio lata per metum inualida ex natura rei, quia ſcilicet ſuperior ductus ex metu impellatur ad eam ferendam coactè non ſpontè, & voluntariè, probandum eſt aliquanto fuſius, Nullus metus poteſt tollere voluntarium ſimpliciter, omnes enim Doctores, & præcipuè B.Tho.1.2.q.6.ar.4.& in 4.diſt.29. q.1.art.1. concludunt nullum conſenſum voluntatis, ideſt actum elicitum à voluntate poſſe eſſe coactum ſimpliciter. Idem docuit Ariſt. 3 Ethic. cap.11. & B. Gregorius Niſſenus lib.5. Philoſophiæ cap.1. Explicat id B.Tho. dicto art. 4. ad hunc modum, Duplex eſt voluntatis actus, quidam ab ipſa imperatus, & per alias potentias exercitus, vt ambulare, mouere membrum, & quoad hos actus poteſt voluntas omninò, & ſimpliciter cogi, poſſunt enim externa corporis membra per vim moueri, vel impediri, nè voluntatis imperio obſequantur, & talis actus dicitur violentus ſimpliciter, & omninò coactus, ac contrarius voluntati, Violentum enim ſic definitur ab Ariſt. 3. Ethic. cap. 2. eſt *quod fit ab extrinſeco, paſſo non conferente vim*, ideſt non concurrente voluntate. Quod idem alijs verbis docuit Iuriſconſultus l. 2. ff. De eo quod met. cau. ſcilicet *vis eſt maioris rei impetus, qui repelli non poteſt*, Vnde fit, vt cum omninò deficit voluntarium, Actus excuſetur à culpa. Alius eſt actus à voluntate elicitus, propriuſq; ipſius, vt Velle, & Nolle, & hic actus nullo modo poteſt eſſe coactus ſimpliciter, & ratio eſt manifeſta, quia quandocunque voluntas conſenſit, vel diſſentit, iam confert vim, cum eliciat actum conſenſus, vel diſſenſus, ergo nullus eius actus eſt violentus ſimpliciter, & patet, quia omninò repugnat, quod ego aliquid velim, & mea voluntas non ſit principium elicitiuum illius actus, quia volitio, eſt actus vitalis proueniens à principio vitali intrinſeco.

Ex his igitur manifeſtè infertur, quod quouis graui metu ductus ſit Prælatus ad pronunciandam excommunicationem, ſemper tamen illa actio dicenda eſt ſimpliciter, & abſolutè voluntaria, & libera, & propterea ex hac parte talis excommunicatio non erit inualida, quamuis negari non poſſit talem metum potuiſſe inferre vim conditionatam, quia ſcilicet ſi metus non acceſsiſſet, voluntas noluiſſet excommunicare, Ità dixit Iuriſconſultus in l.Si Mulier §.ſi metu coactus 2.ff. De eo quod met.cau. His verbis *Si metu coactus adij hæreditatem, puto me hæredem effici, quia quamuis, ſi liberum eſſet, noluiſſem, tamen coactus volui*, & l. Cum proponas C. De hæred. inſtit. Vbi hæc habentur *Potuit enim quamuis iubente Domino nolle adire &c.* Et confirmatur in c. Meritò 15. q. 1. His verbis *Nam & hoc contra voluntatem facere dici ſolet ſed vtique vult propter quod facit, tanquam ſi peierare nolit, quod tamen facit cum vult viuere, ſi ſcilicet quiſquam niſi fecerit mortem minetur, vult ergo facere quia vult viuere &c.* Et deſumuntur ex B. Auguſt. libro quarto Quæſtionum, quæſtione 24. ad capitulum decimumquintum Numerorum.

Sed poſſet quis dubitare Cum metu extorta mixta ſint ex voluntario, & inuoluntario, an magis accedant

A ad voluntarium, vel inuoluntarium, Dec. enim in Regula Velle 4.ff. De reg.iur. numero 2.& 3. *Velle non creditur, qui obſequitur imperio Patris, vel Domini* Defendit metu geſta eſſe propriè, & verè inuoluntaria, & tantum ſecundum quid voluntaria. Et probari poteſt ex citato §. Si metu coactus, Vbi Iuriſconſultus non dixit abſolutè *volui*, ſed *coactus volui*, & clarius in cap. Maiores §. Item quæritur Ver. Propter quod, De Baptiſmo, Vbi hæc habentur, *Is qui terroribus, atque ſupplicijs violenter attrahitur ad baptiſmum tanquam conditionaliter volens, licet abſolutè nolit, cogendus eſt ad obſeruationem fidei Chriſtianæ*. Si ergo conditionaliter eſt voluntarium, & abſolutè inuoluntarium, quod metu extorquetur, erit ſecundum quid
B tantum voluntarium.

Sed oppoſitum eſt probabilius, Metu extorta magis accedere ad voluntaria, & libera, & ideo dicenda eſſe ſimpliciter voluntaria, & ſecundum quid inuoluntaria, quia ceſſante metu non eligerentur, vt optimè explicat B.Tho. 1.2.quæſt.6. art.6. quem alij ſequuntur, Et ratio B.Tho. eſt, quia vnumquodque ſimpliciter, & abſolutè dicitur ſecundum hoc, quod eſt in actu, & in rerum natura. Et ſecundum id, quod eſt in apprehenſione, non dicitur ſimpliciter tale, ſed ſecundum quid. Sed metu extorta volitio, ſecundum id, quod eſt in actu, & in ſingulari, attentis particularibus circumſtantijs eſt elicita à voluntate, & electa vt medium ad impediendum maius malum, quod
C timebatur. Eſt autem inuoluntaria vt eſt in apprehenſione, quatenus apprehenſa extra hunc caſum, & excluſis his ſingularibus circumſtantijs, non eligeretur, ergo ſimpliciter voluntaria.

Non obſtant, quæ afferebantur in contrarium, Nam Iuriſconſultus voluit tantum non eſſe omninò voluntarium metu geſtum, ſed mixtum. Ad cap. Maiores Reſpondeo ex illo tex. tantum probari id, quod ex metu fit, eſſe conditionaliter voluntarium, & abſolutè inuoluntarium quoad apprehenſionem, nō quoad actionem, vt explicatum eſt, ideo S.Tho. art.6. ad 3. dixit non ſine ratione, quod metu geritur, eſſe abſolutè voluntarium, quia vt actu geritur, eſt abſolutè voluntarium, & eſſe inuoluntarium ſub conditione,
D ideſt vt eſt in apprehenſione, Voluntas enim nollet, ſi talis metus non immineret. Ex his omnibus igitur euidenter concludere poſſumus id, quod primo loco probandum erat, ſcilicet excommunicationem latam ex metu etiam cadente in conſtantem virum non eſſe inualidam, & nullam per ſe, & ex natura rei ratione metus, quia per nullum metum poteſt quis cogi ad habendam intentionem diuerſam ab ea, quā ipſe vult habere. Quare ſi verè verbis, & ſignis exterioribus excommunicat, voluntariè, & ſpontè excommunicat, Quod ſi non intendat re vera excommunicare, ſed ſolùm exterius proferre verba excommunicationis ad euitandum metum, tunc excommunicatio erit nulla, non ratione metus, ſed defectu in-
E tentionis, vt ſupra diximus.

Dices, fieri poteſt, vt Iudex incuſſo metu cogatur Iureiurando ad habendam intentionem excommunicandi, quid dicendum, ſi tunc deeſſet voluntas excommunicandi.

Reſpondeo Si ſententia excommunicationis iuſta eſt, tunc Iudex poterit habere hanc intentionem, ſi verò ſit iniuſta, non debet habere hanc intentionem, neque debet conſentire iuramento, quoniam eſſet actus ex genere ſuo malus.

Quod autem neque irritetur Iure canonico excom-

com-

communicatio pronunciata ex metu, quod erat secunda pars rationis, quam afferebam ad confirmandam conclusionem, ex eo patet, quoniam nullibi in Iure expressum habetur; Excommunicationem metu illatam esse nullam; Quare id nos affirmare non possumus. Si igitur Superior ad euitandum probabile mortis periculum à Principe illatum compellatur vinculo excommunicationis obstringere aliquem, talis sententia erit valida, nisi ex alio capite reddatur iniusta, & nulla. Sed paratum adest remedium facile, si Iudex velit Excommunicatum tali vinculo dissoluere, vt postea reuocet sententiam; Et quando etiam non suppeteret Reo facultas adeundi Superiorem, vt reuocaret excommunicationem, posset etiam verisimiliter præsumi talem Iudicem non habuisse intentionem ligandi, sed solùm exterius proferendi sententiam, nisi aliàs constaret de intentione Iudicis, semper tamen tutius est petere absolutionem; Ergo si talis excommunicatio nec ex natura rei nulla est, nec Iure positiuo irritatur, dicenda est valida, & afficit excommunicatum.

Neque contra hanc doctrinam obstat citatum cap. vni. De his, quæ vi, metusuè cau. fin. libro 6. Ibi enim statuitur solum, absolutionem, à Censura metu extortam nullam esse; & nullius valoris, nulla tamen ibi mentio fit de excommunicatione, & non licet ab absolutione inferre ad excommunicationem, vt ibi expressè notauit Glo. Ver. Vacuamus, & idem tenet in cap. Iniustum 11. q.3. quam sequitur ibi Archid. & in cap. Quatuor ead. cau. & quæst. Quare licet vtraque tam absolutio, quam excommunicatio metu extorta sit valida ex natura rei, quia sunt simpliciter voluntaria, vt probauimus, tamen placuit Summo Pontifici declarare irritam talem absolutionem propter aliquas rationes, ideo ait, *Vacuamus*, quasi dicat, cum per se valida esset, nos illam infringimus; Neque tamen idem decreuit de excommunicatione, quamuis (vt ait Glosa) possit per exceptionem elidi, & Abb. in cap. Abbas num. 17. in fine. De his, quæ vi, metusuè cau. fi. ex illo tex. probat excommunicationem per metum esse validam, quoniam cum Summus Pontifex ibi specialiter declarauerit talem absolutionem esse nullam, & nihil dixerit de excommunicatione, existimandum est voluisse excommunicationem per metum, retinere vim excommunicationis, & esse seruandam. Possunt etiam assignari rationes diuersitatis, cur magis visum sit id decernere de absolutione, quam de excommunicatione. Prima esse potuit, quoniam, vt inquit Abb. dicto num. 17. Principes seculares olim proni erant, & faciles ad vim inferendam Prælatis in suis Regnis, & Prouincijs, eos compellendo, vt absolutionem impenderent ab excommunicatione, aliqnibus, quos iustè per sententiam tali animaduersione dignos existimauerant. Quamobrem Prælatorum auctoritas contemnebatur. Hæc tamen ratio non habet locum in excommunicatione. Fauore igitur Ecclesiasticæ Iurisdictionis absolutio ex metu declaratur nulla. Sed si idem definitum esset de excommunicatione, nullum priuilegium concessum esset Prælato, sed illi priuato, in quem talis excommunicatio ob metum illata esset. Et huiusmodi vexationes circa excommunicationem rarissimè accidere possunt.

Secunda ratio esse potest, qnoniam si absolutio tradita ab excommunicatione ob metum esset valida, & firma, sæpè contingeret, vt Excommunicati, maximè si potentiores essent, ad extorquendam absolutionem à Prælato, comminarentur ei mortem, vel aliud graue malum. Hoc cessat in casu excommunicationis. Decet autem, vt actus gestus ex metu, careat effectu erga illum, qui metum intulit.

Neque etiam ad hanc doctrinam impugnandam facit ratio superius adducta, quod Ecclesia pronior est ad absoluendum, quam ad condemnandum; Vnde si reddit nullam absolutionem ex metu, multo magis putandum esse velle excommunicationem ex tali metu esse irritam. Primò quoniam, vt dicebam in ijs, quæ iure humano decreta sunt, non licet ab vno casu inferre ad alium. Secundò, licet regula sit verissima; quod qui potest ligare, potest etiam absoluere, & ex consequenti qui non potest soluere, non poterit etiam ligare, tamen patitur aliquas exceptiones, vt notauit Glo. cap. Inferior dist. 21. Vt in Incendiarijs excommunicatis, in Excommunicato propter rem iudicatam; Idem etiam est dicendum in hoc casu, de quo agitur. Tertiò Ius non adimit potestatem ipsi Prælato, quin possit, si velit, etiam supposito graui metu absoluere ab excommunicatione, sicut potuit excommunicare; Hoc.n. pendet ex voluntate eiusdem Prælati, sed solum Ius declarauit talem absolutionem simpliciter censeri debere nullam, & nihil suffragari ipsi absoluto, nisi aliter constaret de voluntate Prælati intendentis absoluere, & sit expeditum hoc primum Caput.

CAPVT II.

Vtrum valida sit sententia excommunicationis lata sub conditione.

DVplex potest esse genus conditionis, quæ à Iudice apponi potest in sententia; Alterum est genus earum conditionum, quæ pertinent ad causam, propter quam fertur censura, vt si Iudex ferat excommunicationem in aliquem, si infra mensem non comparuerit, vel satisfecerit, vel aliud egerit; Hæc conditio est causa censuræ; Quare conditione non purificata excommunicatio non habet effectum: Illa impleta excommunicatio afficit. Alterum est genus conditionum, quæ nihil faciunt ad causam, & veritatem excommunicationis, & possunt esse de re præterita, præsente, vel futura; Vt si quis excommunicationem ferat in eos, qui tale delictum fecerint; si sint ignobiles; Si Nauis incolumis ex Hispania venerit; Si sint orbati parentibus, vel aliæ similes apponantur conditiones, quæ ad rationem excommunicationis non spectent.

Si loquamur de primo genere conditionum, res est clarissima, posse pronũciari excommunicationem sub conditione futura, quæ respiciat causam, propter quam fertur excommunicatio; Immo regulariter ita solet ferri excommunicatio siue ab ipso Iure, siue ab homine, vel contra certam, & designatam personam, vel contra incertas; Nam, vt probatum est in Disp. 1. Cap. 4. nulla excommunicatio fertur præcisè contra peccatum commissum, sed semper includit aliquam relationem, & habitudinem ad futurum; Nimirum nisi satisfeceris, cumparueris, cessaueris. Quare regulariter omnis excõicatio fertur sub conditionali forma.

Si autem disputatio sit de alio genere conditionum, quæ ad causam, & rationem excõmunicationis nihil omninò faciant; Tunc dicendum est Primo apponere has conditiones in sententia excommunicationis esse argumentum imprudentiæ, & leuitatis ipsius

Iudicis, & non poſſe fieri ſine graui peccato, Primò, quoniam damnatum eſt ab ipſa lege, quæ vetat ſententias pronunciari cum his conditionibus l. 1. §. Biduum, ff. Quando appell. ſit. Secundò quia in ſententia excommunicationis ferenda (quæ grauiſſima eſt pœna) per Iudicem eccleſiaſticum, non eſt admiſcendum aliquid leue alienum omninò, à cauſa, propter quam excommunicatio fertur.

Secundò dicendum eſt, ſi tamen talis conditio apponatur, & ſit de re præterita, vel præſente, conditione extante, quantumuis ad rationem excommunicationis non attineat, valida erit excommunicatio, & ſeruanda; Si verò conditio non ſit impleta, excommunicatio nullius erit roboris.

Ratio eſt, quoniam propoſitio conditionalis conditione impleta æquiualet propoſitioni ſimplici, & abſolutæ; Quare talis conditio non impedit effectum excommunicationis, quamuis nullam habeat relationem ad excommunicationem.

Accedit, quod etiam de Sacramentis, ſi apponantur ſimiles conditiones, idem eſt aſſerendum; Nempè has conditiones omninò alienas à rationibus proprijs ſacramentorum non poſſe impedire illorum effectus, ſi conditiones exiſtant.

Hoc autem dictum, quod conditio impertinens de re præſenti, vel præterita appoſita in ſententia excommunicationis non tollat vim, & valorem ſententiæ, intelligendum eſt ſolùm de ipſa conditione formaliter, & præciſè ſumpta; Si enim contineret intolerabilem errorem, vel ex alio capite infringeret ſententiam, tunc redderetur nulla excommunicatio non tamen ratione conditionis, ſed ex alia cauſa; Vt ſi eſſent duo Iudices, qui parem haberent poteſtatem non ſubordinati, & vterque ita pronunciaret excommunicationem in reum. Ego te excommunico, ſi alter te non excommunicat, & eſt exemplum, quod proponi ſolet. Hæc ſententia non eſſet valida, non quidem ratione conditionis impertinentis, ſed quia videtur continere intolerabilem errorem. Vel enim hæc conditio intelligeretur de ſola prolatione ſententiæ; Atque tunc, cum vterque pronunciaſſet ſententiam, ex neutra parte fuiſſet impleta conditio, & idcirco neutra ſententia afficeret reum. Aut intelligeretur de valore excommunicationis, & haberet hunc ſenſum, ſi ſententia alterius Iudicis non eſt valida, ego te excommunico; Tunc verò perplexa eſſet ſententia, quia ſi ſententia alterius non eſſet valida, eo ipſo altera valorem haberet, & ſic eſſet appoſita conditio neceſſaria; Quod ſi illa valida eſſet, altera neceſſariò eſſet inualida, & cum non ſit maior ratio de vna, quàm de altera, ideo ſententia hoc modo prolata ſemper contineret ambiguum, & perplexum ſenſum, & meritò ex hoc capite eſſet dicenda nulla.

Tertiò dicendum eſt, quando talis conditio eſt de re futura, tunc excommunicatio dicenda eſt ſtatim nulla, neque expectandus eſt exitus conditionis ad ferendum iudicium de valore excommunicationis.

Ratio eſt, quia hic modus continet etiam intolerabilem errorem, quia actus ſpiritualis poteſtatis non debet pendere ab euentu conditionis cauſalis, quæ nullam habeat relationem ad cauſam excommunicationis; Vt ſi Prælatus excommunicaret ſubditum ſub hac forma; Excommunico Petrum, ſi Franciſcus conſenſum præbuerit; Vbi conſenſus, & voluntas Franciſci non requireretur ad ipſam poteſtatem excommunicandi, nec ad cauſam excommu-

A nicationis, ſed eſſet omninò impertinens; Talis ſententia contineret intolerabilem errorem; Et propterea dicenda eſſet nulla.

CAPVT III.

An valida ſit ſententia excommunicationis lata diſiunctiuè; Vt ſi Iudex dicat Excommunico te, vel ſuſpendo &c.

DVo ſunt modi reſpondendi ad hanc dubitationem; Alter eſt Nauar in Manua. cap. 27. num. 161. Vbi loquens de ſuſpenſione tenet, quod quemadmodum ſuſpenſus ab officio, & beneficio copulatiuè eſt ab vtroque ſuſpenſus, ſic quoque ſuſpenſus ab officio, aut beneficio diſiunctim, à neutro eſt ſuſpenſus, & citat Abbatem in cap. Latores De Cleri. Excom. Mini. qui num. 7. dicit, quod quando conſtat de intentione proferentis, tunc eſt abſtinendum ab illa cenſura, quam ipſe voluit inferre; Aut non conſtat, & tunc tutius eſt abſtinere ab vtraque, ſcilicet officio, & beneficio, ſed ſi non abſtinet, non incurrit irregularitatem, & hoc putat verius ob eam rationem, quoniam licet ſententia etiam iniuſta cenſuræ liget; hoc tamen habet locum, quando de ea conſtat; ſed in ſententia lata diſiunctiuè ſub forma propoſita non apparet, an ab officio, vel beneficio voluerit Iudex ſuſpendere, ergo, cum talia verba nihil determinatè ſignificent, non poſſunt effectum aliquem producere.

Alter modus reſpondendi eſt Glo. in dicto cap. Latores Ver. Ab officio, aſſerentis ab vtroque ſuſpenſum eſſe, quia cum res ſit dubia, à quo determinatè ſit ſuſpenſus, debet ab vtroque abſtinere, & citat ad hoc iura.

Vt huic difficultati reſpondeamus, præmittenda eſt ſignificatio huius dictionis *Vel*, quæ interdum accipitur diſtributiuè, & habet vim copulæ, & idem valet quod dictio *Etiam*. Huius ſignificationis ſexcenta ſunt exempla apud Ciceronem, & alios probatos Auctores Latinos; Vel mori ſatius eſt, quàm peccare; qui repertus fuerit poſt duas horas noctis, vel ſine armis puniatur & c. l. Cum quidam C. de verb. ſignif. habetur expreſſe diſiunctiuam dictionem interdum capi pro coniunctiua.

Aliquando verò hæc dictio *Vel* habet vim diſiungendi, & diſtinguendi; Si Prælatus iniungat ſuo ſubdito in pœnam, vt vel ieiunet decem dies, vel elargiatur in eleemoſynam decem nummos aureos pauperibus, & hæc eſt propria, & naturalis ſignificatio huius vocis.

His poſitis dico primò, quod ſi vel ex præcedentibus, aut ſequentibus verbis appoſitis in ſententia, vel alio modo apparet de intentione, & voluntate Iudicis intendentis vſurpare dictionem illam copulatiuè, & propoſitum ipſius fuiſſe ſuſpendere ab officio, & beneficio, vt in eodem exemplo perſiſtam, tunc abſque dubio ſententia illa erit valida; Nam Iudex & potuit, & voluit, igitur tenet ſententia, vt Abb. etiam aſſerit in dicto cap. Latores; Nam ſententia accipit vim ex voluntate Iudicis, quando conſtat; In hoc enim caſu loquimur.

Dico ſecundò; Si ſimpliciter loquamur accipiendo verba ſecundum propriam ſignificationem, & communem vſum, & morem loquentium quando excommunicationis ſententia profertur diſiunctiuè, vt in exemplo propoſito Excommunico te, vel ſuſpendo, probabile eſt valere quoad alterutram partem arbitrio illius, contra quem pronunciatur, eligendam.

Hæc

Hæc propoſitio eſt admodum probabilis, & poteſt confirmari. Primò quoniam intentio Iudicis, & propoſitum per hanc ſententiam eſt aliqua poena punire ipſum reum. Nec enim putandum eſt voluiſſe pronunciare ſententiam inanem, & omni effectu carentem, & cum vſus ſit verbis claris, quibus aliquem excommunicauit, vel ſuſpendit ab officio, vel beneficio. Quæ verba ſecundum communem ſignificationem oſtendunt voluntatem Iudicis eſſe alterutram poenam inferre eligendam ab ipſo Reo, Igitur dicendum eſt talem ſententiam validam eſſe quoad alterutrum effectum.

Secundò comprobari poteſt ſimilibus exemplis, puta in conceſſione Indulgentiarum Summus Pontifex poteſt concedere Indulgentiam ſub hac forma disiunctiua; Quicunque vel ieiunauerit tot dies, vel toties viſitauerit tales Eccleſias, vel erogauerit eleemoſynam, conſequatur Indulgentiam &c. Quo caſu liberum erit cuicunque volenti Indulgentiam lucrari eligere ex operibus iniunctis quodcunque maluerit. Similiter Confeſſarius ſolet aliquando iniungere ſub forma diſiunctiua poenitentiam Confitenti, vt hoc, vel illud faciat, & tamen pœnitentia tenet, & manet obligatus Pœnitens ad perſoluendum arbitratu ſuo ex operibus iniunctis quod ei viſum fuerit. Non nunquam etiam in foro exteriori pro cauſa criminali Iudex ſolet apponere poenam diſiunctim, vt Reus vel ſoluat pecuniæ ſummam taxatam in ſententia, vel ſeruet exilium tanto tempore &c.

Tertiò confirmatur ex tex. in cap. A Crapula De Vita & Honeſt. Cleric. vbi, *Si quis autem in his ſe culpabilem exhibuerit & à ſuperiore commonitus non ſatisfecerit ab officio vel beneficio ſuſpendatur*, Præcipit Epiſcopo vt arbitrio ſuo ſuſpendat ab officio vel beneficio; Ergo poterit etiam Epiſcopus ſub eadem diſiunctione ſuſpenſionem ferre, & arbitrio delinquentis relinquere vt quam velit partem eligat.

Dico tertiò, aliquo modo ſententia lata ſub forma diſiunctiua contra diuerſas perſonas refertur per accomodam diſtributionem ad illas iuxta proprias rationes, & conditiones illarum, Vt ſi Prælatus præcipiat nè Clerici, aut Laici ſolemnioribus feſtiuitatibus Tabernas ingrediantur ſub pœna excommunicationis, vel ſuſpenſionis. Veriſimiliter intelligi poteſt, vt pœna excommunicationis appoſita ſit pro laicis, pœna vero ſuſpenſionis pro Clericis, Vel ſi talis prohibitio edita eſſet contra Clericos tantum ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, vel beneficio, tunc interpretandum eſſet huiuſmodi præceptum, vt ſuſpenſio à beneficio intelligeretur impoſita contra beneficiarios, ſuſpenſio verò ab officio contra illos Clericos, qui beneficijs carerent. Et quando ex verbis ipſius ſententiæ, vel ex alijs coniecturis poteſt hic ſenſus deduci, abſque dubio ſententia erit valida, & ſeruanda iuxta hanc interpretationem, neque dicenda erit lata ſub forma diſiunctiua propriè, quia partes illæ diſiunctiuæ non habent relationem ad eandem perſonam, ſed ad diuerſas reſpectiuè, & ad ſingulas determinatè.

Hæc igitur probabiliter dici poſſunt de hoc modo pronunciandi ſententiam excommunicationis ſub diſiunctione. Quæ tamen forma eſt omninò euitanda à Iudice, & grauiter peccaret, qui illam vſurparet, Tùm quia eſt contra vſum, & morem communem pronunciandi ſententias, tùm etiam quia hæc forma gigneret difficultatem, & ambiguitatem in animo ipſius Rei, & occaſionem contemnendi ſententiam excommunicationis; Tùm denique quia Iudex in pronuncianda ſententia, præſertim excommunicationis debet voluntatem, & intentionem ſuam conſpicuè, & clarè aperire, & declarare, cum agatur de grauiſſima poena ſpirituali, quæ animam afficit.

CAPVT IV.

An Cenſura excommunicationis lata ab eo, qui iam vita functus eſt, ſit valida.

Difficultas hæc proponitur à Doctoribus, quæ non habet locum in excommunicatione, quæ fertur ab ipſa lege; Hæc enim excommunicatio ex ſui natura eſt perpetua, & afficit tranſgreſſores legis etiam poſt mortem legiſlatoris, ſicut quoque manet, & durat ipſa lex, niſi reuocetur. Sed quæſtio eſt de excommunicatione, quæ fertur per ſententiam hominis, an contingere poſſit, vt poſt mortem ipſius Iudicis, qui ſententiam tulit, excommunicatio poſſit tunc primum parere effectum ſuum; Nam ſi viuente Iudice reus vinculo excommunicationis eſſet obſtrictus, vtique abſque vlla controuerſia remaneret excommunicatus poſt mortem Iudicis ex vi talis ſententiæ, vt patet ex cap. Paſtoralis §. 1. De off. ordin. & cap. vni. De Maio. & Obed. lib. 6. Quia excommunicatio contracta non pendet in conſeruari à Iudice, & ideo non tollitur, ſi Iudex moriatur, vel deponatur ab officio, ſed per ſolam abſolutionem, vt notauit Abb. in cap. A nobis 1. num. 12. De Sent. Excomm. Quamobrem controuerſia eſt ſolum; An ſententia excommunicationis poſſit inchoare effectum ſuum poſt mortem Iudicis, qui illam pronunciauit, Et ratio dubitandi eſt, quoniam licet excommunicatio, quæ fertur per ſententiam hominis contra certam perſonam particularem pro peccato commiſſo, cum ſtatim vel ſit valida, & operetur effectum ſuum, vel ſit nulla, neceſſariò requirat, vt exiſtat, & viuat, qui illam promulgat; Tamen excommunicatio lata per generalem ſententiam pro futuris culpis; Nempè qui tale crimen commiſerit, ſit excommunicatus, videtur poſſe vim habere etiam poſt mortem ipſius ſuperioris, qui talem ſententiam promulgauit, quoniam talis excommunicatio per ſententiam generalem non videtur differre ab ea, quæ fertur per legem, quoniam præceptum hominis vniuerſale non videtur diſtingui à lege, reſpicit enim tempus futurum, eſt vniuerſale, ſicut lex, & excommunicatio ſententiæ generalis incurritur ipſo facto abſque alio miniſterio Iudicis, ſi eſt latæ ſententiæ, ſicut ſi excommunicatio contineatur in lege. Quare ſicut excommunicatio legis, aut ſtatuti habet vim obligandi poſt mortem ipſius Legiſlatoris, idem videtur aſſerendum de excommunicatione ſententiæ generalis.

Eſt tamen concluſio ab omnibus approbata excommunicationem latam ab homine per ſententiam non ſolùm particularem (de hoc enim non eſt dubitatio) ſed etiam generalem nullam vim habere poſt mortem ipſius Iudicis.

Ratio huius Concluſionis eſt, quoniam excommunicatio, quæ fertur ab homine per ſententiam generalem ex ſui natura non eſt perpetua, ſicut nec ipſa ſententia, ſed pendet in fieri, vt ita dicam, & in eſſe ab ipſo Iudice, Quare ſi Iudex

moriatur, aut sit priuatus iurisdictione, antequam talis sententia effectum consequatur, sicut sententia remanet absque vlla vi, & valore, ita quoque excommunicatio in sententia apposita, At verò Excommunicatio lata per legem, vt dictum est, ex sui natura est perpetua, Idcirco diuersa est ratio.

Ita sentit Glo. in cap. A nobis 1. Ver. Non nisi, in fi. De Sent. Excomm. Vbi ponit hanc differentiam inter statutum Episcopi sub pœna excommunicationis, & sententiam excommunicationis, quod sententia excommunicationis simpliciter lata non durat vltra tempus Proferentis, nisi successor eam confirmet, & ratam habeat, sed statutum, vel decretum ligat etiam post recessum ipsius, quia talia statuta sunt perpetua cap. vlt. De off. leg. ff. De Officio Præfecti Vr. l. 1. §. vlt. Dictum Glosæ confirmat ibi Abb. num. 12. tàm de statuto, quàm de sententia, & tenet sententiam extingui per mortem Concedentis, & ad hoc citat Glo. in cap. penult. De Cleric. non resid. Ver. Prædecessorum, Vbi etiam idem notat Abb. num. 9. Idem Abb. in citato c. vlt. De off. leg. num. 9. B. Antoni. 3. par. tit. 17. cap. 9. Ver. fin. Silue. V. Confessor 1. §. 7. Tabic. V. Excommunicatio 2. nume. 10. Nauar. in cap. Placuit numero 35. & latius numero 161. De Pœnit. distinctione sexta.

Eadem doctrina confirmari potest argumento ducto à simili, Nam sicut mandatum morte Mandantis re integra expirat cap. Gratum, cap. Relatum cum ibi annot. De Off. Deleg. l. Mandatum C. Mandati, ita quoque à simili sententia excommunicationis conditionata morte ipsius Iudicis irritatur, quia dicitur res integra, si conditio non sit impleta ipso Proferente viuente, Nam cum sententia excommunicationis incipiat habere vim ab euentu conditionis, si quando impletur conditio, Iudex vel obijt, vel recessit ab officio, iam sententia caret suo robore, & sic non ligat. Eodem modo licentia concessa alicui de non residendo morte Concedentis expirat Glo. citata in dicto cap. penultimo, De Cleric. non resid. Similiter prohibitio facta alicui, nè exerceat artem, cessat morte inhibentis l. final. ff. De Poen. ergo pari ratione asserendum est de sententia.

Hæc igitur doctrina communis vera est, quod sententia generalis lata sub conditione sub poena excommunicationis contra quoscunque, qui crimen huius generis commiserint, tam diù habet vim, & valorem, quandiù viuit Prælatus, qui eam promulgauit, illo defuncto simul etiam sententia expirat, & eadem ratio est, si priuetur Prælatione, & amittat Iurisdictionem penitus, vel suspensa fuerit ad tempus, Vt si fuerit excommunicatus, quando conditio in sententia apposita impletur, Et ratio est, quoniam valor sententiæ pendet ex iurisdictione, & potestate ipsius Iudicis pronunciantis illam, quæ iurisdictio ita extinguitur per mortem Iudicis, sicut tollitur, vel saltem suspenditur quantum ad vsum per excommunicationem, vel aliam censuram, aut simile impedimentum, quo Iudex priuatur potestate, & iurisdictione, & idcirco ita sententia redditur nulla per obitum Iudicis, sicut per excommunicationem, vel aliud simile impedimentum, Maximè quia, vt paulò ante dicebam, & fusius probaui supra Disp. V. Cap. 1. sententia excommunicationis tunc incipit vim habere, cum impletur conditio, & non retrotrahitur ad diem promulgationis, sicut accidit in alijs sententijs, vt inquit Couarruuias in capitulo Alma Mater parte prima, §. decimo, numerò sexto.

Quod si Iudex post promulgationem sententiæ excommunicaretur, & ab excommunicatione postea esset absolutus, ita vt eo tempore, quo quis committit crimen damnatum per sententiam sub poena excommunicationis fungeretur officio suo, & exerceret suam iurisdictionem, sententia esset valida, & reus iure incurreret excommunicationem, Neque enim opus est, vt à die promulgationis sententiæ vsque ad aduentum conditionis Iudex semper habuerit vsum iurisdictionis non impeditum.

Qua in re animaduertendum est diuersam esse rationem, quando Iudex post promulgationem sententiæ vel excommunicatur, aut suspenditur &c. deinde consequitur absolutionem ante aduentum conditionis, & quando priuatur omninò suo officio, & munere, & postea restituitur, vel iterum eligitur, antequam impleatur conditio. Primò enim modo locum habet, quod diximus sententiam excommunicationis reassumere vires, & afficere ipsum reum contumacem, non aut in posteriori casu. Ratio differentiæ illa esse videtur, quia in primo casu sicut ipse Iudex non priuatur Iurisdictione, sed suspenditur solùm vsus iurisdictionis ipsius, ita quoque non irritatur omninò sententia, sed suspenditur eius valor, Quare ablato impedimento ab ipso Iudice non remanet sententia suspensa, sed quando Iudex amittit poenitus iurisdictionem, quia priuatur officio, sententia quoque prorsus extinguitur, Idcirco quamuis rursus eadem persona ad idem officium assumatur, nisi denuò eandem sententiam promulget, non potest prior, quæ iam extincta erat, iterum conualidari.

Sed vlterius animaduertendum est, cum dicimus sententiam excommunicationis latam pro futuris culpis non habere vim, si Iudex, qui illam tulit, sit suspensus iurisdictione eo tempore, quo impletur conditio, nec ex ea obstringi reum illius criminis, quod per sententiam damnatur, hoc dictum intelligendum esse, quando conditio solùm pendet ex actu præciso, & determinato tempore, non autem, quando conditio non est affixa certo actui, nec circumscripta peculiari aliquo tempore, Rem exemplis explico. Si Iudex ferat sententiam his verbis conceptam, Quicunque adulterium patrauerit, incidat in excommunicationem eo ipso, si Titius committat adulterium, eo tempore, quo Iudex est excommunicatus, vel suspensus, non incurrat excommunicationem, quoniam, vt probauimus, sententia est suspensa defectu iurisdictionis Iudicis, & quamuis postea Iudex absoluatur, & sententia reassumat vim suam adhuc, tamen ratione adulterij commissi, Titius non afficitur excommunicatione, Et ratio est, quoniam excommunicatio incurrebatur ob actum illum determinatum adulterij, sed tempore commissi adulterij excommunicatio non vigebat, propterea Titius non contraxit excommunicationem. Verùm si Iudex ita pronunciet sententiam excommunicationis, Qui infra mensem non restituerit Ecclesiæ, quod debet, sit excommunicatus, si adueniente vltima die temporis, qua impletur conditio sententiæ, Iudex sit excommunicatus, Titius debitor non satisfaciens Ecclesiæ, sicut debet, non erit excommunicatus, quia sententia manet suspensa, vt dictum est, sed postquam Iudex erit absolutus, si non satisfaciat ad præscriptum sententiæ, incidit

cidit in eandem excommunicationem, quia conditio est eius naturæ, vt non solum eo temporis momento impleri possit, & debeat, quo absolutus est mensis, sed etiam sequenti tempore, Nam spatium mensis appositum est non ad finiendam obligationem, sed ad inchoandam, & dilatandam vsque ad mensem, & non vltra. Quemadmodum præceptum de communicando semel in anno, tempore Paschali, obligat etiam transacto illo tempore, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 21. num. 45. Nam præceptum illud duo includit, scilicet communicare semel in anno, & communicare tempore Paschali. Quare si quis non impleuit hoc præceptum quoad secundam conditionem, tenetur implere quantum ad primam, vt communicet semel in anno, sicut etiam patet in alio exemplo in cap. Cum Dilecti De Dolo, & Contum. Si citatus quis fuerit ad comparendum certa die, & legitimè impeditus nequeat assignata die accedere, non propterea liber est, & absolutus ab obligatione comparendi, sed manet obligatus, quantò citius poterit, comparere l. Celsus ff. De Recep. Arbit. Eodem modo quando Iudex sub pœna excommunicationis præcipit, vt quis satisfaciat infra decem dies, & interim suspenditur iurisdictio Iudicis per excommunicationem, si decimo die decurrente maneat excommunicatus, licet si non satisfaciat reus tunc non sit excommunicatus, quia sententia excommunicationis manet suspensa, tamen post absolutionem Iudicis, si non satisfecerit, incidit in excommunicationem, quia in sententia excommunicationis non fuit appositum certum tempus ad finiendam obligationem, vt tempore elapso obligatio sit extincta, vt habetur in cap. Sicut De Sponsa. sed potius fuit præfinitum tempus ad dilatandam, & prorogandam solutionem, & ideo lapso tempore non cessat obligatio, immò potius redditur validior, & firmior, Ita annotauit Abb. in dicto cap. Cum Dilecti num. 12. De Do. & Contum.

Obijcies contra dicta, Præceptum de ieiunando, vel recitandis horis canonicis certa die non obligat ad ieiunandum, vel recitandum transacta die, ergo eadem ratio est in terminis, in quibus agimus.

Respondet Nauar. loco citato ex sententia Petri de Anchar. in cap. primo, De Celebrat. Miss. numero 29. esse diuersam rationem, Nam obligatio ieiunandi, vel recitandi horas imponitur tanquam annexa determinatis diebus, quibus elapsis absoluta est obligatio, sed obligatio satisfaciendi, vel restituendi non annectitur diei, sed conceditur certum tempus fauore ipsius Rei, vt antea non maneat obligatus.

Ex his igitur manet satis declarata, & confirmata hæc doctrina, quod sententia excommunicationis lata pro futuris culpis post mortem Prælati, vel quocunque modo suspensa illius iurisdictione non afficit transgressores illarum culparum.

Verum contra hanc doctrinam videntur nonnulla etiam opponi posse. Primò licentia data à Papa, aut Episcopo, vel ordinario quocunque eligendi Confessarium non expirat morte Concedentis, vt tenet Palud. in 4. distinctione 17. quæstione tertia, & Nauar. in cap. Placuit de Pœnit. distinct. sexta, numero 162. Secundò potestas facta alicui de conferendis quibusdam beneficijs morte Concedentis non extinguitur cap. Si cui De Præb. lib. sexto, & cap. Si super gratia De Off. Deleg. lib. 6. Tertiò licentia fratribus præsentatis concessa non expirat morte Concedentis,

A Gloss. in Clemen. Dudum De Sepult. §. Statuimus Vers. Ac deinde Ver. Concesserunt. Quartò licentia concessa ab Episcopo Parocho, vt possit per septennium abesse à Parochia, vt vacet studijs, non expirat, immò neque per ipsum reuocari potest, Glo. cap. Cum ex eo De elect. lib. sexto, Ver. Septennium. Similiter facultas recipiendi ordines à quocunque, Card. in Clem. fin. De Elect. quæstione quinta, & sententia concessa alicui de celebrando in domo sua, Rota in Antiq. Decis. 580. Denique Gloss. in cap. fin. Ver. Statuta De off. leg. & ibi Abb. numero nono, ait Indulgentias à Legato concessas finita eius legatione durare. Idem tenet Innoc. in cap. Quod translationem Ver. Sed quid dices De Off. leg. Abb. in cap. pe-

B nultimo, num. 10. De Cleri. non resid.

Ad hæc tamen non difficile est respondere, & omnia tolli possunt vnicâ solutione, & est, quod alia ratio est de gratia, licentia, vel facultate cuipiam facta ad aliquid faciendum, de qua intelligenda sunt omnia exempla allata, Alia verò de sententia pœnali, & conditionata, vt est sententia excommunicationis, de qua loquimur, & ita annotauit Abb. in cap. penultimo, De Cleri. non resid. Quamobrem licet priuilegium, & gratia morte Concedentis non expiret, decet enim gratiam Principis esse mansuram, Tamen sententia excommunicationis, quia res odiosa est, extinguitur, Vel etiam dici potest, vt idem Abb. videtur respondere in dicto cap. vlt. num.

C 9. De Off. leg. quòd quando licentia, priuilegium, Indulgentia Episcopi habet esse finitum, & liberum, ita vt ex sola concessione recipiat suam essentiam, & integram rationem, nec dependeat ex futuro euentu, tunc durat etiam vltra tempus Concedentis, quia priuilegia, sicut & statuta debent esse perpetua, cap. 1. 25. quæstione secunda. Sed vbi dispositio dependet ex futuro euentu, tunc extinguitur per mortem Concedentis, sicut accidit in sententia excommunicationis, quæ extinguitur, & irritatur per mortem Prælati, si conditio ante mortem non aduenit, tenet etiam Felin. in cap. A nobis 1. numero quarto. De Sentent. Excom. & idem affirmat Abb. de quacunque licentia, quæ non potest concedi perpetuò absque cau-

D sæ cognitione, quæ, si simpliciter concessa fuerit, intelligitur concessa ad tempus Concedentis, Vt si Episcopus simpliciter alicui tribuat priuilegium eligendi Confessarium, illud priuilegium perit mortuo, vel reuocato Episcopo, quia Episcopus non potest concedere hanc licentiam in perpetuum cum præiudicio Ecclesiæ Parochialis sine causæ cognitione, & consilio sui Capituli, esset enim perpetuum damnum inferre Ecclesiæ Parochiali.

CAPVT V.

E *An Excommunicatio à Prælato per statutum, vel sententiam lata pro futuris culpis possit ligare subditos ipsius statuentis, vel Iudicis agentes extra Territorium.*

SVperiori capite probatum est excommunicationem non esse validam, quando fertur sub conditione, si antequam adueniat conditio, cesset causa, ex qua pendet excommunicatio in fieri, scilicet iurisdictio in ipso Iudice, vel per mortem ipsius Iudicis, vel per remotionem ab officio, vel per excommunicationem, aut aliud simile impedimentum,

Quare meritò dubitari potest modo, an eadem ratio sit, quando talis iurisdictio tollitur non simpliciter ex parte ipsius Iudicis, vt in casibus propositis, sed in ordine ad talem subditum, qui se eximit à potestate Iudicis, & egreditur fiues Territorij, in quo Iudex potest exercere suam potestatem, & alio se transfert, & sic cessat relatio illa potestatis, quam habet Iudex erga hunc subditum. Quæritur igitur, si Iudex præcipiat alicui, vt infra mensem restituat sub pœna excõmunicationis, & ille debitor interim, antequam adueniat trigesimus dies, mutet domicilium extra Territorium Iudicis, & non satisfaciat iuxta præceptum ipsius, an talis excommunicatio sit valida ad alligandum hunc subditum contumacem extra Territoriũ.

Huius quæstionis non leuis est difficultas, & ad vtramque partem sunt rationes dubitandi. Pro parte negatiua, quod huiusmodi sententia excommunicationis non afficiat subditum extra Territorium primo facit tex. in cap. Vt animarum §. Statuto Episcopi de Constit. lib. 6. Vbi expresè definitum est à Bonifacio Octauo subditos degentes extra Territorium non ligari excommunicatione, quam Episcopus protulit Statuto suo in omnes generaliter, qui furtum commiserint, si igitur Episcopus caret iurisdictione erga subditos, qui reperiuntur extra Territorium, vt statuto suo illos obstringere non valeat, multo minus poterit ligare per sententiam, maior enim vis inest Statuto, quàm sententiæ, cum perpetuom sit, & generale omnes comprehendens, & Dispositio generalis magis liget, qoàm specialis.

Secundo idem probari potest ex Clement. vni. De foro compet. Vbi Clemens Quintus concedit Episcopis expulsis à suis sedibus, vt io locis aliarum Diœcesum possint procedere contra expulsores, & in ijsdem etiam locis eognoscere lites, & causas inter suos subditos, dummodo id per se, vel per alium in suis proprijs Diœcesibus facere non andeant, in hoc igitur tantum casu hoc Episcopis ex indulgentia, à Summo Pontifice permittitur, ergo simpliciter, & regulariter non possunt iudicare de subditis, qui extra proprium Territorium moram traxerint. Immò Glo. ibi Ver. Omnimodam iurisdictionem, clarius hoc idem asserit, dicens Episcopum talem ex sua Sede expulsum posse extra Diœcesim commorantem iudicare causas subditorum, & illos punire, dummodò causæ decidendæ, & casus puniendi contigerint intra Diçcesim, quia mens Papæ, inquit Glo. est, vt Episcopus in hoc casu possit iurisdictionem exercere, quam in Diœcesi existens inter subditos exerceret. Et subdit Glo. *Certum est, quod si existeret in Diœcesi non iudicaret, nec puniret subditos vi suarum Constitutionum de actibus commissis extra Diœcesim*, ergo neque illud facere potest existens extra Diœcesim.

Tertio sententia excommunicationis trahit secum suam executionem cap. Pastoralis De Appella. Sed Iudex non potest exequi sententiam extra Territorinm cap. Postulasti §. 1. De Foro compet. ergo talis sententia non obstringit subditum manentem extra Territorium.

Quarto Bar. in l. Cũctos Populos C. De Sum. Trini, & Fide Cathol. in quęst. 8. principali nu. 44. Vers. Dic ergo, & Vers. Aliquando Iuris, & num. 47. Vers. Item quæro; De omni statuto, si simpliciter, & indistinctè loquatur; Tenet vniuersaliter; Non ligare eos, qui manent extra Territorium. Et idem affirmandum erit de sententia, vt diximus. Et hanc Bart. opinionem plures Doctores sequuntur, quos refert Alexander cons. 41. lib. 5. Hæc igitur argumenta confirmant partem negatiuam.

Ex altera parte scilicet pro affirmatiua afferri possunt aliæ rationes non mioorls roboris. Et primò si pœna excommunieationis Lata per statutum, vel sententiam hominis non afficeret subditum extra Dioecesim, maximè id accideret, quoniam Prælatus extra suam Dioecesim non posset aliquid exequi, sed sententia excommunicationis ipsamet est executio, vt dixi in Cap. 2. Disp. 5. nec indiget opera hominis, vt executioni tradatur, ergo id non obstat, quò minus possit Ligare Subditum vbique manentem; Quia sententia excommunieationis inijcit vinculum immediatè auctoritate Iuris per sententiam Latam ab homine, sicut apparet etiam in simili, quando senteotia fertur super crimine, quod ex dispositione Iuris irrogat infamiam, si Iudex declaret aliquem reum huiusmodi criminis, statim ab ipso Iure notatus est infamia, & hac Labe inficitur, vbicuoque manserit; Neque enim ad hanc executionem necessaria est aliqua opera hominis; Et idem prorsus dicendum est de censura excommunicationis,

Secundo ex cap. Tuæ De Cleri. non resid. Vbi agitur de modo procedendi contra Clericum absentem habetur, quod quando Beneficiarius est absens à beoeficio, aut notum est, vbi degat, aot ignoratur; Si nescitur, debet citari per Edictum trinæ monitionis in Ecclesia sua, & expectandus est spacio sex mensium, an velit redire, quo tempore elapso, si non comparuerit, tunc licitè poterit ab Episcopo suspendi, vel excommunicari, vt ad obedientiam redeat. Quod si hoc modo eius contumacia compesci non potest, priuandus est beneficio, ergo sententia excommunicationis Lata in Subditum absentem tenet, & ligat eum. si verò constat, in qua Dioecesi degat iste Clericus; Tunc vel patet ad eum accessus, vt commode citari possit, & citaodus est personaliter, & præfigendus ei terminus competens ad redeundum; Quo transacto, & non redeunte Episcopus potest contra eum ad excommunicationem, & alias poenas deuenire; Igitur sequitur eodem modo, vt excommunicatio Lata in subditum absentem sit valida. Quando verò immineret periculum, si differenda esset citatio ad talem Clericum in alienis terris existentem, tunc procedendum esset contra ipsum ad excommunicationem, & alias poenas seruaro eodem ordine, sicut in casu, quo nescitur, vbi maoeat, vt inquit Abb. in dicto cap. Ex tuæ num. 13. Ex quibus concluditur semper posse Superiorem ferre excommunicationis sentẽtiam io subditum absentem validè, & punire eundem de delictis commissis.

Confirmatur ex cap. Com sit Romana in fin. De Appell. Vbi dicitur Apostolum Paulum excommunicasse incestuosum illum absentem, & irrequisitum. Dicit autem Summus Pontifex fuisse irrequisitum, quia non fuit monitus per Edictum peremptorium ad judicium, sed sæpius fuerat antea monitus ab ipso Apostolo, & excitatus ad poenitentiam; Ac semper magis contumax, & incorrigibilis perseuerabat in scelere, vt ioquit Glo. Ver. Irrequisitum. Similiter ex cap. Tuæ *Vt lite non contest.* Vbi Summus Pontifex mandat excommunicari Reum, vt pareat Iuri, quando lite oon contestata contumaciter se absentat, si causa talis fuerit, in qua Actor immitti nequeat in possessionem rei petitæ; Ex cap. Si quis Presbyter 7. quęst. 1. Vbi Clericus manens extra Ecclesiam suam si vocatus ab Episcopo non obedierit, ab officio deponitur.

tur. Ex his igitur iuribus, & alijs ſimilibus euidenter colligere poſſumus ſententiam excommunicationis latam in ſubditum abſentem firmam eſſe, & validam, & operari omnes effectus erga ſubditum excommunicatum.

Tertiò, ſi hæc ſententia lata in ſubditum abſentem non teneret,neque obligaret ipſum, maximè id accideret defectu iuriſdictionis,quia Index nõ poſſet exercere iuriſdictionem extra ſuum Territorium, ſed hoc non obſtat, quia ſupponimus illum abſentem manere adhuc ſubditum, ergo, vbique commoretur, ſemper erit ſubiectus ſuo Prælato. Quare ſententia non poterit dici nulla defectu iuriſdictionis,Immò non ſolùm in hoc caſu videtur valida ſententia excommunicationis, quando lata eſt in abſentem, qui tamen ſubditus eſt excommunicantis,ſed etiam tenet, ſi lata ſit in eum, qui initio cauſæ erat ſubditus, puta quando fuit citatus, licèt poſtea exemerit ſe à iuriſdictione ipſius Prælati, transferendo ſuum domicilium in aliam Ciuitatem,vt tenet Io. Andr.in Reg.Cum ſint partium de reg.iur.lib.6.In Mercurial. confirmat Abb. in cap. Propoſuiſti nu. 10. De foro compet. Exemplum ponit Io. Andr. Si Iudex domicilij excommunicauit Franciſcum, ſi infra menſem non ſatisfecerit Titio,& menſe decurrente transferat domicilium in alium locum animo mutandi,adueniente die ſolutionis,ſi non ſatisfecerit,erit excõmunicatus,quia iam præuentus erat, & ſi ſecus dicamus,ſequetur graue abſurdum, vt quotidie contemnatur diſciplina eccleſiaſtica,& fiat fraus cenſuræ excommunicationis. Poterit enim paſſim ille,cui Epiſcopus ſub pœna excommunicationis præcipit,vt reſtituat infra certum tempus, mutare domicilium ante aduentum diei,atque ità effugere vim excommunicationis, ergo multò verius idem erit aſſerendum,quando ſemper remanet ſubditus.

Quartò ſi ſententia pronuncietur à Prælato contra ſubditum commorantem in aliena Diœceſi,non ideirco turbatur iuriſdictio Epiſcopi alterius diœceſis, turbaretur,& violaretur iuriſdictio, ſi ſentẽtia executioni traderetr, vel circa perſonam, vel circa res poſitas in aliena diœceſi,vt dicitur in c.Poſtulaſti de foro com pet. Vt ſi Clericus committat delictum in vno loco, ratione cuius per ſententiam Epiſcopi ſit priuatus beneficio,quod in alio loco poſſideat; hæc enim ſententia per eundem Epiſcopum non poterit executioni mandari, quia turbaret iuriſdictionem alterius Epiſcopi,& idem confirmatur in cap.Romana §.Contrahentes eod. tit. lib. 6. Sententia igitur pronunciari poteſt contra ſubditum abſentem; non poteſt autem mandari executioni, nè turbetur iuriſdictio alterius Prælati, ſed ex ſententia excommunicationis non poteſt ſequi turbatio alterius Territorii,quia excommunicatio afficit animam, eſt enim pœna ſpiritualis, & ligat inuiſibiliter, ergo ſententia excommunicationis operabitur effectum ſuum erga ſubditum abſentem; hic enim effectus ſequitur potius ab ipſo Iure ex ipſa poteſtate Clauium,quàm ab homine.

His rationibus poteſt affirmatiua pars probari, quòd ſententia excommunicationis lata ab Epiſcopo aduerſus ſubditum abſentem ſit valida; & illum obſtringat.

Redditur igitur hæc quæſtio ardua,& difficilis propter argumenta,& auctoritates,quæ ad vtramq; partem confirmandam afferuntur,vt meritò Paulus Pariſius conſ.159.Vol.4.propterea affirmauerit Doctores vario modo locutos eſſe in hac quæſtione, & diuerſas, immò contrarias opiniones ſcriptis reliquiſſe.

A Innoc.in c. A nobis de ſent.excom.exiſtimat ſtatutum Epiſcopi ſub pœna excommunicationis ligare ſubditum ſtatuentis delinquentem extra Territorium ipſius, quia,& ſi maneat extra Territorium, ſubditus tamen eſt,& abſentia non tollit iuriſdictionem ab ipſo Superiore.

Bart.in l.Cunctos Populos De Sum.Trin.& fide Cathol.num.45.diſtinguit, aut ſtatutum ſimpliciter, & abſolutè loquitur, & hoc caſu ſolum comprehendit ſubditos delinquentes intra Territorium,vt ſi promulgetur ſtatutum ſub pœna excommunicationis contra omnes committentes furtum generaliter, hoc ſtatutum interpretandum erit latum eſſe contra ſubditos furto rem ſurripiẽtes in Territorio.Quando vero Sta- B tutum exprimit hanc clauſulam vbicunque commiſſum fuerit furtum, tunc comprehendit omnes delinquentes ſubditos etiam extra Territorium; quoniam tunc manifeſtè apparet de intentione ſtatuentis volentis ligare ſubditos commorantes extra Territoriũ, Idque multis & auctoritatibus & rationibus probat. Et hæc opinio quoad hanc ſecundam partem, quando ſtatutum expreſsè mentionem facit de delicto extra Territorium, ſatis cõprobari poteſt l.fin. ff. de decret. ab ordi.fac.& l. 2. C. De Eunuchis, & l.fin.De iuriſd. omn. Iudi.

Et licèt hanc Bart. diſtinctionem multi Doctores ſequantur relati à Couar.in c.Alma Mater prima par. §.10.num.3.

C Multi tamen impugnant,quos idem Coua. ibidem citat etiam in eo caſu, quo Statutum hanc clauſulam manifeſtè includat, ob eam rationem, quia diſpoſitio generalis magis afficit, quàm ſpecialis;quare ſi generalis non obligat abſentem, ergo multò minus poteſt ligare ſpecialis.

Quamobrem, Abb.in c.A nobis 1. De ſent.excom. num.11. diſcedit ab hac ſententia, qui in cap. fin.nu. 42. De foro compet. excogitauit aliam diſtinctionem pro ſolutione huius difficultatis,& tenet, ſi loquamur de ſententia excommunicationis, poſſe Iudicem excommunicare ſuum ſubditum abſentem; ſi ſentẽtiam ferat in ſuo Territorio, & intendat ligare ſubditum D vbicunque manentem ſine præiudicio alterius Prælati,vt intex. cap.Tuæ vt lite non conteſt.Si verò ſit ſermo de Statuto,putat Statum non poſſe extendi ad abſentem,vt clarè videtur definitum in dicto cap.Vt animarum de conſtit. lib. 6. Huius verò differentiæ cauſam inter ſtatutum, & ſententiam Iudicis aſſignat ibi Abb. num.40.Quia ſtatutum generale non ligat extra Territorium non ex defectu voluntatis ſtatuentis, ſed ex defectu poteſtatis,vt patet ex illis poſtremis verbis dicti cap. Vt animarum,ſcilicet; *quia extra Territorium ius dicenti non paretur, impunè*. Nam ſtatutum eſt lex Territorii, vt innuit tex. in dicto cap. Vt animarum, ideo non poteſt punire extra Territorium,ſed alia ratio eſt de ſententia, quæ fertur contra Subditos ſine E præiudicio alicuius;illa enim obligat omnes ſubditos, vbicunque exiſtant.

Neque obſtat Clem. Paſtoralis de ſent. & re iudi. Vbi videtur definitum non licere Iudici citare, nec damnare reum exiſtentem extra Territorium, nam reſpondet Abb. in dicto num.42. Clementinam intelligendam eſſe de Iudice, cui competit Iuriſdictio cognoſcendi cauſam,& puniendi ratione delicti commiſſi in ſuo Territorio; hic enim non poterit citare, vel proferre ſententiam, ſi delinquens egreſſus ſit tale Territorium, & alibi commoretur, ſed diuerſa ratio eſt de Iudice habente iuriſdictionem ratione domicilij,

lij, vel originis, vel beneficij erga suum subditum, etiamsi absens sit à domo, & Territorio. Hæc est opinio Abbatis.

Varij igitur sunt modi respondendi Doctorum ad hanc quæstionem; Quare, vt explicemus, quid nobis videatur probabilius, & communiori consensu approbatum, nonnullas propositiones in medium adducemus, quibus dissoluere conabimur hanc difficultatem, & tractabimus vniuersaliter tam de Excommunicatione Lata per statutum, vel edictum generale, quàm de Excommunicatione per sententiam hominis.

Prima Propositio sit Excommunicatio Lata per Statutum sub conditione, vel infra certum tempus non incurritur à Subditis ipsius Statuentis, si antequam adueniat dies, vel impleatur conditio, discedant extra Territorium, & transferant domicilium animo non redeundi.

In hac propositione conueniunt omnes Doctores, & est vera, a qua nemo discrepare potest; Et ratio est manifesta; Quoniam, vt Excommunicatio Lata per Statutum Liget Transgressores Statuti, opus est, vt Condens statutum habeat iurisdictionem, & potestatem in ipsum Delinquentem contra Statutum, vt dixi in primo Cap. huius Disp. Sed ille, qui mutauit domicilium animo non redeundi, non est amplius sub potestate Statuentis, nec subditus illius, cum sit extra Territorium eius, ergo si adueniente conditione non impleuit statutum, non incurrit excommunicationē; Quod euidenter probatur ex dicto cap. Vt animarum De Constit. lib. 6. Si enim ibi definitum est Episcopum non habere iurisdictionem obligandi Statuto suos subditos commorantes extra Territorium, multò magis certum esse debet carere iurisdictione erga illos, qui desierunt esse subditi, & egressi sunt Territorium animo non redeundi.

Dicet aliquis, satis est, si tempore promulgationis statuti erant subditi, vt teneantur Statutum seruare iuxta conditionem, & tempus in eo appositum, alias, quocunque se contulerint, non effugien pœnam Statuti.

Respondeo post Legitimam, & Canonicam promulgationem Statuti simpliciter Lati sine vlla conditione ad futuram actionem, vel tempus obligati illico omnes subditos ipsius Statuentis tempore dictæ promulgationis, & statim affici poenis Statuti, si illud violauerint, quamuis postea in alium locum se transferant; Sed alia ratio est, quando Statutum respicit futuram actionem; Tunc enim non obligat, antequam adueniat conditio; Quare si interim quis se eximat à Iurisdictione ipsius Satuentis, vel mutando domiciliū, vel ex alio capite, non obligatur amplius statuto.

Secunda propositio, Excommunicatio prolata per generalem sententiam, vel etiam particularem ab homine, qua prohibetur, vel præcipitur aliquid in futurum sine vlla ratione ad præteritum, non incuritur ab eo, contra quem lata est sententia, si ante impleatam conditionem transferat domicilium animo non redeunti.

Hæc propositio etiam est certissima sicut præcedēs, & nititur eodem fundamento, quoniam sententia hominis non est valida, si Lata sit in aliquem, in quem Iudex nullam habeat iurisdictionem, per mutationem autem domicilij liberatur quis à potestate sui Ordinarij, & quamuis quando pronunciatur sententia ille esset subditus, tamen satis est, vt in aduentu conditionis non sit amplius subditus, quia cum sententia non

A sit simpliciter Lata, sed sub conditione, nullam habet vim ante conditionem, quod maximè verum est in sententia excommunicationis, vt dixi in cap. 2. Disp. 5. quæ incipit producere effectus suos impleta conditione, qua adueniente non retrotrahitur ad diem Latæ sententiæ, sed ante conditionem habetur, ac si non esset Lata.

Confirmatur, cessante causa excommunicationis tollitur etiam excommunicatio, vt si Prælatus præcipiat Francisco, vt infra viginti dies restituat Titio, quod debet, & hoc tempore decurrente; Titius donet suum creditum Francisco, etiamsi transeat terminus dierum assignatus, & non restituat, non erit excommunicatus quia cessat causa ipsius excommunicationis. B Eodem igitur modo dicendum est, non incidere in excommunicationem, si Iudex præcipiat Francisco, vt infra 20. dies compareat, & Franciscus mutet domicilium, & se liberet à potestate illius, qui preceptum imposuit, quia cessat causa excommunicationis, quæ est inobedientia contra præceptum Superioris; Hæc autem tollitur mutato domicilio, quia tunc non est Superior.

Tertia propositio, Excommunicatio Lata per Statutum, aut edictum contra omnes subditos, qui delictum aliquod commiserint, puta si furto deliquerint, non comprehendit subditos, qui extra Territorium furtum commiserint, etiamsi ipsa Constitutio declaret expressè excommunicationem Latam esse contra C subditos vbicunq. delinquentes.

In prima propositione diximus de Subditis, qui mutant domicilium animo discedendi, & non redeundi; Nunc tractamus in hac propositione de Subditis absentibus à Diœcesi, qui tamen remanent subditi, & non mutant domicilium, si delinquant extra Diœcesim.

Hæc propositio est contra opinionem Bart. superius relatam, & desumitur ex cap. Vt animarum De Constit. lib. 6. & est communis sententia Doctorum, Paul. Pari. cons. 159. lib. 4. Felin. cap. A nobis 2. De Sent. Excom. & ibi Abb. Rocchus Curt. De Consuec. q. 13. Ang. & Paul. De Castro in l. vlt. ff. De Decr. ab Ord. fac. Nauar. in Manuali num. 6. cap. 27. Couar. nu. 3. §. 10. prima par. in c. Alma Mater. Ratio huius pro- D positionis est, quia licet subditi etiam absentes subiaceant proprio Episcopo, ratione tamen delicti commissi pertinent ad ordinarium loci, vbi crimen est commissum, quia irrogata est illi iniuria, propterea ad eum pertinet punire delictum in foro exteriori cum strepitu iudicij, sicut fit in excommunicatione.

Confirmatur, quia statutum per se, & directè non fertur in personas absolutè, sed in Territorium ad talem Episcopum pertinens, ergo delinquens extra Territorium non incurrit poenas statuti, nam aliàs propter eandem culpam idem reus subijceretur duplici poenæ, scilicet statuti sui Episcopi, & poenæ latæ per statutum Episcopi loci, vbi commissum est crimen, E quod est absurdum.

Sed quæret aliquis, si Aduena Bononiæ committat furtum, & antequam per Ordinarium excommunicentur illi, qui talem rem furto surripuerint, fur egrediatur Territorium Bononiense, an incurrat excommunicationem.

Respondeo non incurrere, Ita tenent Gabr. dist. 18. q. 2. conclus. 6. Antoni. 3. par. tit. 25. cap. 75. Silue. Excommunicatio 1. §. 6. & Excommunicatio 2. §. 7. & 10. Armil. §. 10. Nauar. in Manua. cap. 27. numero sexto. Et ratio est, quia, vt Alienigena acquirat forum ratione delicti, oportet vt in fieri, & conseruari maneat

in

in Territorio Episcopi illius loci, & tamen, nè eludatur iurisdictio Ecclesiastica poterit Episcopus ille euocare furem per citationem, antequam exeat à Territorio, personaliter, vel, si habeat domicilium, factam ad domum, vt inquiunt Silue. Excommunicatio 2. §. 10. & Sot. dist. 22. q. 2. art. 1. Et si nō comparuerit, aut restituerit, potest excommunicari; quod confirmari potest ex tex. in c. 1. De Rapto. Vbi Summus Pontifex concedit, vt qui iter agendo de loco ad locum aliquid rapuerint, possint excommunicari à Prælato illius loci. Quæ excommunicatio significetur Episcopo proprio, vt eos non recipiat, nisi ad locum, vbi commiserut rapinam redierint, & omnia integrè emēdauerint.

Infertur ex hac propositione, quod tale statutum, sub pœna excommunicationis prohibens, vel præcipiens aliquid in futurum comprehēdit solum eos, qui tempore promulgationis sunt subiecti Episcopo; quare excusabuntur ratione probabilis ignorantiæ illi, qui postea subditi fuerint ratione delicti, vel incolæ ratione personæ, & domicilij, vt inquit Silue. excommunicatio 2. §. 10. ad fin. ex l. Cunctos Populos C. De Sum. Trini. & Fide Catho. quia statutum sumit vires in continenti.

Verùm si ille subditus, qui deliquit, redeat ad suam Diœcesim, & conueniatur de furto coram suo Episcopo, poterit Episcopus illum compellere ad restituendum sub pœna excommunicationis.

Ex his etiam inferri potest ob eandem rationem tale statutum, aut Edictum non comprehendere subditum, qui intra Diœcesim furtum commisit, sed in loco exempto. Et ità dicunt Silue. excommunicatio 2. §. 12. & Armil. §. 30. Eodem modo si Episcopus excōmunicet omnes, qui ingrediuntur Monasteria Monialium, non includuntur subditi intrantes Monasterium exemptum, Silue. §. 13. Licèt oppositum sentiat Armill. §. 30. Neque etiam comprehenduntur, qui ex priuilegio sunt exempti à Iurisdictione Episcopi excommunicantis.

Locus dicitur exemptus à iurisdictione Episcopi, quando in eo Episcopus, intra cuius Diœcesim situs est locus, non potest ferre leges obligantes incolas, nec in eosdem potestatem ordinariam, & iurisdictionem exercere, sed vel est reseruatus Summo Pontifici, vel alicui alteri Episcopo, vel Prælato suppositus.

Probatur hæc doctrina, quoniam huiusmodi locus, quamuis sit intra fines Diœcesis Episcopi, quia clauditur terminis illius Territorij, formaliter tamen dicitur extra Territorium, quia non est subiectus iurisdictioni talis Prælati, idcirco in cap. Cum Episcopus de off. ordi. in 6. dicitur Episcopum in tota sua Diœcesi habere iurisdictionem ordinariam, dummodo nō sit locus exemptus, & in cap. 1. De Priuileg. lib. 6. definitum est exemptos posse conueniri corām Ordinatio ratione delicti, contractus, aut rei, dummodò in loco exempto non sit commissum delictum, aut initus contractus, vel res sit litigiosa. Tandem in Clem. vlt. de Priuileg. specialiter conceditur Archiepiscopis, vel Episcopis, vt in locis exemptis suarū Diœcesum quosdam actus pontificales exercere possit. Et ex hac peculiati concessione colligitur manifestè alios obire non posse; quod illicò declaratur prohibendo alios actus.

Hoc autem est intelligendum, quando locus est penitus exemptus, vt declaraui. Quando enim locus est exemptus ratione tantùm personarum in eo degentium, quæ priuilegiatæ sunt, Ordinat ius in illo loco potest exercere suam iurisdictionem erga suos subditos, vt sunt Ecclesiæ, & Monasteria Religiosorum exemptorum, quæ ratione illarum personarum tantum dicuntur exempta; quare si alij subditi in locis illis violarent statuta Episcopi, incurrerent excommunicationem.

A Quarta propositio, in qua etiam nulla est discrepantia apud Doct. si excommunicatio fertur per sententiam hominis, sub conditione de futuro, quæ tamen habet relationem ad factum præteritum commissum, tunc etiam facta mutatione domicilij ante impletam conditionem incurritur excommunicatio ab eo, qui non paret sententiæ.

Fundamentum huius propositionis est, quoniam licèt talis subditus mutando domicilium non maneat

B in futurum subiectus simpliciter priori Ordinario; tamen secūdum quid, potest remanere subiectus, quoad aliquam particularem causam, & ex consequenti in ordine ad excommunicationem latam. Explicatur exemplis hæc propositio; commisit quis furtum, vel aliud damnum intulit, Episcopus præcipit, vt spacio tot dierum satisfaciat parti læsæ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, si ad tempus assignatum non satisfecerit, ligatus erit excommunicatione, etiāsi ante diem termini mutauerit domicilium.

Ratio est, quia licèt post mutationem domicilii nō maneat subditus priori Prælato ratione domicilij, sicut antea erat, tamen remanet subiectus ratione delicti commissi, cap. fin. De foro compet. & idcireo in-

C cidit in excommunicationem, si nō pareat præcepto.

Idem dicendum est, quando non præcessit delictū, sed cœptum est Iudicium, & inchoata causa coram Prælato ratione contractus celebrati, vel debiti contracti; si Prælatus præcipit debitori, vt sub pœna excommunicationis satisfaciat iuxta formam contractus celebrati Creditori ad certum tempus, etiamsi mutauerit domicilium, elapso termino, & non satisfaciente incidit in excommunicationem. Hoc definitum fuit expressè in cap. Proposuisti de foro compet. & probari potest ex l. Si quis 7. ff. De Iudi. Tamen hæc doctrina patitur exceptionem; nimirum quando mutatio domicilii fieret vel propter commune bonum,

D aut vtilitatem publicam, vel præcepto Superioris, aut ex necessitate aliqua cogeretur reus mutare domicilium; tunc enim per mutationem domicilii liberaretur à potestate prioris ordinarij, etiamsi coram illo causa esset inchoata, vt docet Bart. in l. 1. ff. de pœn. & Glos. in dicta l. Si quis 7. ff. de Iudi. ex l. Qui autem ff. si quis cautionibus, quando scilicet mutaret domiciliū in his casibus sine animo redeundi; tunc enim non remaneret subditus priori Prælato, idcirco etiam impleta conditione, si non pareret præcepto, non esset excommunicatus.

Sed dubitari potest, An hæc doctrina, scilicet quod excommunicatio lata per sententiam sub conditione futura, quæ tamen refertur ad delictum præteritum

E obligat subditum, etiamsi mutet domicilium ante impletam conditionem, habeat locum, quando delictum non est consumatum, & perfectum, sed inchoatum solùm in loco, vbi lata est excommunicatio, vt in exemplo, quod affert Nauar. in Manual. c. 27. num. 6. Si lata sit excommunicatio ab Episcopo contra omnes Clericos non residentes in Diœcesi; an hæc incurratur etiam ab illis, qui mutarunt domicilium.

Respondet Nauar. In hoc casu incurri excommunicationem, quoniam hoc factum damnatum, scilicet non residere habuit initium ab ipsa Diœcesi, & satis esse, si opus sit inchoatum ad incurrendam excomm.

Sed

Sed hæc responsio non videtur sufficiens; nam quando sententia continens excommunicationem præfigit terminum ad aliquid agendum, non inchoatur cõtumacia donec terminus compleatur; quare simul est inchoari, & consumari contumaciam; idcirco, licèt interior contumacia alibi inchoetur, tamen ad incurrendam excommunicationem ibi committitur delictum, vbi exterius consumatur. Quare in exemplo proposito si lata sit excommunicatio contra Clericos non residentes, incurritur à Clerico absente, nõ, vt ait Nauar. quia delictum inchoatur in Diœcesi, sed potius è contra, quoniam, etsi non residere inchoatum sit extra, tamen intra Diœcesim consumatur in damnum ouium, sicut dicit Silue. excommunicatio 1. §. 8. Armill. §. 30. Hoc tamen videtur peculiare in excommunicatione, & aliis censuris, quæ non incurruntur, nisi contumacia perfecta, & consumata. Nam quantum ad alias pœnas corporales, & positiuas videtur diuersa ratio ex sententia Iurisconsultorum, scilicet delinquentem in duplici loco, in altero inchoando delictum, & in altero perficiendo, pœnis vtriusque loci subiectum esse pro ratione, & mensura culpæ l. 1. C. Vbi de Crimi. agi oportet, & ibi Doctores, & Bart. l. Dominium ff. de furt. sed in excõmunicatione, & aliis censuris hæc doctrina non habet locum, quia effectus censurarum non possunt diuidi, & separari, vel enim omnes proueniunt statim ex violatione præcepti, vel nullos, & non oriuntur nisi completa actione exteriori, vt si lata sit excommunicatio contra committentes homicidium in Ecclesia; si quis extra Ecclesiam emittens sagittam occidat hominem in Ecclesia, statim erit excommunicatus, quamuis inchoauerit homicidium extra Ecclesiam, Contra si quis ab Ecclesia emittens sagittam interficiat inimicum extra Ecclesiam, non erit excommunicatus, quamuis homicidium sit inchoatum in Ecclesia.

Sed obijcere posset aliquis, ex hac doctrina sequeretur, si subditus vulneraret aliquem lethaliter in propria Diœcesi, vbi extaret statutum prohibens homicidium sub pœna excommunicationis, & vulneratus extra Diœcesim moreretur, percussorem non ligari excommunicatione.

Respondeo negando consequentiam; nam in hoc casu percutiens lethaliter erit excommunicatus, quoniã quando dicimus ad incurrendam excommunicationem requiri delictum consumatum, & non sufficere, si sit inchoatum intelligimus delictum debere esse consumatum quantum ad actionem completam, & causam, non quantum ad effectum vltimum, Ille verò, qui percussit lethaliter, iam perfecit actionem integram, ex qua tanquam ex causa proxima sequitur mors naturaliter. Vnde etiamsi mors accidat extra Diœcesim, tamen incurritur excommunicatio, sed quando emittit sagittam manens in Ecclesia, & percutit hominem extra Ecclesiam, non afficitur excommunicatione, quia actio non completur in Ecclesia, percussio enim fit extra Ecclesiam.

Si contra instet quis, quid dicendum, quando prohibetur sub pœna excommunicationis, nè quis deferat frumentum extra Dioecesim, actio illa non potest compleri intra terminos Dioecesis.

Respondeo incurri excommunicationem in hoc casu in ipso termino, & vltimo limite Dioecesis, hęc enim sunt accipienda non mathematicè, sed moraliter.

Alia tamen ratio esset, si Episcopus præciperet subdito, vt Missam non celebraret extra Dioecesim; hoc enim præceptum esset impositum personæ, & ipsam

A respiceret per se; quare sequeretur personam, quocunque iret.

Quinta propositio, excommunicatio lata per sentẽtiam generalem, aut specialem in subditos, qui hoc, vel illud non egerint, puta si non soluerint ad certum tempus comprehendit subditos commorantes extra Dioecesim, qui domicilium non mutarunt, sed discesserunt animo redeundi. Si verò lata est per statutum illos non obligat.

Hæc propositio communiter affirmatur ab omnibus Doctoribus, illamque quantum ad primam partem satis confirmant rationes initio capitis allatę pro parte affirmatiua, probari etiam potest.

Primò quia ad constituendum domicilium requiri- B tur animus permanendi; quare si subditus transferat se in alium locum non animo permanendi, sed ex causa limitata ad tempus, qua finita rediturus est ad proprium domicilium, non censetur subditus illius loci, in quo ad tempus commoratur, sed intelligitur subiectus Episcopo loci domicilij permanentis, & idcirco potest ab eo per sententiam excommunicari. Et desumi potest argumentum à simili ex cap. Is qui de Sepult. in 6. Vbi expresè habetur, quod si quis se transferat ad Villam causa recreationis, vel vt culturæ agri vacet, non efficitur subditus Parocho Villæ, sed remanet subditus Parocho proprii domicilij; nec differre videtur, si quis se transferat ad Villam, vt ruralia exerceat, vel ad aliam Ciuitatem commigret, vt det ope- C ram studiis; vt expediat negocium; vt gerat officium, & munus publicum, vel vt aliud quodcunq; peragat, dummodo semper animum retineat redeũdi ad suum domicilium, & discesserit ad tempus limitatum, ergo eodem modo talis absens erit subiectus Episcopo domicilij, & obligatus parere eius mãdatis, & si illa violauerit, poenis erit obnoxius iuxta sententiam eiusdem Episcopi.

Confirmatur ex sententia Specul. in tit. De dispensatione §. Consequenter num. 5. asserentis Legatum, cui ex indulto concessum est posse dispensare cum irregularibus in Prouincia sibi commissa, non posse dispensare cum Scholasticis, & Alienigenis intra illam ad tempus degentibus, sed cum illis solum qui sunt in D ea perpetuò commoraturi.

Probatur secundò, quoniam sicut domicilium non sola habitatione, sed etiam animo simul constituitur ità, vt transferatur, & deperdatur, opus est habitatione, & animo, nempè desertione prioris habitationis, & animo permanendi in secundo domicilio. Quare si quis mutet habitationem solum discedendo à Dioecesi, animo tamen retineat domicilium, qui intendit post aliquod tempus redire, remanet omnino subiectus Episcopo domicilij. Quod autem domicilium acquiratur animo, & facto, non solo facto patet ex l. Domicilium, & l. Non vtique Ver. Constituerit ff. eodem, & l. Ciues Ver. Larem C. de Incol. lib. 10. Bart. l. Placet num. 1. ff. Ad Municip. & ità tenent Domi. cap. Cum nullus de Tempo. Ordin. lib. 6. num. 11. & Franc. num. 4. & est communis opinio.

E Sed petet aliquis; an sicut excommunicatio lata per sententiam comprehendit subditos ipsius Iudicis ratione domicilij, quamuis sint absentes, ita quoq. comprehendat subditos ratione originis, etiamsi alibi habitent.

Pro solutione difficultatis notandum est aliud esse domicilium originis, aliud domicilium habitationis, Domicilium originis est locus, vnde quis est oriundus, Domicilium habitationis est locus, vbi quis habitat

bitat animo permanendi. Differt autem primum à ſecundo, quod domicilium originis eſt immutabile l.Aſſumptio ff. Ad Municip. Vbi ſic habetur, *Neque recuſando quis Patriam, ex qua oriundus eſt, mutare poteſt.* Idẽ habetur l.Origine C.De Municipa.lib.10.& ratio eſt, quia eſt naturale; naturalia autem ſunt immutabilia. Domicilium autem habitationis ſicut propria voluntate, proprioque facto conſtituitur, ità poteſt propria voluntate, & facto mutari, & amitti l. Domicilium ff. Ad Municip.Sic docent omnes,& in ſpecie Menochius alios referens De Præſumpt. lib. 6. præſumptione 42. num.4.& conſ.80.num.10.Vol.1.

Hac poſita diſtinctione reſpondeo ad difficultatem ſententiam excommunicationis latam ab Epiſcopo non afficere ſubditos originis, ſi alibi habeant domicilium habitationis facto, & animo, & ratio eſt, quia eſt in poteſtate cuiuſcunque eximere ſe à Iuriſdictione vnius ordinarij, & ſubijcere ſe alteri per mutationem domicilij, vt ex iuribus citatis probauimus. Quo caſu Ordinarius ratione originis nõ habet iuriſdictionem in illum, vt poſſit obligare ad obſeruationem præcepti,& punire,ſi illud transgrediatur,in foro exteriori, Quamuis in adminiſtratione ſacramentorum non militet eadem ratio, maximè ſi loquamur de ſacramento ordinis, quod cõferre poteſt Epiſcopus ratione originis,licèt promouendus alibi habeat domicilium habitationis; quia in iure peculiariter decretum eſt pro ſacramento ordinis proprium Epiſcopum eſſe illum, de cuius Diœceſi Promouendus ad ordines eſt oriundus,vel in qua beneficium obtinet,vel domicilium habitationis cap.Cum nullus de Temp.ordi.lib.6. ſed ad exercendam iuriſdictionem in foro exteriori attenditur domicilium habitationis.

Ex his remanet confirmata propoſitio quantum ad primam partem, in qua conueniunt omnes, ſed difficultas eſt, cur potius excommunicatio lata per ſententiam obſtringat ſubditos ipſius Iudicis agentes extra Diœceſim, quàm ſi excommunicatio per ſtatutum promulgata ſit; quod affirmamus in ſecunda parte concluſionis.

Abb.in cap.fin. num.42. De foro compet. vt ſuperius vidimus, quem alij omnes ſequuntur, putat eſſe diuerſam rationem de ſententia, & ſtatuto; quoniam Statutum & lex Territorij, & præſcribit formam, & modum viuendi ipſis ſubditis in Territorio commorantibus, vt intelligant, quid eis agere, quid cauere oporteat,ſententia verò reſpicit perſonam directè, vt eius contumaciam coerceat, idcirco obligat abſentẽ. Sed cum Statutum primò & per ſe detur pro ipſo Territorio, vt homines in eo degentes habeant regulam, & formam viuendi,quam ſeruare debeant, propterea obligat præſents tantùm, & omnes præſentes, ſiue habeant domicilium,ſiue ſint habitantes ad tempus; pro illo enim tempore tenentur ſeruare leges illius Territorij,& ſe aptare moribus Regionis.

Tota igitur differentia inter ſtatutum, & ſententiam in hoc conſiſtit, quod regulariter ſtatutum obligat omnes verſantes in Territorio ratione Territorij, ſicut pari ratione obligat conſuetudo approbata. Sententia obligat perſonas, in quas directè pronunciatur,& hinc ſequitur, vt ſtatutum non obliget ſubditos degentes extra Territorium, ſententia verò liget ſubditos, vbicunque exiſtant, quia tota ratio incurrendi huiuſmodi excommunicationẽ eſt contumacia, & inobedientia,ſed ſubditus non parens Prælato, vbicunque exiſtat,eſt contumax, & inobediens. Neque diuerſitas Territorij poteſt impedire executionem ſen-

A tentiæ quoad excommunicationem, cum excommunicatio ſecum trahat executionem ſuam, vt probabam ſupra, arguendo pro parte affirmatiua.

Hinc inferri poteſt ob eandem rationem aliquando accidere poſſe, vt Statutum, aut præceptum generale Prælati obliget etiam ſubditos abſentes,quando ſcilicet latum eſt directè in perſonas, ſicut ſi eſſet ſententia generalis,aut ſpecialis,explico exemplo, Prælatus Regularis præcipit, vel promulgat ſtatutum, vt omnes Religioſi ieiunent qualibet feria quarta, & ſexta ſub pœna excommunicationis; ſi Regularis ſine cauſa violet hoc Edictum,vel ſtatutum etiam manens extra Prouinciam, incurrit excommunicationem. Contra vero ſi in aliqua diœceſi eſſet ſtatutum Territorij, B vt ſubditi ieiunarent feria ſexta, quando ſubditus eſſet abſens, non teneretur ieiunare. Oportet igitur inueſtigare; an ſtatutum reſpiciat per ſe, & directè perſonas;an Territorium, & quia regulariter impoſitum eſt Territorio; ideo in dicto cap. Vt animarum decretum eſt non comprehendere ſubditos abſentes.

Sed quæret quis,ſi ſententia excommunicationis ligat abſentem, quando talis ſententia parit effectum ſuum, & quando reus, contra quem ſententia fertur, vinculo excommunicationis erit obſtrictus; an in eo inſtanti,quo ſententia,pronunciatur,an quando ei innotuit talis ſententia, & idem eſt,ſi quæramus quando quis excommunicatur per epiſtolam, an incurrat excommunicationem, quando ſcribitur epiſtola, vel C quando ad eum delata eſt.

Gloſ.in cap. Apoſtolicæ Ver. Probabilis de Cleric. excom.mini. poſt med. diſtinguit, vel Iudex, qui excommunicauit,voluit,vt ſtatim Reus eſſet excommunicatus, & tunc eo ipſo excommunicatione afficitur, ſed ei non obeſt,donec ſciuerit, arg.c.1.4.q.5. Vbi habetur *Ex quo literas accepiſſe conſliterit*, & l. Si mandatum ff. Manda. Vel non conſtat de hac voluntate Iudicis, quo caſu tunc demum erit excommunicatus, cum receperit literas. Sic diſtinguit lex in ſeruo manumiſſo per literas l.Qui abſenti, & l. Si quis cui §.1. ff.De Acqui.Poſſeſſ. & ideo non imputatur ſententia ignoranti, quia nulla ſententia ligat efficaciter, niſi poſtquam ſcitur cap.Biduum 2.q.6.quando probabi- D lis eſt ignorantia, ſecus ſi craſſa ſit, & ſupina, cap. Illud de Cleri. excom. Mini. Ibi enim craſſa erat ignorantia,cum per famam ſciret ſe eſſe excommunicatũ.

Poſtremò, vt concludam hoc caput, illud etiam quæri poteſt; an Prælatus extra Diœceſim manens poſſit excommunicare ſubditum delinquentem in propria Ciuitate.

Reſpondeo Epiſcopum exiſtentem extra Territorium nõ prohiberi ferre excommunicationem in ſuos ſubditos iure naturali, vel diuino,ſed tantum iure poſitiuo eccleſiaſtico cap. Epiſcopum 11.q.3. & ratio eſt ſecundum Hoſt. Quoniam nemo excommunicari debet ſine cauſa cognitione 11. q.3. cap. Nemo. Cauſæ vero cognitio requirit, vt Iudex ſedeat pro Tribuna- E li;at ſacris Canonibus eſt prohibitum Prælatum extra Territorium ſuum habere Tribunal erectum, & cum ſtrepitu, & figura Iudicij aliquid diſponere poſſe, dicto cap. Epiſcopum, ex conſequẽti extra Territorium non poterit ſententiam excommunicationis proferre, niſi Epiſcopus eſſet expulſus à ſua Sede, Tunc enim poſſet hanc iuriſdictionem exercere in loco viciniori Epiſcopatui,Clement.vni. De foro compet.aut de conſenſu Epiſcopi,in cuius Ciuitate manet, vt addit Nauar. cap.27.in Manua.num.6.ex Rot.13.De Conſuet. in Antiq. Quidam etiam idem concedunt, vt notat

Sil-

Silue. excommunicatio 1. §. 6. & conſentit Nauar. in re notoria,& manifeſta,quæ non indiget cauſæ cognitione 9. quæſt.3. cap.fin. arg. cap. Cum ſit §. fin. De Appella.

Sed poſtulabit aliquis, An ſententia Lata ab Epiſcopo commorante extra Territorium ſit nulla, an verò peccet ſolum Epiſcopus pronuncians hoc modo contra diſpoſitionem Canonum, ſed ſententia excommunicationis valida ſit, & verè afficiat ipſum ſubditũ.

A Reſpondeo talem excommunicationem eſſe inualidam, & colligitur ex dicta Clem. vni. De Foro Compet.& ex cap. Nouit De Off. Deleg. Et ad hunc modum manet expeditum hoc Caput, ſimulque abſoluta ſit Diſputatio De Cauſa efficiente excommunicationis; Tranſeundum eſt modo ad tractationem de Subiecto ipſius Excommunicationis.

DE SVBIECTO EXCOMMVNICATIONIS, IDEST DE IIS, QVI POSSVNT EXCOMMVNICARI.



POST Diſputationem de Cauſa Efficiente Excommunicationis ſequitur ſuo ordine, vt tractetur de Subiecto,ſcilicet de iis,qui poſſunt cenſura excommunicationis obſtringi; Habent enim intrinſecam relationem ad illos, quibus competit poteſtas excommunicandi, tanquàm ſubditi ad ſuos Superiores.

DISPVTATIO DECIMA:

CAPVT I.

Quæ conditiones requirantur, vt quis vinculo excommunicationis legitimè obſtringi poſſit.

IN hoc Capite declarabimus in genere conditiones requiſitas,vt quis validè excommunicari poſſit;

B Deinde in ſequentibus Latius ſingulas conditiones diſcutiemus in ſpecie.

Conditiones neceſſariæ in Subiecto, vt ſit capax excommunicationis,ſunt, vt ſit homo,Viator,Viuẽs, Adultus,& Baptizatus, qui in Terris Superiorem habeat. Hæc omnia requiruntur, vt Excommunicatio poſſit obſtringere Excommunicatum, & omnes hæ conditiones enumerantur communiter à Doctoribus, qui de Excommunicatione tractant; Et eædem conditiones ſunt neceſſariæ etiam in Suſpenſione, & Interdicto. Declaremus breuiter ſingulas conditiones. Debet excommunicari homo,quia ſolus homo eſt capax delicti, & emendationis, & Excommunicatio fertur propter delictum,& contumaciam ad emendationem

C ipſius Contumacis, ergo ſolus homo erit capax excommunicationis. Hinc ſequitur bruta animalia, quæ neq. peccare,nec corrigi poſſunt,non eſſe capacia excommunicationis; Nauar. cap.27.num.13.in Manuali;Domi.Sot. diſt.22.quæſt.2. art.2. & omnes alij. Deinde debet eſſe Viator propter eandem rationem, quia qui corpore iam exutus eſt,& peruenit ad terminum, nõ poteſt emendare delictum, & ſe corrigere,vt qui damnatus eſt. Accedit præterea, quod ſi non eſt Viator,non pertinet ad Forum Eccleſiæ;Vel natura ſua vt Angelus, vel ratione ſtatus vt Anima ſeparata. Tandem effectus,quos parit excommunicatio, vt priuatio Sacramentorum,& externæ communionis, non poſſunt habere locum, niſi in homine Viatore. Tertia

D conditio, vt ſit Viuens, quia Mortuus non poteſt excommunicari;Vel enim excommunicaretur Anima ſeparata, & hoc dici non poteſt, quia vel eſt in Inferno, & iam patitur vltimam poenam,nec per excommunicationem poſſet augeri, vel in Purgatorio, & tũc non eſt digna tali poena,cum ſit certa, & ſecura de ſua felicitate. De Beatis res eſt clara;Corpus autem excommunicari nequit,cum nec ſit capax rationis,nec emendari poſſit,& Doctores omnes conueniunt in hac cõditione. Quarta conditio, vt ſit Adultus, quia, ſi non peruenit ad vſum rationis, non poteſt eſſe reus culpæ mortalis, quæ eſt cauſa,vt quis legitimè excommunicari poſſit,nec poteſt ſe corrigere,& emendare, & eſt finis excommunicationis. Quinta conditio, vt ſit baptizatus,

tizatus, cap. Omnis Christianus 11. q. 3. Quare nec Iudæus, nec Ethnicus, & Infidelis, qui non sunt baptizati, sunt capaces excommunicationis, & ratio est, quia cum careant baptismo, quo quis subijcit se foro Ecclesiæ, & se obligat ad obedientiam Ecclesiæ, & ad obseruationem legum ecclesiasticarum, non possunt pœnis, & censuris ecclesiasticis obstringi. Sexta, & postrema cõditio, vt in Terris superiorem habeat. Quare Papa excommunicari non potest, quia nullum habet in Terris superiorem; vt enim excommunicatio sit valida, & obliget excommunicatum, requiritur, vt incutiatur ab eo, qui habet iurisdictionem in ipsum Reum, sed Papa nullum habet Superiorem, ideo non potest excommunicari; nulli enim homini subijcitur cap. Proposuit de concess. præb. cap. Cuncta per Mundum 9. q. 3. Quare neque si in hæresim, vt talis persona incideret, ligaretur excommunicatione lata ab ipso Iure contra hæreticos, vt probat Caiet. in Tract. de Auct. Papæ, & Conc. cap. 10. 19. 20. Quidquid dixerit B. Antoni. 3. par. tit. 24. c. 73. §. 1. His igitur conditionibus constituitur subiectum capax excommunicationis, sed ad clariorem notitiam latius sunt explicandæ singulæ, & dissoluendæ difficultates, vt veritas innotescat.

CAPVT II.

An necessario in omni excommunicatione subiectum debeat esse Homo Viator.

Ratio dubitandi desumi potest. Primo quoniam legimus aliquando fuisse consuetudinem in aliquibus locis præcipiendi Brutis Animantibus, vt Bruchis, Locustis, Cantaris, & alijs insectis, quæ semina depascuntur, & spem Agricolarum deludunt, vt intra certum dierum spacium sub pœna excommunicationis latæ sententiæ terminos illius Territorij desererent, & ab illius finibus discederent.

Secundò Paulus anathema dicit in eum, qui contra Euangelium docet, etiamsi Angelus sit ad Galat. 1.

Tertiò in Exorcismis, quibus solet vti Ecclesia in adiuratione Dæmonum, sæpe excommunicari, & anathematizari Dæmones dicuntur.

His igitur apparet non solum homines posse excommunicari, sed Angelos, Dæmones, & ipsa etiam Bruta Animantia, sed facilè hæc solui possunt, & certum esse debet solos homines excommunicari posse.

Quare quod dicitur de Locustis, & Bruchis, & cæteris huius generis insectis animalibus, animaduertere oportet abusum quendam vigere, & superstitionẽ quandam multis in locis, vt ad liberandos agros, nè perniciem patiantur, & deuastationem ab huiusmodi animalibus, Rustici soleant vocare Impostores quosdam, & conducere magno precio, qui vendicant sibi artem, & peculiarem potestatem à Deo concessam esse expellendi, & necandi huiusmodi animantia, & ad hunc finem solent hanc praxim seruare. Impostor accersitus se constituit Iudicem, Comparent coram eo duo Procuratores, vnus causam Populi agens fungitur vice Accusatoris; alius à Vicario Episcopi, vel Regio officiali loci constitutus, subit vicem Rei pro Locustis, seu aliis insectis, litẽ contestantur, & seruantur processus ordinarii, omnes moræ, & dilatorij termini Iuris conceduntur, tandem concluditur in causa, & ille fictus iudex fert sententiam, qua iubet insecta illa intra tot dies ab illis terris discedere, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ &c.

Quæ omnia apertissimam continent superstitionẽ, vt omnes Doct. affirmant teste Ceruelo in par. 3. De Superstit. c. 10. Nauar. in Conf. 52. De sent. excom. nam lis institutur cũ creatura irrationali, quæ, quid agatur, nec scit, nec sentit, nec potest intelligere. Et cum illa insecta naturaliter nascantur, iniusta est excommunicatio, cum nec peccare mortaliter, nec venialiter possint, & sine peccato excommunicatio ferri non possit. Blasphemum verò est, hanc sacrãm Ecclesiæ cẽsuram sic derisui, & ludibrio habere; non secus ac si quis sub pœna excommunicationis iuberet Canibus, nè latrarent, & Lupis, nè vlularent, aut Vulpibus, nè raperent Gallinas. Denique constat omnia hæc acta iudiciaria nec naturalem, nec supernaturalem vim habere contra huiusmodi insecta. Debent igitur moneri à Prælatis, & Pastoribus Ecclesiæ fideles in his locis, in quibus hæc superstitio est in vsu, vt illam tollant, & abijciant, & vtantur potius remedijs tum ecclesiasticis, tum naturalibus. Naturalia docent libri, qui de rebus rusticis, & de ratione, ac modo colendi agros tractant, qui plurimi sunt non solum ab Antiquis, sed etiam recentioribus Auctoribus conscripti. Pro ecclesiastico remedio licebit illud desumere ex historia, quam idem Ciruelus vbi supra recenset. Fuit olim multis annis Cantabria, totaque Hispania Tarraconensis, infestata à Vermibus, qui quotannis fructus omnes terræ absumebant. Miserunt Populi illi ad Sedem Apostolicam petentes consilium, quid facto foret opus. Motus eorum precibus Romanus Pontifex eo misit Legatum Episcopum Hostiensem Gregorium nomine, virum eximia prudentia, & sanctitate, qui, vt in Hispanias aduenit, crebris concionibus populos illos à varijs vitiis ad seriam pœnitentiam perduxit, præsertim publicorum flagitiorum; Postea instituit fieri Processiones publicas, sæuientium in tergum flagellis, indixit aliquot dierum, eleemosynas, ieiunia, ac preces. Demum vestitus ornatu Pontificio Missas in Altari portatili in ipsis agris celebrauit, qui magis erant calamitosi, sic fugauit, necauitque multitudinem Insectorum adeo, vt deinceps post multos annos ab hac peste immunes omnino agri fuerint. Huius igitur sancti ordinem, & exemplum alij sequi possunt, & erit salutare remedium ad hanc pestem repellendam. Possunt etiam fideles sanctè, & religiosè contra hæc animalia vti sacra ceremonia, quæ præscribitur in Ritualibus Ecclesiasticis, vt animaduertit Nauar. in Manual. cap. 27. num. 13. & in dicto conf. 52. scilicet aqua benedicta, precibus, & adiurationibus, quæ innituntur diuina misericordia, & bonitate, & verbis ex sacra scriptura, & canonicis Scriptoribus desumptis ex institutione Ecclesiæ. Qua in re Confessarii quoque diligenter curare debent, vt auertant animos suorum Pœnitentium, nè huiusmodi superstitionibus vllam fidem præstent, & ab illarum vsu eos remoueant, illisque ostendant esse inuenta Dæmonis, doceantque pia, & christiana remedia, quæ hactenus insinuaui.

Sed obijciet aliquis contra hæc dicta; nam in orationibus, quibus solẽt vti ministri Ecclesiastici in adiuratione, & exorcizatione horum animalium, admisceri solet sæpè nomen anathematis, & excommunicationis, & huiusmodi animalia anathematizantur, ergo non est superstitiosum illa excommunicare.

Respondeo verbum Anathematizo non semper assumi, vt significet, vinculo censuræ ecclesiasticæ excõmunicationis aliquem obstringi, sed interdũ vsurpari, vt idem sonet, quod apud Latinos scriptores valet Detestari; Execrari; Maledicere; Dirum exitium alicui imprecari. Et in hoc sensu hæc vox excommuni-

catio, vel excommunico, vel aliæ similes accipiuntur, cum exorcizantur prædicta animalia tanquam imprecationes quædam, quibus Christianus Populus à Deo postulat, vt illa auertat ab illis Regionibus, destruat, & ad interitum reducat; Quare Ministri Ecclesiastici non vtuntur his verbis in exorcizandis brutis animalibus intentione ferendi censuras Ecclesiasticas contra illa animalia, illaq. vinculo excommunicationis alligandi; sicut faciunt illi, qui audacter promittũt posse illa certò eiicere. Hoc enim est omninò superstitiosum, sicut rectè annotauit etiã Nauar. in Manua, cap. 27. nu. 13.

In eandem significationem accipitur verbum Anathema à Paulo, cum dixit: *Qui aliud euangelizauerit, quàm quod ego euangelizaui, anathema sit*, idest execrandus, maledictus, detestabilis, sicut etiam apud Marcum cap. 14. De Apostolo Petro habetur; quod cœpit anathematizare, quod Matt. cap. 26. describit his verbis videlicet: *Cœpit detestari, & iurare quod non nouisset hominem &c.* Paulus autem eo in loco quasi exagerando addit: *Etiamsi esset Angelus, vt ostenderet Euangelii firmitatem, & stabilitatem.* Et hoc modo interpretatur Basilius locum Pauli in Regulis breuioribus, cum ait: *Talis fugiendus est, atq. execrationi habendus, scilicet qui aliam fidem prædicauerit.* Et eodem prorsus sensu vsurpantur hæc verba in adiuratione Dæmonum, non vt significent veram Censuram Ecclesiasticam, qua intendat Exorcista Diabolum obstringere, sed pro maledictione, & detestatione, qua vult compellere Dæmonem virtute potestatis ordinis, qua fungitur, & orationum, & precum ab Ecclesia institutarum, vt exeat à corpore obsesso, & desinat illud amplius vexare, & torquere.

Et hoc modo accepta similia verba non solum in bruta animalia, sed etiam in res inanimas vsurpari solent; Sic, cum Hæretici abiurant errores suos, solent vti hoc verbo Anathematizare, vt passim Legimus apud sacros Canones, & patet ex cap. Ego Berengarius De Consecr. dist. 2. & cap. Donatum cum aliis 1. q. 7. & aliis multis. Concludamus iam ea dictis solum hominem capacem esse excommunicationis, & aliarum Censurarum.

CAPVT III.

An solus Homo viuens excommunicari possit.

PRoponitur hæc quæstio, Primò quoniam Mortuus videtur capax absolutionis, per quam excõmunicatio remittitur, & relaxatur, vt constat ex cap. A nobis 2. & cap. Sacris De Sent. Excom. & ex multis cap. 24. q. 2. ergo erit capax excommunicationis; Est enim par ratio, & nulla potest assignari causa diuersitatis cap. Verbum De Pœnit. dist. 1.

Secundò Mortuos posse excommunicari, & fuisse aliquando excommunicatos ex ipso Iure pluribus in locis apertè constat in cap. Sanè 24. q. 2. De Hæreticis dicitur Post mortem esse anathematizandos, & condemnandos, cap. Neque 88. dist. refertur; Ciprianum lib. 1. Epistola 9. propter crimen quoddam, mortuum excommunicasse in cap. Si quis Episcopus De Hæret. præcipitur, vt propter quædam delicta Episcopi saltẽ post mortem ei anathema dicatur, atq. eius nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur. Vbi Glosa affirmat hoc esse speciale in crimine hæresis, Idem colligi potest ex aliis sacris Canonibus.

Tertiò post mortem durat excommunicatio, si quis in vita Censura excommunicationis obstrictus, ante

A mortem non fuit absolutus, & idcirco in eo casu datur absolutio post mortem tanquam necessaria, vt patet ex citatis cap. A nobis, & cap. Sacris; Ergo potest post mortem excommunicatio incurri, quia eiusdem rationis est ligatum permanere, vel de nouo ligari, si remanet excommunicatio post mortem, ergo potest inferri post mortem; Immò in dicto cap. A nobis dicitur aliquando Ecclesiam ligasse mortuos, & soluisse.

Sed ex altera parte non videtur Defunctus capax excommunicationis; Nàm excommunicatio est pœna, quæ infligitur ab Ecclesia ob contumaciam, & peccatum. Sed Defuncti non sunt amplius in statu demerendi, & peccandi, ergo ab Ecclesia non possunt puniri pœna excommunicationis.

B Secundò si solus homo potest excommunicari, & defunctus non est homo, sed cadauer cap. 1. De Sum. Tri. & Fide Cathol. ergo non poterit excommunicari.

In hac quæstione duæ sunt oppositæ Doctorum opiniones; Altera negatiua multorũ, qui negant mortuos excommunicari. Ità sentiunt Io. de Lignano in tit. De Censuris §. 9. nu. 2. & 3. Nauar. in Manua. cap. 27. n. 13. Couar. in cap. Alma Mater prima par. §. 11. num. 8. Alphon. à Castro lib. 2. De iusta Hæret. punit. cap. 19. & 20. Sot. in 4. dist. 22. q. 2. art. 2. Silue. Excommunicatio 1. §. 7. & alij; Vnde Couar. inquit hanc opinionem esse communem, & probatam ab omnibus Theologis, & Canonistis, & contrariam esse omninò falsam.

Altera est affirmatiua aliorum, qui putant mortuũ
C excommunicari posse; Est opinio Glo. in citato cap. Si quis De Hæret. Ver. Post mortem; Vbi ait *Speciale esse in crimine hæresis, vt hæreticus post mortem possit accusari, & excommunicari*, & cap. Iudæi 2. De Iudæ. Ver. Permittatur, tenet *Christianum etiam post mortem esse excommunicandum, qui aliquid ex testamẽto reliquerit Iudæo.* Eandem sententiã sequuntur, Abb. in dicto cap. Si quis De Hæret. Romanus in Singul. 725. Tabien. Excommunicatio 4. §. 1. Gabr. dist. 18. q. 2. art. 2. concl. 5. corol. 4. & Riccard. ead. dist. art. 5. q. 4. Tabien. Ver. Excommunicatio 4. num. 1. affirmant isti; Hæreticos, & Schismaticos post mortem excommunicari posse, vel eum, qui Hæreticum constituerit hæredem cap. Sanè profertur 24. q. 2. Vel qui se ipsum voluntariè occide-
D rit cap. Placuit 23. q. 5.

Hæc quæstio disputatur à Gratiano in vtramq. partem 24. q. 2. Primum pro parte negatiua multis auctoritatibus à cap. 1. vsq. ad vlt. Deinde in dicto cap. Sanè profertur vlt. pro affirmatiua, quod mortui possunt excommunicari, & absolui; Et Euagr. lib. 4. Histor. Eccles. cap. 37. refert in Concilio quinto Generali, de hac re disputatum esse, vbi pleriq. senserunt posse anathema ferri in Hæreticos post mortem, cum eos constiterit, cum hæresi decessisse.

Ex his duabus opinionibus prior est communior, & probabilior, & magis rationi consentanea, quàm sequentes, dicimus ad quæstionẽ Primò Defunctum ho-
E minem verè, & propriè excommunicari non posse, & ideo necessariam conditionem esse, vt quis per sententiam excommunicationis alligari possit, vt viuat.

Hæc Conclusio pluribus probari potest. Primò, vel excommunicatio fertur à Iure, vel ab homine; Si est Lata ab ipso Iure, vel cõtracta est in vita per transgressionẽ Legis, sed erat occulta non probata in Iudicio, nequè denunciata, sed post mortem probata fuit; Quo casu non incurritur excommunicatio post mortẽ, sed declaratur excõmunicatus in vita ille, cuius excõmunicatio erat ignota; Si verò talis excommunicatio nõ fuit in vita contracta, neque post mortem incurri poterit,

terit; tum quia homo post mortem non est alligatus legibus ecclesiasticis; tùm etiam quia Cadauer nō potest transgredi leges huiusmodi. Si vero excommunicatio fertur ab homine, multo minus pōt pronunciari in Defunctū, quia requirit monitionē, quæ mortuo fieri non pōt, neq; contingere potest, vt sit facta monitio in vita, & postea reus moriatur, antequam lata sit sententia, quoniam id potest tantum locum habere in sententia declaratoria, quæ respicit tempus præteritū, & solū declarat crimen commissum in vita, & pœnam ipso iure illatā, quam potest exequi Iudex etiam post mortem quoad ea, in quibus Corpus, & Cadauer puniri pōt. Sed aliud est dicendum in sententia condemnatoria, quæ pœnam imponit, & idcirco requirit tunc actualem iurisdictionem in reum, vt possit illum condemnare, quam Iudex in mortuum non habet maximè si loquamur de pœna excommunicationis, quæ non fertur, nisi pro contumacia, & inobedientia, quæ non habet locum in Defuncto.

Confirmatur Potestas excommunicandi (vt sæpè dictum est) concessa est à Christo Ecclesiæ illis verbis Matt. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum &c. Tādem dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus.* Sed hæc verba dicta sunt de illis, qui in hac vita degunt, qui possunt corrigi, & moneri, & non de mortuis, ergo mortui non possunt excommunicari.

Secundò Gelasius Papa in c. Legatur 24. q. 2. dicit nullum post mortem posse ab excomm. in qua decessit absolui, & reddit causam, citans verba illa Saluatoris Matt. 17. *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cælis.* Ex quibus verbis colligit Gelasius causam, cur degens in excommunicatione non possit absolui post mortem, quia videlicet non est super terram, ergo eadem ratione defunctus non poterit excommunicari, quia non est super terram.

Tertiò si Episcopi haberent potestatem excommunicandi defunctos, possent illam exercere pro quocunque crimine graui contra mortuos, sed Auctores contrariæ opinionis coarctant hanc potestatem solum ad crimen hæresis, & alia quædam peculiaria scelera præcise, ergo debent aliqua ratione probare, vel auctoritate ostendere hanc iurisdictionem ampliorem fuisse concessam à Christo contra Defunctos specialiter in crimine hæresis, non in alijs delictis, nam Deus tribuit generalem potestatem excōmunicandi eos, qui viuūt, c. Damnatioꝛis 24. q. 2. Sed cum nullo modo ostendere possint potestatē aliquam excommunicandi peculiarē concessam fuisse à Christo Ecclesię latiorem erga hæreticos, quàm contra alios delinquentes; igitur si generaliter post mortē pro quocunq; genere criminis excōmunicari non possunt delinquentes, neque etiam Hæretici, licet enim speciale aliquid sit in hæresi quo superare videatur alia scelera in prauitate, sed non est speciale aliquid in potestate excōmmunicandi à Christo concessa Ecclesiæ, vt ampliorem acceperit contra hæreticos, quam contra alios criminosos.

Tandem excōmunicatio non fertur nisi pro crimine quod contumaciā habeat annexā sed crimina morte extinguuntur c. Quorundā dist. 23. & c. Accusatus. §. si vero ad fi. de hæret. lib. 6. & l. 1. & 2. C. si Reus vel Accus. mort. fue. Ergo post mortem nemo excom. pōt.

His igitur rationibus videtur expresse confirmari hæc doctrina, quod defuncti verè, & propriè non excommunicantur.

Quæ vero pro contraria opinione afferuntur, solui possunt. Cū enim primo loco desumebatur argumen-

A tū ex c. A nobis 2. de sent. excom. Vbi Innoc. III. statuit post mortē posse impendi absolutionem ab excom. in qua Defunctus decesserit, & concludit in quibusdā casibus Ecclesiam posse ligare, & absoluere mortuos.

Respondendum est, primo quando in Iure dicitur defunctum posse absolui ab excommunicatione, in qua decessit, hoc dictū intelligendum esse de sententia, per quam declaratur decessisse è vita cum signis contritionis, & ex consequenti absolutus coram Deo.

Vel dicendum est, vt inquit Castro in c. 20. Per absolutionem traditā post mortem non tam absolui defunctū, quam liberari alios fideles ab obligatione, qua prohibebantur ex præcepto Ecclesiæ, nè pro illo, qui in excom. decesserat, publicè ad Deum orarent, Con-
B cessa enim absolutione id liberè permittitur. Verum quia talis facultas viuentibus concessa in vtilitatē cedit defuncti; idcirco ipse Defunctus dicitur absolui. Et hæc responsio desumitur ex verbis Sum. Pontif. in illo c. A nobis 2. De sent. excom. Ibi enim sermo est solum de illa absolutione, qua conceditur facultas Viuentibus, vt possint orare, & sacrificia offerre, & alia pia opera pro defuncto exercere; ideo subiungit Papa *Aliquem esse apud Deum absolutum, qui coram Ecclesia est ligatus,* Quod nō alia ratione locum habere potest, nisi quia talis solum ob hanc causam dicitur ligatus apud Ecclesiā, quia alij ab Ecclesia ligati sunt, nè pro illo orare possint, & ideirco Defunctus dicitur ligatus, quia hoc cedit damno, & incommodo illius. Et
C hæc responsio magis declarabitur ex his, quæ dicam statim ad secundum argumentum.

Ad secundum argumentum desumptum ex pluribus cap. in iure, respondendum est, Primo illa intelligi posse, sicut diximus ad tex. in dicto c. A nobis de sententia declaratoria; nam hæretici, vel alij similes sunt excommunicati ipso iure, & ideo si in vita de eorum hæresi non constabat & post mortem innotescit, per sententiam excommunicantur, & anathematizantur, ex consequenti suffragijs Ecclesiæ, & ecclesiastica sepultura priuantur. Sed tunc non fertur censura excommunicationis in ipsos, qua ligati erant in vita ipso facto propter hæresim, sed promulgatur solom, & manda-
D tur seruari sententia illa, quæ ab ipso iure lata fuerat in hominem, dum viuebat.

Secundo responderi potest, vt inquit Castro in dicto cap. 20. lib. 2. De iusta hæret. punit. excommunicationem non solum parere effectum in excommunicato, sed etiam in alijs fidelibus, quoniam, cum Ecclesia pronunciat sententiam excommunicationis in aliquē, eo ipso alios obligat, nè pro illo apud Deum publicas, & solemnes fundant preces, aut sacrificia offerant, aut consortium vllum cum ipso excommunicato habeāt. Excommunicatus vero multis malis, & incommodis spiritualibus, & corporalibus afficitur per excommunicationem, quorum alia ad corpus, alia ad animam pertinent, excommunicatus enim tanquam
E membrum putridum separatur, & abscinditur ab hoc corpore Ecclesiæ, quare ei non prosunt communes Ecclesiæ preces, & alia opera pia, quæ fidelibus omnibus ex institutione Ecclesiæ communicantur; est priuatus vsu sacramentorum, consortio externo fidelium, ecclesiastica sepultura, & aliis multis, vt vidimus agentes de effectibus excommunicationis. Modò inquit Castro, si loquamur de bonis spiritualibus, quibus excommunicatus per excommunicationem priuatur, Ecclesia circa defunctum nihil efficere potest, quoniam anima, quæ his spiritualibus incommodis est affecta, post separationem à corpore

A non subijcitur amplius iudicio Ecclesiæ. Si verò sit sermo de illis malis, quæ sequuntur corpus, vt est carentia ecclesiasticæ sepulturæ & alia, hæc vtique possunt ab Ecclesia inferri post mortem, quoniam corpus defuncti adhuc est Ecclesiasticæ potestati subiectum, sed id propriè non est pœnam excommunicationis in mortuum inferre, sed potius impetare Viuis, vt non audeant in talem defunctum hæc, & illa Christianæ pietatis officia exercere. Sed præter hæc damna & animæ, & corporis, quibus per excommunicationem vexatur, & torquetur Excommunicatus, Ecclesia prohibet, ne alij Fideles audeant pro Excommunicato orare, aut sacrificia ad Deum publicè porrigere, neq; eius nomen in sacris Diptychis inter Missarum solemnia vnà cum alijs Defunctis pronunciare. B Diptycha verò duæ tabulæ erant; quarum altera Viuorum, Altera Mortuorum, ea nomina continebant, quæ in Missa recitabantur; Et hoc Ecclesia præcipere potest etiam post mortem; Vnde indirectè læditur Defunctus ipse; Nam licet sit extra Ecclesiæ iudicium constitutus, tamen alij Viuentes, quos hoc mandatum per se, & directè respicit, potestati Ecclesiæ subijciuntur. Quare talis obligatio non dirigitur ad Defunctum, sed ad viuentes.

Et hæc videtur etiã responsio Couar. in illo §. Vndecimo nu. 8. inquit enim Ecclesiam militantem nec ligare, nec soluere mortuos, sed potius declarare eos decessisse ligatos, vel absolutos; Vel certè Ecclesiam C nõ ligare, vel absoluere mortuos, quoad ipsos, sed quo ad actus, vel effectus per viuos erga Mortuos agẽdos.

Ad tertium argumentum ex dictis patet responsio. Dicimus post mortem non remanere censuram verè, & propriè, sed remanere solũ in foro Ecclesiæ, & ideo necessariam esse absolutionem non per se, & simpliciter, sed solum quantũ ad Ecclesiam; Nam aut Excõicatus decessit in gratia, & tunc est absolutus coram Deo, aut in peccato, & est dãnatus, & iã sustinet pœnã vltimã, & maximã, & absolutio nihil ei prodest. Et sic remanent soluta argumẽta in contrariã partẽ allata.

Ex his apparet, quo pacto sunt intelligenda multa exempla, quæ leguntur apud Historicos, quibus significari videtur aliquando mortuos excommunicatos D fuisse; Vt est illud Arsacij, qui fuit Chrisostomi in Ecclesia apud Constantinopolitanos successor, & exauctoratus est ab Innocentio Romano Pontifice cum omnibus, qui consulto cum eo communicassent, & Chrisostomum eiecissent, Nicephorus lib. 13. cap. 34. B. Aug. Epis. 50. Ad Bonifacium de Ceciliano Carthaginensi olim Episcopo scribit, se ipsum quamuis mortuum excommunicaturum, si ea, quæ à Donatistis ei fuissent obiecta, vera esse monstrari possent, scilicet prohibiturum, ne alij Fideles pro ipso orarent, neque pro illo offerrent ad Deum sacrificia Ministri Ecclesiastici, sicut pro alijs fidelibus defunctis, simulque ne eius corpus ecclesiasticam haberet sepulturam.

E Narrat B. Gregorius in Dialogis lib. 2. ca. 27. duas quasdam Sanctimoniales petulanti laborasse lingua aduersus religiosum quemdam virum, qui ad exteriora necessaria eis obsequium præbebat, & incautis sæpè sermonibus ad iracundiam prouocasse. Vir autem ille quantas pateretur contumelias, ad hominem sanctum referebat, & ille minando dixit Mulieribus; Nisi correxeritis linguas, excommunico vos. Mortuæ sunt mulieres, & in Templo sepultæ. Cum autem tempore Missæ Diaconus clamasset de more; Si quis non communicat, det locum, vidit earum Nutrix etiam istas sepultas mulieres è tumulo surgere, atque è Templo A exire. Postea verò oblatione pro defunctis facta ad eadem sepulchra redijsse.

Memorabile quoq; ad idẽ confirmandum est exemplum illud, quod testatur Cyprianus Epist. 66. Narrat enim perlatam querelam fuisse ad Concilium Africanum, quod moriens Christianus homo presbyterum filijs suis Tutorem ex Testamento reliquisset, quod Concilij decreto prohibitum erat, ne quis Tutorem, aut Curatorem de Clericis, & Dei Ministris Testamẽto suo constitueret, quia nemo militans Deo obligare se debet molestijs secularibus, vt possit placere ei, cui se probauit. Quod facinus perinde ac impium, & detestabile quam acriter vlta sit Sancta Synodus declarat ipse Cyprianus in dicta Epistola post rei gestæ narra- B tionem his verbis, *Ne igitur aliquis ex fidelibus amplius tentare præsumeret eidem Sanctæ Synodo placuit eiusmodi delictum grauiori censura percelli, delinquentemq; seuerissimè olim decreta subire pœna, vt non sit, qui pro eius dormitione oblationem facere audeat, nec deprecationem aliquam eius nomine in Ecclesia frequentare tentet &c.*

Idem quoq; confirmari potest auctoritate Nicenæ Synodi, & Constantinopolitanæ; Nicena enim Synodus eos, qui impij Arij sectam coluerant, anathematizauit. Eodem modo Constantinopolitana impiam Macedonij hæresim similiter condemnauit. Et sic cõplura extant antiquitatis ecclesiastica monumẽta, ex quibus colligere licet, quo pacto Episcopi soliti fuerint excõicare Defunctum, quem viuentem iam vin- C xisset delictum. Quæ excõicatio per se, & directè operabatur effectum erga viuentes, qui erãt obligati non orare, nec suffragia offerre pro illo, qui ad hunc modum erat excommunicatus; Vel si talis excõmunicatio habebat effectũ erga excommunicatũ, ille respiciebat corpus, quod priuabatur Ecclesiastica sepultura.

Et in hoc sensu sunt interpretanda, quæ apud Suriũ habentur die 6. Aprilis Tomo 2. de quodam Eutichio viro sancto, qui cum congressum haberet cum hæreticis coram Iustiniano Imperatore, negãtibus eos anathemate feriendos, qui post mortem deprehensi essent hæretici, contra ipse diuinarum scripturarum testimonijs ecclesiastica censura puniendos esse demon- D strauit, & cõfirmauit Iosiæ Regis exemplo 4. Reg. 23. qui, cum id propheta ante significasset, ossa eorũ, qui vitulis immolauerant, post mortem effodit, atq; combussit. Idem ergo in hæreticos seruandum esse dixit, vt post mortem gladio excommunicationis feriantur, scilicet vt eorum ossa ab Ecclesia eijciantur.

Sed ex dictis insurgũt duæ dubitationes. Prima est de excõicatione lata ab homine sub conditione; Si Iudex E. G. præcipiat subdito, vt infra decem restituat, & ille interim non restituit, & antequam dies decimus adueniat, extremum claudat diem, si mortuus non potest excommunicari, hic non erit ligatus excommunicatione, & tamen accidere potest, vt sit reus grauis culpæ non restituendo, cum possit.

E Altera dubitatio est de excommunicatione à Iure, lata est excommunicatio in eum, qui manus violentas in Clericum iniecerit; Mandauit quis in vita percussionem Clerici, & decessit è vita, antequam Mandatarius exequeretur mandatum; Si mortuus non potest excommunicari, ergo talis Mandans etiam succedente percussione nulla affici poterit excommunicatione; quare lex frustrabitur effectu suo.

Ad primam dubitationẽ apparet responsio ex his, quæ declarata sunt; Ille namq;, qui moritur, antequã adueniat dies præcepti, non incurrit excommunicationem post mortem, neque indiget absolutione; Nã

in

in vita currente tempore assignato ad soluendum non incidit in excommunicationem, quia non fuit contumax excommunicationis, vt dixi, ergo nullo modo erit excommunicatus.

De secunda difficultate maior videtur controuersia, aliqui dicunt Mandantem in eo casu non effici excommunicatum; quia mãdatum morte Mandatis expirat §. Rectè instit. De Manda. & quidquid postea agit Mandatarius, non facit auctoritate Mandantis, sed sua libera voluntate, ergo non debet Mandanti imputari.

Sed hæc responsio patitur difficultatem, nam fundamentum, quo innititur, non videtur aptari posse rei, de qua agitur; Mandatum enim expirat morte Mandantis quoad obligationem Mandatarij, quia decedente mandante extinguitur auctoritas, & superioritas erga ipsum Mandatarium, vt iam non teneatur obedire. Verum non extinguitur mandatum morte Mandantis quoad ipsum Mandantem, nisi reuocatum fuerit, quia iam datum est, & eius virtute sequitur actio, pura Clerici percussio, quæ non succederet, nisi mandatum latum fuisset, Mandatarius enim percutit, vt obediat Mandanti, etiam si obierit, & nullo modo percuteret, nisi respiceret personam Mandantis.

Confirmatur hoc dictum exemplo mandati iniusti, & iniqui, quod ex se nullam habet vim obligandi ipsum Mandatarium etiam viuente Mandãte, quoniam leges tollunt omnem vim ab huiusmodi mandato, idcirco si Mandatarius tale mandatum exequatur, id agit intuitu Mandantis, ergo actio ipsa percussionis tribuenda est magis ipsi Mandanti tanquàm principali agenti, Igitur Mandans non videtur liberandus ab excommunicatione.

Confirmatur secundò hoc idem alio exemplo, quo actio tribuatur eidem personæ tantum, & non sit distinctio inter Mandantem, & Mandatarium, vt si quis Clerico in potione propinet venenum ad illum occidendum, & effectum non operetur nisi post aliquod tempus, & antequam succedat mors pereat, qui dedit venenum, quando hic erit excommunicatus? Non in vita, quia adhuc Clericus non interijt, non post mortem, quia non est capax excommunicationis, ergo nunquam erit excommunicatus.

Quamobrem ad præsentem dubitationem aliter responderi potest ex fundamento superius iacto; quod Mandans non incidit in excommunicationem, si actio sequatur post mortem ipsius, vt dicunt Doct. in cap. Mulieres §. Illi vero de Sent. Excom. quia non est capax excommunicationis; necesse est enim, vt quis maneat excommunicatus, vt non solùm sit capax censuræ eo tempore, quo dedit causam, sed multo magis tempore, quo consumatur effectus. Quare licèt Mandans possit esse reus illius culpæ, quam contrahitur virtute mandati iniqui, & iniusti, nisi pœnitentiam egerit, non tamen erit post mortem ligatus censura excommunicationis.

Et idem responderi posset ad aliud exemplum de veneno propinato Clerico, vel dici potest maiorem esse dubitationem in hoc casu, & assignari potest ratio diuersitatis; quia potio illa veneni videtur integra & sufficiens causa, ex qua naturaliter, & necessariò sequenda est mors. Quare fortasse posset dici excommunicationem incurri eo instãti, quo traditur venenum, Tunc enim ex parte agentis completa est actio contra legem, propter quam incurritur excommunicatio, etiamsi mors differatur in re, quia continetur in causa proxima, sed mandatum datum alicui non est

A integra, & sufficiens causa, ex qua necessariò sequatur percussio.

Sed quæret aliquis postremo, quando incurratur excommunicatio, quæ lata est propter peccatum, quod perficitur, & completur in morte; non enim hæc excommunicatio oritur in instanti mortis, quia tũc non est homo, neq; in instanti præcedente, quia non est cõpleta actio, quæ consumatur in morte. Quando igitur oritur hæc excõmunicatio, vt si Prælatus præciperet suis subditis, vt vnusquisq. teneretur sub pœna excommunicationis in articulo mortis cõfiteri peccata sua.

Respondendũ est hæc instantia non esse accipienda physicè, & mathematicè in re morali, de qua agimus, sed moraliter. In casu igitur proposito erit ligatus ex-
B communicatione, qui negligit præceptum, & non confitetur in eo instanti ante mortẽ, in quo naturaliter iã vita est desperata, & nõ potest moraliter parere præcepto; tũc enim perficitur contumacia, & de excõmunicatione post mortem non opus est plura differere.

CAPVT IV.

An solus adultus, & baptizatus excommunicari possit.

Tractandum est de duabus alijs conditionibus, quas diximus necessarias esse in subiecto excommunicationis; an solus Adultus habens vsum rationis excommunicari possit, & qui per receptionem fidei Christianæ in baptismo dedit nomen Ecclesiæ, & inter fideles ascriptus est.

Et primò tractemus de ætate; deinde disputabimus
C de Baptismo. Afferunt Doctores ætatem adultam esse necessariã, quia puer ante vsum rationis nec est capax delicti, quod est proxima causa excommunicationis, nec etiam est capax obligationis, quam postulat Ecclesia, vt excommunicatus possit absolui; igitur iniquè & inualidè excõmunicaretur, vt declaraui in primo capite, Abb. c. Ab excommunicato nu. 9. de Rescript.

Sed quæret aliquis; an Adultus, qui vel morbo, vel alia ex causa correptus est insania, & in amentiam incidit, excommunicari possit.

Respondendum est non ligari excommunicatione, quoniam cum dicimus Adultum solum posse excommunicari, intelligimus necessariam esse ætatem puber-
D tatis, quoniam in ea ætate regulariter adest vsus rationis necessarius ad committendum delictũ, & inducendã obligationem, quæ duo sunt necessaria, vt quis validè excõmunicari possit. Quamobrẽ quando deest vsus rationis, vel defectu ætatis, vel quocunq. alio impedimento, iam subiectum redditur ineptum, vt excommunicationis censura ligari nequeat.

Si postules, An hoc ipsum sit intelligendum de illis, qui perpetuo sunt amentes, an etiam de alijs, qui habent dilucida interualla.

Dicendum est satis esse ad euitandam excommunicationẽ, vt homo careat vsu rationis eo tempore, quo incurritur excõmunicatio etiamsi antea fuerit mẽtis compos, sine postea redeat ad sanam mentem, dummodo actio, per quam incurritur excommunicatio,
E non sit perfectè voluntaria in causa antequam ille inceperit insanire, vt dicam inferius.

Sed cõtra hæc obijci possunt, Primò quæ habentur in c. 1. de sent. excom. Vbi conceditur Episcopo, vt possit absoluere puerum impuberem, & sic ante vsum rationis, ob percussionem, cum ætas excusare debeat, ne ad Sedem Apostolicam sit mittendus. Idem reperitur in c. fin. eod. tit. Vbi quidam pueri infra quatuordecim annos, & sic ante vsum rationis, iniecerunt manus violentas in Clericum, & peruenerunt ad maiorem ætatem ante beneficium absolutionis, & tamen

Summus Pontifex reſpõdet, ſi poſtulent abſolutionem ſiue ante, ſiue poſt pubertatem, poſſe abſolui ab Epiſcopo; ergo ſupponit puerum capacem eſſe excommunicationis etiam ante vſum rationis, ſcilicet ante annos pubertatis.

Reſponſio ad hanc obiectionem colligitur ex Gloſ. in dicto cap. fin. quæ tenet tex. eſſe intelligendum de pueris, quando ſunt doli capaces, nam ſæpe malitia ſupplet ætatem, aliàs non poſſunt peccare mortaliter, *quia iniuriam inferre non poſſunt, pati verò poſſunt*, cap. Illud 15. q. 1. Sed peccato non exiſtente ferri non poteſt cenſura.

Idque confirmatur ex c. Pueris de delictis puerorũ, Vbi Greg. Nonus affirmat Pueros etiam ante annos pubertatis delinquere poſſe contra aliquos, qui id negauerunt, *Quod*, inquit Gregorius, *meritò crederemus, ſi nulla eſſent peccata, niſi quæ membris corporalibus committuntur*, & addit *Quis negare audeat furta, mendacia, periuria eſſe peccata, & his plena eſt puerilis ætas, quamuis in eis non ita, vt in maioribus punienda videantur*.

Quare tales pueri ſunt doli capaces, & Auguſtinus dixit in Epiſtola ad Renatum Epiſcopum, & refertur à Gloſ. in cap. Paruuli de Conſecr. diſt. 4. *Pueros ſeptem annorum & mentiri, & verum dicere, & confiteri, & negare poſſe*; Igitur poſſunt habere vſum rationis.

D. Gregorius refert lib. 4. Dialog. c. 18. De Puero, quinque annorum, qui male educatus à Parentibus, ita vt eius animo aliquid obtitiſſet, Dei Maieſtatem blaſphemare conſueuerat; tandem lethali morbo percuſſus, cum eum Pater in manu teneret, obijt, & in pœnam peccati ex Patris gremio fuit viſibiliter raptus à Diabolo. Quare licèt pueri ante pubertatem, cum careant vſu rationis, regulariter non poſſint excommunicari, ſi verò aliqui vtantur ratione, & bonum à malo diiudicare poſſint, & committere peccatum, tunc capaces erunt excommunicationis, ſicut ſunt capaces culpæ.

Quamuis aliqui Doctores cenſeant ex doctrina Abb. per ſe quidem pueros ante annos pubertatis, ſi ſint doli capaces, incurrere excommunicationem latam à lege, ſi illam tranſgrediantur. Et ad hunc modum intelligenda eſſe iura citata, non tamen poſſe alligari excommunicatione per ſententiam ab homine latam, quia quando excommunicatio fertur ab homine per ſententiam, requiritur monitio, & alia, quæ ex præcepto iuris neceſſaria ſunt ad ordinem ſeruandum in excommunicatione. Hæc autem non poſſunt percipi, nec intelligi ab ipſo puero ante legitimam ætatem, quantumuis ſit doli capax. Quare in cap. vltim. De Iudi. lib. 6. definitum eſt Minorem quatuordecim annis per ſe in iudicio agere non poſſe.

Sed hæc opinio, ſi intelligatur in eo ſenſu, vt putet ſententiam excommunicationis latam contra puerum in tali ætate, ſi ſit doli capax, eſſe nullam, & inualidam, & non obligare illum, cenſeo carere probabilitate. Primo quia validitas excommunicationis pendet ex iuriſdictione excommunicantis, & veritate cauſæ, quare, ſi hæc adſunt, excommunicatio obligat. Secundo quia ſatis eſt, ſi ordo neceſſarius ex præcepto iuris adhibeatur in pronuncianda excommunicatione, & nihil refert, ſi non intelligatur ab ipſo contumace, contra quem profertur excommunicatio, vt habeat vim, & obliget. Tertiò quia excommunicatio non tantum iuſta, ſed etiam iniuſta ea defectu ordinis non ſeruati valida eſt, & ligat.

Si verò intelligatur hæc opinio in alio ſenſu, ſcilicet quod iuſtè, & legitimè Iudex non poteſt excommunicationem ferre contra pueros ante pubertatem, etiam ſi malitia ſuppleat ætatem, tunc non videtur omninò improbabilis; mihi tamen non placet. Primo quoniam licet talis puer non poſſet percipere, & cognoſcere ordinem iudiciarium, qui præcedere debet ſententiam excommunicationis, & tueri cauſam ſuam per ſe ipſum, tamen huic incommodo prouiſum eſt ab ipſo Iure, vt aſſignetur ei Curator à Superiore, vel, ſi non ſit infans, conſtituat ipſemet ſibi Procuratorem auctoritate Officialis; tandem vt vtatur aliorum miniſterio ad ſe defendendum, vt dicitur in dicto cap. vlt. de Iudi. lib. 6. Secundo ſi lex continens excommunicationem iuſtè obligat pueros ante pubertatem, quando ſunt doli capaces, ergo & ſententia excommunicationis lata ab homine contra huiuſmodi pueros iuſta erit, ſi enim lex non iudicauit repugnare iuſtitiæ, vt pueri in tali ætate incurrerent huiuſmodi cenſuram, non debet iniquum cenſeri, vt homines, ſi ita iuſtitiæ ratio poſtulet, contra eoſdem cenſuram excommunicationis exerceant, immò hoc tolerabilius videtur; nam excommunicationem iuris incurrunt ipſo facto violando legem, cum ab excommunicatione hominis poſſint ſe tueri, & defendere, ſi non auctoritate propria, ſaltem adiumento aliorum.

Tertiò poteſt adhuc dubitari circa eandem conditionem; an poſſit aliquis mentecaptus, qui inſania eſt correptus, excommunicari propter contumaciam, & inobedientiam, qua vſus ſit erga Prælatum, cum eſſet ſanus mente, & integris ſenſibus.

Reſpondeo, ſi loquamur de excommunicatione iuris, aut præcepti vniuerſalis, & de inſania temporali, & non perpetua, vt quando adeſt ſpes curationis, tunc dico excommunicationem incurri poſſe tempore amentiæ, Explico exemplo à ſimili, ſi Prælatus promulgaret præceptum, vt omnes Clerici Diœceſis præſto eſſent ſtatuta die in Ciuitate cum ſuperpelliceo ad celebrandam ſolemnem proceſſionem ſub pœna excommunicationis, & Clericus ſciens hoc præceptum tota nocte decurrente ante ſtatutam diem proceſſionis inuigilaſſet ludendo, & tandem correptus graui ſomno propè diem accubuiſſet, neque lecto ſurrexiſſet ante horam Veſperarum proceſſione abſoluta, vtique talis Clericus eſſet obſtrictus excommunicatione, qua tamen non ligaretur, niſi tempore, quo ſomno detineretur, quando non haberet vſum rationis, eo enim tempore celebratur proceſſio, & violatur præceptum ab eo, qui non aſſiſtit. Et eadem eſt ratio, ſi ſe inebriaſſet, vel alia cauſa careret vſu rationis. Atque idem dicendum erit de inſano, & ratio huius dicti eſt, quia ſufficit vſus rationis, quando committitur delictum quod cauſam dedit tranſgreſſionis præcepti, etiamſi poſtea quando incurritur Cenſura, reus non ſit compos mentis, quia incurritur in cauſa, quæ fuit voluntaria, Clericus enim cum peccatum commiſit ludendo per integram noctem, & exponendo ſe probabili periculo non aſſiſtendi Proceſſioni, ſicut tenebatur, voluntariè voluit tranſgredi præceptum Epiſcopi, & ex conſequenti pœnam excommunicationis incurrere.

Eodem igitur modo inſanus, qui per temporum interualla modo caret ratione, interdum benè iudicat, & quidquid agat, intelligit, ſi ſciens, ac volens non vi, ac furore amentiæ actus dederit cauſam, vnde ſequatur violatio præcepti Superioris continentis excommunicationem, erit excommunicatus, etiamſi actualis tranſgreſſio præcepti contingat tempore, quo inſania eum arripuit, & tunc oriatur excommunicatio, quia atten-

attenditur causa violationis præcepti, quæ fuit voluntaria. Et eo magis id videtur asserendum, nam quando insania non est perpetua, adest spes correctionis, quæ tanquam finis attenditur in excommunicatione ferenda.

Confirmatur alio exemplo; Vt si Mandans alicui percussionem Clerici dormiat, vel sit ebrius, quando Mandatarius percutit, incidit in excommunicationem, etiamsi in eo instanti nullum eliciat actum voluntarium, ratione cuius possit ligari censura, sed oritur vinculum vi voluntatis præcedentis, qua mandauit percussionem.

Confirmatur etiam quia hæc voluntas virtualis in causa sufficit etiam ad sacramentum recipiendum; Vt si Baptismus conferatur Dormienti, vel insano, qui ante somnum, vel amentiam illud petierit. Quare talis homo sicut capax est sacramenti, ita quoque capax erit censuræ.

Hoc idem existimo esse dicendum, quamuis non sit adeò certum, si insania sit perpetua, nempè ligari excommunicatione legis, vel præcepti generalis insanum, de quo nulla adest spes recuperandæ sanitatis, quando transgressus est legem tempore, quo sanæ mentis erat.

Primò quoniam, vt dixi, vsus rationis non requiritur necessariò, & per se, quando incurritur excommunicatio, sed quando committitur peccatum transgressionis.

Secundò quoniam licet moraliter ex principijs artis medicinæ talis insania non videatur curabilis, tamen id non potest certo sciri, & valdè pendet ex coniecturis.

Tertiò quoniam excommunicatio non semper necessario est medicina ipsi Excommunicato; Aliquando enim non corrigitur, sed potius induratur, vt dixi in Disp. 6. Cap. 1. Ideo etiamsi insania sit perpetua, & nulla possit probabiliter adesse spes correctionis, non idcirco excommunicatio est inualida, si peccatum præcessit tempore sanæ mentis, nam in hoc casu satis est, si sit medicina alijs, qui formidine huius poenę abstinent à peccatis. Quare talis insanus absoluendus esset ab excommunicatione, etiamsi non adesset spes curationis, non solum quando ante amentiam dedisset signa pœnitentiæ, quod esset certum, sed etiam quando nulla præcessissent signa contritionis. Quæ absolutio saltem adiuuaret Excommunicatum, vt posset frui suffragijs Ecclesiæ ad impetrandum à Deo aliquod diuinæ gratiæ auxilium.

Dico secundò, si loquamur de excommunicatione, quæ fertur ab homine contra priuatam personam; Non debere Iudicem pronunciare sententiam excommunicationis contra insanum perpetuum, etiamsi inobedientia, & contumacia præcesserit, quando erat sanæ mentis, quia cum talis censura respiciat certam personam, & respectu illius sit omninò inutilis, cum ob carentiam rationis non possit corrigere, & emendare præteritam contumaciam; propterea cessat finis, quem debet intendere Iudex in pronuncianda excommunicatione, vt dixi in dicta Disp. 6. Cap. 2.

Quamuis autem malè faceret Iudex excommunicando huiusmodi Insanum, & non careret culpa, si tamen ferret excõmunicationem, teneret, & esset Reus absoluendus ab excommunicatione; Et ratio est, vt diximus, quia satis est, si adsit vsus rationis in ipso reo, quando committit crimen contumaciæ, & inobedientiæ, quod est causa sufficiens ad excommunicandum, vt excommunicatio postea lata sit valida.

A Quando verò amentia esset temporalis, non perpetua, excommunicatio lata à Iudice (si cætera requisita non desiderarentur) non solum teneret, & esset valida, sed etiam iusta; Nam in hoc casu non solum vsus rationis adesset, quando committitur contumacia, vt supponitur, quod necessarium est ad valorem excommunicationis, sed etiam post latam excommunicationem, vt Reus se corrigere, & emendare posset, quod requiritur tanquam finis intentus ab ipso Excommunicante, vt iustè pronuncietur sententia excommunicationis. Et hæc dicta sint de prima parte huius Capitis, nempè de vsu rationis.

Sequitur, vt tractemus de alia conditione; Solus Baptizatus excommunicari potest. Ratio huius con-
B ditionis est, vt diximus in primo Capite, quia Excommunicatio est actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ per se, & directè non potest exerceri in eos, qui ad Ecclesiam non pertinent, ergo Infideles excommunicari non possunt, cap. Gaudemus De Diuort. Quare si Infidelis, vel Iudæus transgrediatur legem continentem pœnam excommunicationis latæ sententiæ, non remanet excommunicatus, vt si percutiat Clericum, & patet ex cap. Postulasti De Iudæ. Vbi Summus Pontifex mandat Iudæum quendam, qui Clericum percusserat, poena pecuniaria multari debere; Nihil dicit de excommunicatione Canonis; Si quis suadente.

Sed quamuis Ecclesia non habeat iurisdictionem
C directè excommunicandi Infideles non baptizatos, & idcirco non possit illos excommunicare, maximè cum non sint capaces bonorum spiritualium, quorum priuatio oritur ab ipsa excommunicatione, tamen posset Ecclesia (si iudicaret necessarium remedium, & opportunum ad conseruandam fidem suorum fidelium, & retinendos bonos mores) cogere infideles, vt non habitarent cum ipsis fidelibus, neque cum eis commercium haberent, & ne ingrederentur Ecclesiam, dum diuina officia celebrantur, & res sacræ peraguntur; Sed hoc propriè, & directè non potest vocari excommunicatio, sed potius defensio Fidelium, & custodia, atque veneratio rerum sacrarum. Hæc enim debent Pastores opportunis remedijs pro-
D curare.

Similiter posset Ecclesia ad vindicandam iniuriam ab infideli sibi illatam, vel fidelibus eius membris, quando alio modo crimen puniri nequit, excommunicare fideles, vt fugiant infideles delinquentes, & nullam cum illis communionem habeant, vt in dicto cap. Postulasti apparet; Vbi Summus Pontifex mandat Episcopo, vt Iudæum, qui Clericum percusserat, poena pecuniaria puniat, vel cogat Dominum ipsius parti læsæ satisfacere, & si neglexerit parere, Christianis omnibus per Censuras ecclesiasticas interdicat, ne cum ipso Iudæo, antequam plenè satisfecerit, commercia habeant. Sed hoc non est propriè, & di-
E rectè excommunicare Iudæum, sed impropriè, & indirectè, vt inquit Glosa ibi Ver. Christianis. & eodem modo est intelligendum cap. Iudæi 2. eod. tit. Vbi excommunicantur Christiani, qui in domo seruiunt Iudæis, Saracenis &c. Et in cap. Post miserabilem De Vsu. Vbi per excommunicationis sententiam iubet Summus Pontifex denegari Iudæis communionem ab omnibus Christianis tam in mercimonijs, quã in alijs, donec Christianis vsuras remiserint. Ita etiam habetur in cap. Quanto eod. tit. Vbi statuit Summus Pontifex, si Iudæi graues, & immoderatas vsuras à Christianis extortas non restituerint, Christianos com-

compelli per Cenfuras ab eorum commerciis abfti- A
nere.

Ex his igitur apparet, quod licet Iudæi, & Infideles non poffint directè coerceri à Prælatis Ecclefiafticis, quia cum non fint intra Ecclefiam, nec eius membra, non fubiecti poteftati Ecclefiafticæ, poffunt tamen indirectè cohiberi, vt declarauimus, & hoc modo docet etiam Glo. in dicto cap. Poft miferabilem Ver. Denegari De Vfur.

Si quis obiiciat verba Apoftoli Pauli 1. Ad Corinth. 5. *Quid nobis de his, qui foris funt, iudicare &c.* Sed Infideles funt extra Ecclefiam, ergo Ecclefia non iudicat de illis; Quare non poterit illos excommunicare.

Refpondeo Verba Apoftoli poffe interpretari iux- B
ta ea, quæ diximus, fcilicet Infideles non poffe directè excommunicari; Et eft expofitio Calde. in conf. 2. De Iud. fub fine. Et idem videtur fentire B. Tho. in explicatione illorum verborum Lect. vlt. Vel etiam fenfus illorum verborũ effe poteft, quod infideles non poffunt puniri aliqua poena fpirituali fecundum Dom. in cap. Multi 2. quæft. 1. Aut quod non poffunt compelli ad receptionem Baptifmi, vt inquit Aluer. lib. 1. De Planctu Ecclefiæ art. 37. Vel tandem, quod non poffunt cogi, vt feruent Leges contrarias fuis, fi non funt contrariæ Legibus naturalibus, vt colligitur ex cap. Gaudemus De Diuort. & cap. fin. Qui fi. fint legit.

Directè verò, & propriè folus Chriftianus poteft
excommunicari iuxta tex. in cap. Omnis Chriftianus C
11. quæft. 3. & cap. Romana §. In Vniuerfitatem; Vbi Dom. De Sent. Excom. lib. 6. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 13. & in cap. Ità quorundam De Iudæ. notab. 8. num. 7.

Nomine autem Chriftiani intelligitur Baptizatus, etiamfi non fit Catholicus, quia, à fide difcefferit deferendo illam, vel ex parte, vel ex toto. Quare Hæreticus, vel Apoftata, qui ad Iudaifmum, vel Paganifmum tranfierit, directè poteft excommunicari, & cenfuræ vinculo obftringi, & ratio eft, quia per Characterem, quem in Baptifmo fufcipit, femper remanet fubiectus poteftati Ecclefiæ.

Sed poffet quis dubitare de Cathecumeno, an poffit
excommunicari; Et ratio dubitandi eft, quia Cathe- D
cumenus poteft dici Chriftianus, quia verè credit ea, quæ ad Religionem Chrifti pertinent, & vt dicitur in cap. Veniens De Presbytero non baptizato, non folum quis efficitur membrum Chrifti per facramẽtum fidei, fcilicet Baptifmum, fed etiam per fidem facramenti.

Accedit, quod propius eft membrum Ecclefiæ ille, qui eft in gratia Dei, quam Baptizatus Lethali peccato infectus iuxta cap. Non dubito, & cap. Eft vnitas De Confecr. dift. 4. & probat Io. De Turre Crem. in fua Summa De Ecclef. lib. 1. cap. 55. & fequentibus, fed Cathecumenus poteft habere gratiam Dei, etiamfi
non fit baptizatus, ergo eft membrum Ecclefiæ, & ità E
fubeft poteftati Papæ.

Tandem confirmatur idem, quia ex fententia multorum, quam Nauar. in fuo Com. De Iubileo in fine in explicatione Bullæ Iubilei Gregorij xiij. num. 10. dicit effe probabiliorem, Cathecumenus poteft lucrari indulgentias; Omnis enim habens gratiam Dei poteft confequi Indulgentias, vt inquit Domin. Sot. in 4 dift. 21. q. penult. art. penult. Sed Cathecumenus poteft habere gratiam, poterit ergo lucrari Indulgentias; Quare erit fubiectus poteftati Papæ. Pari etiam ratione poterit cenfuris obftringi.

Refpondendum eft, vt omnes fatentur, Cathecumenum non poffe excommunicari, quamuis nulli fequuti Archidiaconum in cap. Eos De Confecr. dift. 4. Oppofitum fenferint, fed non benè, & ratio eft, quia Sanctitas, & fides non facit hominem fubiectum Ecclefiæ, & Summo Pontifici, fed Baptifmus, eft enim ianua, per quam quis ingreditur in Ecclefiam, & connumeratur inter alia membra huius corporis miftici, ficut etiam Sanctitas, & fides non tribuit Iurifdictionem ante Baptifmum, fed iurifdictio fundatur in Charactere Baptifmali arg. cap. 1. & cap. Veniens De Presb non baptiz. & tradit Nauar. in Comment. in cap. Nouit. De Iudi. notab. 3. nu. 143.

Tolluntur autem, quæ in oppofitum funt adducta. Ad primum enim dicimus Cathecumenum iuftificatũ per gratiam Dei etiam ante actualem fufceptionem Baptifmi fluminis effe membrum verum, & viuum Chrifti, & per confequens etiam membrum Ecclefiæ, cuius Chriftus eft Caput; Sed quantum ad effectum non numero, vt dixi lib. 1. in Difp. 5. Cap. 10. ideft vi Charitatis, quæ copulat inuicem omnes iuftos; Non autem per Characterem Baptifmi, quo tanquam figno quodam cognofcuntur Fideles, qui ad Ecclefiam pertinent. Ideo cum Cathecumenus non fit infignitus Charactere baptifmali, non eft fubiectus poteftati Ecclefiæ, & ex confequenti non poteft Ligari Excommunicatione. Et ex his tollitur etiam fecunda confirmatio.

Ad tertiam confirmationem refpondeo, vt inquit Nauar. in cit. Tract. De Iubileo notab. 31. num. 48. in fine Ver. Sexto eiufmodi folo Baptifmo, Cathecumenum folo Baptifmo flaminis infignitum poffe quidem Indulgentias Lucrari, non tamen poffe excommunicari; Ratio diuerfitatis eft, quia Cathecumenus eft membrum Ecclefiæ, & fubiectus Papæ voluntaria fubiectione, & reuocabili, quæ fufficit, vt poffit effe particeps bonorum operum, & fuffragiorum, quæ fiunt à iuftis, & eodem modo poffit Indulgentiis adiuuari. Verum, cum non fit baptizatus, non eft fubiectus irreuocabiliter, ideo non poteft poenis Ecclefiafticis, & cenfuris ligari contra eius voluntatem. Et hæc dicta fint de quarto capite.

CAPVT V.

An neceffe fit, vt habeat Superiorem in Terris, qui excommunicari debet; vbi tractatur, an excommunicatione Lata generaliter Ligentur omnes tàm Clerici, quàm Laici, quacunq. dignitate præfulgeant, & an Exempti ab Ordinario excommunicari poffint.

HAec eft vltima conditio, quam diximus effe neceffariam in eo, qui excommunicationis vinculo ligari debet, vt habeat Superiorem. Ratio huius conditionis eft manifefta, vt dixi in primo capite, quia excommunicatio eft poena, quæ imponitur in foro exteriori ad compefcendam inobedientiam fubditi contumacis. Poena autem non infertur, nifi ab eo, qui habet poteftatem coactiuam in Reum; Igitur qui excommunicatur, neceffario debet habere Superiorem, cui teneatur parere, & à quo poffit cogi, fi recufauerit obedire.

Hinc fequitur folum Summum Pontificem ex omni genere hominum non poffe excommunicari, nec aliis cenfuris ligari, non folum per fententiam ab homine, fed neque etiam ab ipfo Iure, quoniam ipfe auctor eft Iuris pofitiui, & propterea Superior ipfo Iure cap. 1.

De

De Conſtit. cum ibi annotatis per Doct. cap. Propoſuit De Conceſſ. Præb. l. Princeps ff. De Legi. & probat Caiet. in ſuis Opuſc. Tomo 1. in 1. Tract. De aucto. Papæ, & Conc. cap. 20. & Nauar. in Comment. in cap. Nouit De Iudi. notab. 3. num. 78. & Maiol. lib. 2. De Irregul. cap. 4. num. 8. Omnes verò alij homines cuiuſcunque ſexus, ordinis, & dignitatis, quia Superiorem Eccleſiaſticum agnoſcunt; Si non alium, ſaltem Summum Pontificem, poſſunt excommunicari, & alijs cenſuris obſtringi. Certa eſt igitur hæc conditio in ſubiecto excommunicationis; Nempè eum tantum poſſe excommunicari, qui Superiorem habet, cui tenetur obedire.

Sed occurrunt aliquę dubitationes diſcutiendæ circa hanc conditionem. Prima erit; Nam non videtur omnino neceſſaria conditio in eo, qui excommunicari debet, vt habeat Superiorem, quia poteſt quis ſe ipſum vel æqualem, vel Superiorem excommunicare.

Et probatur. Primo poteſt quis ſibi ipſi Indulgentias concedere, ſaltem dum illas generali Lege confert Viſitantibus talem Eccleſiam, aut Largientibus tantam eleemoſynam; Tunc, ſi illud ipſe exequatur, acquirit fructum illarum Indulgentiarum, ergo à ſimili dum generali cõſtitutione excommunicationem pronunciat contra committentes hoc, vel illud crimẽ; Si ipſe illius criminis efficiatur reus, obſtrictus erit eadem excommunicatione.

Confirmatur ex Glo. in cap. Siquidem De Sent. Excom. Vbi inquit hominem à ſe ipſo excommunicari excommunicatione minori, quoties moraliter peccat, quia redditur indignus, & minimè idoneus ad recipiendam Euchariſtiam, & alia ſacramenta, ergo eadẽ ratione poterit ſe excommunicare excommunicatione maiori.

Secundò Angelus maior eſt Paulo, nam Matt. 11. dicitur: *Qui minor eſt in Regno Cælorum, maior eſt illo, quo nemo inter natos mulierum eſt maior*: Sed Paulus ad Galat. 1. excommunicauit Angelum, dicens: *Si Angelus de Cælo euangelizauerit &c. Anathema ſit*; ergo inferior poteſt Superiorem excommunicare.

Tertio aliquis poteſt Superiorem abſoluere in foro Pœnitentiæ, vel æqualem, ſicut cum Epiſcopus Sacerdoti ſuo ſubdito confitetur; Et cum vnus Sacerdos alteri Sacerdoti confitetur; Quare ſimiliter videtur, quod aliquis ſuperiorem, vel æqualem excommunicare poſſit.

Pro ſolutione propoſiti dubij animaduertendum eſt: Duobus modis intelligi poſſe aliquem æqualem, vel ſuperiorẽ alio eſſe: Vno modo, quia habeat æqualem, vel maiorem iuriſdictionem, quam alter erga eoſdem ſubditos; Vt Archiepiſcopus quoad Epiſcopum ſuffraganeum, vel ſi duo ſint Prælati qui parem habeant iuriſdictionem in eoſdem Territorio; Secundo modo poteſt quis duo Superiori, vel æqualis alteri ratione dignitatis, & gradus in quo ſunt conſtituti licet non in ordine ad eoſdem ſubditos; ſic Patriarcha, & Archiepiſcopus dicuntur maiores, & ſuperiores Epiſcopo, quia excellunt dignitate, & gradu Epiſcopo, quamuis non ſit Suffraganeus eorum, neque vllam in ipſum iuriſdictionem habeant; Eodem duo Epiſcopi ordine, & dignitate ſunt; æquales licet vnus nullam habeat relationem ad alium.

Hoc poſito duo dico. Primo ſi accipiamus æqualitatem, vel ſuperioritatem; primo modo verum eſſe ſimpliciter non poſſe aliquem excommunicare ſe, vel æqualem, vel Superiorem, & ad id probandum ratio adducta à B. Tho. diſt. 18. q. 2. art. 3. eſt euidens; Ex-

A communicatio fertur ab eo, qui iuriſdictionem habet coactiuam in excommunicatum, ſed per iuriſdictionem quis eſt Superior eo, in quem illam habet, cum ſit Iudex eius; Vnde nemo in ſe, vel æqualem vel Superiorem poteſt iuriſdictionem exercere, cum in eos careat iuriſdictione. Quamuis Archid. in cap. 2. De Conſtit. lib. 6. & alij, quos refert Silue. Ver. Excommunicatio 1. §. 9. teneant oppoſitum affirmantes Regulam illam, quod Superiorem inferior Ligare non poteſt, non habere locum, cum maior delinquenti aduerſus Iuriſdictionem minoris, cap. Placuit 6. q. 3. Hæc tamen opinio eſt falſa, vt ibi inquit Silue. Vnde ſi Epiſcopus promulget Conſtitutionem in ſua Diœceſi, vt nullus Sacerdos Ludat tali Ludo; Si ipſe, aut Archiepiſcopus

B ſuus, vel alius æqualis poteſtatis Luderent, non incurrerent pœnas Edicti, & Hoſt. in Summa De Sent. Excom. § Quis valeat excommunicari, Eſt etiam Sententia Abb. in cap. 1. De Rapto. Io. Andr. in cap. Cuilibet De Reg. Iur. lib. 6. Anchar. in Repet. cap. Canonum Statuta nu. 178. De Conſtit.

Ad cap. Placuit reſpondet Silue. in eo tex. Id ſolum probari ſubditum vnius Epiſcopi poſſe ab alio excommunicari ex cauſa furti; Deinde conceſſa etiam illa exceptione regulæ, intelligenda eſſet exceptio; Quando maior delinquit in Iuriſdictionem Minoris; Nimirum in Territorio Minoris, violando legem alterius, qui Superior ſit vtroque, puta Papæ, non autem ſi tranſgrediatur legem Inferioris; Nec ratio illa con-

C cludit, qua vtuntur ad idem probandum; Nempè excommunicationem latam ab Epiſcopo dici poſſe latam à Papa, quia Epiſcopus ad illam pronunciandam habet auctoritatem à Papa, & ideo poſſe ligare etiam Superiores, quia talis ſententia dicitur Papæ, & propterea Epiſcopum non poſſe diſpenſare contra propriam conſtitutionem, vt non liget ſe ipſum, vel ſuperiorem, ſi illam tranſgrediantur; Quod ſi vult ſe eximere ab huiuſmodi obligatione, deſtruere debet ipſa ſtatuta; Hæc inquam ratio non probat: Dicimus enim Epiſcopum non habere poteſtatem à Papa condendi legem, quæ liget ſe, & Superiores; Sed Inferiores tantum ſibi ſubditos, & in quibuſdam caſibus non ſubditos. Falſum eſt etiam, vt inquit

D Innocentius in capit. Cum ad Monaſterium De Stat. Monach. non licere Epiſcopo diſpenſare circa ſuam Conſtitutionem, & eam tollere ad libitum. Immo ſi Doctores pro contraria ſententia fatentur Epiſcopum poſſe tollere ſuam conſtitutionem in totum, multo magis debent concedere poſſe diſpenſare, quod eſt auferre ex parte.

Remanet igitur firma concluſio; Neminem poſſe ſe, vel æqualem, vel ſuperiorem excommunicare, quia nemo habet iuriſdictionem in ſe ipſum, æqualem, vel ſuperiorem. Debet tamen quilibet Superior ſtatutum ſuum ſeruare, ſicut etiam Imperator ex honeſtate legem ſuam non debet violare, Bald. in l. Digna vox C. De legi.

Sed poſtulabit quis; Poſtquam Epiſcopus ludens contra ſtatutum non incurrit excommunicationem;

E An incurrat excommunicationem, qui cum eo ludit. Ratio dubitandi eſſe poteſt, quia exemptio vni conceſſa extenditur ad ſocium cap Licet De Priuileg. lib. 6. & quando quis eximitur ab Interdicto intelligitur exemptus cum ſocio, cap. Quod in te De Pœnit. & Remiſſ.

Facit etiam ad idem cap. Cum nullus in fine. De Temp. Ordi. lib. 6. Vbi ſicut conceditur Epiſcopis, vt poſſint ordinare Priores Regulares non exemptos in

ſuis

ſuis Diœceſibus, in quibus morantur, ita etiam illis permittitur, vt valcant ordinare eorum ſocios.

Accedit, quod actus ludendi eſt indiuiduus, quia non poteſt exerceri, niſi cum alio, ſed in indiuiduis victoria vnius prodeſt alteri l. 2. & 3. C. Si vnus ex pluri.

Tandem cõſequitur quis ex perſona alterius, quod non poteſt conſequi ex ſemet ipſo, vt in l. Petenda De Tempo. in integ. Reſti. & l. Si is qui duos De lib. leg. Similiter pœna delinquentis trahitur ad ſocium cap. Felicis De Pœn. cap. Si quis ſuadente eod. tit.

Ad hanc obiectionem reſpondent Io. And. in dicto cap. Cui licet, & Anchar. in citata Repet. in cap. Canonum ſtatuta De Conſtit. num. 183. quod licet Epiſcopus non ſit excommunicatus ludens, remanent tamen obſtricti vinculo excommunicationis ludentes cum ipſo, & probant non eſſe abſurdum. Quod in actu inſeparabili Vnus peccet, Alter minimè; Vnus puniatur, Alter non ex cap. Propoſito 32. q. 5. Sicut in actu electionis, qui ſcienter eligant indignum, puniuntur; Excuſantur ignorantes, cap. Scriptum De Elect. Et ad ea, quæ allata ſunt pro contraria ſententia, reſpondet Io. Andr. Quod licet Epiſcopus ludens cum ſuo ſubdito non contrahat excommunicationem in ſtatuto contentam, tamen ex hac communicatione cum ipſo in crimine damnato ligatur ſententia Iuris; De qua difficultate dictum eſt ſupra in explicatione tertij effectus. Quare dum Epiſcopus communicans in crimine crimino ſo cum excommunicato ab ipſo, incurrit excommunicationem, non excommunicatur à ſe ipſo, ſed ab ipſo Iure lato per Pontificem, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 6. Soluamus rationes in oppoſitum adductas.

Ad primam negatur conſequentia, quoniam licet poteſtas Indulgentiarum exerceri non poſſit, niſi erga ſubditos, non tamen illa requirit vim coactiuæ iuriſdictionis, ſed fructum indulgentiarum percipit quicunque voluerit ſpontè conditionem illam implere. Excommunicatio verò dicit poteſtatem per vim coactiuam, quam nemo in ſe ipſum, æqualem, aut ſuperiorem exercere valet; Igitur dum Epiſcopus cenſuram excommunicationis profert ſiue per Statutum, ſiue per ſententiam in omnes, qui furtum, vel quid aliud fecerint, ſi ipſe, vel Archiepiſcopus ſuus, vel alius qui parem iuriſdictionem habeat in legem commiſerit, non incidit in pœnam excommunicationis. Ad confirmationem deſumptam ex Glo. ex cap. Siquidem De Sent. Excom. quod dum quis peccat mortaliter, excommunicat ſe excommunicatione minori; Dico eſſe impropriam locutionem; Nam quamuis forſitan poſſit appellari excommunicatio quoad Deum, vt inquit Silue. Excommunicatio 4. §. 1. propriè tamen nomen excommunicationis ſignificat ſolum eccleſiaſticam Cenſuram.

Ad ſecundam reſpondet B. Tho. Apoſtolum Paulum loqui ſub hypotheſi, non ſimpliciter, ideſt ſi poneretur Angelus peccare; Tunc enim non eſſet Apoſtolo ſuperior, ſed inferior. Nec eſt inconueniens, quod in conditionalibus propoſitionibus, quarum antecedentia impoſſibilia ſunt, & conſequentia impoſſibilia ſint.

Ad tertiam dicit idem B. Tho. quod abſolutio, & ligatio in foro Confeſſionis eſt quoad Deum tantum, apud quem aliquis alio inferior redditur per peccatum, ſed excommunicatio eſt in Iudicio exteriori, in quo aliquis nõ amittit ſuperioritatem hoc ipſo, quod peccat; Vnde non eſt ſimilis ratio de vtroque foro, &

A tamen in foro conſcientiæ non poteſt aliquis ſe ipſum abſoluere, nec ſuperiorem, nec æqualem à mortali peccato, niſi ex commiſſione ſibi facta, & ex conſequenti iuriſdictione delegata; A Venialibus autem poteſt, inquit B. Thom. quia venialia ex quibuslibet ſacramentis gratiam conferentibus remittuntur; vnde remiſſio venialium ſequitur poteſtatem ordinis.

Secundo dicendum eſt ad dubium, ſi loquamur de Superiore, vel æquali in alia ſignificatione, ſuperius declarata; nempe ratione dignitatis, & gradus, ſed in diuerſis territoriis, quemadmodum Archiepiſcopus dicitur ſuperior dignitate Epiſcopo licet, non ſit ſuus Suffraganeus, & vnus Epiſcopus intelligitur æqualis alteri, ſed vterque in ſuo Territorio, tunc non videtur
B negari poſſe Epiſcopum in ſua Diœceſi, ferre poſſe excommunicationem, & eadem ratio eſt, de aliis cenſuris, quæ afficiat Superiores, & æquales in prædicta ſignificatione, ſcilicet Archiepiſcopos, & Epiſcopos, quia tales in aliena Diœceſi ſunt, tanquem priuati, & pro priuatis reputantur; ſicut dicitur de Præſide, qui poſtquam ſuam prouinciam exceſſit priuatus eſt, l. 3. in princ. De Off. Præſid. & idem ſentit de Epiſcopo ex hoc tex. Abb. in cap. Sane 2. De Off. Deleg. & in cap. 1. De Rapto. in fi. Vnde infert, quod ſi Epiſcopus delinquat in Diœceſi aliena, poteſt puniri ab Epiſcopo Diœceſis, & ſimiliter; Archiepiſcopus delinquens in Territorio Epiſcopo, qui non ſit Suffraganeus, ipſius delinquentis, ſecundum Archid. & Domin. cap. 1. 3. q. 6.
C & Petr. de Anchar. in repet. cap. Poſtulaſti in 6. oppo. De Fo. Compet. & Domin. in cap. 1. De Conſtit. Et ad hoc facit Tex. iuncta Glo. in l. Apud eũ De Manumiſ. ti. gene. quæ dicit; Quemlibet Iudicem in ſuo Territorio, eſſe maiorem altero; Vnde infert Poteſtatem Ciuitatis Florentinæ, poſſe conueniri Peruſij coram Iudice damnorum datorum, qui eſt infimus Magiſtratus, & idem concludit Petr. Anchar. in Clem. 1. in prim. Notab. De Fo. Compet. dicens, quod ſi Patriarcha; Primas, & quicunque Archiepiſcopus delinquat in Diœceſi Bononienſi poteſt ab Epiſcopo Bononienſi puniri, & ita ſentit Ruin. Conſ. 155. nu. 7. lib. 4. & in ſpecie de Excommunicatione Angel. Excommunicatio 1. num. 12. contra quoſdam oppoſitum ſentientes,
D & Henriquez lib. 13. De Excommunicatione cap. 25. num. 3. & ratio eſt, quia delinquens non agit, vt ſuperior, ſed vt priuata perſona, quæ ratione delicti ſit inferior; Ideo inquit Henriquez ſi alienus Epiſcopus, vel Archiepiſcopus delinquat intra Diœceſim alienam ſit inferior ratione delicti, & comprehenditur ſub generali excommunicatione Epiſcopi Diœceſis, ipſe tamen Epiſcopus, qui excommunicationem tulit contineri nequit, quia repugnat vt quis reſpectu ſui ipſius ſit ſuperior, & inferior, & oportet, vt inter excommunicantem, & excommunicatum ſit diſtinctio perſonarum.

Secunda Dubitatio ſit; An per excommunicationem generaliter latam ligentur omnes cuiuſcunque
E dignitatis, & ordinis tam Clerici, quam Laici, ſi lata ſit excommunicatio à Superiore, & verba ſint generalia, quæ omnes comprehendant.

Reſpondeo omnes ligari abſque vlla diſtinctione. Et ratio eſt, quia lex generaliter lata comprehendit omnes ſubditos tam quoad obligationem, quam quoad pœnam, ſi ſint capaces eius, & ex priuilegio non ſint exempti.

Sed quæri poteſt de quibuſdam perſonis in ſpecie, & primo de Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Prælatis ſuperioribus.

Reſpon-

Reſpondeo Epiſcopos, & alios ſuperiores non excludi, à generali lege; Nullum enim extat, ius, aut priuilegium, quo eximantur Epiſcopi, aut alij Prælati à generali conſtitutione, vel præcepto continente excommunicationis pœnam; Quare etiam illi, ſi violent legem, aut præceptum, incurrunt excommunicationem.

Si quis opponat cap. Quia periculoſum De Sent. Excom. Vbi eximuntur Epiſcopi, & Superiores Prælati ex priuilegio à lege generali continente cenſuram, niſi illorum mentio ſpecialis facta fuerit.

Reſpondet ibi Glo. Ver. Suſpenſionis, quam omnes Doctores ſequuntur, ibi non tractari de excommunicatione, ſed de Suſpenſione, & Interdicto.

Sed contra inſtabit aliquis ratione, qua vtitur Summus Pontifex; Dicit enim *Quia periculoſum eſt, vt Epiſcopi propter Epiſcopale munus incurrant ipſo facto ſuſpenſionem, propterea conuenire, vt ſub generali conſtitutione non intelligantur comprehenſi*. Sed hæc ratio militat in excommunicatione, quia excommunicatio includit omnes effectus ſuſpenſionis, & plures alios, qui maiori ratione impediunt munera Epiſcopalia, ergo licet in tex. nulla fiat mentio de excommunicatione, tamen, quia eadem, & fortior ratio militat, videtur idem fuiſſe ſtatutum de excommunicatione.

Verum non eſt diſcedendum à communi opinione propter rationem allatam; Nam verba tex. ſunt clara; Agitur enim de Suſpenſione, & Interdicto tantum, nihil dicitur de excommunicatione. Si Summus Pontifex voluiſſet hoc priuilegium generaliter concedere in omnis cenſuris, vel ſimpliciter locutus eſſet de cenſuris nullam exprimendo, vel ſigillatim omnes tres enumeraſſet. Confirmatur, quia priuilegium cum deroget Iuri communi, tantum valet, quantum ſonat, & interpretandum eſt iuxta ſententiam, quam verba in propria ſignificatione admittunt. Accedit etiam, vt inquit Glo. plures reperiri Canones in Iure appoſita pœna excommunicationis in genere, à quibus ex communi ſententia Doctorum non excipiuntur Epiſcopi, vt eſt inter alios Canon; Si quis ſuadente 17. quæſt. 4.

Ratio autem, propter quam Summus Pontifex noluerit hoc priuilegium extendere ad excommunicationem, fortaſſe illa fuit, vt oſtenderet grauitatem Excommunicationis, quæ non fertur à Iure, vel ab homine, niſi pro ſummo delicto, vt eum quis in huiuſmodi ſcelera prolabatur, non ſit dignus ſe tueri clipeo alicuius priuilegij aduerſus poenam impoſitam à lege. Regulariter tamen per ſententiam particularem latam ab homine Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, & Cardinales de ſtilo Curiæ Romanæ non excommunicantur, vt habetur in cap. Sanè 2. De Off. Deleg. & in cap. Veritatis. De Do. & Contum. Sed vel ſuſpenduntur à diuinorum adminiſtratione, vel interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ.

Secundò idem quæri poteſt de aliis, ſeculari, & laicali dignitate fulgentibus; An ligentur excommunicatione generaliter lata abſque vlla exceptione, vt de Rege, Imperatore.

Reſpondeo Nullum in corpore Iuris eſſe tex. quo ſit expreſſum hoc priuilegium exemptionis, vt generalis conſtitutio lata ſub pœna excommunicationis non liget Regem, vel Imperatorem.

Dubitant tamen Doctores; An Rex, vel Imperator poſſit cenſuris ligari ab Epiſcopo, vel Legato; vel eximatur ex priuilegio ab eorum iuriſdictione, & ſit tantum ſubiectus Papæ.

A Et dicendum eſt rem eſſe clariſſimam, quod Rex, vel Imperator à Papa poteſt excommunicari; Patet exemplo Friderici Imperatoris, qui obſcelera multa, quæ commiſerat, ab Innocentio Quarto anathematis vinculo obſtrictus fuit, vt refertur cap. Ad Apoſtolicæ De Sent. & Re Iudi. lib. 6. Et deinde creſcente contumacia ab eodem fuit depoſitus ab Imperio, & priuatus Regno Siciliæ; Vbi Gemin. Franc. & alij omnes aſſerunt Imperatorem à Romano Pontifice excommunicari poſſe, & deponi, & Glo. in cap. Si Papa diſt. 40. Et de hoc nemo dubitat, & probat B. Antoni. 3 par. tit. 22. cap. quinto, §. 17. Omnes enim Chriſtiani minores tenentur Parere Papæ Chriſti Locumtenenti. Vnde Greg. lib. 35. Moral. cap. 12. & refertur

B cap. Si qui diſt. 81. dicit *Peccatum Idololatriæ committere quicunque ſe Chriſtianum fatetur, & Sedi Apoſtolicæ non obedit*.

Verum de Epiſcopo Diœceſis Siluę. Excommunicatio 1. §. 10. dicit Imperatorem, & Principem non poſſe excommunicari ab Epiſcopo ſuo. Aliqui recentiores dubitant; An Imperator, vel Rex ſit ſubiectus Epiſcopo, & aſſerunt ex priuilegio ab illius Iuriſdictione eſſe exemptum; Tamen voluntariè id affirmãt, neque vlla ratione, vel auctoritate, aut teſtimonio cõfirmant; Et oppoſitum manifeſtè probatur ex pluribus locis in Iure ex cap. Nus ſi incompetenter §. Cum Balaam 2. q. 7. Vbi pluribus exemplis probat Gratianus duas eſſe dignitates, quibus Mundus hic regitur,

C Regalem, & Sacerdotalẽ, ſicut Reges præſunt in cauſis ſæculi, ita Sacerdotes in cauſis ſpiritualibus, Regum eſt corporalem irrogare pœnam, Sacerdotum ſpiritualem inferre vindictam. Nathan Propheta, cum Regem redarguit, ſuum exequutus eſt officium, in quo erat Rege ſuperior. Sic B. Ambroſius Theodoſium, & B. Innocentius Arcadium Imperatorem excommunicauit, & ab ingreſſu Eccleſiæ prohibuit, ſicut enim non ſine cauſa Iudex gladium portat, ita non ſine cauſa Claues Eccleſiæ Sacerdotes accipiunt. Ille portat gladium ad vindictam malefactorum, & laudem bonorum; Iſti habent Claues ad excluſionem Excommunicandorum, & reconciliationem pœnitentium in cap. Valentinianus 63. diſt. narratur ſermo

D habitus à Valentiniano Imperatore coram Epiſcopis conuocatis pro eligendo Paſtore, & Epiſcopo Eccleſiæ Mediolanenſis vacante Sede per obitum Auxentij Arrianæ hæreſis fautoris, qui Eccleſiam illam vt Lupus dilaniauerat, & orationem ſuam Valentinianus concluſit his verbis; *Talem itaque in Pontificali conſtitute Sede, cui & nos, qui gubernamus imperium, ſincerè noſtra capita ſubmittamus, & eius monita dum tanquam homines deliquerimus, neceſſariò velut curantis medicamenta ſuſcipiamus*.

Ex quibus verbis Glo. Ver. Submittamus infert Imperatorem eſſe minorem quolibet Epiſcopo, & excommunicari poſſe ab Epiſcopo. Item in cap. Solitæ De Maio. & Obed. Innocentius Tertius ſcribens ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, copioſè multis

E rationibus clariſſimè demonſtrat, Epiſcopum non ſubeſſe, ſed præeſſe debere Imperatori; Et hæc addit in fine, *Nobis ſunt oues commiſſæ, dicẽte Domino, Paſce oues meas*, non diſtinguens inter has oues, & alias, vt alienum à ſuo demonſtraret ouili, qui Petrum, & Succeſſores ipſius Magiſtros non recognoſceret, & Paſtores.

In cap. Duo ſunt 96. diſt. Gelaſius Papa Anaſtaſio Imperatori ſcribens, & comparans regiam poteſtatem cum Epiſcopali hæc habet, *Talibus igitur inſtitutis,*

tali-

talibusque fulti auctoritatibus plerique Pontificum, Alij, Reges, Alij, Imperatores excommunicauerunt. Deinde refert aliqua exempla; Vbi Glo.Ver.Excommunicauit notat Principem posse excommunicari etiam à quouis Episcopo,

In cap.Si autem 11.q.3.docet Clemens Papa, quod omnes Clerici, & Principes, & Populi (si Episcopis non obediunt, sunt infames, & ab Ecclesia repelluntur, & Glo.in Ver.Principes, infert Imperatorem subesse Episcopo, & posse ab illo excommunicari. Immo si Imperator in pluribus Episcopatibus habeat domicilium, à quolibet Episcopo posse excommunicari.

Hoc idem docent Doctores, B.Antoni.3.par.tit.24. cap.75.Silue.Excommunicatio 1.§.10. in fin. Vbi ait Imperatorem regulariter excommunicari posse post monitionem ab Episcopo suo; Quare videtur Silue. in eodem loco sibi ipsi aduersari, Armill. §. 28. Tabie. exco.nm.4.nu.1.in fi.& alij.

Quamuis autem hæc vera sint, regulariter tamen propter quandam reuerentiam laici præcellenti dignitate ornati, & illustri splendore eminentiores alijs excommunicari non solent per sententiam ab homine; Dignitati enim semper est deferendum, vt dixit Gofred.quem refert Host.in Summa De Dolo, & Contum. §.fin. Vers. Sic & faciendum est, quod tamen intelligendum est regulariter pro illis delictis, quibus quisque priuatus posset excommunicationis gladio percuti. Optimè autem, & iustissimè excommunicarentur, si sceleris pondus, & qualitas id postularet.

Tertiò quæri potest de Regularibus; An sint exempti à iurisdictione Ordinariorum, vt non ligentur excommunicatione ab Episcopis generaliter lata.

Dicendum est Religiosos omnes, & Regulares exẽptos fuisse priuilegio Sedis Apostolicæ ab Episcoporum lege Diœcesana, non tamen omnes fuisse exemptos à Iuribus, quæ pertinent ad Episcopum ratione legis iurisdictionis; Totum enim Ius, & potestas Episcopi continetur duplici lege, scilicet iurisdictionis, & lege Diœcesana, vt habetur in ca.Dilectus De Off. Iudi.Ordi.Vbi Glo.declarat Ver. De lege iurisdictionis, quæ ad vtramque legem pertineant. Ad legem iurisdictionis pertinent delictorum correctio, consecratio Ecclesiarum, collatio beneficiorum &c. Ad legem verò Dioecesanam Vocatio ad Synodum, Quarta Mortuorum, Quarta Decimarum &c. A lege Diœcesana omnes Regulares esse exemptos habetur cap. Cum sit in fine iuncta Glo.18.q.2.& alibi. A lege verò iurisdictionis illi soli sunt exempti, qui expresso Pontificis priuilegio ab illa exemptos fuisse probare possunt, cap.Cum venerabilis Ver.Illis dist.100. ca.Cum Dilectus de Relig. Domi. cap. Cum personæ De Priuil.lib.6.Silue.V.Exemptio §.5.Tabie.7.Ang.§.2.Antoni.3.par.tit.16. cap.9. Abb.cap.Porrò num.1. De Priuil.& cap.1.num.13. De Off.Ordi.Dec.in dicto ca. Porrò num.4.Castr.cons.331.num.1.lib.1, Paris.cons. 34.num.1.lib.4.

Ex his colligi potest responsio ad propositam difficultatem; An Regulares possint ab Episcopis Dioecesanis ligari vinculo excommunicationis; Nam cum potestas excommunicandi pertineat ad legem iurisdictionis Episcopi, illi Regulares non possunt obstringi ab Ordinario per sententiam excommunicationis, qui possunt probare ex speciali priuilegio Papæ fuisse exemptos ab huiusmodi lege iurisdictionis, & sunt præsertim Regulares mendicantes.

Voluerunt autem Summi Pontifices prudentissimè personas Regulares, & potissimum ex Ordinibus Mẽdicantium speciali fauore, & insigni priuilegio prosequi, & eximere eos à iurisdictione Episcopi, & Sedi Apostolicæ propius subijcere, atque arctius copulare, vt ostenderent Religiosorum Patrem generalem esse Papam, & Religionum omnium cõfirmatorem. Hinc Papa, quia est proprius Generalis cuiuscunque Religionis, & Monasterij habet eam potestatem dominatiuam in voluntatem singulorum Regularium, vt illorum vota, præter tria substantialia, irritare possit, Caiet. 2.2. q.88. art.12. dub.4. ad 2.quæst. Sot.lib.7. De Iust.& Iur.q.3.ar.1.Nauar.in Manua c.12.nu.76.

Verum non obstantibus his priuilegijs Regulares, vt habetur ex pluribus locis Conc.Trid.in quibusdam casibus subijciuntur Episcopo, loca Conc. citat Nauar.in Manua.cap.25.nu.13.& de Regula. Commen. 2. num.63.

Necesse est autem ad hoc, vt Regulares gaudeant hoc priuilegio speciali exemptionis à lege Iurisdictionis ipsius Episcopi, vt intra terminum præfixum ostendant Episcopo priuilegium integraliter, Glo.in dicto ca.Cum personæ De Priuileg.lib.6.Ver.Integraliter.

Quamobrem si antequam feratur sententia excommunicationis ab ipso Episcopo contra Regularem, ipse non producat priuilegium, dummodo priuilegium non sit publicum, aut notum Iudici, sententia erit valida, vt patet ex dicto cap.Cum personæ, & ex cap. Si duobus De Appell.& probat Riccard.in 4.dist.18. ar. 5.q.5. nisi in ipso priuilegio esset apposita clausula Irritans &c. Quæ irritatio afficit Iudicem etiam ignorantem, vt probat Ant.Gabr. Tom.2. com.concl.lib. 6.tit. De Clausulis concl.3. num.56.70.& 73. Couar. Pract.quæst. cap.9. num.7. Vbi igitur talis clausula adesset sententia excommunicationis lata à Iudice contra Regularem, etiamsi priuilegium non produxisset, non teneret, sed esset ipso Iure nulla, & sine effectu cap.Per tuas De Sent.Excom. cap.Sanè si Episcopus de Excess.Prælat.Couar.prima par.ca.Alma Mater §.7.nu.5.Nauar. in Manua.cap.27.nu.3.& 4.Silue. V. Exemptio §. 9. & Excommunicatio 2. §. 1. cas. 4. Sot.dist.22.q.1,art.3. Et ratio est, quoniam exemptio Religionis videtur notoria Populo, & Ordinarijs; Est enim tale priuilegium Mendicantium insertum in corpore Iuris, Abb.in ca.Ordinem nu.6.De Rescript. Paul.de Castr.cons.431.num.4. lib.1. Quare si Regulares exempti, fuerint ab Episcopo citati, & vocati ad publicam processionem, & non comparuerint, non possunt censuris ligari, sed alijs poenis sunt multandi, Io.Andr.de Reg.Iur.in 6.Reg.scienti nu.7.ad fi. Vers. Non obstat. Alia tamen ratio esset, quando priuilegium concessum esset priuatæ personæ; Talis enim priuilegiatus, si excommunicaretur ab Ordinario, etiam sine causa, & iniustè, deberet abstinere in foro exteriori, donec constaret de nullitate sententiæ, & ab huiusmodi excommunicatione esset petenda absolutio ad cautelam dicto cap. Per tuas De sent. excom. Couar.1.par. in cap.Alma Mater §.12. nu.7. Nauar. in Manua.cap.27.nu.272.Et ratio est, quia priuilegio non inserto in corpore Iuris ordinarius non tenetur credere, nisi probetur, vt probat Nauar.ca.Placuit de Poenit. dist.6. à nu.185. quia priuilegiũ est quid facti.

Si postulet aliquis; An Episcopus, cui legitimè constat Regularem incidisse in excommunicationem Iuris communis, aut fuisse excommunicatum per sententiam Papæ, possit illum publicè promulgare, & denunciare excommunicatum.

Respondeo posse, vt inquiunt Couar.in 1.par. cap. Alma Mater §.10. nu.4. Nauar, cap.Cum contingat

De

De Rescrip. causa 6. 14. 15. Quæ denunciatio grauat eos, vt vitandi sint, & difficilius detur absolutio. Nec plura de Regularibus exemptis.

Quartò, & postremò quæri potest de Exemptis ex speciali priuilegio; Nempè quando priuatæ personæ conceditur priuilegium, vt à nemine excommunicari possit simpliciter, nulla facta expressione de Episcopo; An ex hoc priuilegio eximatur talis exemptus à potestate sui Episcopi, vt ab eo excommunicari nequeat.

Respondet Clemens Quartus cap. Ne aliqui De Priuileg. lib. 6. non tolli per hoc Indultum generale, iurisdictionem ipsius Episcopi, quia non extenditur tale priuilegium ad Ordinarium, sed ad alios Iudices; Si priuilegium fuerit concessum particulari personæ, dummodo non sit Rex, vel Regina, aut eorum filij. Secus si esset concessum priuilegium huiusmodi generale alicui Ordini, vel loco Religioso; Nam tunc temporis Religiosi illius Monasterij excommunicari non possent etiam ab Ordinario loci, vt dictum est in præcedenti dubio, nisi forsan illi Religiosi degerent in Monasterijs ordinarijs subiectis. Nam licet vbique sint Regulares, tamen quoad excommunicationem, quandiù ibi manent, sunt subiecti ordinario loci, cap. 1. §. In eos autem, eod. tit. & lib.

Sed postulabit aliquis; Quid si priuilegium expressè eximat priuilegiatum à potestate Ordinarij; An Episcopus possit huiusmodi exemptum excommunicare, si deliquerit in sua Diœcesi.

Disputat Glo. ad vtramque partem hanc dubitationem in ca. Placuit 6. q. 3. Ver. Parochianum, & post multa concludit distinguendo; Si Priuilegiatus delinquat circa rem non exemptam; Vt in Contractu, Maleficio occidendo hominem, vel adulteriũ committendo, tale delictum potest puniri ab Episcopo loci; Nam licet sit persona exempta, tamen res, in qua delinquitur, non est exempta; Si verò delinquat circa rem exemptam, puta malè se gerendo in officio, vel alienando res Ecclesiæ suæ, in his à solo Papa punitur.

Quamobrem ex hac distinctione Glosæ dicendum erit; Vbi factum Exẽpti præiudicium affert non exempto, Episcopus loci poterit exemptum excommunicare, secus si nemini sit damno, & nocumento. Et hæc distinctio probatur cap. Cum capella. De Priuileg. ca. Patentibus, cap. Tuarum eod. tit.

Iam igitur manent declaratæ omnes conditiones, quas primo Capite enumerauimus, quæ sunt necessariæ in eo, qui validè debet excommunicari, scilicet vt sit Homo, Viator, Viuens, Adultus, Baptizatus, Superiorem habens in Terris.

Sed insurgunt aliæ difficultates examinandæ de eodem subiecto excommunicationis, vt exactè intelligamus, qui excommunicationis censura ligati possint, & tollatur omnis ambiguitas.

CAPVT VI.

An Collegium, vel Vniuersitas excommunicari possit.

POsse Collegium excommunicari fortasse aliquis sic probaret Primò quoniam omnes conditiones, de quibus hucusque disseruimus, & probauimus necessarias esse in subiecto, quod est capax excommunicationis, videntur optimè aptari posse Collegio, Vniuersitati, vel Congregationi hominum; Tales enim Congregationes constant ex hominibus viuentibus, adultis, baptizatis, habentibus superiorem, etiamsi sit A Concilium generale, cuius caput est Papa, ergo Collegium, & Vniuersitas poterit excommunicari.

Secundò tota Vniuersitas, & Collegium, vt constat ex pluribus hominibus simul iunctis sub hac ratione formali potest grauiter delinquere, & post legitimam monitionem non parere superiori; Igitur potest legitimè excommunicari, quia committit causam, propter quam legitimè fertur in contumacem Excommunicatio.

Accedit, quod Congregatio, si commiserit delictum, poterit à Superiore alijs poenis multari, ergo poterit excommunicari.

Confirmatur, alijs censuris potest obstringi Collegium, & Vniuersitas, ergo poterit ligari etiam excommunicatione. B

Tandem in cap. 1. Disp. 7. agentes de ijs, qui potestatem habent ad excommunicandum nomine hominis, diximus intelligendam etiam esse hominum Congregationem; Nam Concilia, Congregationes Regularium legitimæ, Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, & aliæ similes Congregationes habent potestatem excommunicandi, ergo eodem modo nomine hominis, qui excommunicari potest, intelligi debent Congregationes conflatæ ex hominibus.

In hac difficultate conclusio est negatiua indubitata apud omnes absque vlla dissentione, scilicet sententiam excommunicationis ferri non posse in Communitatẽ, sed eum, qui per excõmunicationem ligatur, C necessariò debere esse personam aliquam singularem.

In qua sententia ex Theologis est B. Tho. in Addit. ad 3. par. q. 22. art. 4. ad 2. & q. 23. art. 3. ad 3. & in 4. sent. dist. 18. q. 2. art. 3. in respons. ad secundum. Sot. distinc. 22. q. 2. art. 5. Riccar. dist. 18. art. 5. quæst. 3. Palud. 18. q. 2. ad fin. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 13. Couar. lib. 2. Variar. Resol. cap. 8. num. 9. & in prima par. in cap. Alma Mater §. 9. num. 9. ad fi. & 2. par. §. 1. ad fi. Silue. excom. 1. §. 10. & alij.

Probatur primo ex Glo. B. Aug. sup. cap. 13. Matt. quæ dicit Principem, & Multitudinem non esse excommunicandam, & ex epistola eiusdem Aug. 75. refertur cap. Si habes 24. q. 3. & ex ca. Romana De sent. excom. lib. 6. §. In Vniuersitatem, vbi ab Innocentio Quarto D prohibetur populum in vniuersum excommunicari, & assignatur ratio, quia tunc contingeret innoxios irretiri excommunicatione.

Secundò idem probat B. Th. hac ratione, quoniam nemo excommunicari potest, nisi pro peccato mortali; Peccatum autem in actu consistit, actus autem non est Communitatis, sed singularium personarum, & ideo singuli de Communitate excommunicari possunt, non autem ipsa Communitas. Et si quandoque actus sit totius Multitudinis, vt quando multi nauem trahunt, quam singuli trahere non possunt, non est tamen verisimile, inquit B. Thom. quod aliqua multitudo sic tota ad malum consentiat, quin aliqui non sint dissentientes; Sicut igitur Deus, qui iudicat omnem E Terram, non condemnat simul impium cum iusto, vt legitur Genes. 18. Abraham dixisse Domino, *Nunquid perdis iustum cum impio? Non est hoc tuum, qui iudicas omnem Terram, vt occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius*: Ita Ecclesia, quæ iudicium Dei imitari debet, satis prouidè statuit, vt tota Communitas non excommunicetur, ne collectis zizanijs simul eradicetur & triticum.

Tertiò Collegiũ non est vera persona, sed repræsentata, nec habet baptismum, sententia autẽ excõmunicationis ligat solum veram personã, & baptizatã, ca.

P. & G. De Off. deleg. & c. Omnis Christianus 11. q. 3. Collegium igitur simul totum excõmunicari non potest; Quod duobus modis intelligi potest. Primo modo Communitas, quatenus Communitas in genere. Alio modo Communitas ratione singulorum, idest omnes, & singuli collectiuè, & vtroque modo vera est conclusio Communitatem excommunicari non posse; Quod patet ex illo cap. Romana; Vbi simpliciter prohibetur Collegium, aut Vniuersitatem posse excommunicari, ergo hæc prohibitio habet locum, quocunq. modo feratur excommunicatio in ipsam Communitatem, quod maximè ostenditur in fine illius tex. Vbi hæc habentur. *Sed in illos duntaxat de Collegio, & Vniuersitate, &c.* Dictio illa taxatiua, Duntaxat, excludit tantum illum casum, & firmat regulam, quoad omnia alia. Et confirmatur, quod non solum Ius voluerit prohibere tanquam rationi repugnans, ne excommunicatio pronuncietur contra Collegium in genere, vt Collegium est, sed etiam ne feratur contra collegium collectiuè omnes, & singulos, quia excommunicatio, quę hoc secundo modo fertur in Collegiũ, omnes personas Collegij complectitur, etiamsi non deliquerint, sicut patet in Interdicto, alias si tantum personas delinquentes complecteretur, non esset contra Collegium, sed in eos, qui tale delictum commiserunt, & sic esset contra singulas personas, non contra Collegium, quod si complectitur talis sententia omnes etiam innoxios, hoc repugnat excommunicationi, vt dicitur cap. Nemo cum alijs 11. q. 3. Et hãc rationem assignauit Summus Pontifex in citato cap. Romana dicens, *Cum nonnunquam contingeret innoxios huiusmodi sententia irretiri.*

Postremò eadem conclusio probari potest hac ratione Bona, quibus directè homo per excommunicationem priuatur, personalia sunt, scilicet suffragia, sacramenta, actus iurisdictionis; Communio externa, quæ non pertinent ad Communitatem, ergo excommunicatio non potest ferri in Communitatem, sed in personas singulares.

Verum insurgit dubitatio; Postquam legitimè ferri non potest sententia excommunicationis contra Communitatem collectiuè, si tamen de facto feratur, an sit valida, & teneat.

Sunt duæ opiniones; Aliqui affirmant tenere talem sententiam, & in hanc opinionem citat Glo. in cap. Romana Ver. Penitus De sent. excom. lib. 6. Ber. quod scilicet talis sententia contra Vniuersitatem licitè ferri nequeat, tamen si feratur tenet, & hoc inquit esse tutius. In eandem videtur descendere Silue. Excommunicatio 1. §. 19. Affirmat enim Vniuersitatem in abstracto vt aliquid præscindens à singularibus hominibus excommunicari non posse vlla auctoritate, sed sumptam pro singularibus personis excommunicari posse etiam collectiuè non solum à Papa, sed ab Inferiori in hunc modum E. G. propter contumaciam Capituli sint excommunicati singuli Capitulares, cum hac tamen clausula, scilicet qui fuerunt culpabiles secundum Archid. in dicto cap. Romana. Si autem Papa excommunicationis sententiam ferat, quia dicto cap. Romana non subijcitur, tenet sententia, etiamsi excommunicẽtur omnes, & singuli absolutè, quia excommunicatio valida est, quamuis non liget innoxium. Alij tenent contrariam sententiam negatiuam in casu prædicto Excommunicationem non esse validam. Pro hac parte Glo. citata in dicto cap. Romana citat Host. Io. Monac. Archid. & Franc. qui ducuntur ex verbis illius text. ibi *In Vniuersitatem, vel Collegiũ*

A *proferri excõmunicationis sententiam penitus prohibentis*, & ratio est, quia Vniuersitas, vel Collegium non est materia capax ad recipiendam talem sententiam. Ita Riccar. in 4. dist. 18. Vbi supra, Gabr. quæst. 2. art. 2. conclusione 5. corol. 7. Sot. distinctione 22. quæst. 2. articulo 2.

Respondeo ad dubitationem, & dico. Primò si excommunicatio feratur, à Romano Pontifice, & maximè cum derogatione dicti cap. Romana, in Collegium, habenda erit in foro exteriori valida sine dubio, sicut dicit Silue. Et ratio est quoniam quod non possit excommunicari Collegium, est statutum Iuris Ecclesiastici positiui, non est Iuris diuini, vel naturalis, ergo illud Ius potest à Papa abrogari.

B Præterea ideo ab Innocentio in cap. Romana, prohibita est excommunicatio in Vniuersitatem, quia cum probabile non sit aliquam multitudinem, totam delicto consensisse iustus cum impio, non est condemnandus, ne cum zizaniis etiam triticum eradicetur, vt rectè docuit D. Tho. in 4. sent. dist. 18, q. 2. art. 3. in resp. ad 2. & apertè insinuatur in dicto cap. Romana vbi Volẽtes animarum periculum vitare, quod sequi posset, cum nonnunquam contingeret innoxios, huiusmodi sententia irretiri. Quamobrem quoties constat totam vniuersitatem, aut totum collegium deliquisse cessante, tunc dictæ Constitutionis ratione potest excommunicari, vt declarant Host. in summa tit. De Contumacia §. fin. Vers. Ergo si constat, Lap. Pet.

C Anchar. & Domini. quos sequitur Franc. in dicto cap. Romana §. In Vniuersitate Vers. in Glo. fin. in fi. Si quis contra instet. Ergo quando euidenter non constat omnes ipsius Collegij deliquisse non erit valida excommunicatio vniuersaliter lata in vniuersum Collegium, nam tunc innocentes etiam essent excommunicati. Respondeo per huiusmodi sententiam latam contra Collegium excommunicari, & ligari solum nocentes, & culpabiles quoad Deum, non innocentes, quia excommunicatio ex sui natura ferri nequit nisi propter culpam mortalem. Si dicas, Quomodo Fideles diudicare poterunt, & distinguere nocentes ab innocentibus, Dico quandiù à nobis discerni non possunt nocentes ab innocentibus, omnes vitandi erunt.

D Ipsi tamen innocentes secretò non tenentur se gerere vt excommunicatos.

Deinde quando sententia fertur in Vniuersitatem, & Collegium notantur illi tantum, qui in culpa fuerunt, propter quam fertur excommunicatio, & hoc pacto non includit insontes pro quo Io. Andr. in dicto cap. Romana §. in vniuersitatem loquens de Collegio: *Possunt*, inquit, *excommunicari omnes, qui fuerunt mandato meo rebelles*, quam opinionem, tanquã D. Thom. & Innocentij Quarti verbis cõgruentem sequitur Sũma Tabien. Ver. Excommunicatio, secundo numero 18. Vers. Vel accipitur Collegium applicatis, neque idest contra dispositionem dicti ca. Romana; Et cum

E Doct. aliqui ex dicto cap. Colligunt excommunicationem latam contra Collegium esse nullam, loquuntur in casu quo pronunciatur contra Collegium, tanquam personam repręsentatam, tam noxijs, quam innoxijs comprehensis. Vnde in hoc differt Excommunicatio ab Interdicto, quod Interdictum primo, & per se dirigitur ad ipsam Communitatem, neque consideratur an singulares personæ deliquerint, nec ne, sed excommunicatio primario fertur in particulares personas delinquentes, & eatenus respicit Communitatem quatenus accidit singulas personas Communitatis particulariter deliquisse.

In

In hoc dicto consentiunt Ang. Excommunicatio 1.5. 7. Silue. Vbi supra, Conar. lib. 2. Variar. Resol. cap. 9. num. 9. Verum licet hæc praxis vtcunque seruari possit in Collegij ecclesiasticis, vel secularibus, in quibus omnes de Collegio possunt concurrere ad aliquid agendum, vt inquit Ant. Massa, Gales. ad for. oblig. Camer. fol. 139. num. 22. secus tamen esset in Vniuersitatibus, & alijs Congregationibus in quibus sunt Mulieres, Pueri, Infirmi, qui non interueniunt Concilio.

Sed contra dicta posset quis afferre auctoritatem B. Augustini lib. 3. contra epist. Parm. relatum in cap. Non potest 23. quæst. 4. vbi valde detestatur excommunicationis sententiam latam aduersus multitudinem etiam manifesti & notorij peccati ream.

Ad hanc auctoritatem respondeo primo illam intelligendam esse vbi scandalum timetur, & multorum strages sequuntur si seruetur rigor, alias enim si non contemnatur disciplina Ecclesiæ in populo, sed sperari possit, vt patienter sustineat ferenda est multitudo cap. fin. De Pœnit. Distinct. 6. Hæc sunt verba Glo. in cap. latores, Ver. Multitudinem De Cleri. Excommuni. Secundo respondetur cum multitudo deliquit qui causam delicto dederunt, vel præcipui fuerunt auctores delicti, non excusantur multitudine, sed acrius ob multitudinem puniuntur, vt probatur dicto cap. latores, & declarat ibi Henric. citans S. Hieron. in epistola 2. ad Rufinum dicentem, Multitudinem peccantium patrocinium errori non parere. Respondetur tertio cum in hac materia qui numerus requiratur vt multitudini impune sit deliquisse à Iudicis arbitrio dependeat vt ibi Glo. Henr. & cæteri declarant merito S. Augustinus Donatistarum eorumque populorum qui maiorem Africæ partem occupabant multitudinem vtpote immensam arbitratus est non debere excommunicatione feriri quod periculum non imminet semper quotiescunque gladio excommunicationis ferienda est multitudo.

Dico secundo; Si excommunicatio feratur ab alijs Prælatis Papa inferioribus contra Collegium in vniuersum collectiuè tanquam contra personam repræsentatam inualida erit, quia est contra Ius, quod in dicto cap. Romana continetur. Quare Doctores affirmant talem excommunicationem esse inualidam ob dictam rationem. Nam excommunicatio non potest ferri, nisi propter peccatum mortale, igitur innocentes excommunicari non debent. Ideirco si communiter omnes excommunicentur sine distinctione, talis sententia erit inualida. Confirmatur, quia vnus pro alterius peccato excommunicari non potest, cap. Sententia 24. q. 3. Idem ait Aug. Triumphus in Sum. q. 7. art. 1. Sed dubitat Dom. Sot. in dicto art. 2. Quid si excommunicatio apposita sit in statuto, promulgat statutum Episcopus, vt nullus de Collegio exeat, aut quidpiam aliud agat; An si singuli contemnant, totum Collegium possit excommunicari. Respondeo, quando Statutum continet excommunicationem latæ sententiæ, quicunque non paret, incurrit; Sed si est sententia ferenda, non potest Iudex pronunciare totum Collegium excommunicatum, quousque singuli audiantur, an habeant causam legitimam excusandi se à peccato.

Dico tertio; Si excommunicatio feratur contra singulos alicuius Collegij ab Episcopo, qui fecerint aliquid prohibitum, valida est, & tenet. Est sententia Sil. uestri, Couar. vt supra, & aliorum.

Ratio huius conclusionis est, quoniam ex hoc mo- A do non sequitur illud incommodum, cuius causa in cap. Romana interdictum est, nè Collegium excommunicari possit, quia non irretitur innoxius; Et ad hunc modum propter contumaciam Capituli excommunicātur singuli de Capitulo, qui fuerint culpabiles.

Ex dictis soluta sunt argumenta ad oppositam partem; Illud solum, quod erat de Interdicto, requirit peculiarem solutionem, & dicimus non valere cōsequentiam Tota Ciuitas potest interdici, ergo & excommunicari, quia Interdictum non semper ponitur ob culpā eorum, qui interdicuntur, sed aliquando ob delictum Ciuitatis, aut Prouinciæ, vel Principis, tex. in cap. Non est vobis De Sponsa. cap. Sanè 2. Vbi optimè Dec. De Off. Deleg. Nām hæc pœna non est spiritualis per se, B nec enim afficit animam, quia non priuat cōmunione suffragiorum Ecclesiæ, sed tantum suspendit Interdictos ab Auditione, & celebratione diuinorum officiorum. Quæ quidem priuatio directè animam nō afficit, & sic distat ab excommunicationis censura, quæ priuat Excommunicatum Ecclesiæ suffragiis. Non igitur est simile de Excommunicatione, & de Interdicto. De Excommunicatione in Collegium hæc sufficiant.

CAPVT VII.

An qui semel excommunicatus est, possit pluries aliis excommunicationibus alligari.

C Difficultas oritur, Primò quoniam Homo per excommunicationem priuatur omnibus bonis cōmunibus Ecclesiæ, quibus priuari potest, ergo eisdem bonis non potest iterum priuari, si iam priuatus est; Quare non potest iterum excommunicari. Confirmatur ratione naturali; Duo accidentia solo numero differentia eiusdem speciei non possunt esse simul in eodem subiecto, vt duæ albedines non possunt esse simul in pariete; Nec etiam duæ priuationes eiusdem numero formæ; Vt duæ cæcitates in oculo, ergo nec duæ excommunicationes possunt esse simul in eodem homine, quia sunt duæ priuationes eorundem spiritualium bonorum.

Secundò Ecclesia non iudicat de his, qui sunt extra eam, vt inquit Apostolus Paulus 1. ad Corinth. cap. 5. D *Quid nobis de his, qui foris sunt, iudicare*, Sed excommunicati sunt extra Ecclesiam, & separati, ac diuisi ab hoc Corpore mistico, ergo Ecclesia non habet Ius in eos, vt possit iterum de illis iudicare, & eos excommunicare.

Verum res caret omni dubitatione, & omnes Doctores affirmant posse hominem excommunicatione ligatum iterum, & sępius obstringi non solum censuris diuersarum specierum, vt Suspensione, Interdicto, sed etiam eadem censura excommunicationis. Ita sentiunt Bonau. in 4. dist. 18. 2. par. dist. q. 4. Gabr. q. 2. art. 2. concl. 5. Riccar. art. 5. q. 2. Alexan. Alens. 4. par. quæst. 22. membr. 1. art. 5. Sot. dist. 22. q. 2. art. 2. concl. 3. Glo. in cap. Ità quorundam De Iudæ. & ibi Abb. Nauar. in E Comm. in dictum c. Ità quorundam not. 11. in Glo. vlt.

Et si loquamur de diuersis Censuris ratio est manifesta; Potest enim talis esse excessus criminis, & grauitas delicti, vt iustè puniri debeat non vna tantum censura, sed pluribus; Vel, quod frequentius accidere potest, quando diuersa sunt delicta digna expiari pluribus censuris; Quare cōsuetudo est in Ecclesia crescēte contumacia multiplicari cēsuras, & simul etiā ferri plures censuras, vt est videre in Extrau. 3. De Priuileg.

Eodem modo de eadem specie Censuræ apparet manifestè, nihil enim impedit, vt qui ratione vnius

contumaciæ eſt excommunicatus ab Epiſcopo, ſi iterum ſit inobediens in alia re, & contumax, poſſit denuo excommunicari; Nam poteſtas, & Iuriſdictio Epiſcopi Excommunicantis non eſt extincta per vnum actum; Quare poſtquam excommunicauit ſubditum pro vna cauſa, poteſt eundem excommunicare pro alia, cap. Cum pro cauſa De Sent. Excommun. Immò non ſolum propter nouum crimen poteſt quis iterum excommunicari, ſed etiam propter vnum, & idem ad maiorem ipſius terrorem, & confuſionem; Nam ipſamet obſtinatio, qua inſordeſcit in Cenſura, abſque alio nouo delicto acriori animaduerſione fit digna. Exemplum habetur expreſſum in cap. Quicunque De Sent. Excom. lib. 6. Finis autem huius reiterationis Cenſuræ eſt, vt Reus acrius, & vehementius vexatus excitetur ad obedientiam, vel propter alias cauſas, quæ poſſint mouere Epiſcopum, vt iudicet prudenter expediens fore nouare Cenſuram.

Hancque fuiſſe antiquam Eccleſiæ conſuetudinem non ſemel tantum, ſed pluries perditiſſimum aliquem excommunicandi, intelligere poſſumus ex his, quæ referuntur à Sancto Cipriano Epiſtola 39. & 55. de Feliciſſimo, & quinque alijs Presbyteris Schiſmaticis, qui ſæpius eadem excommunicationis ſententia perculſi fuere. Aliud exemplum refertur à Nicolao Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Germaniæ, habetur in 3. Tom. Epiſtolarum Decretalium Rom. Edit. De Engeltrude vxore Boſonis Comitis, quæ proprio viro relicto ſeptem annorum ſpacio hac, atque illac vagabunda ab eodem Nicolao Papa anathematizata fuit cum fautoribus ſuis, & creſcente contumacia idem Nicolaus in Romana Synodo circa annum Domini 863. iterato anathematis vinculo eam duxit innodandam.

Sed obijciet quis; Si ſemel Excommunicatus iam priuatus eſt omnibus bonis ſpiritualibus, quæ ex inſtitutione Eccleſiæ communia ſunt omnibus membris huius Corporis miſtici, quid igitur operatur ſecunda Excommunicatio, ſi nullum remanet bonum, quo priuari poſſit?

Reſpondeo Quod quamuis ſemel Excommunicatus ſit priuatus omnibus bonis communibus ex inſtitutione Eccleſiæ ita quidem, vt non poſſit magis priuari, ſi iterum, & pluries excommunicetur, quia hæc priuatio non recipit magis, & minus ſecundum ſe, & directè; recipit tamen magis, & minus in cauſa, quia pluries Excommunicatus eſt pluribus cauſis, & titulis ſeparatus ab eiſdem ſuffragijs Eccleſiæ, & ideo ad maiorem ſatisfactionem obligatus, ſi velit ſe reconciliare Eccleſiæ.

Quare quamuis Excommunicatus non poſſit iterum excommunicari ad effectum eijciendi eum ab Eccleſia, cum extra eam reperiatur; poteſt tamen iterum excommunicari ad effectum retinendi eum extra Eccleſiam alio vinculo innodatum, quo antea non detinebatur, vt inquit Glo. in cap. Ita quorundam Ver. Crebra, & ſolemnis De Iudæ. Sicut qui commiſit vnum peccatum; poteſt aliud committere, & ſic erit maiori vinculo ligatus; Quod ſi quis obijceret arg. l. Quibus idem, ff. De Verbo. Oblig. Vbi per ſecundam ſtipulationem non inducitur noua obligatio; Reſpondeo, quod lex illa agit de ligamine, quod ex animo contrahentium naſcitur, quos non præſumit Ius velle inducere in ſecunda ſtipulatione nouam obligationē; Sed aliud eſt loqui de vinculo, quod ex voluntate Superioris naſcitur, quando ex verbis illius apparet velle contumacem ligare alio vinculo, cap. Engeltru-

A dam 3. q. 4. arg. cap. Excellentiſſimus 11. q. 3. Sic qui in ſordibus eſt, adhuc magis inſordeſcit, ca. Quantumlibet in fin. 97. diſt. & eſt caſus in cap. Cum pro cauſa De Sent. Excomm. & in cap. Ex parte De Off. Ordi.

Ex his primò infertur vnum maximè annotādum; Aliter eſſe iudicandum, quando Excommunicatio ab eodem Iudice in eundem ſæpius repetitur ob eandem omninò cauſam ad maiorem confuſionem, dedecus, & infamiam ipſius Excommunicati, aut ob alium finem. Et quando iteratio excommunicationis naſcitur ex diuerſa cauſa, quia noua ſit contumacia, & inobedientia. Primo enim modo vna ſolum eſt excommunicatio, & vnica abſolutione tollitur, licet difficilius impetretur abſolutio ob reiterationem illam, B & tales videntur excommunicationes Bullæ Cœnæ Domini, quæ ſingulis annis renouantur. Secundo modo vero quot ſunt cauſæ, quæ mouent Iudicem ad excommunicandum, tot ſunt excommunicationes diſtinctè, quæ totidem etiam abſolutionibus ſunt tollendæ, vel vnica abſolutione, in qua exprimantur omnes illæ cauſæ excommunicationis.

Infertur ſecundo ſano modo intelligendam eſſe Gloſam vlt. Ver. Crebra & ſolemnis in ca. Ita quorūdam De Iudæ. Quæ affirmat excommunicationem ſecundam non habere effectum, donec tollatur prior; quæ verba ſunt ita explicanda, ſcilicet quod ſecundæ excommunicationis effectus non apparet, donec tollatur prior, quia cum prioris excommunicationis vin C culo contumax maneat ab Eccleſia ſeparatus, effectus vinculi poſterioris licet iam productus ſit, ſcilicet retinere Excommunicatum foris, non cognoſcitur. Vbi verò abſolutus eſt à priori excommunicatione, tunc apparet effectus ſecundæ excommunicationis, cum adhuc remaneat Excommunicatus extra Eccleſiam, & indigeat noua abſolutione.

Infertur tertio, cum Doctores affirmant poſſe aliquem ſæpius vinculo excommunicationis alligari; Hoc dictum regulariter intelligendum eſſe Vel ab eod. Iudice propter diuerſas cauſas, quarum vnaquæque ſit ſufficiens ad excommunicationem inferendam, non ſolum diuerſis temporibus, ſed etiam vna, & eadem ſententia, quæ ſigillatim omnia delicta am D plectatur, vel etiam à diuerſis Iudicibus, non ſolum vbi diuerſæ exiſtunt cauſæ per ſe ſufficientes, ſed etiam propter eandem cauſam; Nam ab eodem Iudice propter idem delictum poteſt quis ſæpius eadem excommunicationis cenſura aggrauari creſcente eius contumacia; Sic Nicolaus Papa in citata Epiſtola decretali, Anno Chriſti 863. Engeltrudam filiam Mattefridi Comitis, cum obſtinata in contumacia perſeueraret, iterato anathematis vinculo innodauit. Tamen propriè loquendo in hoc caſu non multiplicatur excommunicatio, quia vnica ſufficit abſolutio, vt dixi, & idcirco verè, & propriè non ſunt plures excommunicationes; Sicut etiam nō iteratur ex E communicatio, quando quis poſt excommunicationē denunciatur publicè excommunicatus, vt dicitur in c. Paſtoralis §. Verè De Appell. Vel quando quis eſt excommunicatus à Iure, & denūciatur, & promulgatur excommunicatus ab homine. Quare concluſio communis Doctorum de iteratione excommunicationis intelligenda eſt, quādo ſententia excommunicationis ab eodem Iudice ſæpius pronunciatur in eundem reū propter diuerſas cauſas per ſe ſufficientes ad excommunicationem iterandam, vt dicitur in cap. Cum pro cauſa De Sentent. Excommunicat. Vbi quidam Archidiaconus, qui ob duplicem cauſam fuerat

excom-

excommunicatus, & absolutus erat ab excommunicatione quoad vnam causam, non intelligitur respectu alterius causæ absolutus. Si igitur non sufficit vnica absolutio, quæ exprimat vnam causam tantum, ergo non erat vnica excommunicatio. Requiritur autem vt vnaquæque causa sit sufficiens, vt possit multiplicari excommunicatio, vt in illo cap. Cum pro causa; Vbi enumerantur duæ causæ excommunicationis, scilicet violenta manuum iniectio in Clericum, & Violatio Immunitatis Ecclesiasticæ; Vtraque enim habet excommunicationem annexam.

Eodem modo pro varijs delictis à diuersis Iudicibus in eandem personam iterantur excommunicationes, vt in cap. Officij De Sent. Excom. Vbi supponitur quidam excommunicatus propter plures excessus à pluribus Prælatis, & significatur à nemine illorum posse integrè absolui, nisi ab omnibus acceperit absolutionem; In Clement. 2. De Sent. Excom. Excommunicatio fertur in eos, qui contra priorem excommunicationem, & admonitionem sacris intersunt. Et hæc excommunicatio est distincta à priore, cum posterior sit reseruata, quamuis prior non sit. Simile exemplum habetur etiam in Extrauag. vnica De Schismate.

Multiplicari quoque possunt excommunicationes in eandem personam à diuersis Prælatis propter eandem quodammodo causam; Potest enim quis simul pro eodem crimine à Iure, & ab homine excommunicari, vt animaduertit Abb. in cap. Grauem num. 5. De Sent. Excommun. Quo casu, quamuis delictum sit vnum materialiter, diuersum tamen est formaliter; Quia vt excommunicetur quis ab homine, necessaria est contumacia, & non sufficit delictum commissum. Vt verò incurrat excommunicationem latam à lege, satis est, quod transgrediatur ipsam legem; Quare formaliter sunt diuersæ causæ. Eadem ratio est, si duæ leges ferantur prohibentes aliquid sub pœna excommunicationis, vt à Papa, & ab Episcopo intendente nouam excommunicationem imponere; Qui opus vetitum committit, duplici excommunicatione innodatur. His igitur modis intellecta conclusio verissima est. Et ex dictis patet, quid sit respondendum ad ea, quæ initio objiciebantur. Indiget tamen explicatione locus Apostoli Pauli 1. Ad Corinth. 5. *Quid nobis de his, qui foris sunt, iudicare;* Cum igitur excommunicati sint extra Ecclesiam, non possunt iterum excommunicari.

Nauar. respondet in cap. Ita quorundam De Iudæ. notab. 11. in Glo. vlt. num. 2. Apostolum Paulum loqui de his, qui omnino sunt foris, idest qui non receperunt fidem Christi, & non sunt baptizati. Et si de his sit sermo, certum est excommunicari non posse non solum sæpius, sed neque semel; Sed Excommunicatus non est hoc modo extra Ecclesiam, quia Christianus est, & insignitus Charactere baptismali indelebili etiam post mortem cap. licitè 32. q. 7. & ibi Glo. Immo etiam Hereticus, & Apostata à fide non desinit esse Christianus ratione Characteris, & est ipso Iure excommunicatus. Nec plura de hoc Capite.

A

CAPVT VIII.

An qui pluries transgreditur legem prohibentem aliquid sub pœna excommunicationis remaneat pluribus vinculis excommunicationis alligatus iuxta numerum transgressionum.

Dictum est, qua ratione potest quis ab homine per sententiam sæpius excommunicari, modo in hoc capite tractandum est de iteratione censuræ à Iure.

Percussit quis Clericum duabus percussionibus distinctis diuersis tẽporibus; An sit bis excõmunicatus.

Respondent Doctores communiter assignando B regulam generalem, & est, quando ex noua transgressione legis committitur nouum peccatum, incurritur noua excommunicatio. Quando est vnum peccatum, licet sint plures actus, vnica est excommunicatio. Ratio huius Regulæ est, quia imponitur excommunicatio contra transgredientes legem, ergo si transgressio est vna, erit quoque excommunicatio vna, si multiplex transgressio, multiplex excommunicatio. Ita sentit Nauar. in Manua. cap. 6. numero 17. & 18. Quare qui vnico impetu pluries percutiat Clericum, semel tantum erit excommunicatus, vt dicitur in dicto cap. Cum pro causa De Sent. Excom. Vnde Io. Andr. in cap. Delictum De Reg. Iur. lib. 6. concludit quendam Anglum, qui tres ictus vno impetu intulit in C Clericum, semel fuisse excommunicatum, quia tres illi ictus vnico impetu illati dicuntur vnus actus in genere moris, licet in genere entis sint distincti, & propterea est vna tantum transgressio legis. Ex opposito verò si vnico ictu tres Clericos percuteret ex intentione, ter esset excommunicatus, vt inquit Io. Andr. in dicto capit. Delictum, quia tot vicibus transgressus esset legem prohibentem Clerici percussionem. Itaque vnitas, vel multiplicatio excommunicationis desumenda est ex vnitate, vel multiplicatione actus in genere moris, qui sit per se sufficiens ad transgressionem legis.

Sed postulabit aliquis, qua ratione cognosci possit, quando talis actus sit vnus, vel multiplex in gene- D re moris ad diiudicandum numerum excommunicationis.

Respondeo. Primò cognosci posse ex continuatione, vel interruptione actus in genere moris, quando enim omnes actus interiores, & exteriores ordinantur veluti præparationes ad vnum effectum principalem consummandum, licèt illi actus fuerint interrupti in genere entis, vnica tantum est transgressio, vt si quis volens percutere Clericum accipit ensem, vocat socium, arripit iter, & alia facit semper cum eadem intentione, vel actuali, vel virtuali, quando vero actus moraliter interrumpuntur, plures sunt transgressiones, interruptio moralis cognoscitur vel ex longa tẽporis mora ex modo, ex circumstantijs, ex actionibus E interpositis.

Secundo hæc vnitas, vel distinctio consideranda est ex parte obiecti, seu materiæ, circa quam versatur peccatum, & transgressio. Qua in re licèt sit difficile generalem regulam assignare, quia ex diuersitate circumstantiarum, & ex diuerso modo agendi variatur casus, possunt tamen quædam considerari, & attendi, ex quibus intelligere possumus probabiliter, an vna sit, vel multiplex actio in genere moris.

In primis attendendũ est, an actio, qua consũmatur

transgressio, simul fiat, vel per partes sibi succedentes. Si simul fit, regulariter vna est trãsgressio, si fiat actio tempore per partes succedentes, vel moraliter continuas, considerandum est, an actiones illæ moraliter componant, & conficiant tanquam partes vnam integram actionem; vel vna non sit pars alterius, etiamsi sibi inuicem succedant, sed vnaquæque per se sit completa, & totalis; si priori modo, tunc vnica tantum est transgressio, & ex consequenti vnica censura incurritur, vt si quis plura intulit vulnera, & tandem occidit, vnica incurritur excommunicatio lata contra homicidas. Vnde in hoc casu non datur actio vulnerantis, & occidentis, sed occidentis tantum, vt habetur in l. Illud §. 1. ff. Ad leg. Aquil. Si verò illæ actiones non componant vnam integram actionem in genere moris, sed vnaquæque separatim sit completa, tunc erunt plures transgressiones, & ex consequenti plures excommunicationes contrahuntur. Vt iudicemus autẽ, quando illæ actiones sint integræ in genere moris, & vna non sit pars alterius.

Primò est inspiciendum obiectum, vndè actiones illæ desumunt moralem rationem, si enim obiectum est vnum, vnica erit transgressio; Vt si quis vnico impetu, & continuata actione interficit vnum, & successiuè alium, duo committit homicidia, quia duo sunt obiecta distincta in genere moris, & constituunt duas completas actiones.

Secundo considerari potest finis ipsius actionis; quando enim actus natura sua tendit ad definitum terminum, in quo consumatur, actus, qui postea succedit, non est pars prioris, sed nouus actus, & tunc sunt duæ transgressiones legis. Committit quis adulterium cum fœmina, sicut intendebat, deinde absque temporis mora cum eadem denuò peccat eodem genere peccati, sunt duæ transgressiones sufficientes ad incurrendum duas excommunicationes, si lata esset excommunicatio contra committentes adulterium. Diuersa tamen videtur ratio, si quis furaretur bona Ecclesiæ eadem actione successiua asportando bona extra Ecclesiam, esset enim vnum sacrilegium, & vnica incurreretur excommunicatio; quia furtum non habet materiam certam, & terminum, in quo consumetur, sed adulterium est completum, & consumatum circa vnam personam, ideo est diuersa ratio. Sed si actio simul fit, & terminatur ad plures personas, tũc secundum probabilem sententiam aliquorum censetur vnica actio, quia videtur idem finis, vt si quis duos homines vtranque manu per vim extraheret ab Ecclesia, vnicum esset sacrilegium, & vnam incurreret censuram. Similiter si quis simul cum duobus excommunicatis communicaret in diuinis, vnica afficeretur excommunicatione. Et idem quoque videtur dicendum, quando quis vnico ictu duos homines occideret, illud enim esset vnicum homicidium formaliter, licèt materialiter sint duo homicidia quantum ad effectus, & nocumenta, quæ sequuntur ex illa actione.

Si objicias, si quis separatim occidit duos homines, duo committit homicidia, & duas incurrit excommunicationes, si sunt Clerici, ergo eodem modo dicendum est, si simul eadem actione sequatur homicidium duorum hominũ, non apparet enim ratio diuersitatis.

Respondeo negando consequentiam, & ratio diuersitatis est, nam quando simul eadem actione sequũtur duo homicidia est vnica actio moralis, & ideo vnica excommunicatio, quia in actionibus moralibus coniunctio, vel separatio actionis efficit rei vnitatem, vel multitudinem.

A Rursus instabis, Hic Homicida, qui vnica actione duos homines occidit, punietur grauiori pœna, immò duplici pœna, sicut si separatim duo homicidia commisisset, ergo etiam obstrictus erit duplici excommunicatione.

Respondeo negando consequentiam, non enim est similis ratio, quia qui committit duo homicidia etiã vnica actione grauiori poena punietur, quàm si vnum solum occidisset, quia duplex nocumentum infert proximo; quare etiam si vnica tantum vita corporali priuari possit, potest tamen pluribus tormentis torqueri, & duriori supplicio necari; sed qui semel est excommunicatus, iam priuatus est omnibus bonis spiritualibus, vt non possit amplius priuari; neque diu potest B detineri in excommunicatione, quia duo homicidia patrauerit; nam cum vnica actione morali illa duo homicidia commiserit, vnica est causa excommunicationis, ratione cuius, si absolutionem obtinuerit, iam liber est, & solutus penitus à vinculo excommunicationis.

Adhuc objicies, si plures homines concurrant simul ad occidẽdum eundem Sacerdotem, omnes erunt excommunicati, ergo ex opposito si vnica actione plures sacerdotes interficiuntur, tot erunt excommunicationes, quot homicidia patrantur.

Negatur consequentia, quia quando sunt plures percussores, plures etiam sunt transgressiones, quia vnusquisque violat legem, sed quando plures ab vno C eadem actione interficiuntur, vna est transgressio; vnus enim est transgressor, & vna actione legem violat.

Sed quamuis hæc regula sit valde probabilis, opposita tamen opinio videtur tutior, & in praxi sequenda, quod etiam si vnica actione simul proueniant duo homicidia, tamen duæ incurruntur excommunicationes, siue sit vnica transgressio, & vnicum peccatũ, siue plura, ob eam rationem, quia duo sunt nocumenta, & iniuriæ illatæ proximo. Et hic videtur finis legis, quem respexit Legislator, punire scilicet pœna excõmunicationis crimen homicidij. Quare si multiplex est homicidium, sæpius incurritur excommunicatio, sicut diximus de aliis pœnis corporalibus. Et hæc est D sententia Nauar. in Manua. cap. 6. num. 18. Ex sententia Io. Andr.

Quod autem debeat attendi etiam in poena excõmunicationis damnum, & iniuria illata in alium, non peccatum, ex eo constare potest; nam quamuis quis committat peccatum homicidij quantum ad voluntatem statuens deliberato animo, & firma voluntate velle occidere alterum, immò etiamsi ad actum proximum deueniat, & vulnere lethali percutiat, si tamen non sequitur mors, non incurrit excommunicationem latam contra homicidas, quia cessat iniuria, quæ per legem prohibetur; quare ad incurrendam excommunicationem attenditur iniuria, & damnum illatum E Proximo, ergo quando plures sunt iniuriæ huiusmodi ex distinctione plurium personarum, etiamsi ex vna & eadem actione proueniant, plures erunt excommunicationes.

Iuxta quam sententiam, vt cohærenter loquamur, dicendum erit in huiusmodi casu (vt valida sit absolutio) esse necessarium, vt exprimatur in illa, numerus personarum, quæ occisæ sunt.

Sed potest quis postulare; an incurrat plures excommunicationes, qui vnico actu violat legem habentem plures circumstantias, si singulæ sint prohibitæ sub censura excommunicationis, vt si esset lex

pro-

prohibens sub poena excommunicationis, ne Clericus post duas horas noctis incederet sine habitu Clericali, sine lumine, cum armis, & aliquis simul transgrederetur legem quantum ad omnes circumstantias, an remaneret pluribus excommunicationibus innodatus.

Respondendum est, si circumstantiæ vetitæ tales sint, vt mutent speciem actionis moralis, tunc tot incurruntur excommunicationes, quot circumstantiæ violantur; Quia quamuis illæ circumstantiæ materialiter coniungantur, formaliter tamen sunt distincta peccata in specie, & idcirco sunt plures transgressiones. Si vero illæ circumstantiæ non mutent speciem, sed aggrauent in eadem specie peccati, vna incurritur Excommunicatio, quia vna est transgressio.

Rem exemplis explico; Si quis violenter percutiat Clericum, qui simul Monachus sit, duo committit peccata, & duas incurrit excommunicationes, sicut enim diuersarum specierum consecrationes sunt, quæ spectant ad Clericatum, & Monachatum, ità quoque prohibitiones, & transgressiones diuersarum rationū videntur: Quare etiamsi in eodem cap. Si quis suadente, vtrumq. contineatur, tamen vt res distinctæ traduntur, scilicet qui Clericum, vel Monachum &c. Contra si quis percutiat Sacerdotem, etiamsi sit insignitus alijs ordinibus, quorum quilibet est sufficiens, vt percussor sit excommunicatus, tamen non propterea in plures incidit excommunicationes, quia omnes illi ordines concurrunt per modum vnius, & solum aggrauant delictum in eadem specie. Similiter si quis commedat in die ieiunij carnes, & ante legitimum tempus contra prohibitionem sub pœna excommunicationis, non remanet alligatus pluribus excommunicationibus, sed vna, quia tota illa actio est vnius speciei, & omnes illæ conditiones magis aggrauant intra eandem speciem, & quamuis sufficiat violatio singularum circumstantiarum ad incurrendam excommunicationem, non inde inferri potest esse diuersarum specierum, sed tantum colligi potest peccatum grauius, & minus, graue ad inducēdam excommunicationem, non tamen quilibet excessus sub eadem specie peccati potest multiplicare excommunicationem, nisi etiam multiplicentur delicta, & transgressiones. Satis hæc sint ad hoc caput, & ad hunc modum maneat absoluta Disputatio de his, qui excommunicari possunt.

FINIS TERTII LIBRI.



DE

DE ABSOLVTIONE AB EXCOMMVNICATIONE.



LIBER QVARTVS.



Explicavimus huc usq. copiosè ea omnia, quæ ad intelligẽdam vim, & naturam excommunicationis, & eius effectus pertinent. Dictum est etiam de Causa materiali, formali, efficiente, & finali, & tandem de Subiecto, quod capax esse potest huius censuræ, vt nihil maneat, quod non sit in genere tractatum de hoc vinculo excommunicationis; Modo ad perficiendum sermonem de excommunicatione in communi, antequam aggrediamur disputationem de excommunicationibus in specie, quæ in Bulla Cœnæ Domini reperiuntur, sequitur, vt agamus de Absolutione ab Excommunicatione.

Tractabimus primo loco De Absolutione ab Excommunicatione in genere; Deinde de Absolutione ab excommunicatione Hominis, postea de absolutione ab excommunicatione Iuris.

DISPVTATIO PRIMA.
De Absolutione in genere ab Excommunicatione.

CAPVT I.
Quibus modis Excommunicatio tolli possit.

NOn quærimus in hoc Capite, quo pacto tolli possit excommunicatio annexa legi, aut edicto generali ita vt maneat lex, & tollatur pœna excommunicationis, hoc enim fieri potest per aliam legem, aut edictum, e. g. si sit peccatum aliquod, cui ex cô-
A stitutione Pontificia sit excommunicatio constituta, si deinde alia constitutione Pontificia abrogetur excommunicatio, tunc si incidat quis in illud peccatum post eam censuram abrogatam, excommunicatione non afficitur, quod si ante derogationem peccatum commiserat, excommunicationis vinculo tenetur, quoniam abrogatio ad excommunicationem præteritam trahi non potest, ex hoc quærimus in præsenti capite proponitur enim quæstio, quo pacto tolli possit excommunicatio iam contracta, & antequam ad explicationem huius Capitis accedamus, illud in primis declaremus, An hæc vox *Absolutio*, idem denotet, & significet, quod *Relaxatio* excommunicationis, vel
B aliqua sit differentia inter has duas voces.

Glo. in c. vni. De his, quæ vi, metusuè cau. fi. lib. 6. Ver. Reuocationem, assignat nonnullas differentias inter absolutionem, & reuocationem, seu relaxationem, absolutio enim dicitur, quando adhibentur solemnitates c. A nobis 2. de sent. excom. de quibus inferius, Reuocatio fit sine solemnitate, vel absolutio locum habet, vbi valida fuit excommunicatio, & tenuit. Reuocatio, vbi non fui, valida, & constat de iniustitia iuxta c. Odoardus de solut. & c. Sacro de sent. excom. notat Abb. in cap. Veniens 2. de testi. num. 18. in fi. Vel absolutio respicit simplicem absolutionem, reuocatio verò absolutionem ad cautelam, & quælibet harum explicationum bona est. Nullum
C autem videtur discrimen inter relaxationem, & reuocationem excommunicationis, vt Glo. explicat in eod. c. vni. & patet ex Abb. in eod. n. 18.

His præmissis aggrediamur tractationem huius capitis.

Et primò dubitari potest, an cessante contumacia statim tollatur excommunicatio.

Cessante causa debet cessare effectus. Si contumacia, & inobedienria est causa, vt quis excommunicetur, ergo quamprimum excommunicatus paratus est parere Prælato, cessat causa suæ excommunicationis, & ita non erit amplius excommunicatus.

Confirmatur, quando aliquis excommunicatur à Prelato sub conditione donec satisfecerit suo Credi-
D tori, si satisfaciat, non videtur amplius vinculo excommunicationis obstrictus, ad hunc enim finem fuit excommunicatus, vt satisfaceret. Prælatus post alia remedia, quibus vsus est. tandem coactus adhibet remedium excommunicationis ad obtinendam satisfactionem, ergo sequuta satisfactione videtur æquum, vt debeat cessare excommunicatio. Patet in similibus casibus, si Prælatus prohibeat, ne Clericus absens

faciat fructus suos beneficij, quousque redierit ad residentiam, ipso redeunte iam lucratur fructus non requisita alia conditione.

Secundo dubitari potest; An excommunicatio auferatur per obitum ipsius Prælati excommunicantis, sicut enim præceptum cessat per mortem ipsius præcipientis, quia pender ab eius potestate, ità debet cessare excommunicatiō, quæ videtur similis cuidam præcepto.

Tertiò dubitari potest; an excommunicatio tollatur per absolutionem, tanquàm per actionem contrariam, Cum enim excommunicatio sit pœna, & absolurio reuocatio pœnæ, & obligatinnis impositæ ab habente iurisdictionem, proprie, & veré excommunicatio aufertur per absolutionem.

Ad solutionem huius quæstionis animaduertēdum est primò aliud esse loqui de excommunicatione valida, aliud de inualida. Nàm si sermo sit de excommunicatione inualida, vel defectu iurisdictionis, vel qnia contineat intolerabilem errorem, vel alio modu; hæc propriè non dicitur tolli; quod enim re vera nunquàm fuit, non aufertur, sed solum per declarationem nullitatis intelligitur, & ostenditur non fuisse. Verum quando excommunicatio est valida, etiamsi sit iniusta, propriè dicitur tolli, quia fuit.

Secundo adnotandum est excommunicationem quandocunque tolli posse; cum enim nō sit simpliciter pœna, sed medicinalis, vt probatum est in cap. 1. disp. 6. lib. 3. scilicet vt Reus cesset à contumacia, & obediat Prælato, ideo de ratione excommunicationis non est, vt sit perpetua, sicut sunt aliæ poenæ, vt dixi in eodem cap. Neque etiam potest esse ad tempus certum, & determinatum, sed quousque durat contumacia, & cessante contumacia auferenda est, cap. Qua fronte de Appella. c. Ex literis de Constit. Neque potest impediri excommunicatus, vt non obediat, & satisfaciat, quandocunque voluerit, & semper ei liceat impetrare absolutionem. Qua in re differt ab alijs pœnis, à quibus reus post condemnationem non necessario liberatur, etiamsi paratus sit obedire.

His præmissis venio ad solutionem difficultatis, in qua tres dubitationes, quas initio insinuaui, includuntur, quibus separatim, & distinctè respondendum est.

Prima dubitatio est; an excommunicatio tollatur eo ipso, quod excommunicatus recedit à contumacia.

Ad hanc dubitationem dicendum est excommunicationem semel contractam non auferri ipso Iure, quantumuis excommunicatus obediat, satisfaciat, & recedat à contumacia.

Probatur ex cap. A nobis 2. De sent. excom. Vbi excommunicatus decedens de hac vita non impetrata absolutione, etiamsi contritus sit per veram pœnitentiam, & satisfecerit, tamen non censetur liber à vinculo excommunicationis.

Similiter in cap. Quod in dubijs, cap. Cum desideres, cap. Sicut nobis De sent. excom. dicitur non esse communicandum cum excommunicato ante absolutionem, etiamsi satisfecerit, & paruerit, ant fecerit id, cuius causa fuit excommunicatus. Idem habetur in cap. Quamuis eod. tit. De sent. excom Vbi Glo. in Ver. Satisfaciat idem expresse notat, ergo non satis est recedere à contumacia, vt excommunicatio auferatur. Idem dicunt Glos. & Doctores in Clem. 1. De Deci. Et hāc esse communem sententiam tradit Couar. in cap. Alma Mater prima par. §. 11. num. 5. Quamobrem Abb. in cap. 1. De Iudi. notab. 6. existimat excommunicationem ab homine latam sub ea conditione Do-

A nec satisfeceris, non tolli, nec dissolui absque absolutione etiam sequuta satisfactione. Idem colligit Abb. in cap. Ad Aures num. 3. De Sim. ex verbis tex. eiusdem cap.

Verum ab hac communi sententia recedit. Andr. Alcia. in c. 1. De elect. notab. 5. lib. 6. & ad illam impugnandam assumit argumentum à suspensione ecclesiastica, quæ, si lata fuerit sub conditione Donec satisfeceris, non indiget absolutione sequuta satisfactione, sed eo ipso censetur sublata, vt communiter Doctores tradunt post Glo. in Clem. 1. Ver. Donec de Deci. Similiter in interdicto ecclesiastico est eadem ratio, Si enim fuerit constitutū interdictum Donec aliquis satisfaciat, seqnnta solutione non est necessaria alia re-

B laxatio, cum ipso iure interdictum relaxatum censeatur, c. Si qui 81. dist. vt Doctores aiunr in dicta Clem. 1. Qnos refert Paris. cons. 27. lib. 4.

Hanc opinionem approbare videtur Couar. in illo §. 11. num. 6. & seq. licèt dicat alibi sequutum fuisse communem sententiam, & illam conatur alijs rationibus probabilem reddere.

Primò quoniam magnum est discrimen, & differentia, quando aliquis simpliciter est excommunicatus, & postea absoluitur sub conditione Donec satisfecerit, & quando quis ab initio excommunicatur sub conditione donec satisfecerit; nàm in priori casu semel habuit excommunicatio vim absolutam absque vlla conditione, propterea vt tollatur indiget absolutione, nec

C alio modo potest illud vinculum relaxari. At in posteriori casu excommunicatio semper ab initio habuit illam conditionem Donec satisfecerit; quare impleta conditione, & facta satisfactione ipso iure cessat excommunicatio nullo alio remedio requisito.

Secundò si excommunicatio lata sub conditione impleta conditione non tolleretur, sed indigeret absolutione, maximè boc esset, quia ad tollēdum vinculum excommunicationis necessaria esset præscripta forma absolutionis definita ab ipso Iure. Verum hoc dici non potest, quia absolutio tradita absq; illa forma, & absq; solemnitatibus iure pontificio requisitis valida est, & tenet Glos. vlr. in cap. Cum desideres de sent. excom. B. Antoni. 3. part. tit. 24. cap. 77. Silue. Absolutio 3. §. 3.

D & communis opinio. Quare si forma absolutionis ab ipso iure præscripta non est omninò necessaria, quin sine ea excommunicatio tolli possit, ergo si quis fuerit excommunicatus sub conditione, & conditionem impleuerit, erit liber, & solutus ab excommunicatione absque alia absolutione. Idem tenet Glos. in cap. fin. De Matrim. contr. con. Interd. Ecclesiæ Ver. Donec separentur, scilicet excommunicationem latam ad tempus tolli elapso tempore absque alia absolutione, quamuis dicat tutius esse, vt absolutio impetretur saltem ad cautelam.

Confirmatur, quoniam, vt inquiunt Riccard. in 4. dist. 18. art. 10. q. 5. & B. Antoni. loco citato in absolu-

E tione ab excommunicatione non sunt necessaria præcisa verba sed sufficiunt illa, quæ secundum intentionem absoluentis remotionem excommunicationis significant, sed hæc verba e. g. excommunico te Donec satisfeceris, sicut excommunicationem præmittunt, & inferunt, ità absolutionem post satisfactionem præstitam ipso iure significant, ergo talis excommunicatio tollitur per ipsam satisfactionem, & non est necessaria alia absolutio.

Postremo pœna quæcunque imposita alicui ad certum tempus, vel sub conditione adueniente die, & purificata conditione cessat, & tollitur absque alia declara-

claratione, & sententia; vt si Iudex condemnauerit Reum pro crimine commisso, vt maneat exul ab Vrbe per annum, elapso anno poterit absque alia absolutione Iudicis redire, vel si Iudex dicat, vt seruet exilium, Donec pacem impetrauerit ab Aduersario, Pace habita cessat, & tollitur relegatio absque alia Iudicis concessione, ergo idem videtur affirmandum de pœna excommunicationis.

His rationibus potest comprobari hæc sententia, quam asserunt isti Doctores, quæ tamen est contra communem opinionem; omnes enim videntur asserere excommunicationem semel contractam non tolli ipso facto propter solam emendationem Rei, nempè si paruerit, satisfecerit, restituerit &c. Sed necessariam esse absolutionem.

Probatur hæc opinio primo quoniam licèt contumacia necessariò præcedere debeat, vt excommunicatio iustè ferri possit, non tamen debet durare contumacia, vt excommunicatio duret, quia contumacia est necessaria causa solum, vt excommunicatio possit pronunciari, sed excommunicatione existente contumacia non est causa, vt illa duret, sed est vinculum iam inductum, quod permanet, quousque soluatur, sicut culpa est causa pœnæ, sed remissa culpa potest manere pœna, ita quoque cessante contumacia remanet excommunicatio.

Secundò quamnis denegari non debeat absolutio ab excommunicatione, si Reus cessauerit à contumacia, & sit paratus obedire Prælato, cap. Qua fronte de Appell. Tamen necessaria est absolutio, & sine illa non tollitur excommunicatio, vt patet ex cap. Cum desideres de sent. excom. Cum enim hoc vinculum legitima, & publica potestate inferatur, publica etiam potestate tollendum est.

Tertiò eadem opinio manifestè videtur comprobari ex tex. in cap. A nobis 2. de sent. excom. Vbi definitum est a Summo Pontifice eum, qui in excommunicatione decesserit ex vita, non esse censendum liberum à vinculo excommunicationis, quantum spectat ad forum Ecclesiæ, nec ei communicandum esse ante absolutionem, etiam si in vita sufficienter satisfecerit, ergo semper necessaria est absolutio.

Non obstant, quæ pro contraria sententia Alciati, & Couar. proposita sunt; nam cum primò desumitur argumentum ad eam comprobandam à suspensione, & interdicto, quæ, si pronuncientur sub conditione, præstita conditione non indigent absolutione, Glos. in Clement. 1. De Deci. Ver. Donec, & in cap. Non est vobis Ver. Donec De Sponsa. dicit suspensionem latam sub certa conditione tolli absque alia absolutione impleta conditione, satis esse, si accedat Iudicis declaratio de satisfactione præstita, secus verò in excommunicatione, quæ, vt tollatur omninò, indiget absolutione. Cur autem in excommunicatione non sufficiat declaratio, sicut in suspensione, & Interdicto reddit rationem Host. cap. fin. de Maio. & Obed. Abb. cap. fin. in fi. De Matrim. contrac. con. Interd. Quia in absolutione ab excommunicatione certa forma præscripta est ab ipso Iure, quæ seruari debet, cap. Cum desideres, c. A nobis 2. de sent. excom. Sed in absolutione à suspensione, & interdicto non est necessaria certa forma, sed sufficit, vt Iudex dicat Absoluo te, cap. Veniens 2. De Test. Idem ait Silue. Verb. Interdictum tertio §. 13.

Verum contra hanc responsionem obijci potest, quia differentia assignata inter absolutionem ab excommunicatione, atque absolutionem ab Interdicto, & suspensione non videtur subsistere; nam, vt dicebam

A paulò ante, etiam excommunicatio tolli potest non adhibita solemni forma verborum ab ipso Iure præscripta; nam si Iudex dicat solum Absoluo te, vel quouis alio modo constet de voluntate ipsius intendentis tollere vinculum excommunicationis, excommunicatus erit absolutus, vt probabo suo loco, ergo nulla est ex hac parte differentia inter excommunicationem, & suspensionem.

Quare aliter putarem respondendum esse, & dicerem ad hoc argumentum falsum esse id, quod assumitur tolli suspensionem, vel Interdictum latum ad tempus incertum nempe Donec parueris, & satisfeceris iuxta quam formam habent rationem Censuræ cessante contumacia absque absolutione, & nullibi ex iu-

B re id colligi posse, vt fusius in Tractatu de suspensione ostendam; neque assignari potest vlla ratio peculiaris in suspensione, vel interdicto, propter quam ad ea tollenda non sit necessaria absolutio, sicut est necessaria in excommunicatione, Immò excommunicatio Minor, vt nunc est in vsu in Ecclesia, non aufertur, nisi per absolutionem, quamuis non eijciat hominem ab Ecclesia; necessitas enim absolutionis oritur ex generali ratione censuræ, quæ secum affert hoc onus, vt non tollatur, nisi per absolutionem ab homine.

Accedit, quod valdè conueniens videtur, vt non statim ablata contumacia, ipso facto tollatur suspensio, aut interdictum personale, tum vt Iudex certior reddatur, vt inquit Innoc. cap. Ex literis de Constit.

C An reus plenè satisfecerit, sicut tenebatur, & erat voluntas ipsius Iudicis, tum etiam vt Prælatus possit iniungere ipsi Reo condignam pœnitentiam pro contumacia simul cum absolutione.

Quare hæc ratio sumpta à suspensione, & interdicto qua conatur Alciatus idem probare de excommunicatione non concludit, neç cogit nos, vt recedere debeamus à communi sensu Doctorum. Quod si Innoc. in cap. Cum bonæ de æta. & quali. & alij dicunt suspensionem relaxari præstita satisfactione absque alia absolutione loquuntur de suspensione inflicta ad certum tempus pro delicto præterito quæ habet tantum rationem pœnę non censuræ, vt clarius probabo in di-

D cto tractatu de suspensione.

Ad secundum argumentum Couar. quo ponit differentiam, quando fertur excommunicatio simpliciter, & deinde impenditur absolutio cum conditione si reus satisfecerit; & quando ab initio fertur excommunicatio sub conditione Donec satisfecerit; quod in primo casu cum sit vinculum excommunicationis inductum, necessaria est absolutio, in posteriori non est necessaria absolutio, quia semper ab initio excommunicatio habuit vim dependentem ex futura conditione donec satisfecerit. Quare adueniente satisfactione cessat excommunicatio absque alia absolutione.

Dicendum est hanc distinctionem, si rectè attendamus, nihil operari, vt persuadere possit, in altero casu

E necessariam esse absolutionē, in altero vero minimè. Nam illa conditio Donec satisfecerit, vel alia similis, etiamsi non apposita fuerit ab initio in ipsa sententia excommunicationis, semper tamen subintelligitur tacitè, quia, vt dictum est, pœna excommunicationis ex sui natura non est perpetua, sed tollenda est recedente contumacia. Quare si propterea illi Doctores asserunt excommunicationem latam sub conditione ab initio, Donec excommunicatus satisfecerit, tolli posse adueniente conditione sine alia absolutione, idem quoque tenentur affirmare de quacunque excommunicatione, quia in omni excommunicatione tacitè inclu-

includitur illa conditio, quod est omnino falsum.

Sed annotandum est discrimen esse, quando excommunicatio fertur sub conditione hoc modo excommunico te si infra mensem non satisfeceris; vel si Iudex dicat alio modo excommunico te donec satisfeceris, Differentia est, quoniam in primo casu si Reus satisfaciat, antequam dies assignatus adueniat, excõmunicatio non habet locum, quoniam non impletur conditio, & propterea non est opus vlla absolutione, in posteriori verò casu, etiamsi non impleatur conditio, quia Reus satisfaciat, necessaria est absolutio ad tollendam excommunicationem, cum ab initio sententia excommunicationis à Iudice prolata habuerit suam vim, sed apponitur tanquam causa necessaria ad recipiendam absolutionem ab excommunicatione, vt si illa non existat, absolutio non sit impendenda; quamobrem absolutio semper necessaria est.

Verum posset quis ad tuendam contrariam opinionem respondere; quamuis excommunicatio tolli non possit absque absolutione; tamen quando fertur excommunicatio conditionata sub illa forma, donec satisfeceris, datur absolutio simul cum ipsa excommunicatione sub conditione de futuro; quare posita conditione scilicet sequuta satisfactione, tollitur excommunicatio absque noua absolutione non ex vi solius satisfactionis, sed ex illa absolutione conditionata, quæ facta est absoluta.

Ad hoc dici potest Primò hanc responsionem non esse ad mentem Alcia. & Couar. Hi enim Doctores expresse sentiunt excommunicationem latam sub conditione huiusmodi Donec satisfeceris tolli præstita satisfactione sufficienti ex vi ipsius satisfactionis, nec vllo modo requiri aliam absolutionem.

Secundo illa responsio supponit posse dari absolutionem pendentem ex futura conditione; quod controuersum est apud Doctores, quia actus legitimi conditionem non admittunt; talis est absolutio, & ita tenet Couar. Nauar. autem, & alij existimant id non repugnare absolutioni. De qua difficultate tractabimus inferius.

Tertiò quidquid sit de illa dubitatione, etiamsi ad tollendam excommunicationem huiusmodi non requireretur noua absolutio, tamen falsum esset in eo casu posse tolli excommunicationem sine absolutione per solam operis præstationem, quia absolutio illa lata ab initio sub conditione postea operatur effectum suum expleta conditione. Et hæc sufficiant de prima ratione à Couar. proposita pro hac opinione.

Ad secundam rationem dicimus causam, cur excommunicatio conditionata impleta conditione non dirimatur absque absolutione, non esse illam solam, quia ad tollendam excommunicationem necessaria sit præscripta forma absolutionis definita ab ipso Iure (vt paulo ante dicebam) quæ non adhibetur quando pronunciatur excommunicatio sub conditione, sed causa potissima est, quia cum excommunicatio sit vinculum inductum publica potestate prouenjens ex iurisdictione superioris, idcircò necessaria est publica potestas, & iurisdictio ad illud tollendum.

Ad alias rationes patet ex dictis quid sit respondendum, & ex eisdem etiam apparet responsio ad ea, quæ initio capitis proposuimus pro ratione dubitandi; nempè sublata causa excommunicationis cessare etiam debere eo ipso excommunicationem; nam cessante causa cessat effectus; dicendum est enim, vt supra monebam, contumaciam esse causam; seu dispositionem necessariam, vt feratur excommunicatio, non

A autem vt conseruetur; non enim necessarium est, vt culpa æque diuturna sit, ac pœna, quæ pro illa imponitur. Nec plura dicamus de prima difficultate.

Secunda difficultas erat; an excommunicatio tollatur per obitum ipsius Prælati excommunicantis, siue sit lata per legem, siue per sententiam hominis.

Respondeo non tolli, vt expressè definitum est in cap. Si Episcopus 11. q. 3. Vbi statuitur mortuo excommunicante absolutionem pertinere ad successorem. Similiter dicitur in cap. Pastoralis §. Præterea De offic. Ordi.

Et ratio est, quia poena iure imposita, non cessat morte imponentis.

Si quærat quis; an saltem extinguatur excommu-
B nicatio per obitum ipsius excommunicati decedentis in gratia per contritionem.

Palud. in 4. dist 18. q. 2. art. 1. simpliciter dicit Mortuum non esse excommunicatum, si in charitate decessit, & posse, secluso tamen scandalo, admitti ad participationem suffragiorum, & orationum Ecclesiæ.

Communis opinio tenet excommunicatum defunctum indigere absolutione, vt patet ex cap. A nobis 2. & cap. sacris de sent. excom. ex cap. Is cui eod. tit. lib. 6. Abb. in dicto cap. A nobis 2. num. 12. & Nauarr. in Manuali cap. 27. num. 271. ait Mortuum non propriè absolui, sed denunciari, & declarari ab Ecclesia decessisse absolutum coram Deo, vt pro eo orari possit.

Sed quidquid sit de his opinionibus, videtur hæc
C quæstio de nomine, siue enim mortuus verè absoluatur ab excommunicatione, siue declaretur decessisse absolutus; vnum est certum Mortuum decedentem in excommunicatione ante absolutionem manere priuatum illis bonis, & suffragijs, quibus potest per viuos adiuuari apud Deum, & hic est vnus effectus excommunicationis, sicut dixi in cap. 3. disp. 10. lib. 3. Quare cum Doctores communiter dicant mortuos absolui ab excommunicatione, nihil obstat, cur vereamur nos talem relaxationem appellare potius absolutionem, quàm declarationem; vnde Couar. 1. par. c. Alma Mater §. 11. num. 8. ait Ecclesiam soluere mortuos non quoad ipsos, sed quoad actus, & effectus, qui fieri possunt à viuis erga mortuos, sicut etiam quantum ad
D eosdem actus mortuus dicitur excommunicari, sed non propriè, vt ostendimus in dicto cap. 3. Immò maior ratio est de absolutione, quia est vera ablatio, & relaxatio vinculi, quatenus manet post mortem, vt non solum ratione scandali, sed etiam propter Ecclesiæ prohibitionem non liceat corpus talis excommunicati sepulturæ tradere Ecclesiasticæ ante absolutionem, nec pro ipso orare, nec participem facere communium suffragiorum, nisi postquam absolutus fuerit ab excommunicatione, si erat denunciatus excommunicatus.

Si postules, à quo sit tradenda huiusmodi absolutio post mortem, an à Prælato, qui illum excommuni-
E cauit, aut cui competit iurisdictio absoluendi ab excommunicatione Iuris, vel possit quilibet sacerdos illam impendere.

Glos. in dicto cap. A nobis Ver. Non potuerit, Respondet, quod quamuis simplex sacerdos possit excõmunicatum in extremis positum, si non adsit copia Prælati absoluere, cap. Non dubium, cap. Quod de his de sent. excom. Post mortem tamen non potest absolui, nisi ab ipso Papa, vel eius Legato, aut ab eo, qui poterat eum absoluere viuente. Pater igitur excommunicationẽ tolli non posse per mortẽ Iudicis, qui excom municauit, aut ipsius excom. & erat secũda difficultas.

Rema-

Remanet itaque tertium caput difficultatis de Absolutione, An excommunicatio, vt tollatur, necessario indigeat absolutione, ad quam respondendum est affirmatiuè excommunicationem tolli posse solum per absolutionem. Et hoc verum est de omni excommunicatione non solum maiori, sed etiam minori; nam excommunicatio minor vinculum est, quod indiget absolutione, vt tollatur, patet ex cap. Nuper Vers. In secundo verò casu de sent. excom. Vbi Abb. n. 6. Quamuis non requiratur iuramentum in absolutione à minori excommunicatione, sicut necessarium est in absolutione à maiori.

Hæc Conclusio est vera, & probatur primo ex illis verbis Euangelii, *Quæcunque ligaueritis, vel solueritis*, sicut enim ex illis colligimus potestatem ligandi per excommunicationem, & per alias censuras, ità quoq; accipimus potestatem absoluendi, cuius potestatis vis est in ipso actu absoluendi.

Secundò idem probatur ex perpetuo vsu Ecclesiæ, quæ ad tollendam excommunicationem vsa est verbis declarantibus absolutionem, scilicet Absoluo te à vinculo excommunicationis, innumera sint exempla apud sacros Canones.

Tertiò sicut excommunicatio est actus iurisdictionis ecclesiasticæ, ita & absolutio ab excommunicatione, vt patet ex cap. vni. De Maio. & Obed. in 6. & c. Venerabilibus §. Porrò de sent. excom. lib. 6. Iurisdictio autem ecclesiastica non est completa, & perfecta, si esset ad ligandum tantum, & non ad soluendum, cum præstantior sit actus, & dignior, absolutio, quàm excommunicatio.

Quartò quia non remanet alius modus, quo tolli possit hoc vinculum, si enim non aufertur per cessationem à contumacia, aut per mortem ipsius Iudicis, vel ipsius excommunicati, vt probauimus, relinquitur igitur solum auferri posse per actionem Iudicis, qua exprimat voluntatem suam liberandi, & eximendi excommunicatum ab huiusmodi vinculo, & restituendo illum communioni Ecclesiæ.

Et in hac conclusione conueniunt omnes Doctores exceptis illis duobus, quos citaui, scilicet Alcia. & Couarr. Ad hunc modum sentiunt omnes Theologi in dist. 18. Canonistæ, quos citat Couar. præsertim Abb. in cap. vlt. De Matrim. contr. con. Interd. Eccles. & in cap. 1. De Iudi. Vbi etiam Felin. Summistæ in Ver. Excommunicatio, & in Ver. Absolutio.

Sed quærere posset aliquis; an ita sit necessaria absolutio ad tollendam excommunicationem, vt nullo modo aliter tolli possit.

Respondeo Iure ordinario nullum aliud competere remedium ad tollendam excommunicationem, posset tamen Papa, qui auctor est Iuris, de potentia absoluta ferre contra aliquem excommunicationem, exprimendo in ea conditionem, vt cum primum Reus conditionem impleret, liber esset ab excommunicatione non alia requisita absolutione. Quo casu, si excommunicatus pareret, & conditionem impleret, eo ipso remaneret absolutus ab excommunicatione.

Ratio est, quia Summus Pontifex est super Ius positiuum; verum etiam in tali casu dici non posset excommunicatio sublata simpliciter absque absolutione, sed lata fuisset absolutio sub conditione futura, qua purificata absolutio reddita esset completa, & perfecta. Docet Glos. in Clem. vni. de Immunitate Ecclesiar. Ver. Pro infectis, Abb. in cap. Peruenerabilem qui filii sint legit. num. 22. Felin. Dec. & alij in cap. 1. De Iudi. Silue. Ver. Absolutio 3. §. 8.

A Eodem modo posset Summus Pontifex condere legem reuocando priorem legem continentem pœnam excommunicationis, ac si nunquam esset promulgata, Tunc enim tolleretur excommunicatio, qua transgressor illius prioris legis esset innodatus absque alia absolutione, quia Summus Pontifex per posteriorem legem sub forma prædicta promulgatam non tantum reuocaret priorem legem, sed tolleret, & irritaret omnes effectus, qui ex vi eiusdem legis prouenissent, vt in dicta Clement. vni. habetur.

Sed dubitari potest; an hæc potestas tollendi hoc modo excommunicationem competat Episcopis, & alijs Prælatis.

Et vnum videtur certum Episcopos licitè, & absq; B peccato non posse tollere excommunicationē, & alias censuras aliter quàm verbis, & signis denotantibus, & significantibus absolutionem ad præscriptum Iuris, tenentur enim seruare Ius commune. Potest tamen habere aliquam difficultatem, An ita debeant formā Iuris in absolutione ab excommunicatione retinere, vt si quouis modo ab illa discedant, & deuient, committant peccatum.

Qua in re censerem non adeo necessariam esse formam illam ab ipso iure definitam, vt si aliquo pacto variata fuerit, delictum committatur, quamuis enim absolutio sit necessaria ad tollendam excommunicationem, non tamen est simpliciter necessaria forma illa, quæ in iure continetur, nec sub ea necessitate præci- C pitur, vt aliter facta sit nulla.

Iam satis ex his, quæ diximus, constare potest excommunicationem non tolli, nec relaxari sine absolutione Superioris, & Prælati ecclesiastici, sed varij sunt modi ab ipso Iure excogitati, quibus absolui potest excommunicatus à censura excommunicationis, de quibus tractandum est.

CAPVT II.

De prima diuisione Absolutionis ab Excommunicatione, quod alia datur in foro Pœnitentiæ, alia in foro exteriori.

OMissa illa diuisione absolutionis, quod alia est à D Iure, alia ab homine; quia absolutio ab homine tantum solet esse in vsu, de qua intelligenda sunt omnia, quæ dicentur in vniuersa hac Disputatione de absolutione. Absolutio autem à Iure dicenda esset, si ab ipsa lege imponēte excommunicationem simul etiam traderetur absolutio sub hac forma; qui inciderit in excommunicationem ob transgressionem huius legis, si hoc, vel illud fecerit, sit eo ipso absolutus, sed hæc forma absoluendi non solet seruari; quare prætermissa hac diuisione illa est prima absolutionis diuisio, quod altera impenditur in foro interiori Pœnitentiæ, altera in foro exteriori. Prima conceditur, vt excommunicatus fiat habilis, quandiu eius crimen est occultum, & non deductum ad forum exterius, ad per- E cipienda sacramenta, & suffragia Ecclesiæ, ad celebranda diuina officia, & communicandum cum fidelibus. Secunda verò traditur ad vindicandam iniuriam publicam, & satisfaciendum Ecclesiæ offensæ, & parti læsæ, cum prior sit in compensationem diuinę offensæ. Hæc absolutionis differentia, vt vna detur in foro interiori tantum; altera in foro exteriori, originem traxit ab eo principio, quoniam Papa aliquando concedebat quibusdam facultates, & priuilegia absoluendi à peccatis, & ne talia priuilegia essent inania, sed haberent robur, permittebat etiam, vt possent absolutionem concedere ab excommunicatione. Verum,

rum, ne contemnentur sententiæ, & mandata Prælatorum, statuit, vt huiusmodi absolutiones tantum vim haberent in interiori foro.

CAPVT III.

De Secunda absolutionis diuisione in absolutam, & conditionatam.

Dicitur quis ab excommunicatione absolutus simpliciter, & absolutè, quādo absoluens tradit absolutionem liberè, & purè nulla apposita conditione. Quando verò verba absolutionis includunt diem, vel aliam conditionē, ex qua dependet absolutio, tunc vocatur conditionata, quia absolutio non habet vim, & effectū, quousque aduenerit dies, vel purificata fuerit conditio. De prima absolutione nihil occurrit dubitādū; certum est enim legitimum, & validum modū tradendi absolutionē esse, si simpliciter, & absolutè absoluens profert verba absolutionis absq; vlla conditione, & talis forma regulariter, & communiter seruatur. Et quando Reus absolutus fuerit ab excommunicatione hoc modo simpliciter, & absolutè, etiā cum promissione de parendo, non reincidit in excōmunicationem, si non paruerit, sed causa cognita pōt iterum excommunicationis censura obstringi. Rota in Nouis decis. vlt. de sent. excom. Put. decis. 52. lib. 3. Dec. c. 1. in 2. lect. n. 34. de Iud. Quod intelligit Rota. in d. decis. vlt. quādo excom. fuerit lata ab homine, secus si sit lata à Iure.

Difficultas est de absolutione conditionata. Potest aūt in absolutione apponi conditio præsens, præterita & futura. Si fuerit conditio præsens, vel præterita, absolutio erit valida; quia conditiones huius generis nō suspendunt actum, vel effectum absolutionis l. Cum ad præsens ff. Si cert. pet. Sed statim vel absolutio est valida, vel nulla, si enim cōditio extat, sicut proponitur, tunc operatur effectum, & est absolutio valida, quia iā illa absolutio non est conditionata, sed absoluta, quia propositio conditionalis conditione posita æquiualet absolutæ. Quòd si conditio non est vera, & non extat, absolutio est nulla, quia cessat conditio. Quare de validitate huius modi pronunciandi absolutionem non est dubitandum, sicut diximus de excom. conditionata in lib. 3. disp. 9. c. 2. quia talis cōditio nō vitiat ipsam absolutionē, vt in Baptismo dubio additur conditio, si non est baptizatus c. 2. De Bapt. & ibi Abb. Naua. in Manu. c. 26. n. 12. Sed pōt esse aliqua difficultas, an hic modus sit licitus, & adhiberi possit absq; culpa.

Ad hanc dubitationem dicendū est aliquando licitū esse seruata hac forma tradere absolutionē, nempè quando non certò constat de excōmunicatione, & ad cautelam impenditur absolutio, sicut seruatur communiter à Confessarijs, antequam absoluant sacramētaliter à peccatis, præmittunt enim absolutionē à Censuris sub conditione præterita, vel præsenti, scilicet quantū possum, & indiges, Naua. in Manua. in d. c. 26. n. 13. Vel si dicat Confessarius, si satisfeceris, si verè ex animo à peccato recessisti, aut simili modo. Quæ conditiones apponuntur legitimè ad declarandū rem esse dubiam, vel ad incutiendum metū, aut ad tollendā ignorantiā. Si vero conditio apposita esset turpis, aut impertinēs, imprudēter adderetur nō sine culpa, quia videretur quidam contemptus potestatis Ecclesiæ.

Sed tota cōtrouersia inter Doctores de absolutione conditionata est, quando apponitur conditio de futuro, & duo dubitari possunt. Primò an absolutio tradita sub hac forma conditionata sit valida, non quidem eo tempore, quo profertur; nam certum est tunc non

A posse operari effectum suum, cum conditio non sit expleta, sed dubitatur, an sit valida talis absolutio illo tempore, quo impletur conditio. Secundo an talis forma absoluendi sub conditione de futuro sit licita, & debeat seruari.

Quantum spectat ad primam dubitationem, duas reperio opiniones Doctorum.

Quidam existimant absolutionem traditam cum conditione contingente de futuro, puta Absoluo te, si infra mensem satisfeceris &c. non esse validam, Sic Silu. Absolutio 3. §. 1. & excommunicatio 1. §. 19. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 77. §. 1. Ang. Absolutio 3. & excommunicatio 1. §. 5.

Probari potest hæc Conclusio, Primò absolutio sacramentalis lata hoc modo est nulla, vt certum est, ergo & nulla erit absolutio ab excommunicatione; videtur enim hac in re par ratio vtriusque.

B

Secundò actus legitimi conditionem non admittunt, l. Actus ff. de Reg. iur. & c. Actus eodem tit. lib. 6. Quod est intelligendum (vt inquit Silu. locis citatis) de vera, & propria conditione, quæ actū suspendit; talis est conditio de futuro, sed Absolutio est actus legitimus à lege præscriptus, ergo non admittit conditionē.

Tertiò omnis sententia aut ligat, aut soluit, l. Præses C. De sen. & Interl. Sed sententia sub conditione de futuro non absoluit, nec condemnat, ergo nulla est.

Alii verò censent oppositum esse probabilius Absolutionem conditionatam tenere, Nauar. in Manua. C cap. 26. n. 12. De Pœnit. dist. 6. c. 1. in princ. num. 62. & seq. Couar. 1. par. in cap. Alma Mater §. 11. num. 6.

Probatur hæc Conclusio, primo excommunicatio ferri potest sub conditione cap. Præterea 2. De Appella. c. Salernitanæ dist. 63. Glos. in cap. Biduum 2. q. 6. Ver. sub conditione, & probaui in cap. 2. Disp. 9. lib. 3. ergo & absolutio, quæ fauorabilior est, Reg. Fauorabiliores ff. De Reg. Iur.

Confirmatur, quoniam nulla differentia assignari potest hac in re inter excommunicationem, & absolutionem.

Secundò Præceptum impositum sub conditione, & dispensatio lata sub conditione valet, ergo absolutio etiam ab excommunicatione erit valida.

D Hæc conclusio mihi videtur valdè probabilis; tum quia non possum agnoscere aliquod discrimen ex hac parte inter excommunicationem, & absolutionē, quare si excommunicatio conditionata est valida, erit quoque valida absolutio; tum quia rationes pro contraria sententia non concludunt euidenter.

Ad primam enim dicendum est valdè inter se differre Absolutionem sacramentalē, & absolutionem ab excommunicatione; quia absolutio sacramētalis, quæ profertur super debitā materiam, aut statim operatur effectum, si in subiecto nullum est impedimentum, aut, si impedimentum adest, eo ipso est nulla, & non potest manere suspensa propter conditionem appositam ex intentione Ministri, quia non pendet ex hac intentione, sed ex Christi intentione.

E

Verum absolutio ab excomm. est quædam sententia humana inducta à Iure positiuo, ideo eius effectus pendet ex voluntate ipsius Absoluentis. Et hanc ob causam, si adiiciat conditionem, potest effectum suspendere, vt non sequatur, nisi impleta conditione. Quo casu absolutio ab initio nec est omninò nulla, nec efficax, sed est suspensa donec conditio adueniat.

Ad secundam rationem desumptā ex Regula illa iuris actus legitimi conditionē non admittunt Respon-

dendum est, vt inquit Nauar. in illo c. 1. n. 64. De Pœnit. Regulam illam non esse intelligendam generaliter, vt nullus actus legitimus possit fieri sub conditione, sic enim nec excommunicatio sub conditione teneret; cuius oppositum probatum est, nec præceptum, nec alia multa, quæ lege disponente fiunt, & admittunt conditionem. Quod tamen falsum est; quare vt illa Regula, vera sit, restringenda est ad illos actus, qui ex sui genere non admittunt conditionem, aut diem, illi, inquam, vitiantur adiecta conditione, vel tempore, ex quibus non est excommunicatio, aut absolutio.

Ad tertiam rationem respondet Glos. in illo cap. Biduum 2. q. 6. Ver. Statim, quòd quamuis sententia conditionata eo tempore, quo profertur, nullum producat effectum, non propterea dicenda est nulla, quoniam effectus expectatur adueniente conditione; nam in conditionalibus obligationibus spes est debitū iri, vt ff. de Verb. sign. l. Cedere diē instit. de Verb. obl. §. ex conditionali. Hæc dicta sint de 1. par. dubitationis.

Si verò tractemus, an liceat, & sine culpa possit impendi absolutio ab excommunicatione sub conditione de futuro, quod secundo loco quærebamus,

Aliqui, vt Nauar. loco citato censent Absolutionē non posse tradi cum conditione de futuro sine culpa, quia absolutio non debet suspensa manere arg. cap. Ad hæc quoniam de appella.

Alij putant hunc modum absoluendi sub conditione esse licitum, maximè si conditio ad rem pertineat, vt e. g. si satisfeceris, si cessaueris à malo, &c. Nullo enim iure talis modus absoluendi est prohibitus. Deinde si excommunicatio ferri potest sub conditione de futuro licitè, & sine peccato, ergo multò magis absolutio, quæ fauorabilior est.

Dicerem ego, quidquid sit de hac forma absoluendi, si simpliciter, & in genere loquamur; an sine peccato seruari possit, vel secus, generaliter secundum vsū, & praxim communem Ecclesiæ non posse adhiberi sine peccato; nam licèt Prælati consueuerint ferre sententiam excommunicationis apposita conditione de futuro, nunquam tamen solent absoluere cum simili conditione, & talis vsus nititur etiam ratione; nam vel is, qui absoluitur, dignus est absolutione, vel minimè. Si primo modo, simpliciter est absoluendus, & sine vlla conditione, si secundo modo, non debet absolui addita conditione de futuro, quia semper est expediens, & vtile, vt, antequam impendatur absolutio, præcesserit satisfactio Rei ad maiorem eius humilitatem, & aliorum exemplum,

CAPVT IV.

De tertia diuisione absolutionis in simpliciē, & ad cautelā.

POtest quis absolui vel simpliciter, vel ad cautelā. Hi duo modi absoluendi non differunt per se, & essentialiter, sed ex accidenti; quādo enim habetur notitia excommunicationis, & excōmunicatus petit absolutionem, absolutio dicitur tradita simpliciter; quādo vero excōmunicatio ignoratur, vel est dubia, absolutio vocatur ad cautelam, quia includit conditionem si indiges, si contraxisti excōmunicationem, & multò magis dicitur absolutio ad cautelam, si constet de excommunicatione, sed excommunicatus vult probare excōmunicationem fuisse nullam, & hæc absolutio vocatur ad cautelā. vt inquit Couar. 1. par. in c. Alma Mater §. 7. n. 7. 4. conclusio, quia fortasse excōmunicatio valida fuit, & necessaria est absolutio, forsitan nulla fuit, & non erat necessaria absolutio, colligitur ex cap. Per tuas Vers. Nos igitur, & ibi Glo. de sent. excom. & c. Solet eod. tit. & lib. c. Veniens 2. de test. Abb. in cap. Apost. ad fi. de excep. & in c. Capit. de Rescr. & absolutio ad cautelam difficilius conceditur, quam absolutio simplex, quia illa potest non parū præiudicium afferre, cū in ea non recipiatur iuramentū, nec prestetur cautio, nec præcedat satisfactio iuxta notata in c. Solet, & c. Venerab. de sent. excomm. lib. 6. Rota decis. 4. eod. tit. in Antiq. & decis. 36. de Procur. in Nouis.

Petet aliquis, an quando excōmunicatus dicit excōmunicationē esse iniustā, & iniquā, non tamen nullā, & absoluitur, talis absolutio possit appellari ad cautelā.

Resp. Couar. vbi sup. ex sententia Abbatis in dict. c. Apost. excōmunicationem etiam iniustam, & iniquā, dūmodò teneat, & non sit nulla, indigere simplici absolutione, vt inquit Glo. vlt. in c. Capit. in fi. de Rescr. Quia ab excom. iniusta necessaria est absolutio, & ante absolutionē semper Reus manet vinculo excommunicationis alligatus; nam Ecclesia ita instituit, vt excōmunicatus etiam iniustè, idest sine culpa ante absolutionem teneatur seruare, quæ à sacris Canonibus contra excommunicatos statuta sunt, secus autem est, quando excōmunicatio est nulla, ab ea enim non requiritur absolutio, vt inquit Glo. in c. 1. 11. q. 3. & in c. Solet Ver. In offic. de sent. excom. lib. 6. Nau. in c. Cum contingat de rescr. Remed. 4. Idcirco quando quis dicit nullam esse excommunicationem, & inualidam, datur absolutio ad cautelam, quæ non est simpliciter absolutio, sed secundum quid, idest si fortasse contingeret excommunicationem fuisse validam.

Est animaduertendū, quod quoties fit mentio de absolutione, si non addatur ad cautelā, semper intelligitur de vera absolutione, quę supponit excōmunicationē, vt inquit Abb. in c. Apost. n. 12. de excep. Absolutio aūt ad cautelam duobus modis dari solet. Primo vbi nulla præcedit cognitio, aut dubitatio excommunicationis, sed ad tollēdū omne periculū, ne actus, qui fit, sit nullus, hoc modo præmittitur absolutio ad cautelā ante absolutionem sacr. Similiter in Rescr. Apost. & in alijs actibus, quorum valor impeditur per Censuras.

Causa verò, cur ante absolutionem sacramentalem præmittatur absolutio ab excommunicatione ad cautelam, non in receptione aliorum sacramentorum, oritur ex eo; Tum quod aliqui Doctores tenent excommunicationē reddere Excommunicatum incapacem absolutionis sacramentalis simpliciter, & per se, quamuis bona fide ad illam accesserit; Tum etiā quia supponitur præmissa confessio ante receptionē aliorū sacramentorum, scilicet ante Eucharistiā, Cōfirmationē, Extremā Vnctionē, & Ordinē; Sed in ordine propter periculū Irregularitatis solent Episcopi ante Ordinationē Absolutionē ab Excōmunicatione impēdere; Ante Matrimoniū uō est necessariū illam præmittere, quia non solū est Sacramentum, sed Cōtractus Ciuilis.

Secūdò modo datur hæc absolutio ad cautelā, quando adest dubitatio excommunicationis, sicut dicebā.

Sed difficultas grauis oritur, qualis debeat esse dubitatio excommunicationis, vt absolutio ad cautelam sit necessaria.

Vt huic difficultati satisfaciamus, sunt præcognoscenda quædam, quæ à Doctoribus annotantur de Conscientia dubia, ex quibus desumenda est solutio propositæ dubitationis.

In primis tunc dicitur habere quis dubiā conscientiā, quādo in re, de qua agitur, neutri parti assētitur.

Et potest esse dubitatio iuris, aut facti, seu dubium speculatiuum, aut practicum. Dubitatio iuris est; Vt si dubitetur, an lata sit ab ipso iure excommunicatio

contra

contra aliquod genus delicti, e.g. contra Incendiarios, facti si dubitatio sit de aliqua actione, an per eã violata sit lex continens sententiam excommunicationis.

Secundo ammaduertendum est aliud esse dubitare, aliud assentire cum formidine. Dubium est, quando post diligentem inquisitionem intellectus anceps, & quasi suspensus manet, assensus autem, quamuis sit cū formidine, est tamen determinatus ad alteram partē, atque ita tollit dubium, & præbet saltem opinionem, in qua possunt esse gradus probabilitatis, aut enim vna pars tantum est probabilis, & est vnus gradus, aut fit comparatio inter duas partes probabiles, & cōficiuntur alij gradus, nēpè vt vna pars sit probabilior altera, aut æquè probabilis, aut minus probabilis.

His positis dicamus ad dubitationem. Et primò si contingat dubitatio de ipso Iure, quia dubitet quis de crimine commisso, an excommunicationis censura ab ipsa lege afficiatur, & animus assensum magis non præbeat parti affirmatiuæ, quàm negatiuæ, absolutio non est necessaria.

Huius dicti fundamentum est Regula Iuris, Odia, & pœnas esse restringendas, c. Pœnæ dist. 1. l. Interpretatione ff. de Pœn. & Reg. In pœnis de reg. Iur. lib. 6. & in re dubia mitiorem partem eligendam esse, & reum potius absoluendū, quam cōdemnandum l. Absentem. ff. de Pœn. & Reg. Cum sunt partium de reg. Iur. lib. 6.

Et ad idem confirmandum accomodari potest id, quod de irregularitate statuitur in c. Is qui de senten. excom. lib. 6. Nullum esse irregularem censendum, nisi in Iure exprimatur, quod de excommunicatione, & de alijs censuris, quæ verè, & propriè dici possunt pœnę, & pœnæ grauissimæ, multo magis est intelligendū.

Accedit, quod si res est dubia, loquendo de eo dubio propriè, de quo disserimus modo, iudicandum est excommunicationem non esse latam ab ipso Iure, quia pœna non est extendenda vltra casum Iure expressum, & casus dubius non potest esse Iure expressus, nam alias non esset dubius. Et in pœnis, & odijs argumentum non probat à pari, vel simili sumptum, nam pœnæ vnius delicti non trahuntur ad aliud simile.

Hæc doctrina non solum vera est in foro exteriori, sed etiam in interiori foro Conscientiæ, quia, vt rectè annotat Nauar. in c. Si quis n. 36. de pœnit. dist. 7. Regulariter forum Pœnitentiæ, & Forum externum æquiparantur c. Vt Animarum de Constit. lib. 6. cap. Cum quidam de Iur. Iu.

Non obstat Regula Iuris, nempè in dubijs tutiorē partē esse eligendam, quæ desumitur ex c. Significasti 2. c. Ad audientiam, c. Petitio de homic. c. Iuuenis de sponsa. Et illa pars tutior est, quæ videtur durior, in ea enim nullum subest periculum, vt inquit Abb. c. Ad audientiam nu. 2. de homic. Si igitur durior pars est amplectenda, ergo non mitior. Quamobrem, vt conciliarent has duas Regulas, quæ prima facie videntur contrariæ, nonnulli Doct. vt Host. Io. Andr. Abb. in dicto c. Ad audientiam distinguunt inter Forum Pęnitētiæ, & Forum externū, vt in Foro interiori tutior idest durior pars sit amplectenda, in Foro exteriori mitior.

Sed re vera hęc conciliatio non subsistit, nā in vtroque Foro semper tutior pars est sequenda. Primò quoniam ratio, propter quam asserunt Doctores aligendā esse tutiorem partē in Foro interiori, eadē locū habet in exteriori, scilicet ad euitandū periculū peccandi, vt dicitur in c. Significasti 2. de Homic. nō minus. n. homo cauere dēt, ne se exponat periculo delinquēdi, si agat, quæ pertinēt ad Forū fori, sicut si ageret in foro Poli.

Secundo Doctores citati, qui affirmāt in rebus du-

A bijs tutiorē partem esse eligēdam in Foro interiori, & omnes alij desumūt illā ex textibus ex Iure citatis, scilicet ex c. Ad audientiā de homic. in quo sermo est de Foro exteriori. Similiter ex c. Significasti de homic. ergo etiam in Foro exteriori pars tutior in re dubia sequenda est, non igitur hac in re discrimen est inter vtrumque Forum.

Quamobrem alio modo explicanda est hæc regula Iuris, ne aduersetur alteri, quæ asserit mitiorē partem esse eligendā. Et vt omittam modo quę monuit Nau. in d. c. Si quis n. 35. de Pœnit. dist. 7. Regulam illā, quod in dubijs tutior pars sit eligenda in neutro Foro habere vim pręcepti, sed tantū consilij, & idcirco in neutro necessario seruandā esse c. Deniq; in fi. dist. 4. & c. fi. 14.
B q. 1. Dicerē illā Regulā posse habere plures veras explicationes, quę nō repugnāt doctrinę hactenus probatæ de mitiori parte amplectēda, qñ agitur de dubio iuris.

Prima interpretatio est, quod illa Regula intelligēda est de dubio facti, si quis. n. probabiliter dubitat, an id, quod egit, sit crimen damnatum à lege, tunc debet eligere tutiorem partē, ne, si negligat, exponat se periculo persistendi in peccato. De qua re dicam statim.

Secunda explicatio esse potest, etiam si agamus de dubio Iuris, in dubijs eligendam esse partem tutiorem in omnibus illis casibus, in quibus id faciendum Iura præcipiunt, vt in cap. citatis Ad audientiam, significasti de homic. & cap. Iuuenis de Sponsa.

Tertia explicatio Nau. in illo c. Si quis n. 42. in du-
C bijs tutiorē partem esse eligendam duobus concurrētibus, alterum, vt agatur de re spectāte ad animæ salutem, alterum, quod res verè sit dubia exemplum affert de eo, qui plura obtinet beneficia, & dubitat ex contrarijs Doctorum sententijs in hac controuersia vtra sit vera. Et hæc sufficiant de dubio Iuris.

Ex his possunt nonnulla inferri de eodem dubio Iuris. Et primum erit, quando quis non ignorat crimen damnatum esse à lege sub pœna excommunicationis, sed dubitat, An lex illa obliget, quia ambigit, an sit vsu recepta, tunc potest amplecti eam partem, quæ negat legem esse vsu receptam.

Infertur secūdo, quando adsunt opiniones cōtrariæ Doctorum, an aliquod crimen sit prohibitum à lege
D sub pœna excōmunicationis, vel si constat de prohibitione, opiniones sunt contrariæ, an talis lex sit vsu recepta, tunc si vtraque opinio est probabilis, quę probabilitas non est sumenda ex numero Auctorum, sed ex rationum pondere, & ex verbis legis rectè ponderatis, licitè tunc quis adhærebit opinioni negantium crimen esse prohibitū sub pœna excōmunicationis, quāuis sit minus probabilis, quā affirmatiua. Quod si opinio asserens crimen poena excommunicationis à lege esse damnatum, ita esset probabilis, vt contraria negans, probabilitate carere iudicaretur, tunc id sufficeret, vt Reus, qui commisisset tale crimen, teneretur se reputare tanquam excommunicatum, & obliga-
E tus esset petere absolutionem, quia in rebus humanis non potest maior certitudo prudenter postulari. Vix enim aliquid reperiri potest ita euidens, vt non habeat aliquem contradictorem, & aduersarium.

Infertur tertio, quādo nō est dubitatio circa interpretationē legis, an complectatur aliquod delictū, sed contingit dubium esse de ipsa existētia legis. Et fama, & vox apud aliquos latam fuisse constitutionem à Summo Pontifice prohibentem aliquod scelus sub pœna excommunicationis, cuius non habetur plena notitia. In hoc casu si constitutio sit adeo incerta, vt dubitetur, an re vera lata fuerit, vel an lata sit

sub tali forma, quæ excommunicationem inducat, qui facit contra hanc constitutionem, non est excommunicatus, nec tenetur absolutionem petere, quia non potest dici talis constitutio sufficienter proposita, aut promulgata. Quod si res non sit adeo dubia, sed sint hinc inde probabiles opiniones, iudicandum est in hoc casu, sicut dictum est in præcedenti notando.

Secundo dicendum est ad principalem difficultatē si tractetur de dubio facti, quod sit quis dubio animo, an id egerit, quod ab ipsa lege sub pœna excommunicationis prohibetur, & non magis assensum præbeat ad hanc, vel ad illam partem, tunc debet censere se excommunicationis vinculo innodatum, & tenetur petere absolutionem.

Probatur primò quoniam in ijs, quæ pertinent ad factum, locum habet illa regula Iuris, in dubiis tutiorem partem esse eligendam, quæ accipitur ex c. Ad audientiam, & c. Significasti 2. de homic. & cū tutius sit, vt in dubio quis putet se excommunicationis censura obstrictum, vt inquit Glos. notab. in c. Vni. Ver. æstimare de Seruti. & probat ex c. Cum desideres §. Secundæ quæstioni de sent. excom. ideo petere debet absolutionem, alioqui animæ periculum sibi creat.

Confirmatur, quia vbicunq; agitur de delicto, semper præsumendum est in deteriorem partem, vt dicit Glo. in dicto c. vni. de seruti. & probatur in c. Iuuenis de sponsa. & c. Presbyteri 68. dist. Nam bonarum mentium est timere culpam, vbi culpa minime reperitur c. Ad eius dist. 5. c. 2. De Obserua. ieiun. & licet videatur hæc pars durior, tamen melior, & tutior est c. Paruulos de Consecr. dist. 4.

Confirmatur secundo exemplis de Voto, de Promissione, de iuramento, nam si quis dubitat, an votum Deo fecerit an quidpiam iurauerit, an promiserit, debet tanquā tutiorem partem amplexus existimare se votū fecisse, iurasse, promisisse, nam alias exponeret se periculo, vel votū, aut iuliurandum, vel fidem in contractu datam violandi, ita sentiunt Ang. Votum 1. ou. 12. Silue. Votum 2. §. 4. Archid. in c. Non solum 23. q. 8. licet Dom. Sot. lib. 7. de Iust. & Iur. q. 3. art. 2. paulò post concl. 4. & Medi. in instruct. Confess. lib. 1. cap. 14. §. 7. oppositum affirmauerint. Propter eandem rationem idem videtur dicendum, quando dubium contingit in excommunicatione.

Et hoc dictum verum est non solum in foro interiori, sed etiam in exteriori; nam vbi præsumptio non habet locum; vnum forum non discrepat ab alio, habet locum in foro interiori propter obligationem vitandi periculum peccati, vt in c. Significasti de hom. & in c. Iuuen. de sponsa. In exteriori, quia Iura eodem modo disponunt, vt patet ex c. Veniens de Presbytero non bapti. Et hæc satis erunt ad explicationem propositæ dubitationis de dubio tam Iuris, quam facti contingente circa excommunicationem.

Tandem, vt concludam hoc caput, quæri potest, à quo impendenda sit absolutio ad cautelam.

Abbas in c. Apostolicæ n. 11. de except. ex sententia Innoc. respondet omnes illos, qui tulerunt sententiam excommunicationis, siue per ipsos, siue per alios, auctoritate tamen ipsorum, posse absoluere ab excommunicationibus per ipsos latis. Aliorum verò sententias relaxare non posse, nisi in quibusdam casibus iuxta annotata per eundem Innoc. in c. Ad reprimendam, & c. Pastoralis de off. ordi.

Quod dictū, an intelligendum sit de solo Iudice ordinario, an etiā de delegato dubitari solet, & Glo. in c. Solet Ver. Per superiorē de sent. exco. lib. 6. refert duas

A opin. contr. altera Innoc. quod quilibet Iudex Ordinarius, & Delegatus hanc absolutionē impertiri potest; altera aliorū negantium hanc potestatem neq; conuenire Delegato Papæ, quia Delegatus etiam Papæ non absoluit ad cautelā ea generali causæ cōmissione, delegata enim potestas est stricti iuris, & id solum potest quod ei specialiter est commissum, & sine quo causa expediri nequit c. 1. de off. deleg. Sed sine absolutione ad cautelam potest expediri causa, quia probat a excommunicatione poterit delegatus absoluté, & simpliciter absoluere excommunicatum, non ad cautelam.

Quod si in c. Ad præsentiam de appell. videatur expressum, Delegatum Papæ posse absoluere ad cautelā, id interpretandum est iuxta Glo. in d. c. Solet. Ver. Per

B superiorem, vel factū fuisse ex speciali commissione, nō ratione simplicis delegationis, vel illud esse intelligendum de Auditorib. non in delegatis, quasi Auditores habeant ordin. iurisd. Clem. Auditor in 1. Glo. de rescr.

Ex stylo Curiæ absolutio ad cautelam semper datur ab excommunicatione lata in partibus, quando commissa est causa appellationis Put. Decis. 41. lib. 1.

Illud etiam est annotandum, quando absolutio ad cautelam committitur Confessario in vtroque foro, Confessariū non debere citare partem, nec audire exceptionē contra illā Nau. c. 27. in Manu. n. 43. sed præmissa iuris cautione absoluere posse coram Notario, vel saltem testibus, vt absolutus probare possit absolu-

C tionē. Sed si committitur absolutio in foro consciētiæ tantum, vt in Iubileo, debet esse contentus in re dubia, si Pœnitens habeat propositum satisfaciendi debito, aut offensæ, vt diximus supra de diuisione absolutionis in simplicem, & ad cautelam. Hæc sufficiant.

CAPVT V.

De quarta diuisione absolutionis, & vltima in simplicem, & ad reincidentiam.

Absolutio simpliciter dicitur illa, per quā tollitur excommunicatio absoluté, & in perpetuū, quare illa erit ad reincidentiā, per quam tollitur excōmunicatio non in perpetuū, sed sub aliqua conditione, vt sit reddítura post aliquod tēpus, vel post aliquē effectum.

Hæc forma absoluendi ab excom. ad reincidētiam

D fuit inuenta, quia aliquando expedit, vt excommunicatus ob aliquam rationabilem causam absoluatur ad tēpus, vt reddatur habilis, & idoneus ad aliquē actum peragendū ex illis, quibus excōmunicatio priuat hominē, & effectū illo absoluto, vel tempore elapso iterum maneat vinculo excommunicationis obstrictus.

Hæc aūt absolutio ad reincidentiā solet esse vsitata, & frequens duobus modis. Primò quādo ex intentione absoluētis absolutio datur, vt simpliciter valeat, & vt sit perpetua sub conditione tantū satisfaciendi, vel aliquid faciendi intra certū tempus, quo transacto, & nō impleta conditione, iterum incurratur excōmunicatio. Et hæc est propriè absolutio ad reincidentiā, quia pendet ex voluntate ipsius absoluti, vt absolutio duret

E perpetuò, vel excōicatio redeat; nam si impleuerit cōditionē, excōicatiu non redibit, si non impleuerit, redibit. Exemplū sit, si à Sede Apost. aut Nuntio, vel Pœnit. Papæ absoluatur excōicatus cū onere, vt se intra certū tēpus præsentet Iudici qui eū excōicauit, aut vt parti satisfaciat, c. Eos qui de sent. excom. lib. 6. Si se præsentauerit, si satisfecerit, erit absolutus simpliciter, & in perpetuum, si secus contigerit, denuò excōicationis censura obstrictus erit, Ita sentit Nauar. in Manua. c. 27. n. 46. & 113. & reincidentia reseruatur ei, cui prima excōmunicatio reseruata erit, Silue. excommunicatio 2. §. 1. Quod si ità Absolutus non possit infra-

ter-

terminum à Iudice præfixum soluere, non videtur in conscientia reincidere, quia non est inobediens. Aliud est exemplum, quando quis excommunicatus a Iure, vel ab Homine ob iustum impedimentum absoluitur ab excommunicatione Papali per eum, qui alias absoluere non poterat, debet cessante impedimento se præsentare Pontifici quamprimum poterit, tempus verò, intra quod quamprimum commodè potest, tenetur se præsentare, quoad forum exterius relinquitur arbitrio boni viri, nempè postquàm præparauerit ea, quæ sunt necessaria ad iter faciendum, argum. l. 1. ff. de Iu. delib. cap. De Causis de offic. deleg. Quoad interius forum relinquitur conscientiæ absoluti argum. Glos. cap Significasti 2. De Homic. vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 89. & 113. Silue. excommunicatio 8. §. 5. Et qui iustum habent impedimentum iudicio boni viri, vt inquit Nauar. dicto numero 89. vt adire nequeant Sedem Apostolicam, vel Legatum à latere, cui etiam conuenit potestas ad absoluendum, cap. Ad eminentiam de sent. excom. c. penult. de off. deleg. vt probat Felin. contra Anchar. in cap. Quamuis de sent. excom. & Silue. Absolutio 4. §. 3. possunt absolui ab Episcopo, si satisfaciant, & iurent sublato impedimento se præsentaturos apud Sedem Apostolicam dicto cap. Quamuis, & c. Quod de his de sent. excomm. & nisi se præsentauerint, cum commodè poterunt reincidunt in eandem excommunicatiunē c. Eos qui de sent. excomm. lib. 6. Silu. excom. 8. §. 3.

Quare legitimè impeditus personaliter adire Papā non tenetur, sed potest vice sui mittere epistolam, aut Procuratorem, quia Ius solum expressit, vt talis personaliter eat ad Sedem Apostolicam, si potest cessante impedimento. Si autem cesset omne impedimentū, quo minus si velit, possit se conferre ad Sedem Apostolicam, tunc temporis secundum magis probabilē opinionem potest etiam hanc promissionem de se præsentando implere per Procuratorem, dummodo intercedat aliqua causa ad id faciendum. Ita sentiunt Silue. excom. 8. §. 8. cum Archid. & Specul. Caiet. in Summa Ver. excommunicatio cap. 69. Nauar. in Manua. c. 27. num. 46. Armil. n. 59. addit satis esse mittere epistolā.

Fundamentum huius dicti est; tum quia Ius habet aliquem pro præsentato, si vel personaliter, vel per Procuratorem idoneum compareat, c. Episcopus dist. 18. Maximè quia nec illa absolutio à censuris exigit determinatam formam, nec contritionem, nec præsentiam eius, qui absoluendus est, sicut requirit absolutio sacramentalis à peccatis, quæ ideo postulat præsentiam pœnitētis; tum etiam quia ita seruatur in Curia, vt Silue. supra, Tabie. excommunicatio 5. nu. 5. & alij notant. Hæc igitur opinio videtur probabilior, licèt Host. & Innoc. oppositum sentiant ex tex. in c. Quod de his de sent. excom. illis verbis *Romanam Ecclesiam in propria persona debeant visitare, &c.* Quæ verba interpretatur Silue. quando nulla subest iusta causa.

In duplici igitur casu datur absolutio ad reincidentiam hoc primo modo, scilicet quando ex intentione absoluentis absolutio traditur, vt simpliciter valeat, sed sub conditione satisfaciendi, vel aliquid faciendi. Primus casus est, quando Superior vt Papa, aut Legatus Reum à se absolutum remittit, vt se præsentet suo ordinario, aut alteri, & ad illius arbitrium satisfaciat. Secundus quando excommunicatus ob iustū impedimentum absoluitur ab inferiori, qui aliàs nō poterat; nàm si cessante impedimēto quamprimū nō se præsentauerit Papæ, aut Superiori, reincidit in eandē excom.

Ex his sequitur absolutionem datam seruato hoc

A modo veram esse, & propriam, & ad eam concedendā necessariam esse potestatem iurisdictionis, & non sufficere consensum partium. Quare si debitor sit excommunicatus ad instantiam Creditoris cum conditione, donec debitum soluerit, non satis est, si Creditor solutionem differat ad certum tempus, vt Debitor censeatur absolutus ad reincidentiam pro tempore prorogato, sed necesse est, vt à Iudice absoluatur cum eadem temporis prorogatione, quia, vt diximus, excommunicatio semel contracta non potest tolli nisi per absolutionem Superioris. Diuersa ratio est, quādo excōmunicatio nō est contracta, sed contrahenda, vt si Superior præcipiat debitori, vt soluat, quod debet infra certum tempus sub pœna excommunica-
B tionis, tunc enim si prorogetur terminus à Creditore, non incurritur excommunicatio, quia ad impediendum ne incurratur excommunicatio futura, non requiritur actus iurisdictionis.

Sequitur secundo huiusmodi absolutionem ad reincidentiā in excommunicatione ab homine posse dari tantū ab eo, qui illā tulit, vel ab eius Superiore, vt inferius declarabimus, quia hæc absolutio requirit iurisdictionem, sicut illa, quæ simpliciter datur. Et hoc est intelligendū per se, & regulariter, nam aliquando committitur alteri potestas absoluendi ab hac excōmunicatione ab homine lata per priuilegium, aut bullam Iubilæi apposita illa clausula, satisfacta parte, idcirco quando ob impotentiā pœnitentis non præmit-
C titur actualis satisfactio, sed præstatur cautio iuratoria de satisfaciendo, absolutio tunc data dicitur ad reincidentiam, quia si pœnitens non satisfaciat, statim incidit in eandem excommunicationem.

Similiter ab excommunicatione lata à Iure, si non est reseruata, ille potest absoluere ad reincidentiā, cui inest facultas absoluendi simpliciter, si verò sit reseruata, regulariter ille solus potest absoluere, cui est reseruata, interdum tamē in quibusdam casibus, in quibus non adest copia Superioris, vel cū difficultate adiri potest, concessa est potestas alijs Inferioribus absoluendi iniuncta obligatione cōparendi coram Superiore, quamprimū commodè fieri possit, & dicitur ad reincidentiā, quia si absolutus habita cōmoditate negli-
D gat adire Superiorē, incidit in eandē excōmunicationē, vt inquit Couar. 1. par. in c. Alma Mater §. 11. n. 6.

Si quis tamen ad instantiam partis incurrit excōmonicationē reseruatā Papæ, aut Episcopo, & propter aliquod impedimentū absolutus sit ab Inferiori ad reincidentiam, nisi intra mensem satisfecerit, & antequā elapsus sit mensis præstet satisfactionem realē parti, vel cū ea concordauerit, non tenetur amplius se præsentare Superiori, quia Superior sic excōmunicās præsumitur nolle Debitorē vinculo excommunicationis ligatum retinere, nisi quantum expedit in fauorē partis, vt annotauit Nauar. in Manua. c. 26. n. 26. & ita ait explicandum esse c. Eos qui de sent. excom. lib. 6. licèt verba id non declarent, sed magis attendenda est mēs
E legislatoris, quàm verba, præsertim in foro conscientiæ c. penult. de reg. Iu. lib. 6. l. In conditionibus ff. de condit. & demonstrat. Et hæc sufficiant de primo modo tradendi absolutionem ad reincidentiam.

Secundus modus est, quando ex intentione absoluētis conceditur absolutio non in perpetuum, sed ad limitatum tempus, vel effectum, quæ frequentius datur ad cautelam, licèt de excommunicatione non constet, nec de ea dubitetur, vt cum quis absoluitur, vt possit testimoniū ferre c. Veniens 2 in fi. de testi. Vel vt possit beneficium obtinere, vt in literis ad beneficia solet

A Ecclesia Romana seruare ex antiquo vsu, & praxi, & colligitur ex cap. Apostolicæ De Except. Et hæc absolutio non tollit inhabilitatem personæ simpliciter, nec inducit dispensationem ità, vt faciat de inhabili habilem, Put. Decis. 70. lib. 3. Aliquando verò potest absolutio dari hoc modo ad reincidentiam, etiam si cognita sit excommunicatio, non ad cautelam, de qua re supradictum est fusius.

Sed insurgit difficultas, quo pacto absolutus hoc modo ad certum actum illo expleto iterum in excommunicationem incidere possit, cum iam non sit contumax, nec inobediens Ecclesiæ. Aliqui tenent ob hanc rationem necessariam esse nouam sententiam. Communis sententia Doctorum est eandem excommunicationem incurri sine noua sententia sub eisdem
B monitionibus, & solemnitatibus, quibus prior excommunicatio inflicta fuit, Decius cons. 145. Ripa cap. 1. num. 25. De Iudi. Et hæc opinio est probabilior, quia per hanc absolutionem suspenditur excommunicatio ad certum tempus, quousque actus intentus perficiatur, quo absoluto redit excommunicatio ex vi prioris sententiæ, sicut suspenditur Interdictum, & iterum ponitur ex sola veteri culpa, atque ità excommunicatio semper respicit illam priorem contumaciam, in qua fundamentum habet sententia. Et hæc excommunicatio rediens est quasi eodē numero cum præcedenti moraliter, cum non habeat nouam causam, & nouam contumaciam.

C Contraria tamen opinio est etiam probabilis eorum, qui tenent absolutum hoc modo non reincidere ipso facto in excommunicationem, sed opus esse, vt denuo in illam reducatur tex. in cap. Ad nostram 1. in fi. De Iure Iur. Vbi Felin. Latè num. 2. asserit absolutum solemniter ab excommunicatione cum promissione parendi mandato Iudicis, etiamsi non pareat, non reincidere in excommunicationem, nisi iterum excommunicetur, si erat excommunicatus ab homine, quia tunc necesse est, vt ab homine in excommunicationem reducatur dicto cap. Ad nostram, Rota Decis. 490. Si excommunicatus in Nou. & Decis. 524. Nota quod excommunicatus in Antiq. secus si erat excommunicatus à Iure, tunc enim si ab-
D solutus non implet, quod promisit, ipso Iure reincidit cap. Eos De Sent. Excom. lib. 6. Petrus Rebuff. in Tract. super Concord. pag. 728. Vers. Nec ipso facto reincidit.

Sed hæc opinio magis habet locum in primo modo absolutionis ad reincidentiam, quando ex intentione absoluentis impenditur absolutio, vt simpliciter valeat, sed sub conditione aliquid agendi, quàm in hoc secundo modo, quando intentio absoluentis est non absoluere in perpetuum, sed ad certum tempus.

Et secundum vtramque sententiam asserendum est durante tempore concesso, quo quis manet absolutus cum reincidentia, si celebret, non effici Irregularem, quia siue excommunicatio sit penitus sublata,
E alia deinde successura, siue sit suspensa iterum reditura, nihilominus, qui absolutus est, verè est sine excommunicatione. Quare celebrando non incurrit Irregularitatem, cum nō celebret in excommunicatione; Dom. in cap. 2. in fi. De Sent. Excom. lib. 6. Felin. in cap. Veniens 2. De Test. Abb. Dec. in cap. Quæstioni De Appell.

Immò Rebuff. vbi supra Vers. Si tamen quis fuerit sequutus secundam sententiam, tenet, quod absolutus cum reincidentia ad mensem, si post mensem obtineat collationem beneficij, posse beneficium retinere, quoniam talis collatio fuit valida, nisi denuò fuerit excommunicatus transacto mense.

Hic igitur est secundus modus concedendi absolutionem cum reincidentia.

Remanet explicanda difficultas, scilicet, An quando datur absolutio ad reincidentiam sub conditione satisfaciendi ad certum tempus, aut aliquid faciendi, necessaria sit noua culpa ad sic reincidendum. Pendet enim hæc reincidētia ex omissione alicuius actionis, quæ apposita fuit, vt conditio necessaria, vt absolutio semper valeat, & absolutus non reincidat. Sed fieri potest, vt ille, qui est hoc modo absolutus postea ex legitima causa non possit perficere conditionem, absque sua culpa, vt E. G. Si Debitor non valeat intra tempus assignatum satisfacere suo Creditori.

Respondendum est duobus modis concedi posse absolutionem hanc ad reincidentiam. Primò non præfixo aliquo certo, & peculiari termino, sed tantum apposita illa clausula; Quamprimum commodè possis, vt in cap. Eos qui De Sent. Excom. lib. 6. Quo casu non incurritur excommunicatio, nisi noua intercedat culpa, & noua contumacia, quia non incurritur excommunicatio nisi purificata conditione, si non satisfeceris; si non restitueris; Sed non impletur hæc conditio, quamdiù impotentia durat. Secundo modo assignatur certum tempus, quo decurrente debet impleri conditio nulla habita ratione si potens, vel impotens sit sic absolutus ad perficiendam conditionem. Atque tunc temporis probabile est, si non impleatur conditio apposita, ex quacunque causa id contingat, etiam sine culpa, denuò incidi in excommunicationem, quia eadem est excommunicatio moraliter, & non requirit nouam contumaciam. Quamobrem, licèt nemo ante culpam, & contumaciam primò incidat in excommunicationem, si non soluat ob impotentiam post contractam tamen semel excommunicationem, si sublata sit ad tempus sub conditione soluendi, incurritur denuò, etiamsi ob impotentiam cesset à solutione intra tempus præfixum, sicut remansisset excommunicatus, si non fuisset absolutus, licèt factus esset inops, & impotens ad soluendum. Et hoc regulariter est verum, nisi aliunde constet de voluntate absoluentis, quæ non est alia communiter, præsertim quando lata est excommunicatio ad instantiam partis; Idcirco in huiusmodi casu recurrendum est ad Iudicem, antequam elabatur terminus assignatus, vt vel absoluat simpliciter, vel proroget dilationem; Quod concedere debet, si ei constiterit verè de impotentia soluendi.



DE POTESTATE ABSOLVENDI AB EXCOMMVNICATIONE.



POSTQVAM probatum est ad tollendam excommunicationem, vt excommunicatus Ecclesiæ reconcilietur, necessariam esse absolutionem, illamque variis modis ab Episcopis, & Prælatis impendi posse; Sequitur suo ordine, vt iam videamus, quibus ab Ecclesia absoluendi potestas concessa sit tàm Iure ordinario, quàm ex commissione, & delegatione Superioris.

DISPVTATIO SECVNDA.

CAPVT I.

De iis, qui ab excommunicatione absoluere possunt.

IN hoc capite tractabimus de omnibus, quibus potest competere facultas absoluendi ab excommunicatione, & recensebimus illos in genere non distinguendo inter excommunicationem ab homine, vel à Iure.

Ordinaria potestate potest absoluere, qui eadem auctoritate excommunicare potest, & talis delegare potest absoluendi potestatem alijs in vtroque foro.

In primis Papa in vniuersa Ecclesia etiam contradicentibus Episcopis absoluere potest quemcunque ab omni censura, & eandem potestatem ordinariam absoluendi solet committere Legatis Apostolicis, Nuncijs, aut alijs Commissarijs, quos in Prouincias mittit, vt in eisdem Prouincijs degentes absoluere valeant, nec iustè possunt conquæri Episcopi, quod præiudicium illis inferat, quia Papa vtitur Iure suo supremæ potestatis, quam Christus Iure diuino immediatè Vicario suo concessit, quæ limitari non potest ab vllo Inferiori.

Episcopus, & eius Vicarius generalis, possunt subditos absoluere non tantum intra propriam Diœcesim, sed etiam extra Territorium, quia hic fauor Iu-

A risdictionis voluntariæ fit sine strepitu Iudicij, quamuis non possint excommunicare extra Territorium.

Idem est dicendum de Abbate, Archidiacono, & alijs Prælatis Inferioribus, quibus vel ex consuetudine, vel ex priuilegio, aut institutione competit Ius ad excommunicandum suos subditos auctoritate ordinaria, de quibus dictum est in cap. 1. Disp. vij. lib. 3. Qui eadem auctoritate poterunt etiam eosdem subditos ab excommunicatione absoluere.

Eadem potestas absoluendi residet penes Concilium Generale legitimè congregatum quoad omnes fideles, & similiter penes Prouinciale, & Diœcesanum erga subditos. Capitulum quoque Cathedralis Ecclesiæ post obitum Episcopi potest absoluere illos, qui
B sunt in Diœcesi ab excommunicatione reseruata Episcopo.

Hi omnes habent Iurisdictionem absoluendi ab excommunicatione auctoritate ordinaria, quæ manat ab ipso Sum. Pontifice, qui potest illam enarctare, vel ex causa auferre.

Delegatam vero absoluendi iurisdictionem habēt omnes illi, quibus commissa est ab ipsis Ordinarijs, vel ab ipso Legato Summi Pontificis, vel ab eo, qui habet priuilegium perpetuum ratione dignitatis Officij. Quod priuilegium, si Iuri communi insertum est non tollitur per clausulam generalem derogatoriam, Nauar. in Manua. cap. 27. n. 45. Glo. c. fin. de
C off. ordi. Potest etiam hanc potestatem delegatam habere qui accepit eam à Delegato ad vniuersitatem causarum cum vi coactiua, & Iurisdictione in vtroq; foro, qualis est Vicarius Episcopi, vel qui absente Prælato gerit vicem eius. Aliquibus etiam conceditur delegata iurisdictio absoluendi ab excommunicatione pro foro tantum conscientiæ, qui non possunt eam subdelegare alteri.

Ex his constat in genere, quibus possit competere hæc potestas absoluendi ab excommunicatione, sed clarius, & fusius in specie de singulis est disputandum tam in ordine ad excommunicationem latam ab homine, quàm ab ipso Iure.

Et in his omnibus supponendum est requiri, si vali-
D de debent vti hac iurisdictione, omnes illas conditiones, quas probauimus in cap. 6. Disp. vij. lib. 3. necessarias esse in eo, cui committenda est potestas ad excommunicandum, nimirum vt sit homo, Viator, habens vsum rationis, Baptizatus, Vir, non Fœmina & Clericus, tandem si est delegatus, vt eo tempore, quo vtitur iure delegationis, & absoluit excommunicatum, iurisdictio principalis duret in Delegante. Quæ conditiones intelligendæ sunt iuxta ea, quæ annotanimus in illo cap. 6.

His præmissis modo propius accedamus, & declaremus peculiariter singulos, qui habent potestatem absoluendi ab excommunicatione. Et primò loquamur

mur de excommunicatione lata ab homine per sententiam tam generalem, quam particularem.

CAPVT II.

Qui possint absoluere ab excommunicatione hominis.

VNum est certum, & ab omnibus probatum, Illum posse ab excommunicatione per sententiam latam absoluere, qui potuit excommunicare. Hanc regulam tradit Glo. in cap. Inferior Ver. Inferior dist. 21. Habetur etiam in cap. Verbum De Poenit. dist. 1. Vbi definitum est par, & æquale ius esse soluendi, & ligandi, & Christum pari conditione vtrumque commisisse in cap. Prudentiam §. Sexta De Off. Deleg. Vbi Summus Pontifex decreuit Excommunicatum ad Excommunicatorem remittendum esse, vt absoluatur ab excommunicatione. Similiter in ca. Ad reprimendam De Off. Ordi. Innoc. Tertius mandat Archiepiscopo, vt Excommunicatum ab Episcopo, qui apud ipsum Archiepiscopum de iniusta excommunicatione conquestus fuerat, & absolutionem petebat, ad ipsum Episcopum remittat, vt ab illo absoluatur.

Ratio verò huius Regulæ propositæ; Nempè absolutionem ab Excommunicatione lata per sententiam ab homine concedendam esse ab eodem, qui excommunicationem tulit, illa est; Quoniam eadem iurisdictio necessaria est ad absoluendum, quæ fuit necessaria ad excommunicandum. Idcirco idemmet, qui excommunicauit, debet absoluere. Quamobrem Excommunicatus ab vno Episcopo, ab altero absolui nequit defectu Iurisdictionis, vt patet ex actis publicis Synodi Tiri celebratæ anno Domini 518. tempore Hormisdæ Papæ, in quibus continentur literæ Synodales nomine Epiphanij Episcopi Tiri missæ ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, quibus comprobantur, quæ benè gesta erant in Constantinopolitana Synodo, præsertim quæ aduersus impium Seuerum Anthiochenum Episcopum decreta fuerant, qui plura commiserat scelera, & inter alia præsumpserat alienos Clericos canonicè ligatos à proprijs Episcopis ad ipsum confluentes sine permissione eius, qui ligauerat, absoluere, & in ecclesiasticis ministerijs ministrare permiserat.

Quando autem dicimus ab eodem impendendam absolutionem esse, à quo lata fuit excommunicatio, intelligimus per eundem, illum, cui inest eadem Iurisdictio formaliter, etiam si materialiter sit diuersa persona. Si enim Excommunicans obijsset, vel priuatus esset dignitate, & officio, vel suspensam haberet iurisdictionem propter excommunicationẽ, aut aliud impedimentum, tunc absolutio petenda esset ab illo, qui eodem officio, & dignitate fungeretur, scilicet à successore in eodem officio, quando est ordinarius, vt in cap. Si Episcopus 11. q. 3. Vbi Excommunicatus si ab Episcopo morte erepto absolutus non fuit, à Successore debet absolui; Vel etiam poterit absolui à Superiore, si sit Delegans cap. Si is cui De Off. Deleg. lib. 6. vt dicam in seq. cap.

Neque solus Episcopus successor poterit absoluere ab Excommunicatione lata per Prædecessorem, sed etiam Capitulum Sede Vacante cap. 1. De Maio. & Obed. lib. 6. Dicitur autem Sedes vacans non tantum per obitum Episcopi, sed etiam si longo tempore absens est à Diœcesi, nec patet aditus ad eum, vt si detinetur vinctus apud Infideles, vt ex cap. Si Episcopus De Supplen. neglig. Prælat. lib. 6. Hoc enim casu non Archiepiscopus, sed Capitulum, ac si Sedes per mor- A tem vacaret in Spiritualibus, & temporalibus ministrare debet. Et eadem ratio erit de alijs, qui succedere possunt in eandem iurisdictionem absoluendi Episcopo conuenientem, quam exercere potest sede vacante non solum Capitulum, sed etiam Visitator datus à Papa, vel Archiepiscopo; Vel Electus per Capitulum, vt inquit Glo. Ver. Is ad quem in citato cap. 1. De Maio. & Obed. lib. 6. Idcirco ibi in tex. dicitur generaliter, *Seu is, ad quem Episcopalis Iurisdictio tunc temporis noscitur pertinere*.

Hæc igitur iurisdictio absoluendi pertinet ad eum, qui sententiam excommunicationis pronunciauit, vel ad successorem illo defuncto, vel remoto ab ipsa dignitate, vel impedito, suspensa eius iurisdictione.

B Et seruata eadem ratione idem dicendum erit de Summo Pœnitentiario, Defuncto Summo Pontifice; Nam Sede vacante Maior Pœnitentiarius eandem retinet potestatem, quam exercebat viuente Summo Pont. nec per mortem Pontificis expirat, vt in Clem, Ne Romani §. Eo tamen De elect. Sed Collegium Cardinalium eo tempore Sedis vacantis iurisdictionem Papalem non potest exercere, nisi in illis casibus, qui sunt expressi in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. vt in eadem Clem. asseritur. Quare quamuis Maior Pœnitentiarius Sede vacante gaudeat iurisdictione absoluendi ab Excommunicatione Papali, Collegium tamen Cardinalium caret hac potestate, nec posset beneficium absolutionis impendere, nisi ex ma- C gna, & vrgenti causa, sicut etiam regulariter non posset excommunicare, nisi in aliquo casu extraordinario. Talis dici potest, de quo fit mentio in cap. Si quis pecunia 79. dist. Vbi refertur decretum Nicolai Papæ Secundi editum in Concilio Romano permittens Cardinalibus, vt possint anathematizare eum, qui pecunia, aut populari tumultu Sedem Apostolicam vsurpasset, atque etiam, vt Laicorum auxilio eum repellere valeant.

Et hæc Regula, quod Iurisdictio absoluendi ab excommunicatione lata per sententiam à Prælato transeat ad successorem eiusdem Prælati, non solum vera est quantum ad Prælatos, qui iure ordinario exercent hanc Iurisdictionem, sed etiam quantum ad Delega- D tos, Excommunicatus enim à Delegato non solum absolui potest à Superiore scilicet Delegante, vt diximus ex cap. Si is cui De Off. Deleg. lib. 6. Sed etiam à successore, vt dicitur in cap. Pastoralis §. Præterea De Off. Ordi. & cap. Si Episcopus 11. q. 3. Dummodo successor Delegatus sit subrogatus in locum præmortui in eadem causa cum eadem prorsus potestate; Aut si Delegatio non erat facta personæ, sed dignitati; Vt si causæ cognitio, & decisio delegata esset Episcopo Perusino, si ille pronunciasset excommunicationem in aliquem, & ante absolutionem traditam obijsset, Successor posset Excommunicatum absoluere.

Est tamen discrimen inter Ordinarium Iudicem, E & Delegatum circa potestatem absoluendi, quia ordinaria iurisdictio absoluendi semper durat vel in eadem persona, vel in illa, quæ succedit eodem modo, Delegata verò solum durat iuxta voluntatem Delegantis, neque necesse est, vt Delegatus habeat successorem. Quamobrem si quis fuit excommunicatus à Delegato, neque ab illo fuerit absolutus, neque à Successore, quia nullũ Successorem habuerit, debet adire Delegantem, vt ab eo absoluatur; Nam Delegatus, à quo fuit excommunicatus, non nomine proprio, sed auctoritate, & potestate Delegantis protulit sententiam excommunicationis.

Est

A Est quoque definitum tempus, quo decurrente tantum potest Delegatus absoluere ab Excommunicatione, illud scilicet, quod à Delegante illi concessum fuerit ad decidendam causam; Et absoluta causa, & pronunciata sententia permittitur ab ipso Iure in ca. Quærenti De Off. Deleg. vt infra annum possit beneficium absolutionis impendere illi, quem antea excommunicauerat, si velit parere, qua iurisdictione caret transacto anno.

Potest autem expedita causa absoluere Delegatus ab excommunicatione per annum, quoniam ab ipso Iure tribuitur spacium vnius anni Delegato ad exequendam sententiam ab ipso latam. Vnde inferunt Doctores, si Delegatus nō expediuit causam, nec pronunciauit sententiam elapso tempore suæ Delegationis, non habere iurisdictionem absoluendi ab excommunicatione, quam intulit. B

Ex his intelligitur id, quod animaduertunt Doctores hanc potestatem absoluendi ab excommunicatione ita conuenire illi, qui excommunicationem tulit, vt non solum ipse immediatè per se ipsum possit absoluere, sed etiam per alium, si eo modo habet hanc potestatem; vt possit illam alteri committere, Glo. in cap. fin. De Off. Ordi. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 45. Quia hæc iurisdictio est cōmunicabilis, sicut etiam iurisdictio ferendi censuras, & potest delegari separatim, etiamsi eidem personæ non committatur potestas excommunicandi; Istæ enim potestates non sunt necessariò connexæ inuicem. Quare potest committi C alicui potestas absoluendi ab excommunicatione lata ab Ordinario, vel ab altero Delegato; Et è contra alicui potest delegari potestas excommunicādi absq; potestate absoluendi, vt quando datur merus Executor ad excommunicandum tantum absque cognitione causæ, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 42. Neque propterea sequitur non esse vniuersaliter veram regulam illam, quam dixi communiter à Doctoribus esse comprobatam, nempe qui potest excommunicare, potest etiam absoluere; Nam hæc Regula, vt monui, est intelligenda, quando iurisdictio durat in eo, qui excommunicauit. Hinc paulò ante inferebam Delegatum transacto anno post absolutam suam legationem non posse absoluere excommunicatum ab illa excom- D municatione, quam per sententiam tulit, dum fungeretur legatione, quia caret iurisdictione. Executor autem merus datus ad excommunicandum nullam habet iurisdictionem, sed ministerium; Idcirco, etiamsi excommunicauit, non potest tamen absoluere; Quare hoc non aduersatur Regulæ. Adde, quod Executor merus est tāquam instrumentum ipsius Iudicis; quare ille propriè non excommunicat, sed Iudex excommunicauit, qui causam cognouit; Ipse Executor tanquam minister Iudicis promulgat excommunicationem ab ipso Iudice latam.

Vt autem qui excommunicauit, possit alteri potestatem absoluendi committere, requiritur, vt habeat potestatem excommunicandi Iure ordi- E nario, vel ex delegatione cum potestate subdelegandi seruatis illis conditionibus, de quibus dixi in Capite præcedenti.

Et sic concludamus hanc quæstionem, & pergamus ad Tertium Caput.

CAPVT III.

An illi tantum, qui sententiam excommunicationis tulerunt, ab illa absoluere possint, & eorum successores, non alii.

SVperiori Capite explicaui Regulam communiter approbatam; Nempe eum posse absoluere ab excommunicatione, qui potuit excommunicare; Per eundem intelligendo eum, qui idem gerit officium, & eadem fungitur dignitate. Modo discutiendum est; An tantum ille possit ab excommunicatione absoluere; Vel hæc potestas alijs conueniat.

Huius autem quæstionis sensus est; An regulariter, & secundum communem vsum, & consuetudinem Ecclesiæ, extra casum necessitatis, hæc iurisdictio absoluendi possit alteri conuenire, quam illi, qui excommunicauit; Nam in casu extremæ necessitatis in articulo mortis, si non adsit copia Superioris, qui excommunicauit, simplex sacerdos poterit absoluere, vt dictum est in Cap... Disp...

Respondendum est ad difficultatem; Non illum solum posse absoluere ab excommunicatione, qui per sententiam illam tulit, sed etiam eius Superiorem.

Ita sentiunt Doctores, D. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. ar. 5. quæstiuncula 1. Palud. q. 5. Sot. dist. 22. in fi. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 40. Couar. 1. par. in cap. Alma Mater §. 12. num. 2. Ang. Excommunicatio 4. nu. 1. Silue. Absolutio 1. §. 2. Tabien. Excom... nu. 8. Armil. Ver. Suspensio num. 22. & alij omnes.

Intelligitur autem Superior hoc loco, non qui maiori dignitate, & officio fungitur, sed ille, qui maiorem iurisdictionem habet respectu illius, qui excommunicationem tulit, ita vt in eadem causa singulari vterq; iurisdictionem babeat; Maiorem scilicet, & minorem; Quare necesse est, vt Inferior iurisdictionem habeat subordinatam Superiori; Sic Archiepiscopus absoluie ab excommunicatione Episcopi in casibus, quibus iurisdictionem propriam exercere valet inter subditos Suffraganeorum, vt in causis appellationum.

Quando ergo duæ Iurisdictiones ita simul concurrunt, vt vna sit Maior, altera minor in ordine ad eandem causam, tunc sunt inuicem subordinatæ, vt quidquid potest minor, competat etiam Maiori.

Hæc autem subordinatio duobus modis consistere potest. Primo quidem, vt tota Iurisdictio Inferioris pendeat à Superiore in fieri, & conseruari, sicut Iurisdictio Delegati à Delegante cap. Pastoralis §. Præterea De Off. Ordi. & Iurisdictio Vicarij ab Episcopo. Quo casu non solum superior potest absoluere ab excommunicatione Inferioris, sed etiam potest illam sibi reseruare, vt fit in cap. Graue nimis De Præben. & in cap. Tua nos De Sent. Excom. De qua difficultate infra tractabimus.

Alio modo potest considerari subordinatio Inferioris ad Superiorem, vt Superior possit causam ab Inferiore inchoatam ad se aduocare, & illam cognoscere; Idque fieri potest duobus modis; Vno modo in secunda instantia vi appellationis legitimè interpositæ ab ipsa parte; Sic Archiepiscopus potest absoluere ab excommunicatione lata per Episcopum Suffraganeum in causa appellationis cap. Per tuas De Senten. Excom. cap. Venerabilibus eod. tit. lib. 6. Immo etiam citra appellationem potest causa ab Inferiori denuntiari ad Superiorem per viam nullitatis, vt annotauit Abb. in cap. In literis num. 5. De Off. Deleg. & dixit esse maximè considerandum; Si enim pars petit declarari

rari sententiam nullam, & reformari, potest tunc Superior non solùm pronunciare sententiam nullam, sed etiam illam reformare, & ita inquit Abb. Limitandum esse citatum cap. Venerabilibus, Vbi dicitur Archiepiscopum non posse se intromittere in causis subditorum sui suffraganei, nisi interposita fuerit legitima appellatio; addẽdum est enim, vel per aliud remedium æquipollens, nempe si pars adeat Superiorem opponendo de nullitate sententiæ.

Et quando deuoluitur causa ab Episcopo ad Archiepiscopum debet Archiepiscopus in tradenda absolutione seruare formam, & modum definitum in c. Ad reprimendam de off. ordi. & in cap. Prudentiam §. Sexta de off. deleg. Vbi primò requiritur, si Reus citra appellationem conqueritur de suo Episcopo (potest enim Superior adiri per viam querelæ, vt inquit Abb. in cap. Ab excommunicato nu. 13. de Rescrip.) vt Archiepiscopus remittat illum ad suum Episcopũ, vt ab eo absoluatur, nisi excõmunicatio esset notoriè iniusta; vel nisi in remittendo periculum immineret ratione moræ cap. Sacro §. Caueat de sent. excom. & c. Venerabilibus §. Sanè eodem tit. lib. 6. Si vero fuit appellatum, tunc est liberum ipsi Superiori, si velit remittere, nec nè, vel dicamus (& videtur probabilius, vt sentit Abb. in dicto cap. Ab excommunicato n. 14.) distingui debere tres casus. Primus est, quãdo certum est excommunicationem esse iniustam, & non debet fieri remissio, aut certum est esse iustam, & est remittendus Reus ad Prælatum inferiorem; aut res est dubia ex vtraque parte, & tunc manet in potestate, & optione Superioris remittere, vel non remittere. Et ad hunc modum distinguit tex. in cap. Venerabilibus §. Sanè de sent. excom. lib. 6. Hæc autem remissio præcipitur ab ipso iure non ad irrogandam ignominiam, & dedecus Prælato inferiori, qui excommunicauit, sed potius ob honorem, & reuerẽtiam ipsius, minori enim notatur dedecore, qui minus honestè, & legitimè gesta per se ipsum corrigit, quàm si ab alio emendetur, vt in cap. Qualiter 1. de Accusa. Et talis remissio fit, non vt cognoscat causam, sed vt absoluat. Et in absolutione nulla potest subesse suspicio, quia fit sine cognitione causæ.

Deinde requiritur in absolutione impendenda à Superiore, vt recipiat iuratoriam cautionem ab eo, qui absoluitur, quod erit paratus obedire suo Prælato super eo, de quo fuerat excommunicatione notatus.

Tandem Superior absoluens ab excommunicatione lata per suum suffraganeum debet adhibere omnes alias conditiones, quæ ab ipso iure exiguntur, quando absolutio ab excommunicatione concedi debet, de quibus dicam postea.

Secundo modo causa excommunicationis latæ per sententiam inferioris potest deuolui ad Superiorem sine appellatione sola voluntate Superioris habentis hanc iurisdictionem aduocandi ad se causam inferioris. Episcopus dicitur habere hanc iurisdictionem respectu alicuius Prælati inferioris sibi subiecti, qui habeat iurisdictionem ratione sui beneficij, vt sunt alij qui Abbates, Archidiaconi, Archipresbyteri, Plebani, de quibus dixi in cap. 1. Disp. . . . quibus conuenit etiã potestas ad excommunicandum, & patet ex cap. Cum ab Ecclesiarum de off. Ordi. Vbi statuitur, vt Episcopus, quando hoc modo ad se aduocat causam, & absoluit ab excommunicatione inferioris, id non faciat, nisi antea præmissa satisfactione per Reum, & cum scientia, & notitia Plebani. Sed quærit ibi Glos. Ver. Non relaxes; quid dicendum, si Episcopus non præmissa aliqua satisfactione, & irrequisito Plebano relaxet sententiam ipsius, an talis absolutio teneat; Respondet vtique esse validam, cum Episcopus sit Superior, & Ordinarius suæ Dioecesis cap. De Persona 11. quæst. 3. Sed peccat ità faciendo. Et hanc sententiam sequitur Silue. V. Absolutio 2. §. 1. Et dicit esse communem.

Nonnulli tamen tenent contra hanc opinionem communem, vt inquit Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 12. num. 3. vt Dec. cap. Cæterum De Iudi. num. 5. Carol. Rui. consl. 7. nu. 6. lib. 4. Glo. in cap. Pastoralis in princ. De Off. Ordi. & alij, & dicunt contrariam opinionem maximè esse veram in iurisdictione per præscriptionem acquisita, quod hæc iurisdictio competat inferiori Prælato, qui præscripsit in priuationem, & exclusionem Episcopi. Vnde ipse Couar. censet dubiam esse opinionem Glo. in dicto cap. Cum ab Ecclesiarum quoad absolutionem excommunicationis. Primò quoniam ambigua est, & controuersa definitio principalis conclusionis; An Episcopus possit ex voluntate ad se causam ab Inferiori Prælato inchoatam, & ad eum spectantem aduocare; Tum etiam quia præuentio in cognitione causæ ità videtur deferre causam ad Inferiorem Prælatum, vt eo cognoscente nulla sit quoad eam causam apud Episcopum Iurisdictio l. Vbi coeptum ff. De Iudi. & idcirco Palud. 4. sent. dist. 18. q. 5. art. 2. quamuis asserat opinionem Glosæ esse communem, tamen ipse in specie tenet de absolutione; Episcopum non posse absoluere ab excommunicatione Lata per Abbatem, Archidiaconum, & alios Inferiores Prælatos in suos subditos, nisi per appellationem.

Hæc opinio videtur vera, si loquamur quantum ad communem vsum, & consuetudinem generalem; Nam non videtur talis subordinatio inter ipsos Prælatos, regulariter, & communiter reperiri, vt Superior possit ad se causam deferre, etiamsi cognitio inchoata sit ab Inferiori.

Verùm si admitteretur talis subordinatio, nulla repugnantia oriretur. Deinde talis modus subordinationis videtur in vsu apud Prælatos Regularium; Nã Prouincialis potest absoluere, quem Custos excommunicauit, & potest ad se causam à Custode inchoatam aduocare, Iam igitur patet, qua ratione verum sit illum absoluere posse ab Excommunicatione, qui illam tulit, vel eius Superiorem, & quibus modis id fieri possit.

CAPVT IV.

An hæc Regula locum habeat in excommunicatione lata ab homine per generalem sententiam.

DEfinitum est Superiori Capite excommunicationem latam ab homine tollendam esse, vel ab ipsomet, qui illam pronunciauit, vel à Superiore. Meritò igitur quæri potest; An hæc doctrina locum habeat, non solum si feratur excommunicatio per sententiam particularem ab homine, sed etiam per generalem sententiam.

In hac quæstione non controuertitur, An excommunicatio lata per generalem sententiam pro delicto commisso possit tolli ab eo, qui illam pronunciauit, vel à Superiore, certum est enim id fieri posse; Est enim eadem ratio de sententia generali, sicut de speciali, vt ex his, quæ dixi præcedenti capite, manifestè apparere potest; Certum est enim sententiam generalem

ralem ab hominem latã pro peccato commisso posse tantum relaxari ab eo, qui illam tulit, vel à Superiore, sicut constat esse verum de sententia particulari; Quia quando peccatum est commissum, & certum, eadem est ratio, si pronuncietur sententia contra omnes indistinctè, qui illud commiserint, quia ignoratur Delinquens, vel potius contra determinatam personam, quæ tale delictum commisit, licet enim hæc sententia possit dici generalis quantum ad personas, est tamen particularis, quoad delictum commissum, ideo non potest variare modum pronunciandi excommunicationem, vt sit necessatius diuersus modus in absolutione tradenda.

Sed tota difficultas est de excommunicatione lata ab homine per generalem sententiam pro fututis culpis, an hæc relaxari possit tantum ab eodem Prælato, vel Superiore.

Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 11. num. 35. & 36. De Iud. & in Summa cap. 27. num. 44. Couar. in cap. Alma Mater 1. par. §. 12. num. 4. censent Excommunicationem per sententiam generalem latam pro futuris culpis posse relaxari, & absolui non solum ab eodem Prælato, qui illam tulit, & Superiore, sed etiam ab alijs, sicut accidit in excommunicatione lata ab ipso Iure.

Fundamentum huius opinionis est; Quia talis sententia, cum generalis sit, æquipollet Canoni, & Statuto, sicut colligitur ex cap. A nobis 1. De Sent. Excom. Et confirmatur ex tex. in cap. Ex frequentibus De Instit. Vbi Summus Pontifex prohibet, ne Clericos, qui inciderent in excommunicationem latam per sententiam generalem ab Archiepiscopo, & confirmatam à Papa valeant ipse Archiepiscopus, vel eius Suffraganei absoluere. Hinc infertur id licuisse Suffraganeis, nisi expressè vetitum esset à Papa, qui talem excommunicationem sibi reseruauit.

Hanc sententiam tenuit Immol. in cap. Graue De Præb. & ante ipsum ibidem eam tenuerunt Io. Andr. & Card. asserentes eos omnes posse absoluere ab excommunicatione lata ab homine per generalem sententiam, qui possunt absoluere ab excommunicatione lata ab ipso Iure, licet sit confirmata per Summum Pontificem.

Oppositam tamen opinionem habet Glo. vlt. in dicto cap. Ex frequentibus De Instit. Vbi videtur affirmare sententiam hominis generalem confirmatam à Papa non posse ab Episcopo tolli, nisi Papa concesserit, sicut apparet in casu eiusdem cap. Vbi Papa permittit Episcopis Suffraganeis, vt valeant absoluere ab excommunicatione lata per sententiam Archiepiscopi, & confirmatam à Papa præmissa congrua satisfactione ab ipsis Excommunicatis. Glo. adhærent Abb. in dicto cap. Graue, Felin. in cap. Pastoralis §. Præterea De Off. Ordi. Caietanus in Summa V. Absolutio ab excommunicatione.

Ratio huius opinionis est, quoniam Regula est generalis de quacunque excommunicatione lata per sententiam hominis, quod tolli possit tantum ab ipso ferente, vel à Superiore, & nulla apparet ratio diuersitatis, si sit sententia generalis, vel particularis, semper enim remanet sententia hominis, & nunquam dici potest excommunicatio Iuris.

Hæc sententia communior est, & in praxi tutior; Nec ratio pro contraria opinione videtur concludere, quod excommunicatio lata per sententiam generalem habeat similitudinem cum excommunicatione Iuris, & Statuti, Nam, si potest æquiparari Statuto,

A quia est vniuersalis, & de re futura, sicut Statutum, tamen plures habet differentias, quoniam sententia non est perpetua, sicut est statutum, ligat absentes subditos, statutum minimè, vt ipsemet Couar tradit in cap. Alma Mater 1. par. §. 10. num. 2. Sententia regulariter est de re præterita, saltem habet relationem ad delictum, aut factum præteritum, statutum simpliciter respicit futurum; Magis igitur differt, quam conueniat sententia generalis cum statuto, ergo non validè infertur, potestatem absoluendi ab excommunicatione per sententiam generalem conuenire illis, quibus competit potestas absoluendi ab excommunicatione Iuris.

Similiter hanc opinionem non confirmat cap. Ex
B Venerabilibus De Instit. nam omissis responsionibus Abb. Innoc. & aliorum dupliciter respondere possumus. Primò si dicamus ibi non tractari de excommunicatione lata per Archiepiscopum per sententiam generalem, sed per statutum, ideo ex illo tex. nihil probari posse contra communem sententiam.

Si obijcias si sermo esset ibi de excommunicatione per statutum, ab illa potuissent absoluere Episcopi Suffraganei, etiamsi fuisset confirmata à Papa, vt patet ex cap. Nuper De Sent. Excom. ergo nõ opus fuisset, vt Papa concessisset facultatem absoluendi huiusmodi excommunicationem, sicut tacitè fecit, vt ibi inquit Glo. sed sine illa potuissent absoluere.

Responderi potest non fuisse ibi à Papa concessam
C potestatem absoluendi huiusmodi excommunicationem, sed supposita hac facultate, ibi prohiberi solum, ne Archiepiscopus, & Episcopi absoluerent illos Clericos excommunicatos, nisi præmissa congrua satisfactione.

Quod si intelligamus verba dicti cap. De Excommunicatione per sententiam generalem, tunc responderi potest secundo Episcopos non potuisse absoluere ab illa excommunicatione post confirmationem Papæ, nisi ipse Summus Pontifex tribuisset potestatem.

Neque etiam pro contraria sententia facit text. in cap. Nuper De Sent. Excom. quo Couar. ductus videtur eidem adhærere; Vbi Papa respondens ad postulationem; Verum excommunicatus ob communica-
D tionem scienter habitam cum Excommunicato nominatim possit absolui à Parocho, an vero sit expectanda absolutio Episcopi, & ait; Si communicatio fuit cum nominatim Excommunicato in crimine criminoso, quia Communicans delinquit in eum, qui excommunicauit, ideo absolutionẽ debet petere ab eodem, vel eius Superiore. Si verò communicatio fuit in alijs rebus, vt in oratione, in conuictu communi, & externis commercijs, beneficium absolutionis obtinere poterit à suo Episcopo, vel proprio Parocho. Ex quibus videtur colligere Couar. cum sint verba generalia, & nulla appareat distinctio de excommunicatione lata per Canonem, vel per sententiam genera-
E lem, idem fuisse statutum quantum ad absolutionem ab excommunicatione, vtrouis modo sit lata.

Sed mihi videtur ex illis verbis magis desumi posse confirmationem communis opinionis. Nam Summus Pontifex distinguit, quando quis participat in crimine criminoso, quo casu, quia videtur delinquere in eum, qui damnauit, est absoluendus ab eodem, vel eius Superiore, quia excommunicatio lata est per sententiam hominis; Aut communicat in alijs actibus externis, & quia tunc incurrit excommunicationem Iuris, non Iudicis, vt dicitur in tex. Idcirco absolutio competit alijs. Quare satis ex hoc tex. videtur probari

bari

bari posse excommunicationem per sententiam hominis à solo Excommunicante, vel Superiore, excommunicationem autem Canonis, & Statuti, etiam ab aliis absolui posse.

Contraria tamen doctrina Nauar. & Couar. & aliorum Doct. qui ante ipsos illam sustinuerunt, non est improbanda omninò propter auctoritatem horum Doctorum, quam si tueri volumus, dicere possumus excommunicationem generalem per sententiam hominis pro futuris culpis non esse propriè sententiam, sed potius debere vocari præceptum generale, nec ferri à Prælato tanquam à Iudice seruata tela, & ordine iudiciario, sed promulgari ab eo tanquam à Præcipiente. Et propterea idem iudicandum esse de hoc præcepto, sicut de Statuto, & eisdem conuenire potestatem absoluẽdi ab excommunicatione lata per præceptum, sicut si sit promulgata per statutum.

Non esset autem eadem ratio, si excommunicatio pronunciaretur per sententiam generalem pro delicto commisso sub conditione futura, puta qui non restituerint infra decem dies talem rem furto sublatam, sint excommunicati; Huiusmodi enim excommunicatio solum tolli potest ab ipso ferente, vel Superiore, Neq. constitutio cap. Nuper potest aptari huiusmodi excommunicationi latæ pro delicto commisso; Quoniam excommunicatio per sententiam generalem pro delicto commisso nullam potest habere communionẽ, & similitudinem cum ea, quæ fertur per Legem, & Statutum, licèt enim sit generalis quantum ad personas, quæ ignorantur, vt in exemplo allato; Qui non restituerint talem rem furto sublatam infra decem dies, sint excommunicati, tamen re vera particularis est, quia pronunciatur pro delicto certo, & particulari iam commisso, & fertur tanquam à Iudice puniente delictum, non tanquam à Legislatore aliquid statuente; Idcirco huic sententiæ non potest aptari dispositio Iuris definita circa absolutionem excommunicationis latæ à Iure, vel etiam iuxta opinionem Nauar. & aliorum, si lata sit ab homine per sententiam generalem pro futuris culpis, sed seruanda est forma sicut in excommunicatione per sententiam particularem, scilicet vt absolutio petenda sit ab eodem, qui excommunicauit, vel à Superiore.

CAPVT V.

In quo proponuntur, & dissoluuntur dubitationes quædam de eadem absolutione excommunicationis per sententiam hominis.

Potest igitur primò dubitari; Si quis sit excommunicatus à suo Episcopo per sententiam particularem, & antequam absoluatur, ingrediatur Religionẽ, & suscipiat habitum Religionis, an talis Religiosus necessariò debeat petere absolutionem ab eodem Episcopo, vel possit absolui à Prælato Religionis, cui tunc temporis est subiectus.

Lapus alleg. 48. Ver. Alia regula est quod excommunicatus, censet propter ingressum Religionis posse quempiam absolui per Prælatum Religionis à quacũque censura lata per Episcopum, vel alium Iudicem, nè detur occasio religioso vagandi extra religionem, & probat ex cap. Cum illorum De Sent. Excom. Et licet ille textus loquatur de excommunicatione lata à Iure, idem tamen dicit intelligendum esse de excommunicatione ab homine; Quia si ibi permittitur absolutio à sententia excommunicationis lata à Iure in casu alias à Iure vetito, vt quando absolutio reseruata est Papæ, fortiori ratione permissa est absolutio ab excommunicatione hominis.

Sed hæc ratio non probat hoc dictum; Illa enim solum videtur persuadere posse, rationi conuenire, & congruum esse ob hanc causam, vt Prælatis Religionum hæc iurisdictio esset concessa erga Religiosos subditos, vt possent illos absoluere, ne cogerentur ad impetrandam absolutionem ab excommunicatione, euagari extra Religionem; Sed illa ratio non probat hanc iurisdictionem fuisse Prælatis Religionum vnquam concessam, quam habere non possunt, nisi ab ipso Iure illam accipiant, sicut illis tributa fuit Iurisdictio absoluendi Regulares subditos, si sese inuicem percutiant, ab excommunicatione cap. Si quis suadente 17.q.4. si excessus non sit notabilis in cap. Monachi & in dicto cap. Cum illorum De Sent. Excom.

Quare aliter responderi potest, si talis Excommunicatus, qui ingressus est Religionem, est excommunicatus, quia deliquit in Statutum ab Episcopo latum sub pœna excommunicationis, & tunc poterit absolui à Prælato Religionis, quia ille est ordinarius suus, & eadem ratio erit de excommunicatione lata per sententiam generalem iuxta opinionem Nauar. Couar. & aliorum, de qua dixi in superiori capite. Si vero teneamus opinionem communem, quod eadem ratio sit excommunicationis latæ per sententiam generalem, sicut per particularem; Et hoc modo sicut ab excommunicatione per sententiam particularem non haberet potestatem absoluendi Prælatus Religionis, sed illa petenda esset ab Episcopo, qui eam tulit, ita dicendum esset de excommunicatione per sententiam generalem.

Primum de sententia particulari probatur, quoniam cum causa sit cognita à priori Prælato, ad illum pertinet absolutio ratione incepti Iudicij, cum res non sit integra. Deinde nullo iure probari potest talem iurisdictionem quantum ad absolutionem ab excommunicatione, qua quis obstrictus est per sententiam Episcopi, transferri per ingressum Religionis in Prælatum Religionis.

Hæc autem vera sunt ex iure communi, nisi ex peculiari priuilegio Religionis, Prælati illius gaudeant hac iurisdictione, quam habent Prælati Mẽdicantium ex priuilegio Clementis Quarti Fratribus Ordinis Minorum concesso, & simile priuilegium concessum est ab alijs Pontificibus alijs Ordinibus Mendicantium, vt possint absoluere ab omni censura ab homine lata etiam contracta ante ingressum Religionis.

Quod tamen priuilegium est intelligendum de excommunicatione per sententiam generalem lata; De excommunicatione.n. lata per particularem sententiam, qua nominatim aliquis fuit excommunicatus, videtur aliter sentiendum; Priuilegia.n. generalia non videntur posse extendi ad has particulares sententias, nisi expresse, & apertè concedatur facultas absoluendi ab huiusmodi excommunicatione per sententiam particularem; Sed talia priuilegia regulariter intelliguntur de sententijs generalibus; Vel in casibus occultis.

Quare si incidisset quis in excommunicationem latam ab Episcopo pro delicto commisso per generalem sententiam, puta contra omnes, qui tale furtum commiserint, nisi restituerint infra certum tempus, si Fur, antequam adueniat dies, non restituat, & idcirco sit excommunicatus, si suscipiat Religionis habitum, poterit Prælatus Religionis vigore dicti priuilegij præmissa satisfactione eo modo, quo potest, illum

absol.

absoluere, quia huiusmodi sententia dici potest generali, cum sit lata in genere contra personas, quamuis sit pro delicto particulari commisso.

Secundum dubium esse potest; An excommunicatus à proprio Episcopo, si transferat domicilium animo non redeundi, sed mutandi domicilium, & deseren di primum, absolui debeat à priori Episcopo, qui illum excommunicauit, vel à posteriori.

Quod debeat absolui à priori Episcopo facit, quia ille excommunicauit, ergo ad eundem pertinet absolutio iuxta regulam iam probatam, & firmatam.

Secundò quoniam res non est integra, sed causa inchoata est à priori Episcopo, ergo ad illum pertinet expeditio causæ per absolutionem.

Ex altera parte facit primò quoniam si Prælatus, qui excommunicauit, priuatus sit iurisdictione per remotionem ab officio, vel ex alia causa, successor debet absoluere, ergo eadem debet esse ratio, si amittat iurisdictionem non ex parte sua, sed ipsius subditi, qui eximat se à iurisdictione ipsius, & subijciat se alteri, quod facit mutando domicilium animo non redeundi.

Eodem modo dubitari potest de illo, qui manens extra propriam Diœcesim in alterius territorio incidit in excommunicationem latam ab Episcopo loci, vel ratione delicti, vel ex alio capite, an rediens ad proprium domicilium absolui possit à suo Episcopo.

Ad primam dubitationem respondendum est, si ille, qui mutat domicilium, excommunicatus est à suo Episcopo per generalem sententiam iuxta opinionem illorum Doctorum, qui tenenr hanc excommunicationem similem esse, & æquiparari debere excommunicationi latæ per Statutum, & Canonem, quæ sententia (vt ostendimus) non est improbabilis, & in praxi tuto seruari potest; Talis excommunicatus poterit absolui per Episcopum loci, quo transtulit domiciliũ, sicut potest absolui ab excommunicatione Iuris. Si verò fuerit excommunicatus per particularem sententiam non potest absolui ab alio Iudice, etiamsi transtulerit domicilium ob causam iam dictam, quia iudicium inceptum fuit coram primo Iudice, ideo acquisiuit permanentem iurisdictionem in illa causa, & iurisdictio hoc modo confirmata non aufertur per mutationem domicilij, cap. Proposuisti De foro compet. Vbi Glo. vlt. docet illum, qui coram Iudice competenti conuenitur, coactum esse vsque ad finem persistere, etiamsi mutauerit Forum, quia præuentus est.

Ad secundam dubitationem de eo, qui manet extra suam Diœcesim in Territorio alterius Episcopi, & incurrit excommunicationem latam ab illo Episcopo; An ab eodem debeat absolui, vel possit accipere absolutionem à suo Episcopo.

Respondendum est; Primò hanc dubitationem non habere locum in excommunicatione, quæ lata sit ab Episcopo illius territorij per sententiam generalem; Hæc enim sententia comprehendit tantum subditos, non extraneos, in quos non habet iurisdictionem, ideo non est necessaria absolutio, nisi incidisset quis in huiusmodi excommunicationem per sententiam generalem ratione delicti commissi, tunc enim verè esser innodatus excommunicatione; Nam ratione delicti essec subiectus Episcopo loci, vbi commisit delictum, vt dictum est in Cap... Disp... & ab eodem esset absoluendus, & eadem esset ratio de excommunicatione per sententiam particularem, Abb. in cap. Graue nu. 14. De Præben.

Dico secũdò; Si excommunicatio lata esset ab Episcopo loci per statutum, & illam incurreret peregrinus, absolutionem posset validè recipere ab Episcopo proprij domicilij; Quoniam talis excommunicatio non esset ab homine, vt ab eo tantum absolutio esset petenda, qui eam tulisset, sed esset excommunicatio à Iure, à qua absoluere potest quilibet Episcopus, quando non est reseruata, vt ostendam inferius.

Tertia potest esse dubitatio circa eãdem regulam; An si quis sit excommunicatus ad instantiam partis ab vno Prælato, possit consentiente parte absolui validè ab alio Prælato.

Respondeo consensum partis nihil posse operari quoad effectum absolutionis, & ratio est, quoniam absolutio, vt valida sit, requirit iurisdictionem in absoluente erga eum, qui petit absolutionem, sicut excommunicatio postulat iurisdictionem erga excommunicatum; Sed consensus partis non potest tribuere iurisdictionem, igitur excommunicatus ab vno Prælato per sententiam non potest ab alio ex consensu partis absolui defectu Iurisdictionis; Nam partes non possunt supplere ea, quæ ex præscripto iuris sunt necessaria, vt notant Doctores in cap. De Causis De off. deleg.

Quartò dubitari potest; An si Prælatus per sententiam excommunicauit aliquem, qui infra legitimum tempus appellanit à sententia, possit post appellationem interpositam ab eodem Prælato absolui. Et ratio dubitandi est, quia per appellationem transfertur iurisdictio à Iudice, à quo ad Iudicem, ad quem cognitio causæ deuoluta est. Quare prior Prælatus videtur carere iurisdictione, vt non possit amplius se immiscere in eadem causa, & ex consequenti non poterit impendere absolutionem ab excommunicatione lata.

Ad hanc dubitationem in primis dicendum est nullam esse controuersiam de Prælato, ad quem deuoluitur causa per appellationem, quod ille validè absoluere possit ab excommunicatione lata à Prælato inferiori, quoniam hanc iurisdictionem tribuit illi ius post appellationem, vt dictum est supra in Cap... Disput... & patet ex cap. Per tuas De Sent. Excomm. & cap. Venerabilibus §. Porrò eod. tit. lib. 6. seruata forma præscripta à Iure, de qua in eod. Cap... dixi.

Deinde certum etiam esse debet eundem Prælatum, qui tulit excommunicationem, posse absoluere etiam post appellationem.

Primò quia in cap. Ad reprimendam De Off. Ordi. statutum est, quod si Superior cognoscit sententiam excommunicationis fuisse validam, & iustam, non debet absoluere excommunicatum, sed remittere ad suum Iudicem, vt ab eo absoluatur, nisi periculum sit in mora, ergo Iudex, qui excommunicauit, habet iurisdictionem, vt possit illum absoluere.

Secundò licet per appellationem causæ cognitio deuoluatur ad Superiorem, non idcirco, qui protulit sententiam excommunicationis, amittit iurisdictionem ordinariam, quam habet in ipsum excommunicatum, sed suspenditur tantum illius iurisdictio in illa causa, vt nihil agere possit, qnod impediat effectum appellationis, vt à Superiore cognoscatur de iustitia sententiæ, sed per absolutionem, quam traderet Inferior Prælatus, nihil innouaret in dicta causa in damnum, & incommodum ipsius excommunicati, ergo talis absolutio esset valida.

Confirmatur, quia excõmunicatus per appellationem potissimũ intendit absolui, & reuocari sententiã,

& restitui in gradum dignitatis, & honoris, quo per excommunicationem priuatus fuit; Sed absolutio, quæ datur à Prælato Inferiori, non impedit hunc effectum, sed potius est medium ad illum consequendum, ergo erit valida.

In eadem responsione conueniunt Doctores, & colligitur ex cap. Si à Iudice De Appella. Vbi decretum est Iudicem, à quo reuocare posse grauamen illatum ab eo per sententiam, ergo multo magis id est affirmandum de excommunicatione qua magis grauatur excommunicatus, quam quouis alio etiam maximo damno, aut detrimento corporali, ideo, si illam tollat per absolutionem, valida erit absolutio.

B Abb. in cap. Quæstioni nu.7. De Appell. hoc verum esse affirmat absque controuersia de Iudice ordinario, scilicet posse tradere absolutionem ab excommunicatione, etiamsi delatum sit appellationi propter generalem iurisdictionem, quam habet iuxta tex. in cap. Qua fronte de appellat. Si verò sit Iudex delegatus, ait carere facultate absoluendi, quia per appellationem omnis iurisdictio est translata in Superiorem cap. Cum appellationibus De appella. lib.6. licet affirmet Doctores oppositum tenere fauore absolutionis.

Probabilior tamen videtur opinio communis propter rationes, quas adduximus, quæ non solum in Iudice ordinario, sed etiã in Delegato videtur militare.

C Nec obstat tex. in dicto cap. Cum appellationibus, cum ait: *Iudex appellationi deferens à se omnem iurisdictionem abdicauit* &c. Quia hæc verba videntur intelligenda ex ijs, quæ leguntur in dicto cap. Si à Iudice eod. tit. & lib. Vbi decretum est per appellationem suspensam esse iurisdictionem Iudicis Inferioris, præter, quam in reuocatione grauaminis, quod ei concessum est; Et multò magis id locum habere debet in absolutione, vt dicebam.

Quintò dubitari potest; An ab hac regula generali, quam firmauimus, excipiantur aliqui casus, in quibus is, qui excommunicauit, non possit absoluere.

D Respondeo excipi à Doctoribus aliquos casus speciales ab hac regula. Primus est, si Delegatus Papæ excommunicauit, aut publicè denunciauit, si infra annum non impenderit absolutionem, postea absoluere nequit, Nauar. in Manua. cap. 27. nu 40. Abb. & alij in cap. Quærenti De off. Deleg. Idem est de Delegato ab Episcopo, si post latam sententiam difinitiuam intra annum non absoluit, postea absoluere non potest. Secundus casus si Prælatus excommunicet Incendiariũ, qui Iure ipso non est excommunicatus, nullus enim extat canon quo excommunicentur incẽdiarij etiam Ecclesiarum licet Glo. in cap. Tua nos Ver. Publicati De sent. excom. cum Abb. & communi oppositum sentiat; Ab hac tamen sententia discedit Caiet. in Summa cap. 22. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 94. 256. & cap. 17. num. 100. Sot. dist 22. q. 2. art. 3. Quare in cap. Pessimam 23. q. 2. dicitur Incendiarios esse excommunicandos, igitur non sunt excommunicati ipso Iure, neque cap. Canonica 11. q. 3. quod est ex Concilio Arausicano prouinciali, excommunicat ipso Iure, Ecclesiarum violatores, sed docet qualiter Episcopus sententiam excommunicationis aduersus illos formare debeat, neque talis constitutio ligat extra illam Prouinciam. Et cap. Tua nos De sent. excom. non excommunicat incendiarios, sed iubet vt postquam sunt per sententiam à Prælato excommunicari & publicati ad Apostolicam Sedem pro Absolutionis beneficio mittantur, ideo hic est alius casus quo excommunicatio reseruatur Papæ, & ipse Prælatus, qui excommunicauit, non potest ab illa absoluere, vt dicunt Doctores in dicto cap. Tua nos De Sent. Excomm. Caietanus, Sot. & Nauar. locis citatis. Tertius casus si Prælatus post excommunicationem latam denuncietur ipse excommunicatus, non poterit absoluere ab excommunicatione, quia priuatus est vsu Iurisdictionis, & non est amplius toleratus, Angelus, & Silue. Absolutio 2. §. 4. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 40. Quartus casus si Excommunicationem ab Inferiori Prælato per sententiam partieularem contra aliquem pronunciatam confirmet Papa ex certa scientia cognita iam causa; Tunc Inferior non potest amplius absoluere; Secus verò dicendum est, quando Papa non confirmauit sententiam Inferioris ex certa scientia cum causæ cognitione. Hoc idem dici potest ea paritate rationis de alijs superioribus habentibus sufficientem iurisdictionem ad ferendam excommunicationem in tali casu; Nam hoc ipso, quod ex certa scientia Superior confirmat sententiam ab Inferiore latam, eam facit suam, vt nullus Inferior possit illam tollere. Quintus casus si Papa committat alteri tanquam mero Executori, vt absque vlla causæ cognitione excommunicet aliquem, talis Executor non potest impendere absolutionem, Ang. Absolutio 2. in princ. Armill. Absolutio nu. 42. Nauar. nu. 44. Et sit finis huius Capitis.

DE POTESTATE ABSOLVENDI AB EXCOMMVNICATIONE IVRIS.



ICTVM est hucusque de Absolutione ab excommunicatione per sententiam hominis, modò transeundum est ad Disputationem de ijs, qui possunt absoluere ab excommunicatione Iuris, siue hanc potestatem E habeant ab ipso Iure, siue illam consuetudine legitima acquisierint.

DISPVTATIO TERTIA.

Caput Primum, An Episcopus possit absoluere ab excommunicatione Iuris.

Caput

Caput Secundum, An Prælati habentes Iurisdictionem quasi Episcopalem ab eadem excommunicatione Iuris absoluere valeant.

Caput Tertium, An ab eadem excommunicatione Iuris Parochus absoluere possit.

Caput Quartum, An potestas absoluendi ab eadem excommunicatione Iuris conueniat alijs Sacerdotibus, quibus concessa est facultas absoluendi à peccatis.

CAPVT I.

An Episcopus possit absoluere ab excommunicatione Iuris.

IN hac difficultate vnum est, quod omni controuersia caret facultatem absoluendi ab huiusmodi excommunicatione competere ipsi Legislatori; Si.n. potest excommunicare, poterit absoluere, nisi sublata sit ab eo iurisdictio per priuationem ab officio, vel ex aliqua causa maneat suspensa. Et similiter eandem Iurisdictionem ad absoluendum habere Successorem Legislatoris in officio, & Superiorem eodem modo, sicut dictum est de excommunicatione lata per sententiam hominis. Hæc igitur Regula verissima est etiam in excommunicatione Iuris.

Illud verò controuertitur; An excommunicatio Iuris tolli possit, sicut & statuti per absolutionem Prælati Inferioris, aut alterius, qui non sit Successor ipsius Legislatoris, nec superior eius.

Qua in re statuenda est conclusio communis omnium Doctorum; Ab excommunicationibus latis à Summo Pontifice per sacros Canones, quarum absolutiones sibi expresse non reseruauit in eisdem sacris Canonibus, posse absoluere proprium Episcopum excommunicati, & Prælatum Episcopalem iurisdictionem habentem, & illum, qui eius vicem gerit.

Hæc conclusio asseritur ab omnibus, & videtur definita in cap. Nuper De Sent. Excom. Vbi agitur de excommunicatione Iuris communis, de ea scilicet, quæ incurritur ex communione cum excommunicato, & conceditur facultas Episcopo absoluendi ab illa; Dicit enim ibi Summus Pontifex, *Qua Conditor Canonis eius absolutionem sibi specialiter non reseruauit, eo ipso concessisse videtur alijs facultatem relaxandi &c.* Ex his verbis colligunt Doctores generalem regulam de quacunque excommunicatione lata à Iure communi, & non reseruata, non tantum posse tolli per absolutionem ab ipso Legislatore, sed etiam ab alijs, scilicet Episcopo, & proprio Sacerdote, vt ibi dicitur in tex. Abb. nu. 5. Feliu. cap. Pastoralis §. Præterea nu. 3. De Off. Ordi.

Per Episcopum intelligere debemus proprium Episcopum, quia absolutio est actus Iurisdictionis exterioris, idcirco, vt validè impēdatur; requirit iurisdictionem, & potestatem in ipso Absoluente erga excommunicatum absoluendum, ergo debet esse proprius Episcopus, & Alienus enim Episcopus caret iurisdictione erga excommunicatum non sibi subditum, sicut absolutio à peccatis in foro interiori validè traditur tantum à proprio sacerdote.

Episcopus autem proprius alicuius dicitur in primis ille, in cuius Diœcesi excommunicatus habet domicilium, quia domicilium est fundamentum iurisdictionis, l. vlt. ff. De Iurisd. omn. Iudi. cap. vlt. De Constit. lib. 6. cap. A nobis 1. De Sent. Excom. & in cap. 1. De foro compet. Vbi Abb. nu. 6. Vnusquisque igitur absolui potest ab excommunicatione Iuris per Episcopum, vbi habet domicilium, etiamsi alibi deliquerit; Nam licet ratione delicti quis acquirat forum, & possit accusari, & puniri ab Episcopo loci, vbi delictū commisit, non propterea tamen aufertur ius à proprio Episcopo, vt non possit etiam de eodem crimine iudicare (si semel non fuerit iudicatum) & punire suum subditum, si redierit ad suum domicilium, & coram proprio Episcopo conueniretur.

Deinde modo tractamus de pœna excommunicationis iuris, cuius auctor est Papa, & cuius absolutionem non reseruauit, sed concessit proprio Episcopo, ergo vbicunque committitur delictum, proprius Episcopus retinebit potestatem absoluendi ab huiusmodi excommunicatione. Et hanc iurisdictionem poterit exercere, quamuis maneat subditus extra Diœcesim; Tum quia tenet excommunicatio lata ab Episcopo contra subditum absentem, vt probaui in Cap... Disp... ergo multo magis erit valida absolutio, quæ est fauorabilior; Tum etiam quia absolutio datur sine strepitu iudicij, & operatur effectum suum spiritualiter, & statim executioni mandatur absque vlla opera, & ministerio hominis, quare absentia non obstat.

Neque opus est ad domicilium contrahendum decennio habitasse, sed statim ac quis incipit habitare animo ibi perpetuò manendi acquirit domicilium ex l. Domicilium iuncta Glo. V. Domicilium ff. Ad Municip. Nauar. lib. 1. consiliorum, de temp. ordi. Cons. 10. Ant. Gabr. tom. 1. Commu. concl. lib. 4. Vers. Domicilium habitationis, Menoch. de arbitr. lib. 2. Centur. 1. casu 86. num. 2. Quare leges exigentes habitationem decennij ad comparandum domicilium, vt l. 2. C. de incolis lib. 10. intelligendæ sunt ad præsumendum animum perpetuò habitandi, & subinde domicilium acquisitum esse, quando is animus ex alijs coniecturis non deprehenditur.

Sed oritur dubitatio; An excommunicatus excommunicatione iuris possit absolui ab Episcopo, in cuius Diœcesi commoratur, si ibi habitet ad tempus ad negocium peragendum, vel ad publicum munus, & officium gerendum, & alibi habeat domicilium, quo intendat rebus expeditis redire; Vt sunt Scholares, qui morantur in publicis Academijs, vt dent operam literis; Professores disciplinarum; Mercatores; Qui eliguntur ad Prouinciam, vel Ciuitatem gubernandam, & alij similes.

Et ratio dubitandi est, quia potestas absoluendi ab excommunicatione iuris conceditur proprio Episcopo; Sed Episcopus loci, vbi quis ad tempus versatur, non potest dici Episcopus proprius illius, quia proprius Episcopus dicitur ille, vbi quis habet domicilium cum animo permanendi.

Quare in cap. Romana §. Nec etiam, de foro compet. lib. 6. & cap. excommunicatis De off. lega. dicitur Legatum Pontificis, qui de ipsius latere non mittitur, non posse absoluere in sua Prouincia Percussores Clericorum, *si illuc contingat aliunde accedere*, quia nō sunt subditi illius Prouinciæ. Hoc tamen intelligitur, vt ait Abb. ibi num. 7. quando excommunicatio non incurritur ratione delicti commissi in loco, vbi quis versatur ad tempus; Nam tunc temporis ratione delicti peculiariter fit subditus Ordinario illius loci, & sicut potest ab illo excommunicari, vt probatum est in Cap... Disp... Ita multo magis poterit ab eodem absolui ab excommunicatione Iuris contracta ob delictum in illo loco commissum.

Solutio huius dubitationis pēdet ex decisione quæstionis, de qua multa, & varia tractantur à Doctoribus; An domiciliū acquiratur sola habitatione, vel po

tius vltra habitationem sit necessarius animus permanendi in eodem loco, & vtraq. pars habet plures, & graues auctores, patronos, & fautores. Quare cum forum contrahatur ratione domicilij, vt probaui supra ex l.vlt. ff. De Iurisd. Omn. Iudi. & aliis adductis, illi, qui tenent & habitationem, & animum requiri ad constituendum domicilium, tenentur quoq. cohærenter asserere proprium Episcopum cuiuscunque esse illum, vbi quis habitat animo permanendi; Quare si degat in aliquo loco ad tempus non animo manendi, sed redeundi ad pristinum domicilium, non erit subditus Episcopo illius loci, sed remanet subditus semper proprio Episcopo, & Episcopus temporalis habitationis non habebit iurisdictionem in illum, ex consequenti non poterit absoluere illum ab excommunicatione Iuris, quia, cum non sit subditus, absolutio erit nulla defectu iurisdictionis. Alij verò, qui censent solam habitationem sufficere ad constituendum domicilium, & subiiciendum habitatorem Ordinario, affirmare debent Episcopum loci posse absoluere Incolam, & Forensem, etiamsi animum non habeat persistendi in illo loco ab excommunicatione Iuris, quam Incola contraxerit, etiam antequàm ad illum locum se conferret.

Primam sententiam tenent multi; In primis Glo. cap. Is qui De Sepult. lib. 6. Verf. Nota, quod ex sola mora, Domin. ibi nu. 2. & 5. Franc. nu. 1. Abb. cap. In nostra nu. 10 De Sepult. & cap. Nullus n. 4. De Paroch. Rosel V. Domicilium num. 1. ad fi. & V. Parochia. in fi. Silue. V. Domicilium §. 2. & Ver. Parochia in fi. & Confessor 1. §. 10. Tabie. V. Domicilium ad fi. & V. Parochia §. 2. Alcia. l. Pupillus §. Incola ff. De Verbo. Signif. nu. 11. Vbi inquit Incolam cum propriè esse, qui, cum aduena esset, in aliquam Regionem ea mente habitatum venit, vt ibi perpetuò sit, Menoch. conf. 398. Vol. 4. & alij multi. Vnde Rota diuersorum decif. 150. nu. 5. par. 2. inquit Incolatum esse nomen Iuris, & duo requirere factum habitationis, & animum perpetuò habitandi. Hi omnes dicunt Episcopum loci, vbi Scholares causa studij habitant, non esse proprium illorum Pastorem quoad sacramenta voluntaria. Inde inferunt Abb. Silue. Ang. & Tabie. non posse vota Scholasticorum commutare, quia defectu animi perpetuò commorandi non efficiuntur subditi, nisi quoad sacramenta necessaria, vt Confessionis, & Communionis. Immò aliqui quantum ad Confessiones audiendas admittunt Incolas, & habitatores in aliquo loco solùm esse Subditos Parocho loci, vbi habitant ad tempus, quando ita distant à proprio domicilio, vt illuc se conferre nequeant. Sic Abb. in dicto cap. In nostra nu. 11. & cap. Omnis De Pœnit. & Remiss. nu. 23. Ang. Confessio 3. nu 10. & 11, Silue. Confessor 1. §. 10. Idem expressè tenet Nauar. in cap. Placuit De Pœnit. dis. 6. num. 92. & 102. Vbi ait sententiam Federici asserentis ratione temporalis habitationis acquiri Parochiā non esse tenendam, & nu. 96. concludit ratione habitationis Annalis; Vel Annali maioris non acquiri forum conscientiæ, nisi vbi quis commodè adire non potest domicilij Parochum, vt ab eo sacramenta suscipiat, vel nisi domicilio careat. Quare si sola habitatio sine animo permanendi non facit Incolam, subditum Ordinario loci, sequitur, vt non possit absolui ab eo ab excommunicatione Iuris; Absolutio enim est actus Iurisdictionis, quam nemo exercere potest, nisi in sibi subditum. Quod expressè affirmat Abb. in cap. Excommunicatis De Off. Lega. nu. 7. De Scholare, qui contracta excommunicatione accedit ad aliquam

A Vniuersitatem studiorum gratia, quem ab Episcopo loci absolui non posse tenet, quamuis non esset excommunicatio reseruata, à qua proprius Episcopus absoluere posset.

Secundam sententiam tenent Federicus De Senis Cons. 254. quod incipit Subsequens quæstio, Anchar. cap. De Vxore nu. 7. & 8. De Sepult. & cap. Is qui nu. 1. eod. tit. lib. 6. Rosel. Confessio 3. nu. 40. Selua in Tract. De Benef. 3. par. q. 42. nu. 7. Card. Clem. 1. De Priuil. q. 16. D. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 54. Mascard. De Probat. Conclu. 1150. nu. 1. & 2. & alij multi. Et iuxta hāc opinionem affirmandum esset absolutionem traditam ab excōmunicatione per Episcopum loci, vbi Excommunicatus ad tempus versatur animo redeundi ad

B suum domicilium, esse veram, & validam, quia sola habitatio reddit Incolam subditum Episcopo loci eo tempore, quo ibi commoratur, etiamsi alibi retineat domicilium.

Ex his duabus opinionibus, Prima est probabilissima, quam sequuti sumus in Cap. ... Disp. ... ad probandum Episcopum domicilij validè excommunicare posse subditum suum absentem, si retineat domicilium in Diœcesi, & non discesserit animo non redeundi.

Tamèn in his terminis, in quibus loquimur, nempè ad acquirendam iurisdictionem absoluendi ab excommunicatione, videtur ex communi consensu Doctorū esse affirmandum sufficere habitationem in loco, vt Episcopus loci possit Incolam validè absoluere ab ex-

C communicatione iuris, etiamsi maneat ad tempus cū animo redeundi ad suum domicilium, dummodo inhabitatio non sit ad modicum, & breue admodum tempus, sed mora sit diuturna, vt saltem excesserit maiorem anni partem. Ex hoc numero sunt Scholares in loco studij; Milites electi ad custodiam Arcis; litigantes, qui agunt causam; Mercatores, & similes.

Probatur primò quia talis inhabitatio per maiorem anni partem tribuit iurisdictionem in foro interiori Parocho loci, vbi habitat Scholari, vel alius ex connumeratis, vt sit verè proprius illius Sacerdos, vt possit illum absoluere à peccatis, ergo erit sufficiens ad tribuendam iurisdictionem absoluendi ab excom-

D municatione; Antecedens affirmant Ang. V. Domicilium nu. 1. ad finem, Silue. §. 2. Tabie. Ver. Parochia. §. 2. Innoc. cap. Omnis nu. 6. De Pœnit. & Remiss. Io. And. nu. 13. & alij.

Secundò in eo loco censetur quis habitare assiduè, vbi maiori anni parte habitat teste Tiraq. De Retractu Linagi. §. 9. Glo. 2. nu. 26. Sed ratione assiduæ habitationis sortitur aliquis forum externum ità, vt ibi possit conueniri de gestis alibi, vt probatur l. 2. in princ. Verf. Et assiduè versatur C. Vbi Senato. & docet Innoc. cap. Ex parte nu. 1. De Foro Compet. Abb. cap. Quod Clericis nu. 5. eod tit. ergo similiter ratione talis habitationis acquiret forum in rebus spiritualibus tàm externum, quàm internum, cum vtrumq. forum

E æquè iurisdictionem petat.

Confirmatur, quia ex sola habitatione alicubi per modum viatoris, & iter agentis, sed conducta domo, vel officina contrahitur quasi domicilium, vt Incola possit ibi conueniri, vt habetur l. Hæres absens §. Proinde in fi. ff. De Iudi. & l. 2. C. Vbi De Crimi. agi. opor. & ibi Glo. V. Degit, & l. Quisquis C. Si certpet. & ibi Glo. V. Versatus. ergo eadem ratione acquiretur quasi domicilium in rebus spiritualibus, vt illius causa Episcopus habeat iurisdictionem in habitantem hoc modo, vt possit illum absoluere ab excommunicatione.

Tertiò

Tertiò diuturna habitatio ex consuetudine communiter recepta habetur per modum cuiusdam domicilij, eo scilicet tempore, quo durat; Atque ita Episcopus illius loci reputatur vt proprius Episcopus ad hunc actum absoluendi ab excommunicatione.

Confirmatur, quoniam ex sententia multorũ Doctorum Episcopus loci potest dispẽsare in Votis Scholasticorum in ea Ciuitate ad tempus manẽtium, ergo habitatio sola facit aliquem subditum Ordinario loci, & tribuit eidem iurisdictionem erga illum. Propter eandem rationem poterit eum punire pœna excommunicationis, & ab illa absoluere. Doctores, qui sentiunt posse Episcopum loci dispensare circa vota scholasticorum, plures sunt; Præter alios Angles. in Floribus Theol. 1. par. q. 3. De Confess. art. 8. difficul. 4 dub. 1. concl. 10. Enriquez lib. 6. De Pœnit. cap. 14. n. 8. qui non tantum in Votis, sed etiam in casibus concessis, per Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. De Reforma. Episcopo, erga sibi subditos, asserit Episcopum dispensare posse cum illis Mercatoribus, & Scholaribus, qui maiori anni parte moram trahunt in sua Diœcesi etiamsi domicilium habeant in aliena. Si potest dispensare circa voluntaria, vt super Irregularitatibus, & Votis, quare non poterit etiam absoluere ab excommunicatione; Ad vtrumque enim requiritur æquè iurisdictio Episcopi in subditum.

Ex his igitur satis euidenter probatur probabilitas huius sententiæ, quod absolutio ab Excommunicatione Iuris impensa ab Episcopo loci, alicui in eodem loco ad aliquod tempus commoranti valida sit, etiamsi alibi retineat domicilium, quo redire velit.

Neque validitas huius absolutionis fundatur in consensu, & futura ratihabitione proprij Episcopi in præsenti probabiliter præsumpta, vt aliqui Doctores censent ex Reg. Iuris Ratihabitionem retrotrahi, & mandato æquiparari. Ita vt absolutio sic tradita non minus sit valida, quam si ex mandato proprij Episcopi data esset, quia talis ratihabitio sufficiens fuit ad dandam iurisdictionem.

Sed hoc fundamentum nullo modo subsistere potest, quia absolutio nunc concessa non potest vim habere ex futuro euentu, sic enim maneret suspensa. Fingamus enim Episcopum proprium deinceps non habere ratam huiusmodi absolutionem; Tunc quæro; An illa absolutio iam data sit valida, vel nulla, si non est valida, ergo à principio fuit nulla; Nam si aliquando valida fuisset, quidquid Superior postea vellet, semper valida permaneret; Neque enim potest irritari absolutio, quæ semel valida fuit. Si autem ab initio fuit inualida, non potest postea per solam ratihabitionem Superioris valida fieri. Et patet, quia si absolutio antea data inualida fuit, id accidit, quia fuit data à non habente Iurisdictionem, & ratihabitio postea efficere non potest, vt illa absolutio sit data ab habente iurisdictionem. Si autem absolutio fuit valida ab initio, necesse est, vt & valida remaneat, etiamsi ratihabitio non sequatur, sicut sperabatur; Sed hoc dici non potest, quia absolutio sine iurisdictione non est valida; Sed Episcopus ille non potuit habere iurisdictionem sine vlla voluntate proprij Episcopi, immò contra eius voluntatem, quare talis ratihabitio non sufficit ad tribuendam iurisdictionem. Quæ ratio multo magis valet contra eorum opinionem, qui sentiunt hanc ratihabitionem sufficere ad tribuendam iurisdictionem absoluendi sacramentaliter à peccatis in foro conscientiæ.

Regula vero, quam affert hæc sententia ad sui con-

A firmationem, præter alias interpretationes, quas tradunt Iurisconsulti, habet etiam hanc intelligentiam; Vt si illa aptetur illis actibus, qui ab initio nulli sunt, includat tacitè, & implicitè hanc conditionem, si actus sint tales, vt possint esse dependentes, & quasi expectantes futurum euentum, vt sunt Contractus humani; Nam quæ huiusmodi sunt, possunt per subsequentem ratihabitionem ita firmari, vt valeant eo tempore, quo sub ea spe gesta sunt. Sed absolutio ab excommunicatione, non potest ita pendere ex futuro euentu. Et idem est de quacunque re, quæ ex futuro pendere non potest. Quod etiam notauit Bald. l. Obseruare §. Post hæc ff. De Off. Proconſ. numero 8. Vbi etiam Bart & alij, Felin. in cap. Prudentiam De Off.
B Deleg.

Quamobrem probabilius est asserere fundamentum iurisdictionis, quæ competit Episcopo loci erga Incolam, qui alibi retineat domicilium, esse consuetudinem communem, & generalem, quæ seruatur ab omnibus indistinctè. Neque Episcopus domicilij conqueritur de Episcopo loci, quod talem exerceat iurisdictionem erga suum subditum absoluendo illum ab excommunicatione Iuris, sed promiscuè inuicem vtuntur hac potestate in alienos subditos commorantes in suis territorijs; Et introducta fuit hæc consuetudo ad tollenda pericula, & incommoda, quæ oriri potuissent, si talis absens à proprio domicilio coactus fuisset adire Episcopum domicilij ad obtinendam abso-
C lutionem ab excommunicatione; Maximè cum moraliter loquendo, vt plurimum, & ferè semper talis recursus ad propriũ Episcopum non sit facilis, vt etiam Nauar. fatetur in cap. Placuit De Pœnit. dist. 6. nu. 85. ideo fuit introducta hæc consuetudo, quæ vim habet legis vniuersalis, vt huiusmodi personæ possent habere ordinarios Pastores, quos adire possent, quoties se offerret necessitas.

Ex his inferri potest primò nõ opus esse expectare, vt maiori anni parte hi in Diœcesi habitauerint, sed statim, ac habentes animum commorandi in loco maiori, anni parte incipiunt habitare, efficiuntur subditi Episcopo loci, vt possint absolui ab excommunicatione, sicut. n. ad domicilium acquirendum nullius tẽpo-
D ris habitatio requiritur, sed statim, ac quis incipit habitare animum habens habitandi tẽpore requisito, efficitur subiectus Episcopo, in cuius Diœcesi habet domicilium. Sic Card. Clem. 1. De Priuileg q. 16. Silue. V. Domicilium §. 2. Tabien. Excommunicatio 5. nu. 5. Ità quoq. asserendum est de Episcopo loci. Hæc sufficiant de hac prima dubitatione.

Secundò dubitari potest de eo, qui habet duo domicilia in duabus Diœcesibus, in quibus per distincta anni tempora habitat, An possit petere ab vtroq. Episcopo absolutionem ab excõmunicatione, an ab vno, & à quo ex duobus.

Respondeo vtriusq. Diœcesis Episcopum habere iurisdictionem absoluendi hunc Excommunicatũ, qui
E in vtraque Diœcesi degit, quia talis Iurisdictio cõpetit vtriquè Episcopo ratione domicilij, non habitationis actualis, vt in simili dicit Nauar. de illo, qui retinet duo domicilia in diuersis Parochiis, posse vtriq. Parocho confiten. in c. Placuit De Pœnit. dist. 6. n. 77. & probari potest ex c. 2. De Sepult. lib. 6. & l. Assumptio §. Filius & l. Eius qui manumisit §. Celsus ff. Ad Municipa. & confirmatur, quia cum non sit maior ratio de vno Episcopo, quàm de altero, dicendum est vtriq. conuenire hãc iurisdictionem Glo. c. Cum nullus De Tempo. ordi. lib. 6. V. Domiciliũ, Abb. in c. Ad Apostolicę in fi.

De Deci. & cap. In nostra num. 10. De Sepult. Nec requiritur, vt talis Excommunicatus petat absolutionem ab illo Episcopo, vbi eo tempore degit, sed indifferenter potest vtrumque Episcopũ adire; Tum quia supponitur habere simul duos Episcopos proprios, sicut habet duo domicilia, nam hæc iurisdictio (vt dixi) competit vtrique Episcopo ratione duplicis domicilij; Tum etiam quia, cum vterque sit proprius Episcopus talis Excommunicati, potest alter altero inuito exercere iurisdictionem suam in Excommunicatum; Nam par in parem non habet imperium, ca. Innotuit De elect. l. Ille à quo §. Intempestiuum, ff. Ad Trebell.

Tertiò dubitari potest de his, qui semper vagantur, & nullum habent fixum domicilium, quis illorum dici possit proprius Episcopus, à quo absolui possint ab excommunicatione Iuris.

Aliqui censent his hominibus licitum esse adire quemcunque Episcopum ad obtinendam absolutionem, vt in simili dicit Nauar. in dicto cap. Placuit nu. 79. quantum ad Confessiones ob eam rationem, quia cum hi nullum habeant proprium Episcopum, Ecclesia fecit illis facultatem eligendi, quem voluerint.

Sed hæc responsio non videtur probabilis; Primò quoniam nullibi apparet de huiusmodi potestate ab Ecclesia concessa, neque talis facultas videretur rationabilis, quia maiori priuilegio gauderent, quam alij, qui habent domicilium.

Quare dicendum est potius huius generis hominibus illum esse proprium Episcopum, qui est ordinarius loci, in quo versantur, etiamsi ad breuissimum tempus sint commoraturi; Quia illi non habent alium Episcopum, nec debent carere Pastore. Quare habitatio succedit loco domicilij, cum illud non habeant; Et ita etiam seruat praxis, & consuetudo.

Probari etiam idem potest à simili; Quia Vagi vbique sortiuntur forum, & possunt pro delictis commissis vbique puniri, vt docet Glo. l. Hæres absens Ver. Debebit ff. De Iudi. & ibi Bart. §. Proinde nu. 4. Iulius Clarus lib. 5. Receptarum in Pract. Crim. §. fin. q. 39. Versi. Cæterum, ergo similiter dicendum erit in spiritualibus, scilicet de Excommunicatione, & absolutione.

Quartò dubitari potest; An idem sit dicendum de Peregrinis, & iter facientibus, qui habent domicilium.

Aliqui tenent esse diuersam rationem de Peregrinis, & Viatoribus ab ea, quam assignauimus de Vagis, Viatores enim habent fixum, & firmum domicilium in Patria, vnde habebunt etiam eundem Ordinarium, scilicet Episcopum in loco domicilij. Hinc olim vigebat consuetudo, vt Fideles non se exponerent itineri, nisi impetrata licentia ab Episcopo, qua concessa tacitè videbatur permissa facultas subijciendi se alteri ordinario in via, si opus fuisset. Idem affirmant aliqui Doctores de Sacramento Confessionis, Palud. in 4. distinc. 17. q. 8. Antoni. 3. par. tit. 17. cap. 4. Nauar. in dicto cap. Placuit nu. 68.

Sed quamuis hæc opinio videatur vera ex rigore iuris, tamen putarem ex consuetudine tales posse recipere absolutionem ab excommunicatione Iuris ab eo Episcopo loci, quo peruenerunt, sicut communiter de iisdem tenet communis opinio posse confiteri Parocho Hospitij; Videtur enim eadem ratio, & ita sentiunt Silue. Confessio 1. §. 11. Sot. dist. 18. q. 2. art. 2. Victoria in Summa num. 153. Caiet. in Summa Ver. Absolutio in princ. §. Absolutio à peccatis ex parte absoluentis.

Ratio verò huius dicti est, quia videtur tacita licentia proprij Episcopi, si occurrit occasio in itinere, vt indigeat Viator absolutione ab excommunicatione, vt possit illam petere, & accipere ab Episcopo loci, ad quem peruenit; Existimandum est enim proprium Episcopum velle gerere se vt diligentem Pastorem, & ea concedere suis subditis, quæ ad spiritualem salutem animarum conferre possent.

Verum vt absolutio accepta ab Episcopo in itinere sit valida, duo censerem esse necessaria; Alterum vt occurrat occasio aliqua vrgens petendi absolutionem ab excommunicatione in via ita quidem vt sine aliquo incommodo, & periculo non liceat tali Peregrino redire ad suum Episcopum ad absolutionem impetrandam. Alterum, quod requiritur, est bona fides; Nam si quis ad hunc finem solum susciperet peregrinationem, & iter ageret, vt absolutionem acciperet ab excommunicatione ab alieno Episcopo, & nollet adire proprium Episcopum, vt non significaret ei peccatum, cuius causa in excommunicationem incidisset, tunc absolutio non diceretur valida, quia nulla occurreret occasio petendi absolutionem ab alio Episcopo, quo casu non esset præsumenda tacita licentia proprij Episcopi, nec consuetudo haberet locum; Ideo Episcopus itineris careret iurisdictione necessaria ad validitatem absolutionis.

Quinto dubitari potest de Religiosis, An possint absolui ab Episcopo loci, vbi commorantur.

Respondeo iuxta ea, quæ dixi in Cap. . . Disp. . . Regulares ratione status tantum, scilicet quatenus Religiosi sunt, exemptos haberi à Lege Diœcesana Episcopi; Verum subiectos esse Episcopo Diœcesano quantum ad Legem iurisdictionis, ad quam pertinet potestas excommunicandi; Ideo sicut possunt ab Episcopo Diœcesano excommunicari, maiori ratione poterunt ab excommunicatione absolui, quia Iure communi omnes habentes domicilium in aliqua Diœcesi sunt subiecti Episcopo illius, ideo potest Episcopus actus Iurisdictionis in illos exercere, inter quos sunt excommunicatio, & Absolutio; Quare si Religiosus percutiat Clericum secularem, & incidat in excommunicationem Canonis Si quis suadente, absolui debet ab Episcopo Diœcesano cap. Religioso De Sent. Excom. lib. 6. Et si inuicem ipsi Religiosi se percusserint, committitur absolutio Prælato Religionis ex speciali commissione. Non tamen excluditur omnino Episcopus, nam in cap. Monachi De Sent. Excom. habetur, quando tales Regulares ab eorum Prælato corrigi nequeunt, adhibendam esse prudentiam Diœcesani Episcopi. Et in simili casu percussionis absolutio Monialium Episcopo committitur cap. De Monialibus De Sent. Excom.

Se verò Regulares ex speciali priuilegio Sedis Apostolicæ à Iurisdictione Ordinarij eximuntur, tunc non possunt absolui ab Episcopo defectu iurisdictionis.

Neque Regulares hac in re possent se Episcopis spontè subiicere, tum quia ipsi non possunt iurisdictionem tribuere Episcopis; Tum etiam quia est priuilegium concessum Ordini, cui singulares personæ cedere non possunt.

CAPVT II.

An Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem ab eadem excommunicatione Iuris absoluere valeant.

DVbitari potest, An hæc facultas absoluendi ab excommunicatione Iuris, quam probauimus conuenire proprio Episcopo cōpetat etiam aliis Prælatis, qui gaudent iurisdictione Episcopali, An verò nomine Episcopi ille tantum intelligatur, qui est consecratus Episcopos, & in rigore habet dignitatem Episcopalem.

Respondeo in primis nomine Episcopi intelligi etiam debere Vicarium Generalem Episcopi, qui vices Episcopi gerit; Vnde Vicarius Episcopi poterit absoluere legitimè ab excommunicatione Iuris, à qua posset absoluere ipse Episcopus.

Probator Primò ex cap. vlt. De Off. Ordi. Vbi permissum est illis, quibus ex officio competit in certis casibus absoluere Percussores Clericorum ab excommunicatione Canonis, committere aliis absolutionem, cum viderint expedire. Illi autem, quibus à Iure conceditur hoc priuilegium, enumerantur à Glo. V. Casibus, & inter alios sunt Episcopi, vt patet cap. Mulieris, cap. De Monialibus, cap. Quod de his, & cap. vlt. De Sent. Excom. Ergo Episcopi possunt alteri hanc potestatem absoluendi ab excommunicatione Canonis demandare, ergo Vicarius, qui gerit vices Episcopi, poterit absoluere. Dicitur autem in tex. hoc posse ex officio, quia eo ipso, quod est Episcopus accipit hāc potestatem absoluendi, ex priuilegio tamen, & delegatione Papæ, & potest alteri committere, arg. l. More Maiorum ff. De Iurisd. Omn. Iudi. Non dicitur ex officio, quia competat Episcopo Iure ordinario quatenus Episcopus, & eadem est ratio de aliis Prælatis, qui habent eandem potestatem, & recensentur à Glo. de quibus postea dicemus. Et quamuis textus loquatur de absolutione ab excommunicatione Canonis; Si quis suadente, quæ est reseruata Sedi Apostolicæ; Idem tamen maiori ratione est asserendum de aliis excommunicationibus, vt annotauit ibi Abb. nu. 1. arg. cap. Cum Dilectas De Confir. vti. & inut. & l. Illud ff. Ad Legem Aquil.

Confirmatur, quia vacante Sede Vicarius electus à Capitulo habet hanc iurisdictionem Episcopalem, vt possit absoluere ab excommunicatione Iuris, ergo multò magis est affirmandum illam debere habere Vicarium electum ab Episcopo.

Confirmari etiam potest hoc idem ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. de Refor. Vbi tribuitur facultas non solum Episcopis, sed Vicariis eorum specialiter ad id deputatis absoluendi à casibus Sedi Apostplicæ reseruatis occultis, sed quoad hæresim occultam hæc potestas soli Episcopo committitur, excluso Vivario; vnde sumitur argumentum, vt nomine Episcopi, si nihil addatur, intelligere debeamus Vicarum etiam Episcopi, & quando non additur clausula; vt specialiter sit deputatus Episcopus, Vicarius generalis potest id præstare, quod Episcopo conuenit.

Sed oritur dubitatio non leuis ex dictis, quoniam si conceditur Episcopo ex speciali priuilegio Papæ facultas absoluendi in quibusdam casibus ab excommunicationibus reseruatis Sedi Apostolicæ, ergo non poterit Episcopus talem absolutionem alteri committere, sed tantum per se ipsum illam exercere. Consequens autem est falsum contra tex. in dicto cap. vlt. De off. ordi. Vbi permissum est, vt qui ex officio in certis casibus possunt absoluere ab excommunicatione Canonis si quis suadente, valeant absolutionem alteri committere. Videtur etiam contra decretum Conc. Trid. in illa sess. 24. cap. 6. Vbi tribuitur facultas absoluendi à casibus reseruatis occultis non solum Episcopis, sed eorum Vicarijs. Tandem est contra communem sententiam Doctorum. Modò probatur consequentia; quoniam hæc potestas absoluendi ab excommunicatione reseruata Sedi Apostolicæ non cōpetit Episcopo Iure ordinario ratione sui officij, & dignitatis, quatenus Episcopus est, sed ex speciali commissione & priuilegio Papæ, quare hæc est iurisdictio delegata; sed qui habet iurisdictionem delegatam ad excommunicandum, vel absoluendum, non potest vices suas alteri demandare cap. vlt. §. vlt. de offi. Deleg. quia priuilegium non excedit personam priuilegiati cap. Sanè de Priuileg. cap. Quia frater 7. q. 1. & in Reg. Priuilegium de Reg. Iur. lib. 6. l. 1. in princ. ff. de off. eius, ex his igitur sequi videtur potestatem absoluendi ab excommunicatione reseruata non posse subdelegari Vicario Episcoporum.

Nec valet, si respondeamus ad hanc dubitationē, quod quamuis hæc iurisdictio absoluendi ab excommunicatione reseruata Papæ conueniat Episcopo ex speciali delegatione Papæ; tamen Episcopus potest illam Vicario suo, vel alteri subdelegare, quia Delegatus à Papa potest subdelegare. Si ita dicamus, non tollitur difficultas, quoniam quando quis habet specialē potestatem à Papa ad actum gerendum, qui sit Papæ reseruatus, non potest iurisdictionem illam alteri committere, vt tradit Bald. in cap. vlt. de off. deleg. quia videtur ad id electa industria ipsius Delegati, Felin. in cap. Quod sedem de off. ordi. Quare iuxta hanc doctrinam Episcopus habens potestatem ex commissione Papæ absoluendi ab excommunicatione eidem reseruata, non posset illam alteri delegare.

Alij respondent ad hanc difficultatem affirmantes potestatem concessam Episcopis in dicto cap. vlt. De off. ordin. non esse delegatam, sed ordinariam, communicatam tamen Episcopis ex speciali priuilegio Papæ non conuenientem eius iure communi ratione dignitatis Episcopalis, & talem iurisdictionem posse alteri committi, sicut ea, quæ iure ordinario, & communi absque vllo priuilegio, ad aliquem pertinent.

Dicitur autem hæc iurisdictio ordinaria, quia coniuncta est cum iurisdictione ordinaria, quam iure communi accipit Episcopus eo ipso, quod confirmatur Episcopus; Nām licèt hæc potestas absoluendi ab excommunicatione reseruata Sedi Apostolicæ ex speciali priuilegio Papæ sit delegata, tamen quia communicatur Episcopo vnà cum iurisdictione principali ordinaria, tota censetur ordinaria. Hæc est responsio communis, & vera.

Quare dicendum est ad propositam dubitationem In cap. vlt. De Off. Ordi. agi de illo, qui ratione officij iurisdictionem habet, cui si committitur potestas absoluendi, potest absolutionem alteri committere, quia potestas absoluendi competit ei ex officio ratione dignitatis, siue illi dignitati hoc tributum sit Iure communi, siue priuilegio. In cap. vlt. §. vlt. De Off. Deleg. tractatur de eo, qui habet potestatem absoluendi ex commissione nudi ministerij concessa à Romano Pontifice, & hoc ministerium alteri delegari non posse statuitur. Ad hunc modum respondet Glo. vlt. in fi. in dicto cap. vlt. De Off. Ordi. Abb. Felin. & alij ibi,

Couar.

Couar.lib.3.Variar. Resol, cap.20, num.5. Vers. Primum deducitur,

Annotauit etiam Couar. in eodem nu. 5. Vers. Secundo illud fortassè non incongruè, ad eandem difficultatem diluendam non ineptè dici posse voluisse Summum Pontificem permittere hanc potestatem delegatam absoluendi ab excommunicatione reseruata Sedi Apostolicæ posse alteri demandari, licèt iuri aduersari videatur; quod ille, qui habet speciale commissionem à Principe ad expediendum aliquid Principi reseruatum possit id alteri delegare, l. 1. ff. de officio eius, ob eam rationem, quia tale priuilegium respiciebat fauorem animæ, & eius vtilitatem, nè periculum aliquod immineret, si excommunicatione ligata remaneret. Quare vt facilius excommunicatus absolutionem impetrare posset, potestatem tribuis Prælatis, vt absolutionem alijs committere valerent.

Sed hæc ratio patitur obiectionem satis manifestã, quoniam in dicto §. vlt. in cap. vlt. de off. deleg. denegatur in specie, nè potestas absoluendi delegata possit alteri committi. Si igitur fauor spiritualis animæ esset causa potissima, cur in cap. vlt. de off. ordi. conceditur, vt potestas absoluendi delegata possit alteri communicari, idem fauor haberet locum in cap. vlt. de off. deleg.

Vera igitur ratio est illa, quam diximus, nempè Episcopum, & alios Prælatos, qui in certis casibus possunt absoluere ab excommunicationibus reseruatis, absolutionem alijs committere posse, quia ex officio hæc potestas illis conuenit, vt dicitur in dicto cap. vlt. de off. ordi. non ità quidem, vt iure communi ordinario hanc habeant iurisdictionem, sed quia licèt illam habeant ex speciali priuilegio, & fauore Summi Pontificis, qui voluntariè illam concessit, tamen illam consequuntur perpetuò à Canone ratione dignitatis & officij.

Et Episcopis hanc potestatem absoluendi ab excõmunicatione Iuris conuenire ex officio patet euidenter ex cap. Nuper de sent. excom. & assignatur ratio in text. *Quia cum conditor Canonis eam sibi specialiter non reseruauerit, eo ipso videtur consensisse alijs facultatem relaxandi*. Vbi Glos. Ver. Non retinuit ex hac ratione infert Episcopos posse dispensare in his, in quibus dispensatio non est expressè prohibita, quia concessum videtur, quod non est prohibitum. Idem dicendum est de absolutione ab omni excommunicatione Iuris, nisi per reseruationem Papæ tale ius fuerit coarctatum, & limitatum. Quare in casibus, in quibus permittitur Episcopis, vt ab excommunicationibus Iuris reseruatis valeant absoluere, exercent hanc Iurisdictionem iure ordinario ratione officij; quia sublata est reseruatio, qua prohibebantur, nè illam iurisdictionem exercere possent, sicut accidit in reseruatione peccatorum, Parochus non potest absoluere à peccatis reseruatis ab Episcopo, quia per reseruationem coarctatur eius Iurisdictio, sed sublata reseruatione, tunc iure ordinario ratione proprij officij potest ab illis absoluere. Ad hunc igitur modum sit soluta hæc dubitatio, & illi duo tex. qui videbantur inuicem pugnantes, manent conciliati.

Constat igitur ex dictis potestatem absoluendi ab excommunicationibus Iuris non solum Episcopis, sed etiam Vicariis Episcoporum conuenire. Eadem etiam potestas extendenda est ad Vicarium electum à Capitulo sede vacante iuxta præceptum Conc. Trid. sess. 24. cap. 16. De Reform.

Dubitant aliqui, an existat differentia quoad Iurisdictionem inter Vicarium Episcopi, & Vicarium electum à Capitulo sede Vacante, & putant iurisdictionem Vicarij Episcopi pendere omninò ex iurisdictione Episcopi, vt si impedita maneat iurisdictio Episcopi per excommunicationem, vel suspensionem Episcopi, sit quoque suspensa iurisdictio Vicarij, secus tamen contingere de Vicario Capituli; nam si Capitulum suspendatur, & priuetur vsu iurisdictionis, Vicarius tamen eius posset exercere suam iurisdictionem, & assignant rationem, quoniam Vicarius Capituli eligitur à Capitulo, sed iurisdictionem accipit ex decreto Concil. Trid. loco citato.

Se oppositum videtur probabilius, nempè ex hac potestate nullam posse considerari differentiam inter Vicarium Episcopi, & Vicarium Capituli, quoniam iure communi antiquo iurisdictio Episcopi competit Capitulo sede vacante exceptis his, quæ in specie reseruantur futuro Episcopo, vt patet ex cap. vnico De Maio. obed. lib. 6. cap. His quæ ad fi. cap. Cum olim in fi. extra eod. tit. Vbi omnes Doctores. Quæ iurisdictio non fuit diminuta, neque variata per Conc. Trid. sed fuit definitus modus exercendi hanc iurisdictionem, scilicet per Vicarium electum ab eodem Capitulo. Concilium enim obligat Capitulum ad eligendum Vicarium, non vult, vt per se ipsum exerceat hanc iurisdictionem. Quare Vicarius Capituli ita pendet ab ipso Capitulo, sicut Vicarius Episcopi ab Episcopo. Idcirco sicut suspensa iurisdictione Episcopi remanet impedita iurisdictio Vicarij cap. 1. De offic. Vic. lib. 6. eadem prorsus ratione dicendum erit de iurisdictione Capituli erga Vicarium suum.

Si quis postulet, si Capitulum neglexerit eligere Vicarium, & electio talis fiat à Metrapolitano, vel viciniori Episcopo iuxta dispositionem Concilij Trid. An tunc temporis Vicarius deputatus dependeat, & potestatem recipiat ab Archiepiscopo, vel Episcopo, à quo fuit electus, vt si Archiepiscopi, vel Episcopi iurisdictio cesset, suspensa Vicarij quoque iurisdictio videntur.

Respondeo etiam in hoc casu iurisdictionem Vicarij pendere ab ipso Capitulo, non ab Archiepiscopo; vel Episcopo deputante, Ratio est, quoniam talis Archiepiscopus, vel Episcopus, nullam habet iurisdictionem iure ordinario in tali Dioecesi sede vacante, ergo non potest illam alteri dare, Concilium Trid. ad corrigendam negligentiam Capituli non eligentis Vicarium statuit, vt hoc ius deuoluatur ad Archiepiscopũ, vel Episcopum, in reliquis nihil immutauit. Quare negligente Capitulo tribuit Concilium potestatem Metrapolitano, vt eligat Vicarium, & facta per ipsum electione, seu deputatione personæ, accipit potestatem à iurisdictione, quæ residet penes Capitulum.

Iam igitur satis declaratum sit, qua ratione potestas absoluendi ab excommunicatione Iuris, conueniat Vicario Episcopi.

Eadem potestas residet penes alios Prælatos inferiores, qui iurisdictionem habent Episcopalem fori contentiosi, & possunt excommunicare, & absoluere. Isti possunt etiam absoluere ab excommunicatione Iuris.

Quamobrem hac potestate vti possunt Abbates, qui habent quasi iurisdictionem Episcopalem; Maximè Abbas, qui nulli Episcopo sit subiectus, quia est ordinarius, vt notant Doctores cap. Ioannes de Testam. & ibi latè Couar. num. 1. Si verò Abbati habenti huiusmodi iurisdictionem adsit Episcopus Superior, qui possit causas ad se aduocare, vel sit locus præuentioni,

tunc

tunc talis Episcopus posset etiam absoluere ab excommunicatione iuris subditos Abbatis; quia si potest Abbas, qui est Inferior, multò magis poterit Episcopus Superior. Et hanc iurisdictionem absoluendi potest Abbas committere suo Vicario, sicut diximus de Episcopo, quod etiam locum habet in reliquis Prælatis, quibus inest eadem iurisdictio absoluendi ab excommunicatione, de quibus statim tractabimus; nam ratio, quam assignaui supra de Vicario Episcopi, est omnibus communis.

Deinde Legatus Papæ ex officio legationis, qua fungitur, potest absoluere ab excommunicatione Iuris, quia gerit vicem Papæ, & hæc potestas Legato concessa expresse habetur in cap. Excommunicatis, cap. Quod translationem, & cap. Nemini de off. leg.

Tres autem sunt species Legatorum Papæ, vt tradit Abb. in dicto cap. Excommunicatis num. 3. & ego probaui latè in cap. 1. Disp. 7. lib. 3. Quidam sunt Legati Cardinales, qui appellantur de latere, Alii non sunt Cardinales, quorum aliqui sunt legati ratione personæ; quidam ratione dignitatis, & omnes legati ea hoc triplici genere possunt absoluere in sua Prouincia ab excommunicationibus Iuris, à quibus possunt absoluere Episcopi vt inquit ibi Abb. num. 7. in fi. Ab excommunicationibus autem Papæ reseruatis legati ratione personæ possunt absoluere suos subditos in Prouincia existentes, etiam ob violentam manuum iniectionem in Clericum. Legati verò ratione dignitatis in illis tantum casibus, in quibus hæc iurisdictio concessa est Episcopis locorum, de quibus in c. Peruenit, & ibi Abb. De sent. excom. Nam isti Legati in suis Territorijs sunt ordinarij, & habent maiorem potestatem, quàm Episcopi cap. Volentes de off. leg. Legati verò primi generis, scilicet Cardinales legati à latere maximam accipiunt potestatem; nam possunt absoluere ab excommunicationibus Papæ reseruatis etiam ob percussionem Clericorum omnes tàm commorantes in sua Prouincia, quam extraneos, nam vt inquit Glo. in dicto cap. Excommunicatis Ver. Mittuntur de off. leg. Tales legati, postquam egrediuntur Vrbe, quousque Romam redierint, beneficium absolutionis quibuscunque impendere possunt, & ita vsu seruari, Immò Abb. num. 6. in eod. cap. Excommunicatis ait contra Host. posse hos legatos absoluere suos subditos, qui alibi excommunicationem contraxerũt, sicut enim possunt suos subditos alibi delinquentes punire, vt in cap. Cum contingat de foro compet. multò magis poterunt absoluere, sicut etiam Parochus, vt inquit Glos. cap. Placuit 16. q. 2. potest absoluere suum subditum de peccatis commissis extra Parochiam.

Præterea hæc potestas absoluendi ab excommunicatione Iuris, vt notat Glos. in cap. vlt. Vers. Casibus De off. ordin. quibusdam alijs Prælatis concessa est ex priuilegio, vt Archidiacono Bononiensi, qui ex priuilegio absoluit excommunicatos in Studio Bononiensi commorantes, vel ibi delinquentes; dubitat tamen ibi Glos. An possit alteri committere absolutionem, cum hanc iurisdictionem non habeat ex officio, sed ex priuilegio cap. vlt. §. vlt. de off. Deleg. Sed concludit posse committere, quia talis potestas concessa huic Archidiacono non dicitur certum ministerium, quia ei competit ratione dignitatis, & est priuilegium perpetuum, & quod ait Glos. de hoc Archidiacono, idem dici potest de alijs Prælatis, quocunque nomine nuncupentur, si habeant dignitatem quasi Episcopalem, & iurisdictionem fori contentiosi.

Solet dubitari; an hæc facultas absoluendi ab ex-
A communicatione Canonis conueniat Prælatis Religionum, saltem erga suos Religiosos. Non loquor autem de illis Religionibus, quibus ex speciali fauore, & priuilegio Papæ hoc indultum est, de his enim non ambigitur, sed de Religiosis in genere secluso speciali priuilegio, an Prælatus Religionis iure communi ratione suæ dignitatis, & Prælaturæ, gaudeat hac iurisdictione, vt possit absoluere subditos suos Religiosos ab illis excommunicationibus Iuris, à quibus possunt Episcopi iuxta dispositionem cap. Nuper de sent. excomm. absoluere suos subditos.

In Clem. 1. De Priuileg. in princ. excommunicantur Religiosi, qui absoluunt excommunicatos à Canone præterquam in casibus iure expressis, vel ex priuilegio
B speciali Sedis Apostolicæ, vbi Glos. Ver. A Canone, inquit Religiosum non posse absoluere à quocunque Canone, neque ab illis, à quibus Episcopi absoluere possunt, & in Ver. Quemquam, hanc prohibitionem extendit etiam ad Religiosos subditos; nihil enim excipit, si dicit quemcunque, cap. Solitæ in fi. De Maio. & obed. Eodem modo eadem verba interpretatur Silue. Excommunicatio 7. §. 31. in fi. ex sententia Lapi, vt hæc prohibitio locum habeat, siue is, qui absoluitur à Religioso, sit laicus masculus, vel fœmina, siue Clericus, siue Religiosus eiusdem ordinis, aut alterius, & idem censet Card. in dicta Clem. nu. 13. in fin. vt pœna huius Clem. incurratur à Religiosis, si facultatem absoluendi exerceant erga quoscunque, siue sint Re-
C ligiosi eiusdem ordinis, seu alterius, siue sint Clerici, siue Mulieres, cum sit eadem ratio de omnibus.

Et hæc responsio videtur communis, & probabilior, tamen si quis existimaret Prælatis Religionum iure communi competere facultatem ratione officij absoluendi suos subditos Religiosos ab excommunicatione Canonis non reseruata, hoc dictum non esset omninò improbandum, quod confirmari potest.

Primò quoniam in dicta Clem. prohibetur; nè Religiosi Clericis, aut laicis sacramentum Extremæ Vnctionis, vel Eucharistiæ ministrare, aut matrimonia celebrare audeant, & statim subiungit Summus Pont. hæc verba: *Aut qui excommunicatos à Canone, præterquam in casibus à iure expressis, &c.* absoluere quem-
D quam præsumpserint, ergo dictio illa *Quemquam*, habet relationem ad Clericos, vel Laicos, de quibus paulò ante dixerat, sed nomine Clericorum, vel Laicorum suscipientium à Religiosis illa trina sacramenta non comprehenduntur Religiosi, qui susciperent illa sacramenta à Religiosis, ergo eodem modo quoad prohibitionem absoluendi ab excommunicatione credendum est, dictione illa *Quemquam* non includi Religiosos subditos. Quod autem Religiosus ministrans e.g. Eucharistiam Religioso non incurrat pœnam excommunicationis illius Clem. affirmant communiter Doctores, Rosella Absolutio 1. num. 36. Ang. excommunicatio 5. casu 12. num 4. Caiet. in Summa V. excommunicatio cap. 64. Tabie. excommunicatio 5. casu 11.
E q. 2. num. 3. Nauar. in Manua. cap. 26. num. 102. & alij. Eadem igitur ratio valet de absolutione ab excommunicatione, vt Prælatus Religionis vsurpans sibi potestatem absoluendi ab excommunicatione Canonis, tunc solum incurrat pœnam excommunicationis illius Clem. si iurisdictionem illam exerceat in extraneos, non autem in Religiosos suos subditos.

Confirmatur quia Prælatus Religionis potest excommunicare suos Religiosos, & habet iurisdictionem ordinariam in illos, ergo poterit etiam absoluere illos ab excommunicatione Canonis, si enim hoc Ius

compe-

competit Inferioribus Prælatis post Episcopos, vt vidimus, cur putandum est Prælatos Religionum fuisse priuatos hac iurisdictione erga suos Religiosos?

Confirmatur etiam, quoniam in cap. Nuper hæc potestas concessa est non tantum Episcopo, sed proprio Sacerdoti; Sed Prælatus Religionis est proprius Sacerdos suorum Religiosorũ, ergo habet hanc potestatem erga Religiosos sui ordinis sibi subditos. Verũ, si illã exerceret erga Religiosos alterius ordinis, contraheret excommunicationem illius Clem. quia illorũ non est proprius Sacerdos, & ex dispositione illius Clem. vetitum est Religiosis sub poena excommunicationis, nè quenquàm ab excommunicatione Canonis absoluant.

Immò iuxta hanc opinionem, quæ probabilis est, præter hanc potestatem, quam habent Prælati Regulares iure communi virtute illius cap. Nuper absoluendi suos Religiosos ab excommunicatione Canonis non reseruata, vel à reseruata in casibus permissis à Iure, dici potest licere etiam eisdem absoluere eosdẽ ubiq. controuersia, ex speciali, & expresso priuilegio Sedis Apostolicæ Religiosis, præsertim ex Ordinibus Mendicantium, concesso.

Ex dictis cõstat iam; Quibus Prælatis insit potestas absoluendi ab excommunicatione non reseruata Canonis, scilicet Iuris communis, cuius auctor est Papa.

Sed posset quis meritò dubitare, An sit eadem ratio de excommunicatione Statutorum Episcopalium, aut Sinodalium, vel Conciliorum Prouincialium, an omnes illi, qui potestatem habent absoluendi ab excommunicatione Canonis, possint etiam absoluere ab excommunicationibus Latis per Statutum Episcoporum.

Ratio dubitandi est, quia, vt Episcopi, & alij Prælati, de quibus diximus, possint absoluere ab excommunicatione iuris communis, habent ex concessione Papæ in dicto cap. Nuper, qui est auctor iuris communis; Sed hæc ratio cessat in excommunicationibus Statutorum particularium, quæ non sunt condita à Papa. Et quamuis ipse vt Pastor vniuersalis possit ab omnibus excommunicationibus absoluere, tamen id regulariter non facit, nec solet hanc facultatem alteri committere, sed sinit, vt hac iurisdictione vtantur ipsimet Prælati Statutorum Conditores.

Ad hanc dubitationem respondendum est iuxta communem Sententiam Doctorum, Abb. in cap. Nuper. num. 5. De Sent. Excom. & in cap. Graue De Præb. Silue. Absolutio 1. §. 7. Couar. in prim. par. in cap. Alma Mater §. 12. nu. 4. Ver. Et procedit hæc communis opinio, Episcopum, & alios Inferiores Prælatos, qui habent iurisdictionem absoluendi ab excommunicatione Iuris communis non reseruata Papę, multò magis posse absoluere ab excommunicatione non reseruata Statuti Episcopalis, aut Sinodalis.

Et probari potest hæc doctrina primò quia in citato cap. Nuper conceditur facultas absoluendi ab omni excommunicatione Canonis; Sed Statuta, & Constitutiones Episcoporum, & Inferiorum Prælatorum dicuntur Canones, est enim Canon nomen generale, & significat Regulam institutionum, quæ significatio conuenit etiam Statutis Inferiorum. Si igitur Prælati Inferiores accipiunt ab ipso Iure potestatem absoluendi ab excommunicatione iuris communis, multò magis dicendum est posse absoluere ab excommunicatione Statuti.

Secundò probatur ex cap. Ex frequentibus De Instit. Vbi supponi videtur datam esse absolutionem per Episcopum Suffraganeum ab Excommunicatione Lata per Statutum Archiepiscopi confirmatum per Sũmum Pontificem. Si potest Episcopus absoluere ab excommunicatione Statuti Episcopalis, confirmati à Sede Apostolica, fortiori ratione poterit, si desit confirmatio; Talis enim confirmatio addit vim, & robur Statuto, nec tamen facit, vt non remaneat Statutum Episcopi, vel Archiepiscopi, à quo latum fuit.

Confirmatur ratione, quę affertur in dicto cap. Nuper à Summo Pontifice, & est, quod cum Conditor Canonis eius absolutionem sibi specialitèr non reseruauerit, videtur alijs concessisse. Quæ ratio, vt notant Io. Andr. & Abb. in dicto cap. Ex frequentibus, generalis est non solum in Canone Iuris communis, sed etiam Statuti, vt hoc ipso, quod Conditor Canonis, aut Statuti absolutionem sibi non reseruauit, nec alteri commisit, censeatur alijs concessisse. Nec propterea ipse Legislator, aut Statuti, aliquod patitur incommodum, cum liberum ei sit, si hanc iurisdictionem ab alijs vsurpari ægrè ferat, eam sibi specialiter reseruare; Atq; tunc erit alijs denegata.

Hæc autem potestas, qua ex iure communi vtuntur Prælati absoluendi ab excommunicatione non reseruata Iuris communis, vel Statuti, non competit eis quoad excommunicationem latam per sententiam hominis, non solùm particularem, sed etiam generalem, vt probaui in Cap... Disp... contra sententiam aliquorum. Nec aliud addamus ad hoc Caput.

CAPVT III.

An ab eadem excommunicatione Iuris Parochus absoluere possit.

Potestatem absoluendi ab excommunicatione Iuris conuenire Episcopo, & alijs Prælatis habentibus quasi Episcopalem iurisdictionem probatum est, & in hac Conclusione conueniunt omnes Doctores, vt vidimus; Sed dubitant, An hæc potestas itá conueniat huiusmodi Prælatis, vt nullo modo alij possint illam exercere. Et ratio dubitandi oritur ex verbis illius cap. Nuper; Vbi hæc leguntur: *In secundo casu poterit à suo Episcopo, vel à proprio Sacerdote absolutionis beneficium obtinere &c.* Sub distinctione igitur à Iure concessa est potestas absoluendi Episcopo, vel proprio Sacerdoti. Sub nomine proprij Sacerdotis communiter à Iure intelligi solet Parochus, vt in cap. Omnis vtriusque sexus De Poenit. & Remiss. cap. Placuit 9. quæst. 3. & cap. Placuit De Poenit. dist. 6. Propterea meritò dubitatur, an hęc Iurisdictio conueniat etiam Parochis.

In hac quæstione duas reperio Doctorum opiniones, Altera est negatiua, Episcopum scilicet solum, vel Prælatum habentem iurisdictionem Episcopalem posse absoluere ab excommunicatione Iuris, Parochum verò habentem curam animarum nequaquàm valere hanc absolutionem concedere. Hanc opinionem tenet Couar. in cap. Alma Mater prim. par. §. 12. nu. 5. & in eandem refert plures ex Theologis, & Canonistis, scilicet Durandum dist. 18. q. 4. Palud. q. 5. art. 1. sed Palud. loquitur de absolutione ab excommunicatione Iuris communis, non tamen negat Parochum posse absoluere ab excommunicatione lata per Statutum Episcopi; Caiet. in Summa V. Absolutio ab excommunicatione cap. 4. ad. fi. Tabic. V. Dispensatio nu. 16. & V. Absolutio 2. nn. 4. Abb. in cap. Nuper De Sent. Excom. qui tamen hoc non expresśe asserit, immò potius videtur in contrariam sentẽtiam descen-

descendere; nam num. 5. notat proprium Sacerdotem posse absoluere ab excommunicatione non solum Canonis, sed Statuti Episcopalis, quando Conditor legis absolutionem sibi non reseruauit, sed proprius sacerdos communiter accipitur pro Parocho, igitur sentit posse Parochum ab huiusmodi excommunicatione absoluere, sed postea num. 2. videtur referre sententiam aliorum, quod ab excommunicatione Maiori regulariter nullus potest absoluere præter Episcopum, & citat Glo. in cap. Si Episcopus V. Reseruantur De Pœnit. & Remiss. quæ expresse affirmat absoluere excommunicatos Maiori excommunicatione non competere simplici Sacerdoti, sed Episcopo, & probat ex dicto cap. Nuper, & connumerat hunc actum absoluendi inter alios, quos recenset, qui pertinent ad iurisdictionem Episcopi. Hinc Abb. infert, quando in cap. Nuper asserit Summus Pontifex Conditorem Canonis, quando sibi absolutionem non reseruauit, voluisse aliis concedere, Dictione illa *Aliis* communiter interpretari, vt significet Episcopos, & Superiores, sed inquit hoc non posse aptari verbis tex. cap. Nuper, Vbi mentio fit de simplici Sacerdote; quare Abb. proponit hanc opinionem aliorum sub dubio, & potius videtur contrariam sententiam probare, in eandem Couar. citat Felin. in cap. Pastoralis §. Præterea de off. ordi. & Immolani in cap. Ab excommunicato de Rescrip. Sed isti auctores nihil tale affirmant locis citatis.

Hanc opinionem Couar. dicit optimè probari ex Clement. 1. de Priuileg. & in Extrau. 1. §. Obseruent eod. tit.

Verum in Clem. 1 agitur de Religiosis, qui præsumunt ministrare sacramenta Extremæ Vnctionis, Eucharistiæ, & Matrimonij non habita speciali licentia Parochialis Sacerdotis, vel audent absoluere ab excommunicatione Canonis, &c. De qua dixi in præcedenti cap. sed nullibi colligitur ex dicta Clem. potestatem absoluēdi ab excommunicatione Canonis conuenire soli Episcopo, non Parocho, nisi Couar. velit id referre ex eo, quod in dicta Clemen. fit solum mentio de licentia Parochi, vt Religiosi possint administrare illa tria sacramenta, sed vt possint absoluere ab excommunicatione Canonis, nullum verbum de licentia Parochi, vt argumentum sit hoc non pertinere ad Parochum, sed ad munus Episcopi.

Verum hæc illatio non est necessaria, sed voluntaria, vt ex pluribus ostendi potest. Primò quoniam si in Clem. cum agitur de absolutione ab excommunicatione, nihil dicitur de Parocho, nulla quoque fit mentio de Episcopo, Igitur propter eandem rationem hæc potestas absoluendi non spectaret ad Episcopum. Secundo assignari potest ratio diuersitatis, cur in administratione illorum trium sacramentorum præcipiat Summus Pontifex, vt Religiosi exigant licentiam à Parocho, id tamen taceat in absolutione ab excommunicatione, quoniam Parochus regulariter administrat illa sacramenta, & communiter à Parocho petuntur. At absolutio ab excommunicatione Canonis generaliter petitur ab Episcopo, qui est Pastor vniuersalis omnium, etiam Rectorum Parochialium in sua Dioecesi, & cui primo, & per se ratione officij iure communi competit iurisdictio excommunicandi, & absoluendi. Tertiò idcirco fortassè nulla fit mentio de Parocho, cum in Clement. agitur de absolutione ab excommunicatione, quoniam si Parochus habet hanc potestatem, potest illa vti in foro poenitentiali tantum in ordine ad absolutionem à peccatis, non in foro exte-

A riori, quia Parochus caret iurisdictione fori contentiosi; At Episcopus potest absoluere in foro interiori, & exteriori, Propterea non mirum est, si in casu absolutionis ab excommunicatione in dicta Clem. nihil dicitur de Parocho, nullum tamen inde sumitur argumentum ad probandum potestatem absoluendi ab excommunicatione non conuenire Parocho.

Similiter ex dicta Extrauag. 1. §. Obseruent nihil deduci potest ad hanc sententiam confirmandam, ibi enim eodem modo interdicitur Religiosis, nè Excommunicatos à Iure absoluant, quod si instante periculo mortis Excommunicatus, antequam ab eo, qui potestatem habet, absolui possit, recipiat absolutionem à Religioso, quamprimum conualuerit, tenetur se

B præsentare suo Episcopo, qui excommunicauit pariturus eius mandato.

In hac Extrauag. quæ fuit reuocata per Clem. Dudum De Priuileg. non fit mentio de Parocho, sed de solo Episcopo; Tùm quia, vt dixi, primò & per se potestas absoluendi ab excommunicatione est officium Episcopi; Tum quia ibi agitur non solum de excommunicatione Iuris, sed etiam de excommunicatione lata per sententiam hominis, ideo dicitur, quod Excommunicatus debet se præsentare suo Episcopo; qui illum excommunicauit. Tandem in illa Extrauag. sermo est de quibusdam excommunicationibus ob enormia delicta, quas in aliquibus Dioecesibus rationabilis consuetudo præscripta reseruauit Episcopis.

C Quod si Extrauagans in audiendis Confessionibus compararet Religiosos Rectoribus Parochialibus, quare, si Religiosi non possunt absoluere ab excommunicatione iuris, ergo neque Parochi poterunt. Animaduertendum est æquiparari solum quantum ad casus reseruatos Superioribus.

Quamobrem apparet euidenter ex his duobus locis in iure nullo modo confirmari hanc sententiam Couar.

Sed præter Iuris auctoritates afferri possunt rationes pro eadem sententia.

Prima ratio esse potest Absolutio ab excommunicatione ad iurisdictionem fori exterioris pertinet, sicut & ipsa excommunicatio, Nàm pari Iure censentur

D excommunicatio, & absolutio cap. Verbū De Pœnit. dist. 1. Sed Sacerdos curam animarum habens nequaquam exercere potest iurisdictionem fori exterioris, cum ea careat omninò igitur sicut non potest excommunicare, ità nec absoluere ab excommunicatione.

Secundò per excommunicationem homo priuatur suffragiis communibus totius Ecclesiæ, sed Parochus non potest restituere ipsum excommunicatum ad huiusmodi suffragia, quia non habet potestatem in totius Ecclesiæ suffragia, quare non potest ab hac excommunicatione absoluere.

Tertiò qui non potest ligare per excommunicationem, minus etiam potest absoluere; sed Parocho non tribuitur primum, igitur neq. secundum.

E Quartò plures effectus producit excommunicatio, quam Interdictum, & pluribus bonis priuat excommunicatum, sed nullus Inferior Episcopo potest relaxare Interdictum Iuris, ergo nec poterit absoluere ab excommunicatione, & est ratio Palud.

Quintò idem probari potest ex communi consuetudine, & vsu, quoniam inquit Couar. in dicto nu. 5. Ver. Contrariam sententiam in fi. ità seruari generaliter; Vnde interpretatur tex. in dicto cap. Nuper intelligendum esse in absolutione ab excommunicatione Minori, quoad Parochum, & quoad Episcopum in absolu-

solutione ab excommunicatione Maiori propter distinctionem iurisdictionis.

Postremò inferior non potest absoluere ab excommunicatione Superioris c. Pastoralis §. Præterea de off. ordi. c. Sacro de sent.excom. ergo Parochus non potest absoluere ab excommunicatione Canonis Pontificij, vel statuti Episcopalis.

His rationibus potest probari hæc sententia.

Alia est sententia opposita multorum asserentium Parochum Rectorem Ecclesiæ Parochialis posse absoluere à quacunque excommunicatione Iuris non reseruata, ita docet B.Tho. in 4. dist. 18. q. 2. in Addit. ad 3. par. q. 24. art. 1. & S.Bonau. dist. 18. q. 6. Maior. q. 2. dub. 3. Caiet. in Summa Ver. Absolutio cap. 4. licet asserat id non posse Parochum, nisi ex commissione sibi data tacite ex ratione generali cap. Nuper, Nauar. in Manua. cap. 27. n. 39. & 257. Ang. Absolutio 1. §. 2. & 8. Silue. Absolutio 1. §. 4. post med. licet V. excommunicatio 8. casu 9. §. 1. solum dicat ordinarium posse absoluere, Armill. V. Absolutio §. 35. fi. Sot. dist. 22. q. 2. art. 3. conclu. 3. Host. & Innoc. in dicto c. Nuper.

Hæc secunda opinio est communior, & probabilior, Ad quam comprobandam principale fundamentum, & præcipua ratio desumitur ex tex. illius c. Nuper, ibi enim expresse à Papa conceditur facultas tradendi beneficium absolutionis Episcopo, vel proprio Sacerdoti, idem repetitur in fin. c. Et licet ibi sermo sit de minori excommunicatione, scilicet de excommunicatione contracta ob communicationem cum excommunicato, tamen ratio, qua vtitur Papa ad id confirmandum, est generalis comprehendens etiam excommunicationem maiorem, & est, quia cum Conditor Canonis absolutionem sibi specialiter non reseruauerit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi. Hæc ratio non coarctatur ad excommunicationem minorem, & vis illius consistit in forma, & modo ferendi excommunicationem à Superiore, vt quando illam pronunciat simpliciter non reseruando sibi absolutionem, videatur tacitè velle concedere facultatem absoluendi alijs etiam Inferioribus. Quamobrem ratio, cur in illo c. à Summo Pont. permittitur facultas absoluendi ab excommunicatione Iuris, proprio Sacerdoti, non est, quia agitur de excommunicatione Minori, sed quia Conditor Canonis absolutionem sibi non retinuit. Quæ ratio ita valet in excommunicatione minori, sicut in maiori, nam hoc ipso, quod sibi illam non reseruauit, tacitè tribuit alijs facultatem absoluendi.

Et nisi ad hunc modum interpretaremur verba illius cap. affirmandum esset Episcopum etiam non posse absoluere, nisi ab excommunicatione minori virtute illius cap. Quod negant etiam auctores pro contraria opinione.

Probatur consequentia, quoniam Episcopus iure Ordinario suæ potestatis non potest tollere, aut commutare censuram à Papa impositam, inferior enim non potest tollere pœnam à Superiore illatam, ergo Episcopus potest tantum absoluere ab excommunicatione Papæ, quantum ei conceditur ab ipsomet Papa. Sed in illo cap. Nuper quoad hoc, sub eadem distinctione æqualiter numeratur Episcopus, & Parochus, quare si virtute illius tex. Parochus solum potest absoluere ab excommunicatione minori, ab eadem tantum poterit absoluere Episcopus. Si igitur auctores contrariæ opinionis concedunt potestatem absoluendi ab excommunicatione Canonis Episcopo vi c. Nuper, eandem non debent denegare Parocho, militat enim eadem ratio in vtroque.

A

Quod enim Episcopus iure Ordinario ratione sui officij habeat iurisdictionem in foro contentioso, qua caret Parochus, nihil refert in re, de qua agimus, quia (vt dixi) Episcopus in absolutione Canonis non vtitur sua iurisdictione ordinaria, sed auctoritate sibi concessa à Papa in dicto c. Nuper, & ibi eadem conceditur simul Parocho. Optimè igitur hæc opinio videtur probari ex illo c. Nuper.

Secundo confirmatur, nam si absolutio ab excommunicatione Canonis hoc ipso pertineret ad Episcopum, quoties Papa sibi illam non reseruaret, frustra nonnunquam in Sacris Canonibus legeretur absolutio excommunicationis reseruata Episcopo. Hic mos, & hæc consuetudo indicat intentionem esse Summi Pontificis, quoties non apponit hanc clausulam, velle committere facultatem absoluendi ab excommunicatione illis, quibus competit iurisdictio absoluendi à peccato, cuius causa contrahitur excommunicatio. Quod si inter casus reseruatos Episcopo enumeretur excommunicatio Iuris, hoc est intelligendum pro foro tantum exteriori, quando publicè constat, vt dicitur, ei reseruata blasphemia publica, & restitutio incertorum, quæ tamen pro foro conscientiæ non reseruantur.

B

Ex his apparet veritas huius opinionis, concludamus itaque ab excommunicatione Iuris non reseruata posse absoluere non tantum Episcopum, & Prælatū habentem iurisdictionem quasi Episcopalem in foro exteriori, Glo. in Clem. 1. de rebus Ecc. non alien. sed etiam Parochum, qui potest absoluere à peccatis mortalibus.

C

Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 39. conatur conciliare has duas opiniones, vt prior procedat quantum ad forum exterius, posterior quantum ad forum conscientiæ, adhuc limitat posteriorem, quod Parochus non potest id facere sua auctoritate, sed vt Commissarius deputatus à Papa dicto c. Nuper. Verum id non habet tantum locum in Parocho, sed etiam in Episcopo, vt diximus, vterque enim ex tacita Papæ commissione absoluit ab excommunicatione Canonis.

Non obstant rationes, quas afferebam pro contraria sententia.

D

Ad primam respondemus, quod licèt Parochus nō habeat iurisdictionem ordinariam in foro exteriori, potest tamen ei committi, & delegari à Papa hæc iurisdictio quoad aliquos actus erga suos subditos, & sic absoluere potest vt Delegatus à Papa etiam in foro exteriori, nam licet hæc potestas sit concessa Parocho præcipuè propter forum internum, tamen cum in c. Nuper non limitetur, ad vtrunque extenditur.

Vel dici potest Parochum posse absoluere ab excōmunicatione Canonis, etiamsi non habeat iurisdictionem fori exterioris, quia non absoluit in foro exteriori, sed duntaxat in foro conscientiæ, vt tenet Nauar.

E

Ad secundum dicendum est, quod sicut ad excommunicandum non requiritur immediata potestas Prælati excommunicantis in omnia suffragia totius Ecclesiæ, nam tunc Episcopus non posset excommunicare, sed illorum priuatio sequitur ex natura excommunicationis, ita quoque post absolutionem consecutiuè prouenit restitutio suffragiorum. Et simili ratione dicendum est de Parocho, qui licet excommunicare non possit, tamen potest in foro interiori ab excommunicatione absoluere, ad quam absolu-

tionem

tionem sequitur necessariò restitutio suffragiorum Ecclesiæ.

Ad tertiam respondetur nullam esse repugnantiam, vt quis possit habere potestatem absoluendi, non autem potestatem excommunicandi, quaudo potestas absoluendi est delegata, repugnaret, si esset ordinaria, quia potestas delegata potest committi ad vnum actum, & non ad alium, & frequentius delegatur ad actum magis fauorabilem; Talis est absoluere.

Ad quartum dicendum est, quidquid sit de Interdicto imposito ab ipso Iure, an possit relaxari ab inferiori Prælato, de qua difficultate infra dicam; Tamen non valet consequentia. Parochus non potest absoluere ab Interdicto, ergo neque ab excommunicatione; Potestas enim absoluendi ab excommunicatione non competit Parocho iure ordinario, sed ex commissione Papæ, quæ delegatio non extenditur ad interdictum.

Ad quintam de consuetudine, & praxi, quam Couar. testatur recepisse contrariam opinionem; In primis dicendum est non constare de tali consuetudine contraria, Deinde non sequitur; In aliquibus locis Parochi non exercent hanc iurisdictionem, ergo est inducta contraria consuetudo, vt non possint absoluere; Quia non agendo, etiam post longum tempus, non inducitur consuetudo. Tandem in illis locis, vbi viget talis consuetudo, illa seruetur, quia consuetudo potest dare, & auferre iurisdictionem.

Ad postremam rationem dicimus Inferiorem non posse absoluere ab excommunicatione Superioris auctoritate propria, sed ex commissione ipsius Superioris, & hoc modo Episcopus, & Parochus absoluunt ab excommunicatione Canonis.

Sed posset quis obijcere contra hoc dictum, non.n. videtur satis probari ex illa ratione, quæ habetur in cap. Nuper facultatem absoluendi ab excommunicatione Canonis non reseruata commissam esse Parocho, quia auctor Canonis specialiter eam sibi non reseruauit; Non enim valet consequentia; Ius non prohibet, e.g. ne Parochus consecret Ecclesiam, ergo Parochus potest consecrare; Requiritur.n. iurisdictio, quę non intelligitur concessa, quia non prohibetur actus.

Confirmatur exemplo sumpto ab excõmunicatione lata ab homine; Si Episcopus per sententiam pronunciet aliquem excommunicatum, etiamsi non reseruet sibi in specie absolutionem, non propterea præsumitur commissa Inferiori potestas absoluendi, ergo idem dicendum est de iure continente excommunicationem.

Confirmatur alio exemplo sumpto ex potestate dispensandi; Nam si ratio illa valeret; Quoties aliquid non est prohibitum, præsumitur concessum, igitur Episcopus potest dispensare in lege Papæ, quod admittit Glo. in dicto cap. Nuper Ver. Non retinuit, quare posset dispensare in omnibus gradibus prohibitis ad matrimonium contrahendum, quia Papa sibi non reseruauit, & vt ordines possent conferri extra tempora ab ipso Iure constituta. Hæc autem sunt contra communem Ecclesiæ consuetudinem, ergo sicut Inferior non potest dispensare in iure communi, vel lege Superioris, quamuis Superior sibi expressè talem dispensationem non reseruauerit; Ita quoque affirmandum esse videtur de absolutione ab excommunicatione Iuris.

Respondendum est ad hanc difficultatem Rationem positam in cap. Nuper probare, sicut diximus, in

A absolutione ab excommunicatione, sed non esse extendendam ad omnes actus iurisdictionis Ecclesiasticæ; Vt sunt Dispensationes Legum, Irregularitatum &c. Quoniam, vt benè concludunt rationes adductæ in oppositum, hæc consequentia formaliter, & ex natura rei non valet; Hic actus non est prohibitus à Superiore, igitur Inferior potest illum exercere, nisi alias talis Iurisdictio competat Inferiori iure ordinario ratione sui officij, vel illam consuetudine præscripserit, vel ex primæua institutione, aut alio titulo sibi comparauerit.

Et ad hunc modum habet vim hæc ratio circa potestatem absoluẽdi ab excommunicatione; Nam hoc Ius cum sit necessarium ad communem animarum B gubernationem, & illarum spiritualem vtilitatem, & profectum, videtur quodammodo pertinere ad ordinariam Iurisdictionem, & officium Pastorum Animarum, non solum ad principales Pastores, nempè Episcopos, sed etiam Parochos; Qui hanc potestatem semper in Ecclesia exercuerunt absoluendi obstrictos censura excommunicationis, si absolutionem peterent, quoties auctor Canonis absolutionem sibi non reseruaret, & ob eam causam valet ratio cap. Nuper Posse Episcopum, & proprium Sacerdotem absoluere ab excommunicatione Canonis, quia cum auctor Canonis eam sibi non reseruauerit in specie, censetur alijs concessisse.

Et hæc ratio non habet locum in dispensatione Le- C gum, Irregularitatum, & similium impedimentorum, quæ à Superiore sunt imposita, quoniam illorum relaxatio non est ita necessaria ad regimen commune subditorum, & salutem spiritualem animarum.

Quare propositio illa generalis, quæ legitur apud aliquos auctores; Quidquid potest Papa in vniuersa Republica Christiana, potest etiam Episcopus in sua Diœcesi, si ita latè accipiatur, vt verba sonant sine vlla limitatione, non est admittenda, vt patet in Dispensationibus in gradibus prohibitis ad matrimonia contrahenda; In temporibus ad ordines suscipiendos, quæ mutari possunt à Papa in vniuerso Orbe, minimè autem ab Episcopo in sua Diœcesi. Similiter Papa potuit irritare matrimonia clandestina, quod non po- D tuisset Episcopus in sua Diœcesi. Eodem modo Papa potuit reddere inhabiles Contrahentes, vel ratione Voti, vel delicti, quod nullo modo licet Episcopo, & ita in alijs similibus. Quamobrem illa propositio generalis (vt veram habeat sententiam) vel est interpretanda in ijs, quæ spectant ad ordinem, vel si intelligatur de potestate iurisdictionis, habet locum in ijs rebus, quæ spectant ad communem, & necessariam animarum gubernationem.

Causa autem, propter quam existimandum sit potestatem absoluendi ab excommunicatione Canonis non reseruata pertinere ad ordinarium officium non solum Episcopi, sed etiam Parochi, est, quia absolutio ab excommunicatione debet facillimè concedi E petenti; Nam iura nolunt, vt quis in excommunicatione decedat cap. Qua fronte de Appellat. & cap. Cum illorum De Senten. Excommun. Idcirco facilius debet concedi facultas ad absoluendum, quàm ad dispensandum; Facit, quod notat Glo. ca. Cupientes post medium §. Cæterum Ver. Suspensos, de Elect. libro 6. quia maior est potestas dispensandi, quàm absoluendi. Quæ causa cessat in dispensatione, vt inquit Abb. ex sententia Philippi, Franc. c. At si Clerici §. de Adulterijs nu. 4. & seq. De Iudi. Vbi fusius prosequitur hanc difficultatem; Potestas igitur generalis absoluen-

di ab excommunicatione Iuris erat neceſſaria Epiſcopo, & Parocho, vt rectè gubernare poſſent ſuos ſubditos, Neque enim aliter poterant abſoluere à peccatis, quod iure ordinario ad ipſos ſpectat. Meritò igitur Doctores pro hac opinione, contendunt valdè probabile eſſe aſſerere poteſtatem abſoluendi ab excommunicatione iuris non reſeruata non tantum Epiſcopis, & Prælatis, ſed etiam Parochis ineſſe.

CAPVT IIII.

An poteſtas abſoluendi ab eadem excommunicatione Iuris conueniat alijs Sacerdotibus, quibus conceſſa eſt facultas abſoluendi à peccatis.

DOctores antiqui, & recentiores, quos citaui ſuperiori Cap. aſſerentes poteſtatem abſoluendi ab excommunicatione Iuris non reſeruata conceſſam eſſe Parochis, affirmant quoque eandem conuenire alijs Sacerdotibus Confeſſarijs, qui ex priuilegio, aut delegatione abſoluunt à peccatis mortalibus, & habent cum Parocho iuriſdictionem in foro conſcientiæ.

Ratio huius dicti eſt, quoniam hæc facultas committitur Epiſcopo, & proprio Sacerdoti in illo cap. Nuper, ſicut autem nomine Epiſcopi intelliguntur omnes, qui habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, vt probaui ex communi conſenſu Doctorum in cap. 2. ita nomine proprij Sacerdotis intelligitur Parochus, & quicunque Sacerdos, qui poteſt abſoluere à peccatis mortalibus, & parem habet cum Parocho in foro pœnitentiæ iuriſdictionem, & in hac ſignificatione accipitur proprius Sacerdos in cap. Omnis vtriuſq; ſexus De pœnit. & remiſſ. Accedit, quod ob eam cauſam concedenda eſt tali Confeſſario hæc iuriſdictio, propter quam diximus non eſſe denegandam Parocho, ſcilicet vt Excommunicatus facillimè, ſi obedire velit, obtinere poſſit abſolutionem, ſine qua non poteſt recipere abſolutionem peccatorum.

Contra obijciet aliquis, ſi ille, qui accipit iuriſdictionem abſoluendi à peccatis mortalibus, acciperet ſimul poteſtatem abſoluendi ab excommunicatione Iuris non reſeruata, ſimili modo affirmandum eſſet; Vt qui haberet poteſtatē abſoluendi à peccatis reſeruatis, acciperet etiam poteſtatem abſoluendi ab excommunicatione reſeruata, quod tamen videtur falſum.

Secundò ſi Sacerdos Confeſſarius, qui abſoluit à peccatis mortalibus, haberet poteſtatem abſoluendi ab excommunicatione Iuris, illam deberet accipere ab Epiſcopo, vel Parocho, qui committunt ei, vt ſubditorum confeſſiones audiat, ſed hoc fieri nequit; Nā Delegatus non poteſt ſubdelegare, Epiſcopus verò & Parochus habent delegatam iuriſdictionem, non ordinariam abſoluendi ab excommunicatione, ergo non poſſunt illam alteri committere.

Ad primam obiectionem reſpondendum eſt: Si loquamur de caſibus Papæ reſeruatis, veram eſſe illam conſequentiam; Nempè qui habet poteſtatem abſoluendi à peccatis reſeruatis, accipit facultatem abſoluendi ab excommunicatione reſeruata, non quidem ea ratione, quia poteſtas abſoluendi à peccatis, & poteſtas abſoluendi ab excommunicatione ſe inuicem neceſſario conſequantur, ſed verius, quia nullus datur caſus reſeruatus Papæ ſine excommunicatione, licet enim poſſit Summus Pontifex, ſicut & Epiſcopi reſeruare peccata, etiamſi non habeant excommunicationem annexam, vt patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. & in Extrau. Inter cunctas De Priuil. quibus locis numerantur aliqui caſus reſeruati, quibus non eſt annexa cenſura; Tamen de facto, præſertim ſecundum vſum, & conſuetudinem huius temporis non reſeruat culpam ſine cenſura, vt dicunt Durand. in 4. diſt. 17. q. 15. Caiet. in Summa V. Caſus, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 261. & alij. Quare cum nullus abſolui poſſit à peccatis, niſi prius abſoluatur ab excommunicatione, qui concedit poteſtatem abſoluendi à peccatis reſeruatis, neceſſe eſt, vt poteſtatem concedat abſoluendi ab excommunicatione annexa; Nam alias inutilis eſſet talis poteſtas; Immò primò & per ſe conceditur facultas abſoluendi ab excommunicatione, & deinde à culpa reſeruata.

Verùm ſi tractemus de caſibus reſeruatis Epiſcopo, & diuerſa ratio, & idcirco eſt neganda conſequentia illius argumenti; Quod ſi alicui conceditur facultas abſoluendi à peccatis reſeruatis, intelligatur etiā conceſſa poteſtas abſoluendi ab excommunicatione reſeruata; Quia Epiſcopi ſolent habere caſus reſeruatos abſque cenſura; Vnde ſi Epiſcopus committat alicui poteſtatem abſoluendi ab omnibus caſibus reſeruatis, non idcirco cenſetur concedere poteſtatem abſoluendi ab excommunicatione reſeruata, quia hæc duo diſtincta ſunt quoad Epiſcopos; Vnde Nauar. loco citato inquit, etiamſi Epiſcopus communicet totam ſuam auctoritatem Sacerdoti ad audiendum confeſſionem, & abſolutionem tradendam alicui pœnitenti, non tamen credendum eſſe dediſse facultatem abſoluendi illum à cenſuris reſeruatis. Et poſita hac ſententia dicimus diſcrimen eſſe, & differentiam inter conceſſionem factam alicui abſoluendi ab excommunicatione non reſeruata, & facultatem abſoluendi ab excommunicatione reſeruata; In primo enim caſu quando communicatur facultas abſoluendi à peccatis mortalibus, traditur etiam poteſtas abſoluendi ab excommunicatione non reſeruata, quoniam poteſtas abſoluendi ab excommunicatione non reſeruata, iure communi annexa eſt poteſtati abſoluendi à peccatis mortalibus, non ex voluntate illius, qui iuriſdictionem abſoluendi à peccatis concedit. At in poſteriori caſu poteſtas abſoluendi ab excommunicatione reſeruata oritur ex conceſſione, & propria voluntate ipſius reſeruantis, Et quia hæc conceſſio non intelligitur facta, quando traditur poteſtas abſoluendi à caſibus reſeruatis, niſi fiat expreſſio cenſurarum, cum ſint res diuerſæ, & diſtinctæ, vt diximus, idcirco eſt diuerſa ratio. Et quamuis ex facultate conceſſa abſoluendi à peccatis mortalibus poſſimus inferre poteſtatem quoque conceſſam eſſe abſoluendi ab excommunicatione non reſeruata, non tamen eodem modo licet arguere à poteſtate conceſſa quoad caſus reſeruatos, ad poteſtatem abſoluendi ab excommunicatione reſeruata.

Sed quæret aliquis, ſi Epiſcopus concedat facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus ſibi reſeruatis, & inter huiuſmodi caſus aliqui habeant annexam cenſuram, alij verò minimè; An hæc conceſſio vim habeat etiam erga caſus habentes cenſuram.

Reſpondeo, ſi generalis fiat conceſſio, exiſtimandum, eſſe poteſtatem, communicari tam in caſus abſque cenſuris, quàm in habentes cenſuras; Sub nomine enim caſuum reſeruaturum intelliguntur caſus vtriuſque generis vna cum cenſuris, alias conceſsio inutilis eſſet.

Verum ſi Epiſcopus reſeruaſſet ſibi cenſuras, non peccata, quibus illæ eſſent annexæ, vt Nauar. loco citato ſupponit poſſe dari caſum, vt cenſuræ

ſint

sint reseruatæ, non autem peccata, quæ ub censuris prohibentur, maximè in suspeotione, quæ aliquando reseruatur, oon reseruata culpa; Tunc concessa facultate super casibus reseruatis, non iotelligitur delegata potestas ad censuras tollendas, regulariter tamen reseruata excommunicatione, & censura intelligitur reseruata culpa, propter quam imponitur.

Ad secundam obiectionem patet responsio ex ijs, quæ dixi in præcedenti Capite, vbi probatum est hane iurisdictionem absoluendi ab excommunicatione Iuris esse quidem à Papa delegatam, sed communicari Episc po, & Parocho ab ipso Iure commoni eo ipso, quod accipit munus Episcopale, vel curam Parochiæ tanquam necessariam ad spiritualem gubernatiooem animarum.

Quamobrem licèt hæc potestas sit in Episcopo, & in Parocho ex tacita commissione Papæ, tamen quia A iure communi cõcessa est, & iam perpetuò per legem coniuncta cum tali dignitate, & munere, ideo tãquàm ordinaria reputatur; Atquè ità nihil repugnat quin delegari possit; Vt in alijs similibus casibus consuetudine receptum est idem communiter seruari, qui continentur in Iure, & Episcopi non tantum per se ipsos de illis iudicant, sed committunt alijs, vt Nauar. in Manua.cap.27.nu.45.

Vel etiam dici potest hanc potestatem absoluendi ab excommunicatione Iuris non reseruata non delegari ab Episcopo, vel Parocho Sacerdoti deputato B audiendis confessionibus, sed delegata priori potestate absoluendi à peccatis mortalibus alicui ab ipso Episcopo, vel Parocho statim ab ipso Iure communicari eidem facultatem absoluendi à Ceosuris Iuris non reseruatis. Et sit finis huius Capitis.

DE POTESTATE ABSOLVENDI AB EXCOMMVNICATIONE IVRIS RESERVATA.

Dictum est de excommunicatione Iuris non reseruata, dicendum est de illa, cuius absolutio reseruatur.

DISPVTATIO QVARTA.

Caput Primum, An mos, & consuetudo, vt Papa in vniuersa Ecclesia, & Episcopi in suis Dioecesibus reseruent sibi ipsis quosdum casus, & censuras, sit antiqua, & de causa buins institutionis.

Caput Secundum, Quibus conueniat potestas absoluendi ab excommunicatione Iuris reseruata.

Caput Tertium, De eadem potestate absoluendi à casibus reseruatis virtute Iubilei, & Literarum Apostolicarum.

Caput Quartum, Proponuntur aliæ difficultates de eadem materia.

CAPVT I.

An mos, & consuetudo, vt Papa in vniuersa Ecclesia, & Episcopi in suis Dioecesibus reseruent sibi ipsis quosdam casus, & censuras, sit antiqua, & de causa huius institutionis.

FVisse aoticuum Ecclesiæ Catholicæ ritum, ac morem, vt atrociores quosdam casus, & grauiora scelera Episcopi minores non absoluerent, sed reseruarent illa primæ Sedis Antistiti, vt omittam alia, insinuauit exemplum Synesij Epistola 96. tempore Innocentij Papæ scripta ad Theophilum Alexandri- C nom Episcopum; Vbi agẽs de quodam Lamponiano, qui ob illatas in Iasonem iniurias excommunicatus fuit, hæc habet. *Quanquam inquit & Lacrymas ex poenitentia effuderit, & populus supplex illum excusauerit; At ego in his, quæ visa essent perseueraui, soluendi verò potestatem ad sacram Sedem remisi; Tantum igitur mibi ipsi permisi, si appropinquaret Lamponiano debitum fatale, ipse vitæ exitus, vbi tunc sanè dies constitutus videretur adesse, omnibus permisi tùm affuturis Presbyteris, vt cum ipso participarent communionem; Nemo enim ligatus mibi moriatur. Verum sanitati restitutus, rursus* D *ob eadem reus sit, & à diuina, ac benigna anima tua veniæ assensum expectet.* Hæc Synesius. Eodem modo in qualibet Dioecesi Episcopi imitati Summom Pontificem semper consueuerunt atrociora quædã crimina sibi reseruare, quorum iudicium Parochis, & Ioferioribus Sacerdotibus non permittebant. Quæ reseruatio noo competit Superiori propter superioritatem potestatis iudiciariæ, quia omnes in foro ioteriori sũt Iudices instituti à Christo, & ità à sententia vnius ad alium appellari non potest, sicut accidit in foro exteriori, & io absolutione excommunicationis, quia E potestas actiua absoluẽdi ab excõmunicatione io vno Iudice deriuatur ab alio; Quare ex parte huius potestatis non potest fieri reseruatio in foro poenitentiæ; Est tamen alia potestas in Pastoribus Ecclesię, ratione cuius fieri potest reseruatio, scilicet ratione applicatione materię, circa quã exercenda est potestas absoluẽdi, quia applicatio materię iudiciarię potestatis Sa-

cerdotis, non est facta immediatè à Christo, sed à Summo Pontifice deriuatur; & ideo sicut Pontifex hanc materiam huic potest applicare, & non alteri, eodem modo potest applicare quoad aliqua crimina; Aliorum verò iudicium sibi reseruare; Vnde 22.q.2. cap. Latorem, Episcopus Argetoreñ. misit quendam Parricidam ad Nicolaum Papam, vt ab eo absolueretur, & innumeri alij casus habentur in iure, qui soli Pontifici reseruantur; Idcirco Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. ex natura iudicij deduxit hanc reseruationem fieri posse, & debere dicens, *Conueniens fuit ad Christiani Populi disciplinam, vt atrociora crimina maioribus sacerdotibus reseruarentur*. Nec hæc reseruatio in Ecclesia Dei fieri solum potest ratione excommunicationis, sed etiam ratione ipsius culpæ; Et id optimè colligitur ex verbis Conc. Trident. in illo cap. 7. Vbi, postquam definitum est esse potestatem penes Superiores reseruandi sibi crimina quædam, subdit *Præsertim verò quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est*. Vbi particula, *Præsertim*, denotat alia etiam reseruari posse; Neque oppositum docuit Durandus in 4. dist. 17. q. 15. vt falsò arbitrantur Sot. distinct. 18. q. 2. art. 5. Canus 4. par. Relect. De Pœnit. fol. 105. §. Primus Superioris, Durand. enim tantum docuit Ecclesiam Romanam nunquam consueuisse reseruare peccata absque censura; Fatetur tamen alios Episcopos absque censura aliquando reseruare. Et quamuis asserat eos non imitari hac in parte Ecclesiam Romanam, tamen non reprehendit, vt ei imponunt Sot. & Canus. Concedendum tamen est contra Durand. in Ecclesia Romana etiam fuisse in vsu reseruationem absque censura excommunicationis, vt optimè docet Sotus, quia in cap. Latorem citato Parricida ille missus est ad Sum. Pontificem, vt absolueretur, & non constat fuisse excommunicatum; Et in Extrau. Inter cunctas De Priuileg. conceditur Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus facultas absoluendi ab omnibus peccatis, præterquam ab ijs, pro quibus imponenda erat solemnis pœnitentia, & quibus annexa erat excommunicatio, immò & excepto crimine, cuius causa Clericus effectus esset irregularis, horum omnium peccatorum facta est reseruatio, quibus nulla erat annexa excommunicatio. Verum hodie omnes casus Sedi Apostolicæ reseruati habent annexam excommunicationem; Vt docet Caiet. in Sum. V. Casus, & Nauar. in Manua. cap. 27. num. 261, Conuenientissimè igitur Papa in vniuersa Ecclesia, Episcopi in suis Diœcesibus reseruant sibi quosdam casus speciales, & quasdam censuras.

Sed hoc loco quæri potest, An, si Summus Pontifex sua constitutione tollat reseruationem ab aliqua excommunicatione, quæ erat Sedi Apostolicæ reseruata, post sublatam reseruationẽ remaneat excõicatio.

Dicendum est Excommunicationem quidem manere, sed non esse amplius reseruatam.

Si iterum quæratur, si, antequam reseruatio tollatur, inciderat quis in excommunicationem, & postea reseruatione per legem remota petat absolutionem; An possit absolui per quemlibet Sacerdotem approbatum ad confessiones audiendas.

Quibusdã videtur in vniuersum absolui posse, quia excommunicatio nunc temporis, quando Excommunicatus ad sacram Confessionem accedit, non est amplius reseruata Summo Pontifici, licet esset ante reseruata, quando fuit peccatum admissum. Alijs verò hoc non probatur absolutè, & simpliciter, sed distinguunt in hunc modum; Aut reseruatio tollitur solum in peccatis, quæ in futurum committuntur, & tunc ab excommunicatione reseruata, quæ contrahitur antequã reseruatio tollatur, nequit absoluere quilibet legitimus Confessarius, quia reseruatio non est sublata in delictis ante commissis; Aut reseruatio tollitur simpliciter etiam in delictis ante patratis, & tunc quilibet Confessarius idoneus potest absoluere, etiamsi excommunicatio erat reseruata tempore, quo fuit delictum admissum, quoniam constitutio, quæ reseruationem tollit ad præterita peccata extenditur.

Si postules ab illis, quando Constitutio, quæ tollit reseruationẽ, ad præterita trahatur; Respondent tunc trahi, cũ constitutio sequens statuit, ne amplius excõmunicatio etiã ante contracta Pontifici sit reseruata. Quando verò Constitutio sequens solum omittit excõmunicationem reseruatam non numerans eã inter excommunicationes reseruatas, aut nõ numerans inter excommunicationes ea constitutio non trahitur, inquiunt, ad præterita, Exemplis res explicatur, Pius V. in Cõstitutione publicè legi, & recitari solita in die Cœnæ Domini anathemate percussit eos, qui haberẽt, aut legerent libros Magorũ, etiamsi hæretici non essent, & voluit eam excommunicationẽ esse Pontifici reseruatam. Postea Greg. XIII. & alij, qui successere Pontifices eam excommunicationem omiserunt, nihil de ea statuentes, Hæc Constitutio Gregorij XIII. & aliorum Pontificũ ad præterita non trahitur, Et ideo, si quis inciderat tẽpore Pij V. in eam excommunicationẽ, non poterit nunc absolui per quemlibet approbatum Confessarium, quoniam adhuc est reseruata. Sixtus V. excommunicationẽ tulit in eos, qui abortum aliquo modo faciẽdum curassent, & eam Pontifici reseruauit, sed Gregorius XIV. eam sustulit, & statuit, ne amplius ea excommunicatio etiam ante contracta esset Pontifici reseruata; Hæc constitutio ad præterita protenditur, ita vt illi, qui tempore Sixti V. abortũ faciendum curarunt, quamuis in excõmunicationem reseruatã incurrerint, possint nunc post tẽpus Greg. XIV. absolui ab ea per quẽlibet legitimũ Cõfessorem. Hi sunt duo modi respõdẽdi ad difficultatẽ propositã.

Ex his duobus modis libentius priori adhæreo; Cẽseo. n. quoties Constitutio sequens decernit, ne excõmunicatio sit amplius reseruata, posse ab ea absoluere Confessarium legitimum, & idoneum, non ob eam rationem quoniam hæc Constitutio hoc ipso trahatur ad præterita facta, sed quia absolutionẽ ab excommunicatione liberam relinquit, & statuit quid sit seruandum in absolutione futura post ipsam cõstitutionem, scilicet ne sit amplius reseruata. Nam cũ dicimus censuram hanc, vel illam esse reseruatam, nihil aliud significare volumus, nisi absolutionem esse reseruatam, ergo, si quando quis absoluitur, absolutio nõ est reseruata, certè iure absoluitur à Cõfessario approbato; Nec refert, quod fuerit antea reseruata excommunicatio; Quoniã supponimus illũ qui incidit in excommunicationem reseruatam, non absolui tunc, cum incurrit in eam, sed absolui, postquam excommunicatio reseruata esse desijt. Sed videndum est, ad quos pertineat absolutio ab his casibus, & censuris.

CAPVT II.

Quibus conueniat potestas absoluendi ab excommunicatione Iuris reseruata.

Regula generalis proponitur à Doctoribus à censura excõicationis reseruata in lege cõtẽta posse absoluere ipsummet legis Cõditorẽ, vel Superiorẽ eius,

cios, vel illum, qui habuerit potestatem delegatam, A vel ab ipsomet legis Conditore, aut ab illius Superiore, & hoc modo apud Sacros Canones legimus committi potestatem Episcopis absoluendi ab aliquibus excommunicationibus.

Ad id probandum facit tex. in cap. Nuper De Sent. Excom. Vbi assignatur ratio, cur Episcopus, & proprius Sacerdos possunt absoluere ab excommunicatione non reseruata, & est, quia cum auctor Canonis non reseruauerit absolutionem, videtur illam alijs reliquisse, ergo, quando reseruat, tollit potestatem ab alijs, ne possint absoluere.

Ipse verò Conditor Canonis potest absoluere, quia qui potest ligare, multò magis potest soluere; Et fortiori ratione idem poterit Superior, intelligendo Superiorem eo modo, sicut diximus de absolutione ab excommunicatione hominis. B

Et tam ipse Auctor legis, quàm Superior possunt hanc potestatem delegare, sicut fit in excommunicatione per sententiam hominis lata; Tum quia hæc iurisdictio est ordinaria, quæ ex propria ratione ordinariæ iurisdictionis committi alteri potest; Tum quia talis est consuetudo, & vsus communis Ecclesiæ.

Verum, vt hæc potestas absoluendi ab excommunicatione Iuris reseruata intelligatur concessa, necesse est, vt id exprimatur, scilicet vt in specie tribuatur facultas absoluendi à censuris reseruatis.

Sed dubitabit aliquis, An concessio generalibus verbis concepta; Nempe tribuimus tibi facultatem absoluendi ab omnibus censuris, extendatur ad censuras reseruatas; Dictio enim illa vniuersalis, Ab omnibus, omnes censuras videtur amplecti, vt nulla sit exclusa.

Deinde, si talis concessio non comprehenderet etiā censuras reseruatas, nihil operaretur; Nam concessio facultatis absoluendi à non reseruatis non est necessaria, illa enim iure communi coniuncta est cum potestate absoluendi à peccatis mortalibus.

Respondent aliqui facultatem generalem absoluendi ab omnibus censuris non comprehendere censuras reseruatas; Et eodem modo, si fuerit concessa ad omnes excommunicationes, non complecti excommunicationes reseruatas, & citant in hanc sententiam B. Antoninum 3. par. tit. 24. cap. 77. §. 1. Nauar. cap. 27. nu. 275. io Manua. Couar. in cap. Alma Mater 1. par. §. 11. oum. 15.

Sed isti Doctores nihil tale affirmant, sed solum intendunt probare sub generali priuilegio ad absoluendum non comprehendi excommunicationem ob Hæresim, sicut statim ostendam, Immò Nauar. clarissimè asserit in cap. Ita quorundam notab. 11. nu. 21. De Iudæ. per clausulam generalem absolutionis, quæ inferitur in literis Pontificijs, impetrantes absolui ad effectum gratiæ duntaxat consequendum etiam à censuris in Bulla Cœnæ Domini. Deinde clausula illa vniuersalis, Ab omnibus censuris, ita omnes videtur amplecti, vt nulla remaneat exclusa. Tandem quia alias talis facultas nullum haberet effectum, cum quoad absolutionem à non reseruatis non opus sit obtinere facultatem nouam à Summo Pontifice, cum illa iure communi sit coniuncta cum potestate absoluendi à peccatis mortalibus. Diuersa tamen ratio est, vt tradunt Nauar. & Couar. vbi supra, si quæstio sit de generali potestate absoluendi ab omnibus casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, an includatur facultas absoluendi à casibus in Bulla Cœnæ Domini, quia illi casus habent specialem quandam grauitatem, & peculiarem modum reseruationis; Ideo non est præsumendum Summum Pontificem voluisse illam comprehendere sub clausula generali, præsertim quia secundum vsum, & stilum Curiæ Romanæ soleant in specie exprimi.

Et similiter in generali concessione absoluendi ab omnibus casibus Pontificijs etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, non comprehenditur potestas absoluendi ab excommunicatione propter crimen Hæresis, vt Nauar. & Couar. probant, quia adest quædam peculiaris ratio reseruationis in hæresi, vt non sit credendum Papam talem potestatem voluisse concedere sub generali clausula, si in specie non expresserit, arg. cap. Qui ad agendum De Procurat. lib. 6. Et talis est vsus, & praxis Curiæ Romanæ. Quæ doctrina nititur regula illa iuris, quæ docet in generali concessione non venire ea, quæ quis non esset in specie verisimiliter concessurus cap. In generali De Reg. iur. lib. 6. Vbi Glo. ad hoc probandum citat tex. in cap. Frater Noster 16. q. 1. Vbi fit generalis commissio legato à Papa, quæ non extenditur ad causas fidei, sic in hac difficultate, de qua agimus, non est existimandum superiorem hac generali commissione velle delegare facultatem absoluendi ab excommunicatione reseruata quam vtique expressisset, si mens eius fuisset velle illam communicare argum. cap. fin. De Offic. Vic. libro sexto.

C Deinde idem confirmat Couar. testimonio Felini in cap. Apostolicę De Except. asserentis absolutionem à quacunque excommunicatione, quæ regulariter apponitur in literis Apostolicis, quæ conceduntur vel ad beneficia, vel ad aliud quodcunque obtinendum, non suffragari ipsi impetranti, si ex causa hæresis inciderit in excommunicationem; Quia per talem generalem absolutionem non intelligitur sublata excommunicatio specialiter Papæ reseruata, qualis est illa, quæ incurritur ob hæresim, quam peculiari ratione sibi reseruauit Papa, quamuis talis absolutio valeat quoad alias excommunicationes reseruatas etiam in Bulla Cœnæ, vt dixi.

D Non nulli tamen recentiores aliter sentiunt de Hæretico occulto, quem dicunt posse absolui virtute Iubilæi, quo conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, quia priuilegium Principis latissimè est interpretandum, præsertim si respiciat fauorem animæ cap. Quamuis plenissima De Præb. lib. 6. Deinde licet hæresis sit grauissimum crimen, & habeat peculiarem quandam rationem sceleris vltra alios casus contentos in Bulla, tamen non habet specialem quandam rationem reseruationis diuersam ab alijs casibus Bullæ, quæ eodem modo reseruatur, sicut alia peccata, ideo non apparet ratio diuersitatis, cur, qui potest absoluere ab alijs casibus, non possit ab hæresi, sicut licet percussio sacerdotis ratione dignitatis ordinis longè superet prauitate, & malitia percussionem Simplicis Clerici; tamen quantum ad reseruationem nulla est differentia, si quouis ordine Ecclesiastico initiatus percutitur. E Vnde sub generali facultate absoluendi à percussionibus Clericorum comprehenditur etiam percussio Sacerdotis. Tertiò ex more, & consuetudine Romanæ Ecclesiæ, quæ solet in Bullis Iubilæi, quando conceditur facultas absoluendi ab omnibus criminibus, quantumuis enormibus, excipere expressè hæresim, ergo, vbi non exprimitur, intelligitur comprehensa sub generali clausula

continente omnes casus Bullæ. Accedit Conc. Triden. sess. 24 cap. 6. De Reform. Vbi conceditur Episcopo, vt per semet ipsum in suo Episcopatu possit absoluere Subditos suos ab occulta Hæresi; Et tamen ab alijs casibus Bullæ Episcopi absoluere non possunt. Igitur quando à Papa conceditur priuilegium generale absoluendi ab omnibus casibus Bullę Cœnæ, non erit excepta Hæresis.

Hæ rationes satis apparenter videntur posse persuadere hanc doctrinam; Tamen probabilior, & tutior est opinio Nauar. & Couar. & ab illa non est discedendum. Quod nullus Inferior à Papa potest absoluere hæreticos, nisi hæc facultas expressè, & in specie concedatur, sicut concessa fuit Inquisitoribus cap. Vt officij in princ. De Hæret. lib. 6. à Clemente Quarto, & ante Clementem hoc idem priuilegium eidem concessum fuerat à Gregorio Nuno, & Innocentio Quarto, vt refert Pigna lib. 3. Schol. in Directorio Schol. 141. Modò ad omnes rationes respondendum est.

Ad primam dico fauorem fidei, qui attēditur, dum in generali clausula non includitur hæresis, pluris faciendum esse, quam fauorem, & commodum vnius, vel alterius hac labe, & macula infecti.

Ad secundam respondeo peculiarem rationem hæresis non consistere solum in grauitate sceleris, sed etiam in reseruatione, quia Summi Pontifices expressè illam reseruarunt, & apertis verbis in priuilegijs generalibus, in quibus concesserunt facultatem absoluendi etiam à casibus in Bulla Cœnæ, exceperunt peccatum Hæresis; Hoc modo declarantes eorum intentionem non esse in generali facultate includere Hæresim. Quamobrem non sequitur, si in aliqua facultate generali non fuerit apposita hæc exceptio, intelligatur comprehensum peccatum hæresis; Quia expressio illa facta fuit aliquando ad maiorem declarationem, & ad tollendas diuersas opiniones, & ex his patet solutio ad tertiam rationem.

Ad Conc. Trid. respondet Nauar. citato num. 275. fuisse derogatum per Bullam Cœnæ, & ita fuisse expressè declaratum à Pio Quinto, & Gregorio XIII. vt non liceat Episcopis ab Hæresi occulta absoluere. Derogatio autem fit in Bulla, cum Papa reseruat sibi absolutiones illarum excommunicationum, non obstantibus quibusuis Concilijs; Immò denegasse hanc facultatem Summo Pœnitentiario, nisi cum quibusdam limitationibus; Sed de hac quæstione plenius tractabo in explicatione Bullæ Cœnæ Disputat. 22. Cap. 2.

Secundò posset dubitari de eodem priuilegio, seu generali facultate à Summo Pontifice concessa absoluendi ab omnibus censuris, siue ab omnibus excommunicationibus sibi reseruatis, an comprehendat casus, & excommunicationes, quas Episcopi in specie sibi reseruarunt.

Ratio dubitandi est, quia Papa huiusmodi priuilegio videtur velle concedere tantum facultatem absoluendi ab excommunicationibus, quarum absolutiones pertinent ad Papam, & nullo pacto velle præiudicium aliquod inferre Episcopis, sicut cum Papa promulgat legem generalem, non vult derogare consuetudinibus particularibus legitimis, & approbatis, nec statutis Episcoporum, cap. 1. De Constitut. libro sexto.

Deinde hoc idem confirmari potest testimonio Nauar. in cap. Ità quorundam notab. 11. nu. 34. & 35. De Iudæ. qui videtur sentire ex sententia Host. & aliorum Confessarium habentem facultatē absoluendi ab omnibus excommunicationibus Iuris, & Bullę Cœnæ Domini non posse Poenitentem absoluere ab excommunicatione reseruata Episcopo.

Et in Manua. cap. 27. nu. 261. probat Ab omnibus peccatis habentibus censuram annexam Papæ reseruatam ablata censura posse Parochum absoluere, quia tunc tale peccatum desinit esse reseruatum, nisi cum reseruatione censuræ Papalis concurrat etiam Episcopalis, ità vt Episcopus reseruet sibi illud peccatum, quod habet annexam excommunicationem Papalem arg. cap. Ex tuarum De Auct. & vsu palij, & l. Si domus ff. De Serui. Vrba. Prædio. In quibus habetur ex duobus impedimentis vno sublato alterum non tolli.

Respondendum est huic dubitationi Confessarium habentem generalem facultatem à Papa absoluendi ab omnibus excommunicationibus, & censuris reseruatis Sedi Apostolicæ posse absoluere etiam à casibus in specie Episcopo reseruatis.

Ità sentit Nauar. in dicto nu. 261. vbi licèt dicat oppositum fundari in ipso Iure, tam vsum, & consuetudinem fuisse ità interpretatum Ius, vt sublata censura Papali, intelligatur sublata reseruatio, & censura Episcopalis. Et num. 263. fusius redarguit contrariam opinionem cuiusdam Doctoris, qui asserebat non posse poenitentem virtute priuilegij, & Bullæ Papalis absolui à casibus reseruatis Episcopis ipsis inconsultis, nàm Papa habet super omnes Christianos iurisdictionem per extrau. Vnam sanctam de Maio. & Obed. immediatam, quoad omnia spiritualia, quam nemo potest ab illo tollere, vel diminuere cap. Cuncta per Mundum, cap. Per principalem 6. q 3. Deinde ex contraria opinione tollerentur omnes Bullæ Iubilæi, quibus conceditur amplissima facultas eligēdi Confessarios cum potestate absoluendi ab omnibus peccatis, & censuris reseruatis, qui enim essent innodati censuris Episcopalibus, virtute Iubilæi non possent absolui, ex consequenti non possent lucrari Indulgentias, & Iubilæum, atque ita Bulla Iubilæi careret effectu suo contra voluntatem Summi Pontificis.

Præterea quamuis potestas reseruandi aliquos casus conueniat Episcopis, vt patet ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. non tamen inde colligitur conuenire illis Iure diuino, vt non possit Papa ex iusta causa limitare, & coarctare, & de casibus ab illis reseruatis disponere, quia hæc reseruandi potestas non pertinet ad essentiā ordinis Episcopalis, neque ad iurisdictionem necessariam ad absoluendum, sed ad iurisdictionem externam gubernationi Ecclesiasticæ accommodatam, & ad Christiani populi disciplinam.

Tandem ex sententia Io. Imolæ in cap. Ex frequentibus de instit. & in cap. Graue de Præb & Felin. in c. Pastoralis §. 1. De off. ordi. quam sequitur Nauar. in illo cap. Ità quorundam notab. 11. nu. 35. & 36. & nos supra Disp. 2. cap. 4. diximus probabilem esse, licèt contrariam pluribus comprobauerimus; qui habet potestatem absoluendi ab excommunicationibus latis à iure, intelligitur habere potestatem absoluendi ab excommunicationibus per sententiam generalem hominis illatis, Atque iuxta hanc opinionem qui habet facultatem à Papa absoluendi ab excommunicationibus iuris Papæ reseruatis, poterit absoluere à casibus reseruatis Episcopis.

Tertiò quærere quis posset, An dentur casus, à quibus inferior possit absoluere ab excommunicatione reseruata Superiori, & quot, ac quales sint huiusmodi casus.

Respon-

Respondeo in primis certum esse inferiores posse absoluere ab excommunicationibus reseruatis ex cõmissione speciali ipsius Superioris, vt Parochus ex licentia Episcopi in sua tamen Dioeceli, quod absque fundamento extendit Nauar. in Sum. cap. 27. num. 261. extra Dioecesim; Asserit enim Parochum, qui in sua Dioecesi licentiam habeat ab Episcopo supra casus reseruatos, ad aliam transeuntem Dioecesim censeri eandem facultatem habere ab Episcopo illius, quod nescio, qua ratione arbitrari possimus.

Secundò certum est generalem licentiam concessam esse in extrema necessitate, vt habetur in cap. De Cætero, cap. Ea noscitur, cap. Quod de his De Sent. Excom. Et hunc fuisse morem perpetuum Ecclesiæ, Sicut enim eligi potest in hoc casu ad communia peccata absoluenda, qui alias non habebat iurisdictionem, ità quoque ad peccata reseruata, qui alias non habebat facultatem.

Tertiò in Iure concessa est facultas Episcopis tantùm absoluendi à casibus reseruatis Pontifici, quando non patet aditus ad Pontificem; Vnde, vt habetur in Iure, Mulieres, Senes, Valetudinarij, membris impediti ab Episcopis absolui possunt. Similiter pauperes, si maxima egestate premantur, & ad Curiam se conferre nequeant cap. Quod de his, & cap. Quamuis De Sent. Excom. Et licèt in cap. Ea noscitur dicatur, quod pauperes nihilominus accedere debent ad Summum Pontificem, neque ab Episcopo absolui possunt, hoc intelligitur, vt inquit Glo. quando paupertas non est eis impedimentum Romam adeundi.

De casibus verò reseruatis Episcopis nullam video concessam licentiam in Iure Parochis, quare quando definit Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. Sacerdotes extra articulum mortis nihil omnino posse circa peccata reseruata loquitur Conciliũ de Inferioribus Sacerdotibus circa peccata reseruata Põtifici Maximo, & Episcopis; nam Episcopi in aliquibus casibus, vt diximus, possunt absoluere. Hinc etiã intelligi potest quod definitur in c. Eos qui de sent. excom. lib. 6. Vbi asseritur, quod qui absolutus est a reseruatis, *aut in articulo mortis, aut alia rationabili causa, postea debet comparere coram Pontifice.* Vbi præter articulum mortis additur illa clausula, aut alia rationabili causa, & videtur aduersari Conc. Trid. quod articulum mortis tantum excipit. Sed c. Eos qui locũ habet in Episcopis, qui præter articulũ mortis possunt aliquid iure communi in alijs casibus, vt dictum est, & hoc modo non repugnabit Concilio.

Vltimo denique multi Religiosi facultatem habẽt ex priuilegio absoluẽdi ab omnibus reseruatis etiam Sum. Pontifici præter casus in Bulla Cœnæ Domini, & respectu horum Episcopus nihil potest reseruare, quia ex priuilegio Papæ etiam supra reseruatos Episcopi habẽt facultatẽ, vt probaui in Superiori dubio.

Quarto posset quis quærere, an Parochi Ecclesiarum Parochialium Vrbis Romæ possint absoluere ab excommunicationibus Iuris reseruatis Episcopis.

Sunt nonnulli existimantes Parochos Romanos amplioribus priuilegijs gaudere, quàm cæteros aliarum Ciuitatum, & id probant primò ex antiqua consuetudine, quoniam ita semper seruatum fuisse dicunt, vt Parochi in Vrbe absoluant ab ijs casibus, quorum absolutio in Iure reseruatur Episcopis, abstineant tantum à casibus Pontificijs ipsomet Papa vidente, & tacitè consentiente.

Secundo quoniam in Vrbe nullus est particularis Episcopus præter Summum Pontificem, qui est Episcopus vniuersalis Ecclesiæ, vnde sequi videtur casus

A in iure reseruatos Episcopis pertinere ad Parochos in Vrbe.

Respondeo oppositum esse probabilius, & Parochos Vrbis non posse absoluere ab illis excommunicationibus, quarum absolutio in Iure reseruatur Episcopis.

Primo quoniam ab excommunicatione Iuris communis non reseruata propterea absoluere potest Episcopus, quia cum Summus Pontifex illam sibi peculiariter non reseruauerit, videtur Episcopis concessisse, vt latè probauimus supra ex c. Nuper de sent. excom. ergo è contra, quando Papa absolutionem reseruat sibi, vel illam committit Episcopo, non poterit Parochus absoluere, quia caret iurisdictione, quam non potest habere, nisi ab ipso Papa, qui legem condidit.

B Secundo quoniam nullum in Iure reperitur discrimen inter Curatos Vrbis, & alterius Ciuitatis quantum ad facultatem absoluendi, quare sicut alij curati non possunt absoluere à censuris, quarum absolutio expressim reseruata est Episcopis, idem est affirmandũ de Parochis Romanis, nec quicquam illis suffragatur præsumpta consuetudo, qua nituntur se tueri. Primò quoniam de tali consuetudine non constat. Secundò si talis consuetudo esset, non valeret, & esset potius abusus; Esset enim inducta contra auctoritatem Papæ reseruantis absolutionem Episcopis cap. Cum Venerabilis De Consuet. Immò esset hoc præscribere contra obedientiam Principis, quod C fieri non potest cap. Cum non liceat De Præscript. tex. optimus in cap. Si Episcopus De Pœnit. & Remiss. lib. 6. Vbi in fine dicitur; *Quod nulla consuetudine introduci potest, vt aliquis præter sui Superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum soluere possit, vel ligare;* Quare pari ratione nulla consuetudo poterit introducere, quod Inferior absque licentia Superioris absoluat quempiam à Censura à dicto Superiore reseruata, quoniam sicut requiritur iurisdictio quoad personas, videlicet vt subditus absoluatur à suo Superiore, ita etiam quoad casus, ad Superiores pertinentes, vt ab eisdem absoluantur.

Minus etiam facit, quod in hac Vrbe nullus sit par D ticularis Episcopus; Hoc enim nullius est roboris. Papa enim non solum est Episcopus vniuersalis Ecclesię, sed est quoque Episcopus Vrbis Romæ, vt sæpissimè legitur in Epistolis decretalibus, Victor Papa in Epistola ad Theophilum Alexandrinum Episcopum his verbis vtitur; *Victor, Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopus &c.* Siluester in hunc modum se subscripsit; *Silvester Episcopus Sanctæ, & Apostolicæ Sedis, Præsul Vrbis Romæ,* & alibi non rarò idem legitur, quod colligitur etiam ex tex. in ca. In nomine Domini 23. dist. Vbi hæc leguntur; *Obeunte Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ Antistite.* Quamobrem quatenus Papa est Episcopus totius Ecclesiæ Catholicæ, reseruat sibi casus aliquos particulares, à quibus alij Episcopi absoluere E non possunt, vt in Bulla Cœnæ Domini. Absolutio verò illorum casuum, quæ ab ipso Iure est Episcopis reseruata, pertinet in Vrbe ad Vicarium Summi Pontificis, & ab eodem alijs committitur.

CAPVT III.

De eadem Potestate absoluendi à casibus reseruatis virtute Iubilæi, & literarum Apostolicarum.

ORiuntur multa dubia quotidie de vi, & efficacia huius potestatis, quæ solet concedi à Papa ad absoluendum à casibus reseruatis in Bullis Iubilæi, & Indul-

Indulgentiarum, quorum explicatio valdè est necessaria.

Prima igitur potest occurrere dubitatio de illo Pœnitente, qui confitetur Confessori habenti potestatem virtute Iubilæi absoluendi ab omnibus censuris reseruatis, & ex obliuione omittit excommunicationem aliquam reseruatam, cuius absolutionem expressè nō postulat, sed recenset alias Censuras, quarum recordatur intentione recipiendi absolutionem ab omnibus, quibus putat se esse innodatum, an recipiens absolutionem ab huiusmodi Confessario ab omnibus Censuris, & casibus reseruatis verè sit absolutus etiam ab illa excommunicatione, quàm omisit in confessione?

Omnes Doctores affirmant si Pœnitens in hoc casu solum petat absolutionem illius particularis excommunicationis, cuius est conscius, & ab illa sola absoluat Confessarius, tūc remanere absolutum ab illa excommunicatione, non ab alijs, quarum non meminit. Ratio est, quia quamuis Sacerdos Confessarius potuisset ab omnibus absoluere, voluit tamen ab illa tātum absoluere, quam Pœnitens narrauit, non ab alijs, quas ignorabat, & non poterat diuinare, & in censuris vna potest dimitti alia superstite. Quod si Confessarius habuit intentionem absoluendi ab omnibus censuris, quibus Pœnitens fortasse esset ligatus, & potestate sua tollere potuit, tunc temporis, etiamsi pœnitens vnam tantum proposuisset excommunicationem, ab omnibus tamen esset absolutus, quibus erat obstrictus, etiamsi illas ignoraret.

In hac opinione est Rosell. V. Confessio 2. n. 9. Silue. Confessio 1. §. 4. Canus 5. par. Relec. De Pœnit. fol. 110. §. Id vero, Nauar. in Manua. cap. 26. nu. 13. & in cap. Consideret §. Cautus n. 30. de Pœnit. dist. 5. Ang. V. Confessio 1. n. 12. Gabr. in 4. dist. 17. q. 1. art. 3. dub. 2. circa fi. Adria. in 4. q. 4. de confess. Couar. in c. Alma Mater 1. par. §. 11. nn. 12. Palud. in 4. dist. 18. q. 5. art. 3.

Probatur hæc opinio. Primò quoniam Confessarius habet potestatem, qua potest absoluere ab omni excommunicatione, & exercet hanc potestatem erga hunc Pœnitentem, cum intentione absoluendi ab omnibus excommunicationibus, ergo verè absoluit ab omnibus, non enim necesse est, vt qui absoluit, notitiam habeat particularem omnium excommunicationum, immo semper Confessarij in absolutione sacramentali à peccatis apponunt illam clausulam generalem, absoluo te ab omni excommunicatione, suspensione, & Interdicto, quantum possum, & indiges, & est absolutio conditionata, vt si Pœnitens sit innodatus aliquo censuræ vinculo, quod memoriæ non occurat, & in confessione non aperiat, absolutio operetur effectum suum, quamuis Confessarius, & Pœnitens nullam eius notitiam habeant, sicut enim potest quis ignorans excommunicari, ita & ignorans potest absolui ab excommunicatione.

Quare magnum est discrimen inter peccata oblita, & censuras in ordine ad absolutionem, quod peccata inculpabiliter oblita in confessione non tolluntur per se, & directè per absolutionem sacramētalem, sed per accidens, & concomitanter virtute sacramenti, & idcirco semper manet obligatio exponendi huiusmodi peccata, quoties ad memoriam redierint, confitendi, & petendi absolutionem. At Censuræ oblitæ per absolutionem generalem tolluntur per se, & directè, vt non sit opus noua absolutione, quando pœnitens illas ad memoriam reuocarit. Ratio huius differentiæ est, quia præceptum diuinum confessionis non tantùm obligat ad remissionem peccati simpliciter, sed per explicationem in confessione, quia est iudicium sacramentale. Iudicium autem per se, & ex sui ratione, si iustè sententia proferri debet, requirit integram causæ cognitionem. Idcirco omnia peccata mortalia, clauibus sunt subijcienda. Præceptum autem Ecclesiasticum de absolutione à Censuris impetranda non ita obligat excommunicatum, vt, si consecutus sit relaxationem excommunicationis, quam non aperuit Prælato ex obliuione inculpabili, per absolutionem generalem præstitam ab ipso Prælato cum intentione absoluendi ab omnibus censuris, teneatur denuo illam confiteri, & petere particularem absolutionem ab ea.

Ex eodem principio oritur alia differentia inter absolutionem à culpa, & à censura, quòd absolutio à peccato non potest dari, nisi supposita confessione, Absolutio vero à Censura potest tradi etiam nulla manifestata censura, & ita impenditur semper seruata forma, quæ est in vsu, ante absolutionem sacramētalem peccatorum, nempe absoluo te ab omni excommunicatione &c. quantum possum, & indiges. Ratio est, quia absolutio Sacramentalis datur per modum sententiæ, ideo requirit cognitionem causæ, & deinde indiget materia, quæ est pars essentialis sacramenti, super quam cadat absolutio. Materia verò consistit in actibus ipsius pœnitentis, præsertim in confessione, quæ aliquo modo contritionem indicet, sed absolutio à Censura non postulat necessario aliquos peculiares actus in ipso excommunicato; nam & absens, & inuitus absolui potest, neque retinet perfectam formam Iudicij, nam datur etiam à Censuris, quarum Prælatus nunquam habuit cognitionem, si velit absoluere, & reus verè sit obstrictus. Et hæc est sententia communis Doctorum, quos referunt Nauar. in Manua. cap. 26. num. 13. & Couar. in cap. Alma Mater §. 11. nu. 12. par. 1.

Sed obijciet aliquis, si valida est absolutio ab excommunicatione, quamuis non exprimatur in particulari excommunicatio, ergo poterit quis etiam exclusa obliuione sciens, & volens petere absolutionem generalem à censuris tacita excommunicatione in particulari, qua est obstrictus, & talis absolutio erit valida.

Respondeo, si adsit potestas in absoluente, & voluntas, vtique per absolutionem generalem tolleretur omnis censura, hoc enim vinculum sicut inducitur ex sola volūtate Superioris habentis potestatem, ita & voluntate eiusdem tollitur, etiamsi ex parte ipsius excommunicati nihil conferatur, immo quamuis nolit absolui, quare talis absolutio vtique esset valida. Verum iudex imprudenter ageret absoluendo hoc modo, & abuteretur suo munere, & reus esset culpæ.

Secunda dubitatio principalis esse potest, postquā pœnitens, qui confitetur Sacerdoti Confessario habenti potestatem ordinariam, vel delegatam absoluendi à casibus reseruatis, & censuris ratione Iubilæi, aut priuilegij, si ab illo recipiat absolutionem generalem ab omnibus peccatis, & censuris, verè manet absolutus ab omnibus censuris, & peccatis, quamuis per obliuionem, vel incuriam omiserit aliquem casum reseruatum Superiori, vel censura alligatum. Difficultas modo oritur, an pœnitens ita maneat liber, & solutus ab illo peccato, cui erat annexa excommunicatio, vel si erat tantum reseruatum sine excommunicatione, vt si postea memoriæ occurrat, satis sit illud

illud confiteri Sacerdoti Inferiori habenti commu- A nem Iurisdictionem.

Sententia est multorum asserentium in hoc casu tolli reseruationem, & peccatum illud posse absolui per quemcunque Confessarium Inferiorem, ità Gabr. in 4. dist. 17. q. 1. art. 3. dub. 2. Adria. q. 4. De Confess. Angel. Confessio 1. num. 22. Rosell. Confessio 2. nu. 9. Silue. Confessio 1. §. 4. Nauar. in Manua. cap. 26. n. 13. & in Comment. in cap. Consideret §. Cautus nu. 32. De Poenit. dist. 5. Et in eandem sententiam refert Palud. in dist. 18. q. 5. Couar. in cap. Alma Mater prima par. §. 11. num. 12. Canus in Relect. de Poenit. par. 5.

Ratio huius opinionis est, quia Superior per absolutionem generalem, quam tradit à peccatis, & censuris, tollit omnes censuras, & omnia peccata etiam B reseruata, ergo tollit reseruationem eorum, quæ sunt oblita.

Sed hæc opinio patitur difficultatem quia licèt per illam absolutionem generalem tollantur peccata reseruata oblita indirectè, & concomitanter, hæc tamen indirecta remissio non sufficit ad tollendam reseruationem, quoniam si ille poenitens confessus fuisset bona fide sacerdoti inferiori non habenti iurisdictionem in peccata reseruata credens non commisisse peccatū reseruatum, si tamen commisisset, peccatum illud indirectè tolleretur per illam absolutionem, & tamen remaneret reseruatum, sicue antea, vt si constaret ei post absolutionem tale peccatum esse reseruatum, teneretur petere absolutionem à Superiore, ergo indirecta C remissio non sufficit ad tollendam reseruationem.

Respondebit quis non esse parem rationem; nam quando absolutio generalis datur à Superiore, superior habet voluntatem dimittendi pœnitentem liberum, & vtendi sua potestate quantum potest erga illum, & ideo tollit reseruationem, quam potest auferre, non tollit culpam oblitam, vt non maneat obligatio exponendi eam expresè potestati Clauium, quandocunque memoriæ occurrerit, quia hoc est præceptum diuinum. Hæc ratio non militat, si Confessio fiat inferiori, qui non habeat facultatem tollendi peccata reseruata.

Verùm hæc responsio non dirimit difficultatem, quoniam non apparet de hac intentione, & voluntate D Superioris, vt velit tollere reseruationem, & ad hoc, vt inferior Sacerdos habere possit potestatem absoluendi tale peccatum, opus est, vt manifestè constet de voluntate Superioris auferentis reseruationem, quia per reseruationem sublata erat iurisdictio ab inferiore Sacerdote, quæ restitui non potest nisi per voluntatem reseruantis.

Quamobrem aliter respondendum videtur ad hãc difficultatem cum distinctione. Et primò quando poenitens confitetur peccata sua Superiori specialiter ad hunc finem, vt consequatur absolutionem peccatorū reseruatorum, & bona fide exponit omnia peccata, quorum recordatur, sed omittit aliquem casum reseruatum ex obliuione, tunc liber manet à reseruatione, E & poterit peccatum omissum cuicunque inferiori confiteri, & ab eo absolutionem recipere.

Hoc potissimum voluerunt Doctores citati, & ratio huius dicti est, quia ex tali modo confessionis videtur satis euidenter constare de intentione Superioris, quòd velit tollere reseruationem; quæ intentio necessaria erat ex sententia omnium. Constat autem de hac intentione Superioris, quia cum sciat pœnitentem ad hunc finem accedere ad ipsum, vt liber maneat ab onere omnium peccatorum etiam reseruatorum, & tradat illi absolutionem simpliciter, & satisfactionem iniungat, satis indicat velle illum relinquere liberum quantum potest, & eum posse tollere vinculum reseruationis, illud tollit, etiam vbi casus reseruatus habet excommunicationem adiunctam; hæc doctrina est certissima, quam tenet expresè Palud. in 4. dist. 18. q. 5. art. 3. concl. 4. Quia ad absoluendum ab excommunicatione non est necessaria particularis, & distincta cognitio causæ excommunicationis, sed sufficit volūtas vniuersalis absoluendi ab omnibus etiam reseruatis, quam habet Superior in casu proposito. Quare in casibus Pontificijs iuxta receptam regulam, quod ablata censura tollitur reseruatio culpæ, si poenitens per obliuionem omitteret peccatum reseruatum propter excommunicationem, & reciperet generalem absolutionem à censuris, & peccatis, tale peccatum non remaneret reseruatum.

Quæ conclusio verissima est de Superiore, qui habet ordinariam iurisdictionem, tamen Auctores citati videntur etiam idem sentire de Confessore delegato, vel ex priuilegio; quia Superior concedit huic Confessori vices suas ad absoluendum, sicut exigit dispositio, & intentio ipsius poenitentis. Quare licet hic Confessor non possit per se, & directè peccatum reseruatum committere alteri, quando illi fuit manifestatum, neque conferre alteri iurisdictionem, sed ipse tantum possit absoluere; tamen quando fuit omissum per obliuionem, potest absoluere poenitentem ab omni onere peccati iuxta facultatem, quam habet. Et ideo licèt per se non possit delegare iurisdictionem, potest tamen auferre impedimentum, quo sublato peccatum remanet sub communi iurisdictione.

Dico secundò si Poenitens confitetur Superiori sine vlla mentione, aut intentione casuum reseruatorū, quia non putat, nec credit commisisse peccatum reseruatum, sed confitetur communiter, sicut si confiteretur inferiori Sacerdoti, & Superior eodem modo absoluit sine vlla intentione ad reseruata, tunc per hanc confessionem non tollitur reseruatio, vt peccatum oblitum (si erat reseruatum) non maneat reseruatum, & cum onere confitendi illud Superiori.

Hæc etiam assertio videtur certissima, quia videtur absurdum dicere voluisse Superiorem tollere reseruationem, cum de peccatis reseruatis nihil ageretur, neque fuerit tradita absolutio cum intentione tollendi reseruata.

Dicet aliquis hoc dictum non habere locum, quando casus reseruatus habet adiunctam excommunicationem reseruatā, vt sunt casus pontificij; nam si excōmunicatio tollitur etiam directè per communem, & generalem absolutionem, & ablata excommunicatione tollitur reseruatio, ergo in huiusmodi peccatis tollitur reseruatio per quamcunque ordinariam confessionem, & absolutionem eius, qui potest à talibus peccatis directè absoluere. Quod si tollitur reseruatio in peccato, quod habet adiunctam excommunicationē, maiori ratione idem affirmandum erit de aliis peccatis reseruatis.

Respondendum est non esse verum per huiusmodi absolutionem tolli excommunicationem reseruatā, quia in generali clausula non continentur specialia ex cap. 2. De poenit. & remiss. lib. 6. Quare qui concedit potestatem generalem absoluendi à censuris, non videtur concedere illam ad absoluendum à censuris reseruatis, ergo similiter qui generaliter tantum absoluit ab excommunicatione non censetur absoluere à reseruata.

Verùm

Verum hæc responsio patitur difficultatem, quia generalis absolutio à Censuris præmittitur ante absolutionem sacramentalem peccatorum, & ad hunc finem, non tantum opus est tollere excommunicationem non reseruatam, sed etiam reseruatam, vnde sub clausula generali comprehenduntur specialia, quando sunt necessaria ad finem intentum.

Quamobrem alij aliter dicunt per absolutionem generalem auferri etiam excommunicationem reseruatam non simpliciter, sed ad illum effectum obtinendi absolutionem sacramentalem peccatorum, & post illum effectum excommunicationem statim redire.

Alij dicunt in eo casu non tolli excommunicationē in ordine ad tollendam reseruationem peccati, sed generali modo. Et ideo axioma illud vniuersale sublata censura tolli reseruationem peccati, explicandum esse hoc modo, nempe quando aufertur excommunicatio reseruata intuitu reseruationis, non autem quando illo generali modo tollitur excommunicatio, tunc enim non aufertur reseruatio peccati in ordine ad forum pœnitentiæ.

Dico tertio, si pœnitens virtute priuilegij in eius fauorem concessi, quod priuilegium vel vnico actu extinguatur, vel ad certum tempus sit arctatum, durante tempore confiteatur, & absoluatur, alicuius tamen peccati reseruati obliuiscatur, an censeatur manere liber à tali reseruatione, vt si quis in Iubilæo, vbi conceditur facultas absoluendi à reseruatis, vt consequatur Iubilæum, confiteur, & virtute illius absoluitur à peccatis, & tamen obliuiscitur alicuius peccati reseruati, vtique in tali casu remanet liber à reseruatione, & poterit peccatum oblitum cuicunque Sacerdoti habenti communem iurisdictionem confiteri, ita docent Doctores superius citati.

Ratio est, quia Superior concedens hanc potestatē in fauorem pœnitentis voluit, quantum in ipso fuit, auferre ab illo reseruationem, si vteretur illo priuilegio intra assignatum tempus ad finem consequendi Indulgentiam, & pœnitens vsus est illo priuilegio in ordine ad hunc finem, ergo mansit liber à reseruatione, & licèt propter obliuionem per accidens non fuerit absolutus directè à peccato reseruato intra illud tempus, tamen dici potest acquisiuisse Ius per Iubileū, vt possit postea illud peccatum confiteri Inferiori Sacerdoti. Et hæc est differentia inter illum, qui hoc modo vsus est priuilegio intra tempus præscriptum, & alium, qui nullo modo lucratus est Indulgentiam, nec est confessus intra tempus in Iubileo assignatum.

Obijcies, hæc ratio solum videtur probare hunc pœnitentem posse confiteri peccatum illud reseruatū, cum ad mentem venerit eidem Confessori, cui tempore Iubilei confessus est, quoniam illi tradita est potestas, & priuilegium datur, vt possit eligere Confessorem, non Confessores.

Respondeo, si priuilegium restringeret hanc potestatem ad certam personam, obiectio locum haberet, sed si concederet pœnitenti facultatem simpliciter eligendi Confessorem approbatum, quem voluerit, à quo possit à reseruatis absolui, liberum erit in hoc casu confiteri priori Confessori, vel alteri, quia peccatum manet simpliciter non reseruatum.

Obijcies iterum, an hoc sit intelligendum solum, quando obliuio est inculpabilis, vel etiam si sit culpabilis.

Respondeo regulam generalem assignari à Doctoribus hac in re, & est, si culpa sit talis, vt reddat sacramentum non tantum informe quoad effectum, sed

A etiam prorsus nullum, tunc peccatum remanere reseruatum, sicut antea, non solum oblitum, sed etiam expressum in confessione, quia illa neque est confessio, neque absolutio, quare nihil operatur, est enim conditio requisita, vt priuilegium eligendi Confessorem sit validum, vt qui vult lucrari Indulgentiam, confiteatur, quod debet intelligi saltem de cōfessione valida. Si tamen verum est Sacramentum, quamuis informe quoad effectum, tunc fieri potest, vt pœnitens maneat liber à reseruatione saltem quoad peccata expressa in confessione, & per absolutionem directè remissa, nam quoad illa vsus Iubilei fuit validus, & semel habuit effectum, qui non amplius reuocatur. Vnde illa peccata non solum non manent reseruata, sed neq;
B sunt amplius materia necessaria confessionis.

Tertiò obijcere posses, si pœnitens, qui absolutus est virtute Iubilei, postea nō fecerit reliqua opera necessaria ad consequendum Iubileum, & omiserit aliquod peccatum reseruatum ex obliuione, an maneat liber à reseruatione quoad peccatum oblitum.

Aliqui putant peccata illa oblita remanere in hoc casu reseruata ob eam rationem, quia hæc priuilegia conceduntur ad acquirendam Indulgentiam, ergo qui non persoluit opera iniuncta in Bulla ad finem lucrandi Iubileum, non gaudet hoc priuilegio. Quare peccata illa, quę directè ablata sunt, ideo non manent reseruata, quia non manent iam necessario subiecta Clauibus, at peccata oblita semper manent subiecta
C Clauibus, & ideo non sunt libera à reseruatione. Nec ablata est reseruatio beneficio Iubilei, & Indulgentiarum, cum supponamus pœnitentem non acquisiuisse Iubileum. Hæc opinio est valde probabilis.

Verum opposita non caret etiam sua probabilitate. Primò quia si pœnitens consecutus est absolutionem plenam à peccatis reseruatis confessis, consequēter videtur obtinuisse absolutionem à reseruatione oblitorum, quia est vsus iam priuilegio concesso, ergo non possunt postea eadem peccata effici reseruata, quamuis Pœnitens non consequatur Indulgentiam, & Iubileum, nam si antea reseruatio sublata est, illa reuocari non potest, est autem sublata reseruatio, quando obliuio fuit inculpabilis, & absolutio fuit va-
D lida, etiamsi fuerit informis. Si autem obliuio fuit culpabilis, tunc absolutio fuit nulla, quia non fuisset adhibita sufficiens diligentia ad explicandum in confessione omne peccatum reseruatum.

Tertia dubitatio principalis esse potest, quando idem peccatum à pluribus Superioribus, vel ab eodē pluribus modis est reseruatum cum excommunicatione, à quo sit relaxandum quantum ad reseruationem, & quid sit necessarium ad eam tollendam.

Respondendum est, quando peccatum reseruatur sine censura ab eodem Prælato pluries, tunc per vnicam facultatem absoluendi à tali peccato tollitur omnis reseruatio. Dicitur autem idem Superior, non
E solum si est vna persona, sed etiam quando sunt plures in eandem dignitatem succedentes, vt si Episcopus reseruet sibi peccatum aliquod per Statutum, & similiter successor. Quod si idem peccatum sit reseruatum à pluribus Superioribus subordinatis, vt à Papa, & Episcopo, tunc clarum est potestatem Episcopi non sufficere ad tollendam reseruationem respectu Papæ, quia inferior non potest auferre iurisdictionem, quam Superior abstulit, sibique reseruauit, sed è contra contingit, vt ablata reseruatione Papali per priuilegium, aut Iubileum Pontificis auferatur Episcopalis, nam hoc ipso, quod Superior reseruat sibi peccatum,

catum, extrahit illud à Iurisdictione omnium Inferiorum. Quare per facultatem concessam à Superiore tollitur omnis reseruatio, quia Superior potest iurisdictionem concedere, inferiore etiam renuente.

Si autem reseruatio fiat cum excommunicatione, tunc videndum est, an reseruationes dicantur esse plures propter plures excõmunicationes reseruatas, vel solum propter plures leges, vel sententias generales imponentes eãdem excommunicationem reseruatam propter idem peccatum, quando sunt plures excommunicationes, etiamsi vna tollatur, non tamen propterea simpliciter tollitur reseruatio à culpa, quia sufficit vna excommunicatio, vt culpa maneat reseruata Superiori, qui talem censuram tulit, secus verò est, quando excommunicatio est vnica, etiamsi pluribus modis reseruata sit; nàm si illa semel aufertur, tota reseruatio culpæ tollitur, quia est connexa cum censura.

CAPVT IV.

Proponuntur aliæ difficultates de eadem materia.

PRima dubitatio, an absolutio ab excommunicatione obtenta ex vi generalis priuilegij, vel ex Bulla Iubilæi in foro interiori conscientiæ prosit excommunicaro in foro exteriori, & iudiciali.

Respondendum est, si priuilegium expresè explicet facultatem concedi pro vtroque foro, tunc absolutio tradira vires habebit in vtroque foro, quia Papa potest concedere hanc potestatem, ergo si de facto hanc potestatem delegauerit, delegatio renet.

Si verò priuilegium nihil declaret expresè, nec ex conditionibus, & circumstantiis colligi possit de mente, & voluntate Summi Pontificis, sed absolutè concedatur facultas absoluendi ab excommunicatione, & alijs censuris, tunc existimandum est dari potestatem in vtroque foro, quia cum priuilegium sit generale, & propriè accepta verba possint aptari ad vtrumque forum, vtrique est accommodandum; nam priuilegia tantum valent, quantum sonant?

Quod si priuilegium datum fuerit in foro conscientiæ, tunc in illo foro tantum absolutio prodesse poterit, non in foro exteriori; quod intelligendum est etiã, vbi illa clausula expresè non apponatur, scilicet in foro conscentiæ tantum, sed racirè ex modo concessionis ex antecedentibus, & consequentibus, & ex fine intelligatur, vt quando conceditur talis facultas in ordine ad confessionem sacramentalem, tunc enim solùm potest prodesse huiusmodi absolutio in foro conscientiæ.

Itá dicunr Nauar. in Manua. cap. 26. numer. 31. & cap. 27. num. 278. Couar. in cap. Alma Mater prima par. §. 11. num. 16. & lib. 2. Variar. Resolut. cap. 10. num. 3.

Vnde facultates, & priuilegia concessa Fratribus Ordinis Prædicatorum, & alijs Ordinum Mendicantium non extenduntur ad forum contentiosum, Put. decis. 96. lib. 1. Moheda. decis. 197. Tholom. decis. 113. Diuers. lib. 3. Er de absolutione obtenta à Confessario vigore Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi ita fuit decisum in causa Astoucen. Archidiaconatus coram Aldobran. 17. Iunij, & 28. Nouembris 1583.

Probatur primo, quia talis absolutio impenditur ad impetrandam veniam peccatorum, & placandam diuinam offensam, quæ non impedit accusationem in exteriori foro, quæ necessaria est ad publicam vindictam, & ad satisfaciendum Ecclesiæ, vt inquit Glos. c.

A De his de Accusa. Plurimum enim detraheretur auctoritati iurisdictionis ecclesiasticæ fori exterioris, si publicè excommunicatus secreto per Sacerdotem in foro interiori absolutus ingereret se diuinis quasi in contemptum Iudicis, qui illum excommunicauit. Confirmatur, nam aliquando exprimitur in Bullis Apostolicis clausula, scilicet vt absolutio à Confessario data, in foro etiam exteriori possit prodesse, ergo in alijs casibus, vbi hæc clausula non legitur, absolutio vim solum habebit in animæ iudicio. Tandem quoniam stilus Romanæ Curiæ non consueuit per Iubilæum, aut Bullas Confessarij sacerdotibus committere ea, quæ forum contentiosum concernunt, sed tantum ea, quæ ad conscientiam animæ pertinent, vt testatur Paul. Pa-
B ris. cons. 67. num. 21. lib. 4. & Lud. Gomez. in Regul. Cãcell. De non iudicando iuxta formam supplicationis 9. 14. num. 3. *Nam quoties petitur quid ad conscientiæ forum, & iudicium animæ pertinens, id negocium committitur Confeßario, vt expediat nullis teßtibus adhibitis.* Hæc Gomez. ex quibus colligi potest differentia litterarũ, quando conceduntur quoad forum animæ, vel quoad iudicium exterius, & forum contentiosum. Vnde cauere debet Confessarius, nè concedat absolutionem coram testibus, & Notario, vel scribat illam proprio chirographo.

Sed circa dicta dubitari potest. Primò si excommunicatus virtute Iubilæi, aut priuilegij Apostolici verè absoluitur ab excommunicatione in foro interiori, ita
C vr non sit amplius alligatus vinculo excommunicationis, ergo talis absolutio habebit vim etiam, in foro exteriori, si illa probari potest, ergo quacunque ratione id constare potest Ecclesiæ, debet talem absolutum in quocunque foro existimare liberum, & immunem à censura excommunicationis. Quare per se non poterit dari absolutio valida in foro interiori tantum, non autem in exteriori; sed id solum contingere poterit per accidens, quia absolutio impetrata in foro conscientiæ probari nequeat.

Respondeo hanc rationem verè probare talem absolutum in foro conscientiæ re ipsa non esse excommunicatum, & idcirco posse se gerere tanquàm liberum, & solutum à vinculo excommunicationis non tantum
D in foro conscientiæ, sed etiam in foro exteriori, si in illo foro sufficienrer constare posset de absolutione habita. Quare si excommunicatio erat occulta, & non deducta ad forum contentiosum, potest absolutus ex vi absolutionis fori interioris gerere se in omnibus actibus, siue occultis, siue publicis, vt omnino liberum ab omni excommunicatione, quod si postea excommunicatio innotesceret, & promulgaretur, tunc coactus esset probare se obtinuisse absolutionem in foro interiori, vt admitteretur in Iudicio ranquam absolutus, & non cogeretur impetrare aliam absolutionem, & excusaretur à pœnis, quas Prælatus præsumere posset ipsum incurrisse ob actus gestos in excommunicatione non impetrata absolutione; Nauar. cons. 47. tit. De
E sent. excomm. & probata tali absolutione Iudex fori exterioris posset communicare cum eodem, & tractare eum quasi absolutum, & dissimulare eius excommunicationem, nisi aduersarius instaret in Iudicio, vt repelleretur à communi consortio tanquam excommunicatus, vt inquit Nauar. in dicto cons. 47.

Sed dubium est apud Doctores, an ad probandum absolutionem receptam fuisse in foro pœnitentiæ, vt talis absolutio prosit in foro exteriori ei, cuius excõmunicatio detegitur, sufficiat assertio Confessoris.

Nauar. in Manua. cap. 27. num. 42. & 43. ait, quod quan-

quando ipse Iudex non absoluit ab excommunicatione, sed Parocho committit, tūc excommunicatus debet curare, vt coram Notario,& testibus absuluatur à Parocho, vt possit probare se absolutionem consecutum fuisse. Deinde addit alias se asseruisse satis esse ad probandam absolutionem fori interioris, si ostenderet Reus commissionem Superioris sibi factam, vt à Parocho posset absului, tunc enim præsumeretur absolutus accedente testimonio Parochi, si excommunicatus esset vir pius,& bonæ existimationis,& publicè non se abstineret à diuinis officijs, & vsu sacramentorum supposita communi consuetudine, quod non adhibeatur testes, quando absolutio conceditur.

Confirmari potest hæc sententia, quoniam si creditur publico Tebellioni in ijs, quæ ad munus suum spectant cap. Ad Audientiam de Præscript. Vbi Abb. numer.5 Gramat.decis.60. nu. 10. & seq. & decis.63. nu. 33. Multò magis videtur adhibenda fides Sacerdoti Confessario.

Confirmatur etiam, quia non est verisimile in sacramento confessionis, vbi omnia postulantur integra, & iusta, Pœnitentem, aut Confessorem audere mendacium dicere. Quare absolutionem à Censuris ad effectum validitatis gratiæ etiam in foro contentioso probari posse per Cedulam Presbyteri absoluentis testantur Cald. cons.2. De Testi. Felin. in cap. Veniens 2.& in cap. Testimonium col.penul.eod.tit. Crescen. decis.163. aliàs 14. De Probat Paleot. decis.220. alias 73. Diuers. lib. 3. & fuit dictum in eadem causa coram Aldobran. vt supra.

Contrariam tamen opinionem tutiorem esse censet Franciscus Pegna Sacræ Rotæ Auditor in Directorio Inquisitorum in Schol. in secundam partem Direct. lib.2. Schol.20. In hoc casu non esse credendum Confessori, Dicit enim fuisse olim valdè controuersam hanc quæstionem, an fides esset adhibenda Sacerdoti asserenti se absoluisse aliquem Hæreticum; nam Concilium Tarraconense definiuit tali Sacerdoti esse credendum, & absolutum hoc modo pœnas effugere temporales. Concilium autem Narbonense circa annum Domini 1280. celebratum, noluit aliquid difinire de hoc articulo, sed remisit difficultatem, vt à Summo Pontifice decideretur; quare dicit securius esse enm Concil. Narbonense sentire in tali casu non esse credendum Confessori.

Mouetur primo quia in graui causa dicto vnius nō est acquiescendum, si testibus, & legitimis probationibus in foro exteriori oppositum fuerit deductum.

Deinde si delinquentes intelligerent fidem generaliter esse adhibiendam Sacerdoti testificauri de satisfactione illius, qui erat excommunicatus, & de emendatione, possent inducere Confessariam ad effugiendas pœnas iuris, vt apud Iudicem testificaretur de emendatione Viri, & ipsum excusarent eiusdem sententiæ videtur Bernard. Diaz in Pract.Crim. c.38.§. excusabitur tamen Clericus vers. Nec sufficeret, vbi affirmat non sufficere testimonium Confessoris asserentis absolutionem ab excommunicatione impetratam fuisse citat Calde.Cons. 2. tit. de Test. & Petrus Rebuff. in Concor. in forma Mand. Apost. Ver. Absoluen. fol.551.

Vterque modus respondendi est probabilis, videtur tamen fauorabilior opinio Nauarr. vt credendum sit Confessori, maximè si est probatæ virtutis, & pius ac integer præsertim qua non ahibentur testes, quando conceditur absolutio. Puto autem adhibendam esse fidem Confessori attestanti de absolutione præstita, vt excommunicatus sit liber à vinculo excommuni-

A cationis etiam in foro exteriori, & non incurrat pœnas à lege præscriptas, si se diuinis, aut humanis actibus immiscuerit, non autem ad euitandas alias pœnas temporales criminis, cuius gratia in excommunicationem incidit. Quare si reus sit ab Episcopo, siue Inquisitore, aut alio habente potestatem absolutus in foro pœnitentiæ ab hæresi, de qua postea in foro contentioso fuerit accusatus, conuictus non poterit adiuuari exceptione receptæ pœnitentiæ in foro interiori ad effugiendas pœnas temporales, etiamsi dicat se dudum errorem suum agnouisse, deseruisse, confessum fuisse, & absolutionem obtinuisse; quia pœna imposita in foro pœnitentiali non impedit pœnam imponendam in foro iudiciali, licèt benignius tunc tractari possit, si il- B lud ipsum Confessor testificetur.

Non obstat decretum Concil. Narbonen. quoniam Concilium proponit tantum hanc difficultatem, An sit credendum Confessori asserenti de absolutione ab ipso tradita,& nihil statuit, sed relinquit rem decidendam à Summo Pontifice. Deinde Concilium illud fuit Prouinciale, non Generale.

Eodem modo dicendum est, etiam, quando excommunicatio fuit publica, non occulta, si tamen non fuit denunciata, & excommunicatus satisfecit publicè, & accepit absolutionem a Confessario, qui aliàs habebat facultatem absoluendi ab excommunicatione, quamuis enim hæc absolutio, nisi publicè probata fuerit, non possit prodesse, nisi quoad forum conscientiæ, C præstita tamen satisfactione publicè, satis est probare confessionem factam esse Confessori habenti potestatem absoluendi virtute Iubilęi, vel priuilegij, vel alio modo.

Sed posset dubitari; an idem dicendum sit, quando quis fuit excommunicatus ab homine nominatim, & denunciatus, vt possit absolui à Confessario virtute Iubilęi, vel aliarum Bullarum, forum interius respicientium, an verò hęc potestas extendatur solum ad excommunicationes iuris reseruatas.

Respondeo eandem esse rationem de excommunicatione lata ab homine per sententiam nominatim, Conceditur enim facultas absoluendi ab omnibus censuris reseruatis sine vlla distinctione; igitur compre- D henduntur tam excommunicationes iuris, quàm hominis, & talis absolutio regulariter prodest solum in foro interiori, & non impedit processum fori externi, vt inquit Glo.c.De his de Accusat. & ostendi superius, nisi probauerit excommunicatus coram Iudice seruatis seruandis & satisfecisse, sicut tenebatur, & absolutionem obtinuisse, & vtrumque per sententiam Iudicis declaaratum fuerit.

Secunda dubitatio; an valida sit absolutio ab excōmunicatione obtenta, virtute Iubilæi, in quo plura sine iuncta opera pia ad consequendā indulgentiam, & excommunicatus cœpit illa peragere, & interim confessus est, & obtinuit absolutionem; postea verò cessat implere, quę supererant, & perficere omnia neces- E saria ex pręscripto Bullę ad indulgentiam lucrandam.

Respondeo duobus modis contingere posse hunc casum, Nempè vt quis recipiat absolutionem ab excommunicatione, antequam impleuerit omnia opera iniuncta in Bulla Iubilęi. Vno modo, vt bona fide accedat ad confessionem, scilicet habens firmum propositum,& voluntatem perficiendi omnia opera, quę necessaria sunt ad indulgentiam, & adhibendi diligentiam ad eam lucrandam. Et in hoc casu, si recipiat absolutionem ab excommunicatione, absolutio erit valida, etiamsi postea non lucretur indulgentiam,

Proba-

Probatur, quoniam absolutio fuit simpliciter data, non pendens ex futura conditione consequendi Indulgentiam, ergo simpliciter, & absolutè fuit valida, si cætera necessaria non defuerunt, etiamsi pœnitens nō acquirat Indulgentiam; nam licèt Summus Pontifex communicet hanc potestatem absoluendi in Iubilæo ad hunc finem, vt fideles consequantur indulgentiam, non tamen vult, vt Confessor vtatur illa sub hac conditione, sed vt simpliciter absoluat.

Confirmatur; nam aliàs non posset quis accipere absolutionem virtute Iubilæi, antequam lucratus esset Indulgentiam, quod (moraliter loquendo) repugnat concessioni Iubilæi, nam inter alia opera, quæ sunt necessaria ad acquirendam Indulgentiam, est cōmunio, ante quam necessario præmittenda est confessio, & absolutio à censuris, ergo (vt absolutio sit valida) non opus est, vt pœnitens perficiat omnia, quæ in Iubilæo præcipiuntur, & vt acquirat Indulgentiam.

Secundo modo fieri potest, vt quis obtineat absolutionem ab excommunicatione non habens animum lucrandi Indulgentiā, & adimplendi singula, quæ sunt præcepta in Iubilæo; quo casu cessat omne dubium, nam talis absolutio nullius est valoris, & momenti, fictè enim accedit ad Confessionem sine intentione consequendi Iubilæum. Sed priuilegium absoluendi à censuris conceditur ad hunc finem, igitur absolutio erit nulla defectu potestatis.

Sed oritur difficultas; An in primo casu, quando absolutio ab excommunicatione fuit valida, si postea pœnitens non perficiat, quæ tenetur ad præscriptum Iubilæi, redeat simili censura, ità vt absolutio illa tradita fuerit ad reincidentiam, sicut cum datur absolutio ab excommunicatione ad tempus, puta durante hebdomada sancta, vt excommunicatus possit confiteri, & communicare, deinde reincidat in similem excommunicationem.

Responderi potest. Primò duobus modis fieri posse, vt quis omittat, quæ sunt necessaria ad indulgentiam consequendam; vno modo voluntariè, & ex negligentia culpabili, puta si quis inchoauit opera Iubilæi, & confessus est, sed postea mutauit sententiam, & ab incepto destitit. Alio modo sine culpa, vel ex obliuione, vel ex impedimento naturali, vt ægritudine, aut simili. Si primo modo ille, qui absolutionem recepit ab excommunicatione, denuò incidit in excommunicationem; tum quia culpa sua omittit ea, quæ erant necessaria ad lucrandam Indulgentiam, ergo meritò carere debet illo priuilegio, quod ordinatur ad finem consequendi Indulgentiam; tum quia si ab initio sine intentione perficiendi ea, quæ præcepta erant in Iubilæo, accessisset ad confessionem, absolutio ab excommunicatione non fuisset valida, vt diximus, ergo eadem ratio est, si postea mutauit voluntatem, vt (licèt absolutio fuerit valida) redeat excommunicatio per reincidentiam.

Si vero secundo modo, scilicet sine culpa omittat aliqua opera necessaria ad indulgentiam, tunc liber est omninò ab excommunicatione, & quamuis non acquirat Indulgentiam, non reincidit in excommunicationem. Ratio est, quia absolutio semper valida fuit, nec accidit culpa sua, vt non perficiat, quæ erant necessaria ad Indulgentiam, sed sine voluntate, ergo non adest causa, propter quam dicendum sit incidere in excommunicationem.

Alij vt Cordub. in Sum. quæst. 21. sine vlla distinctione affirmant, si absolutio data fuit simpliciter, & sine vlla relatione ad Indulgentiam lucrandam, quamuis omittantur postea ea, quæ supplenda erant ad indulgentiam acquirēdam, siue talis omissio contingat ex culpa, siue inuoluntariè non redire priorem excommunicationem. Et hæc sententia est etiam validè probabilis.

Ratio est, quia absolutio, quę simpliter impenditur, nunquam est explicanda ad reincidentiam, nisi ita potestas absoluendi concessa fuerit expressè, vel in casibus à Iure expressis in c. Eos de sent. excom. lib. 6. Sed absolutio, quæ traditur in Iubilæo, simpliciter conceditur sine vlla mentione reincidentiæ, ergo non potest redire.

Dices ergo, eadem erit ratio de illo, qui accedit ad confessionem ab initio carens intentione lucrandi Indulgentiam.

B Respondeo discrimen esse inter eū, qui ab initio caret hac intentione, & inter illū, qui incipit ea perficere quæ ad indulgentiā sunt necessaria, & recepta absolutione postea mutat voluntatem, & desistit ab incepto, Nam in priori casu deest aliquid essentiale ad valorē absolutionis, quando absolutio conceditur; in posteriori nihil deficit, ideo absolutio sortitur effectum, qui non pendet ex futuro euentu.

Tertia dubitatio; an facultas, quæ conceditur in Iubilæo absoluendi ab excōmunicatione, & omni censura, possit exerceri extra sacramentum confessionis.

Respondendum est, vt ait Nau. in Man. c. 26. nu. 31. Neminem posse virtute Iubilæi, & Bullæ regulariter absolui ab excom. & alijs censuris extra confessionē.

C Primò quia licèt, si absolutè concedatur potestas absoluendi à censuris, vt valeat in foro exteriori, & interiori, existimandum sit mentem Summi Pontificis fuisse velle illam concedere independenter à sacramento confessionis; quia absolutio ab excommunicatione non requirit absolutionem à peccatis; tamen quando hæc potestas absoluendi tribuitur, vt dispositio necessaria ad absolutionem peccatorum, quæ dari non potest nisi in confessione, tunc non potest vim, & effectum habere extra confessionem. Et ad hunc modum conceditur in Iubilæo.

Secundo quia in Iubilæo communiter conceditur licentia eligendi Confessarium, qui possit absoluere;

D atq; ita necessaria est confessio vna cum absolutione.

Hinc sequitur non posse hoc modo aliquem absolui ab excommunicatione, quin simul absoluatur à peccatis licèt enim absolutio à censuris præcedat absolutionem à peccatis; tamen Confessor absoluit à censuris eadem intentione intendens absoluere à peccatis. Nec potest absoluere à censuris, nisi pœnitens confessus sit sua peccata cum ea dispositione, quæ necessaria sit ad recipiēdam absolutionem à peccatis, quia ad hunc finem accepit potestatem absoluendi à censuris.

Quarta dubitatio, quo pacto concedenda sit absolutio ab excōmunicatione, & Censuris, quando traditur facultas absoluendi in Iubilęo cum clausula, satis-

E facta parte; an sufficiat tunc cautio iuratoria de satisfaciendo, vel sit necessaria realis satisfactio.

Respondēdum est in primis ad hanc dubitationem hac conclusione, quando facultas absoluendi conceditur sub hac conditione de pręterito, satisfacta parte, vt absolutio iustè, & legitimè impendatur, prēmittēdam esse satisfactionē, ille enim ablatiuus absolutus habet vim cōditionis pręteritę, quę si adhibita nō fuerit, non pōt impendi absolutio, Traditur enim contra prohibitionem, & formam mandati arg. c. Cum Dilecta de Rescr. Vnde Archid. in c. Quoniam de Immun.

Eccl. lib. 6. concludit non valere absolutionem datam contra prohibitionem.

In hac conclusione conueniunt omnes. Silue. excõmunicatio 7. §. 65. Sot. in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. Nauar, in Manua. cap. 26. n. 7. & c. 27. n. 37. Couar. in c. Alma Mater 1. par. §. 9. n. 8. Caiet. in Summa Ver. Absolutio §. 4. Armill. V. Absolutio num. 48. & 51.

Hæc autem conclusio intelligenda est, quando excommunicatus potest commodè satisfactionem exhibere; quod si ea impotentia morali non potest realiter satisfacere, tunc erit dicendum hoc modo.

Si excommunicatus sit moraliter impotens iuxta conditionem rei, & personæ statum, ad satisfaciendum realiter, & cum effectu ante absolutionem, neque absolutio sine incommodo, & detrimento differri possit, quousque actualis satisfactio præstita fuerit, tunc absolui poterit, satisfaciendo eo modo, quo potest, idest vel exhibendo pignus, vel dando fideiussorem, aut saltem cauenda medio iuramento de satisfaciendo.

Huius opinionis sunt omnes Doctores citati, excepto, Soto, qui censet non valere absolutionem, nisi præstita fuerit actualis satisfactio, nam quamuis, inquit ipse, ratione impotentiæ excommunicatus sit absolutus quoad Deum, si re ipsa non satisfaciat; tamen virtute Iubilæi non potest absolui ab excommunicatione quantum ad Ecclesiam, quia facultas absoluendi conceditur cum hac conditione, satisfacta parte, & nõ committitur arbitrio Confessarij, vt si pœnitens non possit realiter satisfacere, valeat illum absoluere præmissa cautione, sed hoc Summus Pontifex reseruat Iudici ordinario.

Confirmatur hoc dictum Soti, quoniàm si ille pœnitens hoc modo absolutus ab excom. postea locupletior factus non solueret, sicut tenebatur, licèt quantũ ad Deum reus esset peccati, non tamen incideret in excommunicationem; nam in Iubilæo non conceditur facultas absoluendi ad reincidentiã, sed simpliciter, Hoc autem cederet damno, & incommodo partis aduersæ, Ideo non videtur rationi consentaneum hanc potestatem concedi in Iubilæo, & in priuilegijs.

Ita sentit Sotus, sed communius, & probabilius est oppositum, vt diximus, Cuius dicti illud est validum fundamentum, quoniam clausula illa, satisfacta parte, intelligenda est, vt seruari debeat eo modo, quo fieri potest, nec enim putandum est Summum Pontificem postulasse cõditionem impossibilem; id enim è diametro aduersatur eius intentioni, quæ est vt omnes lucrentur Indulgentiam, & liberentur à censuris.

Confirmatur à simili, quoniam hoc modo explicantur omnia Iura, quæ exigunt satisfactionem ante absolutionem in articulo mortis, vt inquit Nauar, in Manuali cap. 27. numero 47. & 48. scilicet si excommunicatus satisfacere potest, alias satis est, si cautionem præbeat, Glos. penult. Clement. 1. §. Verum De Hæret, Cardin. ibi quæst. 4. Felin. in cap. Pastoralis §. Præterea num. 9. De Off. Ordi. & in cap. Cum contingat num. 1. De Offic. Deleg. Cautio autem debet esse sufficiens, idest cum pignore, vel fideiussore, si potest dare aut saltem debet præstare cautionem iuratoriam, vt notant Doctores citati. Immò Nauar. dicto numero 48, censet, quod etiamsi excommunicatus potest satisfacere, sed cum magno incommodo, puta vili vendendo bona sua, non tenetur tamen, & potest absolui præstita cautione sufficienti, quando ex dilatione solutionis non sequeretur magnum detrimentum partis aduersæ.

Sed dubitari potest, quando excommunicatus potest reipsa satisfacere sine notabili damno, & nihilominus absolutio conceditur non præmissa satisfactione actuali, sed præstita sola cautione, An tunc temporis absolutio sit valida, & teneat.

Silue. Excommunicatio 7. §. 68. ex sententia Gemi. Ioan. Andr. Petr. de Anchar. & Archid. respondet cum distinctione, vel potestas absoluendi ab excommunicatione conceditur ea delegatione ei, qui aliàs potestatem non habet absoluendi ab excommunicatione, quo casu talis absolutio non erit valida non præstita satisfactione, quia non seruatur forma mandati, vt notat Glos. singul. Ver. Inhibentes in Clemen. 1. De Iur. Patro. Felin. cap. Ex parte De Constit. & ratio est, quia cum talis Delegatus nullam habeat iurisdictionem absoluendi nisi ex vi priuilegij, si non seruet formam priuilegij, cessat iurisdictio, & sic absolutio est nulla. Quando verò habenti potestatem à Iure absoluendi ab excommunicatione præcipitur à Superiore, vt non absoluat, nisi excommunicatus antea satisfecerit parti, tunc si absoluit ante satisfactionem, valida erit absolutio cap. Venerabilibus §. Porro de senten. excom. lib. 6. Hanc distinctionem ponit Glos. in dicta Clem. 1. De Iur. Patron. & sequitur Abb. in cap. Dilectus 2. De Præbend. Quare cum Ordinarius habeat auctoritatem à Iure absoluendi ab excommunicatione Canonis, vt diximus supra, absolutio ab eo data non præstita satisfactione erit valida, quia non cessat iurisdictio, quam habet ab ipso Iure, sed est puniendus, cum absoluat contra prohibitionem legis, nisi in lege apposita esset clausula irritans; tunc enim absolutio data non præstita satisfactione reali, & seruata forma legis, siue ab Ordinario, siue à quocunque alio esset nulla, & irrita.

Idem etiam videtur sentire Nauar. in Manua. cap. 27. numero 37. affirmans absolutionem datam ab habente potestatem iure ordinario non seruata forma iuris valere; etiam ante satisfactionem, nihil tamen valere datam à Delegato non seruata forma sibi præfinita in delegatione. Quare si concedatur priuilegium cum facultate absoluendi ab omnibus censuris in mortis articulo, vel præmissa satisfactione, absolutio data virtute huius priuilegii extra mortis articulum, vel ante satisfactionem erit nullius momenti, quia absolutio valet quidem non seruata forma Iuris, sed non tenet, & est irrita non seruata forma illa, quæ præcipitur seruanda in priuilegio, in quo conceditur potestas absoluendi. Quamobrem addit Nauarr. quod licèt in Rescripto Pontificis, in quo conceditur facultas absoluendi, apponatur clausula; Vt absolutio detur seruata forma præscripta ab ipso Iure, si tamen Sacerdos absoluat prętermissa debita Iuris forma, absolutio tenet, Quia intentio Pontificis non est inducere nouam formam illis verbis, sed admonere Delegatum, vt seruet formam ab ipso Iure definitam; quare, si illam negligat, peccat quidem, sed absolutio erit valida, sicut enim excommunicatio regulariter valet non seruato Iuris ordine, quamuis sit iniusta, itá quoque valida erit absolutio, licèt iniustè concessa cap. Venerabilibus §. Vbi De sent. excom. lib. 6.

Iuxta hanc igitur communem opinionem respondendum est ad dubitationem propositam; quando facultas absoluendi ab excommunicatione conceditur cum clausula, satisfacta parte, si sacerdos absoluat pœnitentem, qui commode potest satisfacere, ante exhibitam satisfactionem, ante omnia grauiter peccat,

nam

nam transgreditur fines sui priuilegij contra prohibitionem Superioris, & est causa damni, & incommodi, quod patitur Aduersarius. Vt vero cognoscamus, an absolutio data teneat, & sit valida nec nè, consideranda sunt verba priuilegii, vt dixit Caietan. in Summa Ver. Absolutio capit. 4. Si enim ità præcipiatur hæc conditio tanquam forma substantialis absolutionis, vt si illa omittatur, absolutio declaretur nulla, tunc, si non seruetur hæc conditio, inualida erit absolutio, etiamsi præcesserit promissio dato pignore, vel fideiussore, vel confirmata iuramento; vt si priuilegium dicat Absoluat præmissa satisfactione, aliàs absolutio sit irrita, vel sit nulla, vel habeat alias clausulas similes nullitatem absolutionis denotantes. Quod si simpliciter requiratur ista conditio ante absolutionem, sed non addantur aliqua verba, quæ declarent irritam absolutionem datam non seruata hac forma, absolutio tenet, quamuis satisfactio non præcesserit, si detur ab Ordinario, qui habet potestatem absoluendi ab ipso Iure, secus autem si conferatur absolutio à Delegato, qui totam potestatem accipit ab ipso priuilegio; quare, si illud non seruet, cessat in ipso omnis iurisdictio. Hæc igitur sit responsio ad propositam difficultatem.

Animaduertendum est quoque circa eandem clausulam, satisfacta parte, quæ in priuilegijs solet apponi, ante quam finem imponamus huic dubitationi, quod intelligenda est habere locum, quando debitum est liquidum, & certum, non dubium. Si enim debitum est incertum, non est necesse, vt satisfactio præcedat absolutionem, etiamsi in priuilegio illa expressè requiratur, vt colligitur ex cap. Solet de Sent. Excom. lib. 6. Vbi Glos. Ver. Manifesta, notat posse dari absolutionem ab excommunicatione Canonis, etiam in casibus, in quibus de iure præcedere debet satisfactio, vt cap. vltim. §. Pars vero De Offic. Deleg. lib. 6. cap. Quanquam De Censib. in fin. cap. Quoniam in fin. De Immunitate Eccles. cap. Quicunque in principio De Hæretic. cum similibus, quando debitum non est manifestum non præcedente reali satisfactione.

Sed Nauar. in Manual. cap. 26. numero septimo dicit hanc distinctionem de debito certo, & incerto habere locum, quando absolutio ab excommunicatione impenditur in foro exteriori, non autem in interiori, in quo standum est confessioni ipsius pœnitentis, si asserat se debitorem esse, vel offendisse cum alijs circumstantijs, & id, quod poenitens confitetur, habetur notorium, & cessant præsumptiones argum. cap. Tua, & cap. Is qui de Sponsa.

Vera sunt, quæ dicuntur à Nauar. & ita frequenter contingit, Negari tamen non debet Aliquando etiam in foro conscientiæ posse aliquid dici dubium, & incertum, puta si pœnitens verè in conscientia nesciat, an ipse damnum intulerit, vel an ad æqualitatem satisfecerit, Aut an offensa sit talis, & iniuria, vt ad satisfactionem obliget. Et in his casibus absolutio non exigeret præcedentem satisfactionem.

Si quis obijciat contra dicta, Quod quamuis in aliquo casu offensa, aut iniuria, vel damnum illatum parti posset esse dubium, & incertum, & idcirco ex hac parte absolutio non exigeret necessario præcedentem satisfactionem, tamen non potest esse dubia, & incerta iniuria, quæ facta est Prælato propter contumaciam, & inobedientiam, cuius gratia reus fuit excommunicatus. Quare ex hoc capite absolutio videtur semper postulare præcedentem satisfactionem.

Respondendum est in primis hanc iniuriam compensari per pœnitentiam, & emendationem ipsius Rei, Vt dimittendo Concubinam, si propterea fuit excommunicatus, vel si res pendeat ex futuro per promissionem, aut iuramentum de parendo mandato Superioris, Nauar. in Manua. cap. 26. nume. 2. & 7. Caiet. Absolutio cap. 4. Silue. Confessio 4. §. 7. & Absolutio 3. §. 3. Couar. in cap. Alma Mater prima par. §. 11. numero 7. & 11. Et iuramentum non est de substantia absolutionis, sed additur ad cautelam, vt dicunt Doctores citati.

Deinde quando in priuilegio absoluendi apponitur illa clausula; Satisfacta parte; Per partem non intelligitur Prælatus præcipiens, vel excommunicans, sed aduersarius, qui passus est iniuriam, vt rectè annotauit Sot. in illa dist. 22. q. 2. art. 3. Huius rei exemplum satis idoneum habemus in Concilio Trid. sess. 25. cap. 12. De Reform. Vbi sermo habetur de illis, qui decimas dare nolunt, aut dantes impediunt, de quibus hæc dicuntur; *Qui vero eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine nisi plena restitutione secuta absoluantur.*

Illud quoque est annotandum, quod quando quis est excommunicatus in contumacia, potest, & debet absolui præstita cautione saltem iuratoria de parendo Iuri, vt dicitur cap. Ex parte De Verbo. signif. cap. Qua fronte De Appell. & absolutio concedi et potest etiam parte absente, nec iurata cautione præmissa arg. cap. Olim De Rescript. & De Appell. ca. Qua fronte; Iura enim non distinguunt: Et si præsens esset pars, eius contradictio non obesset.

Tandem de eadem clausula, satisfacta parte; Vel præmissa integra satisfactione quæri potest; An censeatur impleta hæc conditio, si reus pecuniam, aut rem furtiuam deponat apud Iudicem.

Respondeo, quando res deponitur apud Iudicem, vel pecunia in Cimiliarchio, seu (vt dicitur) Bancho, vel apud aliam personam per publicam scripturam, tunc vocatur realis satisfactio Glo. cum tex. l. In litibus C. de Agricol. lib. 11. Alex. conf. 130. vol. 4. Anton. Gabr. tom. 2. Com. Concl. tit. De solut. Concl. 8. Silue. Restitutio 3. §. 4. & Ver. Solutio §. 5. & reus absolui potest, & ex hoc debitor liberatur à mora, ne soluat lucrum cessans aut censum, quamuis Creditor monitus non acceptet, & multò magis, si nemo sit, qui nomine Creditoris acceptet, & deponatur pecunia de mandato Iudicis, Iaf. conf. 9. nume. 15. volum. primo. Et hæc de quarta dubitatione hoc in loco dicta sufficiant, nam alia addam commodè Lib. 5. Disput. 22. cap. 2.

Postrema dubitatio; An habens facultatem à Summo Pontifice eligendi Confessarium virtute Iubilæi, aut literarum Apostolicarum, qui valeat absoluere ab omnibus censuris, possit eligere sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

Pro solutione supponenda sunt tria. Primum est, quod Papa potest, & solet dare licentiam eligendi Confessarium sine licentia Episcopi, vel Parochi, Rom. cons. 266. Ripa in tract. De Peste pag. 35. Mandosius in praxi Signaturæ Gratiæ tit. Confessio folio 75. columna secunda. Secundum est Episcopos dupliciter posse, & solere approbare Sacerdotes, primo modo eligendo eos, qui iudicantur idonei ad confessionem, nullam tamen tribuendo iurisdictionem; Alio modo approbando, & tradendo iurisdictionem.

Approbatus primo modo efficitur idoneus, vt ei committi possit iurisdictio ex priuilegio Superioris, & sine hac approbatione non potest illi committi iurisdictio etiam ex delegatione. Tertium est nullum Sacerdotem idoneum reputari Confessarium, nisi vel habeat beneficium Parochiale, vel ab Episcopo per examen, vel aliàs idoneus iudicetur; vtroque enim modo censetur idoneus, vt dicitur in Conc. Trid. sess. 23. c. 15. de Reform. Solum est differentia, quod qui habet beneficium Parochiale ipso Iure est approbatus, quod plurimi refert. Approbatio verò Episcopi requiritur ad alios Sacerdotes, qui non habent beneficium, tam Religiosos, quam seculares, & hoc aut præmisso examine, aut sine illo, vt placuerit Episcopo.

His prænotatis dubium est, quando simpliciter conceditur licentia eligendi Confessarium, qui valeat absoluere ab omni excommunicatione, possit eligi quilibet Sacerdos etiam non approbatus, dummodò non sit excommunicatus, suspensus, vel interdictus; vel priuilegium interpretandum sit de Sacerdote approbato ad audiendum confessiones.

Partem affirmatiuam tuetur Gabr. in 4. dist. 17. q. 2. art. 3. Palud. eadem dist. q. 3. art. 2. Silue. in Ver. Confessor 1. §. 5. Adria. post 5. q. De Confess. dub. 1. Petrus Sot. De instit. Sacerd. lect. 6. De ministro Confessionis, & eandem apertè defendit Dom. Sot. lib. 4. Sent. dist. 18. q. 4 art. 3. & affirmat esse communem opinionem, & probat, quoniam verba illa, quæ solent poni in literis Apostolicis harum concessionum, videlicet vt possint eligere quemcunque Confessarium, non sonant, vt possint eligere eum, qui erat Confessarius, sed possint per electionem facere Confessarium eum, qui non erat, & quamuis adderetur dictio illa, dummodo sit idoneus, inquit Sot. duo significare illam clausulam. Primum quod non sit suspensus per censuras, aut nominatim excommunicatus; hic enim eligi non posset, quia habet impedimentum Iuris: Secundum quod admonetur pœnitens, vt eligat Confessarium scientem ligare, & absoluere iuxta cap. Ne pro dilatione de Pœnit. & Remiss. Nihilominus optio illi relinquitur, quia priuilegia non sunt coarctanda. In eandem sententiam referunt Host. in cap. Omnis de Pœnit. & Remiss. Abb. in Clem. 1. De Priuileg. Ripam in tract. de Peste pag. mihi 36. num. 42. Eandem sequitur, & pluribus confirmat Nauar. in Manua. cap. 4. num. 3. & clarius in cap. Placuit de pœnit. dist. 6. num. 8. 40. & 49. Io. Med. in Cod. De Confess. q. 34. §. Si quæras, & tandem citra vllam controuersiam est communis opinio.

Ad cuius confirmationem possent plura adduci, sed illam præsertim hæc persuadere possunt; primò cap. fin. De Pœnit. Vbi permittitur Episcopis, & alijs Superioribus, nec non Minoribus Prælatis exemptis, vt etiam præter sui superioris licentiam prouidum, & discretum sibi possint eligere Confessorem. At ex vi huius priuilegij non oportet eligeret eum, qui alias est probatus Confessor, ergo nec qui à Summo Pontifice facultatem habet eligendi Confessorem, tenetur eligere aliàs probatum, & examinatum.

Ex altera parte non desunt, qui partem negatiuam magis probant, & censent licentiam concessam generaliter eligendi Confessarium, qui possit absoluere ab omnibus censuris, non tribuere facultatem, vt possit eligi ad libitum quicunque Sacerdos, sed approbatus tantum. Hanc sententiam tenet Glos. in cap. Si Episcopus De Pœnit. & Remiss. & in Clem. 1. De Priuileg. Eandem sequitur, & pluribus probat Canus in Relect.

A De Pœnit. par. 5. fol. 137. Ioseph Angles par. 1. Theolog. quæst. De Confess. dub. 4. & nonnulli recentiores asserentes etiam ante Conc. Trid. generalem concessionem eligendi Confessarium acceptam fuisse de approbato.

Probatur, quoniam, vt in cap. 2. De Pœnit. & Remiss. in 6. dicitur *In generali concessione illa non includuntur, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus*, sed inter Sacerdotes simplices non approbatos sunt multi, & literarum expertes, & perditissimi homines, quibus non est probabile Superiorem talem facultatem concedere voluisse ergo virtute horum priuilegiorum non competit facultas eligendi quemcunque Sacerdotem; sed approbatum ab Ordinario. Confir- B matur, si Summus Pontifex institueret Iudices in foro interiori omnes Sacerdotes, etiam stultissimos proponeret Iudices; quod non est existimandum de Summo Pontifice.

Accedit, quia credendum est Papam intelligere in priuilegio, vt ij eligantur, qui iuxta regulas Iuris idonei sunt. Idoneus autem est Religiosus præsentatus Episcopo in Clem. Dudum de Sepult. & Clericus examinatus, & approbatus ab Episcopo. Propter has rationes censeo hanc opinionem esse valdè probabilem; nam opposita sententia, vt minimum aperit ianuam patentissimam, vt loquitur Canus loco citato ad perniciem Populi Christiani, dum permittit, vt sine aliquo discrimine possint à plebe eligi Sacerdotes impe- C ritissimi, & forsan scelestissimi. Accedit, quod ridiculum esset, si Summus Pontifex examen, & approbationem idonei Confessoris relinqueret arbitrio cuiuslibet popularis, non minus immò magis, quam si examen Iudicis ecclesiastici in foro exteriori committeret Sutoribus, aut Fabrislignarijs. Tãdem modò post decretum Concilij Trid. sess. 23. cap. 15. hæc opinio tutior omninò est, quare in foro animæ est amplectenda, vt dicitur in capite Consilium De obser. ieiun. cap. Iuuenis de Sponsa. Ait enim Concilium Tridentinum *Quamuis enim Presbyteri in sua ordinatione, &c.* & paulo infra *nullum etiam Regularem posse Confessiones secularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per* D *examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, &c.* Quamobrem hoc tempore post Concilium contraria opinio videtur reijcienda, & quamuis esset probabilis de Iure communi, in quo sensu loquebantur Doctores citati; post Concilium Triden. meo iudicio nullo modo defendi potest. Igitur idoneus Confessarius, vt possit eligi virtute Bullæ, vel priuilegij est Parochus, quamdiu habet beneficium Curatum, vel Vicariam perpetuam, vbicunque fuerit. Secundo est Sacerdos secularis, vel Regularis quandiu retinet approbationem ab Episcopo, vbicunq; terrarum fuerit.

Ad argumenta pro contraria sententia Respondeo ad primum Dom. Sot. Dico aliud esse approbationẽ, aliud iurisdictionem. Approbatio conferri potest sine E iurisdictione ex eo solùm, quod aliquis Sacerdos idoneus reputatur ab Episcopo, vt si ei conferatur iurisdictio, vel ratione priuilegij, vel alio modo eligi possit & valeat absolutio ab eo tradita. Et hæc approbatio necessaria est ex Concilio Tridentino, vt Sacerdos possit esse capax iurisdictionis, sola ergo approbatio, quatenus approbatio non tribuit iurisdictionem, sed iurisdictio confertur ex priuilegio Summi Pontificis, id ergo præstat priuilegium Pontificis, vt possit eligi Sacerdos approbatus, quia ex sola approbatione non habebat iurisdictionem in aliquem

sed

A sed tantum habilis erat, vt eam posset recipere ex cõmissione Papæ. Ex Sacerdotibus verò approbatis virtute priuilegij potest eligi quicunque.

Ad secundum desumptum ex cap. fin. de Pœnit. & Remiss. Respondeo supponi in illo tex. Episcopos, & Prælatos electuros fore sibi ipsis Confessores peritos, nam ad illos iure pertinet examen Confessorũ. Hoc tamẽ non est supponendũ generaliter de quolibet fideli.

Tertium argumentum solutum ex dictis. Concludo itaque hanc quæstionem, quod vigore facultatis eligendi Confessorem, qui valeat absoluere ab omni excommunicatione, & censuris, vt absolutio impensa
B sit valida, est eligendus Sacerdos approbatus ab Ordinario; quæ conclusio licèt non sit adeò certa, vt opposita omninò careat probabilitate, tamen cum loquamur de absolutione pœnæ grauissimæ, quæ animã inficit, non existimo tutam fore, vt huic periculo exponamur, eligentes Sacerdotem, cui forsitan Summus Pontifex auctoritatem absoluendi non concesserit. Et multo magis hæc conclusio est probanda, si facultas concessa fuerit eligendi Confessarium, qui possit sacramentaliter absoluere à peccatis.

Sed postulabit aliquis, an ille, qui vigore Pontificij
C priuilegij bona fide confessus est Sacerdoti non approbato, ratus esse approbatum, vel ignorans approbationem requiri, recipiat validam absolutionem ab excommunicatione.

Respondeo talem absolutionem esse validam.

Primò quoniam si iure communi ante Conc. Trid. talis absolutio (vt est communis Doctorum sententia) erat valida simpliciter, non coarctando ad eos, qui bona fide accedunt, quantò magis erit valida quoad eos, qui bona fide ignorant; nam ex eo, quod Sacerdos non est examinatus, & approbatus, nulla ob id est censura innodatus, nec suspensus, quoniam suspensio culpam in suspenso supponit, ob quam à Iure, vel ab homine fuit suspensus. Est igitur simplex prohibitio, nè quis, antequam sit examinatus, confessiones audiat. Quæ quidem constitutio, etsi prohibeat factum, non tamen illud annullat, cum clausulam irritantem non contineat. Deinde Conc. Trid. loco citato solum decreuit, quid expediat, & deceat, cum prohibet nullum Sacerdotem ante approbationem posse audire Confessiones non tamen affirmat, si tentet id facere, confessionem esse inualidam, quod non tacuisset in re adeò necessaria ad salutem, quemadmodum in simili agens de Matrimonio sess. 24. cap. 5. ait Matrimonium sine præsentia Parochi contrahi non debere, & si secus fiat, irritum, & nullum haberi.

Demum si absolutio impensa à Sacerdote excommunicato (si pœnitens ignorat bona fide, & inuincibiliter illum esse excommunicatum) est valida, vt diximus superius, sequentes magis communem Doctorum opinionem, & tamen per excommunicationem videtur extingui potestas propinqua iurisdictionis absoluendi, vel saltem suspendi, quanto magis erit valida absolutio lata à Sacerdote non approbato quoad eos, qui bona fide ad eum accedunt, cum approbatio nullam tradat iurisdictionem. Nec plura dicamus de hoc capite.

DE CONDITIONIBVS QVAE REQVIRVNTVR EX PARTE ABSOLVENTIS VT ABSOLVTIO LEGITIME SIT TRADITA.

D DISPVTATVM est hactenus de illis, qui potestatem habent absoluendi ab excommunicatione hominis, & Iuris, tam reseruata, quam non reseruata, modò tractandum est de conditionibus, quæ requiruntur in ipso Absoluente, vt absolutio legitimè impendatur.

DISPVTATIO QVINTA.

Caput Primum. An ad validitatem absolutionis ab excommunicatione requiratur tanquam necessaria conditio vt ipse Prælatus, qui absoluit, sit sacerdos, vel sufficiat, vt sit Clericus.

E *Caput Secundum. An, vt absolutio ab excommunicatione sit valida, debeat prouenire ex libera voluntate Prælati non metu coacta.*

Caput Tertium. An, vt absolutio ab excommunicatione sit valida, oporteat, vt absoluens veram habeat notitiam causæ ipsius excommunicationis.

Caput Quartum. An, vt absolutio ab excommunicatione teneat, opus sit exprimere omnes causas, propter quas excommunicatio lata fuit.

CAPVT I.

An ad validitatem absolutionis an excommunicatione requiratur tanquam necessaria conditio, vt ipse Prælatus, qui absoluit, sit Sacerdos, vel sufficiat, vt sit Clericus.

ANte omnia affirmare debemus necessariam conditionem in ipso absoluente esse Clericatũ; quare iure ordinario simplicem laicũ non posse absoluere ab excommunicatione, sicut neque posse excommunicare, vt probatũ est in lib. 3. c. 6. disp. 7. Vbi de hac conditione plura dixi quoad potestatem excommunicandi, & eadem locum habent circa potestatem absoluendi; ille enim potest soluere, qui potuit ligare.

Secundo illud etiam est admittendum, quando hæc potestas absoluendi conceditur vigore Iubilei, vel priuilegij, aut Bullæ, regulariter communicari tantum sacerdotibus, quia tunc præcipuè delegatur hæc potestas ad obtinendam absolutionem sacramentalem à peccatis, quæ à solis Sacerdotibus impendi potest.

Controuersum est primò in hac quæst. an in aliquo

casu extremæ necessitatis, puta in articulo mortis, A quando deest Sacerdos, possit simplex Laicus impendere absolutionem ab excommunicatione; Si enim adest Sacerdos, omnes fatentur absq. dubio Laicum non posse, quia facultas absoluendi in articulo mortis conceditur propter absolutionem sacramentalem. Et hæc est communis Ecclesiæ consuetudo.

Quod autem absente Sacerdore in hoc casu necessitatis liceat Laico absolutionem ab excommunicatione tradere, ratio esse potest, quia cum Summus Pōtifex possit hanc facultatem concedere, existimandum est concessisse in tali articulo, si non adsit copia Sacerdotis; Nam quamuis Laicus non possit sacramentaliter absoluere à peccatis, tamen absolutio ab excommunicatione potest plurimum conferre ipsi pœnitenti B ad salutem animarum, quam omnibus modis Ecclesia in extrema necessitate suis fidelibus procurat, Quare sicut tunc propter hanc causam concedit omnibus iurisdictionem absoluendi à peccatis, qui sunt capaces illius; Similiter censendum est tribuere omnibus, qui sunt capaces, iurisdictionem absoluendi à censuris, Laici autem sunt capaces huius Iurisdictionis. Confirmatur, quoniam Papa potest delegare Laico potestatem excommunicandi cap. Præter Ver. Ducibus 32, dist. vt probaui in lib. 3, cap. 6. Disp. 7. ergo multò magis potest illi tribuere potestatem absoluendi ab excommunicatione, quod est fauorabilius l. Adrianus ff. De Actio. & oblig. Reg. Cum sint iura partiũ De Reg. Iur. lib. 6. Quare credendum est illam concessisse in C casu extremæ necessitatis.

Ità sentit Glo. in cap. A nobis 2. Ver. Non potuerit De Sent. Excom. in fi. posse excommunicatum à Laico absolui in articulo mortis, & probat arg. cap. Quem poenitet De Poenit. dist. 1. post med. Vbi dicitur de eo, qui coram Sacerdote confiteri non potest si alteri cōfiteatur, qui potestatem absoluendi non habeat, dignum esse venia, ex Sacerdotis desiderio; Idem confirmat Glo. in cap. Pastoralis §. Præterea Ver. Præterquam in mortis articulo De Off. Ordi. Nempè in articulo mortis posse absolutionem cōcedi à Laico à quacunque excommunicatione arg. cap. Sanctum est De Consecr. dist. 4. Vbi ex Aug. refertur, quendam poenitentem reconciliatum fuisse communioni Ecclesiæ à D Laico in vitæ periculo. Et quamuis Aug. fateatur historiam illam esse incertam, laudat tamen factum pium, & credit in tali periculo Deo placuisse. Sequitur hanc sententiam Abb. in dicto cap. A nobis nu. 10. & putat in hac extrema necessitate Laicum absoluere posse ab excommunicatione, non à peccatis, & ait talem absolutionem multum valere, scilicet quod hæres excommunicati defuncti non compellitur petere absolutionem à Papa, vel ab alio Superiore, à quo defunctus viuus erat absoluendus. Et in cap. Quanto num. 12. De Consuet. Abbas dicit tempore necessitatis posse, aliquem & debere confiteri Laico, non tamen per illum absolui posse; Idem ibi nu 9. ait Felin. & plenius E in cap. Pastoralis §. Præterea num. 12. De Off. Ordi. & citat ad hoc Glo. vlt. in cap. 2. De Poenit. & Remiss. & Glo. in cap. Veniens Ver. Necessaria De transact. & aliam Glos. in cap. Inferior Ver. Superior. 21. dist. Eiusdem sententiæ est Silue. Absolutio 1. §. 8. Armill. num. 39. Tabie. Absolutio 2. num. 8. Ang. Absolutio 3. num. 17.

Contrariam tamen sententiam tenent multi, non solùm Theologi, sed Canonistę, Palud. in 4. Senten. dist. 17. q. 3. & vtitur hac ratione quoniam ideo quilibet sacerdos in illo articulo potest absoluere tā à peccatis, quam à Censuris, quia verisimile est Papam voluisse, vt in illo casu necessitatis posset absoluere à peccatis omnis, cui talis potestas esset communicabilis. Et quia absolutio à peccatis supponit absolutionem à censuris, ideo ex necessaria consequentia videtur eidem commissa potestas absoluendi à Censuris; sed hęc ratio in laico cessat, cui neque à Papa committi potest potestas absoluendi à peccatis.

Hæc ratio Paludani videtur efficax, Verum non solum probat in articulo mortis potestatem absoluendi à censuris non competere Laico, sed minus etiam conuenire Subdiacono, aut Diacono, sed tantum Sacerdoti, qui valet absoluere à peccatis. Quare per laicum videtur intelligere quemcunque non Sacerdotem. Eiusdem opinionis Sotus est in 4. dist. 18. q. 4. art. 4. & citat Palud. & asserit Iudicem Laicum posse quidem absoluere ab excommunicatione, non aũt quemcunq; laicum, quatenus distinguitur à Clerico; talis enim laicus etiam Iudex iure ordinario non potest absoluere à censuris, sed significat eum, qui non sit Sacerdos. Nauar. cap. 1. in princ. num. 83. De Poenit. dist. 6. & in Manua. cap. 26. num. 26. Couar. in cap. Alma Mater prima par. §. 11. num. 9. & probat ex Glo. in cap. fin. Ver. Perciperet 24. q. 1. quę asserit ex omnibus functionibus, quæ spectant ad officium Sacerdotis illam solam laico esse permissam etiam in casu necessitatis, quæ in Iure est expressè cauta. In eandem opinionem Nauar. & Couar. citant Imol. l. 1. ff. de Publ. Iudi. qui probat ex Glo. in cap. Pastoralis §. Pręterea eandem conclusionem, & addit excommunicatum, qui in articulo mortis laico confitetur, in loco sacro sepeliri non posse, donec per contritionem, quam demonstrasset, absolueretur ab excommunicatione.

Hęc sententia videtur hodie communiter magis probari, quàm opposita. Ratio autem illa, qua Doctores citati conantur illam communiter probare ex ordine necessario, & connexione quam habet absolutio à peccatis cum absolutione ab excommunicatione, non videtur solida, & efficax, quia quilibet Sacerdos validè, & legitimè absoluit in articulo mortis excommunicatum etiam non confessum, si signa contritionis dederit, quia Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. in tali articulo tribuit facultatem cuilibet Sacerdoti non solum à quibuslibet peccatis, sed etiam censuris. Quare talis absolutio tolleret excommunicationē, nec oporteret iterum petere absolutionem restituta sanitate, si enim absolutio tradita à laico in tali necessitate vere tollit excommunicationem iuxta opinionem oppositam illorum, quos citaui, igitur multo magis talis vis debet inesse absolutioni traditę à Sacerdote, Idcirco efficacia huius absolutionis non oritur ex illa necessaria connexione inter vtramque absolutionem.

Palud. & Sot. afferunt aliam rationem ad idem probandum, quoniam nulla necessitas vrget, vt debeamus admittere laicum habere facultatem absoluendi in articulo mortis; talis enim absolutio nullius esset vtilitatis ipsi excommunicato, neque enim prodesset corpori, vt tradi posset Ecclesiasticę sepulturę, quia etiamsi obtineat absolutionem post mortem, potest sepeliri in loco sacro, neque etiam animæ quoniam si criminis lethalis macula sit infecta, & non habeat contritionem, absolutio ab excommunicatione nihil suffragatur.

Hæc ratio similiter patitur difficultatem, quam superius insinuaui ex Abb. qui censet hāc absolutionem collatam à laico in articulo mortis non esse inutilem, sed plurimum prodesse; Nam hæres Excommunicati

non

non compellitur adire Sedem Apostolicam pro abso- A lutione Defuncti, sicut teneretur, si decessisset sine absolutione, Glo. in Ver. Non potuerit cap. A nobis 2. De Sent. Excom. Neque enim post mortem excommunicatus à quolibet Sacerdote absolui potest. Quare accepta huiusmodi absolutione corpus Excommunicati potest sepeliri in loco sacro, & pro ipsius anima possunt preces, & orationes offerri ad Deum. Hæc omnia cessarent, vel saltem diù differri deberent non sine scandalo, & infamia. Defuncti, & successorem, si expectanda esset post mortem absolutio à Papa, vel ab alio Superiore, ad quem pertineret, quæ regulariter obtineri non posset, nisi post aliquam temporis moram.

Quamobrem posset eadem conclusio alijs etiam medijs corroborari, & illud videtur satis firmum; B Quod potestas absoluendi, sicut & potestas excommunicandi est spiritualis & ecclesiastica pertinens ad Claues Ecclesiæ, si in latiori significati ne accipiantur; sed nihil potest agere laicus in spiritualibus etiã in mortis articulo; nisi quod expressim iure cautum fuerit, vt asserit Glo. citata in Ver. Perciperet in cap. fin. 24. q. 1. Cuius Glo. meminit Dec. in cap. Decernimus numero 23. De Iudi. Vbi decernitur ab Eugenio Papa; Ne laici ecclesiastica negocia tractare præsumant. Nunquam reperimus in Iure concessum fuisse laicis, vt in articulo mortis possint absoluere ab excommunicatione, igitur carent hac potestate; Immò in Conc. Trid. talis anctoritas absoluendi in articulo mortis tribuitur Sacerdoti. C

Addi potest alia ratio, quoniam nulla verisimiliter apparet causa, propter quam cogamur fateri Ecclesiam in articulo mortis voluisse concedere hanc potestatem laico, quoniam, moraliter loquendo, vix potest contingere casus, vt constitutus in articulo necessitatis sit excommunicatus, & non adsit copia alicuius simplicis Sacerdotis, qui eum possit absoluere; Quare nulla apparet necessitas, cur Ecclesia hanc potestatem debuerit elargiri mero laico.

Accedit tertiò, quod hæc facultas absoluendi ab excommunicatione in mortis articulo præcipuè concessa fuit ab Ecclesia, vt pœnitenti in ea necessitate posito impendi possit absolutio sacramentalis à pec- D catis necessaria ad salutem consequendam. Quæ absolutio sacramentalis prærequirit absolutionem ab excommunicatione, & idcirco hæc facultas non fuit cõcessa laico, sed soli, & omni sacerdoti, qui à peccatis absoluere potest, licet possit Sacerdos, postquam hanc potestatem accepit, ea vti tantum circa censuras absoluendo Excommunicatum ab excommunicatione, vbi propter aliquem obicem non potest absoluere à peccatis. His igitur rationibus satis probabiliter confirmatur hæc opinio.

Ex qua sequitur, vt inquit Couar. in dicto nume. 9. contra Abb. Felin. & Silue. locis citatis non excusari hæredes Defuncti excommunicati à petenda absolutione ab excommunicatione, etiamsi fuerit in mortis E articulo per laicum defuncto data absolutio.

Non obstant, quæ initio allata sunt in oppositam partem; Ad primam enim rationem patet ex dictis nullam assignari posse causam necessitatis, cur hæc potestas fuerit concedenda Laico in mortis articulo, vt probauimus, licèt enim hæc potestas possit Laico delegari à Papa de potentia absoluta, sicut etiam potestas excommunicandi, vt dixi in Cap. 6. Disp. 7. lib. 3. Tamen nulla adest ratio, quæ persuadere valeat id factum fuisse; Iure autem ordinario Laicus non est capax huius potestatis.

Ad Glos. in cap. A nobis respondet Nauar. in illo cap. 1. in princ. nu. 87. De Poenit. dist. 6. illam Glosam non esse sequendam, maximè cum habeamus pro hac opinione aliam Glosam expressam maioris auctoritatis propter excellentiam Auctoris, vt ipse Nauar. testatur, in cap. fin. Ver. Perciperet in fi. 24. q. 1. superius relatam; Quæ clarissimè negat ex his, quæ ad officium Sacerdotis pertinent, posse aliquid Laico conuenire etiam in necessitate, nisi id, quod in Iure expressum inuenitur.

Ad Glo. in cap. Pastoralis §. Præterea De Off. Ordi. dicendum est hanc Glo. potius confirmare nostram opinionem, quam oppositam; licet enim initio dicat in articulo mortis posse à quacunque excommunicatione absolutionem concedi, à Laico; Tamen in fine concludit: *Posse quempiam in necessitate confiteri laico, sed laicum non posse illum absoluere, aut ligare* &c. Quam omnes Doctores ibi sequuntur, & Imol. in l. 1. ff. De Publ. Iudi. dixit esse singularem pro hac sententia.

Ad cap. Sanctum De Consecr. dist. 4. Respondeo in eo tex. agi de reconciliatione publici pœnitentis, non de absolutione ab excommunicatione; Neque enim semper publici poenitentes erant excommunicati, & ita intelligit illum tex. Glo. in cap. fin. Ver. Perciperet 24. q. 1. Adde historiam illam, quæ ibi narratur de eo, qui in Naui imminente naufragio fuit à Laico absolutus ex Aug. descriptam in Epist. ad Fortunatum, non esse admodum authenticam, vt ibidem dicitur ex eodem Aug.

Sed adhuc pro contraria sententia videtur facere tex. in dicto cap. Quem poenitet Veri. Tanta. Itaque De Poenit. dist. 6. Vbi videtur significari in articulo mortis, si non adsit copia Sacerdotis, faciendam esse confessionem sacramentalem Laico; Verba tex. sunt; *Tanta itaque vis confessionis est, vt, si deest Sacerdos, confiteatur Proximo, Sæpè enim contingit, quod pœnitens non potest confiteri coram Sacerdote, quem desideranti nec locus, nec tempus offert. Et si ille, cui confitebitur, potestatem absoluendi non habet, fit tamen dignus venia, qui socio confitetur turpitudinem criminis.* Eadem prorsus verba repetuntur in cap. 1. in fi. De Poenit. dist. 6. Si igitur præcipitur confessio sacramentalis in articulo mortis Laico facienda, quæ extra illum articulum tantum Sacerdotis fieri debet, qui habet potestatem Clauiũ, ergo multò magis tempore necessitatis petenda erit absolutio ab excommunicatione, quæ non requirit in Absoluente ordinem Sacerdotalem, cum sit actus Iurisdictionis, non ordinis.

Idem confirmat Concilium Constantiense in Bulla Martini Quinti; Vbi damnantur errores Io. Vicleph. & Io. Hus, cum inquit: *Vtrum credant, quod Christianus vltra contritionem cordis habita copia Sacerdotis idonei soli Sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, & non Laico, seu Laicis, quantumcunq. bonis, & deuotis.* Si quando haberi potest Sacerdos, illi confitendum est, ergo quando deest Sacerdos, homo tenetur confiteri Laico.

Præterea sacramentum Poenitentiæ est simpliciter necessarium ad salutem lapsis; Est enim secunda Tabula post naufragium, sicut ad delendum peccatum originale necessarius est Baptismus, sed in necessitate Laicus potest baptizare, ergo similiter poterit absoluere à peccatis, igitur multò magis ab excommunicatione, sine qua à peccatis absolui nequit, & ratione huius necessitatis, quæ intercedit inter Baptismum, & Sacramentum Poenitentiæ, inquit S. Tho. vbi supra; Quod sicut Baptismus duplicem habet

Mini-

Ministrum; Alterum, cui ex officio conuenit potestas A baptizandi, & est sacerdos; Alterum, cui communicatur facultas dispensandi Baptismum in necessitate, & est laicus; Ita etiam Sacerdos est minister Pœnitentiæ, cui ex officio confessio facienda est; laicus verò in necessitate supplet vices Sacerdotis, vt ei confessio fieri possit.

Ad hanc difficultatem respondendum est, primò falsum esse id, quod assumitur Confessionem sacramentalem laico fieri debere necessitatis tempore; Nã neque fieri debet, neque potest sine sacrilegio. Ratio est, nam confessio sacramentalis, ad quam ex præcepto obligantur fideles, est medium ad obtinendam gratiam sacramentalem per absolutionem sacerdotis, sed laicus caret potestate Clauium, ideo absoluere B non potest, ergo nemo tenetur ex præcepto confiteri laico. Non potest etiam sine peccato lethali quis confiteri laico ea intentione, vt velit recipere absolutionem ab illo, quod est confiteri sacramentaliter, vt notat Turre Crem. in dicto cap. Quem pænitet dist. 1. Ad septimam quæstionem; Nam peccatum mortale est accipere absolutionem ab illo, qui caret potestate Clauium, nec vllo modo potest illam habere, cum sit inhabilis, & incapax Iure diuino, talis est laicus, ergo æquale crimen erit eidem confiteri hoc animo; Committitur enim irreuerentia in rebus sacris, & est sacrilegium, cap. Sacrilegium, & ibi Glo. 17. q. 4. Quare ca. Quem pœnitet; Vbi commendatur Confessio facta laico in necessitate, non est intelligendum de Confes- C sione sacramentali; Sed de Confessione vt est actus virtutis, qua se ipsum quis accusat, vt hoc medio excitet se ad dolorem peccatorum, & humilitatis actum exerceat, & Summus Pontif. in illo cap. vult indicare potentiam confitendi, non præceptum, & obligationem, vt inquit Nauar. in dicto cap. 1. in princ. nu. 76. De Pœnit. dist. 6. Et eodem modo accipienda sunt verba D. Tho. in 4. dist. 17. q. 3 art. 3. quæstiuncula 2. Vbi appellat hanc confessionem quodammodo sacramentalem, non enim vult significare esse partem sacramenti, sed esse similem sacramentali Confessioni, quia ex parte pœnitentis nihil deest huiusmodi confessioni, & quoniam ex defectu Sacerdotis deest absolutio; D Idcirco Summus Sacerdos, inquit D. Th. supplet hunc defectum, si enim pœnitens habet contritionem, recipit à Deo gratiam.

Ad Concilium Constantiense respondetur ibi solum definiri id, quod erat de fide, scilicet Confessionem necessariò faciendam esse Sacerdoti, si illius copia haberi potest; An verò, si sacerdos non reperiatur, confitendum sit laico nihil de hoc statuitur, relinquitur Theologis disputandum, & argumentum à contrario sensu non probat.

Secundò respondendum est ad eandem difficultatem, quod licet olim hic mos confitendi laico tempore necessitatis frequentior esset; Quod colligitur ex dicto cap. Quem pœnitet, & ex ijs, quæ dicuntur à B. E Tho. Hæc tamen consuetudo hoc tempore videtur penitus extincta, quia communiter plus detrimenti, quã vtilitatis afferre potest; An verò aliquando sit consulenda dubitant Doctores, Scotus negat dist. 14. q. 4. quia homo irrogat sibi infamiam absque necessitate, & dist. 17. q. 3. dicit Regulariter minimè vtilem esse. Idem affirmat Dom. Sot. dist. 18. q. 4. art. 1. Vers. Sed si quis dubitet. oppositum sentit Alex. 4. par. q. 78. mem. 1. art. 1. quem sequuntur Palud. & Bonau. dist. 17. Censeo ego non posse aliquid certi simpliciter affirmari, hoc enim pendet ex conditionibus, & circumstantijs, quæ accidunt; Si enim infirmus indigeret consilio, & præsens esset laicus prudens, & fidelis, à quo adiuuari posset absente sacerdote, in hoc casu non perperam ageret, si confiteretur laico, vel si confiteri vellet ad maiorem erubescentiam, & dolorem peccatorum, vel propter humilitatem; Nam vir perfectus, vt refert Turre Crem. vbi supra ex sententia S. Bernardi super Cant. tantæ est humilitatis, quod vellet omnes nosse sua peccata. Quando verò hæ conditiones non extant, melius, & tutius esset soli Deo confiteri. Et addit Turre Crem. quod etiam quando Confessio esset consulenda, non videtur expediens confiteri peccata in specie, sed in genere; Nempè vt pœnitens generaliter diceret Ego peccaui, Confiteor tibi peccata mea, quæ in specie, & distinctè aperirem confitendo illa, si haberem sacerdotem; Hoc enim modo indicat propositum, & intentionem confitendi, & Deus admittit hanc voluntatem, licet non sequatur opus, quoniam necessitas excludit.

Ad rationem sumptam ex sacramento Baptismi; Respondeo valdè diuersam, & separatam esse rationem horum duorum sacramentorum Baptismi, & Pœnitentiæ; Nam Baptismus est sacramentum simpliciter necessarium ad salutem Infantibus ante vsum rationis, quibus nullum aliud remedium competit ad remissionem peccati præter baptismum; Et ideo optimè ex Christi institutione concessum fuit, vt à quocunque validè conferri posset, sed sacramentum pœnitentiæ non est tantæ necessitatis, potest enim suppleri per contritionem. Et quando pœnitẽs solam attritionem haberet, per confessionem factam laico non efficitur contritus. Quare nulla erat causa, vt illius administratio committeretur laico, sicut apparet de Baptismo. Cuius diuersitatis illud est manifestum argumentum, quod si laicus etiam hæreticus baptizet extra necessitatem, licet malè faciat, tamen sacramentum tenet, vt inquit Conc. Trid. sess. 7. can. 4. Quod de sacramento Pœnitentiæ dici non potest. Cum verò inquit S. Tho. duos esse ministros sacramenti Pœnitentiæ, & Baptismi, non est id accipiendum, vt putemus voluisse significare laicum posse tanquam ministrum conferre sacramentum pœnitentiæ, & absolutionem tradere, sed solum ostendere voluisse, non esse denegatam alicui quacunque necessitate occurrente facultatem confitendi peccata sua, quamuis non adsit Sacerdos; Quia laicus in eo casu vices sacerdotis supplet, non vt possit absoluere, sed vt illi confessio fieri possit. Et hic mos, & vsus illo tempore erat frequentior, quàm hodie, forasse quia minor erat numerus sacerdotum.

Remanet igitur firma conclusio laicum in articulo mortis non posse absoluere ab excommunicatione; Et hæc erat prima difficultas huius Capitis.

Sed superest alia dubitatio eluciданda; An necesse sit Sacerdotem esse illum, cui talis potestas absoluendi ab excommunicatione competit in articulo mortis, vel sufficiat, vt sit Clericus, vel sacris initiatus.

Ratio dubitandi est; Quoniam si hæc facultas in articulo mortis potissimum concessa fuit ad obtinendam absolutionem à peccatis, vt dixi, & absolutio à peccatis ab alio tradi non potest, quàm à Sacerdote; Igitur soli Sacerdotes absoluere poterunt excommunicatos in articulo mortis.

Ad hæc Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. loco citato dicit in illo articulo omnes sacerdotes à quibuscunque peccatis, & censuris absoluere posse; Solis igitur Sacerdotibus tribuit hanc iurisdictionem.

Difficultas hæc tractatur de Iudice, & Prælato, qui habet

habet auctoritatem ad excommunicandum, an possit absoluere ab excommunicatione, si non sit Sacerdos, quamuis sit Clericus. De qua difficultate agere possumus in duplici sensu. Primò simpliciter de Prælato habente iurisdictionem ad excommunicandum, an possit absoluere eos, quos excommunicauit, si non sit Sacerdos: Secundò, An talis Prælatus possit absoluere alienos subditos in articulo mortis, si non sit Sacerdos.

Quantum ad primam partem Host. in dicto cap. A nobis 2. De Sent. Excomm. & in cap. Ad aures De Simo. vt refert Couar. in illo §. 11. nume. 10. distinguit duplex vinculum in excommunicatione; Vnum quoad forum Pœnitentiale; Alterum quoad forum iudiciale. Quoad secundum vinculum affirmat posse absolutionem ab excommunicatione ministrari ab eo, qui iurisdictionem habet, etiamsi Presbyter non sit, quia talis absolutio est actus Iurisdictionis cap. Transmissam De elect. Verum quoad primum vinculum dicit excommunicatum non posse absolui ab alio, quàm à Sacerdote Tex. in cap. Canonica, & cap. A nobis De sent. excom. cum hæc absolutio ad ordinem spectet.

Sed hæc distinctio falsa est, vt benè ibi ostendit Couar. probans absolutionem ab excommunicatione quoad omne eius vinculum tradi ab habente iurisdictionem excommunicandi, quamuis non sit Presbyter, nec in sacris constitutus.

Primò quoniam hæc iurisdictio ad excommunicandum, & absoluendum, vt aliàs dictum est, desumitur ex eisdem verbis Matt. 18. *Quæcunque alligaueritis super terram*, &c. Sed potestas excommunicãdi est actus solius iurisdictionis, quam potest habere Clericus sola prima tonsura initiatus, quamuis non sit Sacerdos, nec ordine sacro insignitus ca. Transmissam De elect. Vbi decernitur Episcopum electum nondum consecratum posse excommunicare, suspendere, & interdicere, quia hæc non respiciunt ordinem, sed iurisdictionem: Igitur talis Clericus potest habere iurisdictionem absoluendi.

Confirmatur, quoniam regulariter qui potest ligare, potest etiam soluere cap. Inferior 21. dist. l. qui condemnare ff. De re iudic. Sed Prælatus habens iurisdictionem Clericus tantum potest excommunicare, ergo poterit absoluere. Neque oppositum probatur in dicto cap. Canonica De sent. excom. vt dicit Couar. Ibi enim agitur de Equitibus Hierosolimitanis, qui erant absoluendi per eorum Priorem, quem, inquit Summus Pontifex, audiuimus esse Presbyterum; Ne ille Prior fortassis esset laicus, atque ideo absoluere non posset, sed Papa non exigit illum Priorem esse Presbyterum, quia ordo Presbyteratus sit necessarius ad absoluendum ab excommunicatione.

De secunda parte quæstionis aliqui Doctores censent Iudicem Ecclesiasticum, qui habet potestatem excommunicandi, & absoluendi, posse in articulo mortis absoluere ab excommunicatione quemcunq; Excommunicatum, etiam non subditum, quem extra illum casum necessitatis non valeret absoluere.

Fundamentum huius opinionis est, quia sicut iurisdictio absoluendi à peccatis, quam habet Parochus iure ordinario in suos subditos extenditur ad quoscũque in articulo mortis; Ita iurisdictio, quam habet Iudex Ecclesiasticus, vt possit absoluere suos subditos ex pia Ecclesiæ interpretatione, videtur extendi ad non subditos in articulo mortis.

Hanc opinionem confirmant verba, quæ habentur apud Palud. in 4. dist. 18. quæst. 5. numero 10. Cum ait:

A *In articulo mortis posse aliquem absolui ab excommunicatione à quolibet Sacerdote, Vel ab eo, qui aliàs potest absoluere ab excommunicatione, licet non ab illa*; Quasi in illo casu necessitatis extendatur illa iurisdictio.

Hæc opinio non caret aliqua probabilitate, opposita tamen est multò probabilior In articulo mortis neminem posse absolui ab Excommunicatione, præterquam à suo Prælato, aut eius Vicario, quamuis Presbyter non sit; vel à Sacerdote.

Probatur, quoniam absolutio, vt sit valida, requirit in Absoluente Iurisdictionem erga excommunicatum quoad illam excommunicationem, sed hæc cessant in Prælato non Sacerdote circa personam non subditam, igitur talis absolutio non erit valida; Hæc enim B Iurisdictio non conuenit Prælato ratione dignitatis, & officij, quia hæc respicit solos subditos; Neque concessa est ab ipso Iure communi propter necessitatem illius temporis, quia nullibi hoc reperitur; Immò potius oppositum videtur expressè statutum in Concilio Trid. Vbi solis Sacerdotibus communicatur hæc iurisdictio: Maximè quod (vt dictum est) occasio, qua mota est Ecclesia ad communicandum omnibus Sacerdotibus hanc potestatem, fuit prouidere Infirmo, vt in articulo mortis posset obtinere absolutionem à peccatis, quam solus Sacerdos potest tradere. Neque ad stabiliendam hanc iurisdictionem necessariam ad validitatem absolutionis sufficiunt coniecturæ, quæ in oppositam partem afferuntur. Nec plura de hoc C Capite.

CAPVT II.

An, vt absolutio ab excommunicatione sit valida, debeat prouenire ex libera voluntate Prælati, non metu coacta.

SEcunda conditio requisita in Absoluente, vt ex libera voluntate, & certa scientia absolutionem impendat, est enim actio humana, & ex consequenti libera. Et quoniam voluntas non fertur in incognitum, necesse est, vt Absoluens habeat cognitionem causæ, propter quam excommunicatio lata fuit, vt possit voluntariè absolutionem tradere. Quæ cogni- D tio debet esse accomodata iuxta modum, & formam absolutionis; Si enim absolutio generalis datur, quando dubitatur de excommunicatione, sufficit cognitio conditionata, & dubia; Vt cum dicitur Absoluo te, quantum possum, & indiges. At, quando traditur absolutio in particulari, requiritur cognitio distincta, & determinata. Quare si excommunicatus fraude, & dolo vtatur in exponenda, & aperienda causa suæ excommunicationis; Absolutio concessa erit nulla; Vt si dicat se satisfecisse parti læsæ, cum re vera non satisfecerit, aut si asserat se paratum esse parere Ecclesiæ, cum oppositum velit; Vel si Hæreticus ore tantum damnet, & abiuret suam hæresim, corde tamen adhæreat propositioni damnatæ, absolutio, quam recipit, E est nulla; Vnde si postea verè resipiscat, peccatum Hæresis remanet ita reseruatum, sicut erat ante absolutionem, quia absolutio fuit inualida defectu liberæ voluntatis ipsius Absoluentis; Ipse enim Iudex, si non fuisset deceptus ab excommunicato, & si habuisset notitiam animi deprauati, & pessimæ voluntatis persistendi in errore, vtique non concessisset absolutionem; Ideo absolutio non fuit voluntaria, & propterea non fuit valida.

Hinc Doctores sumunt rationem dubitandi; An absolutio impensa ex metu cadente in constantem

virum

virum sit nulla, & inualida ex eodem defectu liberæ voluntatis, quia talis metus videtur tollere libertatẽ, & compellere agentem ad id efficiendum, quod aliàs, si metus non præcessisset, nullo modo fecisset.

Ad hanc quæstionem respondendum est ex ijs, quæ dixi in lib.3. cap.1. Disp.9. Vbi pluribus demonstraui excommunicationem latam etiam ex metu grauissimo esse validam per se, & ex natura rei, quoniam actus proprius voluntatis ab ipsa elicitus non potest esse coactus, & eadem ratio est de absolutione. Quare quocunq. graui metu ductus fuerit Prælatus ad absoluendum excommunicatum, illa actio tamen dicenda est simpliciter, & absolutè voluntaria, & libera. Et idcirco ex hoc capite absolutio non poterit dici inualida. Sed talis absolutio extorta per vim, & metum est nulla iure positiuo humano, quia Summus Pontifex huiusmodi absolutionem declarauit irritam, & inanem in cap.vni. De his, quæ vi, metusuè ca.fi.lib.6. Vbi absolutionem à quacunq, censura, scilicet excommunicatione, suspensione, & interdicto metu extortam decreuit esse nullam, & nullius valoris.

Qua in re differt absolutio ab excommunicatione; Nam excommunicatio lata ex tali metu valida est, & tenet, tàm ex natura rei, quàm Iure humano; Glo. in dicto cap.vni. Ver.Vacuamus; Nauar. in Manua. cap. 27.nu.38. Absolutio verò valida est per se & ex natura rei, sed sacri Canones illam infringunt, & irritant in dicto cap.vnico, Abb in cap. Abbas nu.15. eod.tit. De his quæ vi, metusuè ca.fi.

Quam ob causam verò potius irritare voluerint absolutionem, quàm excommunicationem, declaraui in illo capite primo, & assignaui rationes diuersitatis; Sicut etiam differunt excommunicatio, & absolutio, vt inquit Nauar. in dicto nu.38. Quod excommunicatio iniusta ex causa nihil nocet in foro conscientiæ; Absolutio iniusta prodest; Nam Absoluto ad hunc modum prosunt suffragia Ecclesiæ, & Minister Ecclesiæ potest pro illo orare in publica oratione. Quare si, Reus vi, aut metu per se, vel per alium illato cogat Iudicem, aut Confessarium absoluere ab excommunicatione etiam illicitè inflicta contra ordinem, aut cogat Interdictum reuocare (& idem est de suspensione) non manet absolutus; Silue. Excommunicatio 9.§.43. Nauar. in Manua.cap.27.nu.125.§.17. Caiet.in Sum. Ver.Excommunicatio cap.41.

Ad irritandam autem absolutionem non sufficit quilibet metus, sed requiritur metus iustus, grauis cadens in constantem virum. Qualis vocari debeat, metus cadens in constantem virum, declaraui in dicto Cap.primo.Disp.9.& Summatim necesse est, vt sit probabilis, non leuis, sed de re graui, non ab intrinseco proueniens, sed ab extrinseco illatus, scilicet ab homine per iniuriam.

Quare non probo opinionem Caiet. & Nauar. qui putant metum etiam leuem irritare absolutionem, si fuit causa extorquendi absolutionem, quia hic metus non dicitur in Iure simpliciter metus, & pœna Iuris humani restringitur ad casum expressum.

Qui verò per metum grauem impetrat absolutionem, incurrit nouam excommunicationem dicto cap. 1.De his, quæ vi, metusuè ca.fi.lib.6. Concil. Trid. sess. 25.De Reform.cap.3.ad fi.ait; *Nefas esse, vt Magistratus compellat Iudicem Ecclesiasticum absoluere*, Caiet. vbi supra, Ang. Excommunicatio 5.casu 15. Nauar. cap.25.nu.16.cap.27.nu.125.§.12.

Verum nonnulli Regij Magistratus non satis videntur hoc decretum seruare. De qua re Nauar.cap.27.

A nu.69.& 70.& in Apolog. De Redditibus q.1.mon.83. nu.2.Caiet.in Sum. Ver.Excommunicatio cap. 19. & 30.Driedo.lib.1. De Libert.Christia. pag.143. Sot. in lib. De Ratione teg. secr. membr. 2. Couar. Pract. Quæst.cap.35.nu.3.

Si quærat aliquis, An absolutio ab excommunicatione data à Prælata ad euitandum probabile mortis periculum, quam ei comminatur Princeps aliquis, Gentilis, aut. Paganus, nisi absolutionem tradat, sit inualida.

Respondeo inualidam esse, tùm quia licèt ille Paganus, aut Gentilis non sit subiectus Legibus Ecclesiasticis, est tamen subiectus Prælatus Ecclesiæ, qui absolutionem pronunciat, ideo potest irritare hunc actũ, B si hoc, vel illo modo fiat, Tùm etiam quoniam, etsi Paganus directè non sit Subditus Ecclesiæ, potest tamen indirectè fieri subditus, si quærat Ecclesiæ iniuriam inferre. Nàm in eo casu Ecclesia non solum potest se tueri, sed etiam punire, & vindicare iniuriam illatam.

CAPVT III.

An, vt absolutio ab excommunicatione sit valida, oporteat, vt absoluens veram habeat notitiam causæ ipsius excommunicationis.

QVæritur in hoc capite de tertia conditione, scilicet de vera cognitione causæ, propter quam C fuit excommunicatus ille, qui est absoluendus, an hæc cognitio sit necessaria, ità vt absolutio impensa ex falsa causa non sit valida; Vt si Excommunicatus dicat se satisfecisse, vel paruisse, sicut ei mandatum fuerat, & mentiatur, & Prælatus illius assertioni acquiescens eum absoluat, an talis absolutio, quæ falsa causa nititur, sit valida.

Communis opinio Doctorum consentit in hac conclusione Absolutionem ab excommunicatione pronunciatam ex falsa causa esse nullam, & nihil prodesse Excommunicato. Huius opinionis est B. Tho. in 4. dist.18.q.2.art.3. Abb.in cap. Ex parte nu. 6. De Off. Ordi.& in cap.Cum pro causa nu.6. De Sent. Excom. Card. in dicto cap. Ex parte oppo. 4. & cap. Quod D super his De Fide Instrum. & ibi Felin. Silue. Ver. Absolutio 3. §. 11. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 38. Conar. in cap. Alma Mater prima par.§.11.nu.14. & alij omnes.

Probant hanc conclusionem ex dicto cap. Ex parte De Offic. Ord. Vbi Alexander Tertius statuit absolutionem, quam quidam Excommunicati impetrauerãt à Sede Apostolica suppressis causis, pro quibus fuerant excommunicati, & falsis narratis, nihil prodesse ipsis Excommunicatis, & ibi Glo. Ver. redire; Innoc. Tertius in cap. Officij De Sent. Excom. ait, quod *Supprimenti veritatem absolutio subrepta non prodest*, Et idem dicitur in cap. Cum pro causa eod.tit.& in cap. Quod super his De Fide Instrum. Ab eodem Innoc. Tertio E definitum fuit absolutionem non valere ab obligatione persoluendi Votum, impetratam tacita veritate, aut expressa falsitate; Vbi Glo. Ver. Carere volumus, affirmat literas absolutionis à voto, & ab excommunicatione, continere debere veritatem.

Ratio verò huius dicti est, quoniam, vt dicebam capite præcedenti, absolutio vim habet ex voluntate Absoluentis; Sed absoluens, si cognouisset veram causam, non tradidisset absolutionem, igitur talis absolutio non tenet.

Qua in re inquit Glo. in dicto cap. Ex parte Ver.

Redire

Redire De Off. Ordi. differentiam esse inter excommunicationem, & absolutionem, quia excommunicatio lata ex falsa causa tenet, non autem absolutio. Et vtrunq; ait inductum esse ad spirituale commodum ipsius animæ; quia excommunicatio etiam iniusta nō est contemnenda, nè ex ipso contemptu liget animam 11. q. 3. cap. Si is qui §. Cum ergo in fi. Et quando non contemnitur potius ei obest, qui iniustè excommunicat, quàm Excommunicato 11. q. 3. cap. Illud. Et idem repetit Glo. in cap. 1. Ver. Propter quam De sent. excom. lib. 6.

Hanc Glo. differentiam inter excommunicationem, & absolutionem sequitur Nauar. in dicto nu. 38. & Couar. in dicto num. 14.

Sed Abb. in dicto cap. Ex parte num. 6. De off. ordi. illam reprobat, & putat esse eandem rationem de excommunicatione sicut de absolutione; Quod sicut absolutio ex falsa causa non tenet, ita etiam excommunicatio, quia si Prælatus cognouisset falsitatem, non pronunciasset excommunicationem, quamuis ad cautelam sit obtinenda absolutio. Idem asserit Card. in cap. Ab excommunicato De Rescript. in dicto cap. Ex parte, & dicto cap. Super his, dicens Neque excommunicationem, neq; absolutionem habere vires suas, si vtraque lata fuerit ex falsa causa, si aliàs Iudex neutram fuisset pronunciaturus, & è contra vtramq; valere, si Iudex intentionem habuisset vtramq; ferendi, etiamsi sciuisset vtriusque causam esse falsam.

Sed de excommunicatione prolata ex falsa causa, an teneat, & obliget excommunicatum, fusius pertractatum est in lib. 3. cap. 1. Disp. 2. Vbi disputatum est de omnibus modis, quibus excommunicationis sententia potest continere iniustitiam, & declaraui, quando sit inualida, & quando vim habeat obligandi tum in foro interiori, tum exteriori.

Quantum spectat ad absolutionem, de qua modò agimus, vera est sententia Abb. & Card quod regulariter absolutio concessa ex falsa causa non tenet, quia præsumitur lata præter intentionem ipsius Prælati, sed fraude, & dolo impetrata per surreptionem, quia, si sciuisset falsam esse causam, non absoluisset.

Quare si voluntas ipsius Iudicis fuisset omninò absoluere excommunicatum, quamuis causa expressa omninò fuisset falsa, absolutio dicenda esset valida, licet iniqua, & iniusta, & Absoluens esset reus culpæ, tex. optimus ad hoc probandum in cap. Venerabilibus §. sanè si certum in fi. De sent. excom. lib. 6. Vbi expressè habetur, absolutionem traditam à Superiore valere, licet forsitan iniusta sit causa.

Huius dicti illa est ratio, quoniam (vt colligitur ex dicto cap. Venerabilibus loco citato) duo requiruntur, & sufficiunt ad validitatem absolutionis; Potestas absoluentis, & eius voluntas, quibus existentibus absolutio tenet, quantumuis causa falsa sit, quia absolutio accipit robur ex intentione, & potestate, non ex causa, quando nihil aliud obstat, idest quando in iure expressum non fuerit absolutionem fore inualidam, nisi tali, vel tali causa existente lata fuerit.

De excommunicatione verò res est magis dubia; An quando constat de potestate, & intentione Excommunicantis, etiamsi falsa sit causa, teneat excommunicatio, quoniam non tantum vim accipit ex potestate Iudicis, sed etiam ex iustitia causæ. Quare in hoc casu videndum esset; An ista causa falsa esset quidem secundum rei veritatem, sed in iudicio legitimè probata tanquam vera; Vel non tantum esset falsa re ipsa, sed talis etiam probata in Iudicio; Vt si quis excommunicaretur, quia eleemosynam pauperi elargiretur, vel quia faceret aliquid per se bonum, aut non operaretur id, quod genere suo esset illicitum, & prauum, vt dicitur in dicto cap. Venerabilibus §. Potest quoque & talis excommunicatio absque dubio esset nullius valoris tanquam prouenien ex falsa causa, quamuis Iudicis propositum fuisset velle excommunicare, quia contineret intolerabilem errorem. Sed hæc omnia latius explicata sunt in illo cap. 1.

CAPVT IIII.

An, vt absolutio ab excommunicatione teneat, opus sit exprimere omnes causas, propter quas excommunicatio lata fuit.

QVarta conditio requisita ad validitatem absolutionis est, vt in absolutione exprimantur omnes causæ, propter quas reus fuit excommunicatus.

Vt intelligatur ratio huius conditionis oportet prę cognoscere pluribus modis accidere posse aliquem esse excommunicatum ex pluribus causis; Aliquando enim quis sæpius est excommunicatus ob plures causas, & diuersas contumacias ab vno Iud.ce, vel à diuersis Iudicibus. Nōnunquam ab ipso Iure ob diuersa crimina, vel ob vnum, & idem delictum sæpius repetitum, vt si plures Clericos percusserit, vel eundem plu- ries. Interdum ob vnum delictum, sed specialem habens circumstantiam; Vt si quis rapinam committat frangendo fores Ecclesiæ. Quandoque aliquis est excommunicatus Iure communi, & Statuto Episcopi. Vt igitur expediam hanc difficultatem, proponam aliquas propositiones, quibus distinctè declarabo, quid sit probabilius.

Dico primò, si quis vna, vel multis ligatus est excommunicationibus ex pluribus causis æquè principalibus, non censetur absolutus ab omnibus, si in petitione, & impetratione absolutionis vnam ex illis tacuit, cap. Ex parte De Off. Ordi. cap. Cum pro causa, cap. Officij De Sent. Excomm. & ibi Glo. & Doct. Est sententia B. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. Palud. q. 5 Siluestri Absolutio 3. §. 11. Couar. in cap. Alma Mater 1. par §. 11. num. 13.

Dicitur autem, quādo est excommunicatus ex pluribus causis æquè principalibus, quia si causa tacita non esset principalis, quæ si fuisset expressa, verisimiliter non potuisset auertere Prælatum ab absolutione, tenet absolutio arg. cap. Super literis De Rescrip. Abb. in cap. Cum pro causa nume. 6. De sent. excomm. ità videtur sentire, Paludanus in 4. sentent. distinc. 18. quæst. 5.

Est tamen differentia, quando quis innodatus est excommunicatione ob plures causas principales, sed vnica sententia, vel ex pluribus causis, & diuersis, ac distinctis sententijs iuxta numerum causarum; Nam in primo casu, si taceat aliquas causas, non absoluitur ab excommunicatione; In posteriori verò casu absoluitur ab illis excommunicationibus, quarum causas expressit, remanet alligatus alijs, quarum causas tacuit, vt tenet Glo. fin. secundum magis communem opinionem in dicto cap. Cum pro causa, sed sufficit vnica sententia absolutionis ad tollendas plures excommunicationes, dummodò omnes causæ exprimantur, vt ibi inquit Glo. & in dicto cap. Officij Ver. Excommunicationi, vinculo eod. tit. Nam sicut vnica sententia sufficit ad plures excommunicationes inducendas ob plura delicta commissa ita è contra dicendum est de absolutione, si omnes causæ exprimantur,

Quam-

Quamuis oppositum videatur sentire Glos. in cap. Ex parte Ver. Redire De Off. Ordi. cum ait: *Sed si pluribus sententiis Ligatus est, vt à qualibet absoluatur, & vltima confirmabit omnes præcedentes*, Et post aliqua: *Et tot sunt necessariæ absolutiones, quot fuerunt excommunicationes &c.* Sed hoc dictum Glo. non est intelligendum, quando quis est pluribus sententiis ab eodem Iudice ob diuersas causas obstrictus; In hoc enim casu poterit vnica sententia absolutionis expressis omnibus causis absolui ab omnibus excõmunicationibus, sicut inquit Glo. in dicto cap. Officij Ver. Excommunicationis vinculo, sicut vna acceptilatione plures obligationes tollũtur l. Transactionem C. De Transact. l. Pluribus ff. De Accep. Sed sententia Glo. est interpretanda, quando plures sententiæ excommunicationum pronunciatæ sunt à diuersis Prælatis, De qua difficultate ita dicendum erit.

Similiter si quis fuerit excommunicatus à pluribus Iudicibus, Vel omnes debent vni committere vices suas (quod est conuenientius) Vel singuli debent absoluere à sua sententia, & vltima absolutio confirmat præcedentes, nec interim cõmunicandum est Excommunicato, donec ab omnibus fuerit absolutus, vt inquit Glo. in dicto cap. Officij, cap. Cum pro causa De Sent. Excom. & cap. Ex parte De Off. Ordi.

Si quærat quis, si Iudex vtatur verbis indefinitis in absolotione, scilicet Absoluo te ab excommunicationibus, an in eo casu Excommunicatus (si pluribus sit innodatus) remaneat absolutus ab omnibus, quamuis non expresserit omnes causas, & excommunicationes.

Respondet Couar. in dicto §. 11. num. 13. Per hanc absolutionem indefinitam censeri tantum absolutum ab excommunicatione ob causam in petitione commemoratam ex l. Si de certa C. De Transact. Est respõsio Glo. in dicto cap. Cum pro causa De Sent. Excom. & cap. Ex parte De Off. Ordi.

Dico secundo si quis Excommunicatus pluribus excommunicationibus ab omnibus generatim, & indistincte, quibus est innodatus, petit absolui, & generaliter impenditur absolutio, valida est talis absolutio, & prodest quantum ad omnes excommunicationes arg. l. Sub prætextu C. De Transact. Abb. in cap. Cum pro causa nu. 6. quamuis peccaret, qui hoc modo absolueret, vt ibi inquit Abb.

Quod si petitio absolutionis sit generalis, sed Superior in absolutione restringit se ad certam excommunicationem, tunc absolutio prodest quantum ad illam solam excommunicationem, nam in absolutione attenditur mens ipsius absoluentis.

Dico tertio, si quis Excommunicatus ex pluribus causis vnam tantum exprimat, absolutus erit ab omni excommunicatione, quotiens Absoluens scientiam habens omnium causarum absolui Excommunicatum simpliciter, Idque sequitur ex præsumpta voluntate ipsius Prælati absoluentis, vt inquit Couar.

Sed postulabit aliquis; Si Episcopus dicat, quando vult promouere ad ordines, in ipso actu ordinationis non intendere conferre ordines Excommunicatis, si aliqui Excommunicati reperiantur inter Ordinãdos, an verè sint ordinati.

Respondeo valere ordinationem illorum ex potestate ordinis, quia facto ipso particulari simpliciter vult conferre ordines, & recedit à generali conditione.

Secundò posset quis petere, an absolutio ab aliqua excommunicatione tradita ab eo, cui Episcopus commisit facultatem absoluendi ab omni excommunicatione, sit valida, quando Episcopus non concessisset talem facultatem in specie, si sciuisset causam excommunicationis, puta si erat excommunicatus propter damnum illatum ipsi Episcopo, vel aliquid huiusmodi.

Respondet Silue. Absolutio 1. §. 12. talem absolutionem non esse validam cap. In generali De Reg. Iuris lib. 6. & cap. Si Episcopus De Pœnit. & Remiss. lib. 6. Nam clausula generalis, vt inquit Abb. in cap. Sedes De Rescript. non includit personas, nec res maiores expressis, sed pares, vel minores. Quid si hic Generalis Delegatus ab Episcopo, de facto absoluit Excommunicatum ab ea excommunicatione, à qua non poterat, postea agnouit errorem suum, an teneatur certiorem reddere ipsum Excommunicatum, & illum monere, vt impetret legitimam absolutionem ab Episcopo.

Respondet Silue. Quando Absoluens probabiliter animaduertit mentem Superioris non fuisse cõcedere potestatem absoluendi ab aliqua particulari excommunicatione, obligatum esse monere Excommunicatum erroris commissi, & interim illum vitare vt excommunicatum, & citat Sum. Confess.

Tandem Glosa in dicto cap. Ex parte Ver. Redire post medium De Off. Ordi. quærit; Quare absolutus pro falsa causa non habetur pro absoluto, sicut pro falsa causa excommunicatus habetur pro excommunicato.

Respondet vtrobiq. ab Ecclesia consultum esse animæ; Quia excommunicatio, etsi sit iniusta, non est cõtemnenda, nè ex ipso contemptu Reus remaneat ligatus, cap. Si is qui §. Cum ergo in fine 11. q. 3. Vnde excommunicatio est medicina animæ cap. 1. De Sent. Excom. lib. 6. cap. Si non contemnatur, cap. Notandũ 24. q. 3. Quo casu non nocet ipsi Excommunicato, sed potius obest ipsi Excommunicanti iniustè cap. Illud 11. q. 3. Sed absolutio ex falsa causa non potest prodesse ipsi absoluto; Quia cum excommunicatio sit inducta ex certa causa, ideo non potest relaxari, nisi dicta causa sublata, quia omnis res, quę per quascunque causas nascitur, per easdem debet dissolui Reg. Omnis res De Reg. Iu. lib. 6. Si igitur de causa mentio non fiat in absolutione, illa remanet, & ex consequenti eius effectus; Atque ita remanet etiam excommunicatio.

Hæ propositiones sunt veræ ex sententia B. Tho. & aliorum, quas ratio etiam suadere potest, quia Excommunicationes sunt poenæ, & potest vna poena tolli aliis non sublatis.

Alia verò ratio est de peccatis; Sicut enim Deus non remittit vnum peccatum sine altero, quia impium est à Deo dimidiam sperare salutem; Ità Confessarius, vel Ecclesia non potest ab vno peccato absoluere in Foro Poenitentiæ, quin absoluat ab omnibus.

Et quando quis absoluit ab omnibus Censuris, verbis generalibus; Absoluo te ab omnibus Censuris, quibus es obstrictus, non intelligitur tollere Irregularitatem, nisi exprimat, quia Irregularitas non est Censura, vt probaui in Cap. 2. Disp. 1. lib. 1.



DE SVBIECTO ABSOLVTIONIS, IDEST DE HIS, QVI ABSOLVENDI SVNT AB EXCOMMVNICATIONE.



HVCVSQVE disputatum est de illis, qui possunt absoluere ab excommunicatione, & de conditionibus necessarijs ex parte absoluentis, vt absolutio tradita teneat, & legitima sit: Modò videndum est de eo, qui absolui potest.

Qua in re ante omnia supponendum est omnes conditiones, de quibus tractauimus in lib. 3. Disp. 10. & probauimus requiri in illo, qui excommunicari debet, necessarias esse in eo, cui concedenda est absolutio; Si enim absoluendus est, ergo existit excommunicatus, & ex consequenti supponuntur inesse omnes conditiones necessariæ ad excommunicationem, aliàs excommunicatio non esset valida.

Quare certum esse debet, quod subiectum capax absolutionis est Homo, Viator, Viuens, Adultus, & Baptizatus, qui in Terris Superiorem habeat; Si enim hæ conditiones non extitissent, non potuisset excommunicari. De quibus conditionibus nihil modò occurrit addendum peculiariter io ordine ad absolutionem ad ea, quæ fusius disputata sunt in dicta Disp. 10. quoad excommunicationem. Dubitant solum Doctores, An oporteat, vt ille, qui absoluitur, sit persona viuens, vel mortuus absolui possit. Et ratio dubitationis est, quia Absoluens debet habere iurisdictionem in absoluendum tanquam superior in subditum. Hæc autem iurisdictio non extenditur ad mortuos iuxta illud, *Quodcunque liganeris super terram &c.*

De qua dubitatione tractauimus in dicta Disp. 10. cap. 3. & asseruimus verè, & propriè loquendo Mortuum nec excommunicari, nec absolui posse; Sed Mortuus dicitur absolui quantum ad actus, qui possunt exerceri, à Viuentibus erga mortuos post absolutionem, quod vetitum est ante absolutionem, vt fusius ibi declaraui. Et quantum ad has actiones, quæ fiunt à Viuis erga Mortuos post absolutionem durat iurisdictio post mortem tàm erga corpus, quod remanet subiectum iurisdictioni Prælati, & potest concedere, vt tradatur Ecclesiasticæ sepulturæ, quàm erga animam, cum possit Prælatus impertiri licentiam, vt viuentes pro defuncto orare possint, & alia pia opera ad Deum offerre, eorumque participem facere animam ipsius.

DSPVTATIO SEXTA,

Caput Primum, An necessarium sit ad validitatem absolutionis, vt, quando illa confertur à Superiore, sit præsens Excommunicatus.

A *Caput Secundum, An requiratur ad valorem absolutionis, vt Excommunicatus non dissentiat, neque contradicat.*

Caput Tertium, An excommunicatus possit pecunia, vel quouis munere temporali absque vitio simonia redimere absolutionem ab Excommunicatione.

Caput Quartum, An postulans absolutionem ab excommunicatione eo ipso fateatur se excommunicatum.

Caput Quintum, Quo pacto probari possit, vt debeat absolutio ab excommunicatione.

CAPVT I.

[B *An necessarium sit ad validitatem absolutionis, vt quando illa confertur à Superiore sit præsens Excommunicatus.*

DVo sunt, quæ quæruntur: Primum est; An absolutio ab excommunicatione, absenti, & ignoranti impensa teneat, & sit valida. Alterum est; An Superior possit legitimè, & absq; culpa absentē absoluere.

Et ad primam partem ex communi consensu Doctorum affirmatiue est respondendum. Quod enim absolutio ab excommunicatione data absenti sit valida, affirmant omnes Doctores, Silue. Absolutio 3. §. 9. Paludanus distinct. 18. q. 5. Bonauent. quæst. 6. Alex. C Alen. 4. par. q. 81. memb. 7. Ioan. Andr. in cap. Qui ad agendum De Procur. lib. 6. Archid. in cap. Eos qui De Sent. Excommun. eod. lib. Innoc. in cap. Cum desideres De Sent. Excomm. Sot. in 4. dist. 18. q. 2. art. 6. ad 2. & distinct. 22. q. 2. artic. 3. ad fin. Riccard. dist. 18. artic. 10. quæst. 2. Ang. Absolutio 3. num. 6. Nauar. in Manua. cap. 26. num. 14. Idem tenet Glo. in cap. De manifesta Ver. Iudicaui 2. quæst. 1, & cap. Quanto Ver. Epistolam 2. quæst. 5. & in cap. Cum aliquis 11. quæst. 3. & ibi Archid. Abb. in cap. Apostolicæ nu. 7. de Cleri. Excom. Mini.

Probatur primò ex communi vsu, & praxi vniuersali Ecclesiæ, quæ semper reputauit validam absolu- D tionem à prælato traditam Absenti. Sic S. Greg. Epistola 80. lib. 7. & refertur in cap. Quanto 2. q. 5. absoluit Maximum Episcopum Salonitanum absentem per Epistolam, & quotidie per Sedem Apostolicam conceduntur literæ absolutionis ab excommunicatione, quibus soluuntur à vinculo excommunicationis absentes, & restituuntur communioni Ecclesiæ, & participationi sacramentorum.

Secundò absens potest excommunicatione ligari, vt pluribus probatū est in lib. 3. cap. 2. Disp. 5. & patet ex c. Cū sit Romana §. Præterea de Appell. Vbi dicitur Apostolū Paulum excommunicasse illū incestuo-

sam absentem, & irrequisitum. Idem ait Glo. in citatis cap. Quanto, & cap. de Manifesta, ergo multò facilius poterit absolui ab excommunicatione, quia potestas absoluendi est amplior, & fauorabilior.

Tertiò tota vis absolutionis pendet ex voluntate, & potestate absoluentis nullo alio essentialiter requisito ad eius validitatem; Igitur, quando Superior vult, & potest absoluere, tenet absolutio, nec refert, vtrum excommunicatus sit præsens, vel absens.

Quartò fuit opinio multorum, scilicet Nauar. in Summa cap. 26. nu. 14. Paludani in 4. dist. 17. q. 2. ar. 1. S. Antoni 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 9. Silue. Ver. Confessor q. 13. & Confessio 3. in princ. Eman. Sà in Aphor. verbo confess. num. 14. aliorum, qui asseruerunt posse absolutionem sacramentalem à peccatis tradi pœnitenti, à Sacerdote absente, in aliquo casu necessitatis, ergo multò magis, & absque vlla controuersia id affirmari potest de absolutione ab excommunicatione.

Confirmant illam opinionem in primis testimonio Cipriani lib. 1. epistola 17. Vbi scribit se recepisse confessiones aliquorum absentium per scripturam. Refert etiam Scotus dist. 17. q. vnic. S. Thomam Cantauriensem in carcere detentum Romam misisse pro absolutione.

Addunt rationem, quia Christus Dominus potuit hoc modo instituere sacramentum hoc, & ad finem huius sacramenti erat hoc magis consentaneum, quia sæpissimè accidit, vt pœnitens non possit per se ipsum conuenire Sacerdotem, vel quia vterq. grauiter ægrotat, vel quia alter eorum in carcere detineatur, vt sæpè accidit in Terris Hæreticorum; Vel propter penuriam Sacerdotum, vt in India; Igitur dicendum est Christum ità instituisse (vt consuleret spirituali saluti fidelium in huiusmodi casibus necessitatis, nè fideles priuati remanerent sacramento adeo necessario ad salutem) vt absolutio à peccatis dari posset absenti. Quare si non requiritur præsentia ad validitatem absolutionis sacramentalis, multò minus dicenda est necessaria ad validitatem absolutionis ab excommunicatione.

Verùm hæc opinio non solū falsa est, sed modò speciali decreto Clementis VIII. est damnata tanquam temeraria, & scandalosa, sub prohibitione, nè publicis, aut priuatis lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neque vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim deducatur &c.

Sed quamuis hæc opinio falsa sit, neq; ex illa possit confirmari conclusio proposita de validitate absolutionis ab excommunicatione, Tamen testimonia, quæ solent afferri in confirmationem illius opinionis, optimè probant hanc conclusionem de validitate absolutionis ab excommunicatione datæ absenti.

In primis testimonium Cipriani in citata epistola 17. est intelligendum de absolutione ab excommunicatione, & censuris, quia ait in simili casu Diaconum posse reconciliare ægrotum pœnitentem facta exomologesi, illa ergo reconciliatio non erat absolutio sacramentalis, quæ in nullo euentu potest per Diaconum dari, sed absolutio à censura.

Similiter quod refert Scotus de Thoma Cantauriensi (si vera est historia, cum ipse non asserat, ex quo Auctore illam desumpserit) accipi potest de absolutione à quacunque censura, quæ ad cautelam sæpè petitur, & datur, etiam si non agnoscatur. Quare hæc testimonis probāt de absolutione ab excommunicatione.

Postremò eadem conclusio confirmatur, quia si quis inuitus absoluatur ab excommunicatione, tenet absolutio, vt in sequenti cap. probabo, ergo multò magis, si absoluatur absens, valida erit absolutio; Si enim non est necessaria præsentia animi, aut volūtatis, multò minus erit necessaria præsentia corporis. Idq. non tantum verum est, si absolutio ab excommunicatione detur in foro exteriori per Iudicem ecclesiasticum, sed etiam si data fuerit à Confessario in foro interiori, nam (vt inquit Palud. in loco citato, & confirmat Nauar. in illo num. 14. in Manua. cap. 26.) Confessarius, qui ex inconsideratione, aut obliuione non absoluit pœnitentem, à censuris, potest ab illis absoluere in absentia.

Ratio autem differentiæ, cur absolutio à peccatis non potest dari absenti, sicut absolutio ab excommunicatione, est, quia forma absolutionis sacramentalis, quæ instituta est à Christo, & non potest vllo modo mutari, dirigitur directè ad personam præsentem, Absoluo te, ergo signum est hanc præsentiam esse de necessitate sacramenti.

At forma absolutionis ab excommunicatione non requirit necessariò certa verba præcisa, sed quæcunq; verba declarantia voluntatem Prælati intendentis soluere Excommunicatum ab huius censuræ vinculo sufficiunt ad validitatem absolutionis, & excommunicatus est verè absolutus, vt dicam in Cap. 1. Disp. seq.

Accedit, quod absolutio sacramentalis tollit vinculum peccati per modum iudicij interni, & voluntarij; Peccatum autē oritur ex voluntate pœnitentis, Quare vt Sacerdos possit per absolutionem in iudicio interiori illud tollere, necesse est, vt perfectam causæ cognitionem habeat; Nam, vt dicitur in Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. cum Confessor sit Iudex, non potest iudicium ferre causa incognita; Et hanc causæ cognitionem accipere non potest, nisi ab ipso pœnitente, qui in hoc Iudicio gerit vicē accusatoris, Testis, & Rei ostendentis defensionem suam: Hæc autem notitia postulat ex natura rei præsentiam pœnitentis, & in absentia non potest vllo modo illam consequi. Sed alia res est de absolutione ab excommunicatione. Excōmunicatio est vinculum, quod inducitur in foro exteriori ex voluntate Superioris nulla requisita actione ex parte ipsius Rei; Quare cognitio necessaria, quam debet habere Superior ad illud tollendum, non sumitur ab ipso pœnitente; Idcirco Superior potest tollere excommunicationem per absolutionem etiam reo absente.

Sed contra quis opponere posset tex. in cap. A nobis 2. De sent. excom. in fi. Vbi describitur certa forma ceremoniarum seruanda in absolutione ab excommunicatione; Nempè vt recitetur psalmus pœnitentialis cum Oratione Dominica, & alia consueta adhibeantur, de quibus dicam in Disp. seq. Sed hæc forma ceremoniarum seruari non potest, nisi præsente Excommunicato, ergo absens absolui non poterit.

Respondendum est Primò nihil obstare, quo minus omnes illæ ceremoniæ, quæ consueuerunt seruari in absolutione ab excommunicatione, possint aptari etiam Excommunicato absenti, & exerceri circa personam Procuratoris, qui nomine Excommunicati petit absolutionem, & reconciliatur Ecclesiæ.

Deinde dici potest, vt respondet Glo. in dicto c. De Manifesta 2. q. 1. Ver. Iudicaui in fi. non esse absoluendum Excommunicatum absentem adhibita forma illa absolutionis præscripta in illo ca. A nobis, si tamen eo modo absoluatur, tenet absolutio; Quia sicut Prælatus potuit potestate sua ligare per excommunicationem, ita eadem potestate potest vinculum soluere per absolutionem, Omnis enim res per quascūq; causas

sas nascitur, per easdem dissoluitur Reg. omnis res extra De reg. iur. 30. q. 5. §. Sed obijcitur.

Secundò potest quis vti hac ratione ad idem impugnandum; Absens excommunicari non potest, ergo neque absolui, consequentia patet, quoniam pari conditione vtrumq. commissum fuit cap. Verbum dist. 1. *Dominus n. par ius & absoluendi esse voluit, & ligandi*: Antecedens probatur, absens puniri non potest, ergo multò minus excommunicari, cum excommunicatio sit omnium pœnarum grauissima pœna; Antecedens ostenditur ex l. Absentem, ff. de Pœn. Vbi absentem in criminibus damnari non debere definitum est. Idem habetur l. Absentem C. de accusa.

Solutio ad hanc obiectionem desumitur ex tex. in dicta l. absentem ff. de Pœn. & ex Glo. ibi Ver. Ad rele B gationem, nempè quod absens damnari non possit peculiariter statutum esse de pœna capitis, quæ non est absenti irroganda, cum hæc pœna maxima non sit infligenda indicta causa, & non auditis ijs, quæ per Reū in sui defensionem afferri possent; Sanctius enim est impunitum relinquere facinus nocentis, quàm innocentem damnare; Aliud tamen ibi statuitur de alijs pœnis, quas in absentes pronunciari posse non denegatur: Nam in contumaces absentes, qui neq; denunciationibus, neque edictis Præsidum obtemperauerint, pœnas relegationis, & alias similes infligi oportere decernitur, ergo potius ex hac constitutione cōfirmatur conclusio de excomm. quæ fertur in contumaces; Vt quando Reus præmissis monitionibus adhuc C nō vult parere, sed in sua obstinatione induratus persistit etiam absens, & non auditus iustissimè possit (ad comprimendam contumaciam) à suo Prælato per sententiam censura excommunicationis percuti, vt ità vexatus resipiscat, & discat parere.

Et ad hunc modum intelligenda est Glo. in c. Damnationis Ver. Non mortuos 24. q. 2. cum ait absentem non posse excommunicari, & probat ex cap. Absens 3. q. 9. Loquitur enim Glo. de absente, qui non fuerit monitus iuxta dispositionem iuris.

Sed quæri potest, quibus modis possit absens ab excommunicatione absolui.

Respondeo; Primò absolui posse per Nuncium, aut Procuratorem, vt inquit Io. And. in cap. Qui ad agendum De Procur. lib. 6. & Archid. in cap. Eos qui De Sent. excom. eod. lib. quos refert, & sequitur Silue. Absolutio 3. §. 9. D

Secundò per Epistolam Glo. in cap. Quanto Ver. Epistolam 2. q. 5. Silue. loco citato.

Tertiò absentem absolui posse sine Nuncio, & Epistola in foro conscientiæ, quando Prælatus, qui potest absoluere, simpliciter absoluit Excommunicatum, & non intendit, vt deinceps maneat alligatus; Absolutionis enim vis tota dependet ex voluntate absoluentis, nec requirit præsentiam, aut consensum Excommunicati; Nauar. in Manua. cap. 26. nu. 14. Hinc sequitur posse Summum Pontificem in suo cubiculo existētem (si velit) absoluere omnes excommunicatos, qui sunt in vniuerso Orbe. E

Ex dictis oritur dubitatio; Si Excommunicatus moriatur post collatam absolutionem à Superiore, sed antequam Nuncius, vel Epistola peruenerit ad ipsum; An tunc decesserit absolutus, vel indigeat noua absolutione post mortem.

Solutio huius dubitationis oritur ex solutione alterius difficultatis, scilicet an effectū absolutionis cōsequatur absens statim concessa absolutione per absoluentē, an verò recepta epistola, vel adueniēte Nūcio.

A Glo. in Ver. Epistolam in citato cap. Quanto 2. q. 5. respondet regulariter absolutionem parere effectum suum, quando epistola peruenit ad ipsum excommunicatum arg. cap. Quisquis 4. q. 5. & cap. Super eo 2. in fi. De appell. & cap. Leges dist. 4. Hinc sequitur, quod si excommunicatus moriatur, antequam recipiat epistolam absolutionis, erit absoluendus post mortem iuxta cap. A nobis 2. de sent. excom.

Contra si absens excommunicatur, statim est excommunicatus, antequam sciat, quia sententia excōmunicationis trahit secum suam executionem, si sit absoluta, & non conditionata cap. Pastoralis De Appell. ergo idem est dicendum de sententia absolutionis, cum par ratio in vtraque militet.

Quare respondendum est ad dubitationem propositam; An absolutio incipiat habere effectum suum, quando pronunciatur à Prælato, vel quando ad notitiam excommunicati, & aliorum peruenerit, & dicendum est id pendere ex voluntate ipsius absoluentis. Quamobrem si lata est absolutio conditionata paritura effectum post impletam conditionem, vel transacto aliquo certo tempore, tunc non incipit effectus absolutionis, nisi purificata conditione, aut adueniente die. Si verò absolutio lata fuit simpliciter, & absolutè, tunc temporis ex verbis, & ex alijs circumstātijs sententiæ colligenda est mens, & intentio Prælati, quando voluerit absolutionem incipere effectum suū operari. Quod si non possit vllo modo constare de intentione Prælati absoluentis, dicendum est simpliciter, & regulariter absolutionem statim prolatam operari effectum suum erga absentem. Verum si se excommunicatus immisceret rebus sacris ante notitiam habitam de absolutione, puniendus esset arg. cap. Bidum 2. q. 6. Similiter si alij cum illo communicarent, sicut etiam sententia excommunicationis statim obstringit absentem. sed non debet Reus puniri, si se ingerit communioni hominum ante scientiam excommunicati nis cap. illud De Cleri. Excomm. Mini. Error enim facti nemini obesse debet l. Error ff. De Iur. & fac. ignom. Eodem modo lex, statim ac legitimè promulgata est, omnes afficit etiam absentes, & ignorantes, sed transgressores excusantur à pœna, si probabili ignorantia laborauerint cap. leges dist. 4. cap. Propofuisti dist. 82. Hæc de prima par. quæstionis, an sit valida absolutio concessa Excommunicato absenti.

De secunda parte; An Superior iustè, legitimè, & absque culpa possit absoluere absentem ab excommunicatione Innoc. in cap. Cum desideres De sentent. excomm. vt interpretatur Silue. Absolutio 3. §. 9. censet committi peccatum ex aliqua parte, scilicet vel Absoluentis, vel Absoluti, vel ex vtraque, si absque iusta causa absoluatur absens per Procuratorem, quia forma absolutionis requirit præsentiam personæ, sed quando subest iusta causa, potest quis per Procuratorem absolui.

Host. vt refert Abb. in dicto cap. Cum desideres nu. 7. indistinctè tenet non esse conferēdam absolutionem ab excommunicatione per Procuratorem, quia absolutio requirit confessionem, contritionem, & admissionem in Ecclesiam adhibitis solemnitatibus, & ceremonijs descriptis in cap. Cum aliquis 11. q. 3. & in cap. A nobis 2. De sent. excom. & præstito iuramento per excommunicatum, quod stabit mandato Ecclesiæ, cap. Ex tenore, cap. De Cætero, cap. Cum desideres de sent. excom. Quæ omnia postulant præsentiam ipsius Excommunicati.

Breuiter dicendum est ad hanc dubitationem absolutionem ab excommunicatione regulariter non debere concedi, si ipse Excommunicatus non compareat, & petat absolutionem iuramento præstito de parendo Ecclesiæ, & si secus fiat, peccatum committi, nisi adsit legitima causa, propter quam iudicetur conueniente absolutionem cōferendam esse absenti per Procuratorem. Est sententia Abb. in cap. Cum desideres num. 7. de sent. excom. & ait ex sententia Specul. in tit. de Procurat. §. 1. Vers. Item opponitur, hunc morem seruari in Curia Romana, Idem tenet Archid. in cap. Vt officina in princ. De Hæretic. lib. 6. & quando absolutio conceditur Procuratori, requiritur speciale mandatum ad petendam absolutionem, vt inquit Innoc. in dicto c. Cum desideres, Cappell. Tolos. quæst. 56. Rota decis. 25. De sent. excom. in antiq. & decis. 36. de Procurat. in Nou. Quare nec Prælatus pro suo Capitulo sine mandato illam petere potest, Felin. in c. Nonnulli §. Sunt & alij num. 18. de rescrip. & in cap. Cum M. n. 25. De Constit. Nec Prior pro suis Monachis Innoc. in dicto cap. Cum desideres, Rota decis. 13. eod. tit. in Antiq. Quare regulariter quando sententia Absolutionis ab excommunicatione fertur, præsens debet esse excommunicatus, & ideo nunquam absolutio ab excommunicatione danda est per Procuratorem, vt tradit Innocen. in dicto cap. Cum desideres, Nec obstat quod quisque per alium quod per se facere potest, Hoc enim verum esse intelligitur vbi præsentia personæ non requiritur, sed in Absolutione ab excommunicatione, & personæ præsentia & solemnitas postulatur, nisi ex iusta causa danda sit Absenti per Procuratorem, secus est in sententia suspensionis, & interdicti, vt suo loco dicemus.

CAPVT II.

An requiratur ad valorem absolutionis, vt excommunicatus non dissentiat, neque contradicat.

SVperiori capite probatum est consensum illius, qui absoluendus est, necessarium non esse, vt absolutio teneat, sed absentem, & ignorantem absolui posse, In hoc capite disserendum est, postquam non est necessarius consensus positiuus, an saltem requiratur, vt non dissentiat, & repugnet ita quidem, vt si excommunicatus contra voluntatem, & inuitus absoluatur, absolutio non sit valida.

Ratio dubitandi videtur esse, Quoniam excommunicatio fertur propter contumaciam, & inobedientiam, sed excommunicatus recusans absolutionem, tunc maximè perseuerat in sua contumacia, & in crimine, cuius gratia fuit excommunicatus, ergo non potest, nec debet absolui.

Duas quoque complectitur difficultates hæc quæstio, sicut & præcedens. Altera est, An si beneficium absolutionis impendatur excommunicato nolenti, & recusanti absolutionem; verè sit absolutus. Altera est, An Superior licitè, & sine culpa inuitum possit absoluere.

Quantum ad primam difficultatem omnes videntur conuenire in hac conclusione Absolutionem ab excommunicatione collatam à Superiore contra voluntatem ipsius Excommunicati, scilicet si non petat, immò nolit absolui, validam esse, & tenere.

Hanc conclusionem ità indefinitè sumptam diuersi diuersimodè interpretantur, neq; illam veram esse in omni casu affirmant, Riccard. dist. 18. art. 10. q. 1. dicit illam habere locum in excommunicatione hominis, licet enim Iudex non debeat absoluere illum, quem excommunicauit, inuitum, si excommunicatio fuit iusta, tamen tenet absolutio, sicut enim potuit illum contra eius voluntatem excommunicare, ita potuit absoluere. Ab excommunicatione autem iuris inuitus non potest absolui, quia cum voluntariè id commiserit, cui annexa erat excommunicatio, quodammodò voluntariè fuit excommunicatus, & idcirco sine sua voluntate absolui non potest, & probat ex ca. Nec quisquam, & cap. Absens 24. q. 2.

Gabr. in 4. dist. 18. q. 2. excipit ab hac conclusione peccatum hæresis, in quo si aliquis contumax perseueret, absolui non potest; Et eadem ratio est, quando fertur excommunicatio ab ipso Iure contra eum, qui nō restituit damnum, quod alteri intulit, & confirmat testimonio Leonis Papæ, & habetur cap. Damnationis 24. q. 2. his verbis; *Damnationis sententiam quicunque meretur accipere, si in suo sensu voluerit permanere, nullus relaxare poterit*; Ratio est, quia talis excommunicatio incurritur ipso Iure, ergo quamdiù durat peccatum transgressionis, semper ipsum Ius producit excommunicationem; Ideo durante illa voluntate tolli non potest.

Communior tamen opinio, & probabilior est, si loquamur de valore excommunicationis, excommunicatum inuitum absolui posse à quacunque excommunicatione siue hominis, siue Iuris, ita vt absolutio teneat, & valida sit. Ità sentiunt Palud. in 4. dist. 18. q. 5. artic. 3. Maior quæst. 4. Silue. Absolutio 3. §. 10. Ang. Absolutio 3. numero 2. Tandem omnibus alijs præferendus S. Thom. in eadem dist. 18. q. 2. art. 5. Abb. qui refert alios Canonistas in cap. Ab Excommunicato num. 20. De rescript. Felin. cap. Apostolicæ num. 4. in fine de except.

Ratio præcipua ad hanc conclusionem probandam est illa, qua vtitur B. Tho. Malum culpæ, & malum pœnæ in hoc differunt, quod culpæ principium in nobis est, quia peccatum est voluntarium; Principium pœnæ extra nos est; Quia non requiritur ad pœnam, vt sit voluntaria, immò de ratione pœnæ est, vt sit contra voluntatem; Ideo sicut peccata, quia non committuntur nisi voluntariè, non remittuntur inuito peccatore, ità excommunicatio, quæ pœna est, sicut in aliquem inuitum ferri potest, sic & tolli potest per absolutionem inuito ipso Excommunicato, Neque enim absurdum est, vt Superior consulat animæ sui subditi contra eius voluntatem, vt est optimus text. in cap. Et qui emendat 45. distinc. in fi. Vbi hæc habentur *Multa enim bona præstantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati, non voluntati, quia ipsi sibi inueniuntur esse inimici.*

Et hæc conclusio intelligenda est de absolutione, quæ conceditur ab excōmunicatione in foro exteriori ab eo, qui habet ordinariam iurisdictionem; Nam secus est dicendum de absolutione, quæ datur ab excōmunicatione in foro Pœnitentiæ virtute Iubilæi, aut alterius priuilegij per potestatem delegatam; Nemo enim hoc modo potest absolui, nisi voluntariè subijciat se in tali foro, & velit absolui, & idcirco repugnaret, vt inuitus absolueretur.

Quæ verò afferuntur pro sentētia Riccard. & Gabr. solui possunt, si consideremus aliud esse loqui de voluntate perseuerandi in delicto trāsgressionis legis; Aliud de voluntate petendi absolutionē; Nā potest quis cessare à delicto, & firmum habere propositum non trāsgredien-

grediendi legem, & in futurum parendi, & tamen nolle absolui ab excommunicatione, quia recusat ob aliquam causam se subijcere tali Prælato, à quo petenda esset absolutio, vel ob alium finem. Quo casu absque dubio poterit absolui inuitus, siue sit excommunicatus ab homine, siue ab ipso Iure, quia tunc Ius nõ producit excommunicationem in futurum, quia supponimus iam cessare delictum transgressionis; Idcirco Superior, si velit, potest illam tollere etiam renitente Excommunicato, neq; enim pendet ex voluntate ipsius. Quando verò voluntas Rei perseuerat in delicto transgressionis, tunc distinguendum est de genere criminis, Aliud.n.est, quod habet durationem annexam, & (vt loquuntur Iurisconsulti) habet tractum successiuum; Vt est hæresis, in qua pertinacia semper est noua culpa, vel augumentum culpæ, vt est detentio rei alienæ, & similia. Aliud est, quod semel commissum omninò transit, quoad actum, manet solum quoad reatum, si crimen sit huius generis posterioris, quamuis Excommunicatus nolit pœnitere, & nolit satisfacere (dummodò hæc non exigatur ab ipsa lege sub pœna excommunicationis) poterit absolui inuitus ab habente ordinariam iurisdictionem, quia absolutio (vt dixi) non pendet ex voluntate Excommunicati, sed accipit totam vim ex potestate Superioris absoluentis. Sed si delictum est primi generis, tunc excommunicatio non potest tolli inuito Excommunicato, nisi ab eo, qui habet potestatem reuocandi, vel saltem suspendendi legem: Repugnat.n. vt possit tolli excommunicatio, quæ incurritur ob transgressionem legis, quoties manet lex, & obligat, & ex alia parte in ipso Reo perseuerat culpa transgressionis, & contumaciæ. Quare vel necesse est, vt Reus cesset à culpa contumaciæ, vel vt ille, qui velit absoluere talem excommunicatum manentem in sua contumacia, sit Superior habens facultatem abrogandi ipsum Ius, vel suspendendi; Hoc enim modo posset Summus Pontifex absoluere Hæreticum ab excommunicatione, quam incurrisset ob hæresim suspendendo ius, nè imposterum haberet excommunicationem annexam contra hæreticos. Et ita, quamuis perseueraret in errore, non incurreret tamen excommunicationem, & ab excommunicatione iam contracta illum absoluendo etiam inuitum. Atque hoc modo ruit fundamentum, quo nititur sententia Riccardi, & Gabrielis.

Quod igitur teneat absolutio ab excommunicatione data Excommunicato nolenti, & inuito, ex dictis est manifestum.

Sed an licitè, & sine peccato id fieri possit, vt inuitus, & nolens absoluatur (quod dixi pertinere ad secũdam partem huius quæst.) controuertunt Doctores.

Aliqui censent nunquam licere excommunicatum perseuerantem in contumacia, propter quam fuit excommunicatus, absoluere; Ita videtur sentire Bonau. in 4. dist. 18. in 2. par. q. 6. Vbi ait, de iure nullum excommunicatum absolui posse, nisi cesset contumacia. Eiusdem opinionis fuit Io. Calde. quem refert Abb. in cap. Ab excommunicato nu. 20. De Rescript.

Huic sententiæ in primis videtur fauere consuetudo, & vsus Ecclesiæ desumptus ex sacris Canonibus; Præcipiunt enim, vt qui semel est excommunicatus, si perseueret in sua contumacia, vel ob alias causas possit iustè, & debeat iterum, & sæpius innodari excommunicatione, & alijs censuris, vt probatum est in Cap. .. Disp. .. Igitur repugnat, vt possit licitè absolui ab excommunicatione, qua est obstrictus.

Secundò, si absolueretur inuitus, tolleretur auctoritas censurarum ecclesiasticarum, & daretur occasio contemnendi illas; Vbi .n. excommunicati scirent, etiãsi obstinati persisterent in sua contumacia, & non parerent suis Prælatis, fore absoluendos, despicerent Prælatum, & eius præceptum paruipenderent; Qui.n. non petit absolutionem, dicitur contemnere cap. Per tuas Ver. Verum de sent. excom. Facit cap. fin. de Procur. Vbi Honorius III. declarat Comitem quendam, (qui per duos annos, & amplius in excommunicatione persistens iuri parere pertinaciter renuebat,) non tantum non absoluendum esse, sed haberi suspectũ de hæresi. Sequitur igitur ex hoc dicto maximũ absurdũ.

Tertiò id fieri nequit licitè, neque iura permittũt, quod rectæ rationi contrarium videtur, sed rectæ rationi repugnat, vt indignus absoluatur. Indignus autem est absolutione, qui iustè ligatus est excommunicatione ob contumaciam, si in ea vult persistere, nec paratus est satisfacere, vel parere.

Habes huius rei aptissimum exemplum c. Ad Apostolicæ de re iud. lib. 6. Vbi Fridericus Imper. ab Innoc. IV. in Concil. Lugdun. appellatur incorrigibilis, quia ob multa scelera commissa monitus, & excõmunicatus noluit se corrigere, & in sua pertinacia obstinatus persistens non meruit pietatem absolutionis, ergo inuito, & impœnitenti absolutio non potest concedi sine culpa.

Tandem eadẽ opinio videtur comprobari ex tex. in ca. Significasti in fi. De eo, qui dux. in matrim. Vbi Innoc. III. mandat Episcopo Spoletano, vt munus absolutionis impendat cuidam excommunicatio iuxta formam Ecclesiæ, si petierit; Vbi Glo. in V. Si petierit probat impœnitenti non esse dandam absolutionem, & adducit ca. Legatur 24. q. 2. Vbi legitur Nunquam sub Cælo auditum esse, quod detur venia nõ correcto iuxta illud Dantis, *Assoluer non si può, chi non si pente*, Reg. peccati de reg. iur. li. 6. & c. Quẽadmodũ 23. q. 7.

Alij, vt B. Tho. in dicta q. 2. art. 5. quem citat, & sequitur Io. Andr. in cap. 1. De sent. excom. lib. 6. tenent oppositum, Iudicem debere absoluere excommunicatum non petentem absolutionem, & inuitum, quando excommunicatio redderet reũ deteriorem, & faceret illum magis induratum in delicto; Nam tunc temporis, cum excommunicatio careat fine, propter quem fuit instituta, scilicet vt esset medicina ipsi peccatori ad eum corrigendum, tollenda est per absolutionem, & aliud remedium magis proficuum excogitandum.

Quare B. Tho. addit hæc verba; *Manente etiam contumacia posse Iudicem excommunicationem iustè latam discretè relaxare, si viderit saluti illius expedire, in cuius medicinam excommunicatio lata est.*

Alij, vt Abb. in dicto ca. Ab excommunicato n. 20. De rescript. Silue. Absolutio 3. §. 10. vtuntur distinctione, quãdo spes est, corrigi posse excommunicatũ alijs remedijs, si tollatur excommunicatio, tunc absoluendus est etiam inuitus, quia hoc solum intẽdi debet ab ipso Prælato, siue plectẽdo, siue absoluendo, vt ita subditi corrigatur cap. Prodest 23. q. 5. Si autem nulla sit spes correctionis sublata excommunicatione, non est absoluendus inuitus, quia cum Ecclesiæ obedire noluerit, habendus est tanquã Ethnicus, & Publicanus c. Nouit de iudi. & Index beneficium absolutionis non debet impendere nisi petenti arg. l. Ad peremptorias, ff. de iudi. Nisi ex huiusmodi absolutione sequatur vtilitas Ecclesiæ, vt annotauit Abb. in cap. Apostolicæ nu. 1. De except. puta si impediretur ordinatio Ecclesiæ propter excommunicationem, posset absolui Excommunicatus inuitus, nè retardaretur ordinatio.

Hic modus explicandi est communior, & probabilior, & hunc sequentes dicimus, si agamus de censura lata ab homine per sententiam, quando constat Iudici illam nihil prodesse Excommunicato ad emendationem, sed potius detrimentum afferre, licitè, & prudenter tolli potest per absolutionem, quia cessat finis excommunicationis: Debet enim tanquam medicina conferre ad spiritualem salutem Excommunicati, & hoc voluit B. Tho. loco cit. Dummodo talis absolutio nullo modo lædat proximum, & cesset omne scandalum, & contemptus excommunicationis, & probabilis adsit spes fructus, si absolutio concedatur sponté ex benignitate Prælati Ecclesiastici. Quod, si spes omnis emendationis cessaret, non esset impendenda absolutio, nè vilesceret censura ecclesiastica, & nè Contumaces audaciores euaderent aduersus Superiores, & Prælatos suos; Immò etiam, si res dubia esset, & incerta; An Excommunicatus corrigendus esset nec nè, absolui non deberet, vt probant rationes allatæ ad confirmandum hanc opinionem, & asserit Felin. in cap. Apostolicæ nu. 4. De except.

Si autem excommunicatio lata sit ab ipso Iure, quãdo lex disponit, vt contumaces in excommunicatione per aliquod temporis spacium iterum, & sæpius obstringantur excommunicatione, aut alijs censuris, tunc sine vlla distinctione dicendum est inuitum absolui non debere; Idque videtur rationi congruum, quia cum voluntariè fecerit illud, cui excommunicatio est ipso Iure annexa, dici potest aliquo modo voluntate sua velle permanere in excommunicatione, ideo sine sua voluntate, & con ensu non debet absolui, cap. Nec quisquam 24. q. 2. Felin. cap. Apostolicæ num. 6. De except. Si ergo quis erit hoc modo contumax, absolui licitè, & iustè non poterit, sed erit seruanda forma legis, præsertim si erit Prelatus inferior, qui non habet auctoritatem suspendendi legem; Quòd si lex nihil disponat in specie, & facultas absoluendi generali iure spectet ad Iudicem; Aliquando poterit Iudex prudenter absoluere inuitum ex aliqua causa rationabili, scilicet propter salutem ipsius Excommunicati, vel aliorum, quibus necessitas incumbit communicandi cum Excommunicato, sicut dixi paulò ante, vt quando ex absolutione excommunicati sequeretur aliqua vtilitas Ecclesiæ; Regulariter tamen non careret culpa, si Superior concederet beneficium absolutionis Excommunicato inuito, immò non petenti absolutionem, si vtilitas publica non vrgeret, vt inquit Riccard. in 4. dist. 18. q. 10. art. 1. quia excommunicatio non est tantum propter vtilitatem ipsius Excommunicati, sed etiam aliorum, quia pœna vnius est multorum metus.

Posset quis dubitare; An appellatio ab absolutione excommunicationis teneat, & suspendat effectum absolutionis, vt si absoluatur quis ab excommunicatione, qua obstrictus erat propter iniuriam, & offensam alteri illatam, & pars, cuius interest, appellet ab absolutione tradita, an appellatio aliquid operetur.

Respondeo huiusmodi appellationem nullam esse, neque posse suspendere effectum absolutionis, quia absolutio pendet ex voluntate, & potestate absoluentis, vt dictum est: Quare per appellationem partis impediri non potest effectus absolutionis, Innocent. in cap. Per tuas ad finem, in Glo. Ver. Consueuerit De sentent. excommunicat. cap. Cum ab Ecclesiarum De off. ordin. Verum si absolutio concessa sit parte absente, de cuius damno agebatur appellatio erit valida, vt possit agere ad recuperationem damni, & expensarum, vt docet Speculat. in tit. De Contumacia §. Nunc dicamus num. 12.

CAPVT III.

An Excommunicatus possit pecunia, vel quouis munere temporali absque vitio simoniæ redimere absolutionem ab excommunicatione.

Quod sine crimine simoniæ id fieri nequeat, videtur colligi ex cap. Nemo de simonia. Vbi damnatur tãquam simoniacum precio, vel munere quempiam non pœnitentem reconciliare, vel dignè pœnitentem à reconciliatione remouere, & confirmatur cap. Matthæus eod. tit. Et in cap. Nullus Episcopus 2. 1. q. 1. ita habetur: *Nullus Episcopus &c. Vel interdictum sacerdotale officium pretio interueniente restituat; quod si fecerit, officij sui periculum subeat,* & Glo. ibi Ver. Restituat; *Nec absoluere potest*, inquit, *pro precio nisi sit consuetudo*. Et expressè de absolutione ab excommunicatione idem videtur definitum in cap. Ad aures eod. tit. De Simonia: Vbi tanquam indignum, & Ecclesiasticæ rationi contrarium damnatur, vt quis beneficium absolutionis redimat.

Abb. in citato cap. Ad aures num. 4. refert duos modos respondendi ad hanc dubitationem; Alter est Innoc. in eod. cap. qui tenet non posse, nec debere Excommunicatum aliquid persoluere Prælato ad obtinendam absolutionem, sed potius debere adire, & recurrere ad Superiorem arg. cap. Nullus De iure patro.

Alter modus respondendi est Io. And. qui vtitur distinctione; Aut imminet aliquod damnum, vel detrimentum ex delata absolutione, e. g. instat electio facienda, & Excommunicatus propter impedimentum excommunicationis priuatus est spe electionis, vel currit præscriptio contra ipsum, nisi aliquid agat in Iudicio; quo casu potest redimere vexationem suam, sicut inquit Glo. Ver. Absolutionis in dicto cap. Ad aures; aut cessat tale periculum, & tunc non licet redimere precio, aut alio munere temporali absolutionem, vt inquit Innoc. Cum enim sit ecclesiasticum ministerium, & spirituale, nihil est exigendum pro illo præstando, cap. Ad nostram, cap. Nemo, & cap. Cum in Ecclesiæ eod. tit. De Simonia. Idcirco qui precium pro absolutione recipit, simoniam committit, cap. Non solum, cap. Quæsitum 1. q. 3. Et hanc distinctionem Io. And. tanquam satis probabilem, & æquam approbat Abb. in dicto cap. Ad aures.

Vt hanc dubitationem soluamus, ad aliam distinctionem opus est recurrere, & dicendum est; Aut ille, qui tentat redimere absolutionem ab excommunicatione, fuit iniustè excommunicatus, quo casu non erit simonia ex parte ipsius, si aliquid dederit ad absolutionem obtinendam, & liberandum se ab iniusta excommunicatione; Nam dans nullum ius acquirit, quod antea ei non competeret, sed propterea dat, vt sine vexatione id, quod suum est, in pace retineat, vel redimat, quod non est prohibitum cap. Nullus Episcopus 2, 1. q. 1. & ibi Glo. Ver. Restituat, quæ loquitur in specie de illo, qui redimit precio absolutionem à suspensione, quando iniustè fuit suspensus cap. Altare 1. q. 3. Vbi Archid. cap. Quæsitum ead. cau. & quæst. & Glo. Ver. Triginta, cap. Quid culpatur 23. q. 1. cap. Decimas 3. 16. q. 7. cap. 1. De Vsur. Tandem in cap. Dilectus 1. De Simonia. Vbi id clarissimè probat Glo. in Ver. Restituere quod accepit.

Superior verò, qui precium accepit, vt absolutionem daret, excusari non potest à simoniaca labe, & tenetur

tenetur restituere quod accepit, vt dicitur in dicto ca. Dilectus, cum indebitè, & iniustè acceperit. Quare hac in re non est turpitudo ex parte dantis ius suum redimere volentis arg. cap. Prohibeas De Magistr. ca. Insinuatione De feud. Sed ex parte recipientis.

Sed contra obijcies; Quoniam nemini videtur licere ius suum redimere in re spirituali, vt dicitur in cap. Matthæus De Simonia. Vbi damnatur tanquam simoniacum si aliquid detur de voluntate electi à maiori parte alicui contradicenti, vt cesset à contradictione.

Respondet Glo. in c. Dilectus Ver. Restituere quod accepit De simonia, & Turre Crem. in dicto cap. Nullus Episcopus nu. 1. damnatum esse redimere ius suum in re spirituali: Vbi ille, cui datur temporale ius aliquod habet in re spirituali, tunc enim datur temporale directè pro re spirituali, quod est simoniacum, & hic est casus cap. Matthæus; Tunc temporis enim agendum est coram Superiore, vt compellat contradicentes desistere à molestijs, & vexationibus arg. cap. Ad aures De Simonia, vt dixit Innoc. supra relatus. Sed alia ratio est, quando iniusta est vexatio, & iniqua, de qua modò loquimur; Licet enim tunc vexato redimere suam vexationem. Quare qui iniustè fuit à beneficio, vel officio suspensus, vel iniustè excommunicatus, si dat pecuniam, vel aliud temporale, vt restituatur in suum beneficium, vel vt obtineat absolutionem ab excommunicatione, non committit simoniam, quia nullum Ius spirituale acquirit, sed dat, vt ius acquisitum retineat, vel redimat, quod non est prohibitum dicto cap. Quæsitum 1. q. 3. & cap. 1. De Vsur. immò non tantum hoc modo sine peccato potest redimere ius suum, sed & id, quod dedit, repetere poterit, vt inquit Glo. in dicto cap. Nullus Episcopus Ver. Restituat 1. q. 1. arg. l. Quod euitandi C. De Condi. ob tur. cau.

Quod si ille, qui petit absolutionem ab excommunicatione, iustè fuit excõmunicatus, & est altera pars distinctionis, tunc, si interueniat precium ad impetrandam absolutionem, incurritur crimen simoniæ ex vtraque parte dantis, & accipientis, quia datur temporale pro spirituali cap. Nemo De Simonia, cap. Nullus Episcopus 1. q. 1. Vbi Turre Crem. ex sententia Host. vtitur eadem distinctione, cap. Ad aures eod. tit. De Simonia, & cap. Non solum 1. q. 3.

Postulabit aliquis; An licitè refici possint sumptus ab eo, qui petit absolutionem ab excommunicatione, quos fecit aduersarius propter contumaciam ipsius Excommunicati.

Respondet Glo. in dicto cap. Ad aures Ver. Absolutionis in fine illum, qui petit absolutionem, debere persoluere omnia damna aduersario, quę passus est ob ipsius contumaciam antequam absolutionem obtineret; Immò debere restituere etiam omnes sumptus ab ipso Iudice factos propter contumaciam Excommunicati, quia non dantur intuitu absolutionis arg. cap. Sacro De Sent. Excomm. Sed si iniusta fuisset excommunicatio, absoluendus esset absque vllo grauamine dicto cap. Sacro.

Sed dubitari potest; An valeret Statutum, quod Episcopus promulgaret, vt Excommunicatus quolibet mense decem aureos solueret, vel aliam summam quamdiu permaneret vinculo excommunicationis innodatus, & non peteret absolutionem.

Respondet Host. vt refert Abb. in dicto cap. Ad aures nu. 5. de Simo. tale statutum valere, quia precium non exigitur pro absolutione, sed pro cõtumacia, pœnæ n. pecuniariæ etiã de Iure Canonico licitè exiguntur cap. dilectus de off. ordi. & sic potest intelligi ca. 1. de iudi. Vbi agitur de satisfactione, sed antea erit imponenda absolutio ab excõicatione, & postea compelli poterit ad satisfaciendũ iuxta dispositionẽ Statuti. Quamobrem tale statutum iustissimum esset, vt tradit Bernar. Diaz in Pract. crim. cap. 116. num 6. referens constitutionem Regni Hispaniarum, & aliam in Regno Neapolitano, quibus cautum est ad puniendam contumaciam excommunicatorum, vt si per mensem, vel longiori tempore in excommunicatione perstiterint, soluant pecuniariam pœnam, sicque absolutionis tempore post satisfactionem Ecclesię potest pecuniaria pœna à Prælato exigi, & in pios vsus conuerti, vt testatur Simmanchas Cath. Instit. tit. 27. numero quinto. De qua te dixi etiam in cap. 3. disp. 8. lib. 2.

Quare addendum est ad hæc, quæ ab Host. dicuntur, tunc Statutum ità disponens iustum, & honestum iudicari posse, si statuerit, vt pœcunia, quæ exigitur ab excommunicato, qui fuit in mora petendi absolutionem, non cedat commodo, & vtilitati ipsius Prælati absoluentis, quia tunc merito præsumeretur illud editum esse ex inordinata turpis lucri cupiditate, & simoniacæ labis, aut sordidæ auaritiæ suspicionem haberet; quod in similibus damnatum fuit in Concil. Trid. sess. 24. De Reform. cap. 14. Sed pauperibus erogetur, aut in alios pios vsus conuertatur, & erit probabile argumentum emanasse ex effectu charitatis, & causa correctionis, Facit, quod notatur per Bald. in Auth. Bona Damnatorum C. De Bonis Damnat. Vbi affirmat Episcopos ex dispositione iuris debere condemnate ad solutionem pœnę Cameræ Romanę, non suę, licet oppositum seruent. Sed hoc tempore hic prauus vsus Dei benignitate sublatus videtur; quod refert, & sequitur Anan. in cap. excommunicamus 1. in fin. De Hæret.

CAPVT IV.

An Postulans absolutionem ab excommunicatione, eo ipso fateatur se excommunicatum.

DVæ sunt Doctorum sententiæ in hac difficultate, Altera est Glos. in cap. Venerabilem Ver. Postulauerit de elect. Vbi ex verbis tex. in fi. sic ait *Nota hic eo ipso quod quis petit absolui, per consequens se confitetur excommunicatum*. Et est Glos. singul. quam sequuntur multi Doctores, Host. ibi, & in cap. Cum Dilectus De ordi. cogn. Bart. in l. Decem ff. De Verb. oblig. & alij plures, quos refert Mascard. De probat. conclu. 13. num. 1. & seq volum. 1.

Fundamentum huius sententiæ est, quia venia præsupponit culpam argum. l. Si ideo C. de his quibus, vt indign. cap. Verum 8. dist. cap. Nerui 13. dist. Vnde Mil. in Repert. Ver. Excommunicatio probatur, asserit excommunicationem probari per petitionem absolutionis.

Altera sententia est opposita Innocen. in dicto cap. Venerabilem num. 4. & in dicto cap. Cum dilectus de ordi. cogn. Archid. in cap. Pia de except. lib. 6. Io. And. in cap. Exhibita de Homic. Specul. in tit. de Probat. §. Videndum Ver. Sed nunquid probatur numer. 24. Quam opinionem tenuit Rota decis. 146. De Sent. excom. & decis. 330. de except. in antiq.

Pro qua opinione facit etiam decis. Put. 98. lib. 2. qui asserit interdum absolutionem peti debere ad cautelam, quia piarum mentium est timere culpam, vbi culpa non est cap. Ad eius vero dist. 5.

Has duas sententias refert Abb. in dicto cap. Venerabi-

rabilem num. 22. De elect. & secundam probat tanquam probabiliorem.

Quam tenentes respondemus ad quæstionem, & primo dicimus illum, qui petit absolutionem in Iudicio cum solemnitate tacitè fateri se esse excommunicatũ.

Ita censet Mascard. vbi supra num. 9. & sic inquit intelligendum esse cap. Venerabilem, & ita tenet Mil. in Reper. in Ver. Excommunicatio probatur, & probat Io. Andr. in cap. Cum Dilectus de ordi. cogn. super Glos. penult. & cap. Exhibita de Homic.

Dicendum est secundo, si petatur absolutio ab excommunicatione extra Iudicium, non propterea intelligitur probata excommunicatio.

Probatur primò, quoniam, vt inquit Abb. in dicto cap. Venerabilem num. 22. sæpè petitur absolutio ad cautelam ab excommunicato, vt tutiorem partem in conscientia eligat, quæ in his, quæ pertinent ad salutem animæ, semper est amplectenda cap. Consilium De obseruat. ieiunio. Et idem confirmat Abb. in citato c. Cum Dilectus de ordi. cogn. num. 39. Card. in Repetit. in c. Perpendimus de sent. excom. lib. 6. Dec. cons. 321. num. 7. Rota decis. 5. De except. in Nouis, & decis. 11. de sent. excom. in Antiq. & hanc ob causam vocatur absolutio ad cautelam, scilicet ad maiorem securitatem, vt res sit potius in tuto, quàm in periculo, vt inquit Abb. in cap. Apostolicæ num. 10. De except. quia cautela abundans, & non necessaria nunquam nocet l. Testamentum C. de Testam.

Sed dicet aliquis, ergo quando quis petit absolutionem iudicialiter purè, & simpliciter, fatetur se esse excommunicatum.

Respondendum est primò, quando à Prælato impenditur simpliciter absolutio ab excommunicatione, regulariter supponitur excommunicatio, vt inquit Abb. in dicto cap. Apostolicæ nu. 12. & probat ex Glo. in c. Capitulum in Ver. Relaxetis in fine de Rescript. Vbi notat nunquam intelligendum esse datam absolutionem ad cautelam, nisi id fuerit expressum.

Secundò dicendum est, quando petitur simplex absolutio, non idcirco affirmandum esse excommunicationem esse probatam, neque petentem fateri se esse excommunicatum, sed tantum ex huiusmodi petitione videri colligi posse excommunicatum asserere habere conscientiam læsam, & ambiguam.

Ad hunc modum respondet Paris. cons. 1. num. 88. Vol. 4. Natt. cons. 299. num. 15. Vol. 1. ob eam rationẽ, quia probationes debent esse claræ, vbi agitur de probando crimine l. Sciant C. de Probat. Vnde Glo. in c. Exhibita in Ver. Veniam de Homic. expresse dicit petentem veniam alicuius delicti non fateri se deliquisse, quam sequuntur Abb. Card. & Doct. ibi, Philipp. Franc. in cap. Licet col. penult. Vers. Secundò aduerte de sent. excom. lib. 6. & in specie idem sentit de petente absolutionem ab excommunicatione Felin. in c. literas num. 19. De præsumpt. & in cap. Apostolicæ de except. ob eam rationem, quia petens absolutionem hanc ex humili corde videtur eam postulasse ad cautelam propter dubium aliquod, quo eius animus turbabatur, an esset excommunicatus, nec nè, ideo ex hoc non debet adsumi eius confessio ad probationem, quod verè sit excommunicatus, & est communis sententia Doctorum, vt testatur Mascard. qui alios refert concl. 700. num. 5. & 10. Vol. 2. de Probat. Couar. in cap. Alma Mater prima part. §. 12. num. 1. censet probabilius esse affirmare, quod per absolutionem simplicem non probetur excommunicatio, ergo multò minus ex postulatione huius absolutionis ad cautelam;

A nam quamuis absolutio necessaria sit ad tollendam excommunicationem, vbi vere ea præcessit, non tamen inde sumitur efficax probatio, quod excommunicatio præcesserit, si de ea non aliter constet, quam ex præsumptione absolutionis, ex quo infert etiam Couar. minimè fateri se excommunicatum esse illum, qui obiicienti excommunicationem responderit se absolutionem obtinuisse, quia excipiens, vel replicans non videtur assentiri menti Aduersarij, & probat ex Regula exceptionem de Reg. Iur. lib. 6. & c. Cum Venerabilis de except.

Non est tamen prætereundum has duas opiniones contrarias conciliari posse ad hunc modum, vt dicamus Glo. in cap. Venerabilem de elect. cum ait per petitionem B absolutionis probari excommunicationem, intelligendam esse, quando agitur de modico damno, & præiudicio. Contrariam verò sententiam locum habere, si tractetur de magno præiudicio, quia per talem petitionem absolutionis probatur excommunicatio non concludenter, sed præsumptiuè, sicut etiam potest probari excommunicatio per denunciationem. Quæ præsumptio sufficit in his, quæ sunt modici præiudicij, vt declarat Dec. post Abb. in cap. Prudentiam §. sexta num. 36. & seq. de Offi. deleg. citat Rotam decis. 8. de except. in nouis, & Roman. cons. 349.

CAPVT V.

C

Quo pacto probari possit, & debeat absolutio ab excommunicatione.

PLuribus modis fieri potest, vt absolutio ab excommunicatione probetur, nempè per litteras absoluentis, per testes, vel alio legitimo modo, est tex. in c. Sicut nobis de sent. excom. Vbi Innocentius Tertius declarat tanquam excommunicatos habendos esse illos, qui per literas absoluentis, vel alio modo legitimo de eorum absolutione fidem non fecerint, verba textus sunt, *Nisi excommunicati à te super absolutione sua literas nostras, vel illius, cui vices nostras in hac parte commisimus, reportauerint, aut alio modo legitimè de illorum absolutione tibi constiterit, tu ipsos pro excommunicatis, vt prius habeas, & facias euitari,* Vbi Abb. & Felin. D notant obtinentem absolutionem cautum esse debere, vt possit illam probare, Rota decis. 11. de sent. excom. in Antiq. Quia semel excommunicatus semper præsumitur excommunicatus, nisi probauerit absolutionẽ, vt ibi Abb. ait, & cap. Proposuit de Cleri. Excom. Mini. & Grat. cons. 42. num. 5. vol. 2. iuxta regulam semel malus, &c. Dec. in c. Ad audientiam in primo notab. de rescript. & probat auctoritate dicti cap. Proposuit in fin. ibi *Cum ex aduerso de absolutione, & communione dicti Episcopi fuerit facta fides,* Vbi Glo. Ver. De absolutione, & Abb. num. 4. Roman. cons. 387. In terminis propositæ consultationis. Et sufficit ad probandam absolutionem cedula Presbyteri absoluentis, vt tenuit Rota per Paleot. decis. 220. & 269. quæ non sunt E impressæ, sed referunt à Mascardo De Probat. Conclus. 12. Vol. 1. Vbi tractat hanc quæstionem, de qua etiam agit Concl. 704. Vol. 2.

Sufficit etiam ad probandum absolutionem vnicus testis, Calder. cons. 1. in tit. De testibus, Felin. in cap. Veniens colu. fin. de accusa. sequitur Gabr. Commun. Conclus. lib. 1. de testi. Concl. 1. num. 17. Sed Mascard. vbi supra num. 4. intelligit id habere locum, quando huiusmodi testis sit Pœnitentiarius habens auctoritatem absoluendi, aliter verò dicendum esse de cæteris hominibus, & rationem assignat, quia cum Sacerdos

Pœni-

pœnitentiarius, antequam ad pœnitentiariæ munus promoueatur, iure iurando fateatur ſe religioſè onus ſibi impoſitum adminiſtraturum, fides ei eſt adhibenda in his, quæ in illo munere geſſit, & probat à ſimili; Nam Nuncio creditur, cum ſit iuratus, & publicus, vt reſpondet Cepha. conſ. 113. nu. 12. Vol. 1. Idem contingit in Notario iurato, vt voluit Calde. conſ. 2. circa med. De Teſti. Rui. conſ. 159. num. 16. vol. 3. Sed de hac difficultate an ſit credendum Confeſſario fuſius pertractaui in diſp. 4. cap. 4. nihil eſt quod modo addam.

Quod ſi abſolutio probanda eſſet ab alijs teſtibus, tunc requirerentur plures teſtes, qui vt minimum duo eſſe deberent; Abb. in dicto cap. Sicut nobis; B Vnde benè animaduertit Glo. in cap. Cum in Iure in ſi. De Off. Deleg. *Vt qui abſolutus eſt, cuſtodiat inſtrumentum, ſiue literas abſolutionis, per quas tutus exiſtat, ſi obiiciatur excommunicatio, aliàs poſſet ei periculum generari.* Vnicus enim teſtis regulariter non probat cap. Licet, cap. Veniens, cap. Iuſiurandi De Teſti. & propterea teſtimonium vnius non iuſtificat, nec damnat cap. Admonere 33. quæſt. 2. cap. In nomine Domini De Teſti. Quare Glo. in cap. Sicut nobis Ver. Alio modo De Sent. Excom. inquit vnicum teſtem non ſufficere ad probandam abſolutionem ab excommunicatione in Iudicio, quia fieret præiudicium Actori.

C Vnde cum aliquis opponit excommunicationem contra alium, & ille negat ſe eſſe excommunicatum; Vtriuſquè teſtes ſunt admittendi in hac controuerſia, vt inquit Glo. in cap. Propoſuit Ver. De abſolutione De Cleri. Excom. Mini.

Objicit Gloſ. in cap. Sicut nobis Ver. Literas noA ſtras De Sent. Excom. quoniam videtur rationi conſentaneum, vt credatur ipſi Excommunicato, ſi fateatur abſolutionem recepiſſe, quia non eſt præſumendum hominem immemorem eſſe ſuæ ſalutis cap. Sancimus 1, q. vlt.

Reſpondeo cuilibet eſſe credendum in foro pœnitentiali, vt inquit Glo. in cap. Significaſti 2. Ver. Credendum ſit De Homi. Secùs autem eſt in foro contentioſo, de quo nunc agimus, ratione excommunicationis.

Sed opponere poſſet quis in oppoſitam partem ex verbis Extrauag. 1. De Priuileg. §. Super confeſſione; Vbi excipitur caſus, quando neque in foro interiori B Pœnitenti eſt credendum, & eſt; Si Pœnitens dicat ſe abſolutum fuiſſe ab excommunicatione.

Contrarium eſt verius Glo. in cap. Significaſti, & ibi Abb. nu. 7. De Homic. Extrau. verò illa 1. De Priuileg. loquitur, quando quis confiteretur Regularibus, & aſſereret eſſe abſolutum ab excommunicatione, cui non eſſet credendum, ſi proprius Parochus affirmaret eſſe excommunicatum. Accedit fuiſſe reuocatam Extrauag. illam per Clem. 2. De Sepult.

Si quæratur, An abſolutio probari poſſit ſufficienter dicto vnius teſtis adiuncto iuramento ipſius Rei aſſerentis obtinuiſſe abſolutionem.

Dicendum eſt validè probari abſolutionem ab exC communicatione per vnicum teſtem cum iuramento partis Calde. in cap. 1. De Teſti. Felin. in cap. Veniens col. fin. De Accuſa. Maſcard. De Probat. Concl. 702. nu. 3. Vol. 2. Sicut etiam Excommunicatio eodem modo probari poteſt iuxta magis communem, & probabilem ſententiam, vt dictum eſt in Cap. 3. Diſp. 11. lib. 1.



DE FORMA SERVANDA
IN TRADENDA ABSOLVTIONE
AB EXCOMMVNICATIONE.



ORMA ſeruanda in abſolutione ab Excommunicatione, petenda eſt ab ipſis ſacris Canonibus; Eſt enim inſtituta ab ipſo Iure poſitiuo, ſicut & forma ſeruāda in pronuncianda excommunicatione, de qua tractauimus in Cap. 2. Diſp. 4. lib. 3. De forma igitur abſolutionis, quæ præſcripta eſt in iure, dicendum eſt in hac Diſputatione; De qua duo conſiderari poſſunt, ſcilicet quæ pertinent ad ſubſtantiam abſolutionis, & quæ ſunt tanquàm ſolemnitates accidentales, & de ſingulis eſt agendum.

DSPVTATIO SEPTIMA.

Caput Primum, Quæ ſunt de ſubſtantia formæ abſolutionis ab excommunicatione.

D *Caput Secundum, Quæ ſolemnitates, & ceremoniæ à Iure præſcribantur adhibendæ, vbi quis ab excommunicatione abſoluitur.*

CAPVT I.
Quæ ſint de ſubſtantia formæ abſolutionis ab excommunicatione.

AD eſſentiam, & neceſſitatem abſolutionis ab excommunicatione pertinent ſolum verba, quibus exprimatur ſufficienter effectus proprius abE ſolutionis, ſcilicet vinculum tolli, & hominem per excommunicationem iam ſeparatum à communione Eccleſiæ, & fidelium, eidem reſtitui. Vnde non ſunt neceſſaria aliqua determinata verba, vt Doctores communiter ſentiunt, ſed quæcunq. ſufficiunt habentia prædictam ſignificationem, ſicut etiam dictum eſt de excommunicatione. Ità ſentiunt Glo. vlt. in cap. Cū deſideres De Sent. Excom. B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 77. Silue. Abſolutio 3. §. 3. Nauar. in cap. 1. num. 56. De

Pœnit.

pœnit. dist. 6. & in tract. de Iubil. notab. 30. numer. 81. ait ad absolutionem ab excommunicatione sufficere quæcunque verba significantia, quod absoluens vult absoluere excommunicatum, & absoluit, Riccar. dist. 18. art. 10. q. 5. Couar. in c. Alma Mater prima par. §. 1. num. 7.

Regulariter tamen à Doctorib. assignari solet hæc forma, *Absoluo te à vinculo maioris excommunicationis ob talem causam, & restitutio te sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Et hæc videtur forma congrua, & conueniens; non est tamen necessaria. Et patet primo, quia inuocatio Trinitatis non est de necessitate, cum neq; necessaria sit in absolutione sacramentali. Secundò non sunt etiam necessaria illa duo verba, Absoluo & Restituo, quia restitutio ad sacramenta, & communionem fidelium est effectus necessario consequens absolutionem; idcirco non opus est exprimere hanc restitutionem, quia concessa absolutione sequitur per se, etiamsi non sit expressa.

Quamobrem, si ista verba prætermittantur, absolutio erit valida, dummodo aliquo verbo sensibili declaret absoluens, & significet voluntatem suam liberandi excommunicatum ab illo vinculo excommunicationis, quo obstrictus existit, vt si dicat Absoluo te ab excommunicatione, aut relaxo excommunicationem, vel te benedico, aut reconcilio Ecclesiæ, vel quid simile cum intentione tollendi vinculum excommunicationis, Silue. Absolutio 3. §. 2. arg. cap. Omnis res de Reg. Iu. extra, & cap. Ponderet 50. dist. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 37. & hoc locum habet non solum in foro interiori pœnitentiæ, sed etiam in foro iudiciali.

Sed contra obijci potest non valere absolutionem ab excommunicatione, si non seruetur forma absolutionis ab ipso Iure definita, quia forma rescripti exactè est seruanda, vt nec ordo præteriri debeat, alias actus non tenet c. Cum Dilecta de Rescrip. cum alijs ibi per Glos. adductis, cap. Pisanis de restit. spolia. notat Dec. l. Transactio not. 1. C. de Transact. tradi.

Respondet Silue. dicto §. 2 cum distinctione, quod quando alicui delegatur potestas absoluendi aliquem excommunicatum præscripta certa forma, quam debeat adhibere in tradenda absolutione, tunc temporis, si non seruetur omnino forma assignata in commissione, non tenet absolutio arg. cap. fin. de Præb. & cap. Prudentiam de off. Deleg. Ratio huius dicti est, quoniam omissa forma data à Superiore, nulla competit iurisdictio Delegato, quæ conceditur sub illa conditione, vt seruetur forma assignata, & non aliter, & ex consequenti cessante potestate, inualida est absolutio. Si verò absolutio sit commissa alicui à Iure, vel ab homine simpliciter non sub aliqua forma, sufficit vti verbo Absoluendi, vel relaxandi, aut benedicendi, vel simili, vt absolutio teneat, quamuis alia omnia omittantur. Et idem est dicendum, quando Papa committit alicui, vt absoluat seruata Iuris forma, nam in hoc casu, etiamsi non seruetur forma Iuris, tenet absolutio, quia, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 26. num. 37. non est intentio Papæ illis verbis inducere nouam formam, sed admonere Delegatum id, quod secundum ius facere debet, vt in simili Innoc. in cap. fin. De Præsumpt. Glos. sing. in Clem. 1. de off. Deleg. Quia sicut in excommunicatione nulla est certa forma definita à sacris Canonibus, quæ sit de substantia excommunicationis c. 1. De sent. excomm. lib. 6. cap. 1. de Iudi. 2. q. 3. cap. 1. Ita etiam dicendum est de abso-

A lutione. Hinc fit, quod, quando absolutio traditur non seruata forma Iuris ab habente potestatem iure ordinario, valet, secus si impendatur à Delegato, cui sit commissa absolutio sub certa forma, vt notat Nauar. dicto num. 37. arg. Glos. singul. in Clem. 1. de iur. Patro. Ver. Inhibemus, Felin. cap. Ex parte de constitut. Vnde is, qui habet facultatem absoluendi delegatam in mortis articulo, si absoluat extra illum, nihil facit.

Tria tamen hic inquiri possunt. Primum est, an ad substantiam, & essentialem rationem formæ absolutionis ab excommunicatione necesse sit exprimere, quod absolutio datur ab excommunicatione, vel satis sit vti verbo absolutionis absolutè non addendo ab excommunicatione, scilicet An superior debeat ex B necessitate dicere absoluo te ab excommunicatione, vel à tali excommunicatione, An possit solum dicere Absoluo te, sicut sufficit in absolutione sacramentali, si Confessarius dicat Absoluo te, etiamsi non addat à peccatis tuis.

Respondeo, quando ex verbis, quæ antecedunt, sufficienter colligi potest sermonem esse de absolutione ab excommunicatione, tunc non est necessaria determinatio, vt si Reus petat absolui ab excommunicatione, satis est si Iudex respondeat Absoluo te. Vnde in absolutione sacramentali, quia semper præcedit peccatorum confessio à qua determinatur forma absolutionis, sufficit, si Sacerdos dicat Absoluo te, & significat absolutionem à peccatis, Multò igitur magis C in absolutione ab excommunicatione ex adiunctis fit determinatio. Sed si nihil præcedit, ex quo determinatio fieri possit, tunc necesse est in forma absolutionis addere hanc determinationem, vt quando in confessione præmittitur Absolutio ab excommunicatione, & alijs censuris poenitente non postulante hanc absolutionem, nec aliquid de ea cogitante; tunc enim, si in forma, qua vtitur Sacerdos absoluendo, non adderetur hæc determinatio, non videretur satis sensibiliter significari effectus absolutionis, & voluntas Iudicis intendentis absoluere à Censuris. Et idem apparet, quando absoluitur inuitus. Atque in his casibus videtur pertinere ad essentiam absolutionis addere determinationem aliquam, qua sufficienter declare-D tur voluntas absoluentis ab excommunicatione.

Secundo quæri potest, an ad essentiam formæ absolutionis pertineat exprimere causam excommunicationis; nempe vt Superior dicat e. g. Ego te absoluo ab excommunicatione, quam propter talem causam incurristi.

Respondeo expressionem causæ non esse conditionem necessariam absolutionis per se & directè, quia illa non spectat per se ad effectum absolutionis, quia validitas pendet tantum ex potestate, & voluntate absoluentis, Nauar. in Manua. cap. 26. num. 9. Silue. Absolutio 3. §. 2. & probatum est supra in cap. 4. disp. 6. Sed oportet animaduertere, quod si poenitens sit obstrictus pluribus excommunicationibus propter di-E uersas causas, cum possit absolui ab vna alijs remanentibus, Tunc oportebit exprimere causam excommunicationis, vt tollatur omnis ambiguitas, & intelligatur à qua excommunicatione absolutio impenditur, nisi aliunde appareret de intentione Iudicis, vt si limitata esset potestas ipsius ad absoluendum ab vna excommunicatione, non ab alijs, tunc, etiamsi simpliciter proferatur absolutio absque expressione causæ, sufficienter intelligeretur esse limitatam ad talem excommunicationem iuxta vires potestatis Iudicis absoluentis. Quare quando poenitens est pluribus ex-

commu-

communicationibus innodatus, si absoluens intendit ab omnibus absoluere, necesse est, vt in forma absolutionis vtatur signo distributiuo, & dicat Absoluo te abomni vinculo excommunicarionis, vel saltem si præcesserit petitio ipsius Dei petentis absolutionem simpliciter, & absolutè ab omni vinculo excommunicationis absq; relatione ad aliquam certam causam, debet vti clausula indefinita, scilicet Absoluo te, vt inquit S. Tho. in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. quæstiun. 3. Quia responsio est relatiua ad petitionem, sed ad tollendam omnem ambiguitatem, tutius erit addere signum distributiuum. Et regulariter loquendo, quando Superior potest ab omnibus excommunicationibus absoluere, & ex parte petentis non adest impedimentum, absolutio præsumitur concessa ab omni vinculo excõ- B municationis, & non limitata ad aliquam excommunicationem, nisi oppositum exprimatur. Et hæc colliguntur ex cap. Officij, & cap. Cum pro causa de sent. excom. Abb. in eod. cap. Cum pro causa, & alij Doctores, Nauarr. in cap. Ita quorundam de Iudæ. in Glos. vlt. notab. 1. num. 11. Couar. in cap. Alma Mater prima par. §. 11. num. 12. & 13.

Tertiò, & postremò quæri potest, an spectet ad rationem essentialem absolutionis ab excommunicatione, vt per verba proferatur, vel sufficiant nutus, signa, & aliæ actiones; nomine verborum hoc loco intelligimus scripturam, scriptura enim est signum sensibile, quo exprimitur intentio animi æquè benè, sicut per voces, & verba. Quare certum est per scripturas, sicut per verba posse pronunciari absolutionem. Sed difficultas esse potest de nutibus, & signis, quibus nunquam satis apertè declarari posse videtur intentio absoluentis, quod confirmari potest ea ratione, quia si signa, & actiones sufficerent ad ostendendam absolutionem, quamuis verba non adderentur, id maximè haberet locum, quando Episcopus communicaret cũ excommunicato; hac enim ratione videtur tanquam signo manifesto superior velle declarare ipsum Reum absolutum, & tamen hoc non est sufficiens signum absolutionis, vt constat in Clem. vni. cap. vlt. de sent. excom. Vbi definitum est etiam de Summo Pontifice. Quod si scienter communicet cum excommunicato, non idcirco censendum esse velle ipsum absoluere, nisi D hoc expresserit, & probaui in lib. 1. cap. 4. disp. 11. ergo multò minus id erit asserendum de alijs actionibus, & signis.

Respondendum est regulariter, & iure ordinario Absolutionem ab excommunicatione concedendam esse verbis, non signis, & nutibus, ita quidem, vt si quis absoluere possit verbis, non validè absoluat, si vtatur alijs actionibus, & signis. Id patet tum ex Clem. citata, & ex cap. Si aliquando de sent. excomm. Vbi Innoc. Tertius declarat Papam, si suis literis excommunicatum salutet, non propterea eum absoluere. Quare non sufficiunt signa ad absolutionem nisi exprimantur verba, tum etiam quia ista signa (vt dixi) sunt valdè incerta, & ambigua, nec valent effectum absolutionis significare, & intentionem Iudicis absoluentis.

Qua in re discrimen est inter Episcopos, & inferiores Prælatos, & Summum Pontificem, quia Episcopi, & Inferiores Prælati, etiamsi velint, & intendant communicando cum excommunicato, vel alijs signis, & actionibus illum absoluere, nisi tamen vtantur verbis, non absoluunt, & nihil efficiunt; non solum quia, si omittantur verba, alia signa sunt incerta ad hunc effectum; verum etiam quoniam ab ipso iure præscripta est forma absolutionis, quam seruare debent Prælati

A Inferiores, quibus non competit potestas Ius immutandi, vt notauit Glos. in c. Cum desideres Ver. Quam offendit, in cap. Si aliquando Ver. Absolutionis de sent. excomm. & in dicta Clem. vnica Ver. Velle.

At vero Romanus Pontifex si exprimat velle communicando cum excommunicato, vel alio signo absoluere excommunicatum, absolutio tenet, & est valida, vt dixi in citato cap. 4. disp. 11. lib. 1. Quia Papa non tenetur seruare formam absolutionis à Iure positiuo descriptam, neque enim est subiectus iuri communi l. Digna vox C. de legi. & l. Princeps ff. eod. tit. & ideo si velit vti sua absoluta potestate, non seruata iuris forma, & signis, ac nutibus absoluere excommunicatum, factum tenet, vt Glo. in locis citatis docet, & Rebuff. B in praxi beneficiali Ver. Datum num. 26. Siluc. Absolutio 3. §. 7.

CAPVT II.

Quæ solemnitates, & ceremoniæ à Iure præscribantur adhibendæ, vbi quis ab excommunicatione absoluitur.

Dictum est capite præcedenti de forma absolutionis essentiali, & necessaria; nunc tractandum est de verbis, & solemnitatibus requisitis ad benè esse, & de congruo in tradenda absolutione ab excommunicatione. Multa enim iure Pontificio exiguntur, quando absolutio ab excommunicatione conceditur, quæ sunt explicanda, & desumuntur ex cap. Cum aliquis C 11. q. 3. & ex cap. A nobis 2. De sent. excom. & ex alijs iuribus infra citandis.

Prima solemnitas est, vt Pœnitens, qui absoluendus est, petat absolutionem, est enim valdè conueniens, licèt non sit necessarium ad retinendum debitum modum absoluendi, vt absolutio cõcedatur petenti; nam dum Reus petit absolutionem, declarat se paratum, & promptum ad parendum, & recedendum à contumacia, quod est finis excommunicationis, & desumitur ex c. Per tuas de sent. excom. illis verbis *Nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, nè sententiam ecclesiasticam contemnere videatur, &c.* Significasti De eo qui dux. in matri. quam pollu. per adult. Nonnunquam verò expedit absolutionem elargiri non petenti. De qua re fusius tractatum est in cap. 1. disp. 6.

Secunda solemnitas est, vt is, qui absoluendus est, antequam absoluatur, iuramentũ præstet de obediendo, & parendo mandatis Ecclesiæ, vel ipsius absoluentis, vt colligitur ex cap. Ex tenore, cap. De cætero, & c. Si desideres de sent. excom. Nauar. in Manua. cap. 26. num. 7. & de Pœnit. dist. 6. cap. 1. in princ. num. 54.

Quod iuramentum intelligitur de parendo mandato ecclesiæ circa subiectam materiam, & causam, propter quam inflicta fuit excommunicatio, non enim iurare debet in vniuersum de parendo omnibus præceptis Superioris, vt si quis incidit in excommunicationem iuris ob transgressionem legis, debet iureiurando se obstringere paratum esse in futurum ad legẽ E illam seruandam. Habetur in cap. Pessimam 23. qu. 8. & in cap. Grauem de sent. excom.

Dubitant Doctores primo an hoc iuramentum sit præstandum semper, ob quamcunque causam, Reus sit excommunicatus.

Communis est sententia tale iuramentum exigendum tantummodo esse, vbi quis ob maiora crimina, & enormia facinora, & excõmunicatione innodatus. Tales sunt Incendiarij, Falsarij, Publici Clericorum percussores, & similes. Huius opinionis est Silvester Absolutio 3. §. 3. Caiet. in Sum. Ver. Absolutio, & alij.

Secus

Secus autem si quis sit excommunicatus ob leuiora delicta.

Ex igitur etiam promissio cum iuramento ab excommunicato de adimplenda pœnitentia, quæ ei imponitur, dum absoluitur. Qua in re illud præcipuè est obseruandum, nè iniusta, aut irrationabilia, aut moraliter impossibilia præcipiantur, quia sic Absolutus posset iustè appellare cap. vlt. de Pact. cap. Vt debitus de appell. tradit Glos. cap. Ex tenore Ver. Debeat de sent. excomm. Nam qui iurat, non adstringitur nisi ad iustum mandatum arg. cap. Causam de elect. & cap. Veniens de iure iur. Quamobrem prudentia absoluentis desideratur, nè duriorum, ac grauiorum poenitentiarum onera, absoluendo exigat, & in desperationem inducat, potius, quàm ad humilitatem, & obedientiam promoueat. Quare iuxta qualitatem, delicti, ac statum pœnitentis pœnitentia iniungenda erit, itá vt Seni non imponat ieiunium, aut peregrinationem, nec pauperi copiosas eleemosynas, aut similia iubeat, quæ penitus dissentanea sint, sed illæ æquissimæ, & maximè vtiles pœnitentiæ indicabuntur, quæ aduersantur delicto ratione cuius quis est excommunicatus, vt qui prædicando malè dixerat de fide, debeat eam publicè laudare, Qui noluerat ieiunare, orare, aut officia audire, ieiunet, oret, audiat, quia medicina morbo debet esse contraria, quod docet Summus Pontifex ex cap. Ex tenore de sent. excom. Vbi ei, qui manus violentas in Clericum coniecerat, præcipit, nè amplius conijciat, & itá de similibus dicendum erit, quod iudicio, ac prudentiæ ipsius Superioris relinquitur.

Dubitant secundo Vtrum huiusmodi iuramentum sit præstandum ab omnibus ante absolutionem tàm à fœminis, quàm à Viris, & an à pueris quoque, & diuersimodè loquuntur Doctores. Alii affirmant, alii negant; sed Canones nullam imponunt distinctionem, Silue. tenet à Mulieribus absque dubitatione exigendum esse iuramentum. De Pueris non affirmat: sed ait Episcopi arbitrio relinquendum esse.

Tertiò dubitant, an hoc iuramentum in absolutione ab excommunicatione sit necessarium tantum necessitate præcepti, quia cessante rationabili causa absque culpa prætermitti nequeat, an verò itá sit de substantia absolutionis, vt irrita sit absolutio tradita absque iuramento.

Respondeo iuramentum non esse de substantia absolutionis; nam valida est absolutio concessa sine iuramento, Glos. in cap. Cum desideres de sent. excomm. Silue. Absolutio 3. §. 2. Ang. eod. Ver. 3. num. 12. & citant Innoc. Io. And. Abb. Sed est ceremonia quædam inuenta ab ipso iure valdè conueniens, & accommodata rei, sicut dictum est superiori capite de præscripta forma verborum absolutionis.

Tandem solent dubitare circa hanc solemnitatem, An in absolutione impensa ab excommunicatione in foro pœnitentiæ virtute priuilegij, aut Iubilæi, aut alicuius Bullæ Pontificiæ debeat interuenire iuramentū.

Respondeo non opus esse, vt iusiurandum, vel alia obligatio interueniat; nàm sacri Canones exigunt iuramentum in absolutione, quæ conceditur in foro exteriori, & id cautelam, vt Absolutus ipse, & eius exemplo etiam alij in posterum sint magis obedientes Prælatis, vt caueant à peccatis. Atque etiam vt vi Iuriurandi præstiti possit absolutus postea compelli ad ea seruanda, quæ iuramento promisit, quæ non habent locum in foro interiori pœnitentiæ, ideo tale iuramentum tunc temporis non requiritur. Nemini etiam licitum est communicare excommunicato post iuramentum præstitum de stando mandatis Ecclesiæ, antequam fuerit per Ecclesiam absolutus, vt habetur in cap. Quod in dubijs de sent. excom. Quia iuramentum non habet vim absolutionis, alioquin non esset absolutio necessaria. Potest etiam Superior (si iudicat expediens) ab ipso Absoluendo non modo promissionem cum iuramento exigere de parendo mandatis Ecclesiæ, verum etiam fideiussionem sub certa pœna postulare, & pœnam exigere, si non pareat Zanch. tract. De Hæret. cap. 16. num. 9. & probatur per rescriptum Innoc. Quarti, Cum per vestras, & Alexandri Quarti super excirpatione, quæ referuntur inter literas Apostolicas additas in fine Directorij Inquisitorum. Verum, licèt hoc fieri possit, honestius contra est, & tutius ab huiusmodi cautionibus pecuniariis recipiendis abstinere, nè quid potius auaritiæ occasione, quàm Religionis amore facere videatur, vt monuit Conc. Narbonense his verbis cap. 14. *Ab huiusmodi pecuniariis pœnitentiis, & exactionibus vobis est abstinendum pariter, & parendum propter vestri ordinis honestatem* Hæc Concilium. Interdum tamen hæc fieri possunt tutissimè; præsertim cum illi, qui absoluuntur, sunt tenaces, & auari, qui facilius à peccato se abstinebunt, nè pecuniarum pœnam, quam promiserunt, soluere sint coacti. Quod etiam colligi videtur ex eod. Concilio cap. 13. cum dicit *Ab ipsis, talibus ac tantis exactis securitatibus præter iuratoriam cautionem, quod timore poenæ temporalis ab excessu simili debeant coerceri*. Explicat Zanch. in Tract. de Hæret. cap. 19. Quando Inquisitores absoluendo ab excommunicatione propter Hæresim possiut pœnam indicere pecuniariam.

Tertia solemnitas requisita est, vt, qui absoluendus est prius satisfaciat parti læsæ, si tenetur restituere pecunias, illas reddat. Si verò iniuria aliquem affecerit, debet satisfacere ad regulam iustitiæ, & hæc solemnitas intelligenda est vt præcedens, vt quis satisfaciat re ipsa, priusquàm absoluatur, quando commodè potest, cap. Porrò, cap. Parochianos de sent. excom. Abb. ibi, & alij, & Silue. V. Absolutio 3. §. 3. Si tamen impotens est tunc temporis ad satisfaciendum, debet dare aliquid loco pignoris; si pignore caret, tradat cautionē fideiussoriam de satisfaciendo, vbi poterit, aut peruenerit ad pinguiorem fortunam, cap. Odoardus de solut. cap. Ex parte 1. De Verb. signif. Si hanc non reperit, præstet cautionem iuratoriam, cap. Presbyter 26. q. 6. Qua in re omnes Doctores sunut concordes, & colligunt ex cap. Venerabilibus §. 1. De sent. excom. lib. 6. & cap. Qua fronte de Appell. Dec. in dicto cap. Qua fronte. Aduertendum tamen est, quod offensa dupliciter esse potest, vt inquit Couar. in cap. Alma Mater par. 1. in §. 11. nu. 11. & notat Nauar. in dicto cap. 1. in princ. num. 54. De Pœnit. dist. 6. ex sententia omnium Doctorum, alia manifesta, alia dubia. Pro manifesta offensa excommunicatus debet realem exhibere satisfactionem. Quando verò est dubia, tunc non est deneganda absolutio etiam præstita sufficienti cautione. Quod si nec satisfacere pro manifesta offensa, nec præstare cautionem pro dubia valeat sufficientē, tunc satis erit exigere promissionem iuratoriam. Idē est dicendum in excommunicatione propter contumaciam. Nam si contumacia manifesta sit, ante absolutionem debet præcedere setisfactio realis expensarum, & sufficiens cautio de stando Iudicio. Si vero dubia sit, satis erit idonea cautio.

Illud est quoque annotandum, cum dicimus excōmunicatum pro manifesta offensa non esse ante realem satisfactionem absoluendum, id procedere, vbi satisfactio

tisfactio est eius generis, vt possit ab Excommunicato exhiberi. Idcirco quoties satisfactio spiritualis est, vel eius conditionis, vt ab excommunicato præstari non possit, puta collatio beneficij, receptio in Canonicum, & his similes, tunc prius excommunicatus est cũ sufficienti cautione absoluendus, quam satisfactio præstetur, vt notat Glos. in Ver. Emenda in cap. Solet De sent. excomm. lib. 6. Felin. in cap. Cum contingat column. 1. De offic. deleg. & alij, quos citat Couar. in dicto num. 11. in fine.

Quarta solemnitas est, vt Sacerdos, antequam absoluat, recitet septem psalmos pœnitentiales, vt dicitur in cap. Cum aliquis 11. q. 3. Verum in cap. A nobis 2. De sent. excom. mentio tantum fit de psalmo pœnitentiali, & Nauar. in Manua. cap. 26. num. 8. & in dicto cap. 1. De Pœnit. dist. 6. nu. 54. asserit quemlibet ex psalmis pœnitentialibus sufficere. Psalmus autem 50. Miserere mei Deus, videtur aptissimus. Dum verò recitatur psalmus, Excommunicatus petens veniam ante fores Ecclesiæ, introducendus est in Ecclesiam, vt ibi absoluatur. Vnde Abb. in cap. Cum desideres de sent. excom. num. 6. inquit, Præstito iuramento de parendo mãdatis Ecclesiæ introducatur in Ecclesiam cum psalmo pœnitentiali. Estque consuetudine, & more communi receptum (quamuis iure non sit præceptum) vt sacerdos, qui absoluit, sit indutus veste sacra saltem superpelliceo, & stola, (maximè si detur publicè, & solemniter absolutio) & poenitens maneat genuflexus vultu demisso, & scapulis nudatus ex sententia Hosti. in summa tit. De excommunicatione nu. 14. & Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 77. §. 1. Et dum psalmus pronunciatur, percutiendus est fune, flagello, seu virgis. Non est autem decens, vt id obseruetur in absolutione fœminæ, vt dicit Nauar. Quod debet etiam omitti, quando absolutio datur in loco publico, sed ex confessione secreta, vt ait Caiet. in sum. Ver. Absolutio cap. 4. Polancus in Directorio Confessorum, quia dictum cap. A nobis loquitur de absolutione publica, quæ fit in foro exteriori, & aliàs reuelaretur confessio, & infamaretur Pœnitens. Completo psalmo cum Gloria dicitur Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Deinde oratio Dominica, vt habetur in eodẽ cap. A nobis 2. Postea Ver. Saluum fac, Domine, hunc famulum tuum. Resp. Nihil proficiat inimicus in eo. Deinde Domine exaudi orationem meam. Resp. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum, Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus, & dicitur sequens oratio, Deus, cui proprium est misereri, & parcere, suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum, quem excommunicationis sententia ligatum tenet, miseratio tuæ pietatis absoluat per Christum Dominum nostrum Amen. In cap. Cum aliquis 11. q. 3. non habetur hæc oratio; sed alia similis. Sic etiam docet B. Antoni. loco citato, & sequuntur omnes. Quibus præmissis impedi debet absolutio seruata forma in superiori capite descripta, scilicet his verbis, Auctoritate, qua fungor, absoluo te à vinculo excommunicationis, quod incurristi ob hanc, vel illam causam, & restituo te sacramentis Ecclesiæ, & communioni Fidelium In nomine Patris, &c.

Hæc est integra forma solemnitatum, & ceremoniarum, quæ regulariter seruandæ sunt in tradenda absolutione ab excommunicatione, & habetur in Sacerdotali Romano par. prima in tit. De excommunicatione. Quæ omnia publicè adhiberi debent, si publica fuit excommunicatio, si verò fuit occulta, fieri debent secretò. Non sunt tamen de substantia absolutionis; sed valida erit, etiamsi illa omittantur. Verum, si Sacerdos sine causa has solemnitates negligat, est reus culpæ, siue sit Ordinarius, siue Delegatus, Iudex, vt Silue. Nauar. Couar. & alij Doctores citati dicunt, & tenetur illas seruare non tantum in publica, sed etiam in occulta absolutione quatenus ad ea, quæ commodè fieri possunt. Tunc verò, maximè quando sententia excommunicationis lata fuit seruatis solemnitatibus, & ceremoniis cap. Debent 11. q. 3. vt notat Abb. in c. Cum non ab homine num. 23. De iudi.

Hæc autem, quæ diximus de his solemnitatibus, intelligenda sunt, vt inquit Nauar. in dicto cap. 1. De Pœnitentia dist. 6. num. 55. vt in Manua. cap. 26. nu. 9. Quando certum est Poenitentem esse innodatum aliqua excommunicatione, non autem quando res est dubia, & datur absolutio ad cautelam, vel ad certum effectum, vt ad testimonium ferendum, vel ad beneficium obtinendum, in quibus casibus non opus est ceremonias adhibere, sicut non seruantur hæ solemnitates, cum in sacramento confessionis absolutio conceditur à Sacerdote ad cautelam, quando non constat de excommunicatione. Et idem etiam dici potest, quando absolutio datur ab eo, qui non est Sacerdos, quia hæ solemnitates videntur propriæ dignitatis Sacerdotalis.

Tandem hac in re considerenda est consuetudo loci, & aliarum circumstantiarum tàm ex parte personæ excommunicatæ, quàm ex parte causæ excommunicationis, & ex diuersitate illarum maior, & minor culpa erit omittere hac solemnitates, & ante omnia habenda est ratio contemptus, & scandali.

Concessum tamen est Fratribus Minoribus ex priuilegio Leonis Decimi, vt in Compen. Priuileg. habetur fol. 54. vt in absoluendis excommunicatis in foro interiori non teneantur seruare formam Iuris, quæ traditur in cap. A nobis 2. De sent. excom.

FINIS LIBRI QVARTI.



DE EXCOMMVNICATIONIBVS BVLLÆ COENÆ DOMINI SVMMO PONTIFICI RESERVATIS.

LIBER QVINTVS.



BSOLVTA tractatione de excommunicatione in genere, & de eius absolutione, ad maiorem declarationem eorum, quæ dicta sunt, oportere sermonem instituere de excommunicationibus in particulari. Sed quoniam ingens est, & immensus hoc tempore excommunicationum numerus, vt carũ explicatio ipsa per se sola distinctum, ac separatum volumen exigeret, ex omnibus decreui explicare illas tantùm, quas Bulla Cœnæ Domini complectitur, quæ singulis annis innouatur.

Olim excommunicationes Iuris Canonici erant paucissimæ; Tempore B. Thomæ sex tantùm Casus erant Summo Pontifici reseruati, quos ipse enumerat 4.Sent.dist.18.quæst.2.art.5.quæstiunc.1. & B.Bonau. ead.dist.q.6.Deinde crescente hominum contumacia, & inobedientia paulatim auctus est numerus, & quotidie alij adduntur casus; Host. in Sum. tit. De Sent. Excom.in princ. ex decreto, & Decretalibus colligit triginta très casus; Quare vsquè ad annum 1298. quo promulgatus est liber Sextus, reperiebantur tantùm triginta tres casus, Glo. in Clem. 1. De Sent. Excom. Ver. Excommunicationis sententiæ, recenset quinquaginta excommunicationes ex solis Clementinis, & in cap. Eos qui Ver. Canonis eod.tit.lib.6.ex Constitutionibus Libri Sexti enarrar sigillatim alias triginta duas excommunicationes. Quibus omnibus si addantur excommunicationes contentæ in Extrauag. antiquis, & aliis recentioribus non inclusis in corpore Iuris, in Conciliis, præsertim Tridentino, & in Bulla Cœnæ Domini, valdè earum numerus augebitur;Sed alijs prætermissis, de quibus tractant Summistæ,& præter cæteros B. Antoninus in suo Tractatu De Censuris Ecclesiasticis; Caiet.in Summa, & Turre Crem.in cap.Huic Sedi dist.57. & deinceps alij recentiores. De illis pertractabo, quæ habentur in Bulla Coenæ Domini.

Explicaturus verò excommunicationes Bullæ Cœnæ Domini assumam Bullam hoc anno 1608. promulgatam à Paulo V. qui modò in Cathedra Petri sedet, quem Christus, cuius vices in Terris gerit,diù incolumem seruet Ecclesiæ suæ, vt antiquam illam disciplinam Ecclesiasticam iampridem temporum iniuria deprauatam, sicut Summo Religionis studio aggressus est restituere, ità feliciter perficere valeat. Dei igitur benignitate fultus Bullam ipsam aggredior.

Literæ Processus S. D. N. D. Pauli Papæ V. lectæ die Coenæ Domini Anno M. D C. V I I.

Pastoralis Romani Pontificis vigilantia &c.

DISPVTATIO PRIMA.

De his, quæ ad explicationem tituli, & Prooemij Bullæ pertinent.

Hæc Bulla Coenæ tres partes principales continet. In prima parte habetur procemium cuius explicationem præsenti disputatione complectar. Secunda pars excommunicationes viginti comprehendet aduersus varia,& personarum,& delictorum genera. In Tertia ponuntur quædam clausulæ, quæ ad maiorem confirmationem, auctoritatem, & obseruationem ipsius Bullæ pertinent.

Caput Primum, De Titulo Bullæ, & quo Anni tempore illa promulgari soleat.

Caput Secundum, De Fine, propter quem promulgatur à Romano Pontifice hæc Bulla, & explicatur Prooemium Bullæ.

Caput Tertium, De Antiquitate,& Dignitate huius Bullæ.

Caput Quartum, De Genere Excommunicationum Bullæ Cœnę, scilicet An Excommunicationes contentæ in Bulla debeant dici à Iure, vel ab Homine.

Caput Quintum,Quæ sint animaduertenda in singulis Clausulis Bullæ Cœnę ad intelligendas excommunicationes in eis contentas.

Caput Sextum, An hęc constitutio Bullæ Coenæ Domini obliget omnes Christianos,in quacunque parte Orbis versentur,statim ac in Vrbe,& Curia Romana solemni more publicè promulgata fuerit.

Caput Septimum, An Bulla Cœnæ obliget eos, qui versantur in illis Prouinciis, in quibus illa non solet promulgari, nec vsu est recepta.

Caput Octauum, An Rex vel Princeps iure prohibere possit ne in suo Regno aut Dominio Bulla Cœnæ Domini promulgetur.

CA-

CAPVT I.

De Titulo Bullæ. Et quo Anni tempore illa promulgari soleat.

Literæ Summi Pontificis, quibus continentur huiusmodi excommunicationes, solent appellari Bullæ Cœnæ Domini, vel literæ processus, quæ leguntur die Cœnæ Domini. Sed ad intelligendum hunc Titulum opus est declarare, quid significet hæc vox *Bulla*, quam ad plura, & diuersa significanda reperimus ab Auctoribus vsurpatam fuisse, nam tumor quidam excrescens in aqua, cum bullit, vel qui oritur ex pluuia cadente, & repentè euanescit, Auctore Plutarcho in Problem. dicitur Bulla. Vnde prouerbialiter apud Varonem Homo dicitur Bulla, quòd scilicet similis
B Bullæ vita hominis sit fluxa, & momento caduca. Erat etiam antiquitus Bulla aurea, insigne Triumphantiū, quam in triumpho Romani præ se gerebant, in qua inclusa erant remedia, quæ crederent aduersus inuidiam valentissima: Hoc exemplo deductus est mos vt Pueri Romani ad omen, & vota concilianda virtutis, bullam auream quandam rotundam teste Macrobio in Saturna. in cordis figuram formatam ante pectus annecterent in collo, vt illam inspicientes ità demum homines esse cogitarent, si corde præstarent. Bullæ dicuntur etiam ornamenta, quibus Cingula decorantur, Calphur. in Buc. *Alternat vitreas lateralis cingula bullas*, Plaut. in Asin. accepit bullam pro capite Clauorum, Nam clauorum capita more Bullę
C quasi turgentia formata sunt, sic Cicero tradit. Verrem Bullas aureas ex Valuis Templi abstulisse. Præter has, & alias etiam significationes, quibus hoc nomen Bulla Scriptores accepisse legimus. Bulla dicitur sigillum, quo impresso, vel appenso vtimur, cum scripturā maiori auctoritate, & robore munire volumus accepta similitudine à Bulla aurea rotunda; quam deferebant Romani. Vnde quia literis, quę à Sūmo Pontifice conscribuntur, apponitur sigillū plumbeum ad figuram bullę funiculo rubei coloris alligatū, propterea retinuerunt nōmen Bullę, vnde in c. Licet de crim. fal. dicitur *Prima species falsitatis est, vt falsa bulla falsis literis apponatur.* Et hę literę Sum. Pont. quę sigillo plumbeo decorantur, & muniuntur, tenēt primum, &
D poecissimum locum in genere literarum Apost. Vtitur autem Papa bulla plumbea, non aurea, vel argentea ob eam causam, vt notat Glo. in Clem. vni. in fin. Ver. Bulla aurea de iur. iur. nè ob excellentiam, & valorem metalli detur occasio subtrahendi Bullam à literis. Imperator vtitur Bulla aurea, quamuis Glos. ibi dicat se vnicum tantum vidisse priuilegium Imperiale aurea bulla munitum, vbi etiam animaduertit Imperatorē ante coronationem suis literis sigillum, non Bullā apponere. Summus etiā Pontifex aliter vtitur Bulla, antequam coronetur, & post coronationē, vt refert Glo. de Reg. iur. lib. 6. Super Data Romę Ver. Pontificatus, nam literis datis ante coronationem (si aliquas concedie) apponitur Bulla, cuius altera facies tenet im-
E pressa capita Principum Apostolorum; altera vero est plana, & nuda sine nomine. de hoc legendus est specul. de Rescript. §. vlt. vers. Item quod obtentum est, adde exeranag. quia nonnulli de sent. excom. Præter has literas, quę Bullæ vocantur, solet Sum. Pont. alias conscribere, quæ breuia, seu breues nuncupantur, & sub nomine literarum Apost. comprehenduntur. Dicuntur Breues ex forma scribēdi, nempe quia in breui forma scribuntur; nam Breuis, seu Breue nihil aliud est, quam Commentariolus summam rerum continens,

A Bude. docet in priori Annot. Pandet. ex tit. de Off. quæst. & deducitur ex alijs iuribus allatis per Rebuff. in Praxi benef. super Reg. 20. Quod quis intelligat idioma; Vbi agit de Breui Apostolico. Et huiusmodi Breuia à solis secretarijs Papæ conficiuntur, & in cera rubea signantur sigillo Summi Pontificis, quod penes se retinet, cum impressione Nauiculæ Petri, vt notat Felin. in Rub. De rescript. nu. 8. Ideo dicuntur subsignata cum anulo Piscatoris, quia B. Petrus (vt inquit Rebuffus) primus vsus est hoc sigillo. Et quamuis aliquibus placuerit nomine literarum Apostolicarum non intelligi Breues, vt Host. in c. Dura de crim. fal. & Sarnensi in Tract. Breuium, & alijs, quos refert Mando. super Regul. Cancell. Reg. 27. q. 11. num. 6. & seq. Vbi pluribus hanc opinionem probat; Contraria tamen opinio, quæ seruatur in praxi, est communior, & verior, quod Breuia æquiualēt omnibus alijs Rescriptis Apostolicis, vt per Staphil super signat. Gra. & Iust. fol. 189. Vers. Consueuit etiam aliquādo, & per Sarnen. in Tract. Breuium col. 3. & seq. nu. 5. & seq. Petrus Rebuff. loco citato nu. 16. concludit Breuia Apostolica dici literas Apostolicas, & æquiparari Bullis Apostolicis, eandemq. vim habere, ac illę habent, cum ab eodem proueniant Summo Pōtifice, ad eundē finē dirigantur, & eundem operentur effectum. Quare ca. Dura, ca. ad falsariorum De crim. fal. & alia Iura, quæ de literis loquuntur, sunt intelligenda etiam de Breuibus, quamuis primò & per se locum habeant in Bullis.

Ex his meritò concludere licet, quod cū hæ literæ, quas modò explicamus, pertineant ad primam speciē literarum Apostolic. hanc ob causam habent nomen Bullæ. Additur *Cœnæ Domini*, quia hæc Bulla solet legi singulis annis feria quinta Hebd. Sanctæ eadem die, qua Christus Dominus Noster celebrauit cū Discipulis suis Hierosolymæ Cœnā illam sanctam, vt legē seruaret de edendo Agnum, instante tempore Paschali.

Olim consueuerat Rom. Eccl. promulgare hos processus generales sæpius in anno, vt ex tex. in Cle. 1. de indi. & Glo. ibi Ver. Solemnes, notat tres fuisse solēnes dies, in quibus id fieri mos erat, scilicet feriā 5. Hebd. Sanctæ, Festum Ascens. & Fest. Dedic. Basilicar. Petri, & Pauli. Ita etiā Io. And. ait in c. quod olim de Iudæ. & in cap. Vt officium in princ. de Hæret. lib. 6. Host. in cap. Excom. in fi. de rapto. notat Piratas excōmunicari solemniter ab ore Summi Pont. ter in anno; Vbi idē dicūt Io. And. & Abb. Sed ante multos annos vsus obtinuit, vt semel tātum in anno, nempè feria 5. in Cœna Dum. publicè promulgetur hęc Bulla, vt dicunt Card. & Anan. in dicto cap Quod olim; & propterea communiter vocatur Bulla in Cœna Domini.

Et hic mos valdè congruens videtur, & conueniēs consuetudini, quæ in Ecclesia olim seruabatur, vt Pœnitentes solemni peracta pœnitentia, quæ feria 4. ante primā Domin. Quadrag. imponebatur, vt testatur Concil. Agathense cap. 15. & refert Grat. ca. In capite dist. 50. Deinde feria 5. Maioris Hebd. reconciliarentur, & admitterentur in Ecclesiam, quo die Christus Dominus pro reconciliandis omnibus peccatoribus æterno Patri obtulit semet ipsum in Ara Crucis, vt Innoc. I. in epist. ad Decennium Episcopum Eugubinum cap. 7. testatur, Couar. lib. 2. var. resol. cap. 11. n. 3. Vnde iustissimè institutum est, vt qui scelerum suorū culpas non agnoscentes, nec pœnitentiam agentes, sed in ipsorum nequitia, & prauitate insordescentes reoōciliari Ecclesiæ negligunt, & piæ Matris benignitatē cōtemnunt, ad ipsorū perniciē, & aliorū exēplū eadē die Cœna Domini excōmunicentur, & anathematizētur.

Vocatur etiam hæc Bulla *literæ processus*, quia hæ literæ emanant à Papa per modum processus, nam in his literis continentur processus quidam generales, idest sententiæ quædam Censurarum latæ in genere contra quascunque personas delinquentes, & mandatis Romani Pontificis in ipsis sententiis expressis non parentes; nam appellatione processus continetur etiã sententia, vt tradit Io. And. in cap. Vt super de Appell. lib. 6. Nicol. De Milis in suo Repertorio in Ver. Processus; nam processus dupliciter formari potest. Primò contra aliquem particularem determinatum, & pro aliquo particulari delicto præterito. In quo processu antequam feratur sententia, debet præcedere debita cognitio, & examen causę cum citatione partis, & alijs Iuris solemnitatibus. Et hic est propriè processus. Secundò modo potest fieri processus contra qualescunque personas, quæ hoc, vel illud fecerint, & dicitur processus, quatenus in eo fertur sententia, qua condemnatur is, qui tale fecerit, & respicit crimen futurum, nec indiget particulari citatione partis, nec aliã Iuris solemnitatem exigit, sed satis est ipsa publicatio Edicti generalis, Papa specialiter, & ex certa scientia id mandante, & hoc sensu tam in dicta Clem. 1. De Iudæ. quàm in hoc tituo hæ literæ vocantur processus. Et hæc satis de titulo

CAPVT II.

De Fine, propter quem promulgatur à Romano Pontifice hæc Bulla, & explicatur Proœmium Bullæ.

FInis, cuius gratia Summus Pontifex singulis annis publicè promulgat hanc Bullam, desumitur ex proœmio Bullæ, & est, vt conseruetur vnio Fidelium cum Christo Capite, & Summo Pontifice eius Vicario, quæ necessaria est ad Religionis puritatem, & integritatem retinendam. Duo autem sunt præcipuè, quæ impedire possunt, aut perturbare hanc vnionem. Primum est discrepantia, & dissentio in fide, & in his, quæ credenda sunt, Fides enim est basis, & fundamentum Religionis, & si Fides non conseruetur illæsa, totum ædificium spirituale ruit. Vt igitur fidelis Christi non sit paruulus fluctuans omni vento Doctrinæ in nequitia hominum ad circumuentionem erroris, sed tanquam vir fortis, vt inquit Apostolus Paulus ad Ephes. cap. 4. persistat in ea, quam per Baptismum professus est fidem, Visum est sapientissimè Summis Pontificibus gladio excommunicationis, & censura Anathematis ferire eos, qui in fide non sunt firmi, & stabiles, sed fluctuant in nequitia hominum ad perditionẽ animarum. Secundum impedimentum est Violatio Iustitiæ, quæ est custodia publicæ pacis, & pertinet ad vinculum charitatis, qua sublata dextruitur omninò vnio huius ædificij spiritualis; nam inquit Iacob cap. 1. *Estote factores Verbi*, quia Factores iustificabuntur, vt habetur ad Rom. cap. 2. & 1. ad Cor. c. 16. *Viriliter agite, confortetur cor vestrum, & omnia opera vestra in charitate fiant.* Et huius ratio est, quoniam, vt inquit idem Paulus in ead. Epist. ad Ephes. *Sumus inuicem mẽbra.* Membra autem se mutuò diligunt, & se iuuant in veritate, & ad Rom. cap. 12. *Vnum corpus sumus in Christo singuli autem alter alterius membra.*

Ex his igitur colligitur finis promulgationis huius Bullæ; nempè ad custodiendam integram, inuiolatamque fidem Christi in Ecclesia Catholica, & ad seruandam, atque retinendam publicam pacem, & iustitiam nè in huius vitæ societate, & communione ex fidelibus alter alterum lædat, neuè inter sese mutuò offensionem præbeant; sed in vinculo Charitatis coniuncti A tanquam vnius corporis membra sub Christo Capite, eiusq; in Terris Vicario Romano Pontifice sic præsentis vitæ pace gaudeant, vt futura quoque beatitudine perfruantur. Et ad hunc duplicem finem referuntur omnes excommunicationes, quæ in hac Bulla continentur. His de causis Romanus Pontifex consueuit solemni die Coenæ Domini celebri ritu in loco publico, & eminenti tota Curia spectante hos processus promulgare.

CAPVT III.

De Antiquitate, & Dignitate huius Bullæ.

ANtiquitatem, & auctoritatem huius Bullæ videtur B significare Summus Pontifex illis verbis proœmij, *Vetustum, & solemnem hunc morem sequentes*, Dom. Sot. 4. Sent. dist. 22. q. 2. art. 3. Vers. Hæc autem Bulla, affirmat hanc Bullam non esse admodum antiquam, cuius nec S. Tho. nec alij Auctores vetustiores meminerunt; sed à tempore Martini Quinti circa annum Domini 1420. Quo tempore Bohemorum hæreses in Concilio Constantiensi fuerunt damnatæ, eius vsum cœpisse, Postea verò de ea mentionem fecisse Paulum Secundum, & Sixtum Quartum in Extrauag. incipientibus; & si Dominici Gregis De Pœnit. & Remiss. Demum Leonem Decimum aduersus Lutherum eam auxisse, & Paulum Tertium, & cæteros Pontifices subsequentes semper aliquid addidisse.

C Huic Soti opinioni adhæret Franciscus Pegna in Scholijs, per ipsum editis in secundam partem Directorij Inquisitorum Schol. 18. Horum tamen Doctorum sententiam ego non sequor. Nam licèt facilè concederem tempore S. Thom. non fuisse in vsu hanc Bullam, opinari tamen non possum ab ipso Martino V. habuisse exordium, cum videam Clementem V. qui vixit circa annum Domini 1305. meminisse huius Bullæ in Clem. 1. De Indi. licèt non sub nomine Bullæ Cœnæ Domini, Vbi testatur fuisse morem suorum Prædecessorum generales facere processus solemnibus diebus. Quare vt minimum trecentis ab hinc annis promulgatio huius Bullæ erat in vsu, & in Biblioth. Vatic. vt refert Tolet. in lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 18. extat D Bulla Coenæ edita à Greg. 2. qui vixit anno millesimo tercentesimo septuagesimo. Verum tamen est, quod Martin. V. post Conc. Constan. illam auxit, & plura post eum adiecit Paulus II. & Sixtus IV. & multo plura addidit Leo X. aduersus Luth. & Paulus III. aduersus Regias Curias impedientes literas Apostol. Antiquus est igitur hic processus, vt inquit Papa in proœmio: sed solet aliquando variari pro temporis diuersitate, & necessitate.

CAPVT IV.

De genere excommunicationum Bullæ Coenæ, scilicet an excommunicationes contentæ in Bulla debeant dici à Iure, vel ab Homine. E

SOtus in 4. senten. distinct. 22. quæst. 2. art. 3. tenet exxcommunicationes Bullæ Cœnæ esse ab Homine. Eandem opinionem tenuit Nauarr. in Manuali Hispano cap. 27. numer. 33. vt ipsemet testatur in Manuali Latino cap. 27. numer. 73. Quasi sint similes Regulis Cancellariæ, quæ non sunt perpetuæ, sed renouantur ab vnoquoque Summo Pontifice. Idque videtur innuere ipsemet Papa, cum inquit in fronte ipsius Bullæ, Ad futuram rei memoriam, & cæt. Et non ait, Ad perpetuam rei memoriam, sicut legebatur

batur in Bullis antiquis,vt videri poteſt in Bulla Martini Quinti apud D. Antonin. 3. part.ſum. titul. 24. c.72. & in alijs Pontificum ſucceſſorum vſque ad Paulum Tertium qui dixit *Ad futuram rei memoriam*. Vnde Petrus Rebuff. in explic. eiuſdem Bullæ in princip. Ver. Ad futuram, inquit Bullam dici latam ad futuram non ad perpetuam memoriam quoniam quæ in ea ſtatuta ſunt cum ſuo Auctore expirant.In eandem ſententiam refert Sotus Silueſtrum in Ver.Excommunicatio 7. caſu 32. Vbi affirmat tres caſus additos à Sixto IV. in Bulla Cœnæ, quorum meminit in extrauag. Et ſi Dominici Gregis remanſiſſe poſt mortem Sixti in diſpoſitione Iuris communis,& in forma conceſſionum, quæ à Summis Pontificibus pro tempore emanant. Sed idem Nauar. poſtea in dicto num 73. mutauit opinionem, & cenſuit Bullas Cœnæ latas à Martino V. & ab alijs Summis Pontificibus vſque ad Iullium III. potius potuiſſe appellari latas ab Homine, quàm ab ipſo Iure, quoniam in illis deerat conditio legis, quæ reſpicit tempus futurum in perpetuum cap.fin.de off.deleg. Sed potius latæ erant per verba præceptiua. Præceptum autem terminatur cum Præcipiente: ſed alias Bullas poſteriores editas à ſubſequentibus Pontificibus dicendas eſſe à Iure, quia voluerunt eas non abſolui morte ipſorum.

Ad hanc quæſtionem reſpondeo, & dico primò nihil referre hodie, vtrouis modo loquamur, ſiue dicamus excommunicationes huius Bullæ eſſe ab Homine vel à Iure,nam ſi cócederemus eſſe ab Homine; adhuc non conuenirent his excommunicationibus illæ conditiones, quæ tribuuntur cæteris excommunicationibus ab Homine,inter alia enim, quæ propria ſunt excommunicationis latæ ab Homine, hæc duo tenent primum locum. Primum eſt, quod mortuo excommunicante ceſſat excommunicatio. Secundum eſt, vt nemo poſſit ab excommunicatione lata ab Homine abſoluere, niſi ille, qui eam tulit, etiamſi alius haberet facultatem abſoluendi ab excommunicationibus Iuris, ſed iſta duo ceſſant in excommunicationibus Bullæ Cœnæ Domini eo modo, quo his poſterioribus temporibus à Summis Pontificibus promulgari ſolet. Primum ceſſat, quia Bulla hæc obligat etiam poſt mortem Pontificis. Idque expreſsè habetur ex verbis eiuſdem Bullæ §. Volentes, cum ait *Volentes præſentes noſtros proceſſus, ac omnia, & quæcunque his literis contenta, quouſque alij huiuſmodi proceſſus à nobis, aut à Romano Pontifice pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur, durare, ſuoſque effectus omnino ſortiri, &c.* Patet igitur hanc Bullam non expirare mortuo Pontifice. Secundum etiam non obeſt, ſiue hęc Bulla ſit ab Homine, ſiue à Iure, nemo habens priuilegium, ſeu facultatem abſoluendi ab omnibus excommunicationibus Iuris etiam reſeruatis Papę poteſt abſoluere ab excommunicationibus huius Bullę, nec etiam prætextu cuiuſuis Iubilęi,& auctoritatis,& itá,quamuis in Iubilæo, vel in priuilegio exprimeretur facultas conceſſa abſoluendi ab omnibus excommunicationibus reſeruatis Papæ, niſi in priuilegio, vel Iubilęo in ſpecie concederetur facultas abſoluendi ab excommunicationibus Bullę Cœnę Domini, non intelligeretur tradita hæc facultas. Et ratio eſt, quia ita ſtatuit Papa in hac Bulla in §. Cęterum, *Cæterum à prædictis ſententijs; nullus per alium quam per Romanum Pontificem, &c. abſolui poſſit*, & eodem modo hęc clauſula ſolita eſt apponi ab alijs Summis Pontificibus.

Dico ſecundo has excommunicationes Bullę eſ-

A ſe à Iure, vel ſaltem ſi quis contendat eſſe appellandas ab homine; habere nihilominus eaſdem conditiones, & vim, quam habent excommunicationes latæ à Iure. Eſt opinio Epiſcopi Scalenſis in Tract. De Cenſuris cap. 16. explicantis hanc Bullam, & videtur Silue. Caietani in Summa Ver. Excommunicatio cap. 1. contra Hæreticos. Et eiuſdem opinionis eſt Toletus lib.1.Inſtruct. Sacerd. cap.18.

Probatur hæc concluſio. Primò mortuo Summo Pontifice non expirat hæc Bulla, ſed durat perpetuis futuris temporibus, donec alius proceſſus fiat, ſicut alia Iura, niſi renouetur, & ſolum reſpicit tempus futurum, vt patet inſpiciendo omnes clauſulas illius, & incurritur abſq; aliqua monitione,ſed ſatis eſt, vt eius

B notitia habeatur, ergo eſt excommunicatio lata à iure,non ab Homine. Nam quamuis ante tempora Pij V. affirmari potuiſſet mortuo Pontifice hos proceſſus non habere vim contra violantes Bullam Sede Vacante, licèt non idcirco cenſerentur abſoluti illi, qui ligati fuiſſent Pontifice viuente, tamen à tempore Pij Quinti hæc Bulla vim habet etiam Sede Vacante, quouſque à futuro Pontifice alia promulgetur.

Præterea iſta Bulla eſt incluſa in corpore Iuris, ergo excommunicationes eius dicuntur latæ à Iure. Quod ſit in Iure, patet in Extrauag. 3. Pauli Secundi de Pœniten. & Remiſſion. Vbi poſtquam quaſdam excommunicationes ſibi reſeruatas enumeraſſet, ſubiecit etiam latas in Bulla Cœnæ Domini, & ita fecit

C Sixtus Quartus in Extrauag. 5. eodem tit.

Obijcies, ſi hæ excommunicationes eſſent à iure, ſatis eſſet, ſi ſemel ederetur, & promulgaretur hæc Bulla, ſicut aliæ cenſuræ à iure ſemel ſunt propoſitę, & in perpetuum robur ſeruant: ſed hæc Bulla ſingulis annis renouatur.

Secundò Bulla ſequens annullat præcedentem, Nam Chriſti fideles non tenentur amplius ſeruare præcedentem, ſed poſteriorem, ergo illa non habebat vim iuris.

Tertio hæc Bulla Pauli Quinti non ſemper eſt ſeruanda, niſi vſque ad diem Cœnæ Domini, quo alia proponetur, ergo non eſt à Iure. Addo, quod aliqui caſus, qui erant in præcedenti Bulla, & obliga-

D bant, modo in hac Bulla non ſunt, nec obligant, ergo ſignum eſt eſſe ab Homine, non à iure.

Reſpondeo, quod hæc Bulla non repetitur, ac renouatur ſingulis annis, quaſi præcedens ſuam vim amittat; ſed potius, vt firmius imprimatur, & adhæreat mentibus Fidelium, & maior timor iniiciatur conſcientijs hominum ad retinendam puritatem, & vnitatem Chriſtianæ Religionis, alioquin, etiamſi admitteremus has excommunicationes Bullæ eſſe ab Homine, ſatis eſſet vno integro Pontificatu ſemel promulgari Bullam, quia duraret durante vita Pontificis, nec opus eſſet ſingulis annis repetere. Similiter dicimus, quod cæteris vetuſtioribus Bullis præ-

E termiſſis fideles tenentur vltimam ſeruare, non quod illę priores perdiderint ſuum robur, ſed quoniam continentur in poſteriori. Quod ſi Summus Pontifex variet pro neceſſitate temporum aliqua demendo, & aliqua addendo, non propterea ſequitur eſſe ab Homine, quia Summus Pontifex pro diuerſitate temporum poteſt etiam mutare, vel augere, vel minuere ſacros Canones, vt experientia docet, & tamen Canones non ſunt ab Homine.

Et ſi aliqua differentia reperitur inter excommunicationes Bullę, & alias excommunicationes a iure, illa ſolum erit, quod excommunicatio lata per

legem priorem non tollitur per legem posteriorem circa eandem rem cum diuersis circunstantijs promulgatam, nisi expressè renouetur. At verù Bulla Coenæ prior statim ac subsequens publicatur, cessat ipso facto. Id etiam significant verba posita in fine Bullæ: *Volentes præsentes nostros processus &c.*

Quæret aliquis Primò si casus aliquis, qui in antiquo Iure habet annexam excommunicationem, sit positus in Bulla; Deinde tollatur à Bulla, An etiam intelligatur ablatus à Iure antiquo.

Respondeo non esse ablatum, sed remanere vt prius in Iure antiquo sub eadem excommunicatione, quia, vt inquit Nauar. cap. 27. nu. 54. Bulla Coenæ addit Iuri antiquo tantùm reseruationem poenæ, ac etiam annuam Bullæ renouationem; Quare si aliquis casus à iure habet annexam excommunicationem reseruatã, & deinde ponitur in Bulla Coenæ, fit difficilioris absolutionis, quia non potest absolui, nisi fiat expressa mentio Bullæ,

Ex quo sequitur, quod qoamuis iteretur hæc Bulla singulis annis, non multiplicantur excommunicationes numero circa idem crimen, vt tradit Nauar. in cap. Ità quorundam notab. 11. nu. 4. 37. & seq. De Iudę. Quia huiusmodi excommunicationes pronunciantur ab eodem Legislatore, scilicet Summo Pontifice ob eandem causam in eosdem, ergo non multiplicantur, etiamsi pluries repetantur arg. l. Qui bis idem ff. De Verbo. Oblig. Aliàs quot essent Iura e.g. imponentia poenam excommunicationis contra hæreticos, tot excommunicationes illi incurrerent, & ità dicendum esset de alijs sceleribus; Et eodem modo excommunicationes Bullæ, quatenus concurrunt cum excommunicationibus iuris antiqui, eædem sunt; Additur tantum reseruatio, quia intentio Summi Pontificis non est multiplicare excommunicationes: sed veterem latã innouare, & reseruationis nota communire. Quod etiam probabiliter affirmari potest, quamuis assereremus excommunicationes Bullæ esse ab Homine, cum ferantur ab eodem Præcipiente Papa, qui præcipit per sententiam generalem; Et ità sentit etiam Silue. excommunicatio 7. casu 2. nota. 4.

Quæret secundò aliquis, An casus positus in præcedenti Bulla, si in hac, quam interpretamur, non reperitur, intelligatur sublatus, si ponamus Bullam esse à Iure.

Respondeo intelligi sublatum, nisi adsint in hac Bulla quædam conditiones, quæ virtualiter illum casum contineant iuxta Regulas Iuris, non quia tollatur eo ipso, quod ponamus esse à Iure; sed quia Pontifex vult suam Bullam tantùm habere vigorem donec alia promulgetur, vt patet ex verbis Bullæ.

CAPVT V.

Quæ sint animaduertenda in singulis clausulis Bullæ Coenæ ad intelligendas excommunicationes in eis contentas.

BVlla Coenæ, quam explicamus, complectitur viginti Canones, seu excommunicationes latas contra varia genera personarum, & circa diuersas actiones. Quare in quolibet Canone, seu excommunicatione duo maximè annotanda sunt, vt rectè animaduertit Caiet. in Summa tit. De Excom. cap. 1. nempè personæ, quæ excommunicantur, & Materia, seu actiones, propter quas excommunicantur.

Circa personas est considerandum, An excommunicatio sit vniuersalis, ità vt omnes status hominum

A comprehendat, an particularis, ità vt vnum tantum includat; Quod constare poterit ex contextu verborũ excommunicationis.

Circa actiones verò, quas difficilius est cognoscere, sciendum est duplicem esse actionem; Principalem scilicet, & accessoriam, v.g. Mandare, Dare auxilium: præbere consilium, & huiusmodi ad aliquid agendum sunt actiones accessoriæ. Actio autem accessoria dupliciter potest prohiberi sub excommunicatione. Primo per modum extensionis; Quando à Lege, vel à Iudice excommunicatio actionis principalis extenditur ad accessorias; Quod est intelligendum ex tex. qui non eodem modo loquitur de omnibus, sed primo de Faciente, & secundario de Consulente, e.g. Primaria

B actio & per se, in Canone si quis suadente, est injicere manus violentas in Clericum: Sed per extensionem est mandare, vel consulere hanc percussionem; Et in hoc casu, nisi actio principalis sequatur, non incurritur excommunicatio, eatenus enim subiiciuntur excommunicationi huiusmodi actiones secundariæ quatenus causa fuerunt quoquo modo actionis principalis, quæ sub excommunicationis poena prohibetur.

Secundo modo actio accessoria subest excommunicationi per modum propriæ, & principalis actionis; Vt cum excommunicatur Religiosus, qui in Concione dixerit aliquid, vt retraheret Auditores à solutione Decimarum Ecclesijs debitarum Clem. Cupiens §. 1. De Poen. Tunc enim erit excommunicatus ille, qui animo

C retrahendi ab hac solutione aliquid dixerit in Concione, licèt non sequatur effectus, seu actio principalis, idest quamuis soluantur Decimæ, quia talis actio Cõcionatoris, quæ est elicita ad impediendum, subditur per se excommunicationi, non per extensionem, sicut erant actiones Consulentis, Mandantis, &c. percussionem Clerici.

Quantùm verò ad Materiam, seu actionem principalem, propter quam excommunicantur personæ; animaduertẽdum est in his excommunicationibus Tales actiones posse habere duplicem considerationem, & ex parte termini, à quo fiunt, & ex parte termini, ad quem, seu in quo perficiuntur. Ex parte termini à quo, requiritur, vt sit actio elicita, seu facta ab eo,

D qui excommunicatur, & non satis est; Si mandauerit, seu consuluerit, nisi Lex hoc affirmet; Nam quando Legislatõr vult comprehendere Mandantes, vel Consulentes, solet significare, dicendo Qui mãdat, & consulit, etiam sit excommunicatus, e.g. Quando excommunicatur, qui occidit Christianum, non est excommunicatus, qui consulit, & mandat occisionem; Et ratio est, quia in Iure non dicitur verè quempiam agere aliquid, nisi fecerit actionem illam, propter quã lata est excommunicatio. Consulens autèm non dicitur agere, nisi interpretatiuè. Ex parte verò termini ad quem, requiritur, vt sit actio perfectè consummata, aliter excommunicatio non afficit. Nimirum excommunicatur, qui percutit Clericum; Si aliquis iaciat

E Lapidem in Clericum, etiã animo interficiendi, si Lapis eum non tangit, vel saltem vestes, non est excommunicatus, quia actio prohibita non est perfecta. Similiter si excommunicetur (vt dicebam) qui occidit Christianum; Qui inferret vulnera, quantũuis Lethalia, non sequuta morte non esset excommunicatus.

Item è contrario prohibetur sub excommunicatione Regularis, qui in Concione aliquid dixerit animo retrahendi Seculares à solutione Decimarum Rectoribus Curatis; Si quis hoc præceptũ neglexerit, incidit in Censuram, etiamsi soluantur Decimæ; Nàm actio

est

est perfecta, & consumata, quia concionari damnatur. Opus est igitur prudentia, & scientia, vt monet Caietanus,& Confessarius debet esse cautus,non pręceps ad iudicandum aliquem esse excommunicatum, & debet perpendere diligenter verba Canonis, vt intelligat, quas actiones damnet, & solum censeat excommunicatos illos,qui huiusmodi actiones exercuerint; Nec facit contra dicta, quod Iure communi ex cap.Nuper De sent.excomm. excommunicentur participantes in crimine cum Excommunicatis, quoniam talis excommunicatio intelligitur de communicatione in crimine cum iam Excommunicato,vt dixi in lib.1. Disp.12. Cap.9. Quare supponit hominem antea excommunicatum. A

CAPVT VI.

An hac Constitutio Bullæ Coenæ Domini obliget omnes Christianos,in quacunque parte Orbis versentur,statim,ac in Vrbe,& Curia Romana solemni more publicè promulgata fuerit.

HVius quæstionis solutio pendet ex alia magis vniuersali,in cuius explicatione non eodem modo sentiunt Doctores; Nempè an Constitutionis Pontificia (quæ Bullæ,aut Diplomata vocantur,nec in corpore Iuris continentur) requirant promulgationem in singulis Prouincijs, vt habeant vim obligandi, ità vt non antea incipiant omnes tenere, & ligare; An verò statim, vt in Curia Romana more solito propositæ fuerint, omnes obstringant, etiam antequam in proprijs Prouincijs fuerint promulgatę. Quod enim in genere de Constitutionibus Pontificeis definitum fuerit; Idem omninò intelligendum erit de hac particulari Constitutione, quæ Bulla Cœnæ vocatur; Nulla enim extat ratio diuersitatis.

In hac controuersia duas inuenio opiniones Doctorum. Prima docet iure communi non sufficere promulgationem in Curia Romana publicam, & solemnem, nisi Constitutio Pontificia in singulis Prouincijs promulgetur; Immò addunt non ligare, nisi post duos menses exactos à promulgatione in Prouincijs, Abb. in cap.Cognoscentes num.7. de Constit.primum dubitat,tandem huic sententiæ videtur accedere,quamuis in cap.Nonerit num.3. de sent.excom. oppositum dixerit. Eodem modo sentiunt Butr. Imol. Io. Ligna. & Card.Zabarel. & inter Theologos eandem sententiam sequuti sunt Sot. lib.1. de Iust.& Iure q.1. art.4. Vers. At verò de Summo Pontifice, Ang. Ver. lex §.12. Bartholo.Med. in Comment.in primam 2.B.Tho. q.90.art.4.Vers.Sed quæritur.

Probatur. Primò quia eadem videtur esse ratio de Pontificia,quæ est de Imperatoria Constitutione; Nā Ius Ciuile,vbi Iuri Canonico non aduersatur, ab Ecclesia seruari solet ex cap.1. De nou.oper.nuncia. Vbi dicitur: *Sicut leges non dedignantur Sacros Canones imitari,ita Sacrorum Canonum statuta Constitutionibus Principum adiuuantur.* Idem habetur in cap. Si in adiutorium dist.10.& ibi Glo.ait,*Vbi desunt Canones,leges citari possunt.* Sed Ius Ciuile in hac re non est Iuri Canonico contrarium, ergo seruari debet. Verum Iure Ciuili definitum est in Auth. Vt factæ nouæ Constitutiones circa princ. Colla.5. Vt Imperatoris Constitutio non obliget, nisi post duos menses elapsos à legitima promulgatione facta in Prouincijs. Quare idem asserendum est de Constitutione Pontificia, idest non habere vim; nisi post promulgationem factam in Prouincijs.

Secundò lex ideo dicitur communis, quia vbique promulgatur, vt vbique sit nota. Vnde in cap. Cum infirmitas de Poenit.& Remiss.statuitur Medicos non teneri legę, nisi postquam eam Prælati promulgauerint, & cap. Proposuisti dist. 82. habetur *Si ad aliquos forma Ecclesiastica vitæ, qua ab Episcopo Siricio ad omnes Prouincias commeauit, non probatur peruenisse, Ignorantibus venia non negatur*, & in cap.Quod dicitis dist.16. asseritur non licere ignorare ea, quę publicè in Concilio Sardicensi facta erant,eum Sardicense Cōcilium in illis Regionibus actum esset,& ab omni Ecclesia receptum,vnde sumitur argumentum, quod si non fuisset in illis partibus legitimè promulgatum, Clerici illi Constantinopolitani iustam illius ignorantiam prę-
B tendere potuissent.

Tertiò nimis durum, & onerosum esset, vt statim, atque Pontificia Constitutio Romæ promulgatur, omnes Christianos per vniuersum Orbem sparsos alligaret.

Secunda opinio est opposita, quæ docet iure ipso communi sufficere promulgationem in Curia Romana publicam;sic Io.Monach.c.In generali de Reg. Iu. in 6. Henri.in cap. Cognoscentes de Constit. Io. And. cum Glos.super Data Sexti Vers. Anno quarto, Anch. cap.2.de constir.Abb.in cap. Pastoralis num. 1. Vers. Sed contra hoc dictum, de fid. instrum. Silue. Ver. lex §.6.Rossella lex num.8. Gomes.de Regul.Cancell. in procem.q.2.lit.D. E.F. Nauar.conf.1.tit. De Constit.
C num.14.& seq.Dom.Sotus lib.1.quæst.1. art.4. Conclus.3. Vers. At vero de Summo Pontifice, de Iust. & & Iure.

Probatur.Primo quia alioqui Decretalibus,Sexto, Clementis, & extrauagantibus non teneremur, quia nunquam sunt in Prouincijs promulgata.

Secundo contrarium est in more positum; nam Regulæ Cancellariæ in Prouinciis non promulgantur, & tamen iuxta earum præscriptum causæ omnes vbique definiuntur.

Deinde nusquam Ius Canonicum statuit, vt Pontificiæ Constitutiones in singulis Prouincijs promulgentur,nec iure ciuili Romani Pontifices tenentur.

Præterea Bulla Cœnæ, de qua disputamus, non so-
D let nisi Romę publicari,& tamen secundum illam vbique à Iudicibus sententiæ pronunciantur.

Demum si contraria opinio esset vera, Conc.Trid. decreta non vbique omnes ligarent, cum non sint adhuc singulis in Prouinciis promulgata.

Nonnulli Doctores conantur conciliare has duas opiniones oppositas hoc modo, vt prima magis sit consentanea Iuris scripto, Secunda verò consuetudine,& vsu recepta, & approbata. Quare Butr. Imol. Felin. qui primam sequuntur sententiam, subiungunt aliter dicendum esse secundum consuetudinem,& Nauar.qui adhæret secundæ opinioni, apertè docet primam magis cum Iure scripto congruere, secundam
E tenendam esse propter consuetudinem vsu confirmatam. Et re vera cōsuetudine receptum est, vt, quamuis nulla sit in Prouinciis publica denunciatio,iudicetur secundum Pontificias Constitutiones in Romana Curia promulgatas. Quæ doctrina locum habet in Bulla Cœnæ,& in quacunque alia Constitutione.

Quę vero pro prima sententia adducta sunt, ex distinctione posita facilè solui possunt.

Vltima tantum ratio, quę includit specialem difficultatem,requirit peculiarem solutionem, Ad quam dicendum est Graue nimis non esse, vt omnes teneantur seruare Constitutiones, postquam Romę legitimè

sunt

sunt promulgatæ; Nam qui legem ritè promulgatam bona fide absque culpa ignorant, iustam habent excusationem, si contra fecerint, vt inquit Caietanus 1. 2. q.90. art. 4. Præterea ad Constitutiones Pontificias, quæ continentur in Iure, vel quæ sunt vbique more, & vsu receptæ, opus non est promulgatio in Prouincijs. Similiter nec ad eas, quæ antiquo vsu Romæ tantum proponi, & denunciari solent, & non alibi, quales sunt, quæ continentur in Regulis Cancellariæ, & in hac Constitutione, quæ vocatur Bulla in Cœna Domini, quæ Romæ publicè recitari, & promulgari solet in Hebdomada Sancta. Neque in illis Constitutionibus, in quibus Summus Pontifex exprimit velle se, vt omnes teneantur ea lege ex eo tempore, quo fuerit Romæ solemni more promulgata, quod apertè decernit etiam in hac Bulla Cœnæ; Nam in fine habet: *Vt verò præsentes nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur &c. Valuis Ecclesiæ Sancti Ioannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe appendi faciemus.* Et tandem concludit his verbis, ad ostendendum, quod facta hac publicatione omnes tenentur, & nemo potest se excusare prætextu ignorantiæ, *Cum non sit verisimile id remanere ignotum, quod tàm patenter omnibus publicatur.* Et hoc modo Tridentinæ Synodi decreto, quæ pertinent ad Reformationem, & Ius Canonicum, cœperunt omnes adstringere Kal.Maij Anni 1564. Sic enim declarauit Pius Quartus in sua Constitutione, qua Synodum Tridentinam confirmauit, quæ incipit: *Sicut est sacrorum.* De alijs verò Constitutionibus Pontificijs, quæ nouæ quotidie sanciuntur; Si quis sequeretur primam opinionem, posset à peccato aliquando excusari in foro conscientiæ, vt affirmant aliqui, eo quod probabili aliquorum Doctorum sententia sese tueri queat, licet in iudiciali foro damnetur. Alij tamen Doctores putant non esse accipiendam eorum excusationem, nisi quando Pontificiæ Constitutiones vsu receptæ non essent; Quæ vim, & auctoritatem aut non retinent, aut non sumunt, non quia in Prouincijs promulgatæ non sint, sed quia consuetudine sunt abrogatæ, vel vsu non receptæ; Nullum enim reperitur Ius Canonicum, quod requirat, vt Pontificiæ Constitutiones in Prouincijs singulis promulgentur; Ideo dixit Io.Monach. cap.In generali de Reg.Iur.in 6. Pontificem pedes plumbeos habere, nec posse per Prouincias discurrere, sed immobilem dare, & cuncti alij moueantur.

Verum contra hanc sententiam alia proponi possunt, quæ videntur illam dubiam, & controuersam reddere, & afferuntur à Nauar. Cons. 1. quæst. 8. & seqq. in tit. De Constit. Et primo quantum ad decreta Concilij Tridentini, quæ ad mores, & reformationem pertinent; Nam in eo quædam sancita sunt, quæ particularem promulgationem requirunt, vt est decretum de reform. Matrimonij in sess.24.cap.1. Vbi in fin. Sancta Synodus præcipit omnibus ordinarijs, vt curent illud Populo publicari, & eadem est ratio de omnibus alijs decretis, cum Sancta Synodus in fine Concilij statuerit omnia in Concilio constituta ab omnibus recipi, & obseruari debere.

Secundò lex promulgata si obseruatione firmata non fuerit non obligat, ergo multo minus obligare potest, quæ ab ordinario Prælato, neque recepta, neq; promulgata, neque obseruata fuit.

Respondet idem Nauar. ad vtrumq. & ad primum dicit, Nullum extare decretum in Concilio Trident. quo præcipiatur omnia in eo contenta in omnibus Prouincijs publicari debere quamuis Pius Quartus

A in sua Bulla Confirmationis mandet, vt ab omnibus Christi fidelibus recipiantur, & obseruentur, & in fine iubeat, vt illæ literæ in quatuor locis Vrbis publicentur; sed aliud est præcipere, vt publicentur in illis quatuor locis, quod illico factum fuit; Aliud, vt publicentur in omnibus prouincijs, & locis Orbis Christiani, quod nunquam factum fuit, nec mandatum fieri.

De Varietate festorum, & ieiuniorum pro diuersitate Prouinciarum. Respondet Nauar. id contingere posse quod Episcopi, & Concilia Prouincialia illa indixerint iuxta cap. Pronunciandum De Consecr. dist. 3. vbi, *Et illas festiuitates, quas Episcopi in suis Episcopatibus cum suo populo collaudauerunt*; Vel etiam fieri potuit, vt per contrariam consuetudinem seruata sint

B in quibusdam Prouincijs non in alijs.

Addit Nauar. decisionem huius quæstionis desiderare Romani Pontificis declarationem, tum propter dubia, quæ occurrunt super decretis Conc. Trid. quorum interpretatio illi est reseruata, tum propter dictam Glo.vlt. super Data Romæ in fi. lib. sexti Decretal. asserentis Quæstionem de tempore quo incipit obligare noua Constitutio requirere declarationem Summi Pontificis.

Putat tamen Nauar. subijciens se decisioni Romani Pontificis, Constitutiones Concilij Tridentini nouas, idest quę ius nouum inducunt non ligare Polonos in Polonia degentes, qui eas ignorant probabiliter, neque eos qui illas sciunt non ea quidem ratione quod

C illæ non sunt promulgatæ, sed quoniam ab initio non sunt receptæ, nec postea spatio decem annorum; Nam vt tradit Felin. in cap. 1. num. 13. de treg. & pac. post Calder. Card. & Imol. Lex quę decennio non est recepta non ligat.

Sed dubitant Doctores, An requiratur spacium duorum mensium post legitimam promulgationem Constitutionis Pontificiæ ad hoc, vt vim habeat obligandi omnes.

Glo. in cap. Cognoscentes Ver. Ante prohibitionem De Constit. ait Constitutionem vim habere ad obligandum statim post duos menses a die promulgationis Auth. Vt factæ nouæ Constitutiones circa princ. Colla. 5. & idem tenet Glo. cap. Nouiter Vers. Infra

D duos menses De Sent. Excom. cap. Non magno opere Ver. Infra duorum, & cap. vlt. Ver. Spacium præscriptum Nè Cleri. vel Mona. cap. 1. Ver. Solemniter editur De Postulat. Prælat. cap. Quod dicitis dist. 16. & alijs in locis in quibus Glo. affirmat Constitutionem Legitimè promulgatam, antequam elapsi sint duo menses, non habere vim obligandi, vt interim ad omnium aures peruenire possit, sed transacto tempore duorum mensium omnes teneri ad eam obseruandam, nec quenquam ignorantia excusari posse. Nihilominus Glo. in cap. Proposuisti Ver. Non probatur dist 82. videtur alio modo respondere ad propositam dubitationem; Vtitur enim distinctione dicens Canonicam Constitutionem secùndum Ius Ciuile obligare statim

E post duos menses à die promulgationis iuxta citatam Auth. Vt factæ nouæ Constitutiones. At secùndum sacros Canones non habere vim obligandi ante sex menses cap. Decernimus dist. 18.

Abb. in dicto cap. Cognoscentes num. 7. De Constit. Respondet huic difficultati distinguendo varios modos, & formas Constitutionum; Aut enim Constitutio assignat, & exprimit certum tempus, quo transacto, & non antea vult illam alligare transgressores; Atq. in hoc casu non est controuersum Constitutionem illam producere suam vim statim post tempus assignatum,

&

& non antea cap.Cum singula De Præben.lib.6. Quare si Constitutio dicat omnes teneri eo ipso post promulgationem, immediatè incipit ligare transgressores. Aut Constitutio non difinit tempus, sed simpliciter loquitur, & sit Constitutio Inferioris à Principe, immediatè adstringit omnes scientes; Et quantum ad Ignorantes tempus est arbitrarium; Nequè enim congruum est, vt dentur duo menses, sicut in Constitutione Principis, quæ afficit omnes vbiquè existẽtes; & ità sentit Io. Andr. super Data lib.6. Host. in Summa tit. De Constit. §. Quando, Bal. in l. Leges sacratissimæ C. De Leg. Vnde Abb. in eod. nu.7. Ver. Dubitatur tamen, impugnat dictum Glo. in citato cap. Proposuisti 82. dist. asserentis requiri spacium sex mensium, vt Cõstitutio Concilij Prouincialis obliget. Nàm absurdum est maius tempus requiri in Constitutione Concilij Prouincialis, & sic interioris à Principe, quàm in Constitutione ipsiusmet Principis, & cap. Decernimus 18. dist. citatum à Glo. non loquitur de tempore, quo Constitutio ligat, sed de tempore præfixo Episcopo ad denunciandum subditis ea, quæ in Concilio constituta sunt.

Sed insurgit hinc alia quęstio, An si quis plenam habuerit Constitutionis notitiam ante duos menses, teneatur immediatè ad illius obseruationem.

Glo. in cap. Hoc consultissimo circa fi. Ver. Hactenus De Re. Eccl. non alien. lib.6. censet nõ requiri spacium duorum mensium quoad eos, quibus antea Constitutio innotuerit; Et idem ait in cap. Cum singula Ver. Peruenit De Pręben. eod. lib. Tex. expressus in cap. 1. Ver. Nec sit necessarium De Postul. Prælat. Vbi Summus Pontifex decernit non esse necessarium, cum Constitutio solemniter editur, vt per speciale mandatum, aut per literas singulorum auribus inculcetur; sed ad eius obseruationem teneri eos, qui nouerint illam solemniter promulgatam. Idem tenet Abb. eod. nu.7. Nàm spacium duorum mensium conceditur, vt Constitutio innotescat omnibus, ergo qui certus est de Constitutione, non indiget tempore, Reg. Eum qui certus est De Reg. Iur. lib.6.

Vnde quantum ad Constitutionem Bullæ Cœnæ cessat hæc difficultas de spacio duorum mensium; Nam cum singulis annis innouetur, & solemniter promulgetur, semper eius obligatio durat; Neque opus est expectare duos menses, & Summus Pontifex in fine huius Bullæ declarat valorem illius durare, & effectum sortiri, quousque alia similis Bulla fiat, & promulgetur.

Sed adhuc posset quis dubitare; An transactis duobus mensibus à die promulgationis legitimæ præsumatur scientia Constitutionis Pontificiæ, loquor in genere de Constitutione, seclusa Bulla Cœnæ.

Responder Abb. in dicto cap. Cognoscentes nu. 8. De Constit. quod in Constitutione Inferioris Prælati tempus præsumptæ scientiæ est arbitrarium secundum locorum distantiam; Viciniores enim citius præsumuntur scire, cap. Quosdam, cap. Quanto de Præsumpt. In Constitutione autem Papæ præsumitur sciẽtia post duos menses à die promulgationis factæ in Prouincia. Si autem promulgatio fiat Romæ tantum, putat Abb. tempus esse arbitrarium, cum durum videatur asserere Constitutionem Papæ Romæ tantum promulgatam adstringere omnes vbique Terrarum in toto Vniuerso commorantes, ità vt contra illos præsumatur scientia, & si sint trãsgressores Cõstitutionis, possint puniri in foro exteriori post duos menses, nisi sufficienter probauerint ignorantiã cõstitutionis.

A Tandem post dubitari, ad quem spectet onus probandi ignorantiam, an ad eum, qui se excusat à transgressione Constitutionis prætextu ignorantiæ, & quo pacto probari debeat.

Respondeo illum debere probare ignorantiam, qui in ea se fundat cap. fin. Qui matri. accu. pos. & l. fin. ff. de Decr. ab Ord. faci. & Glo. in cap. Proposuisti Ver. Non probatur 82. dist. & in cap. Qui & diuinis, & humanis Ver. Ignorare. 12.q.2. tenet ignorantiam iuramento probari posse. Oppositum sentit Innoc. in cap. Cognoscentes De Constit. dicens non sufficere iuramentum, sed requiri lucidam probationem, Abb. verò in eodem cap. Cognoscentes num.9. in fi. censet relinquendum esse arbitrio Iudicis pluribus consideratis, B nempè ratione præiudicij; conditione personæ allegantis ignorantiam; ignorantiæ genere; qualitate facti, & similibus; Tex. cum Glo. in cap. Innotuit De Elect. cap. fin. in fi. De Iure Iur. & inter alios modos probandi ignorantiam vnus est, si probetur absentia à Prouincia ex sententia Glo. in dicto cap. Proposuisti, & cap. Qui & diuinis, & humanis, quod dictum consonum est cum Auth. Vt factæ nouæ Constitutiones Coll. 5. Vbi statuitur Legem non obligare, nisi post promulgationem factam in Prouincia, ergo sufficit probare absentiam ab illa Prouincia, Nec plura de hac quæstione.

CAPVT VII.

C *An Bulla Cœnæ obliget eos, qui versantur in illis Prouinciis, in quibus illa non solet promulgari, nec vsu est recepta.*

Disputatum est superiori capite de promulgatione necessaria, vt Bulla Cœnæ, & quælibet Constitutio Pontificia vim habeat obligandi. Sed quoniam ad rationem Legis, vt Populus compelli possit ad eius obseruationem, non tantum pertinet promulgatio legitima, sed etiam vt vsu recipiatur à Populo; Nàm, vt perspicuè dicitur cap. In istis dist.4. *Leges instituuntur, cum promulgantur, approbantur, cum moribus vtentium recipiuntur*, Idcirco meritò videndum est modò, an Bulla Cœnæ, & quæuis Constitutio Pontificia D possit obligare illos, qui commorantur in locis, in quibus talis Constitutio non fuit vsu recepta, & an transgressores peccent.

In hac difficultate communis est sententia Doctorũ vtriusq. Iuris, legem vsu non receptam non obligare, & loquuntur in genere de quacunq. Constitutione, siue Ecclesiastica, siue ciuili, vt testantur Abb. & Felin. cap.1. De Treg. & Pa. etiamsi sit auctoritate Princìpis cõstituta, & Legitimè promulgata; Innoc. Host. & Io. And. in eod. cap. Hoc idem affirmant Archid. Domin. Præposi. & Turre Crem. in cap. In istis dist. 4. Quamuis quorundam sit opinio Inter Leges Ciuiles Principum Secularium, & Constitutiones Pontificis, ac aliorum Prælatorum Inferiorum hanc esse differentiam, quod E illæ tolli possunt per dessuetudinem, & non vsum; Hæ verò minimè; Quoniã Lex Lata à Principe seculari, si non accedit consensus Populi, non habet integram rationẽ legis ad obligandũ; Deest enim altera conditio necessaria, nempè tacitus consensus Populi; Nàm (vt habetur in Instit. §. Sed & quod De Iu. Nat. Gen. & Ciui.) Princeps potestatem accepit à Populo, ergo nõ obligat sibi populum, nisi ex tacito consensu ipsius. At verò Pontifex suam potestatẽ proximè accepit à Christo Domino; Ideo suis Legibus Christianum populum adstringit absque vllo ipsius Populi tacito consensu:

Sed

sed sola Christi Domini accepta auctoritate. Episcopi, & alij Prælati populum sibi commissum alligant Romani Pontificis auctoritate. Sed hæc opinio non subsistit, quoniam differentia explicata non facit ad rem; Et ratio est, quia ipsemet Summus Pontifex sanciuit, vt leges ecclesiasticæ vim non habeant, nisi fuerint vsu receptæ, vt diximus ex cap. 1. De treg. & pa. & cap. In istis dist. 4. Vnde cap. vlt. de Consuet. dicitur tolli leges consuetudine contraria rationabili, & præscripta; Ergo eodem modo impediuntur, nè vim habeant, per dessuetudinem.

Hæc doctrina probari potest ex l. De quibus, ff. De legi. Vbi hæc habentur; *Nam cum ipsæ leges nulla alia ex causa non teneant, quàm quod iudicio Populi recepta non sunt*; Et paulò inferius, *Illud receptum est, quod leges non solùm suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu hominum per dessuetudinem abrogentur*. Quando igitur non est recepta, non obligat, & intelligitur hoc dictum, quomodocunque non sit recepta, siue ab ijs, qui sciunt legem esse latam, siue ab ijs, qui id ignorant, vt probat Nauar. cons. 1. De Constit. num. 25.

Sed animaduertendum est non esse idem, legem vsu non receptam non tenere, nec ligare subditos, & legem semel vsu receptam consuetudine contraria abrogari, Non vsus legis est dessuetudo legis l. De quibus ff. De legi. & cap. 1. De treg. & Pace, & cap. In istis dist. 4. Quando promulgata lege, & elapso promulgationis tempore populus perseuerat faciendo, quod facere ante legem solebat. De hac dessuetudine pertractamus in hoc Capite.

Sed contra obijci posset; Populus caret auctoritate condendi leges, quando est Principi subiectus, ergo eo ipso, quod Princeps, & multò magis Papa ad Populum legem ferat, illico eum adstringit, & obligat, & proinde peccat populus ea lege non vtens; Quare promulgata lege potest Papa adigere omnes ad eius obseruationem, & animaduertere in illos, qui legem perstringunt. Non igitur Ius habet populus contra legem faciendi.

Respondeo legem promulgatam, & vsu minimè receptam extingui, & desinere, non quod populus ius habeat tollendi leges à Principe sancitas, sed quia leges, cum instituuntur, & promulgantur, ea conditione conduntur, vt omnes teneant, si vsu recipiantur, sin minus, neminem ligent.

Sed vt assertio firmata communi Doctorum opinione, clarior, & dilucidior appareat, nonnullæ dubitationes sunt declarandæ.

Primò quæri potest; An ad hoc, vt dessuetudo, & non vsus tollat vim legis, necessariò requiratur expressus consensus Papæ, seu Principis.

Abb. & Felin. in dicto cap. 1. de treg. & pac. & Domin. cap. In istis distinc. 4. affirmant sufficere tacitum Principis consensum. Tunc autem creditur tacitus adesse Principis consensus ex sententia Abb. vbi supra Cardi. Zabar. in proem. Clem. Silue. V Lex §. 6. quando Papa, aut Princeps nouit Constitutionem vsu non recipi, & nihilominus tolerat, cum tamen posset commodè punire non seruantes legem; Vel (quod probabilius existimo) tunc præsumendus est tacitus Principis consensus, si, quando lex promulgatur, non compellit populum per Ministros ad illius obseruationem. Nam leges feruntur hac conditione, vt omnes adstringant, si vsu recipiantur, ideo non requiritur Principis scientia; Sufficit enim hæc implicita conditio, qua leges initio sanciuntur. Quare cum possit commodè Princeps efficere, vt lex vsu recipiatur, quando

A id faciendum minimè curat, eo ipso tacitè consentit. Est doctrina Domin. in cap. In istis § leges dist. 4. Felin. in cap. 1. num. 13. Vers. Considera secundò de treg. & pace; Vbi citat Calde. Imol. & Buer. Et Nauar. eosdem sequitur cons. 1. num. 23. De Constit.

Secundò quæri potest, quando lex dici possit non vsu recepta.

Respondet Nauar. ex sententia Felin. & Domin. tūc legem non esse vsu receptam, cōtra quam vel vniuersus populus, ad quem lata est, vel maior pars agit. Quod tamen dictum accipiendum est habere locum, si lex lata sit ad certum quendam populum; Nam sunt multę Constitutiones Summi Pōtificis, ac etiam Imperatoris, & Regum, quę feruntur ad subditos di-

B uersarum Prouinciarum, & sunt à maiori Prouinciarum parte vsu receptæ, & tamen in alijs Prouincijs vim non habent, quoniam in illis non sunt vsu approbatę. Sic videmus multos Canones Pontificis in Italia, Hispania, Gallia, & alijs Prouincijs vsu receptos, qui tamen in Germania, Polonia, Anglia nullam habent auctoritatem, quia non sunt vsu recepti, vel saltem quia consuetudo illos abrogauit.

Tertiò quæri posset; An ad abrogandam legem per non vsum, vt sua vi, & auctoritate careat, necessaria sit aliqua temporis mora, vel præscriptio.

Respondendum est; Constitutionem Pontificis vsu receptam per consuetudinem contrariam non tolli, nisi talis consuetudo per quadraginta annos confir-

C mata, continuataque sit. Ad tollendam autem Principis secularis legem sufficere consuetudinem decennij tempore retentam. At constitutionem, & legem quācunque, siue Canonicam, siue Ciuilem legitimè promulgatam vi, & potestate sua non carere per dessuetudinem, nisi illa per decennium fuerit continuata. Ex quo sequitur, vt Princeps habeat intra decennium Ius, & potestatem adigendi pœnis populos ad seruandam legem promulgatam. Nec opus est, vt intra id tempus legem denuò constituat, etiamsi non fuerit recepta. Quod si dessuetudo continuetur per decennium, lex amplius non valet, nec potest Princeps punire transgressores illius, nisi denuò promulgetur, & innouetur. Dessuetudo itaque intra decennium impe-

D dit solum, nè lex incipiat valere, sed non abrogat legem. Est sententia Couar. lib. 2. Variar. Resol. cap. 16. nu. 6. ex Imol. Felin. cap. 1. De treg. & pa. & alijs, quos ibi refert, Qua in re tamen animaduertendum est magnum esse discrimen, quando dessuetudo, vel non vsus innotuit Principi, & quando ab eo ignoratur; Quando enim Princeps scit non vsum legis, & non compellit subditos ad obseruationem legis, nec punit transgressores, tunc videtur tacitè velle abrogare legem, & duo, vel tres actus sufficiunt contra legem, vt tradunt Abb. Felin. locis citatis. At si Princeps ignoret dessuetudinem, & non vsum, tunc non abrogatur lex promulgata, nisi spacio decem annorum, vt dixi: Et in his terminis loquuntur Doctores citati.

E Postremò quæri potest, quomodo intelligi debeat dessuetudo, vel non vsus legis.

Respondeo, quando casus legis non accidit, non censetur non vsus, vel dessuetudo, etiamsi per mille annos lex non seruetur, & ratio est, quoniam (vt inquiunt Doctores) non præscribitur aliquid per actus purè negatiuos etiam spatio longissimi temporis, & in hoc sensu est intelligendum, quod docent Io. Andr. in cap. Ioannes de Cleri. coniug. & Felin. in cap. 1. de treg. & pa. Videlicet legem non tolli per non vsum, vt dicit Nauar. cons. 1. de Constit. nu. 25. Quare dessue-

tudo,

tudo, vel non vsus accipitur, quoties casus legis acci- dit,& tamen lex non impletur à tota Vniuersitate, vel à maiori parte.

Animaduertendum tamen est hæc quæ diximus de lege vsu non recepta, nempè non obligare subditos, non posse probabiliter aptari ad Bullam Cœnæ, quæ quotannis solemniter renouatur,& promulgatur non solum tanquam lex, sed etiam per modum præcepti, quare quoad Bullam fideles non videntur posse excusari quamuis versentur in illis locis in quibus non sit promulgata Bulla,maximè cum sæpè declarentur excommunicati illi, qui contra Bullā delinquunt quamuis Papa certò sciat Bullam in illis locis nunquam fuisse vsu receptam.

CAPVT VIII.

An Rex, vel Princeps iure prohibere possit, ne in suo Regno,aut Dominio Bulla Cœna Domini promulgetur.

NOn esse interdictum Regi prohibere, ne in suo Regno Bulla Cœnæ Domini promulgetur, nónullis rationibus persuaderi posse videtur, quas statim proponam, vt funditus eneruentur.

Et primo sicut summa potestas ecclesiastica immediatè à Christo Ecclesiæ est concessa, & Summo Pontifici commissa; Ita quoque potestas laica à Deo immediatè Regibus est tradita, vt copiosè probat Nauar. in Repetit. in cap.Nouit notab.3. de iudi. Immo hæc laica potestas longe prior,& antiquior est,quam ecclesiastica Papæ, quoniam hæc ecclesiastica tributa fuit à Deo post susceptam naturam humanam. Illa verò laica iam inde ab exordio populorum cœpit, ergo hæc potestas laica Regis in his, quæ respiciunt regimen temporale suorum populorum non subijcitur potestati Papæ, quare liberum erit Regi si intelligat constitutionem pontificiam minime proficuam esse,& vtilem suis subolitis, prohibere ne in suo Regno euulgetur, vt in illo seruetur pax, & concordia inter omnes, & tollantur quæ illam perturbare possent; Idcirco si hoc sentiat de Bulla Cœnæ, idem de ea statuere poterit.

Secundo, quæ continentur in Bulla Cœnæ non sunt ex genere rerum spiritualium, quæ supernaturaliter, & diuinitus à Deo data, & instituta sunt, & ex consequenti non sunt eius ordinis, cuius gratia laici præsertim Reges Pontifici Maximo subijciuntur; Ergo nullum sequitur inconueniens rationi repugnans si Rex Bullam Cœnæ in suo Regno promulgari recuset.

Tertio ea, quæ dicta Bulla comprehendit laicos etiam obligant non tantum ecclesiasticos, at laici subditi alicui Regi minime tenentur seruare constitutiones Papæ circa res temporales; Merito Rex interdicere potest, ne in suo dominio dicta Bulla euulgetur.

Quarto, Bulla continet processum factum non præmissa citatione eorum, quorum interest, ergo nullam vim habet, quia citatio est necessaria, vt illi contra quos sententia fertur se defendere valeant,& est instituta iure naturali, Clem.pastoralis, §.Cæterum,de re iudi. Quare tanquam sententia & processus nullus, potest Rex præcipere, vt non debeat suos subditos afficere.

Quinto, videtur dicta Bulla ex alio capite iniustitiam,& nullitatem continere,quia cum eius finis principalis sit conseruare,& augere priuilegia, & iura Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ, vel saltem ex maiori parte, quæ in Bulla continentur sint instituta fauore Se- A dis Apostolicę, haud rationi consonum videtur, vt ipse met Papa in causa propria sibi ius dicat, quod iuri naturali aduersatur l.1.C.Ne quis in sua cau.iudicet; Et propterea minime absurdum videtur si Rex ob hanc etiam causam dictam Bullam in suo Regno, neque promulgari, neque à suis subditis obseruari permittat.

Verùm hæ rationes si rectè discutiantur nihil concludunt contra veritatem, quæ certissima est, & ab omnibus Catholicis admittenda, vt paulò post ostendam.

Sit igitur Conclusio verissima; Nulla ratione licet Regi, & Principi non agnoscenti superiorem, quicunque ille sit, impedire, ne Bulla Cœnæ Domini in suo B Regno, & dominio promulgetur, aut ne à suis populis, & subditis obseruetur.

Probatur hęc Conclusio: primò nullum ius competit Regi, vel cuiuis personæ seculari iudicandi de personis ecclesiasticis, quia laicus nullam habet iurisdictionem in huiusmodi personas, vt habetur in cap. Nunquam 96. dist. Vbi Ioannes Papa inquit; *Obsequi solere Principes Christianos decretis Ecclesiæ, non suam præponere potestatem, Episcopis caput subdere Principem solitum, non de eorum capitibus iudicare*, & in cap. si Imperator ead. dist. idem Ioannes Papa ita loquitur: *Si Imperator Catholicus est, quod salua pace ipsius dixerimus, filius est non Præsul Ecclesiæ, quod ad religionem competit, discere ei conuenit, non docere*: Et Nicolaus Papa C in cap. Cum ad verum, eadem dist. ita loquitur: *Cum ad verum ventum est, vltro sibi nec Imperator iura pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum vsurpauit, quoniam idem Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit*. Innumeræ sunt auctoritates quibus idem probari potest, sed ea quæ continentur in Bulla Cœnæ, saltem plura si non omnia spectant ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Prælatos Ecclesiasticos, de quibus Rex iudicare nequit, sed eorum iudicium reseruatur Sedi Apostolicę, ideo non potest Rex impedire Bullę promulgationem, sic enim egreditur fines suę potestatis.

D Secundò, potestas, seu iurisdictio Regi tradita est à Deo, vt gubernaret, & regeret populos suos circa res naturales ad bene viuendum per virtutes morales, verum quo ad ea, quę spectant ad cultum, & religionem Dei, & salutem animę propriam, ac suorum subditorum, nihil potest Rex, nisi ex priuilegio, & auctoritate Papę iudicare, aut statuere, sed finis Bullæ Cœnæ est, prospicere saluti fidelium, & tollere crimina, quæ homines ab illius consecutione maxime auertere possent; Igitur iurisdictio Regis non extenditur ad contenta in Bulla, quæ ordinantur ad salutem animarum; Et in his Rex debet se Summo Pontifici subijcere.

E Tertiò nulla potestas laica potest aliquid iudicare de rebus spiritualibus, vel de illis statuere, aut eis prohibere, vel impedire, voco autem res spirituales quantum spectat ad propositam materiam de qua agimus, omne id quod immediatè à Deo nobis concessum est ad animarum salutem, vel institutum ab eodem ad eandem efficiendam, vel ab Ecclesia potestate supernaturali sibi tradita, vt colligitur ex cap.Gratia & cap.Qui studet 1.q.1. ex Duran.in 4.distin.25. q.1. B.Tho. 2.2.q.100. art.1.2.& 3. Dixi ab Ecclesia potestate supernaturali sibi tradita, vt includam spiritualia, quæ vocantur annexa non quod non sint spiritualia, sed quia non sunt adeo spiritualia, sicut quæ immediatè

mediatè instituta sunt ab ipso Deo, atque etiam quoniam idcircò ab Ecclesia sunt inuenta tanquam præparationes necessariæ ad legitimè, & conuenienter parandа spiritualia prioris generis qualia sunt sacramēta, sed omnia contenta in Bulla Cœnæ sunt spiritualia, ergo nullo modo potestati Regiæ, quæ mere laica est subijciuntur; Quod autem quæ continentur in Bulla sint spiritualia secundi generis patet manifestè, quia sunt instituta ab Ecclesia per potestatem supernaturalem à Deo sibi supernaturaliter concessam, & ordinata ad animarum salutem, & ad obseruationem legis euangelicæ.

Quartò idem probatur ex consuetudine ab ipso nascentis ecclesiæ exordio semper inuiolatè retenta, nulla potestate laica reclamante, neque contradicente, immò consentiente, & assistente, nunquam enim secularis iurisdictio immiscuit se in ijs, quæ spiritualia sunt, & diriguntur ad salutem animarum, sed semper hæc Summi Pontificis potestati, ac dispositioni reseruata fuerunt quod nouissimum est, nec vnicum exemplum pro contraria sententia referri poterit; Quod si interdum Princeps secularis cognouisse, & iudicasse legitur de iure quo talia spiritualia per Ecclesiam statuuntur, id Sedis Apostolicæ auctoritate, & priuilegio fecisse comperiemus; His fundamentis confirmatur proposita conclusio quam omnes Catholici admittunt; Illi soli negant, qui non rectè de catholica religione, & Pontificis Romani Christi Vicarij auctoritate, & potestate sentiunt.

Quæ verò in oppositam partem initio capitis proposita fuerunt, facile dilui poterunt; Ad primum enim argumentum dicimus concedendo potestatem Regiā datam esse ad regendum populum à Deo longe prius quàm Christiana potestas fuerit eradita à Christo Romano Pontifici, negamus tamen inde inferri posse Reges spiritualem, seu ecclesiasticam potestatem habere, immò potius oppositum sequi, idest, Aliam esse potestatem laicam Regis, Aliam Ecclesiasticam Papæ; Et ideo ex eo quod Rex habet summam potestatem laicam non licere argumentari eidem potestatem ecclesiasticam conuenire debere; nam ex diuersis & disparatis non fit illatio l.Papinianus, ff.de Minor.

Ad secundum dico quod licet contenta in Bulla Cœnæ non sint ex numero earum rerum spiritualium, quæ à Christo immediatè institutæ fuerunt qualia sunt sacramenta, tamen sunt reuera spiritualia ab Ecclesia per potestatem supernaturalem à Christo acceptam instituta ad conseruanda, & administranda spiritualia prioris ordinis, & einsdem generis cum illis quamuis specie sint diuersa iuxta doctrinam S. Tho. 1.2.quæst.68.art.1. quia illa sunt data, & instituta immediatè à solo Deo, hæc autem ab Ecclesia per potestatem supernaturalem ab eodem immediatè illi traditam, & vtraque fines laicæ iurisdictionis excedunt; Ideo Rex de illis nec iudicare, neque aliquid disponere potest.

Ad tertium admittendo subditos Regis quo ad temporalia nō esse subiectos Papæ, nego tamen eidem subditos non esse quantum ad ea, quæ in Bullæ Cœnæ comprehenduntur, quoniam omnes Christiani cuiuscunque ordinis sint iurisdictioni Romani Pontificis subduntur, vt habetur in cap. Nouit, de iudi. Vbi Innoc.III.decernit, Ad Ecclesiasticum iudicem pertinere de quolibet peccatore etiam laico iudicare, & multa in eodem textu ad hanc rem facientia ex Euangelio deprompta afferuntur, quæ digna sunt consideratione, & præter alia cum dictus Innocentius inquit: *Non enim intendimus iudicare de feudo cuius ad ipsum,* scilicet Regem Francorum de quo loquitur, *spectat iudicium, nisi forte iure communi per speciale priuilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum, sed decernere de peccato cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus, & debemus:* Deinde ponderanda sunt exempla Imperatorum, qui iudicio Sedis Apostolicæ se ipsos commiserunt, & ibi referuntur; Item cum ait: *Cum enim non humanæ constitutioni, sed diuinæ potius innitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo, nullus qui sit sanæ mentis ignorat quin ad officium nostrum spectet de quocumq; peccato mortali corripere quemlibet Christianū, & si correctionem contempserit per districtionem Ecclesiasticam coercere;* Et paulò infra: *Licet autem hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, vt peccatorem reuocemus à vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem &c.* Itaque cum omnia, quæ in Bulla Cœnæ continentur sint instituta ad lethalia crimina illaq; grauissima vitanda, impedienda, & corrigenda metu excommunicationis, quæ medicinalis est cap.1. de sent. excom. lib. 6. & per eam Summus Pontifex tanquam pius Pater omnium fidelium saluti prospicere intendat, & perditam instaurare, meritò omnes etiam laici sub Regis dominio constituti ad ea seruanda, si à peccato, & censura immunes esse velint, obligantur.

Ad quartum: Respondeo, citationem partis regulariter in processu necessariam esse, id tamen limitatur quando nulla parti defensio competere potest; vel vbi talis est actus quem citandus impedire non posset si præsens esset, vt fusè probat Felin. post Abba. in cap. Cum olim nu. 11. de sent. & re iudi. & ca. Causam, quę de rescript. quia frustra expectatur euentus cuius nullus sequitur effectus cap. Cum contingat de off. deleg. At quæ habentur in Bulla Coenæ sunt huiusmodi, vt contra ea nemini competat vlla defensio, neque vllus etiamsi præsens esset illa impedire posset; Deinde fallit etiam illa regula in sententijs excommunicationis, quæ generaliter pro futuris culpis impediendis, & prę teritis emendandis, vel occultis indicandis, vel alia de causa rationabili pronunciantur contra eos, qui ignorantur cap.2. De Constit. lib. 6. vbi Io. Monachus hoc annotat, & citat stilum Curiæ ex cap. Ad nostram 3. de iureiur. & cap. Si Sacerdos de off. ordi. sed excommunicationes Bullæ generaliter feruntur in eos, qui ignorantur ad impediendas futuras culpas, vel emendandas præteritas, ergo sine vlla citatione indici possunt.

Ad quintum ante omnia, nego Papam in dicta Bulla pro se ipso sententiam ferre, quia quæcunque in ea statuit diriguntur tanquam in finem principalem ad rectam gubernationem Christianæ Reip. ad defensionem auctoritatis Apostolicæ, ad tuendam vnitatem pacis inter Christianos, ad conseruationem libertatis Ecclesiasticæ, denique in salutem animarum omnium fidelium, quæ omnia sunt bona Sedis Apostolicę, & ita de illis Papa iudicare potest, sicut Episcopus de causa Ecclesiæ suæ ca. Si quis erga, & ibi Glo. Ver. Priuetur 2.q.7. & ca. Cum venissent cum Glo. Ver. Iudicari De Iudi. Secundo dici potest non esse absurdum, vt Papa sit Iudex in causa sua propria, vt notant Glosæ citatę, sicut Imperator iudicat in causa sui Fisci l. Proxime, ff. De his, quæ in Test. delentur. Et hæc dicta sint de Prohemio, & de tota Bulla in genere; Nunc accedamus ad explicationem Excommunicationum, quæ in ea continentur.

SECVNDA PARS BVLLÆ, QVAE EXCOMMVNICATIONES VIGINTI CONTINET

Summa omnium Casuum seu Excommunicationum Bullæ Coenæ Domini S. D. N. Pauli Quinti Pontificis Maximi An. M. DC. VIII.

Excommunicantur, & Anathematizantur, &c. A

1 HAEretici cuiuscunque sectę, eorundem fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, & schismatici.

2 Appellantes à Romano Pontifice ad futurum Concilium, eorumq. fautores.

3 Piratæ atq. eorum receptatores, & fautores.

4 Qui Naufragorum Christianorum cuiuscunq. generis bona, etiam in littoribus inuenta surripuerint.

5 Imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augentes, vel augeri prohibitas exigentes. B

6 Falsificantes literas Apostolicas, aut supplicationes à quocunque auctoritatem habente signatas; Aut falsò fabricantes literas Apostolicas.

7 Deferentes arma, & alia viui bellico idonea, ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos; & iisdem in damnum Christianorum, ad Reipublicæ Christianæ statum pertinentia nunciantes.

8 Impedientes eos qui Victualia, & alia necessaria ad vsum Romanæ Curiæ vehunt.

9 Qui ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes sua, aut aliorum opera læserint, & qui sine iurisdictione eos, qui in Curia commorantur vexaucrint. C

10 Qui Romipetas, ac peregrinos, etiam in Curia morantes, vel abeuntes læserint.

11 Qui Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & aliis Prælatis nocuerint.

12 Qui per se, vel per alios lædunt recurrentes in suis negotiis, ad Romanam Curiam.

13 Qui à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum, ad laicam potestatem appellant.

14 Quicunque executionem literarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionũ impediunt, & quouis prætextu beneficiales, aut alias causas spirituales à Iudicibus Ecclesiasticis auocant, ac se de illarum cognitione, tanquam Iudices interponunt. D

15 Iudices Seculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua Tribonalia trahunt, & idcirco Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

16 Impedientes Prælatos, ne sua iurisdictione vtãtur. Quique Illorum, & Delegatorum iudicia eludentes ad Cancellarias recurrunt, aut contra illos decernunt, præstantq. auxilium. E

17 Vsurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcunq. Ecclesiarum iurisdictiones, vel fructus etiam sequestrantes.

18 Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, aut eorũ fructibus.

19 Iudices seculares, qui se in Causis capitalibus seu criminalibus, contra Ecclesiasticas personas interponunt.

20 Occupantes bona, aut Terras Ecclesiæ Romanæ, & in illis supremam iurisdictionem vsurpantes.

EXCOMMVNICATIO PRIMA.
Excommunicamus, & Anathematizamus &c.

DISPVTATIO SECVNDA, De Excommunicatione lata contra Hæreticos.

BVLLA Cœnæ amplectitur viginti Canones, seu capita, aut clausulas, in quibus habentur viginti excommunicationes latæ contra varios status personarum delinquentium circa diuersa genera Actionum; Interdum etiam adiungitur Interdictum, pręsertim contra Collegium, & Communitatem, quæ excommunicari non possunt, vt probatum est in lib.3.disp.10.cap.6.

In hoc primo Canone fertur Excommunicatio contra Hæreticos; Quare Materia huius Canonis in specie triplex est; Prima est Hæresis; Secunda lectio Librorum Hæreticorũ; Tertia Schisma, & sic habet tres partes, & in singulis sunt considerandæ personæ, & actiones. In prima parte excommunicantur quatuor genera personarũ. Primò omnes Hæretici; Secũdò omnes Credẽtes Hæreticis, Tertiò Receptatores Hæreticorũ, Quartò Fautores, & Defensores Hæreticorũ. In secunda parte, in qua agitur de lectione librorũ Hæreticorũ, ibi *Ac eorundẽ libros, &c* comprehenduntur quatuor genera personarũ. Primum legentium sciẽter sine auctoritate Sedis Apostolicæ libros Hæreticorum continentes hæresim, vel tractantes de Religione; Secundum genus tenentium tales libros; Tertiũ Imprimentium; Quartum Defendentium ex quauis causa publicè, vel occultè quouis ingenio, vel colore, & totidem sunt actiones, quæ prohibentur; Legere; Retinere; Imprimere, & Defendere In tertia parte ibi, *Nec non Schismaticos &c.* cõprehenduntur omnes, qui cum pertinacia recesserunt, & subtraxerunt se ab obedientia Romani Pontificis.

Caput Primum, Quid intelligat Sũmus Pontifex illis duabus vocibus geminatis Excommunicamus, & Anathematizamus, *quibus vtitur in hoc capite, & reperit in cæteris omnibus.*

Caput Secundum, Quæ requirantur, vt quis tanquam Hæreticus sit excommunicatione huius Bullæ obstrictus.

Caput Tertium, An omnes Credentes Hæreticorum sint excommunicati in hoc Canone.

Caput Quartum, Quod genus personarum significetur hac clausula Receptatores Hæreticorum.

Caput Quintũ, Qui vocẽtur Fautores, & Defensores Hæreticorum *ad incurrendam hanc excommunicationem.*

Caput Sextum, De Excommunicatione lata contra legentes libros Hæreticorum hæresim continentes, vel de Rel

CAPVT I.

Quid intelligat Summus Pontifex illis duabus vocibus geminatis: Excommunicamus, & Anathematizamus, *quibus vtitur in hoc Capite, & repetit in cæteris omnibus.*

IN Cap,1.Disp.2.Lib.1.pluribus demonstraui Anathema non differre essentialiter ab excomm. Maiori,sed vtraq; voce eandem censuram significari,differre tantum accidentaliter nomine. & quibusdam solenitatibus extrinsecis, quas consueuerunt Pontifices seruare in pronunciando Anathemate,& non adhibẽtur in omni excomm.maiori. Modò videndum est,cur Summi Pontifices in promulgandis quibusdam excõmunicationibus soleant vti vtraq; voce Excommunicationis,& Anathematis, vt in cap.Excomm. 1. & 2. De hæret.in Extrauag.1. De sent.excom. & alibi & in omnibus excommunicationibus huius Bullæ.

Nonnulli Doctores affirmant ob eam causam maximè Summos Pontif. aliquando non contentos verbo *Excommunicamus* addidisse *Anathematizamus*, quia verbum Excommunico prolatum à iure potest accipi pro minori Excomm. Anathematizo autẽ semper sumitur pro maiori excommunicatione, vt probat c.cũ non ab homine de iudi. Vbi Clericus accusatus de crimine primum excommunicatur,deinde,crescente cõtumacia, anathematis mucrone percutitur. Vt igitur significet Papa mentẽ ipsius esse excõmunicare reos huius Bullæ non solũ excommunicatione minori, sed etiam excommunicatione Maiori; Idcirco post verbũ Excommunicamus addit Anathematizamus, volens priori illo verbo *Excommunicamus* intelligere de Minori excomm. Posteriori verbo *Anathematizamus* de Maiori excomm. Et hoc modo explicat Decius in illo ca. Cum non ab homine nu. 13. Si dicas appellatione excõmunicationis simpliciter significatur Maior excõmunicatio,non minor, vt dixi in cap.2.disp.2.lib.1. & probat ca,penult.de sent.excom,Respondet Dec.id verum esse, quando solum fit mẽtio de excomm.secus est, quando excommunicatio copulatur cum anathemate. Et idem sentit Innoc. vt refert Abb.in d.ca.Cũ non ab homine nu. 23. & eodem modo interpretatur Nauar.in Extrau.Gregorij XIII.de Datis,& Promiss. pro Iust.& Gra.Not an.4.n.9. Vers.Addo septimò; Et probat primò auctoritate Glo.in d.c.Cum non ab homine Ver. Excõicationis, quæ asserit, quoties Canon habet illa duo verba Excõico, & Anathematizo; Primũ de Minori; Secundum de Maiori excom. intelligi debere; quã Glosam nõ reperio super d.c.Deinde probat ratione, quia nisi traderemus hanc explicationẽ; Et illa duo verba acciperemus tanquam synonima ad significandam eandem excommunicationem Maiorem; Alterum esset superfluum,& esset inanis repetitio,quæ euitanda est ca.Romanorum 10.dist. c.Solitæ De Maio.& obed.& ibid. Glo.in Ver.Tanquam.Confirmatur, quia copula *Et*, quæ ponitur inter illa duo verba, indicat copulata esse diuersa iuxta Glo.in Rubrica de Iu. & facti ignor. & in cap.Querelam de Sim.

Sed huic expositioni videtur expressè repugnare tex.in c.penul.de sent.excom. Vbi nomine excõicatio-
A nis,si non additur Minoris,semper intelligitur Excõicatio Maior; Et auctoritate huius tex.hanc interpretationẽ reprobat Abb. in d.c.Cum non ab homine n.23.

Deinde hæc expositio nõ videtur commodè aptari posse verbis illorum Canonũ,in quibus hęc duo vocabula simul iuncta non reperiuntur, Nullum.n.haberẽt sensum,si Papa ita diceret Excõmunico te excõicatione minori, & Anathematizo excom.maiori; Certũ.n. est in Excom. maiori, & Anathemate contineri excõmunicationem minorẽ Quare esset sermo incongruus non admittendus in Constitutione Summi Pontificis.

Quam difficultatem videns fortasè Glo. in c.Cum non ab homine Ver.Excommunicari excogitauit aliã explicationẽ, & nomine excõmunicationis intelligit
B suspensionem, vt differat à sequenti Dictione, scilicet Anathemate; quia si prima vox *Excommunicamus* intelligeretur de Excomm. vtiq; de Maiori accipienda esset iuxta c.penult.de sent.excom.Sed hæc non differt ab Anathemate; Igitur illa vox non ponitur ad significandam excommunicationem, sed suspensionem.

Hæc responsio Glosæ multò minus est probanda, quoniam est voluntaria,& sine vlla ratione excommunicationem interpretatur suspensionem,cum sint duæ Censuræ omninò diuersæ specie, & nunquam in iure vna accipiatur pro alia.

Præterea, vt notauit Abb.in dicto n.23.Si ille Clericus,qui in dicto c.Cum non ab homine excommunicatur; Deinde anathematizatur antea erat depositus, vt
C ibi habetur, quomodò potest suspendi, cum Depositio includat suspensionem cap. At si Clerici de iudi.

Quamobrem existimarem probabilius illa duo verba explicari posse, vt dicamus, cum Papa dicit *Excommunicamus* intelligere velle de Excom.maiori sine solemnitatibus,& ceremonijs c.debent 11.q.3.Cum addit *& Anathematizamus* significare eandem excommunicat.maiorem, sed seruatis illis ceremonijs, vt sit sensus,Qui reus erit huius Canonis,& Constitutionis, sit excommunicatus excõmunicatione maiori,& possit etiam declarari talis, adhibitis solitis solemnitatibus; Vel sic, sit excommunicatus excommunicatione maiori,& anathematizatus, idest tanquã si essent adhibitæ cõsuetæ ceremoniæ.Et hanc explicationẽ vide-
D tur insinuare Abb.in d.c.Cum non ab homine nu.23.

Vtuntur autẽ Summi Pontifices his geminatis verbis aliquando,cum præcipiunt,aut prohibent rẽ grauem ad maiorem formidinem incutiendam fidelibus, vt vereantur Constitutionẽ transgredi; Iteratio.n.verborum multum operatur, & indicat voluntatem deliberatam ipsius Præcipientis cap. Si quis iratus iuncta Glo.in Ver. Iterare 2. q. 3. Glo.& Bart. in l.Cum scimus in fi.C.de agri.& censi.lib.11.Ludou.Rom.in l.si verò §.de Viro.in 31.fallen.princi.nu.56. ff.solu.mat. Latè Felin. in cap. Si cautio nu.39. de fi.instrum. & in ca.Venerabili nu.2. Vers. Quarto allego de off.deleg. Et hanc ob causam hæc repetitio non fit frustrà, nec
E potest dici inanis repetitio, vt putat Nauarrus.

Nec facit, quod apponatur copula, quæ solet coniungere diuersa; Tũ quia inter excommunicationem maiorem, & Anathema est aliqua differentia non essentialis, sed nominis, & ceremoniarum extrinsecarum; Tum etiam quia non semper est verum copulam *Et* poni inter diuersa, sed aliquando reperitur inter similia, vel eadem, aut idem significantia, vt per Bart. & Ias.in l.1.ff.de iust.& in c.Monasteria in fi.De vit.& honest.Cleri.Bart.in l.si is qui ducenta §.Vtrum nu.5. ff. de reb. dub. latè Felin.cap.Ex parte 1. de rescript. num.32, Vers.Copula.

Sed

Sed objicies; Si excommunicatio Maior non appellatur Anathema, quoties non adhibentur illæ solẽnitates, quarum mentio habetur in cap. Debent 11.q.3. sequitur excõicationes huius Bullæ Cœnę non posse verè dici Anathemata, cum in illis ferendis non soleant illæ solẽnitates à Summis Pontificibus seruari, & multò minus nomen Anathematis cõueniet alijs Iuribus, vt c. Excõicamus 1. & 2. de hæret. & alijs, in quib. pronunciantur excõic. & vocantur Anathemata, & tandẽ rarò hodie aliqua excõicatio poterit dici anathema, cum vix vlla feratur adhibitis solẽnitatibus c. Debẽt.

Respondeo, & dico. Primò ceremonias, & solemnitates c. debent fore seruandas in pronuncianda excõicatione ab homine, quando nominatim quis denunciatur excommunicatus pro delictis commissis, sed non possunt adhiberi, quando à Iure promulgatur generalis excommunicatio contra eos, qui hoc, vel illud fecerint, quales sunt excommunicationes Bullæ.

Dico secundò illas omnes solemnitates fuisse olim in vsu superioribus temporibus, & tunc non fuisse omissas; Postea verò non vsq; adeò exactè in quacunque excommunicatione esse seruatas.

Dico tertiò, Falsum esse excommunicationes Bullæ Cœnę non ferri maximis adhibitis ceremonijs, & solẽnitatibus; Nam primò pronunciatur illa Bulla sanctissimo illo die feriæ 5. Cœnæ Dom. post celebratam solẽnem Missam ipso Papa pręsente induto pluuiali, & Mitra in Throno Maiestatis, assistẽtibus omnibus Cardinalibus, & Romanæ Curiæ Prælatis, spectante non paruo Romani populi numero, & Christianorũ cum proiectione, & extinctione candelæ. Et licet aliquæ ex illis antiquis solemnitatibus omitterentur, satis est, si seruentur plures, quia requiruntur solũ ad benè esse, non pertinẽt ad substantiam excommunicationis, vt dixi.

Dico quartò, quod quamuis nulla solẽnitas interueniat in pronuncianda excõicatione, si tamẽ Sũmus Pontifex illam appellet anathema, habet vim anathematis, ac si omnes conditiones penitus appositæ fuissent: huiusmodi enim solemnitates sunt inuentæ ab ipsa Ecclesia; Quare Papa potest illas dimittere, & nihilominus eandem vim, & auctoritatem tradere excommunicationi, quia excõmunicatio Maior quoad substantiam, & omnes effectus est idem, quod anathema, differt solum nomine, & quibusdam solemnitatibus, quas ad libitum potest tollere Summus Pontifex. Cõcludamus igitur Summum Pontificẽ initio huius Bullæ illis duobus verbis geminatis, *Excommunicamus, & Anathematizamus*, significare voluisse delinquentes in hanc Bullam esse excõmunicatos excommunicatione Maiori, illa scilicet, quæ in Ecclesia Catholica est maxima, & solẽnis censura, quæ vocatur Anathema.

CAPVT II.

Quæ requirantur, vt quis tanquam Hæreticus sit excommunicatione huius Bullæ obstrictus.

PRimò loco excommunicantur hæretici in hoc Canone, & comprehẽduntur omnes hæretici, cuiuscunq; nominis, aut sectæ fuerint; Immò etiam si sint inominati, scilicet non appellẽtur nomine generali alicuius sectæ; quod si in Bulla enumerentur aliquæ ex recentioribus sectis, vt Hussitæ Vielephistæ, Lutherani &c. id fit ad maiorem illarum detestationem, quæ hoc tempore durant, & sunt magis famosæ, sicut in Bullis antiquioribus aliæ nominabantur, quæ tunc vigebãt. Vnde Caietanus, qui refert verba Bullæ sui temporis, ita habet: *Excommunicamus, & anathematizamus vni-*

A *uersos Hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno; Passagerios, Iosepinos &c.* Quæ omnia legũtur quoque in c. Excommunicamus 2. de hæret. edito à Greg. IX. Et in Bulla Pauli III. est etiã aliqua variatio; quare pro diuersitate temporum fuerunt à Summis Pontificibus descripta nomina diuersarum sectarum hæreticorum; Sed, vt omnes includerentur post enumerationem illarum sectarum, additur clausula generalis omnes comprehendens, videlicet: *Ac omnes, & singulos alios Hæreticos, quocunq; nomine censeantur, & cuiuscunque sectę existant.* Quæ verba si habent vim complectẽdi omnes hæreticos simplices, multò fortius, & verius valent ad includendum omnes Hæresiarchas, Nam licet non omnis hæreticus sit hæresiarcha; omnis ta-
B men hæresiarcha est hæreticus, & grauius errat; hæresiarcha enim ex vi nominis propriè vocatur is, qui aut hæreses inuenit, aut inuentas alios docuit, & magister erroris factus fuit. Propterea peius peccat hæresiarcha, quàm alius hæreticus, ideoq; etiam acrius puniri debet.

Erant etiam eodem modo excommunicati hæretici Iure communi à diuersis Summis Pontificibus ante Bullam Cœnæ, quamuis excommunicatio non esset reseruata Papæ, sicut est excommunicatio Bullæ, Nẽpè ab Innoc. III. in cap. Excomm. 1. A Gregorio IX in cap. Excomm. 2. de hæret. Ab Honorio III. in cap. Nouerit de sent. excom. Extat etiam Canon Gelasij Papæ contra hæreticos 24.q.1. cap. Achatius 1. Non igi-
C tur noua est, sed antiqua Censura lata contra hæreticos, & fautores ipsorum &c. Et huic sententiæ annectitur alia cap. Ad abolendam de hæret. Lucij III. contra vniuersos, qui de Sacramentis aliter sentiunt, aut docent, quam Ecclesia Romana tenet.

Quamuis autem antiqua sit hæc excommunicatio lata contra hæreticos, non est tamen de iure diuino, vt aliqui existimant, sicut probaui in lib. 1. disput. 3. cap. 2. sed ecclesiastico.

Hæreticus verò ille dicitur, qui à iudicio Ecclesiæ Catholicæ, & recto tramite Christianæ Religionis voluntariè, & pertinaciter deuiat cap. hæreticus 24.q.3. l.2. C. de hæret. hæresis enim idem valet quod Electio, ita dicit B. Hyeronimus super illis verbis Epist. ad
D Tit. cap. 3. *Hæreticum hominem post vnam, aut alteram correctionem deuita*; Et Isidorus lib. 8. Ethymologiar. Can. 3. Sed electio est acceptio ex duobus, vel pluribus medijs, & ita Latinus Interpres editionis vulgatę; Vbi Græcè habetur, hæresis sępè vertit sectam, quoniam qui vnam viam eligit relicta alia, quasi secatur, & diuiditur ab alia, vt in Epist. ad Galat. cap. 5. Vbi inter opera carnis numerantur Sectę, Gręcè habetur hęresis, & similiter Actor. 28. ibi; *Nam de secta hac notum est nobis, quia vbiq; ei contradicitur*, Gręcè legitur, De hac hęresi, & apud Philosophos, & Auctores Latinos in vsu est sua Dogmata appellare Sectas, vel hęreses, Vt Stoicorum sectam, Peripateticorum hęresim. Tamen dogma nostrum Christianorum non põt
E vocari secta, quia dogma Christianũ non est inuẽtum hominum, nec iudicio nostro eligimus, quid credere debeamus, sed id nobis definitur ab Ecclesia, quæ auctoritate Dei proponit dogmata, quæ credenda sunt. Qua propter, qui seipsos separãt ab hac vniuersali doctrina, meritò dicuntur propriè hæretici, quia ex proprio cerebro eligũt, quid credendũ sibi sit, & voluntariè diuidunt se, ac separant ab vnitate Ecclesiæ, & fidei Catholicæ. hoc animaduertit Hyeronimus in Epistola ad Tit. cap. 3. Isidorus vbi supra, Theophilat. ad Coloss. cap. 2. paulò post principium, Tertull. in lib. De

Præscrip. Hæret. super illis verbis: *Secundum traditionem hominum*. Quare solet Hæresis definiri in hunc modum; Est error pertinax, Catholicæ fidei manifestè contrarius, in eo qui fidem Christi profitetur.

Hinc sequitur quinquè esse necessaria, vt aliquis sit excommunicatus tanquàm hæreticus. Primum vt ille homo, qui pertinaciter persistit in aliquo errore contra fidem, sit baptizatus, & per baptismum professus sit semel fidem Christi, & eius militiæ adscriptus. Secundum vt profiteatur Christum, & non neget illum; Nam si omninò recederet à fide Christi, potius appellandus esset Apostata (de quo infra) quàm Hęreticus, licèt Hæresis non differat essentialiter ab Apostasia, vt ostendam. Tertium vt in mente sua, & in intellectu verè habeat aliquem errorem contra ea, quæ sunt de fide, siue data à Christo, siue ab Apostolis explicata, siue ab Ecclesia proposita, vel pertineant ad fidem directè, vel indirectè. Omnia, quæ sunt in sacra Scriptura, pertinent ad fidem directè. Similiter traditiones Apostolicæ, & Definitiones Conciliorum. Ea verò indirectè includuntur in obiecto fidei, quorum negatione sequitur necessariò ex bona consequentia falsum esse, quod asseritur per fidem; Vt si quis negaret Christum esse risibilem, erraret in fide Catholica indirectè, quoniam sequeretur ex bona consequentia cognita lumine naturali Christum non esse hominem perfectum. Ratio autem, cur in Hæretico requiratur talis error in intellectu contra obiectum fidei, est, quia fides est virtus, quæ perficit intellectũ; Sed Hæresis est vitiũ contrariũ fidei, ergo est in eâdem potentia; Non enim prauitas volũtatis, & malitia sufficit, vt aliquis sit Hęreticus, nisi habeat errorem in intellectu contra fidẽ, scilicet, vt animo suo credat esse falsum id, quod dicit fides esse verum cap. Hæresis 24. q 3. Glo. cap. 3. De Hæret. Hanc ob causam hæc excommunicatio Bullæ non comprehendit Magos, nec eos, qui exercent artẽ diuinandi, & similes, vt notat Nauar. in Manna. cap. 27. num. 55. Tales enim re vera non sunt Hæretici, sed Curiosi, & Superstitiosi inuestigantes pręcognoscere futura, & ad hunc finem tacitè, vel expresse cum Dęmone paciscentes ea sententia B. Tho. 2.2. q. 95. art. 2. Illos tamen exprimebat Bulla Pij Quinti.

Sed circa hanc conditionem dubitari potest, An si quis ductus rationibus hinc inde dubius maneat de veritate alicuius articuli fidei, nec assentiat, nec dissentita, dici possit hęreticus.

Ratio dubitationis est, quia dubius in fide infidelis est c. 1. De hæret. & tamèn talis non haberet errorem contrarium fidei Catholicæ, non enim dissentit à fide.

Respondeo duobus modis contingere posse quempiã errare contra veritatẽ fidei. Primò per assertionẽ contrariæ propositionis; Vt si quis dicat Deus non est trinus, & vnus. Secundo iudicando non esse verissimam, & certissimam veritatẽ illam auctoritate Ecclesiæ ex diuina reuelatione propositam, quamuis ille directè non dissentiat illi propositioni, sed dubitet, & vtroque modo est aliquis error in intellectu sufficiẽs ad constituendam hæresim, si relliqua nõ desint, vt docet S. Aug. in Enchirid. cap. 17. & 19. *Errare est verum putare, quod falsum est, falsumq. quod verum est*, Vel certum habere pro incerto, siue circa veritatem, siue circa falsitatem, itaq. vt inquit Tabie. Ver. Hæreticus §. 26. & Nauar. cap. 11. nu. 22. Si quis dubitet in materia fidei deliberatè, vt si eliciat hunc actum Volo dubitare de veritate huius articuli; Vel est paratus velle dubitare, etiãsi sciat oppositum esse de fide, & tunc est pertinax, & est verè Hæreticus, & excommunicatus; Immò si in genere firmam haberet voluntatem millies mori potius, quàm assentiri errori contra fidem, si tãdem vellet dubitare de ipsa, & hanc dubitationem exprimeret aliquo actu exteriori, esset excommunicatus. Quod si quis suspendat omnino iudicium, dum agnoscit se tentari contra fidem, non est hæreticus, nec dubius in fide, quia non habet erroneũ assensum circa res fidei, quin potius, si facile tentationibus agitari soleat, prudẽter facit cessando penitus ab omni cogitatione, & actu intellectus, & occupando se aliis negociis; Quoniã huius naturæ homines sæpè solent ex hac pugna, & conflictu intellectus in blasphemiam, aut desperationẽ incidere.

Quartum, quod requiritur ad incurrendam excommunicationem, est, vt ille, qui habet hunc errorẽ contra fidem, sit pertinax, nàm simpliciter non dicitur hæreticus, qui habet errorem in mente, dummodò nõ sit pertinax. Vnde initium sumpsit vulgare illud dictum, quod tribuitur Augustino; Errare possum; Hæreticus esse non possum, scilicet possum errare ex fragilitate, aut ignorantia contra fidem, sed quia paratus sum corrigi, vbi fuero edoctus veritatem, ideo hæreticus esse non possum, quia non sum pertinax. Rectè idem Aug. lib. 18. De Ciuitate Dei cap. 5. & refertur cap. Qui in Ecclesia 24. q. 3. scribit. *Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, prauumq. sapiunt. si correpti vt sanum, rectumq sapiant, resistunt contumaciter, suaq. pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt*. Hinc Apostolus ad Tit. cap. 3. Monet hæreticum hominem post primam, & secundam monitionem esse notandum, his verbis significare volens pertinaciam ipsius Hæretici, qui monitus noluit se corrigere. Idem habetur in Clem. vni. De Summa Tri. §. Porrò, in Clem. vni. De Vsur. §. fin.

Ratio, quare requiratur pertinacia ad constituendum hæreticum, est, quia sicut ad fidem, quæ principaliter consistit in actu intellectus, quo assentimur veritati, tamen nęcessariò requiritur pia quædam affectio voluntatis, sic hæresis, quæ tollit fidem, licèt supponat errorem in intellectu, nihilominus adhuc requirit prauam dispositionem in voluntate, quam verè facit pertinacia; Quando quis, magis quàm decet, tenax est in sua sententia, & illa nimia adhæsio dicitur pertinacia, de qua intelligitur illud 1. ad Timot. 6. *Si quis aliter docet. & non acquiescit sanis sermonibus Domini Nostri Iesu Christi, & ei, quæ secùndum pietatem est doctrinæ superbus est & nihil sciens* &c. Ideo si gratia disputationis aliquid quis dicat sanæ fidei contrarium, non censeri debet hæreticus, quia illud non dicit pertinaciter.

Sed postulabit aliquis, quãdo quis dici debeat pertinax, vt possit vocari hæreticus, & sit innodatus excommunicatione huius Canonis.

Respondeo pertinacem dicendum esse illum, qui vel expressè, & scienter tenet aliquid cõtra sacram Scripturam, aut Ecclesiam, vel qui est paratus permanere in sua sententia, etiamsi à suo Prælato monitus fuerit id, quod asserit, esse contra sacram Scripturam, vel Ecclesiam, & ad mandatum Superioris noluerit se corrigere; Tex. in cap. Hæc est fides 24. q. 1. Vbi Hyeronimus ad Damasum Papam hæc ait: *Hęc est fides, Papa Beatissime, quam in Catholica dedicimus Ecclesia, quamq; semper tenuimus, in qua si minus peritè, aut parùm cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri Sedem, & fidem tenes*. Quare qui Episcopo, & Prælato suo non credit, dum ab illo corrigitur, pertinax est dicendus, Felin. in Rub. De Elect. Card. in Clement. vnica quæst. 2. in principio De Summa Trini. Glo. fusè declarat in Extrauag. Cum inter, Io. 22. in princ. in V.

Perti-

A Pertinaciter De Verbo. signif. Glo. in Clem. vnica §. Porrò de Summa Trinit. Contumacia verò nunquam præsumitur, nisi probetur, vt inquit Io. And. in c. Cum contumacia de hæret. lib. 6. Est enim quædam qualitas facti, quæ probari debet l. cum actum, ff. de negocijs gestis, Io. And. in cap. 1. de homic. lib. 6. quamobrem non est necessaria temporis mora ad contrahendam pertinaciam. Qua in re deceptus est Silue. in V. Hæresis 1. §. 2. dicens necessariam esse temporis diuturnitatem, & perseuerantiam, vt quis dicatur pertinax; Hoc enim falsum est, quia in momento, quo aliquis sciens auctoritatem Ecclesiæ sibi contrariam, si assentit propositioni damnatæ, statim pertinax est in suo assensu, sicut enim vnico actu potest aliquis habe- B re consensum adulterij, & homicidij, ita potest tempore imperceptibili assen.iri hæresi.

Sed quæres, quid si quis erret in aliqua propositione contra fidem ex ignorantia affectata, sit tamen paratus corrigi, an possit dici hæreticus.

Respondeo, quod quamuis sit ignorantia crassa, & affectata, si tamen ille homo paratus sit corrigi ab Ecclesia, non est hæreticus, licet sit difficillimum credere, vt cum ignorantia crassa culpabili maneat animus promptus ad recipiendam doctrinam Ecclesiæ, si tamen admittatur talis animus, non adest hæresis.

Ex dictis illud quoq; colligimus, quod si quis assentit alicui propositioni, siue vera sit, siue falsa, etiamsi non pertineat ad fidem, si tamen putat oppositum il- C lius propositionis, quam ipse veram tenet definitum esse ab Ecclesia, censendus est hæreticus, & est excommunicatus, quia tunc habet errorem pertinacem, scilicet non esse in vniuersum verum, quod proponitur ab Ecclesia de fide tenendum.

Quinto, & vltimo ad hoc vt aliquis sit hæreticus, & incurrat hanc excommunicationem, requiritur, vt errorem, quem habet in mente contra fidem exprimat aliquo exteriori signo, vel facto, vel verbo; Duobus enim modis potest considerari propositio hæretica. Primo modo quatenus est in mente tantum, & dicitur hæresis mentalis. Secundo modo quando adest assensus pertinax cum signo exteriori expressiuo, & dicitur hæresis completa omni ex parte, licet enim peccatum D hæresis interius in mente perfectè consumetur, tamen excommunicatio non contrahitur propter hæresim purè mentalem. Quare si quis solum mente dissentiat à recta fide, non incurrit hanc excommunicationem, contra Glo. in Clem. 1. de hæret. & contra sententiam quorundam Canonistarum, quos refert, & sequitur Adria. in Quodlib. 9. q. 8. art. 1. & in 4. in Materia de Confessione q. 2. vt latè ostendi disp. 1. cap. 2. lib. 3. & id prouenit defectu Iurisdictionis, quia Pontifex non habet in foro exteriori potestatē in actus purè internos, sed excōmunicationis sententia profertur in foro exteriori, ergo non potest ferri in peccata purè interna; Maior probatur, quia in foro exteriori solū potest exerceri potestas circa actus, qui cognosci possunt ali- E quo modo in tali foro, sed actus purè interiores non possunt cognosci ex natura sua in tali foro, ergo nec puniri in illo; Immò nec in foro cōscientiæ huiusmodi peccatū hæresis omninò internum est reseruatū, quia non reseruatur sine excom. Sed id est intelligēdum de hæresi purè mentali. Quare si aliquis hæreticus proferat suā hæresim aliquo signo exteriori (ēt nemine præsente) incurrit statim excommun. & est sententia omnium Theologorum, quia talis hæreticus per accidēs est occultus, & Ecclesia potestatē habet in actus per se manifestos; Occultos autem per accidens, in foro exteriori, ergo potest illos punire. Et multò magis certum erit de hęretico, qui verbis expressis publicè profitetur suam hæresim, incidere in sententiam excommunicationis. Hę igitur quinque conditiones explicatæ necessariæ sunt ad incurrēdam excōmunicationē.

Ex dictis sequūtur aliqua. Primò quādo quis solo signo, quocūq. opere externo negat fidē Christi, e.g. Vt si thus offerat Idolis (vt legitur de Marcellino Papa) vel solo verbo aliquid dicat contra fidē, vt fecit B. Petrus; Vel etiam genuflexione adorando Dęmonē metu ductus ad euitandam mortem, vel aliud simile periculum (dummodò in suo intellectu nō habeat errorē, nec his signis assentiatur) licet grauissimè peccet, & sit sacrilegus, tamē non est hæreticus, quia deest tertia conditio, scilicet error in intellectu, & consequēter non est excōmunicatus, nisi quando exterius opus cōmittit, præstādo auxilium, aut fauorē alicui hęresi, vel hęretico, tunc.n. erit excōicatus, non quia hęreticus, sed quia fautor sit hęreticorum, qui excommunicati sunt ex hoc eod. primo Canone Bullę, vt benè annotauit Nauar. in Man. ca. 11. n. 27. Et de B. Petro fide Catholica tenendum est non habuisse errorē in intellectu testimonio ipsius Christi dicentis; *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, ac tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* De Marcellino idem testantur auctores. Hanc doctrinam tenet B. Anton. 2. par. tit. 12. cap. 5. §. 1. Silue. V. Apostasia §. 2. & Ver. hęresis 1. §. 4. Et est communis sentētia Iurisperitorum, Caiet. tamē super B. Th. 2. 2. q. 12. art. 1. & q. 94. art. 1. ad 1. affirmat talem hominem incurrere pœnam excommunicationis; quam sententiam nonnulli alij Doct. sequuti sunt, sed contraria opinio est probabilior. Primò quia cum Ecclesia tulerit sentētiam excommun contra hæreticos, & hæc lex sit pœnalis, non est extendenda ad apparentes hæreticos, sed tantum ad veros hæreticos. Confirmatur, nam ex sententia Caietani sequeretur Blasphemos esse excōicatos, quia voce attribuunt Deo, q̀ ei non competit. Itē essent excōmunicati Amasij mulierum, cū appellant eas Deos suos; Non negamus tamen Ecclesiā potuisse ferre excommunicationē in eos, qui solū exterius affirmarēt aliquem errorem contra fidem; sed dicimus Ecclesiam hactenus id non fecisse.

Sed obijciet quis; Primò Idololatra, qui colit Idolum ex metu, incidit in hanc excommunicationem, ergo Idololatra est hæreticus.

Respondeo, quod exercens actum exteriorē Idololatriæ potest se habere tripliciter in mente. Primo modo vt re vera execretur Idolum, quamuis exteriorem exhibeat illi cultum; Secundo modo, vt quadam impia voluntate afficiatur ad talē cultum ex quadam curiositate, ex metu, ex auaritia, vt faciūt Lamię, & Strigimagi, qui reuerentur Dæmones etiam sine errore intellectus. Tertio modo potest esse simul error in mēte. Dico igitur Idololatrā hoc tertio modo solum incurrere excommunic. Bullæ latam contra hæreticos, quia cum habeat errorem in mente, sufficienter illum explicat facto illo Idololatriæ. Cæterum alijs duobus modis negandum non esse aliquem posse esse Idololatrā, & non hæreticum; Et ratio est manifesta, quia Idololatria est vitium contra virtutē Religionis, quæ residet in voluntate. Hæresis autem est error in intellectu existens. Quare Dæmonum inuocatio potest quādoq; fieri absque eorum cultu in mente, vt tenet Caiet. 2. 2. quæst. 95. art. 4. Vt cum requiritur ab ipsis aliquid, quod ab eis præstari possit, quemadmodum requireretur ab homine potente nos adiuuare semota omni cogitatione subijciendi se Dæmonibus. Est autem

animaduertendum, quod quamuis Idolatra primo, & secundo modo non incurrat excommunicationem Bullæ latam contra Hæreticos, nec alias pœnas hæreticorum in foro conscientiæ, tamen inuenitur specialis quædam excommunicatio Ioannis XXII. Lata contra Idolatras primo, & secundo modo, quæ habetur in Directorio Inquisitorum par. 2. q. 45. Vbi excõmunicantur illi, qui colunt Dæmones, & plectuntur pœnis Hæreticorum, præterquam confiscatione bonorum. Ratio est, quia primi, & secundi generis idololatræ propriè sunt Idololatræ, quoniam exhibent cultum exteriorem Dæmoni, vel Idolo voluntariè, & licèt interius in voluntate nollent colere, tamen absolutè loquendo volunt colere, & ita incurrunt pœnas latas contra Idolatras.

Secundo obijciet alius, Mulier, quæ metu mortis mechatur, incurrit pœnas adulterij, ergo, qui hæresim affirmat solo signo exteriori ex metu, incurrit pœnas Hæreticorum.

Respondeo negando consequentiam, quia Mulier etiam propter metum verè adultera est, quia nullus metus excusat ab his, quæ sunt prohibita de Iure diuino. At de ratione Hæresis est error in mente, Quare sine tali errore interiori, quamuis quis peccare possit contra confessionem fidei, non tamen erit hæreticus.

Tertia obiectio esse potest, quoniam Ecclesia punit huiusmodi assertores Hæresum etiam solo exteriori signo sicut verè hæreticos, & absoluit eos à Censuris, ergo incidunt in excommunicationem.

Respondeo mentem interiorem hominum non innotescere Ecclesiæ, nisi per signa exteriora. Quapropter eum, qui exteriori actu negat fidem Christi, meritò Ecclesia præsumit esse Hæreticum, Si tamen constare posset aliquo pacto illum re vera non præbuisse consensum, mitiori pœna plecteret, nec opus esset eum absoluere ab excommunicatione, sed quia id apparere non potest, ideo exterius habetur tanquàm excommunicatus, & ipse debet se gerere tanquam excommunicatum ratione scandali.

Secundò sequitur ex dictis, quod si quis sit hæreticus purè mentalis, & in confessione sacramentali aperit Confessario suam hæresim non erit excommunicatus in hac bulla, quamuis Alberti. in tract. De Cognoscend. assertio. Cathol. q. 3. dicat, quod si ille pœnitens non egerit pœnitentiam hæresis, incidit in hunc Canonem, sed innititur falso fundamento, Putat enim simplicem hæresim mentalem sufficere ad incurrendam hanc excommunicationem. Ratio huius dicti est, quia actus sacramẽtalis est extra humanum iudicium, & sic hæresis est verè occulta, sicut erat ante reuelationem, ità vt Confessarius verè negare possit se scire illius hominis Hęresim, non secus, ac si pœnitens illam nunquam reuelasset, quia hoc iudicium (vt inquit B. Tho.) est inter hominem, & Deum; non inter hominem, & hominem, scilicet in foro exteriori.

Sequitur tertiò propter similem rationem Hæreticum purè mentalem, qui secretò reuelat suam hęresim Inquisitori, vel alicui amico fido, vt ab eo petat consilium non incidere in hanc censuram; quia ille actus exterior, quo aperit Inquisitori suã hæresim, vel amico petendo consilium, est actus bonus, ergo per istum non incurritur excommunicatio. Deinde per talem actum Hæreticus non aperit suam hæresim affirmando pertinaciter, sed animo corrigendi se ipsum. Sic respondet Franc. Victoria referente Simancha in lib. de Confutationibus Hæreticorum lib. 9.

Sequitur quartò, quod si talis Hæreticus mentalis

A per iocum inter amicos narret se aliquando fuisse in tali hæresi, in qua vere fuit, sed postmodum cognouit veritatem, & egit pœnitentiam erroris, non incidere in hunc Canonem, quia quãdo narrat hæresim amico, verè non est hæreticus. Si verò tunc in errore persisteret, innodaretur excommunicatione, quia exteriori signo explicaret hæresim mentalem, quæ exterior explicatio per se non est actus bonus, nec verba iocosa possunt impedire, quin hæresis sit expressa.

An verò si hæreticus mentalis secum disputans de sua hæresi proferat aliqua verba, quæ ex se non habeant sensum perfectum, nec videantur simpliciter manifestatiua hæresis, incidat in hanc censuram, vt si quis in mente dubitans, an Christus sit filius Dei, po-
B stea veluti per continuationem proferat exterius Credo quidem non esse, vel similia; existimo rem esse admodum dubiam; nam ex vna parte non videtur incurrere; quia ista verba simpliciter sumpta non exprimũt aliquam hæresim, nam non habent sensum perfectum. Ex altera parte videtur incurrere, quia eadem verba (quatenus coniunguntur interiori conceptui) verè exprimunt hæresim, signum est, quia si iste Hæreticus communicasset alicui suum conceptum interiorem, & deinde adderet hæc verba exteriora, tunc verè exprimeret hæresim, ergo etiam quando secum ipse loquitur. Deinde hoc verbum exterius est imperatum ab Hæresi interiori, ergo ex se est manifestatiuum hæresis sufficienter, & in hanc partem ego libentius in-
C clino, Atque in re tam periculosa, ac dubia sanum esset consilium petere absolutionem.

Sequitur quinto, quod si Hæreticus mentalis profiteatur hæresim suam aliquo opere exteriori, quod ex se est manifestatiuum talis hæresis, v. g. Si Hæreticus non credens Ecclesiam posse obligare fideles ad aliquod ieiunium vescatur carnibus in tota Quadragesima, incidit in excommunicationem huius Canonis, quia talis actus, vt pendet ab interiori hæresi, est manifestatiuus hæresis, & tandem tum iste, tum similes actus, vbi nulla est causa, quæ probabiliter excuset, faciunt hominem suspectum de hæresi, & propter eandem rationem qui ostendit suam hæresim mentalem
D solùm omissione, seu cessatione actus; vt qui nihil credens de veneratione Sanctorum non aperiat caput, nec exhibeat reuerentiam imaginibus, afficitur excommunicatione huius Bullæ; non enim refert, an hæresis exprimatur commissione, vel omissione, dummodò exterius exprimatur. Deinde ista non est pura omissio, sed habet actum positiuum exterioris irreuerentiæ.

Sequitur sexto Cathecumenum, qui non credit alicui articulo fidei, etiamsi errorem suum exprimat aliquo signo exteriori, non esse hæreticum, nec excommunicatum; quidquid dicat Castro lib. 1. de iust. Hæret. punit. c. 8. quia verè non suscepit Baptismum, nec est professus fidem, nec subiacet Censuris ecclesiasti-
E cis; quamuis enim Cathecumenus posset appellari hęreticus coram Deo, si semel susceptam Christi fidem desereret, non tamen haberetur tanquam hęreticus ab Ecclesia.

Quęret aliquis, An infans baptizatus inter hęreticos, & enutritus apud eosdem in erroribus contra fidem Christi, qui nunquàm fuit edoctus de rebus fidei, si postquam venit ad vsum rationis, & cognouerit se fuisse baptizatum, teneatur sub pœna huius excommunicationis profiteri fidem, & detestari errores, in quibus vsque ad illud tempus fuit.

Respondeo hunc puerum, cum adolescit, postquam

à fi-

à fide dignis cognoscit se esse baptizatum, teneri sub peccato mortali quærere veritatem de fide Christiana, quare cognita veritate articulorum fidei Catholica, si non credit, verisimile est multum, & valdè probabile ipsum incidere in hanc Censuram, nam omnia, quæ requiruntur ad hanc excommunicationem, repe riuntur in eo, est enim baptizatus; scienter non credit articulis fidei, & sic habet errorem in intellectu, & pertinaciteer consistit in illo, quem etiam exterius explicat. Quare si aliquando resipisceret, consulerem, vt peteret absolutionem ab excommunicatione.

Sequitur septimo Adultum baptizatum, cuius baptismus propter euidentem defectum formæ, vel intentionis sit nullus, si euadat hæreticus, non esse excómunicatum. Et ratio est, quia re vera non baptizatus, sicut dictum est de Cathecumeno; quod si defectus baptismi non esset euidens, innodaretur excommunicatione, & hic magis posset cogi ab Ecclesia, cum semel professus esset fidem, quam Cathecumenus.

Sequitur octauo Apostatam, qui omninò reliquit totam fidem, incidere in excommunicationem huius Bullæ latam contra hæreticos, quamuis in bulla non esset expressa Apostasia. Ratio est, quia si hæc excommunicatio afficit hæreticos, qui vnum, vel plures articulos negant multò magis feriet eos, qui totam fidem negant, quales sunt Apostatæ.

Quod si cõtra hoc dictum quis instauerit ex B.Tho 2.2.q.9. art. 1. Vbi constituens rationem formalem hæresis inquit illum esse formaliter hæreticum, qui intendit Christo consentire, licèt neget aliquem articulum fidei, & sic errat in eligendo, quia non eligit ea, quę Christus proposuit credenda, sed Apostata non intendit Christo consentire. Vnde Heresis dicitur ab electione, Apostasia ab intentione. Quo argumento victi aliqui Doctores tenuerunt Apostatam non esse propriè, & simpliciter loquendo hereticum, vt Silue. V. Heresis 1. §.4. Vers. quarto quod Turrecrem. lib. 4. Summę de Ecclesia par. 2. cap. 13. Et fuit sententia Guidonis Carmelitani in suo libro de Heresibus. Contraria tamen sententia est communior, & probabilior, scilicet Heresim, & Apostasiam esse eiusdem speciei, differre tantum accidentaliter penes magis, & minus. Huius opinionis est Caietanus super B.Tho. 2.2. q.10. art.5. & q.11. art. 1. quam etiam videtur tenere ipsemet Silue. Ver. Apostasia in princ. Vbi refert Host. & Innocentium in eandem opinionem. Ita sentit etiam Alphonsus à Castro lib. 1. De Iusta Heret. punit. cap. 7. Illaque probari potest ex ipso B. Tho. qui apertè qu. 10. ar. 5. asserit hæresim in hoc consistere, quod aliqois contradicat fidei susceptæ; sed Apostata contradicit huic fidei, igitur est hereticus, & clarius qu. 12. art. 1. ad tertium, vbi docet Apostasiam non denotare aliquam speciem infidelitatis, sed quandam circunstantiam aggrauantem iuxta illud 2. Petri 2. *Melius erat ei veritatem non agnoscere, quàm post cognitam retrò ire.* Et confirmatur, nam species infidelitatis (vt etiam ipse B.Tho. fatetur) sunt tantum tres, videlicet Iudaismus; Paganismus, & Hæresis: Sed Apostata non potest reduci ad Iudaismum, vel Paganismum, ergo ad hæresim. Et ob hanc causam in Iure Canonico non extat aliquis titulus contra Apostatas à fide, quia illi cõprehenduntur nomine hæreticorũ. Quare ad argumentũ respondeo in hæresi duo considerari posse. Vnũ est id à quo nomẽ est impositũ, alterũ verò res significata per nomen. Primum est electio, quoniam hæreticus dicitur ab electione; Ipse nanque intendens Christo assentiri

A eligit dogmata credenda, circa quæ errat. Quare considerando nomen quantum ad eius ethimologiam, hæreticus sub nomine Christiano debet contradicere veritatibus fidei. Res verò significata hoc nomine hęresis est error pertinax circa fidem in manifestatione veritatis susceptam; De cuius ratione non est, vt sub nomine Christiano aliquis contradicat veritatibus fidei. Sed est aduertendum Apostasiam addere circũstantiam maximè aggrauantem speciem hæresis, & ideo necessariò aperiendam ab eo, qui redit ad fidem; Nam si talis Apostata conuertatur ad Paganismum, Reus erit Paganismi, si verò ad Iudaismum, Reus erit Iudaicæ perfidię. & id intellexit B. Tho. in solutione ad tertium ex testimonio B. Petri. Itaque Apostasia
B dicit vltimum complementum, & consumationem hęresis. Vnde sæpè vidimus homines incipientes ab hæresi, paulatim lapsos esse in Apostasiam, & Atheismum.

Ex dictis igitur patet Apostatam à fide incurrere omnes pœnas debitas Hæreticis in Iure, Et ideo quantum ad excommunicationem idem prorsus iudicium fieri debet de Apostata sicut de Heretico. Additur igitur hæc Clausula in hoc Canone *Omnes à fide Christiana apostatas*, non eam ob causam, quod Apostatæ non sint verè Hæretici, sed ad maiorem declarationẽ. Et quia vulgò non solent nominari hæretici, ideo, quamuis defenderemus contrariam opinionem illorum, qui potant Apostatam differre specie ab Hære-
C tico, adhuc fatendum esset modò in hac Bulla Pauli Quinti comprehendi ipsos Apostatas, cum post enumeratas expresè sectas Hæreticorum, quos pronunciat omnes excommunicatos, addat hanc clausulam; *Et à Christiana fide apostatas*: Quę clausula à Clemente Octauo primum apposita fuit; Nam in Bullis aliorum Pontificum non legebatur. Quare modò nulla est controuersia; Illud tamen est obseruandum Summum Pontificem velle intelligere de Apostatis, qui non solum exteriori opere, & signo, sed etiam corde recedũt à fide Catholica. Nam sicut interior infidelitas sine exteriori signo non sufficit ad incurrendam hanc excommunicationem, ita nec exterius signum sine interiori infidelitate. Nam qui solum exterius negat, non
D est Apostata à fide: sed à confessione fidei, & ideo non incurrit hanc excommunicationem in foro conscientiæ, nec tale peccatum erit reseruatum in foro poenitentiæ: sed in foro exteriori condemnabitur vt hæreticus, quia in illo foro non potest de interiori mente, nisi per exteriora signa constare.

Illud quoque est annotandum; Posse aliquem esse hæreticum, & Apostatam à fide, quamuis non sit baptizatus; Vt si Cathecumenus ante baptismum verè credat, & deinde à tota fide recedat, vel neget aliquẽ fidei articulum, iam erit Apostata, aut Hæreticus, qui tamen non incidet in hanc excommunicationem, quia non est capax censurarum, vt diximus, nec mem-
E brum Ecclesię, in quem possit iurisdictionem suam directè exercere. Quare hæc clausula intelligenda est de illis, qui directè subduntur Iurisdictioni Ecclesiasticæ, scilicet de Baptizatis.

Dubitant B. Antonin. par. 3. tit. 24. cap. 4. & Silue. Silue. Excommunicatio 7. §. 5. An incidat in excommunicationem ille, qui asserit aliquid pertinaciter, quod ab aliqua particulari Ecclesia fuit damnatum, Vt si quis teneret e. g. contra articulos Parisijs damnatos, Videtur enim talis excommunicatus, quamuis non vigore sententiæ Episcopi, quæ non afficit non subditos, nec extra Territorium, vt diximus in lib. 3. disp. 9.

disp. 9. cap. 5. Sed ex Constitutione Lucij III. cap. Ad A
abolendam de Hæret. Vbi hæc leguntur: *Vinculo perpetui anathematis obligamus omnes, qui per singulos Episcopos tanquàm Hæretici sunt damnati*, & respondent non esse excommunicatos non credentes id, quod vna Ecclesia particularis determinat: Sed firmiter non adhærentes ei, quod Ecclesia vniuersalis Romana definiuit, ad quam pertinet iudicare de rebus fidei, quia quandiù adhęret homo fidei Ecclesiæ Romanę, quęcunque alia Ecclesia teneat oppositum, nunquàm est hęreticus cap. Damnamus in fi. De Sum. Tri. quia illa sola non potest errare, alię verò possunt. Vnde si quis determinaret contra articulos Parisienses, non esset excommunicatus, neque oppositũ decernitur in cap.
Ad abolendam citato; Ibi enim solùm statuitur posse B
ab Episcopo declarari excommunicatum, & hęreticũ illum, qui dissentiret ab aliquo articulo fidei iam probato, & à Sede Apostolica Romana confirmato, vt Abb. ibi, & alij Doctores sentiunt. Si autem oriatur dubitatio de aliquo articulo ambiguo; quid sit sentiendum de fide, decisio pertinet ad solam Ecclesiam Romanam cap. Quoties 24. q. 1. D. Tho. 2. 2. q. 1. art. 10. Alberti. De Agnoscen. Assert. q. 8. nu. 5. & seq. Et hodie in causa hęresis Episcopus non potest pronunciare sententiam contra aliquem sine Inquisitore, nec Inquisitor sine Episcopo, vt statutum fuit à Clemente V. in Clem. 1. De Hęret.

Non est etiam prętereundum hoc in loco, quod an-
notauit Domi. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 2. art. 5. quod C
circa hanc excommunicationem Bullæ Cœnæ latam contra hæreticos, & ipsi Papę reseruatam posset alicui videri Sixtum IV. in Extrauag. Et si Dominici, rigorem huius reseruationis quodammodo relaxare; Ait enim, quod prætextu facultatum ab ipso, seu sua auctoritate concessarum, vel concedendarum in fauorẽ fidei, & Cruciatæ, nullus Confessarius aliquos absoluere audeat ab hæresi, postquam fuerint de ea solemniter condemnati, seu delati, aut publicè diffamati &c. Ex quibus verbis videtur sequi, quod nisi fuerit quis damnatus, delatus, vel diffamatus, (quamuis sit hæreticus) eius absolutio non sit Romano Pontifici reseruata. Non tamen hæc fuit mens illius Pontificis, nec
ille est sensus illorum verborum, vt hæresis citra illos D
tres gradus non sit Romano Pontifici reseruata, sed voluit solum significare, quod etiam per quamcunq; concessionem, & facultatem concessam à Sede Apostolica absoluendi aliquos ab hæresi non possint absolui hæretici damnati delati, vel diffamati, nisi hi casus essent nominatim expressi. Quare illa verba potius restringunt, quàm relaxent, quamuis hoc tempore non standum sit extrauag. Sixti, quoniam illa apposita fuit tanquàm Regula Cancellariæ, vel tanquam adiectio in Bulla Cœnæ Domini, quæ cessat cum ipso Auctore, & illi casus Sixti modò remanent in dispositione Iuris communis, vt inquit Silue. excomm. 7. casu 32. Immò Ang. asserit restrictionem illam Sixti non
fuisse omninò receptam, ideo inquit Sot. Si modò in E
aliquo Iubilæo, vel Rescripto Apostolico tribueretur alicui facultas absoluendi ab omnibus casibus reseruatis in Bulla Cœnæ Domini, includerentur etiam illi tres casus Sixti, quamuis non exprimerentur, & ab illis quicunque hæreticus absolui posset emendatus in foro conscientiæ reseruata facultate Inquisitori absoluendi in foro exteriori. Et hæc dicta sint de prima parte huius Canonis.

CAPVT III.

An omnes Credentes Hæreticorum sint excommunicati in hoc Canone.

SEcundo loco excommunicantur Credentes hæreticorum, qui similiter in cap. Excommunicamus 1. §. Credentes, & in cap. Excommunicamus 2. §. Si qui de hæret. & cap. Nouerit de sent. excom. Subijciuntur excommunicationi, & alijs quoque pœnis afficiuntur iuxta diuersa genera status personarum; qua in re necesse est inquirere, qui vocentur Credentes hæreticorum, vt intelligamus, quos comprehendat hic Canon sub hac clausula *Credentes Hæreticorum*.

Abb. in dicto §. Credentes num. 12. in fin. ait Credentes Hæreticorum esse in duplici differentia, Aliquos, qui credunt solum hæreticos esse viros bonos, & ideo non malè tractandos, non tamen credunt illorum erroribus, neque ipsi sunt hæretici. Huiusmodi sunt multi Idiotæ inter hæreticos versati, & benè erga eos affecti, de quibus videtur intelligendum dictum §. Credentes iuxta Abb. Vbi Credentes Hæreticorum postquam sunt excommunicatione notati, non declarantur statim infames, nec inhabiles ad publica officia, &c. Sed si infra annum non resipuerint, quales videntur prædicti. Alios vero dicit esse Credentes hæreticorum, qui credunt erroribus hæreticorum, & hi habentur tanquàm hæretici, quia deuiant à recta fide, vt in dicto cap. Excommunicamus 2. & consequenter sunt infames ipso facto. Hanc distinctionem affert etiã Tabie. excommunicatio 5. casu 4. §. 12. & hæresis §. 20. & 21. Quare iuxta hanc distinctionem Credentes hæreticorum secundo modo, scilicet qui credunt hæreticorum erroribus, comprehenduntur in hoc Canone illa voce *Hæretici*, ideo sunt excommunicati censura huius Bullæ, etiamsi non apponeretur hæc secunda particula *Credentes*, vt notat Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 55. Vers. Tertia, quia credentes hoc modo verè sunt hæretici, licèt etiam non credant explicitè aliquid contra fidem, dum credunt pertinaciter esse verum, quod alius hæreticus credit etiamsi nesciant quid credit in specie, Palud. in 4. dist. 13. q. 3. conclus. 2. Credentes verò primo modo, licèt non credeant erroribus hæreticorum, tamen aliquid faciunt, ex quo verisimiliter præsumi potest ipsos approbare hæreticos, quales sunt secundum Tabienam, qui sæpè adeunt hæreticos; eorum conciones aliquando audiunt; literas eorundem hinc inde deferunt; ducatum eis præbent in itinere, & alia similia faciunt, quæ fieri nequeunt, nisi ab homine affecto erga hæreticos, & tales excommunicantur in hac Bulla per hãc secundam particulam *Credentes hære icorum*, ita quidem, vt si non fuisset apposita hæc particula, sicut in Bulla Pij V. non legebatur, non essent inclusi in Bulla, Credentes hæreticorum, iuxta hanc significationem. Quare secũdum hanc sententiam hæc vox *Credentes* non est simpliciter declaratoria prioris vocis *Hæreticor*, sed addit aliquid plus, quia denotat aliud genus personarum, & illud includit.

Secunda opinio est opposita Archid. in cap. Quicunque De hæret. lib. 6. Palud. in 4. dist. 13. q. 3. Nauar. in Summa cap. 27. num. 55. loco citato, Silue. Ver. hæresis 1. §. 10. Alphon. à Castro lib. 1. De iust. hæret. punit. cap. 17. & aliorum affirmantium Credentes hæreticorum illos esse, qui nullum errorem in particulari habent contra fidem, sed solum in vniuersali pertinaciter credunt, quæ ab hæreticis dicuntur, & affirman-

tur,

tur, & ideo ait Nauar. quod etiamsi isti credentes non exprimerentur in Bulla per verbum Credentes, sicut non fuerunt expressi in Bulla Cœnę edita à Pio V. tamen adhuc essent excommunicati, quia verè sunt hæretici ex cap. Excommunicamus 2. De hæret. Sed additur hæc clausula Credentes ad maiorem explicationem, & sic secundum hanc intelligentiam credentes hæreticorum primo modo non erunt excommunicati vi huius Canonis, sed tantum Credentes secundi generis.

Ex his duabus opinionibus, licèt opinio Abb. videatur probabilis, & iuri conformis, nempè vt vtrumque genus credentium hæreticorum excommunicatione innodetur, sententia tamen Nauar. & aliorum est vera, quæ affirmat Credentes secundo modo esse excommunicatos solummodò, scilicet illos, qui pertinaciter plus credunt dictis hæreticorum, quàm Ecclesiæ, licèt nesciant, quid Hæretici credant, vt annotat Caietanus. Actio igitur, quæ in hoc genere sub pœna excommunicationis prohibetur, est credere hæreticis in communi, scilicet existimare, quæ ab illis dicuntur, vera esse, quamuis nulli errori in particulari tribuatur consensus.

Ad quęstionem igitur propositam ad hunc modum respondendum est, Credentes hæreticorum sunt in duplici genere. Quidam sunt, qui credunt eorum erroribus, & hæresibus, vel in specie defendendo has, aut illas propositiones damnatas scienter, vel in genere, vt si nulla hæresi specialiter sunt infecti. sed profitentur se credere, quod hæretici credunt, vt si dicunt se cum Lutheranis, & Caluinistis sentire, vel mori velle cum eorum erroribus, vel se credere eos nihil contra fidem Catholicam docere, & isti sunt excōmunicati, & etiam sunt hæretici iuxta cap. Excommunicamus 2. De hæret. Vbi præmissis varijs hæreticorum sectis adiungitur: *Credentes autem eorum erroribus hæreticos similiter iudicamus*. Iudicantur autem aliqui credere hæreticorum erroribus ex eorum verbis, atque factis, verbis nempè confessione propria, si dicant se credere hæreticorum erroribus, vel facti euidentia publicè prædicando, seu defendendo eorum errores, vel testium productione legitima, quod hæreticorum errores diuulgauerint cap. Super quibusdam de verbor. signific. Vbi hæretici declarantur, qui publicè prædicant, & profitentur, & defendunt errorem, vel qui conuicti sūt per testes talia publicasse, & Glos. ad idem super cap. Ad abolendam §. Præsenti Ver. Deprehensus de hæret. Factis autem dignoscuntur Credentes hæreticorum; vt si hæreticis obseruantiam exhibuerint; communionem receperint, & similia, quæ ad eorum commodum pertinent, pertractauerint, & sermones eorum non tantum semel, & bis, sed frequentius audierint, & similia egerint, per quæ eorum animus, quod credant hæreticorum erroribus apud Iudicem per exteriora probabiliter conuincatur, ex factis enim præsumitur de affectu l. Dolum C. de dolo, cap. Qui viderit 32. q. 5. cap. Nuper de Bigamis. Nec refert, an quis voluntatem suam verbis exprimat, an factis l. Contra legem ff. de legi. & notatur 20. q. 1. cap. Quem progenitores, Immò magis standum est factis, quàm verbis, vt docet Christus Matt. cap. 21. illis verbis *Homo quidam habebat duos filios, &c.* quibus verbis declarat ex illis duobus priorem Patri obtemperasse, qui se ad vineam iturum negauerat, & tamen abiit, non posteriorem, qui Patris dicto verbis annuit, sed re vera non iuit. Et tandem omnes modos, quibus Credentes hæreticorum iudicari possunt, luculenter, & copiosè declarauit Concilium Narbonense cap. 29. non refero verba ne longior sim. Hinc sequitur, quod si quis semel, vel bis audit conciones hæreticorum, aut ad Congregationes eorum proficiscitur, non putatur credēs; nam ex vnico actu non insurgit credentia, cum non videatur approbari, quod postea euitatur arg. l. qui contra C. de Incest. Nup. cap. Constat 1. qu. 1. cap. Ex studijs de Præsumpt. quamuis multi Doctores putent aliquem posse dici credentem ex actu geminato, quia ex duplici actu crimen ad consuetudinem trahi videtur l. Nemo C. de Episcop. Audien. cum similibus. Ità Archid. Gemin. Io. And. & alij in cap. Quicunque §. Hęretici Ver. Credentes de hęretic. lib. 6. Zanchinus tract. de hęret. c. 3. nu. 6. Vers. Sed pone, Repertorium Inquisitorum Ver. Credentes §. Sed ponamus, & Nicol. Arelat. tract. De hęret. notab. 16. Sed id diligenter est animaduertendum, quoniam cum Credentes iudicentur hæretici, non videtur tutum ex geminato actu tantum crimen facilè præsumere præsertim si cum sępius potuerint frequentare, non frequentauerint. Et plurimum refert cognoscere, quo pacto hęc fiāt, nam si quis Catholicus in Terris hęreticorum existens semel, vel bis ad Conciones accedat hęreticorum, non iudicabitur credens iuxta pręfatam doctrinam. Si autem in Terris Catholicorum occulta ab hęreticis celebrentur conuenticula, & semel quis ad illa se conferret sine consensu Episcopi, vel Inquisitoris, haberetur pro Credente hęreticorum vel saltem non careret suspicione credentiæ, cum in hoc posteriori casu approbare videatur, quod poterat auertere, si Iudicibus ecclesiasticis indicasset. Patet etiam ex dictis, quod si quis est credens hæreticorum hoc modo, quia scilicet assentitur erroribus in communi hæreticorum, sed solo actu interiori, & hunc animum non declarat, nec patefacit aliquo signo exteriori, tunc non incurrit præsentem censuram, sicut diximus superius de hæreticis. Et hoc modo intelligitur quod sit primum genus credentium hæreticorum.

Quidam alij sunt credentes hæreticorum, de quibus non apparet manifestè, quod credant eorum erroribus, sed videntur credere verbis hæreticorum, iussionibus, & operibus, quia eorum dictis obediunt, & seruiunt; libros suscipiunt; victum, & cibaria deferunt, ducatum præbent; eos visitant & alia faciunt, in quibus de ritu hæreticorum nihil ostenditur, nec de eorum erroribus aliquid apparet, & tales non iudicantur credētes hæreticorum, nec tanquam hæretici sunt habendi, & consequenter non incidunt in excommunicationem. Nam hæc omnia fiunt interdum ex affectione carnali; nonnunquam precibus amicorum; aliquando pecunia interueniente. Verum non carent suspicione, vel vehementi, vel leui, secundum quod maiora, vel minora in eis inditia apparebunt. Hæc satis. Transeamus ad tertium genus personarum, primæ partis huius Canonis.

CAPVT IV.

Quod genus personarum significetur hac clausula Receptatores Hęreticorum.

EXcommunicantur tertio loco Receptatores hæreticorum, qui in duplici genere esse possunt.

Quidam, qui non semel, neque bis: sed pluries, & frequenter hæreticos recipiunt, & isti propriè secundum vim vocabuli dicuntur Receptatores à receptando, quod est verbum frequentatiuum, & inde dicitur receptaculum, domus, vel hospitium, in quo frequenter, & plu-

& pluries conuenitur, & tales Receptatores quandoque sunt sine culpa, puta si ignoranter faciunt, quia eorum errores nesciunt, nec aliquid sinistrum de eis vnquam audierunt, nec suspicati sunt. Aliquando sunt in culpa, quando eorum errores sciunt, & non ignorant, quod Ecclesia eos persequitur, & nihilominus latenter, & frequenter receptant, & tales propriè dicuntur, & sunt Receptatores hæreticorum, & de talibus loquuntur Iura, & isti sunt excommunicati in hoc Canone, & ante illum in cap. Excommunicamus 1. §. Credentes de Hæret.

Sed si ex ignorantia illud fecerint, excusantur, & propterea non incidunt in pœnas Receptatorum l. 1.C. de Deserto. Siman. Catholicarum Instit. tit. 15. num. 17. & alij, nemo enim dicitur in hac causa receptare, nisi scienter l. 1. ff. de Recepta. l. 1. & 2. ff. de off. Præsid. An verò Receptator teneatur probare ignorantiam, vel accusator eius scientiam, dubium est, Alphons. de Castro lib. 2. de Iusta Hæret. punit. cap. 17. censet Receptatorem debere se innocentem, & à culpa liberum ostendere, si per ignorantiam id fecerit. Alij, quos refert Simanchas lib. De Cathol. Inst. titul. 15. num. 18. putant id oneris tunc Receptatori incumbere quandocunque probabiliter creditur eorum, quos recepit, hæresim nouisse, & quia erat palam, & publicè notum eos esse hæreticos, & non erant amici, vicini consanguinei. Verius tamen est alleganti scientiam incumbere onus probandi, vt Bart. & alij in dicta l. 1. §. vlt. ff. de Recep. Siman. loco citato num. 18. 19. De ignorantia vero credetur Receptatori per suũ iuramentum. Id tamen non procederet, quoties hæreticus esset publicè denunciatus, & notorius, Tunc enim scientia præsumeretur in Receptante, non ignorantia, vt per citatos Auctores. Hinc sequitur Nautas, Caupones; Stabularios, qui non tenentur aduentantium mores perscrutari l. 1. ff. De Furt. aduer. Naut. Caupo. & Stabul. tunc demum teneri pœna Receptatorum, cum publicè damnatum, aut denunciatum hæreticum receptabunt. Quod si Receptatores huius primi generis credunt erroribus hæreticorum, & ipsi hæretici sunt, & vt tales excommunicati, si autem non credunt, suspecti tamen vehementer de tali hæresum credentia habendi sunt, & nihilominus excommunicati. Quidam alij sunt Receptatores Hæreticorum, qui non pluries, & frequenter; sed tantum semel, vel bis hæreticos receperunt, & isti propriè non dicuntur Receptatores, quia non frequentarunt; sed Receptatores, quia eos receperunt, quamuis Archid. in dicto cap. Quicunque de hæret. lib. 6. velit etiam hos appellari debere Receptatores. Sed quomodocunque vocentur, Aut sunt in culpa, puta quia bis, vel semel receperunt latenter, quos sciunt hæreticos esse, ne perueniant ad manus Iudicis Ecclesiastici, atque eo casu sunt innodati censura excommunicationis lata contra Receptatores, Corrad. Brunus lib. 1. de hæret. cpa. 4. Siman. Cathol. Instit. tit. 15. num. 14. & seq. Palud dist. 13. q. 3. Archid in cap. Quicunque de hæret. lib. 6. Silue. Ver. Hæresis 1. §. 10. Vers Receptator verò. Ratio huius dicti est, quoniam secundum Ius Ciuile, vt ex tex. citatis, & l. vlt. C. de his, qui la. occult. Qui aliquem latenter recipit, & celat, vt conseruatus manus Iudicis euadat, pœnam incurrit. Aut carent omni culpa, quia recipiunt ignoranter, & non sunt excõmunicati. Quare hoc locò non accipitur Receptator secundum Grammaticæ regulas, quatenus frequentiam dicit, sed secundum leges, & Iura, quibus Receptator, vel Receptor appellatur, qui clam excipit, & celat aliquem, vt manus Iudicis euadat.

Controuersia tamen est, An Consanguinei, Vxores, Amici, Fratres, Parentes, Filij, & similes personæ vinculo sanguinis coniunctæ, receptantes hæreticos tales incidant in pœnam excommunicationis. In minoribus quibusdam delictis non esse admodum seuerè in hos homines animaduertendum. Scribit Paulus Iurisconsultus l. 2. ff. De Receptato. in hæc verba, *Eos, apud quos affinis, vel cognatus latro conseruatus est, neque absoluendos, neque seuerè admodum puniendos, Non enim par est eorum delictum, & eorum, qui nihil ad se pertinentes latrones recipiunt.* Quam legem in Receptantibus consanguineos hæreticos propter immanitatem huius criminis nonnulli dixere non habere locum, & Repertorium Inquisitorum Ver. Receptatores §. Sed tamen si receptatus, & Paul. Grillandus Tract. De hæret. q. 9. num. 2. Alii vero dixerunt hanc legem habere locum etiam in Recipientibus consanguineos hæreticos, & alios Reos criminis læsæ Maiestatis, vt Zanchi. tract. de hæret. cap. 4. num. 3. & cap. 6. num. 3. Carrerius Tract. de Hæret. num. 167. Siman. Cathol. Instit. tit. 15. nu. 20. & 21. Hier. Gigas Tract. de Crim. læs. Maiest. lib. 3. tit. De Plu. & var. quæstion. q. 5. nu. 3. num. 3. Andr. Tiraqu. Tract. de Pœnis temperan. aut remitten. cau. 4. 20. & 21. Hæc secunda opinio est communior, quæ mitior est, & probabilior. Quare tria videntur dici posse ad hanc difficultatem. Primum, quod qui receptant Consanguineos hęreticos (quamuis mitius puniri debeant in foro exteriori) non tamen excusantur à tota pœna, vt multi ex citatis Auctoribus asserunt. Secundum est, quod tales Recipientes hæreticos, non quatenus hæreticos habita ratione hæresis formaliter, sed quatenus Fratres, vel Consanguineos, ita vt sint Receptatores hæreticorum materialiter, aut si semel tantum, vel rarò illis subueniant, vel succurrant in aliqua animæ, vel vitæ necessitate non incidunt in foro conscientiæ in hunc Canonem, vt inquit Caiet. Ver. Excommunicatio cap. 10. Neque vllus est textus, qui affirmet eum, qui fauet criminoso, non vt tali, sed vt Proximo, excommunicationem incurrere in foro conscientiæ, in quo sola veritas inspicitur capit. Tua de sponsal. legimus enim multos Reges Catholicos, & Christianæ fidei zelo ardentes, non modò sub vexillo suo bellorum tempore suscepisse Duces, & milites hæreticos, verùm etiam eisdem stipendia, & fauores præcipuos præstitisse, vtendo eorum viribus pro bóno prælij cum displicentia suarum hæresum, nec quispiam diceret illos Reges hanc ob causam excommunicatione fuisse innodatos. Tertium est, quidquid teneamus quoad alias poenas debitas Receptatoribus, tamen si loquamur de poena excommunicationis, quæ spiritualis est, & afficit animam, ratione cuius tutius est duriorem partem sequi, tales receptantes consanguineos hęreticos, vt liberent eos, nè capiantur à Curia Ecclesiastica, indigere absolutione ab excommunicatione huius Canonis; Nam, vt dixi in cap. 4. disp. 1. lib. 4. in re dubia existimandum est excommunicationem ligare, & quærenda est absolutio, quia in foro conscientiæ melius est præsumere delictum, quàm non delictum, vt concludit Petrus de Anehar. cons. 179. prima facie, quia in tali foro timenda est culpa, vbi non est culpa cap. Consiliũ De Obser. Ieiun. Felin. in cap. Dudum De Præsump. col. 5. Vnde Innoc. in cap. Ad audientiam De Homic. inquit, quod in foro animæ, quando res est dubia, debet quis præsumere se Irregularem.

Quæret aliquis, An si quis hæreticum excipiat me-

tu mortis, pœnam excommunicationis incurrat.

Respondeo nó incurrere, Nam (vt alias dictum est) leges humanę conscientiam non obstringunt cum certo, & probabili vitæ discrimine, & qui metu mortis hęreticum recipit, non tanquam hæreticum recipit, sed vt vitam suam tueatur, & seruet. Progrediamur iam ad quartum genus personarum, quę excómunicantur.

CAPVT V.

Qui vocentur Fautores, & Defensores Hæreticorum *ad incurrendam hanc excommunicationem.*

POstrema clausula in hac prima parte huius Canonis in ordine ad Hæreticos complectitur fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, & sunt etiam excommunicati Iure communi cap. Excommunicamus 1. De Hęret. cap. Nouerit De Sent. Excom. Clem. Romani §. Porrò De Iure Iur. cap. Inquisitionis §. Prohibemus De Hæret. Qui fautores, & defensores possunt esse duplicis generis.

Quidam qui publica funguntur auctoritate; Vt Domini temporales, & eorum officiales, & tales possunt fauere Hæreticis duobus modis. Interdum omittendo, nonnunquam committendo, vt docent Archid. in cap. Quicunque De hæret. lib. 6. Palud. in 4. dist. 13. q. 3. Silue. V. Hæresis 1. §. 10. omittendo quidem ea facere circa hæreticos, ad quæ ex eorum officio obligantur, cũ tamèn ab Episcopis, vel Inquisitoribus requiruntur, vt potè si eos non capiant, vel captos diligenter non custodiant, vt tenentur cap. Ad abolendam, & cap. Excommunicamus 1. De hæret. Et probatur cap. Qui potest 23. q. 3. & cap. Qui vitiis q. 5. & c. Præterea q. 8. Qui enim crimina cum potest emendare, non corrigit, ipse committit cap. Error 83. dist. & qui vitiis nutriendis parcit, & fauet, nè contristet peccantium voluntatem, non tàm est misericors, vt inquit B. Aug. ad Lotharium, quàm qui non vult cultrum rapere puero, nè videat eum plorantem, & non timet, nè vulneratum doleat, vel extinctum. Qui igitur potestate, & iurisdictione funguntur, fauent hæreticis omittendo, quando auctoritate sua possunt eos compescere, & negligunt. Committendo verò, si captos huiusmodi absque Episcopi, vel Inquisitoris licẽtia è carcere liberent, vel iudicium, aut sententiam directè, vel indirectè impediant, & similia peragant, vt patet cap. Inquisitionis §. Prohibemus De hæret. Omnes isti dicuntur fautores hęreticorum, & sunt excommunicati in hoc Canone; Immò, si per annum durauerint animo pertinaci, condemnantur tanquàm hęretici, vt clarè patet in citato cap. Quidam. Alij sunt fautores hęreticorum, qui non sunt publicæ personæ, sed priuatę, & isti non dicuntur fautores hæreticorum ex sola omissione; Vnde si hęreticos non capiant, vel non custodiant, non dicuntur fauere, nec fautores esse, etiamsi requisiti non faciant, quia non tenentur l. Non est singulis ff. De Reg. Iur. cap. Si de arça. 26. quæst. 2. & consequenter non sunt excommunicati; Dissimilis enim hominum conditio, & status diuersam causam constituit. Propterea Magistratus sola omissione dicuntur fautores, quia non carent scrupulo occultę societatis, qui manifesto facinori desunt obuiare, cum possunt. Priuati autèm homines generaliter propterea ex omissione non censentur hęreticorum fautores, quia non incumbit eis ex officio hęreticos capere, aut extirpare.

Regulariter itaque priuatę personę non dicuntur fautores hæreticorum sola omissione. Sed hęc Regu-

A la interdum patitur exceptionem, & indiget declaratione. Nàm vbi priuatus aliquo obligationis titulo est obstrictus ad indicandos, vel comprehendendos hæreticos, si id omiserit, habendus erit tanquam hæreticorum fautor, Vt si quis Iureiurando promiserat indicare hęreticos, si postea celet, censetur fautor cap. Si quis verò, & cap. Quisquis 11. q. 3. Facit l. Solent ff. De Præscript. Verb. Rursus si à Prælato aliquid fuerit iniunctum priuato aduersus hæreticos, e. g. si requisitus ad præstandum auxilium ad capiendos Hæreticos in casibus, in quibus tenetur, De quibus Silue. Hæresis 2. §. 3. & sine causa non impeditus nolit adiuuare Officiales, erit fautor, Turrecre. in Sum. Eccles. lib. 4. par. 2. cap. 21. Repertorium Inquisitorum Ver. Fautores
B §. 1. Siman. Cathol. Instit. tit. 15. num. 13. Conrad. Brunus lib. 1. De Hæret. cap. 4.

Præterea priuatæ personæ fautores Hæreticorum dici possunt ex omissione denunciandi hæreticos, cum omnes sub pœna excommunicationis hęreticos etiam occultos denunciare Episcopis, seu Inquisitoribus, ac (si necesse quoque fuerit) accusare teneantur; est enim peccatum, quod communi bono Christianæ Reipub. aduersatur, & quo Religio Catholica perturbatur. B. Thom. 2. 2. q. 68. art. 1. & ibi Caiet. Alex. Alens. 3. part. q. 42. Sot. lib. 5. De Iust. & iur. q. 5. art. 1. Conrad. Brunus lib. 1. de hæret. cap. 7. Alphon. à Castro lib. 2. De Iust. hęret. punit. cap. 25. Siman. Cathol. Instit. tit. 19. num. 10. & seq. nisi propter metum, aut obliuio-
C nem, vel aliam probabilem causam quis denunciationem omittat absque fautoriæ suspicione; nam e. g. Si sola Vxor sciat maritum diebus prohibitis vesci carnibus, aut alia hæreticorum propria cómittere, eumq; terribilem cognoscat, ac crudelem, qui facilè eam, aut interimeret, aut malè tractaret, si Iudici ecclesiastico eum denunciaret; talis verisimiliter fautrix hæreticorum non est dicenda, nec ob eam causam excómunicata, quare maximè sunt singulæ circumstantiæ ponderandæ. Modi autem particulares, quibus fautores hæreticorum dici possunt, enumerantur à Turrecrem. lib. 4. De Ecclesia par. 2. cap. 21. & luculenter à Concilio Narbonensi cap. 14. 15. & 16.

Omnes igitur fautores hæreticorum excommunic.
D in Bulla Cœnæ, & erant etiam antea excommunicati, vt diximus iure communi. His explicatis de Fautoribus transeamus ad Defensores.

Defensores Hæreticorum sunt in duplici genere. Aliqui sunt Defensores, qui defendunt eorum errores, & hi peiores sunt, & magis damnati, quàm illi, qui errant; nec solum hæretici sunt habendi, sed Hæresiarchæ vocandi, vt patet cap. Qui aliorum 24. q. 3. Et de his defensoribus non est intelligendus Canon Bullæ, quia isti ab Hæreticis non distinguuntur, de quibus loquitur cap. Ad Abolendam §. Præsenti de hæret. Alij sunt Defensores, qui non defendunt errores, sed personam errantem; nempè illi, qui viribus, & potentia resistunt, nè Hæretici ad manus Iudicis Ecclesiastici per-
E ueniant examinandi, vel puniendi, & tales sunt excommunicati in hac Bulla, & in cap. Excommunicamus citato. Hoc autem contingere potest multis modis, quos tradit Zanchin. Tract. de hæret. cap. 4. Simanch. Cathol. Instit. tit. 15. num. 9. & Repertorium Inquisitorum Ver. Defensores §. 1. nam & cum armis, & sine armis potest quis defendere hæreticum, potest & clamoribus, monendo illum, vt fugiat; potest defendere illum in Iudicio, & extra iudicium, & (vt vno verbo dicam) Quicunque officium Inquisitionis quacunque ratione impediunt, hęreticorum defensores dici possunt.

sunt. Et pius V. Pontifex Maximus in Rescripto quodam incipiente si de protegendis, quod est impressum in Bullario literarum Apostolicarum; in hæreticorum defensores statuit etiam alias grauissimas pœnas. Tales autem Defensores non sunt hæretici, quia errorem non defendunt arg. cap. Damnamus de Sum. Trini. & Fid. Cathol. sed suspecti de erroribus hæreticorum, vehementer, vel leuiter secundum defensionem, quam faciunt, & debent abiurare iuxta cap. Accusatus de hæretic. lib. 6. Archid. in cap. Quicunque super Verbo Defensores de hæret. lib. 6.

Sed notanda sunt quædam ad intelligentiam eorum, quæ dicta sunt.

Primò loco maximè notandum est ad hoc, vt quis dicatur hæretici Defensor, vel Fautor ad eum finem, vt incidat in censuram huius Canonis, requiri, vt inquit Caietanus in cap. 1. Vt defendat hæreticum, quatenus hæreticum, & non sub alia ratione, vnde si Aduocatus patrocinium præstet hæretico in Iudicio ad defensionem causæ, quam habet cum alio, non erit excommunicatus, quia hæreticus non habet litem, vt hæreticus. Similiter si hæretico ægroto medicus opem ferat, non est excommunicatus, quia non est ægrotus vt hæreticus. Idem probat Nauar. num. 55. argum. l. In delictis §. si detracta ff. De Noxa. Tenetur enim quis hæretico egenti subuenire arg. cap. Pasce 86. dist. Immò potest aliquis (licèt non teneatur) hæretico non constituto in extrema necessitate subuenire, quatenus homo, vt eleganter declarat B. Aug. Psal. 32. & refertur cap. Duo ista nomina 23. quæst. 4. Vbi ait *Duo ista nomina Homo, Peccator non frustra dicuntur, quia peccator est, corripe, quia Homo est, miserere*, & post multa concludit, *Non ergo suscipiamus peccatores propterea quod sunt peccatores, sed tamen eos ipsos, quia homines sunt, humana consideratione tractemus*. Idem quoque ratione confirmari potest, excommunicatio huius Canonis primò, & directè fertur in odium & pœnam hæreticę prauitatis, Secundariò in Credentes, Receptatores, Fautores, & Defensores hęreticorum, ergo sicut in hęreticos fertur ratione hęresis, ita quoque extenditur ad prænominatos sub eadem ratione.

Sed postulabit aliquis, An sola illa subuentio, qua Proximus succurrit hęretico extra casum necessitatis in iis quę necessaria sunt ad sustentandam naturam, sit sufficiens causa, vt incurratur hęc excõmunicatio.

Respondeo quod in foro exteriori seclusa necessitate naturæ facilè præsumitur quis defensor hæretici, vt hæreticus est, si illum adiuuet, & defendat, nisi ex aliis circunstantijs probabiliter excusari valeat. Simpliciter tamen in foro conscientiæ non erit vniuersaliter verum, vt quoties aliquis extra casum necessitatis fauet hæretico, id faciat in ordine ad hæresim, & semper sit innodatus hac excommunicatione, fieri enim potest, vt quis exhibeat officium aliquod liberalitatis erga hæreticum, & tali communicatione peccet, & fit etiam excommunicatus saltèm excommunicatione minori, neque tamen maneat alligatus vinculo huius excommunicationis.

Vt hoc intelligamus, oportet considerare in persona hæretici præter rationem necessitatis duplicem aliam rationem, nempe quod hæreticus est, & quod est excommunicatus. Si communicet quis cum hæretico fauendo, & adiuuando illum, non tamen in ordine ad hæresim, peccat quidem, si sit denunciatus, quia communicat cum excommunicato contra præceptum Ecclesiæ, & erit excommunicatus saltem excommunicatione minori, si non sit communicatio in diuinis, sed non erit innodatus excommunicatione huius Canonis, quam incurrit solus ille, qui communicat cum hæretico, fauendo, & defendendo illum, vt hæreticus est, nè tanquam talis capiatur, & puniatur, vt explicaui, & ad incurrendam hanc excommunicationem non opus est, vt hæreticus sit denunciatus, & declaratus, sed satis est, vt constet de hæresi.

Notandum secundo posse aliquem defendere alium de hæresi accusatum, nec innodari excommunicatione, quando res dubia est, An sit hæreticus: sed vbi verè sciat illum esse hæreticum, debet cessare ab eius defensione, aliàs esset excommunicatus.

Notandum tertio quod si quis defenderet hæreticum ab iniuria, vel violentia, quam ei conferret etiam tanquam hæretico alia priuata persona, non incideret in censuram excommunicationis. Et ratio est, quia nõ pertinet ad priuatam personam punire hæreticum, secus vero si defenderet eum à persona publica, Ang. hæresis 1. num. 23. Silue. hæresis 1. §. 30.

Notandum quarto in hoc Canone Bullæ apponi nomen Defensoris, vt genericum ad includendum omnes eos, qui quocunque modo patrocinantur in causa hæresis, ideo postquam dixit Credentes, Receptatores, & Fautores hæreticorum addit, *Et generaliter quoslibet illorum defensores*, nàm dictio vniuersalis quicunque, vel quilibet singulos comprehendit, vt notat Glos. Ver. Dicebat, cap. Quicunque de sent. excomm. lib. 6. Et id verum est regulariter, licèt quandoque signum vniuersale ponatur pro particulari 1. qu. 7. Si quis omnem 15. q. 1. cap. Mulier.

Sed quæret aliquis, An si Iudex secularis sciens aliquem esse innocentem, quem Inquisitores iustè secundum allegata, & probata tradunt illi plectendum pœna mortis, & comburendum, debeat hanc sententiam exequi.

Respondeo, & dico primò hunc Iudicem debere omnem viam tentare, & modum experiri, vt illius innocentia probetur, & detegatur.

Dico secundo si innocentia non potest probari, tenetur rem totam aperire Inquisitori, & Iudici Ecclesiastico.

Dico tertiò si his peractis, & omni adhibita diligentia adhuc præcipiatur ei ab Inquisitore, vt sententiam latam executioni tradat, parere debere omninò, vt merus iustitiæ executor, vt fusius explicaui in capit. 4. disp. 5. lib. 3. Et de prima parte huius primi Canonis satis.

CAPVT VI.

De Excommunicatione lata contra legentes libros Hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes, Verba Canonis sunt Ac eorundem libros hæresim continentes, &c.

HÆc est secunda pars huius primi Canonis, in qua primo fertur excommunicatio contra legentes libros hæreticorum hæresim continẽtes, vel de Religione tractantes, quibus verbis intelligimus non prohiberi sub pœna excommunicationis lectionem omnium librorum hæreticorum in genere, sed tantum illorum librorum, qui hæresim continent, aut de Religione tractant.

Quare ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur primò, vt Auctor libri qui legitur, sit hæreticus, Secundò, vt liber contineat hæresim, aut tractet de Religione. Quare si auctor esset hæreticus, & liber non contineret hæresim, neque tractaret de Religione,

gione, legendo non incurritur excommunicatio Bullæ, sufficit autem ad incurrendam excommunicationem, vt vnus tantum error in toto libro contineatur, immo deleto etiam illo errore legi non potest, quia absolutè prohibetur; Tertio necesse est, vt scienter talis liber legatur, si ergo quis legat librum alicuius hæretici ignorāter nesciens esse ab hæretico descriptum, non erit excommunicatus, quia ignorantes non afficiuntur pœna l. Generali C. De Tabula. lib. 10. l. Barbarius ff. De off. Præt.

Ex his colligi potest differre hanc excommunicationem Bullæ latam contra legentes libros hęreticorum ab excommunicatinne cōtra eosdem pronunciata à Pio IV. quæ habetur in Indice librorum prohibitorum Conc. Trid. per Clementem VIII. confirmato Reg. 10. circa finem sub hac forma verborum, *Quod si quis libros hæreticorum, vel cuiusuis auctoris scripta ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atq; prohibita legerit, seu habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat. Qui verò libros alia nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter pecenti mortalis reatum quo afficitur, indicio Episcoporum seuerè puniatur.*

Differunt autem in multis. Primò quia excommunicatio Bullæ includit eum solum, qui legit libros hęreticorum, qui continent hæresim, vel agunt de Religione. Sic requirit duas cōditiones, vt Auctor sit hęreticus, & liber cōtineat hęresim, vel agat de Religione.

Sed excommunicatio Indicis comprehēdit omnes legentes libros hæreticorū, quāuis libri neq; hæresim contineant, nec de Religione tractēt. Et præterea includit omnes legentes libros aliorū Auctorū, qoi non sunt hæretici, sed Catholici, si libri dānati sint propter hæresim, vel prohibiti ob suspicionem falsi dogmatis.

Idem quoque legitur in Bulla Pij IV. initio eiusdē Indicis apposita incipiente Dominici Gregis. Quare pro excommunicatione Indicis sufficit, vt liber sit alicuius hæretici, licet non cōtineat hæresim, vel si liber sit auctoris Catholici, satis est, vt sit damnatus propter hæresim, vel propter suspicionem falsi dogmatis.

Secundo, absolotio ab excommunicatione Bullæ reseruatur Romano Pontifici; at escommunicatio Indicis nemine reseruatur.

Tertio in Indice permittuntur libri hæreticorū de Religione non tractantes habita licētia ab Ordinario & Inquisitore, sed iu Bulla Cœnæ requiritur licentia à Papa, & ita etiam sanciuit Summus Pontifex Iulius III. in Rescripto, quod incipit, cum meditatio cordis.

Quarto in Indice excommunicantur illi, qui legūt, vel habent libros hæreticorum, at in Bulla vltra hos adduntur Imprimentes, & quomodolibet Defendentes. Sapientissime aotem Summi Pontifices in huiusmodi legentes, & retinentes libros hęreticorum excōmunicationis cēsura animaduertere voluerunt, quia plus nocent libri hæreticorū erronei, quam anctores scissi, cū a plures libri perueniant, multo ergo magis cēseri debent cum anctoribus dānati iuxta illud axioma, quod desumitur ex c. Fraternitatis de Hæret. Dānato auctore tanquā hæretico libri eius damnati censentur, quod verissimum est etiam, si libri hæreticorū multa bona continerent, ita Host. in dicto c. Fraternitatis. Et ratio est, quoniam periculum est non leue, ne inter vtilia hæresis lateat, cum hæreticorum mos sit multa bona miscere, vt falsa facilius persuadeant, Ideo B. Greg. lib. 5. Moral. inquit *Habent quippe hoc hæretici proprium, vt malis bona permisceant, quatenus facile sensui audientis alludant, si enim semper praua dicerēt, citius in sua prauitate cogniti, quod vellent, minime persua*

A *derent. Rursus si semper recta sentirent, profecto, hæretici non fuissent, sed dum fallendi arte ad vtraq; deseruiunt, & ex malis bona conficiunt, & ex bonis mala, vt recipiantur abscondunt.* Hæc ille. Idem docuit Turrecr. in c. Sācta 15. dist. & Conrhad. Bru. lib. 1. de Hæret. c. 6. Hinc apparet frustra laborare in extirpandis hæresibus sanctos Episcopos, nisi, vnde semel scaturijt fœtulenta errorū colluuies, fons penitus obstruatur. Et idcirco vetus fuit S. Hyeron. querela in Isa. lib. 18. c. 64. Vbi de Priscilianistis Hispanias labefactātibus libris apocryphis loquens inquit *Et per hanc occasionem, multasque huiusmodi Hispaniarum, & Lusitaniæ deceptæ sunt Mulierculæ oneratæ peccatis, quæ ducūtur desiderijs varijs etc.* Ex his plane considerent, qui præsunt Ecclesijs sacri

B Antistites, quanto periculo peruulgari sinant libros, qui offensam inferunt Catholicæ disciplinæ.

Hæc prohibitio de legendis hæreticorum libris nō comprehendit Inquisitores hæreticæ prauitatis, nec eorū substitutos, vt cauit Iolius III. in citato Rescripto cum meditatio. Non licet autem Episcopis perinde ac Inquisitoribus damnatos libros legere, nisi à Sūmo Pontifice specialem habeāt facultatem, quoniam præfatus Iulius III. reuocat omnes licentias, & facultates legendi, & tenendi libros hęreticos, seu de fide suspectos quibusuis personis cuiuscūq; status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus concessas, etiāsi Episcopali, vel Archiepiscopali, aut alia maiori dignitate Ecclesiastica, seu sęculari præeminentia præful-

C geāt (Inquisitoribus, seu Commissarijs super hæretica prauitate ab Apostolica Sede pro tempore deputatis durāte ipsa deputatione duntaxat, exceptis &c.) Hoc idē statutum fuit per Bullam à Paulo IV. quæ incipit cum io futurorū, & per aliā à Pio IV. editam, cuius initiū est cum pro munere. Quare hæc prohibitio cōprehendit etiam Episcopos, & excipit solum Inquisitores & eorum Commissarios, illos scilicet, qui auctoritate Apostolica sunt creati, non eos, quos sibi Inquisitores substituunt, quia hi non videntor posse vti hoc priuilegio iuxta doctrinā Bart. in l. filius ff. de leg. Quare Inquisitores non possunt concedere facultatē alijs legēdi libros semel damnatos, quam ipsi habent, quia Romanus Pontifex videtur specialiter sibi illā reseruasse

D Glo. commoniter recepta in cap. Excommunicamus Ver. Apostolicæ de Hæret. Idque videtur expresse sancitum in hoc primo Canone Bullæ Cœnæ illis verbis *Sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legentes*, & à Iulio III. in illo Rescripto, cum meditatio.

Legentes igitur libros Hæreticorum hæresim continentes sine auctoritate Sedis Apostolicæ sunt innodati excommunicatione Bullæ, qua obstricti sunt etiā legentes libros hæreticorum de Religione tractantes, etiamsi hæresim non contineant.

Aliorum librorū lectio non est dānata sub pœna excommunicationis, licet prohibeatur sub alijs pœnis, nā in Regula secunda Indicis libri Hæresiarcharū, illorū scilicet, qui Duces hęreticorū fuerunt cuiuscunq;

E nominis, tituli, aut argumenti existant, omnino prohibentur. Aliorū hæreticorum libri, qui de Religione ex professo tractant, vetit sunt. Si vero non tractent de Religione, examinati, & approbati à Catholicis Theologis iussu Episcoporū, & Inquisitorum permittūtur.

Alij libri catholice conscripti tam ab illis, qoi postea in hæresim lapsi sunt, quàm ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiæ gremium redierunt, approbati ab aliqua Vniuersitate Theologorum, vel ab Inquisitore generali possunt concedi.

Sed difficultas est, qui libri vocari debeant de Reli.

gione tractantes, vt sciamus, in quibus casibus ex lectione huiusmodi librorũ incurratur excõmunicatio.

Respõdendũ est tria posse dari genera librorũ ad Religionẽ spectantiũ, seu de rebus Religionis tractantiũ.

In primo genere sunt libri Canonici, qui ab Ecclesia recipiuntur ad ædificationem fidelium, ex quibus sumitur efficax argumentum ad probandum ea, quæ fidei sunt, scripta Deo immediatè inspirante, & manum, calamumq; diuinorũ scriptorum in singulis etiã minimis adtemperante, B. Aug. lib. 11. cap. 3. De Ciuit. Dei ait, Deum scripturam condidisse, quæ canonica nominatur eminentissimę auctoritatis, cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare nõ expedit, nec per nos ipsas nosse idonei sumus. Idem Aug. lib. Confess. cap. 15. & Epistola 7. ad Marcellinum, & Epistola 19. ad Hieron. contra Donatistas cap. 3. Io. Echius in Enchiridio cap. 1. Driedon. lib. 1. c. 1. & lib. 4. c. 4. De dogmat. Eccles. Alphon. à Castro lib. 1. aduersus hæreses cap. 5. Melchior Canus lib. 2. De locis Theologicis cap. 1. 6. 7. & 8. Couar. lib. 4. cap. 14. Variar. Resol. Quot sint autem libri Canonici, quorum nonnullos impudenter Hæretici impugnant, ponit Conc. Trid. sess. 4. in decreto De Canonicis scripturis. Alij sunt libri, quos Theologi Agiographos in Ecclesia vocant, quos eadem Ecclesia approbauit, vt publicè quidem ad ædificationem fidelium, moresq; componendos legerentur, non tamen habent firmam fidem, & indubitatam auctoritatem, & hos enumerat Gelasius Papa in 2. par. sui Decreti c. Sancta Romana 15. dist. Iuo Carnotensis par. 4. cap. 64. & de his videtur loqui B. Aug. lib. 18. cap. 38. De Ciuitate Dei, & plenè agit Couar. lib. 4. Var. Res. c. 16. Et in hoc genere librorum reponuntur Sanctorum Patrũ scripta, vt Aug. Hieronymi, Ambrosij, Chrisostomi, & cæterorum tam Græcorum, quàm Latinorum, quorum insignis probitas, & eruditio cum sanctitate cõiuncta valde emicat in Ecclesia Dei. Et quanta sit eorum auctoritas, ostendit copiosè Melchior Canus lib. 7. De locis Theologicis. Reperiuntur alij libri tertij generis, quos Doctores vocant Apochryphos, de quibus Driedon. lib. 1. De Dogma. Eccles. cap. 4. & lib. 4. cap. 1. & Couar. eod. lib. 4. cap. 17. Multis tamen modis liber apocryphus dici potest. Primum quando eius auctor est incognitus, quamuis nihil contrarium fidei contineat, Glo. in Sum. 16. dist. Adhuc quando extra Canunẽ fertur, hũc enim vocat Hieron. Apocryphum in prologo in libros Regum. Magis tamen propriè Apocryphus liber accipitur duobus modis ex Gelasio in dicto c. Sancta Romana. Altero modo ille, qui ab Hæreticis conscriptus est aduersus fidẽ Catholicam, & verius appellari potest hęreticus, vt rectè admonet Couar. loco citato. Altero modo ille liber, qui leuissimam habet auctoritatem, qui à Doctoribus sanctis non sit approbatus expressè, nec reiectus, & habeat multa falsa permixta veris, vt benè explicat Melchior Canus de locis Teolog. lib. 11. c. 6. Vers. Prima lex circa finem. Existimo in Bulla hæc clausula librorum de Religione tractantium significari, omnes libros in genere ab Hæreticis cõpositos, qui pertinent ad expositionẽ fidei Christianę, & Religionis Catholicæ. Quare comprehendũtur illi libri, quibus diuina scriptura explicatur; etiam illi, qui pertinẽt ad Theologiam Scholasticam. Excluduntur vero libri, qui ex professo res Philosophicas tractãt, vel spectant ad alias doctrinas, & facultates inferiores, aut cõtinentes historiam. Qui legerit libros prioris generis, erit excõmunicatus, secus si legat alios posterioris generis, dummodo in il-

A lis non reperiatur inclusa hæresis aliqua. Et quia hac in re imminet periculum incurrendi excommunicationem, idcirco tutius est semper in casibus ambiguis in quibus subesse potest suspicio aliqua, consulere Episcopum, & Inquisitorem.

Sed occurrunt nonnullæ dubitationes discutiendæ circa hanc excommunicationem latam contra legentes libros Hæreticorum.

Primo dubitare posset quis merito, postquam interdictum est sub anathemate, ne quis legat libros hæreticorũ, an incidat in hanc excõmunicationem, qui legit expressas hæreses relatas in libris Catholicorum, in quibus aliquid contra fidẽ, vel Religionẽ doceatur.

Respondeo cum Nau. in Manu. c. 27. n. 56. non inci-
B dere in hanc excommunicationẽ, quoniã non legit libros hæreticorũ, quamuis principaliter legeret illas hæreses, vt illas addisceret, & vt sciret rationes hæreticorum, sicut non incideret audiendo easdem relatas voce ab alio. Idẽ affirmant Simanc. de Cath. instit. tit. 15. n. 5. Conrhad. Bru. lib. 1. de Hær. c. 4. Turrecr. lib. 4. Summ. par. 2. c. 21. Neq; ead. ratione, siquis legeret libros Catholicorũ, qui adiunctas haberent annotationes hęreticorũ, esset excõmunicatus excõmunicatione Bullæ, quamuis, vt inquit Nauar. incidere posset in censuras à Pio IV. latas in Bulla Indicis, maximè ob eam clausulam, quæ ibi apponitur, *Vel cuiusuis auctoris scripta propter hæresim, vel falsi Dogmatis suspicionem damnata legerit.* Hoc dictum Nau. videtur esse
C intelligẽdum, nisi tales annotationes, & scholia essent adeo copiosa, vt potius liber videretur ex illis constare, quam ex textu, tunc enim ex illorum lectione, si continerent hæresim, vel de Religione tractarent, incurritur hæc excommunicatio.

Secundo dubitari potest, an qui alterius iussu volẽtis scire quid contineatur in libro alicuius hæretici, in quo hæreses cõtinentur, vel de Religione tractatur, legit prædictum librum, quem talem esse nouit, hac excommunicatione afficiatur, puta an famulus, qui Domino præcipiente legit huiusmodi librum, incidat in excommunicationem.

Respondeo re vera incidere, quia licet iussu Domini legat, tamen scienter legit librum hominis hæreti-
D ci hæreses continentem, vel de Religione tractantem.

Sed an Dominus huiusmodi lectionem iubens ead. excommunicatione obstringatur, cum ipse non legat, & prohibetur lectio, & cum sit prohibitio pœnalis, non est extendenda.

Respondeo Dominum quoque prędicta excommunicatione ligari, quia, etsi per se ipsum non legat, legit tamen per famulum, cuius opera, & ministerio vtitur in eius libri lectione. Quare non contrahit excommunicationem ex eo, quod famulum legentem, audiat sed quia per famulum legit, quod perinde est omnino, ac si ipsemet legeret.

Si contra obijcias excommunicatio lata contra fauentem non comprehendit Mandantem vt probaui
E in Disp. 2. cap. 2. lib. 3. ergo excommunicatio lata contra legentem librum hæreticum non afficit eum qui mandat alieni vt illum legat.

Respondeo non innodari excommunicatione illum qui iubet alteri vt legat librum hæreticum ratione mandati, sed quia ipse legit per alium, nam legere propriè significat colligere, hinc atque illinc decerpere Virg. 3. Eglo. Quis legitis flores & humi nascentia fraga, vnde quando oculis scripta percurrimus, legimus, quia oculis litteras colligere videmur, & si alium legentem audimus, auribus colligimus quæ di-

cuntur

cuntur quamobrem quando quis, iubet vt alius legat librum Hæreticum, & ipse audit & colligit quæ ab Hæretico scripta sunt in libro, vere ipse dicitur legere per alium, librum hæreticum, & idcirco incidit in excommunicationem non quia mandat, sed quoniam ipse legit. A

Hinc fit, vt cæteri, qui solum audiunt, non tamen librum legendum curarunt, in excommunicationem minime incurrant, cum nec per se, nec per alium legant.

Tertio dubitatur, an Catholici, qui in Anglia, Germania, Polonia, Gallia, & alijs locis similibus legunt libros hæreticorum continentes hære es, vel de Religione tractantes, incidant in excommunicationem, si legerint studio cognoscẽdi, & cõfutandi eorũ errores. B

Respondeo hanc quęstionem ex alia pendere, nempe an Bulla in Cœna Domini in ijs Prouincijs locum, & vim habeat, Nam aliquorum opinio est hanc constitutionem non esse vbique receptam, quia nec vbiq; promulgatur, nec vsu, aut iore communi confirmata est. Quidquid sit de hac constitutione, de qua pertractaui in cap. 6. Disp. 1. hoc certum esse debet, in quibuscunque locis Bulla Cœnæ recepta est, tales Catholicos affici huiusmodi excommunicatione. Nec studium, & voluntas ipsorum in defendenda Religione contra hæreticos illos excusat.

Sed postulabit aliquis, an in dictis Prouincijs, in quibus Catholici cum hæreticis promiscuè commorantur, & viuunt, liceat Episcopo facultatem concedere legendi libros hæreticorum hæreses continentes vel de Religione tractantes, vel saltem sacri Inquisitores possint hanc facultatem impertiri. C

Respondeo Episcopum hanc licentiam dare non posse, quoniam Iulius Tertius (vt diximus) in dicta Bulla, quæ incipit cum meditatio, id prohibet, & Inferior ius non habet in ijs, quæ Superioris decreto sancita sunt. Hoc idem asserendum est de Inquisitoribus, neque enim Inquisitores (vt sæpius monebam in hoc eodem capite) possunt hanc licentiam concedere, quando libri continent hæreses, aut de fide, vel Religione tractant, quoniam per eandem constitutionem Iulij Tertij eis denegatur huiusmodi potestas, sed alij libri hæreticorum, qui nihil prorsus de fide, & Religione ex instituto disserunt, nec hæreses cotinent, aut qui conscripti sont ab ipsis hæreticis eo tempore, quo Catholici erant, recteque de fide sentiebant, vel postquam resipuerunt, & ad Ecclesiæ gremium sunt reuersi, examinati diligenter, & approbati ab Inquisitoribus Iure permittuntur iuxta Regulam secundam Indicis librorum prohibitorum editi à Pio IV. & à Clemente Octauo confirmati. D

Rursus postulabit quis, an qui accepit licentiam legendi libros illos hæreticorũ, qui permitti possunt, valeat propria auctoritate, quæ in ijs libris deptauata offendit, corrigere, & expungere.

Respondeo eos libros permitti non posse, nisi prius sint examinati, & expurgati auctoritate Inquisitorum & Episcoporum, quod si contigerit aliquem locum non esse expurgatum, tutius est, vt si liber ad Inquisitores deferatur, aut saltem deleatur iuxta legitimam factam expurgationem locorum similium, & in Indice edito à Clemente quædam habentur tit. De Correctione librorum, quæ obseruanda sunt circa correctionem librorum prohibitorum. E

Tertio petet quis, an propria hæreticorum nomina expungi, & deleri debeant ex ijs libris, qui legi permittuntur.

Respondeo vsu receptum esse, vt omnino deleantur, nisi in libris Catholicorum Hæretici nominentur per ignorantiam, & contemptum, vt confutentur praua eorum Dogmata.

Quarta dubitatio principalis esse potest, an dentur aliquæ causæ conditiones, vel circumstantiæ, quæ possint excusare ab excommunicatione Bullæ legentes libros hæreticorum.

Respondeo aliquando ob aliquas causas ex lectione librorum hæreticorum non incurri excommunicationem, & id tunc erit, quando quis ob talem lectionem excusatur à peccato mortali, cum excommunicatio non possit ferri, nisi ob peccatum mortale. Quamobrem primo excusare potest ignorantia, vt si quis nesciat auctorem libri, vel si sciat auctorem, ignorat illum esse hæreticum, vel nescit librum continere hæresim, aut tractare de Religione, tunc, quia ignorantia excusat à peccato, quando est probabilis, excusabit etiam ab excommunicatione, maxime cum in Bulla apponatur dictio illa *scienter* excipitur igitur ignorantia. Secundo excusat paruitas materiæ, vt si quis etiam scienter, & aduertenter parum legerit. Ratio est, quia paruitas materiæ excusat etiam à peccatis in præceptis diuinis.

Petes, quantum possit sine peccato mortali legi, & consequenter absque pœna eccommunicationis.

Respondeo certum esse dari paruam aliquam quãtitatem, quæ potest legi sine peccato mortali vt est vna vel altera linea, similiter certum esse dari magnã qoantitatem quæ non potest legi sine peccato mortali, vt est pars notabilis, vt sunt plura folia, sed determinare certam, & definitam quantitatem, quando incipiat esse peccatum mortale, incertum esse, quare standum est iudicio morali prudentis viri. Consulerem ego, quando quis dubitaret, an post lectionem inciderit in excommunicationem ratione quantitatis, vt tunc interrogaret viros bonos, & doctos, & si duo, vel tres iudicarent non esse peccatum mortale, deberet acquiescere eorum sententię, sed si non posset consciẽtiam placare, tunc eligat partem tutiorem, quæ in dubio in ijs, quæ spectant ad salutem animæ, amplectenda est, & petat absolutionem à Pontifice.

Quinto dubitari potest, an qui legit libros Magorum, etiamsi hæretici non sint, incidat in hanc excommunicationem nam in Bulla Cœnæ tempore Pij V. hic casus exprimebatur.

Respondeo tempore Gregor. XIII. & aliorum, qui successere, Pontificum hanc excommonicationem legentium, & tenentium libros Magorum fuisse sublatam à Bulla Cœnæ, & omissam nihil de ea statuentes Summi Pontifices, idcirco modo ex hac lectione non incurritur hæc excommunicatio, sed Pius V. hanc excommunicationem contra legentes, & habentes libros Magorum, licet hæretici non essent, reponebat in Bulla, quare si quis tempore Pij V. incidisset in hanc excommunicationem, & non fuisset absolutus, indigeret absolutione Summi Pontificis. Hæc sufficiant de primo genere personarum legentium libros hæreticos.

CAPVT VII.

De iis, qui excommunicati sunt ob retentionem librorum hæreticorum, hæresim continentium, aut de Religione tractantium.

COntra retinẽtes libros hæreticorũ alię ẽt excõmunicationes reperiũtur latæ pter hãc, quæ habetur

in Bulla. Nam de eadem materia legitur excommunicatio in Indice circa finem Regulæ decimæ, scilicet contra tenentes libros Hereticorum quoscunque, etiamsi hæresim non contineant. Similiter contra tenentes libros damnatos Catholicorum auctorum propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem. Similiter habetur excommunicatio lata à Concilio Tridentino sess. 4. De editione sacrorum librorum, vbi excommunicantur retinentes apud se libros de rebus sacris sine nomine Auctoris, nisi prius prædicti libri fuerint examinati, & approbati ab Ordinario.

Tenentes hos libros innodantur excommunicatione, si aliquo temporis spacio illos habuerint, sicut dixi de legentibus, siue teneant apud se, siue penes alios, quibus illos custodiendos tradiderint, quoniam & Deponentes, & Depositarij erunt excommunicati, & sicut quoad legentes excusat prauitas materiæ; sic quoad retinentes excusat breuitas temporis, quo quis tenet tales libros.

De his, qui tenent, vel vendunt libros, statuta sunt quædam prudenter in Decima Regula Indicis Pij IV. quæ diligenter sunt obseruanda. Primò enim præcipitur, vt in Ciuitate sit domus, & bibliotheca librorum, quæ sæpè visitetur à personis deputandis ab Episcopo, & Inquisitore, secundo vt librarij habeant in suis Bibliothecis Indicem, seu notam librorum subscriptam ab eisdem personis, & præter eos, quorum nomina sint descripta in Indice, nullum librũ habeant, aut vendant, quod est intelligendum, nisi notoriè constet aliquem librum esse omnibus permissum. Tertio qui introducit librum in Ciuitatem, tenetur illum ostendere eisdem, nec ante facultatem habitam audeat illum alienare, vel alteri legendum tradere, nisi notorie constet omnibus esse permissum librum, sub pœnis amissionis librorum & alijs arbitrio Episcopi, & Inquisitoris. Quod si libri continent hæresim, vel tractant de Religione ob suspicionem falsi dogmatis, vel sunt libri hæreticorum, transgressores afficiuntur etiam excommunicatione contenta in hoc Canone Bullæ, vel Indice.

Sed dubitare posset aliquis, postquam sub censura excommunicationis damnatur, ne libri hæreticorum retineantur, an, si quis contra fecerit, & tales libros retinuerit, censeri debeat hæreticus, vel saltem de hæresi suspectus.

Respondent aliqui sufficere ad condemnandum eum vt hæreticum, si apud quempiam reperiatur liber damnatæ lectionis, quia auctor sit hæreticus, & liber contineat hæreses, vel sit de hæresi suspectus. Ita docent Archid. in c. Sanc profertur 24. q. 2. & in cap. Filij de Hæret. lib. 6. & ibi Io. And. Roma. singul. 326. incipiente eo ipso, Carrer. tract. de Hæret. nu. 125. Hippol. Marsilius cons. 52. nu. 34. Cassaneus ad Consuetudines Burgundiæ Rub. 1. Repertorium Inquisit. Ver. libri §. t.

Verum hæc sententia tam late prolata, vt verba sonant, videtur falsa, nam, vt constat ex cap. litteras de præsumpt. Præsumptiones, indicia, & coniecturæ non probant concludenter aliquem esse reum criminis, & ita sentit Directorium Inquisit. par. 2. cap. 4. comment. 3. & Siman. de Cathol. Instit. cap. 38. n. 23.

Quamobrem hæc sententia indiget moderatione, vt admittenda sit respondeo igitur ad dubitationem duabus propositionibus.

Prima propositio sit si apud aliquem reperiatur liber hæreticus, & constet ab eodem detentore librum fuisse compositum, tunc hoc ipso detinens librum cõ-

A uincitur de hæresi, & vt hæreticus iure damnari potest, tametsi in eo libro profiteatur se credere, quidquid docet Romana Ecclesia, & paratum se esse ad emendandum, & corrigendum errorem. Idque intelligendum est tunc esse verum, cum auctor ex professo hæresim ponit, eamque contra Catholicam fidẽ stabilire contendit. Nam si quasi aliud agens proferat hæreticale dictum, quod ex ignorantia potius, quã ex malitia dixisse videatur, præsertim in rebus obscuris, quas non facile quis scire præsumitur explicite, quales sunt multæ propositiones ad fidem spectantes valde difficiles, re vera non putaretur hæreticus, maxime cum vel generalem præmisisset protestationem, vel alias vir catholicus, & probus communi homi-

B num existimatione haberetur.

Secunda propositio si apud aliquem reperiatur liber damnatus, ab alio compositus, qui sciens, & volens, illum retineat, talis habetur suspectus de hæresi, vt inquit Archid. in c. Quicunque Ver. Credentes de Hæret. lib. 6. Quod videtur aperte statuere Pius IV. in illa Bulla, Dominici Gregis, cum præcipit contra huiusmodi personas tanquam de hæresi suspectas inquiri, & procedi debere, an autem hæc sit suspicio leuis, grauis, seu vehemens, aut violenta, prudens Iudex habita ratione personarum, & librorum diudicare poterit, & quamuis talis detinens libros prohibitos se excusaret dicens se illos habere ad confutandos, non admitteretur excusatio, quoniam (vt dictum

C est) sub anathemate omnibus præcipitur, ne sine speciali Papæ facultate libri vetitæ lectionis retineantur, aut legantur.

Secundo dubitabit aliquis, an quilibet possit propria auctoritate libros hæreticorum omnino prohibitos igni comburere, si ad ipsum quomodocunque peruenerint.

Campegius apud Zanchinum de Hæret. cap. 7. ait tutius esse libros hæreticos, aut quomodolibet ob hæresim suspectos Inquisitoribus tradere, sed probabilius est affirmare id non solum tutius, sed necessarium esse, quia extat Constitutio illa sæpè citata Iulij III. Cum meditatio, vbi post alia ita decernitur *Qui vero tales libros habuerint, eos consignare debeant realiter*

D *& cum effectu Inquisitoribus Ciuitatum, in quibus huiusmodi libri extiterint, alioqui tanquam hæretici possint publicari*. Et hoc est intelligendum, quando quis id facere potest absque magno, & graui suo detrimento, siue periculo.

Tertio dubitari potest, an incurrat excommunicationem ille, qui retinuerit libros Hydromantię, Geomantiæ, Aeromantiæ, & similes, siue in quibus continentur sortilegia, Veneficia, Auguria, Auspicia, Incantationes artis Magicæ, & illius partis Astrologiæ Iudiciariæ, quę agit de futuris contingentibus, & affirmat aliquid certo euenturum, de quibus agitur in Regula nona Indicis librorum prohibitorum.

Respondendum est si prędicti libri habeant aucto-

E res hæreticos, vel cõtineant hæresim, tunc ex retentione horũ librorũ, sicut ex lectione, incurritur excõmunicatio Bullę, aut Indicis, sicut superius explicatũ est.

Secundo dicendum est, si Auctores librorum sunt Catholici, & non continent errorem, ex retentione, aut lectione non incurritur excommunicatio, sed contrahitur culpa lethalis, vt habetur in Regula decima Indicis, & retinentes, ac legentes possunt puniri ab Episcopis, & Inquisitoribus alijs pœnis habita ratione ad genera personarum, & qualitates librorum.

Dico

Dico tertio Sixtum V. in Bulla, quæ incipit, Cœli & Terræ Creator Deus, edita nonis Ianuarij Pontificatux sui anno primo statuisse, & mandasse, vt contra quascunq; Iudiciariæ Astrologiæ artem exercentes, & facientes iudicia, & Natiuitates hominum, etiamsi non certo aliquid euenturum esse affirmarent, Episcopi, & Inquisitores (etiamsi in aliquibus casibus antea non fuissent soliti procedere) seuerius animaduerterent. Similiter retinentes libros, & scripta, & legentes, in quibus talia continentur, pœnis condignis punire, & coercere curarent.

Quarto similiter dubitari potest de retinentibus libros, qui ex professo tractant res obscenas, & lasciuas, de quibus loquitur Regula septima Indicis Pij IV.

Respondendum est, huiusmodi libros prohiberi sub pœna peccati mortalis, & propter morum corruptionem, quæ facilè sequitur ex horum librorum lectione habentes illos seuerè ab Episcopis puniri debere iuxta dispositionem eiusdem Regulæ septimæ.

Antiqui vero libri Ethnicorum ob sermonis elegãtiam permittuntur, nullo tamen modo pueris perlegendi, immo initio nascentis Ecclesiæ omnium etiam prophanorum librorum lectio ab Apostolis interdicta videri potest ex ijs, quæ scribit B. Clemens Papa lib. 1. cap. 7. Apostolicarum Constit. in hunc modum, *Abstine te ab omnium Gentilium libris, quid enim tibi cũ externis libris, vel legibus, vel Prophetis? Quæ quidem leues à fide abducunt, nam quid tibi deest in lege Dei, vt ad illas gentium fabulas confugias? Nam si historica percurrere cupis, habes Reges; Si Sophistica, & Poetica, habes Prophetas, & Iob, & Prouerbiorum Auctorem, in quibus omnem poeticæ, ac sapientiæ accuratam rationem inuenies, quoniam Domini Dei (qui solus est sapiens) voces sunt; Quod si Cantilenas cupis, habes psalmos, si rerum origines nosse desideras, habes Genesim; si leges, & præcepta, gloriosam Dei legem. Ab omnibus igitur externis, & Diabolicis libris vehementer te contine.* Ad eundem finem pertinent, quæ habentur c. Sacerdotes, c. Legant 37. dist. Et quot incommoda ex prophanorum librorum lectione oriantur in singulis ferè disciplinis tradit copiose Alphon. à Castro lib. 3. c. 8. De Iusta Hæret. punit. & Gabriel Putherbeus in libris de expungendis, & tollendis malis libris.

CAPVT VIII.

De excommunicatione contra Imprimentes libros Hæreticorum, & quomodolibet eos defendentes.

EXcommunicatio lata contra hæreticos in ordine ad libros eorum vltra legentes, & retinentes, tertio loco afficit Imprimentes, omnes enim, qui scienter imprimunt libros Hæreticorum, sunt excommunicati in hoc Canone Bullæ, contra quos etiam lata est excommunicatio in Conc. Trident. sess. 4. in decreto de editione sacrorum librorum, sancta enim Synodus prohibet sub pœna anathematis, ne vllus liber de rebus sacris sine nomine auctoris imprimatur, neque tales libri de rebus sacris tractantes vendi, aut retineri possint sub ead. pœna, nisi prius examinati, probatiq; fuerint ab Ordinario, & in Concilio Lateranẽsi sub Iulio secundo sess. 10. contra Impressores librorum hæreticorum aliæ etiam pœnæ imponuntur. Et quamuis Concilium de solis libris sacra tractantibus loquatur, ad cæteros etiam, qui sacra non tractant, optimè trahitur. egit enim de illis nominatim Concilium, quoniam ibi maius erat periculum: sed & in alijs idem incommodum inueniri potest, propterea idem statuendum l. Illud ff. ad leg. Aquil.

Sed quæret quis primo an non solum libri, sed omnis etiam alia scriptura, cuiusmodi sunt Theses ab aliquo publicè defendendæ; Carmina, vel Poemata aliqua, aut orationes in laudem, & commendationem alicuius compositæ, examinari prius, & approbari debeant, quàm typis mandentur.

Respondeo debere, nam in Concilio Lateranensi citato dicitur *Quicunq; liber, aut quæcunq; alia scriptura tam in Vrbe quàm in alijs Ciuitatibus.*

Secundo quæritur, cum Concilium Tridentinum dicat sine nomine Auctoris non posse libros de rebus sacris excudi, an, vt typis excudatur liber, vel alia scriptura, sufficiat, vt in ea nomen certi Collegij, aut vniuersitatis apponatur.

Respondeo sufficere, nam in Iure Collegium, Ciuitas, vel communitas persona ficta censetur, & sicut cum personis priuatis Contractus inimus, sic etiam cum Collegio, vel Communitate, & sicut in priuatos, iure potest inquiri, & animaduerti; ita etiam in Collegium, & Communitatem. Ex quibus concluditur, si scriptura, vel liber imprimatur apposito nomine certi Collegij, vel vniuersitatis, siue illius Præfecti, Concilij decretum violatum non esse.

Tertio postulabit quis, an hæc censura excommunicationis extendatur ad eas, qui transcribunt libros hæreticorum errores continentes, nam dictum est solum de Impressoribus. Olim Iustinianus nouella quadam Constitutione 42. De depositione Antimi pœnam amputationis vnius manus statuit in eos, qui eius hæretici libros scriberent. Idem proculdubio dicturus de Impressoribus, si tunc extitissent. Sed hæc seueritas ab Ecclesiæ tribunali, quæ sanguinem non fundit, longe abest.

Dicerem ego ad dubitationem scribentes scienter libros Hæreticorum tractantes de Religione, & rebus sacris innodari excommunicatione, sicut Impressores: quoniam nulla apparet ratio diuersitatis, accedit, quod tales libros scribentes sunt excommunicati tanquam fautores Hæreticorum, student enim hac via illos adiuuare ad eorum errores propagandos, sicut dictum est in capite de fautoribus, & tales possunt quoque alijs pœnis arbitrarijs per Inquisitores coerceri. Et idem censeo iudicandum de Veredarijs nostri sæculi, seu de librorum latoribus, quos sæpè contingit ex Germania, Gallia, vel alijs Hæreticorum Prouincijs libros vetitos clam deferre in Terras fidelium. Nam hi fautores hæreticorum proculdubio censeri debent, & acriter sunt puniendi. Est tamen aduertendum in scriptore, & latore horum librorum, tunc iustè pœnis subijci debere, si scientiam in illo præcessisse constiterit. Nam si scriptor penitus ignoret, quod scribit; (vt sæpè contingit) Item si lator, quid deferat, nesciat, cum clausos libros asportet, immunes esse crederem ab huiusmodi pœnis, quoniam ignoranti nihil imputatur l. fideiussor ff Mandati, & ignorantia à pœna excusat l. 2. ff. In ius vocati vt eant, l. fin. ff. De decret. ab ordi. facien. Tradit Aymon Crauetta cons. 6. num. 72. Hæc autem ignorantia semper præsumitur, si scientia non probetur l. Verius ff. de probat. Tradit Maranta in l. Is potest ff. De acqui. Poss. n. 283. Verum, si esset ignorantia crassa, non excusaret scriptores, vel Impressores, seu latores, sicut nec affectata à peccato, nec ab excõmunicatione, quia hæc æquipollet sciẽtiæ. Tunc autem posset præsumi ignorantia af-

fectata in foro exteriori, quando aliquis eorum rogatus esset, vt claneulum, & latenter imprimeret, vel scriberet, seu deferret aliquem librum, & pareret. Quo casu in foro exteriori difficillimè posset excusari.

Quartò quæret aliquis, quæ sint pœnæ illorum, qui cooperantur Impressoribus extra actum impressionis, vt sunt illi, qui formant typos, & illi, qui mutuant pecunias ad imprimendos libros hæreticorum, an incidant in Bullam Cœnæ.

Responderem ego tales non incidere, quia verba Bullæ solùm loquuntur de Impressoribus, ergo non sunt extendenda vltra Impressores. Impressores verò vocantur in hoc casu, qui cooperantur in ipsa actuali impressione, vt sunt Magistri, & Rectores impressionis, sub quibus alij laborant, & omnes, qui cooperantur in actu imprimendi, v.g. qui simul componunt, & dirigunt typos, sic compositos tingunt atramento, & qui in Torculari comprimunt, & alia huiusmodi faciunt. Et ratio est, quia hi homines per suas actiones immediatè conficiunt libros, quibus promulgantur hæreses; Alij, qui formant characteres, qui mutuant pecunias ad imprimendum, sunt causa remota; ideo ad eos non extenditur excommunicatio.

Quintò quæret aliquis; An qui contra decretum Concilij Tridentini ignorans tamen excommunicationem, imprimit librum tractantem de rebus sacris non approbatum ab Ordinario, si deinde cognoscit talem librum esse auctoris hæretici, & continere hæresim, incidat in excommunicationem huius Bullæ.

Respondeo, quamuis probabile sit posse excusari, si bona fide putauit librum impressum esse bonum, tamen probabilius puto illum non excusari, si sciebat decretum Concilij Trid. Et probatur, quia videtur ignorantia crassa, cum sciat non posse imprimi stante Constitutione Concilij. Et confirmatur, quia iste dolosè impressit, & in tali casu est credendum, quod etiamsi cognouisset excommunicationem, adhuc impressisset. Hodie præterea, quę statuta sunt in dicto decreto Concilij Tridentini circa Impressores librorum, ad euitandum peccatum, & pœnas plura alia seruari debent ex pręcepto Clementis Octaui, quę habentur in Indice librorum iussu eiusdem Clementis edito in Instructione initio Indicis apposita Titulo; De Impręssione librorum.

Sextò quæret aliquis; An Excommunicatio lata in Conc. Trid. contra eos, qui euulgant libros scriptos, debeat intelligi, vt comprehendat illos, qui hoc modo communicant aliquas conciones, vel lectiones, vel similes scripturas, quas excipiunt in Scholis.

Respondeo meo iudicio prædictos non comprehendi, tum quia hæc, quę supra nominata sunt, non dicuntur libri, tum quia hæc diuulgatio fit solum causa vtilitatis amicorum, & non in finem euulgandi tales libros, Immò ego nullum inijcerem scrupulum illi, qui librum aliquem à se scriptum, & in ordine redactum communicaret cum aliquo amico, maximè quod in praxi quotidiè fieri videmus sine vllo timore.

Postremò quæret aliquis, qualis sit pœna illorum, qui libros Catholicorum corrumpunt, & falsant, aut sanæ doctrinæ hæreticorum dogmata miscent.

Respondeo id doceri in sexta Synodo Constantinopolitana act. 13. & refert. Iuo par. 4. ca. 158. in hæc verba: *Præcipimus illos, qui falsauerunt libros Catholicos anathemati subiici, & cum hæreticis anathematizari.* Hodie in huiusmodi sceleris Reos acerrimè est animaduertendum, cum vnico actu plura delicta committant.

In fine huius secundæ partis primi Canonis post latam excommunicationem in Legentes, Retinentes, & Imprimentes libros Hæreticorum additur hæc clausula, *Seu quomodolibet Defendentes, ex quauis causa publicè, vel occultè quouis ingenio, vel colore.* Quæ verba possunt habere duplicem sensum, sicut etiam duobus modis possunt interpretari; vel enim referuntur ad libros hæreticorum, de quibus agitur in hac secunda parte Canonis, & erit sensus, vt sint etiam excommunicati, qui scienter defendunt libros hæreticorum, nè comburantur, vel tradantur, cui debent, vt Inquisitori, vel quomodolibet, & quocunque genere defensionis, siue publicè, siue occultè ex quacunque causa, quouis ingenio, vel colore tuentur librum hæreticorum, si liber continet hæreses, vel tractet de Religione. Et in hunc Canonem puto incidere illos quoque, qui nescio quo zelo, ducti defendunt quosdam libros hæreticorum non esse comburendos, & de medio tollendos, in quibus aliqua reperiuntur vera, & catholica eleganter, & pulchrè explicata, quia Summus Pontifex generaliter loquitur, nè liceat defendere libros hæreticorum. Nec mirandum est aliqua vera in libris hæreticorum legi, quoniam, si omnes essent pleni mendacijs, nemo illis fidem aliquam præberet. Immò hoc modo decipiunt indoctos homines, vt superius dixi, & pauca illa vera, quæ ab Hæreticis in eorum libris benè tractata leguntur, magis copiosè, & eruditè apud Catholicos Auctores in eorum libris exposita reperiuntur, vt Alphon. Castro fusè docet lib. 2. De Iusta hæret. punit. cap. 16.

Secundo potest hæc clausula interpretari generaliter, vt referatur non solum ad secundam partem huius Canonis, sed etiam ad primam, idest non tantum ad defensionem librorum, sed etiam ipsorum hæreticorum, vt declarat Rebuff. in explicatione huius Canonis, & erit sensus, sunt etiam excommunicati, qui defendunt libros hæreticorum, siue ipsos hæreticos quomodolibet, scilicet siue verbo, siue facto, siue per se, siue per alios, Glos. in Ver. Quomodolibet in extrauag. Ad Conditorem Io. 22. in fine de Verb. signif. siue patrocinentur publicè, siue occultè, Glos. in Clement. 1. in Ver. Publicè de Sepult. Nam lex factum etiam occultum solet reprobare, dummodò non sit merè internum, sed ad aliquem exteriorem actum processerit cap. Quia propter §. fin. de elect. cap. Vnico vt Ecclesiastica beneficia, & cap. Vtrum occulta, & cap. Cum ex iniuncto de hęr. & ibi Felin. Hęc est secunda interpretatio illius clausula, quæ probabilis est. Mihi tamen magis placet prima, vt hæc verba intelligantur solum de Defensoribus librorum hæreticorum, quia in Bulla Defensores hæreticorum expressè excommunicantur in prima parte huius Canonis sub illis verbis *Et generaliter quoslibet illorum Defensores*, Quæ verba non habentur in Bulla Pauli Tertij, quam explicat Rebuffus.

Transeamus ad tertiam, & postremam partem huius Canonis: vbi agitur de Schismaticis, & ijs, qui sese à Romano Pontifice nunc Paulo V. & eius obedientia pertinaciter subtrahunt.

CAPVT IX.

Qui sint Schismatici, qui huic excommunicationi subiiciuntur.

TEmpore Caietani, vt patet in eius Summa Ver. Excommunicatio cap. 7. Excommunicatio lata contra Schismaticos includebat multas actiones accessorias,

cessorias, scilicet multos modos, quibus aliquis potest se ab obedientia Romani Pontificis subtrahere, per se, vel per alium directè, aut indirectè, &c. Quæ actiones modò non leguntur in hoc Canone.

In Bullis Cœnæ Domini ante Pium V. non continebantur Schismatici.

Nauar. in Manua. cap. 27. num. 57. distinguit hanc clausulam à præcedentibus huius Canonis, & in secundo casu inter eos, qui connumerantur in hac Bulla, assignat, & reponit Schismaticos; tamen communiter ab omnibus includuntur sub vno, eodemque primo Canone Bullæ. Ratio est satis congrua; quoniam postquam Summus Pontifex egit de hæresi, quæ aduersatur fidei primæ virtuti Theologicæ, quæ residet in intellectu, transit ad condemnãdum Schisma, quod aduersatur charitati, quæ est vinculum perfectionis, & residet in voluntate; & Schisma hæresis appellari potest, sicut & Schismaticus Hæreticus, quia diuidit se ab Ecclesia, est enim membrum abscissum ab hoc corpore 23. q. 7. cap. Quemadmodum, 1. q. 7. cap. Conuenientibus Ver. Item Ioannes, Vbi dicitur, quod hæresis separat omnem hominem ab Ecclesia, Ad idem 23. q. 5. cap. Si vos, quamuis propriè loquendo inter hæresim, & Schisma sit differentia, quoniam Schisma dicit diuisionem, Hæresis errores, vt dicitur 24. q. 3. cap. Inter hæresim, Ideo B. Hieron. in Epistola ad Galatas inquit *Inter schisma, & hæresim hoc interesse arbitror, quod hæresis peruersum dogma docet, Schisma ab Ecclesia separat.* Quamobrem Schisma est illicita diuisio per inobedientiam ab vnitate Ecclesiæ cap. Loquitur, & cap. Alienus 24. q. 1. vt ipsa vox sonat, quæ latinè scissuram denotat, & Schismatici dicuntur, qui subesse nolunt Romano Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant, B. Tho. 2. 2. quæst. 39. artic. 1.

Vnde tribus modis potest considerari Schisma, quemadmodum & triplex vnio in Ecclesia reperitur ex Tabiena Ver. Schisma §. 1.

Prima est vnio charitatis, & interioris hominis ad Deum, & Proximum, & hanc tollit peccatum mortale, & sic Peccatores latissimo vocabulo Schismatici dici possunt.

Secunda est vnio, quæ consistit in mutua communicatione suffragiorum Ecclesiæ, secundum quam intelligi potest ille articulus *Sanctorum communionem*, & hanc tollit excommunicatio Maior, & sic lato vocabulo excommunicati appellantur Schismatici.

Tertia vnio consistit in subiectione, & subordinatione membrorum Ecclesiæ inter se ad vnũ Caput Christum, eiusque vniuersalem Vicarium in Terris Romanum Pontificem, vt paulò ante dixi, & sic omnes tanquam multa membra vnum corpus sumus sub eodem capite. Et de hac vnione habetur etiam alius articulus in Symbolo *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, & hanc tertiam vnionem tollit Schisma propriè dictum, de quo Schismate loquitur præsens Canon.

Hæc autem vltima vnio dupliciter tolli potest per Schisma propriè dictum. Vno modo per solum errorem in intellectu non credendo Ecclesiam habere vnũ Caput Romanum Pontificem; vel si quis neget vnam Ecclesiam esse omnium Christianorum collectione, & hoc modo, formaliter loquendo, non est Schisma, sed Infidelitas, & Hæresis, & tales eodem cum hæreticis iure sunt censendi, & tanquàm hæretici sunt excommunicati in prima parte huius Canonis, Turrecrem. lib. 4. De Eccles. part. 1. cap. 4. & Conrad. Brunus lib. 1. De hæret. cap. 16. Altero modo tollitur vnitas Ecclesiæ per actum voluntatis, si cum errore in Intellectu coniungatur actualis rebellio in voluntate, vt nolit quis recognoscere Romanum Pontificem tanquam Summum Pastorem, & Caput, & tunc est hæresis simul adiuncta cum Schismate, vel si sine vllo errore Intellectus solum repetitur rebellio voluntatis, vt recuset subesse Romano Pontifici, & hi propriè sunt excommunicati in hac parte Canonis. Hoc potest contingere duobus modis, vt inquit Tabiena loco citato, Altero modo constituendo sibi aliam Ecclesiam ab Ecclesia Romana. Altero modo coniungendo se indebitè Ecclesiæ Romanæ. In primo modo potest quis aliam Ecclesiam sibi facere dupliciter, vt inquit Caiet. 2. 2. q. 39. art. 1. ad tertium. Primo modo secundum intentionem, & affectum, vt quando quis odio, aut ira concitatus contra Ecclesiam, vel Romanum Pontificem ex intentione, vel electione respuit eius subiectionem, quatenus est Romanus Pontifex, & sic intendit destruere vnitatem Ecclesiæ. Respuere autem potest subiectionem Romani Pontificis, vt ibi inquit B. Tho. Vel directè in ordine ad ipsum Caput, quia non vult subesse Christi Vicario Romano Pontifici, quatenus est Summus Pontifex, vt notat Silue. Ver. Schisma §. 1. sicut prætensa Regina Angliæ nostro tempore, quæ non solùm nolebat subesse Romano Pontifici, sed etiam credebat, & volebat ab omnibus appellari Summum Caput Ecclesiæ Anglicanæ. Vel indirectè scissuram excitando in membris Ecclesiæ, ita, vt illa scissura redundet in caput, vt quando quis non vult communicare membris Ecclesię subiectis ob eam rationem, & causam, quia sunt subiecta Ecclesiæ, & Romano Pontifici, quia nollet hæc membra esse subiecta Romano Pontifici, vt notat ibidem Silue. sicut dici potest de Græcis.

Secundo modo fit Schisma, & tollitur vnitas Ecclesiæ secundum effectum non ex intentione, & voluntate, nempè si aliquis Schismaticus non intendens directè scissuram, tamen vt suæ voluntati satisfaciat, vult potius tali modo se gerere, ac si non esset pars Ecclesiæ, quàm à proposito desistere, sicut affirmari potest de iis, qui præsumunt congregare Synodos vniuersales absque auctoritate Romani Pontificis, vel semel congregatas, & iam dissolutas continuare, & ità se gerunt, ac si non essent partes Ecclesiæ, vt inquit Caietanus vbi supra, & in Summa Ver. Schisma, & probat hos esse vere Schismaticos, & incurrere omnes censuras contra Schismaticos latas, & id probari potest, à simili in hunc modum non solum est vere Reus homicidij ille, qui intendit hominem occidere, & occidit re ipsa, sed ille quoque, qui facit opus, ex quo facile, vel necessariò sequitur homicidium, vt qui vibrat sagittas in loco peruio, & vbi frequens hominum copia pertransit, sic non solùm est Schismaticus, qui ex intentione Schisma committit, sed etiam qui vult tale opus agere, cum quo necessariò schisma coniunctum est. Hac igitur ratione est aliquis Schismaticus, quia non vult se subijcere Romano Pontifici vniuersali Ecclesiæ Pastori.

Secundo etiam modo principaliter committitur Schisma, quando aliquis non separat se ab Ecclesia Romana, & manet coniunctus cum ea, sed indebito modo coniungitur, vt si gerat se vt Papam, & Caput Romanæ Ecclesiæ, cum non sit canonice electus, vel stante dubia electione non subdit se, ac submittit Concilio vniuersali, paratus renunciare Papatui suo, si ità fuerit decretum.

Si postules, quid faciendum à Christi Fidelibus, quando

quãdo in Ecclesia Christi esset aliquod Schisma (quod Deus semper auertat) si electi essent duo Summi Pontifices. Respondeo aut verè constat vnum illorum esse verum, & legitimum Pontificem, Alium verò suppositinum, & non canonicè electum, quo casu tàm ille, qui non est legitimè electus, quàm omnes eius sequaces sunt Schismatici, præsertim viri docti, & quibus constat, vel constare debet talem electionem non fuisse legitimam & cæteri de plebe deberent consulere viros pios, & probos, & eorum consilijs tuta conscientia acquiescere, vel res dubia est, quoniam ex vtraque parte æque apparet legitima electio vtriusque, & tūc vterque deberet se remittere Concilio generali, & qui pertinaciter nollet se submittere iudicio, & determinationi Concilij generalis, habendus esset Schismaticus cum ijs omnibus, qui eius partes sequerentur, & essent alligati censura excommunicationis, quæ habetur in cap. Licet de elect. cap. 1. De Schismat. cap. Nulli fas dist. 19. quæ non est reseruata, & valdè etiam probabile videtur innodari excommunicatione huius Canonis. Ratio est, quia cum res sit dubia, tenentur acquiescere iudicio, & determinationi Ecclesiæ, quæ clarius declarari nequit, quam per sententiam Generalis Concilij. Et legimus id seruatum in Concilio Constantiensi anno 1417. quando (depositis tribus Pontificibus, qui simul præerant in Schismate Ioanne xxiij. Balthasare Costa antea dicto; Gregorio xij. Angelo Corrario appellato, & Benedicto xiij. Petro de Luna vocato) fuit electus Martinus V. Oddo Columna antea dictus Diaconus Cardinalis, & Petrus de Luna, qui noluit se submittere, fuit declaratus Schismaticus, Alii verò duo sponte se abdicauerunt, & ideo non fuerunt denunciati Schismatici.

Quantum verò ad reliquos Christi fideles, quando vere res dubia est, quis sit è duobus canonicè electus Papa, & Christi Vicarius, tunc temporis, antequàm aliquid certi innotescat per determinationem Concilij Generalis, vt recte notat Caietanus in Summa Ver. Schisma, quilibet Catholicus fidelis debet ante omnia id, quod certum est, firmiter asserere habere se, & reputare vt membrum vnius Ecclesiæ Catholicæ, & ad vnum ipsius caput in Cælo Christum relationem habere, Deinde dubios illos Christi Vicarios vt dubios, & incertos retinere, Nulli illorum vt certo, & indubito Pontifici adhærendo, quoniam non debet se exponere errandi periculo; immò temerè ageret adhærendo dubio Pontifici tanquam certo.

Addo etiam, quod sine peccato, & excommunicatione, dum remanet tale dubium, quisque potest negare alterum ex illis esse Summum Pontificem, vel Caput Ecclesiæ. Sed hac in re perpendendum est diligenter, & accuratè, an verè dubij sint Pontifices, Hoc enim valdè refert, nè Ecclesia Catholica in partes, & factiones diuidatur, ideo (vt recte monet Caietanus loco citato) si quando rationabiliter quis dubitat, an hæc persona sit caput Ecclesiæ, & propter hanc causam non habet eum pro Papa, non incurrit crimen Schismatis, etiamsi error interueniret, quia tunc non adest ratio schismatis formalis, sed solū dicitur schisma materialiter, quia tale Schisma non tendit contra vnitatem Ecclesiæ, seu capitis formaliter, sed contra vnitatē huius, vel illius personæ determinatæ, & certę.

Quæret iterum quis, Quid si in Schismate vnus ex duobus esset legitime, & canonice electus & tamē nō posset aliter reddi vnitas Ecclesiæ, quā per abdicationem vtriusq;, an ille qui canonice est electus, debeat pro restituenda pace Ecclesiæ renunciare Papatui;

Respondeo esse nonnullos, qui dicunt simpliciter illum deponere debere potestatem Pontificiam, & subijcere se Concilio pro communi pace Ecclesiæ, quos refert Turrecrem. lib. 4. Sum. cap. 13. Quod quamuis probabile sit, tamen ego dicerem non esse ita certum, vt si hoc non faceret, dicēdus esset schismaticus. Et ratio est, quia iste non deponens Pontificatum vtitur Iure suo, & ita tenet Turrecrem. & respondet ad ea, quæ contra obijciuntur. Verum tamen est, quod quamuis non teneretur ad hoc ex iustitia, putarem tamen teneri ex charitate.

Quærat tamen quis, quomodo verum sit Schisma esse sufficiens peccatum, & crimen excommunicationis pœna iuste, & cōuenienter plectendum, cum Aug. lib. 6. contra Donatistas cap. 51. dicat Baptismum licite recipi posse à schismatico, hoc enim verum non esset, si schismaticus esset excommunicatus, nam excommunicatio maximè separat hominem à sacramentorum communione.

Respondet B. Tho. ad hoc argumentum 2. 2. q. 39. art. 4. ad 1. Non licere Baptismum à Schismatico recipere, nisi in articulo necessitatis, quia melius est ex hac vita cum signo Christi exire, à quocunque detur, etiamsi sit Iudæus, vel Paganus, quàm sine hoc signo, quod per baptismum confertur, & ita petens baptismum in articulo necessitatis à schismatico excusatur à peccato, petit namque bonum à potente illud bene exhibere, si velit. Vtrum autem sit eadem ratio de sacramento Pœnitentię, & Eucharistię, disputaui copiose in cap. 5. Disp. 6. lib. 1.

Sed obijciet quis, ex dictis sequitur, quoties quis incurrit excommunicationem quamcunque, præsertim à Summo Pontifice latam, dicēdum esse Schismaticum, & innodari censura huius Canonis. Probatur consequentia, quoniam quando quis spontè committit delictum, propter quod incurrit excommunicationem, voluntarie subtrahit se pertinaciter ab obedientia Papæ, quia sine contumacia non contrahitur excommunicatio, vt suo loco probatum fuit. *Et qui non vult parere Summo Pontifici, est Schismaticus*; igitur omnis excommunicatus erit Schismaticus.

Respondetur negando consequentiam, quia aliud est non obedire Papę aliquid pręcipienti, & contumacem se præbere, aliud est simpliciter, & absolutè se subtrahere ab obedientia Papæ, & nolle illum agnoscere vt caput, & Superiorem, & se gerere, ac si non esset ei subiectus, & membrum Ecclesię, cuius caput est Papa, quod propriè pertinet ad rationem schismatis, & ex consequenti ad incurrendam excommunicationem Bullę. Ideo notat Caiet. posse quem recusare præceptum, vel iudicium Pontificis tripliciter. Primo ex parte rei pręceptę, vel iudicatę, vt quando quis non vult exequi etiam pertinaciter, quod Papa mandauit propter ipsum rem tantum, quæ sibi grauis videtur, & talis licet peccet, nō tamen est schismaticus.

Secundo ex parte personæ Pontificis mandantis v.g. non paret quis, neque exequitur mandatum Papę ratione personæ Papæ, quem habet suspectum, & neque talis est schismaticus.

Tertio ex parte dignitatis ipsius Pontificis, quia non vult subesse, & obedire Papę, quatenus Pastor est vniuersalis, ita vt quamuis per actum intellectus vere credat Papam esse Superiorem omnium, tamen per actum voluntatis non vult agnoscere suum Superiorem esse Papam. Et hæc est pertinacia, & inobedientia, quæ facit rebellionem, & constituit schismaticum.

Idem explicat Caietanusmet in Sum. cap. 7. clarius,

rius, Aliud esse dicens recedere ab obedientia Romani Pontificis, & aliud transgredi præcepta eiusdem etiam ex contemptu, Transgredi enim præcepta Pontificis etiam ex contemptu potest quis, & simul agnoscere illum vt Pontificem, & Superiorem, Propterea in hunc Canonem non incidunt contemptores præceptorum tantum, nisi Romanum Pontificem etiam recusent habere tanquam caput totius Ecclesiæ vices Christi in Terris gerentem. Hinc fit Catholicos illos, qui viuunt in Terris hæreticorum, vt in Anglia, & Regi hæretico exterius obediunt, quamuis pœnas hæreticorum non incurrant, non effugere tamen hanc excommunicationem Bullæ, quia ob eam causam, licèt non sint dicendi hæretici, sunt tamẽ verè Schismatici.

In fine huius Canonis post excommunicationem latam in Schismaticos adduntur hæc verba, *Et eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.*

Dubium occurrit circa hæc verba, An sint apposita tanquàm declaratoria ad significandum, quid intelligatur per Schismaticos, ità vt hæc posterior clausula sit declaratiua prioris, vel sint diuersæ clausulæ, & significent diuersas personas. Ratio dubij est, quia nihil aliud est schismaticum, quàm facere scissuram in Ecclesia, quæ scissura fit, quando quis se subtrahit ab obedientia sui Capitis.

Respondeo rem esse controuersam ex vtraque parte, nam quod idem significent, & posita sint tanquam Synomina ad maiorem declarationem, probatur his rationibus.

Primò in quadã Bulla Pij Quinti anni 1568. non fit mentio Schismaticorum, sed solum eorum, qui se, à Romani Pontificis obedientia subtrahunt, igitur schismatici comprehendebantur his posterioribus verbis.

Secundò B. Tho. 2. 2. q. 39. art. 1. ad secundum inquit *Non obedire præceptis Pontificis cum rebellione, scilicet pertinaciter contemnere præcepta Pontificis, & eius iudicio nolle obedire, est ratio quadam Schismatis*, Ergo cum hæc sit ratio schismatis, idem erit pertinaciter se subtrahere ab obedientia, &c. & esse Schismaticum.

Tertiò Silue. Caietanus & communiter Summistæ excommunicationem latam contra eos, qui se subtrahunt ab obedientia Pontificis, vocant excommunicationem contra Schismaticos.

Ex altera parte, quod verba illa non denotent easdem personas, sed diuersas, Ex eo probari potest, quia in quadam Bulla Pij Quinti ista duo genera personarum in diuersis casibus huius Bullæ ponebantur, nàm Schismatici includebantur in primo Canone, & qui pertinaciter se subtrahunt ab obedientia Romani Põtificis, erant in nono Canone, ergo sunt diuersæ personæ. Quare iuxta hunc sensum excommunicantur non solum illi, qui se subtrahunt à Romano Pont. nolẽdo illum recognoscere caput Ecclesiæ, & hi propriè dicuntur Schismatici, & continentur in prima particula, cum in Canone dicitur *Schismaticos*, Quomodo poterat appellari Schismatica Regina Angliæ, & modò aliqui Græci; sed etiam excommunicantur illi, qui quamuis cognoscant Summum Pontificem suum Caput, & totius Ecclesiæ, tamen pertinaciter se subtrahunt ab eius obedientia, non parendo eius præceptis, licèt id minus proprie vocetur schisma, & isti comprehenduntur in secunda particula huius Canonis illis verbis, *Et eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis, &c.* Et in Bullæ Pij V. includebantur in nono Canone.

Ego dicerem vtramque particulam loqui de schismaticis secundum positam significationem ex mente

A Caietani: sed cum hac differentia, quia, cum dicit Sũmus Pont. excommunicamus schismaticos, comprehendit illos omnes, qui nolunt subesse Romano Pontifici tanquam Capiti, & Pastori vniuersali totius Ecclesiæ Catholicæ. Sed quia potuisset quis merito dubitare, an schismatici illi intelligerentur solum, qui negantes vnitatem Christi Vicarij in Terris, & non recognoscentes illum, vt Pastorem vniuersalem, subtrahunt se ab illius obedientia, ita vt vltra rebellionem ex parte voluntatis haberent errorem in Intellectu, Ideo Papa explicans hoc, de quo dubitari poterat ob ambiguitatem huius vocis inquit schismaticos, & eos, qui se à nostra &c. Ita vt dictio illa, & hoc loco non habeat vim coniungendi, sed exponendi quasi explicet

B schismaticos, idest eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis obedientia separant, specialiter his verbis tangens illos schismaticos, qui ex malo voluntatis affectu nolunt se submittere Romano Pontifici, etiamsi credant ipsum esse Caput totius Ecclesiæ.

Aliæ quoque multæ poenæ sunt latæ contra schismaticos, de quibus Silue. V. Schismaticus §. 4. & 5. & Turrecrem. in Sum. lib. 4. cap. 14. & 15.

Tria tandem restant animaduertenda, antequam concludamus hunc primũ canonẽ. Primũ est Communicantes cũ Schismaticis in ordinum, & beneficiorum receptione excõmunicatione innodari ab ipso Iure, vt dicit Silu. in illo §. 5. quæ habetur in c. 1. De schismaticis, quæ nõ est reseruata, & incurritur tribus modis, vt

C inquit ibi Abb. Primò quando quis emit, vel aliter acquirit rem ecclesiasticam à schismatico, secundo quando quis tenet ecclesiasticum beneficium à schismatico, tertio quando quis innititur ordinationi factæ ab ipso schismatico, quoad executionem scilicet ipsorum ordinum.

Secundo animaduertendum est excommunicationem latam contra schismaticos non extendi ad Fautores, & Defensores hæreticorum, sicut excommunicatio lata contra hæreticos, & legentes libros hæreticorum, quia in Tex. non exprimitur, & excommunicatio lata contra aliquid facientes non extenditur ad Consulentes, Mandantes, & quouis modo Adiuuantes, nisi in tex. ita expresse fuerit dispositum, vt proba-

D tum est in cap. 2. Disp. 2. lib. 3.

Tertiò tandem annotandum est excommunicationem huius primi Canonis in vniuersum duo tantum scelera respicere, scilicet hæresim, & schisma, intelligendo nomine hæresis omnes eos, qui quouis modo verbis, siue factis defendunt hæreticos. Quare propter nullum aliud crimen hæc excommunicatio incurritur, quamuis ex eo oriatur maxima præsumptio de hæresi, & pertineat ad officium Inquisitoris, vt propter pactum cum Dæmone, propter abusum Sacramenti, Quia talia, & & similia delicta non sunt hæreses, &

E schismata.

Et hæc dicta sufficiant de primo Canone.



EX-

EXCOMMVNICATIO SECVNDA

ITEM EXCOMMVNICAMVS, ET ANATHEMATIZAMVS OMNES, ET SINGVLOS, &c.

DISPVTATIO TERTIA,

DE EXCOMMVNICATIONE LATA contra Appellantes à sententijs, & mandatis Sedis Apostolicæ ad futurum Concilium Generale.



ECVNDA Excommunicatio huius Bullæ pronunciatur contra Appellantes ab Ordinationibus Romani Pontificis pro tempore existentis ad futurum Concilium; quare materia huius Canonis est sacrilegium, quod committitur contra primatum Sedis Apostolicæ. Qui sic agit, videtur velle se separare ab vnitate Sedis Apostolicæ, & nolle ci subesse. Vnde Tabiena Excommunicatio 5. casu a. inquit Eos, qui aliquando appellauerunt à Papa ad Concilium, olim fuisse reputatos tanquam Schismaticos. Et quia Collegia, & Capitula non possunt excommunicari, ideo hic interdicuntur. Quare in hoc Canone continentur duæ Censuræ excommunicatio, & interdictum.

Quoad personas Canon est vniuersalis, & omnes continet, quocunque nomine nuncupentur. Actio principalis prohibita est vnica, scilicet Appellatio, Accessoriæ sunt duæ Auxilium, vel fauorem dare, Et sic excommunicantur tria genera personarum, Appellantes, Fauentes, & Auxiliantes. Contra eosdem Appellantes olim lata fuit excommunicatio à Pio Secundo Mantuæ promulgata, qua excommunicantur etiam vltra Dantes fauorem, & auxilium, Consulentes, & reseruatur Papæ, A quo etiam sancitum fuit, vt hæreticum damnandum, qui à Pontifice Maximo ad Concilium prouocare ausus fuerit, quod adeo verum est, vt Augustinus Triumphus in Summa de Potestat. Eccles. q.6. art.7. concluserit Papam non posse statuere, vt ab eius sententia dari possit appellatio nec quãquam à sua iurisdictione eximere, ne videntur negare se esse Vniuersalis Ecclesiæ caput contra id quod in Concilio Constantiensi sub Martino Quinto definitum fuit, & in Concilio Florentino declaratum, Bulla Pij Secundi fuit innouata per Constitutionem Iulij Secundi in Extrauag. quæ incipit Suscepti regiminis nos cura sollicitat, editam anno 1500. qui vltra pœnas à Pio ij. inflictas declarat Schismaticos Appellantes à Papa ad Concilium, quare continentur etiam in primo Canone Bullæ. Et in dicta Bulla Iulij Secundi. Actio principalis, scilicet Appellatio extenditur ad sex actiones principales, nempè Decernere, Consulere, Deliberare, Aliorum dicta approbare, Consilium dare, vocem dare, vt ad futurum Concilium contra dictam Constitutionem Pii appellari liceat, possit, vel debeat. Et quælibet harum actionum extenditur per modos tacitè, vel expressè, voce, vel scripto, per se, vel per alium. Vnde animaduertit Caiet. cap.25. in Sum. Ver. Excommunicatio, quod licet per Constitutionem Pii Secundi Actiones illæ accessoriæ fuerint excommunicationi subiectæ, non tamen erant vetitæ sub pœna excommunicationis tanquam principales actiones. Et propterea Dantes consilium, fauorem, & alij similes nominati non erant excommunicati, nisi secuto effectu, scilicet subsequuta principali actione, quæ est appellare ad futurum Concilium. Verum ex Bulla Iulij Secundi quilibet illorum statim vt dat consilium, vel vocem, & reliqui incidunt in excommunicationem; quoniam in ea Constitutione ità decernitur, Aliter frustra fuisset addita illa extensio ad easdem actiones, vt accessorias, & concomitantes, quæ iam per Pium comprehensæ erant nomine tradentium consilium, auxilium, vel fauorem, Hanc Iulij secundi extrau. referam in fine primi capitis.

Hæc excommunicatio à Gregorio decimotertio primum fuit apposita inter Canones Bullæ Cœnæ Domini. Et quia principalis persona, contra quam præcipuè fertur hæc excommunicatio est illa, quæ appellat, ideo puto eo ipso, quod exercet hanc actionem appellandi, incurrere excommunicationem huius Canonis, si sit singularis persona, si autem sit Collegium, Capitulum, Vniuersitas, &c. eo ipso Interdicti Censuram contrahere. Fauentes verò, & Auxiliantes, quia apponuntur tanquàm personæ accessoriæ, non innodari huius Bullæ excommunicatione ipso facto, cum exercent operationes auxiliandi, & fauendi, nisi sequatur effectus appellationis Et hoc colligitur ex verbis Bullæ, vbi dicitur *Necnon eos, quorum consilio, & fauore appellatum fuerit*.

dinationibus, seu mādatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad Vniuersale futurum Concilium appellantes.

Caput Quintum. Super explicatione vltimæ Clausulæ huius secundi Canonis. Necnon eos, quorum auxilio, vel fauore appellatum fuerit.

CAPVT I.

Quæ sit causa, propter quam iustè lata sit censura excommunicationis, aut interdicti in eos, qui à Mandatis Papæ ad futurum Concilium Generale appellant.

Maximè conueniens fuit, & spirituali Ecclesiæ regimini necessarium, excōmunicationis gladio ferire eos, qui ab Ordinationibus Sedis Apostolicæ ad futurum Concilium Generale appellare auderent. Primò ob eam causam; nàm si Papa est Pastor vniuersalis, & totius Ecclesiæ Caput, à quo omnis ordinaria Iurisdictio Episcoporum, & aliorum Prælatorum deriuatur, ergo nullo modo licet appellare ab eo ad alium, quicunque sit, quia appellatio non potest fieri nisi ad Superiorem ff. De Mino. l. Præfecti §. fin. & ff De Appella. l. Imperatores, & patet ex desfinitione appellationis, quam affert Host. in Sum. in tit. De Appell. §. 1. Cum igitur Papa sit supra omnes, & nullum supra se habeat, patet nemioem ab eo appellare posse, Vode licèt tolerari possit appellatio à pari ad parem errore interueniente l. 1. §. penul. ff. De Appell. emissa tamen à maiori ad minorem noo teoet, etiamsi error interuenerit. Quamobrem Gelasius Papa in cap. Ipsi sunt 9. q. 3. ita inquit *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sanctæ Sedis examen voluerunt deferri, Ab ipsa nusquam prorsus appellari debere sanxerunt.*

Confirmatur primò, quia Papa habet supremam potestatem in Ecclesia, & totius Ecclesiæ principatum tenet. Vnde Nicol. Papa in c. Patet 9. q. 3. aie nullum maius reperiri iudicium auctoritate Sedis Apostolicæ, & in cap. Nolite errare dist. 11. dicitur, quod in Sede Apostolica positus est totius Ecclesiæ Principatus, ergo à Romani Pontificis sententia appellare non licet, quia alias asserere oporteret non residere supremam potestatem in Pootifice Romano, sed in Concilio.

Secundò confirmatur, qui appellat, eximitur à Iurisdictione eius, à quo appellat cap. Proposuit, cap. Cum teneamur, cap. Ad hæc de Appella. Sed nullus Christianus aliquo casu est exemptus à Iurisdictione Papæ, Christus enim vniuersaliter dixit Petro *Pasce oues meas*, nec distinxit inter oues, nec aliquas excepit cap. Solitæ de Maio. & obed. & in extrauag. Vnam sanctam, Idcirco in cap. Cuncta per Mundum 9. q. 3. in textu dicitur *Romana Ecclesia fas habet iudicandi de omnibus, nec cuiquam de eius licet iudicare iudicio*, & subiungitur *Siquidem ad illam de qualibet Mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus.*

Præterea sicut Episcopi, & Vicarij idem est Tribunal, vt in cap. 1. De offic. Vic. lib. 6. & in cap. 2. De coosuet. eod. lib. eodem modo Christi, & Papæ, qoi eius est Vicarius cap. Vbi periculum §. Cæterum de elect. lib. 6. & cap Ad Apostolicæ §. Nos itaque de sent. & Re Iud. lib. 6. cap. 1. De Homic. eod. lib. & cap. Quanto, & cap. Licet de Transf. Prælat. cum similibus. Vnde Chrisostomus verba illa Ioan. vlt. *Pasce oues meas* sic explicat, *loco mei esto Præpositus, & caput fratrum, vt ipsi loco mei te assumentes, vbique Terrarum te in Throno tuo sedentem prædicent, & confirment.* Quamobrem sicut idem est appellare à Vicario Episcopi, quod appellare ab Episcopo dicto cap. 2. De Consuet. lib. 6. sic appellare à Vicario Christi idem est, quod appellare à Christo, & sic statueretur Tribunal Christi inferius ipso Concilio; quod esset summa dementia. Tandem à Concilio, cuius acta nondum per Sedem Apostolicam sunt approbata, appellatur ad Papam, vt in cap. Cuncta per Mundum 9. q. 3. Turrecrem. lib. 3. Summæ de Ecclesi. cap. 47. 48. 49. Card. Iacobat. lib. 10. De Colatio. art. 1. sicut à Capitulo appellatur ad Episcopum cap. A Collatione de Appella. lib. 6. & Papa iudicat de Concilio, & reuocat eius gesta, ergo à Papa, qui est Iudex appellationis, non potest appellari ad Cōcilium cap. Anteriorem §. Illo 2. qu. 6. Accedit, quod Concilium Generale accipit auctoritatem iudicandi, & condendi leges à Papa cap. Significasti de elect. cap. Benè 96. dist. & facit dist. 17. per totam, ergo à Papa ad Coocilium appellare non licet. S. Tho. in quæstionibus de Poteotia q. 10. art. 4. ad 13. argum. dicit, quod sola Romani Pontificis auctoritate Synodus congregari potest, & ab eo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur, & hæc omnia inquit definita esse in gestis Calcedonensis Concilij.

Hoc idem sacræ scripturæ testimonio apertè confirmatur quæ nullibi auctoritatem Concilij, aut Ecclesiæ tribuit io eius Prælatos & Pastores, & multo minus in Summum Pontificem omnium Pastorum patrem; sed hanc econtra; vnde Paulus in Actis Apostolicis cap. 20. inquit Deum instituisse Episcopos, vt regereot Ecclesiam suam *Attendite vobis, & vniuersa gregi in quo Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*, Et Christus Vicario suo dixit Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Cum ergo Christus posuerit Petrum fundamentum Ecclesiæ fecit illum caput huius corporis mistici, quod est Ecclesia; illud enim quod in domo dicitur fundamentum in corpore mistico est caput à capite autem omnia corporis membra reguntur, & diriguntur. Cootra vero membris nulla competit ius in caput, similiter cum Christus apud Ioannem c. 21. dixit Petro *Pasce oues meas* constituit illum Pastorem super vniuersum ouile suum; quis autem inficiari audebit oues, nullam potestatem habere in Pastorem, sed Pastorem super ouile. Eodem modo cum Christus Lucæ 12. inquit *Quis est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* certe declarauit Episcopum in sua dioecesi, & Pontificem Romanum in toto Orbe esse, veluti præfectum domus, & familiæ Dei, & sicut Præpositus in domo regit familiam io ipsa domo; sed oon econuerso non aliter Episcopus regit suam dioecesim, & Papa vniuersam Ecclesiam non tamen dioecesis supra Episcopum; neque Ecclesia vniuersa etiam in Concilio coogregata vllam habet iurisdictionem in Pontificem Romanum, ideo Saluator in eodem loco subiungit, *Quod dixerit seruus ille in corde suo moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere seruos, & ancillas cedere, & bibere & inebriari, veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & diuidet eum partemque eius cum infidelibus ponet.* Ex quibus verbis colligitur, quod si contingat, vt si Præpositus domui familiæ Dei abutatur potestate sibi concessa, & perperam se gerat, noo permissum esse, vt ab ipsa familia puniatur, sed hanc potestatem iudicandi, & puniendi huiusmodi præfectum reseruasse sibi Deum; Quamobrem ex sacris scripturis infertur necessario cum Ecclesia, & consequenter Coocilium quod Eccle-

ſiam repræſentat nullum in Romanum Pontificem ius habeat, non licere prouocare à Papa ad Concilium; ſed benè à Concilio ad Papam nempe ab Inferiori ad Superiorem. Sed hoc idem ratio ipſa verbo Dei firmata clariſſimè perſuadere videtur; nam Eccleſia ſancta non aſſimilatur Reipublicæ quę eligit Ducem tribuēs ei inriſdictionem limitatam ſicut pro bono regimine iudicat neceſſariam, & ideo Reſpublica dicitur ſupra Principem, neque ſimilis eſt humano & temporali Regno in quo auctoritas transfertur à Popnlo in Monarcham, & in quibuſdam caſibus poteſt eximi à dominio Regis, & aliam gubernandi formam eligere ſicut accidit olim Romanis quando expultis Regibus in Conſules omnem pnteſtatem gubernandi tranſtulerunt, ſed Eccleſia Chriſti eſt Regnum perfectiſſimum, & Monarchia abſolutiſſima quæ minime vim accipit à populis, neque ab ipſis ſuam trahit originem ſed immediatè à Deo pendet, *Ego*, inquit Chriſtus pſal. 2. *Conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius*, & Angelus dixit Beatiſſimæ Virgini Luc. cap. 1. *Dabit ei Dominus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis,* Hoc idem ſæpiſſimè in alijs locis ſcripturæ legitur; quod autem hoc Chriſti regnum ab Hominibus non dependeat oſtendit ipſemet Chriſtus cum ait *Non vos me elegiſtis; ſed ego elegi vos,* Io. cap. 15. Et nos confitemur cum dicimus, Apoc. cap. 5. *Feciſti nos Deo noſtro regnum*. Et hanc ob cauſam comparatur hoc regnum familiæ in ſcripturis ſacris, *Quis eſt ſeruus & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam* Matth. cap. 24. Pater enim familias non accipit à familia auctoritatem; quamobrem cum hæc ſint veriſſima, & certiſſima ſit ex neceſſaria conſequentia Summum Pontificem Chriſti Vicarium non ab Eccleſia; ſed ab ipſo Chriſto ordinatam fuiſſe à quo totam accipit auctoritatem, quemadmodum in Regnis terrenis Prorex non habet auctoritatem à Regno; ſed a Rege, neque ſi deliquerit a Populis; ſed a Domino iudicatur, & punitur.

Hæc eadem veritas ſacrorum Conciliorum auctoritate manifeſtè comprobari poteſt.

Primo cum S. Marcellinus Papa timore mortis ductus thus adhibuit idolis coactum fuit Cōcilium apud Sinueſſam, vt hæc cauſa pertractaretur, ſed ab vniuerſo Concilio definitum fuit hanc poteſtatem non conuenire Concilio iudicandi primam ſedem, quia prima ſedes a nemine iudicatur, huius Concilij meminit Nicolaus Papa Primus in epiſtola quadam ad Michaelem Imperatorem, item Concilium Romanum congregatum a B. Silueſtro Can. vlt. idem declarat Concilium Chalcedonenſe vnum ex quatuor illis celeberrimis in Act. 3. condemnauit Dioſcorum Alexandriæ Patriarcham ſimul cum toto Concilio ſecundo Epheſino; quod temerarie auſus fuiſſet damnare Romanū Pontificem hinc ſequitur euidenter ſi primus Orbis Patriarcha poſt Romanum, vna cum vniuerſo Concilio non iudicat de Summo Pontifice, conſequenter Concilium non eſſe ſupra Papam, alias illum iudicare poſſet præterea Concilium Quintum Romanum ſub Symmacho Papa comprobauit tanquam decretum proprium ſententiam illam Ennodi, *Aliorum hominum cauſas Deus voluit per homines terminari, ſedis iſtius Prǽſulem ſuo ſine quęſtione reſeruauit arbitrio, voluit Petri Apoſtoli ſucceſſores Coelo tantum debere innocentiam* Item apud Concilium octauum Romanum Act. ſeptima ad hunc modum legimus *Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Prǽſulibus iudicaſſe, De eo vero neminem iudicaſſe legimus* Paulus Aemilius lib. 3. ſuæ Hiſtoriǽ ſcribit cum coactus eſſet conuentus plurimorū Epiſcoporum, coram Carolo Magno ſuper quibuſdā quærelarum cauſis, quæ obiiciebantur aduerſus Leonem Papam huius nominis tertium, ab omnibus illis Epiſcopis vnanimiter conclamatum fuiſſe; Non licere cuipiam in Romanum Pontificem ſententiam pronunciare; Cum Concilium generale Lateranenſe, ſub Alexandro Tertio decretum de modo eligendi Summum Pontificem editurum eſſet. In hac inquit electione ſummum ſtudium adhibendum eſſe, & maxima cura contendendum, quoniam ſi in ea error acciderit, ad ſuperiorem haberi recurſus non poterit, cap. Licet De Elect. Vbi Hoſt. ait Quia nulla ſuperior, ſed ipſa ſuper omnes eſt; Tandem in Concilio Lateranenſi, ſub Leone Decimo, ſeſſ. 11. definitum fuit expreſſe Papam eſſe ſuper omne Concilium, & hanc ob cauſam ad eum ſpectare, conuocare, transferre, & dimittere Concilia. Quare ſi ipſamet Concilia fatentur aperte ſubiecta eſſe Romano Pontifici, tanquam Capiti Eccleſiæ, & ab ipſo vim, & auctoritatem accipere, quis auſu temerario aſſerere præſumet Conciliū eſſe ſupra Papam, vel à Papa ad Concilium prouocari poſſe. Idem ab alijs Concilijs vniuerſalibus definitum fuit. De hac re tractant fusè Turre Crem. in Sūma De Eccleſia lib. 3. cap. 47. Aug. De Ancona De Poteſtate Eccleſiæ q. 6. art. 6. Iacobatius De Concilio lib. 10. art. 1. & Pius Secundus in Apologia ad Martinum Mayer propè finem pag. 744. quæ annexa eſt Commentariis eiuſdem, ad idem confirmandum multa eleganter, & eruditè ſcribit. Tandem Aegid. Conſ. 99. quæſt. 18. par. 4. citat multos pro hac ſententia, Demū concludit: *Caueant ſibi qui dicunt, poſſe à Papa appellari ad Generale Concilium, quia videntur in Eccleſia Dei ponere duo capita.* Et in eodem Conſ. quæſt. 20. ait, *Tales dogmatizantes ſunt habendi in fide ſuſpecti, quia determinatum eſt ab Eccleſia; Quod credere omnem creaturam ſubeſſe Romano Pontifici in ſpiritualibus eſt de neceſſitate ſalutis, vt in Extrau. quæ incipit, Vnam ſanctā habetur.*

Sed poſſet quis obiicere contra dicta, verba illa Matt. 18. *Si peccauerit in te frater tuus &c. dic Eccleſiæ.* Hæc verba ſunt dicta Petro, ergo etiam Petrus debet deferre peccatores ad Eccleſiam, ergo agnoſcit Tribunal Eccleſiæ maius ſuo.

Reſpondeo nomine Eccleſię in eo loco intelligi Epiſcopum, qui eſt caput Eccleſiæ, & ita exponit hæc verba Io. Chriſoſt. Hom. 61. in Matthæum, & Innocentius Tertius in cap. Nouit De Iudi. & ita declarauit vniuerſalis conſuetudo totius Mundi ſemper enim omni tempore vſu receptum fuit, vt quicunque denunciare voluerit peccatorem Eccleſiæ, vt Chriſti præceptum obſeruaret non expectauerit Concilium, ſed Epiſcopū vel eius Vicarium adiuit. Dicta ſunt autem hæc verba Petro, cum adhuc Pontifex non erat, ſed homo priuatus, & proinde illud ei dictum, quod ijs conuenit, qui Superiorem agnoſcunt. Adde poſſe etiam ſuo modo Pontificem hoc præceptum implere, quia dicit Eccleſiæ, cum ſibi ipſi dicit vt Præſidi, ſicut intellexit illum locum Gregorius lib. 4. ep. 38.

Secundo in Concilio Calcedonēſi, & Tolletano ſtatutum fuit, à Concilio non eſſe appellandum, ergo Concilium non agnoſcit Superiorem.

Reſpondeo à Concilio non eſſe appellandum, quando eſt legitime congregatum præſidente Papa, quia tunc appellaretur ab ipſo Papa ad eundem Papam, & talis appellatio non admittitur, c. Non putamus de Conſuet. lib. 6. c. 1. de off. Vic. eod. lib. & cap. Super quæſtionem, §. Si vero De Off. Deleg.

Ter-

Tertio Gloss. in capitulo Anastasius Ver. Concilio distinctione decimanona, colligit ex textu Concilium maius esse Papa, & ad hoc citat capit. Sicut, decimaquinta distinct. in fin. & capit. Legimus 93. distinct.

Respondeo Concilium cum Papa esse maius Papa solo extensiuè, non intensiuè, vt dicit Caietan. parte secunda, Apolog. capitulo decimotertio, ad sextum,& Turrecremat. in Summ.de Ecclesia libro tertio capitulo sexagesimoquarto. Nicolaus Sanderus libro septimo. De Visibili Monarchia. Nec textus citati (si quid faciunt) aliud concludunt, sicut Ens vt comprehendit Deum, & Creaturas, non est maius bonum, quàm sic solus Deus intensiuè, tametsi extensiue est maius, quia sunt plura bona, sicut etiam Christus vt homo est Caput Homogeneum Ecclesiæ, & proinde pars eius, & tamen non est maior Ecclesia tota, quàm Christus solus.

Quarto Concilium Constantiense sess. 4. definiuit Concilium Generale habere à Christo immediatam auctoritatem, cui omnes obedire tenentur, etiamsi Papalis dignitatis existat.

Respondeo Concilium Constantiense esse legitimum, & approbatum, sed non definiuisse absolute Concilium Generale habere à Christo potestatem supra Pontificem, sed tantum in casu Schismatis, quando nescitur, quis sit verus Papa, nam dubius Papa habetur pro non Papa, ideo habere super illum potestatem non est habere potestatem in Papam, ita Turrecrem. loco citato, Illustrissimus Bellarminus libro secundo, controuer. De Concil. capit. decimonono, tom. 1.

Idem sentiunt alij viri Doctissimi quare non loquitur Concilium de eo quem constat esse verum Pontificem canonice electum, sed quando dubitatur sicut eo tempore contingebat cum tres haberentur Summi Pontifices & quilibet suos haberet adhærentes, & fautores, quo casu verissimum est, penes Ecclesiam potestatem residere statuendi quis sit verus & legitimus Papa, & caput Ecclesiæ, cui parendum sit & omnes tempore Schismatis controuertentes de Pontificatu declarationi & sententiæ Ecclesiæ, & Generalis Concilij acquiescere tenentur, vnde Martinus Quintus qui postea approbauit Concilium Constantiense, quantum ad decreta in eo legitime statuta veluti ea quæ edita fuerunt contra hæreses Io. Vicleph, & Io. Hus eandem eodem Concilio consentiente declarauit, & mandauit debere interrogari suspectos de Hæresi, an credant plures articulos & peculiariter an credant Summum Pontificem habere supremam potestatem in Ecclesia DEI, vnde sequitur euidenter si suprema potestas Ecclesiastica residet penes Romanum Pontificem, fieri non posse, vt Concilium sit supra Papam, alias summa potestas esset in Concilio, non autem in Pontifice.

Quinto Concilium Basiliense sessione trigesimatertia, definiuit fide Catholica credendum esse Concilium esse supra Papam, ergo à Papa appellari potest ad Concilium tanquam ad superius Tribunal, & hoc Concilium fuit indictum à Martino Quinto, vt habetur sessione prima, & ab Eugenio declaratum sessione 16. legitimè continuatum, & à Nicolao V. confirmatum.

Respondeo Concilium Basiliénse legitime inchoatum fuisse, sed illegitime terminatum, neque verum est omnes actus eius Concilij fuisse confirmatos à Nicolao Quinto, Nam (vt apparet ex Bulla Martini) confirmantur illa solum, quæ acta erant circa beneficia, & Censuras Ecclesiasticas. Sed quæ definita erant de auctoritate Concilij supra Pontificem, nullus Pontifex probauit, immo expressè fuerunt reprobata ad Eugenio in sessione 38. Concilij Basiliensis, deinde à Leone Decimo in Concilio Lateranensi, Felin. in capitulo Nonnulli numero decimo, de Rescrip. refert plures auctores à quibus hæc quæstio plenius disputata fuit.

Sexto qui dicunt Romanum Pontificem non præesse, sed subesse vniuersali Concilio, Sancti Hieronymi præsertim auctoritate nitontur qui epistola 85. ad Euagrium scribens sic ait circa medium, *Si auctoritas quæritur Orbis maior est Vrbe, Vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubi, siue Constantinopoli, siue Rhegii, siue Alexandriæ, siue Tanis, eiusdem meriti, eiusdem est & Sacerdotii, Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sub limiorem, vel inferiorem Episcopum non facit*, Huic adiungunt dictum Beati Augustini in Epistola 161. ad Glorium, Elesium, & alios Donatistas, Vbi inter cætera aduersus quosdam Donatistas qui fuerant condemnati Ceciliano Episcopo Catholico absoluto per sententiam Melchiadis Romani Pontificis sic inquit, *Quod si decreremus malos & peruersos esse iudices*, quę vox est omnium malorum litigatorum, cum fuerint etiam manifestissima veritate superati, Et subijcit, *Putemus illos Episcopos qui Romæ iudicarunt non bonos iudices fuisse Restabat adhuc plenarium Vniuersalis Ecclesiæ Concilium. Vbi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari, & si male iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur*, Hoc testimonio putant Aduersarij se causam suam omnino euincere; Ad idem confirmandum Gregorii Magni sanctissimi Pontificis quoque testimonio vtuntur qui libro primo Epistola 24. Ad Ioanuem Episcopum Constantinopolitanum ita scribit. *Sicut sancti Euangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor, Nicęnum scilicet Constantinopolitanum, Ephesinum. Chalcedonense: Hæc tota deuotione amplector, & integerrima approbatione custodio; Quia in his velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit, & cuiuslibet vitæ communis atque actionis norma consistit*. Hæc & similia in medium afferuntur ad probandam Papam non modo non præesse Concilio nec ei parem habere auctoritatem, sed omnino subesse, quod autem par sic ostendit Innocentius Tertius in capitulo Innotuit 20. De elect. rescribens Cantuariensi Archiepiscopo de Concilio Lateranensi sub Alexandro Tertio celebrato, affirmat talem Constitutionem sibi præiudicium vllum inferre non posse quod par in parem non habeat imperium. Eadem corrobari possunt exemplo aliquorum Pontificum qui interdum Concilio se subiecerunt.

Sed hæc sane facile diluuntur, si quidem Sanctus Hieronymus dum asserit Orbem esse Vrbe maiorem, quasi velit dicere; Non posse à Pontifice Romano derogari his quę à Concilio decreta, ac sancita fuerunt, loquitur in his quæ sunt de fide, quod in eadem epistola haud obscure apparet, ait enim, *Nec altera Romæ vrbis Ecclesia, altera totius*

Orbis existimanda est & Gallia & Britanniæ, & Africa & Persis, & Oriens, & India, & omnes Barbaræ Nationes vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis, si auctoritas quæritur Orbis, &c. Similiter Gregorius loquitur de fide non de his quæ sunt iuris positiui. Quocirca bene Host. in Summa titulo de dispensat. §. 1. vers. Alicuius etiam, dicit aliter dicendum esse quando agitur de fide, quia tunc Romanus Pontifex non disponit contra Concilia de fide loquentia, vt notat Glos. in capitulo sicut Verbo Præsumit distinctione decimaquinta, & in capitulo Ex multis Ver. Ex principalibus prima quæstio tertia, & alibi, Abbas in capitulo Significasti numero tertio. De electione in capitulo Quod translationem numero sexto De Officijs legatis, & fusius in capitulo. Maiores numero secundo. De Baptismo Felinus in capitulo primo numero trigesimoprimo, & trigesimosecundo De Constitutione S. Thom. in Quodlib. quod lib. decimoquarto & Augustinus Triumphus in summa de Potestate Ecclesiastica quæst. sexagesima articulo octauo ad argumentum in fine. Ad hunc modum ad hanc quæstionem respondent citati Doctores. Ex quorum dicto id solum colligitur Papam dispensare non posse in his quæ decreta sunt per Concilium generale pertinentibus ad fidei catholicæ explicationem, secus verò in his quæ ad statūs fidelium ordinationem spectant; Hinc tamen inferri non potest Papam etiam in ijs, quæ fidem respiciunt submitti Concilio; sed ipsi Deo qui fidei fundamentum, & scopus suo spiritu patres ad fidem amplectendam, ac prædicandam illuminat. Quod eo magis est verum, quo Concilij decreta absque confirmatione Romani Pontificis mortua sunt, Vnde absurdum esset asserere Papam statutis subditorum quæ ab ipso vitam agnoscunt subdi, qui sibimet quodam modo subest, dum diuinam legem per Concilia vti Christi Vicarius, promulgando, quæ & ipse seruare debet, vti Corporis Christi pars percipit & profitetur.

Ad ea quæ ex Beato Augustino afferuntur respondendum est, ex verbis citatis Beati Augustini non posse colligi (quod maleuoli, non catholici prætendunt) sententiam Romani Pontificis à Concilio reuocari posse, atque ita inferre maiorem competere Concilio potestatem quam Papæ, cum ipsemet Augustinus in eadem epistola centesima sexagesima prima, & in libro De Vnico baptismo, & alibi sæpe palam profiteatur in Romana Ecclesia vigere Apostolicæ cathedræ principatum & loquens de eadem sententia à Melchiade Pontifice prolata, *Qualis* inquit *ipsius B. Melchiadis vltima est pro lata sententia, quam innocens, quam integra, quam prouida atque pacifica?* Et paulo post, *O virum optimum? O filium christianæ pacis, & Patrem Christianæ plebis? Confer te nunc ipsam paucitatem cum illa multitudine Episcoporum, neque numerum numero, sed pondus ponderi comparate. Hinc modestiam inde temeritatem, hinc vigilantiam inde cęcitatem.* Igitur verba illa Augustini *Restat adhuc plenarium Vniuersalis Ecclesiæ Concilium* non ratione maioris potestatis sunt accipienda, sed ratione plenioris examinis, Quod nonnunquam concedi solet ad euincendam pertinaciam eorum qui malam causam tuentur, & fouent, vt in re proposita contigit Augustino. Neque illa

A verba Augustini, *si male iudicasse conuicti essent eorum sententia soluerentur*, sunt intelligendæ, vt propterea iudicium Concilii, sit Romani Pontificis sententiæ anteponendum, sed id fieri posse auctoritate Papæ qui Concilium cogit & probat, quoniam in eo longe clarius veritas innotescit, cum tot ac tantorum Patrum sententiæ audiantur, argumento eius quod Celestinus Tertius in capitulo Prudentiam de Officijs Delegatis constituit de Iudicibus delegatis, Quare licet à Pontifice Romano nunquam appelletur cum ipse sit ad quem appellationes totius Ecclesiæ deferantur capitulo Ipsi sunt Canones nono quæst. tertia, potest tamen ipse rem iam sententia decisam iterum Concilio remittere, vt magis
B detegatur pertinacia aliter sentientium.

Quod vero adducebantur ex Innocentio Tertio in capitulo Innotuit de electione ad ostendendum potestatem Concilij parem esse potestati Papæ, Primo dicendum est quod quamuis illud verum esset, quod tamen est falsum adhuc non concluderetur, Ab Ordinationibus & sententiis Papæ appellari posse ad Concilium, Quia non modo Superiores ab Inferioribus, sed pares etiam à paribus cogi non posse vtroque iure Ciuili, & Pontificio decretum esse aperte constat leg. Nam Magistratus ff. De Arbitr. leg. Ille à quo §. Tempestiuum ff. Ad quintum Cod. Trebell. capitulo Innotuit de Electione ideo in capitulo Ipsi sunt Ca-
C nones nono quæst. tertia. Gelasius Primus Fausto legato rescribens inquit *Ab ipsa vero* scilicet Sede Apostolica de qua loquitur, *Nusquam prorsus appellari debere sanxerunt* Verba Nusquam, prorsus, omnem sane appellationem excludunt, etiam ad Concilium, secundo dicimus cum Innocentius Tertius vocat Concilium Lateranense sibi equale in potestate non intelligit de Concilio secluso suo capite Romano Pontifice sed legitima ipsius auctoritate habitum & confirmatum, sicut fuerat Concilium illud Lateranense ab Alexandro Tertio coactum & confirmatum, & hoc modo acceptum Concilium non solum par est; sed etiam maius
D solo Papa extensiue tantum non intensiue, vt superius probaui ex sententia Caietani.

Quod vero postremo loco dicebatur nonnullos Pontificis interdum se Concilij iudicio subiecisse, Id absque Apostolicæ Maiestatis, Ac Vicariæ Christi potestatis detrimento egisse sentiendum est, idque voluisse non vt se Concilii Imperio subiicerent, sed vt quandam honestæ vitæ suæ rationem redderent, exemplo ipsius Iob qui dixit capitulo trigesimo primo *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, &c.* Et ipse Christus apud Ioannem capitulo octauo dicit: *Quis ex vobis arguet me de peccato,* & capitulo decimo octauo: *Si male locutus sum testimonium perhibe de malo.* At cum Christus ali-
E quando sibi obiecta crimina diluit dicendum erit, eos apud quos se tam humiliter excusabat, vt nihil supra in eum ius aut potestatem aliquam habuisse, cum ipse sit Rex Regum & Dominus dominantium? inanis profecto esset illatio, Immo neque illi Pontifices aliter poterant iure se subijcere Concilij iurisdictioni; quia vt probant Ioannes Andreas & Felinus in capitulo Ecclesia S. Mariæ n. 5. De Constit. irrogaretur iniuria Deo, si eius Vicarius qui omnium est in Terris supremus

Index

Iudex ab aliquo iudicaretur, ideo quia agitur de honore & dignitate Christi non ipsius Papæ, non potest Pontifex huic priuilegio renunciare, idem quoque affirmat Romanus singul. 133. & Alexander & Iason l. Est receptum ff. De Iurisd. omn. Iud.

Ex his, & alijs pluribus apertè colligitur hanc Cõstitutionem, quod à Mandatis Papæ ad futurum Concilium non sit appellandum, ex ipsamet radice, & natura Summi Põtificatus desumptam esse, cum Romana Sedes super omnes alias habeat primatum, ità quidem vt Papa à solo Deo iudicari queat, quem suo tempore iudicabit. Hanc supremam Summi Pontificis in Terris Christi Vicarij potestatem, vt nullum supra se Iudicem habeat, Ennodius in libello pro Symmacho Papa, habetur Tom. 1. Concil. explicat his verbis *Aliorum forte hominum causas Deus voluit per homines terminare, Sedis istius Præsulis suo sine quæstione reseruauit arbitrio Voluit B. Petri Successores Cælo tantum debere innocentiam, & subtilissimi Discussoris indagini inuiolatam exhibere conscientiã. Nolite timere eas animas de inquisitione non habere formidinem, quas Deus præ cæteris suo reseruauit examini. Dicas forsan, omniũ animarum talis erit in illa disceptatione conditio, replicabo vni dictũ, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã, & quæcunq; solueris super terram, erunt soluta & in Cælis. Et rursum Sanctorum voce patet Põtificum dignitatem, & huius Sedis summam esse, ac toto Orbe vniuersalem, dum illi (quidquid fidelium est) vbiq; submittitur, dum totius Orbis Caput esse designatur. De qua mihi videtur dictum per Prophetam Isa. 10 Si hæc humiliatur, ad cuius confugietis auxilium? & vbi relinquitis gloriam vestram?* Et post nonnulla *Nolite Symmachum pressuris vestris vexare; Si Reus est, mihi credite, eum cessauerat humanæ impugnationis ministerium diuinum mox succedit arbitrium, &c.* Hæc, & alia plura Ennodius aduersus Schismaticos, qui visitatorem postulauerunt à Rege Theodorico contra Symmachum Romanum Pontificem. Idcirco qui à Papa ad Cõcilium appellant, volũt illudere, & irridere Maiestatẽ Superioris, & vt inquit B. Tho. 2. 2. q. 69. art. 3. potius intendunt diù litem & causam protrahere ac differre ne contra eos iusta sententia proferatur (cum ridiculum sit, vt inquit Pius Secundus, ad id appellare, quod nusquam est, neq; scitur quando futurum sit) moram afferre, nè iusta sententia contra eos proferatur, cũ sciant aliquando annum trãsire antequã Conciliũ congregetur, & vellent nunquã cõgregari Cõcilium, ad quod appellant. Et sicut olim Areopagitæ, cum perplexam causam aliquãdo audissent reum, & actorem ire, & post cẽtum annos reuerti iubebant. Id huiusmodi Appellantes sibi cuperent. Quare hoc modo appellantes calumniosè volunt se defendere, Quod est illicitum; Ideo grauiter sunt puniendi, vt dicit B. Tho. loco citato, & habetur c. Omnis oppressus. 2. q. 6.

His igitur de causis iustissime Summi Põtifices gladio excommunicationis eos iugulare decreuerũt, qui ausu temerario à Papa ad futurum Concilium appellare non verentur, vt hũc pestiferum abusum tollerẽt; Vnde quam plurima damna Ecclesiæ Dei oriuntur; Nam & remanent impunita scelera; nutriũtur aduersus primam Sedem rebelliones; cõceditur libertas delinquendi, & alia sequuntur mala, quæ recenset Pius II. in sua Constitutione quã de hac re edidit, vbi apertè prohibetur a sententia Papæ appellare ad Conciliũ futurum nulli licere cuius Cõstitutionis meminit Alexãder in Rub. De Appella. Quam vt dixi renouauit postea Iulius II. Cuius Constit. ad verbũ meminit Card.

A Iacobat. De Conc. lib. 10. art. 1. Vbi inter alia sic ait. *Sanè licèt olim felicis recordationis Pius Papa secundus Prædecessor noster de fratrum suorum S.R.E. Cardinalium cunctorumq; Prælatorum, ac diuini & humani iuris interpretum Curiam Romanam sequentium in dicta seu Congregatione Mantuana existentium approbatione matura prius & graui præmissa discussione, & de eorumdem Congregatorum vnanimi consilio & assensu, ac ex certa scientia prouocationes ad futurum Concil. efficacissimis, & palpabilibus rationibus tanquam erroneas & detestabiles damnauerit, ac sub excommunicationis latæ sententiæ, & interdicti pœnis præceperit, ne qua persona cuiusuis dignitatis, siue etiam Vniuersitas aut Collegiũ quouis quæsito colore ab ordinationibus sententiis, seu mandatis quibuscunque eius, aut successorum suorum appellationem huiusmodi interponere auderet, & contrafacientes vna cum fautoribus suis, & consilium an auxilium præstantibus, siue hi Tabelliones essent siue Testes, siue Aduocati siue alii quicunque non solum pœnis censuris prædictis sed etiam iis quæ læsæ maiestatis, & hæreticæ prauitatis Reis imponuntur obnoxios esse statuerit.* Et paulò inferius *Nos igitur attendentes quam detestanda sit eorum peruersitas, qui propriis inixi commodis, & nefariis cupiditatibus mancipati salubria decreta Patrũ, & superiorum iussa spernentes, inconsutilẽ Christi tunicam scindere, aut etiam scissionis causam præbere contendunt, et Ecclesiæ vnitatem diuidere prædictæ sanctæ sedis apostolicæ principatum tollere, & contra tot sanctorum Patrum, & sacrorum Conciliorum decreta tenere, & damnabiliter magna audacia obedire non erubescunt, & contrafacere non verentur, asserentes inter cetera, consulentes persuadentes, determinantes, seu interminationi huiusmodi interessentes sola cõsilii præstatione, seu persuasione deliberatione aut determinatione, quod aliquibus casibus à Rom. Pont seu eius sententia, vel decreto ad futurum Concilium generale appellari possit, dicta Pii prædecessoris Constitutione non obligari, nisi in ipsa actuali appellatione & illius interpositione, vel scripturæ compositione se immiscuerit. Ne de cetero tali assertione se excusare, ac tale quid in posterũ præsumere valeant, opportunam, tam immani ac periculoso morbo medelam adhibere volentes, hac generali, & in perpetuum valitura constitutione, ex certa nostra scientia, & potestatis plenitudine de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio promulgatæ, sancimus Constitutionem Pii prædecessoris præfatam, tam citra quam vltra Montes & in Vltramontanis partibus, quoad omnes, tam ecclesiasticas, quam seculares personas etiam regali dignitate, & Cardinalatus honore fulgentes Capitula Vniuersitates Communitates, & Collegia, Congregationes, & Synodos, & parlamenta, valuisse, & perpetuò valituram declaramus.* Hæc habentur in dicta Constitutione Iulij Secundi, quæ refertur à Card. Iacobatio loco citato, & à Caietano in in Summa Ver. Excommunicatio cap. 25.

CAPVT II.

Quæ genera personarum significare voluerit Summus Pontifex illis verbis, omnes & singulos, cuiuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint.

HIs verbis Summus Pontifex includit omnes personas, quacunquè dignitate præfulgeant. Et istæ voces Status, Gradus, & Conditio sæpè confundũtur, & frequenter ad eandem rem significandam vsurpantur; Vnde conditio interdum ponitur ad denotandũ statum personæ, vt cum dicimus hanc esse liberæ conditionis, aut seruilis c. vlt. De Seruis non Ordi. c. Liberi 32. q. 4. Similiter licet propriè gradus illi dicãtur, per quos de vno ad alium ascendimus, de quibus loquitur

Cicero lib. 6. Epistol. Famil. Epistola cuius initium est Quod tibi non tàm, propè med. ibi. *Quemadmodum igitur scalarum gradus, &c.* Tamen per similitudinem, vti solemus hoc nomine Gradus pro distinctione, seu qualitate personarum, illarumq; dignitate, Et ad hûc modum sumêtes hanc você non solum habemus Gradus in scientiis, & militia; vnde Professores earum, & milites dicuntur graduati l. 2. C. de Off. Magi. Offic. ibi, *Vt is gradu cæteros antecedat, quem stipendia, &c.* Sed etiam sunt gradus in Ecclesia 19. dist. in principio, vbi dicitur *Quæritur quem gradum in Ecclesia obtineat.* Sunt etiā gradus in Magistratibus, & dignitatibus secularibus, ac têporalibus, de quibus per Doct. ff. de off. eius l. 1. Quare gradus generaliter significat dignitatem. Vult igitur Papa his vocibus significare omnes, cuiuscunq; B dignitatis existant, delinquentes in hunc Canonê innodari excômunicatione, maximè quia præmittit clausulam *Omnes, & singulos,* quæ omnes comprehendit, & nullum excludit, Glo. in c. Vt circa de elect. lib. 6. §. fi. in Ver. Omnia, & singula, sequitur Ludou. Rom. in l. Si vero §. De Viro n. 57. in 31. fallen. ff. Solu. Matr. Rebuf. supra Concor. in forma litera. execu. manda. Apost in V. Omnia, & singula pag. 633. Ex his patet hunc Canonê esse generalem, & neminem esse exceptû ab hac excommunicatione si delinquat in hunc Canonem, siue sit persona ecclesiast. siue laica; Vir, vel Foemina, plebeia, vel nobilis; dignitate prædita, vel nullam habens dignitatem. Quare amplectitur etiam Reges, Imperatorem, & Episcopos. Nec obstat c. Quia periculo- C sum de sent. excom. lib. 6. quod habet per Canonê generaliter imponentem suspensionem non includi Episcopos nisi exprimantur. Primo quia hic Canon non solum habet verba generalia, sed etiā dictiones quasdam, & clausulas præcipuas (vt vidimus) quibus significantur omnes personæ, quacunq; dignitate fungantur. Secundo quia Bulla Pij Secundi, qui primùm tulit hanc excommunicationem ad tollendam omnê ambiguitatê exprimit illos, his verbis, *Etiamsi Imperiali, Regali, vel Pontificali præfulgeant dignitate.* Tertiò quia in dicto c. Periculosum speciali ratione statutum fuit quoad suspensionem, vt non intelligantur inclusi Episcopi sub vniuersali Constitut. secus autem est quoad D excommunicationem, & alias poenas, vt Glos. inquit in eodem c. Quia periculosum, & ego probaui in lib. 3. Disp. 10. cap. 5. & assignaui rationem diuersitatis. Ob eandem rationem in hoc Canone comprehenduntur Cardinales, quamuis de illis magis dubitari possit, nā c. 1. De Schisma lib. 6. vt poena ibi generaliter imposita haberet locum etiam in ipsis Cardinalibus nominatim exprimuntur Cardinales, quasi inclusi minimè fuissent, si expressi non essent, Nihilominus nullo modo dubitandum est excommunicationem huius Canonis afficere etiam ipsos Cardinales, quamuis nô nominentur, tum propter illa verba in Canone posita, quæ ostendunt omnem personam in quocunq; dignitate existentem, tû quia (quod maius est) ea, quæ pro- E hibentur in hoc Canone, sunt damnata, quia mala, idest repugnant iustitiæ. Quare etiamsi Cardinales secundum communem opinionem, vt inquit Gomez. in proemio Reg. Cancel. q. 4. non includuntur sub Reg. Cancel. odiosis disponentibus de ijs, quæ ex sui natura mala non sunt, ex stilo, & consuetudine Curiæ potius, quàm Iure, tamen comprehenduntur sub lege generali Papæ fauorabili, & etiam poenali prohibente ea, quæ de se sunt mala, qualia sunt prohibita c. In nomine Domini 23. dist. c. Si quis pecunia 79. dist. c. si quis suadente 17. q. 4. c. Omnis de Poen. & Remiss. c. Felicis A de poen. lib. 6. & Clement. Si quis suadente de Poen. In quibus tamen non exprimuntur Cardinales. Legendus est Nauarrus in Tract. De dat. & Promiss. pro iust. &c. Notab. 9.

CAPVT III.

Quas personas, & quo genere interdicti intendat obstringere Papa illis verbis Vniuersitates verò Collegia, & Capit. quocunq; nomine nuncupêtur, interdicimus.

VNiuersitas significat multitudinem hominû, nec pôt consistere in vno. Vnde multitudo Doct. alicuius Ciuitatis, & Academiæ appellatur Vniuersitas, vt Parisiensis, Salmaticensis, Collegiû dicitur Congre- B gatio, & societas quorumcunq; hominû. Multa autem requiruntur ad constituendum Collegium, vt probat Innoc. in c. Dilecta de excess. Prælat. Nempè vt tanquâ vnû corpus habeat Prælatum, veluti caput; adsit sigillû commune; possit côstituere Procuratorem; habeat arcâ communem. Duo aût, vel tres faciunt Collegiû l. Neratius ff. de verb. sign. Qui possunt eligere Prælatû c. 1. de elect. Differt autê Vniuersitas, & Corpus à Collegio, vt inquit Turrecr. 12. q. 2. c. Qui manumittitur, quia corpus est hominum Collectio eiusdem officii, & muneris in eadem Ciuitate separatim degentium, vt Fabrorum, Pistorum, Scriptorum, & aliorum. Collegium verò est Congregatio hominum simul viuentiû, vt Monachorum, Canonicorum alicuius Ecclesiæ, & C similiû. Capitulû plures potest habere significationes, sed aliquando sumitur pro congregatione multorum, præsertim ecclesiasticorum, vt notat Io. And. in c. Cap. de Rescr. cuius auctoritas, & potestas consistit in maiori parte, ita quod totum Capitulum facere dicitur, quod agit maior pars cap. Cum in cunctis de his, quæ fiût à maiori parte Capituli. Quare Sum. Pont. his tribus nominibus collectiuis in hoc Canone comprehendit omnê multitudinem, Populum, Congregationem, Societatê, Communitatem, Rempub. Senatum, & tandem omnê Vniuersitatem tam ecclesiasticarum, quam secularium personarum, quæ, si aduersus hunc Canonê agat, interdicitur. Nā cum Collegium, seu quæuis D Communitas excômunicari nequeat, vt diximus in c. 6. disp. 10. lib. 3. ob eā rationem, quia innocens aliquis excommunicaretur, vt inquit Innoc. 4. in Conc. Lugd. c. Rom. §. In Vniuersitatê de sent. exco. lib. 6. Excom. autê non fertur nisi pro peccato mortali. Propterea à Sum. Pont. iustissimè interdicitur, idest suspenditur à diuinorum officiorum, sacramêtorumq; actiua, & passiua celebratione, & prohibetur ecclesiastica sepultura, Ab his enim priuat Interdict. eccles. Vnde quamuis excom. solum ferri possit in personas, interdictum autem infligitur quandoq; in personas, quandoq; in locû quare duplex est interdictum, locale, & personale.

Hinc merito dubitari potest de interd. huius Canonis, an sit locale, vel personale, nā videtur aliqua ratio- E ne esse interd. personale, vbi enim interdicitur Communitas, Collegiû, aut Vniuersitas non censetur locus interdictus, nomine enim Communitatis, &c. comprehenduntur personæ, non locus, quod probatur ex tex. in c. Si sent. §. Cum vero de sent. exc. lib. 6. Vbi Populo interdicto singuli de Populo censentur interdicti. Accedit tex. in c. 1. De vsur. lib. 6. Vbi distinguitur interdictum Collegij, aut Vniuersitatis ab Interdicto locorum. Ex alia parte videtur potius affirmandum interdicta Côminitate locum censeri interdictum, secus enim sequeretur facillimè Ecclesiastico Interdicto fraudem fieri posse, quia non posset commodè seruari

Inter-

Interdictis exclusis, quando à loco ob eorum multitudinem excludi non possent. Est tex.in c.Quod nonnullis De Priuileg. Vbi probatur Iure veteri considerato non potuisse celebrari diuina officia Interdictis, & Excommunicatis exclusis, etiam ianuis clausis in loco,cuius Communitas fuerat interdicta; Igitur constat interdicta Vniuersitate censeri etiam locũ interdictum. Qua in re Couar.in c.Alma Mater 2.par.§.1. nu.7.asserit probabilius esse affirmare,& tutius,interdicto Collegio, intelligi etiam interdictum locum; Et in eandem sententiam citat plures Doctores,quã ego amplector. Propterea existimo interdictum huius Canonis esse locale, & comprehendere ipsum locum.

Si postules,an sit etiam Interdictũ personale,idest; An si aliqua Vniuersitas,vel Collegiũ, vel Capitulum contra prohibitionem huius Canonis appellat à decretis Summi Pontificis ad Capitulum, intelligantur interdictæ personę illius Collegij,vel Vniuersitatis,ex quibus illa Vniuersitas constat tanquàm ex partibus.

Nauar.in Tract.de Iubilæo Notab.28. nu.14. asserit interdicta Ciuitate non censeri interdictos Ciues, sed locum ipsum esse interdictum; Vnde Ciues, qui culpabiles non sunt, extra Ciuitatẽ sacra audire posse c.Si sententia §.Cęterum de Sent.Excom.lib.6.Et idẽ videtur fateri Couar.in dicta 2.par.Relect.cap.Alma Mater §.1.nu 7.Vers.Tertiò notandum.Et huius dicti reddi potest ratio; Quoniam Ciuitas,Castrum,Villa, Oppidum,Ecclesia propriè etiam assumi possunt pro ipso loco ratione materiæ subiectæ,quia Interdictum Ecclesiasticũ cadere,& decerni potest in locum ipsum, prone materia est quædam continens ædificia,& alia, quæ necessaria sunt ad hominũ habitationem. Verùm id affirmare non possumus,quando interdicitur Populus nam populus propriè non pro ipso loco, nec pro ficta persona, sed pro ipsis singulis loci habitatoribus assumitur,vt probatur eod. c.Si sentẽtia §.Cum verò De Sent.Excom.lib.6. Quãuis enim aliud sit Populus, Vniuersitas,& Collegium; Aliud singuli de Collegio, vel Vniuursitate, vt dixit Ludoui. Roma. cons. 400. Quæritur, An statutum &c.Et ideo nomine Vniuersitatis, propriè loquendo, non comprehenduntur personæ; Quare seruus Collegij, aut Vniuersitatis nõ est singularum personarũ eius l. Sed si hac §. Qui manumittitur ff. De in ius vocan. c.Episcopus 12.q.2. Nec bona Vniuersitatis sunt bona singulorũ l In tãtum §. Vniuersitatis ff.De rer.diuis. Tamen ab hac propria Vniuersitatis significatione recedendum est ratione propositæ, & subiectæ materiæ, nè alioqui Interdictũ in Vniuersitatem decretum inanè sit,& absq. vllo effectu reddatur,vt dicitur in eod. c.Si sententia De Sent. Excom. lib.6. Nam si Interdictum latum in Populum, & Vniuersitatem esset propriè intelligendum vt personam fictam,& repræsentatam afficeret, nullus esset effectus. Propterea nè Interdictũ sit inane,sed aliquid operetur, dicẽdum est singulos de Vniuersitate Ligari, sicut etiam interdicta Ciuitate censentur interdicta Suburbia c.Si Ciuitas De Sent.Excom. lib.6. non quia suburbia sint pars Vrbis, sed nè Interdictum sit inane,ex quibus necessariò colligitur Interdictũ huius Canonis latũ in Vniuersitatẽ &c. nõ solùm locale, sed personale esse,& afficere etiã singulos ipsius Vniuersit.

Sed adhuc oritur alia difficultas, An hoc Interdictum incurrant etiam illi de Vniuersitate, qui erant absentes, quãdo Vniuersitas deliquit aduersus prohibitionem huius Canonis, & illi, qui licèt præsentes erant, non consenserunt,immò potius contradixerũt.

Respondeo hoc interdicto ligari omnes, & singulos A ipsius Vniuersitatis, aut Collegij etiã non culpabiles, quoniam non est Interdictum locale tantũ, tunc enim habitatores,& Incolæ,qui culpabiles non fuissent,possent extra locum illum diuina officia audire, & sacramenta percipere, vt apertissimè habetur c. Si sententia §.Cæterum de sent.excom.lib.6. Et eadem ratione possent in Ecclesia extra locum interdictum sepeliri; sed cũ sit etiam interdictum personale(vt diximus)afficit omnes illos quoque, qui non fuerunt in culpa, vt inquit Silue.V,Interd.2.§.13.ex sententia Io.Andr. in dicto c. Si sententia; quia licet regulariter absens, & ignorans non obligetur ad pœnam ex delicto prouenientem c. Aliquis 15.qu.1. quia pœna suos tenet auctores de pœnit.dist.1. c.Nemo,tamen est peculiare in
B pœna interdicti, vt puniantur ab Ecclesia illi, qui non commiserunt delictum, vt dicitur in dicto c.Si sententia. Et ratio est, nam licet hæc censura sit pœna ecclesiastica,non est tamen propriè spiritualis, quia non afficit animam, nec priuat communione suffragiorum Ecclesiæ, vt diximus, & probat Couar. lib.2. Variar. Resolu.c.8.n.10.licèt Glos. in dicto c. Si sententia Ver. Interdicti eam spiritualem pœnã appellauerit. Ideircò quamuis æquitati repugnet, vt quis propter alterius crimen puniatur pœna spirituali, de qua intelligitur illud Ezec.18. *Anima,quæ peccauerit,ipsa morietur,* Non est tamen absurdũ,vt pœna temporali quis ex alterius delicto afficiatur,iuxta illud Deuter.c.5.Exod.20. *Ego sum Dominus Deus tuus reddens iniquitatem patrum super*
C *filiis in tertiam,& quartam generationem* Quoad Deum verò, qui non fuerunt culpabiles,sunt immunes omninò à pœna. Quare ex hoc Canone interdicuntur ipso facto omnes personæ Vniuersitatis, quæ fuerunt culpabiles in hoc delicto, & crimine committendi aduersus hunc Canonẽ. Isti sunt etiam anathemate,& excõmunicatione innodati, quę excommunicatio continet totam pœnam interdictidicti, & aliquid amplius. Alij verò non culpabiles incurrunt solam interdicti pœnam, Est enim certissimum posse aliquam Ciuitatem interdici celebratione diuinorum officiorum, & sacramentorum collatione, ob vnius culpã, nempè Domini Rectoris ipsius Ciuitatis vt est textus in cap.Non est vobis de Sponsal Et similiter ob culpam illius, qui iuris-
D dictionem spiritualem,& ecclesiasticam habet, scilicet Episcopi secundum Archid. in dicto c.Si sententia de sent.excom.lib.6.Et de hoc Interdicto satis sit dictum.

CAPVT IV.

De Explicatione illius Clausulæ Ab ordinationibus, seu Mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad Vniuersale futurum Concilium appellantes.

IN Bulla Grego.xiij. & Sixti V. habetur etiam alia Dictio *A sententijs* ad hunc modum *Ab ordinationibus sententiis seu mandatis.* Eadem verba leguntur in Bulla Pij II. Quare quæri potest.

E Primò an hæ Dictiones accipiantur ad significandum quid diuersum, vel ad idem denotandum,& quid his vocibus velit intelligere Papa.

Respondendũ est,quod licèt hæc nomina, & alia similia reperiantur aliquando apud Scriptores sub varijs significationibus accepta,vel ab ipsa ethimologia nominis,vel ab vsu,vel ab ordine,& modo pronũciandi,vnde Glo.in c.omnes dist.3.ponit distinctionẽ inter Const.Dogma,Mandatũ,Interdictũ,& Sanctionem; tamen frequentius confunduntur, & vsurpantur promiscuè absq; vlla distinctione ad candẽ rem significanda.

Quare ordinatio significat etiam sententiam, & mandatum; qui enim in causa sententiam dicit, ordinat, mandat, statuit, decernit. Similiter quamuis mandatum differat à præceptò, quia mandatum morte mandantis finitur cap. Relatum de off. deleg. Glo. in cap. Quisquis Ver. Quod præcipitur 14. q. 1. Secus autem præceptum in Auth. Vt nulli Iudi. §. Et hoc raró iubemus coll. 19. Quandoque tamen æquiparantur l. Si quidam C. De Actio. & Oblig. cap, Pastoralis de offic. Deleg. Hoc in loco Papa his vocibus vult comprehendere omnia præcepta, & decreta Summi Pontificis, quomodocunque appellentur, A quibus si quis appellet ad futurum Concilium, incidit in excommunicationem huius Canonis.

Quæret secundò aliquis, cur Papa non sit vsus nomine statutorum, vel legum, vel Constitutionum, & similium, quæ potius habent vim Canonis, & Generalis Constitutionis, & non dixerit, Si quis appellauerit à Statutis, vel legibus Papæ ad futurum Concilium, sed voluit potius apponere nomen ordinationum, vel Mandatorum, quæ significant particulares sentẽtias.

Respondeo id fortasse ob eam rationem factum esse, quoniam magis rationabiliter potuisset aliquis dubitare, an à particulari præcepto licita esset appellatio ad Concilium, quàm ab vniuersali Constitutione, quia facilius circa res particulares, & actus singulares Papa potest errare ex falsis probationibus ductus, 40. dist. cap. Si Papa, cap. Anastasius dist. 19. Quare dum prohibet Summus Pontifex appellationem sub pœna excommunicationis à particulari decreto Papæ ad Concilium, multò magis sub eadem Censura voluit prohibere appellationem à generali Constitutione eiusdem Romani Pontificis ad Concilium. Damnatur itaque hoc Canone generaliter sub pœna excommunicationis omnis appellatio interposita quocunque titulo, & colore per quemcunq; ab ipso Romano Pontifice ad Concilium Generale futurum. Vnde colligitur primò multò magis esse excommunicatum, qui appellat ad particulare Concilium, scilicet Prouinciale, si enim maior est auctoritas, & iurisdictio Papæ, quam Concilij Vniuersalis, & propterea non licet appellare à Papa ad Concilium Generale, quia tunc interponeretur appellatio à Maiori ad Minorem contra naturam appellationis, vt superius declarauimus, multò magis damnata erit appellatio ab eodem Papa ad Concilium particulare, quod quodcunque sit, longè inferius est auctoritate, & iurisdictione ipso Papa.

Colligitur secundo cum dicitur *Ad futurum Concilium*. Non videri excommunicatum ex hoc Canone, si quis appellaret ad præsens Concilium, si actu, & re ipsa iam esset congregatum legitimè, cui presideret Papa per se ipsum, vel per suos Legatos, quia Papa inquit *ad futurum Concilium*, & pœna excommunicationis magis est arctanda, quàm amplificanda, & talis appellatio potius dicenda esset prouocatio extraiudicialis ad causam cap. Cum sit Romana de Appell. & cap. Bonæ eod. tit. & Clem. Cantum de elect. & tunc non esset appellatio ad inferiorem, quia esset ad eundem Papam, Nam Concil. nihil agit sine consensu Papæ, nec talis appellatio interponeretur ad protrahendam definitionem causæ, neq; sequerentur illa incommoda, quæ recenset Pius II. Sed solum quis appellaret, vt idem Papa corrigeret grauamen causa diligentius in Concilio discussa, quod sibi illatum putaret,

Tertiò quæri potest, quando quis dicatur appellare à mandato Papæ ad incurrendam hanc excommun.

Respõdeo appellationem esse remedium Iuris, quo
A subuenitur oppresso in ordine iudiciario, vt ab inferiori Iudice liceat sibi postulatis Apostolis ad Superior. recurrere Glo. in c. 2. De Consue. lib. 6. Abb. c. fi. De Seq. poss. & fruct. Et iste ordo Iudiciarius, quo per appellationẽ subuenitur oppresso, solum habet locum in Iudicio exteriori; vbi agitur causa inter hominẽ, & hominẽ, Quando igitur aliquis a sententia, quã Rom. Pont. pronunciauit, ad futurum Concil. prouocat, vt eius auctoritate defendatur a grauamine, quod credit sibi illatũ esse a Papa, incurrit excommunicationẽ huius Canonis, siue appellatio sit iusta, & legitima, siue iniusta, siue in iudicio, vel extraiudicialis, nam Bulla simpliciter loquitur, *Appellantes*, & appellatio extraiudicialis vocatur appellatio Abb. in c. Bonæ de App.
B Omnis enim modus, per quem Iudicis auxilium prouocatur, appellatio dicitur Bart. in l. Si minoris Ver. Sed ista oppositio ff. De admin. tut.

Sed obijcies, si non licet appellare a Papa ad Concilium, ergo qui fuerit grauatus a Papa, erit omni remedio destitutus.

Dicendum est primò hanc obiectionem æque militare contra eos, qui censent Concilium esse supra Pontificem; nam nullum reperiretur remedium pro eo, qui à Concilio se grauatum agnosceret.

Dicendum est secundo, quod remedium contra sententiã Papę est supplicatio, & restitutio in integrum, quæ innititur gratia, & benignitate Papæ c. Cũ ex literis, & ibi Abb. n. 17. de rest. in int. Card. in Clem. 1.
C De Sequ. poss. q. 10. Ideo in dicto c. Cum ex literis dicitur, *Non negamus sententiam Romanæ Sedis posse in melius commutari*, Sed id fit auctoritate eiusdem Papę, qui causas pręsertim arduas, & difficiliores in Concilio Episcoporum discutere solet, vt patet ex c. Mandastis, & c. Auditum 9. q. 5. cap. Deo eo dist. 50. cap. Benè quidem dist. 96. & c. Ad sedem 35. q. 5.

Dicẽdum est tertiò necessarium fuisse ob optimum Ecclesiæ regimen, vt à Deo in Republica Christiana constitutum esset vnum caput inter homines in totó ordine iudiciario fori exterioris, ad quod à quocunq; homine, Rege, vel Imperatore, qui iniustè læsus esset, appellare posset, à cuius sententia, & definitione non esset amplius appellandum, nè daretur processus in in-
D finitum. Sed tunc recurrendum essee Deo, & supplicandum, vt ipse remedium adhiberet, cum certum sit Deo fore curæ omnium salutem. Tale Caput est Papa, qui supremum gradum tenet, secus appellatio non releuaret à grauamine, propter quem finem inuenta fuit, sed esset præsidium iniquitatis, & defenderet hominem in malitia c. Suggestum, & c. Ad nostram de app. Idcirco in c. Ad Rom. 2. q. 6. hęc scribuntur, *Ad Rom. Eccl. ab omnibus maximè tamen ab oppressis est appellandum, & concurrendum quasi ad Matrem, vt eius vberibus nutriantur, auctoritate defendantur, à suis oppressionibus releuentur, quia non potest, nec debet Mater obliuisci filium suum*. Hoc idem patet c. Quicunq; litẽ habens 11. q. 1.

E

CAPVT V.

Super explicatione vltimæ Clausulæ huius secundi Canonis, Necnon eos, quorum auxilio, vel fauore appellatum fuerit.

VT dicebam initio huius Disp. Personæ principales quæ excommunicantur in hoc Canone, sunt illæ, quæ appellant à Papa ad Concil. accessoriæ vero sunt, quæ auxilium præbent, vel fauorẽ ad appellandũ.

Auxilium vocatur omne subsidium, ministeriũ, vel adiutoriũ, quod quis alteri præstat ad aliquid agendũ

& vt

& vt cōprehendatur omnis quocunque modo præstās opem, additur verbum *Fauorem*, quę duę voces idem significare videntur, nam fauor, & auxilium confunduntur. In Bulla Gregorij xiij. quam explicat Nauar. vltra auxilium, & fauorē ponitur *Consilium*, quæ vox non habetur in hac Bulla Pauli, Consilium accipitur pro persuasione, seu impulsione verbali ad maleficiū committendum, sicut etiam persuasio ad bonum agendum dicitur Consilium, vnde consilium, quod alteri datur potest esse bonum, vel malum l. In furti §. pen. ff. de verbo. signif. Interdum consilium accipitur pro auxilio, nam commodans scalas ad furtum faciēdum dicitur præstare consilium non verbo, sed re ipsa Instit. de oblig. quæ ex delicto nascuntur §. Interdum quoque furti. Differentia est autem inter Consilium, & auxilium, seu opem, si proprie sumantur, quoniam consilium est intentio hominis, siue propositum, quo dirigit se, vel alium ad finem 22. q. 4. per totam, & l. si quis fur §. 1. ff. de verbo. signif. Opem dicitur ferre, vel auxiliū, qui ministerium, vel adiutorium præbet, quare consilium est ad mentem instruendam, auxilium, & fauor ad adiuuandam operis executionem. De his vocibus plura dicam in Disp. 12. cap. 6.

Dubitari igitur primo potest, an in hac Bulla sub nomine auxilij, & fauoris intelligatur etiam consiliū, Nauar. in explicatione tertij Canonis Bullæ inquit, quod licet aliquando in aliquibus Canonibus Bullæ non exprimatur specialiter consilium, quod forsan in Bullis præcedentium temporum erat expressum, tamen semper generaliter intelligitur consilium comprehendi, quoties in illis legimus auxilium, & fauorem, nam negari non potest eum, qui consulit, auxiliari, & fauere, quę opinio Nauar. videtur probabilis, & rationi consentanea, tum quia consilium est genus fauoris, tum quia accipitur pro ipso auxilio, & facto, vt diximus, facit tex. in c. Sicut dignum §. Clericos de Homic. vbi æquiparatur auxilium consilio in causa homicidij. Eiusdem sententiæ est Card. Toletus in sua Summa lib. 1. in fi. cap. 20. & probat ex l. Qui setuo §. Idem Pompo. ff. de furt. Bart. in l. Non solum §. si mandato num. 17. ff. de iniur. Tamen vnum reddit dubiam hanc opinionem, nempe quod Papa, quādo vult comprehendere consilium in hac Bulla, solet illud nominatim exprimere, vt in 7. Can. & in 10. Ideo probabilissimum est affirmare oppositum, vt quando consilium non exprimitur, non sit mens Pontificis illud comprehendere, sicut in hoc Canone, voluit enim Summus Pontifex in hoc Canone coercere Principes, & Potentes, qui factis externis, non actibus interioribus resistunt.

Dubitari potest secundo, an qui auxilium, vel fauorem præbet post appellationem interpositam à sententia Papæ, vt appellans possit tueri appellationem, & contumaciam suam defendere, incurrat hanc excommunicationem.

Respondeo non incurrere, quia non præstat opem ad appellandum, quod prohibetur in Canone, sed ad ea, quæ sequuntur post appellationem, & hæc inter se longe differunt, & ex vno non fit illatio ad aliud in pœnis. Quare qui hoc modo fauet post appellationem, licet erret, & dignus sit graui pœna, non tamen erit excommunicatus excommunicatione huius Canonis, quamuis qui appellauit actus specialis auxilij, & fauoris ad appellationem processerit, dummodo nulla promissio, & conuentio præcesserit.

Tertio dubitari potest, an semper, quando fauor, & auxilium præcedit appellationem, incurratur hæc excommunicatio.

Respondeo tunc tantum fauentem affici censura excommunicationis, Bullæ Cœnæ si appellatio re ipsa sequatur, non alias vt inquit Nauar. in Manu. cap. 27. num. 58. Quantumuis enim quis prouocet alterum ad appellandum, & ad hunc finem eo modo, quo potest, adiuuet illum, tamen donec alter re ipsa appellationem interponat, neuter hac excommunicatione obstrictus remanet. Ratio est, quia dantes auxilium non sunt principales personæ subiectæ excommunicationi sed accessoriæ, quare iuxta regulam Caiet. in Sum. V. excommunicatio in princ. excommunicatio non fertur per se, & immediatè in illas, sed solum quatenus sunt cooperatrices ad principalem actionem, & idcirco, vt incidant in excommunicationem, necesse est, vt subsequatur principalis actio damnata, & hæc est appellatio, quod optimè explicatur illis verbis Bullæ *Quorum auxilio, & fauore appellatum fuerit*, ergo, ad incurrendam Bullæ excommunicationem, necessaria est appellatio. Immo ex ijs verbis colligitur non incurrere hanc excommunicationem illos, qui præstant auxilium, & fauorem ad appellandum etiam sequuta appellatione, dummodo tali auxilio, & fauore nihil cooperati sint ad appellationem, quoniā etiam sine tali auxilio appellatio sequuta fuisset, non fuit enim efficax auxilium, sed Bulla intelligenda est de illo auxilio, vel fauore, sine quo appellatio interposita non fuisset. Silue. Ver. excommunicatio 10. §. 5. & excommunicatio 8. §. 12. Ideo Papa inquit *Quorum auxilio appellatum fuerit*, facit l. qui seruo ff. de oblig. quæ ex delic. nasc.

Verum licet Consulens alicui vel fauens aut quouis modo auxilium præstans vt appellet ad futurum Concilium, non remaneat censura Bullæ Cœnæ innodatus nisi secuta appellatione, tamen incurrit excommunicationem latam à Pio Secundo & Iulio Secundo in suis extrauag. vt notat Nauar. in Comment. super Constit. Greg. XIII. de datis & promiss. pro Iust. vel gra. Not. 8. nu. 15. Quia dicti Pontifices principaliter excommunicatis gladio percutiunt non solum ipsos appellantes sed etiam consulentes, verba extrauag. sunt, *Quicunque decreuerint consuluerint seu deliberauerint seu aliorum dicta approbauerint, consilium aut votum dederint, vt ad futurum vniuersale Concilium si nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus contra prædictam constitutionem appellari liceat possit, vel debeat.* Idem confirmauit Nauar. conf. 5. in tit. de regular.



EXCOMMVNICATIO TERTIA
ITEM EXCOMMVNICAMVS, ET ANATHEMATIZAMVS OMNES PIRATAS, &c.

DISPVTATIO QVARTA.

De excommunicatione lata contra Cursarios, ac latrones Maritimos.



Ateria huius Canonis est latrocinium maritimum, scilicet quod in Mari exercetur, præcipuè à Monte Argentario vsque ad Tarracinam. Personæ principales sunt Piratæ, & latrunculi, minus principales, & ac cessoriæ sunt Piratarum Fautores, Receptatores, & Defensores. Actio principalis est discurrere ipsum Mare, sed ante Sixtum Quintum in Bullis Gregorij XIII. & præcedentium Pontificum ad principalem actionem plura requirebantur, sic enim *Qui Mare nostrum &c. discurrere, & Nauigantes in illo deprædari, mutilare, interficere, ac rebus, & bonis suis spoliare præsumpserunt hactenus, & præsumunt* Actiones accessoriæ sunt tres, prima receptare ipsos Piratas; Secunda fauere; Tertia defendere, Nauar. addit quartam, scilicet consilium dare, & Toletus etiam. Sed de hac quarta quid sit sentiendum, dixi in Cap. 5. Præcedentis Disp.

Caput Primum, Quales latrones, & Piratæ excommunicati intelligantur illis verbis, Omnes Piratas, Cursarios, ac latrunculos maritimos.

Caput Secundum, An omnes illi, qui discurrunt quodcunq; mare intentione exercendi artem Piraticam, quamuis nihil prædentur, incurrant hanc excommunicationem propter illa verba Discurrentes Mare nostrum, præcipuè à Monte Argentario vsq; ad Tarracinam.

Caput Tertium, Explicantur nonnulla dubia ad clariorem intelligentiam eorum, quæ dicta sunt.

Caput Quartum, De eadem excommunicatione lata contra Fautores, Receptatores, & Defensores Piratarum.

CAPVT I.

Quales latrones, & Piratæ excommunicati intelligantur illis verbis Omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos maritimos.

Pirata græce est Prædo marinus, & dicitur Pirata quia mare peruagatur, vt communiter sentiunt Doctores, vel secundũ alios Piratæ vocantur ab igne, nam græcè ignis dicitur Pir, quia incendebant Naues, & Insulas, quas capiebant, Rebuff. in explicatione huius Canonis putat ita vocari à nomine primi

A Latronis maritimi, à quo cæteri sunt appellati. Sed quidquid sit de ethimologia huius vocis Papa significat hoc nomine latrones, qui in mari versantur, vt deprehendentur, & spolient eos, qui nauigio vehuntur, quod clarius explicat, cum addit illas duas dictiones *Cursarios, & Latrunculos Maritimos*. Nam tales Piratæ dicũtur sermone italico Cursarij maritimi, quia huc, & illuc percurrunt, & latrones quia vel à latere adoriuntur nauigio vectos, vel melius, quod latenter insidientur.

Dubitatur, an in hoc Canone excommunicentur B omnes, qui in mari prædantur, an vero illi soli, qui ex principali intentione, & instituto suæ nauigationis latrocinium exercent, & propriè vocantur Piratæ, & latrones maritimi.

Angelus excommunicatio 5. casu 18. & Ver. Pirata tenet omnes, qui in mari furantur, propriè vocari Piratas sine vllo discrimine, & incidere in hanc excommunicationem, siue percurrat mare hac particulari intẽtione, & fine, vt deprehendẽtur Christianos nauigantes, vel ob alium finem licitum, & honestum, vt ad sua negocia tractanda, ad deferendas merces, & C quid simile. Si interim accidat, vt spoliant Christianos, aut etiam si id faciant titulo belli iniusti expolliantes eos, contra quos bellum gerere profitentur, in his omnibus casibus esse excommunicatos censura huius Canonis ob eam rationem, quoniam censet ad incurrendam excommunicationem nihil aliud requiri, quam furtum committere in mari absque titulo belli iusti, & id sufficere ad constituendum Piratam, & latronem maritimum. Eiusdem sententiæ est Caiet. qui in c. 18. dicit materiam huius Canonis esse latro-D cinium maritimum, putat igitur incurri hanc excommunicationem, quoties committitur furtum in mari.

Alij putant tria necessaria esse ad constituendum Piratam, & idcirco non sufficere, vt committatur latrocinium in mari ad incurrendam hanc excommunicationem, nisi, qui committit, sit Pirata. Ita dicunt Silue. excom. 7. §. 56. & citat alios, Tabie. excomm. 5. casu 15. nu. 4. sequitur Reboff. vbi supra.

Primo requiritur, vt indifferenter sine vlla distinctione omnes spoliet, cuiusq; Prouinciæ, & nationis sine aliquo delectu.

E Secundo intentio principalis discurrendi mare ad hunc finem, vt deprædetur, & spoliet nauigantes. Quare inquit Silue. Non est Pirata, si Ianuensis nauigat, vt vacet negocijs suis, & interim obiter prædetur Venetos, ioteorio enim iudicat omnes c. Cum ab omni, & ibi Io. Andr. de vit. & honest. Cleri. Debet enim inspici id, quod principaliter agitur l. si quis nec causam ff. si cer. peta.

Ter.

Tertio vt id faciat non in dicto bellio, nam si quis A bellum gerit cum alio, & hanc ob causam prędatur in mare inimicos suos nauigio vectos, non est Pirata.

Vtraque opinio patitur incommoda, idcirco neutra videtur probanda, opinio Angeli est satis rigida, neque enim verisimile est Papam voluisse censura excommunicationis innodare omnes illos, qui quacunque ratione, & ob quemcunque finem in mari alios prædantur, vt si aliqui titulo belli veri etiam iniusti inimicos suos spolient armis, & victualibus ad vsum belli necessarijs ad debilitãdum hostes, & eorum vim minuendam, atque audaciam frangendam, non enim id agunt principali intentione, vt furentur, quare non possunt dici Piratæ, nec latrones, & ita non sunt excommunicati. B

Contra vero Silue. declinat in aliud extremum, & nimium restringit hanc excommunicationem. Prima enim conditio sine vlla ratione assignatur, nam qui per mare vagatur intentione expoliandi tantum Venetos, aut Gallos, vel Hispanos incurrit hanc excommunicationem, quia vere est Pirata, vt inquit recte Nauar. in Manu. cap.27.nu.59. in fine. Quod si quis contenderet talem non posse in rigore appellari Piratam, negare tamen non posset esse Cursarium, aut latronem maritimum, quod satis est ad hanc excommunicationem incurrendam, ideo Toletus etiam impugnat loco citato hanc primam conditionem.

Quare respõdendum est ad propositam dubitationem in hoc Canone contineri omnes, & singulos, qui C nauigant mare intentione deprædandi, si occasio opportuna sese obtulerit committendi latrocinium secluso titulo veri belli, quamuis principalis finis nauigationis non sit ad prædandum, sed vt exerceant mercaturam, vel alia negocia pertractent.

Probatur, quia omnes, qui hoc modo percurrunt mare, habent intentionem furandi, & committunt latrocinium, ergo remanent excommunicatione obstricti, committunt enim actum lege prohibitum sub censura excommunicationis siue contra vnam nationem, aut Ciuitatem, vel contra personam, pluries, aut semel tantum Piraticam artem exerceant, tales enim sunt Piratæ, aut Cursarij, siue latrunculi maritimi. Quibus vocibus voluit Summus Pontifex describere D omne genus latronum maritimorum. Dixi secluso titulo belli, quoniam post indictum bellum, vel existente bello dupliciter potest quis exire in mare. Primo modo Iure belli, & titulo veri belli, & sunt illi, qui exeunt auctoritate publica, vel saltem propter bonum publicum, v. g. ad explurandum, quid fiat in Castris Aduersariorum, vel vt intercipiant arma, victualia &c. Vel vt debilitent hostem, & frangant eius vires, & isti hæc peragendo non incurrunt excommunicationem Canonis, siue bellum sit iustum, & licitum, siue iniustum secundum Silue. & Nauar. vbi supra. Secundo modo quando quis non respiciens ad bellum, vel exercitum priuata auctoritate, & ad proprium commodum, & vtilitatem prędatur E existente etiam vero bello, & talem probabiliter credo incidere in hunc Canonem, non enim video, qua ratione hic excusari possit, vt non appellari debeat Pirata, vel latro maritimus.

CAPVT II.

An omnes illi, qui discurrunt quodcunq; è mare intentione exercendi artem piraticam, quamuis nihil prædentur, incurrant hanc excommunicationem propter illa verba, Discurrentes Mare nostrum, præcipuè à Monte Argentario vsque ad Tarracinam.

DVplex explicanda est difficultas in hoc Capite, & vtraque oritur ex verbis huius Canonis, quæ diuersa sunt ab illis, quæ leguntur in Bullis aliorum Pontificum.

Prima difficultas est, An Pirata vbicunq; in Mari siue Tyrrheno, siue Adriatico deprædetur Christianos, incurrat hanc excommunicationem; In Bullis ante Syxtum Quintum sic legebatur: *Excommunicamus omnes Piratas &c. & illos præcipuè, qui mare nostrum à Monte Argentario vsquè ad Tarracinam discurrere &c. præsumunt.* Quorum verborum sensus erat, quod omnes Piratæ, & Cursarij essent excommunicati, sed illi præcipuè, qui à Monte Argentario vsque ad Tarracinam discurrerent. At modò ablata particula *Et illos* mutatur sensus, & dictio sequens *Præcipuè* restingit id, quod præcedit; Nempè excommunicari omnes Piratas, qui discurrunt mare adiacens Terris Ecclesiæ, præcipuè à Monte Argentario vsque ad Tarracinam; Iuxta quem sensum Latrones deprædantes in aliis locis maritimis non essent à Papa excommunicati in hoc Canone; Et ità tenet Toletus in cap.20.prim.lib. Instruct. Sacerd.

Respondendum est ad hanc dubitationem excommunicati in hoc Canone Piratas, vbicunque deprædentur in Mari etiam extra loca Pontificis Iurisditioni subiecta, sed præsertim illos, qui discurrunt mare sub potestate Ecclesiæ à Monte Argentario vsq. ad Tarracinam.

Id probatur primò ex ipsis verbis citatis, quæ legenda sunt ad hunc modum, vt primò excommunicentur omnes Latrones Maritimi, vbicunque in mari committant latrocinium illis verbis: *Excommunicamus omnes Piratas, Cursarios ac Latrunculos Maritimos.* Et hic completur sensus huius primæ propositionis. Deinde ponuntur alia, quæ sequuntur: *Discurrentes mare nostrum præcipuè à Monte Argentario vsq; ad Tarracinam*, Quare verbum illud; Discurrentes, non est coniungendum præcedentibus, sed sequentibus, sicut denotat ipsa linea interiecta, quæ habetur in Bulla; Vt sit sensus Canonis; Excommunicamus omnes Latrones, præcipuè illos, qui discurrunt mare nostrum &c.

Confirmatur hæc interpretatio, quoniam ità redditur sensus clarus, & nulla erit diuersitas inter hanc Bullam Pauli Quinti, & præcedentes Bullas.

Confirmatur secundò, quoniam hæc interpretatio est consentanea Iuri communi; Nam in cap. Excommunicationi De Rapto excommunicantur non tantum, qui Romanos sed etiam generaliter alios Christianos in mari spoliare præsumunt.

Denique hęc expositio est conueniẽs rationi; Nulla enim apparens causa assignari potest, cur Summus Pontifex voluerit tantum excommunicationis gladio ferire Latrones, qui versantur in mari Ecclesiastico, nun in aliis locis, nàm, vt inquit Abb. in citato cap. Excommunicationi, omnes nauigantes habentur tanquàm miserabiles personæ, quarum cura Iure commu-

communi spectat ad Ecclesiam veluti ad Matrem communem omnium, quę debet defendere omnes oppressos c. Si quis ex potentibus 24.q.3. Abb. c. Cum sit generale de foro compet. num. 7. Io. de Ligna. cap. Si Clericus eod. tit. Lap. Alleg. 67. Idcirco licet Papa exprimat discurrentes Piratas in illa parte maris, quę pertinet ad Sedem Apostolicam à Monte Argentario ad Tarracinam, comprehendit quoque alios Piratas, & latrones nauigantes alios maris sinus tam eos, qui alijs locis maritimis eiusdem Sedis Apostolicæ adiacent, nempe in Mari Adriatico, quam pertinentes ad alios Reges & Principes. Voluit autem nominare illam partem à Monte Argentario ad Tarracinam, quoniam illa magis subiecta est incursionibus & infestationibus Piratarum, & Prædonum, claudit enim maritima loca Romanæ Ecclesiæ, qua fundos itur, & mari Infero adiacent, siue Tyrrheno, non procul à Monte Argentario, qui antiquitus appellabatur Circæus Mons Fabulosis Poetarum carminibus memorabilis, vbi rupes altissima viui lapidis conspicitur excisa manu, viam inter monte, & mare aperiens. In hoc igitur sinu maris solent huiusmodi Piratæ, & latrones sæpè discurrere, quia commodè naues ibi & tuto loci situ latebris occultare possunt, & repente miseros nauigantes adoriri, & deprædari.

Secunda difficultas est, an ad incurrendam hanc excommunicationem sufficiat ingredi mare, & in eo discurrere animo prædandi, & spoliandi, etiamsi re ipsa non sequatur latrocinium, an vero necesse sit, vt ibi exerceatur aliqua actio.

Et hæc difficultas propriè oritur ex diuersitate, quę reperitur in verbis huius Bullæ, & aliarum præcedentium.

In alijs legebatur hæc clausula hoc modo *Excommunicamus omnes Piratas, &c. discurrentes, & eos, qui in illo nauigant, deprędantur, mutilant, interficiunt, rebusuè, & bonis suis spoliant.* In hac Bulla aliter habetur, *Excommunicamus omnes Piratas &c. discurrentes mare nostrum, pręcipuè à Monte Argentario vsque ad Tarracinã.* Ibi perficitur clausula, & nihil aliud additur. Quare ex tenore aliarum Bullarum sequitur, quod, si quis Pirata discurreret mare animo perpetrandi illa omnia, si tamen nihil eorum exequeretur, non incurreret hanc excommunicationem, sed iuxta hanc Bullam Pauli & omnes alias post Sixtum V. nulla alia actio videtur necessaria præter discursionem. Merito dubitari potest, an Pirata hodie ex sola maris discursione sine alia exteriori actione remaneat ipso facto excommunicatus.

Ad hanc dubitationem diuersi sunt modi respondendi.

Aliqui tenent non sufficere solam maris discursionem animo deprædandi, nisi deueniatur ad aliquam actionem ex prohibitis ad incurrendam excommunicationem, hoc enim esset nimis rigidum, tunc enim sequeretur, quod si quis se exponeret nauigationi animo furandi, & statim nulla sequuta præda pœniteret artis Piraticę, & deposito tali animo deprauato rediret in Patriam, & desereret artem, adhuc esset excommunicatus, & à solo Papa absolui posset, quod non est verisimile. Et quamuis in hac Bulla ponatur solum discurrere per mare, tamen cum hæc sit actio principalis, debet esse consummata, & perfecta. Perficitur autem in mutilatione, depredatione, interfectione, & spoliatione, ergo requiritur aliqua actio.

Confirmatur, quia excommunicantur Piratæ, & Latrones, sed Latrones non dicuntur, qui per Mare discurrunt etiam animo furandi, donec actionem aliquam furandi exerceant, quia cogitationis pœnam in foro exteriori nemo meretur cap. Cogitationis De Poenit. dist. 1.

Hæc responsio non est probabilis. Primò quia si Summus Pontifex Paulus voluisset ad incurrendam hanc excommunicationem necessariam esse vnam ex illis actionibus prohibitis, scilicet Deprædari, Mutilare, Interficere, aut Spoliare, expressisset illas, sicut fecerunt priores Pontifices ante Syxtum V. Omisit illa verba Syxtus; & Pontifices eum sequuti ob illam causam, quia voluerunt, vt hæc censura latius pateret, & esset generalior; Ideo retinuerunt solùm verbum: *Discurrentes*, alia sustulerunt.

Ex hac igitur diuersitate verborum colligenda est mens Pontificis l. De Pretio ff. De Pub. l. 1. §. Generaliter ff. De Lega. præstan.

Secundo quia accipienda sunt verba in propria significatione, quando enim verba sunt clara, standum est illis l. Ille aut ille §. Cum in verbis ff. de lega. 3. l. 1. §. si is qui nauem ff. De exer. act. ibi, *Verbis edicti inseruiendum est*. Quare cum verbum discurrere ex sua propria vi non significet deprædari, mutilare &c. sequitur ad incurrendam hanc excommunicationem satis esse discurrere mare sine alia actione.

Secundus modus respondendi ad dubitationem esse potest, vt Piratæ discurrentes alia maria in locis non subiectis Sedi Apostolicæ non incurrant hanc excommunicationem, nisi exerceant aliquam actionem ex prohibitis, scilicet furandi, spoliandi &c. Nominantur enim Piratæ ab actu prædandi, & propter furtum excommunicantur. Quod si tales Piratæ discurrant mare sub potestate Pontificis, etiamsi nullam aliam actionem exteriorem committant, hac obstricti remaneant excommunicatione. Et ratio diuersitatis est, quia fit maior iniuria Summo Pontifici, si tales Piratæ præsumunt ingredi mare Sedi Apostolicæ subiectum, quàm alijs Principibus, & propterea additur clausula illa *Præcipuè* mare nostrum. Quare secundum hanc responsionem Piratæ ex solo discursu maris animo furandi non incurrunt excommunicationem ante prædam, & latrocinium commissum, nisi sit mare Pontificium, in quo statim ac incipiunt discurrere animo prædandi, censura excommunicationis afficiuntur.

Sed hæc Responsio est multo minus probabilis, quã prior, Primò quia causa materialis huius excommunicationis, propter quam à Paulo V. excommunicantur Piratæ est discursus maris, præsertim maris Ecclesiastici nulla alia requisita actione, ergo propter solum discursum incurritur excommunicatio, in quocunque mari fiat; Nam vbi Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, vt dicebam ex l. De Pretio ff. De Pub. l. 1. §. Generaliter ff. De Lega. præstan.

Secundò dictio illa *Præcipuè* Mare nostrum non habet vim mutandi dispositionem legis, vt alio modo comprehendat casum narratum, & alio modo casus implicitè contentos; Sed solùm exprimit casum minus dubitabilem, & inuoluit casus magis dubitabiles, de quibus idem iudicandum sit l. 1. §. Pater Vers. vel maximè ff. de colla. Bono. l. fin. post princ. iuncta Glo. in Vers. Præsertim ff. de libe. Homi. exhib. l. 1. & ibi notat C. de Resein. vendi. Quare Summus Pontifex excommunicat discurrentes præsertim mare Ecclesiasticum, de qua re minus erat dubitandum, vt significet velle implicitè excommunicare discurrentes mare in alijs locis, quod erat magis ambiguum serпata

uata eadem dispositione Canonis in omnibus casibus. Itaque cum verba sint clara, ex illis desumenda est intentio Papæ, & non licet recurrere ad voluntarias interpretationes.

Tertius modus respondendi, qui videtur probabilior, est, vt dicamus Summum Pontificem Paulum V. excommunicare simpliciter omnes Piratas, qui suscipiunt nauigationem in quocunque mari animo furãdi,& deprædandi, quamuis re ipsa nullum committant latrocinium, seu furtum, ita vt ex sula actione discurrendi incurratur hæc excommunicatio,etiamsi nulla alia actio sequatur,& ita tenet Toletus in c. 20. lib.1. in sua Summa Instruct. Sacerd.

Probat hanc responsionem omnes rationes, quibus impugnauimus alios duos modos respondendi, B sed præter alias hæc maximè conuincit, quoniam certum est longè diuersum esse deprædari, mutilare, interficere, rebus spoliare, & discurrere. Hæ dictiones non sunt synonimæ, neque significare possunt eandem actionem, sed plures,& varias valdè inter se distinctas & disparatas. Deprædari est rem alienum surripere, mutilare est membrum à reliquo corpore separare, ascindendo, vel debilitando c.1.& 2. de Cler.pugnan. in duello, Imol. in Glo. Militet in Clem. vni. de Homic. Felin. in c. Cum illorum col. vlt. de sent. excom. Similiter notum est cuique, quid sit interficere,& spoliare bonis. Singula hæc non significant discurrere mare, quamobrem cum Summi Pontifices ante Sixtum V. vltra discurrere addiderint illas alias actiones C enarratas, dicendum est mentem illorum fuisse, ad incurrendam hanc excommunicationem non satis esse discurrere mare non sequuta aliqua actione ex illis prohibitis, aliter illa quatuor verba fuissent superflua, & inania, quod est absurdum asserere, quia verba legis debent aliquid operari l.1.ff.Ad municip. Bal in Rub.C.qui accu.non poss. si quando de lega. 1. Alex. conf. 66. 4.par. Versa vice cum Sixtus V. & successores illas actiones prætermiserint, credendum est id fecisse, quoniam voluerunt, vt hæc excommunicatio esset generalior, & obstringeret Piratas discurrentes mare ex sola discursione, etiamsi nulla interueniret præda, aut latrocinium, quando enim cessant D verba legis, cessat eius dispositio l.4. §. Prætor, & ibi Alex. de Dam. Infect. Idem Alex. in l.1. §.veteres de acquir. poss. & interpretatio facienda est semper, vt noua dispositio,& innouatio aliquid operetur, & non temere sit facta arg. l. si stipulatus ff. de vsur. c.si Papa de Priuil. lib.6. Alex. conf. 36. Consideratis in fin. lib.4. si enim mens Sixti V. & successorum non fuisset mutare dispositionem huius Canonis,& ferre excommunicationem magis generalem, non omisissent alias actiones prohibitas in alijs Bullis, quibus reddebatur magis perspicua,& clara sententia huius Canonis ad ostendendam necessitatem actionis externæ præter discursionem maris.

Sed obijcies contra hanc interpretationem, nam E discurrere mare animo deprædandi, si non sequitur latrocinium, est peccatum internum, quod non punitur ab Ecclesia pœna excommunicationis, nec alia pœna in foro exteriori, quia Ecclesia non iudicat de interioribus, vt probatum est in lib.3. Disp.1.c.2. ergo excommunicatio huius Canonis non incurritur, nisi committatur aliqua actio ex illis prohibitis.

Respondeo non esse latam hanc excommunicationem à Papa contra eos, qui habent solum animum deprædandi, & exercendi artem piraticam sine vlla exteriori actione, hoc enim fieri minime potest, sicut A rectè probat obiectio, sed contra illos, qui deprauatum animum detegunt exteriori discursione maris, & id sufficit.

Si instes, ex hoc discursu maris sine mutilatione, deprædatione &c. nullum sequitur damnum, aut incommodum, ergo solus maris discursus non punitur pœna excommunicationis.

Respondeo primo quamuis ex solo discursu maris animo committendi latrocinium non oriretur damnum alicui, non idcirco fit non posse puniri censura excommunicationis, quia ad incurrendam excommunicationem iustè, & legitimè non attenditur necessario damnum illatum, sed vt actio prohibita sit peccatum mortale tali digna censura. Accedit, quod in multis casibus non tantum censura excommunicationis, sed etiam pœnis corporalibus punitur affectus, & conatus non sequuto effectu, de quibus tractant Doctor. in l.1.ff.quod quisq; Iuris, l.si quis nõ dicam. C.de Epi.& Cleri. l.quisquis C.ad leg. Iul. Maiest. Felin. in cap.1.De præsumpt.& in suo tract. De Conatu de qua difficultate commodius disputabo in Can.7. Bullæ cap.3. Disp.8.

Dico secundo supponi falsum non posse oriri damnum, si Piratæ aggrediantur nauigationẽ maris animo prædandi, quamuis aliquando contingat, vt non furentur, nam vbi rumor est,& fama in aliquo sinu maris versari latrunculos, mercatores, qui parati erant deferre suas merces ad diuersas Ciuitates, & alij, qui propter negocia publica, seu priuata nauigaturi erãt, retrahuntur à nauigatione, vt non amittant vitam, seu bona, vnde non parum oritur damnum Reip. Rectè itaque talis discursus maris censura excommunicationis puniri potest.

CAPVT III.

Explicantur nonnulla dubia ad clariorem intelligentiam eorum, quę dicta sunt, & postremum erit an in corpore Iuris habeatur alia excommunicatio contra huiusmodi Piratas,& quomodo differat ab excommunicatione Bullæ.

Ex verbis huius Canonis, quæ hactenus exposita sunt, emergunt multæ dubitationes, quæ indigent declaratione.

Prima est, an incurrant hanc excommunicationem Piratæ, qui prædantur, & spoliant quoscunque non tantum Christianos, sed Turcas, Iudæos, vel alios Infideles.

Respõdendum est in primis hac excommunicatione non innodari illos Piratas, qui deprædantur Turcas, qui semper vi, & iniuria, & quacunque via possunt, occupant res Christianorum, cum quibus perpetuum gerimus bellum iustè, & legitimè, & ars piratica contra eos ex communi consensu non putatur illicita, quia exercetur titulo belli iusti potius ad defensionem, & ad minuendas vires inimicorum, quàm ad furtum committendum.

Si vero loquamur de alijs Infidelibus, qui non sunt infesti Christianis, contra quos non gerimus iustum bellum, vt de Iudæis,& similibus, maior videtur difficultas, quia hæc excommunicatio simpliciter fertur contra omnes Piratas & latrones maris absq; vlla distinctione, sed qui furantur hos Infideles, propriè exercent artem piraticam, ergo sunt excommunicati, maximè quando huiusmodi Infideles nauigant mare Christianorum habita facultate à Summo Pontifice, vel alio Principe Christiano.

Tamen

Tamē probabilius est asserere eandem esse rationē de his Infidelibus, idest Piratas Christianos, si solùm exerceant hanc artē in Infideles quoscunq; licèt actio sit praua, & iniqua, non comprehendi sub hac censura. Primò quia hæc interpretatio est magis cōsona Iuri communi in cap. Excommunicationi De Rapto. vbi id fuit expressum; Excommunicantur enim Piratæ, qui Romanos, vel alios Christianos capere, & rebus suis spoliare præsumunt. Secundò non videtur verisimile Summum Pontificem tàm graui censura velle afficere suos fideles, si damnum inferant Infidelibus, postquam Infideles, si spoliēt Christianos, non possunt puniri excommunicatione, quia censurarum non sunt capaces, nec subiecti Iurisdictioni Ecclesiæ; Est enim seruanda æquitas ex vtraq. parte.

Secunda dubitatio, An Piratæ, qui in Fluminibus prædantur, incidant in hanc excommunicationem.

Respondeo, si sunt maritimi Latrones, & inuenta occasione nauis fugientis ingrediuntur flumen ad prædam capiendam, puto eos incurrere, quia verè sunt Latrunculi maritimi, præsertim si cœperunt insequi nauem, cum esset in mari, & fugientem in flumen sunt deprædati. Sed si re vera sunt Latrunculi fluminales, non incidunt, nisi prædentur in mari, quia de illis non loquitur Bulla.

Tertia dubitatio, An Piratę nauigantes si descendant in Terram, & prædentur homines degentes in terra, incidant in hanc excommunicationem.

Respondeo nō incidere, quia Bulla excommunicat Piratas, & Latrunculos mare discurrentes, & in antiqua Bulla, quam refert Silue. erat: *Qui nauigio vectos prædantur*, & pœna excommunicationis non est extendenda.

Dubitatio quarta, An Nautæ, vel Remigantes, qui versantur in Nauibus Piraticis Infidelium, qui insequuntur, & prædantur fideles, fiot excommunicati ex hac Bulla.

Respondeo, vel isti in Nauibus Infidelium sunt puri Nautæ, & simplices nauigantes, vel sunt Duces, & Gubernatores nauium. Si sunt simplices Nautæ, & inuiti detinentur captiui, quorum officium est pandere, & colligere vela; funes trahere, & alia ad vsum nauium, & nauigationis efficere, non sunt excommunicati. Similiter & Remigantes non incidont in hanc excommunicationem, etiamsi Infideles exerceant artem piraticam contra Christianos. Primò quia illi vi compelluntur ad hoc ministerium laboris, & molestiæ plenum, ad euitandum mortis periculum, & sic eorum factum est violentum; Et de hac re iterum occurret sermo in explicatione septimi Canonis. Deinde quoniam non est verisimile Summum Pontificem voluisse addere hanc maximam afflictionem afflictissimis. Adde tertiò id (quod maius est) quod tales sæpè excusantur à peccato, & ex consequenti à pœna excommunicationis. Verùm si loquamur de Nauium Gubernatoribus, & ars piratica exerceatur contra Fideles, efficiuntur excommunicati, quia isti non coacti, sed voluntate illud opus faciunt propter lucrum; Sunt enim conducti pretio, & possent non facere; Quare liberè exercent hanc artem ad vtilitatem, & commodum Infidelium, Bart. in l. Si sic in princ. ff. de lega. 1. & in l. Creditor §. Lucius ff. Manda. Immò tales subijciuntur etiam excommunicationi latæ ab Alex. III. in Conc. Lateren. cap. 24. par. 1. & refertur cap. Ita quorundam de Iudæ his verbis, *Sunt etiam, qui pro sua cupiditate in Galeis, & Piraticis Saracenorum Nauibus regimen, & curam gubernationis exer-*

A *cent. Tales igitur à communione Ecclesiæ præcisos, & excommunicationi pro sua iniquitate subiectos &c, fore censemus*. Quando tamen ars Piratica exerceretur ab Infidelibus contra Infideles, non inodarentur excommunicatione, licèt aliqui, vt refert Tabiena excom. 5. casu 25. num. 4. existimauerint in hoc casu eos incidere, quia instruunt Infideles, qui deinde conuertunt arma contra fideles, sed hoc nihil refert, quia excommunicatio non est lata cōtra Instruentes, sed contra exercentes artem piraticam. Sed de hac quæst. latius pertractabitur in explicatione Can. 7.

Quinta dubitatio, An si inter eosdemmet ipsos, qui eadem naui vehuntur, sequatur prędatio, vel occisio, incurratur hæc excommunicatio.

B Respondeo tribus modis id contingere posse. Primo quando aliquis priuatus existens in naui clàm aliquid furatur, vel ex accidenti orta rixa aliquem mutilat, vel occidit, & sic non incurrit excommunicationem, quia iste non est pirata, nec latrunculus marinus, cum non vtatur mari ad suū maleficium, sed isti actus abstrahunt à mari, vel terra. Secundò quando quis locat nauem alteri fingens vehere illum ad aliquem locum, ea tamen intentione, quod vbi nauem in altū duxerit, eum occidat, & eius bona furetur, & hoc modo incurrit, etiamsi sibi bona illius non retineret, quia iste vtitur mare ad suum peccatum, & dicitur Pirata, vel fur maritimus. Tertio quando Nautæ rectà intentione locant nauem, & operam suam alicui animo illum vehendi, sed vbi in altum duxerint aduertentes

C Mercatorem esse admodum diuitem, & refertum pluribus, & preciosis mercibus, mutato animo in eum conspirant, & occidunt, & spoliant, & in hoc casu certum est etiam, similiter remanere censura huius Canonis alligatos; Nam isti verè dici possunt Piratæ, & Latrunculi maritimi, & vtuntur mare ad homicidium, cum illum miserum, quem in sua habent potestate, occasione maris trucident.

Sexta dubitatio, An qui in mari prędantur naues Infidelium onustas bonis, & mercibus Fidelium, vel prędis factis ex bonis Fidelium, & contra An qui prędantur naues Fidelium onustas bonis Infidelium, sint excommunicati ex hoc Canone.

D Respondeo quibusdam propositionibus.

Prima sit, quando nauis est Infidelium, fidelium mercibus onusta, quæ deferuntur in locum statutum à Domino mercium; Vt si Mercator Venetus, turcica naui suas merces è Constantinopoli Venetias mittat, Si Pirata Christianus eam capit, & ex ea Turcarum bona, si qua sunt accipit, & ipsos Turcas in seruitutē redigit, sed non prædatur merces illius Fidelis, quas relinquit proprio Domino, saltem quando in Iudicio probabit fidelis bona illa ad ipsum pertinere, non incidit in hanc excommunicationem, quia iste re vera non prædatur Christianos, quod diximus esse necessarium ad huius Canonis incurrendam excommunicationem. Cessante autem causa excommunicatio-

E nis requisita ab ipsa Lege, excommunicatio non habet locum.

Secunda propositio sit; Si nauis sit Fidelium, bona autem, quæ vehuntur, Infidelium, Pirata, qui eam inuadit, & accipit bona Infidelium relicta naui Fidelibus, non incidit in excommunicationē propter eandem rationem.

Est tertia propositio; Si nauis est Infidelium, quæ est onusta prædis partis in pugna cum Fidelibus; Si pirata fidelis hāc deprædetur simul accepta naui cum præda, non afficitur hac excommunicatione. Primò quia

quia iste non spoliat fideles, sed infideles; Deinde quoniam tollere hæc bona (quorum Domini antea erant fideles) videtur factum bonum, atque laudabile, & ipsi fideles, quorum bona ablata fuerunt, verisimiliter potius cupere debent, vt huiusmodi bona perueniant ad fidelium manus, quàm vt in potestate infidelium remaneant. Mens autem cuiusque semper est attendenda l. 1. & ibi Bal. C. plus vale. quod agitur, l. quoniam indignum. C. de testa. Nec satis est ad hoc vt quis dicatur prædari fideles, vt bona, quæ surripit, sint ipsorum fidelium, vel ad ipsos fideles pertineant, sed vltra necesse est, vt sint in potestate ipsorum fidelium, quando rapiuntur. Præterea hæc recuperatio bonorum fit armis, & vi, & hoc modo Domini nulla via poterunt illa recuperare. Quare ex hac deprædatione nullum consequuntur damnum Domini, ergo nulla militat ratio, propter quam affirmare debeamus in hoc casu habere locum excommunicationem huius Canonis. Tandem licèt fortassis aliquando contingere possit casus, in quo iste Pirata teneatur restituere bona ad hunc modum rapta suis Dominis fidelibus, tamen quia ad hanc restitutionem non tenetur ratione malæ, & iniustæ acceptionis, sed solùm ratione rei acceptæ; Idcirco nullo modo videtur incurrere hanc excommunicationem. Nec putandum est mentem Pontificis fuisse talem, quia cessat culpa, quæ est causa excommunicationis.

Septima dubitatio; An Pirata Christianus, qui prædatur, & spoliat alium Piratam in mari, incurrat hanc excommunicationem.

Respondeo, vtrumq; remanere obstrictum hac excommunicatione; Cum enim conclusum sit ex sola maris discursione includi hanc excommunicationem, si fiat ad finem furandi, & hoc animo. Idcirco cum vterque supponatur latrunculus maritimus, vterque erit excommunicatus, etiamsi vnus ab alio fuerit expoliatus, quia vterque committit actionem, cui annexa est excommunicatio.

Octaua dubitatio; An in corpore iuris reperiatur alia excommunicatio lata contra huiusmodi Piratas, & latrones maritimos Christianorum bona surripientes, & quò pacto ab huius Canonis differat excommunicatione.

Respondeo (vt superius monebam) antiquam esse excommunicationis censuram, qua tales Piratæ obstringuntur ex Conc. Lateranen. in cap. excommunicationi de rapto. Vbi Host. quem Io. And. & Abb. sequuntur, dicat huiusmodi Piratas ter in anno proprio ore Papæ, excommunicari consueuisse, & præsertim in die Cœnæ Domini; Verba illius Canonis sunt *Excommunicationi subdantur, qui Romanos, aut alios Christianos pro negociatione, aut aliis honestis causis nauigio vectos, aut capere, aut rebus suis expoliare præsumunt.*

Multis autem modis differt hæc excommunicatio ab excommunicatione Bullæ. Primò quia excommunicatio iuris non est lata, sed ferenda, vt Abb. ibi, & alij Doctores asserunt præter Host. qui tenet esse latæ sententiæ. Secundò cap. excommunicationi omnes illos subdit excommunicationi, qui Romanos, vel Christianos capiunt, aut spoliant simpliciter, ergo comprehendit illos, qui ex professo non exercent artem piraticam, nec suscipiunt nauigationem animo deprædandi, sed nauigationis gratia, aut ob alium honestum finem; Nam si isti postea incidenter etiam semel tantùm deprædentur, erunt excommunicati; Secus verò se habet excommunicatio Bullæ, vt diximus; Quare hac in parte latior est excommunicatio iuris. Tertiò

A textus ille non restringitur ad mare, sed simpliciter loquitur de nauigio vectis; Vnde afficit eos quoque, qui in fluminibus latrocinium committunt, sed Bulla (vt diximus, & notat etiam Angel. & Nauarrus) loquitur tantum de illis, qui in mari prædantur quamuis Host. ibi textum illum intelligat de illis, qui nauibus vehuntur in mari, & assignat rationem, cur peculiariter hæc pœna indicta sit Piratis maritimis, & illa est, quoniam in mari nimis frequenter ars piratica cum damno nauigantium exercetur; Idcirco necessaria fuit pœna exemplaris l. Aut facta. ff. de pœnis, de pœnit. dist. 1. cap. Aut facta. Quartò excommunicatio iuris lata est contra spoliantes Christianos, qui pro negociatione. aut aliis honestis causis nauigio vehuntur. Verùm B Bulla simpliciter loquitur de deprædantibus in mari Christianos sine vlla distinctione, an ex iusta, & honesta causa, vel temerè in mari versentur. Quæ sit negociatio iusta, colligitur ex cap. eijciens dist. 88. cap. quoniam ead. dist. cap. quicunque aliquid 14. q. 4. Innoc. cap. 1. Nè Cleri. vel Monac. licèt Host. & Io. And. clausulam illam; *Aut alijs honestis causis* intelligant, vt non sint Piratæ illi etiam, qui expoliantur; Nam tunc licita esset mutua compensatio, paria enim delicta mutua compensatione tolluntur cap. penul. & cap. fin. de adult. Quintò excommunicatio iuris non incurritur, si non exercetur actio aliqua prohibita; Vt despoliatio; Captura &c. Censura Bullę post Syxtū V. vt probauimus, incurritur ex solo maris discursu animo C deprædandi, etiamsi non sequatur latrocinium. Sextò excommunicatio iuris non est reseruata, sicut excommunicatio Bullæ.

CAPVT IV.

De eadem excommunicatione lata contra fautores, receptatores, & defensores Piratarum.

HAec est postrema particula huius tertij Canonis, in qua excommunicatio lata contra Piratas maritimos extenditur ad eorum fautores, receptatores, & defensores.

Hæc clausula in antiquioribus Bullis sic legitur, D *Ac omnes receptatores eorundem, & eis auxilium Dantes, consilium, vel fauorem.*

In Bulla Gregorij XIII. apud Nau. reperitur etiam aliqua diuersitas, sic enim habetur, *Omnesque receptatores eorundem, & eis auxilium scienter Dantes, vel fauorem.*

Ex hac diuersitate verborum oritur difficultas. Primò an Dantes consilium comprehēdantur in hac Bulla. Ratio dubitandi esse potest, quia in antiquioribus Bullis exprimebantur Consulentes, sed sublata est hæc dictio à Gregorio XIII. signum igitur est noluisse includere Dantes consilium, Nauar. num. 59. tenet, quod licèt Bulla nihil dicat de Consulentibus, tamen tacitè includuntur nomine auxiliantium, & fauētium. E Sed licèt hæc responsio sit probabilis opposita tamen mihi videtur multo probabilior vt probaui in explicatione Can. 2. in disp. 3. cap. 5. Et quamuis Ang. Ver. excom. 5. casu 18. & Caiet. Ver. excommunicatio cap. 18. extendant hanc excommunicationem ad Dantes consilium, illi tamē loquuntur iuxta tenorem Bullarum illorum temporū, in quibus consulentes exprimebātur. Accedit, quod ante Syxtū V. (vt diximus) non incurrebatur hæc excommunicatio, nisi sequuta aliqua actione ex illis prohibitis; Quare tunc non erat omninò improbabilis opinio Nauar. Sequuta enim

mutilatione, interfectione, spoliatione poterat videri verisimile Mentem Pontificis fuisse velle etiam comprehendere Consulentes. Sed cum hodie incurratur hæc excommunicatio ex sola maris discursione animo deprædandi absque alia actione iuxta opinionem, quam probauimus, verisimilius videtur asserere Summum Pontificem noluisse hanc excommunicationem extendere ad consulentes; Esset enim nimis grauis, & rigida pœna, & propterea dicerem data opera omisisse Consulentes.

Secundò dubitari potest, quos intelligere velit Papa nomine fautorum, receptatorum, & defensorum.

Respondeo has tres voces fuisse explicatas in Can. 1. Disp. 2. Cap. 4. & 5. Idcirco non est opus modò repetere, quæ tunc fusius dixi.

Tertiò dubitari potest, An inter has tres actiones prohibitas includantur Dantes auxilium, cum tales non exprimantur in hac Bulla Pauli, sicut erant expressi in aliis Bullis ante Greg. xiij.

Respondeo contineri absq. dubio dantes auxilium, quia fauere, receptare, & defendere, quæ prohibentur, nihil aliud significant, quàm auxiliari; Quicunque enim fauor, seu adiutorium, est auxilium, vt dixi in 2. Can. Disp. 3. Cap. 5. Quare si quis mutuo det pecunias Piratæ, vel præstet alimenta, arma, equos, dicitur dare auxilium l. 4. ff. Ad leg. Iul. Maie. l. 1. §. Potuisse, & seq. & l. Cum Dominus ff. De Senatus consul. Sylla. & propterea incurrit hanc excommunicationem. Similiter locando domum, in qua se occultet Pirata l. Qui domum ff. Ad leg. Iul. De Adult. Commodando sarcinas, & alia necessaria ad vsum illius artis cap. Sicut §. Hi quoq. De Homic. Socci. in Repet. cap. Ad audientiam q. 63. Vers. Visis De Homic. Item associando, & comitando Piratam, Corset. in Singul. incipiente Auxilium, Salic. l. vnic. nu. 22. C. De Rapto. Demum hæc excommunicatio comprehendit quemcunq. modum ferendi opem Piratæ, quatenus Pirata est; Nempè si quis faueat, recipiat, & defendat eum, nè puniatur à Iudice, vel nè contra eum pronuncietur sententia. Neque enim innodatus remaneret excommunicatione, qui ob alium finem Piratę in necessitate constituto, & alterius ope maximè indigenti subueniret, & auxilium præberet ratione consanguinitatis, amicitiæ, vel alio titulo, vt dixi ex sententia Caietani in Can. 1. Disp. 2. Cap. 4. De qua re iterum tractabitur in Can. 11.

Animaduertendum tamen est; Primo Fautores, Receptatores, & Defensores Piratarum tunc incurrere excommunicationem, si post fauorem, receptationem, & defensionem sequatur exequutio artis piraticæ, nempè discurrere per mare animo deprædandi. Ratio est, quia fauere, seu receptare, aut defendere est actio accessoria, quæ dicit essentialem relationem ad actionem principalem cap. Accessorium De Reg. Iu. lib. 6. ergo si non præcessit principalis actio, pœna non incurritur.

Secundo animaduertendum est, quod licèt fautores, receptatores, & Defensores Piratarum non incurrant hanc excommunicationem, nisi postquam Piratæ commiserunt actionem principaliter prohibitam, tamen illa commissa statim excommunicatio ligat nullo alio expectato effectu, quia crimen fauendi, defendendi, & receptandi committitur, quando Piratæ excipiuntur, occultantur, & defenduntur, vt Iudicis manus euadant. Quare hoc ipso, quod Piratæ acceptantur, & defenduntur; Acceptantes, Fauentes, & Defendentes sunt excommunicati, etiamsi Piratæ non euaderent Ministrorum iustitiæ manus, neq. debitas pœnas pro scelere patrato effugerent, quia iam completa, & perfecta est actio fauendi, receptandi, & defendendi, quæ sub excommunicationis censura prohibetur.

EXCOMMVNICATIO QVARTA

ITEM EXCOMMVNICAMVS, ET ANATHEMATIZAMVS OMNES ET SINGVLOS QVI CHRISTIANORVM &c.

DISPVTATIO QVINTA.

DE EXCOMMVNICATIONE LATA contra Rapientes bona Christianorum, qui naufragium patiuntur.



NAVFRAGIVM ità dictum, quasi nauis fragium, seu fractura, nihil aliud significat, nisi submersionem rerum, vel corporum ex fractura, aut nauis periclitatione prouenientem l. Deprecatio & per totum ff. Ad l. Rho. De iactu. l. 2. C. De Naufrag.

Hęc excommunicatio contra rapientes bona Naufragantium antea lata fuit à Concilio Lateranensi sub Alexandro III. & habetur in cap. Excommunicationi §. Illi autem, De Rapto. Et ante Alexandrum Tertium eosdem spoliatores Naufrago, ante excommunicauerat Gregor. Septimus, Anno 1078. vt refert Ill. Card. Baron. tom. 11. pag. 520. lit. B. Non erat tamen Sedi Apostolicæ reseruata, Sed, vt inquit Caiet. in Summa Ver. Excõmunicatio cap. 23. Episcopus poterat ab illa absoluere, & nos addimus, Absolutionẽ impẽdi potuisse, etiã à proprio Sacerdote iuxta ea, quæ diximus in lib. 4. disp. 3. cap. 3. ex tex. in c. Nuper De Sent. Excom. Sed Greg. xiij. fuit primus, qui ad tollendã cõsuetudinẽ, vel (vt melius dicã) abusũ in aliquibus locis inductũ, atq. ad reprimendã procacitatẽ, & crudelissimam auaritiã habẽdi bona naufragorũ valdè miserandorũ simul-

simulque ad deterrendum omnes ab hac summa impietate, sapientissimè censuit hanc excommunicationem includere inter alias Bullæ Cœnæ Domini, & reseruare eius absolutionem. Vnde admonendi essent omnes Episcopi, & alij, adquos spectant, vt preceptum de publicanda hac Bulla in omnibus Ecclesijs saltem semel in anno maiori diligentia, & cura animaduerterent non prætermitti, & negligi, præsertim quantum ad hoc caput, maximè in locis maritimis, atque iuberent a Curatis, & alijs Plebanis sæpè declarari in suis Parochijs vim huius clausulæ.

Materia huius Canonis est furtum, & rapina bonorum naufragorum. Quoad pœnas est vniuersalis, & comprehendit omnes raptores. Actio est rapere bona naufragantium siue in mari, vel in naui, vel in littore, & nemo excusatur ratione priuilegij, vel consuetudinis, aut immemorabilis temporis præscriptione.

Hic Canon non ijsdem verbis expressus est in hac Bulla Pauli Quinti, quam declaramus, sicut in Bulla Greg. XIII. sed adest aliqua diuersitas, de qua dicam in cap. primo.

Caput primum, Quæ actio necessaria sit ad huic incurrendam excommunicationem, & an eadem actio sit sufficiẽs ad incurrendam excommunicationem latam in Concilio Lateranensi, quæ habetur in cap. excommunicationi de rapto.

Caput secundum, In quo explicantur dubitationes de eadem excommunicatione.

Caput tertium, An hæc excommunicatio comprehendat eos, qui fauent, vel adiuuant, aut recipiunt raptores bonorum naufragantium, & an consuetudo possit tribuere facultatem recipiendi licitè bona naufragantium.

CAPVT I.

Quæ actio necessaria sit ad hanc incurrendam excommunicationem, & an eadem actio sit sufficiens ad incurrendam excommunicationem latam in Concilio Lateranensi, quæ habetur in cap. excommunicationi de rapto.

VErba, quibus pronunciarur excommunicatio in Concilio Lateranensi contra surripientes bona naufragãtium sunt hæc in dicto c. excommunicationi *Illi etiam, qui Christianos naufragium patientes (quibus secundum regulam fidei auxilio esse tenentur) damnata cupiditate spoliant rebus suis, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se nouerint subiacere.*

Nauar. in cap. 27. num. 118. videtur asserere ad incurrendam excommunicationem Bullæ satis esse, si quis accipiat bona eorum, qui naufragium passi sunt, sciens huiusmodi bona esse naufragantium, si illa accipiat prauo animo retinendi, & non restituendi veris Dominis, quando apparuerint; Vel si acceperit bona intentione restituendi Dominis, si postea sit in mora restituendi. Quare secundum Nauar. non sufficit sola acceptio, nisi cum illa coniunctus fuerit, vel prauus animus non restituendi, vel si animus non fuerit prauus, saltem adsit mora, & contumacia ad restituendum. Et hoc idem dicit esse necessarium ad incurrendam excommunicationem illius decretalis c. excommunicationi, sed addit limitationem his verbis; *Nisi acceptio fuerit scienter patefacta*, quia tunc illa sufficit; Quorum verborum verum sensum minimè capere possum. Ex sententia igitur Nauarri per eandem actionem incurritur excommunicatio Bullæ, & excommunicatio Concilij Lateranensis.

Caietanus in Summa Ver. Excommunicatio c. 23. idem videtur sentire de excõmunicatione Iuris, quod illa non incurratur ex sola acceptione sine mora, & contumacia restituendi; Et reddit rationem, quia acceptio sola simpliciter non est mala, ideo non debet puniri, quia aliquando potest esse actus charitatis, sola detentio, quia fit inuito Domino, est intrinsecè mala, & hæc punitur excommunicationis censura. Tunc igitur incurritur excommunicatio, quia detentio incipit esse iniuriosa. Et quia obligatio restituendi rem alienam semper instat, quando opportunè fieri potest, ideo quamprimùm accipiens prætermittit hanc opportunitatem, tunc dicitur esse sufficienter in mora restituendi, & contrahit Iuris excommunicationem.

Ad hanc difficultatem dicerem ego ad hunc modum.

Diuersam esse rationem, propter quam contrahitur excommunicatio illius Decretalis in c. Excommunicationi ab ea, quæ requiritur ad contrahendam excommunicationem Bullæ; Ad incurrendam enim decretalis excommunicationem non sufficit iniqua, & iniusta acceptio etiam animo retinendi, quicquid dicat Nauarrus, sed requiritur mora, & contumacia in restituendo; At excommunicatio Bullæ incurritur statim, postquam quis accipit huiusmodi bona animo retinendi nulla expectata mora ad restituendum. Et hæc videtur vera explicatio vtriusq; excommunicationis.

Prior pars huius dicti probatur, primò ex verbis illius Decretalis; Subijciuntur enim excommunicationi rapientes huiusmodi bona, nisi ablata reddiderint. Non est igitur simpliciter lata excommunicatio, sed sub conditione, nisi ablata restituerint.

Quod autem Concilium ad incurrendam hanc excommunicationem requirat moram etiam quando acceptio est mala, & iniusta contra Nauarrum, patet manifestè, quia loquitur solũ de hac iniusta acceptione, non de ea, quæ fit animo restituendi bona suis Dominis, & id ex ipsis verbis colligitur. Primò cum ait; *Qui damnata cupiditate spoliant*; Quæ verba vtique denotant acceptionem fuisse iniustam; Nam qui accipiunt recta intentione, vt restituant, non agunt ex cupiditate damnata, sed ex affectu charitatis, & digni sunt laude, & præmio. Deinde ex alijs verbis, quæ sequuntur; *Nisi ablata reddiderint*, postulat ergo Concilium ad incurrendam illam excommunicationem tanquàm conditionem necessariam, vt bona ablata non restituantur, ergo non satis est acceptio iniqua, nisi transacta mora ad restituendum; Dicitur autem esse in mora restituendi (vt monebam) quando habita notitia Domini, & occurrente occasione moraliter restituendi, ablata non restituuntur, atque tunc excommunicatio incipit habere locum.

Hinc duo sequuntur. Primum est fieri posse, vt quis talia bona iniqua voluntate rapiat, & in damnata voluntate rapiat, & in damnata voluntate non reddendi aliquo temporis spacio perseueret, & tamen si adhuc non habuit occasionem restituendi, neque prætermisit debitam diligentiam, non incurrat hanc excommunicationem, quæ contrahitur solùm quando quis moraliter potest restituere, & incipit esse in mora non restituendi, Tunc enim perficitur actus, cui annexa est excommunicatio.

Secundum, quod sequitur ex dictis, est Ad incurrendam hanc excommunicationem Concilij post moram non esse necessariam admonitionem, quia lex ipsa sufficienter admonet, quæ cum contrahat excommunicationem ipso iure, vt constat ex illis verbis *Excommunicationi se nouerint subiacere*, non expectat aliam admonitionem ab homine faciendam, & itá tenent Abb. in eodem c. num. 3. Caietanus cap. 23. Nauar. num. 118.

Sed oppositum sentiunt Silue. excom. 7. §. 57. & Host. & Io. And. in dicto c. Excommunicationi. Et licèt citati Doctores vnà cum Glo. vlt. illius c. asserant hanc excommunicationem esse latæ sententiæ, non ferendæ, tamen affirmant monitionem esse necessariam B moti doctrina Innoc in c. Extirpandæ. §. Qui verò De Præb. Vbi Innoc. inquit si pœna imponitur negatiuè in ipsa Constitutione sine præfixione certi temporis, tunc non incurritur, nisi præcesserit monitio, vt si lex itá disponat; Quicunque non fecerit residentiam, sit excommunicatus. Ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur monitio, quia Iudici non constat, an Clericus habuerit iustam causam non residendi, sed per admonitionem conuincitur. Sed quando pœna imponitur affirmatiuè, puta; Quicunque tali hora intrauerit Ecclesiam, sit excommunicatus; Non est necessaria monitio; Quia illa, quæ non fiunt secundùm leges, latent, sed facta se manifestant. Similiter non est necessaria monitio, si C pœna statuatur etiam negatiuè, sed præfixo certo tempore; Vt si lex dicat: Qui non restituerit infra mensem, sit excommunicatus; Gemin. in cap. vni. De Vi. & Honest. Cleri. Modò aptando doctrinam Innoc. ad dictum textum in cap. Excommunicationi; Vbi fertur censura excommunicationis contra accipientes bona Naufragantium ex facto negatiuo sine vlla temporis assignatione, scilicet nisi ablata reddiderint, ergo necessaria est monitio ad hanc excommunicationem incurrendam.

Probabilior tamen est opinio Abb. quod nulla necessaria sit monitio, quia lex ipsa legitimè promulgata semper monet, vt dixi lib. 3. in Disp. 3. Cap. 1. & D fundamentum Innocentij non subsistit; Quod idcirco non incurritur excommunicatio ante monitionem, ex facto negatiuo; Quoniam quod quis non egerit rem, sicut lex præcipiebat, latet nos, & est occultum, nisi per admonitionem ab ipsomet requiramus. Hæc inquam, ratio non valet non ob eam causam, sicut dicit Abb. quia Deo nihil est occultum, sed omnia aperta, & manifesta; sed solùm factum potest esse ignotum Ecclesiæ, quia censura excommunicationis est pœna, quæ infligitur ab Ecclesia, vt probatum est in lib. 1. Disp. 3. Cap. 2. Vera igitur ratio est, quia, vt excommunicatio lata a lege vim suam habeat, & pariat effectus essentiales, & proprios, sufficit, vt Reus scienter transgrediatur legem, quamuis id alios lateat, Statim enim est excommunicatus. Sed, vt ab alijs debeat euitari, requiritur scientia, & notitia, & ad hunc E finem præmittenda est monitio. Patet etiam hoc exemplo simili in excommunicatione lata contra Inquisitores, qui odio, vel amore &c. quæ afficit illos absque vlla monitione, vt patet c. Multorum in Clem. De Hæret. Constat iam ex dictis, quæ sit actio dãnata in Concilio Lateranensi ad incurrendam hanc excommunicationem.

Posterior pars nostræ propositionis, quod excommunicatio Bullæ contrahatur ex sola iniqua acceptione nulla intercedente mora, quidquid dicat Nau.

Probatur ex verbis Bullæ, excommunicantur enim illi, qui surripuerint. Surripere est rem clam, & latenter rapere; Nihil aliud requirit Papa ad incurrendam excommunicationem, nullam mentionem facit de mora restituendi, ergo ex sola iniqua acceptione incurritur excommunicatio.

Qua in re notandum est aliquam reperiri differentiam verborum in hoc Canone inter Bullam Gregorij XIII. & hanc Bullam Pauli. Primo enim differunt, nam Bulla Greg. sic habet *Nauibus tempestate, seu in transuersum, vt dici solet, iactatis naufragium passis, aut etiam submersis &c.* In Bulla Pauli & in alijs post Sixtum V. additur *Vel quoquo modo naufragium passis*, & tollitur illa clausula, *aut etiam submersis*, quia idem significat, quod verba præcedentia, scilicet *naufragiũ passis*. Ex quibus tollitur ambiguitas, quæ oriri poterat, an hæc excommunicatio haberet locum, quando Nauis non periret ex tempestate, sed ex vetustate aperiretur, & frangeretur, vel ex imperitia Naucleri, aut officialium. Ex Bulla enim Pauli excommunicatio incurritur, quocunque modo Nauis naufragium patiatur.

Secunda differentia est, quoniam in Bulla Gregorij post dictionem *surripuerint* hæc adduntur *Aut scienter sibi acceperint, aut ab alijs rapta, seu accepta scienter receperint*. Et tota ista clausula videtur addita ad explicandum, quid intelligi debeat voce illa *surripuerint*, quæ denotat iniustam acceptionem, ideo sublata sunt ex Bulla Pauli, & ex alijs post Sixtum Quintum.

Verum facit aliquam difficultatem illa dictio *scienter*, quæ non legitur in Bulla Pauli, ex qua sequitur, quod si quis tempore Gregorij accepisset huiusmodi bona ignorans probabiliter esse bona naufragorum, etiamsi sciuisset esse bona aliena, & iniustè accepisset, non incidisset in excommunicationem, quoniam excommunicatio non ferebatur simpliciter contra rapientes bona aliena iniustè, sed contra rapientes bona, quæ sciebant esse naufragorum, immo iuxta tenorem Bullæ Gregorij etiam ignorantia culpabilis excusare poterat ab hac excommunicatione, quia qui rapit ignoranter etiam ex culpa, & negligentia, quia poterat scire, si adhibebat diligentiam, formaliter nõ rapit ex malitia, & ex certa scientia, quod requirebatur ad hanc excommunicationem. Sed hæc difficultas non habet locum in hac Bulla & in alijs post Gregorium, quoniam dictio illa *scienter &c.* quam recensui, sublata est á Sixto Quinto. Quamobrem hoc tempore qui surripit bona naufragorum, siue scienter, siue ignoranter culpabiliter, remanet excommunicatus.

Ex his colligendum est, duo esse necessaria, vt Rapiens bona Naufragantium incidat in hunc Canonem. Primum est, vt illa accipiat animo sibi retinendi. Vnde si acciperet animo reseruandi suo Domino, non esset excommunicatus. Et ratio est, quia in Canone non excommunicãtur simpliciter, qui accipiunt, sed qui surripiunt, seu sibi accipiunt. Secundum est, vt sciat illa bona esse ex naufragio, nam accipere posset bona etiam cum peccato, & animo retinendi, tamen si nesciret esse ex naufragio, non innodaretur excommunicatione.

Er præter differentiam explicatam inter excommunicationem Bullæ & excommunicationem Concilij Lateranensis additur etiam alia quod excommunicatio Concilij non est reseruata, Vnde

tem-

tempore Caietani hæc excommunicatio non erat reseruata vt ipse testatur in Summa V. excommunicatio. c.23. sed erat casus Episcopalis, sed excommunicatio Bullæ est reseruata, quo ad eos qui rapiunt aut scienter sibi ipsis accipiunt aut ab alijs rapta vel similiter accepta scienter recipiunt; Quare qui accipiunt bono animo vt seruent & postea restituant suis Dominis, vel qui ignorant esse bona rapta aut ex naufragio accepta, vel fuisse naufragnrum, licet nolint ea restituere, vel sint in mora restituendi quamuis sint excommunicati ex Concilio Lateranensi non tamen excommunicatione Bullæ, idcirco Ordinarius poterit illos absoluere quoniam Summus Pontifex peculiares illos casus enarratos tantum Sedi Apostolicæ reseruauit ad comprimendam crudelem atq; immanem illorum auaritiam qui bona naufragantium rapere nefanda cupiditate sitiunt, ita tenet Nauar. cons. 39. n. 1. & 2. in tit. de sent. excom.

CAPVT II.

In quo explicantur dubitationes de eadem excommunicatione.

PRimo posset quis dubitare, cur Summus Pontifex in hoc Canone vsus sit dictione illa geminata *excommunicamus omnes, & singulos*, nec contentus fuit simpliciter dicere *excommunicamus omnes &c.* sicut in Canone iij. cum dixit *excommunicamus omnes Piratas.*

Respondeo huius diuersitatis illam satis conuenientem rationem assignari posse, idcirco terminos illos vniuersales geminatos vsurpasse, quoniam hæc excômunicatio lata erat contra Rapientes bona Naufragorum non vno tantum modo, sed pluribus, & varijs modis, siue in ipsis Nauibus, siue in mari ex nauibus eiecta, siue in litore inuenta, cuiuscunq; generis sint. Et in Bulla Gregorij incurrebatur excommunicatio, siue quis raperet, aut scienter acciperet, aut ab alijs rapta, seu accepta scienter reciperet. Quare ad exprimendam maiorem vim, vt ostenderet Summus Pôtifex velle comprehendere omnes hos varios modos dixit *Omnes, & singulos*, quæ verba omnia penitus includunt, & nihil prætermittunt, Glo. c. Vt circa Ver. Omnia, & singula de elect. lib. 6. Ludoui. Roma. l. Si vero §. de Viro post. nu. 57. in 3 1. fallen. princ Vers. Duodecimo probatur ff solut. Matr. Ias. in l. 1. num. 24. Vers. Quid autem si diceretur omnia & singula ff. de lega. 1. Rebuff super Concor. in forma literarum exca. Manda. Apost. in Ver. omnia & singula pag. 635.

Secunda dubitatio esse potest, an qui surripit hæc bona, & postea morosus est, & pertinax in eis restituendis, an duas incurrat excommunicationes, alteram Bullæ Cœnæ, alteram ex dicto capitulo Excommunicationi.

Aliqui tenent duas incurri excommunicationes ob eam rationem, quia diuersæ sunt causæ, seu peccata, propter quæ sunt latæ. Excommunicatio Bullæ fertur propter iniustam acceptionem bonorum Naufragorum, excommunicatio vero Iuris propter iniustam retentionem eorundem bonorum, accipere autem, & retinere sunt diuersæ actiones.

Oppositum tamen censeo probabilius, scilicet in casu proposito vnam tantum incurri excommunicationem, quia vtraque excommunicatio lata est contra surripientes huiusmodi bona cum hoc discrimine, quod excommunicatio Iuris lata est contra surripientes, si fuerint morosi, & contumaces ad restituen-

A dum, sicut interpretati sumus, excommunicatio vero Bullæ statim afficit surripientes nulla expectata mora, quæ est generalior, quam excommunicatio Iuris, & plures comprehendit, voluit enim Summus Pontifex ad tollendum abusum, & ad compescendam hominum audaciam accipientium huiusmodi bona naufragantium, censura excommunicationis irretire quoscunque Latrones, siue mutata voluntate restituerint, siue hæc bona retinuerint, sicut etiam in Can. 3. Disp. 4. cap. 2. dixi excommunicationem Bullæ incurri ex solo discursu Maris, licet ad incurrendam excommunicationem Iuris vltra discursum Maris requiratur aliqua actio ex prohibitis, & tamen non est affirmandum duas incurrere excommunicationes, qui discurrit

B Mare animo deprædandi, si spoliet, vel mutilet &c. & eadem est ratio in casu proposito, quia quando excommunicatio Bullæ concurrit cum excommunicatione Iuris de eadem re, non multiplicantur censuræ. vt dictum est in lib 3. Disp. 10. cap. 7. & idcirco non erit necessaria duplex absolutio, sed sufficit vna.

Tertia dubitatio, an qui accipit res ignorans esse naufragantium, vel sciens, sed animo reddendi illas proprio Domino, deinde cum ei notum fuerit res esse naufragantium, vel mutata sententia statuat illa bona retinere sibi, incurrat excommunicationem huius Canonis, vel Iuris.

Respondeo eum, qui hoc modo accipit bona, in

C primis peccare mortaliter, quando incipit rem illam vt suam retinere, & illico contrahere excommunicationem huius Canonis hoc ipso, quod sibi vult illa retinere, ac si tunc primo surriperet.

Quarta dubitatio erit, si quis hæc bona scienter accipiat animo restituendi suo Domino sed post aliquod tempus, interim enim vult illis vti, vel eorum precio, an efficiatur excommunicatus.

Respondeo, si huic raptori constet de Domino illarum rerum, & offertur illi occasio restituendi illa Domino, quia vel est præsens, vel vicinus, cui facile potest restituere; vult tamen differre restitutionem non consentiente Domino, probabiliter censeo esse excômunicatum, quia sibi accipit illam rem iniuste pro

D eo tempore, & quamuis non transferat dominium, accipit tamen vsum, & interim Dominus posset ob carentiam eius rei pati incommodum. Si vero Dominus ignoratur, vel distat, & tenens rem illa vtitur intendens tamen omnino, cum primum commoditas occurrerit, sine vlla mora suo Domino reddere; hoc casu puto non incidere, quia bona fide vtitur credens nullum propterea Dominum rei pati incommodum & vere non accipit sibi rem, sed Domino seruat, vtitur tamen ea illo tempore, quo Dominus vti non poterat. Sed est notandum hoc esse intelligendum de rebus vsu non consumptibilibus, nec fructiferis, alioquin teneretur restituere, quantum res est deteriorata, vel quantum ex fructibus rei acceperit.

E Quinta dubitatio sit, quid intelligatur nomine bonorum naufragantium.

Respondeo intelligi omnia, quæ sunt in Naui, & ipsa Nauis, & Scaphæ, & quæcunque merces, & instrumenta, vt funes, Anchoræ Remi, & ipsa ligna fracta Nauis, si Nauis soluatur. Quare si quis rapiat in Naui, in Mari, vel in litore aliquid dictorum bonorum, incidit in hanc excommunicationem. Non esset autem excommunicatus, qui raperet bona naufragantium in flumine, quia Bulla expressè loquitur de Nauibus naufragium passis in Mare.

Sexto dubitatur, an Bulla comprehendat bona Piratarum, & Latronum maritimorum, si eorum naues naufragium patiantur.

Respondeo in Bulla Pij Quinti fuisse exceptum hunc casum, & sic qui accipiebant bona Piratarum, non erant excommunicati, sed in alijs posterioribus Bullis, & in hac Pauli V. non excipitur, nec vlla de hac rè mentio fit, quare aliqui dubitant, sed probabilius, & tutius puto bona Piratarum comprehendi in hoc Canone, & eos, qui rapiunt illa, incurrere in hanc excommunicationem, alias exceptio illa non fuisset sublata.

Septimo dubitatur, an hic Canon loquatur de bonis Hæreticorum, & Apostatarum naufragantium.

Respondeo aliquos existimare non esse mentem Pontificis sub censura excommunicationis hæreticorum bona defendere, alij oppositum asserunt, quia Canon generaliter loquitur de bonis Christianorum & Hæretici inter Christianos annumerantur, saltem ratione characteris, non ratione fidei, consequenter aiunt includi bona hæreticorum sub illa clausula vniuersali *Christianorum quorumcunque bona surripuerit*. Secus vero sentiunt de bonis Apostatarum, qui omnino à fide Catholica discesserunt, & nihil ad eam attinens profitentur. quia hi non sunt, nec solent vocari Christiani. In hac difficultate probabilius esse censeo affirmare Canonem non loqui de bonis Hæreticorum ob eam rationem, quia proprie Hæreticus non vocatur Christianus, non enim est membrum Ecclesiæ, nec ratione characteris manet actu coniunctus cum Ecclesia, quia omnes fatentur quosdam posse præcidi de facto ab Ecclesia, ideo character non facit hominem hæreticum esse actu in Ecclesia, & esse Christianum, sed solum est signũ, quod fuit in Ecclesia, & quod debeat esse in Ecclesia. Et idem affirmare videtur B.Tho. 3. par. q.8. art. 3. dicens eos, qui fide carent, non esse actu Christo vnitos, sed in potentia tantum; quare Hæreticus manifestus nullo modo est Ecclesiæ membrum, neq; interna, neque externa vnione. Occulti autem sunt membra Ecclesiæ vnione externa per confessionem fidei, & visibilium sacramentorum participationem. Quamobrem nomine Christianorum concludo non comprehendi hæreticos proprie loquendo. Igitur cum Papa in hoc Canone loquatur de Rapiente bona Christianorum simpliciter, si quis prædaretur bona hæreticorum, qui naufragium subijssent, non incideret in hanc excommunicationem quia verba sunt accipienda secundum propriam significationem, maximè quia pœna non est extendenda, sed potius arctanda, & restringẽda, & à fortiori idem est asserendum de bonis Apostatarum, & multo magis de bonis Iudæorum, Turcarum, & aliorum Infidelium, licet surripientes omni iure naturali, diuino, & humano teneantur ad illorum restitutionem.

Octaua dubitatio erit, an qui prædatur nauim naufragatam Infidelium onustam bonis Fidelium, sit innodatus hac excommunicatione.

Respondeo, si rapiat ipsammet nauim, vel eius ligna, & instrumenta, non esse excommunicatum, quia huiusmodi bona sunt Infidelium, licet (vt dixi) omni iure teneatur restituere rem ablatam sub pœna peccati. Sed si accipiat merces Fidelium ex naui Infidelium, incidit in excommunicationem, quia probabilissimum est Summum Pontificem, quacunque ratione potuit, voluisse prouidere bonorum Fidelium conseruationi. Et versa vice ad eundem modum dicendũ est, quãdo nauis est Fidelium, & merces sint Infideliũ,

A Verum quid asserendum sit, quando quis raperet bona naufragantium Infidelium, quæ contractu assecurationis à mercatore fideli accepta sunt sub promissione ea transferendi tuto, & sine periculo ad aliquem locum, & id Raptori constaret, an incideret in hanc Bullam.

Respondeo rem apud me esse dubiam, Putarem tamen in hoc casu raptorem esse excommunicatum, quia totum vertitur damnum in Mercatorem fidelẽ, & mens Pontificis est prouidere Fidelibus, vt ex verbis Canonis constat, & mens statuentis semper est attendenda Glo. in l. Tale §. fin. ff. de pact. Corn. in consil. 237. in lit. D, in 4. par. Socci. consil. 58. incipit Visis priuilegijs Vers. His tamen non obstantibus in 1. Vol.
B Accedit identitas rationis, & vbi militat eadem ratio idem ius statui debet l. Illud ff. ad leg. aquil.

Nona dubitatio, an quando bona naufragantium habentur pro derelictis, liceat sine peccato, & excommunicatione ea accipere, & retinere.

Respondeo tribus modis posse aliquem bona naufragantium surripuere. Primus modus, quando talis res proijcitur tanquam habita pro derelicta, quo casu capiens illam non committit furtum, immo tuta conscientia potest illam sibi retinere, textus in l. Falsus §. si iactus ff. de furt. Abb. in cap. Cum dilecti num. 11. Felin. num. 16. de accusa. & ratio est, quia quando Dominus exponit rem suam pro derelicta, abdicat à se ius, & dominium illius rei, vnde illa res cum
C non sit amplius propria, efficitur communis, & tam iure Gentium, quàm iure naturali transit in potestatem primo occupantis Instit. de rer. diui. §. fio.

Secundus modus, quando non proijcitur tanquam derelicta, sed ad euadendum maius periculum ex tempestate maris imminens, ne nauis, & qui in ea sunt, mergantur, & pereant, tunc vero qui occupat huiusmodi bona sic proiecta animo sibi retinendi, committit furtum, quia proijciens remanet Dominus rei, vt Glo. in dicto capit. Cum dilecti Ver. Dilapidatione, Abb. & Felin. citati, & est excommunicatus.

Tertius modus est, quando quis accipit rem proiectam simpliciter, non aduertens; An habeatur pro derelicta, nec ne, & tunc temporis excusatur à furto,
D vt Abb. & Felin. & ex consequenti erit liber ab excommunicatione, si sciens postea rem proiectam fuisse à Domino, vt hoc medio consuleret vitæ suæ, & se ipsum tueretur ab aquis, non vbi abdicaret à se dominium rei, paratus sit sine mora illam Domino restituere.

Sed tota difficultas consistit, quo pacto iudicandum sit, an merces ex naui proiectæ habeantur tanquam derelictæ.

Reipondendnm est ad hanc dubitationem duabus propcsitioiibus. Prima sit generaliter tunc rem haberi pro derelicta, quando Dominus ea mente abiecit illam, vt nolit eam habere in numero rerum suarum, nam tunc statim perdit dominium, sicut statim
E rei dominium amittit, quando illam donat, vel vendit, quia tunc ita à se alienat, vt nolit eã habere in numero rerum suarum. Solum in hoc differt donatio, & venditio à casu nostro, quoniam donatione Dominus ita rem à se amouet, vt eam alteri certæ personæ tradat, & sic illa determinata persona acquirit rei datæ dominiũ, sed in casu nostro quando res pro derelicta habetur, ita Dominus rem à se amouet, vt nulli certæ personæ tradat, nec vlla singularis persona rei dominium acquirit per talem abdicationem, & remanet communis, donec aliquis eam sibi propriam faciat.

Secunda

Secunda propositio Indicare, & cognoscere quando Dominus abdicat à se rem eo animo, vt amplius inter res suas babere nolit, & consequenter sit derelicta, est admodum difficile; Pendet enim ex circumstantiis ad arbitrium boni viri, nisi clarè constet ex verbis ipsius Domini de eius voluntate intendentis rem proiicere ea intentione, vt illam deinceps retinere nolit. Sed vbi de tali voluntate non apparet, sicut communiter accidit, tunc oritur dubium, qualis præsumatur fuisse voluntas Domini; Ad quam indicandam solent tradi aliquæ Regulæ, & coniecturæ, de quibus tractat Bart. in l. Qui alleniādæ ff. Ad Leg. Rhodi. De Iactu. & in l. Interdum, & ibi Alex. §. Quod ex naufragio ff. De acqui. poss. Prima regula est; Si Dominus rei proiectæ scit, vbi res sit, & facilè potest eam habere, & tamen nec per se, nec per alium eam quærit, cum commodè valet, tunc præsumitur eam nolle. Hanc coniecturam ponit Silue. V. Inuentum §. 3. quam colligit ex l. Qui alleuiandæ ff. Ad Leg. Rbod. De Iactu; Vbi probatur rem proiectam nō esse derelictam, quia si Dominus sciret. vbi esset, quæreret eam, & assumeret, ergo à contrario sensu, si scit, vbi sit, & possit recipere, & non curat; signum est animo relinquendi à se abdicasse. Et id etiam tenet Federi. de Senis cons. 17. Secunda coniectura, quam notat Glo. l. Falsus §. fin. ff. De Furt. in Ver. Plerumq. desumitur ex modo proijciēdi; Vbi enim Dominus ità proijcit rem, vt facilè fit breui tempore peritura, nisi ab aliquo capiatur, tunc vt derelicta proiicitur; Abb. Felin. Alex. citati dant exemplum de eo, qui proiicit in mare librum apertū, signum enim est proiicere animo relinquendi, nam statim peribit, nisi capiatur. Si vero proiiceret benè plicatum, & tela inuolutum, non censeretur proiectus animo relinquendi, quia non est statim periturus; Et multò magis id haberet locum in farina, saccaro, sale &c. Nam si ità proiiciantur, vt infallibiliter sint peritura, signum est ea haberi pro derelictis secundum hos Doctores; Si verò benè conseruata, vt in vase Ligneo, vel dolio, non dicerentur exposita pro derelictis.

Sed ad clariorem huius regulę declarationem, sunt ponenda aliqua dubia, & dissoluenda.

Primum dubium erit, si Mercator, nè repentina maris suffocetur tempestate, proiiciat merces statim perituras in mare, vt est saccarum, farina, oleum, & aliquis statim res proiectas assumat sibi, nè pereant, an sit excommunicatus.

Respondeo eos, qui in proposito casu accurrunt, & accipiunt hæc bona, vel illa capere sine euidenti, & probabili vitę periculo, & tunc, si accipiunt animo depredandi, peccant, tenentur ad restitutionem, & incidunt in hunc Canonem, quia in tàm graui necessitate tenentur ex charitate, quando valent sine periculo magno, & incommodo naufraganti Proximo subuenire, & si non gratis, saltèm accepta mercede. Neque tunc est iudicandum illa bona haberi pro derelictis, quia eo casu Dominus posset illa recuperare bac via, illorum operam conducendo; Quare tantum possunt sibi retinere, quanti valet æstimatio, & merces laboris, & operæ expositæ in rebus accipiendis. Si verò isti accurrentes sine euidenti periculo vitæ bona accipere non possunt, tunc operam propriam, & laborem tanto cum periculo locare non tenentur; Vnde non intelligitur locatio, & quidquid accipiunt, sibi accipiunt, & acquirunt dominium sine peccato, & periculo excommunicationis. Ratio est, quia cum in hoc casu non teneatur aliquis operam suam locare, & res naufraganti periret, ideo habenda est pro derelicta. Supponimus autem Dominus illorum bonorum non habere alios, quorum operam conducere posset, ad bona illa suscipienda, alioquin pro derelictis non haberentur, & videtur sententia Ang. Silue. & aliorum Ver. Naufragium; Abb. in c. excommunicationi De Rapto.

Secundum dubium; Quid si bona non essent statim peritura, sed probabiliter possent arte trahi ad litus, vel alia via seruari; An si quis illa caperet, esset excommunicatus. Huius generis sunt res, quæ possunt natare per aquas, vt Dolia plena vini, vt Vtres olei, & similia.

Respondeo eum, qui sibi hæc bona vsurpat, esse excommunicatum, quia non statim perirent, hæc enim bona possent alia via probabiliter seruari, ergo pro derelictis non habentur.

Tertium dubium, an si nauis onusta mercibus mergatur vndis, sit habenda pro derelicta, ità vt qui eam, vel aliquid, quod in ea erat, accipit, non sit excommunicatus.

Respondeo non esse habendam pro derelicta, quia Dominus posset eam extrahere machinis adhibitis. Quod si omnibus tentatis Dominus eam derelinquat, & nihil amplius circa illam procuret, tunc si quis inueniretur, qui arte aliqua aliquid ex naui extraheret cum vitæ suæ periculo, illud sibi posse retinere puto, secus si accipit sine periculo vitæ, nam tunc debet locare operam suam, & naufraganti, vt supra dixi, subuenire. Adde etiam, quod si postquam accepit aliqua bona ex naui cum periculo vitæ; Deinde nauis in profundo maris frangatur, ità vt bona spargantur, si iste industrius accipiat alia bona, quæ supernatare poterant, tenetur restituere sub excommunicationis pœna, quia pro derelictis non habebantur, cum fuerit aliquia via acquirendi illa. Si verò non supernatabant, non tenetur restituere, quia illorum Dominus ea recuperare non potuisset; V. G. quia similia non potuit, & signum est, quod illa pro derelictis habuisset.

Quartum dubium; An quando Nautæ sine aliqua tempestate timent, nè alia via mergatur nauis; V. G. Quando nauis per scissuras impletur aqua, & ideo proijciunt merces, si quis illas accipiat, sit excommunicatus.

Respondeo, in aliis Bullis poterat esse dubium, quia loquebantur de nauibus tantùm naufragium passis, & nihil disponebant de bonis incertis extra nauim, vel in litore inuentis, sed post Greg. XIIII. non est dubitandum, quia Bulla expressè loquitur de nauibus tempestate, siue in transuersum iactatis, vel quocunque modo naufragium passis, & de bonis acceptis vbicunque siue in naui, siue in mari, siue in litore inuēta sint.

Quintum dubium; An, quando in euidenti periculo naufragij, nauis deseritur ab omnibus etiam a Domino, & vnusquisque fugit, quærens quomodo vitam seruet, & aliquis peritus Nauta vult remanere in naui, & suo labore, & industria conseruat nauim, tuta conscientia sibi acquirat illam.

Respondeo non acquirere illam sibi, sed tenetur restituere Domino cum suis bonis, & si quid capit, & non restituit, est excommunicatus, quia Dominus deserendo nauim, & merces non cedit Iuri suo, sed relinquit illas res arbitrio fortunæ, & tempestatis, ità vt si contingat seruari illas, velit eas recuperare, non enim habentur pro derelictis, & idem dicendum est, si alij nautæ inueniant illam nauim absque suo Domino.

Sextum dubium; An postquam hæc bona naufra-

gan-

gantium fuerint ex mari, vel litore extracta, & in terra exposita; V.G. in domo alicuius conseruata, si quis tunc ea raperet, in hunc Canonem incideret.

Respondeo rem esse dubiam, sed admodum probabile mihi est talem raptorem non incurrere, quia iste casus non videtur in Canone comprehensus, vbi expressè dicitur; In nauibus inuenta, vel ex ea eiecta, & inuenta in mari, vel litore; Sed hæc bona in casu nostro nullibi ex dictis locis erant; Quare non videntur inclusa. Et ratio etiam adduci potest, quia in terra facilius possunt custodiri, & difficilius accipi, & ideo non requirebatur, vt Bulla per excommunicationem id prohiberet.

Septimum dubium; An qui accipit huiusmodi bona ex simplicitate putans sibi licere, quamdiù est in hac bona fide, vel ex ignorantia inuincibili excusetur.

Respondeo, quod si est ignorantia probabilis, vel quæuis bona fides, quæ raptorem in foro conscientiæ excuset a culpa, & peccato, potest eundem excusare, nè in hanc incidat excommunicationem.

Octauum, & postremum dubium, quid sentiendum sit, quando reperiens bona ex naufragio proiecta, non inueniat Dominum, cui illa restituat, an possit sibi retinere.

Respondeo ex doctrina Bart. in d. l. Falsus §. Quod alienum. ff. De Furt. Abb. in dicto c. Cum dilecti n. 12. De Accusa. in c. fin. De Furt. in c. Dudum De Elect. & Felin. in dicto c. Cum dilecti num. 18. Quod si capiens rem putauit probabiliter ex Regulis assignatis illam haberi pro derelicta, quamuis re vera non esset, posse licitè, & sine peccato eam vsucapere, si debito tempore ad præscriptum Iuris illam possideat cum hac bona fide, ità vt, si postea compareat Dominus, non teneatur illam reddere. ff. Pro derelicto per totum; Sed quando accipiens non credebat rem haberi pro derelicta, tunc temporis facta proclamatione debet illam erogare pauperibus arg. in Auth. Omnes peregrini. §. Successionibus. C. Communia de Success. Facit quod notatur c. Si quid inuenisti 14. q. 5. & c. Quia frustrà De Vsur. Felin. dicto num. 18. dat optimum consilium; Vt re inuenta, qui illam reperit, curet per Præconem publicè intimari rei inuentionem ad euitandam omnem furti suspicionem, vt probatur in dicta l. Falsus. §. Qui alienam. ff. De Furt. & notat. Glo. in c. Quia frustra De Vsur. & Dominus tenetur reficere omnes expensas Inuentori; Immò addit ex sententia Host. in c. Dudum 2. De Elect. non esse iniquum, & improbandum, si a Domino rei offeratur aliquod præmium in genere cuicunque, qui illam inuenerit, si restituat, vt hac via alliciatur ad rem deperditam manifestandam potius, quàm ad celandam arg. l. 4. in fi. ff. De Condit. ob turp. cau. Sed Felin. non admittit simpliciter id dictum, sed cum distinctione desumpta ex Bart. in d. l. Falsus. §. Qui alienum. ff. De Furt. Quando enim res perdita iam est inuenta, non potest precium peti ab eo, qui inuenit, vt ibi probat textus, quia cum illud gratis fieri debeat, si precium petatur, dicitur turpe lucrum l. Populi. ff. De Condit. ob turp. cau. Si verò res non est inuenta, sed inuenienda, tunc potest peti precium futuræ inuentionis l. idem. §. Si sibi ob indicium. ff. De Condi. ob turp. cau.

CAPUT III.

An hac excommunicatio comprehendat eos, qui fauent, vel adiuuant, aut recipiunt Raptores bonorum Naufragantium, & an consuetudo possit tribuere facultatem recipiendi licitè bona naufragantium.

MEritò hæc difficultas in controuersiam reuocari potest, quoniam ad vtramque partem nō deest probabilis ratio dubitandi. Pro parte negatiua facit, quoniam hæ actiones, scilicet fauere, receptare, & adiuuare non exprimuntur in hoc Canone, nec vllus de eis habetur sermo, sicut in Canone præcedenti, & in alijs superioribus explicatis; Neque etiā illæ actiones enumerantur in dicto c. Excommunicationi De Rapto. Signum igitur euidens est mentem Summi Pontificis fuisse non extendere hanc excommunicationem ad has actiones.

Ex altera parte qui fauent, adiuuant, & receptant Raptores, verè, & propriè ipsi quoque rapiunt; Si ergo Raptores excommunicantur, erunt etiam excommunicati Fautores; Adiutores, & Receptatores.

Mihi placet hæc secunda pars, quæ potest hoc modo confirmari; Quando plures concurrunt ad committendum furtum, omnes verè furantur, etiamsi omnes actu non surripiant res alienas, sed vnus deferat scalas ad ingrediendum; Alius assistat, vt explorator, si excitentur, & aduertant qui sunt in domo; Tertius trāsportet bona sublata ab alio; Tandem si singuli agant quid diuersum in ordine tamen ad vnum, & idem furtum, omnes dicuntur fures, & tanquàm tales puniuntur. Sic etiam in proposito casu; Qui adiuuat, fauet, auxiliatur alicui raptori, vt rapiat tutò bona naufragantium, verè dicitur raptor, & idcirco incurrit excommunicationem latam contra huiusmodi raptores, sicut auxiliator ad furandum tenetur ad pœnam furti l. Is qui opem cum sim. ff. De Furt.

Sed alia ratio esset de Consulente, vt dixi in Canone 3. cap. 4. Disp. 4.

Quantum verò ad Receptatorem distinguendum est de ipsis Receptatoribus. Primò si quis receptat domi suæ personam, quæ commisit tale furtum naufragantium bonorum, non erit innodatus excommunicatione; Hic enim propriè non potest vocari raptor, in cuius odium lata est hæc excommunicatio.
Secundò Receptator, qui receptat bona huiusmodi surrepta in gratiam ipsius raptoris ad occultandum ea, & custodiendum, sed non fit particeps illorum, similiter nōn incidit in excommunicationem Bullæ, neque iuris; Non Bullæ, quia non accipit illa bona animo deprædandi; Quod requiritur ad incurrendam excommunicationem Bullæ. Non afficitur etiam excommunicatione c. Excommunicationi, quia neque accipit inuitè, neque sibi retinet, & vtrumque requiritur ad illam excommunicationem.

Tertiò potest dici quis Receptator huiusmodi bonorum, quia admittitur ad partem illorum ab eo, qui illa surripit; Quod fieri potest, vel ex pacto, & conuentione inita ante deprædationem; Vt si duo conuenerint ad furandum bona nauis naufragium passæ hac conuentione, vt vterque surripiat quantum potest deinde partiantur pro æquali portione bona suscepta; Vel quod vnus suppeditauerit expensas necessarias ad furandum, & dederit fauorem; Alter operam, & industriam suam apposuerit eodem pacto interueniente de rebus postea sublatis æqualiter diuidendis. Et in

hoc

hoc caſu cenſeo hunc raptorem obſtrictum eſſe excommunicatione, quia verè fur eſt, & bona naufragantium deprædatur. Quod tamen intelligendum eſt, vbi talis receptator recipit partem illorum bonorum; Si enim ità conuentum eſſet inter ipſos, ſed poſtea executioni minimè traderetur, receptator peccaſſet quidem, ſed non eſſet excommunicatus; Quia tunc verè nihil reciperet; Quod requiritur ad incurrendam hanc cenſuram, ſed potius ſe haberet tanquã Conſulens, aut Mandans, quos hæc excommunicatio non comprehendit.

Alio modo contingere poteſt, vt quis recipiat talia bona nullo præcedente pacto, ſed ex mera voluntate raptoris ei oblata, ſciens tamen eſſe bona naufragantium; Quo caſu poteſt eſſe aliqua difficultas, an talis receptator incidat in excommunicationem, & ratio dubitandi eſſe poteſt, quoniam in Bulla Gregorij xiij. poſt illa verba, ſcilicet *bona cuiuſcunq; generis rapuerint* adduntur hęc, *Aut ab al s rapta, ſeu accepta ſcienter receperint* Quare tempore Gregorij non erat dubitandum eum, qui huiuſmodi bona à raptore recipiebat, quomodocunque accepiſſet vel ex pacto, vel ſpontè, fuiſſe excommunicatum; Sed in Bulla Pauli: Et in alijs poſt Gregorium non habetur illa clauſula, ergo videtur ſublata ad ſignificandam mentem Pontificis fuiſſe non obſtringere excommunicatione, huiuſmodi generis receptatores.

Aliqui putant adhuc poſt Bullam Sixti Quinti, à quo 'dempta fuit illa particula; Recipientes bona Naufragantium ſpontè ab ipſo raptore nullo præcedente pacto eſſe excommunicatos. Aſſignant rationem, quia, ille, qui ſic accipit talia bona, tenetur reſtituere vero Domino; Quare ſi ſit in mora reſtituendi, incurrit excommunicationem cap. Excommunicationi De Rapto. Et multò magis excommunicationem huius Canonis, quæ generalior eſt, vt probatũ eſt; Quia quod accipiat immediatè in Litore, naui, vel mari, aut accipiat ab ipſo Raptore, non mutat prauitatem actus.

Exiſtimo ego oppoſitam partem probabiliorem, ſcilicet recipientes naufragantium bona ab ipſis raptoribus non obſtringi excommunicatione Iuris, neq. huius Canonis, poſt Bullam Sixti, quamuis peccent, & teneantur illa vero Domino reſtituere.

Probari poteſt hoc dictum. Primò Quoniam ſi intentio Papę fuiſſet velle innodare excommunicatione huiuſmodi receptatores, non omiſiſſet clauſulam illã, quæ reperitur in Bulla Gregorij xiij. cuius virtute comprehendebantur expreſsè tales receptatores. Idcirco igitur Sixtus illa verba ſubſtulit ex Canone, quoniam non intendebat extendere hanc excommunicationem ad huius generis receptatores; Vbi enim non conueniunt verba, ſed variantur, non habet locum eadem diſpoſitio Bal. in l. 1. in col. 3. Ver. Quarto oppono C. Si omiſſa ſit cauſa Teſt. per l. Si ſeruum §. Non dixit De acqui. Hæred. Ex verbis enim, quibus vtitur Legiſlator, accipienda eſt interpretatio Legis, l. Cum præcibus C. De Probat. Bart. l. Quod conſtitutum De Teſtam. Milit. Ideo quando ceſſant verba Legis, debet etiam ceſſare Lex l. 4. §. Prætor & ibi notat Bart. in vlt. nota. ff. De Dam. Infect. l. Ita autem in princ. & ibi Bart. ff. De Admi. Tuto.

Secundò probatur ex illo verbo *Surripuerint*, quod ſecũdum propriam ſignificationem idem valet, quod furari, ideſt clam, & latenter inuito Domino rem

A accipere; Vnde dicitur ſurreptitium; Quare qui ſpontè accipit à Raptore, non ſurripit, ideo non eſt excommunicatus excõmunicatione huius Canonis, neq. etiam excommunicatione Iuris, quæ vltra rapinam exigit etiam moram, & contumaciam in reſtituendo. Verùm licèt non ſit excommunicatus, tenetur ad reſtitutionem, quia ſcit rem eſſe alienam; Et de hoc nemo ambigit.

Tandem, vt abſoluamus hunc quartum Canonem, in fine eius Summus Pontifex addit hæc verba: *Ità vt neq ob quodcunquè priuilegium, conſuetudinem &c.* vſque in finem.

Per hanc clauſulam reuocatur omne priuilegium, aut conſuetudo etiam longiſſimi temporis in contra-
B rium inducta tanquàm iniqua, & rectæ rationi repugnans. Quare ſi talis conſuetudo, vel priuilegium alicubi extaret, quod tribueret facultatem recipiendi bona naufragantium, & retinendi, eſſet iniquiſſimum; Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 117. quoniam eſſet addere afflictionem afflictis cõtra cap. Cum percuſſio 7. quæſt. 1. & l. Diuus ff. De Offic. Præſid. Et ob eandem rationem quęcunque conſuetudo, quę potius abuſus, & corruptela maxima, eſſet appellanda (ſi alicubi vigeret) nullius prorſus eſſet roboris, nec vllo modo excuſare poſſet raptorem ab hac excommunicationis poena; Tùm quia (vt dixi) talis conſuetudo non eſſet valida, & legitima, quia approbaret, & faceret licitum furtum, vt inquit Glo. in cap. Cum dilecti
C Ver. Dilapidatione De Accuſa. Idcirco talis conſuetudo non poteſt iuuare. Quare ſi talis conſuetudo alicubi eſſet, vocanda potius eſſet vſurpatio cap. fin. De Conſuet. cap. Conſuetudinem 11. diſt. ex qua ſolùm arguitur temeritas, & malitia eorum, qui contra Ius inducunt conſuetudinem, cap. Quanto De Conſuet. Verſ Præſumat, cap. Qui contra 8. diſt. Quamobrem hæc vocata conſuetudo, ſed verè abuſus, non poteſt excuſare à peccato rapinæ, nec à reſtitutione rei ablatæ, neque liberum reddere Raptorem ab hac pœna excommunicationis, etiamſi in hoc Canone expreſsè non eſſet tali conſuetudini derogatum. Nàm licèt forſan conſuetudo praua poſſit excuſare à pœna temporali, non tamen à ſpirituali Glo. in cap. Deniquè
D diſt. 4. in cap. Cum venerabilis De Conſuet. & ibi Abb. etiamſi eſſet conſuetudo, vel poſſeſſio longiſſimi temporis, & immemorabilis, quia quando damnatur conſuetudo tanquam irrationabilis, cenſetur etiam damnata illa, de cuius initio non extat memoria, cap. Si conſuetudinem, & ibi Doctores diſt. 8. Verùm Summus Pontifex ad maiorem declarationem voluit expreſsè declarare irritum, & inane quodcunque priuile-
E gium, & conſuetudinem in contrarium inductam.



E X-

EXCOMMVNICATIO QVINTA

ITEM EXCOMMVNICAMVS, ET ANATHEMATIZAMVS OMNES

QVI IN TERRIS SVIS &c.

DISPVTATIO SEXTA.

DE EXCOMMVNICATIONE LATA contra Imponentes iniusta, & iniqua tributa.



MATERIA huius Canonis est oppressio libertatis humanæ subditorum facta à Principe per impositionem Gabellarũ, B & Pedagiorum. Personæ, quæ subiiciũtur excommunicationi, sunt in triplici genere; Nempè Imponentes Gabellas; Secundò Augentes, Tertiò exigentes prohibitas imponi, & augeri. Totidem quoq. sunt actiones sub censura excommunicationis damnatæ. Prima est imponere Gabellas, vel Pedagia sine auctoritate Iuris communis, vel peculiari licentia Sedis Apostolicæ. Secunda augere illas sine eadem iurisdictione; Quæ actio secùndum Ang. & Silue. æqui; C pollet primæ, quia augere est nouam gabellam imponere secùndum aliquam partem. Quare licèt hæc secunda actio non fuisset expressa, intelligeretur in prima. Tertia actio est exigere gabellas prohibitas imponi, vel augeri.

Hæc excommunicatio antiquo etiam tempore erat inclusa in Bulla Cœnæ Domini à Martino V. vt inquit Caietanus cap. 71. De qua excommunicatione agit Ang. Ver. Pedagium, Silue. Excom. 7. §. 54. & Ver. Gabella 3. §. 7. Armil. Ver. Excom. §. 11. Caiet. dicto cap. 71. & cap. etiam 39. Nauar. cap. 27. nu. 61. qui te- D stantur esse antiquam excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, licèt non eodem modo ab omnibus referatur. Immò aliqua diuersitas etiam apparet in verbis, quibus exprimitur hæc excommunicatio in Bulla Pauli, & suorum Antecessorum post Gregorum XIII. ab ijs, quibus vsus est ipse Gregorius in sua Bulla. Gregorius sic ait; *Excommunicamus omnes, qui in Terris suis noua Pedagia, seu gabellas ad id potestatem non habentes imponunt*, At Paulus ità loquitur *Excommunicamus omnes, qui in Terris suis noua pedagia, seu Gabellas, præterquam in casibus sibi à iure, seu speciali* E *priuilegio Sedis Apostolicæ permissis imponunt, vel augent*. Et in Antiquioribus Bullis simpliciter legebatur. *Qui in Terris suis noua pedagia imponunt*.

Quæ verba licèt re vera quantum ad sententiam idem significent, scilicet eos, qui potestatem non habent imponendi Gabellas, posita tamen sunt ad A maiorem declarationem, vt inferius explicabimus.

Caput Primum, Quid significetur his duabus vocibus, scilicet Pedagia, & Gabellas. *Vbi explicantur alia nomina in eadem materia.*

Caput Secundum, Quibus competat potestas ab ipso Iure, & in quibus casibus imponendi nouas Gabellas, vt imponendo non incurrant hanc excommunicationem.

Caput Tertium, An Supremi Principes, qui Iure ordinario vtuntur potestate imponendi Gabellas, possint B *aliquando ex tali impositione incurrere censuras huius Canonis.*

Caput Quartum, Explicantur dubia, quæ oriuntur tàm ex his, quæ hactenus dicta sunt, quàm ex verbis Canonis.

CAPVT I.

Quid significetur his duabus vocibus, scilicet Pedagia, & Gabellas. *Vbi explicantur alia nomina in eadem materia.*

C VAria, & diuersa reperiũtur nomina in Iure, quibus significantur tributa, quæ à subditis tamquam Regalia Principi soluuntur ratione Regiæ, vel Imperialis dignitatis l. 2. §. si quid ff. de Hære. vel acti. vend. Glo. c. Si tributum 11. q. 1. & Glo. in cap. Generali Ver. Regalia de elect. lib. 6. & inter alia præcipua, & magis vsurpata sunt Pedagium, & Gabella. Recensentur variæ species Tributorum nuncupatæ diuersis vocibus desumptis & rebus, vel locis, aut personis in c. Super quibusdam de verbo. signif. & ibi Do- D ctores plene tractant, Bart. & Bald. in Rub. in tit. Quæ sint Rega. in vsi. feud. Bart. in l. Aquilius Regulus ff. de donat. Summistæ in Ver. Pedagium, Gabella, & Vectigal, Rebuff. in explic. huius Can. Nauar. late in cap. Fraternitas num. 46. & seq. 12, q. 2. & alij plures, Nomina vero, quæ communiter accipiuntur ad significandas has tributorum species, sunt hæc Pedagium, Guidagium, Vectigal, Teloneum, Duana, Datium, Salinarium, Portorium, Tallia, Collecta, Pensio, Census, Decima, Munus, Angaria, & Perangaria, & si quæ alia nomina sunt in vsu, quæ ad vnam ex his speciebus E enumeratis facile reduci poterunt, & harum omnium specierum genus est Tributum generaliter sumptum pro omni pensione, quæ Principi soluitur, & dicitur tributum à tribuendo secundum aliquos, quia ex priuato tribuatur in publicum, vel à Tribù secundum Isidorum, vt notat Bertach. in Tract. De Gabellis in princ. nu. 5. quia prius soluebatur per singulas Tribus;

Inde

Inde Tribuni dicebantur, qui præerant tribus partibus Populi Romani, & hoc modo tributum idem valet, quod Gabella in latiori significatione. Gabella est vocabulum ex communi hominum vsu introductum potius, quàm latinum, & comprehendit omne genus exactionis, & tributi, sub Tributo igitur, & Gabella continentur omnes tributorum species, quarum differẽtias explicare oportet, vt intelligere valeamus, quid sit Pedagiũ, & Gabella, de quibus mentio habetur in hoc Canone & quomodo ab alijs speciebus distinguant Pedagiũ proprie est id, quod soluitur à transeuntibus per certa loca constituta à Principe, vt per flumina. Pontes, Confinia Ciuitatum, & alia similia, Glo. in c. Super quibusdam Ver. Pedagia de verbo. signif. Abb. in c. Innouamus num. 3 de censi. Doctores in c. Quanquam eod. tit. & lib. & Pedagia imponi debent ob aliquam iustam, & honestam causam, vt ad reparandos Pontes, ad sternendas vias, vel etiam custodiendas, & similia. Quamobrem is, qui pedagium recipit, illa præstare tenetur, alioquin obligatur ad restitutionem. Host. in sum. tit. de censi. §. ex quibus causis Vers. sed nunquid sine causa, quem sequitur Guido Papa cons. 65. Viso themate, c. Cum Apostolus §. Prohibemus de censi. & dicitur pedagium, quasi pro pede soluatur, etiamsi quis nihil secum afferat. Guidagium est id, quod soluitur ad habendum aliquem viæ Ductorem, qui ducat ipsum transeuntem ad locum, quo est iturus, tutum, & absque periculo, Glo. in dicto cap. Super quibusdam Ver. Pedagia de verbo. signif. Hoc autem intelligendum est (vt rectè annotauit Caietan. Ver. Excommunicatio cap. 39.) quando Viatores compelluntur ad soluendum quid taxatum pro Guida, siue velint, siue nolint habere Ductorem. Secus vero est, quando quis spontè conducit aliquem precio, & mercede ad ostendendam sibi viam. Quare pedagia vocantur exactiones pro transitu vel ratione personarum, aut ratione bonorũ, quæ portantur, aut vehuntur. Guidagia vero pro guida simili modo, vel ratione personæ, aut bonorum. Vectigal exigitur pro rebus, quæ vehuntur, vnde à rebus vectis deriuatur, quare non differt secundum Abb. in c. Innouamus nu. 3. de censi. à pedagio, quod soluitur etiam pro his, quæ portantur. Et idem quoque intelligitur secundum Silue. in Ver. Gabella 1. §. 3. ex sententia Archid. nomine Telonei, quod græcum est, & latine significat idem, quod Vectigal, & nomine Duanæ, quæ denotat solutionem, quæ fit pro rebus in Ciuitatem delatis, vel inde sublatis l. Vniuersi C. de Vect. commi. Aut pro rebus, quæ in Ciuitate emuntur, venduntur, Salic. in l. Vectigalia C. Vect. noua instit. non posse. Ad idem significandum dicit Silue. eod. §. 3. valere Datium. Et idem quoque significat Salinarium ratione salis, quod vehitur, tex. & Glo. in dicto c. Super quibusdam de verbo. signif. Et hæc omnia, vt ibi inquit Glo. appellantur Portitoriæ l. 3. C. de Vect. Commi. elegantius Portoria dicũtur, vt Cic. lib. 1. de Iouent. & Bude. lib. 4. de asse. quia pro asportandis rebus dantur, nec danda sunt, nisi cum negociationis causa aliquid portatur, secus si ad propriam vtilitatem l. Vniuersi. C. eod. tit. Tallia est vocabulum vulgari sermone acceptum, dictum à tollendo, vt quidam putant, ad significandum, vt inquit Silue. Ver. Gabella 1. §. 4. pensionem illam, quam exigit Princeps à subditis pro rata, & mensura bonorum, quæ ab vnoquoque possidentur. Et idem sonat vocabulum Collecta, Bertach. in tract. de Gabellis in princ. n. 11. Si vero onus fuerit impositum subditis ratione perso-

A næ, vt si persona laboret, vel si aliud agat, dicitur Capitatio l. sacrosancta C. de sacrosan. Eccles. l. fin. C. si propter pub. pensi. Census in sua amplissima significatione latius patet, quàm Tributum, quoniam comprehendit etiam id, quod soluitur priuatæ personæ c. Constitutus de Relig. Domi. sed quando soluitur Principi, idem valet, quod tributum, Abb c. Innouamus n. 3. de censi. l. 3. & 4. ff. de censi Decima, idem significat, quod Collecta Bertach. vbi supra num. 16. maxime Decima Papalis, & imponitur occurrente necessitate ad subleuãdam Ecclesiam, & Christianam Rempub. ab iniurijs aduersariorum, & à periculis imminentibus liberandam, Bal. l. Neminem C. de Sac. san. Ecc. Munus, quantum pertinet ad rem, de qua agi- B mus, est id, quod necessario subimus lege, vel imperio l. Munus ff. de verbo. signif. Et exemptio ab hoc dicitur immunitas, & munus secundum hanc interpretationem, vt inquit Silue. Gabella 1. §. 6. potest esse triplex, Personale, Reale, & Mixtum. Tandem inuenitur Angaria, & Perangaria, & sunt iniustæ, & iniquæ extorsiones, & coactiones subditorum, Silue. vbi supra, Nauar. in cap. Fraternitas num. 48. prope finem 12. q. 2. quæ multis, & varijs modis committi possunt, vt notant Doctores in cap. Non minus de Immu. Eccles.

His igitur nominibus in Iure exprimuntur variæ, & diuersæ species exactionum publicarum, ad quas reduci possunt omnes aliæ, quæ alijs nominibus essent C nuncupatæ, & singulæ conueniunt in hoc communi nomine, quod dicuntur Gabella, seu tributa, quę Principi soluuntur.

Ex quibus facile intelligere possumus id, quod explicandum proposui, quid significare velit Summus Pontifex in hoc Canone nomine Pedagiorum, seu Gabellarum, dicendum est enim his duabus geminatis vocibus voluisse generaliter prohibere omnem impositionem cuiusq; generis tributorum, & exactionum, de quibus diximus, quomodocunque vocentur.

Et probatur primo quoniam quamuis propriè pedagium significet speciem quandam exactionis, & tributi, quod exigitur pro transitu, vel ratione personę, aut bonorum, quæ vehuntur, vt probatum est, tamen, D cum huic verbo adiunctum fuerit verbum Gabella (quod est genericum) euidenter colligitur mentem Summi Pontificis fuisse prohibere omne genus tributi, quod sine legitima potestate imponitur, quoties enim verbum generale additur particulari, est intelligendum, vt comprehendat alia specialia similia his, quæ exprimuntur, l. fin. §. Cum dulcia de Vi. Triti. & oleo lega. Bart. in l. sed & si quis §. quæsitum ff. si quis cau. in cap. Qui ad agendum de Procur. lib. 6.

Confirmatur ex illa dictione *seu* Pedagia, seu Gabellas, quæ dictio secundum propriam significatiunẽ habet vim exponendi, sicut dictio siue, & disiungit verba, non sensum, Abb. in c. Inter cæteras de rescript. nu. 4. Felin. n. 3 Nauar. cons. 5. nu. 4. de verbo. signif. E Cum igitur Gabella sit nomen generale comprehendens omnem speciem tributi, & exactionis publicæ, vt probatum est, satis aperte patet mentem Summi Põtificis fuisse velle prohibere omnem impositionem noui tributi, quocunq; nomine nuncupetur, & idcirco subiunxit nomen Gabellæ, quod latius patet, vt explicaret eodem modo intelligendum esse nomen pedagij, quod propriè sumptum species quædam est Gabellæ, vt dictum est supra.

Confirmatur secundo, quoniam ante Pium V. simpliciter in hoc Canone ferebatur excommunicatio in

eos,

eos, qui in Terris suis noua pedagia imponerent, vel prohibita exigerent; Sed Pius V. addidit verbum generale *Gabellas*, vt significaret hanc prohibitionem esse generalem de quacunq. specie gabellæ, & tolleret omnem dubitationem. Et licèt Pius V. apposuerit in sua Bulla alias voces denotantes species gabellæ; Vt Portoria, Vectigalia, quę non habentur in hac Bulla Pauli, non propterea hæc est minus vniuersalis, quàm illa, quoniam satis est, si retentum fuerit nomen vniuersale *Gabella*, sub genere enim continentur omnes species, vt notatur in l. Iuris gentium §. Si fraudandi ff. De Pact.

Quare hoc tempore negari non potest hanc prohibitionem esse generalem, & comprehendere omnem speciem tributi, & gabellæ, quamuis ante Bullam Pij V. de hac re probabiliter controuerti potuisset; Vnde Caietanus in Summa Ver. Excommunicatio cap. 71. existimat in hoc Canone excommunicari tantùm Imponentes noua pedagia, non alia quęcunq. prohibita. Et hinc infert eos, qui imponunt nouas Collectas, seu taxas, non incurrere hanc excommunicationem. Similiter Toletus in explicatione huius Canonis in sua Summa censet ante Pium V. hanc excommunicationem non fuisse adeo generalem, sicut modo extat, quia nomen Pedagij videbatur accipiendum in sua propria significatione. Contra vero dici potest prohibitionem fuisse generalem, quia non apparet ratio, cur eo tempore Summus Pontifex nō habuerit candē mētem, & voluntatē damnādi omnem impositionem nouæ Gabellæ. Et eadem ratio erat de quacunque specie. Et demum quia nomen pedagij quamuis ex prima impositione inuentum fuerit ad significandam certam quandam speciem tributi, vt diximus, tamen ex communi vsu extēditur etiam ad omnem speciem tributi, atque ita videtur sentire Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 61. & in Sacris Canonibus sæpe fit mentio pedagiorum, vt in cap. Innouamus de censi. in c. Super quibusdam de verbo. signif. in c. Si quis Romipetas 24. q. 3. & alibi frequenter.

Et in hanc sententiam potius ego descendo, quia si aliter interpretaremur, hæc excommunicatio suo fine carere, & est liberare Populum à nimijs exactionibus Principum. Vnde si pedagium fuisset acceptum in sua pura, & particulari significatione, tunc ad euitandam hanc excommunicationem Principes imposuissent suis subditis alia genera tributorum, & gabellarum, atque hoc modo lex frustrata fuisset fine suo. Verum ea, sine quibus lex frustratoria esset licet non sint expressa, pro expressis habenda sunt, quemadmodum notant Doctores in cap. Si Ciuitas de sent. excom. Vbi Interdictum Ciuitatis extenditur ad suburbia, ne lex sit inanis, & idem confirmatur cap. Significauit de Iudæ.

Sed hoc loco meritò dubitari potest, an sub hoc Canone comprehendantur exactiones, quæ dicuntur Taxæ, & vocari etiam solent Collectæ, quæ imponuntur semel tantum pro necessitatibus occurrentibus Ciuitatis, aut loci.

Respondendum est non comprehendi, quoniam verè, & propriè non sunt tributa, & gabellæ, quæ Principi tribuantur ab omnibus, sed sunt portiones quædam, quæ pro rata à singulis ipsius Ciuitatis conferūtur in vnum ad occurrendum necessitati, & communi indigentiæ Ciuitatis, vt singuli tanquam membra adiuuent totum corpus. Et indicere huiusmodi taxas, seu Collectas pertinet ad officiales, qui Magistratum gerūt, quibus commissa est cura super bono statu Ciuitatis. Vnde sicut possent pecunias mutuo accipere ad eundem finem, & obligare ipsam vniuersitatem, & alia statuere, ita quoq; possunt imponere has taxas, siue Collectas Ang. post Glo. in Auth. qui mo. nat. effi. sui §. Si quis igitur secundo, Bal. in l. 4. §. Actor ff. de re Iudi. & ibi Io. Imol. Bertach. in tract. de Gabell. par. 1. num. 20. Et id fortassè voluit significare Caiet. dicto cap. 71. cum ait imponentes nouas Collectas, seu taxas non incurrere hunc Canonem punientem tantum imponentes nouas gabellas.

CAPVT II.

Quibus competat potestas ab ipso Iure, & in quibus casibus imponendi nouas Gabellas, vt imponendo non incurrant hanc excommunicationem.

EXcommunicantur omnes, qui nouas imponūt gabellas, vel illas augent, præterquam in casibus sibi à Iure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis. Quare, vt cognoscamus à quibus incurritur hæc excommunicatio, opus est explicare, quo Iure tribuatur facultas imponendi gabellas, & in quibus casibus.

Qua in re illud in primis est animaduertendum omni Iure tam Cæsareo, quam Pontificio reprobatā fuisse, & damnatam nouam impositionem gabellarum, vt rectè annotauit Rebuff. in expositione huius Canonis, Iure enim Ciuili nemini permissum fuit noua vectigalia imponere l. 1. C. vectigalia noua institui non posse, & qui legem violasset, pœna centum aureorum cum infamiæ nota plectebatur l. vna ff. ad leg. Iul. de ambi. Et Iure Canonico tanquam excommunicatus fidelium co mmunione carebat, donec satisfecisset c. Si quis Romipetas 24. q. 3. c. Innouamus de censi. cap. Quanquam eod. tit. lib. 6. Qua excommunicatione obstringebatur, etiamsi subditi præbuissent consensum. Ratio huius Constitutionis fuit, ne Domini exhaurirent in vniuersum pecunias subditorum, & ne eosdem iniustis exactionibus nimium opprimerent.

Hæc tamen generalis prohibitio locum non habet quoad eos, quibus ab ipsomet Iure reperitur concessa facultas imponendi Gabellas, quæ potestas multis competit, vt apparet ex cap. Super quibusdam de verbo. signif. Vbi Innocentius Tertius ita statuit, *Duximus declarandum illa esse Pedagia, Guidagia, Salinaria interdicta, quæ non apparent Imperatorum, vel Regum, vel Lateranensis Concilij largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine, à tempore cuius non extat memoria, introducta.*

Ex quibus verbis desumitur. Primo Imperatorem posse imponere nouas Gabellas, quia ipse est Princeps, & Dominus Orbis, & præest omnibus arg. l. Deprecatio ff. ad leg. Rhod. de Iact. & l. Bene à Zenone C. de quadrien. præscript. & Ius imponendi vectigalia est maximi Imperij, ideo propriè pertinet ad Imperatorem, & Inferiores carent hoc Iure l. Vectigalia, & l. Non solent, & ibi Salic. in princ. C. Noua vecti. insti. non pos. Vbi nomine Principis intelligitur Imperator, vt inquit Silue. ex sententia Archid. Ver. Gabella 3. §. 2. & etiam Papa maximè in Terris Ecclesiæ, quia & ipse dicitur Princeps.

Secundo hæc potestas conuenit Regibus, quod nōnulli intelligunt solum de Rege Romanorum, scilicet de eo, qui electus est, sed non coronatus Imperator, tunc enim non solet vocari Imperator, sed Rex Romanorum. Sic sentit Host. in dicto cap. Super quibusdam

dam de verbo. signif. Vbi nomine Regum intelligit Regem Romanorum; Et pro sententia Host. facit tex. in l. vectigalia. ff. de publi. vt inquit Abb. in dicto cap. super quibusdam nu. 6. & in eandem sententiam Silue. gabella 3. §. 2. citat Angelum, & fatetur re vera in c. super quibusdam nomine Regum intelligendum esse Regem Romanorum.

Innoc. autem in dicto cap. super quibusdam simpliciter asserit de omnibus Regibus, quod valeant imponere noua pedagia, quamuis grauiter peccent, si absque causa id faciant, & Abb. num. 6. inquit hoc Ius imponendi gabellas hodie saltem de facto omnes Reges, & Ciuitates Italiæ; Immò omnes Castellanos (vt ipse loquitur) habere, licèt fieri non deberet.

Est communis nihilominus sententia hanc facultatem imponendi pedagia, & gabellas non tantùm Iure competere Imperatori, qui dicitur Princeps Orbis, vt probatum est, sed omnibus Regibus in suis Regnis, si non recognoscant Imperatorem in Superiorē, vt probat Salice. in dicta l. vectigalia. C. noua vectigalia, & exemplum ponit de Rege Frācorum Glo. in c. innouamus Ver. Regum de censi. notat ex tex. Reges, & Principes potestatem habere cōstituendi noua pedagia, & Abb. ibi nu. 6. affirmat hoc tempore Reges præscripsisse in suis Regnis Iura Imperatoris, vt imponēdi pedagia, & alia, & posse illa exercere vt Imperator, sicut in simili notat Innocentius in cap. cum P. de fi. instrum. quin etiam idem Abb. in cap. super quibusdam nu. 8. de verbo. signif. ex sententia Io. And. in eod. c. tenet eandem facultatem imponēdi noua pedagia obtinuisse quasdam Ciuitates Italiæ post pacem constātiæ initam, cum ex ea acceperint merum, & mixtum Imperium; Et idem confirmat Silue. gabella 3. §. 2. & alij Summistæ; Eādem sententiam probat Bertachi. de gabellis par. 1. nu. 3. & Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 61. Vbi verba illa Canonis *Ad id potestatem non habentes*, intelligit de omnibus illis Principibus, qui recognoscunt Superiorem in temporalibus, ad quem ab eis appellari potest. Qui igitur non agnoscit Superiorem, potest imponere gabellas. Quare non solùm Ciuitas Venetiarum gaudet hoc Iure imponēdi gabellas Bal. in rub. ff. de re. diuis. Salice. in l. 3. C. de Nau. fœno. sed etiam aliæ Ciuitates, quæ Superiorem nō agnoscunt, & habent merum Imperium ex præscriptione ex sententia Bald. & aliorum, quos citat Bertachinus par. 1. num. 15. Et tandem idem asserendum est de quocunque Principe non recognoscente Superiorem, vt consuluit Dec. cons. 534 initium est, Procedendo.

Tertiò hæc facultas imponendi gabellas conuenit ijs, quibus ex priuilegio Concilij Lateranensis concessum est, vt in dicto cap. super quibusdam habetur, Concilium enim Lateranense sub Alexandro III. cap. 22. & refertur in citato cap. innouamus de censi. decreuit sub pœna excommunicationis, quod antea definitum fuerat in cap. si quis Romipetas 24. q. 3. & alibi, nè quis nouas pedagiorum exactiones sine auctoritate, & consensu Regum, & Principum statuere aliquo modo præsumat; Vnde Abb. ex illo tex. in cap. super quibusdam infert Generale Concilium habere Iura Principis, quoniam in eo præest Papa, à quo tantùm legitimè congregari potest, & confirmari, & à quo totam accipit vim, & auctoritatem cap. significasti de elect. Glo. cap. Anastasius 19. distin. igitur si Concilium Generale potest elargiri priuilegium alteri imponendi noua pedagia, multò magis est affirmandum residere penès ipsum; Nemo enim dat, quod non habet; Et fortiori ratione idem ius erit in Summo Pontifice, à quo Concilij auctoritas deriuatur, vt Io. And. & Abb. in dicto cap. super quibusdam de verbo. signif. Silue. gabella 3. §. 3. B. Antoni. par. 2. tit. 1. cap. 13. §. 6. Vnde inferunt, primò Papam, & etiam Concilium Generale posse declarare simpliciter, quæ pedagia sint licita, vel illicita in terris aliorum, & tanquàm licita, seu illicita permittere illa, vel prohibere.

Secundò inferunt Summum Pontificem, & Concilium Generale posse in casu particulari, vt fauore fidei, vel ad defensionem Ciuitatis, & similibus casibus priuilegium concedere Principi, vel Ciuitati imponendi gabellas, vt si concederetur in Anglia alicui Duci, vel Ciuitati ad sui defensionē contra Hæreticos.

Si postulet quis; An Concilium Generale possit imponere gabellas vbique terrarum in omnibus Prouincijs, & Regnis Principum Christianorum, an verò solùm in terris subiectis Ecclesiæ Romanæ.

Dicendum est posse vbique in toto Orbe Christiano gabellas imponere, quoniam constitutio Lateranensis vniuersaliter loquitur absque vlla distinctione. Accedit, quod Concilium Generale repræsentat Ecclesiam vniuersalem, ergo Ius, Iurisdictio, Auctoritas vniuersalis est nō coarctata ad determinatum locum, aut ad certas personas.

Quartò hoc Ius imponendi pedagia habent illi, qui illud sibi acquisierunt consuetudine legitimè præscripta, tempore immemorabili, cuius initij non extet memoria, vt patet ex eod. cap. super quibusdam; Vbi Glo. Ver. Non extat memoria notat, quod consuetudo, cuius non extat memoria; Ius, seu priuilegium inducit l. hoc iure. §. ductus. ff. de aqua quoti. & esti. l. 1. §. vlt. de aqua pluuia arcen. & potest præscribi hoc Ius non tantùm à Principe, sed à Ciuitate, quamuis non sit libera, B. Antoni. vbi supra §. 9. Vnde infert Abb. in cap. super quibusdam num. 2. quod reseruata Principi in signum specialis priuilegij possent acquiri consuetudine tanti temporis, de cuius initio non extet memoria in contrarium. Quare Domini inferiores, & Ciuitates possunt præscribere potestatem legitimandi spurios, restituendi famam, creādi Notarios, & alia similia reseruata Principi, quæ enumerat Bal. l. rescripta. C. si contra Ius, vel vtil. pub. Vbi recenset etiā, quæ sunt reseruata Papæ, & in l. 1. C. de Iure Aureo. Anul. quādo tantum temporis pertransierit, vt non extet memoria in contrarium. Sed hoc dictum limitat Abb. in citato c. super quibusdā n. 2. de verb. sig. ex sent. Bart. in l. si Publicanus. §. vlt. de pub. quādo præscribitur cōtra Principem, secus si præscriptio currat cōtra priuatum, qui Iura Principis priuilegio, aut consuetudine acquisierit, tunc e. n. sufficit tempus decem annorum ad præscribendum cum titulo, vel triginta annorum sine titulo, facit Glo. in c. ad audiētiam de præscr. & c. dilectus de Capel. Monach. Quamobrem illi, qui ab immemorabili tempore fuerunt in hac possessione imponendi gabellas, præscripserunt legitimè hanc potestatem imponendi pedagia Bertachi. in suo Tract. par. 1. num. 26. Nam cum talis consuetudo habeat vim priuilegij, & inducat Ius, sicut dixi, non est necesse allegare titulum, sicut quandoque requiritur in consuetudine triginta annorum, Glo. in dicto cap. super quibusdam versi. non extat memoria.

Requiritur autem, vt sit antiquissima cōsuetudo saltem præscripta spacio centum annorum; Guido Papæ cons. 150. Visu Themate col. 2. & seq. aliàs præsumitur extorsio, & violentia l. fin. §. penult. ff. quod me. cau. Idem Guido Papæ cons. 65. Viso Themate col. 1.

Ex his iam clarissimè constat, quæ genera personarum Iure ordinario habeant potestatem imponendi pedagia, quæ ex natura rei consequitur supremam dignitatem Pontificiam, Imperialem, Regiam, aut saltem illam, quæ in temporalibus non agnoscit Superiorem, cui sit per se subiecta, vel saltem est necesse, vt qui exercet hanc potestatem, faciat id ex priuilegio sedis Apostolicæ, Imperatoris, Regis, vel tandē Principis supremi. Meritò autem hæc potestas denegatur inferioribus, nè subditi crebris, & iniquis exactionibus, & oneribus grauentur, & perturbentur. Neque tamen licet Regi, aut alteri supremo Principi pro libito voluntatis tributis, & nouis gabellis subditos molestare, vel antiquas augere, sed pro ratione necessitatis ad defendendam Rempublicam, vel aliam vtilitatem publicam, & seruatis conditionibus ad gabellam imponendam requisitis, de quibus Siluc. gabella 3. §. 8. & alij Summistæ. Qui autem sint, & quot hi casus in specie, in quibus sit permissum à Iure ipsis supremis Principibus tributa imponere, nō habetur expressè definitum; Exceptis verò his personis, quæ funguntur potestate imponendi gabellas, omnes alij, qui imponunt nouas gabellas, vel augent antiquas, huius Canonis innodantur excommunicatione, & Iure antiquo erant excommunicati in Concilio Lateranensi in dicto c. innouamus de censi. sed non erat reseruata.

CAPVT III.

An Supremi Principes, qui iure ordinario vtuntur potestate imponendi gabellas, possint aliquando ex tali impositione incurrere Censuras huius Canonis.

QVoniam statutum est superiori capite hanc excommunicationem comprehendere omnes illas personas, quæ carentes legitima potestate imponunt de facto noua pedagia, vel augent antiqua; Idcirco dubitari potest, An dentur aliqui casus, in quibus Supremi Principes habentes potestatem ad gabellas imponendas, nihilominus imponendo nouas gabellas, vel antiquas augendo in hunc Canonem incidere possint, scilicet quando iniusta imponunt tributa; Aut ex parte causæ, quia sine vlla, vel rationabili causa indicunt; Vel ex parte modi, quia non seruant modum, & mensuram, vel ex defectu aliarum conditionum.

Et hęc difficultas oritur ex diuersitate quorundam verbórum, quæ habentur in hac Bulla post Sixtum V. ab alijs Bullis prioribus, In alijs excommunicabantur imponentes noua pedagia ad id potestatem non habentes, sed post Sixtum excommunicantur imponentes noua pedagia præterquàm in casibus sibi à Iure, seu priuilegio Sedis Apostolicæ permissis. Quare hoc tempore videtur Papa velle excommunicare omnes, qui imponunt nouas gabellas, siue potestatem habeant, siue illa careant, si id faciant in casibus sibi à Iure non permissis.

Nauar. in Manua. cap. 27. num. 61. absolutè negat in hoc Canone comprehendi Principes supremos, qui non agnuscunt Superiorem, sed omnes, & solos illos, qui Superiorem habent, ad quem ab illis appellatio deuoluitur.

Et hæc opinio videtur probabilis, & vera, si explicanda sit Bulla Gregorij XIII. quam declarauit Nau. nam verba illius sunt clara, & hanc admittunt interpretationem.

Verùm iuxta tenorem Bullæ huius temporis illa opinio non est probabilis, quia verba relata non pos-

A sunt admittere hanc explicationem; Nulla enim mentio fit de potestate imponendi gabellas, sed simpliciter excommunicantur omnes, qui in casibus à Iure non permissis imponunt gabellas. Quare secundùm propriam & veram intelligentiam verborum erit excommunicatus etiam Princeps supremus, qui potestatem habet imponendi pedagia, si illa indicit in casu contra Iuris dispositionem, & verba legis adeò sunt attendenda, quod ab eis non est recedendum Bald. in l. quod est constitutum. C. ne de statu defunct.

Accedit, quod verba huius Canonis fuerunt mutata à Sixto V. ob aliquem finem, alìàs promulgasset hunc Canonem iuxta tenorem præcedentium Bullarum; Ergo hæc mutatio debet aliquid operari l. 1. ff.

B ad Municip. Bal. in rub. Cod. qui accu. non poss. l. si quando de lega. 1. Intentio autem Sixti colligenda est ex verbis, quibus vtitur, quæ secundùm propriam significationem non admittunt alium sensum præter illum, quem diximus.

Confirmatur, quoniam hic Canon secundùm antiquiores Bullas, scilicet Martini Quinti, Leonis X. Clementis VII. & aliorum latè patebat; Excommunicabantur enim in eo absolutè omnes, qui noua pedagia imponebant, vel exigebant, & sic comprehendebat tàm supremos Principes, quàm inferiores, & in quocunque casu. Deinde alij Pontifices posteriores coarctarunt excommunicationem, vt includeret solùm inferiores Principes, qui ab ipso Iure non haberent po-

C testatem imponendi pedagia, Ergo verisimiliter conijci potest, cum Sixtus hanc restrictionem variauerit, & verba Canonis mutauerit, quibus sui vsi sunt prædecessores, propositum fuisse ipsius ità statuere hanc excommunicationem, vt nec tàm latè pateret, sicut antiquitus, vt comprehenderet omnes imponentes pedagia sine vllo discrimine, nec adeò coarctaretur, vt amplecteretur tantùm inferiores Principes, quibus non inest potestas imponendi gabellas, sicut fecerant posteriores Pontifices, sed medium teneret locum; Nempè vt comprehenderet tàm supremos, quàm inferiores Principes imponentes nouas gabellas, non tamen semper in omni casu, sed in casibus ab ipso Iure non permissis; Verba enim Canonis hunc sensum

D habent (vt dixi) & verbis legum standum est l. 1. §. is qui Nauem. ff. de exercito. act. Gl. l. 1. ff. quod metus cau. tex. & Glo. in cap. solitæ de maio. & obed.

Confirmatur secundò, quoniam cum finis, & ratio huius Canonis sit consulere vtilitati, & indemnitati subditorum, nè à Dominis, & Principibus, exactionibus pluribus, & iniustis perturbentur, & torqueantur, vt probatum est superiori capite, & magis hoc verendum sit de Principe supremo, vt statim ostendam, quàm de inferiori. Idcirco verisimiliter credendum est Sixtum V. data opera disposuisse verba huius Canonis ad hunc modum, vt non minus Supremum Dominum, quàm inferiorem includerent. Nam lex habet locum, vbi ratio legis locum habere potest, Bal. l.

E fin. q. 5. C. de hære. institu. per legem fin. Cod. de indicta vidui. tollen. quod verò maius periculum immineat subditis, nè acrius torqueantur à Supremis Principibus, quàm inferioribus, in impositione pedagiorum, ex eo manifestè ostenditur, quòd Principes non supremi, qui Superiorem agnoscunt, sicut carent potestate ad imponenda tributa, ità rarissimè tentant illa imponere. Et quamuis interdum audeant, tamen si subditi recurrant ad Superiorem, facilè ab eo coerceri possunt. At Principes Supremi, qui non habent superiorem in temporalibus, liberè possunt abuti

hac

hac potestate absque vlla formidine; Propterea ipsi maximè cohibendi erant pœna excommunicationis, nè noua tributa inducere auderent in casibus sibi Iure non permissis.

Concludamus igitur excommunicationem huius Canonis latam esse contra omnes imponentes noua tributa in casibus sibi à Iure, seu ex priuilegio speciali Sedis Apostolicæ simpliciter non permissis, idest quando Ius denegat posse vllo modo neque Laicis, neque Clericis gabellam imponi, siue sint supremi Principes, & potestatem habeant imponendi tributa, siue non sint supremi, & hac potestate eareant.

Sed emergit dubium, qua ratione Summus Pontifex possit facultatem concedere indicendi gabellas; Nam si sit supremus Princeps, non agnoscit Summum Pontificem superiorem in temporalibus, nec indiget licentia Pontificis ad imponenda tributa. Si verò sit inferior subiectus alteri Principi Superiori in temporalibus ab eo accipere debet auctoritatem, ergo videtur nullo modo posse Summum Pontificem hoc priuilegium concedere.

Respondendum est ad hoc dubium Summum Pontificem, vt Pontifex est, non habere directè, & immediatè temporalem potestatem in Principes seculares, sed spiritualem iuxta communem Theologorum sententiam, vt supponitur, nam hoc discutere non pertinet ad hunc locum, tamen ratione spiritualis iurisdictionis saltem indirectè habet potestatem, eamq; summam etiam in temporalibus; Idque ex sacris Canonibus desumitur, & præter alios ex cap. per venerabilem qui fi. sint legit. Vbi dicitur Pontificem solùm in patrimonio Ecclesiæ plenam habere in temporalibus potestatem; In alijs verò regionibus non item. Et in hoc tex. post med. Innoc. iij. sic inquit *Cum Rex superiorem in temporalibus minimè recognoscat &c.* Quare fatetur Summus Pontifex directè, & immediatè non habere potestatem temporalem in Prouincijs, & Regnis aliorum Principum, neque circa eorum subditos.

Quod si in cap. quicunque litem, & cap. quæcunq; contentiones 11. q. 1. expressè habetur omnes lites, & contentiones tàm spirituales, quàm temporales ad iudicium Summi Pontificis pertinere, tamen c. quicunque litem, quod desumptum fuit ex lege Theodosij Imperatoris, & habetur in Cod. Theodos. lib. 16. de Episcopali iudicio l. 1. §. quicunque, fuit abrogatum per alios Canones, vt Glo. ibi notat in finè expositionis casus, & cap. quæcunque contentiones non fuit acceptum ex constitutione alicuius Principis, qui potuerit legem condere, & ideo ibi vocatur, Palea, & potest etiam interpretari de omnibus contentionibus, quę non possunt terminari per Iudices seculares; Tunc enim causæ deuoluuntur ad Ecclesiæ iudicium, vt docet Innocentius iij. in cap. Nouit de iudi.

Quare Summus Pontifex non exercet temporalem potestatem directè, sed indirectè, quia potest mutare Regna, & vni auferre, atque alteri conferre tanquàm Summus Princeps spiritualis, si id necessarium sit ad salutem animarum. Sic Gregorius Secundus Leoni Imperatori Iconomacho à se excommunicato prohibuit vectigalia solui ab Italis, & multauit eum parte Imperij, vt habetur in eius vita; Zacharias rogatus à Primoribus Francorum Childericum deposuit, & in eius locum Pipinum Caroli Magni Patrem Regè creari iussit. Per hanc eandem potestatem, & in ordine ad eundem finem spiritualem potest Summus Pontifex concedere facultatem imponendi tributa; Vel Principi Inferiori cui iure ordinario talis facultas non com-

A petteret, vel Supremo Principi in casu, quo ex dispositione Iuris talia tributa imponere non posset, sicut propter eandem causam potest aliquos eximere ab obligatione soluẽdi tributa Principi, vt fecit Greg. ij. vt dixit.

CAPVT IV.

Explicantur dubia quæ oriuntur tàm ex his, quæ hactenus dicta sunt, quàm ex verbis Canonis.

Primum dubium sit; Cur in posterioribus Bullis à tempore Pij V. additum sit illud verbum, *Vel augent*, quod in antiquioribus Bullis ante Pium V. non legebatur, vt dixi, sed simpliciter dicebatur, *Noua pedagia imponunt*.

B Respondeo verbum illud, *Vel augent* additum fuisse à Summo Pontifice ad maiorem declarationem, & explicationem, & ad tollendum omne dubium; Nam fuit sententia quorundam affirmantium augentes datia, & gabellas non imponere nouas gabellas, vt sentit Rosell. excom 44. §. 5. in fi. Vt igitur nemo posset se excusare clipeo eorum, qui ità sentirent, voluit Papa apertè declarare, verùm etiam quando id expressum non erat, continebatur in priori verbo, quia augumentum gabellæ non sit sine noua impositione, & ità sentit Nauar. cap. 27. num. 61. arg. l. si ex toto in princ. de legat. 1. & l. peculium. ff. de lega. 2. & ante Nau. Ang. Archid. relati à Silue. Ver. excom. 7. §. 54. & probat hac

C ratione Siluester, quia finis huius prohibitionis est, nè Domini exhauriãt pecuniam subditorum, quod æquè fit per augumentum antiqui pedagij, sicut per noui impositionem. Vt igitur nulla oriretur difficultas, & res elatè pateret, placuit Papæ exprimere non solùm imponentes nouas gabellas, sed augentes.

Secundũ dubium est; An si Rex habens potestatem imponat tributa suis subditis ex causa iusta, & illa exigat vniuersaliter ab omnibus tàm Laicis, quàm Clericis, incidat in hanc excommunicationem.

Respondeo impositionem gabellarum ex multiplici capite posse esse prohibitam, & ab ipso Iure damnatam. Primò ratione materiæ, quia in multis rebus non sunt imponẽdæ gabellæ, vt pro rebus vsui proprio de-

D seruientibus, vel pertinentibus ad fiscum, vel ad agros colendos, & Rus exercendum. Secundò ratione causæ, ob quã imponitur, si non imponatur ob iustum finem, & talis est publica necessitas, nempè quia in stipendia publica conuertatur ad pontes reficiendos, domos publicas, defensionem viarum à latronibus, & similia, vt inquit Bart. l. 1. C. de vectiga. facit cap. si quis Romipetas 24. q. 3. & cap. innouamus de Treg. & Pa. cap. venit, cap. cum Apostolus de censi. l. vectigalia. ff. de publ. Tertiò ratione personarum, scilicet si exigatur à Clericis, & Religiosis ratione personarum, vel bonorum, & rerum suarum, in quibus sunt immunes. Quartò ratione inæqualitatis, quia ipsos resoluentes tangit inæqualiter. Quintò defectu potestatis illius, qui talia

E pedagia imponit. Ex omnibus autem his modis in hoc Canone excommunicantur tantum illi, qui in terris suis noua pedagia imponunt non habẽtes potestatẽ imponendi gabellas, & grauãdi subditos his oneribus.

Quare ad dubium dicẽdum est Regẽ in casu proposito non incidere in hanc excõmunicationẽ, quia propriè dici nõ potest, quod imponat gabellas in casu sibi non permisso à Iure, quod damnatur in hoc Canone. Sed circa personas, quas Rex grauare non potest, erit tamen excommunicatus ex can. 18. attinente ad libertatem ecclesiasticam, & ex cap. quanquàm de censi. lib. 6. Et ità sentit Siluester V. gabella 3. §. 7.

vbi afferit imponentes noua pedagia, siue augentes antiqua sine auctoritate ad id necessaria esse excommunicatos in Bulla Cœnæ Domini. Hinc sequitur errasse Ang. V. Pedagium. §. 5. & Tabie. V. Pedagium. §. 6. affirmantes per hunc Canonem esse excommunicatos imponentes gabellas, quouis modo iniustas. Nam non excommunicantur imponentes iniusta pedagia, sed imponentes noua in casibus sibi non permissis à Iure, vel sedis Apostolicæ auctotitate.

Tertium dubium; An sub hac clausula imponētium noua pedagia in casibus sibi Iure non permissis possit intelligi ipsa Vniuersitas, aut Communitas; Videtur enim non posse comprehendi; Nam textus dicit, *Omnis qui in terris suis*, sed terra, vel Ciuitas non est ipsius Communitatis, sed Principis, B Communitas enim est ipsamet terra; Vnde Communitas diceretur sibi ipsi imponere gabellas, non terris suis. Adde cum Communitas repræsentet totam terram, & Populum, cum imponit gabellam, ipsa se spontè subiacet gabellæ, & sic cedit Iuri, & fauori suo, præsertim necessitate vrgente; Nam iste Canon fertur in fauorem Populi. Tandem Communitas excommunicari non potest ex cap. Romana de sent. excom. lib. 6.

Nihilominus respondendum est in hoc Canone contineri etiam Communitates, quæ, si absque auctoritate imponant gabellas, incidunt in hanc excommunicationem; Tùm quia in tex. expresè habetur *Omnis qui in terris suis &c* absque vlla distinctione, sed dictio *Omnis* est vniuersalis neminem excludens, C tùm etiam quoniam hæc est praxis, quæ communiter seruatur in Ecclesia. Ad obiectiones dico.

Primò Canonem, nullum excipere, licèt principaliter comprehendat Principes. In ipsis autem Communitatibus ille, qui indicit gabellas est Magistratus habens aliquam potestatem super Populum. Vnde rectè de hoc Magistratu dici potest, qui imponit gabellas in terris suis. Ad aliam dico Populum sæpè exclamare in hac impositione gabellarum contra suum Magistratum. Ad postremam respondeo non excommunicari totam Vniuersitatem collectiuè, sed vnumquemque seorsum, qui huius criminis reus est. Illi verò, qui consensum non præstiterunt, non sunt excommunicati: D Non est tamen vetitum ipsi Communitati taxare vniuersum Populum, vt vnusquisque pro rata contribuat ad subueniendum necessitati publicæ occurrenti, vt dictum est in primo Capite; Id enim non est imponere gabellam.

Quartum dubium; An Ciuitas, vel aliqua Prouincia, à quâ suus Princeps habens potestatem imponendi tributa petit certam pecuniarum summam, relinquens Ciuitati, aut Prouinciæ, vt excogitet modum exhauriendi pecunias, si ad hunc finem imponat gabellas, incidat in hunc Canonem.

Respondeo non incidere, quoniam eo ipso, quod Princeps habens potestatem indicendi gabellas, relinquit modum Ciuitati, aut Prouinciæ pecunias inueniendi, tradit facultatem imponendi gabellas. E

Quintum dubium; An per illa verba Canonis, *Seu imponi, vel augeri prohibita exigunt*, comprehendantur omnes, qui exigunt gabellas iniustas, & prohibitas ex quocunque capite defectu potestatis imponentis.

Respondeo ante Sixtum Quintùm iuxta tenorem aliarum Bullarum per hunc Canonem erant excommunicati non simpliciter exigentes gabellas quomodocunque iniustè impositas, vel auctas, sed tantùm illi, qui exigebant gabellas iniustas defectu potestatis ipsius imponentis, quemadmodum dixi de ipso imponente; A Nam Canon loquebatur de exigentibus gabellas prohibitas imponi, aut augeri, sed imponi, aut augeri prohibebantur solùm illæ gabellæ, quæ imponuntur ab eo, qui legitima caret iurisdictione eas imponendi. Hæc enim erant verba *Omnes &c. gabellas ad id potestatem non habentes imponunt*. Vnde exigentes gabellas, alias ob causas damnatas, tunc temporis, licèt peccabant, & innodati erant aliis excommunicationibus, & pœnis, non obstringebantur tamen excommunicatione huius Canonis. Quare deceptus est Caietanus, qui censuit exigentes pedagia ex sui genere prohibita incidisse in hunc Canonem, qualia sunt noua tributa sine debita licentia imposita, & ea, quæ sunt imposita pro ijs, quæ deferuntur pro vsu proprio, B vel ad fiscum, vel exercendi iuris gratia, quod falsum est; Nàm Canon eo tempore non loquebatur ità vniuersaliter, vt dixi, sed erat limitatus ad gabellas prohibitas defectu potestatis.

Modò verò post Sixtum aliter asserendum est, sicut enim ex tenore verborum Canonis huius temporis excommunicantur omnes imponentes, vel augentes noua tributa in casibus simpliciter sibi à Iure non permissis, siue habeant legitimam potestatem imponendi tributa, siue illa careant; Ità quoque dicendum est de ipsis exactoribus; Nempè excommunicari omnes exigentes nouas gabellas, vel antiquas auctas in casibus, in quibus licitum non erat illas imponere, aot augere, siue imponens habuerit potestatem legitimam ad il- C las imponendas, siue caruerit huiusmodi potestate, & ita tradit Tolet. lib. 5. instruct. Sacerd. cap. 73. versic. secundum est.

Sextum dubium nomine illorum, qui exigunt prohibita tributa imponi, vel augeri, quas personas Summus Pontifex intelligere velit.

Silue. excommunicatio 7. §. 54. inquit innodari hac exeommunicatione omnes illos, qui exigunt gabellas sopra damnatas extorquentes ab inuito, secus autem si recipiant à spontè soluentibus.

Caietanus in citato cap. 71. videtur id affirmare; Inquit enim verbum *exigere* coactionem quandam importare, siue coactio fiat imperio, siue arrestatione rerum, vel personæ, siue minis. Et tandem D quomodocunque fiat, vt qui soluit inuitus soluat.

Nanar. in Manua. cap. 27. num. 61. Per exigentes gabellas intelligit plures personas; Nempè hæredem imponentis; Publicanum, Conductorem, siue Arrendatorem, & famulum recipientem ab ijs, qui non spontè soluunt iuxta rub. de exact. Trib. l. 11. Cod. Quia exigere est extorquere à nolente soluere, Glo. iuncto tex. in l. soluendo. ff. de nego. gest. Glos. & Card. Clem. fin. de censi. & addit Nauar. inuitum etiam vocari, & nolentem soluere, qui soluit rogatus soluere tanquàm debitum.

Ad hoc dubium puto ad hunc modum respondendum esse. In primis supponendum est exigentes gabellas esse in duplici differentia. Quidam sunt, quorum E auctoritate exiguntur, vt sunt Magistratus, & Domini; Vt si aliquis Princeps in casu non permissu imposuit gabellam, eius successor si curat eam exigere, incidit in Canonem; Et id intelligit Nanar. per hæredem Imponentis. Similiter Magistratus posuit gabellas sine potestate, & licentia, si sequens Magistratus curat eam exigi; Vterque Magistratus afficitur excommunicatione, & qui imposuit, & qui exigit. Alij sunt exigentes gabellas, qui illas immediatè recipiunt à singulis, qui tenentur soluere, quales sunt non tantum Publicani, sed etiam eorum famuli, & Ministri, scilicet

reci-

recipientes pecunias, scribentes, qui explorant ea, quę deferuntur. Hoc posito dico omnes enumeratos innodari excommunicatione huius Canonis, quomodocunq. exigant. Quare licèt Siluester, Caietanus, Nauarrus, & alij Doctores vim faciant in illo verbo *Exigunt*, quasi opus sit, vt ab inuito, & nolente recipiatur, puto tamen superfluam esse hanc explicationem; Nam secundum eosdem Doctores exigens incidit in hanc excommunicationem, quamuis alter rogatus soluat gabellam tanquàm debitam; Sic Nauar. & nemo se sponte obligat ad soluendum non debitam gabellam.

Sed postulabit aliquis, An isti exactores possint aliquando ratione probabilis ignorantię excusari, nè incurrant in hanc excommunicationem.

Respondeo posse accidere, vt Exigens Laboret probabili ignorantia huius Canonis, vel saltèm ignorantia facti, quia probabiliter existimet gabellam esse licitam impositam à Principe habente potestatem imponendi, & in casu à Iure permisso; Et in hoc casu A exigens non erit culpæ Reus, & propterea nec excommunicatus, cum sine culpa non incurratur excommunicatio, probabilis enim ignorantia illum excusabit c. 2. De Consti. saltem in foro conscientiæ; Nam Ministri facilè possunt ignorare iniustitiam tributi & debent præsumere Principem iustè agere, & verisimilius ob talem ignorantiam excusantur famuli, & ministri illius, qui conduxit gabellam, quoties non constat nec est aliquis rumor, quod iniqua, & iniusta sit Gabella, quã ipsimet Conductores, & Emptores Gabellarum, quia inquirere possent, & deberent de gabellis, quas emũt, B an sint licitæ, & ex quo capite. Difficillimè verò excusantur Superiores, & Magistratus, qui curant has gabellas exigi, vel vendi, quia pertinet ad ipsos, gabellas omnes examinare, an sint impositæ legitima auctoritate, & in casibus permissis à Iure. Quod si ignorãt, est ignorantia crassa, & affectata, quæ non excusat à peccato, nec à pœna excommunicationis. Paria enim sunt scire, vel debere scire. Et hæc ad explicationẽ Quinti Canonis sufficiant; Pergamus ad Sextum.

EXCOMMVNICATIO SEXTA.

ITEM EXCOMMVNICAMVS OMNES FALSARIOS LITERARVM APOSTOLICARVM &c.

DISPVTATIO SEPTIMA.

DE EXCOMMVNICATIONE CONTRA Falsarios Literarum Apostolicarum.



HIC Canon est aliquantulum immutatus ab Antiquis.

Primò in Bulla Pauli III. Clementis VII. & Prædecessorum ità legebatur: *Item excommunicamus omnes Falsarios Bullarum, seu literarum Apostolicarum, & Supplicationum.* In hac Bulla additur illa Clausula, scilicet, Omnes Falsarios literarum Apostolicarum *Etiam in forma Breuis*, quæ habetur etiam in Bulla Greg. xiij. Et licèt sub nomine literarum Apostolicarũ secundũ probabiliorem sententiam, vt dixi in disp. 1. cap. 1. comprehendantur etiã illæ, quæ expediuntur in forma Breuis, literæ enim sunt veluti genus ad illas duas species literarũ, quibus vtitur Sedes Apostolica, scilicet ad Bullas, & ad Breuia. Tamẽ ad tollendã omnẽ ambiguitatẽ, atq. vt res clarior esset, omnisq. excusationis causa penitus cessaret, maximè cũ aliqui sentiãt sub nomine literarũ nõ contineri illas, quæ sunt in forma Breuis. Idcirco prudẽter Greg. xiij. & successores Põtifices addiderũt illã particulã *Etiã in forma Breuis*, Quãuis incurrebatur hæc excõmunicatio illo tẽpore, antequã apposita erat in Canone dicta clausula; Si quis falsitatẽ cõmittebat in literis sub forma Breuis, quia cõtinentur sub nomine literarũ Apostolicarũ, sicut hodie, licèt in hoc Canone nõ fiat mẽtio de Bullis, cõprehenduntur tamẽ tanquã pręcipua species sub literis Apostolicis, & sicut modò exprimũtur literę in for. Breuis, & nihil dicitur de Bullis, C ità è cõtra olim fiebat mẽtio de Bull. & nihil de Breu.

Secundò in Bulla Greg. xiij. & Prædecessorũ Pontificũ hæc habetur *Excedentes Constitutionẽ Fe. Recor. Innocentii Papæ III. Quæ incipit Ad Falsariorũ, cum omnibus pœnis in ea contentis ad eosdem fabricantes* &c Hæc clausula sublata fuit ab hoc Canone per Six. V. quẽ sequuti sunt omnes Successores Hinc fit (cũ excõmunicatio cõtenta in illo cap. Ad Falsariorum, Latius pateat, quàm hæc, quę in Bulla continetur, vt ostendemus) sequi hũc Canonem in Bullis antiquioribus ampliorem fuisse, & magis vniuersalem, quàm sit in præsenti Bulla Pauli V. Summi Pontificis, & in alijs post Sixtum.

Tandẽ in hac Bulla nõ habetur illa postremà clausula, quę erat in Bulla Greg. xiij. *Seu mutantes supplicationes per nos, seu de mandato nostro signatas, & datas sine nostra, aut Datarii nostri licẽtia* Quæ verba minimè quoquè habẽtur in Bullis antiquioribus ante Paulum III. D Neq. idcirco, quod illa nõ legũtur, variatur sẽsus huius Canonis, vt nõ tã latè pateat, sicut si verba illa non essent apposita, quia nõ possunt mutari supplicationes, nisi aliqua falsitas cõmittatur in illis; Quod in eodem Canone expressè prohibetur, antequam addantur verba illa extrema.

E Materiã huius Canonis est sacrilegiũ offendẽs sedẽ Apostolicã. Quoad personas est vniuersalis, & claudit triplex genus personarũ. Primò Falsificantes Literas Apostolicas etiã in forma Breuis. Secũdò Falsificãtes supplicationes signatas per Rom. Pont. vel Vice Cancell. vel gerẽtes eorum vices, aut signatas de mãdato Sũ. Pontif. concernẽtes gratiã, vel iustitiã. Tertiò falsò fabricãtes literas Apostol. etiã in forma Breuis, & falsò signãtes huiusmodi supplicationes sub nomine Sũ. Põt. vel Vice Cãcell. vel vices eorũ Gerentiũ. Et totidẽ sũt actiones, quæ prohibẽtur, quæ reducũtur ad duas

actiones genericas, scilicet falsificare literas Apostolicas, seu supplicationes, de quo in prima parte Canonis. Secundò fabricare literas Apostolicas, seu falsò signare supplicationes; Quod habetur in secunda parte Canonis. Primò agamus de prima actione, nempè de falsificatione literarum, & supplicationum; Quæ falsificatio exercetur circa literas, & supplicationes veras, & validas à Summo Pontifice emanatas.

Caput primum, Qui dicendus sit falsarius literarum Apostolicarum, seu supplicationum ad incurrendam excommunicationem huius Canonis.

Caput secundum, An quæcunque mutatio, & correctio commissa in literis Apostolicis etiam in vnica litera, & puncto sine vlla sensus variatione sufficiat ad crimen falsitatis, vt hæc excommunicatio incurratur.

Caput tertium, Quis dicatur falsò fabricare literas Apostolicas, aut falsò signare supplicationes ad incurrendam hanc excommunicationem.

Caput quartum, Explicantur dubitationes de eadem falsificatione, vel fabricatione literarum Apostolicarum, & supplicationum.

Caput quintum, An præter excommunicationem huius Canonis extet alia excommunicatio Iure cõmuni lata contra eosdem falsarios literarum Apostolicarum.

Caput sextum, An præter excommunicationem aliæ pœnæ impositæ sint ab ipso Iure contra falsarios literarum Apostolicarum.

CAPVT I.

Quis dicendus sit falsarius literarum Apostolicarum, seu supplicationum ad incurrendam excommunicationem huius Canonis.

AD hoc declarandum præmittendum est primò falsarium appellari illum, qui crimen falsi committit, vt dicitur in cap. ad falsariorum, ibi, *Nos enim omnes falsarios &c.* De crim. fal. Multis autem modis potest quis vitium falsitatis committere. In cap. licèt de crim. fal. recensentur nouem modi, quibus potest quis in literis Apostolicis committere falsitatem, & vltra illos alij enumerantur ibi à Glo. V. falsitatis, & à Glo. cap. In memoriam V. falsam dist. 19. & ibi Turrecrem. sed non omnibus illis modis incurritur hæc excommunicatio posita in prima parte huius Canonis, licèt contrahantur aliæ excommunicationes Iuris, de quibus dicemus; Puta si quis falsam Bullam falsis literis apponat, non obstringitur hac excommunicatione. Et idem dicendum de quibusdam aliis modis ex enumeratis in locis citatis, ergo falsare literas Apostolicas, vt hæc excommunicatio afficiat, non est nouas literas confingere, sed veras literas Apostolicas ab eorum sincera veritate immutare; Et est quintus modus committendi falsitatem expressus in dicto capit. licèt de crim. fal.

Secundò notandum est nomine literarum Apostolicarum intelligi Bullas, quæ, bulla plumbea munitę sunt, & licèt comprehenderentur sub eodem nomine literæ Apostolicæ in forma Breuis expeditę, vt dictum est, tamen Summus Pontifex, ad tollendam omnem ambiguitatem, voluit illas exprimere. Verùm sub voce literarum Apostolicarum non continentur supplicationes, quæ vocantur etiam signaturę. Est autem supplicatio, seu signatura, vt notat Rebuff. in sua Praxi beneficiali in declaratione nouę prouisionis, scriptura in papyro conscripta à Papa, vel eius delegato absque sigillo in medio subscripta, partis suppli-

A cationem, Papæque concessionem, breuiter continẽs: Conscribitur in papyro ad differentiam Bullæ, & Breuis, quæ scribuntur in membrana, & pergameno iuxta stilum Curiæ Romanæ. Et si aliquando Breue describatur in papyro, semper tamen decoratur sigillo (quod Anulum Piscatoris vocant) sed supplicatio caret sigillo, subscribitur à Papa, vel eius Delegato, seu V. Cancellario, sed nomine, & mandato ipsius Papæ; Et ideo dicitur concessio Papæ per Reg. *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur* de reg. iur. lib. 6. Et hac ratione vocatur signatura, quia necesse est, vt sit signata, & subscripta. Et quamuis Iure Ciuili, signare, sit signum imprimere, seu sugillare, tamen Iure Canonico potissimè capitur pro subscriptione. Vnde ex B ea parte, qua continet partis petitionem, appellatur supplicatio; Ex altera verò parte, qua includit subscriptionem dicitur signatura, practici Curiæ Romanæ, vt inquit Rebuff. solent vocare signaturam à nobiliori parte. Cardinalis V. Cancellarius solet signare supplicationes gratiam continentes in casibus sibi per Reg. Cancellariæ concessis; Vt sunt gratiæ, si non tri vsque ad certam summam, & cum quadam limitatione, vt scribit Ludoui. Rom. cons. 379. col. fin. Signat etiam subrogationes, reformationes, & alias, de quibus ibi. Poterat etiam olim Vice Cancell. signare commissiones iustitiæ super causis tantùm in Curia dentibus, & antiquitus ipse V. Cancell. perpetuò signabat, nec erat alius Cardinalis, qui haberet signa- C turam iustitiæ, sed eo absente committebatur alteri Cardinali, vt inquit Aegid. decis. 636. & sequitur Felin. in rub. de præscript. num. 10. Hodie verò V. Cancellarius non signat, nec vtitur illa facultate, vt inquit Ludoui. Gomes. in compendio breui. De signat. tàm gratiæ, quàm iustitiæ forsitan ob eam rationem, quia his temporibus omnes commissiones continent illam clausulam *Non obstantibus Constitutionibus &c*, Quam clausulam non potest apponere V. Cancell. cum sit contra Ius, cui derogare non potest, nisi sibi specialiter fuerit concessum, vt in Clem. Ne Romani de elect. Propterea supplicantes malunt impetrare huiusmodi commissiones à Papa, vel à Cardinali Præfecto signaturæ, cui concessa fuit talis facultas. Tandem in sup- D plicatione non apponitur sigillum; Qua in re etiam differt à Bulla, & Breui. His supplicationibus, seu signaturis supplicamus Papæ, vt conferat beneficium, dispenset, vel aliud concedat. Quod si Papa concedat motu proprio absque supplicatione partis, non vocatur signatura, quod est verum, vt inquit Rebuff. vbi supra, si nulla præmittatur narratio, aliàs secus, quia si sit partis supplicatio etiamsi Papa motu proprio cõcedat, nuncupabitur signatura; Ità asserit Bal. in cap. nisi de off. lega.

Animaduertit Card. Toletus in explicatione huius Canonis, quamuis supplicatio propriè illa dicatur, quæ fit ad instantiam partis, vt notat Innoc. in cap. ex literis num. 3. & Abb. num 6. de restit. in integr. E tamen hoc loco nomine supplicationum accipi debere omnes vtriusque generis tàm illas, quæ porriguntur ad instantiam partis, quàm quę motu proprio Papæ conceduntur, vt dicit Gomez in Reg. de non iudi. iuxta for. suppli. q. 11.

Ex his igitur constat, quid intelligatur nomine supplicationum, quæ propriè non possunt dici literæ Apostolicæ, cum ab illis plurimum differant, Nauar. in Manua. capit. 27. num. 62. Idcirco vt excommunicatio huius Canonis haberet locum etiam in huiusmodi supplicationibus, opus fuit, vt Summus

Pontifex

Pontifex illas exprimeret, sicut etiã Gregorius XIII in sua Bulla voluit extendere distinctè excommunicationem latam in cap. Ad falsariorum de crim. fal. Vbi tantum agitur de literis Apostolicis, ad falsantes huiusmodi supplicationes. Quæ supplicationes aliquando continent gratiam, nonnunquam iustitiam, & sub vtroque genere comprehenduntur in hoc Canone. Illa Rescripta dicuntur continere gratiam, quibus Papa mandat conferri, vel concedit beneficium illud, quod iure non tenebatur c. Gratia de Rescrip. lib. 6. vt notauit Rebuff. in Glo. Gratiam in forma Mandati, & in explicatinne huius Canonis. Iustitiam vero continet, quando id, quod conceditur, Iustitiæ. & honestati consonum est, & Iuri communi conueniens, Cald. cons. vlt. de Rescrip. & regulariter Rescripta, quæ impetrantur ad lites, contioent iustitiam, Doctores cap. Super literis, c. Postulasti de Rescrip. Rebuff. in explicatione huius Canonis. Rescripta etiam gratiosa possnnt continere iustitiam, vt si Promoto sine beneficio dentur literæ vocatæ cum secundum Apostolum, vel in forma communi; Et hæ appellantur literæ iustitiæ, quia iustum est, vt prouideatur ordinato sine beneficio, ne in oppobrium Cleri mendicet cap. Diaconi dist. 5.

Tertio notandum est in hoc Canone comprehendi non solum supplicationes gratiam, vel institiam continentes per Sum. Pontificem, vel saltem S.R.E.V. Cãcellarinm signatas, sed etiam supplicationes per Gerentes vices ipsorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatas.

His præmissis iam intelligimus, quis dicatur Falsarius ad incurrendam excommunicationem hnius Canonis, ille scilicet, qui veras literas Summi Pontificis, siue sint Bullæ, siue sint literæ in forma Breuis, à sincera veritate, sicut emanatæ sunt, mutat, & variat ab eo sensu, quem habebant, vel qui supplicationes prædictas nomine Papæ, vel Vicecancellarij, aut vicem Gerentis signat, quia cum illas signare debeat Summus Pontifex, vel alius de mandato ipsius, si secus fiat, committitur falsum.

Hinc sequitur non incurrere hanc excommunicationem, qui falsitatem committit in literis Legati, vel Delegati Papę, nec in litteris Nuncij, aut Episcopi, quia non sunt litteræ Papæ, nec Apostolicæ, non enim expediuntur nomine Papæ, sed prædictorum, Palud. dist. 18. q. 3. art. 2. Nauar. in Manu. cap. 27. n. 62. Vers. Tertia quod videmur, Rebuff. super hoc Canone Ver. Apostolicarum, Bernar. Diaz. in Pract. Crim. cap. 117. Hic autem excommunicantur Falsarij literarum Apostolicarum, ergo hæc pœna non debet extendi ad Falsantes literas alios, Abb. in cap. Olim num. 2. de Rescriptis, Felin. c. 2. nu. 10. eod. tit. licet puniri debeant. Idem videtur sentiendum de literis Pœnitentiariæ; non sunt literæ Papæ, sed eius Commissarij constituti viuæ vocis oraculo, vt dicunt Nauar. & Bernar. Diaz. Et ob eandem rationem, vt dicunt Nauar. ex huiusmodi falsitate cõmissa in literis dictorum Inferiorum à Papa non incurritur excommunicatio, nec aliæ pœnæ latæ in cap. Ad Falsariorum de Crim. fal. Et multo magis idem dici debet de falsantibus literas Principum secularium, vt Imperatoris, Regis, quamuis sint puniendi alijs pœnis, vt in cap. Ad audientiam de Crim. fal.

Hæc, quę dicta sunt, carent difficultate, & ab omnibus admittuntur, nunc ponamus dubitationes, quæ tractari solent de hac falsificatione literarum Apostolicarum, & dissoluamus.

CAPVT II.

An quæcunque mutatio, & correctio commissa in literis Apostolicis etiam in vnica litera, & puncto sine vlla sensus variatione sufficiat ad crimen falsitatis, vt incurratur hæc excommunicatio.

DOctores plures, præsertim antiquiores videntur sentire vel minimam immutationem in vnica litera, vel puncto sufficere ad crimen falsitatis, & ex consequenti ad hanc excommunicationem contrahendam. Huius sententiæ in primis fuit Host. in Summa de crim. fal. §. Porrò Vers. sed hodie citatus ab omnibus, qui expresse asserit statutum esse, ne in litteris Papæ siue in magno, siue in mndico audeat quis manum apponere, etiam literam, vel punctum vnicum corrigendo exceptis nfficialibus, quibus hoc est commissum, & qni hoc præsumit, incurrere ipso facto excommunicationis sententiam ex Canone lato in Curia. Quam sententiam ijsdem verbis refert B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 16. & Felin. cap. Ex parte §. stilus num, 20. de Rescrip. Qui similiter ait tales hoc modo falsantes esse excommunicatos in processu annali, qui solet legi feria quinta Cœnæ Domini, & citat Constitutionem Martini Quinti, quam refert idem B. Antnninus cap. 72, & Eugenij IV. quæ habetnr in tract. de Restit. Franc. De Platea in Ver. excommun. 2. §, 32. Vers. 4. Idem affirmat, Ricard. in 4 dist. 18. art. 12. q. 4. & Abb. ex sententia eiusdem Host. in cap. Ex literis num. 3. de fi. Instrum. dicens latam esse excommunicationem in quemcunque (exceptis officialibus deputatis) qui in Rescripto bullato, vel notato, saltem vnam figuram, vel literam, vel etiam dimidiam abraserit, deleuerit, minuerit, compleuerit, vel mutauerit sine licentia illius, ad quem spectat, & subiungit hanc Constitutionem sæpè pronmulgari in Curia, vt nemo se excusare valeat prætextu ignorantiæ ff. de Instit. l. Sed etsi §. de quo palam, cap. Ita quorundam de Indæ. cap. Quod dicitis 16. dist. Idque ait exactè, & in rigore seruari in Curia, hanc ob causam cum magna difficultate absolui huiusmodi excommunicatos. Hãc tamen excommunicationem (inquit Abb.) non incurreret impetrãs, si integram Bullam, seu literas laceraret, & illis vti non intenderet, quoniam cuique licet Iuri suo cedere, cap. Ex conquestione, vbi ipse Abb. num. 11. de restit. spoliat. Alex. consil. 34. lib. 1. Hoc idem sentit Gofred. in Summa tit. de crim. fals. num. 10. quem citat, & sequitur Siluester excommunicatio 7. §. 8. Vers. Corrigentes autem literas Papales, & refert quoque verba citata Abb. Neque discedit ab hac opinione Caiet. in Summa Ver. Excommunicatio cap. 26. in fi. Nec Rebuff. in explicatione huius Canonis Ver. Apostolicarum, nec Matthæus de Afflict. decis. 404. siue vlt. n. 11. qni ex sententia Innoc. affirmat apponentem mannm in literis Papæ etiam in parte non suspecta in sillaba, vel puncto esse excommunicatum sine vlla distinctione, siue talis mutatio sit alteri damnosa, siue nemini noceat. Huic sententiæ videtur fauere cap. licet de Crim. fal. Vbi ponuntur nouem modi falsandi literas Papales, ex quibus quintus est *Cum literis bullatis, ac redditis in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur*, Vbi Glo. in V. Tenuem, notat nulla adhibita distinctione asserendum esse Radentem, vel Immutantem Rescriptum Papæ excommunicatum esse, & Falsarium.

Facit etiam pro hac opinione, quod inter priuilegia, quæ olim concedebantur Summo Pœnitentiario, illud

illud etiam erat, vt inquit Toletus lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 22. Vers. Aliud dubium est, an qui & ext. vt posset absoluere ab excom n u i ieatio e ob mutationem literæ, aut puncti in literis Apostolicis non variato sensu.

Oppnsitam tamen sententiam tenent alij Doctores, vt Gerson. in 2. par. Alp hab. 32. cap. Quidam, pag. 118. Idem ait Ang. excom. 5. casu 3. n. 3. & Tabie. excom. 5. casu 5. Nauar. in Manua. cap. 27. n. 62. Vers. Sexta quod non satis est Bernard. Diaz. in pract. Crim. cap. 117. Et nonnulli alij recentiores, qui putant à dicta pœna excommunicationis immunem esse illum qui literarum Apostolicarum mutat punctum, vel corrigit literam aliquam, quando non mutatur substantia, sed remanet idem sensus, quod saltem verum esse afferit Nauar. in Foro conscientiæ. Toletus vbi supra tenet tunc solum locum esse huic excommunicationi ex mutatione alicuius literæ, aut puncti, quando variatur sensus literarum Apostolicarum, vt quandn fiunt validæ, si erant inualidæ, vel validiores, si antea erant validæ.

Hanc opinionem probat Nauar. Quia hoc modo corrigere literas Apostolicas potest fieri recta intentione, & sine vllo dolo, vt si emendaretur error gramaticalis scriptoris, ex qua correctione non sequatur damnum alterius, ideo talis actio caret culpa mortali, saltem in foro conscientiæ, & ex consequenti non est digna pœna excommunicationis, sicut enim quodcunque peccatum, quod ex genere suo sit mortale, propter leuitatem materiæ iudicatur veniale, ita quoque peccatum falsandi literas ex tenuitate materiæ erit veniale, vt notauit Caietanus in Summa Ver. Falsatius.

Secundo probat eandem opinionem Bernar. Diaz. asserens habere quoque locum quoad Forum exterius. Nam cum talis falsitas nemini noceat, non debet puniri saltem pœna ordinaria, vt tradit Specul. in tit. de Testi. §. 1. Vers. Item quod aliquid, Bart. Paul. & Ias. num. 10. in l. Si ex falsis C. de transact. & colligitur ex Glo. in l. Damus Ver. Priuatas C. de fal. quā Doctores communiter sequuntur, vt inquit Alex. cōs. 145. lib. 6. cum alijs citatis per ipsum Diaz.

Toletus vtitur alio medio ad idem confirmandum, dicit enim olim in hoc Canone Bullæ addi cōsueuisse hanc clausulam, scilicet *Mutantes punctum, vel literā in literis Apostolicis*, vt colligitur ex Host. loco citato, cū ait *Hodie praceptum est, quod in literis Papæ, nec in magno, nec in medio audeat quis manum apponere, etiam literam vnicam, vel punctum vnicum corrigendo exceptis officialibus &c.* Et tunc temporis concessa fuit illa facultas Summo Pœnitentiario, vt posset absoluere à falsitate ob literæ mutationem. Quare quando hæc verba apponebantur in Bulla, prior illa sententia Doctorum vera erat, sed cum illa modo in hoc Canone non legantur, & ante multos annos fuerint omissa, nec inter priuilegia Summi Pœnitentiarij cōcedatur facultas absoluendi in huiusmodi casu, patet euidenter hoc tempore non incurri hanc excommunicationem ex tali correctione, aut mutatione commissa in literis Apostolicis, si sensus non fuit immutatus.

Hæc difficultas satis ambigua, & ardua apparet, cum ex vtraque parte, & propter auctoritatem Doctorum, & propter rationes adductas Intellectus anceps, & perplexus maneat, nec facilè statuere valeat, an hoc, vel illud sit amplectendum. In hac tamen controuersia ita putarem probabiliter respondēdum esse, vt sequentes propositiones indicabunt.

Prima propositio sit, quoties ex correctione literarum Apostolicarum variatur sensus ipsarum, quem ex mente Summi Pontificis habebant, vt si ex tali mutatione dictæ literæ affirment aliquid, vel negent, quod Papa non intendebat, vel reddantur magis vtiles, quàm esset mens Summi Pontificis, semper incurritur hæc excommunicatio, quantumuis modica sit mutatio in vnico puncto, aut litera.

Hæc propositio est certissima, & nemo potest iure illam negare probatur; Primo quoniam Papa in hoc Canone excommunicat omnes Falsarios literarum Apostolicarum, sed ille qui corrigendo, aut mutando literas facit, vt alium sensum habeant, quàm antea habebant, vere est Falsarius, etiamsi variatio sensus oriatur ex mutatione vnius puncti, ergo vere remanet alligatus hac excommunicatione, quia talis mutatio semper est peccatum mortale sufficiens ad hanc excommunicationem incurrendam.

Confirmatur, quia grauitas huius criminis in hoc genere falsationis literarum magis desumitur ex mutatione sensus, qui est veluti forma, & id, quod intenditur virtute literarum, quàm ex innouatione Apicum, & Characterum, qui adhibentur ad exprimendum sensum, & intentionem scribentis, ideo magis delinquit, & est acrius puniendus, qui ex variatione vnius puncti facit, vt scriptura habeat alium sensum contra intentionem scribentis, quàm ille, qui mutata integra clausula, aut oratione non destruit sensum pristinum, sed hunc incurrere excommunicationem huius Canonis certum est, & nemo negat, ergo multo magis asserendum est de alio.

Secundò probatur, quoniam literæ Apostolicæ amittunt suum robur, & auctoritatem, cum earum sensus mutatur, & peruertitur, etiamsi ex defectu solius literæ id accidat cap. Inter dilectos de fi. Instrum. vt notat Abb. in cap. Ex parte nu. 1 eod. tit. Igitur tunc locus erit excommunicationi huius Canonis.

Secunda propositio si literæ Apostolicæ immutentur ad corrigendum errorem commissum vitio scriptoris contra regulas linguæ latinæ, vel bonæ Ortographiæ, vel quacunque alia intentione sine vlla sensus immutatione, quem tenent verba literarum iuxta mentem Summi Pontificis, etiamsi emendatio sit modica, & tenuis, incurritur excommunicatio huius Canonis.

Hæc propositio mihi probabilior videtur, quàm opposita, nec possum à communi sententia veterum Auctorum discedere, licet contrariam opinionem nō censeam omnino improbabilem esse, sed libentius huic adhæreo, rationibus ductus, quos statim afferā.

Primo excommunicatio huius Canonis lata est simpliciter, & absque vlla distinctione in falsarios literarum Apostolicarum, vt patet, sed ille, qui in huiusmodi literis, postquam eas recepit ab officiali, mutat aliquid etiam minimum, verè falsat illas, vt inquit Glo. in cap. Licet Ver. Tenuem de Crim. fal. ergo est excommunicatus. Confirmo hanc rationem, si quis integram propositionem in Rescripto Papæ raderet immutando tantum verba, alia apponendo elegantiora, quæ eundem prorsus sensum redderent, quem priora cassa. & deleta significabant, vtique falsarius esset, & excommunicatus; immo crimen falsitatis committeret, si corrigeret in ea parte, in qua expresse constaret de errore, vt inquit Abb. cap. Ex litteris nu. 3. de fi. Instrum. ergo idem est, quoties corrigitur vnica litera, vel figura, quoniam attenditur ipse actus fabricationis rasuræ, & immutationis, vt inquit Afflict. di-

cta

cta decis. vlt. num 9. qui est prohibitus, & damnatus. A Idcirco Abb. vbi supra tenet neque ipsi Notario, qui literas Apostolicas conscripsit, licere illas corrigere sine licentia officialis ad id deputati.

Secundo probatur, quoniam qui radit, vel quouis modo mutat Rescriptum Principis, falsarius est, quãuis correctio accidat in loco non suspecto, & nemini noceat, secus est de falsificante hoc modo instrumentum, vt notat Affli. in dicta decis. vlt. nu. 9. Quare si peculiaris ratio est de Rescripto Papæ, vt non liceat sine crimine falsi in eo manum apponere vllo modo, etiam in parte non suspecta, etiamsi mutatio, & correctio nemini damnosa sit, quæ conditiones in alijs instrumentis, & scripturis excusare possunt committentem à vitio falsitatis, ergo quicunque præsumit immutare huiusmodi Rescriptum etiam in litera, & puncto erit excommunicatus. B

Non obstat tex. in cap. Ex literis de fi. Instrum. in fi. *Dicimus quod propter abrasionem illam iudicari falsæ non possunt, nec etiam haberi suspectæ, præsertim cum & priuilegia in possessionibus abradantur, & literæ in narratione facti (si erratum est) possint incunctanter abradi.* Ex quibus verbis inferunt Doctores Rescriptum Apostolicum propter rasuram in loco non suspecto non vitiari, nam Io. And. & post eum alij scribentes ibi respondent cap. Ex litteris intelligendum esse, quando ipsæ literæ Apostolicæ sunt per illum, qui eas subscripsit, non ab alio, idest per ipsum Officialem abrasæ, cui permissum est, vt possit corrigere literas in C parte non suspecta. Idem ait Glo. in cap. Licet de Crim. fal. Hoc idem respondet Riccard. dist. 18. art. 12. q. 4. Sed quando rasura in Rescripto Papæ fit ab ipsa parte, committitur falsitas, siue sit in loco non suspecto, siue suspecto sine vlla distinctione, vnde Bal. in eod. c. Ex literis nu. 5. ex mente Innocentij inquit neminem posse manum apponere ad Rescripta, vel priuilegia Principis, nisi Cancellarium, vel Officialem Curiæ, & quicunque alius etiam in loco non suspecto in syllaba, vel pũcto illa correxerit, est falsarius. Idem tenet Abb. in c. fin. num. 4. de Crim. fal. dicens non esse falsarium Officialem Papæ ex rasura in loco non suspecto, secus si fiat per Impetrantem, quia Impetrans iudicandus est falsarius, quantumuis rasura sit D modica.

Tertio idem probatur, quoniam sicut est falsarius, & dignus pœna falsi, qui radit, vel immutat Rescriptũ etiamsi tali Rescripto non vtatur, vt dicitur in l. si falsos C. de falsis, & tradit Io. And. in cap. Ex literis de fi. Instrum. & Glo. in cap. In memoriam Ver. falsum dist. 19. cum inquit *Item ipso facto dicitur falsarius, vt si charta apparet rasa, vel immutata.* Vnde Bal. in dicta l. si falsos, tenet, quod ex fabricatione falsi ineuitabiliter tenetur quis de falso. Neque considerandum est, quod nemini damnum dederit, quia satis est, quod potuerit damnum inferre, etiamsi non dederit. Pari ratione dicendum videtur falsarium esse & propterea excommunicatum, qui quomodocunq; E Rescriptum Papæ corrigit etiam sine vlla immutatione veritatis, quamuis nullum inde oriatur damnum, nam satis est, quod potuerit mutare veritatem, & dãnum inferre, & punitur ipsa præsumptio, & temeritas apponendi manum in Rescripto Apostolico.

Et maximè conueniens fuit, & publico bono expediens, vt Papa vltra alias multas, & graues pœnas Iure Cæsareo, & Pontificio in huiusmodi falsarios latas, excommunicationem quoque adderet, quoniam frequentius homines, præsertim in beneficialibus falsum committere solent beneficiorum ducti dulcedine, vt inquit Rebuff. in explicatione huius Canonis Ver. extendentes, idcirco hortatur Iudices, vt seueriores se ostendant ergo tales facinorosos, & eos è medio tollant, vt vnius pœna plurium sit correctio.

Hoc enim genus falsificationis sacri Canones grauissimum reputant delictum, vnde Clericus committens hanc falsitatem statim post degradationem traditur Curiæ seculari, vt notat Glo. in cap. Ad falsariorum in explicatione casus de Crim. fal. Abb. in capit. Olim ex litteris nu. 2. de Rescript. licet in alijs criminibus sit expectanda incorrigibilitas, & seruandus ordo præscriptus in cap. Cum non ab homine de Iudi. de qua difficultate tractatum est fusius in Disp. 1. cap. 6. lib. 2.

Propter has igitur rationes censeo hanc opinionem valde probabilem, & tutiorem, quàm oppositam, & ideo libentius hanc amplector.

Rationes verò quæ pro alia sententia proponuntur, dissolui possunt.

Cum enim primo dicit Nauar. ex huiusmodi modica immutatione sine variatione veritatis, atque sine dolo, & damno alterius commissa non prouenire peccatum mortale, & idcirco non incurri excommunicationem, negandum est hoc suppositum, nempè non committi peccatum mortale sufficiens ad incurrendã excommunicationem, nam licet tenuis correctio, & falsatio scripturæ, commissa sine damno alterius excusaret delinquentem à culpa lethali ratione paruitatis materiæ, sicut accidit in quocunque genere peccati mortalis ob eam rationem, quoniam quodcunque præceptum latitudinem habet, & potest violari grauius, & leuius, tamen falsificatio commissa in literis Apostolicis, quæcunque illa sit etiam leuissima est res grauis sufficiens ad constituendum peccatum lethale, maximè stante Constitutione Pontificia, quæ absque vlla distinctione prohibet falsificationem literarum Apostolicarum, non considerando si fiat cum mutatione veritatis, & damno alterius, ergo qui apponit manum in literis Papę immutando aliquid quantumuis modicum, etiamsi illis non vtatur, vt falsarius est excommunicatus non solum in foro exteriori, sed in foro quoque conscientiæ, si enim in foro exteriori huiusmodi modica correctio sufficit ad contrahendam excommunicationem, ergo eadem iudicatur iusta, & legitima causa, vt quis sit excommunicatus in foro conscientiæ.

Dices vitium falsificandi literas Apostolicas habere gradus, & latitudinem, datur magis, & minus graue pro diuersitate falsificationis, sicut & cætera omnia delicta; Cur igitur non poterit contingere casus falsificationis adeo modicæ, vt non excedat culpam venialem, & idcirco falsarius non incurrat excommunicationem, & sicut in materia fidei, & Religionis exilitas materiæ potest attenuare peccatum, vt sit veniale? Idem erit in falsicatione literarum Apostolicarum.

Respondeo falsificationem literarum Apostolicarum posse contingere maiorem, & minorem, & pro tali diuersitate oriri maius, & minus delictum, semper tamen esse peccatum mortale manente Constitutione huius Canonis, quemadmodum periurium potest maiorem, & minorem, prauitatem continere, semper tamen est peccatum mortale, quia semper habet grauissimam deformitatem in quacunque materia mendacij accidat, facere enim Deum mendacem, hoc ipso est magnam Deo iniuriam inferre, abstrahendo à quan-

quantitate materiæ simili argumento dicimus, licet committere falsitatem in scriptura authentica possit habere tantum rationem culpæ venialis ex paruitate materiæ, tamen, si cõtingat in literis Apostolicis, hoc ipso est lethale crimen, quomodocunq; committatur.

Dices deterius est delinquere contra veritatem fidei, vel Religionis, aut violare votum, quam contra reuerentiam, & fidelitatem debitam literis Apostolicis, quia illæ sunt virtutes superiores, & præstantiores sed circa fidem, & Religionem, & votum venialiter delinquitur ex paruitate materiæ, ergo fortiori ratione veniale crimen erit leuis falsificatio literarũ Papę.

Respondendum est mortale peccatum non esse metiendum ex grauitate, & nobilitate materię absolute, sed ex grauitate, & seueritate præcepti in ordine ad materiam, quatenus est magis, aut minus necessaria ad bonum commune, quod est finis legum; Neque enim semper, quod est nobilius, & præstantius, hoc districtius, & durius præcipitur, vt patet in materia Consiliorum, nam illa quibusdam actibus heroicis continentur. Neq; tamen præcipiuntur, non enim iubentur, quæ præstantissima sunt, sed quæ homines regulariter seruare possunt, alias præcepta potius detrimentum afferrent Communitati, cum frequentius, si essent præstantissima, & consequenter difficiliora, violarentur. Et hanc ob causam multa præstantiora, & nobiliora propter eorum difficultatem, & quoniam Communitati simpliciter haud necessaria sunt, minimè iubentur. Quare non valet consequentia ab actu commisso contra præstantiorem virtutem argumentari ad actum contra inferiorem virtutem. Accedit (vt dixi) nos non negare in crimine falsificationis posse dari peccatum veniale ex paruitate materiæ, sed dicimus vitium falsitatis commissum in literis Apostolicis hoc ipso semper dici grauem materiam sufficientem ad peccatum mortale.

Sequitur secunda ratio Bernar. Diaz, quod falsitas huius generis, cum nemini sit nociua, non debet puniri pœna ordinaria. Hæc soluitur duobus modis. Primo dicimus non esse veram vniuersaliter propositionem illam, quam assumit, falsitatem, quæ nemini nocet, non esse plectendam pœna ordinaria, illa enim regula habet locum in falsificante Instrumentum, vel aliam scripturam nemini noxiam, & in hoc sensu loquuntur Doctores omnes, quos citat, secus est in Radente, & immutante Rescriptum Papæ, aut Regis. Vnde Afflict. in decis. citata 404. num. 9. affirmat se non legisse Doctorem dicentem, quod si Rasura Rescripti Regij, vel immutatio nemini noceat, non sit locus pœnæ l. Corneliæ de fal. nam textus in l. si falsas. C. de fal. expresse punit falsitatem ratione fabricationis rasuræ pœna falsi etiam sine vsu, nec distinguit, an sit cum nocumento, vel è contra.

Secundo dicimus, quod quamuis illa regula intelligeretur vniuersaliter de quolibet genere falsitatis, non esset tamen extendenda ad omnem pœnam ordinariam, sed solummodo ad pœnam corporalem, qua iure punitur, qui immutat Rescriptum Regis, nempe vel mortis naturalis, vel ciuilis, scilicet deportationis l. 1. §. fin. ff. de fal. sed alia ratio est de excommunicatione, quæ est pęna spiritualis, & afficit animam, nam in dubio quisque debet existimare se excommunicatum, & petere absolutionem.

Tertia ratio Ill. Card. Toleti, qua vtitur ad eandem sententiam confirmandam, esset satis probabilis, & efficax, si constaret de veritate facti, quod supponit, Censet ipse olim in Bullis antiquioribus consueuisse

A apponi hanc clausulam distinctè *Mutantes punctum, vel literam in literis Apostolicis*, Et propterea tũc temporis locum habuisse hanc excommunicationem ex so la puncti, seu literæ correctione, quia talis etiam modica mutatio expresse prohibita erat sub pęna excommunicationis; Hoc verò tempore cum illa clausula non legatur in hoc Canone, sed fuerit sublata, euidens argumentum videtur; Mentem Summi Pontificis esse, vt ex huiusmodi leuissima falsificatione literarum non incurratur excommunicatio. Et quidem hæc ratio vim haberet, & concluderet, si testimonio alicuius scriptoris probaretur illam clausulam antiquitus in Bulla Cœnæ addi aliquando consueuisse, sed nemo hoc asserit; Immò B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 72. refert

B Bullam integram editam in die Cœnæ Domini à Martino V. ante annos centum nonaginta, in qua non habetur illa clausula; Et nihilominus ipsemet B. Antoni. in cap. 16. vt dixi, tenet cum Hostien. incurri excommunicationem huius Canonis, si apponatur, manus etiam corrigendo punctum in literis Papæ. Neque ex verbis Hostien. colligi potest suo tempore hanc clausulam in Bulla positam fuisse, quia Host. non recenset tenorem huius Canonis, sicut legebatur in Bulla, sed proponit substantiam præcepti, sicut erat in vsu, & patet, si considerentur ea, quæ ab ipso dicuntur; Inquit enim, *Hodie præceptum est &c.* quæ superius retuli; Deinde subdit, *Alioquin manum apponens ex Canone lato in Curia ipso facto sententiam excommunicationis incur-*

C *rit*, Ergo quæ ante dixerat, non erant verba Canonis, sed explicatio illius eo modo, quo tunc temporis intel ligebatur, & seruabatur. Quamobrem, cum non appareat hunc Canonem in Bullis antiquioribus alijs verbis propositum fuisse, quantum attinet ad hanc difficultatem, de qua agimus, ab ea lectione, quam habet in Bullis posteriorum temporum, asserendum videtur veram esse opinionem Hostiensis, & communem aliorum antiquorum, sicut hoc dato, ipsemet Cardinalis Toletus fateri videtur.

Minus quoque releuat olim in priuilegijs Summi Pœnitentiarij inter alia concessum fuisse, vt posset absoluere ab excommunicatione, quæ incurritur propter

D correctionem literæ, seu puncti in literis Apostolicis, & hanc facultatem hodie non conferri Summo Pœnitentiario. Nam quicquid sit de hoc priuilegio; An antiquitus fuerit concessum nec nè; Hinc tamen inferri non potest, quod corrigentes hoc modo literas Papæ sine sensus mutatione non sint falsarij, & non incidant in excommunicationem huius Canonis, sed illud solùm deduci posse videtur voluisse Summum Pontificem sibi reseruare hunc casum fortasse ad retrahendam, & refrenandam hominum temeritatem, & præsumptionem, vt quò difficilius absolutionem ab huiusmodi excommunicatione consequi posse intelligerent, eò exactius ab hoc crimine abstinerent.

Tandem cap. fin. de crim. fal. quod affert. ad idem

E confirmandum; Vbi Summus Pontifex statuit propter rasuram paucarum literarum in locu non suspecto rescriptum non reddi falsum non probat illam sententiam. Primò quoniam aliud est asserere literas Apostolicas propter modicam correctionem in parte non suspecta non amittere suum valorem, quod definitum est in illo cap. fin. & in cap. ex parte d. si instrum. Vbi Honorius Tertius docet defectum literæ non vitiare rescriptum Apostolicum, Aliud est negare ex tali modica correctione incidere in excommunicationem eum, qui corrigere illud præsumpserit, quod affirmant Doctores citati, ob eam rationem, quia delinquit in

hunc

hunc Canonem, qui simpliciter absque vlla distinctione prohibet sub pœna excommunicationis actum falsificationis commissum in litteris Apostolicis, & supplicationibus. Vnde Abb. in dicto cap. Ex parte de fi. Instrum. ex sententia Glo. & Innoc. tenet non vitiari Rescriptum Papæ ex defectu literæ, aut syllabæ, vel etiam dictionis, si constet de mente, & voluntate Papæ, & sensus non sit mutatus, vt si impetretur Ecclesia Sancti Pancratij, & ponatur in literis S. Paneratij, tenent literæ, vt Cardinalis refert se obtinuisse, & tamen Abb. censet (vt dixi ex mutatione vnius puncti incurri excommunicationem. Idem ait Rebuff. in hunc Canonem Ver. Apostolicarum in fi. Secundo respondeo illud cap. fin. nostræ sententiæ fauere, ibi enim Papa mandat Episcopo, vt restituat officium, & beneficium illi, qui contra Aduersarium literas Apostolicas de simplici iustitia impetrauerat, quæ redargutæ fuerant falsitatis, quod in eis rasura paucarum literarum inueniebatur, & huius decreti reddit rationem Summus Pontifex, vt notat Gio. quod non sit præsumendum pro talibus litteris, quæ de facili habentur, quempiam vitium falsitatis committere voluisse, maximè cum illis literis, postquam eas cognouisset falsas, vsus minime fuisset. Igitur Papa censet posse committi vitium falsitatis etiam per minimam mutationem in literis Apostolicis, quando talis mutatio fit per ipsum Impetrantem, sed idcirco censet in casu illius cap. nullum falsitatis signum, vel suspicionem inueniri, quia præsumendum erat mutationem factam fuisse per officialem, quod Abb. num. 4. annotauit dicens *& intellige quando fuit facta per officialem Papæ, nam si Impetrans rasisse, tunc falsarius iudicaretur, quantumcunque modica esset rasura.*

Manent igitur absoluta, quæ afferuntur ad confirmationem huius sententiæ, quamobrem existimo sententiam illam Host. & aliorum, quos citaui, probabiliorem, nempe vitium falsitatis committi ob quamcunque mutationem siue magnam siue modicam in literis Apostolicis factam per Impetrantem, etiam remanente eodem sensu, quem literæ habebant, & consequenter incurri huius Canonis excommunicationē.

Ex dictis sequitur primo multo magis certum esse absq; vlla ambiguitate eādem excommunicationem incurri, si Impetrans apponat manus in literis Apostolicis corrigendo illas, vt diuersum admittant sensum ab eo, quem verba ante correctionem significabant, quamuis emendatio esset ad mentem Summi Pontificis, sed scriptoris culpa non expressam. Exemplum sit Papa concessit dispensationem in tertio gradu Consanguinitatis, & vitio Scriptoris positum est in literis Apostolicis in quarto gradu affinitatis, si hunc errorem corrigat Impetrans contrahit excommunicationem huius Canonis, si enim vera sunt, quæ diximus de correctione vnius literæ, vel puncti sine sensus mutatione, fortiori ratione idem erit asserendum in casu proposito.

Si quis postulet, quid dicendum esset in hoc casu ab eo, qui oppositam sententiam tueri vellet.

Respondeo, quamuis dubium sit graue supposita contraria opinione, tamen ita mihi videtur respondendum, vel error manifestus apparens in Bulla reperitur etiam in Minuta, idest in ipsa supplicatione oblata Summo Pontifici, & vbi hoc esset, negari non posset ex correctione talis erroris incurri hanc excommunicationem, quoniam licet Summi Pontificis voluntas fuerit talem gratiam concedere, non vult tamen, vt literæ, quæ ad probandam gratiam tra-

A duntur, per alios quàm per Officiales Sedis Apostolicæ ad hoc munus peculiariter deputatos conscribantur. Ideo si literæ per huiusmodi officiales confectæ gratiam concessam non significant, siue per errorem, siue scienter, vel quauis alia de causa id acciderit, nō licet parti illas corrigere, sicut non conueniret alias literas construere, quæ vere gratiam concessam exprimerent. Quod si error acciderit solum vitio scriptoris in Bulla, sed supplicatio rectè se habeat, tunc distinguendum erit, vel corrigens manebat in Vrbe, aut propè eam, ita vt facile, & absque vllo periculo potuisset adire Officiales, quorum est corrigere errores, & in hoc casu si ipse apposuit manum, non est excusatus à peccato, nec ab excommunicatione. Si vero

B longe aberat ab Vrbe, vel sine magno periculo nō poterat ad officiales accedere, si correxit, non peccauit mortaliter, maxime si ita diligenter, & accurate emendauit, vt nullum sequatur scandalum, & consequenter non erit excommunicatus, quia talis ex parte rei non est falsarius, & defendit suum ius, nec committit dolum. Ita responderi potest, si quis contrariam sententiam defendere voluerit.

Sequitur secundo ob eandem rationem hanc excōmunicationem extendi ad eum, qui imponit manum literis Papæ in ijs, quæ non spectant ad substantiam illarum, sed sunt conditiones non necessariæ, sed mere accidentales, vt in cognomine, agnomine, & similibus, vt tradit Felin. in cap. Ex parte §. stylus num.

C 20. in fi. de Rescript. & citat ad id Maria. de Senis in cap. fin. de crim. fal. licet dicat hunc falsarium, cum dolo careat, non incurrere pœnam l. Corneliæ de fal. Idque confirmat, quod supra monebam, nimirum quod licet ex correctione facta in literis Apostolicis sine dolo, & damno alterius non incurratur pœna ordinaria corporalis, & positiua, contrahi tamen excommunicationē, quæ est pœna spiritualis priuatiua.

CAPVT III.

Quis dicatur falso fabricare literas Apostolicas, aut falso signare supplicationes ad incurrendam hanc excommunicationem.

D IN hac secunda parte Canonis pronunciatur excōmunicatio contra fabricantes falsas literas Apostolicas, & contra signantes falsas supplicationes sub Romani Pontificis nomine, siue V. Cancellarij, aut Gerentis prædictorum vices.

Falso fabricare literas Apostolicas significat conficere literas sine mandato Summi Pontificis, nec ab eo subsignatas, neq; ab officialibus (ad quos ex consuetudine, & stylo Curiæ spectat) subscriptas, & reuisas, quæ retineant formam, & similitudinem, sub qua expediuntur literæ Apostolicæ, ita vt appareant veræ literæ, licet falsæ sint. Et hæc falsitas committi potest in Bulla, filo, charta, ac stylo scribendi, vt dicitur in

E cap. Quam graui in fi. de Crim. fal. *Propter quod sic literas Apostolicas studeas intueri tam in Bulla, filo, & charta, quàm in stylo, quod veras pro falsis, vel falsas pro veris literis modo aliquo non admittas.*

Huiusmodi literæ falsæ duobus modis fabricari possunt. Primo modo, vt omnia, ex quibus constant, sint falsa, & adulterina, nempe Bulla plumbea falsa cum simili signo, & impressione in vtraque facie, sicut habet vera Bulla. Deinde filum, charta, & stylus, ac forma scribendi singula falsa, sicut habetur in dicto c. Quam graui. Secundo modo possunt fabricari falsæ literæ, cum conficiuntur sine mandato Summi Pontificis,

ficis, sed in eis inseritur aliquid ex requisitis ad veras literas; Vt cum vera Bulla falsis literis apponitur, quod pluribus modis fieri contingit, qui describuntur in cap. Licet De Crim. Fal. Vel cum deleta scriptura literarum, quibus annexa erat Bulla, eadem charta iuxta consuetum artificium dealbata denuò rescribatur, vel alio modo, vt habetur in eod. cap. Licet.

Falsò signare supplicationes, quod secundo loco in hac posteriori parte huius Canonis sub eadem censura excommunicationis prohibetur, est signare dictas supplicationes sub nomine Papæ, aut V. Cancellarij, vel eorum vices gerentium sine consensu, & mandato Papæ, quia cum debeant signari à Papa, vel ab alio eius mandato, si aliter fiat, dicuntur falsò signatæ.

Ex his patet, quæ actiones subiiciantur excommunicationi in hac secunda parte Canonis; Excommunicatur enim Primo generaliter omnis, qui literas, siue sint Bullæ, siue in forma Breuis, componit sub nomine Papæ sine eius consensu, & mandato, quocunque modo falsitatis ex enumeratis in dicto cap. Licet, fabricet huiusmodi literas. Secundo loco excommunicatur, qui supplicationes gratiam, aut iustitiam continentes construit signans illas sub nomine Romani Pontificis, aut V. Cancellarij, seu ipsorum vices gerentium.

Quare hæc excommunicatio differt ab illa, quæ fertur in priori parte Canonis; Prohibentur enim duæ actiones diuersæ, licèt versentur circa eandem materiam, & subiectum in genere, idest circa literas Apostolicas, & supplicationes. In priori parte excommunicantur, qui falsant, & corrumpunt veras literas Apostolicas, vel veras supplicationes per Romanum Pontificem, aut S.R.E. V. Cancellarium, vel gerentes ipsorum vices signatas. In posteriori parte excommunicantur, qui componunt, & fabricant falsas literas habentes illas pro veris literis Apostolicis, vel falsò signant supplicationes prædictas sub nomine Romani Pontificis, aut V. Cancellarij, vel eorum gerentium vices.

Et quamuis vtraq; actio sit grauis, & sub crimine falsi contineatur; Fabricatio tamen falsarum literarum, alteram prauitate excedit.

Sed quæret quis, An in hanc excommunicationem incidat, qui cœpit confingere, & fabricare falsas literas Apostolicas, sed antequam rem perficeret, factus pœnitens ab incepto opere destitit.

Respondeo non incidere, quoniam excommunicantur falsò fabricantes literas Apostolicas, sed qui hac intentione inchoauit actum fabricandi falsas literas, verum non absoluit, nō potest dici falsas literas Apostolicas fabricasse, sed solum habuisse intentionem fabricandi, & incepisse operari. Nam verba, præsertim in pœnalibus accipienda sunt in propria significatione. Literæ Apostolicæ non appellantur, nisi postquam sunt perfectæ, vt nihil illis desit ex requisitis iuxta consuetudinem, & stylum Curiæ, vt dicam in sequenti capite; Vel re ipsa, si literæ sint veræ, vel secundum similitudinem, & apparentem aspectum si literæ sint falsæ. Et sicut non incurrit excommunicationem huius Canonis, qui committit falsitatem in literis, antequam sint completæ, & habeant omnia requisita ad Apostolicas literas constituendas, vt probabo in sequenti Capite in dubitatione 6. ità quoque non erit excommunicatus ob similem rationem, qui cœpit fabricare, & componere literas falsas, si mutato proposito destitit ab incepto opere, antequàm compleuerit illas, vt nihil amplius esset addendum necessa-

A rium, vt formam, & similitudinem haberent literarum Apostolicarum, quæ verè sunt tales.

CAPVT IV.

Explicantur dubitationes de eadem falsificatione, vel fabricatione literarum Apostolicarum, & supplicationum.

Prima dubitatio esse potest, An incidat in hanc excommunicationem, qui apponit manum in literis Papæ, quarum efficacia iam expirauit.

Riccard. in 4. dist. 18. art. 12. q. 4. respondet non obstringi excommunicatione illum, qui mutat aliquid in literis Apostolicis, quarum valor antea expirauit,
B vt efficaces reddi nequeant ob quamcunq. mutationem, vt si essent literæ curatoriæ datæ ante ducentos annos, vel tricentos, quæ si totæ raderentur, efficaces non redderentur, saltem propter Bullam, in qua nomē Pontificis inscribitur. Sed quando Corrigens redderet illas vtiles, si antea erant inutiles, vel magis vtiles, si adhuc erant vtiles, e. g. Si in literis legebatur Post triennium minimè valituris, loco triennij scriptum fuerit Quinquennium, ex qua mutatione literæ robur acceperint, tunc excommunicatio locum haberet. Hanc responsionem Riccardi refert, & sequitur B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 16. & adhæret Felin. in cap. Ex parte §. Stylus nu. 20. De Rescrip. qui vtrumq. citat; Quorum auctoritate alij recentiores moti idem ap-
C probarunt, Silue. Excom. 7. §. 10. & alij.

Secunda dubitatio sit, An hæc excommunicatio afficiat illum, qui mutat aliquid in literis Papæ, & statim, antequam vtatur, eas lacerat pènitus, aut comburit.

Respondet Silue. Excom. 7. §. 8. propè finem Vers. Hæc etiam intellige; In hoc casu non incurri excommunicationem, quia non dicitur corrigere, qui vult eas comburere, sed videtur distinguendum, Aut quando apposuit manum in literis, corrigendo etiam punctum, propositum habebat illis vtendi, sed postea pœnituit, & penitus illas deleuit, & tunc temporis talis Corrector censendus est excommunicatus, quia deliberatè deliquit in hunc Canonem prohibentem om-
D nem mutationem simpliciter sine distinctione, An ex tali correctione oriatur damnum, vel vtilitas contra mentem Summi Pontificis, vt probatum est superiori capite. Quod si ab initio statuit literas perdere, & destruere, quomodocunq. mutentur, & corrigātur, nulla incurritur excommunicatio, quia verè noluit corrigere, si proposuit illas illico dilacerare. Idē asserit Abb. in cap. Ex literis n. 3. De Fi. Instrum. dicens posse Impetrantem sine vlla pœna totā Bullam dilacerare, si illa vti nolit; Et dicit esse notandum, quoniā licet cuilibet Iuri suo renunciare, vt idē Abb. ait in cap. Ex conquestione nu. 11. De Restit. Spoliat. Quod verum est, quāuis literæ fauorem alterius contineret; Nam quicquid
E sit de aliis pœnis, non incurreret tamen excommunicationē, qui illas corrigeret animo statim perdēdi, vt diximus, quia ille propriè nō corrigeret, sed destrueret.

Tertia dubitatio, An hæc excommunicatio comprehendat falsificantes non solum per se ipsos, sed etiā per alios; Et idem quæritur de falsò fabricantibus, aut signantibus, idest an sit excommunicatus ille, qui mandat alteri, vt falsificet literas Apostolicas, licet ipse non apponat manum.

Respondeo hunc Canonem non comprehendere illum, qui mandaret, vel consuleret falsificationem literarū, sed solùm ipsosmet falsarios; Quæ vox in propria

signi-

significatione denotat illos, qui falsitatem committunt, non qui mandant illam fieri, vel consulunt, ergo actum illum prohibitum agentes sunt excommunicati, non alij, quamuis sint causa falsationis, idq; confirmari potest, tum quia agimus de pœnis, quæ potius sunt coarctandæ, quàm dilatandæ c. In pœnis de reg. Iu. lib. 6. tum etiam quia quoties in hac Bulla intendit Summus Pontifex excommunicationis censuram extendere ad Mandantes, Consulentes, & alios huiusmodi solet exprimere, vt videbimus in Canone 7. 8. 10. 11. 12. & in alijs, sed quamuis Mandantes falsificationem non incurrant excommunicationem huius Canonis, remanent tamen excommunicati excommunicatione, quæ habetur in c. Ad falsariorum de Crim. fal. de qua postea dicemus.

Si quis contra opponat Regulam Iuris, *Qui per aliū facit, perinde est, ac si per se ipsum faceret*. cap. Qui per alium de Reg. Iur. lib. 6. ergo qui per alium falsificat, per se falsificare dicitur. Neq; Regula illa intelligitur solum quo ad peccatum, vt interpretatur Bart. in l. sed si vnius ff. de Iniur. sed etiam quoad pœnam, vt ibi interpretatur Franc. & alij, & clarissimè patet ex cap. Mulieres §. Illi vero de sent. excom. vbi mandans percussionem Clerici declaratur ita excommunicatus, sicut ipse percutiens. Excommunicatio autem pœna est, & omnium maxima, quare regula vera est non solum quoad peccatum, sed etiam quoad pœnam peccati, & sic intelligit Abb. c. Mulieres ibi n. 12.

Respondendum est, quod ille, qui mandat, propriè non facit, sed dicitur facere ex Iuris interpretatione, quia Ius interpretatur illum facere, licet secundum propriam significationem vocis vere non faciat, nihil enim refert, an quis proprijs manibus occidat aliquē vel per alium, vt inquit textus in l. 1. §. Deiecisse de vi & vi arma. notat Bart. in l. Hæc verba ff. de adulte. & in l. si quis id quod §. fin. de Iurisd. omn. Iudi. facit c. Cum ad Sedem, & cap. Sæpe de Restit. spoliat. Ideo Regula illa *Qui per alium facit, perinde est, ac si faceret per se ipsum*, intelligenda est non secundum rei veritatem, sed Iuris fictione, quæ fictio non habet locum in pœnis, quidquid sentiat Abb. in dicto c. Mulieres n. 9. & multo minus in Censuris, vt si latæ sint contra facientem, extēdantur ad Mandantem, vt fusius probatum est supra lib. 3. Disp. 2. cap. 2. Vbi etiam diximus cap. Mulieres non declarare excommunicatum Mandantem percussionem Clerici ex decreto cap. Si quis suadente 17. q. 4. Quo sunt excommunicati percutientes Clericum, quasi qui mādet, vere percutiat, sed quia alijs Constitutionibus sacrorum Canonum definitum erat Mandantem huiusmodi percussionē excommunicatione innodari, & idem dicendum est de alijs pœnis, nempe Ius commune velle, vt Mandās delictum habeatur pro committente non ex natura rei, sed Iuris fictione, & eadem pœna plectatur, sicut committens, in his scilicet casibus, quos Ius expressit. Quamobrem cum prohibitio huius Canonis edita sit in falsarios literarum, & Mandans falsificationem nō sit vere falsarius, consequenter hæc excommunicatio non afficit Mandantem, & multo minus Consulentē.

Quarta dubitatio, an qui impetrat à Papa literas surreptitias, vel obreptitias exprimendo falsitatem, vel silendo veritatem, quas non concessisset verisimiliter Summus Pontifex, si facti veritatem intellexisset, sit excommunicatus Censura huius Canonis.

Respondeo illos, qui falsum narrando impetrant à Papa literas surreptitias, non incurrere excommunicationem huius Canonis, neque aliam, quæ in cor-

A pore Iuris continetur. Ratio est, quia tales Impetrantes non peccant committendo falsitatem in literis Apostolicis legitime expeditis, neque falso fabricando illas tanquam Apostolicas, quibus modis incurritur hæc excommunicatio, sed vtuntur falsitate tanquam medio, vt impetrent literas à Sede Apostolica, quæ sunt veræ literæ quantum ad expeditionem, licet contineant falsam narrationem ex falsa suggestione partis. Quare Riccard. distinct. 18. artic. 12. quæstione tertia inquit, quod Impetrans literas à Papa tacita veritate, vel suggesta falsitate, siue scienter, siue ignoranter id faciat, non est excommunicatus Iure communi, etiamsi talis veritas supprimatur, vel falsitas narretur, quæ si fuisset expressa, vel retenta

B respectiue, Papa huiusmodi literas non concessisset, quamuis alijs pœnis sit puniendus & grauiter. Ob eandem rationem inquit Riccard. non erit innodatus excommunicatione, qui vtitur literis Apostolicis sub alio nomine impetratis. Causa vero, propter quam verisimiliter opinari liceat sacros Canones huiusmodi criminibus censuram excommunicationis annectere noluisse, est, vt notat Riccard. quia talis dolus, & fraus facile à Iudice, & parte, detegi potest. Sententiam Riccardi repetit B. Antoni. & sequitur 3. par. Summ. tit. 24. capitulo decimotertio. Vers. Et nota secundum Riccardum. Similiter Silue. excommunicatio 7. §. 9. Vers. Et secundo, Caiet. in Summa Ver. excommunicatio capitulo 27. Vers.

C Vnde non comprehendit, Nauar. in Manua. capitulo 27. numero 62. Vers. Quarta, Rebuff. in explicatione huius Canonis Vet. Et supplicationum, qui dicit impetrantem literas surreptitias à Papa non esse proprie falsarium, quia veras literas impetrat, licet falsum dicat, idcirco non coerceri censura excommunicationis, & propterea animaduertit Sacerdotem posse sine formidine huiusmodi Impetrantem absoluere sacramentaliter. Tandem idem affirmat Bern. Diaz in Pract. Canon. in Addit. ad caput 117. Vers. Nec incurrit dictam pœnam. Toletus in Sum. lib. 1. c. 22. Vers. Tertio Impetrantes, & est communis sententia nemine discrepante.

Neque his, quæ dicta sunt, aduersantur verba, quæ

D leguntur in cap. Ad falsariorum in fi. de Crim. fal. scilicet *Qui vero sub nomine nostro literis falsis vtuntur etc.* Et paulo post *Si laici tandiu maneant excommunicationi subiecti, donec satisfaciant competenter &c.* Tandem ita concludit *Quod & de his, qui falsas literas impetrant, statuimus obseruandum*, Ergo Innocentius III. ibi declarat excommunicatos illos, qui impetrant literas falsas, sicut sunt excommunicati, qui vtuntur literis falsis, sed hæc non repugnant dictis, nam, vt inquit Riccardus in dicto art. 12. quæst. 3. in resp. ad secundum, Illi, qui suppressa veritate, vel falsitate impetrant literas surreptitias à Papa, non impetrant literas falsas, sed obtinent veras literas, vtuntur tamen

E falsa narratione ad illas impetrandas, & hæc differūt inter se In cap. Ad falsariorum excommunicantur illi, qui committunt falsitatem in literis Papæ aliquo ex illis modis enarratis in c. Licet eod. tit. Inter quos non recensetur, si per surreptionem impetrentur literæ à Papa.

Quamobrem Impetrans etiam scienter Breue surreptitium à Papa non est excommunicatus, & nō incidit in pœnam falsarij, quāuis eo vtatur, vt inquit Silue. excom. 7. §. 9. & citat Petr. Anchar. Debet tamen carere commodo illius Breuis, & est condemnandus in expensis cap. Super literis de rescrip. Abb. ibi. nu.

1. & 2. & capit. Sedes, capit. Ex tenore eod. tit.

Quinta dubitatio sit, an in hanc excommunicationem Bullæ incidat, qui literis Apostolicis per alium falsatis, aut falso signatis vtitur.

Respondeo ex communi sententia Doctorum hanc excommunicationem Bullæ non extendi ad eos, qui vtuntur huiusmodi literis falsis, & ratio est, quia aliud est falsare literas, aliud vti falsis literis, & in hoc Canone solum sermo habetur de falsantibus non de vtentibus. Et probatur quoniam in capitulo Ad falsariorum hæc duo diuisim, & distinctè prohibentur & falsarij omnes excommunicantur, non autem omnes vtentes literis falsis, sed tantum laici, ergo de his duobus actibus non eodem modo dispositum est ab ipso Iure. Ita sentit Silue. excom. 7. §. 9. Caiet. Ver. Excommunicatio cap. 26. Vers. Nec comprehendit vtentes, Nauar. in Manua. cap. 27. num. 62. Vers. Qnarta quod non includit.

Sexta dubitatio, an excommunicatione huius Canonis obstringantur illi, qui literas Apostolicas falsant, antequam sint munitæ Bulla, seu signatæ, & pœnitus expedita, vt illis nihil desit addendum ab officialibus.

Respondendum est, quod licet talis ob præsumptionem, & temeritatem puniri possit, non incurrit tamen excommunicationem, neque alias pœnas, quæ in Iure continentur contra falsarios literarum Apostolicarum, quia non committit falsitatem in literis Apostolicis, tales enim sunt, postquam sunt signatæ, & bullatæ, & non deest illis aliqna conditio, & qualitas necessaria, vt appellari possint veræ literæ Apostolicæ. Et eadem ratio est de supplicationibus, quia verba legis sunt accipienda in propria significatione, præsertim in pœnalibus, excommunicantur falsarij literarum Apostolicarum, ergo supponuntur iam constitutæ literæ, vt dici possint Apostolicæ, quales sunt illæ, quibus non deest aliqua qualitas essentialis ad illarum veram expeditionem, alias non possunt vocari literæ Apostolicæ, sicut testamentum, in quo reperitur defectus, non est testamentum l. Paulus respondet falsum ff. de verbo. signif. & Alex. consilio 215. visis probationibus lib. 2. probat Bullam imperfectam non censeri debere proprie Bullam. Quod si literæ haberent omnia requisita ad veram illarum expeditionem, sed defectus esset circa validitatem, vel ratione surreptionis vel ex alia causa, tunc si quis in illis committeret falsitatem, maneret inuodatus censura excommnnicationis, & incurreret alias pœnas latas contra falsarios, quia essent veræ literæ Apostolicæ, & id solum requirit, vt excommunicatio afficiat, quamuis omni carerent valore. Ad id confirmandum facit interpretatio Sarnen. in Compend. vtriusq; signat. post num. 83. Vbi loquens de Reg. 31. Cancella. nempe Commissiones causarum litteris super concessionibus beneficiorum non expeditis iurisdictionem non tribuere, asserit satisfactum esse huic Regulæ, si Bulla sit expedita habens mille defectus, quia scilicet postquam est omnino expedita, dicitur vera Bulla. Comprobatur, quia hic Canon requirit ad excommunicationem incurrendam falsitatem in literis Apostolicis, vel supplicationibus, de validitate illarum nihil disponit, idest an legitimè, vel perperam sint expeditæ, Cassa. decis. 2. circa med. de Reserua. Ergo qui committit falsitatem in veris literis Apostolicis, quomodocunque bene, vel male, valide, aut inualide sint expeditæ, delinquit in hunc Canonem.

A

CAPVT V.

An præter excommunicationem huius Canonis extet alia excommunicatio Iure communi lata contra eosdem falsarios literarum Apostolicarum.

CONtra falsarios literarum Apostolicarum, & illas habentes, & retinentes, vel vtentes pronunciatur excommunicatio in cap. Ad falsariorum, & in cap. Dura de Crim. fal. Sed vtraque differt ab excommunicatione huius Canonis.

Nam quantum ad excommunicationem, quæ habetur in cap. Ad falsariorum, illa complectitur non solum illos, qui committunt hoc crimen per se ipsos, sicut in hoc Canone, sed etiam vtentes ministerio
B aliorum, scilicet Mandantes, Consulentes, qui non afficiuntur censura huius Canonis, vt dixi. Secundo in c. Ad falsariorũ excommunicantur generaliter, qui literis falsis vtuntur, siue ipsemet fuerint auctores falsitatis, siue alius. Hic autem sunt excommunicati soli falsarij, vel fabricantes literas falsas, non illis vtentes. Tertio in illo tex. Si falsarius sit Clericus, vltra excõmunicationẽ priuatur officio, & beneficio, & traditur Curiæ seculari puniendus pęna legali, vt Abb. n. 3. & est casus peculiaris, in qno Clericus statim de crimine conuictus traditur Curiæ seculari, nam regulariter id fieri nequit, nisi postquam constat esse incorrigibilem vt Glo. notat in narratione casus in fi. & Abb. d. n. 3. & fusius probatum est sup. c. 6. Disp. 1. lib. 2. Quæ pœna
C non habetur in hoc Canone. Quarto ibi excommunicantur Impetrantes literas falsas, & impetrantes vocantur illi, qui sub alieno nomine impetrant pro se literas Apostolicas, de quibus in hoc Canone sermo nõ habetur. Quinto excommunicatio c. Ad falsariorum non est reseruata Sedi Apostolicæ, sed potest absolui ab Ordinario, excommunicatio huius Canonis est reseruata. Primum igitur differunt hæ duæ excommunicationes, & amplior est, ac latior excommunicatio Iuris communis, quàm excommunicatio Canonis, quia excommunicatio huius Canonis non complectitur falsificantes per alios, nec fautores, aut defensores falsariorum, nec impetrantes literas falsas, neq; vtentes, qui omnes cõtinentur in c. Ad falsariorũ. Quo vero
D ad falso signantes supplicationes hic Canõ excedit c. Ad falsariorum, vbi de literis tantũ Apostol. agitur.

Et animaduertendum est Innoc. III. in sæpe citato c. Ad falsariorum, ad confundendam eorum temerariam malitiam statuisse, vt etiam si quis ignoranter vteretur literis Apostolicis per alium falsatis, non euitaret pœnas Iuris. Ex quibus verbis oritur difficultas, quo pacto ex actione, quæ fit per ignorantiam, & inluntarie, atq; ex consequenti sine dolo, incurri debeãt pœnæ à Iure imposita contra falsarios, & præsertim pœna excommunicationis, quæ supponit in transgressore peccatum mortale, & contumaciam.

Respondeo excommunicationem latam contra falsarios non afficere eos, qui in committenda falsitate
E non peccant. Hinc sequitur eos, qui ex probabili ignorantia vtentes sine dolo falsis literis pro veris non sunt Rei criminis, quoniam ignorantia illos à peccato excusat, non esse obstrictos huius excommunicationis censura, quia non sunt in dolo, & sine dolo falsum nõ committitur, l. Nec exemplum C. ad leg. Corneliã de fal. Silu. ex sent. Host. Ver. exc. 7. §. 10. Vers. & quarto, Caiet. in Sum Ver. excom. c. 26. Nau. in Man. c. 27. nu. 62. Vers. Quinta, licet in foro exteriori existimabantur excommunicati, quoniam, vt inquit Glo. in eod. c. Ad falsariorum Ver. examinent, quisq; tenetur

aucto-

auctoritate huius Constitutionis Innocentij Tertij in dicto cap. Ad falsariorum adhibere omne studium ad inuestigandam veritatem Literarum Apostolicarum, Ideo, si vtatur falsis pro veris, præsumitur laborare ignorantia crassa, & supina, cap. Apostolicæ De Cleri. Excom. Mini. Quæ non excusat, scilicet quod noluerit adhibere diligentiam, vt facti veritatem inuestigaret; Vnde dici potest affectator ignorantiæ, cap. Cum inhibitio De Clande. Despon. Est enim affectata ignorantia, vt inquit Glo. in cap. Eos qui De Tempo. Ordin. lib. 6. Ver. Affectata, quando quis tenetur, & potest scire aliquid, & noluit, immò dissimulauit, l. Qui contra C. De Incest. & inut. Nupt. Quo casu æquipollet ignorantia scientiæ, vt notat Glo. in dicto Ver. Affectata, & non excusat à culpa, neq. à pœna. B Sed si is, qui vtitur literis falsis pro veris (quantum per ipsum licuit) curauit veritatem inuestigare, & bona fide vsus est literis falsis; non est reus criminis, & excusatur ab excommunicatione.

Sed postulabit quis, cur potius præsumenda sit scientia, seu affectata ignorantia, quàm probabilis, & iusta in eo, qui vtitur Literis Apostolicis falsis pro veris, cum sit Regula Iuris De Reg. Iur. lib. 6. *Præsumitur ignorantia, vbi scientia non probatur*, Vt si quis percutiat Clericum non incedentem in habitu, non incurrit excommunicationem; si ignorabat esse Clericum, & in dubio præsumitur ignorasse cap. Si verò 2. De Sent. Excom. Aliud exemplum habetur in cap. Proposuisti in fi. 82. dist. Et in l. Verius ff. De Probat. proponitur C exemplum de Testatore, qui legat rem alienam, tunc enim Legatarius non potest compellere hæredem ad rem illam redimendam, aut ad eius æstimationem sibi tradendam, nisi antea probauerit Testatorem sciuisse rem Legatam non fuisse suam, sed alterius; Ergo in dubio supponitur quis potius ignorare, quam scire, cur ergo hæc Regula non habet locum in illo, qui vtitur falsis Literis Apostolicis, vt existimandum sit per ignorantiam id fecisse, non scienter?

Respondendum est Regulam propositam veram esse in his, quæ quis scire, vel indagare minimè tenetur, & tunc solùm circa ea, quæ occultè fiunt, quorum ignorantia præsumitur, nisi probetur scientia. Contra verò si res publicè agantur, præsumitur scientia, nisi probetur ignorantia, vt inquit Glo. in cap. 1. D Ver. Allegans De Postulat. Prælat. cap. 2. & ibi Glo. Ver. Ante prohibitionem De Constit. cap. Proposuisti 82. dist. Negandum tamen est habere locum hanc Regulam in ijs rebus, quas quis scire, aut inuestigare debet; In illis enim non ex ignorantia, sed voluntariè, & ex certa scientia ad agendũ duci credendum est. Hanc ob causam in eligendo Prælato non præsumitur, electores laborare probabili ignorantia, qui tenentur prouide, & maturo consilio præmissa diligenti inquisitione de moribus & vita personæ eligendæ, & cæteris requisitis ad electionem accedere, cap. Innotuit ibi *Nec probare cogimus ignorantiam, quam allegant*, Vbi Glo. Ver. Ignorantiam de elect. cap. 2. 61. dist. c. E Dilectissimi 8. quæst. 2. cap. Cum in cunctis de elect. Quare quando quispiam aliquid agere tenetur, præsumitur non ex ignorantia, sed sciens, & prudens ad agendum moueri. Hoc idem accidit in terminis, in quibus loquimur, vbi quis intendit literis Apostolicis vti, nam cum teneatur ad præscriptum dicti cap. Ad falsariorum ante omnia diligenter illas examinare (si contingat vti illis falsis) præsumitur scienter fecisse. Quæ præsumptio habet hanc vim, vt transferat onus probandi in ipsum reum, quod adhibuerit

A omnem diligentiam, quam debuit, & potuit, vt veritatem indagaret, tunc enim non imputaretur ei crimen, vt inquit Glos. in dicto capit. Ad falsariorum Ver. Dixerint, & in cap. Dura Ver. Euadere eod. tit. Quia iusta ignorantia illum excusaret, vt si probaret consuluisse peritiores, & in hoc rerum genere versatos, l. Regula §. 1. in fi. ff. de Iu. & fac. ignor. & capitulo Ephesijs 43. dist. Fecit enim, quod potuit, & diuinare non tenetur, & ob hanc causam iustæ ignorantiæ, excusatur quidam à crimine falsi, & à pœna debita, qui falsis literis Apostolicis vsus fuerat in capitulo Inter dilectos de excess. Prælat. Verum si quis neglexerit ab alijs inquirere, vt literarum veritatem probaret, non excusatur ratione ignorantiæ à pœna, vt rectè indicant verba capituli vltim. trigesimaseptima distinctione, cum ait *Non omnis ignorans immunis est à pœna, ille enim ignorans potest excusari à pœna, qui, à quo disceret, non inuenit &c.* Et hæc dicta sint de excommunicatione lata in capitulo Ad falsariorum de Crim. fal. contra falsarios literarum Apostolicarum.

Rursus est alia excommunicatio lata ab eodem Innocentio III. cap. Dura eod. tit. quod habet duas partes, in priori prohibet, ne quis existens in Curia literas Apostolicas recipiat, nisi de manibus Papæ, vel Officialium ab eo deputatorum, nisi sint personæ insignes, & solemnes, quibus permittit, vt per Nuncios illas de manibus prædictorum recipere valeant, contra facientes excommunicantur. In secunda parte, quæ habetur in §. Adijcientes, statuit, quod qui falsas literas se habere cognouerit, infra viginti dies illas destruat, aut resignet, si pœnam excommunicationis euadere voluerit, cuius absolutio reseruatur Sedi Apostolicæ.

Sed de excommunicatione contra recipientes literas Apostolicas ab alijs, quàm à Papa, & eius officialibus dubitari potest, an talis transgressor vi illorum verborum, quæ habentur in tex. *Excommunicationi subiaceat*, ipso facto sit excommunicatus.

Abb. in eodem capitulo numero octauo. respondet incurri excommunicationem ipso facto ex huiusmodi transgressione, & probat ex capitulo Si quis suadente 17. quæstione 4. Vbi de percutiente Clericum, qui ipso facto est excommunicatus absque vlla controuersia, ijsdem verbis vtitur Summus Pontifex, nempe *Anathematis vinculo subiaceat*, & clarius ostenditur ex Glo. fin. in fin. in cap. vni. De Iniurijs libro sexto. Vbi declarans verba illa tex. *Ecclesiastico subiaceat Interdicto* ex verbo illo *subiaceat*, probat pœnam illius interdicti esse latæ sententiæ, sic enim ait *Alias huius Constitutionis pœna locum habebit, quæ est latæ sententiæ, vt patet ex verbo subiaceat*. Eodem modo sentiendum erit ex transgressione huius Constitutionis, ipso iure incurri excommunicationem, licet Glos. Ver. subiaceat, oppositum sentiat.

Sed contra opponit Abb. quia in tex. hæc habentur *Si quis autem ex hac parte mandati nostri transgressor extiterit, si laicus fuerit, excommunicationi subiaceat, si Clericus, officij, & beneficij suspensione damnetur*. Quare si excommunicatio incurreretur ipso facto, superuacanea esset suspensio, quia quilibet excommunicatus est suspensus, Glo. in Clem. Cupientes Ver. Non nouam de pœn.

Respondet Abb. duobus modis. Primo quod quãdo suspensio infligitur vt pœna distincta ab excommunicatione, tunc suspensio non est accessoria ad excom-

 municationem,

municationem, idcirco sublata excommunicatione per absolutionem non tollitur suspensio, vt inquit Host. Respondet secũdo excommunicationem latam esse contra transgressores laicos, suspensionem vero contra Clericos. Et hæc secunda responsio magis placet Abbati, & est communior, quæ magis aptari videtur ad verba textus, quia non debet quis duplici pœna coerceri capit. Quoniam in fin. vt lit. non contest.

Quamobrem in dicto capitulo Dura duplex continetur excommunicatio, alia latæ sententiæ, quam incurrunt ipso Iure illi, qui literas Apostolicas accipiũt ab alio, quam de manibus Papæ, vel Officialium, aut Bullatorum, nisi sint personæ insignes, alia est sententiæ ferendæ, qua excommunicandi sunt per Ordinarium illi, qui habent literas falsas, si postquam sciuerint eas esse falsas, infra viginti dies non lacerauerint, aut resignauerint, & semel excommunicati non possunt ab alio absolui (præterquam in mortis articulo) nisi à Papa, & est vnus casus, in quo ille, qui excommunicat, non potest absoluere, quia Ordinarius tunc excommunicat auctoritate, & mandato Papæ, qui sibi reseruauit absolutionem, alias posset absoluere capitulo Nuper de sent. excom. Glo. in dicto capitulo Dura Ver. Relaxari, & licet Glo. in dicto capit. Ver euadere affirmet huiusmodi Retinentes literas falsas incurrere aliam excommunicationem ipso Iure latam à Papa in capitulo Ad falsariorum, verius tamen est oppositum, quod asserit Abb. ibi nu. 10. Vbi affirmat cap. Ad falsariorum solum complecti committentes falsitates per se ipsos, vel per alios scienter in literis Apostolicis, non autem habentes literas falsatas per alium, si illis non vtantur, qui puniuntur in hoc cap. Dura, nam debent excommunicari per Ordinarium, nisi infra viginti dies destruxerint, vel resignauerint. Quare si Ordinarius illos non excommunicat, non afficiuntur alia pœna in dicto capit.

Secundo circa eandem excommunicationem prolatam in eos, qui literas Apostolicas accipiunt ab alio quàm ab ipso Papa, vel officialibus, nisi sint Principes, & Illustres viri, qui possunt illas accipere per Nũcium fidelem, notandum est hanc excommunicationem afficere illos tantum, qui apud Sedem Apostolicam commorantur, vt habetur in textu. Hinc sequitur non innodari vinculo huius excommunicationis illos, qui non manent apud Sedem Apostolicam, si dictas literas recipiant per Nuncium peculiarem, cap. Nonnulli §. fin. de Rescript. Sedes vero Apostolica est, vbi Papa moratur, vt dicunt B. Antoni. 3. par. tit. 24. capitulo 15. Silue. excommunicatio 6. §. 7. in fin. Abb. in cap. Dura nu. 2 de Crim. falsi. & in cap. Ego N. n. 6. de Iu. Iur. Vel etiam appellatione Sedis Apostolicæ intelligi potest, vbi est Audientia Papæ, licèt ibi non sit Papa per tex. in Clem. ne Romani §. fane cum, Ver. eo tamen adiecto de elect.

Tertio notandum est Doctores communi consensu asserere hanc excommunicationem abijsse in desuetudinem, & hodie non seruari in Curia, inquit enim Glo. in Ver. subiaceat, quod indistinctè quilibet literas Apostolicas accipit per Nuncium Papa sciente, & nullus repellitur. Idem tenet Host. in §. Porrò Vers. Octauo quando quis eodem tit. Beatus Antoninus in dicto capitulo decimoquinto, & citat Ioannem Andream, & Petrum Ancharanum. Idem ait Siluester. §. 8. in fin. Rebuff. in explicatione huius Canonis Ver. Extendentes in fin. Toletus in declaratione huius Canonis Vers. Aliud dubium est de habentibus &c. in fi.

CAPVT VI.

An præter excommunicationem aliæ pœnæ impositæ sint ab ipso Iure contra falsarios literarum Apostolicarum.

PRæter excommunicationem latam in cap. Ad falsariorum de Crim. fal. & excommunicationem, quæ habetur in hoc Canone Bullæ Cœnæ, aliæ pœnæ inuentæ sunt ab ipso Iure ad coercendam malitiam, & prauitatem falsariorum committẽtium falsitatem in litteris Apostolicis, nam si Clericus deprehendatur huius criminis Reus, qui ductus cupiditate, & auaritia obtinendi beneficium Ecclesiasticum ausu temerario literas Apostolicas immutare tentauerit, & per se ipsum falsitatis vitium exercuerit, omnibus Ecclesiasticis beneficijs & officijs per Iudicem Ecclesiasticum priuatus, & degradatus potestati seculari traditur puniendus, vt in cap. Ad falsariorum, si vero sit laicus punitur pœna deportationis, & omnium bonorum publicatione, si sit homo liber, si autem sit seruus, pœna vltimi supplicij, & mortis. Ita dicit Glo. in dicto cap. Ad falsariorum Ver. legitimas, & probat ex l. 1 §. vlt. ff. ad leg. Corneliam de fal. Verum in l. Vbi falsi C. eod. tit. non solum pœna deportationis, sed etiam pœna capitalis supplicij infligitur Homo liber pro crimine falsi, si id exigat commissi sceleris magnitudo. Vnde sumitur ratio dubitandi, quid nomine capitalis supplicij significare voluerit, nam hæc verba ambigua sunt, possunt enim intelligi non solum de morte naturali, sed etiam de sententia capitali ciuili; vt notat Glo. singularis in l. Iudæus Ver. Capitali. C. ne Christianum mancip. Hæreticus &c. Vbi capitalem poenam vocat exilium perpetuum, & in l. Rei capitalis ff. de Poen. Imperator declarans, quæ sit poena capitalis; cuius in dicto titulo sæpe mentionem fecerat, inquit esse, vel mortem, vel Ciuitatis amissionem, vel seruitutem, vbi Glo. Ver. Amissio, notat Ciuitatis amissionem dici mortem ciuilem. Contra vero quod falsarius Rescripti Principis sit plectendus poena mortis naturalis, probari potest ex l. Maiorem. C. eodem tit. Vbi statuitur committentem falsum in Principis Rescripto maiorem poenam pati debere. Hæc maior poena non potest intelligi, nisi mors naturalis, quia duæ poenæ reperiuntur impositæ pro crimine falsi, scilicet poena deportationis (quæ dicitur mors ciuilis) & mors naturalis, vt habetur in dicta l. 1. §. vlt. ff. ad leg. Corneliam de fal. Quare cum illa lex dicat maiorem poenam, debet intelligi de maiori poena illarum duarum, & ita erit mors naturalis. At Glo. in l. vbi Ver. Commissi. C. ad leg. Corneliam de fal. affirmat, quod qui sciens vtitur falso Rescripto, debet decapitari, vt in dicta l. Maiorem, ergo intendit in illa l. Maiorem nõ imponi poenã mortis naturalis simpliciter illi, qui in Rescripto Principis falsum commiserit, nisi eo vsus fuerit. Quare ex his videtur inferri posse non esse Iure communi expresè impositam poenam mortis naturalis Committentibus hoc crimen falsitatis. Nihilominus Doctores affirmant, & communis praxis seruat, vt falsarij literarum Apostolicarum siue per se ipsos, siue per alios committant hoc scelus, debeant mori. Et idest speciale in hac specie falsitatis, quæ committitur in Rescripto Papæ, vt inquit Glos. in capitulo Ad falsariorum, Ver. Legitimas,

mas,& confirmat Abb. ibi. numero octauo,in fi.& in cap. Olim. numero 2. de Rescript. Nam regulariter crimen falsi non punitur adeo acerrima poena, vt dicit Abb. in cap. Ad falsariorum, & probat ex Glo. in cap. Ad audientiam Ver. Degradatis de Crim. fal. Vbi obijciens contra Constitutionem illius tex. qua punitur Clericus,qui falsauerat sigillum Regis Francorum, pœna depositionis, & exilij, non pœna mortis naturalis iuxta cap. Ad falsariorum, quod huiusmodi falsarijs vltimi supplicij pœnam infligit, respondet his verbis *sed illud speciale est in Falsarus literarum Domini Papæ, vt statim tradantur potestati seculari*. Vnde quamuis Glo. in dicto capitulo Ad falsariorum Ver. Legitimas,& Abb. in dicto num. 8. loquantur in Rescripto Principis,tamen hoc dictum habet locum in falsificante Rescriptum Papæ,secus in alijs, quod patet ex dicto cap. Ad audientiam, vbi Clericus,qui falsificauit sigillum Regis Francorum, non fuit punitus pœna mortis,sed alia,& ita intelligitur cap. Ad falsariorum, vt notat Afflict. decis. 404. ex sententia Innoc. Hoc idem de literis, seu Rescripto Papæ confirmat Bernar. Diaz in sua pract. Crim. cap. 117. nu. 1. Quamobrem diuersimodè puniuntur falsarij literarum Apostolicarum, & falsarij regiarum literarum. Nam priores plectuntur pęna mortis, posteriores degradantur,& mittuntur in exilium extra Prouinciam atque imprimitur illis character aliquis iuxta formã cap. Ad audientiam de Crim. fal. Abb. in cap. Olim num. 2. in fi. de Rescript.& ita sentit Bernar. Diaz, numero 2. Falsarij vero literarum Episcoporum, & aliorum Prælatorum, Inferiorum,Ordinariorum, seu Delegatorum non debent ita acriter puniri,vt inquit Abb. in cap. Olim num. 2. de Rescript. & Felin. cap. 2. num. 23. eod. tit. Possunt enim deponi,si Clerici sint, & priuari beneficijs,& in Monasterium detrudi ad pœnitentiam agendam.

Postulabit aliquis,an qui committit falsitatem in literis Apostolicis,pœna mortis sit plectendus,etiamsi literis falsis minimè vsus fuerit. Oritur dubitatio ex eo,quoniam falsitas in proposito est mutatio veritatis cum dolo, & iactura, vt dicit Silue. Ver. Falsarius §. 1. Sed vbi quis non vtitur literis falsis, cessat dolus,& iactura, ergo tanquam falsarius puniri nequit, vt ibi notat Silue. ex tex. in l. Quid sit falsum ff. ad leg. Corneliam de fal.l. Nec extra,& l. Damus. C. eod. Idem tenet Petrus Anchar. cons. 23. visa inquisitione &c. Vnde Glo. & Bart. in dicta l. Damus asserunt necesse esse ad hoc,vt quis possit puniri tanquam falsarius, quod falsitas dolosè sit commissa, & alicui noceat.

Ad hanc dubitationem respondendum videtur, quod qui cõmittit falsitatem in literis, seu Rescripto Papæ scienter, verè dici debet falsarius, & puniri potest pœna mortis,quamuis talis falsitas nemini damnum vllum,vel præiudicium attulerit,quia dictus falsarius huiusmodi literis, aut rescripto vsus non fuerit. Ratio est, quoniam damnatur ab ipso Iure actus ipse fabricandi,& immutandi veritatẽ in literis Apostolicis nulla habita relatione ad damnum, quod inferri potest ex dicta falsificatione. Nam tex. in l. si falsos C. eod. tit. expresse habet, quod falsificans ratione fabricationis etiam sine vsu punitur pœna falsi. Quare sicut præsumens falsificare litteras Apostolicas,etiamsi illis non vtatur, eo ipso est innodatus excommunicatione,vt probaui in cap. 2. Ita quoq; dicẽdum est de pœna mortis,& de alijs pœnis,vt tenet Io. And. in capitulo Ex literis de fi. instrum. & Glo. in capit. In memoriam Ver. Falsum distinct. 19. dum inquic *Ipso facto dicitur falsatium, vt si charta apparet rasa, vel immutata &c.* ergo ipso facto potest puniri pœna Iuris,etiamsi falso rescripto non vtatur.

Confirmatur, adulterans, & falsans monetam Papæ punitur vltimo supplicio, vt statuit l. quicunq; ff. ad leg. Corneliam de fal. De falsificante monetam Principis,quamuis talem monetam in vsum aliquem non erogauerit, nec illam expenderit, sed ex sola falsificatione incurrit dictam pœnam, Abb. in c. Quanto num. 4.& 5. de Iureiur. ergo idem est asserendum propter eandem, vel maiorem rationem de falsario Rescripti Papæ. Quæ vero contra allata sunt, locum habent in eo,qui falsificat Instrumentum, vel aliam scripturam,qui non est puniendus pœna ordinaria propter crimen falsitatis, si non sit vsus scriptura sic immutata, neque illam in alterius iacturam adduxerit, secus est de falsificante literas Apostolicas, hoc enim scelus ratione sui, secluso omni vsu, dignum est pœna Iuris. Et ad id facit,quod tradit Bal. in l. si falsos C. ad leg. Corneliam de fal. nempe ex fabricatione falsi ineuitabiliter falsarium teneri de falso, neque considerari debere, quod nemini damnum dederit, quia sufficit potuisse damnũ inferre,licet non dederit.

Secundo posset quis quærere, postquam vere falsarius dicendus est ille, & dignus pœna mortis, qui corrigit,& mutat literas Apostolicas, committendo in eis vitium falsitatis, quamuis illis non vtatur, neque alicui damnum afferat, an id sit verum vniuersaliter in quocunque casu, etiamsi falsatio sit leuis, & modica sine sensus mutatione,& mentis Summi Pontificis.

Respondeo hanc conclusionem veram esse in omni casu iuxta ea, quæ dixi de pœna excommunicationis in capite 2. Vbi pluribus probatum est, quod apponens manum in literis Apostolicis etiam in loco non suspecto in syllaba, vel puncto est falsarius secundum Innocentium in capit. Ex literis de fid. Instrumen. & alios Doctores ibi citatos, & est puniendus pœna legis,quia multatur ipsa temeritas,& præsumptio corrigendi literas Papæ. Non nego tamen, si falsatio esset valde leuis ex tenuitate materiæ commissa sine dolo, & damno alterius, & falsarius non esset vsus dictis literis, quod tunc temporis æquitati consentaneum videretur, si Iudex minueret rigorem pœnæ corporalis impositæ à lege, illamque commutaret in pęnam arbitrariam, quia cessarent illæ tres conditiones, quæ in falsario potissimum considerantur, nempe mutatio veritatis, Dolus, & alterius iactura. Sed alia ratio est de censura excommunicationis, vt probaui in dicto cap. 2.

Petet tertio quis,an eandem Iuris pęnam incurrat ille,qui vtitur literis Apostolicis per alium falsitatis, & deprauatis, si ipse non fuit particeps illius criminis.

Respondeo huiusmodi sic vtentem literis falsis, quas scit esse falsas, eidem pęnæ obnoxium manere, quamuis ipse non sit cooperatus ad dictam falsitatem, vt dicitur in dicto capitulo Ad falsariorum, quod si probabiliter ignorauit falsitatem, ignorantia excusabit illum in foro interiori, vt dixi in capitulo quinto. Sed non præsumitur ignorans in foro exteriori. Verum si voluerit se purgare allegans ignorantiam,est audiendus, quare si se purgauerit,& delinquentem exhibuerit, pœnam euitabit,vt inquit Archid. in cap. In memoriam distin. 19. & ibi Turrecrem. in §. ad quartum.

Xx 1 Ad hunc

Ad hunc modum falsarius literarum Apostolicarum peculiariter ab ipso Iure punitur. Quæ verò pœnæ impositæ sint contra committentes falsitatem in aliis scripturis; Vt in instrumentis; in priuata scriptura, aut in aliis rebus, vt in Sigillis; in moneta; in ponderibus, & in aliis rerum generibus, non pertinet ad hunc locum discurrere, & alienum est ab explica-
A tione huius Canonis. Tractant Gofred. in Sum. in tit. De Crim. Fal. nu. 2.3.& 6. Host. in Sum. eod. tit. §. Ee qualiter, Turre Crem. in cap. In memoriam dist. 19. Bernar. Diaz cap. 117. §. Traduntur puniendi Vers. Sed an puniatur, Matt. Afflict. decis. 404. & alij. Adde quæ notantur in l. penul. C. De Fal. & Bart. in l. Si quis ff. eod. tit.

EXCOMMVNICATIO SEPTIMA.

ITEM EXCOMMVNICAMVS OMNES ILLOS, QVI AD SARACENOS, TVRCAS &c.

DISPVTATIO OCTAVA,

DE EXCOMMVNICATIONE ADVERSVS Dantes auxilium Infidelibus contra Christianos.



HAEC excommunicatio lata est ad finem tuendę fidei Catholicæ, & Religionis Christianæ; Quod spectat ad munus pastorale Summi Pontificis, cui tanquàm Christi Vicario, & totius Christianæ Reipub. Capiti omnium Christianorum cura, & defensio commissa est. Et quoniam nonnulli Christiani sæua auaritiæ cupiditate ducti arma, ferrum, & similia Saraçenis ad Christianos impugnandum subministrare non verentur, & miserabiliter degenerantes à Fidelium statu, propriæ salutis obliti Christi Crucis fauent inimicis, vt dicitur in Extrauag. Commu. in prim. De Iudæ. necesse fuit, vt Ecclesia nefarium hoc scelus excommunicationis gladio coerceret, & temerario ausu talia præsumentes grauissimis censuris, & pœnis compesceret, vt in cap. Ità quorundam De Iudæ. & in alijs locis, de quibus inferius dicam. Et tandem hæc excommunicatio apponeretur in processu Coenæ Domini.

Hæc septima excommunicatio pronunciatur contra eos, qui triplex genus auxilij præstant Infidelibus Ecclesiæ Hostibus, & inimicis; nec non Hæreticis in perniciem Christianorum, atque damnum Catholicorum. Quare materia huius Canonis in genere est opem ferre Inimicis Crucis Christi contra Christianam Religionem triplici actione principali. Prima actio prohibita est Deferre, vel transmittere ad dictos Infideles, aut Hæreticos arma, vel alia omnia, quibus vti possint ad impugnandos Catholicos, aut illorum materiam. Et vt clarius, & distinctius pateret, quæ deferri, vel transmitti prohiberentur, singula separatim numerantur, scilicet *Equi, Arma, Ferrum, Filum,*
B *Ferri, &c.* Secunda actio principalis est ipsos Turcas, & Christianę Religionis inimicos, seu Hęreticos per se, vel per Nuncios de rebus statũ Christianæ Reipub. concernentibus in Christianorum perniciem, & damnum certiores facere; Et hæc actio exprimitur illis verbis: *Nec non illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christiana Reipub concernentibus &c.* Tertia actio principalis est eisdem Infidelibus, & Hęreticis ad eundem finem, nempè in perniciem, & damnum Christianæ Religionis consilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet præstare, & habetur ibi: *Illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant.* Et hæ duæ posteriores actiones additæ sunt in Bulla à Summis Pontificibus, qui successere post
C Paulum Tertium. Tandem in fine reuocantur omnia priuilegia, si quæ à Sede Apostolica Principibus, aut rebus publicis hactenus concessa fuerunt, in quibus huius prohibitionis mentio expressa non habetur.

In hoc Canone habetur illa clausula *vel Hæreticos per nostras, siue huius S. Sedis sententias expresse, vel nominatim declaratos deferunt*, quæ non legitur in alijs Bullis ante Sixtum V. Sed fuit primum apposita ab ipso Sixto. Quæ clausula similiter repetitur in prohibitione secundæ actionis, ibi, *Ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon Hæreticos &c.* Vnde Nauar. in Manua. cap. 27. n. 63. Vers. Sexta explicans Bullam Gregorij XIII. in qua hæc clausula non ade-
D rat, animaduertit his verbis, scilicet *Ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos* non includi Hæreticos. Idem confirmat Cardinalis Toletus lib. 1. Instruct. Sacerdo cap. 23. Vers. Aliud dubium est, an qui deferunt hæc arma &c. dicens, quod idcirco addita fuit à Sixto V. hæc clausula de Hæreticis, quoniam, antequam apponeretur, non comprehendebantur Hæretici, & sapientissimè visum fuie Sixto V. necessarium esse, vt hæc Constitutio complecteretur Hæreticos, qui non minus Ecclesiæ Catholicæ inimici, & Christianæ Reipublicæ infensi existunt, quàm sint Saraceni. Et quamuis fortassè sub illa clausula *Et Christianę Religionis inimicos*, comprehendi possint Hære-

Hæretici, tamen ad dirimendam omnem ambiguitatem tutius fuit illos exprimere.

Similiter in hoc Canone variata est illa particula *Et ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus &c.* Dictio illa *Aliaq. huiusmodi* fuit apposita per Paulum III. cuius loco in antiquioribus Bullis legebatur *Et alia prohibita* quæ clausula occasionem offerebat dubitandi, vt videbimus suo loco.

Demum in hoc Canone additur *Qui certiores faciunt Christianæ Religionis inimicos, nec non Hæreticos in damnum Catholicæ Religionis.* Quæ particula similiter post Paulum Tertium fuit adiecta.

Caput Primum, Quos voluerit comprehendere Summus Pont. illis verbis positis initio Canonis Omnes illos, qui &c. *Et cur Ecclesia acriter puniat, qui adiuuant Infideles.*

Caput Secundum, De explicatione illorum verborum Ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel Hæreticos per nostras, siue huius Sanctę Sedis sententias expressè, vel nominatim declaratos, *nempe quæ genera hominum hac clausula significantur.*

Caput Tertium, Qui dicantur deferre, seu transmittere ad Saracenos, & alios, de quibus tractatum est superiori capite, prohibita in hoc Canone significari illis verbis Deferunt, aut transmittunt.

Caput Quartum, An sub his vocibus, Deferunt, aut transmittunt *significentur illi, qui deferunt prohibita ad Infideles, sed poenitentia ducti eis minime tradunt.*

Caput Quintum proponuntur casus, de quibus dubitari potest, an ex velatione rerum prohibitarum ad Infideles incurratur hæc excommunicatio.

Caput Sextum, de rebus, quę prohibentur deferri, seu transmitti ad Infideles Christiani nominis hostes

Caput Septimum, de rebus in specie, quæ prohibentur deferri contentis sub illa clausula equos, arma, ferrũ, filum ferri, stamnum, chalybem, omniaque alia metallorũ genera, atq; bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes tam ex ipso canape, quam ex alia quacunque materia, & ipsam materiam.

Caput Octauum, Quibus in locis lata sit excommunicatio contra Deferentes prohibita ad hostes Christiani nominis, & quo pacto differant, & conueniant inter se et cum hoc Canone, & vtrum præter excommunicationem alia pœna, & quæ contra eosdem deferentes imposita sint.

Caput Nonum, In quo explicantur verba illa, Nec non illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipub. concernentibus in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas & Christianæ Religionis inimicos, *nec non Hæreticos in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt.*

Caput Decimum, Illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant, *vbi tractatur difficultas an Christiani à Turcis capti & remigio mancipati peccent & excommunicationem incurrant cum ipsi remigant in bello contra Christianos.*

Caput Vndecimum, super extrema particula Canonis, Non obstantibus quibuscunque priuilegijs quibusuis personis, Principibus, Rebus publicis per nos & Sedem prædictam hactenus concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

CAPVT I.

Quos voluerit comprehendere Summus Pontifex illis verbis positis initio Canonis Omnes illos, qui &c. *Et cur Ecclesia acriter puniat qui adiuuant Infideles.*

Absque vlla controuersia asserendum esse videtur prohibitionem huius Canonis complecti generaliter omnes Christianos tam Clericos, quam laicos cuiusque conditionis, status, dignitatis, & præeminentiæ existant sine vlla distinctionem. Idque clare ex pluribus patet.

Primo quoniam dictio illa *Omnes* est vniuersalis, comprehendit singulos, & nullum excludit, l. Textoribus, & l. Iulianus ff. de lega. 3. cap. Si Romanorum dist. 19. ibi *Dicendo vero omnia decretalia constituta, nullum de decretalibus constitutis prætermisit, quod non mandauerit esse custodiendum. Et rursus asserendo omnium Decessorum nostrorum, nullum Pontificum Romanorum, qui ante se fuerunt, excepit.* Vbi Glo. Ver. Dicendo, notat, quod verbu generali omnia debẽt comprehendi. Idem probat Glo. in cap. Vt circa Ver. Aliorum de elect. lib. 6. & pluribus confirmat Couar. lib. 1. Variarum Resol. cap. 13. Tandem hoc idem comprobari potest Apostoli Pauli testimonio, quod cætera omnia longe superat, qui declarans verba illa Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius* sic ait in cap. 2. Epistolæ ad Hebræ. *In eo enim, quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei.*

Secundo quoniam Constitutio generalis, vel præceptum continens excommunicationem obligat omnes sine vlla exclusione, cuiusque dignitatis, & ordinis fuerint, & nullum extat Iuris priuilegium, quo excipiantur à generali Constitutione continente excõmunicationem personæ eminentiores, siue Ecclesiasticæ, vt Episcopi, Archiepiscopi, & superiores Prælati, siue laicales, vt Duces, Reges, & Imperator, vt probaui in cap. 5. Disp. 10 lib. 3. Quamuis fortasse alia ratio sit de suspensione, & Interdicto ex tex. in c. Quia periculosum de sent. excom. lib. 6. de qua difficultate tractaui in dicto cap. 5.

Tertio ad idem confirmandum facit extrauag. Io. 22. copiosus de Iudæ. Vbi Ioannes Summus Pontifex prohibet, ne arma, & alia prohibita deferantur ad Saracenos Regni Granatæ sub censura excommunicationis, & alijs pœnis latis in cap. Ita quorundam de Iudæ. & cap. Ad liberandam eod. tit. in Antiq. contra deferentes eadem prohibita in Alexandriam, vel ad Aegypti partes, & in dicta extrauag. omnes includuntur cuiusque ordinis, & dignitatis sine vlla exceptione, ergo eodem modo est intelligendus hic Canon Bullæ, verba extrauag. sunt *Vniuersis, & singulis, cuiusque conditionis, praeminentiæ, vel status existant, districtius inhibemus, ne arma, equos &c.*

Quarto idem probari potest ex fine huius prohibitionis, propositũ enim Summi Pontificis est hac Constitutione diminuere vires Saracenorum, & fidelibus opem ferre, vt minus offendantur ab ijsdem Saracenis, si illi arma, equos, ferrum, aliaq; ad bellum necessaria subsidia à Christianis recipere desierint, sed hæc prohibita facilius, & copiosius Saracenis subministrari possunt à Principibus, quàm priuatis personis, maiusque eisdem auxilium, fauoremque ad impugnandam fidem Christi Homo gradu, & dignitate eminentior, quàm subditus, & Inferior præstare potest. Quamobrem fateri cogimur excommunicationem

cationem

cationem huius Canonis non minus Principes, quàm priuatos homines, si illam transgrediantur, incurrere.

Confirmatur. quoniam quantò Princeps excellentioris dignitatis gradu, & auctoritatis sublimioris præminentia est decoratus, tantò magis ad ipsum spectat defensio fidei Catholicæ, & impugnatio inimicorum Crucis Christi. Et propterea præ cæteris ab ijs abstinere debet, à quibus alios cohibere tenetur, vt inquit Glo. in dicta extrauag. Copiosus Io. 22. Ver. præminentia arg. l. Altius. ff. si ser. vendicetur, Glo. in cap. vni. Ver. A qua tueri de Na. ex lib. ven. Itaq. hæc Constitutio est vniuersalis, & extenditur ad omnes Christianos, & inquit Caiet. in Summa Ver. excommunicatio cap. 20. in fi. quod Nauar. quoque testatur in Comment. in cap. Itá quorundam notab. 8. num. 8. de Iudæ.

Et meritò Ecclesia acriter in omnes Christianos, qui Saracenis perfidis fauere præsumunt, excommunicationis censura, alijsque pœnis animaduertendum esse duxit, quoniam, vt inquit Alexander iij. in cap. Itá quorundam de Iude. qui Saracenos adiuuant contra Christianos, pares, aut etiam superiores in malitia fiunt illis. Ex quibus verbis infert Nauar. in dicto cap. Itá quorundam notab. 9 num. 1. magis peccare Christianos, qui arma Saracenis subministrant, quàm ipsos Saracenos, qui Christianos impugnant; Quamuis regulariter qui facit delictum, grauioris culpæ sit reus, & maiori pœna dignus, quàm qui opem ferendo adiuuat, vt notat Glo. 1. in cap. 1. de off. deleg. Secus tamen accidit aliquando ratione alicuius qualitatis in iuuante existentis, non autem in faciente, cuius gratia delictum iuuantis augetur, E. G. si filius Francisci adiuuet Sicarium consulendo, consentiendo, aut fauendo, vt necem inferat Francisco Patri, vtique maius crimen committet, licèt tantùm sit adiutor ad interitum Patris, quàm ipse Sicarius, qui occidit, quoniam hic simplex homicidium committet; Ille verò Parricidium. Hoc idem contingit in proposito; Nam cum Christianus subministrat aliquid ex prohibitis Saracenis ad bellum contra Christianos, qualitas illa Baptismi, & nominis Christiani plurimum hoc delictum aggrauat; Efficit enim, vt inquit Nauar. vt dicatur pugnare contra Christum, qui Christianorum omnium est caput iuxta illud Apostoli Pauli in Epistola ad Ephes. cap. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*, vt probat B. Tho. 3. par. q. 8. art. 1. Similiter contra Ecclesiam, quæ Mater est omnium fidelium. Et idcirco sanctissimè Summi Pontifices, & Censuris Ecclesiasticis, & alijs seuerissimis pœnis hoc scelus plectendum esse statuerunt, quod antea non leuiter lege ciuili ab Imperatore damnatum fuisse legimus l. nemo, C. quæ res export. non debeant his verbis, *Nemo alienigenis Barbaris cuiuscunque gentis ad hanc Vrbem sacratissimam sub legationis specie, vel sub quocunq. alio colore venientibus, aut in alijs diuersis Ciuitatibus, vel locis loricas, scuta, & arcus, sagittas, & spatas, & gladios, vel alterius cuiusque generis armorum audeat venundare; Nulla prorsus ijsdē tela, nihil penitus ferri, vel facti iam, vel adhuc infecti ab aliquo abstrahatur; Perniciosum namque Romano Imperio, & proditioni proximum est Barbaros, quos indigere conuenit, telis eos, vt validiores reddantur, instruere, Si quis autem aliquod armorum genus &c.*

Sed meritò dubitari potest; An Christiani commorantes in terris Turcarum, si arma fabricent, illaque eis vendant, incidant in excommunicationem huius Canonis.

Responderi potest tales Christianos viuentes in terris Turcarum nō obstringi excommunicatione huius Canonis, si vendant arma Turcis, & id persuaderi potest his rationibus. Primò quoniam hic Canon Bullæ prohibens delationem armorum ad Infideles, & aliæ similes constitutiones, quæ habentur in cap. Itá quorundam de Iudæ. & alijs in locis sub eadem pœna excommunicationis non comprehendunt Christianos subditos Turcarum, quod paret tùm ex verbis, quibus vtuntur, scilicet deferre, transmittere, portare; His enim significatur subministratio armorum ab extraneis, & aduenis proueniens, ergo non includuntur Christiani incolæ in terris Turcarum; Isti enim non deferunt, nec transmittunt, nec portant, quare cum istis non aptentur verba huius Canonis, minus debet accommodari dispositio cap. cum cessante de appellationibus.

Secundò idem confirmatur ex mente Summi Pontificis, neque enim verisimile est Papam voluisse prohibere, vt Christiani viuentes in terris Turcarum non possent vendere arma, equos, & alia prohibita Turcis eo fine, vt ad licitos vsus illis vterentur, præsertim quod etiamsi illa non venderent, possent Infideles ad libitum, quando eis videretur è manibus ipsorum auferre.

Tertiò quoniam nullo Iure naturali, diuino, vel humano vetitum est, vt Christiani non possint arma fabricare habitantes in terris Turcarum, & illa vendere, & quod nullo Iure prohibetur, non ex peccatum, vt refert Glo. ex B. Augustino cap. ille Rex de pœnit. dist. 3. & tradit B. Tho. 1. 2. q. 21. art. 6. & declarat Nauar. in Manua. Prælud. 7. num. 5. Quamobrem non est interdictum his Christianis subditis in terris Turcarum vendere illis arma, non quidem ea intentione, vt bellum gerant contra Christianos, sed ad alios licitos vsus; Et prohibitio huius Canonis, & aliæ similes contentę in corpore Iuris non extenduntur ad subditos Infidelium, sed ad Principes Christianos, & ad eorum subditos, vt ex verbis manifestè apparet.

CAPVT II.

De explicatione illorum verborum, Ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel Hæreticos per nostras, siue huius S. Sedis sententias expressè, vel nominatim declaratos; Nempè quæ genera hominum hac clausula significentur.

POstquam demōstratum est superiori Capite Summum Pontificem in hoc Canone excommunicationis sententiam ferre in omnes Christianos cuiusq. conditionis, & ordinis absque vlla exceptione, qui arma, & alia prohibita deferunt ad Infideles; Modo inquirendum est de generibus horum Infideliū, ad quos rerū, quæ in Canone enumerāntur, delatio prohibetur.

Tres dictiones legimus in Canone, quibus, tres distinctæ sectæ hominum denotantur, scilicet Saraceni, Turcæ, & Hæretici; Et præterea habetur clausula generalis, *Et alios Christiani nominis hostes, & inimicos*. Singula verba sunt sigillatim declaranda, vt intelligamus, quæ genera hominum includant, & quàm latè pateant.

Primò videndum est, quo pacto in Iure Canonico Saracenorum nomen accipiatur in toto titulo de Iudæ. & Saracenis. Ad quam difficultatem respondendum est nomen Saracenorum, & esse gentis, & esse etiam impiæ, & nefariæ sectæ. Porrò in iure Canonico non priori, sed posteriori modo accipitur teste Iosepho

sepho lib. 1. Antiqui. cap. 20. quem postea sequuti sunt Eusebius, Hieronymus, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, & Nicephorus, quos citat in hanc rem Couar. lib. 4. cap. 9. variar. resol. Agareni se Saracenos nominarunt ad ignominiam declinandam, & contemptum fugiendum. Nam cum genus ducerent ab Ismaele Abrahæ filio ex Agar ancilla suscepto, mendaciter finxerunt se è Sarra originem traxisse. Iidem igitur sunt Saraceni, quando est nomen gentis, qui Arabes Agareni Ismaelitę; Verius tamen videtur, quod scripsit Stephanus auctor Græcus lib. de Vrbibus Saracenos esse Populos, post Nabathæos in Arabia tales dictos à Saraca Vrbe Arabiæ. Nam si à Sarra Abrahę vxore dicerentur, potius Sarani, quàm Saraceni vocarentur; Et Ammianus Marcellinus lib. 23. tradit in Asia esse Albanos, Mare rubrum, Scenitas, Arabas, quos, inquit, Saracenos posteritas appellauit. Ex hac Saracenorum gente, vt scribit Paulus Aemilius lib. 7. Host. Francorum, delecta militum manus sub Heraclio Imperatore Christiano militabat, quando ille Regem Persarum Cosroam Paganum vicit, & cepit, qui cum promissum stipendium non accepissent, ad Heraclio, & Romano Imperio defecerunt, & Damascum occuparūt; Et deinde aucto exercitu Aegyptum sunt ingressi; Vbi Mohumetti falsi Prophetæ præceptis, & institutis sunt imbuti. Deinde Persas bello deuicere; Vnde factum est, vt nomen gentis in nomen sectæ Mahumettanæ transierit; Et in hac significatione accipiuntur Saraceni in hoc Canone Bullæ, & in ijs locis Iuris communis, in quibus eadem excommunicatio fertur contra deferentes arma ad illos. Quare nomine Saracenorum significantur omnes illi, qui impiæ, & nefariæ Mohumetti sectæ, atque perfidiæ inhærent, siue sint Turcæ, siue Tartari, siue Persæ, siue Arabes, siue Aegyptij, Africani, & Mauri, qui Christianos impugnant; Et intelliguntur non solùm illi Saraceni, qui actu Christianos impugnant, & Ecclesiæ bona occupant, sed etiam qui habitu, idest qui oblata occasione eos impugnarent, si possent, odio Christianæ Religionis, Nauar. in cap. Ità quorundam notab. 4. num. 7. de Iudæ.

Ex dictis patet, quos voluerit intelligere Summus Pontifex nomine Turcarum, eos scilicet, qui colunt eandem sectam Mohumetti, vt sunt Populi Scythiæ, de quibus agit Plinius lib. 6. cap. 7. Mela sub fi. lib. 1. Ptolo. & Herod. lib. 4. & ij originem duxerunt, & nomen à Togarma, de quo Gen. 10. & appellantur etiam in scripturis Magog; Nam Magog. Hebræis est Scythia, quibus dominatur Ottomanus Tirannus. Quare Summus Pontifex vsurpauit vocem Saracenorum, & Turcarum ad significandas omnes gentes, quæ adhærent sectæ Mahumettanæ, & inimici sunt Christianorum, & nunquàm cessant cogitare, quibus modis Christi Ecclesiæ nocere valcant, quæ iuxta communem vsum solent appellari Saraceni, aut Turcæ Vnde multorum veterum, & recentiorum iudicio nomine Gog. & Magog. in scripturis Saraceni, & Turcæ significantur. Sed alij sunt Saraceni Arabes; Alij Saraceni Turcæ, & Tartari, Mauri, Aegyptij, Persæ, & alij alijs nominibus nuncupati. Omnes tamen sunt sectatores Mohumettanæ sectæ; Quare vtroque nomine vsus est Papa, vt sine vlla ambiguitate omnes supradictos comprehenderet.

Nauar. in dicto notab. 4. num. 10. censet nomine Saracenorum includi etiam fautores Saracenorum, qui aduersus Christianos pugnant, & profitentur se inimicos Christi nomini, quamuis nihil, quod ad Ecclesiam Catholicam pertineat, occupauerint. Quare qui arma, & alia prohibita huiusmodi fautoribus subministrant, incidunt in excommunicationem huius Canonis; Quia excommunicantur omnes deferentes arma ad eos, qui pugnant contra Christum, & Populum Christianum ex odio concepto contra nomē Christianum, etiamsi non intendant occupare bona Christianorum. Et huius generis sunt Populi Indiarum, vt inquit Nauar. vbi supra, & illi, qui degunt in Insulis Indici, & Persici Maris.

Quæri potest; An hæc excommunicatio complectatur eos, qui deferunt arma ad Iudæos.

Respondeo ad hanc dubitationem. & primò dico certum esse nomine Saracenorum non debere intelligi Iudæos, vt patet ex communi more loquendi, & idcirco Christianos arma deferentes ad Iudæos non esse illa excommunicatione affectos, quæ Iure communi habetur.

Dico secundo excommunicationem huius Canonis comprehendere etiam Christianos, qui ad Iudæos arma deferunt virtute illius clausulæ, quæ additur post mentionem factam de Saracenis, & Turcis, scilicet, *Et alios Christiani nominis hostes, & inimicos*. Iudæi autem sunt Christiani nominis inimici, & ità sentit Nauar. in cap. Ità quorundam notab. 4. num. 17. Immò si potentia prauæ eorum voluntati, quam in Christianos habent, responderet, magis essent nobis infensi, quàm sint Turcæ, & Saraceni.

Secundò quæritur; An nomine Saracenorum, & Turcarum comprehendantur Apostatæ à fide, illi scilicet, qui Catholica Religione, cui erant ascripti, relicta, secta Mohumettanæ, vel Iudaicæ perfidiæ turpiter adhæserunt.

Dicendum est Christianum deferentē arma ad hos Apostatas censura huius excommunicationis innodari, quoniam prædicti Apostatæ sunt Saraceni, aut Iudæi, si ad horum, vel illorum sectam cōfugerunt accepto nomine Saracenorum, aut Iudæorum pro secta, non pro gente. Et quamuis tales actu nō impugnēt Christianos, tamen habiti sunt Christianorum inimici, & possunt illis bellum inferre, & eorum pacem perturbare, vel saltem adiuuare alios Saracenos, & sua opera, & industria illis fauere aduersus Christianos. Hoc quoque affirmat Nauar. vbi supra num. 11.

Tertiò quæritur; An incidant in excommunicationem huius Canonis, qui tradunt arma Saracenis habitantibus in terris Christianorum.

Nauar in dicto notab. 4. num. 14. asserit non incidere, quia cessat ratio præcipua huius Constitutionis, & consequenter cessat prohibitio cap. suggestum, & cap. meminimus de appell. l. adigere. §. quamuis. ff. de iur. patro. cessare verò rationem huius prohibitionis ea en manifestè apparet, quoniam tales Saraceni degentes in terris Christianorum non occupant res Christianorum, neque impugnant eos actu, neq. habitu, quod requiritur ad incurrendam hanc excommunicationem. Et hoc dictum verum est regulariter. Aliquādo verò posset incurri excommunicatio ex hoc actu, si probabiliter præsumeretur, quod dicti Saraceni acciperent arma, vt ea deferent, vel transmitterent ad. alios Saracenos extra ditionem, & imperium Christianorum habitantes, qui actu, vel habitu possent dictis armis in perniciem Christianorum vti. Ille dicitur habitu impugnare Christianos, qui eo animo est, vt quamprimū nacta opportunitate paratus sit eos impugnare absque alia iusta causa, quàm quia sunt alterius Religionis. Quare neque quilibet metus inanis

nis ad id iudicandum sufficere debet, neque certitudo A belli mouendi est necessaria; Probabiliter dubitari posset, nè vterentur armis in Christianos in casu, quo Saraceni accipientes arma habitarent in terris Christianorum vicinis Prouincijs Saracenorum, secus si longè distarent. Vnde non esset excommunicatus Christianus vendens ensem alicui Saraceno, vel Turcæ, qui seruus esset Christiani.

Quartò quæritur; An nomine Saracenorum intelligantur illi Saraceni, qui impugnant alios Saracenos bellum gerentes cum Christianis.

Respondet Nauar. num. 15. eiusd. notab. 4. in hoc casu non habere locum excommunicationem huius Canonis; Quare si quis traderet arma, vel alia instrumenta ad bellum necessaria Saracenis pugnantibus B contra alios Saracenos inimicos, & hostes Christianæ Religionis non obstringeretur excommunicatione. Et ratio est, quia tales Saraceni, quibus arma traduntur, licèt quatenus Saraceni sint inimici Christianorum, & bona illorum occupent iniustè, tamen cum tales adiuuent Christianos contra alios Infideles, à quibus actu impugnantur, hac ratione non possunt appellari inimici Christianorum, sed potius amici. Animaduertendum tamen est semper, quando Christianus Princeps iungit sibi Saracenos, vt eorum auxilio vtatur contra alios aduersarios nominis Christi, nè ea tradat Saracenis, quæ bello absoluto possint illis vsui esse contra ipsos Christianos, & quæ arma ad bellum illis subministrauit, debet, si potest, bello absoluto ab C ipsis auferre.

Quintò quæritur; An comprehendantur illi Saraceni, qui pacem habent cum Christianis, & nullum vnquàm bellum indixerunt Christianis, quales, vt inquit Nauar. num. 16. sunt aliqui populi propriè terras Indiæ Lusitano Regno subditi, qui nunquàm neque ex causa Religionis, neque ex alia causa Christianis molestiam vllam intulerunt.

Respondet Nau. in hoc casu excommunicationem non habere locum ob eandem rationem proximè allatam, quoniam licèt sint Saraceni, & Mohumetticam sectam sequantur, non impugnant tamen actu Christianos, vel habitu, neque res illorum occupant.

Ex dictis igitur patet, qui nomine Saracenorum, D & Turcarum in hoc Canone intelligantur; Pergamus ad alia genera personarum, quæ prohibentur; Itaque tertio loco additur hæc clausula, *Et alios Christi nominis hostes, & inimicos*. Quibus verbis voluit summus Pontifex denotare alios Infideles, qui Mohumetticæ perfidiæ sectatores non sunt, & ideo non possunt vocari Saraceni, quatenus est nomen sectæ, sed sunt Pagani, & Ethnici, qui colunt idola, & plures Deos, sed non intelliguntur omnes Pagani, verùm illi soli, qui Christianos odio habent ratione nominis Christiani, & sunt parati illis bellum inferre, quando possunt. Alij verò Pagani, qui nunquàm fuerunt Christianis molestis, & inuicem benignè, & humaniter se gerunt, sub E hoc Canone non comprehenduntur.

Postremò comprehenduntur sub eadem prohibitione Hæretici his verbis, *Vel Hæreticos per nostras, siue huius sanctæ Sedis sententias expressè, vel nominatim declaratos*. Quæ clausula primùm à Sixto V. apposita fuit, vt supra notaui, cuius vi interdictum est sub eadem censura excommunicationis, nè ad Hæreticos arma, & alia in hoc Canone vetita deferantur. Quæ prohibitio non extenditur ad omnes Hæreticos, sed ad illos tantùm, qui per sententiam Papę *Nominatim* scilicet per explicationem proprii nominis, *Vel expressè*, idest expresso officio, dignitate, vel alijs appositis conditionibus, quæ æquipolleant nomini proprio declarati fuerunt Hæretici. Et idem dicendum est de schismaticis, qui sunt plusquàm Hæretici.

Ex quibus infertur primò non comprehendi his verbis illos Hæreticos, qui declarati sunt tales per sententiam Episcopi, vel alterius Prælati, aut Iudicis, quoniam hic Canon specificè loquitur de Hæreticis per sententiam Papæ, siue Sedis Apostolicæ denunciatis.

Sed quæret aliquis, an illi soli intelligantur in hoc Canone Hæretici declarati per Papam, siue per sedem Apostolicam, qui immediatè ab ipso Papa per sententiam sunt denunciati Hæretici, vel potius omnes, qui vel immediatè à Papa, vel ab Officialibus, aut Delegatis eius, vel subdelegatis intra Curiam Romanam, vel vbi Papa residet, per sententiam declarantur Hæretici.

Respondeo hoc in loco per sententiam latam à sede Apostolica significari sententias pronunciatas per ipsum Papam, aut Officiales, seu Delegatos, vel subdelegatos Papæ in Curia, vel vbi Papa residet, quibus expressè, aut nominatim declarantur aliqui Hæretici, & omnibus huiusmodi Hæreticis prohibetur sub pœna excommunicationis in hoc Canone, nè tradantur arma, & alia prohibita; Quicunque enim declarantur Hæretici per Officiales Papæ, dicuntur declarari à Papa, quoniam Officiales, & Delegati Papæ potestatem habent ab ipso Papa, & quidquid agunt, eius iurisdictione, & potestate faciunt. Dixi per sententias latas ab Officialibus Papæ in Curia, vel vbi Papa residet, vt comprehendam sententias latas in Curia, etiamsi Papa alibi resideat, & è contra vt includam sententias latas, vbi Papa esset, etiamsi Curia ibi non adesset quoniam semper vbi Papa est, vbi est Curia, vt in Clem. Nè Romani. §. sanè Vers. Eo tamen adiecto de elect. ibi, *Eo tamen adiecto, quod si in certo loco causarum, & litterarum Apostolicarum audientia remanente Papam alibi mori contingat &c.* Quibus verbis videtur significari sedem Apostolicam esse & in loco, vbi Papa residet, & in loco, vbi Curia remanet. Quamobrem si in hoc Canone comprehenduntur omnes Hæretici declarati per sententiam sedis Apostolicæ, ergo intelliguntur tàm illi, qui promulgantur tales per sententias latas in Curia, quàm illi, qui declarantur hæretici per sententias latas in loco, vbi residet Papa, etiamsi ibi non maneat Curia. Non erunt autem inclusi illi, qui declarati sunt hæretici nominatim per sententias latas extra Curiam, vel in loco, vbi non residet Papa, etiamsi pronunciatæ sint auctoritate Papę, & sedis Apostolicę; Vt si aliqui declarati sint hæretici per Legatum Papæ, aut Nuncium, vel Inquisitorem, vel alios Delegatos, & Commissarios Apostolicos. Sententiæ enim ab his pronunciatæ non dicuntur latæ à sede Apostolica; Vnde in Clem. 1. de sequestr. poss. & fruct. tribuitur quid speciale sententię latę apud sedem Apostolicam super beneficio in petitorio, aut possessorio contra possessorem, qui trienniò non possedit, quod non competit alijs sententijs latis extra Curiam per ordinarios, aut Delegatos, vt ibi notat Glo. Ver. Duntaxat, sicut etiam beneficia vacantia in manibus Legatorum non dicuntur vacare apud sedem Apostolicam. Idcirco quæ vacant apud sedem Apostolicam, à solo Romano Pontifice conferri possunt. Alia pertinēt ad eorum Collatores cap. 2. de prǽb. lib. 6. ex quibus colligitur non incurrere excommunicationem huius Canonis, qui tradunt arma, & alia prohibita hæreticis declaratis per sententias ab Ordina-

rijs extra Curiam Romanam, quoniam expressè prohibetur traditio facta Hæreticis declaratis per sententiam Papæ, aut Sedis Apostolicæ. A

Postulabit quis; An si talia prohibita deferantur ad subditos alicuius Regis, qui per sententiam Sedis Apostolicæ fuerit expressè declaratus Hæreticus, incurratur excommunicatio huius Canonis.

Respondendum videtur cum distinctione; Si subditi Principis Hæretici, ad quos arma deferuntur, sunt Catholici, & odio habent Principem, atque cuperent (si possent) ab eius Tyrānide se liberare, & propterea occultè quærunt arma, vt quamprimùm occasione oblata illis vtantur in perniciem Principis Hæretici; In hoc casu censeo non esse locum excommunicationi huius Canonis; Tùm quia arma non deferuntur ad B Hæreticos; Tùm etiam fortiori ratione, quia cessat finis huius prohibitionis; Hoc enim modo non augentur vires inimicorum Christianæ Religionis aduersus Christianos, sed potius id fit ad deprimendum Principes Hæreticos, nè subditi Catholici ab eis vexētur, sed ab eorum Tyrannide liberentur, & nè Catholica Religio impugnetur; Quod si subditi, ad quos deferuntur arma, ipsi quoque sint Hæretici; Vel si sint Catholici, nulla adest spes aliquando futurum fore, vt talia arma cōuertere possint in Principis Caput, sed potius verisimiliter suspicari debet, nè per vim ab illis tollantur, quibus magis Princeps sęuire possit in Catholicos, atque tunc absque dubio fateri debemus deferentes arma ad huiusmodi subditos violare hunc Canonem, & obstrictos remanere censura excommunicationis. C

Quæri etiam potest; An incurrant hanc excommunicationem, qui arma deferrent ad hæreticos notorios, & manifestos, quamuis per sententiam Sedis Apostolicæ non essent nominatim declarati tales.

Respondeo in hoc casu non esse locum huic excommunicationi, quoniam deest cōditio necessaria requisita ad incurrēdam hanc excommunicationem; Nempè vt deferantur arma ad Hæreticos nominatim declaratos per sententiam Sedis Apostolicæ, ergo si deferuntur ad alios hæreticos, non delinquitur contra D hunc Canonem; Quemadmodum non tenemur euitare notorios, & manifestos excommunicatos, quoniam hoc tempore post Concilium Constantiense non oritur hæc obligatio, nisi postquam quis est excommunicatus nominatim, & denunciatus, vt probatum est lib. 1. disp. 6. cap. 1. Regulariter igitur non incurritur excommunicatio ex delatione rerum prohibitarum ad huiusmodi hæreticos notorios, qui non sunt per sententiam Sedis Apostolicæ nominatim promulgati, nisi tales hæretici actu, vel habitu impugnarent Catholicos, sicut explicatum est de Saracenis; Tunc enim incurreretur excommunicatio ex delatione armorum ad illos; Essent enim hostes Christianæ Religionis, & quamuis non includerentur in hoc Canone sub illa di- E ctione *Hæreticos*, continerentur tamē sub illa clausula *Et alios Christiani nominis hostes, & inimicos*, Et id videtur insinuare Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 63. Vers. Sexta quod per aurum, ibi, Per, Turcis &c.

Iam constat ex dictis, quibus sit interdictum deferre arma, & alia prohibita sub pęna excommunicationis in hoc Canone; Transeamus ad alia.

CAPVT III.

Qui dicantur deferre, seu transmittere ad Saracenos, & alios, de quibus tractatum est superiori Capite prohibita in hoc Canone significati illis verbis Deferunt, aut transmittunt.

HAec est prima actio principalis prohibita, scilicet deferre, vel transmittere ad Infideles, & hæreticos arma, & alia prohibita. Dicendum est igitur, quo pacto intelligatur hæc delatio, seu transmissio, & quę sub his vocibus comprehendantur. Hæc duo verba defero, & transmitto habēt varias significationes, & inter alias deferre significat rem, è, loco ad locum asportare; Et in eodem sensu accipitur verbum transmitto. Sed videtur latius patere verbum transmitto, quàm defero, quia dicitur quis transmittere aliquid, siue per se ipsum, siue per alium deferat, sed deferre propriè dicitur, cum per se ipsum rem asportat; Et in hac significatione vtrumque hoc verbum accipi videtur in hoc loco. Quare Summus Pontifex his duobus verbis vult significare omnes, qui per se, vel per alios quocunque modo, & ob quemcunque finem subministrant arma, & alia prohibita Saracenis, & alijs personis enarratis superiori Capite, quibus impugnāt Christianos actu, vel habitu. Neque solùm intelliguntur ij, qui asportant prohibita, sed etiam qui vendūt, permutant; qui quouis modo tradunt. Immò qui maligno animo curant ad Saracenos hæc transferenda, exceptis iis, qui ex tali administratione ob aliquam causam legitimam excusantur à peccato mortali. In primis itaque quacunque intentione quis per se deferat, vel per alium transmittat hæc, incidit in hanc excommunicationem, licèt oppositum senserit Cardinalis Toletus in explicatione huius canonis. §. Aliud dubium, an dicatur &c. Non ea ratione, quia faciens per alium per se ipsum facere videatur, sicut putat Glo. in cap. significauit Ver. Per Nuncios de Iudæ. & ibidem notat Abb. notab. 4. Hæc enim regula habet locum quoad culpam tantùm, quia peccatum imputatur non solùm facienti opus prauum, sed mandanti illud fieri. Sed non est intelligenda illa regula de pœna, præsertim de excommunicatione, vt excommunicatio lata contra facientem afficiat etiam mandātem, nisi ex alio Iure appareat eandem excommunicationem impositam esse contra mandantem, sicut constat de excommunicatione cap. Si quis suadente 17. q. 4. lata contra percutientem Clericum, quæ habet locum etiam in mandante, quia in cap. Mulieres. § illi verò de sent. excom. mandans percuti Clericum excommunicatur, sicut ipse percutiens, vt fusius de hac quæstione pertractaui in lib. 3. disp. 2. cap. 2. Et fundamentum huius dicti, quod pœna legis contra facientē non extenditur ad mandantem, est, quia re vera mandans non facit, & verba in pœnalibus non sunt extendenda, sed accipienda in propria significatione. Et licèt mandans crimen puniri debeat, non incidit tamen ipso facto in pœnam Iuris latam contra facientem. Quod si aliquando Ius puniat facientem personaliter, vt in Clem. 1. de vi. & honest. Clericorum, ibi, *Aut Tabernariorum officium publicè, & personaliter exercentes*, non tamen inde sequitur, quod vbi non apponitur dictio personaliter, faciens per alium incidat in pœnam impositam contra facientem, sed additur, *Personaliter*, ad maiorem declarationem, & expressionem. Hæc igitur ratio Abb. non sufficit ad probandum mittentem per alium prohibita ad Saracenos incurrere excom-

communicationem huius Canonis; Ideo aliæ sunt rationes assignandæ.

Quare dicimus id prouenire tùm quia id statutum est expressè in hoc particulari casu de deferētibus hęc prohibita ad Saracenos in c. Significauit, & ibi Glo. Ver. Per Nuncios de Iudæ. ibi, *Sicut nec illi, qui in personis propriis non euntes merces eis*, scilicet Saracenis, *Per Nuncios destinarunt*, supplendum est, excommunicationis vinculum non euadunt. Similiter in cap. seq. Quod olim illis verbis, *Nos tamen omnes illos excommunicationi supponimus, qui iam amplius cum Saracenis mercimonium habuerint, vel per se, vel per alios &c.* Ergo licèt hic in Bulla expressè non declarentur excommunicati per alios deferentes, tamen id ità intelligēdum esse satis apertè significatur ex locis citatis, in quibus similis excommunicatio fertur contra eosdem deferentes; Tùm quia (si secus dicamus) finis huius Constitutionis, & intentio Pontificis facilè eluderetur; Prohibet enim Papa, nè ad Saracenos talia transmittantur ad minuendas vires horum Infidelium Christiani nominis hostium, vt minus Christianos offendere valeāt. Sed huic incommodo non esset rectè consultum, si sub eisdem pœnis non interdiceretur delatio armorū per ipsummet tradentem, vel per alium. Nam quoad ipsos Saracenos nihil refert, an illa recipiant ab ipsismet Dominis, vel eorum Ministris, & Nuncijs; Vtroque enim modo idem auxiliū consequuntur aduersus Christianos, & est ratio huius Constitutionis. Et ideo in vtroque casu habet locum hæc prohibitio, cap. Cum dilecta de cōfir. vti. vel inut. & l. illud. ff. ad leg. Aquil. Tùm denique quoniam in Canone Summus Pontifex non tantùm excommunicat deferentes (quod verbum fortassè posset accipi pro actione personali) sed ad tollendam omnē ambiguitatem addit, *Seu transmittunt*, quod est verbum magis generale, & significat actionem per se, vel per alium factam ergo omnes excommunicantur, qui vel personaliter, vel per alios subministrant hæc prohibita Saracenis. Quamobrem si mercator illa transmittat ad Turcas per mare, tàm ipse, quàm nautæ erunt excommunicati, nisi Dominus nauis ex ignorantia probabili excusatus fuerit, vt inquit Rebuffus in explicatione huius Canonis Ver. deferūt.

Secūdò his duobus verbis, *Deferunt, seu transmittunt*, Summus Pontifex vult comprehēdere omnes vendentes, Donantes, permutantes, & quouis alio titulo subministrantes, quia cum Cōstitutio generaliter loquatur sine expressione alicuius tituli particularis, generaliter est intelligenda, nec est coarctanda ad aliquem peculiarem titulum, cum non sit maior ratio de vno, quàm de alio. Ità sentit Rebuff. in eod. Ver. deferunt, & Nauar. in cap. Ità quorundam notab. 8. num. 18.

Tertiò comprehenduntur his verbis illi etiam, qui permittunt hæc ex suis Terris, Portubus, Ciuitatibus transferri ad Saracenos. Ratio est, quoniam isti subministrant saltem per alios prohibita Saracenis. Et ad id facit extrauag. Multa de Iudæ. Vbi excommunicantur eodem modo deferentes, & permittentes hæc extrahi ex suis Portubus his verbis, *Statuimus, vt nullus arma, equos &c. deferre, mittere, vel portare, seu de Portubus eorum, vt eisdem deferantur, extrahere, vel extrahi permittere.* Ità ait Nauar. eod. notab. num. 20.

Quartò continentur deferentes ad Christianos in terris Saracenorum commorantes, vel negociantes, etiamsi de consensu eorum Principum, & Regum in illis terris negociētur, vt tenet Nauar. in cap. Ità quorundam notab. 4. num. 12. Quia ad Saracenos dicuntur deferre, qui deferunt ad eorum subiectos, ex quibus possunt illa accipere ad libitum; Deinde quoniam qui tradit Christianis mercatoribus, qui sunt vendituri Saracenis, defert ad ipsos Saracenos mediatè, quod prohibetur arg. l. qui sic soluit. ff. de solut.

Sed dubitari potest, an eadem sit ratio de ijs, qui in suis terris vendunt, vel alio titulo arma tradunt Saracenis, vel etiam Christianis mercatoribus, quos certò sciunt ad Saracenos fore delaturos, vel transmissuros. Caiet. in Summa V. excommunicatio cap. 20. in fi. affirmat in hoc Canone vnicam tantùm actionem prohiberi; Nempè deferre, quamuis in cap. Ad liberandum de Iudæ. non tantùm deferre, sed & vendere sit vetitum. Quare Caiet. cohærenter asserere debet eum, qui in casu proposito vendit, & non defert, non incidere in excommunicationem huius Canonis, quia vendere non est deferre. Nauar. in cap. Ità quorundam notab. 10. num. 41. putat vendentes solùm, & non deferentes naues, vel galeas Saracenis non incurrere excommunicationem dicti cap. Ità quorūdam, quoniam ibi excommunicantur, qui deferunt lignamina galearum. Ob eandem rationem idem dicere debet de excommunicatione huius Canonis. Hanc opinionem veriorem censet Cardinalis Toletus in lib. Instruct. Sacerd. lib. 1. in explicatione huius Canonis Ver. Primum dubium, assignat rationem, quia cum ista Constitutio sit pœnalis, verba sunt intelligenda in propria significatione. Vendere autem non est deferre. Oppositam sententiam videtur tueri Silue. excommunicatio 7. §. 64. versi. Et secundo qui deferunt. Vbi loquens de eo, qui ad sui defensionem tantùm defert arma ad terras Infidelium; Deinde occasione pecuniæ vendit illa Saracenis, ait talem excommunicatione obstringi, quia delatio prohibetur gratia venditionis, aut donationis, seu cuiuscunque traditionis; Ergo si deferens est excommunicatus, multò magis vendens excommunicatus erit.

Ego censeo has duas opiniones ad hunc modum conciliari debere; Vt dicamus sententiam Caietani, & aliorum negantium ex sola venditione, seu traditione incurri hanc excommunicationem esse intelligendam in casu, quo vendens arma Saracenis, aut Christianis mercatoribus probabiliter credit huiusmodi arma nō esse deferenda ad Hostes Christianorum; Vel saltem verisimiliter non constat ei de opposito; Aut si dubitet posse deferri, scit tamen nihil vtilitatis ex illis prouenire posse Saracenis; Vel ex paruitate materiæ, vel ex genere armorum, vel ex alia causa, neque illorum occasione euadere validiores, & promptiores ad impugnandum Christianos, quam sine illis essent. Contra verò opinio Siluestri habet locum, quando vēdens certò scit, vel scire tenetur emptorem illa emere, vt deferat ad Saracenos; Tunc enim negari non potest hanc excommunicationem incurri. Primò quia saltem mediatè cooperatur, vt transmittantur hæc prohibita ad Saracenos; Si enim non venderet, non possent transferri, sicut dictum est de ijs, qui permittunt talia extrahi ex suis Portubus. Secundò quoniam (vt inquit Siluester, delatio prohibetur propter traditionem, ergo molto magis prohibita est traditio. Exprimitur autem delatio, quoniam frequentius ità accidit, vt deferantur hæc ad terras Infidelium, & non accipiantur ab ipsis ex terris Christianorum. Tertiò si propter delationem absq. traditione incurritur excommunicatio (vt dicam in sequēti Capite, ergo multò magis locus erit excommunicationi ex venditione etiam non præcedente delatione, vt in casu proposito. Quartò causa cur hæc deferri prohibentur est nè Infi

deles

deles illis Christianos impugnent, sed eodem modo im- A
pugnare possunt, si deferantur ad ipsos, vel accipiant ex terris Christianorum, ergo in vtroque casu incurritur excommunicatio; Vbi enim adest ratio dispositionis, & ipsa dispositio viget cap. Cum dilecta de con fir. vti. vel inuti. l. Illud. ff. Ad leg. Aquiliam.

Quintò continentur etiã, qui subministrãt hæc Saracenis non ea quidē intentione, vt impugnent Christianos, sed ex quacunq. alia causa, quãuis alias sit iusta, & legitima; Quia licèt finis Sũmi Pontificis in Cõstitutione sit minuere vires Infideliũ, nē possint impugnare Christianos, tñ id, quod prohibetur, est, nē deferantur vetita simpliciter, & sine vlla distinctione, & in obseruatione legũ attēdēdũ est id, quod præcipitur, aut prohibetur. Quare si Mercator causa negociationis tãtũ B
hæc ad illos deferat, est excõicatus. Et ad hũc modum intellexit hanc Canonē Nau. in Manua. cap. 27. nu. 63. Vers. Sexta quod per aurũ &c. in fi. Vbi asserit nõ esse necessariũ ad violandã hanc constitutionē, vt deferantur arma malo animo, quia illa verba *Quibus Christianos impugnant* adducuntur potius ad demonstrandum id quod cõiter fieri solet, quàm ad indicandam necessitatem praui animi. Idem repetit in eod. c. Ita quorũdam in ši. Glo. 2. Confirmatur quoniam in dicto c. Ita quorundam pronunciatur eadem excõicatio contra deferentes talia prohibita ad Infideles, etiamsi ad id non moueantur malo animo, scilicet adiuuandi dictos Infideles contra Christianos, sed tantũ n ducti sola spe, & cupiditate, lucri, vt clarè colligitur ex proœmio dicti C
cap. *Ita quorundam animos occupauit sæua cupiditas &c.* Et quamuis eadem verba habeantur, scilicet *Dum ad impugnandos Christianos arma eis, & necessaria subministrant.* Quæ verba videntur indicare necessitatē deprauatæ intentionis, Tamē Abb. interpretatur ea hoc modo *Ad impugnandos Christianos*, scilicet ex quibus possunt expugnari Christiani. Idem notat Io. And. in c. Significauit eod. tit. de Iudæ. Hoc idem sentit Petr. Anchar. in dicto c. Ita quorũdã nu. 1. ob rõnem allatam, quoniã ipsa exportatio est prohibita, etiãsi fiat animo non nocēdi Christianis, satis est, quod illis armis Christianis damnum inferri possit arg. l. 1. §. 4. ff. de Aqu. pluu. arc. dum exponitur verbum *Noceat*. id est nocere D
possit; Et Rebuffus in explicatione huius Canonis Ver. Impugnant addit, seu impugnare possunt; Quia in hoc Canone, idem iudicatur de actu, sicut de potentia, vt dicitur in simili in proœmio Instit. de Augusto, qui sic vocatur, quod augeat, vel augere debeat.

Sextò comprehēduntur, qui in terras Saracenorum euntes ad se tuēdos arma deferunt, si postea illa eis donent, aut vendant, vel permutēt cum alijs rebus, quoniam tales deferunt prohibita Saracenis contra prohibitionem huius Canonis, Silue. excom. 7. §. 64. Vers. Et secundò. Vnde Legati Principum Christianorum, qui legitima facultate muniti adeunt Saracenorum Principes, si ipsi cum eorum familia, & ad ornamentum, & ad defensionē arma deferant, & illa donent Saracenis, E
incidunt in excommunicationem, nisi ratione paruę, & exiguæ materiæ excusentur; De qua re inferius tractabimus. Ita tenet Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 8. nu. 22. Immò in eandem excommunicationem inciderent, si permutarent arma, recipiendo ab ipsis Saracenis arma alterius generis, vt gladium pro arcu. Siluc. vbi supra Ver. Et quartò, dummodò recepta non essent vtiliora, & aptiora ad bellum Christianis, quàm data Saracenis, vt notauit Nauar. ibidē nu. 23. Tunc enim non iuuarentur Saraceni aduersus Christianos; De qua re inferius dicemus.

Septimò comprehenduntur quoque illi, qui hæc deferent ignorantes hanc Constitutionem, quoniam, vt inquit Siluc. vbi supra Vers. Et quinto hæc ignorantia non est probabilis, & ideo non excusat; Hæc. n. prohibitio est notoria, & manifesta, cum non tantùm in Bulla habeatur, sed sæpius in decretalibus, & extrauagantibus sub pœna excommunicationis sit repetita, vt ostendemus. Quare nemo põt eam ignorare, ideo talis ignorantia non excusat Reg. Ignorantia de Reg. Iur. lib. 6. maximè si nõ sit puer, vel valdè rusticus, quos aliquando ignorantia Iuris excusare potest. §. Notãdũ. 1. q. 4. Vbi Glo. Ver. Omnis ignorantia post medium hæc habet. *Et hæc vera sunt, nisi sint milites, Rustici, Minores, & Mulieres, Illos enim excusat ignorantia*, l. 2. & l. Cum quis de iu. & fac. ignor.

Octauò illi quoque continentur, qui hæc prohibita ad Infideles deferunt, quamuis statim ducti pœnitētia illa eadem ab ijsdem, vel pecunia redimant, vel dono accipiant, vel vi, aut quouis alio titulo recuperent, & propterea nullum inde damnum Christianis accciderit. Ratio est, quoniam tradendo hæc prohibita Infidelibus ipso facto incurritur excommunicatio; Quæ semel contracta semper afficit excommunicatum, nisi per absolutionem fuerit sublata, cap. Cum desideres de sent. excom. Et nulla alia via tolli potest, vt probaui in lib. 4. disp. 1. cap. 1.

Confirmatur, quoniam, vt inquit Nauar. in dicto cap. Ita quorundam notab. 8. num. 29. violatio huius Canonis consistit, si re ipsa deferantur hæc prohibita ad Infideles, ergo statim, ac quis illa asportauerit, transgreditur Canonem, & incurrit pœnam, quia per pœnitentiam factum non potest reddi infectum. l. Qui ea mente. ff. de fur. cap. 1. de præsumpt. eiusdem sententiæ est Siluc. excom. 7. §. 64. vers. & sextò.

Nonò ob eandem causam illi erunt excõmunicati, qui arma subministrant Infidelibus non indigentibus, nempè si supponamus eos esse armis omnis generis ad bellum necessarijs optimè munitos, neq. reddi vllo modo validiores, aut potentiores ad pugnandũ occasione armorum, quæ à Christianis acceperunt. Nihilominus tradentes hęc prohibita non excusantur, quoniam Papa simpliciter prohibet huiusmodi delationem.

Decimò incidunt in hanc excommunicationem, qui deferunt arma ad Saracenos, qui bellum gerunt cum Christianis, vel qui bello impetuntur ab ipsis Christianis, licèt illa emerint, vel alio modo acceperint ab alijs Infidelibus. Nã hoc modo adiuuantur Infideles contra Christianos, quod Summus Pontifex intendit impedire, scilicet nē Saraceni reddãtur formidabiliores Christianis, Nau. in c. Ita quorundam notab. 8. nu. 27. Et fortiori ratione in excommunicationem incidunt, qui emūt hæc prohibita ab ipsis Saracenis; Deinde eorum opera, & industria magis apta ad bellum, & accommodata ad pugnam alijs Infidelibus reddũt, vt tenet Nauar. in eodem notab. nu. 23. puta si ematur equus inutilis, deinde arte disciplinatus, qui in bello deseruire possit ad pugnam, iterum vendatur.

Vndecimò comprehenduntur omnes Nautæ, qui scientes hæc prohibita habere in Naui exercent nihilominus artem nauticam in illa naui, quia cooperantur deferentibus, & Silue. excommunicatio 7. §. 64. ait hos Nautas incidere, etiamsi in alia naui lucrari non possent; Quod mitigat Tabie. excommunicatio 6. §. 12. Nisi extrema necessitas excuset, scilicet quando sine hac arte viuere non possent, & habita diligentia non inueniunt aliam nauim, in qua suam artem exerceant. Adde nec hostes sunt in procinctu ad prælium

actum internum malum cuiusuis sceleris etiam maximi, & atrocissimi, immo non potest quis propter talem actum interiorem excommunicari, vt probauit S.Tho. 1.2.q 91. art. 4. in hæc verba *De iis potest homo legem facere, de quibus potest iudicare, Iudicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent, sed solùm de exterioribus actibus, qui apparent.* Quare sicut nemo propter solam voluntatem percutiēdi Clericum; Furandi rem sacram; rapiendi Virgines sacras; ingrediendi Monasterium; committendi simoniam, vel quodcunque aliud crimen sub pęna excommunicationis damnatum excommunicatur, neque alia pœna punitur, si voluntatem illa nullo exteriori effectu, aut signo prodiderit, l. Cogitationes. ff. de pœn. l. Qui falsam. ff. Ad leg. Cornc. de fal. cap. Cogitationis de pœnit. dist. 1. Ita quoque dicendum est eum qui sola deprauata voluntate decreuerit contra prohibitionem huius Canonis arma ad Infideles deferre, si hanc voluntatem aliquo opere exteriori executioni non tradiderit, non incidere in excommunicationem.

Sed obijcies contra ex Glo. in cap. Magna Ver. pronunciare de pœnit. dist. 1. quæ asserit voluntatem pro facto reputari; Quare si quis habet firmā volūtatem deferendi, reputatur ac si deferat, & ex consequēti iam transgressus est hunc Canonē, & incidit in pęnā illius.

Confirmatur, quoniam actus exterior nullam malitiam, & prauitatem habet ex se ipso, quatenus est actus exterior in genere moris, sed totam malitiam accipit ab actu interiori, & eadem ratio est de bonitate, quamuis in genere entis diuersa sit bonitas, & malitia actus interioris, & exterioris. Si igitur tota prauitas actus est in actu voluntatis, & ab illa dicitur malus actus exterior, ergo qui firma voluntate decreuit contra prohibitionem huius Canonis deferre arma ad Saracenos, iam plenè commisit totum peccatum, ita vt ex actuali delatione nulla maior malitia actui addatur, idcirco videtur ex sola voluntate deferendi incurri excommunicationem.

Respondeo actum interiorem voluntatis tam in bonis, quàm in malis reputari pro facto quoad meritum, vel demeritum essentiale, quia pręmium essentiale meriti, & pœna essentialis demeriti respondet actui interiori voluntatis bonæ, vel malæ, Præmiū essentiale est visio Dei, Pœna essentialis est priuatio diuinæ visionis; Vnde voluntas perfecta merendi, & demerendi æquipollet quoad præmium, & supplicium essentiale voluntati perfectæ, non impeditę, & executioni traditę cap. Quisquis, cap. Omnis, cap. Si propterea, & cap. Si cui de pœnit. dist. 1. Sed diuersa ratio militat si loquamur de præmio, vel supplicio accidentali, nam in ordine ad hoc præmium, vel pœnam volūtas non reputatur pro facto. Præmium accidentale est gaudium de quocunq. opere benè facto; Accidētaria pœna est dolor de opere malè facto, & de oībus malis ex eo sequutis. Quāobrē præmium, aut suppliciū accidentale nascitur ex opere bono, aut malo iam operato, & non ex sola voluntate bona, aut mala operātis, vt docet D. Tho. in 4. dist. 49. q. 5. art. 1. & 2. Hinc sequitur aptantes id, quod diximus ad rem nostram, quod firma voluntas deferendi prohibita ad Infideles etiam non sequuto effectu mala est, & culpa lethalis, digna æterno supplicio, sed non meretur pęnas impositas à lege humana contra huiusmodi deferentes, quoniam excommunicatio, & aliæ pęnæ latæ sunt contra re ipsa deferentem, non contra volentem deferre; Immo (vt dixi) ipse actus interior non potest excommunicatione, nec alijs pęnis per legem humanam puniri. Ex quibus patet, quid sit dicendum ad confirmationem obiectionis.

Sed rursus contra eandem cōclusionem potest quis opponere tex. in l. Præsenti. C. de his, qui ad Eccles. confug. Vbi statuitur de Ecclesia nullum extrahi debere, & contra transgressores capitali supplicio animaduertitur his verbis, *Qui hoc moliri, aut facere, aut nuda saltem cogitatione, atque tractatu ausi fuerint tentare &c.* Ergo solus actus interior punitur in lege ciuili pęna mortis; Quare multò magis spirituali pœna censurarum per Ecclesiam vindicari debet.

Sed hæc obiectio tollitur ibi à Glo. Ver. Cogitatione; Aut cogitatio est nuda, vt nō transierit in aliquod conamen, & tunc non punitur, aut transiuit in conamen, licèt non venerit ad effectum, quo casu in grauioribus punitur.

Secunda propositio etiam certa est non incidere in hanc excommunicationem illum, qui non contentus praua voluntate, qua decreuit talia prohibita deferre, cœpit illam opere explere, parando omnia, quæ asportare statuit, sed non est vlterius progressus, quia mutauit propositum.

Probatur ratione generali, quæ valet in omnibus pœnis non solùm in excommunicatione, nempè solum conatū, seu tractatum, aut ordinationē, quæ dirigitur ad committendum delictum, non posse iure puniri saltem pœna ordinaria ab ipso Iure contra crimen impositum, quia mala voluntas etiam adiuncto conatu non reputatur pro facto; Vnde attentans ferire Clericum, non est excommunicatus, nisi actu percutiat vt inquit Glo. cap. Si quis pulsatus Ver. Vapulaturus de pęnit. dist. 1. Similiter attentans occidere hominem, si nō occidit, aut mutilat, non est irregularis, vt notat Glo. in c. Si aliquis Ver. Vt homicida de homic. licèt oppositū sentiat Glo. in c. Perniciosè Ver. Si poenitentiæ in fi. de poenit. dist. 1. sed malè, quia irregularitas sequitur factum, vt docet B. Tho. 1.2. q. 20. art. 1. ad 4. Igitur si si quis habet volontatem deferendi prohibita ad Saracenos, quāuis hæc voluntas sit comitata actu exteriori parandi, & disponendi quæcunq. sunt transmittēda, si non progrediatur vlterius, nō erit excōicatus, quia talis actus est remotus, & distans ab ipsa delatione, quæ est principalis actio interdicta, sed ratione conatus, & præparationis remotæ non incurritur poena legis.

Secundò probatur ex doctrina Io. Andr. quam summoperè commendat Abb. in c. Cum in cunctis § Clérici nu. 3. de elect. asserentis ex eod. tex. & ex c. Perpetuò eod. tit. & lib. & in Reg. odia in Mercur. Ver. Poena, quod vbicunq. poena imponitur à Iure ipso facto ob aliquod delictū cōmissum, nunquā est locus poenæ, nisi delictū sit consummatū, quātumuis sit inchoatum. Quāobrē cū excōicatio huius Canonis cōtra deferentes prohibita ad Saracenos sit excōicatio latæ sententiæ, & incurratur ipso facto, sequitur illam non habere locū, si delictū sit tantūmodo attentatū, non perfectū.

Si contra obijcias l. Si quis non dicam rapere. C. de Epi. & Cleri. Vbi punitur delictum attētatum, etiamsi non sit sequutus effectus; Vt si quis tētauerit rapere sacrā Virginem gratia contrahendi matrimonium, capitali poena plectitur, quæ lex est canonizata in cap. Si quis non dicam rapere de poenit. dist. 1. Similiter l. Quisquis cum militibus. C. Ad leg. Iul. Maiest. Conspirans contra Principem, vel eos, qui sunt ad latus Principis sola ordinatione, & tractatu, licèt nō sequatur effectus, incidit in crimē lęsę Maiestatis, & vltore gladio dēt puniri, & omnia eius bona fisco applicātur, & hæc lex cōfirmata fuit c. Quisquis cū militib. de pęnit. d. 1.

Respondendum est solum conatū ad delinquendum etiam non sequuto effectu mereri pœnam in ijs tamen casibus, in quibus lex id exprimit, vt in enumeratis, & in alijs, quos refert Glo. Ver. sed attentare in l. Si quis non dicam rapere. C. de Episc. & Cleri. & Glo. in cap. Si quis tam fœminam Ver. Attentauerit de pœnit. dist. 1. Quod verum est etiam de pœna excommunicationis, vt patet ex cap. 1. de homic. lib. 6. Vbi mandans quempiam per assassinos interfici, quamque mors non sequatur, pœna excommunicationis, & depositionis latæ sententiæ ab omni dignitate, ordine, officio, & beneficio punitur; Vbi Glo. Ver. Mandauerit notat in hoc casu excommunicationem incurri ex solo mandato etiam re integra, licèt regulariter mandans, & reuocans mandatum re integra, euadat pœnam excommunicationis, vt in cap. Quicunq. eod. tit. & lib. Sed hæc ratio cessat in eo, qui parauit prohibita ad deferendum Saracenis, & non est vlterius progressus; Talis enim conatus neque in Bulla, neque in aliquo textu Iuris pœna excommunicationis plectitur.

Si quærat aliquis; An in dubio, quando neque lex exprimit conatum esse puniendum, neque è contra declarat non esse puniendum, sed simpliciter statuitur pœna excommunicationis contra delictum, vt in his terminis, in quibus disputamus; Conatus ad delinquendum mereatur pœnam impositam contra crimen, ita vt per sententiam Iudicis delinquens iustè possit excommunicationis censura obstringi, & idem quæri potest de quacunque pœna imposita à lege contra delinquentem.

Respondeo ex Glo. in l. qui ea mente Ver. desijt. ff. de furt. & in l. Si quis non dicam rapere. C. de Episc. & Cleri. Quando quis cogitat committere delictum, & etiam ad actum prodijt, vt crimen patraret, sed non perfecit, neque consummauit; Vel id contingit, quia pœnituit, vel voluit ab incepto desistere, & tunc ei parcitur. l. Qui falsam. ff. Ad leg. Corne. de fals. Vel id accidit, quia non potuit, quo casu in atrocioribus punitur, ac si ad effectum, crimen perduxisset, vt in dicta l. Si quis non dicam rapere, & l. 1. ff. de extraor. Crimi. Si verò non sunt atrociora, non punitur ex solo conatu l. 1. §. fin. ff. Quod quisque Iur. quod est intelligendum de pœna ordinaria Iuris; Non potest tamen negari conatum esse puniendum per Iudicem pœna extraordinaria, quando probari potest, quæ maior, vel minor esse debet, quatenus qui attentauit delictum, magis, aut minus deuenit ad aliquem actum proximum delicto. vt affirmat Bal. in l. Non ideo minus q. 6. C. de accusa. & inscript. Vnde qui sollicitat Virginem ad libidinem, licèt ea non potiatur, plectendus est pœna extraordinaria pro quantitate, & qualitate conatus, vt definitum est l. 1. ff. de extraor. Crimi. ad hunc modum *Sollicitatores alienarum nuptiarum, Itemque matrimoniorum interpellatores, & si effectu sceleris potiri non possunt, propter voluntatem tamen perniciosæ libidinis extra ordinem puniuntur.* Similiter fur intrans domum ad furandum, quamuis detectus nihil surripere possit, punitur pœna extraordinaria l. Saccularij, & ibi Bald. ff. de extraor. Crimi. Quare ad eundem modum dicendum est de eo, qui firma voluntate statuit deferre prohibita ad Saracenos, & omnia iam parauit ad hunc finem, sed mutato proposito in melius, destitit ab incepto; Hic enim peccat, & puniri potest arbitrio Superioris pœna extraordinaria, si talis conatus probari potest, quia inchoauit delictum, vt inquit Abb. ex sententia Io. Andr. in cap. Cum in cunctis. §. Clerici. n. 3. de elect. non incurrit tamen excommunicationem.

A Immo vniuersaliter asserendum est nūquam excommunicationem, nec alias censuras incurri ex solo conatu ad delinquendum, etiamsi crimen sit atrocissimum, quia ad incurrendas cēsuras requiritur factum ex sententia Card. in cap. Præterea requisisti ad fi. de appella. Quare eleuans manum, vt percutiat Clericum, si non tangit Clericum, quamuis sit dignus pœna ob iniuriam Clerico illatam eleuando manum, non est tamen excommunicatus, vt dixi ex Glo. in cap. Si quis pulsatus de pœnit. dist. 1.

Quamobrem non videtur probanda sententia Innoc. quam sequitur Abb. in cap. Præterea 2. num. 13. de appella. qui existimat in casu, quo Iudex pronunciaret sententiam excommunicationis hoc modo; Ex- B communico te si appellas, vel excommunico te si eligas, excommunicationem statim afficere, cum quis parat se ad appellandum, vel eligendum; Quare quamprimùm incipit appellare, vel eligere incidere in excommunicationem; In dubio enim, nisi de contraria voluntate excommunicantis constet in ipsa prolatione verborum, cum appellat, vel eligit, erit excommunicatus, aliàs excommunicatio redderetur nulla, quia lata esset post appellationem, quo casu non valet cap. Per tuas de sent. excom. Hæc, inquam, sententia non est vera, vt ex dictis patet, & oppositum sentiunt Host. in Summa tit. de re iudi. §. Qualis, & §. Pura, ob eam rationem, quia ille, qui parat se ad eligendum, vel appellandum, non eligit, nec appellat, sed vult eligere, C & appellare, Dec. in cap. Præterea 2. num. 13. de appella. & citat ad idem Bald. in l. Arethusa in princip. col. 3. Vers. Item nota arg. ff. de sta. homi. & Paul. de Castr. in l. filiusfamilias. §. Diui. 2. in 3. col. Vers. Item apponitur. ff. de leg. 1. Vbi ait, quod electio redditur nulla, quando Superior pronunciat, quod eligentes sint excommunicati, statim quod incipiunt eligere; Secus si dicat, quod sint excommunicati, si elegerint; Nam tunc electio valet, licèt ipsi sint excommunicati ob illam rationem, quam dixi, quia quando agitur de actu ad incurrendam pœnam, intelligitur de actu consummato, vt in cap. Perpetuò de elect. lib. 6. D Nec obstat, quod in tali casu, vt inquit Abb. excommunicatio redderetur nulla. quia lata esset post appellationem; Nam respondet Dec. excommunicationem esse validam, quia præcedit appellationem, licèt conditio videatur purificata post appellationem interpositam; Excommunicatio enim non valet, quando pronūciatio excommunicationis sequitur appellationem; Et hoc modo intelligitur tex. in cap. Per tuas de sēt. excom. citatus ab Abb. Sed quando Iudex excommunicat aliquam sub conditione hoc modo; Excommunico te, si appellas, si postea appellauerit, appellatio sequitur excommunicationis sententiam, licèt excommunicatio non pariat effectum, antequam conditio purificetur, quod contingit post appellationem. Nec E plura dicā de eo, qui parauit omnia prohibita animo deferendi ad Infideles, sed statim pœnituit; Maior autem difficultas videtur de illo, qui eadem praua voluntate non tantùm res deferendas parauit, sed conduxit Nauem, & iam velis datis peruehitur ad Saracenos. An incidat in excommunicationem, si in itinere, mutato proposito regreditur, & ab incepto desistit, de quo subijciam sequentem conclusionem.

Tertia propositio sit; Valde probabile mihi videri talem deferentem res prohibitas, licèt in via mutet voluntatem, & redeat cum ipsis rebus, antequam ad Infideles perueniat; Nihilominus remanere innodatum excommunicatione huius Canonis.

Hanc

Hanc conclusionem videtur satis efficaciter proba re argumenta proposita initio huius dubitationis pro parte affirmatiua, & fundamentum est, quoniã Sũmus Põtifex prohibet delationem, & trãsmissionẽ rerũ prohibitarum illis verbis *Deferunt seu transmittunt*, sed qui iter suscipit, verè, & propriè dicitur deferre, quãuis nõ perueniat ad terras Saracenorũ, & illis tradat res prohibitas, quas defert, ergo incidit in excõmunicationẽ.

Cõfirmatur argumento à simili, si extet statutũ in Ciuitate, quod portãtes frumẽtũ extra districtum certa pœna puniãtur, tũc si quis in via captus fuerit cum frumento, antequam fines districtus egrediatur, meretur pœnam statuti, & tali pœna puniri poterit, si confiteatur se voluisse asportare extra districtum, & quãuis neget, satis erit, si repertus fuerit in limine districtus, vnde ad alium locum progredi non poterat, vt probat Bald. in l. si fugitiui nu. 4. C. de ser. fugit. & Cyn. in l. 1. in fi. C. de Naut. fœn. ergo sola asportatio frumẽti sufficit ad incurrẽdam pœnam ordinariam legis, quamuis nõ sit peruentum ad locũ prohibitum, & ibi non sit relictum frumẽtum, quod. n. requiratur, aut cõfessio deferentis, vel quod in tali loco sit deprehensus, vnde non posset alio diuertere, id fit tãtùm ad probandũ crimẽ, vt in foro exteriori puniri possit, quod non est necessarium in excommunicatione, quæ incurritur etiam in foro cõsciẽtiæ, ipso facto absq. alia probatione. Quare ob eandem rationẽ asportãtes prohibita, licèt nõ perueniant ad Infideles, nec illa eis tradãt, erũt excõicati.

Confirmatur hæc ratio ex eadẽ doctrina Bald. nu. 5. Vers. Adde tamen; Hoc dictum tũc maximè locum habere, vbi statutum non vsurpat verba significantia actum omninò perfectum; Vt si diceret, si quis extraxerit, sed vtitur verbis temporis imperfecti, aut pręsẽtis; Si quis extraheret, aut si quis extrahit, quæ propriè accommodantur actui inchoato, quamuis non sit consummatus, & completus, quod animaduertit etiam Felin. in cap. Significauit num. 16. in fi. de Iudæ. Hoc modo loquendi vtitur hic Canõ cum ait, *Qui deferunt, aut transmittunt equos arma, ferrum &c.* Quæ verba significant actum in fieri, non in facto esse, secus si dixisset, qui transtulerint, seu transmiserint, ergo ex sola inchoata delatione incurritur hæc excommunicatio.

Adde multò magis id esse asserẽdũ in terminis propositæ quæstionis, de qua tractamus, quia nõ agitur de pęna corporali, seu pecuniaria, vt mitior pars sit eligenda, sed de pęna spirituali excõicationis, vt tutior pars sit sequenda c. Iuuenis de sponsal. Vnde in dubio quisque existimare se debet innodatum excommunicatione, & petere absolutionem Glo. in cap. 1. de Serui. Ver. æstimare. Saltem in foro conscientiæ, vt aliàs fusè probaui, secus in foro iudiciali, vt notat Dec. in cap. Præterea 2. num. 13. Vers. & ista opinio de appell.

Sed dices iam probatum est in explicatione secũdæ conclusionis solum conatum nõ mereri pęnam ordinariam legis nõ sequuto effectu, sed qui aggressus est iter deferẽdo res prohibitas ad Infideles, & pęnitens, antequam illuc perueniat, reuertitur cũ rebus, tentauit solùm delinquere, sed nõ perfecit delictum, ergo non incurrit excõicationem, quoniam verba legis sunt intelligenda cũ effectu l. 1. §. Hæc verba. ff. quod quis iuris.

Respondendum est primò verum esse regulariter solùm conatum non esse puniendum, nisi in illis casibus, in quibus id expressum est in Iure, vt dixi; Talis est casus huius Canonis, vbi expressè prohibetur sub pœna excommunicationis delatio, & transmissio simpliciter absque alia distinctione.

Secundò dicendum est deferre prohibita non esse

A præparationem ordinatam ad delictum, quod prohibetur in hoc Canone, sed esse ipsammet actionẽ principalem per se interdictam sub pœna excõmunicationis; Quare qui est in actu deferendi, non dicitur agere actum ordinatum ad delictum, neq. dicitur tẽtare, aut conari ad crimen committẽdum, sed verè delinquit, & trãsgreditur legem, & idcirco incurrit excommunicationem, quamuis non sequatur effectus, sicut dixi superius de illo, qui mandat, vt interficiatur aliquis per assassinos, quamuis non sequatur mors, est excommunicatus ex c. 1. de homic. lib. 6. Similiter sunt excommunicati Religiosi, qui in Concionibus aliqua proferũt, vt audientes à decimarum solutionibus retrahãt, quamuis nõ persuadeant, nec propterea solutio decimarum B retardetur, Clement. Cupientes de pœn. idem est asserendũ de eo, qui defert prohibita ad Infideles, quamuis non perficiat rem inceptam, incidit in excommunicationem, quia actio deferendi est principalis actio, quæ per se prohibetur, & quando actio aliqua principaliter prohibetur, quoties illa committitur, etiamsi res non sit perfecta, & consummata, incurritur excommunicatio, vt probatum est in lib. 3. disp. 2. cap. 2.

Quarta propositio multò magis probabile erit asserere excõicationem huius Canonis afficere eum, qui detulit iã prohibita ad Saracenos, & peruenit ad locũ destinatũ cũ ipsis rebus, sed illas Saracenis non tradidit, quia mutato cõsilio cũ eisdem rebus reuersus est.

Hæc conclusio sequitur ex dictis; Si enim qui inci- C piunt hæc deferre, incidunt in hanc excommunicationem, vt probaui, ergo multò magis, qui perfecerunt iter, & ad Hostes peruenerunt; Hoc est perspicuum, & nulla indiget probatione, licèt Nau. in c. Ita quorundã notab. 8. nu. 29. sentiat oppositum, sed excusari potest Nau. quoniã loquitur de excõicatione dicti c. Ita quorundam, in quo non tantùm Summus Pontifex vtitur verbo deferunt, sed adiungit dictionem subministrant hoc modo, *Dum ad impugnandos Christianos arma eis, & necessaria subministrant* Dictio illa *Subministrant*, significat rem completam, scilicet prohibita tradita esse. Quare verisimile est ob hanc rationem excommunicationem cap. Ita quorundam (vt censet Nauarrus) non habere locum, vbi res prohibitæ non traduntur D Saracenis, sed diuersa ratio militat in excommunicatione Bullæ, quæ de sola delatione, & transmissione loquitur, & nihil dicit de subministratione.

Si opponas contra hanc propositionem, quoniam si res prohibitę non tradantur, Infideles non possunt illis Christianos impugnare quod est ratio, & finis huius propositionis. Quamobrem si hic finis cessat, debet etiam cessare excommunicatio, & hoc modo, qui defert solùm, & non tradit, non erit excommunicatus.

Respondeo, quod licèt Sũmus Põtifex ductus fuerit, vt promulgaret hanc excõicationem ad diminuẽdas vires Infideliũ, nempè vt non recipientes arma, & alia ad bellũ necessaria præsidia, minus Christianis molestiam inferre possent, tamen edidit Constitutionẽ, qua E simpliciter interdixit delationem, & nihil dixit de traditione, ergo quicunque defert, directè illam violat, siue sequatur traditio, siue non sequatur.

Accedit, quoniã si ob eã rõnem negemus esse excõicatum deferẽtẽ prohibita ad Saracenos, & nõ tradẽtẽ eis illa, quia hoc modo deferẽs, & nõ tradẽs nõ est causa, & Infideles vim maiorẽ habeãt ad oppugnãdũ Christianos, quã antea haberẽt, propter eandẽ rõnem cogemur fateri non esse excõicatum eundẽ si tradat, & non relinquat, sed illico ab eis tollat, & redimat, cuius oppositũ etiam Nau. affirmat in eodẽ notab. 8. nu. 29. in fi.

CAPVT V,

Proponuntur casus, de quibus dubitari potest; An ex delatione rerum prohibitarum ad Infideles incurratur hæc excommunicatio.

PRaeter narratos modos incurrendi excommunicationem huius Canonis, de quibus tractaui in cap. 3. de quibusdam casibus dubitari potest; An sit locus huic excommunicationi, vel potius deferentes excusari possint, nè incidant in excommunicationem ob causam aliquam legitimam; Inquirendum est igitur, quæ sint causæ legitimæ, quæ sufficiant ad excusandum ab hac excommunicatione.

Et primò quæri potest de his, qui metu mortis coacti tradunt hæc prohibita Infidelibus, an incidant in excommunicationem, & quæstio esse potest tam de metu proueniente ex causa intrinseca, vt si quis extrema inedia laborans, nè fame pereat, vendat aliquid ex his prohibitis Turcæ, vt cibos emat, quàm de metu iniusto ab extrinseco; Vt si aliqui Infideles minentur Christiano mercatori mortem, nisi prohibita illis vendat, & sit metus iustus cadens in constantem virum.

Respondeo ad hanc dubitationem, & dico; Si loquamur de metu intrinseco, nempè de eo, qui fame compulsus vendit hæc prohibita Hostibus Christianorum, si aliunde non habet, vnde se possit sustentare, siue id faciat metu ab extrinseco illato ad euitãdam mortem sibi propositam à Saracenis, nisi eis tradat hæc prohibita, vtrouis modo non incidere in excommunicationem huius Canonis.

Primò quoniam licèt talis traditio simpliciter sit voluntaria, nullus enim metus facit actum simpliciter inuoluntarium, vt probaui in lib. 3. disp. 9. cap. 1. tamen secundum quid, quatenus accidit hic, & nunc, imminente tali necessitate, & discrimine vitæ, traditio est inuoluntaria, & ex consequenti non est peccatum, quo non existente nulla contrahitur excommunicatio.

Secundò quoniam lex positiua humana ex communi Doctorum consensu non obligat ad sui obseruationem cum magno periculo vitæ; Quare qui in tali discrimine, non seruat præceptum legis non potest vocari contumax, aut inobediens Ecclesiæ, cum potius necessitate, quàm voluntate agat, idcirco minus quoque excommunicatione obstringitur, quæ neminem afficit cessante contumacia, & inobedientia.

Si dicas quamuis lex humana nõ obliget hominum conscientias regulariter cum probabili vitæ, aut libertatis discrimine, Ecclesia tamẽ potestatem habet præcipiendi Fidelibus etiam cum periculo vitæ, maximè quando præceptum respicit bonum commune Reipublicæ Christianæ, tale videtur, de quo modò agimus, cuius finis est liberare Christianos à molestijs, & vexationibus, quas frequenter patiuntur ab Infidelibus.

Respondeo; Vt Fideles teneantur sub periculo vitæ seruare præceptum ecclesiasticum, non satis esse, vt opus imperatum, vel prohibitum immediatè dirigatur ad bonum commune, sed requiri, vt hoc tempore, & occurrentibus talibus circunstantijs necessaria sit obseruatio præcepti ad bonum publicum, ita vt ex opposito actu graue periculum immineat Reipublicæ, quod regulariter accidere non potest in casu proposito. Verùm si admittatur casus, quo ex venditione rei prohibitæ occurrente necessitate famis, vel alterius periculi imminentis Christianis graue aliquod damnum probabiliter accidere posset, tunc temporis absque dubio teneretur constitutus in hoc periculo

A potius subire quodcunque malum, quàm contra prohibitionem huius Canonis vendere rem prohibitam Infideli ad euitandum damnum publicum Christianorum, sed hic casus dari non potest.

Si postulet quis, an, posito hoc casu cum his circunstantijs si tradantur arma Infidelibus, incurratur hæc excommunicatio.

Dicerem illum, qui ex huiusmodi prohibitorum traditione probabiliter cerneret notabile damnum Christianis imminere, si adhuc ad effugiendum vitæ periculum illa eis ministraret, lethalis criminis reum fore non tamen putarem excommunicatione alligari, quia licèt Ecclesia (vt dixi) potuisset obligare Fideles cum tali periculo, non est credendum voluisse.

B Tertiò eadem conclusio probatur ex cap. Significauit de Iudæ. Vbi permittitur, vt pro redemptione captiuorum possint hæc prohibita deferri ad Infideles, & non incurritur excommunicatio, vt inquit Nauar. cap. Ita quorundam notab. 8. num. 26. quamuis Glo. in dicto cap. Significauit Vers. Aliquod commodum, teneat oppositum, si fiat sine licentia Papæ ad tollendas fraudes; Sed de hoc disputabimus in sequenti dubio. Quare si in redemptionem captiui possunt arma vendi Infidelibus, multò magis ad redimendam propriam vitam.

Quartò vnusquisque ex lege Naturæ tenetur se ipsum seruare, & ex lege humana prohibetur deferre prohibita ad Saracenos, sed quando vtraque lex **C** seruari nequit, præferenda est lex naturæ legi humanæ; Igitur qui in casu necessitatis ad euitãdum periculum mortis vendit arma Infidelibus, non peccat, ergo non incidit in excommunicationem, immo inquit Nauar. loco citato, etiamsi tradere talia prohibita Saracenis non esset res indifferens ex sui genere, sed repugnans legi naturæ, adhuc obligatio de seruando se ipsum est magis immediata primis principijs Iuris Naturæ, & idcirco præferenda arg. cap. Si verò 1. de senten. excommunic. Vbi percutiens Clericum vim sibi inferentem non incidit in excommunicationem, quia Ecclesia non intendit excommunicare illum, qui ad **D** sui defensionem alterum lædit, quamuis offendere illum per se malum sit.

Ob eandem rationem affirmandum puto nõ incurrere excommunicationem illos, qui sæuiente bello se dederent Turcis, aut Saracenis, nè vnà cum suis armis perirent, vel si qui depositis relictisvè armis fugerent salutis, & libertatis causa.

Si quis obijciat c. Sacris de his quæ vi, metusvè causa fi. Vbi communicans cum excõmunicato per coactionem adstrictus, excusatur à culpa, & non incurrit excommunicationem; Si verò fuerit ad id per metũ inductus, quãuis metus attenuet culpã, excõmunicationis labe inquinatur, & nihilominus cõmunicatio cum excommunicato est interdicta lege ecclesiastica, ergo **E** metus etiam iustus non excusat à peccato ob legis humanæ transgressionem, neque ab excommunicatione.

De hac difficultate latius pertractaui lib. 1. disp. 12. cap. 3. & varias interpretationes attuli ad cap. Sacris; Satis erit modò, si dicamus cap. Sacris intelligendum esse de communicatione in crimine, pro quo lata est excommunicatio, quæ ob nullum metum licita redditur; Est. n. intrinsecè mala; Sed alia ratio est de traditione armorum Infidelibus, quæ, seclusa lege humana, est res indifferens, vel si ex sui genere dicatur mala, non tamen per se, & intrinsecè, sed in ordine ad finem, quia scilicet huiusmodi armis, vel impugnantur, vel impugnari possunt Christiani.

Secundò

Secundo dubitari potest de illis, qui hæc prohibita deferunt ad Infideles, vt illis tradant pro redemptione Christianorum, quos captiuos detinent, an excommunicationem incurrant.

Ad vtramque partem adest ratio difficultatis, pro affirmatiua faciunt verba tex. in cap. Significauit de Iudæ. Vbi conceditur facultas eundi Alexandriam iurantibus, quod nihil sint delaturi auxilij, *Vnde possit Saracenis, excepto redemptionis articulo aliquod commodum, vel subsidium prouenire*, ergo ad hunc finem redimendi captiuos permissum est, vt deferantur hæc prohibita, quibus auxilium aliquod, aut commodum accidere possit Saracenis. Pro parte negatiua facit, quia redemptio captiuorum est bonum priuatum, at ex traditione eorum, quæ per se prohibita sunt, Infidelibus, sequitur damnum commune Reipublicæ Christianæ, sed publica vtilitas præferenda est priuato commodo, igitur non licet hæc prohibita subministrare Infidelibus etiam pro redimendis captiuis.

Innoc. in dicto cap. Significauit tenet, pro redemptione captiuorū deferri posse ad Saracenos ea quoq; quæ per se prohibita sunt, vt arma, equos, ferrum, & alia huiusmodi, quia licet illis rebus offendi possint Christiani, tamē non venduntur directè contra Christianos, puta si vendantur tempore pacis, si enim directè traderentur ad impugnandos Christianos, nempe tempore belli, contraheretur excommunicatio, sicut non licet illo tempore piraticam artem contra Christianos exercere, Host. in cap. Significauit similiter existimat ad finem redēptionis arma deferri posse ad Infideles, si aliter captiui redimi nequeant, ob eam rationem, quoniam pro redemptione captiuorum, vbi cætera desint, vasa sacra distrahi possunt, cap. Aurum 12. quæstione 2. l. sancimus C. de Sacrosanct. Eccles. c. 1. de Pign. Huic sententiæ videtur adhærere Nauar. in c. Ita quorundam notab. 8. num. 26. Glo. in eod. cap. Significauit Ver. Aliquod commodum, dicit nihil ea mercibus deferendum esse, nisi id, vnde captiui redimi possint, sed quærit quid si Captiui redimi non possint nisi ferrum & arma tradantur, an liceat illa tradere sine pœna excommunicationis, Respondet minime licere sine auctoritate Papæ, ne fraudibus pateat aditus. In eandem sententiam citant communiter Abbatem n. 2. Ratio qua mouetur Abb. quoniam hæc arma deferuntur Saracenis ad impugnandos Christianos, quare non debent adiuuari ad hoc maximum malum propter commodum, quod cō. sequuntur aliqui captiui, qui hoc medio redimuntur, hanc enim compensationem dicit Iure damnatam esse arg. cap. Super eo de vsur.

Io. And. in dicto cap. Significauit ad conciliandas has opiniones vtitur distinctione, si sermo sit de mercibus prohibitis, illę nullo tempore deferri possunt ad infideles, neq; ad redimendos captiuos, sicut consulit Glo. & ita ante factum sequendam esse sententiam dictæ Glosæ, fundamentum Io. And. est, quia si hostes Christianorum animaduerterent consequi posse arma, ferrum, equos, & alia per se prohibita, quæ ad bellum sunt necessaria, loco precij pro redemptione captiuorum, vtique semper aurum, argentum, & quæcunque alia ad hunc finem oblata constanter recusarent, deinde hæc opinio latum ad fraudes & flagitia patranda præberet tegumentum, quisquis enim vel lucri gratia, vel ob alium finem hæc prohibita hostibus Christianorum subministraret, ad redimendos captiuos se fecisse affirmaret; quod si illa iam vendita sint Infidelibus ad hūc finē, & redempti sunt captiui,

A dicendum est id licuisse iuxta sententiam Innocent. & Host. & ideo post factum qui sic egit, excusari ab excommunicationis pœna, arg. cap. Quoniam 11. q. 3. cap. Consilium de obser. ieiun. cap. Inter de sent. excom. facit cap. Verum de iureiur. Si autem tractetur de alijs mercibus, quæ per se non sunt prohibitæ, inquit Io. And. nullam esse controuersiā apud Doctores illas posse deferri tempore belli ob causam redemptionis Captiuorum. Huic opinioni Io. And. adhæret Petrus Anchar. in eod. cap. num. 8. Rebuff. in expositione huius Canonis Ver. suffragari, ibi, nisi pro captiuis redimendis, & citat Summam Angel. excom municatio 5. casu 21. & Capyc. in Decis. Neop. q. 150.

B Verum nō video, quomodo ex hac responsione Io. And. conciliari possint dicta opposita Glo. & Innoc. Quæritur enim an excommunicatio incurratur ex delatione rerū ad Infideles, quæ per se prohibentur, si id fiat pro redimendis captiuis, Innocentius negat, Glosa affirmat incurri, & loquuntur post factum, nempe rebus traditis, & captiuis redemptis, ergo distinctio, quam affert Io. And. ante factum & post factum non facit ad rem, cum excommunicatio non afficiat, antequam fiat id, quod prohibetur.

Quamobrem his omissis ita putarem respondendum ad hanc difficultatem, vt dicamus.

Primo qui pecunias & merces deferunt ad Saracenos pro captiuis redimendis etiam tempore belli, si plus non dederint, quàm sit necessarium ad redimen-
C dos captiuos, minime incurrunt excommunicationem, aut alias Iuris pœnas.

Probatur, tales non incidunt in excommunicationem huius Canonis quoniam in hoc Canone interdicitur delatio rerum per se prohibitarum, non agitur de alijs mercibus, in iure vero licet prohibeantur simpliciter omnes merces, & pecunia, vt in cap. Ita quorundam, & cap. Ad liberandam, & alibi sub pœna excommunicationis, excipitur tamen in cap. Significauit, vbi huiusmodi merces deferuntur ad redimendos captiuos, ergo ex tali delatione nulla excommunicatio incurritur.

Secundo dicendum est, qui ad hanc redemptionem faciendam nihil aliud haberent, nisi res per se prohi-
D bitas, vt arma, ferrum, equos, & similia; meo iudicio non inciderent in hanc excommunicationem, neque in excommunicationem Iuris, vendendo illa Saracenis pro redimendis captiuis, dummodo tempore belli non traderent.

Vt probetur hæc conclusio, notandum est quædam esse, quæ prohibentur deferri tempore belli, non tempore pacis, vt mercimonia, victualia, & cætera, capit. Quod olim de Iudæ. Quædam, quæ regulariter omni tempore sunt prohibita deferri, vt arma, ferrum, & cætera, quæ per se ordinantur ad bellum. Excipitur autem ab hac regula articulus redemptionis, vt dicitur in dicto capit. Significauit, ergo tempore pacis possunt mercimonia, victualia, & alia deferri causa
E lucrandi, & ob quemcunque alium finem, ea vero, quę sunt prohibita per se, vt arma, ferrum, & cætera, ad redimēdos captiuos tantum, sed virtute exceptionis positæ, tempore belli possunt deferri mercimonia ad Infideles pro redimendis captiuis, Arma, & alia prohibita per se, etiam traderenon licet, nisi permutatio talis esset, quæ cederet potius in vtilitatem Christianorum, quam in damnum, præsertim si ageretur de parua materia, e. g. si daretur ensis, vt redimeretur strenuus miles, vel Dux, quando non timetur maius malum.

Con-

Confirmatur ex verbis dicti cap. Significauit, ibi, *Illi quoque qui post factam treguam in Transmarinis partibus factam cum commercio Alexandriam adiuerint, si detulerint merces prohibita, causa lucrandi, excommunicationis vinculum non euadunt*. Ex quibus infertur vtrunque à nobis dictum, nimirum si deferantur hæc prohibita per se extra tempus belli ad redimendos captiuos, non esse locum excommunicationi, nam deferentes causa lucrandi non euadunt excommunicationem, sed excipitur articulus redemptionis, ergo si redimantur captiui, non incurritur excommunicatio, secundum, quod infertur, est, postquam ad redimendos captiuos excipitur solum tempus Treguæ, igitur tempore belli non licet etiam ad finem redimendi captiuos tradere instrumenta per se prohibita Saracenis.

Hanc sententiam sequitur Silue. excommunicatio 7. §. 61. Vers. Et ista est mens, & tenet hoc idem asseruisse Innocentium, Ioannem Andream, Abbatem, & Glosam. Et certe Innocentius non existimauit hęc per se prohibita posse tempore belli deferri ad Saracenos, expressè enim excipit, quando arma venderentur contra Christianos, vel in tempore, quo exercentur contra Christianos. Quare ex sententia Innoc. excommunicatio haberet locum, si venderentur arma ad redimendos captiuos tempore belli, ad idem Silu. citat Card. Io. de Ana. cum Rosell. Quare est communis opinio, sicut è contra inquit dubium nō esse apud Doctores de alijs mercibus, quod ob hanc causam solum redemptionis captiuorum etiam belli tempore deferri possint.

Tertio dubitatur, an portantes hæc prohibita ex vna Ciuitate & loco Saracenorum in alium locum & Ciuitatem eorumdem incidant in hanc excommunicationem, vt si Mercator Christianus degens in Terris Turcarum deferat ferrum, arma, equos, & similia causa lucrandi ex vno loco ad alium, vbi nundinæ aguntur.

Tabiena Ver. excommunicatio 6. num. 7. Silue. excom. 7. §. 64. in fin. Vers. Nec secundo, putant tales non incidere in excommunicationem, & probant auctoritate Gregorij IX. qui in quadam Constitutione, quæ incipit Postulastis, ita declarauit, & licet Constitutiones Gregorij IX. super diuersis articulis editæ per Bonifacium Octauum reuocatæ fuerint, vt patet ex procemio Sexti Decretalium, hæc tamen non fuit reuocata, quoad hanc declarationem, vt notat Tabiena.

Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 8. nu. 27. credit veram esse dictam conclusionem, cum limitatione tamen, quoties hæc translatio ita fit ex vno loco Saracenorum ad alium eorundem locum, vt hac de causa Saraceni nō reddantur formidabiliores ipsis Christianis, neque munitiores, alioquin excommunicatio incurreretur, vt si asportarentur arma ex vna Ciuitate, quæ neque bello pugnat cum Christianis, neque ab ipsis Christianis bello impetitur, ad aliam, quæ bellum gerit cum Christianis, vel è contra à Christianis impugnatur, quo casu excommunicatio incurritur.

Obijcies contra Nauarrum, Christianus deferens arma de loco Saracenorum ad alium eorum locum, emit illa à Saracenis, quare si ij, quibus arma, vel alia prohibita vendidit, effecti sunt potentiores aduersus Christianos, alij Saraceni, à quibus emit, minus potentes & valentes sunt redditi.

Respondetur hoc nihil referre, quia per emptionē, arma in Christianorum Ius & potestatem deuenere, & proinde quando venditione, vel donatione transeunt in alios Saracenos, eo ipso arma, quæ facta fuerunt Christianorum, censentur ad Saracenos deferri contra prohibitionem huius Canonis.

Ad hanc dubitationem ita putarem responderi posse, si Christianus arma & alia prohibita transferat effecta meliora & ad bellum aptiora ab vno loco ad alium locum Saracenorum, in excommunicationem incurrit, quoniam opem & auxilium aliquo modo inimicis Christiani nominis fert. Si autem hæc ab vno loco ad alium transferat penitus in eadem substantia quantitate, & qualitate permanentia, in excommunicationem non incidit. Eodem modo si equos indomitos, infirmos, & male valentes emit Christianus in vno loco Turcarum, & validiores, robustioresuè redditos, ad alium locum eorundem Infidelium transferat, in excommunicationem incurrit, quod si ijsdem prorsus equi nulla facta transmutatione in melius transferantur, non est locus excommunicationi, & ad eandem rationem idem iudicandum erit in similibus casibus.

Quarto dubitatur, an in excommunicationem incidat, qui ad huiusmodi Infideles ex genere harum rerum prohibitarum minimam & exiguam rem deferat, vt gladium, pugionem, arcum, vel quid simile.

Oritur difficultas ex vtraque parte, pro affirmatiua facit, quoniam prohibitio est generalis absque vlla exceptione, & qui defert pugionem, gladium, vel quid simile, vere dicitur transferre rem prohibitam, ergo incidit in excommunicationem, deinde culter, gladius ad scindendum panem, & alia instrumenta ferrea parua ad eundem finem extructa, possunt etiā ad pugnam deseruire, ergo sub pœna excommunicationis prohibentur deferri. E contra paruus gladius, vel culter non intelligitur appellatione armorum, quoniam Clerici sub pœna excommunicationis prohibentur arma portare cap. Clerici de vi. & honest. Cleri. Si cultellum tamen deferant, non tenentur aliqua pœna, vt notat Abb. in dicto cap. Clerici num. 7. & in cap. Lator num. 3. de Homic. ergo culter non comprehenditur nomine armorum. Verum in hoc Canone excommunicantur deferentes arma ad Saracenos, igitur qui tradit hęc parua instrumenta ferrea, non incidit in excommunicationem.

Respondeo ad hanc dubitationem deferentem ad Infideles rem aliquam minimam & exiguam ex prohibitis non incidere in excommunicationem, sed excusari ratione paruitatis materiæ, est opinio communis, Felin. in cap. Ita quorundam num. 3. Vers. Secus dicas in coltello paruo, Silue. excom. 7. §. 59. Vers. & secundo quod nomine ferri, Rebuff. in hunc Canonem Vers. Ferrum, Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 8. num. 30. Card. Tolet. in Sum. Instruct. Sacerd. lib. 1. cap. 23. Vers. Aliud dubium est, quid per arma, & aliorum.

Probatur modo conclusio, quia paruitas materiæ excusat à peccato mortali etiam in his, quæ Iure diuino prohibentur, vt furtum rei modicæ non est culpa lethalis, nam surreptio actus, & paruitas rei, vt inquit S. Tho. 1. 2. q. 88. art. 6. reddunt transgressionem venialem, ergo in transgressione præcepti Ecclesiastici, de quo agimus, multo magis id est asserendum. Vbi vero deest peccatum mortale, excommunicatio non incurritur.

Secundo vbi res exigua & modica defertur ad Infideles, cessat finis huius prohibitionis, nullum enim auxi-

auxilium tribuitur illis contra Christianos, ideo pœna excommunicationis non habet locum.

Tertio in hoc Canone prohibentur deferri arma, sed appellatione armorum non intelliguntur hæc instrumenta ferrea adeo exigua & minima, quæ non sint apta ad pugnandum, nec communiter ad hunc finem proprie ordinentur, sed ad scindendum panem, & ad alios vsus humanos, Glo. in Auth. de Armis Ver. Minores, Bart. in l. 1. ff. de vi. publi. Franc. Aret. conf. 38. Quare si excommunicantur deferentes arma & hæc parua instrumenta ferrea non possunt proprie vocari arma, ergo qui asportauerit hæc, non erit excommunicatione innodatus.

Quinta dubitatio esse potest de his, qui deferunt arma, vel alia prohibita ad Christianos degentes in Terris Infidelium expresse ad eum finem, vt dictis armis muniti Christiani valeant arrepta occasione insurgere violenter in Saracenos, & interim illa teneant abscondita.

Facit difficultatem, quoniam si huiusmodi Christianis tradantur hæc prohibita, & innotescat hoc Saracenis, surripient illa ex eorum manibus, & munitiores euadent ad impugnandum Christianos.

Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 4. n. 12. Vers. Quod tamen mea sententia, & Vers. Sexto infertur, censet in hoc casu non incurri excommunicationem ob eam rationem, quoniam Canon loquitur de deferentibus arma ad Saracenos, non ad Christianos, & finis prohibitionis est, ne adiuuentur Saraceni contra Christianos, sed casui proposito neque verba, neque finis constitutionis aptantur, quia arma deferuntur ad Christianos in perniciem Infidelium, si factum opportune contigerit, igitur excommunicatio non contrahitur.

Dicerem ego probari posse dictum Nauarri, quoties qui tradit arma hoc modo Christianis, verisimiliter existimare potest, consideratis omnibus conditionibus loci, temporis, & personarum non esse impossibile, vt sequatur id, quod intenditur, nimirum vt Christiani armis acceptis vtantur in perniciem Infidelium, tunc enim qui bona fide arma tradidisset, esset excusatus ab excommunicatione, quamuis oppositum accideret, & præter voluntatem ipsius arma illa in manus Infidelium deuenirent. Sed si omnibus ponderatis res iudicaretur ardua & difficilis, & de felici exitu probabiliter dubitaretur, ita vt magis timendum esset, quam sperandum, in hoc casu qui traderet arma huiusmodi Christianis, si in potestatem hostium deuenirent, non esset liber ab excommunicatione, quia non præuidisset id, quod præuidere tenebatur, & quoniam raro (vt experientia rerum præteritarum nos docuit) tales coniurationes & conspirationes in Principes & Tyrannos sortiuntur effectum, sed antea deteguntur, ideo putarem communiter non esse consulendum alicui, vt deferat arma ad Christianos in Terris Infidelium degentes, etiam ad prædictum finem, nisi certior redderetur de modis, quibus verisimiliter Christiani muniti armis, valerent insurgere in Saracenos, & illos impugnare.

Sexta dubitatio, an incurrant in hanc excommunicationem, qui vi ventorum & maris tempestate compulsi cum armis & alijs rebus prohibitis ad Terras Infidelium illas deferunt.

Hæc difficultas caret omni controuersia in foro conscientiæ, certum est enim illum, qui nauim soluens Ancona, vt Hispaniam petat cum armis & alijs prohibitis in hoc Canone, & tempestate maris inuitus

A deferetur Constantinopolim, vbi à Turcis armis alijsque mercibus spoliatus, nudus dimittitur, nullius culpæ maculam coi trahere, & multo minus excommunicationis censura obstrictum remanere, & ratio est, quia talis accessus non est actus voluntarius, vt supponitur, sine quo nec peccatum, nec pœna incurritur, & lex obligat solum ad ea, quæ voluntarie à nobis fiunt, c. Sacris de his quæ vi, metusuè ca. fi.

Si vero in foro exteriori constiterit aliquem detulisse hæc prohibita ad Infideles, præsumetur voluntarie & sponte illa asportasse, praua & corrupta mente, vt adiuuaret Hostes Christi contra Christianos & idcirco iudicabitur transgressor huius Canonis, & ex consequenti excommunicatus, exterior ille actus
B tradēdi hæc prohibita Infidelibus affert præsumptionem contra ipsum tradentem, quod dolo id fecerit, sicut Iure antiquo ante Concilium Tridentinum, cap. Is qui, cap. fin. de sponsa. sponsalia sequuta copula indicabant contrahentes voluntatem habuisse celebrandi matrimonium præsens.

Hæc tamen præsumptio non est Iuris & de Iure, quia contra huiusmodi præsumptiones non admittitur probatio l. Antiquæ C. Ad Senatus Conf. Velle. l. fin. C. ad Senatus Cons. Maced. Verum contra hanc præsumptionem in casu de quo tractamus, probatio admittitur, vt tradit Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 10. nu. 27. Qui enim accusatus fuerit de asportatione armorum ad Infideles, si probare poterit se
C non sponte & voluntarie illa tradidisse, sed ventorum vi iactatum fuisse in eas Regiones inuitum, ibique armis & alijs mercibus ab Infidelibus, quibus repugnare non poterat, per vim expoliatum fuisse, declarabitur non incidisse in excommunicationem, quæ non contrahitur, vbi non adest voluntas & peccatum, Vnde Bald. in Auth. habita, col. 7. C. ne filius pro Patre inquit, quod prohibitus ingredi locum aliquem, non incurrit pœnam si inuitus illuc defertur. Ob eandem rationem, qui probabili facti ignorantia laborans aliquod prohibitum ad eosdem Infideles transmitteret, non esset excommunicatus, vt si Dominus Nauis deferat permissas merces alicuius mercatoris ad locum Infidelium, & mercator inter alias merces
D clam occultauerit arma, vel alias res prohibitas inscio Domino nauis, qui adhibita solita diligentia adhuc de rebus prohibitis nihil cognouit, non est excõmunicatus, Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 8. num. 25. Rebuff. in expositione huius Canonis Ver. Deferunt, dummodo quàmprimum ei innotuerit asportasse hæc prohibita, antequam quicquam vendatur, ea reportet, Silue. excom. 7. §. 64. in fi. Excommunicationem tamen nõ euitaret, qui vi ventorum vectus ad Terras hostium sponte venderet eis hæc prohibita, vt inquit Felin. in cap. Significauit num. 7. de Iudæ. arg. tex. in l. Cæsar ff. de Publica.

Septimo dubitatur, an in hanc excommunicationem incidat Princeps Christianus, qui bellum gerēs
E cum alio Principe Christiano ad se defendendum, coactus est aduocare milites Infideles, & illis arma & reliqua necessaria ad bellum subministrare, cum Christianos milites conducere non sit ei permissum.

Ad hanc difficultatem respondendum est quibusdam propositionibus. Prima propositio est, ex natura rei fas esse Principi Christiano in auxilium accire Paganos & Infideles ad bellum. Probatur primo Infideles vt Turcæ & Saraceni possunt sua sponte recte subsidium præbere Principi Christiano, qui iniuriam acceperit, & iniuste lacessitus fuerit ab alio Christiano

no Principe, ergo ipse Princeps potest ad sui defensionem accersere Turcas & Infideles, antecedens probatur, quia quando subest iusta causa belli, non modo illud potest licitè suscipi ab ijs, qui initium accepêrūt, sed etiā ab alijs, qui velint esse iusti belli socij, sic enim Abraham Gen. 14. iustè pugnauit contra quatuor Reges in gratiam fratris Loth, quem illi expoliauerant, & captiuum ducebant, & Iosaphat quoque contra Messam Regem Moab. pro Ioram consulto etiam prius Domino, vt patet 4. Reg. 3. vt enim ait Caiet. super B. Tho. 2. 2. q. 40. artic. 1. Charitas facit, vt socij pro vno & eodem reputetur, & sicut exercere opus bonum non potest nisi bonum esse, ita etiam adiuuare in bono opere, quale est iustum bellum. Consequētia probatur, nam quod alij possunt sponte rectè facere, licitè quoque ab eis potest peti. Vnde Machabæi petierunt auxilium à Romanis Infidelibus, & cum eis ac Spartanis fœdus & societatem iniere, vt legitur 1. Machab. cap. 8. & Christiani Imperatores, militum Ethnicorum opera, passim vtebantur, sicut etiam posterioribus temporibus Carolus Quintus Imperator Hæreticos accersiuit aduersus subditos rebelles, & Franciscus Galliarum Rex Turcas. Probatur secundo, quoniam defensio iure Naturæ concessa est l. vt vim. ff. de Iust. & Iu. cap. Dilecto de sent. excom. lib. 6. & in hac propositione conueneruņt omnes Doctores Theologi.

Secunda propositio vt licitum sit Christianis aduocare Infideles in subsidium contra alios Christianos, tria debent concurrere, quæ notantur ab Oldrado in consil. 71. cuius initium est, nunquid Christianus, vbi hanc quæstionem examinat, & à Io. And. in Addit ad Specul. super Rub. de Iudæis. Primum, quod requiritur, est, quod tunc temporis, quando Christianus accersit Infideles, non vigeat bellum inter Christianos & alios Infideles nec actiue, nec passiue. Secundum quod vocans Infideles gerat iustum bellum, siue offendendo, siue defendendo. Tertium vt nulla alia via Christiano supersit ad bellum gerendum, nisi ab Infidelibus auxilium postulet, quarum trium conditionum si aliqua desit, scandalum erit accersere Infideles in subsidium contra Christianos, præsertim homines illos, qui Christianum sanguinem auidissimè sitiunt, & Christi nomen maxime oderunt, Christianam denique Religionem funditus perdere & delere summa vi atque ope nituntur, quales sunt Turcæ & Saraceni. Ob eandem scandali rationem forte 2. Paral. 16. reprehensus est Rex Asa, quia aduocauerat in subsidium, exercitum Syriæ contra Regem Israel, nisi dicamus causam illius reprehensionis fuisse, quia maiorem spem posuerit in illo exercitu, quam in Domino, à quo paulo ante liberatus fuerat ab exercitu Aethiopum 2. Paralip. 14. norauit S. Ambrosius in oratione de obitu Theodosij & Abulensis q. 17. in cap. 16. 2. Paralip.

Tertia propositio, quæ sequitur ex dictis, non remanere innodatum vinculo huius excommunicationis Principem Christianum, qui iustum bellum gerēs cum alio Principe Christiano, & necessitate coactus non valens alia via se tueri petit auxilium à Turcis & Saracenis, illisq. ad hunc finem arma & alia instrumenta bellica subministrat.

Probatur primo quoniam si Christiani licite & sine peccato aliquando, quando conditiones propositæ adsunt, possunt subsidium postulare in bello ab Infidelibus, vt dictum est, igitur in eisdem casibus, si tradunt arma Infidelibus, nullius criminis Rei erunt, &

A multo minus in excommunicationem incident, quæ locum habere non potest, vbi cessat culpa, concesso enim fine, ea omnia concessa dicuntur, sine quibus finis obtineri non potest, cap. Præterea, & ibi Glo. Ver. ex eo quod causa de off. deleg. quia cōcesso principali, conceditur accessorium, cap. Quo iure 8. dist. capit. Si Monachus 16. q. 1. l. 2. ff. de Iurisdi. omn. Indi. Quare si permissum est, vt sine peccato aduocare possint milites Infideles, permissum quoque erit illis tradere arma & alia necessaria ad prælium, sine quibus militare nequeunt.

Secundo in casu proposito non aduocantur Infideles, quatenus sunt hostes & inimici Christiani nominis, nec in damnum & perniciem Christianorum, vt
B Christiani sunt (quod requirit Bulla ad incurrendam excommunicationem) sed vocantur potius in auxilium à Principe Christiano ad sui defensionem necessariam in bello iusto, quod suscepit, vel ad se tuēdum contra alium iniuste ipsius res inuadentem, vel ad recuperanda bona, quibus per iniuriam ab alio priuatus sit. Hoc autem nullibi damnatum reperitur sub pœna excommunicationis, ita sentit Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 4. nu. 27.

Animaduertendum est autem, quod etiam notat Nauar. in eod. notab. 4. num. 15. in fi. & num. 25. ad effugiēdam excommunicationem, debere Principem illum, qui socios sibi coniunxit Infideles omni diligētia curare, vt completo bello auferat ab ipsis Infide-
C libus arma & alia bellica instrumenta eis tradita, ne illis vllo vnquam tempore contra Christianos vti valeant. Quod si Princeps negligeret res illas prohibitas ex potestate Infidelium tollere, incideret in excommunicationem, quia cessaret causa excusationis.

CAPVT VI.

De rebus, quæ prohibentur deferri, seu transmitti ad Infideles Christiani nominis Hostes.

HActenus disputatum est de ijs, qui incurrunt excommunicationem ex violatione huius Canonis, similiter explicatum est, quos intellexerit Sum-
D mus Pontifex nomine Saracenorum, Turcarum, & Hæreticorum, & tandem quando quis dicatur deferre, seu transmittere prohibita, vt incidat in excommunicationem, modo discutiendum est, quæ sint hæc prohibita deferri, seu trāsmitti ad Infideles, & in hoc capite tractabo in genere de rebus prohibitis, in sequenti vero declarabo in specie res, quæ in hoc Canone expressè & distinctè enumerantur à Summo Pontifice tanquam prohibitæ.

Tria sunt genera rerum prohibitarum, quarū delatio reperitur Iure communi interdicta, quędam per se & simpliciter prohibita, vt arma, ferrum, & quidquid ad bellum, vel ad actiones bellicas directè & immediate, offensiue, siue defensiue ordinatur, & hæc à
E Doctoribus vocantur prohibita, vt notat Silue. excom. 7. §. 60, quæ omni tempore, scilicet belli, pacis, & treguæ, & ad omnem locum deferri prohibentur, vt patet ex pluribus locis Iuris communis, vt ex cap. Ita quorundam, in cap. Significauit, & in cap. Ad liberandam de Iudæ. in extrauag. Clementis Quinti multa- mentis eod. tit. in extrauag. Io. 22. Copiosus eod. tit. Quædam sunt, quæ ad omnem locum, siue quo ad omnes Saracenos prohibentur, sed non omni tempore, vt mercimonia, quæ interdicuntur deferri tempore belli solum, cap. Quod olim de Iudæ. Tandem aliæ sunt, quæ reperiuntur prohibita omni tempore deferri, sed

ri, sed non ad omnem locum, vt Victualia & etiam mercimonia, quæ iuxta dictam extrau. Multa, nullo tempore poterant deferri in Alexandriam, vel alia loca Saracenorum Terræ Aegypti sub Dominio Soldani, hæc enim tempore pacis licite mittuntur ad alios Saracenos, quia nullibi legitur prohibitum, vt inquit Silue. dicto §. 60. Talia, quæ vel non sunt semper prohibita, sed aliquo tempore, vel non vbique, sed in aliquo loco, appellantur à Doctoribus non prohibita.

Ex his tribus rerum prohibitarum generibus quæritur, quas Summus Pontifex interdicat in hoc Canone.

Aliqui censent hic excômunicari deferentes quascunque res horum trium generum sic sentit Tabien. excommunicatio 6. §. 4. Idem tenet Nauar. in Man. cap. 27. num. 63. in princ. qui putat in hac Constitutione Bullæ contineri omnia, quæ leguntur prohibita in omnibus cap. citatis Iuris communis, & idcirco per hunc Canonem excommunicari omnes, qui per singula illa Iura excommunicantur, quamuis non multiplicetur censura, sed addatur reseruatio.

Probatur hæc interpretatio ex illis verbis generalibus, quæ habentur in hoc Canone post enumerationem specialem plurium rerum prohibitarum, *Aliaq; huiusmodi*, quibus videtur Summus Pontifex velle significare omnia, quæ Iure communi interdicuntur.

Quamobrem iuxta hanc opinionem asserendum esset in Bulla excommunicari simpliciter Deferentes omni tempore belli & pacis, & ad omnem locum Saracenorum arma, ferrum, equos, & alia, quę dicuntur prohibita. Et insuper excommunicari deferentes mercimonia & victualia tempore belli ad omnem locum, & in Alexandriam etiam tempore pacis.

Alij vero existimant in Bulla prohiberi solum primum genus rerum prohibitarum, scilicet res, quę per se dicuntur prohibitæ, vt arma, ferrum, & cætera ad bellum necessaria. Est opinio Silue. excommunicatio 7. §. 60. quia dicit hæc solum vocari prohibita omni tempore & ad omnem locum, idem tenet Caiet. in Summa Ver. excommunicatio cap. 20. Vers. Vt autē clare, Card. Tolet. lib. 1. Summæ cap. 23. Vers. Aliud dubium est, quid sit intelligendum circa med.

Hæc secunda opinio mihi videtur probabilior, quę his rationibus persuaderi potest. Primo singula, quæ hic in Bulla recensentur, pertinent ad primum genus rerum prohibitarum, nempe equi, arma, ferrum, & cætera, quæ sunt proxima instrumenta ad vsum belli destinata, vel materia, ex quibus illa fabricari possunt vel animalia, quibus milites, aut eorum res vehuntur & nihil dicitur de mercimonij, aut victualibus, de quibus mentio fit in Iure, ergo priora tantum prohibentur in Bulla, non posteriora.

Secundo probatur ex illa clausula, quæ habetur in Bulla *Aliaque huiusmodi* posita post enumeratas res in specie, illa enim dictio *Aliaq;* est relatiua ad res præcedentes descriptas, quæ sunt prohibitæ per se, vt dixi, quia directè spectant ad præliandum, quare Summus Pontifex voluit solum interdicere alias res eiusdem generis, quamuis in Bullis antiquioribus, vt Pauli III. & aliorum ita legeretur, *Et alia prohibita deferunt* Ex quibus sumebatur occasio dubitandi, an mēs Papæ fuisset post prohibitionem in specie rerum ad vsum belli spectantium interdicere etiam mercimonia, & victualia, quæ iure communi prohibebantur, hunc enim sensum videtur reddere illa clausula *Et alia prohibita*, tamen hoc tempore cessat omnis ambigui-

A tas, quoniam sublata est dictio illa *Prohibita*, cuius loco habetur *Aliaque huiusmodi*, quæ declarant mentem Summi Pontificis esse, prohibere res eiusdem generis cum illis, quæ expressæ sunt, idest quæ pertinent ad bellum, non alias, quas etiam tantum intendebant prohibere Summi Pontifices in prioribus bullis, quia illæ simpliciter dicuntur res prohibitæ à Doctoribus, vt dicebam ex Silue. Sed res modo clarius est explicata per dictam clausulam.

Tertio idem confirmatur ex verbis, quæ sequuntur post clausulam *Aliaque huiusmodi*, scilicet *quibus Christianos & Catholicos impugnant* ex quibus expresse colligitur hic tantum prohiberi ea, quæ sunt requisita ad prælium & pugnam, alijs enim mercimonijs & vi-

B ctualibus homines non pugnant, quamuis ergo peccatum sit hęc deferre ad Infideles, non est tamen prohibitum in Bulla sub pœna excommunicationis, neq; etiam in cap. Ita quorundam de Iudæ. vt etiam notat Abb. ibi num. 1. licet oppositum sentiat Nauar. tempore belli in dicto cap. Ita quorundam notab. 10. nu. 13. Negari tamen non potest delationem mercium & victualium prohibitam esse in Iure cap. Quod olim de Iudæ. & alibi.

Ex dictis igitur colligitur hæc conclusio generalis in hoc Canone prohiberi omnia ea, & non plura, quæ per se immediate ordinantur ad bellum, seu prælium; quare naues, & Triremes, quæ in hoc Canone non leguntur, & exprimuntur in cap. Ad liberandam de

C Iudæ. & alibi hic comprehenduntur, quia ad bellum diriguntur, & continentur sub illa clausula generali *Aliaque huiusmodi*, & sub verbo *Lignamina*, vt dicam suo loco. Ob eandem rationem sunt alia multa prohibita, quę non enumerantur, neque in Bulla, neque in cap. Iuris communis, & tamen absque dubio prohibentur sub pœna excommunicationis, vt Currus, Iumenta oneraria, Cameli, & similia, quorum singula distincte recenseri nequeunt, quia esset opus immensum, sed iuxta Regulam assignatam de singulis est diiudicandum.

Potest tamen dubitari de quibusdam, & primo de pecunia aurea & argentea, quę non comprehenditur sub voce metallorum, quia iuxta communem senten-

D tiam nummi ex auro formati, vel ex argento mutant speciem, vnde nomine metallorum non intelliguntur etiam in legatis nummi signati, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 63. Vers. Sexta quod per aurum, l. Cum aurum, & l. Quintus Mutius §. 1. ff. de Auro & Argento lega. Ex alia parte si appellatione metallorum significatur aurum & argentum infectū, fortiori ratione debent intelligi nummi, & pecunia formata, ex qua facillime possunt comparari arma & reliqua ad pugnam requisita, & stipendia militibus soluuntur, vnde pecunia vocatur neruus belli.

Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 63. Vers. Sexta quod per aurum, tenet comprehendi nomine metallorum pecuniam ob eam rationem, quia si hac voce intelli-

E guntur omnia metalla, quatenus talia sunt, ex quibus adhuc nullum instrumentum aptum ad bellum fit extructum, magis debet intelligi pecunia, quia hæc aptior est ad arma & cætera instrumenta emenda. Idem tennit Aug. Triumphus in Summa de Potest Eccles. q. 27. art. 8.

Hoc idem mihi videtur probabilius, quare ad dubitationem dicerem, pecuniam dupliciter considerari posse, & sub vtraq; ratione hoc in loco prohiberi. Primo modo ratione materiæ, ex qua confecta est, nempe ex auro, argento, vel ære, & si sub hac ratione defe-

deferatur, absq; dubio comprehenditur nomine metalli, & ideo incurritur excommunicatio, quia potest deseruire ad instrumenta bellica conficienda, maxime si sit ærea pecunia, vel ad illa ornanda, si sit aurea, aut argentea, alio modo considerari potest pecunia formaliter, vt est moneta, habens valorem ex institutione Principis, inuenta vt esset medium, quo homines omnia sibi necessaria comparare possent, & esset instrumentum generale ad omnes contractus ineundos, vnde ex sententia Arist. in primo Polit. capit. 6. Numnuissima est omnis res, & denarius est quidam fideiussor hominis ad habendam omnem rem, & in hac significatione pecunia non est comprehensa sub appellatione metallorum, sed comprehenditur sub illa clausula generali, *Aliaque huiusmodi, quibus Christianos impugnant*, quia Christiani magis possunt impugnari pecunijs, quam armis, vel saltem pecunia continetur sub illis verbis, quæ habentur in secunda parte huius Canonis, scilicet *Illisq;*, idest Infidelibus *ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant*, non enim minus auxilium tribuitur Infidelibus, si illis suppeditetur pecunia ad bellum, quàm si subministrentur arma, vel alia instrumenta ad prælium attinentia.

Animaduertendum tamen est, cum dicimus vinculo excommunicationis obstringi eum, qui pecunias defert ad hostes Christiani nominis, hoc intelligẽdum esse, vbi id fit intentione & malo animo ferendi auxilium Infidelibus contra Christianos, vel saltem, si non fiat tali intentione mala formaliter & expressè, sed in alium finem, & fortasse bonum, virtualiter tamen intenditur hic finis malus, quod ex circumstantijs & qualitatibus facti colligi poterit, puta cum quis proficiscitur ad Terras Infidelium cum pecunijs, vt exponat illas negociationi, & emat merces, quas asportet in Terras Christianorum animo lucrandi, vnde se familiamq; suam honeste alere possit, & nullum habeat animum adiuuandi ipsos Infideles, sed tamen ex conditionibus personarum, locorum, temporis, & rerum animaduertit ex illis pecunijs adiuuari posse ipsos Infideles ad impugnandum Christianos vel tunc, vel postea, vel certe si id non cogitat, tenetur tamen cogitare, scire enim, vel debere scire æquiparantur, l. Quod mihi ff. de reg. Iur. Vbi Glo. Vnde qui hoc modo traderet pecuniam Infidelibus, saltem virtualiter adiuuaret illos ad bellum, idem enim est, quod quis subministret pecunias Hostibus Christianorum ea intentione formali, vt illos adiuuet contra Christianos, vel id faciat in alium finem, sed sciat, aut scire teneatur opus suum tendere in illum prauum finem, quando vero cessat omnis praua intentio & actualis & virtualis adiuuandi Infideles ad bellum ex subministratione pecuniarum, non incurritur excommunicatio bullæ.

Secundo dubitari potest de Vena ferri, an sub genere rerum prohibitarum contineatur, ita vt incurratur excommunicatio, si subministretur Infidelibus.

Nauar. in Manua. cap. 27. numero 63. Vers. Quinta quod per ferrum, & in cap. Ita quorundam notab. 6. num. 9. de Iudæ. censet nomine ferri non esse intelligendam venam ferri, seu Terram, ex qua ferrum conficitur, & idem ait de vena auri ob eam rationem, quoniam prohibetur solum ferrum, & nomine ferri intelligitur id, quod actu & formaliter est ferrum, siue ex eo sit fabricatum instrumentum aliquod bellicum, siue sit infectum, scilicet Massa, vel virga ferrea, non significatur autem nomine ferri Terra, ex qua, arte

A & industria hominis potest educi ferrum.

Contrariam sententiam tenet Silue. excommunicatio 7. §. 59. Vers. & secundo, quod qui defert venam ferri, est excommunicatus, & hoc est probabilius asserere, ratio est, quoniam vena ferri nõ habet alium vsum, quam vt ex ea, virtute ignis conflетur ferrum, quare eodem modo prohibetur sicut ferrum, licet ad vsum belli non immediate deseruiat sicut ferrum, & hoc parum refert, nam in Bulla prohibetur & res & materia eius. Accedit, quod vena ferri vere & proprie est ferrum non ita purum & mundum, sicut postquam igne purgatum est, sed ferrum est, sicut segetes spicis vberibus & crebris contextæ, cum glumis & aristis triticum continent, etiam antequam ab illis se B paratum fuerit & purgatum. Vnde si promulgaretur excommunicatio contra deferentes triticum, absque dubio afficeret deferentes segetes non purgatas, immo magis certam esse censeo incurri excommunicationem Bullæ ex delatione venæ ferri, quam si deferatur aurum, vt diximus, quoniam ferrum expressè hic prohibetur, & vena ferri ad alium vsum aptari nequit, quam vt ex ea eruatur ferrum, ex quo fabricantur arma ad bellum necessaria, at aurum & argẽtum non expressè prohibentur, & ad plura vtilia sunt præter bellum, & ideirco ad incurrendam hanc excommunicationem ex asportatione auri, vel argenti requiritur praua intentio, idest vt id fiat animo malo adiuuandi Infideles in bello contra Christianos, vt dixi, C quæ non est necessaria ad contrahendam excommunicationem ex delatione venæ ferri, quia res ipsa, quæ defertur talis est, vt ea vti soleant Infideles ad impugnandum Christianos, nã vena ferri non habet alium vsum, quam vt ex ea conflетur ferrum, quamuis non ita immediate deseruiat ad bellum, sicut ferrum, & eandem censeo esse rationem de Terra, vel lapide minerali cuiuscunque metalli, etiamsi non sit metallum colatum.

Tertio dubitatur de Victualibus, de vestimentis, & de alijs omnibus rebus, quæ tam in pace, quam in bello hominibus vsui sunt, quæ licet per se & simpliciter ex vi huius Canonis non prohibeantur, vt probatum est, an saltem in aliquo casu intelligantur prohibita, D vt ex eorũ delatione incurratur hæc excõmunicatio.

Respondeo, quod quamuis hæc simpliciter non prohibeantur in bulla, tamen potest incurri excommunicatio huius Canonis ob illorum delationem, si hac intentione deferantur ad Infideles, vt illis vtãtur in bello contra Christianos, vel si desit hæc formalis intentio, saltem si attentis circumstantijs loci, temporis, & personarum moraliter existimari potest futura instrumenta & auxilia belli contra Christianos, vt dixi in prima dubitatione, hoc enim sufficit, vt sit locus excommunicationi Bullæ ob illam clausulam generalem, *Illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant*, sed vbi cessat hæc intentio praua E formalis & virtualis, ex delatione harum rerum, quæ ex sui genere sunt indifferentes, & vtiles, & necessariæ sunt tam tempore belli, quam pacis, non incurritur excommunicatio Bullæ, quia non recensentur in specie inter alias res prohibitas, neque comprehenduntur sub illa clausula generali, *Aliaque huiusmodi, quibus Christianos impugnant*, vt probatum est, quamuis qui deferret huiusmodi merces omnino indifferentes, incurreret excommunicationem Iuris, vt in capitulo Quod olim de Iudæ. & in extrau. Multa eod. tit. & alibi, quod clarius explicabitur inferius suo loco,

Quarto

Quarto dubitari potest, an nomine rerum prohibitarum comprehendantur etiam homines.

Respondeo certissimum esse contineri homines sub genere rerum prohibitarum, quare qui transmitteret homines ad Saracenos aptos ad pugnandum, vel ad remigandum, vel ad alia officia necessaria in bello, incideret in hanc excommunicationem.

Probatur, quoniam si incurritur excommunicatio ex delatione instrumentorum ad vsum belli, quæ per se ipsa nullum damnum Christianis inferre possunt, nisi exerceantur ab hominibus, ergo multo magis, si homines, (qui sunt animata instrumenta, accedant in auxilium Infidelium contra Christianos, erit locus huic excommunicationi, res est euidens, neque indiget probatione.

CAPVT VII.

De ijs rebus in specie, quæ probibentur deferri contentis sub illa clausula, Equos, Arma, Ferrum, Filum ferri, Stamnum, chalybem, omniaq; alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, Lignamina, Canapem, Funes tam ex ipso canape, quam alia quacunque materia, & ipsam materiam.

Explicatis in genere his, quæ in hoc Canone prohibentur deferri nunc pertranseundum est ad ea, quæ specifice recensentur vt prohibita, & singula sunt sigillatim declaranda.

Per *Equos* intelligendi sunt omnes equi, cuiuscunq; qualitatis & conditionis sint, quia est verbum genericum, & omnes equos includit domitos, & indomitos, veloces ad cursum, vel aptos ad trahendam redam, aut salmam ferendam, disciplinatos & edoctos ad pugnam, vel è contra tandem etiam claudos, debiles, & morbosos, si opera & arte possunt curari, & feroces fieri, vt inquit Nauar. in Manua. capitulo 27. numero 63. Ver. Tertia quod per equos, & sufficit vnicum tradere equum Infidelibus ad incurrendam hanc excommunicationem, si non esset adeo ineptus & infirmus, vt nulla arte reparari posset, & potius incommodo, & labori, quam vtilitati & vsui esset. Prohibentur igitur primo loco equi, quod ad bellum maxime vtiles sunt, & necessarij non solum ad commeatus, militumque arma, atque sarcinas ferendas, cæteraque ad bellum necessaria, sed etiam ad certamen & prælium ineundum. Ob eandem rationem recensentur etiam inter alias res prohibitas in extrauaganti Copiosus, atque etiam in extrauag. Multa de Iudæ. Et nomine equorum censeo comprehendi Mulos, Asinos, Camelos; hæc enim bruta plurimum in bello vtilitatis afferre possunt, si minime ad pugnandum, saltem ad ferendas sarcinas.

Quæret aliquis, an censura huius excommunicationis obstringeretur, qui transmitteret ad Saracenos equos, qui in potestatem, & Terras Christianorum ab ipsismet Saracenis ducti sint, vt si quis illos emat à Saracenis, & rursus ad alios Saracenos deferat.

Respondeo talem incidere in hanc excommunicationem, quoniam contra prohibitionem Bullæ defert equos ad Saracenos, Bulla enim simpliciter loquitur, nec attendit, vnde deferens illos habuerit.

Arma quid nomine armorum significare voluerit Summus Pontifex, paulo maiorem habet difficultatem, cum hanc vocem ad plura & diuersa significā- A da vsurpatam reperiamus apud scriptores, nam rastra, ligones, & huiusmodi Rusticorum instrumenta arma vocamus, Virg. 2. Georg. *Dicendum, & quæ sint duris agrestibus arma*. Similiter arma coquinaria sunt lebes, patella, tripus, olla. Plaut. *Quam eleganter instructum coquinariis armis*. Arma Studiosorum, Styllus, pugillares, libri, Plaut. *Cuius arma erant non venabulum & lancea, sed stylus & pugillares*. Nautarum quoque & Pistorum instrumenta arma dicuntur Virg. lib. 5. Aenæ. *Colligere arma iubet, validisque incumbere remis*, & lib. 1. *Cerealiaque arma expediunt*. Quandoque capiuntur pro bello, sicut è contra Toga pro pace, cedant arma togæ. Consilia quoque arma dicuntur, Virg. 2. Aenæ. *Et quærere conscius arma*.

B Tandem bellica instrumenta, quibus præliamur in certamine & pugna, proprius & vsitatius arma vocari solent, vt scutum, gladius, tela sic dicta ab armis, idest humeris, à quibus dependent, vel ab arcendo, quod his arceantur hostes, vt fustes, lapides, & huiusmodi. In hoc Canone nomine armorum non intelligi omnia artium quarumlibet, sed militaris tantum artis instrumenta affirmant omnes Doctores, quę varia sunt, & multiplicia, vt ex Vegetio lib. 2. de Re Milit. capitulo 25. & lib. 4. capitulo 44. & ex Plinio libro 7. capitulo 56. colligi potest, quod vero per arma hoc in loco non accipiantur omnia instrumenta artium generaliter, sed tantum bellica & militaria, manifeste patet ex verbis Bullæ *Quibus Christianos &* C *Catholicos impugnant*, & clarius ex clausula, quæ antecedit, *Omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta*, quare de hoc nō est ambigendū, comprehenduntur autem tum ea, quæ ad defendendum sunt tum etiam quæ ad offendendum, & pugnandum idonea & apposita, vt scuta, galeæ, loricæ, gladij, hastæ, sagittæ, tela, fustes, & alia id genus multa. Glo. in extrauag. Copiosus Ver. Arma de Iudæ. Instit. de Interd. §. Recuperanda, & de Public. Iudic. §. Item lex Cornelia, l. Idem est in princip. Ver. Arma ff. de vi, & vi Arma. l. Armorum ff. de verbo. signif. *Armorum appellatio*, inquit Iurisconsultus, *non vtique tantum scuta, gladios, & galeas significat, sed & fustes & lapides* l. si pignore Vers. Teli autem habetur, *Teli autem ap-* D *pellatione & fustis, & ferrum, & lapis, & denique omne, quod nocendi causa habetur, significatur*, & est communis sententia omnium Doctorum, Ang. excommunicatio 7. numero 59. Vers. Primo tamen sciendum est Silue. excommunicatio 7. §. 59. in princip. Tabie. excommunicatio 6. §. 1. Rebuff. in hunc Canonem Ver. Arma, Caiet. in Summa Ver. excommunicatio cap. 20. Vers. Aduerte deinde, Nauar. in Manuali capitulo 27. numero 63. Vers. Quarta quod per arma, & in cap. Ita quorundam notab. 5. numero 25. Card. Tolet. libro primo Instruct. Sacerd. capit. 23. Vers. Aliud dubium est quid per arma, & idem dicunt omnes alij.

E Quamobrem omnes subministrantes Infidelibus arma quæcunque ex quauis materia fabricata, quorum tamen præcipua materia est ferrum, quæ sunt instrumenta per se ordinata ad offendendum, & proprie dicuntur tela, siue ad defendendum; quæ dicuntur arma, vt notat Glo. in Clem. Ne in Agro §. quia vero Ver. Arma de Stat. Monach. cuiuscunque sint figuræ, qualitatis, & speciei, & quouis nomine nuncupentur, incurrunt excommunicationem huius Canonis; Quare erit excommunicatus, si quis tradat Infidelibus Lanceas, Enses, Pugiones, Clauas Ferreas, Arcus Furatos, Bombardulas,

arcus, sagittas, tela, & alia id genus, quæ innumera sunt, & multipliciter distincta, quibus vtimur ad offendendum, siue si ad eosdem deferat scuta, galeas, loricas, cassides, platas, diploides, & similia, quæ etiam plura sunt, & distincta, & varijs nominibus à Doctoribus significata, ad corpus defendendum inuenta.

Hinc sequitur nō innodari excommunicatione huius Canonis eos, qui deferunt ad Saracenos paruos cultros formatos ad incidendū panem, vel ad aptandum calamum non solum ob paruitatem materiæ, vt dixi in cap. 3. sed etiam quoniam proprie vocari arma nequeūt, nec vllum vsum in prælio habere possunt, vnde statutum puniens portantem arma per Ciuitatē non comprehendit portantem similem cultrum, vt est Glo. singularis in Auth. de Armis ad fi. Ver. Minores, quam sequitur Bart. in l. 1. n. 2. ff. ad leg. Iuliam de vi. publ. Ideo tex. in cap. Clerici 1. de vi. & honest. Cleri. Vbi interdicitur Clericis simpliciter delatio armorum sub pœna excommunicationis, non intelligitur, vt ibi inquit Abb. n. 7. de Cultello paruo apto ad incidendum panem & alia necessaria, & idem repetit Abb. in cap. Lator nu. 3. de Homic. in quo conueniunt Ang. Silue. & omnes alij Doctores locis proximè citatis.

Animaduertendum tamen est primo hoc esse intelligendum de paruo cultro, qui non sit aptus ad offendendum, vt inquit Bart. vbi sup. si enim esset talis, vt deseruire posset in bello ad offendendum, comprehenderetur appellatione armorum, quia nocere posset, idem ait Abb in dicto cap. Clerici de vi. & Honest. Cleri. tunc enim locus esset excommunicationi.

Aduertendum est secundo, quod si quis dolo aut fraude tantam horum paruorum gladiorum quantitatem ad Infideles deferret, quod ex eis conflari arma possent apta ad vsum prælij, vel etiam faceret sine dolo lucri causa, vel ob alium finem non considerans ex ignorantia, sicut considerare deberet, quod tam magnus cumulus horum paruorum gladiorum potest vtui esse ipsis Infidelibus eo modo, quo dixi, esset excommunicatus, non ob eam rationem, vt inquit Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 5. n. 25. quia arma deferret, sed quoniam vtilia ad bellum asportaret malo animo actuali, vel virtuali, quia huius generis gladij non admittunt nomen armorum, nisi improprie & in latiori significatione, in quo sensu omne id, quod nocere potest, nomine armorum comprehenditur, sicut dicit IurisConsultus in l. Armatos ff. ad leg. Iul. de Vi. Publ. his verbis *Armatos non vtique eos tantum accipere debemus, qui tela habuerint. sed etiam eos, qui habent aliud, quod nocere potest*. Idem est sentiendum de instrumentis necessarijs ad colendos agros & vineas, vel necessarijs ad aliarum artium, vt sunt secures, falces, ligones, rastra, perticæ, nouaculæ, fibiæ, acus, clarui, & similia, quæ licet proprie vocari non possint arma, tamen si ad Saracenos, vel alios Christiani nominis inimicos deferantur, quatenus aliquo modo vtilia esse possunt ad vsus militares, & quatenus sunt materia & res, quæ potest Saracenos iuuare ad Christianos oppugnandos, incurritur excommunicatio. Est tamen differentia ista & illa, quæ proprie dicuntur arma, vt dicit Card. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. capit. 23. Vers. Aliud dubium est quid per arma in fi. Nam deferre ista, quæ proprie non sunt arma, quando deest talis intentio vtendi in bello, non est causa, vt incurratur excommunicatio Bullæ, at deferre illa priora, etiamsi intentio desit, est deferre arma, vnde statim contrahitur hæc excommunicatio.

A Sed dubitatur, an sub propria significatione armorum intelligantur lapides & fustes, ita vt semper prohibeantur deferri, & ex tali delatione incurratur excommunicatio huius Canonis, licet desit praua intētio. Ratio dubitandi est, quoniam in l. Armorum ff. de verbor. signif. dicitur nomine armorum intelligi non tantum scuta & gladios, sed etiam fustes & lapides. Idem statuitur in l. Idem est ff. de vi. Arma. Idem habetur in §. Item lex Cornelia Instit. de publ. Iudi. Tandem idem videtur sentire Glosa in capitulo Ita quorundam Ver. Ferrum de Iudæ. Ex altera parte non videtur posse lapidibus & fustibus nomen armorum proprie accomodari, neque enim ad hoc parantur, vt illis in prælio ad offensionem aut defen-
B sionem vtamur.

Ad hanc difficultatem ad hunc modum respondēdum esse putarem, nempe vt dicamus primo si loquamur de lapidibus non communibus ad ædificia, sed ad machinas bellicas artificiose fabricatis, vt sunt pilæ, siue globi lapidei, qui vi tormentorum bellicorum solent cum impetu emitti & excludi. Similiter si nomine fustium accipiamus hastas ligneas teretes, quibus apposita cuspide præferrata, milites in bello vtuntur, absque dubio lapides & fustes huius generis sub nomine armorum vere & proprie significantur, & idcirco illi, qui hæc ad Infideles quocunque tempore & quauis intentione subministrarent tanquam deferentes prohibita per se, contra Constitutionem
C Bullæ, vinculo huius excommunicationis innodati remanerent.

Secundo dicimus, si loquamur de lapidibus & fustibus secundum communem & vsitatam significationem, illa proprie nomine armorum non intelligi, sed improprie, vt annotauit Glo. singularis in Clem. ne in Agro §. Quia vero Ver. Arma de Sta. Monach. affirmans excommunicationem in illa Clem. latam contra Monachos intra Monasterij septa arma tenentes non includere eos, qui lapides & fustes tenent, & ita tenet Ang. in §. Ex maleficijs col. 6. Instit. de Actio. & in §. Recuperanda de Interd. & communiter loquendo nemo lapides & fustes appellat arma, & hic communis vsus attendi debet, vt in hac materia ar-
D morum notanter probauit Card. in dicta Clem. Ne in Agro in quæst. 5. de sta. Monach. præsertim in Constitutione pœnali, in qua verba non debent extendi, & ob hanc rationem idem affirmauit Felin. de lapidibus & fustibus in cap. Ita quorundam numero 3. de Iudæ. Qua in re conueniunt quoque omnes scribentes in Bullam, & idcirco cohærenter asserunt non incidere in excommunicationem Bullæ illos, qui deferunt ad Saracenos lapides & fustes, etiamsi forte casu aliquo Saraceni illis rebus vterentur in prælio præter mentem ipsorum deferentium, secus vero si hæc, deprauata intentione transmitterent, vt deseruirent Saracenis in prælio contra Christianos, in hoc enim casu essent excommunicati, quoniam deferrent
E ad hostes praua intentione actuali, vel virtuali (vt superius explicaui) res vtiles, & quę adiuuare possent hostes in prælio ad offensionem seu defensionē, quod est interdictum sub pœna excommunicationis, Nau. in cap. Ita quorundam notab. 5. num. 19. & in Manua. cap. 27. nu. 63. Vers. Quarta quod per arma in fi. Tabie. excommunicatio 6. nu. 2. Ang. excommunicatio 5. cas. 21. Silue. excommunicatio 7. §. 59. Rebuf. in explicatione huius Canonis Ver. Arma. Dixi de armis, pertranseundum est ad aliam dictionem.

Ferrum, Ferrum est genus quoddam metalli notum

omni-

omnibus, & plurium instrumentorum materia, quę ad vitam hominis necessaria sunt, & nomine ferri hoc in loco significari ferrum factum, siue infectum omnes consentiunt. Per ferrum factum intelligitur instrumẽtum ex ferro formatum, ferrum infectum est ipsa Massa, seu lamina ferri conglobata, impolita, ac rudis, ex qua confici possunt instrumenta bellica, quale maledixit Silue. excommunicatio 7. §. 59. Vers. Et secundo, vt etiam annotauit Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 63. Vers. Quinta quod per ferrum, per ferrum infectum esse intelligendam venam ferri, quamuis enim incurratur excommunicatio ex delatione venæ ferri, vt probaui cap. præcedenti, non tamen illa appellari potest ferrum, sed est materia, ex qua, arte educitur ferrum, quare ex delatione ferri facti, seu infecti, ad Saracenos incurritur excommunicatio Bullæ, & Iure antiquo etiam incurrebatur excommunicatio cap. Ita quorundam, cap. Ad liberandam de Iudæ. Immo iure ciuili ab Imperatore sub pœna capitis & confiscationis omnium bonorum hoc idem interdictum erat, idest ne ad Barbaros Populi Romani Hostes, ferrum factum siue infectum transmitteretur, vt statutum habetur in l. Nemo Alienigenis C. quæ res asporta. non debe. Verba textus sunt *Nulla prorsus ijsdem tela, nihil penitus ferri vel facti iam, vel adhuc infecti ab aliquo distrahatur* & l. Cotem ff. de Publica. & Vectoga. & Commiss. Similiter prohibetur, ne vllus audeat vendere cotem, qua acuuntur gladij, minus quoque ferrum, idem sentit Glosa in cap. Ita quorundam Ver. Ferrum de Iudæ.

Sed hic dubitari potest, an nomine ferri intelligatur solum ferrum, quod est præcipua materia, & magis apta ad formanda instrumenta bellica, vel potius hac voce Summus Pōtifex voluerit prohibere quamcunque materiam, ex qua possent fabricari arma, siue esset genus metalli, siue quæcunq; alia res, expressit tamen ferrum tanquam primariam materiam ac magis accomodatam ad hunc vsum.

Caiet. in Summa Ver. excommunicatio c. 20. Vers. Aduerte deinde, videtur significare nomine ferri intelligendam esse quamcunque materiam propriam primariam, seu secundariam armorum, sicut per lignamina debet intelligi similiter materia primaria & secundaria Galearum & Nauium, vt vela & alia necessaria ad construendam nauem.

Contra vero Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 6. num. 5. & seq. tenet nomine ferri solum ferrum esse intelligendum non aliam materiam, etiamsi ex illa possent arma fabricari, hæc opinio Nauar. mihi magis placet ob eam rationem, maxime quoniam statim post illam dictionem *ferrum* additur in Bulla *filum ferri, stamnum, chalybem, omniaque alia metallorum genera*, quæ non fuissent recensenda, si per ferrum aliam materiam armorum significare voluisset, quam ferrum, sicut per lignamina non intelligitur omnis materia Galearum, sed solum lignea, vt dicemus. Voluit igitur Papa prohibere ferrũ, deinde extẽdit hanc prohibitionem ad filũ ferri, stamnum, & alia enumerata.

Secundo dubitatur, an deferens clauiculos paruos, & gladiolos, fibulas, & similia incurrat hanc excommunicationem.

Respondet Silue. excommunic. 7. §. 59. Vers. & secundo, in hoc casu non esse locum huic excommunicationi, & idem sentit Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 6. nu. 12. & 13. Rebuff. in hunc Canonem Ver. Ferrum, Ratio est, quoniam & si talia instrumenta verè appellari possint ferrum factum, non tamen sunt

A ferrum mediate vel immediate vtile bello, nisi vt recte notat Silu. hæc dolo, vel lata culpa, & inconsideratione in tanta copia & tali tempore deferrentur, vt probabiliter verendum esset, ne conuerterentur à Saracenis in arma, tunc enim ob hanc prauam intentionem formalem aut virtualem locus esset excommunicationi, vt superius quoque notaui.

Filum ferri, post ferrum additur filum ferri, Hæc clausula primum apposita fuit à Paulo Tertio in Bulla, nam in Bulla Clementis Septimi non legebatur. Prohibetur filum ferri deferri, quoniam deseruit ad arcus tendendos, vt sic ducti velocius sagittas emittant, & sunt instrumenta bellica vsitata, & valde familiaria Saracenis. Est etiam filum ferri vtile ad alios

B vsus in bello, & quamuis etiam Infideles nihil vtilitatis ex illa materia in prælio perciperent, tamen satis est, vt in Bulla sit expressè prohibita ad hoc, vt deferens contra hanc prohibitionem incidat in excommunicationem, nisi excusetur ob paruitatem materiæ à peccato, & consequenter ab excommunicatione, sicut in alijs casibus dixi. Et hanc prohibitionem de filo ferri existimo intelligendam esse de filo omnium aliorum metallorum ob identitatem rationis, nam Constitutio pœnalis loquens de vno solo, quia frequentius contingit, non excludit aliud in quo reperitur eadem ratio, licet rarius accidat iuxtam Glosam singularem in Clem. 1. Ver. Præsidentes de Rescript.

C *Stamnum*, hinc patet, vt dixi, Papam nomine ferri noluisse significare alia metallorum genera, sed solũ ferrum, ideo modo hanc Constitutionem extendit ad stamnum notissimum metalli genus, & est liquor primus, vt inquit Plin. lib. 34. cap. 16. fluens in fornacibus ex plumbo cum argento in fodinis misto, & multos habet vsus, vtile est etiam in bello, idcirco prohibetur eius delatio.

Chalybem, Chalybs est genus ferri magis purum, purgatũ, & perfectius, quod Italicè vocatur Acciaio, Virg. 8. Aene. *Vulnificusq; chalybs vasta fornace liquescit*, quibus verbis clarissime ostenditur, instrumenta ex chalybe fabricata esse maximè apta & accomodata ad prælium, cum chalybs per excellentiam vulnifi-

D cus appelletur, idest instrumentum ex chalybe formatum ad vulnus infligendum valere. Hinc etiam probari potest verum esse, quod supra dicebam, nimirum nomine ferri non esse intelligenda alia metallorum genera, postquam voce illa neq; omne ferrũ significare voluit Sum. Pontifex, sed solum ferrum commune.

Omniaq; alia metallorum genera, Metallum dicitur quæuis materia dura è terræ visceribus effodi solita, cuius septem genera recenset Rebuff in hunc Canonẽ Ver. Metallorum genera ex Isid. lib. 16. Etymolog. c. 16. & Luc. de Penna in Rub. C. de Metall. lib. 11. Non meminit Orichalci, quod etiam metallum est, accedens ad colorem auri, & olim maximo in pretio habebatur. Quare Summus Pontifex primo loco prohi-

E buit ferrum, tanquàm præcipuam materiam Armorum, & rem maximè vtilem & necessariam ad bellũ gerendum, vnde ferrum dicitur omnia domare, & est vnum genus metalli deinde expressit alia duo genera stamnum & Chalybem, tandem vt includeret reliqua metallorum genera, scilicet aurum, argentum, & electrum, æs, & plumbum, addidit dictionem vniuersalẽ, *Omniaq; alia metallorum genera* Quicunq; igitur deferret ad Infideles metalli quoduis genus, nisi ex materiæ modicitate excusaretur à culpa lethali, incideret in hanc excommunicationem, damnato enim genere intelliguntur damnatæ omnes species, l. si quid

earum §. Inter emptum ff. de lega. 3. quamuis etiam esset metalli genus, ex quo arma idonea ad pugnandum formari non possent, quoniam Summus Pontifex simpliciter prohibuit omnia metallorum genera sine vlla distinctione.

Atque bellica instrumenta. Cum Summus Pontifex prohibuisset, ne deferantur arma ad Infideles, neque ferrum aut aliud metallũ, ex quo arma fabricari possunt, quia potuisset aliquis dubitare, an nomine armorum intelligerentur omnia instrumenta bellica, & merito, quoniam arma ab armis dicuntur, idest humeris, à quibus dependent, vt inquit fest. Vt scutum, Gladius, Tela, & ea, quibus præliamur, & seruius docet arma esse, quæ armos tegunt, quare si arma sunt, quæ corpora singulorum tegunt, vel quibus singuli vtuntur ad aliorum offensionem, iuxta hanc significationem multa instrumenta bellica non possent vocari arma. Ad tollendam igitur omnem ambiguitatem Summus Pontifex voluit exprimere *bellica instrumenta*, ne vllus ignoraret, quod ex delatione cuiusque instrumenti bellici ad Infideles, etiamsi nomine armorum non comprehenderetur, hæc excommunicatio incurritur, itaque locus erit huic excommunicationi, si deferãtur Tympana, Fistulæ, litui, Cornua, Tubæ, Scalæ, Currus, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 63. Vers. Per bellica instrumenta. Similiter si transmittantur Bombardæ, seu Colubrinæ, Balistæ, Arcubalistæ, Spingardæ, vt notat Rebuff. in hunc Canonem Ver. Bellica instrumenta, & eadem ratio est de alijs Tormentorum generibus, quę varia & diuersa sunt non solum nomine, sed materia & forma, & vsurpantur ad mœnia Ciuitatum diruenda, arces expugnandas, & ad exercitus fugandos, hæc enim omnia comprehenduntur sub nomine bellicorum instrumentorum, quæ latius patent, quàm arma; omnia enim arma sunt bellica instrumenta, non è contra.

Lignamina, in cap. Ira quorundam de Iudæ. sic habetur, *lignamina Galearum*, eodem modo legitur in cap. Ad liberandam eod. tit. & sic habetur in extrau. Copiosus Io. 22. & in extrauag. Multa, inter extrauagantes communes in tit. de Iudæ. Qua in re ante omnia animaduertendum est vtramque vocem, nempe, *lignamina Galearum* esse barbaram, sed quia vulgus his vocabulis vtitur illis quoque vti Ius Canonicum voluit, & Papa in Bulla, vt omnes clarius & melius, quid prohiberetur, intelligerent, magis enim oportebat orationis perspicuitati (quæ maxima debet inesse legi) quam ornatui & puritati tribuere, cap. Erit autem lex dist. 4. Et ad hanc rem plura erudite scripsit Nauar. in cap. Ira quorundam notab. 7. n. 1. vsque ad 12. quo fit, vt male quidam correxerint textus citatos Iuris Canonici, qui *ligamina Galearum* in locum lignaminum substituerint, quia ligamen significet solum ligaculum, seu ligamentum, quo aliquid alligatur, non significet materiam, ex qua fit aliquid, quod expresse voluit Summus Pontifex prohibere, idest ligna ex quibus fiunt naues, triremes, & alia, quæ vtilia esse possunt Infidelibus in bello contra Christianos, & quod Summus Pontifex in citatis textibus Iuris Canonici non vsus fuerit nomine ligaminum, sed lignaminum, sicut habetur in hoc Canone, patet euidenter ex Glo. in dicta extrauag. Copiosus Ver. ligamina de Iudæ. Vbi habet hæc verba *Galearum scilicet, vel de quibus Galea, vel alia nauigia fieri possunt*, ergo tunc quando Glo. edita fuit, legebatur in textu *Lignamina Galearum*, sed postea ignarus quidam putans per errorem positam esse vocem *Lignamina* correxit, & descripsit *Ligamina*, & sic temere corrigens deprauauit textum, & sensum mutauit contra mentem Papæ, eodem modo barbarum est, non latinum verbum *Galearum* additum in citatis iuribus post lignamina, quamuis enim vox, Galea, penult. correpta latina sit, ad significandum tegumentum capitis, attamen Galea penult. producta ad designandum genus nauis, quod remis agitur, apud nullum scriptorem reperitur. Ad maiorem autem declarationem vsurpatum est nomen illud, quod vulgare est & commune ad significandum, genus illud nauigij, sed in Bulla apponuntur lignamina simpliciter sine additione Galearum.

B Per lignamina in hoc Canone comprehenduntur non solum omnia ligna, ex quibus fieri possunt triremes, seu galeæ, & aliud quodcunque genus nauigij, sicut sunt intelligendi illi textus citati iuris Canonici, in quibus prohibentur lignamina Galearum, ea enim clausula, dumtaxat intelligi possunt ligna, materia scilicet Triremium & Nauium, sed etiam hac voce in Bulla comprehenditur quælibet alia materia lignea apta, & idonea, ex qua ædificari possint instrumenta bellica tam offensiua, quam defensiua, & eodem modo sunt intelligenda alia Iura, quæ absolute prohibet lignamina, qua voce generali intelligitur omnis materia lignorum ad quasuis alias machinas bellicas accommodata ad impugnandum Christianos, vel defendendum se ab eis. Per hanc autem vocem *Lignamina* non comprehenduntur ligna apta ad ædificia, C vel alios vsus, aut ad comburendum, idque clare deducitur ex verbis additis in fine post specificam enumerationem rerum prohibitarum, scilicet, *Quibus Christianos & Catholicos impugnant*, Quæ verba relationem habent ad omnia, quæ prohibentur, quare omnia interdicuntur sub hac ratione formali. In hac interpretatione conueniunt omnes Doctores, Silue. excommunicatio 7. §. 59. Vers. Et tertio quod nomine lignaminum, Ang. excommunicatio 5. §. 1. Nauar. in Manua. capitulo 27. num. 63. Vers. per lignamina, & in cap. Ira quorundam notab. 7. num. 14. Rebuff. in hunc Canonem Ver. Lignamina, Card. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 23. Vers. Aliud dubium D est, quid per lignamina, quamobrem non recte Glo. in Clement. copiosus Ver. Ligamina de Iudæ. explicat hanc vocem *Lignamina*, quæ simpliciter ibi habetur, sicut in hoc Canone sine Additione *Galearum*, vt significet tantum ligna, ex quibus Galeæ & alia nauigia fieri possunt, vt annotauit etiam Nauar. quia cum absolute sit posita, comprehendit omnia ligna, idonea, & ad nauigia formanda, & ad fabricanda instrumenta bellica, quorum vsus sit ad pugnam.

Ex his euidenter colligitur incidere in excommunicationem huius Canonis eum, qui deferret ad Infideles Naues, Triremes, seu galeas, rotas ad vehenda tormenta bellica, currus, remos, malos, antennas, hastas, & similia, si enim prohibetur delatio E lignaminum, ne ex illis dicta confici possint, ergo multo magis vetitum erit, ne instrumenta formata asportentur Authen. Multo magis Cod. De Sacrosanct. Eccles. Nam licet si prohibitum esset, ne ad Saracenos Triremes, Naues, Currus, Rota, & similia asportarentur, non ideirco sequeretur non posse deferri materiam, scilicet ligna ex quibus illa formari possunt, tamen valet è contra prohibita materia alicuius rei artificialis eo fine, ne illa haberi posset, fortiori ratione rem ipsam prohibitam haberi capit. Cum in cunctis Vers. *Multo fortius in Episcopo hoc* opor-

oportet inquiri, vbi Glos. Vers. Multo fortius de elect. A Confirmatur, nam qui defert Triremes, naues, currus, hastas, & cætera, vtique defert lignamina, ex quibus illa sunt formata, valet enim argumentũ ab Inferiori ad superius, vt tradit Bald. in l. Conuenticula C. de Epi. & Cleri. ergo erit innodatus excommunicatione huius Canonis, quo prohibetur simpliciter, ne deferantur lignamina, erit etiam excommunicatus excommunicatione Iuris communis non tantum ex ijs locis, in quibus prohibentur lignamina absolute, sicut in Bulla, sed ex illis quoque, vbi habetur *lignamina Galearum*. Si tamen deferantur Galeæ, Triremes, & alia Nauigia oblonga eiusdem generis apta ad præliandum in mari, quia non incideret in excommunicationem illam Iuris, qui deferret alia instrumenta B & machinas ex lignis formatas ad bellum idoneas, & huius opinionis est Felin. in cap. Ad liberandam nu. 4. de Iudæ. & probat ex sententia Petri de Anchar. arg. à simili, si lex prohibeat, ne vendatur frumentum extra Territorium, multo magis intelligitur prohibere, ne vendatur farina & panis, & si prohibita fuit incisio lignorũ in certa sylua & asportatio, qui ligna in illa sylua ab alio incisa asportat, contra prohibitionem delinquit, vt inquit Bart. in l. 1. C. de cupress. lib. 11. & ita sentit etiam Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 7. num. 21. & in Manua. cap. 27. num. 63. Vers. Quod autem naues & triremes, Card. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 23. Vers. Aliud dubium C est, quid per lignamina.

Non esset tamen eadem ratio de illo, qui transmitteret ad Infideles alias res, quamuis necessarias ad construendas triremes, vt bene annotauit Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 7. num. 17. quare qui deferret stuppam, canapem, picem, vela, clauiculos, & alia huiusmodi, non esset excommunicatus, quia licet hęc sint secundaria materia triremium, & sine illis fabricari nequeant, non tamen sunt lignamina, quæ per se prohibentur, tunc autem illa deferens innodaretur excommunicatione, quando praua intentione transmitteret, vt Infidelibus vtilia essent ad bellum contra Christianos, sicut si deferret alias merces communes ad eundem finem, quæ prohibitio significatur sub illa D clausula *Illisq; ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant*.

Si quis quærat, an incideret in excõmunicationem Bullæ ille, qui ad Infideles ligna deferret ad comburendum tantum idonea, vt illis vterentur ad incendẽdum Castrum, vel locum Christianorum, vel etiam si deferret ligna, quibus Pontem construerent, vt exercitus flumen traijcere posset, vel tandem deferret quęcunque lignorum genera intentione adiuuandi hostes Christianorum in bello.

Respondeo ex tali delatione lignorum incurri excommunicationem huius Canonis, quia prohibetur delatio lignorum, quibus Christiani impugnantur, sed in casibus propositis, & in similibus ligna deferũ- E tur ad hunc finem, vt deseruiant Infidelibus in bello contra Christianos, ergo locus est excommunicationi. Quamobrem si quis deferret hæc genera lignorum simpliciter tanquam merces communes sine vlla deprauata intentione formali, aut virtuali nimirum quod non sciret, nec scire potuisset attentis circumstantijs temporis, loci, & personarum illa vtilia futura in bello Saracenis contra Christianos, quamuis postea Saraceni illa conuerterent ad vsum bellicum, in hoc casu talis deferens non esset excommunicatus, secus vero si adesset praua intentio actualis, vel virtualis, vt dicebam, & probaui fusius hoc idem in cap. 5. de pecunijs.

Canapem, post lignamina prohibentur in specie Canapis & funes, quæ duæ dictiones additæ sunt primum à Paulo Tertio, non legebantur in Bullis Priorum Pontificum, vt patet in Bulla Clementis Septimi, in qua vltimo loco habetur nomen illud *Lignamina*, deinde apponitur clausula generalis *Et alia probibita*. Per Canapem, vel vt alij scribunt Cannabem, intelligi potest herba, ex qua fiũt chordæ, ita dicta propter similitudinem, quam habet cum Canna, & arundine, vel intelligi potest ipsamet chorda crassior, densior, & firmior funibus communibus, quod magis mihi placet, tum quia in Bulla Pauli Tertij habetur *Canabum*, quod accipitur pro dicta chorda ex canabe facta, vnde italico sermone chorda crassior & densior alijs communibus, solet ita vocari, & ad multa vtile esse potest in bello, tum etiam quoniam si per Canapem interpretaremur materiam, ex qua chordę fiunt, bis idem in eadem clausula Summus Pontifex sine vlla necessitate repeteret, quod videtur absurdum asserere, sic enim habetur in Bulla *Canapem, funes tam ex ipso Canape, quam alia quacunque materia, & ipsam materiam*. Verisimilius est igitur Summum Pontificem per Canapem, vel canabum accepisse chordam crassiorem & densiorem accomodando se vulgari & communi modo loquendi, vt sermonis claritati & perspicuitati consuleret.

Funes tam ex ipso canape, quam alia quacunque materia, est nomen generale ad significandas omnes chordas, id est maiores, & crassiores, atq; etiam minores, tenuiores, & graciliores, quæ ita etiam communiter vocantur, & solent formari non solum ex canape, sed ex alia materia, vt ex lino, stuppa, lana, & ex alijs, & ex quacunque materia fuerint compositi, prohibentur simpliciter in hoc Canone sub excommunicationis censura, quæ incurritur, quoties deferuntur ad Infideles.

Et ipsam materiam Ergo qui deferret ad dictos hostes Christianorum Canapem, stupam, linum, lanam, seu quamcunque aliam materiam, ex qua communiter conficiuntur funes, incideret in hanc excommunicationem, dico ex qua communiter conficiuntur funes, quoniam non esset locus excommunicationi huius Canonis, si deferretur aliquod genus rei, ex qua nõ solent formari funes, quamuis Infideles necessitate coacti ad funes construendos illam cõuertissent. quia prohibetur materia funium, & verba legis propriè sunt accipienda l. Ille aut ille §. Cum in verbis ff. de lega. 3. l. 1. §. si is qui nauem ff. de exer. Act. Quare si res delata non esset propria materia funium, excommunicatio Bullæ non haberet locum, nisi deferens praua intentione formali, vel virtuali rem illam ad Infideles adduxisset ad hunc finem, quia præsciuisset, vel scire potuisset, si animaduertere voluisset, sicut tenebatur (vt sæpius monui) ex tali materia Infideles formaturos fuisse funes. Sed licet in hoc casu, quando asportantur res, quæ non sunt materia funium, deferens nõ remaneat excommunicatus excommunicatione Bullæ, non effugit tamen excommunicationẽ Iuris communis in cap. Quod olim de Iudæ. si tempore belli deferret, vbi omnia mercimonia prohibentur.

Remanet postrema particula, *Aliaque huiusmodi, quibus Christianos & Catholicos impugnant*.

In Bulla Gregorij XIII. non habetur illa dictio *Catholicos* sed solum *Aliaque huiusmodi, quibus Christianos impugnant*, quoniam in eadem (vt dixi) non fit

mentio de Hæreticis sicut in hac bulla, sed de Saracenis tantùm; Sixtus Quintus vltra Saracenos, & Turcas, addit Hæreticos, vt monui initio huius disputationis; Quare conuenienter Christiani opponuntur Saracenis, & Catholici Hæreticis; Nam Hæretici licèt impropriè ratione characteris baptismalis possint vocari Christiani, nullo tamē modo Catholici, cum non pertineant ad Ecclesiam vniuersalem; Hāc clausulam latius explicaui in cap.5. Vbi contra Tabie.& Nauar, probaui his verbis prohiberi tantùm ea, quæ per se immediatè, vel mediatè ordinantur ad prælium, nam alia, siue sint victualia, siue mercimonia; Optimè enim Summus Pōtifex post peculiarem enarrationem multarum rerum prohibitarum ad bellum spectantium, voluit apponere clausulam generalem, vt complecteretur omnes alias res eiusdem generis, scilicet ad bellum vtiles,& necessarias, quibus Christiani ab Infidelibus impugnari possent; Eas enim omnes, & singulas in specie recēsere immensum fuisset opus quamobrem sub hac clausula generali comprehenduntur vela ad vsum nauium, remi, antennæ, machinæ ligneæ, vel ex ferro, aut alia materia ad pugnandum, clypei ad defendēdum, thoraces,& quæcunque munimenta ex pelle, ferro, seu ex alia materia confecta ad protegēdum corpus in pugna accommodata; pulueres ad vsum tormentorum bellicorum; sulphura, nitrum, ex quibus huiusmodi pulueres conficiuntur; currus, scala, iumenta oneraria, cameli, & alias similia, quæ plurima sunt; Et hæc omnia prohibentur sub pœna excommunicationis, de quibus hæc dicta sufficiant.

CAPVT VIII.

Quibus in locis iuris communis lata sit excommunicatio contra deferentes prohibita ad hostes Christiani nominis, & quo pacto differant, & conueniant inter se, & cum hoc Canone, & vtrùm præter excommunicationem aliæ pœnæ, & quæ contra eosdem deferentes impositæ sint.

ABsoluta explicatione primæ partis huius Canonis septimi, in qua damnatur delatio rerū prohibitarum ad Saracenos, modo videndum restat, an eadem excommunicatio reperiatur in corpore Iuris, & quibus in locis, & an præter excommunicationem aliæ quoque pœnæ impositæ sint contra huiusmodi transgressores.

Et quantum ad excommunicationem sępè legimus illam renouatam. In primis in Concilio Lateranensi sub Alexandro iij. cap.26. refertur cap. Ita quorundam de Iudæ. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ quatuor expressim, & nominatim prohibētur; Deferre arma, ferrum, lignamina Galearum,& gubernare Galeas, & piraticas naues Saracenorum, & excommunicatio non est reseruata; Quod Concilium, vel maximè ad hunc finem coactum fuit, vt notat Platina in vita Alexandri Tertij, & præter excommunicationem Concilium imponit duas alias pœnas contra tales delinquentes. Prima est, quod per Principes, & Consules Ciuitatum omnium bonorum priuatione mulctari debent. Secunda est, quod capientium serui fiunt,& Glo. Ver. seruos notat, quod sicut seruitus inducta est Iure naturali cap. Sexto die dist. 35. & Iure gentium cap. Ius gentium dist. 1. ita induci potest Iure Canonico cap. Cum multæ is. q. vlt. Quærit Abb. in eod. cap. Ita quorundam num.4. in fine, an isti, qui incidunt in seruitutem propter delictum manumitti possint, & respondet ex sententia Io. Andr. non posse manumitti arg. l.3.C. Quibus ad libert. proclam. non li. Iure Ciuili huiusmodi deferentes prohibita ad Barbaros capite puniebantur cum cōfiscatione bonorum l.2.C. Quæ res asport. non debe. Demum in dicto Concilio præcipitur, vt per Ecclesias Vrbium Maritimarum crebra, & solennis in tales deferentes excommunicatio proferatur; Vnde colligit Glo. excommunicatum posse iterum, & sæpius excommunicari.

Deinde Clemens Tertius Pontificatum iniens statim de bello in Saracenos gerendo edictum proponēs iterum excommunicationis sentētiam latam pronunciat in eos, qui extra redemptionis captiuorum articulum merces; Induciarum etiam tempore, in Alexandriam portarent, aut mitterent, vt patet in cap. Significauit de Iudæ.

Idem Clemens in cap. Quod olim eod. tit. excommunicationem latam in Concilio Lateranensi contra deferentes merces prohibitas ad Saracenos renouat; Et eos omnes, qui cum Saracenis mercimoniū habent, tempore belli, & per se, vel per alios nauibus, seu quocunque alio ingenio eis aliqua rerum subsidia, seu consilia impendunt, excommunicationi supponit, & iram Dei viuentis incurrere declarat.

Adhuc Innocentius Tertius cum videret Saracenorum potentiam in Asia concrescere, celebrato Lateranensi Concilio, iterum excommunicat falsos illos, & impios Christianos, qui res prohibitas Saracenis venderent, vt habetur in cap. ad liberandam de Iudæ. sicut in alio Concilio sub Alexandro Tertio statutū fuerat; Addita prohibitione, nè venderentur Galeæ, & Naues, neve machinis, aut quibuslibet alijs aliquod eis impenderetur consiliū, vel auxilium in dispendium Terræ sanctæ, & præter excommunicationem, quæ non est reseruata, innouauit duas illas pœnas positas in Concilio Lateranensi sub Alexandro Tertio, priuationis scilicet bonorum,& seruitutis; Tandem interdicit, nè delinquentes contra hanc Constitutionem absoluantur, neque eis Ecclesiæ gremium aperiatur, nisi totum, quod ex commercio tam dānato perceperint, & tantundem de suo in subsidium Terræ sanctæ transmiserint, vt æquo iudicio, in quo deliquerint, puniantur. Quod si fortè soluendo non fuerint, alio modo talis reatus castigetur, vt ipsorum pœna, similis aliorum audacia comprimatur.

Pręterea Ioannes 22. cum legatos misisset ad Reges occidentales, qui eos suo nomine cohortarentur, vt pace inter se inita arma in Saracenos, & Hostes Christiani nominis pararent, edidit extrauag. quæ incipit copiosus de Iudæ, qua ad certum tempus, scilicet spacio trium annorum prohibuit, vt facilius Petrus filius Regis Castellæ Agarenos à Regno Granatæ expelleret, nè ad dictos Saracenos, & Infideles Præfati Regni Granatæ deferrentur arma, equi, ferrum, lignamina, victualia, & alia quæcunque prohibita per Romanos Pontifices prædecessores suos, declarans talia præsumentes illis pœnis, & sentētijs, quas deferentes huiusmodi prohibita in Alexandriam, vel ad Aegypti partes incurrunt, subiacere. Volens insuper omnes, & singulos, qui Saracenis Granatæ dicta prosecutione durante consilium, auxilium, vel fauorem impēdere, aut prosecutionem dicti negocij directè, vel indirectè, secretè, vel publicè impedire pręsumpserint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrere.

Demum Clemens Quintus in extrauag. multa inter communes eod. tit. Similiter sub pœna excommunicationis latæ sententiæ innouans Constitutionem Nicolai IV. vt ipse asserit, quod etiam per Bonifacium Octauum statutum fuerat, vt refert Nauar. in cap. Ita

quorundam

quorundam notab. 10. num. 18. prohibet, ne equi, victualia, & alia quæcunq; mercimonia in Alexandriã, vel in alia loca Terræ Aegypti deferantur, aut mittantur, addit etiam ad hæc, ne extrahantur, vel extrahi permittantur prohibita ex portibus Christianorũ ad Saracenos deferenda, & hæc excommunicatio est reseruata, & vltra excommunicationem, ac præter duas illas pęnas seruitutis, scilicet si contigerit dictos transgressores ab alijs capi, & priuationis bonorum, sicut in cap. Ad liberandam de Iudæ. quæ ipso facto incurruntur) statuit etiam aliam pœnam in eos, qui contra huiusmodi Constitutionem ausu temerario venire præsumpserint, nempe vt tales violatores perpetuo sint infames, & intestabiles habeãtur, ita quod nec testari, nec legata eis relicta percipere valeant. Et insuper ad successiones tam ex Testamento, quam ab intestato sint prorsus inhabiles, neq; ad publica officia admittantur, & omnes actus legitimi sint eis penitus interdicti, & tanquam excommunicati, & hostes Catholicæ fidei diebus Dominicis & festiuis publice denuncientur.

Postremo Nicolaus Quintus in quadam Constitutione, cuius initium est, olim tam in generali, edita anno eius quarto, & habetur in Bullario, cuius meminit etiam Silue. excommunicatio 7. §. 6. in fi. Confirmat omnia prohibita Iure antiquo sub censura excommunicationis latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reseruatæ, & alijs pœnis enartatis ipso facto incurrendis, statuens insuper, vt solertius prouideat necessitati Terræ Sanctæ, vt nullus aliqua victualia ad decem annos à data dictæ Constitutionis, alia vero prohibita nullo vnquam tempore mittere, seu deferre præsumat in Alexandriam, vel partes Aegypti, seu Terras Soldano subiectas, & contra facientes declarat eo ipso infames, & intestabiles, & alias prout in extrauag. Multa.

Ex dictis patet quoties huiusmodi impij Christiani, qui propriæ salutis immemores, inimicis Crucis Christi aliquid ex prohibitis ausu temerario deferre præsumunt, vt eos adiuuent contra Catholicam Ecclesiam, cuius falso filij vocantur à Summis Pontificibus fuerint censura excommunicationis sæpius repetita innodati, simul etiam constat, quibus alijs pœnis hoc immane scelus multatum fuerit, vt saltem formidine pœnæ ab eo homines retraherentur. Verum qui tot Sacris Constitutionibus neglectis non veritus Dei timorem ad Saracenos prohibita deferre præsumit, non totidem excommunicationes, sed vnicam incurrit, quia omnes latæ sunt de eadem re, vt dixi in cap. 2. Disp. 5. & in lib. 3. Disp. 10. cap. 7.

Quæ Constitutiones inter se conueniunt & cum hoc Canone Bullæ, quòd in omnibus prohibetur, ne ad Infideles ea deferantur, quibus ipsi potentiores euadunt in bello contra Christianos sub pœna excõmunicationis. Multis autem modis differunt, nam in cap. Ita quorundam quatuor tantum interdicuntur, deferre arma, ferrum, lignamina Galearum, & gubernare Galeas & piraticas Naues Saracenorum, in cap. Significauit prohibetur in genere dalatio mercium non simpliciter, neque quoad omnem locum, sed excepta causa redemptionis Captiuorum, & solũ in Alexãdriam etiam tempore induciarum, item post treguam in Transmarinis partibus factam prohibetur delatio mercium prohibitarum, similiter in Alexandriam causa lucrandi. Eõ modo in capit. Quod olim, excommunicantur, qui cum Saracenis tempore guerræ generaliter aliquod habent commercium,

A vel eis præstant subsidium, in cap. Ad liberandam præter quatuor illa superius enarrata, quæ habentur in capit. Ita quorundam, additur quintum videlicet vendere Galeas & Naues Saracenis, aut exercere gubernationem machinarum bellicarum. In extrauaganti Copiosus continetur prohibitio specialis coarctata ad certum tempus & locum, edita enim fuit illa Constitutio, vt commodius Petrus filius Regis Castellæ Agarenos è Regno Granatæ expelleret, & idcirco durauit spacio trium annorum, ne ad Saracenos illius Regni Granatæ specialiter deferri possent arma, equi, ferrum, lignamina, victualia, & alia quæcunque prohibita per Romanos Pontifices Superiores. Quamobrem hæc Constitutio hoc tempore non afficit.
B Tandem in extrauag. Multa, præter ea, quæ interdicta erant in cap. Ita quorundam, & cap. Ad liberandam adijciuntur alia nominatim & expresse, nempe ne deferantur, portentur, vel mittantur Equi (de quibus nulla antea mentio facta erat) Victualia, & alia quęcunque mercimonia Alexandriam, vel in alia quæcunque loca Terræ Aegypti, & ne extrahantur, aut permittãtur extrahi prohibita ex portibus Christianorum ad Saracenos deferenda. Postremo in Constitutione Nicolai Quinti nihil in specie interdicitur, sed in genere tantum, ne deferantur prohibita in Alexandriam, vel in partes Aegypti. Hæc igitur prohibitio his varijs modis reperitur edita in corpore Iuris Canonici à Summis Pontificibus.

C Bulla vero Cœnæ Domini differt plurimum ab omnibus relatis Constitutionibus, primo in Bulla à temporibus Pauli Tertij præter equos, arma, ferrum, lignamina, quæ in antiquioribus Bullis prohibebantur & prohibita etiam reperiuntur in aliquo tex. Iuris communis, vt visum est, adiunguntur alia, nimirum deferre ad Saracenos filum ferri, stamnum, chalybẽ, omniaque alia metallorum genera, atq; bellica instrumenta, canabum, funes, & alia prohibita. Secundo Greg. XIII. addidit etiam expressè funes tam ex ipso Canape, quam ex quacunq; alia materia, & ipsam materiam. Tertio à tempore Gregorij XIII. excommunicantur qui per se, seu alios de rebus ad Christianæ Reipublicę statum concernentibus in Christiano-
D rum perniciem & damnum ipsos Turcas, Saracenos, & Christianæ Religionis inimicos certiores fecerint, illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstiterint. Quarto à Pontificatu Sixti Quinti additur, qui prædicta deferunt ad Christiani nominis inimicos, *vel Hæreticos per nostras, siue huius Sanctæ Sedis sententias expresse & nominatim declaratos &c.* Deinde ab eodem Sixto Quinto additum fuit *Aliaque huiusmodi, quibus Christianos & Catholicos impugnant.* Demum ab eodem adiectum fuit *Qui certiores faciunt Christianæ Religionis inimicos, necnon hæreticos in damnum Catholicæ Religionis.* In his omnibus casibus incurritur excommunicatio Bullæ, qui in Iure non habentur expresse, Quare ex hac parte ex-
E communicatio Bullæ amplior est, & vniuersalior, quam sint excommunicationes latæ iure antiquo, licet ex alio capite excommunicatio Bullæ non tam late pateat, sicut excommunicationes, quæ habentur in Iure, quia in hoc Canone interdicitur tantum delatio rerum, quæ per se ordinantur ad bellum, & quatenus tales, sunt instrumenta necessaria ad pugnandum, vt probaui in cap. 5. Alia genera rerum, vt mercimonia, victualia, & similia non prohibentur in hoc Canone Bullæ, quæ non sunt instrumenta bellica, nisi subministrentur hostibus Christianorum ea intentio-

ne

ne formali, vel saltem virtuali, vt ex illis rebus ipsi Infideles adiuuentur in bello ad impugnandum Christianos; Qui enim deferret victualia, & mercimonia hac intentione, remaneret obstrictus excommunicatione Bullæ, quoniam, vt declaraui in eodem Cap. 5. traderet Infidelibus ea, quibus Christianos impugnarent; Quod damnatur in Bulla, quãuis enim mercimoniam & victualia ex suo genere, & per se non sint instrumenta bellica, tamen in casu prædicto talia essent ex praua intentione formali, aut saltem virtuali ipsius deferentis. Verùm in aliquibus textibus Iuris ex citatis prohibentur victualia, & merces per se, & directè, quatenus talia sunt, etiamsi non deferantur animu adiuuãdi Infideles in bello ad impugnandum Christianos, sed ob alium quemcunque finem, vt causa lucrandi, B vel negociandi, & similes, etiamsi aliàs honesti essent. Deinde in Bulla non exprimitur illa clausula, quæ habetur in cap. Ita quorundam, & in cap. Ad liberandam, qua excommunicantur illi, qui in Galeis, & piraticis Saracenorum nauibus regimen, & gubernationem exercent, & hæc excommunicatio non est reseruata Papæ, vt inquit Silue. excommunicatio 7, §. 58. in fi.

Præterea differt hic Canon ab alijs Cõstitutionibus Iuris quoad pœnas; Nam hic deferentes prohibita ad Saracenos sola excommunicationis censura afficiũtur quæ Sedi Apostolicæ reseruatur, & præter excommunicationem nulla alia additur pœna; At in locis citatis ex Iure, vltra excommunicationem, quæ non vbiq. C est reseruata, aliæ multæ adijciuntur pœnæ, nempe huiusmodi deferentes prohibita si capiantur, remanent serui capientium; priuantur bonis omnibus; non possunt absolui, nisi lucrum, quod ex huiusmodi causa acquisierint, & tantundem de suo in subsidium Terræ sanctæ transmiserint. Tandem tales violatores perpetuò remanent infames, & intestabiles, & ad successiones tam ex testamento, quàm ab intestato sunt prorsus inhabiles, neque ad publica officia admittuntur, & ab omnibus actibus legitimis sunt exclusi, & tanquam excommunicati, & hostes Catholicæ Ecclesiæ diebus Dominicis, & festis debent publicè denunciari. Demum iure Ciuili in l. Nemo. C. Quæ res asport. D non debe. Imperator in eos, qui aliquod armorum genus Barbaris alienigenis venderent, bona eorum protinus fisco adijci, ipsósque capitalem pœnam subire decreuit. Eadem pœna statuitur aduersus eos, qui docent Barbaros, & Turcas construere naues. l. fin. C. de pœn.

Verùm vt clarius innotescant, quæ hactenus dicta sunt de huiusmodi excommunicationibus latis, & alijs pœnis impositis contra subministrantes res prohibitas Saracenis aduersus Christianos, nonnullæ proponendæ sunt dubitationes, & dilucidandæ.

Primò quæri potest; An Mercator ventorum vi ad loca Infidelium impulsus cum mercibus, si ibi illas nõ vendat, incurrat excommunicationem, seu alias pœ- E nas enumeratas.

Respondeo; Si mercator non est ingressus nauigationem eo animo, vt ad Terras Infidelium merces deferret, sed ad alia loca Christianorum asportaturus, nullam incurrit pœnam, si coactus tempestate ducitur ad Infideles; Et quidem de excommunicatione res certa est, quoniam in hoc casu nulla intercedit culpa mercatoris, cum inuitus ad Infideles sistat, sed vbi nulla est culpa, non est locus excommunicationi, quæ sine peccato mortali incurri nequit. Et idem quoque asserendum est de alijs pœnis ob eandem rationem, nam pœna supponit culpam, culpa vero cessat, quãdo actio non est voluntaria, & ita affirmat Felin. in casu proposito in cap. Significauit num. 7. de Iudæ. & tex. in l. Cæsar. ff. de publica. Vnde Bart. in l. 1. C. de naufr. l. 10. dixit hoc modo impulsum non posse cogi ad soluẽdum gabellam ex mercibus, quas defert.

Secundò quæritur, quomodo intelligendũ sit illud, quod dicitur in cap. Ad liberandam, quod delinquentes contra illam constitutionem ob damnatam rerum prohibitarum delationem ad Saracenos non sunt absoluendi, nisi totum restituerint, quod iniquè perceperint, & item tantundem ex suis bonis transmiserint in subsidium Terræ sanctæ; Nam quo pacto possunt isti aliquid de bonis suis reddere, cum propter hoc crimen omnia bona sint fisco ipso Iure confiscata, vt in cap. Ita quorundam, & dicto cap. Ad liberandam, & in extrauag. Multa de Iudæ.

Ad hanc difficultatem respõdet Petrus de Anchar. in cap. Ad liberandam nu. 2. ex sententia Io. Andreæ, quod violator huius prohibitionis tenetur vltra totũ id, quod ex tali illicito cõmercio cum Infidelibus acquisiuit tantundem erogare in subsidium Terræ sanctæ ex bonis postea acquisitis, quia confiscatio bonorum facta à iure, vel ab homine non extenditur ad bona quæ post delictum commissum acquiruntur, cap. Felicis, §. Verum de pœn. lib. 6. l. Si tibi. §. Si is cuius bona. ff. Manda. Idem ait Abb. in eod. cap. Ad liberandam in fi. & latius Felin. num. 2. Addit Abb. fortassè etiam dici posse pœnam confiscationis bonorum contra hos deferentes prohibita ad Infideles, impositam esse à Principe seculari, & Abb. intelligit ab Imperatore, vt in l. 2. C. Quæ res asport. non debe. Alteram verò de subministrando auxilium Terræ sanctæ iuxta quantitatem lucri recepti ex negociatione damnata cum infidelibus esse impositam ab Ecclesia, nempè à Papa, sequitur Silue. Excommunicatio 7. §. 66. B. Antoni. 3. par. Sum. tit. 24. cap. 30. Vers. Sed quæritur.

Sed adhuc instabis; Si huiusmodi delinquentes efficiuntur serui capientium, quomodo aliquid postea acquirere possunt.

Duobus modis respondet Anchar. vbi supra. Primo ait non remanere semper, & necessariò seruos, sed tunc demum vbi contingit illos ab aliquo capi, & in seruitutem redigi; Quare fieri potest, vt remaneant liberi, & possint aliquid lucrari. Secundò dicit hanc pœnam seruitutis locum tantùm habere, si delinquentes capiuntur in fragranti crimine, & non aliàs, nimirum tempore, quo arma, equi, ferrum, lignamina, & cætera prohibita deferuntur, quoniam illa actualis deprehensio in scelere plus aliquid operatur, l. Quod ait lex. ff. de adult. sicut qui ab altero spoliatur, potest se defendere, & vim vi repellere, eijciendo aggressorem, & perturbatorem, sed transacto actu spolij rem sublatam vi repetere eidem non licet, sed Iudicis auxilium implorando, l. Qui possessionem. ff. de vi & vi arma. & l. Rectè possidenti. C. Vnde vi.

Dubitat Silue. cui sit applicanda dicta pœna per Iudicem, quando non mittitur in subsidium Terræ sanctæ, & respondet ex sententia Archid. solùm Summum Pontificem posse in hac pœna dispensare, cum inferior non habeat potestatem commuttandi, quæ per Superiorem disposita sunt; Quare vbi deest facultas transmittendi hanc pœnam in auxilium Terræ sanctæ, Cameræ Apostolicę applicanda est, vt notat B. Antoni. 3. par. Summæ tit. 24. cap. 30. Vers. Et nota quod hæc pœna, si delinquens soluere potest, sin minus alio modo talis reatus est castigandus, vt vnius pœna aliorum

sit

fit exemplum iuxta decretum cap. Ad liberandam in fin.

Verùm quid si absoluatur violator huius Constitutionis non præmissa dicta satisfactione, an absolutio teneat.

Respondendum est secundùm Gemin. in cap. Quoniam de immun. Eccles. lib. 6. cum distinctione, vel potestas absoluendi conceditur aliàs non habenti, quo casu, si non seruetur forma præscripta, actus non valet, vt notat Glo. in Clem. 1. Ver. Inhibentes de iu. patro. vel præscribitur forma seruanda in absolutione tradenda ab habente potestatem, & tunc temporis si impendatur absolutio non seruata forma decreta, valida est absolutio ipso iure cap. Venerabilibus. §. Vbi de sent. excom. lib. 6. Et hanc distinctionem probat Abb. in c. Dilectus 2. de præb. quæ est intelligenda, nisi in Constitutione præscribente formam seruandam, apponatur decretum irritans, nam eo casu inualida esset absolutio, quamuis traderetur ab ordinario non seruata dicta forma; Quare in terminis propositæ dubitationis cum Ordinarius habeat iurisdictionem absoluendi ab excommunicatione dicti cap. Ad liberandam, quæ non est reseruata, vt in cap. Nuper de sent. excom. si tentet absoluere aliquem ab huiusmodi excommunicatione nõ præmissa debita satisfactione, valida erit absolutio, & ita tenet etiam Silue. excommunicatio 7. §. 65. sed quando absoluitur quis non facta satisfactione debet iterum in eandem excommunicationem reduci, Silue. & B. Antoni. 3. par. sum. tit. 24. cap. 30. Vers. Notandum quod talis.

Tertiò quæri potest, cur Summus Pontifex obliget ad restitutionẽ totius lucri, quod occasione mercium ad infideles delatarum deferens acquisiuit; Restituitur enim res, quæ iniustè fuit ablata, vel detinetur, sed Mercator tradendo merces infidelibus non committit iniustitiam, neque vtitur dolo, aut fraude in tali negociatione, vt supponimus, sed iusto titulo venditionis, vel alio lucratur, ergo quod ex tali titulo consequutus est, non tenetur restituere, licèt enim peccauerit delinquendo contra legem; Non omne tamen acquisitum ex peccato restitutioni obnoxium est, sicut patet de lucro meretricio. Quare hæc ratio optimè videtur concludere contra Petrum Anchar. in dicto cap. Ad liberandam num. 3. qui asserit ex eod. tex. totum id, quod acquiritur per excommunicatum durãte excommunicatione ex negociatione esse pauperibus erogandum, cum ex interdicta communione hominũ excommunicatus lucrum consequatur, cap. Illud de Cleri. excom. Mini. & ad idem citat Host. in Summa in tit. de pœn. §. fin. Vers. Quid de his, qui excommunicati; Vnde rectè Abb. in cap. Cum sit num. 2. de Iudæ. hoc dictum impugnat auctoritate Innoc. in cap. Quia plerique de immun. Eccles. affirmãtis non esse restitutioni obnoxium id, quod acquiritur ex illicita negociatione, si nulla alterius calumnia interueniat, nullibi enim in iure appositum præcipitur, sed potius inde sumi potest ratio, quod id sit consilij, non necessitatis ex cap. Qui habetis, & cap. fin. 14. q. 5. Quamobrem quamuis excommunicatus reus fuerit peccati, si ab aliorum communione non se abstinuerit, non cogitur tamen ad restitutionem, quia rem per fraudem, aut dolum non extorsit.

Igitur ad dubitationem respondendum est Primò illum, qui defert res prohibitas ad infideles, & ex tali negociatione lucratur, acquirere lucrum ex iniustitia, tradit enim ea, quæ reddunt validiores ipsos infideles contra Christianos, & sic iniuriam infert Christianis;

A Quare meritò obligantur ad restitutionem; Et hanc responsionem insinuauit Glo. in dicto cap. Ad liberan. Ver. Totum quod ex commercio, dicens *Totum ergo lucrum, quod ad eos peruenit ex hoc commercio, debent dare in subsidium Terræ sanctæ, in cuius detrimentum hoc fecerunt*. Secundò responderi potest, quod quamuis tale lucrum non esset acquisitum ex iniusto titulo, tamẽ iustissimè potuit Ecclesia in pœnam tam execrandi sceleris subijcere illud restitutioni, vt Christianorum impiorum animos, quos Catholicæ Religionis pietas ab hoc damnato commercio, & sæua cupiditete nõ retrahit, saltem pœnarum multiplicitas, & grauitas coerceret. Simile est in simonia, vbi illicitè acquisitũ non est ex obligatione restituendum cap. fin. de simonia; B Et tamen Ecclesia (vt deterreret homines ab hoc pernicioso crimine) inter alias pęnas hanc etiam adiecit; Vt simoniacus realis quodcunque munus accepisset, restituere teneretur.

Quartò quæritur; An per Cõstitutionem Bullę Cœnæ, qua fertur excommunicatio in deferentes prohibita ad Saracenos, intelligantur sublatæ aliæ excommunicationes iuris, vt iam nõ afficiant amplius; Et idem quæri potest de alijs pœnis impositis ab ipso iure contra eosdem deferentes; An per excommunicationem Bullæ sint abrogatæ.

Glo. in cap. Quod olim Ver. Supponimus de Iudæ. Vbi deferentes arma, ferrum, vel reliqua prohibita, qui in cap. Ita quorundam excommunicati fuerant, C iterum excommunicationi supponuntur, hæc notat. *Et ita videtur, quod qui contra faciunt, duplici excommunicatione sint legati*. Quare Glo. putat multiplicari excommunicationes iuxta numerum Cõstitutionum, quæ pro eodem opere excommunicationem infligunt; Sed opinio Glosæ non est probabilis, nam cum idem Summus Pontifex diuersis temporibus rebus ita exigentibus idem scelus sæpius prohibet sub pęna excommunicationis, etiam variatis circumstantijs, & conditionibus non intendit multiplicare excommunicationes iuxta numerum Constitutionum, vt illarum neglector totidem excommunicationum censuris fit obstrictus, vt probaui in disp. 1. cap. 4. Sed solet renouare, vt maiorem terrorem inijciat hominibus, magisq. D illos retrahat, nè opus prohibitum attentare temerè præsumant; Idcirco si quis illas violat, non indiget pluribus absolutionibus, sed vnica, & si secus diceremus, sequeretur grauissimum absurdum, nimirum cum excommunicatio Bullæ singulis annis iteretur, vt quicunque committeret delictum in illam, pluribus semper excõmunicationibus innodaretur; Igitur quamuis vltra Canonem Bullæ pluses aliæ Constitutiones iuris prohibeant delationem rerum prohibitarum ad infideles sub pœna excommunicationis, non incurruntur tamen plures excommunicationes, sed vnica, & bulla addit solùm reseruationem, quam habent etiam aliqua excommunicationes iuris, sed non omnes, vt vidimus; Non tamen propterea asserendum est per Bul- E lam fuisse sublatas excommunicationes dictarum constitutionũ iuris antiqui; De qua re dixi etiam in ead. disp. 1. cap. 4. quia pœna imposita in lege, vel statuto posteriori non tollit pœnã legis anterioris arg. l. Quotiens de actio. & oblig. Vbi Vlpianus statuit non extingui veteres actiones, si lex nouam obligationem induxerit, nisi expressè cauerit, vt ea sola vtamur. Idem est de pœnis, prior non tollitur per posteriorem, nisi ex verbis legis, aut statuti id appareat, vt inquit Felin. in cap. Quod olim nu. 4. de Iudæ. & affert exemplum: Si statutum postremum disponat, vt in casibus

in

in eo non expressis seruetur Ius commune, tunc enim videtur velle, quod in prouisis sufficiat pœna statuti, Bart. in l. 1. ff. Vi bono rapt. Quare per Bullam non tolluntur excommunicationes Iuris, sed potius confirmantur, & additur reseruatio cum alijs cōditionibus, & qualitatibus; Vnde si demeretur ex Bulla hæc excommunitatis, adhuc deferentes prohibita ad Hostes Christianorum incurrerent alias Iuris excommunicationes contra eosdem latas, vnicam scilicet excommunicationem vnica transgressione, quia mens Summi Pontificis non fuit ex multiplicitate constitutionum multiplicare excommunicationes, vt notat Abb. in dicto cap. Quod olim num. 2. in fine ex verbis eiusdem cap.

Quantùm verò ad alias pœnas impositas contra eosdem delinquentes ab ipso Iure antiquo multò magis affirmandum est remanere in suo robore, & minimè esse abrogatas per Bullam, quia de illis nulla fit mentio in Bulla, ergo Papa non intendit illas tollere; Ad hoc facit Glo. singularis in cap. Eos qui Ver. Per annum de temp. ordin. lib. 6. & quod ibi notat Dominus in eo tex. declarat Greg. x. Episcopum, qui scienter alienum Clericum ordinauerit per annum à collatione ordinū suspensum esse; Verba tex. sunt. *Per annum à collatione ordinum decernimus esse suspensos, his, quæ iura statuunt contra taliter ordinatos in suo robore duraturis.* Ex quibus verbis colligit Dominicus, quod cum in ordinante mutetur pœna antiqua, quæ durior erat (vt inquit Glosa) non antè in ordinatis satis probari legem posteriorem non tollere pœnam cōtentam in lege priori, nisi vbi id ex coniecturis deducitur, & cum id non appareat in casu, de quo agimus, superest, vt fateamur deferentem prohibita ad infideles non tantùm remanere obstrictum excommunicatione Bullæ, sed incurrere etiam alias pœnas iuris in eosdem inflictas.

Quintò posset quis quærere, quomodo intelligatur excommunicatio irrogata in cap. Ita quorundam illis verbis *Sunt etiam qui pro cupiditate sua in Galeis, & piraticis Saracenorum nauibus regimen, & curam gubernationis exerceant; Tales igitur ab ecclesiastica communione præciosos, & excommunicationi subiectos &c.* Quos enim voluerit hac particula comprehendere Summus Pontifex difficile est cognoscere. Primò quoniam nomen *Galeis* omittitur in cap. Ad liberandam; Sic enim habetur *Quiquè in piraticis Saracenorum nauibus curam gubernationis exercent.* Secundò quia tota hæc clausula omittitur in Bulla Cœnæ Domini. Tertiò propter varios modos, quibus Doctores hæc verba interpretantur; Nam Io. Andreas Antonius Butr. & Io. Anania videntur insinuare hac clausula comprehendi omnes Christianos, qui in Saracenorum nauibus quomodolibet inseruiunt; Alij omnes Christianos, qui in prædictis nauigijs remigant; Alij omnes, qui earum nauium curam habeant.

Ad hanc dubitationem respōdeo verba illa in cap. Ita quorundam hoc modo esse explicanda, vt per ea intelligantur omnes, qui regimen, vel curam gubernationis exercent in Galeis Saracenorum, siue piraticæ sint, siue secus, & etiam omnes, qui idem officium præstant in piraticis eorum nauibus.

Hinc infertur primò ad incurrendam hanc excommunicationem non opus esse, vt Galea, cuius Christianus est gubernator, & curam habet, sit Saraceni piratæ, qui in Galea illa exerceat artem piraticam, sed satis esse, si sit cuiuscunque Saraceni, & ita censet Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 11. num. 2. nam si requireretur tanquam necessaria conditio, vt Galea esset piratica, dixisset Summus Pontifex in Galeis, & nauibus piraticis; Hoc enim modo verbum illud *Piraticis* haberet relationem tam ad Galeas, quàm ad naues, sed cum dixerit in Galeis, & piraticis nauibus, signum est voluisse locum esse huic excommunicationi, si Christianus curam gerat Galearum Saracenorum, siue sint piraticæ, siue secus.

Secundò infertur Christianum gerentem curam nauium Saracenorum, qui non sunt piratæ, non innodari hac excommunicatione, quia Summus Pontifex expressè loquitur de piraticis nauibus Saracenorum, & verba legis, præsertim in pœnalibus sunt accipienda in propria significatione, & non sunt extendenda; Quo fit, vt naues Saracenorū onerariæ excludantur. Quam ob causam verò Summus Pontifex magis exigat, vt naues sint piraticæ, quam Galeæ, fortassè illa ratio assignari potest, quia Galeæ ex propria illarum forma magis aptæ, & idoneæ iudicantur ad impugnandum, quam sint ipsæ naues, & idcirco optima ratione ductus Papa voluit simpliciter prohibere regimen in Galeis, in nauibus autem non absolutæ, sed si piraticæ sint.

Tertiò infertur hac excommunicatione non affici omnes, qui nauigant, nec qui Saracenis inseruiunt in triremibus, vel piraticis nauibus eorum ad alios vsus à gubernatione distinctos. Quare Nautæ, Remiges, nec alii Ministri, qui tanquam serui capti, vel mercede conducti in remigando Saracenis inseruiunt, non incurrunt in hanc excommunicationem, qua tamen obstricti remanerent, si iuuarent Saracenos in pugna cōtra Christianos, vel remigando, vel arma tradēdo, vel subministrando alia prohibita, vel auxilium, aut consilium quomodolibet dando; Tunc enim necessaria subministrant Saracenis ad impugnādos Christianos quod damnatum est in cap. Ita quorundam, & cap. Ad liberandam, & est contra hunc Canonem Bullæ.

CAPVT IX.

In quo explicantur verba illa, Nec non illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus in Christianorum perniciē, & damnum ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, nec non Hæreticos in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt.

HAec est secunda pars huius Canonis, in qua interdicitur secunda actio principalis, & est certiores facere Turcas, aut Hæreticos, & Christianæ Religionis inimicos, vel immediatè, vel per nuncios de rebus statum Reipublicæ Christianæ concernentibus in damnum ipsorum Christianorum; Et hæc clausula addita fuit à Gregorio xiij. In antiquioribus Bullis non legebatur, sicut non habetur in textibus citatis Iuris communis, ideo hac in re latior est Bulla. Ex verbis relatis colliguntur duæ conditiones ad incurrendam excommunicationem propter dictam actionem prohibitam. Prima est, vt illa, de quibus certiores fiunt Turcæ, aut Hæretici, sint talia, quæ concernant statum Reipublicæ Christianæ, & ad eius curam, & regimen pertineant. Secunda est, vt id, quod illis nunciatur; Et de quo certiores fiunt, cedat in damnum, & perniciem Catholicę Religionis, & Christianæ Reipublicæ; Veraque conditio requiritur, & est necessaria, vt sit locus huic excommunicationi.

Et merito Summus Pontifex delictum eorū, qui tanquam proditores res attinentes ad statum Reipublicę Chri-

Christianæ hostibus ipsorum Christianorum denũciare præsumunt, censura excommunicationis coercere voluit, quod iure antiquo prætermissum fuerat, quia, & grauitas criminis, & damnum, quod inde Catholicæ Religioni oriri potest, talem vindictam exigere videbatur, & quidem quantum ad delictũ, grauissimum est peccatum detegere rem, quæ suapte natura digna est, vt secretò seruetur, nempe quæ mala est, aut mali causa, ad idque vnusquisque naturali iure teoetur, diuino, atque humano, & est præceptum negatiuũ, quod obligat semper, & pro quocunque tempore. Damnum verò maximum sequi potest Reipublicæ Christianæ, si denuncietur aliquid Turcis spectans ad statum Reipublicæ Christianæ, qood ipsi antea ignorassent, & idcirco in Iure cautum legimus sub grauissima pœna, vt B seruetur secretum; Vnde in cap. Ego Episcopus de iu. iur. Episcopus iurat seruare secretum Papæ, & cap. de forma 22. q. 5. iubetur seruus esse fidelis Domino in secreto seruando, & l. Omne delictum. §. Exploratores. ff. de re milit. Plectuntur pœna capitis, qui exercitus secreta hostibus pandunt; Quanto igitur acrior pœna dignus est Christianus, qui Turcis inimicis Crucis Christi temerario ausu denũciat ea, quorum causa Infideles damnũ, & perniciẽ Christianis inferre valẽt.

Nomine Turcarum in hac secunda parte Canonis intelliguntur etiam Saraceni, & omnes alij Infideles hostes Christiaoi oominis, quos significauit Papa in prima parte Canonis illis verbis *Ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos*, de C quibus tractatum est in secundo cap. quamuis hoc in loco de solis Turcis facta sit mentio, nè eadem semper repeterentur; Similiter nomine Hæreticorum intelliguntur Hæretici per sententias Sedis Apostolicæ nominatim declarati, sicut in prima parte Canonis exprimuntur, de quibus dixi in eod. 2. Capite.

Idque probatur, primò quoniam idem verbum in eodem Canone continente eandem legislatoris prohibitionem eodem modo accipiendum est, l. 1. §. Is qui nauem. ff. de exercit. Verba enim vltimo loco posita per continuationem, & relationem dicũt ordinem ad præcedentia, & ideo referuntur, & coarctantur iuxta dispositionem præcedentium, textus notabilis in cap. Inquisitioni de appella. Glo. in Clement. Ne in agro. D §. Cæterum de sta. regal. Abb. in cap. secundò requiris de appell. Bero. conf. 176. num. 53. vol. 1. Confirmatur, quia verba sequentia declarantur per præcedentia; Idem Bero. consi. 112. num. 39. vol. 2.

Secundò quia ob eandem rationem vult prohibere Summus Pontifex, nè res prohibitæ deferantur ad hæreticos, sicut ne certiores fiant de statu Reipublicæ Christianæ. Quare sicut hæc constitutio comprehendit tantùm eos, qui deferunt prohibita ad Hereticos per sententiam Papæ declaratos, ita quoque extenditur solùm ad illos, qui reuelant secreta Hæreticis declaratis per sententiam Sedis Apostolicæ; Vbi enim viget eadem ratio, militat quoque eadem dispositio legis, Bald. l. fin. q. 5. C. de hæred. instit. per l. fin. C de E indicta vidui. tolleo. Immo maior militat ratio prohibendi, nè deferantur instrumenta bellica, & alia, quę necessaria sunt ad bellum, quibus redduntur hæretici potentiores, & validiores ad impugnandum Christianos, quam ne illi certiores fiant de statu Christianorum; Sed hæc excommunicatio afficit solùm eos, qui deferunt prohibita ad Hęreticos declaratos per sententiam Sedis Apostolicæ, non ad alios, etiam si sint notorij hæretici, ergo multò magis id est affirmandum de denunciatione secretorum.

Tertiò idem probatur, quoniã potest assignari optima ratio; Cur Summus Pontifex noluerit extendere hanc Constitutionem ad omnes Hæreticos, sed ad solos declaratos per sententiam Sedis Apostolicæ, & est, quia finis Summi Pontificis in promulganda hac excommunicatione fuit diminuere vires Turcarum, & Hæreticorum aduersus Christianos, vt minus ab eis vexarentur, & turbarentur tam in personis, quam in bonis damnum autem inferri potest Catholicæ Religioni, non à quibuscunque Hæreticis, sed ab ijs potissimum, qui viribus, præeminentia, opibus, terrarum iurisdictione, alijs antecellunt, quorum causæ in materia fidei cognoscũtur in Curia Romana, & tales declarantur Hæretici per sententiam Sedis Apostolicæ; Propterea sicut interdicere voluit, nè ad dictos deferantur prohibita, ita quoque nè certiores fiant de statu Catholicæ Religionis, quę ratio non militat, quoad alios Hæreticos.

Quæ verò dici debeant spectantia ad statum Christianæ Reipublicæ, de quibus certiores non debẽt reddi Turcæ, & Hæretici in damnum Catholicæ Religionis, nè incurratur excommunicatio, cum plura sint ex diuersis rerum generibus, non possunt specificè, & distinctè singula enumerari, sed in genere dicendum est tunc incurri hanc excommunicationem, cum denunciantur ea, quibus auditis Turcæ mouentur, vel ad inferendum bellum, & damnum Christianis, quod non intulissent, si illa ignorassent, vel vt non desistant à molestijs, & iniurijs, si iam Christianos vexare cœperint, idque siue actu, siue virtute, idest siue re vera ex hac denunciatione infideles ducantur ad molestias inferendas, siue potuerint verisimiliter id efficere, si voluissent, etiamsi nihil attentauerint, quia denunciatori fidem non adhibuerint.

Et incurritur hæc excommunicatio, si quis certiores faciat tales hostes Christianorum de huiusmodi rebus siue per se, siue per alium; Vtroque enim modo idem damnum Catholicæ Religioni prouenire potest, & vterque tam Mandans, quam Nuncius potest dici reuelator; Nam mandans reuelat per alium, Nuncius per se ipsum; Et licèt Nuncius nihil ipse sciat ex his, quæ reuelat, sed tantùm narret simpliciter, quæ à mandante ei iniuncta fuerunt, nihilominus est excommunicatus, quia nunciat infidelibus de statu Reipublicæ Christianæ, quæ ipsi ignorant, vel putat eos ignorare; Eadem enim est ratio; Vterque igitur erit excommunicatus, & mandans, & Nuncius.

Sed hic meritò dubitari potest, si denunciatio fiat per epistolam, an ille, qui defert literas, & non nouit, quæ in eis continentur, incidat in hanc excommunicationem.

Respondeo, & primò dico; Si talis Nuncius, & tabellio ignorat penitus argumentum epistulæ, neque potest suspicari per eam certiores vllo modo reddi infideles in perniciem Christianorum, sed potius probabiliter existimat in epistola tractari de mercibus, vel de alia re ad priuatam personam spectante; Atque in hoc casu absque dubio non est locus excommunicationi quoad ipsum Nuncium, quoniam non peccat, nec violat aliquam legem, qua cautum sit, nè literæ deferantur ad Turcas priuata negocia continentes; At vbi cessat culpa, excommunicatio non potest habere locum.

Dico secundò si huic nuncio aliquo modo constat in genere, & confusè literas, quas defert, continere res publicas de statu alicuius Castri, Ciuitatis, Prouinciæ, Regni, vel Principis, Ducis, Regis, quamuis nesciat

ſciat in ſpecie, & in indiuiduo, quæ ſcribantur, deferendo illas incidit in excommunicationem, quia eſt cauſa, vt infideles ſciant res Chriſtianorum; Quare moraliter loquẽdo, reuelat quod interdicitur per Summum Pontificem ſub pœna excommunicationis.

Itaque non ſolùm ille, qui literas mittit ad infideles dicitur reuelare, & ex conſequenti incurrit hanc excõmunicationem, ſicut ſi eadem nunciaret per alium, nam paria ſunt mittere nuncium, aut ſcripturam, cap. Vbi periculum. §. Hoc ſacro verſ. Nulli etiam fas ſit de elect. lib. 6. Et eodem modo incurrit quis mittendo nuncium, aut literas, ſicut ſi perſonaliter loqueretur, vt notat Glo. in cap. Conſtitutionem Ver. participatione de ſent. excom. lib. 6. Glo. in Clem. fin. Ver. literis de ſent. excom. Ideo de mittente literas nullo modo eſt dubitandum; Sed etiam ille, qui defert epiſtolam, erit cenſura excommunicationis innodatus.

Ex dictis infertur primò omnes illos, qui Turcis, aut alijs hoſtibus Chriſtiani nominis nunciant, Caſtra aliqua, Ciuitates, vel loca Chriſtianorum non eſſe munita, vel poſſe tali tempore impugnari; ex hac, vel illa parte aggredi; nũ ſupereſſe annonam, niſi ad tot dies. Similiter omnes, qui reuelant conſilia initia à Chriſtianis cõtra ipſos Turcas de bello gerendo pro recuperatione alicuius loci, vel parari exercitum ad hũc finem; tali tempore aduenturum auxilium; ex tali loco tranſiturum, & ſimilia, excommunicatione huius Canonis obſtrictos eſſe.

Secundò infertur non eſſe excommunicatos illos, qui de rebus priuatis certiores faciunt huiuſmodi infideles, etiamſi hæc notitia ſit in damnum alicuius priuati, quia hæc excommunicatio comprehendit ſolùm eos, qui de rebus ad ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ concernentibus certiores facit Turcas, ergo nõ extenditur ad eos, qui de rebus priuatis monent, qui ergo nunciaret alicui piratæ infideli, ex tali loco tranſiturum eſſe tali die Chriſtianum mercatorem mercibus, & rebus precioſis onuſtum, vt illum deprædaretur, nõ incideret in hanc excommunicationem, quia agitur de damno priuato, non publico; Immò etiamſi de dãno publico tractaretur, ſcilicet alicuius Ciuitatis, aut Principis, ſed non quatenus Chriſtianus Princeps eſt, ſed vt talis Princeps, non incurreretur excommunicatio, E. G. Si Princeps Chriſtianus certiores, redderet Turcas de ſtatu ſui Principatus, nũciaretque obſidione premi ab exercitu alterius Principis, & idcirco rogaret illos, vt ab obſidione eum liberarent, non eſſet excommunicatus, quoniam nihil ſignificauit concernens ſtatum Catholicæ Religionis, quod Papa prohibet ſub pœna excommunicationis.

Tertiò infertur hanc excommunicationem afficere illos, qui reuelant hæc occulta Turcis, quamuis ex hac denunciatione nihil damni, & incommodi ſequatur Chriſtianis, Ratio eſt, quia ex denunciatione illico incurritur excommunicatio nulla alia conditione expectata, & particula illa, quæ additur in Canone *in Chriſtianorum perniciem, & damnum*, non apponitur tanquam neceſſaria conditio ad incurrendam excommunicationem, ſed ad exprimendum effectum, qui ex natura rei, vt plurimum, vel ſequitur, vel poteſt ſequi ex huiuſmodi denunciatione, ſicut diximus intelligendã eſſe aliam clauſulam poſitam in prima parte huius Canonis, ſcilicet *Quibus Chriſtianos, et Catholicos impugnãt*, Quamuis enim ex rebus prohibitis acceptis à Chriſtianis infideles non ſemper moueantur ad impugnãdum Chriſtianos, ſatis eſt, quod impugnare poſſint.

Quartò infertur locum non eſſe huic excommunicationi, ſi literæ, quibus ſecreta nunciantur Turcis ad ipſos non perueniant, ſed antea ſint interceptæ, vel deperditæ, & ratio eſt, quia ad incurrendam excommunicationem tanquam neceſſaria conditio requiritur vt Turcæ certiores fiant de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, ergo ceſſante hac conditione, non incurritur excommunicatio, quamuis grauiter peccauerit, qui epiſtolam ſcripſerit, & qui illam deferebat, ſi cõſcius erat. Eodem modo dicendum eſt de nuncio, ſi nõ perueniat ad ipſos Turcas, ſed captus fuerit in via, vel etiam ſi peruenerit ad ipſos Turcas, ſed mutata ſententia nihil reuelare voluerit propter eandem rationem.

Sed quæret aliquis, an in excommunicationem incidat is, qui certiores reddit Turcas de his, quæ iam nouerant, ita vt nihil noui ſciant ex huiuſmodi denunciatione; Pro parte negatiua facit, quia in caſu propoſito non redduntur certiores Turcæ de vlla re, quæ antea eis plenè cognita non eſſet, quod requiritur ad incurrendam excommunicationem. Confirmari poteſt per regulam; Eum qui certus de reg. iur. lib. 6. *Eum, qui certus eſt, certiorari vlterius non poteſt.* Item in l. 1. ff. de actio. empt. dicitur, quod ſi quis vendat alteri rem aliquam habẽtem ſeruitutem, vel onus, debet emptorem certiorem facere de omnibus oneribus, alias competit ius emptori agendi contra venditorem actione ex empto, vt reſtituat partem precij, quæ tamen actio ceſſat, ſi emptor illius rei onera ſciebat, & redditur ratio, quia qui certus eſt, certiorari non debet. Propter eandem rationem, ſi certioratio infidelis requiritur in hoc caſu ad incurrendam excommunicationem, quando iam certus eſt, non certioratur, & ideo non erit locus excommunicationi.

Reſpondendum eſt rem carere omni controuerſia, quod talis denuncians remanet excommunicatione obſtrictus, quantumuis Turcæ, quibus aliquid denunciatur, nihil noui intelligant, quia antea omnia optimè nouerint; Ratio eſt, quoniam actio principalis, quæ prohibetur, eſt certiores facere Turcas de rebus ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ concernentibus, ergo is qui de huiuſmodi rebus certiores illos facit per ſe, vel alium, violat legem, & incurrit excommunicationem.

Confirmatur ſimili ratione, ſicut illi, qui deferunt arma ad infideles incurrunt eo ipſo excommunicationem, quamuis Saraceni eſſent optimè armis muniti, & rebus omnibus ad bellum neceſſarijs instructi, neq. arma allata vlla in re eos iuuare poſſent ad prælium; Ita quoq. qui nunciant, quæ non debẽt Turcis, quamuis omnia antea plenè ſciuerint, & hæc denunciatio nihil illis poſſit in perniciem Chriſtianorum, tamen excommunicatione innodantur.

Confirmatur ſecundò; Nam qui per ſe, vel aliũ certiores facit Turcas, quantum eſt ex parte ſui, vult reuelare occulta, & ſcienter violare hunc Canonem. Accidit autem, vt ea, quæ denunciantur, ſint nota Turcis, ergo incurrit excommunicationem, quia id agit, quod per ſe prohibetur; Et hoc eſt inſpiciendum in quacunque Conſtitutione, non quod per accidẽs contingit arg. cap. Cum voluntate de ſent. excom. l. Si quis nec cauſam, & ibi Iaſ. & Doct. ff. Si cert. peta.

Confirmatur tertiò ſicut ad incurrendam excommunicationem ex delatione armorum non eſt neceſſe, vt infideles actu illis vtantur ad impugnandum Chriſtianos, ſed ſufficit, vt impugnari poſſint; Ita quoque pari ratione, vt ſit locus excommunicationi latæ ob denunciationem rerum occultarum, non opus eſt, vt quæ nunciantur ſint occulta, & ignorentur à Turcis,

ſed

sed satis est; quod talia sint, vt contingere possit eos A illa ignorare.

Ad ea, quæ in oppositam partem afferebantur respondetur aliud esse loqui de eo, cui aliquid denunciatur, & de ipso denunciante. Ex parte denunciati vera est illa Regula, vbi datur scientia, denunciatio non est necessaria, quia quando denunciatio requiritur ad inducendam scientiam, tunc sciens non indiget denunciatione iuxta dictam regulam, quam bene explicat ibi Philippus Franc. Verum ex hac regula nihil infertur ad excusandum denunciantem à pœna, quam incurrit, si denunciet ea, quæ prohibetur denunciare, quamuis non ignorentur ab eo, cui fit denunciatio.

Secundo quæret quis, an Christianus captus à Turcis, si vi tormentorum compellatur reuelare res ad B statum Christianæ Reipublicæ concernentes, incidat in hanc excommunicationem.

Respondeo absque vllo dubio incidere, primo quia iustus metus mortis, aut alterius periculi grauis imminentis potest excusare à transgressione legis humanæ & liberare transgressorem à pœna debita ob talem violationem, vbi nulla alia subest via euadendi periculũ, at quando Christianus capitur à Turcis, & tormentis vrgetur, vt secreta Reipublicæ Christianæ reuelare debeat, potest alio modo se eximere ab illis periculis, quam reuelando secreta, nempe vti amphibologicis verbis, quæ sermo vsitatus præter mendacium ferre possit, nam mendacium nullatenus licet, C quare si interrogetur, vt dicat, an exercitus Christianus sit hac, vel illac transiturus; an Castrum sit bene munitum; an commeatus necessarios conseruet, vel quid simile, potest respõdere se nescire, quamuis optimè omnia nouerit, quia verbum illud nescio potest recipere hunc sensum citra mendacium, nescio, vt tibi modo reuelem, quod non aduersatur alteri veritati, scio simpliciter, etiamsi proprijs oculis id, de quo interrogetur, vidisset. Confirmatur si hunc modo amphibologico potest quis respondere Iudici sciscitanti à suo subdito, vt reuelet rem aliquam occultam, nam, vt habetur in cap. Qualiter, & cap. Quando 1. de accusa. Iudex interrogans debet excipere occulta crimina, & admonere testem, ne illa detegat, ergo multo magis licitum erit ita respondere alteri nullam ha- D benti iurisdictionem, & per iniuriam interroganti.

Si dicas, quid si hostes Christianorum in casu proposito extorqueant iuramẽtum ab illo captiuo de dicenda veritate super re quacunq; interrogatas fuerit.

Respondeo etiam præstito iuramento licitum esse eadem vti amphibologia, iurat enim se dicturum veritatem secundum ius, non aliter.

Secundo idem probatur, quoniam etiamsi concederemus talem captiuum non posse alio modo mortẽ euadere, nisi reuelando occulta ad Statum Reipublicæ Christianæ concernentia in perniciem Christianorum, potius debet mortem patienter sustinere, quã veritatem detegere in commune damnum Christia- E norum, quoniam publicum bonum præferendum est priuato commodo, si enim Innocens tenetur ex charitate proprio se offerre periculo & Tyranno sese tradere, vt Ciuitatem à communi damno liberet, quamuis morti certæ se subijciat, vt tradit Dom. Sott. lib. 5. de Iust. & In. q. 1. art. 7. Vers. Vnde ad secundum, fortiori ratione Christianus captiuus in potestatem Turcarũ constitutus quodcunq; malum patienter sufferre debet, priusquam occulta ad statum Christianæ Reipublicæ spectantia eis aperire, nã, si quando agitur de salute Reipublicæ tenetur se offerre morti ad Republi- A cam seruandam incolumen, multò magis ad eundem finem debet mortem sustinere, eò vel maximè quia post reuelationem non speratur tormentorum finis, sepè sæpius enim contingere solet, vt Infideles tormentis tormenta cumulantes proponant animam miseri Christiani etiam post confessionem extrahere.

CAPVT X.

Illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant: *Vbi tractatur difficultas, An Christiani à Turcis capti, ac remigio mancipati peccent, & excommunicationem incurrant cum iussi remigant in bello contra Christianos.*

B

HÆc quoque clausula non legebatur in antiquioribus Bullis, sed post Paulum Tertium, sicut, & præcedens apposita fuit; Habetur tamen in iure communi in cap. Quod olim de Iudæ. Excommunicantur, qui Saracenis quocunque ingenio aliqua rerum subsidia, seu consilia impenderint. Similiter in cap. Ad liberandam excommunicationi subijciuntur, qui Saracenis aliquod impendunt consilium, vel auxilium in dispendium Terræ sanctæ. Tandem eadem clausula habetur in extrau. copiosus de Iudæ. in qua sententia excommunicationis pronunciatur in eos, qui Saracenis Granatæ durante expeditione Petri filij Regis Castellæ, qua infideles Agarenos à Regno Granatæ ex- C pellere curabat, auxilium, consilium, vel fauorem præstauerint.

Illisque ad id auxilium, &c. Non nihil ambiguitatis habet hæc particula, & oritur ex illo relatiuo *Illisque*, nempè vt intelligamus, quos illa dictio referat; An Christianos, qui certiores faciũt Turcas dę statu Reipublicæ Christianæ, an Turcas, Infideles, & Hæreticos, si referamus ad Christianos, sensus erit incidere in hanc excommunicationes illos omnes, qui auxilium dant, consilium, aut fauorem Christianis, vt aperiant secreta Christianæ Reipublicæ Turcis; Si autem referamus ad Saracenos, Infideles, & Hæreticos, significat esse excommunicatos omnes, qui adiuuãt Saracenos, vel Hæreticos, & opem illis ferunt quomodocunq. au- D xilio, consilio, vel fauore *Ad id*, idest ad perniciem, & damnum Catholicæ Religionis, de quo proximè tractatum erat, & hęc interpretatio est planior, & aptior, cum de Saracenis, & Hæreticis immediatius sermo præcesserit, & est magis conformis citatis locis iuris communis, in quibus hæc verba eandem præ se ferunt significationem.

Ex qua interpretatione sequitur primò non incidere in excommunicationem illos, qui darent auxilium, consilium, vel fauorem alteri, vt reuelaret secreta Turcis, aut Hæreticis, quod prohibetur præcedenti particula, huius Canonis; Nam si explicemus hanc clausulam hoc modo, excommunicatio ex causa reuelatio- E nis complectetur tantùm ipsos reuelantes, non dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

Sequitur secundò ex eadem expositione his verbis prohiberi aliam actionem principalem distinctam à reuelatione secretorum, & erit tertia in ordine, scilicet auxilium, consilium, vel fauorem quomodocunque Infidelibus, aut Hæreticis præbere in damnum, & perniciem Christianorum.

Sequitur tertiò verba huius clausulæ habere eandem vim, & comprehendere virtualiter, licèt non exprimantur, illa omnia, quæ continentur in cap. Ita quorundã, & c. Ad liberãdam de Iudę. sub illis verbis,

Quique in piraticis Saracenorum nauibus curam gubernationis exercent, vel machinis, aut quibuslibet alijs aliquod eis impendunt consilium, vel auxilium.

Sequitur quartò iuxta eandem interpretationem in excommunicationem hanc incidere omnes illos, qui quomodolibet consilium, auxilium, vel fauorem præstant Infidelibus, & Hæreticis in damnum Christianæ Reipublicæ, etiamsi ipsi ex huiusmodi consilio, auxilio, vel fauore non moueantur ad inferendum vllum damnum Christianis, cum enim hæc actio sit principalis, & per se prohibita, quicunque illam exercet, remanet innodatus excommunicatione, etiamsi non sequatur crimen cuius gratia illa interdicitur, licèt enim regulariter vt quis ex con- B silio teneatur, requiritur, vt delictum secutum sit, vt notat Card. in Clem. 1. in princ. in q. 12. de pœn. Tamen quando consilium per se prohibetur, tunc est per se titulus criminis, & subijcitur pœnæ nulla alia re expectata, Dec. in cap. 1. nu. 10. Vers. Et hoc verum intelligitur de off. deleg.

Sed modò perquirendum est; Quibus modis dicatur quis dare consilium, auxilium, vel fauorem Saracenis in damnum, & perniciem Christianorum, vt excommunicatio huius Canonis locum habeat, & eum afficiat. In primis qui consulit Turcis, vt tali tempore ad certamen prouocent exercitum Christianum, vt tentent expugnare arcem, ex hac parte, qui admonet, quo pacto se possint tueri contra Christianos, C quo loco aptius sint propugnacula ædificanda, vel alijs modis, qui innumerabiles esse possunt consilium dederit, vnde damnum, & incommodum Christianis prouenire possit, quamuis actu nullum sequatur, est excommunicatus, siue consilium det per se ipsum, siue per alium directè, vel indirectè. Vnde si quis instruit Christianum, vt de consilio certiores reddat Turcas, erit innodatus censura, & meritò ita statuit Summus Pontifex, quia quando datur consilium ad delictum committendum, tenetur Consulens nomine eius delicti, vt notat Glo. in Reg. Nullus ex consilio de reg. iur. lib. 6. Qui consulit homicidium, homicidia est; Qui consulit alteri, vt iniuriam Tertio inferat, tenetur Tertio actione iniuriarum; Ideo ex consilio D ad homicidium iura decernunt incurri irregularitatem cap. Ad audientiam de homic. & ibi Innoc. nu. 1. & Abb. num. 5. Minus tamen peccat consulens, quàm faciens delictum, vt animaduertit Glo. in cap. 1. Ver. Pari pœna de off. deleg. De consilio diximus, de auxilio dicamus.

Duobus modis possunt Christiani ferre auxilium, vel opem Saracenis in damnum Reipublicæ Christianæ; Vno modo, pugnando cum illis contra Christianos, & hi propriè dicuntur Socij criminis, aut consortes in crimine, vt inquit Glo. notabilis in Clem. 1. Ver. Defensauerit de pœn. & Dec. in cap. 1. num. 11. De offic. deleg. & hos potius vocare debemus facientes, E quàm auxiliantes, vt notat Glo. in dicto Ver. Defensauerit, & hos certum est esse obstrictos excommunicatione. Alio modo possunt aliqui auxilium ferre Saracenis contra Christianos nõ apponendo manum ad actum, quo Infideles vexant; & perturbant Christianos, idest non pugnando simul cum Saracenis, sed opem, & auxilium præstando ad pugnam, vt inquit Dec. vbi supra num. 12. scilicet præbendo victualia, militesque peritos in arte militari, magistros nauium, qui remigent in eorum Galeis & similia; Aut si Princeps Christianus inferat bellum aduersus alium Principem Christianum, à quo obsidetur Ciuitas aliqua,

A iniustè per Turcas occupata, vt ab obsidione desistat, vel vt hac ratione illum retineat, nè bello impetat Saracenos, & talis auxiliator incidit in excommunicationem, siue Saraceni moueantur propter auxilium acceptum ad vexandum Christianos, siue aliàs etiam tali auxilio cessante bellum illaturi fuissent, & de hoc auxilio intelligendus est hic Canon. Est autem differentia inter consilium, & auxilium, vt tradit Nicasi. in instit. §. Interdum quoque notab. 6. De oblig. quæ ex delicto nascun. Quòd consilium dicitur dare, qui persuadet, vel impellit precibus, vt delictũ fiat; Opem autem fert, & auxilium, qui ministerium, vel adiutorium ad idem præbet.

Tandem illi, qui fauent Turcis, & Saracenis contra B Christianos, sunt eodem modo in hoc Canone excommunicati; Quare Principes Christiani, qui permittũt, vt Turcæ iuri ad oppugnandum Ciuitatem Christiani Principis, vel ad prædandos Christianos transeant ex suis terris, & locis, cum impedire possent, vel vt ex suis portibus extrahantur deferenda ad Saracenos in eorum auxilium contra Christianos, aut persuadent, & instruunt de ijs rebus, quæ ad eundem finem vtiles eis esse possunt, dicuntur fauorem præstare Saracenis in damnum Christianorum, & idcirco sunt excommunicati, & eadem ratio est in similibus casibus. Quamobrem Consulens, Auxiliator, & Fautor Turcarum, & Hæreticorum in his, quæ diximus, sunt excõmunicati.

Sed hic quæri potest; An ille incidat in excommuni- C cationem, qui non consulit, nec auxiliatur, aut fauet Infidelibus, sed concurrit aliquo modo, vel consilio, aut mandato, defensione, consensu, vel ratihabitione, vt Christianus ills opem ferat.

Respondendum est incidere in excõmunicationem, quoties cooperatur aliqua ratione, vt vtilitatis, & adiumenti aliquid recipiant Infideles contra Christianos; Idque manifestè ostendit dictio illa vniuersalis, qua vtitur Sũmus Pontifex *Quomodolibet*, quæ omnem penitus modum includit, Clem. 2. Ver. Ne igitur excessum, cum Glo. in Ver. Quomodolibet de sent. excom. cap. Indemnitatibus. §. Si qua verò à minori; Vbi Io. And. super Ver. Quomodolibet nu. 2. De elect. lib. 6. cap. vni. §. Præsenti de Cleri. ægrot. lib. 6.

D Et primo de mandante, aut Consulente, quod afficiantur excommunicatione, probatur, quoniam mandato, vel consilio sunt causa, vt subsidium recipiant Infideles aduersus Christianos, quia opus aliquod tribus modis fieri potest facto, consilio, & præcepto, vt de homicidio inquit Glo. in cap. Sicut dignum. §. Clericos Ver. Consilium de homic.

Non est autem excõicatus mandans, aut Cõsulens, nisi sequuto effectu, nempè postquam mandatarius vi mandati, aut consilij ductus est ad opem ferẽdam, vel fauorem Infidelibus, quia ita præcipere, aut consulere est actio accessoria ad principalẽ actionem, quæ per se prohibetur. f. quouis modo adiuuare Turcas, aut Here- E ticos, ergo requiritur, vt sequatur effectus actionis principalis ad incurrendam excõ cationem, sicut accidit in mandãte percussionem Episcopi, Glo. Clem. 1. Ver. Mandauerit de pœn. & in eo, qui mandat aliquem interfici per Assassinos Glo. in cap. 1. Ver. Mandauerit de homic. lib. 6. ideo si quis mandauerit alicui Christiano, vt ferat arma, & alia prohibita, vel alio modo adiuuet Infideles in damnum Christianorum, & re integra mandatum reuocauerit, pœnam excommunicationis euadet, arg. c. Quicunque de sent. excom. lib. 6.

Postulabis quid dicendũ; Si mãdans, aut Consulens Christiano modo explicato, re integra reuocet mandatum,

datum, aut consilium, & nihilominus Mandatarius, & qui accepit consilium, velit monere de statu Reip. Christianæ, & adiuuare Turcas contra Christianos, an in hoc casu sequuto effectu, qui mandauit, vel consuluit, incidat in excommunicationem.

Respondeo; Si loquamur de Mandāte, cum ex solo mandato non perficiatur delictū, sicut dixi, neq. mandans innodetur excōicatione; Ideo si reuocato mandato, adhuc mādatarius exequatur delictū, non propterea mandans efficitur excōicatus; Idque manifestè habetur in d. c. Quicunque de sent. excom. lib. 6. Vbi declaratur non incurrere in excommunicationem illius cap. eos, qui dederint licentiam offendendi exercētes contra aliquos ecclesiasticam censuram, si re integra illam reuocauerint; Idem tenet Host. in c. Ad audientiā de homic. & ibi Innoc. Si verò loquamur de consulente, res non est adeo certa, Nam Innoc. & Host. in d. c. Ad audientiam, affirmant non satis esse reuocare consilium datum, sed opus esse adhibere diligentiā, nè sequatur opus prohibitū, & hæc opinio videtur probabilior, & tutior ob eam rōnem, quia re vera cōsilium, quoad praxim sæpè est efficacius, quàm sit mādatum; Nam inter alia consilium habet duo regulariter. Primum quod consilium non est in bonum, & cōmodum dantis consilium, vt est mandatū in bonū mandantis, & ideo ex hac parte sufficit, si mandans reuocet mandatum. Secundum est, quia consilium frequenter indicat modū, qui seruari pōt in cōmittendo delicto, quod non habet mandatum; Vnde ex hoc etiam capite satis erit reuocare mandatum; Non sufficiet reuocare consilium, ideo si quis dederit consilimu fœminæ, vt abortum committat, non liberatur à pęnis iuris reuocato consilio si abortus sequatur.

Rursus in eandem excōicationem incidit, qui defendit alium ad hunc finem, vt valeat tutò opem pręstare Turcis modo supradicto contra Christianos; Duobus autem modis potest quis defensor esse delicti, vt notat Glo. in Clem. 1. Ver. Defensauerit, Ver. Circa quartū de pœn. Primo modo per modum auctoritatis, & qui hoc modo defendit illum, qui vult adiuuare Infideles, vel Hæreticos factis protegendo eum, vt tutò, & sine periculo exequatur, quod intendit, vel verbis excitando eū, & asserendo rem esse licitam, laudando, & commendando opus, vt inquit Dec. in c. 1. nu. 13. de off. deleg. absq. dubio est excōicatus, quia defendit delictū, quod prohibetur c. Qui consentit 11. q. 3. *Si quis peccantem defendit, acrius quàm ille, qui peccauit coerceatur*, cap. Qui aliorum 24. q. 3. *Qui aliorum defendit errorem, multò amplius damnabilior est illis, qui errant*. Est alius defensor, qui etiam delictum defendit, puta qui impedit, nè delinquens ad manus Iudicis veniat examinandus, vel puniendus c. Si custos 27. q. 1. 21. q. 5. per totā, & qui hoc modo defenderet delinquentem in casu proposito, qui detulisset rem aliquam prohibitam Saracenis, vel Hæreticis contra Christianos, nè puniretur à Iudice, censerem non incidere in hanc excommunicationem, quia cessaret finis prohibitionis, & ex consequenti ipsa prohibitio c. Cum cessante de appell. l. Adigere. §. Quamuis. ff. de iu patro. finis enim Bullę est, nè Infidelibus, & Hæreticis aliquam vtilitatem, vel iuuamen quomodolibet pręstemus contra Christianos, sed qui defendit delinquentem, nè puniatur à Iudice, non est causa, vt Hæretici, vel Saraceni vtilitatem aliquam recipiant in perniciem Christianorum, quam iam acceperunt ex delicto antea commisso, ergo non efficitur excommunicatus, nam potius vocari potest defensor personæ delinquentis, quàm delicti.

A Quod dixi de defensore, asserendum quoque est de consentiente, qui non excusatur ab excommunicatione huius Canonis, si consentiat, vt alter vtilitatis, & adiumenti aliquid afferat Infidelibus, & Hæreticis in damnum Christianorum; Nam, vt inquit Apostolus Paulus in Epist. ad Rom. cap. 1. in fi. *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Vnde desumpta est regula illa iuris, *Agentes, & consentientes pari pœna puniuntur*, de qua in cap. 1. de off. deleg. & in cap. Notum in fine 2. q. 1. & in cap. Facientis 86. dist. *Facientis culpam proculdubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare*. Quatuor autem modis potest quis consentire, vt notat Glo. in citato cap. 1. Ver. Pari pœna de
B off. deleg. & confirmat Abb. nu. 5. nempè negligendo, consulendo, cooperando, & authorizando, seu defendendo, & Glo. in dicto cap. Notum Ver. & consentientes 2. q. 1. refert tres modos, consentiēdi omisso secundo, qui fit consulendo. Ex his modis de primo tantùm controuerti potest, de alijs tribus iam dictum est, & cōclusum in illis locum habere excommunicationem, si quis consentiat alteri in hoc crimen præstādi opem, & vtilitatem aliquam Infidelibus, consulendo, cooperando, vel defendendo, de sola negligentia potest esse aliqua dubitatio, an hæc excommunicatio afficiat illum, qui cum commodè possit impedire, non obuiat, nec impedit, vt non sequatur actio principalis prohibita, puta si quis videns alterum decreuisse deferre ar-
C ma, vel alias res prohibitas ad Saracenos, vel alio modo velle illis opitulari, iamque paratum esse iniquam suam voluntatem executioni tradere, & potest retinere, & retrahere ab hoc proposito, & id negligit, neque impedit, an incidat in excommunicationem.

Difficultas hac in re oritur, quoniā Doctores communiter censent iure ciuili non teneri, nec esse reum iniuriæ illatæ, qui proximum commodè potuit defendere ab iniuria, & homicidio, nec tamen defendit, l. 1. §. Sed in eo. ff. Ad Syllan. Vbi Glo. Bart. in l. Culpa caret. ff. de reg. iur. Abb. in cap. 1. num. 5. Dec. num. 7. de off. deleg. Nisi delinquens, vt inquit Abb. sit subditus alteri, qui potest impedire delictum, vel nisi delictum sit committendum in personam illius, cui alter sit su-
D biectus; Vt si filius sciret aliquem velle offendere Patrem, & non curaret impedire, dignus esset pœna, & eadem ratio de alijs subditis, vt declarat Din. in Reg. Nō est sine culpa de reg. iur. lib. 6. Sed contra hoc commune dictum plurimū vrget textus in §. Alia instit. de publ. iudi. Vbi extraneus homicidij conscius punitur.

Nonnulli tamen oppositum sentiunt etiam iure ciuili teneri quempiam ab iniuria proximum defendere si commodè id fieri possit, Dec. in cap. 1. num. 8. de off. deleg. Vbi fusè tractat hanc difficultatem, Couar. in Clement. Si furiosus de homi. par. 2. §. 2. num. 7. vers. Immo vtroque iure. Dicitur autem quis commodè posse iniuriā à proximo repellere, & propulsare, quando sine dedecore, & rubore secundum bonos mores id
E facere potest, vt notat Felin. in cap. Quantæ de sent. excom. & in cap. Quia alios de Hæret. Sed quicquid sit de iure ciuili illud est certum iure Pontificio teneri quē ab altero, si commodè possit, iniuriam propulsare, & eum ab ea defendere, ac liberare cap. Non in inferenda 23. q. 3. *Qui enim non repellit à socio iniuriam, si potest, tàm est in vitio, quàm ille, qui faciat*, cap. fin. eadem cau. & q. *Qui desiuit obuiare, cum potest, consentit*, In cap. sicut dignum. §. Illi etiam de homic. *Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberauit, eum occidit*, & in fine illius. §. *Nec caret scrupulo*

Societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Idem reperitur in cap. Qui potest 23.q.3.& in c. Dilecto post med. Veri. Et quidem cum liceat de sent. excom. lib. 6. *Cum liceat cuilibet suo vicino, vel proximo pro repellenda ipsius iniuria suum impertiri auxilium, immo si potest, & negligit, videtur iniuriam omnem fouere & esse particeps eius culpæ*. Quare si hoc verum est, quando quis non liberat eum potest, priuatam personam à particulari damno, quod ei imminet, multo magis erit reus criminis, qui desinit obuiare, si potest, ne ad Saracenos, vel Hæreticos deferantur arma, instrumenta bellica, vel aliæ res prohibitæ, quæ adiumento & vtilitati illis esse possunt ad impugnãdum Christianos, cum hoc sit damnum publicum, quod magis cauere debemus etiam cum incommodo nostro, quare qui negligit id prohibere, grauiter peccat, & si habet aliquam potestatem in ipsum delinquentem, vel publicam ratione officij, aut priuatam iure familiæ, huius Canonis excommunicatione afficitur, sicut habetur in capitulo Quantæ de sent. excom. De eo, qui Clericum potuit à percussione & iniuria defendere, nec tamen defendit, ibi, *Facientes & consentientes pari pœna plectendos Catholica condemnat auctoritas, eos delinquentibus fauere interpretans, qui cum possint, manifesto facinori desinunt obuiare*, quod responsum communi Doctorum sententia intelligitur locum habere in his, qui ratione potestatis, quam habent in delinquentes, ad hoc tenentur, alias consentire videntur, vt inquit Glo. in eod. cap. Quantę Ver. Interpretans Vers. vnde alij dicunt, Innoc. Io. Andr. Abb. num. 2. Dec. in cap. 1. nu. 8. de off. deleg. Couar. in Clem. Si furiosus de homic. par. 2. §. 2. nu. 7. Vers. Etenim communi omnium sententia, & addit Couar. idem esse in eo, qui dolose desinit obuiare; nam ex eo solo, cum posset commode à proximo iniuriam auertere, excommunicatus erit propter manifestam percussionis culpam.

Ex his igitur ad rem nostram, de qua agimus, colligere possumus, quod si quis scit alterum paratum esse deferre arma, vel alia prohibita subministrare Saracenis, & desinit impedire, cum possit, incidit in excommunicationem, primo quando ratione officij tenetur prohibere, tunc enim obligatus est ex iustitia simpliciter absque vlla limitatione prohibere, vt dicit Caiet. in Summ. Ver. excommunicatio cap. 10. Vers. Primo nota de non impediente percussionem Clerici, Secundo erit excommunicatus, quamuis non teneatur prohibere, ex officio, si manifeste constet absque periculo & damno suo posse obuiare, & ex intentione id facere non vult, & est contra præceptum Charitatis, quod accidit, vbi non obuiando peccat mortaliter, sic enim videtur moraliter consentire, De qua difficultate iterum fuse tractabo in cap. 6. Disp. 12. Si vero ex sola negligentia, vel aliquo timore humano id omittit, non innodatur excommunicatione, quod intelligo verum, quando sufficit hic titulus ad excusandum à culpa mortali, legendus est Nauarrus in Comment. in cap. Non in inferenda num. 18. 23. q. 3. Huius veritatis ratio affertur à Glo. in dicto capit. Quantæ Ver. Interpretans in fine, quia nullus est excommunicatus ex facto alterius, nisi aliquo modo participet cum illo in delicto, sed qui non retrahit alium à crimine, nullo modo concurrit cum illo, sed mere negatiue se habet, ideo non incurrit excommunicationem impositam contra facientem. De Defensore satis sit dictum.

Superest, vt de eo, qui ratum habet, loquamur, an excommunicatione afficiatur, qui audiens alterum detulisse arma ad Saracenos, vel aliud adiumentum præstitisse contra Christianos ratum id habet, cuius executioni nihil operatus est, nec consilio, nec mandato, nec consensu, nec vllo alio modo; Et respondẽdum est regulariter talem ratum habentem hoc delictum, quamuis peccatum committat, excommunicationem tamen non incurrere, & ratio est euidens, quia finis huius prohibitionis est, ne adiuuentur vlla in re Infideles, vnde impugnare possint Christianos, sed qui solum ratum habet subsidium antea per alium Infidelibus præstitum, nullo modo cooperatur ad damnum Christianorum, ergo non incurrit pœnam latam contra id facientes.

Si obijcias Reg. Ratihabitionem de reg. Iur. lib. 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*, qui mandat incidit in excommunicationem vt probatum est, ergo & qui ratum non habet.

Respondendum est hanc Regulam locum habere in iudicijs, vt dicunt ibi Doctor. & quando extenditur ad maleficium, intelligitur, dummodo delictum commissum fuerit nomine ipsius ratum habentis, tunc enim ratihabitio retrotrahitur, & moraliter æquiualet mãdato, de qua difficultate pertractabo etiam in Disp. 12. c. 6. Quod secus est, quando crimen non est commissum nomine alterius, nam tunc licet alter postea illud ratum habeat, non incurrit pœnam, quia illa nõ est proprie ratihabitio, ideo alia Regula habet *Ratũ quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum*. Quare si quis intelligens alterum eius nomine detulisse arma ad Infideles id ratum habet, incurrit excommunicationem, quia in hoc casu est causa moralis talis delationis, ideo non euitat excommunicationem, sicut de Mandante, & Consentiente dictum est. Id explicari potest exemplo eius, qui ratam habet Clerici percussionem, nam, vt inquit Nauar. in Man. cap. 27. nu. 78. Si quis coram amicis & familiaribus diceret se appetere vindictam alicuius Clerici præuidens vel præuidere debens eos inde fore excitandos ad illum percutiendum, si postea percutiant, ipse erit censura Canonis si quis suadente, innodatus, idq; expresse definitum videtur in cap. Cum quis de sent. excom. lib. 6. *Cum quis absq; tuo mandato manus iniicit in Clericum tuo nomine violentas, si hoc ratum habueris, excommunicationem latam à Canone incunctanter incurris*, Et confirmari potest ex cap. Quantæ de sent. excom. Eodem modo si quis similis esset causa ad excitandum alium, vt adiuuaret Infideles, & rem ipsam eius nomine factam ratam haberet, excommunicationem contraheret. Eo scilicet tempore quo factum ratum haberet non antea excommunicatio enim statim ligat & nõ potest trahi retro, nisi diceretur retro trahi in hoc casu ratione causæ quæ fuit fundamentũ incurrẽdæ excommunicationes vt declarabo in Disp. 12. cap. 6. Regula vero illa Iuris *Ratihabitionem retrotrahi &c.* fallit in multis casibus quos enarrat Felin. in c. Sicut tuis nu. 7. de Simo. Requiritur autem ad incurrendam excommunicationem, vt per exteriora signa appareat de ratihabitione, nẽpe receptando delinquentem, benefaciendo, laudando, vel alio modo, quod si tantum factum habuerit ratum, sola interiori voluntate in corde, talis erit solum ligatus quoad Deũ, vt notat Glo. in d. c. Cum quis Ver. Tuo nomine. Ex dictis patet, quibus modis possit quis cooperari ad actionẽ principalẽ hoc Canone prohibitã.

Superest, antequã concludamus hoc caput, vt elucidemus difficultatem communem, quæ à Doctoribus

bus hic solet pertractari, an Christiani à Turcis ca- A pti, vel à Saracenis, & serui effecti, ac remigio mancipati, & addicti lethalem culpam committãt, & proinde excommunicationem contrahant, cum iussi remigant in bello contra Christianos metu mortis, verberum, aliorumvè cruciatuum, quæ mala alioqui sustinerent, si à remigando desisterent, & idem quæri potest de Christianis, qui triremes Saracenorum regunt, & in eis officium gubernationis exercent.

In hac quæstione duo sunt certa, de quibus non controuertitur. Primũ est, quod Christiani voluntariè, vel ex cupiditate, vel ex lucro remigãtes in triremibus infideliũ contra Christianos, vel in illis exercẽtes curam gubernationis afficiuntur excõmunicatione, quia prębẽt illis auxilium in perniciem Christianorũ, quod est B interdictum, vt paulò ante dixi. Secundum est, quod tales Christiani remigãtes in eisdem triremibus nõ contra Christianos, sed cõtra infideles, vel dum ipsi Turcæ fugiunt à Christianis, vel dum iter agunt ad alia negocia peragenda, non incidunt in excommunicationem, nec etiam peccant, vt notat Nau. in Manua. c. 27. n. 63. in fi. quia non adiuuant Saracenos in damnum Christianorum, quod est ratio formalis huius excommunicationis; An verò sit idem asserendum de illis, qui exercent artem gubernandi in eisdem casibus cõtra alios infideles, non aduersus Christianos, est aliqua dubitatio; Nam Silue. excommunicatio 7. §. 64. tenet ex sententia Antonij Butr. esse excommunicatos ex tex. in c. Ad liberandam de Iudæ. Vbi simpliciter, & absq. vllo C discrimine in tales fertur excommunicatio his verbis *Quiquè in piraticis Saracenorum nauibus curam gubernationis exercent*, Eadẽ habentur in c. Ita quorundam, & actio huius prohibitionis affertur à Doctoribus, quia hoc modo possũt docere Saracenos, & instruere eos in hac arte, qua deinceps vti possunt aduersus Christianos, sicut prohibetur delatio armorum tempore pacis quãuis actu non impugnentur Christiani, sed quia alio tempore impugnari possunt. Innoc. autem in dicto c. Ad liberandam magis probat oppositũ, huiusmodi gubernatores non innodari excommunicatione, si hanc artem exerceant in triremibus Turcarum, non contra Christianos, sed aduersus alios infideles, & mouetur, quoniam in eod. c. Ad liberandam additur illa clausula D *In dispendium Terræ sanctæ*, qua significare videtur Sũmus Pontifex velle excommunicare huiusmodi gubernatores solùm, quando hanc artem exercent in triremibus Saracenorum, in perniciem Christianorum, secus si fiat ad alium finem; Opinio Innoc. mihi magis placet, quod tales gubernatores triremium Saracenorum non afficiantur excommunicatione Bullæ, nec iuris communis, si non exerceãt hanc artem contra Christianos; Idem tenet Nauar. vbi supra, & ratio est, quia, vt dixi in capite 5. cum huiusmodi actio sit indifferens, non est prohibita omni tempore, sed solùm tempore belli quando pugnatur contra Christianos; Alia ratio est de armis, & alijs instrumentis bellicis, quæ sunt res E per se prohibitæ omni tẽpore, vt in d. c. 5. probatũ est.

Duo alia sunt dubia, in quibus Doctores dissentiũt. Primum est, an huiusmodi remiges Christiani si in triremibus Turcarum coacti metu mortis, quam eis comminantur Turcæ, vel ad effugienda verbera, aut alios cruciatus remigant in bello contra Christianos, peccent lethaliter in eo actu cooperando contra legẽ naturalem actui malo, nempe bello iniusto. Secundum dubium est, an incidant in hanc Censurã Bullæ, aut iuris cõis, ita vt dicendi sint trãsgressores huius præcepti ecclesiastici, & contumaces contra obedientiã Ecclesiæ.

Quoad primum de peccato Nau. in Manua. cap. 27. num. 63. in fi. vers. Septima quod Christiani, & in cap. Ita quorundam notab. 11. n. 13. censet huiusmodi Christianos remigantes in triremibus Turcarum etiam ad euitandam mortem non posse excusari à peccato mortali; Probat, quia putat remigare contra Christianos esse per se malum, quare nec metu mortis id esse permissum, quia est cooperari ad occisionem, & iniustum bellum, quod est intrinsecè malũ; Non enim tantum, qui occidere, vel iniustè pugnare volunt; peccant, sed etiam qui occidenti, vel iniustè pugnanti quouis modo opitulantur.

Confirmatur, si Dominus Saracenus imperaret seruo Christiano, vt furaretur, vt occideret alterum, peccaret Christianus, & esset reus furti, vel homicidij, si pareret. Eodem modo peccat, si cooperatur ad peccatum Domini.

Corduba in Summa q. 173. & nonnulli alij tenent oppositum Christianum seruum remigio addictum remigrãtem aduersus Christianos metu mortis, aut verberum non peccare lethaliter, & fundamentum huius dicti est, quia putant remigare in eo, qui tanquam seruus est remigio addictus, non esse rem intrinsecè malam, sed indifferentem.

Probatur primò nullus tenetur exponere vitã suam corporalem euidenti periculo, vt seruet vitam, aut bona proximi, sed seruus Christianus non remigans exponeret vitam euidenti periculo, ergo ad id non tenetur.

Secundò si vnus, vel alter Christianus remiges recusarent remigare, non propterea liberantur Christiani à damno, quod eis imminet, quando Turcæ illos insequuntur, ergo nulla apparet probabilis causa, cur Christiani remiges debeant se subijcere certæ morti absque euidenti vtilitate, & salute aliorum Christianorum.

Hæc opinio mihi videtur probabilior, & censeo remigare esse opus indifferens in eo, qui tanquam seruus additus est remigio; Sed dicet aliquis, remigare simpliciter esse actionem indifferentem; At remigare contra Christianos esse actionem intrinsecè malam; Respondeo, si Christiani remigantes id facerent voluntariè, & spontè, vtique peccarent, sed cum id faciant iussu Dominorum, qui non præcipiunt, vt remigent contra Christianos, sed vt absolutè, & simpliciter remigent, quod non est per se malum ideo non peccant, quia exequuntur officium suum, sicut non peccabat Nahaman 4. Reg. 5. tametsi Principi suo inseruiebat in Templo Idola colenti, dum Regis imbecillitatem suis manibus sustentans vnà cum eo sese inclinabat; Suo enim munere fungebatur. Neque peccat ancilla, si Dominam Ethnicam, & gentilem comitetur gestando vestiũ caudam, & simul cum ea in Templo Idolorum genuflectat non quidem vt Idola veneretur, sed vt suum officium præstet; Ita etiam Christiani serui effecti, & remigio mancipati nequaquam peccant in remigando. Aliud verò est, quando iubentur arma capere, & pugnare contra Christianos, aut furari, aut innocentem hominem occidere; Hæc enim sunt per se mala, & proinde nullo metu etiam mortis sunt facienda.

Ad ea, quæ pro contraria sententia afferebantur, respondere potest; Ad primum, cũ dicebatur Christianos seruos remigando opitulari Saracenis, qui iniustè pugnant contra Christianos, & ideo concurrere cũ illis ad rem intrinsecè malã, & per se iniquam, dicimus Christianos per se præstare simpliciter ministerium, cui sunt addicti, & quod ex officio obire tenentur,

ſcilicet remigare, quod opus eſt indifferens; Ex accidenti verò, & ſecundario contingit, vt in ea actione Saraceni iuuentur, quem finem ipſi non intendunt. Sed inſtabis, ſi ita eſt, ergo etiam nullo imminente periculo licebit eis remigare contra Chriſtianos; Negatur conſequentia, cum enim omnis metus, & periculum abeſt, tenentur lege charitatis deſiſtere à remigando, cum poſſunt ſine vllo incommodo, Chriſtianorum libertati, ſaluti, & vitæ prodeſſe. At verò lex charitatis non compellit illos tanto ſuo cum detrimento conſulere aliorum vitæ, & commodo. Rurſus dices, commune bonum Ciuitatis, aut Principis præferendum eſſe priuato lege naturæ ita dictante. Fateor, vbi Saraceni, vel Turcæ contra Rempublicam, Regem, aut Principem pugnarent, Chriſtianos remiges teneri deſiſtere à remigando, quia commune bonum eſt præferendum proprio commodo, vt probat S. Tho. 2. 2. q. 25. art. 4. ſed concluſio, quam defendimus, intelligenda eſt ſimpliciter, quando ſcilicet Saraceni piratæ maritimi pugnant in triremibus contra alios Chriſtianos priuatos; Ad hunc modum defendi poteſt hæc opinio, quæ videtur mihi, magis pia; Non diffiteor tamē contrariam eſſe quoque probabilem, & commodè etiam defendi poſſe.

De ſecundò verò dubio; An hi remigantes incidant in hanc cenſuram Bullæ, aut iuris communis, non videtur eſſe contētio apud Doctores, omnes enim etiam illi, qui non excuſant eos à peccato mortali, aſſerunt minimè obnoxios eſſe excōmunicationi, ſi metu mortis, aut verberum remigent contra Chriſtianos, & ita ſentit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 63. verſ. Septima quod Chriſtiani, & in cap. Ita quorundam notab. 11. num. 18. de Iudæ.

Probatur, quia cum prohibitio huius Bullæ, & Canones iuris communis ſint humana præcepta, admittunt excuſationes præcepti humani, quatenus tale eſt, & inter alias vna eſt, vt præceptum humanum nō obliget cum tanto rigore, & cum diſcrimine vitæ. Quamobrem licèt ſit vniuerſale, & ſimpliciter omnes cōprehendat, tamen ex accidenti non obligat conſtitutos in tali neceſſitate, & diſcrimine, & idcirco non poſſunt vocari contumaces contra Eccleſiam, & inobedientes eius præcepto, ſi in tali caſu ad euitandam mortem, vel aliud magnum malum remigent, cum magis neceſſitate, quam voluntate id faciant, Nec dicuntur violare præceptum Eccleſiæ eo tempore, quo eius mandatum obligat.

Secundò quia non repugnat, quod quis lethale peccatum cōmittat transgrediendo legem eccleſiaſticam cui ſit annexa excommunicatio, & non remaneat obſtrictus excommunicatione, vt probat Nauar. in Manua. cap. 27. num. 63. verſ. Quinta quod propoſitum, & num. 84. vbi probat percutientem Clericum turpiter, & inhoneſtè inuentum in fragranti crimine cum matre, filia, vxore, vel ſorore, licèt non ſit immunis à peccato, non incurrere tamen excommunicationem Canonis; Si quis ſuadente, & fuſius de hoc Tabiena excommunicatio 1. num. 31. quia non eſt credendum Eccleſiam velle innodare cenſura excommunicationis, ſi quis percutiat Clericum in tali articulo impulſus impetu iuſti doloris, quo afficitur. Eodem modo non videtur veriſimile Eccleſiam velle obligare Chriſtianos captiuos Saracenorum ad non remigandū tanto periculo inſtante verberum, & necis, niſi in aliquo particulari caſu probabiliter immineret tale damnum publicum Reipublicæ Chriſtianæ, aut Regno, vel Ciuitati, aut Principi ex tali remigatione, vt prudenter exiſtimādum eſſet voluiſſe Eccleſiam obligare ad obſeruationem huius Canonis ſub pœna excommunicationis non obſtante metu mortis; Tunc enim Chriſtianus ſeruus præuidens tale damnum commune, quod cauere poſſet non remigando, ſi nihilominus ad ſeruandam vitam propriam nollet à remigando deſiſtere, excommunicationem contraheret, quoniam Eccleſia poteſt ita obligare, quando præceptum reſpicit commune bonum Religionis, ſeu Populi Chriſtiani; Regulariter tamen aſſerendum eſt non incurrere excommunicationem, Chriſtianos ſeruos Turcarum, ſi coacti remigent in eorum triremibus contra Chriſtianos, quia vel non imminet tam magnum periculum, vel (ſi detur) impediri nequit, ſi vnus, vel alter Chriſtianus ceſſet à remigando, ſicquè concludatur hoc decimum Caput.

CAPVT XI.

Super extrema particula Canonis Non obſtantibus quibuscunque priuilegiis quibuſuis perſonis, Principibus, Rebus publicis per nos, & ſedem prædictam hactenus conceſſis de huiuſmodi prohibitione expreſſam mentionem non facientibus.

HAec clauſula appoſita fuit primùm à Paulo Tertio, in prioribus Bullis non legebatur, in qua verba aliquātulum à Sixto V. immutata fuerunt; Hęc enim erāt in antiquis Bullis vſque ad Gregorium xiij. loco eorum, quæ modò habentur, videlicet *Non obſtantibus quibuſcunque priuilegiis quibuſcunque Principibus, & Dominis, ſiue priuatis perſonis per nos, & Sedem Apoſtolicam hactenus conceſsis, quæ illis nolumus in aliquo ſuffragari*. Et vtroque modo verba accepta, eundem retinent ſenſum, quibus abrogantur priuilegia præterita ante Bullam, non priuilegia poſteriora; Nam Papa non poteſt ſibi, vel ſucceſſoribus legem imponere, vt Conſtitutionem non valeant abrogare, ſi eis videbitur cap. vlt. de reſcript. lib. 6. cap. Innotuit de elect. l. Digna vox de legi. Glo. vlt. in cap. fin. de ſent. excom. lib. 6. Sed quia Bulla Cœnæ ſingulis annis renouatur, idcirco ſemper intelliguntur reuocata omnia priuilegia contraria huic Canoni.

Virtute huius clauſulæ omnia priuilegia quibuſcunque conceſſa huic Canoni repugnantia obrogantur, in quibus de hac abrogatione ſpecialis, & expreſſa mentio non fieret; Et hæc ſpecialis derogatio appoſita fuit à Summo Pontifice, vt maius robur, & firmitatem traderet huic Canoni; Nam etiamſi non apponeretur, adhuc nullum priuilegium vim haberet aduerſus ea, quæ in hoc Canone interdicuntur, quia priuilegia non valent contra Bullam Cenę Domini propter clauſulam generalem, & ampliſſimam, quam habet in fi. in §. Non obſtantibus priuilegijs, qua reuocantur omnia priuilegia quibuſuis perſonis conceſſa, annullantur omnes conſuetudines etiam immemorabiles, & præſcriptiones longiſſimæ contra ea, quæ in Bulla continentur, inductæ.

Animaduertit Card. Tolet. lib. 1. inſtruct. Sacerd. cap. 23. in fi. Per hanc particulam non derogari priuilegia, ſi quæ conceſſa ſunt à Sede Apoſtolica deferendi merces, & victualia extra tempus belli, & exercendi commercia, & ratio eſt, quia hic tantùm tolluntur priuilegia, quæ repugnant, & aliqua ex parte aduerſantur prohibitioni huius Canonis, ſed in hoc Canone interdicitur ſolùm delatio, vel traditio Armorum, & inſtrumentorum bellicorum, ideſt rerum, quæ immediatè

diate vel mediate vtiles sunt, & referuntur ad bellum, quæ à Doctoribus dicuntur res per se prohibitæ, idcirco derogantur solum priuilegia deferendi arma, ferrum, & cætera expressa in Canone, non autem priuilegia deferendi alia rerum genera B. Antoni. 3. par. sum. tit. 24. cap. 30. in fi.

Referuntur à Doctoribus nonnulla priuilegia ad hanc rem spectantia à Sede Apostolica olim diuersis concessa, Tabiena excommunicatio 6. nu. 5. recenset duo priuilegia Genuensibus tradita. Primum à Sixto IV. viuæ vocis oraculo, vt liceret eis cum Infidelibus, præsertim Turcis negociari etiam tempore belli, non tamen de rebus prohibitis, excepta fune, quam oportebat illis tradere, vt permitterent Genuensibus in portibus ipsorum Infidelium manere. Secundum est Iulij Secundi anno 1504. qui eisdem concessit priuilegium ad centum annos deferendi ad eosdem Stannum, plumbum, æs, seu ramum, electrum, seu ottonem, meminit etiam huius licentiæ, Silue. excom. 7. §. 58. Vers. Super hoc tamen, qui tradit eandem licentiam habuisse Venetos à Martino Quinto secundum Arch. quoad victualia & mercimonia. Hoc idem asserit B. Antoni. vbi supra, non autem quoad arma & lignamina, & Rebuff. in explicatione huius Canonis Vers. Non obstantibus, addit tamen Silue. se audiuisse à viris fide dignis tempus huiusmodi priuilegij iam diu præterijsse, Card. Toletus ait de hoc priuilegio dubitari. Sed quidquid sit de his priuilegijs modo sublata sunt omnia priuilegia concessa à Sede Apostolica ex quacunque causa adiuuandi Saracenos, & transmittendi illis arma & quæcunque prohibita, quibus vel actu, vel habitu Christianos impugnare possent, in quibus de huiusmodi prohibitione expressa mentio facta non fuerit.

Nec satis erit ad validitatem priuilegij, vt Papa in eo expresè deroget cuicunque constitutioni in contrarium facienti, etiam cum clausula, quamuis de ipsa Constitutione specialis mentio fieri deberet, vt inquit Card. consil. 136. cuius initium est, factum sic se habet col. 5. quia Papa expresè postulat ad valorem talis priuilegij, vt in eo mentio specialis huius Canonis facta sit, & ad ipsum Summum Pontificem spectat tollere & moderari priuilegia per Sedem Apostolicã concessa, c. vlt. in fi de sent. excom. lib. 6. c. ne aliqui de Priuil. eod. lib. Glo. in c. Clericis §. Non obstantibus Ver. eodem de Immun. Eccles. lib. 6. Quare Regula illa *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum* de reg. Iur. lib. 6. significat esse congruum, & rationi conueniens, vt absque legitima causa non tollatur priuilegium, non tamen aufert potestatem à Principe, ne possit illud abrogare, sicut sponte concessit, vt patet in cap. Quia sæpe in fi. de elect. lib. 6. & citato cap. Clericis de Immun. Eccles. eod. lib. Vnde Glo. vlt. in dicta Reg. Decet, notat verbum *Decet* positum in Regula quantum ad ipsos subditos necessitatem imponere, sed quoad ipsum Principem, potestatem, quia potest priuilegium concessum diminuere, moderari, & in totum tollere.

Sed vt clarius elucidentur hæc, quæ diximus, duæ dubitationes proponantur, & dissoluantur. Prima dubitatio esse potest, an Mercatores & alij negociatores, qui de licentia suorum Principum secularium deferunt non arma & alia prohibita in hoc Canone, sed merces, victualia ad Turcas & Saracenos, & ineũt commercia cum illis, incurrãt excommunicationem.

Respondeo tales non incidere in excommunicationem Bullæ, si ea non deferant deprauata voluntate in

A perniciem Christianorum, sed incidere in excommunicationem latam iure communi in pluribus locis, de quibus pertractaui in cap. 7. quia Princeps secularis non potest impertiri licentiam aduersus legem Summi Pontificis, Inferior enim non habet potestatem dispẽsandi super lege Superioris, cap. Inferior 21 dist. cap. Cum Inferior de Maio. & Obed. cap. Quæ in Ecclesiarum de Constit. Quamobrem tales peccant mortaliter, neque absolui possunt à Confessario, vt affirmat Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 1. num. 14. nisi sint parati obedire, & commercia cum Saracenis dissoluere, quia Princeps non potest eximere eos à peccato mortali, & ab obedientia debita Ecclesiæ, & consequenter neque ab excommunicatione, licèt

B possit suos subditos liberare à pœnis Iure ciuili impositis aduersus Reos huius criminis, Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 1. nu. 13.

Secunda dubitatio sit, an Summus Pontifex licitè possit licentiam facere alicui Principi transmittendi ad Saracenos hæc, quæ in hoc Canone Bullæ sunt prohibita, vt arma, ferrum & cætera, ita quidem vt transmittens non peccet, nec contrahat hanc excommunicationem.

Ad hanc dubitationem dicendum est in primis non ligari excommunicatione illos, qui deferunt ad Saracenos quæcunque prohibita, quocunque tempore deferant, habita facultate à Sede Apostolica, quacunq; ex causa, immo etiam nulla existente causa, dummo-

C do fines priuilegij non excedant, vt inquit Nauar. in cap. Ita quorundam notab. 1. num. 15. Et huius dicti illa est ratio, quoniam hæc excommunicatio imposita est ab ipso Iure humano positiuo, cuius auctor est Summus Pontifex, idcirco potest Summus Pontifex, quem voluerit, ab illa eximere, vt probat Felin. in cap. Nulli de sent. excom. & Couar. in Reg. peccatum par. 2. §. 8. nu. 9.

Secundo dicendum est deferentem prohibita ad Saracenos virtute eisdem priuilegij non committere culpam, si ex iusta & rationabili causa fuit priuilegium concessum.

Probatur primo quia tradere ea, quæ prohibentur in hoc Canone, Saracenis, ex se non est res intrinsece

D mala, nec Iure naturæ damnata, sed indifferens, nisi tradantur animo prauo adiuuandi Saracenos contra Christianos, vt dixi in præcedenti capite ergo Papa potest in hac Constitutione ex iusta causa dispensare, quæ enim sunt Iuris positiui, plene subijciuntur potestati Summi Pontificis, vt in illis dispensare valeat, sicut expedire iudicat, vt tradit S. Tho. in quodlib. 4. art. 13. Glo. in cap. Proposuit Ver. Dispensare de concess. preben. Glo. in cap. Vbi periculum Ver. Consilio de elect. lib. 6. Abb. in cap. Significasti num. 3. & 9. de elect. Quare si Papa in hoc casu dispensare potest, ex consequenti ille, qui ex dispensatione Romani Pontificis contra Constitutionem huius Canonis defert hæc prohibita ad Turcas, non est reus culpæ, quia

E stante dispensatione hæc Constitutio illum non obligat, ac si lata non esset.

Probatur secundo, quoniam etiamsi cõcederemus, hanc actionem transmittendi ad Saracenos res in hoc Canone prohibitas, esse intrinsece malam, & iuri Naturæ ac diuino repugnantem, adhuc liceret Rom. Põtifici ex aliqua vrgente causa non dispensando, sed declarando, permittere, vt tales res prohibitæ transmitterẽtur ad Turcas, & in tali casu, qui ex licentia eiusdẽ Põtificis res huiusmodi ad illos deferret, tutus esset in conscientia, & nullum peccatum committeret; Habẽt

enim

enim potestatem Romanus Pontifex interpretandi, & declarandi ius diuinum, ex qua declaratione constat ius illud ad talem casum ex aliqua causa non extendi S. Tho. quod lib. 4. art. 13. & quod lib. 9. art. 15. Turre Crem. lib. 2. De Eccles. cap. 107. Silue. Ver. Papa §. 16. Paris. cons. 68. nu. 199. Vol. 4. Quamobrē si aliquando Summus Pontifex permitteret ex aliqua graui causa occurrente, vt traderentur arma, aut alia instrumēta bellica Turcis, qui ea traderet, non committeret peccatum, puta si concederet, vt permutarentur arma cum frumento ad subueniendum Populo Christiano extrema annonæ penuria laboranti, vel vt desisterent ab obsidione alicuius Ciuitatis Christianorum, vel ad redimendum Principem à captiuitate, vel ob alias similes grauissimas causas præsertim publicas.

Tertiò dicimus, si absq. iusta causa & rationabili tale priuilegium concederetur, tunc deferens prohibita ad Turcas non excusaretur à culpa vi priuilegij, sed Reus esset criminis, quamuis non contraheret excommunicationem; Idque non solum est verum iuxta sententiam illorum, qui tenent hanc traditionem rerum prohibitarum Saracenis esse rem Iure naturæ & diuino prohibitā, sed etiam si affirmemus esse actionē indifferentem iure tantū humano positiuo interdictā.

Probatur, nam qui ex dispensatione Summi Pontificis absque rationabili causa concessa agit aliquid contra Ius humanum, non est tutus corām Deo, vt tradit Glo. in cap. Non est voti Ver. Adimplere De Voto, & probat S. Tho. 1. 2. q. 97. art. 4. Sed peccat in terminis, in quibus loquimur, ratione scandali & damni publici, quod probabiliter inde sequi potest Christianis, & erit peccatum mortale, vt probat Dom. Sot. lib. 1. De Iust. & Io. q. 7. art. 3.

Probatur secundò ex communi doctrina Canonistarum, vt colligitur ex Innoc. in cap. Cum ad Monasterium De Sta. Monach. & ex Abb in dicto cap. Non est voti De Voto, qui distingunt inter dispensationem

A concessam à Rom. Pontifice, & ab alijs Prælatis Inferioribus; Nam si Inferiores Prælati concedant dispensationem sine causa, & peccant, & dispensatio nō tenet, quia limitatam habent potestatem; Quod si à Papa concedatur dispensatio in his, quæ sunt Iuris diuini, vt in Voto, in Iuramento, & alijs sine causa, peccatum committitur, & dispensatio non valet; Sed in iis, quæ sunt meri Iuris positiui, quæ à suo arbitrio pendent, dispensatio tenet, & valet, nulla existente causa concessa licèt malè faciat Princeps eam concedendo; Quoad hoc enim vt dispensatio, & actus ex ea sequutus valeat, est in Principe pro ratione voluntas; Glo. quā ibi notat Bart. in l. Relegati ff. De Pœn. Felin.

B in cap. Quæ in Ecclesiarum num. 6. De Constit. Caiet. apud. B. Tho. 1. 2. q. 96. art. 5. ad fi. Innoc. in cap. Cum ad monasterium De Sta. Regul. Abb. vbi supra, & in cap. De Multa num. 20. De Præb. & in cap. Quæ in Ecclesiarum num. 17. & ibi Dec. num. 29. De Constit. Vnde si quis dispensatione impetrata contrahēdi matrimonium in quarto grado sine causa illud contraxerit, etiamsi contrahendo peccauerit, tamen matrimonium non solùm in foro exteriori, sed etiam in animæ iudicio validum erit, & filij ex hoc matrimonio concepti legitimi erunt, neque enim inconuenit committi crimen in actione alicuius rei, & tamen ipsum actum firmum esse, vt Siluester probat Ver. Papa §. 11. Eod.

C modo quamuis deferre arma, & alia hic prohibita ad Turcas sit actio ex sui genere indifferens, tamen cum sit interdicta lege Ecclesiastica & ciuili sub poena excommunicationis, & aliis poenis, vt visum est, si quis obtineat priuilegium illa deferendi contra dictam constitutionem nulla rationabili & legitima causa existēte, licet excusetur ab excommunicatione & aliis pœnis, & de tali delatione perturbari nequeat, peccatum tamen committit; Ad hunc modum concludamus hoc Vndecimum Caput, & finem imponamus disputationi de Septima excommunicatione.

EXCOMMVNICATIO OCTAVA.

ITEM EXCOMMVNICAMVS, ET ANATHEMATIZAMVS OMNES IMPEDIENTES, SEV INVADENTES EOS &c.

DISPVTATIO NONA.

DE EXCOMMVNICATIONE CONTRA *Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria ad Curiam Romanam conuehunt.*



HÆC excommunicatio semper apposita fuit in Bulla Cœnæ; Habetur in Bulla Martini Quinti, quam refert B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 72. casu 5. & ferè eisdem verbis vel pau-

D cissimis mutatis vsque ad Gregorium XIII. expressa continetur, Gregorius XIII. post illa verba: *Impediunt vel perturbant*, addidit hanc clausulam, *Vel pro eis aliquid exigunt, aut soluere faciunt*, Quæ clausula non legebatur in prioribus Bullis, neq. Syxtus V. eius Successor illam retinuit, neque alij Posteriores Pontifices Syxtum sequuti, illam in suis Bullis apposuerunt.

Hic Canon, quoad personas, est vniuersalis, & amplectitur omnes Christianos, quacunque fulgeant dignitate; Actiones principales, quæ prohibentur, sunt quatuor. Prima est inuadere eos, qui adducunt victualia & alia necessaria ad Curiam Romanam; Secunda

cunda impedire eosdem, nè illa deferant; Tertia impedire res asportandas; Quarta easdem perturbare, sed possunt reduci ad duas principales, nempè impedire & inuadere homines adducentes victualia, vel alia necessaria ad vsum Romanæ Curiæ, secunda impedire; seu perturbare, nè prædicta adducantur ad Curiã; Quare prouidetur primò hominibus adducentibus; Secundò rebus adducentis, & qui facit has principales actiones, licèt non sequatur effectus, scilicet impedimentum, est excommunicatus. Actio accessoria est vnica nempè Defendere per se, vel alios, vt aliqua illarum actionum principalium fiat, & per hanc defensionem non incurritur excommunicatio, nisi sequatur effectus quoad actiones principales.

Caput Primum, *Quos velit significare Summus Pontifex illis duobus verbis* Impedientes seu inuadentes *addita extrema particula* Cuiuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiamsi Pontificali, seu Regali aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

Caput Secundum, *De Victualibus, & aliis rebus ad vsum Curiæ Romanæ necessariis.*

Caput Tertium, Ac etiam eos qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant. *Vbi declaratur, quid sit, & vbi existat Romana Curia; Qui vocentur Curiales, & cur ita appellentur.*

Caput Quartum, *An dentur aliquæ iustæ, & legitimæ causæ, & quales sint, quibus excusari possint inuadentes illos, qui deferunt victualia ad vsum Romanæ Curiæ, vel impedientes, ne eadem deferantur, vt excommunicatione huius Canonis non afficiantur.*

Caput Quintum, *An præter hanc Excommunicationem Bullæ contra inuadentes eos, qui victualia ad vsum Curiæ Romanæ adducunt, latæ sint à Summis Pontificibus aliæ Excommunicationes, atque aliæ pœnæ additæ, & explicatur vltima particula Canonis.* Seu hæc facientes defendunt per se, vel per alios &c.

CAPVT I.

Quos velit significare Summus Pontifex illis duobus verbis Impedientes, seu inuadentes *addita extrema particula* Cuiu cunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

HAEc est prima actio principalis, quæ prohibetur; Impedire scilicet seu inuadere homines afferentes victualia &c. ad Curiam; Quare hæc actio respicit personas adducentes victualia. Explicemus primo loco qui dicendi sint Impedientes ad hanc excommunicationem incurrendam; Deinde dicemus de Inuadentibus.

Sit igitur prima conclusio; Omnes illi, qui dolo malo conantur auertere adducẽtes necessaria ad Curiam in hanc excommunicationem incidunt. Dixi si dolus est malus, quia dolus apud scriptores in bonam & malam partem accipitur; Si sumatur in bonam partem, significat solertiam, calliditatem, strattagema, vt inquit Vlp. in l. 1. §. Non fuit, & ibi Glo. ff. De Dolo malo; Vnde dolum malum dixerunt auctores antiqui discriminis causa, quòd & bonus quidam dolus inueniretur; Teren. in Eunucho: *Erat suspicio dolo malo hæc fieri omnia*, & Glo. in c. Vtilẽ 22. q. 2. Ver. Vtilem, inquit Dolum contra hostẽ bonum esse; E contra
A simulatio ad fallendũ semper est dolus malus, vt ead.
Glo. notat; Vnde Vlp. in dicta l. 1. §. Dolum malũ, ff.
De Dolo malo, hæc ait de dolo malo *Dolũ malũ Seruius quidem ita definit Machinationẽ quandã alterius decipiẽdi causa, cum aliud agit, & aliud simulat.* Quæ definitio non placet Labeoni: quia, & potest quis circumueniri sine simulatione, & potest aliud agi, & aliud simulare sine dolo malo. Quare aliam definitionem tradit labeo, quam probat in eodem §. Vlpia. & est hæc: Omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. Quoties igitur quis impedit deferentem victualia ad Vrbem fraude, mendacio, vi, metu, fallacia, machinatione, blanditijs, precibus, suasione, consilio, siue quouis alio mo-
B do, & id facit ob eum finem tantùm, vt impediat, ne victualia deferantur ad Curiam, dolo malo dicitur impedire; & idcirco incidit in excommunicationem. Hoc confirmant ea, quæ dicit l. 1. ff. de eo per quem fac erit. Vbi Vlpia. putat æquissimum esse coercere dolum eius, qui impedit aliquem iudicio sisti, & addit. *Fecisse autem dolo malo non tantùm is putatur, qui suis manibus, vel per suos retinuerit, verùm qui alios quoque rogauerit, vt eum detinerent, vel abducerent, vt iudicio sistat.* Et statim sequitur. *Dolum autem malum sic accipimus, vt si quis venienti ad iudicium aliquid pronunciauerit triste, propter quod is necesse habuerit ad iudicium non venire.* Eodem modo igitur si quis parato ad Vrbem cum victualibus venire narraret aliquod falsum, vt ab hoc propo-
C sito retraheret, diceretur dolo malo impedire, puta si diceret viam non esse tutam à latronibus, vel in Vrbe plures morbo laborare, aut merces tam vili precio æstimari, ita vt cum iactura deferantur, aut vocaret illum in Iudicio, vt retineret, vel quoduis aliud fingerit, hac intentione excommunicationem contraheret, quia dolo malo vteretur, ne victualia ad Curiam trãsmitterentur. Quod verum est, vt dixi, etiam si qui fingeret mendacium ad impediendum, nihil operaretur, neque impetrare posset ab alio, vt desisteret victualia ad Vrbem conuehere.

Secunda cõclusio sit si loquamur de dolo bono, non incidere in hanc excommunicationem eos, qui precibus suasione, consilio, metu, vel alia via honesta quæ-
D runt impedire deferentes victualia ad Curiam Romanam, non eo animo, & intentione, ne victualia deferantur ad Vrbem; sed ob aliam iustam causam, & hi vtuntur dolo bono; Puta si Pater timens, ne filius vecturus frumentum ad Vrbem tempore æstiuo, corripiatur morbo, & ductus amore filij, dissuadere ei, ne se itineri exponat ob eandem causam si vxor retrahat virum, vel si id faciat, ne eum aggrediantur inimici in via aut ob periculum latronum, vel difficultatem itineris, & ita de similibus, non erit excommunicatus.

Probatur primò, qua ratio formalis, propter quam imunitur hac excommunicatio, est impedimentum, quod traditur deferentibus victualia ad Curiã ob eam
E causam præcisè, quia victualia deferunt, intentione impediendi, ne vehantur. At in casibus propositis, & similibus cessat hæc ratio: nam impeditur accessus ad Vrbem non ea intentione, ne deferantur victualia, sed ob alias causas iustas, & honestas: idcirco excommunicatio non habet locum. Vnicuique enim licet sine fraude, & dolo malo procurare suam vtilitatem, & Proximi, vt probat Parisius cons. 67. num. 58. vol. 3. Quod si sequatur præstito tali impedimento, ne victualia deferantur ad Vrbem, id non intenditur per se ab ipso impediente, sed prouenit per accidens, & præter intentionem ipsius. In vnaquaque autem actione con-

fide.

A fiderandum est id, ad quod per se ordinatur, noo id, quod per accidens seipsa actione sequitur, l. Nô omnes ff. Si cert. peta. l. 3. §. fin. & ibi Bart. ff. Si quis eautione; Alex. conf. 89. num. 10. lib. 4.

Secundo idem probatur argumento à simili, si quis retinet Clericum inuitum & nolentem, vt auertat eû à flagitio, quod paratus est committere, non incidit in Canonem si quis suadente, nec peccat, quia non facit dolo malo, sed bono, vt inquit Siluc. excom. 6. §. 5. Vers. Secundo cum quis, & desumit ex Innoc. in c. Si vero 1. oum. 2. de sent. excom. qui ait non obstringi excommunicatione illum, qui ligaret Clericum, si aliter non posset eum coercere, ne iniurijs & percussionibus alterum inuaderet, & nullum peccatum incurrere, sed mereri; quia dolo bono facit retrahens B alium à malo, & non animo offendêdi Clericum, cap. Fortitudo 23. q. 3. & cap. seq. eodem modo qui ob iustam aliquam causam impedit venientem cum victualibus ad Vrbem non ea intentione, ne victualia deferantur ad Curiam, sed ne aceidat ipsi venienti aliquid mali & periculi, de qno probabiliter timendum sit, non violat hunc Canonem, neque contrahit excommunicationem.

Hoc idem satis expresse videntur confirmare verba Iurisconsulti in l. sed eximendi in fi. & ibi Glo. Ver. Cû iusta causa ff. ne quis eum qui in Ius voca. quibus decernitur noo teneri Edicto illo Prætoris qui eximit eum, qui vocatus est ad Iudicium, si id faciat sine dolo malo, quando adest iusta causa exemptionis ponit C exemplum Glo. *Puta si locus erat insidiosus, per quem ibat ad Iudicium, vt forte mortuus esset, si iuisset.* Et ratio est, quia finis huius exemptionis est bonus, nempe eripere proximum à probabili periculo imminente; ergo non est dignus pœna, sed premio; Multo igitur minus contrahit excommunicationem, qui impedit ob aliquam iustam eausam venientem ad Vrbem cum victualibus, cum in hac actione nullius criminis sit reus.

Sed postulabit quis, an in dubio præsumendum sit impedimentum illatum esse dolo malo, vel bono?

Respondeo in dubio ad eum, qui agit contra impedientem, & petit illum puniri debere & denûciari ex- D communicatum ratione impedimenti præstiti, pertinere onus probandi impedimentum illatum esse dolo malo, vt in simili de ostiario & officiali, qui percussit Clericum, quòd id fecerit ex odio, tenetur probare percussus, vt tradit Innoc. in cit. c. Si vero 1. n. 1. de sent. excom. Primo quia Actor est, & Actori incumbit probatio, cap. Actor 6. q. 5. nam quilibet præsumitur bonus, nisi probetur oppositum, cap. Dudum, de præsumpt. eap. Olim, de restitut. spoliat.

Deinde dico officium esse ipsius Iudicis ex coniecturis & circumstantiis verisimilibus iudicare in quâ partem accedant maiores præsumptiones, idest an impedimentum traditum sit ex dolo malo vel bono, & se præsumptiones militent pro dolo malo, incumbet E ei, qui impedimentum dedit, onus probandi oppositum, vt io simili asserit Innoc. vbi supra.

Extra hunc casum, quo quis quærit ductus ex iosta & legitima causa bono modo dissuadere aduentum ad Curiam conducenti victualia ad impediendum aliquod malum, cui probabiliter se exponeret causa talis aduentus, omnes alij impedientes subijciuntur huic excommunicationi, quomodolibet impedimentum afferatur. Multis enim modis potest quis alterum impedire, nempe cum effectu, aut simpliciter, secundo immediate vel mediate, Tertio directe vel indirecte, & omnibus his modis incurritur excommunicatio. Cum effectu & proprie ille impedit alium, qui est causa, vt alter non perficiat etiam vt supra remanet ex his explicatum primum illud verbum *Impedientes.*

Sequitur verbum *seu Inuadentes.* Inuadere est per vim, & cum impetu aliquem aggredi. Vnde toto tit. C. vnde ui, permittitur, vt contra Inuasores possessionum & bonorum liceat vim vi repellere. Quare omnis, qui inuadit, impedire intendit; sed non omnis impediens inuadit. Potest enim consilio, precibus, suasione impedire sine impetu & violentia. Impedire enim est verbum generale comprehendens omnem modû, quo quis tenet alium retrahere ab aliqua actione, quã proposuit & decreuit exequi. Quamobrem Inuadentes continebantur sub verbo *Impedientes*; sed voluit Summus Pontifex specifice eos denotare:

Itaque excommunicatio huius Canonis est vniuersalis, & comprehêdit, eos qui vel vi aggrediuntur adducentes necessaria ad Curiam Romanam, vel quouis alio modo etiam precibus & suasione impediunt, vt ab incepto desistant. Omnes enim innodantur hac excommunicatione, cuiuscunque ordinis, status, & conditionis fuerint, vt habetur in extrema particula huius Canonis, quæ vt clarius intelligatur, singula verba sunt distincte declaranda.

Cuiuscunque fuerint ordinis, Rebuff. in explicatione huius Canonis, Ver. Ordinis, ait hac voce significari quoscunq. siue sint Proceres, Decuriones, Senatores, vel alij similes, Glo. in l. 1. §. quamuis sit. manifestissimum, Ver. ordinum ff. de vent. Inspic. Tres inquit erant ordines Romæ, Senatorius, Aequestris, & Plebeius, Virg 7. Aeneid. *Delectos ordine ab omni*, vbi Seru. explicat, idest ab omni qualitate dignitatum. *Vel cuiuscunque ordinis fuerunt* Intelligi etiam possunt hac clausula personæ Ecclesiasticæ, siue io Minoribus, siue io Maioribus sint ordinibus constitutæ.

Praeeminentiæ, idest cuiuscunque fuerint dignitatis, vel ecclesiasticæ vel laiealis, ita declarat Glos. in Clement. 1. Ver. Quibuscunque de Iudi. etiamsi Imperiali vel Regali præfulgeant dignitate. Addit Rebuff. Summum Pontificem fortasse noluisse exprimere Imperatorem in hoc Canone, ne quis suspicaretur hanc Constitutionem editam fuisse in odium ipsius, meminit autem Regiæ dignitatis, quia plures existunt Reges, vnus autem extat Imperator in Orbe, idcirco noluit eum nominare.

Conditionis, hoc loco conditio sumitur pro sorte, fortuna, seu qualitate personarum, idest siue sit pauper, aut diues, Miles aut Doctor, vt declarat Glos. in l. Præsenti Ver. Conditionis C. de his qui ad Ecclesf. confug. & multas esse differentias liberorum hominû habemus in §. fin. Instit. de Iur. person. Vel per Conditionem possumus intelligere, siue sit vir aut fœmina, Maior aut Minor, dummodo sit dolo capax, c. 1. de delict. Pueror.

Status, scilicet Nobilis aut Plebeius, seruus vel Ingenuus & liber. Tandem his vocibus Summus Pontifex voluit omnes comprehendere siue vlla exceptione eodem modo loquendi vsus est in cap. Clericis §. Nos igitur in princ. de Immunit. Ecclesf. lib. 6. & cap. Ne aliqui de priuileg. eod. lib. vt omnes includeret nemine prætermisso. Quam voluntatem suam Papa vt magis firmaret & declararet; addidit illa extrema verba *etiamsi Pontificali, aut alia quauis Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate*; Et quamuis hæc clausula fuisset omissa, adhuc per dictionem illam generalem *Omnes Impedientes*, intelligerentur etiam perso-

personæ in dignitate constitutæ, vt probaui in cap. 1. A disp. 8. & Glos. in Clem. 1. Vers. Quibuscunque de Iudi. dicit, per verbum generale comprehendi quoque personas illustres. His igitur verbis vult Papa omnes includere & neminem excipere, propterea repetit tot dictiones, vt omnis tollatur ambiguitas, quia forsan dubitari potuisset, an sub generali Constitutione comprehendarentur personæ in dignitate Ecclesiastica vel mundana constitutæ. Ideo expresse nominat illos, qui Pontificali seu Regia dignitate præfulgent. Quamobrem quicunque violauerit hanc constitutionem, vinculo excommunicationis remanet obstrictus, cuiusque fuerit ordinis, dignitatis, & gradus, etiamsi Romano Pontifici in temporalibus ordinario iure subiectus minimè sit, vt inquit Caiet. in B Summa Verb. excommunicatio cap. 19. siue impediat ratione officij & Magistratus, quem gerit, vel priuata vi & actione, nisi vel ratione probabilis ignorantiæ facti excusetur, quòd ignoret eum, quem inuadit & impedit, deferre victualia ad Curiam, vel ratione exiguitatis vel paruitatis materiæ, quę sufficiens causa est ad excusandum in omni genere peccati, vt si res quæ impeditur, ne deferatur, sit minima & parui momenti.

CAPVT II.

De Victualibus, & aliis rebus ad vsum Curiæ Romanæ necessariis.

C

Excommunicantur omnes impedientes & inuadentes eos, qui victualia seu alia ad vsum Romanæ Curiæ adducunt. Inquirendum est igitur, quid intelligat Summus Pontifex nomine victualium & aliarum rerum ad Curiæ Romanæ vsum necessariarum.

Victuale seu Victuarium significat omne id, quod ad victum pertinet, licet neutra vox reperiatur apud Latinos Scriptores vsurpata, sed vulgaris est & communi, vsurpata verbo autem, Victus, continentur ea omnia, quæ ad corporis vitam colendam sunt necessaria. Vnde Vlpia. l. verbo victus ff. de verbor. signif. sic inquit, *Verbo Victus continentur, qua vsui, & potui, cultuiq; corporis, quaque ad viuendum homini necessaria sunt. Vestem quoq; victus, habere vicem labeo ait.* quæ D omnia denotantur vulgato verbo *Alimentorum*, quod continet nedum cibum & potum, sed vestes, calciaria, medelas, sine quibus corpus ali nequit, l. legatis ff. de alimen. leg. Soci. cons. 10. num. 15. & cons. seq. num. 11. lib. 1. Quare alimentorum nomen est latissimum, & tam late patet nomen Victualium seu Victuariorũ, l. verbo victus, l. quos nos, Vers. Verbum viuere ff. de verbor. signif. Specul. in tit. qui filij sint legit. nu. 38. & 43. Quare hoc nomen, Victualia, ita generice prolatum in Canone continet omnes species rerum, quæ ad vitam humanam quouis modo conferre possunt, & sine quibus nemo viuere potest, quare comprehenduntur sub hoc verbo in primis omnes species rerum, quibus communiter vescimur, vt Panis, Carnes, Vinum, Legumina, oleum, Bruta viua & mortua, Poma & omne genus frugum, vuæ, olera. Item ea omnia, quibus corpora teguntur, & ab iniurijs aeris defenduntur, vt dicitur in dicta leg. Verbo Victus & l. In stratum eod tit. ibi: *In victu ergo vestem accipiemus*, & vestes cuiusq; generis & ex quacunque materia, l. Vestis ff. de Aur. & Argen. lega. *Vestimentorum sunt lanea omnia, linea q; vel serica, vel bombacina, qua induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, iniiciendi, accubandiue causa parata sunt.* Item nomine victualium intelliguntur lecti seu Culcitræ, aut stramenta, l. quos nos A Verbum viuere; vbi hæc habentur *sed offilius ad Atticum ait his verbis, & Vestimenta & stramenta contineri; sine his enim neminem viuere posse.* Et Glos. Ver. Stramenta inquit, *idest lectum*, & Bart. in Tract. Alimen. numer. 4. Item sub eodem verbo intelliguntur medelæ seu Medicinæ, Bart. in l. Si cum dotem §. sin autem in fi. ff. solut. Matrim. & in l. legatis, ff. de alimen. præstan. & id colligitur ex l. Cœtera ff. de verb. sign. *Cætera quoq. inquit Cacus, quibus viuendi, curãdiq; corporis nostri gratia vtimur, ea appellatione significantur scilicet Victus inquit Glos.* Quare si quæ necessaria sunt ad curandum corpus, comprehenduntur sub nomine Victus; ergo medicamenta erunt huius generis, sine B quibus regulariter vita & sanitas corporis tueri & diu conseruari minime posset.

Sed de quibusdam merito hic quæri potest. Primo quoniam sub verbo Victus non videntur includi vestes) nam in l. Cum ij, §. qui transigit, ff. de transact. dicitur: *Qui transigit de alimentis, non videbitur neque de habitatione neque Vestiario transegisse.* Et Glos. Ver. Neq; de Vestiario, notat appellatione alimentorum neq; habitationem neque vestes contineri.

Eadem Glos. respondet, nomen alimentorum largius accipiendum esse, cum de illis præstandis tractatur, strictius vero si de illis finiendis agatur per transactionem, sicut in dicta l. Cum ij ff. de transact.

Secundo dubitari potest de lectis, An sub victu cō- C prehendantur. Nam l. In stratum ff. de verbor. signif. vbi dicitur, appellatione Victus non contineri stragulam, quod est idem quod stratum, seu stramentum, vt notat Glos. in l. quos nos, Ver. neminem ff. de verb. signif. & reddit rationem Glo. in dicta l. In stratum Ver. Non stragulam, quia sine ea aliquis viuere potest.

Respondet Glos. in dicto Ver. Neminem, diuersa esse genera stragularum, quædam sine quibus viuere non possumus, vt lecti, in quibus fatigati quiescimus, & somnum capimus, alia sine quibus stare possumus, vt Tapeta, & colligitur l. Vestis Ver. Virilia, & Vers. familiaria ff. de Aut. & Argen. lega. Nam olim Antiqui habebant etiam lectos in Triclinijs, in quibus recumbentes cibum sumebant, quos ab vsu discubitorios, & triclinares appellabant, ad quorum differentias lectos cubiculares vocat Cicero lib. 2. de Diuin. quos nocturnæ quietis causa in cubiculis habemus, sine quibus vel nullo modo vel male viuere possemus; idcirco vere sub nomine alimentorum, seu victualium comprehenduntur.

Tertio quæri potest de Medicamentis, vtrum veniant sub nomine Alimentorum aut victus; quia si verbo victus intelliguntur, quæ vsui, potui, cultuique corporis & quæ ad viuendum sunt necessaria, vt dicitur in l. verbo victus ff. de verbor. signif. cum medelæ neque ad cibum aut potum referantur, & sine illis homo viuere possit; ergo sub genere alimentorum E aut victus non comprehenduntur, vsui enim sunt medelæ, quando homo ægrotat, & morbo est correptus, quod ex accidenti euenit, & præter naturam.

Respondeo sub nomine alimentorum intelligi debere Medicinas, vnde qui obstrictus est ad præstandũ alimenta, tenetur quoq; ad medelas, vt inquit Specul. Qui filij sint legit. num. 38. & colligitur expresse ex l. Cœtera ff. de verbor. signif. vbi sic habetur: *Cætera quoque, quibus viuendi, curandiq; corporis nostri gratia vtimur, ea appellatione, scilicet Victus* vt inquit Glos. *significantur*, Medicinæ sunt, quæ deseruiunt curandis corpo-

corporibus, igitur continentur sub Alimentis. Idem A clariùs in l. Sicut impendia ff. De Vsufruct. *Sicut impendia cibariorum in seruum, cuius vsus fructus ad aliquem pertinet; Ita & valetudinis impendia ad eum respicere natura manifestum est*. Expensæ valetudinis sunt Medelæ. Quare Maritus, qui debet Vxori alimenta subministrare & victum procurare, tenetur etiam, quoties illa mala valetudine laboret; Medelas impendere ad sanitatem recuperandam, l. si cum dotem ff. solut. Matrim. ibi; *Quatenus necessitas imponatur marito omnem talem mulieri sustentationem sufficere, & alimenta præstare, & medicinæ eius succurrere*.

Concludamus Summum Pontificem in hoc Canone verbo, *Victualia*, complecti voluisse quæcunque ad viuendum homini quouis modo sunt necessaria, quæ B etiam nomine alimentorum seu victus Iure ciuili intelliguntur, & à Doctoribus frequenter accipiuntur.

Verùm vt Summus Pontifex rolleret omnem ambiguitatem, & declararet mentem ipsius esse excommunicare omnes, qui impediunt deferentes cuiusque generis res, quibus ad viuendum vtimur modo explicato, vt nihil intelligeretur exclusum, addidit aliã clausulam post dictionem: *Victualia, idest, Sexalia ad vsum Romanæ Curiæ necessaria*, Quibus verbis duo facit, Primum, comprehendit nonnulla, de quibus dubitari posset, An sub genere Victualium comprehenderentur; Secundò includit quædam alia, quæ ad vsum Romanæ Curiæ sunt necessaria, & victualia nullo modo vocari possunt. C

Quantùm ad primum, ligna ad comburendum propriè victualia dici non possent, & tamen comprehenduntur, quia necessaria sunt, & non solùm ad arcendum frigus in hieme; Sed ad coquendos cibos, qui medio ignis parantur & disponuntur, vt calor naturalis valeat illos conuertere in alimẽtum corporis, & sic reddantur apti ad nutriendum. Idem dicendum est de lino, lana, bombyce, & quocunque genere serici, ex quibus omnibus construi possunt vestes ad induendum corpus, vt dicitur in l. Vestis ff. De Au. & Arg. lega. Quamuis enim hæc homini ad viuendum immediatè non inseruiant; ex illis tamen contexitur materia necessaria ad vestes conficiendas, sine quibus viuere non possumus. Et idem asserendum est de similibus. Prohibito enim consequenti sequitur prohibitio accessorij antecedentis, Ruyn. cons. 101. nu. 9. Vol. 1. Doct. in cap. Contingat De Iur. iur. D

Quantùm ad secundum, continentur Equi, Muli, & alia iumenta, quæ non pertinent ad necessitatem corporis, vt victualia; sed necessaria sunt ad vsum Curiæ, sine quibus officiales gradum, & dignitatem retinere non possent, neque debitum splendorem, & ex consequenti comprehenditur Ordeum, Fœnum, Paleæ ad victum horum brutorum requisita. Deinde continentur ea, sine quibus officiales Curiæ non valerent officium suum exercere, vt Chartæ, Papiri, Pugillares, Cera, Candelæ, & similia.

Sed dubitari posset de pecuniis, An in Excommunicationem inciderent, qui inuaderent deferentem ad Vrbem pecunias, & nummos. E

Aliqui cẽnsent non esse locum huic Excommunicationi, si aliqui expoliarent deferentem ad Curiam pecunias, quia pecuniæ neque victualia dici possunt, neque etiam connumerari debent inter res necessarias ad Curiam. Hanc tamen sententiam minimè veram esse censeo; Quia pecuniæ inter omnia genera rerum maximè videntur necessariæ, sine quibus officiales Curiæ neque consistere, neque viuere possent, quia pecuniæ appellatione omnis res continetur, vt inquit Glos. in Extrau. 2. Ver. Pecuniæ, inter Extrau. Com. De Sent. Excom. cap. Totum 1. q. 3. *Totum quicquid homines possident in terra, omnia quorum domini sunt, pecunia vocatur*, & ibi Glos. Ver. Pecunia l. Pecuniæ appellatione ff. De Verb Sign. dicitur. *Pecuniæ appellatione rem significari Proculus ait*. Et Glos. ibi notat; Rem omnem significari, & l. Pecuniæ nomine eod. tit. idem clarius explicatur; *Pecuniæ nomine non solum numerata pecunia, sed omnes res, tam soli, quàm mobiles, & tam corpora quàm Iura continentur*, l. 1. §. fin. ff. De Calumnia. *Pecuniam autem accepisse dicetur, etiamsi aliquid pro pecunia acceperit*. Et in l. 2. C. De Constit. pecu. apertè id declaratur ibi. *Et nemimem moueat, quod sub nomine pecuniæ etiam omnes res exigi diffinimus; Cum etiam in Antiquis libris Prudentum, licèt constituta pecunia nominabatur, tamen non pecuniæ tantùm per eam exigebantur; sed omnes res, quæ numero, pondere, mensurauè constituta sunt. Sed & possibile est omnes res in pecuniam conuerti*. Vnde Arist. lib. 1. Polit. cap. 6. dixit, Appellatione pecuniæ omnem rem contineri, quia omnium rerum valor numismate mensuratur. Quamobrem cum homo per pecunia omnes res ad vitam necessarias consequi possit, ipsa erit maximè necessaria. Idcirco ad dubitationem propositam aliter respondendum est; Si aliquis inuadat venientem ad Curiam cum pecuniis, & impediat expoliando etiam ipsum pecuniis, quas defert, incidit in Excommunicationem, si pecuniæ illæ deferebantur ad Curiam, scilicet Officiales Curiæ & Curiales, ob eam rationem, quia contra dispositionem huius Canonis impedit Deferentes ad Curiam res necessarias. Pecuniæ enim, (vt probauimus) sunt in primis necessariæ Curialibus; Si verò pecuniæ non deferebantur ad Curiam; sed veniens illas retinebat ad proprium commodum & vtilitatem, tunc qui illas surripit, non contrahit Excommunicationem, quia cessat ratio huius Canonis, quia non impedit venientem ad Curiam cum rebus necessariis.

Ex his intelligimus, quæ sint Victualia & alia necessaria ad vsum Romanæ Curiæ, superest modò, vt declaremus quid nomine Romanæ Curiæ accipiat Summus Pontifex. Sed ne idem his repetere cogamur, dimittamus hanc explicationem in proximum Caput, vbi discutiemus secundam actionem principalem prohibitam in hoc Canone, in qua mentio quoq. fit de eadem Curia.

CAPVT III.

Ac etiam eos qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant. *Vbi declaratur, quid sit, & vbi existat Romana Curia; Qui vocentur Curiales, & cur ita appellentur.*

HIs verbis describit; Secunda principalis actio damnata in hoc Canone, scilicet prohibere seu impedire, ne victualia & alia necessaria ad vsum Curiæ Romanæ ad eandem Curiam deferantur. Prima actio, de qua dictum est superiori capite respicit personas adducentes Victualia. Hæc secunda Res, quæ afferuntur. Inter primam & secundam actionem intercedit differentia, quod ex impedimento tradito personis incurritur Excommunicatio, quamuis dictæ personæ non desistant à voluntate, & actione deferendi victualia ad Curiam. At quando Victualia impediuntur, non est locus Excommunicationi, nisi sequuto effectu impedimenti, nempe quod ipsa Victualia re

re ipsa non adducantur ad Curiam. Idque colligitur ex citatis verbis. Excommunicantur enim illi, qui impediunt ne Victualia ad Romanam Curiam afferantur: ergo vt contrahatur excommunicatio, necesse est, vt Victualia non adducantur. Quare qui quocunq; modo impedit, ne Victualia ad Rom. Cur. deferantur, puta prohibendo, ne extrahantur ex suis Terris, vel ne quis audeat commodare equos, mulos, vel alia iumenta oneraria ad illa deferenda, vel non permittendo transitum ex suis locis, vt possint deferri, vel alijs modis sit causa, vt victualia non adducantur ad dictam Curiam, erit innodatus vinculo excommunicationis.

Adducantur, vel afferantur. Adducantur proprie res se mouentes, vt de asina & Pullo dixit Christus Discipulis suis Matth. 21. *Soluite & adducite mihi.* Afferuntur res sine anima, vt idem Saluator de vino ex aqua ad Nuptias in Cana Galileæ facto apud Ioan. cap. 2. inquit, *Haurite nunc, & ferte Archibriclino.* His duobus verbis comprehendit Summus Pontifex, omnem modum adducendi Victualia & necessaria ad Curiam, siue humeris proprijs portentur, aut iumentorũ opera, quæ sarcinas gerunt, vel currus trahunt, siue Naui per aquas vehuntur, & tã late accipitur verbũ *Adducunt* positũ in prima parte Canonis, quãuis nõ habeat adiunctũ verbũ, afferunt, sicut legitur in hac 2. parte.

Prohibent impediant, seu perturbant In prima actione prohibita, quæ refertur ad personas deferentes, ponitur verbum *Inuadentes*, quod significat aggredi aliquẽ cum impetu. Hæc secunda est circa res, quæ adducuntur; ideo omissum fuit verbum, Inuadunt, sed ponitur verbum *impediunt*, quod est generale, sicut in prima actione, & ad maiorem declarationẽ additur *Prohibent & perturbant*, quæ duo verba idem sonant quod impedimentum afferre, confundere, commouere, ne id quod paratur, ad exitum perueniat.

Ad Romanam Curiã, hoc nomen Curia plura significat: potest enim accipi & pro loco & pro hominibus aliquando significat atrium domus, quod Italice vocatur, Cortile. Archid. in c. Si quis Clericus 11. q. 1. Cepol. in Tract. de serui. Vrban. Prædio. c. 46. in tit. de Curia seu Curte, Felin. in c. Rodulphus nu. 22. de rescrip. Paris. cons. 58. Vera Iuris nu. 48. vol. 3. Item significat locum existentem iuxta Castrum, in quo Incolæ commorantur ad defendendũ Castrum, & locus ipse defenditur à Castro, Bal. in l. si plures n. 4. Vers. sed nunquid Castrum C. de condi. in ser. Aret. cons. 15. Reuerendissime Pater n. 1. Vers. Nam Curia est locus extra Castrum, Soc. cons. 56. In causa Communitatis n. 5. Vers. ex quo patet, quod Curia dicitur locus, vol. 1. Felin. in dicto c. Rodulphus nu. 22. de rescript.

Itẽ Curia erat apud Romanos locus, vbi publicas curas gerebant. Item Sedes ac Templũ publici Consilij. Erat autem duplex Curia, Sacrorum scilicet & Senatus, in Curijs enim vel Sacerdotes res diuinas, vel Magistratus humanas curabãt, Cicero ad Q. Fratrẽ: *Me libenter à Curia & ab omni parte Reipub. subtrabo.* l. Ad Rempublicam Vers. Minores deniq; ff. de muner. & Honor. primo Machab. c. 8. *Et abierunt Romam viã multam valde, & introierunt Curiam, & dixerunt &c.*

Item Curia sumitur pro Fisco l. vni. C. de sent. Præfe. Præt. Vers. licet pro Curia, vel qualibet publica vtilitate.

Curiæ etiam triginta à Romulo in Vrbe constitutæ fuerunt: diuisit enim populum in triginta partes, quas appellauit Curias, quia curam Reip. per sententias illarum partium expediebat, l. 2. post princ. ff.

A de orig. Iur. His omnibus modis accipitur Curia.

Vnde patet Curiam dictam esse à cura, quòd ibi de multis agitur cura, vel de cunctis administretur cura, hinc dicta est Curia Romana, Sedes Apostolica c. 2. c. Præsenti, vbi vacatio beneficiorum in Curia & apud Sedem pro eodem ponuntur & c. Statutum iuncta Glosa Ver. In Curia de præben. lib. 6. Lup. Alleg. 96. Beneficia vacantia, in princ. Hac ratione dicimus, causã deuoluta est ad Curiam Romanam, seu appellatũ est ad Curiam Romanã, idest ad Sedem Apostolicã, Rot. decis. 38. fuit dubitatum nu. 3. 4. & Decis. 571. Si Appellatus in nou. vbi pro eodem ponuntur Curia & Sedes Apostolica.

A Curia appellantur Curiales, idest omnes, qui Cu-
B rijs, de quibus dictum est, præsunt, seu illas tractant, vel in illis se exercent. Curialium vero tria sunt genera, vt inquit Oldr. cons. 211. Ad propositum Fratrum col. 3. in princ. In primo gradu sunt Decuriones. In secundo qui officia Curiæ honesta vel inhonesta agunt, in tertio qui præsunt in causis sanguinis, & hos, qui præsunt in causis sanguinis, quasi cruentos à cruore dictos putant aliqui, Archid. in Sum. 51. dist. u. 3. Vers. quandoq; strictius dicuntur Curiales, quibus etiam aliqui iungunt Adulatores, qui Regibus aut Principibus adulãtur, & de istis loquitur tex. in c. Nonne ante fi. ibi, qui adulatur Regibus 37. dist. & Archid & Domin. in Sum. & c. 1. & 2. dist. 51. in l Curiales C. de decurio. lib. 10.

C Quamobrem cum Sedes Apostolica, seu Summus Pontifex vocetur Romana Curia, omnes, qui inseruiũt & assistant Summi Pontifici in cura, & administratione Populi Christiani, dicũtur Curiales, tales in primis erunt Cardinales, tum Episcopi & alij Prelati inferiores, officiales, Iudices Notarii, Aduocati, Procuratores, Sollicitatores causarum & expeditionum, & reliqui omnes Ministri isti enim omnes conficiunt Curiã Romanam, quam mirum in modum laudat & extollit & merito supra omnes alias Curias Aeneas Syluius in Apolog. contra Martinum Mayer pag. 685. ita quidem, vt nullam dicat inueniri Curiam in qua magis ex ordine recto; instituto, quàm in hac Romana res
D gerantur, vt nusquã terrarum tanta rerum experientia, tot bonarum artium studia, tot sanctimoniæ Viri preclari, quot in Rom Curia reperiantur, vt rectè hãc esse domiciliũ literarũ, & officinam quis affirmauerit.

Sed hic meritò dubitare potest aliquis; qua ratione Iure prohibitum sit vniuersaliter, ne Curiales admittantur ad Ordines Ecclesiasticos, nec ad Episcopatus promoueantur dist. 51. in Summa, *Adiecit quoque Sãcta Mater Ecclesia, vt Curiales &c. à sacris prohibeantur Ordinibus.* Idem repetitur in cap. 1. 2. & cap. Qui in aliquo ead. dist. & tamen Curiales, vt Iudices, & alij Officiales, & Ministri, qui inseruiũt Papæ, & Curiæ Romanæ, sunt regulariter Viri probi, eruditi, & ex omni parte dignissimi, vt nõ videantur reiiciendi à Sacerdotibus & dignitatibus Ecclesiasticis. Accedit, quod experien
E tia ipsa docet huiusmodi Curiales frequentiùs quàm alios ad Episcopatus, & Cardinalatus extolli.

Respondendum est, Iura Canonica excludere illos Curiales ab Ordinibus, qui profanæ Curiæ sunt addicti, & qui ratiocinia officiorum suorum reddere recusantes ad Ecclesiã curant se transferre, vt dicitur dist. 53. in Sũma, *vel quia iidẽ Curiales non voto Religionis, sed vt officiorũ suorũ ratiocinia fugiant, ad Ecclesiã se transferunt.* Idem confirmatur in c. 1. Similiter Iura excludũt Curiales, qui causas sanguinis exercent tanquã cruentos homines causis cruoris expositos, vt notãt Doct. in

capitulo 1. distinct. 51. & ratio, propter quam Doctores intelligant hanc Sacrorum Canonum prohibitionem de Curialibus crunri præpositis est satis conueniens desumpta ex dicto capitulo 1. dist. 51. Vbi reijciuntur ab Ordinibus Aduocati, Milites, & Curiales. Certum est autem nullam extare causam, cur Aduocati repellantur; ideo æquiparatio illorum trium versatur in similitudine qualitatis in Militibus expressa, scilicet, quod sæua præcepta sint executi. Eodẽ modo si Curiales & Aduocati in sæuis se exercuerint, cuiusmodi sunt Iudices, & Aduocati, qui causas criminales tractant, & instant ad homines necandos ob eãdem causam ab ordinibus repellendi videntur; Alij vero Curiales, qui honesta officia administrant, & Sum. Pontifici Cardinalibus ac Prælatis inseruiunt, nec ab ipso Christo, nec ab Ecclesia repelluntur. Aliã rationẽ, quare Curiales promoueri prohibeãtur, assignat Saly. in l. sed neq; nu. 3. C. de Sacr. Sanct. Eccles.

Hæc autẽ Curia Romana in duobus locis esse potest. Primo vbi est Papa ibi enim dicitur esse Roma & limina S. Petri, Innoc. in c. Ego N. ante fin. de Iure iur. Abb. n. 6. Felin. n. 9. Vers. Cẽsetur Roma, vbi est Papa. Idem Abb. in c. Dura notab. 2. de Crim. fal. Bald. super Rub. ff. de Rer. Diuis. n. 24 Vers. & in mensa, dicẽs Romam esse, vbi est Papa, quamuis in Tugurio Vaticano inclusus esset, Ruin. sing. 145. Adde quod vbi est Papa, Franc. in c. Vbi periculum nota. 5. de elect. lib. 6. & in c. Licet notab. 3. de præben. & in c. 2. De Priuileg. eod. lib. Vnde Beneficium dicitur vacare in Curia, si vacat vbi residet Papa, c. 2. de præb. lib. 6. Et hæc Curia extenditur per duas dictas legales ratione residentiæ, idest ad quadraginta milliaria, quia dieta legalis continet viginti milliaria. Secundo Curia Romana reperitur, vbi est Audientia Papæ, Card. in Clem. Auditor in princ. de rescript. dicens Curiam Romanam esse, vbi est Papa, vel vbi est Audientia tãtum, idem Card. in Clem. inter sollicitudines n. 8. de Magi. notab. 10. ait Curiam Romanam posse esse in diuersis locis, Boni. de Vital. in Clem. Ne Romani, §. sane n. 18. de elect. Quare Curia Romana non necessario est in Vrbe Roma, sed vocatur Romana Curia, vel quia illam facit præsentia Romani Pontificis & Audientia instituta auctoritate Romani Pontificis, vel quia regulariter & frequentius Papa residet in Vrbe Roma, quamuis inde discedere possit. Vnde Pius II. vt ipsemet refert in suis Commentarijs lib. 7. pag. 65. Romanis ægre ferentibus discessum eius ab Vrbe, cum vererentur ne abeunte Pontifice, priuarentur in perpetuum Romana Curia, inter alia decreuit, vt in Vrbe toto absentię suæ tempore nonnulli Cardinales, Auditores Rotæ, Aduocati, ac litigatores remanerent, declarans Romanam Curiam apud eos non minus, quam secũ esse.

His præmissis de Curia Romana, dico iam nomine Curiæ Romanæ in hoc Canone intelligi debere & locum, vbi residet, & moram trahit Romanus Pontifex cum Cardinalibus & alijs officialibus, simul etiam locum, vbi remansit Audientia Papæ ipso absente, vt de si in tali casu contingeret Papam diem extremũ claudere in dicto loco Audientiæ, non vbi decessisset, futuri Pontificis electio celebrãda esset, & patet ex verbis Clem. ne Romani §. sane de elect. ibi, *Eo tamen adiecto, quod si in certo loco causarum & literarum Apostolicarum audientia remanente, Papam alibi mori contingat.* Quamobrem quicunque impedit & prohibet, ne Victualia & necessaria ad vsum Curiæ Romanæ adducantur, vel ad locum, vbi commoratur Papa, siue sit Vrbs Roma, aut alia Ciuitas, vel ad locum, vbi manet Audientia Papæ, huius excommunicationis vinculo obstringitur, vterq; enim locus venit appellatione Curiæ Romanæ, siue sint res, quæ deferantur ad victum & vsum ipsius Romani Pontificis, vel Cardinalium, aut Prælatorum, vel Oratorum Principum, vel Iudicum, aut aliorum Officialium & Ministrorum, nec nõ etiam pro familijs eorundem. Et ad hunc modum affirmandum est tempore Pij II. vigore decreti per eum editi, cuius paulo ante memini, fuisse excommunicatos impedientes Victualia deferri tam ad Vrbem, quam ad locum, vbi manebat ipse Summus Pontifex.

CAPVT IV.

An dentur aliqua iustæ, & legitimæ causæ, & quales sint, quibus excusari possint inuadentes illos, qui deferunt victualia ad vsum Romanæ Curiæ, vel impedientes ne eadem deferantur vt excommunicatione huius Canonis non afficiantur.

DAntur causæ, propter quas inuadentes illos, qui necessaria ad vsum Romanæ Curiæ deferunt, vel impedientes, ne illa deferantur, non erunt innodati excommunicatione huius Canonis, & id contingit, quoties inuadens, vel impediens vtitur Iure suo, & iustum & legitimum affert impedimentum, nam in Canone prohibetur solum iniusta & iniqua inuasio, aut impedimentum non quando Iure permittente id fit. Et ratio est, quia quando quis prohibetur alium molestare aut impedire, talis prohibitio intelligenda est de iniusto impedimento, quod praua intentione affertur secundum Bald. l. 1. C. de his quæ pœ. nom. notat Glos. in l. si seruum §. Prætor ait, de acqui. hæred. Notant etiam Aret. & Alex. in l. quod de bonis §. 2. ad leg. falc. Qui afferunt molestiam de iure illatam non prohiberi, vt probat Glosa in c. 1. Ver. Inferatis, de Sta. Monach. Ruin. cons. 43. n. 21. vol. 4. Ad hunc modum Princeps prohibens ne subditi ex finibus sui Dominij extrahant victualia frumentum, vinum, & similia etiam expresse ne deferantur ad Curiam Romanam, vt consulat vtilitati & commodo suorum populorum, quia vere iudicat illa necessaria fore ad victum illorum; non incurrit hanc Censuram, immo nullum committit peccatum, quia vtitur iure suo, ita sentit Caiet. in Summa Verb. Excommunicatio cap. 9. quia non impedit animo perturbandi ea, quæ ad Curiam adducuntur, sed consulendi vtilitati suorum, sicut tenetur, quamuis inde ex accidenti sequatur, vt Victualia non deferantur ad Curiam, Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 64.

Eodem modo si peste infectus esset locus, vbi resideret Curia, licitè posset Princeps prohibere, ne sui subditi cum Victualibus ad Curiam accederent, non intentione prohibẽdi delationem victualium ad Curiam, sed prouidendi, ne ex tali accessu morbi contagione corriperetur, qui deferret victualia, & postea rediens in Patriam afficeret alios; & idem dicendum in similibus casibus, & ratio est, quia semper attendi debet id, quod principaliter agitur, tex. in l. si quis nec causam, & ibi Ias. n. 3. & seq. ff. si cert. pet. l. 1. in princ. ff. de Auct. Tuto. Vnde stante statuto, quòd soluatur gabella omnium fructuum, qui venduntur, si quis vendat fundum vna cum fructibus in eo existentibus, non tenetur ad gabellam, vt dicit Iason vbi supra, quia fructus non venduntur principaliter, sed secundatio, & attenditur id, quod principaliter agitur.

Hoc idem confirmari potest alio argumento simili. Prohibetur sub censura excommunicationis per-

cussio

cussio Clerici, cap. Si quis suadente 17. q. 4. tamen si Clericus inuadat alterum, & tentet illum offendere, & aggressus ad sui defensionem percutiat Clericum inuadentem, non incidit in excommunicationem, quia non intendit offendere Clericum, sed se tueri, licet se tuendo sequatur Clerici percussio, vt aperte statutum est, cap. Si vero 1. cap. Ex tenore de sent. excom. Abb. in cap. Olim n. 5. de restit. spoliat. vbi affirmat licere manus violentas inijcere in Clericum pro recuperatione, seu conseruatione bonorum temporalium. Eodem modo in casu proposito licitum erit Principi, vt prouideat suis subditis, ne eis desint alimenta necessaria, & ne loca eius dominio & Iurisdictioni subiecta praua morbi contagione inficiantur, prohibere, ne cibaria & alia necessaria ad victum extrahantur, B neque subditi audeant cum victualibus ad Curiam se conferre; quia non prohibet praua intentione, ne victualia adducantur ad Curiam, sed vt consulat suis subditis sicut tenetur quia Princeps est, quamuis ex tali prohibitione ex accidenti aliquid damni & incommodi proueniet Curiæ Romanæ.

Animaduertendum tamē est, vt ex tali prohibitione nō incurratur excōmunicatio, & sine peccato fiat, necesse esse primo vt huiusmodi Princeps vere sciat talia victualia necessaria esse ad alendos suos populos, itaut permittendo illa extrahi extra Territorium, subditi in parandis sibi necessarijs ad victum grauarētur, quia coacti essent cum difficultate sibi illa quærere, & maiori precio emere, quod si dubius esset, & C in casu dubij impediret huiusmodi Victualia deferri ad Curiam, non excusaretur ab excommunicatione: nam cum hæc lex Summi Pontificis sit iusta, & possit prohibere, ne impedimenta inferantur adducentibus victualia ad Curiam, non debet quis in dubio exponere se periculo violandi legem Superioris iustam, præsertim cum habeat annexam excommunicationem. Secundo requiritur, vt qui prohibet, vtatur iure suo, & cōpetat ei talis iurisdictio: si enim vellet facto prohibere, & dubius esset, an hoc ei Iure liceret, sed hoc modo intenderet tale ius sibi vsurpare & præfer bere, non euaderet excommunicationem.

Item non contraheret hanc excommunicationem ille, qui non vult suas res vendere, ne ad Curiam deferantur, quia non vendere non est impedire, aut prohibere, & Summus Pontifex interdicit, ne quis impedire, prohibere, aut molestare præsumat, quo minus Victualia adducantur ad Curiam, & verba legis sunt proprie accipiēda, l. Quicquid astringēdę, & ibi Doct. ff. de verb. oblig. Bart. in l. Ita vulneratus Vers. Item nota quod verba legis ff. ad leg. aquil. & verbis legis standum est, nisi appareat de contraria voluntate Deponentis, vt dicitur in l. 1. §. Si is qui nauē, & ibi Glos. Verb. Edicti ff. de exeui. Actio. l. non aliter ff. de leg. 3. l. Prospexit ff. qui & à quibus manu libe. non fi. Dyn. in c. fin. de reg. Iur. lib 6. Itaq; etiam si nollet quis vēdere expresse ad hunc finē, ne res deferrentur ad Curiam Romanam, & publice hanc prauam intentionē verbis declararet; tamen non obstringeretur hac excommunicatione quia praua intentio contra finem intentum à Summo Pontifice in hoc Canone non sufficit ad incurrendam excommunicationem, nisi violetur constitutio huius Canonis efficiendo actionem prohibitam; sed qui non vult vendere, nemini impedimentum affert aut molestiam. quod per se hic prohibetur, non vendere enim non dicit actionem; sed negationem actionis. Quare quamuis talis, qui in casu proposito, cum posset, nollet vendere, vt Curia

A Romana remaneret priuata Victualibus, grauiter peccaret contra charitatem, & posset puniri, nec non cogendus esset ad vendendum, maxime si Curia penuria alimentorum prēmeretur, nihilominus excommunicationem non contraheret.

Sed hic quæret aliquis, an eadem sit ratio de illo, qui emit huiusmodi Victualia ab eo, qui defert ad Curiam, nempe talem emptorem non impedire, nec prohibere, ne victualia deferantur ad Vrbem contra dispositionem huius Canonis, & ex consequenti non incurrere hanc excommunicationem.

Respondeo cum distinctione, aut quis emit rem deferendam ad Curiam hac intentione, impediendi, ne deferatur ad Curiam, & tunc emens erit excommunicatus, quia principaliter & directè agit contra hūc Canonem: impedit enim, ne deferantur Victualia ad Curiā, & quoties dolo malo affertur impedimentum, quomodocunque id fiat, semper locus est huic excommunicationi, vt dixi in primo Capite. Quare non est idem emere, & non vēdere, qui emit agit aliquid, qui non vendit, nihil agit. Alio modo potest emens sibi emere, quia indiget ad vsum propriū & familię, aut etiam gratia lucri, vt iterum vendat alio tempore, & lucretur, quo casu excommunicationi non est locus, quia qui hoc modo emit, non impedit per se & principaliter, sed sibi consulit. Neque hic Canon prohibet, ne emi possent Victualia, quæ ad Curiam asportantur, sed ne impediantur vt ad Curiam deferātur. Quare qui emit, non facit contra hunc Canonem quamuis ex tali emptione sequeretur secundario, & ex accidenti Curiam priuari Victualibus, sed attenditur id, quod principaliter agitur, l. Si quis nec causam, & ibi late Iason ff. si cer. pet.

Eodem modo non contrahitur hæc excommunicatio, si quis inuadat & impediat venientem ad Curiam cum rebus, quæ non sunt Victualia, neque etiam sunt necessariæ ad vsum Curiæ, vt si quis impediret deferentem taxillos, aleas, & huiusmodi alia, quia Bulla loquitur de Victualibus, seu de alijs rebus necessarijs ad Curiam, quare si impediatur delatio aliarum rerum, quas constat nullo modo conferre ad vsum Curiæ, non violatur hæc constitutio, & idcirco non con- D trahitur excommunicatio.

In quibusdam tamen casibus dubitari solet, an ex huiusmodi impedimēto incurratur excommunicatio.

Et primo dubitari potest, an qui furatur aliquid illis, qui ad Romanam Curiam necessaria deferunt, contrahat hanc excommunicationem.

Respondeo, si latrones obsidentes vias deprædētur & spolient accedentem ad Cur. Rom. cum necessarijs ad eius vsum, absq; vllo dubio incidere in hanc excōmunicationem, quia inuadunt personas ipsorum deferentium necessaria, & est prima actio prohibita in hoc Canone, quòd si loquamur de illis, qui clam furantur & surripiunt pecunias, vel rem aliam ipsius venientis, E & dicendum est illos non innodari hac excommunicatione, quoniā excōmunicantur impedientes, seu inuadentes personam illius, qui ad Curiā venit, vel Victualia, quæ deferantur: sed qui clam furatur, non impedit nec inuadit personam neq; Victualia, quæ deferuntur, igitur quamuis peccet, non violat hunc Canonem, nisi ex huiusmodi furto retraheretur alter, qui Victualia deferebat, ne cum illis ad Curiam veniret: tunc enim contraheret excommunicationem, quia impediret, ne Victualia adducerentur ad Curiā, & est actio secunda principalis prohibita in hoc Canone, quocunque modo impedimentum affe ratur.

Bbb 2 Dices,

Dices, Ille, qui furatur pecunias homini adducenti Victualia ad Curiam, non intendit impedire, ne talia Victualia deferantur; sed tantum vult surripere pecunias alterius, & hoc modo sibi prouidere, ex accidenti sequitur, & præter intentionem ipsius, vt occasione talis furti is, qui deferebat Victualia, nolit amplius cum illis ad Curiam accedere, sed iam probatum est attendendum esse in vnaquaq; actione id, quod principaliter fit, nō quod secundariū accidit. Quare cum talis fur nō impediat principaliter, ne Victualia deferātur ad Curiam, non erit innodatus excōmunicatione.

Respondeo, quando clam quis furatur pecunias, aut aliquid aliud ab eo, qui cum Victualibus ad Curiā accedit, si neque actuali, neque virtuali intentione cogitare poterat ob tale furtum illū recessurum fore ab incepto itinere, sed potius probabiliter putabat, Eadem victualia ad Curiam delaturum, tunc non est excommunicatus, vt dixi, quia nec personam inuadit, neque Victualia impedit, quamuis re vera non deferat, quia habet ignorantiam probabilem, & inuincibilem. Verum quādo ex circunstantiis rei ablatæ, personæ, temporis, loci, & ex aliis conditionibus poterat suspicari ex furto retrahi posse venientem, ne Victualia ad Curiam adduceret, hoc casu contrahit excommunicationem, quamuis nullo modo id intenderet, sed ignoraret, quia hæc est ignorantia crassa, quæ non excusat à peccato, neq. ab excom. illas, qui dat operam rei illicitæ. Vnde regula illa; attendendum esse semper id, quod principaliter agitur, quam colligunt Doct. ex l. Si quis nec causam ff. si Cer. Pet. non habet locum, quando quis dat operam rei illicitæ: tunc enim attenditur non solùm id, quod principaliter fit, sed etiam illud, quod secundariò prouenit, vt inquit Ias. in d. l. Si quis nec causam nu. 14. Cuius dicti illa est ratio, quam assignat Couar. in Cōment. in cap. Alma Mater par. 1. §. 10. nu. 16. Vers. Illud sanè prætermittendum non est, quoniam malum, quod quis dās operam rei illicitæ ex crassa ignorantia facit, nullam excusationem habet, quia non est ab illo per accidens, sed per se volitum, quia apertè voluit rem illam illicitam, cui operam dabat, & volens illam censetur eo ipso velle id, quod sequitur ex illa sicut si quis dans operam rei illicitę percusserit Petrum, quem ex ignorantiam crassa ignorabat esse Sacerdotem, erit excommunicatus iuxta communem sententiam Doct. in cap. Si verò 2. De Sent. Excom. Eadem ratione, si quis furatur clam pecunias venienti cum Victualibus ad Curiam, & ignorat ignorantia crassa attentis omnibus circunstantiis ob tale furtum illum retrocessurum, & ad Curiam Victualia nō amplius allaturū, non effugiet pœnā latā in hoc Canone contra impedientes illos, qui Victualia deferunt ad Curiā, sicut si scienter impediret, ne illa adduceret.

Secundo dubitatur de illis, qui inuadunt, seu impediunt eos, qui deferunt Victualia ad locum, vbi moratur Curia Romana, puta ad Vrbem non ad vsum Curiæ, sed vt vendat aut donet alicui priuatæ personæ, An incurrat hanc excommunicationem.

Pro ratione dubitandi facit, quoniam etsi non inuadunt adducentes Victualia ad vsum Romanæ Curiæ, sicut requirit Bulla ad incurrendam excommunicationem, sed impediunt illos, qui ea deferunt ad vsum priuatum personarum. Ex altera parte cum Curia in hoc Canone non accipiatur pro loco, sed pro hominibus, qui sunt in loco, vbi est Curiæ, qui inuadunt eos, qui adducūt necessaria ad vsum horum hominum, videntur inuadere eos, qui deferunt ad Curiam, & ex consequenti incidere in excommunicationem.

Respondeo, Et primùm dico si prædo vt furetur, vel sicarius propter inimicitias inuadit in via deferētem necessaria ad Curiam, vt donet, vel vendat officiali, & Curiali, aut alicui ex familia ipsius Curialis, absque dubio remanet obstrictus excommunicatione huius Canonis; Ratio est, quia talis prædo inuadit eum, qui adducit necessaria ad vsum Curiæ, quia vt dixi, Curia nō accipitur pro loco in hoc Canone, sed pro hominibus ex pluribus, scilicet priuatis personis diuersorum ordinum, officiorum, & graduum, qui cōficiunt ipsam Curiam, Nec enim Curia ipsa vniuersaliter sumpta indiget aliqua re ad sui vsum, sed ipsi particulares nō possunt viuere sine alimentis necessarijs; igitur cum excommunicantur impedientes delationem Victualium ad vsum Curiæ, intelliguntur illi, qui impediunt, ne deferantur ad ipsos Curiales & officiales Curiæ.

Secundo dico, in eo casu non esse locum excommunicationi huius Canonis, quando quis inuadit deferentem Victualia ad locum, vbi moratur Curia, sed ad priuatam aliquam personam quæ nec est officialis Curiæ, aut famulus, vel familiaris alicuius officialis. Neq; aliquo modo vel ratione officij, aut alterius muneris pertinet ad Curiā, nec dici potest Curialis. Ratio est, quia Bulla loquitur de impedientibus adducētes necessaria ad vsum Curiæ, idest Curialium: ergo si impediantur deferentes ad eum, qui non est Curialis, Constitutio Bullæ non habet locum, quamuis enim concederemus per Curiam Romanam posse intelligi omnes, qui existunt in loco, vbi moratur Curia, non tamen omnis, qui adduceret Victualia ad hunc locum posset dici deferre ad vsum Curiæ, nisi adduceret ad officialem Curiæ, vel ad aliquem, qui aliquo modo ad Curiam spectaret, quoniam Bulla requirit tanquam necessariam conditionem ad incurrendam hanc excommunicationem, vt impedimentum afferatur ei, qui necessaria adducit ad vsum Curiæ, & hæc conditio apposita in prima actione prohibita in hoc Canone, refertur ad alias sequentes, quia verba præcedentia legis declarant subsequentia, l. vtrum Vers. & puto ff. de Petit. Hæred. Ergo si impediatur, qui adducit ad vsum priuatæ personæ, quæ nullam habet relationem ad Curiam, cessat conditio necessaria ad incurrendam hanc excommunicationem.

Vtrum autem in hoc casu incurratur alia excommunicatio, declarabo statim in sequenti capite.

CAPVT V.

An præter hanc Excommunicationem Bullæ contra inuadentes eos, qui victualia ad vsum Curiæ Romanæ adducunt, latæ sint à summis Pontificibus aliæ Excommunicationes, atque aliæ pœnæ adactæ, & explicatur vltima particula Canonis. Seu hæc facientes defendunt per se, vel per alios &c.

CОntra impediētes illos, qui ad Romanā Curiam necessaria deferunt, nū legi in corpore Iuris aliā excommunicationem latam, neq, Doctores mentionem faciunt de alia excommunicatione præter quàm de hac, quæ habetur in Bulla Cœnæ, sed bene extant Constitutiones diuersorum Pontificum varijs temporibus latæ sub pęna excommunicationis contra illos, qui aggrauant & impediunt afferentes frumenta cuiuscunq; generis ad Vrbē Romanam; & in primis Clemens VII. anno 1523. Pontificatus sui primo in Bulla edita pro abundantia rei frumentariæ & agriculturæ exercendæ innouat & confirmat Constitutiones antea promulgatas à Sixto Quarto & Iulio secūdo, & inter alia, ne Barones & Domicelli Romani, ac quęcūq; aliæ

aliæ personæ tam ecclesiasticæ, quàm seculares cuiuscunque dignitatis existentes, etiam Cardinalatus honore fulgẽtes, oppida, Terras, & Villas, infra quinquaginta milliaria à dicta Vrbe possidẽtes ab eorum subditis frumẽta, & bladas præterquam pro vsu, & necessitate victus domus eorũ emere, & addictã Vrbem defini, interdicere, & prohibere præsumãt; Aut ad alia loca, quã ad eandem Vrbem absque speciali ipsius, seu Cameræ Apost. licẽtia, quę ipsi innotuerit, deferre audeant, vel in præmissis auxilium, consiliũ, vel fauorem publicè, aut occultè, directè, aut indirectè quouis quęsito colore præstare attentent; Alioquin contra facientes, videlicet Barones, & Cõitatum, ac Vniuersitatum singulares personas excõicationis sententiam eo ipso incurrere declarauit, à qua ab alio, quàm à Romano Pontifice, & facta de eo speciali, & expressa mentione, pręterquã in mortis articulo cõstitutos absolui nõ posse, Archiepos verò, Epos, & alios Prælatos suspensionẽ à Diuinis contrahere voluit. Hãc Constitutionẽ cum omnibus pęnis in ea contẽtis iterũ innouauit, & cõfirmauit Pius V. anno 1566. Mutuproprio de Priuilegiis Artis Agricolturæ, & rei frumẽtariæ. Tãdẽ Greg. xiij. anno 1578. Põtificatus sui sexto in Cõstitutione edita cõtra extrahẽtes frumẽta, legumina &c. Et impedientes, ac aggrauãtes illa ad Vrbẽ Romã afferentes, Motuproprio decreuit, q̃ nullus Sedi Apost. mediatè, aut immediatè subiectus, cuiuscũq. status, gradus, ordinis & conditionis fuerit, etiãsi Barones, Domicelli, Comites, Marchiones, vel Duces, & Domini tẽporales, aut Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, vel ẽt S.R.E. Cardinales, extiterint, sub excom. maioris pęna perturbare, aut prohibere audeãt per se, vel aliũ, directè, vel indirectè eorũ subditos, & vassallos, aut alias quascunq. personas, quo minus triticum ordeũ, legumina, ac oĩs generis frumta, ẽ& fruges à quibus locis eis subiectis, quouis prætextu ẽt moliturę, aut cuiusuis alterius oneris, solutionis, ad aliam Vrbẽ afferãt. Ac insuper, quòd nulli aliquam tritici, culei, leguminũ, omnisq. generis frumentorum, & frugum quantitatẽ, nisi pro suo, suarumq. familiarum, vnius anni duntaxat vsu emere valeant, & contra facientes excõicationẽ, & alias pęnas ibi expressas ipso facto incurrere statuit atq. decreuit.

Hæc verò excõmunicatio lata ab his Summis Pontificibus contra impedientes eos, qui ad Almã Vrbem deferunt frumenta, & alia legumina multis modis differt ab hac excõicatione huius Canonis Bullæ. In primis excom. Bullæ afficit tantùm impediẽtes illos, qui deferunt necessaria ad vsũ Curiæ Romanæ. Hæc autẽ excõicatio, quam retuli, respicit illos, qui impediunt deferentes eadem ad Vrbem. Vnde sequitur, vt excommunicatio Bullę non incurratur ab impedientibus delationem victualium Romam, quando Curia non moratur in Vrbe. Alia excõicatio incurritur, quamuis Curia absit ab Vrbe; Contra, excom. Bullæ contrahitur ab impedientibus delationem ad illum locũ, vbi adest Curia; Alia excom. minimè, sed est coarctata ad impedientes eadem ad Vrbem tantum. Secũdò excommunicatio Bulla non habet locum, si victualia deferantur ad priuatam personam, quæ nõ sit officialis, & Curialis, aut aliquo modo pertineat ad Curiam, vt probaui superiori capite; Alia excommunicatio incurritur, si deferantur res ad Vrbem ad quamcunque personam. Tertiò excommunicatio Bullæ comprehendit absque vlla distinctione omnes generaliter subiectos, & non subiectos Sedi Apostolicæ; Alia excommunicatio complectitur tantùm Barones, & Domicellos Romanos possidentes oppida, Terras, & Villas infra quinquaginta milliaria ab Vrbe, vel iuxta dispositionem Gregorij xiij. omnes prædictos Apostolicæ Sedi mediatè, aut immediatè subiectos. Quartò excommunicatio Bullæ comprehendit delationem omnium rerum, quibus homines indigent ad conseruandam vitam, vel ratione cibi, vel potus, aut rei vestiariæ, & quarumcunque aliarum rerum ad splendorem ornatum, aut vsum Curiæ Romanæ necessariarum, vt ostendi in capite 2. Alia excommunicatio habet locum solum cõtra eos, qui impediunt res spectantes ad cibum, & non omnis generis, sed tantummodo triticum, ordeũ, legumina, ac omnis generis frumenta, & fruges. Quintò excõmunicatio Bullæ non afficit eos, qui emunt res proximè enumeratas. Alia excõicatio comprehendit ementes ẽt, præterquam pro vsu suo, suarumq. familiarũ vnius anni. Sextò alia excõicatio comprehendit illos, qui triticũ, frumenta, & alia enumerata ad alia loca, præterquã ad Vrbẽ sine licentia Papæ, aut Cam. Apost. Summo Pontifici nota, deferre pręsumpserint. Excom. Bullæ de his nihil loquitur. Septimò alia excõicatio extenditur ad eos, qui triticum, & alia enumerata, etiam ex bonis Ecclesiasticis collecta in Terris, & locis Romano Pontifici subiectis absq. eiusdem expressa licẽtia in scriptis obtenta, & ipsius manu signata, extrahere, vel extrahi facere præsumunt, Excom. Bullæ non tractat de his. Octauò alia excõicatio non incurritur ex solo impedimento, quoties non obstante impedimẽto dicta frumenta adducuntur ad Vrbem. At excom. Bullæ, ex sola inuasione, & impedimẽto dato, quamuis hoc non obstante victualia deferantur ad Curiã. Nonò excom. Bullæ lata est contra omnes tam seculares, quàm Ecclesiasticos, cuiuscunque dignitatis fuerint, sed constitutio Clementis Septimi enarrata continet censurã excommunicationis contra personas laicales, contra Ecclesiasticas scilicet Archiepiscopos, Episcopos, & alios Prælatos pœnam suspensionis à Diuinis; At Gregorius xiij. imponit pęnam excommunicationis maioris contra omnes tam seculares, quàm Ecclesiasticos, cuiuscunque dignitatis, etiamsi Cardinales fuerint. Decimò Bullæ contra transgressores præter excõmunicationem non addit alias pœnas, sicut faciunt dictæ Constitutiones, vt modò videbimus. Multum igitur deffert sic Canõ Bullæ à prædictis Cõstitutionibus.

Pœnæ, quæ imponuntur, præter excõicationem, & suspensionem contra impediẽtes illos, qui triticũ, legumina, & cuiusuis generis frumenta ad almã Vrbẽ adducunt, sunt plures, & graues. Nam Clemẽs vij. Barones, & alios, qui Ciuitatis, oppida, eo Terras in feudũ seu in Vicariatũ, aut alios quouis titulo obtinent, declarat priuatos penitus dominio dictorũ feudorum, & eorũ Ciuitatis, Terra, oppida, & Villas subiicit ipsofacto Ecclesiastico Interdicto, & persistẽtes post simestre in eorũ prauo proposito, & duritia obstinatè, ex tunc ipso iure omnibus, & singulis Ciuitatibus, oppidis, Terris, Villis, Feudis, & Iuribus, quæ à Romana, aut aliis Ecclesiis, aut alias obtinebant, priuat, & ad illa, ac alia obtinẽda inhabilitat. Has pęnas confirmauit, & innouauit Pius Quintus in suo Motuproprio, & Gregorius xiij. in suis literis sub Annulo Piscatoris, nec plura dicam de his Constitutionibus; Redeo ad verba Canonis. *Seu hæc facientes defendunt per se, vel per alios.* Hæc est actio accessoria, quę prohibetur rõne, cuius incurritur excõicatio solùm, quãdo actio principalis habuit effectum, nempe quãdo quis defendit illũ, qui inuadit venientem ad Curiam cum victualibus, vel defendit impedientem, ne eadem victualia reipsa ad Curiam adducantur, & defendere aliquem idem est

quod protegere illum, vt tutò & absque timore exequatur, quod intendit. Quare qui protegerint & adiuuarent eos, qui inuadunt venientes ad Curiam, vt sine periculo & timore illos impedire & perturbare possint. Similiter qui per se, vel per alium de facto tamen, non Iure, nam defensio Iuris nemine denegatur, defenderet eos, qui impediunt, ne victualia adducantur ad Curiam essent innodati excommunicatione Bullæ. Duobus autem modis potest quis de facto defendere alterum ad committendum hoc delictum contra hunc Canonem, vt in simili probabam superiori Disputatione Capite X. de eo, qui defendit alium, vt valeat tutò operi præstare Turcis contra Christianos auctoritate Glos. in Clem. 1. Verb. Defensauerit, Vers. Circa quartum De Pœn. Vno modo per modū auctoritatis, idest quouis modo per se, vel per alium adiuuando illum & protegendo, vt tutò & liberè possit impedire per victualia adducantur ad Curiam. Et talis Defensor absque dubio excommunicationem incurrit, quia defendit actionem principalem prohibitam in hoc Canone. Alio modo potest quis defendere eum qui cum impedimento perturbauit, ne Victualia afferantur ad Curiam, & transgressus est hunc Canonem, atq. ideo incidit in excommunicationem. Defendit autem, ne possit capi à Ministris Curiæ, vel ne puniatur, & talem Defensorem impedimentis, postquam secutus est effectus impedimenti, censeo nō incurrere excommunicationem huius Canonis, licet aliis pœnis dignus sit. Cuius dicti ratio desumitur ex ipsismet verbis Canonis; Summus Pontifex excommunicat eos, qui per se aut per alios defendunt *hoc facientes*, scilicet inuadētes eos, qui necessaria ad vsum Curiæ adducunt, vel impedientes, ne eadem ad Curiam afferantur; igitur ad incurrendam excommunicationem ratione defensionis, requiritur, vt defensio ordinetur ad dictas actiones prohibitas; ergo qui post impedimentum præstitum defendit ipsum impedientem, non incurrit excommunicationem, quia non est defensor delicti, sed personæ delinquentis. Et ad hunc modum fit absolutus Canon octauus.

EXCOMMVNICATIO NONA.

ITEM EXCOMMVNICAMVS, ET ANATHEMATIZAMVS OMNES ILLOS, QVI AD SEDEM APOSTOLICAM &c.

DISPVTATIO DECIMA.

DE EXCOMMVNICATIONE CONTRA Lædentes eos, qui ad Sedem Apostolicam veniunt, vel ab ea recedunt, & contra vexantes sine Iurisdictione, in Curia commorantes.



HIC Canon continet excommunicationem contra offendentes eos, qui ad Sedem Apostolicam veniunt, aut ab ea recedunt, vel dum in ea commorantur, & diuiditur in duas partes principales. In prima excommunicantur omnes, qui offendunt accedentes ad Sedem Apostolicam, vel ab ea recedētes interficiendo, mutilando, spoliando, capiendo, & detinēdo. Quare quinque sunt actiones principales damnatæ, nempe sua, vel aliorum opera interficere, secunda mutilare, tertia spoliare, quarta capere, quinta detinere. In secunda parte fertur excommunicatio contra omnes, qui offendunt commorantes in eadem Curia sub prætextu iurisdictionis vsurpatæ, nempe qui nullam neque ordinariam, neque delegatam ab ipso Papa, vel eius Iudicibus iurisdictionem habentes temere illam sibi vindicantes, similia contra commorantes in Curia perpetrare præsumunt, idest tanquam Iudices potestatem publicam habentes, cum verè non sint, interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, & detinent, quare etiam in hac secunda parte prohibentur quinque actiones principales, quæ sunt illæmet, sicut in prima. Sed in prima prohibentur simpliciter quoad accedentes ad Curiam. In secunda parte non prohibentur simpliciter, sed cum dicta limitatione, nimirum si prætextu iurisdictionis vsurpatæ exerceantur tātùm in commorantes in ipsa Curia.

Hic Canon, vt habetur in hac Bulla Pauli Quinti, differt ab eo, qui legebatur in Bullis antiquioribus, & maiorem etiam habet diuersitatem cum Canone descripto in Bulla Gregorij xiij.

Et primo in bulla Martini Quinti quā refert B. Antoninus 3. par. tit. 24. cap. 72. casu sexto excommunicantur tam respectu venientium, & recedentium à Curia, quàm respectu commorantium omnes illi, qui temeritate propria capiunt, spoliant, & detinent; Aut ex proposito deliberato verberare, mutilare, vel interficere præsumunt, & additur, *Et qui talia fieri faciunt, seu mandant*, eodem prorsus modo legitur hic Canon apud Caiet. in Summa Ver. Excommunicatio cap. 14. & in Bullis posteriorum Pontificum vsque ad Gregorium xiij. quare in alijs Bullis prioribus erat illa clausula, *Temeritate propria, idest capiunt*, quæ non habetur in hac Bulla. Secundò non habetur alia particula, *Ex proposito deliberato verberant &c.* Tertiò prohibentur quinque actiones principales enumeratæ, inter quas

quas non apponitur, *Verberare*. Quartò non apponuntur illæ duæ actiones accessoriæ, scilicet facere, vel A mandare talia fieri, sed loco illarum in hac Bulla legitur illa clausula, nempe *Sua, vel aliorum opera interficere*, quæ in illis prioribus non habebatur deferre igitur in multis hic Canon, vt à Sixto Quinto promulgatus est, & à successoribus vsque ad præsentem diem retentus, ab ipsis Bullis editis ante Gregorium xiij. & adhuc maior est diuersitas verborum huius Canonis ab illis, quibus vtitur ipse Gregorius xiij. *&* in primis Gregorius excommunicat *Ex proposito* interficientes, mutilantes, &c. Hæc dictio *ex proposito modo non habetur*, sed illius loco habetur hæc clausula, *Sua, vel aliorum opera* interficientes. Secundo in Bulla Gregorii prohibentur sex actiones principales: additur enim B *Vulnerare*, quæ nunc sublata est. Tertiò in illa excommunicantur interficientes, mutilantes &c. non tãtùm accedentes, & recedentes à Curia, sicut in nostra Bulla, sed etiam *Apud eam morantes*. Quartò in illa non tantùm excommunicantur offendẽtes prædictos, sicut hodie legatur, sed etiam *Romipetas, seu Peregrinos ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis &c.* In hac Bulla nulla peregrinorum fit mentio, & de illis agitur in Canone sequenti. Quintò in Bulla Gregorii excommunicantur *Dantes illis auxilium, consilium, et fauorem*, Hæc particula dempta est. Sextò Gregorius separatim in distincto Canone excommunicat eos, qui ratione vsurpatæ iurisdictionis offendunt commorantes in Curia, non in eodem Canone, sicut modò est in vsu. C Septimò Gregorius excommunicat illos, qui nullam habentes iurisdictionem *Capiunt, spoliant, detinent commorantes in eadem*, Omittit illa duo verba, quæ in posterioribus Bullis apposita fuerũt, scilicet *Interficiunt, mutilant*. Octauò Gregorius excommunicat eos, *Qui talia fieri mandant*, Hæc modò non leguntur. Sed iam accedamus ad explicationem Canonis.

Caput Primum, Omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes & recedentes ab eadem, *Quid nomine Sedis Apostolicæ, & venientium atque recedentium ab eadem Papa significare voluerit, & quas personas comprehendat hæc excommunicatio.*

Caput Secundum, *Explicantur quædam dubia de eisdem venientibus ad Sedem Apostolicam, & recedentibus ab ea.* D

Caput Tertium, *De Actionibus principalibus prohibitis in hoc Canone.* Sua vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent.

Caput Quartum, *Proponuntur, & dissoluuntur dubia de eisdem Actionibus prohibitis.*

Caput Quintum, *De Vexantibus sine iurisdictione Commorantes in Curia*, Nec non illos omnes, qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam à nobis, vel nostris Iudicibus non habentes, illam sibi temere vendicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

CAPVT I.

Omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes & recedentes ab eadem, *Quid nomine Sedis Apostolicæ, & venientium atque recedentium ab eadem Papa significare voluerit, & quas personas comprehendat hæc excommunicatio.*

HAec excommunicatio quoad personas est vniuersalis, vt notat Caietan. in dicto cap. 14. & absque vlla distinctione afficit omnes laicos & Clericos, Viros, & Mulieres, Dominos & Seruos, Nobiles & ignobiles, & quoscunque, qui actionem aliquam ex prohibitis fecerint, idcirco Summus Pontifex apponit dictionem illam *Omnes illos*; vt neminem excludat. Dictio enim *Omnes* continet quoscunque, l. Iulianus in princ. ff. de leg. 3. notat Bal. in l. omnia Priuilegia, C. de Epi. & Cler. Glos. vlt. in c. solitæ de Maior. & Obed. l. 3. ff. de Off. Præsid. & nemo dubitat omnes transgressores huius Canonis absque vllo discrimine incidere in excommunicationem.

Ad Sedem Apostolicam Omnes fatentur, per Apostolicam Sedem intelligi debere Ecclesiam Romanã, cui Papa successor Petri Christi Vicarius præest. Antiquus enim loquendi vsus per Apostolicam Sedem semper Romanam Ecclesiam præ dignitate & sui excellentia significauit, vt patet ex Aug. Epistola 106. Vnde Iustinianus Imperator in Epistolis ad Horsmidam Papam conscriptis extant omnes inter Epistolas Hormisdæ Papæ tom. 1. Epistolarum Romanorum Pontificum Romanam Sedem sæpe vocat Apostolicam Sedem quamuis enim aliæ essent Ecclesiæ, quæ dicerentur Apostolicæ Sedes, eum tamen absque certi nominis expressione Sedes Apostolica nominatur, ob sui excellentiam Romanam Ecclesiam esse intelligendam in confesso apud omnes Catholicos est. Quòd igitur per Sedem Apostolicam intelligatur Ecclesia Romana non est dubitandum, sed difficultas esse potest de loco, vbi consistat hæc Sedes. Glos. in extrauag. Ad onus Io. 22. Ver. Sedem Apostolicam de elect. inquit, quod Sedes Apostolica dicitur esse, vbi Papa viuens moram trahit, quia Cathedra Sacerdotem non facit, sed Sacerdus Cathedram, nec locus sanctificat hominem, sed homo locum, cap. Multi dist. 40. & Glos. in extrauag. Si Fratrum Io. 22. Ver. Vel Apostolicæ Sedis ne Se. Vac. aliquid innou. inquit, quod vbi Papa, ibi Sedes dicitur. Quod si Summum Pontificem mori contingat, dicitur Sedes Apostolica remanere in Ciuitate, in qua, vel in cuius Territorio electio successoris est celebranda, quæ regulariter fit, vbi mors contingit, nisi audientia causarum & literarum Apostolicarum, alibi remanserit, vel per Papam viuentem ordinatum fuerit de ipsa alibi transferenda. In illo enim casu Sedes esset vbi audientia remanserat, & ibi celebranda esset electio successuris, Clem. ne Romani §. sane de elect. cap. Vbi periculum §. 1. & §. sane eod. tit. lib. 6. quare Apostolica Sedes est, vbi moratur Papa, & post obitum eius, vbi diem extremum clauserit, nisi audientia Causarum & Curia Romana alibi remanserit, tunc enim in eodem loco erit Sedes Apostolica; quia per obitum Pontificis Sedes non moritur, sed remanet & durat, vt notat Glos. in extranag. execrabilis inter Communes Ver. Sedis Apostolicæ de præben. Vnde rescriptum Papæ gratiosum concessum alicui vsque ad suæ voluntatis beneplacitum, per eius obitum, (cum ipsius beneplacitum omnino extinguatur, eo ipso expirat, secus si gratia prædicta vsque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum concedatur, vt decreuit Bonifacius Octauus in cap. Si gratiose de Rescrip. lib. 6. & reddit rationem, *Tunc enim quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi à successore fuerit reuocatum*, cap. Liberti 2. 12. q. 2. Hinc sequitur non idem prorsus significare Sedem Apostolicam, si proprie accipiatur, & Curiam Romanam, latius enim se habet Curia Romana, quã Sedes Apostolica, vbi enim est Sedes Apostolica, ibi necesse est, vt sit Curia Romana, quamuis Nauar. in Comment. de datis & promiss. pro Gratia

& Iust. notab. 17. num. 29. Vers. Tertio quod resolui, circa fi. dicat, quod non semper vbi est Papa, ibi est Curia, sed oppositum videtur probabilius vt Doctores fatentur, & probat Card. in Clement. Auditor in princ. de rescript. vbi ait Curiam Romanam esse, vbi moratur Papa, Rebuff. super Concord. in for. manda. Apost. Ver. extra Romanam Curiam pag. 604. & latius ego confirmaui in cap. 3. superioris Disputationis, sed non sequitur è contra, vt vbi est Curia Romana, ibi necessario sit Papa, quia potest dari Curia Romana, nempe audientia Causarum absque Sede Apostolica, idest absque Papa, ita vt alicubi cōmorentur Prælati, Iudices, & cæteri officiales constituentes Audientiam Causarum & Curiam Romanam absque præsentia Papæ, vt dixi in eod. cap. 3. tēpore Pij II. ex decreto eiusdem contigisse, qui declarauit ipso absente ab Vrbe Curiam Romæ manere eodem modo, sicut erat in eo loco, vbi ipsi morabatur. Quamobrem Sedes Apostolica secundum propriam significationem accepta in vnico tantum loco consistere potest nimirum Summo Pontifice viuente, vbi ipse moratur, illo defuncto vbi electio facienda est successoris, vt præcipitur in dicta extrau. Ad onus de elect. & in extrau. Execrabilis post medium inter Commun. de præben. At Curia Romana potest simul in duobus locis manere, scilicet in loco, vbi est Papa, & in loco, vbi est Audientia Causarum. Verum aliquando Sedes Apostolica accipitur in latiori significatione & tunc hæc duo nomina confunduntur Sedes Apostolica & Curia Romana, & pro eodem accipiuntur, sicut in cap. 2. & cap. Præsenti, de Præben. lib. 6. quibus locis vacatio Beneficiorum in Curia, & vacatio apud Sedem Apostolicam confunduntur. Hoc idē colligit Glos. in cap. Statutum Ver. In Curia eod. tit. & lib. ex cod. tex. & excitato cap. 2. dicens *& sic idem est dicere in Curia, quòd apud Sedem Apostolicam*, & in hac significatione accipitur Sedes Apostolica etiam in hoc Canone, vbi nomen Sedis Apostolicę confunditur cum Curia Romana nam in prima parte vtitur Papa voce Sedis Apostolicæ, in secunda accipit nomē Curię dicit enim, *In eadem Curia*, cum antea de sola Sede Apostolica locutus esset, vnde & omnes Doctores in explicatione huius Canonis modo hunc modo illam vocē vsurpant, hinc sequitur, quòd Sedes Apostolica in hoc sensu accepta erit in duobus locis, sicut ipsa Curia Romana, nempe vbi commorabitur Papa, & vbi manebit Audientia Causarum si contingat illam remanere in aliquo loco, vbi Papa non resideat.

Sed contra obijciet quis, nam Sedes Apostolica videtur consistere solum in Vrbe Roma, ideo dicitur Romanus Pontifex & Ecclesia Romana, & Cardinales, quos eligit Papa, vocantur S. R. E. Cardinales. Vnde Innoc. Tertius in cap. Per venerabilem Vers. locus enim testatur Christum elegisse Vrbem Romā locum Sedis Apostolicę, ibi, *Cum enim Petrus Vrbem fugiens exiuisset, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat, reuocare, interrogatus ab eo, Domine, quo vadis, Respondit, venio Romam iterum crucifigi, quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reuersus.*

Ad hanc obiectionem respondit Glos. in extrauag. Execrabilis Io. 22. Ver. Romanæ Ecclesiæ de præben. Certum esse Deum non in loco, sed in persona Petri suam Ecclesiam fundasse, cum dixit, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meā, Matth. cap. 16. Vbi ergo est Summus Pontifex ibi est Papa, ibi est Sedes Apostolica, & vbi moritur Pontifex, vel saltem in Ciuitate proxima, vbi successoris electio fa-

A cienda est, ibi vacat Sedes Apostolica, cap. Vbi periculum, §. Porro de elect. lib. 6. Clem. Ne Romani, §. sane eod. tit. Quare Sedes Apostolica fuit fundata, vbi fuit Petrus, & adhuc permanet & perdurabit vsq; ad finem Mundi, vbi est hodie & erit successor Petri etiam extra Romam, vt tradit Rom. sing. 145. Dicitur autem Ecclesia Romana generaliter ab ipsa Roma, in qua Petrus fundamentum Ecclesiæ vna cum Paulo mortem subijt ita disponente Deos, vt hi duo Principes Apostolorum martyrium Romæ subirent, & eorum sanguine ipsam consecrarent, & eandem ob causam Cardinales, qui creantur à Papa, vbicunq; terrarum electi fuerint, semper Romanæ Ecclesiæ Cardinales vocari debent.

B Concludamus itaq; ex dictis Sedem Apostolicam in hoc Canone accipiendam esse in ampliori illa significatione, vt probaui, nempe pro loco, vbi residet Summus Pontifex, & pro loco, vbi manet eius Curia, & Audientia Causarum si remanserit in aliqua Ciuitate, vbi non moretur Papa, atq; etiam pro loco, vbi Summi Pontificis Electio facienda est Prædecessore defuncto, & quicunque offenderit aliqua actione ex prohibitis in eodem Canone venientem ad Sedē Apostolicam in aliquo ex his tribus locis, vel ab ea recedentem, eo ipso incidit in hāc excommunicationem. Sequitur modo, vt videamus, quos velit significare Summus Pontifex nomine venientium ad Sedem Apostolicam, & recedentium ab ea.

C *Venientes & recedentes ab eadem*. His verbis non significantur simpliciter omnes venientes ad vnum ex dictis locis, in quibus Sedes Apostolica manet, & recedentes ab eisdem, sed illi soli, qui veniunt, vel recedunt ratione Sedis Apostolicæ nimirum ad aliquid agendum cum ipsa, puta ad impetrandum beneficiū, dispensationem super voto, super impedientis Matrimonij, & super alijs, obtinendum Iudicem in aliqua causa Ecclesiastica, ad prosequendum appellationem, ad comparendum, si quis vocatus fuerit, ad obtinendum rescriptum, ad ordines, absolutionem à casibus reseruatis, Indulgentias, ad præstandum obedientiā, & ad quæcunque alia tam in foro conscientiæ, quam in exteriori pertractanda cum ipso Papa, aut eius of-
D ficialibus, Iudicibus, & Ministris. Quicunque igitur interficit, mutilat &c. venientem ad Sedem Apostolicam ob causas dictas aut similes, vel recedentem ab ea, incurrit hanc excommunicationem. Si vero interficiat, aut mutilet &c. venientem aut recedentem non in Ordine ad Sedem Apostolicam, sed ad alia negocia peragenda, licet incurrat alias pœnas, nō contrahit tamen excommunicationem huius Canonis, puta si causa veniendi fuit, lucraretur Indulgentias Vrbis ad visitāda limina Apostolorum, aut Ecclesias Stationum tempore quadragesimali, ad pertractandum aliquid cum Papa mediatè vel immediatè, sed non ratione Sedis Apostolicæ, idest non quatenus Pa-
E pa, sed vt talis persona particularis, ad exercendam artem, ad dandam operam Studijs, ad inuisendum Consanguineum, amicum, ad inseruiendum alicui Domino, & ad alia similia. Ita sentit Card. Toletus lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 25. Vers. Primum dubium est, & Nauar. in Manual. cap. 27. n. 65. quamuis enim affirmet hunc Canonem includere venientes ad Vrbem, & recedentes causa deuotionis & peregrinationis, quia interpretabatur Bullam Gregorij XIII. qui addiderat hanc clausulam, vt diximus, quæ postea sublata fuit à Sixto Quinto, tamen extra causam deuotionis & peregrinationis, si Curia sit Romæ, asserit

huns

hunc Canonem non comprehendere venientes Romam, vel ad alium locum, vbi nt Curia aut recedentes, si non proficiscantur, aut reuertantur ratione Curiæ. Hoc idem dixit Caietanus in d. cap. 14.

CAPVT II.

Explicantur quædam dubia de eisdem venientibus ad Sedem Apostolicam, & recedentibus ab ea.

Elucidandæ sunt aliquæ difficultates ad maiorem declarationem huius clausulæ. Prima esse potest; An cum Papa dicit, *Venientes, & recedentes*, intelligat de eisdem, qui ad Sedem Apostolicam venerunt, deinde expeditis negocijs reuertuntur ad suos, itaut velit excommunicare omnes, qui offendunt eos siue accedendo, siue recedendo, vel potius intelligat de diuersis, idest de illis, qui ad Sedem Apostolicam accedunt ad pertractandum aliquid cum ipsa, & etiam de illis, qui ab ipsa Sede Apostolica discedunt, etiãsi ad ipsam non venerint, quia antea ibi manebant, & iuxta hanc intelligentiam qui aliquem offenderet qui ad Sedem Apostolicam accessisset, & post absolutum negocium recederet à Sede Apostolica, non esset excommunicatus.

Respondeo Papam intelligere de iisdem accedentibus, & recedentibus. Idque pluribus confirmatur Primo quia Summus Pontifex vult prouidere securitati priuatorum, qui sunt coacti Sedem Apostolicam adire pro rebus, & negociis suis, ne retrahantur ab itinere ob timorem, ne aliquod periculum illis ab aduersariis in via paretur, vel alio modo, dum accedunt, & recedunt à Sede Apostolica; ideo Papa excommunicat, qui offendunt illos, & dum veniunt, & quando recedunt.

Secundò copula, &, quam accepit Summus Pontifex, indicat ipsum loqui de eisdem venientibus, qui postea recedunt; Si vellet significare diuersas personas, vteretur particula disiunctiua venientes, *Vel* recedentes, quæ regulariter ponitur inter diuersa, Bart. in l. Si is qui ducenta. §. Verũ in 6. oppo. ff. de reb. dub. Card. Clem. 1. notan. 11. num. 9. De Iudi. Tertiò si Papa vellet significare diuersas personas, non fuisset plenè consultum illis, qui veniunt ad Sedem Apostolicam, si absoluto negocio, postquam recessissent ab ea, possunt offendi, dum redirent domum suam. De eisdem autem verius, & conuenientius id explicatur, quia vt inquit Rebuff. in explicatione huius Canonis Ver. Recedentes, priuilegium datum ad eundem, censetur datum ad recedendum, & ad morandum, cap. Quia diuersitatem, De Conces. Præb. cap. Statutum. §. Præferendo De Rescript. lib. 6. Vnde Gregorius xiij. in sua Bulla, vt dixi, non solùm includit venientes, & recedentes, sed addidit *Apud eam morantes*. Verùm cęteri successores Pontifices omiserunt hanc particulam, fortasse, quia manẽdo apud Sedem Apostolicam, non imminet illud periculum, quod in via contingere potest, nec desunt alia opportuna remedia ad iustitiam, & pacem conseruandam. Quare hoc tempore, qui iniuriam inferret aliqua actione prohibita in hoc Canone illis, qui venerunt ad Sedem Apostolicã, eo tempore, quo apud illam commorantur, non esset obstrictus hac excommunicatione, secus verò tempore Gregorii xiij. quia tunc exprimebantur cõmorantes apud Sedem Apostolicam, modò non exprimuntur. Mutatio autẽ verborũ legis debet aliquid operari, & quando cessant verba legis, debet dispositio cessare. l. 4. §.

A Prætor, & ibi Alex. ff. De dam. infect. Idem Alexander in l. 1. §. Veteres. ff. De acquir. pos. Ex his sequitur non esse locum huic excommunicationi, si quis offendat illum, qui discedit à Sede Apostolica, si ad illam antea non venerat ad negocium pertractandum apud eam, sed manebat in ipsa Curia. Hic enim Canon editus est in fauorem venientium ad Sedem Apostolicam ratione ipsius Sedis, vt declaraui. Et excommunicantur offendentes huiusmodi veniẽtes tam in accessu, quàm recessu à Sede Apostolica, quia Papa inquit *Venientes, & recedentes*. Dictio illa, &, copulat omnino diuersa & contraria, & operatur, vt vtrumque copulatum sit a quo principaliter prohibitum, Glos. pen. in c. Querelam Vers. Et hoc colligitur bene De Simon. cap. penult. Vers. *Ad Aleas, & Taxillos non ludant* De Vit. & Honest. Cleri. & ibi Abb. nu. 4. Bart. in l. Titiæ Textores. §. 1. ff. Deleg. 1. & in l. Si cui fundum num. 2. ff. De fundo instructo.

B

Secundò dubitatur, quo tempore debeat quis dici veniens, aut recedens à Sede Apostolica, & quandiu duret aduentus, & recessus, vt transgrediens hunc Canonem incurrat excommunicationem.

Respondeo; Cum quis egreditur domo, & itineri se exponit ea intentione, & fine, vt ad Sedem Apostolicam accedat ad aliquid pertractandum apud eam, statim vocatur veniens ad Sedem apostolicam, & gaudet priuilegio huius Canonis, quousque iter compleuerit, & ad ipsam Sedem peruenerit, ita vt si quis interim illum offenderit contra hanc prohibitionem, ipso facto in excommunicationem incidat arg. cap. Dilecti filii 2. De Appell. Vbi sola itineris arreptio ad Sedẽ Apost. habet vim appellationis, & ratio propter quam Papa voluit hoc modo consulere securitati venientium ad Sedem Apostolicam fuit, quia vt habetur in cap. vni. De Cleri. Peregri. Decet, vt hi, qui ad Sedem Apost. accedunt, sub Apostolica protectione securi maneant. Similiter è contra ille dicitur recedens à Sede Apostolica, statim atque egreditur è loco, vbi moratur Sedes Apostolica, & in quacunque itineris parte, quousque completa via Patriam reuersus fuerit. Vnde si quis interim illum iniuria afficiat contra hunc Canonem, statim contrahit excommunicationem;

C

D Quia priuilegium cõcessum alicui eundi ad aliquem locum, censetur eo ipso concessum ad redeundum, cap. fin. De Treg. & Pace, & ibi Abb. & Felin. nu. 1. facit cap. Quia diuersitatem in fi. De Conces. Præben. Vbi declaratur tempus semestre datum ad eligendum seu conferendum beneficium non currere illi, qui ad Apostolicam Sedem accessit, apud illam pernoctasit, & ab ea recessit. Nam ire & redire communiter æquiparantur in Iure, vt inquit Abb. in d. cap. fin. ex Tex. in cap. Magnę in fi. De Voto, & ex l. Si cui, ff. Ex quib. cau. Maiores, notat Bart. in l. Vtimur ff. De Sepulc. Vio. Et in forma iuramenti, quod Episcopus Papæ præstat, præscripta in cap. Ego N. De Iur. Iur. inter alia capita

E habetur promissio de honorifice tractando Legatum Papæ eundo & redeundo, & vt inquit ibi Abb. num. 5. Vers. & sexto, Non securè venit, qui tutò redire non potest. Quare ex his inferri potest, quod si Papa in hoc Canone excommunicaret omnes illos, qui offenderent venientes ad Sedem Apostolicam simpliciter, & non adderet *& recedentes*, adhuc excommunicatio haberet locum etiam in reditu, sed cum agatur de excommunicatione, quę est pœna spiritualis grauissima afficiens animam voluit exprimere venientes, & recedentes ad tollendam omnem ambiguitatem: sæpe enim lex ad maiorem declarationem vtitur verbis plenioribus,

nioribus, quàm sit opus, quamuis vnicum verbum sufficeret, vt inquit Felin. in cap. fin. nu. 1. circa fin. De Treg. & Pace, licèt enim regulariter verba legis, & statuti debeant aliquid operari, vt dicitur in cap. Solitæ De Maio. & Obed. hæc tamen regula intelligenda est, quando id commodè fieri potest, & habet multas limitationes, vt notauit idem Felin. in dicto cap. Solitæ nu. 9. Vers. In quantum Glos. & Doct. Et in cap. 1. nu. 14. & seq. De Rescript. A

Sed postulabit quis, An sit locus huic excommunicationi, si iniuria afficiatur, qui egreditur ex Patria animo veniendi ad Sedem Apostolicam, & in itinere, vt expediat aliquod negocium in aliquo loco, moram trahit. Similiter, An dicatur recedens à Sede Apostolica ad effectum incurrendi hanc excommunicationem, qui ab ea digressus, vt domum suam reuertatur, deuertit in aliam Ciuitatē vbi aliquot dies commoratur, antequam ad suos remeare velit; Quæritur si quis offendat in his casibus huiusmodi venientem, vel recedentem in quacunque parte itineris, quousque, vel ad Sedem Apostolicam, vel in Patriam perueniat, incidat in excommunicationem. B

Respondeo hoc participium *veniens vel recedens*, significare actum in fieri, idest motum continuum, & successiuum veniendi ad sedem, vel recedendi ab eadem, quare toto illo tempore, quo quis est in continuo motu eundi, vel redeundi, dici debet veniens, vel recedens, & ex consequenti incurritur excommunicatio, si hic Canon violatus fuerit. Motus autem continuus erit, quoties veniens non mutauit voluntatem veniendi, nec ex se tradidit alteri negocio, neq; interuallo longi temporis cessauit post iter susceptum, illud perficere, & ad locum optatum peruenire. Hæc enim duo faciunt, vt actus non sit continuus, si vel longo tempore intermittatur, vel contrarius actus interponatur, vt habetur in l. 1. §. Qui præsens iuncta Glos. in Ver. Responsum est ff. De Verb. Oblig. Vbi Ias. nu. 3. & 8. & l. Continuus, l. Quæ extrinsecus eod. tit. l. Duos reos, & l. Si ex duobus ff. De Duo. Reis. Idem sentit Abb. in cap. Cum causam num. 2. De Elect. explicans verbum *Continuè* positum in tex. dicens Continuè factam appellari, quando ad breue tempus intermittitur, & non intercedit aliquod factum contrarium. Itaque in terminis propositæ difficultatis si quis aggressus est iter, vt ad Sedem Apostolicam veniat, & postea in via mutet voluntatem iam non dicetur amplius veniens, vel etiamsi steterit in eadem voluntate, sed differat complere iter longo tempore aliud agēs, tunc enim qui illum iniuria afficeret, non incurreret hanc excommunicationem: quia moraliter loquendo non dicitur offendere venientem ad Sedem Apostolicam. Rursus quando ad Sedem Apostolicam direxerit iter, tunc erit veniens, & gaudebit priuilegio huius Canonis; Multò magis idem asserendum est de recedente, si quis discesserit à Sede Apostolica, ac sine vlla mora pergit ad Patriam, vel ad alium locum destinatum, semper dicitur recedens, quandiu non confecerit iter, & si offenditur, incurritur hæc excommunicatio. Verùm si in via alio diuertat, & ibi longo tempore commoretur, non vocabitur amplius recedens, ex consequenti non erit locus excommunicationi huius Canonis, etiam quando ad Patriam, vnde primùm discessit, accedendi gratia ad Sedem Apostolicam, redierit; quia terminus recedendi fuit locus, vbi longo tempore permansit. C D E

Quæret aliquis, quando dicēdum sit breue, aut longum interuallum temporis, vt diudicare possimus, an quis debeat dici veniens, vel recedens.

Respondeo non posse assignari vniuersalē regulam certam in omnibus rebus. Nam vnum, & idem temporis spacium pro diuersitate actionum, & breue, & longum dicendum erit ad constituendum vnicum actum contenuū, vel interpellatum, vt notat Ias. in d. l. 1. §. Qui præsens num. 8. & 9. ff. De ver. oblig. Quod spectat ad rem nostram diceremus quādo quis ab itinere inchoato veniendi gratia ad Sedem Apostolicam, vel ab ea recedendi voluntariè desistit non impeditus propter infirmitatē, vel ex alia causa, per plures dies aliud agens separatum, & omnino diuersum ab itinere, & quod neque immediatè, neque mediatè ordinatur ad finem veniendi ad Sedem Apostolicam, aut recedendi ab illa, non potest dici veniens, vel recedens. Et idcirco si tunc temporis offenditur, non incurritur excommunicatio huius Canonis, sed quot dies sufficiant præcisè ad constituendum longum interuallum in hoc genere actionum, de quibus agimus, incertum est, Iudicio Superiorum standum erit, & in dubio petenda est absolutio ab excommunicatione, cap. Venerabilibus. §. Porrò, & §. Sed si ex causa De sent. excom. lib. 6. & cap. Solet eod. tit. & lib.

Tertiò dubitari potest; An sub hac particula venientium ad Sedem Apostolicam, & recedentiū comprehendantur vniuersaliter omnes sine vlla exceptione, & dubitari potest de tribus generibus personarū: Primò; An includantur Infideles, Iudæi, Hæretici, si veniant ad Sedem Apostolicam. Secundò de famulis, seruis, & alijs, qui comitantur in itinere ipsos venientes. Tertiò de ipsis Christianis, an omnes comprehendantur, non tantùm Clerici, sed Laici cuiuscunq. conditionis, & gradus.

Quantùm ad Infideles, nempe Iudæos, Paganos, Hæreticos, Censeo in excommunicationem hanc incidere eum, qui aliquē venientem ex dictis ad Sedem Apostolicam offenderet contra prohibitionem huius Canonis. Idque probari potest. Primò quia Papa simpliciter, & absque distinctione loquitur de venientibus ad Sedem Apostolicam. Ergo intelliguntur omnes, quicunque sint. Nam vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, vt inquit Glos. in l. De precio. ff. De publicia. in rem actio. Secundò finis huius Canonis est, vt illi, qui apud Sedem Apostolicam aliquid tractaturi sunt, cum securitate, & sine periculo veniant; Igitur hoc priuilegium conceditur venientibus occasione, & intuitu Sedis Apostolicæ, sed Sedes Apostolica non tantùm recipit benignè, & humaniter Christianos, & Catholicos, sed etiam tanquam pia Mater Infideles, & Hæreticos admittit, cum nemini ad ipsam venienti gremium claudat, cap. Super eo De Hæret. lib. 6. & ibi Archid. num. 1. cap. Duo ista 23. q. 4. cap. Sedes De Rescript. vbi inquit Innocentius Tertius *Sedes Apostolica consueuit exhibere se petentibus liberalem* l. vlt. ad fi. C. De Sum. Trini. l. Si quis in hoc C. De Epi. & Cler. Ergo si quis offendit Hæreticū, Iudæum, Infidelem venientem ad Sedem Apostolicam, incurrit excommunicationem huius Canonis. Ad hoc idem facit, quod notat Felin. in cap. Ego N. num. 1 r. in fi. De Iure Iuran. vbi ex sententia Angeli in l. Vtimur ff. De Sepulc. Vio. ait quod habens saluum conductum pro se, & socijs dicitur illud habere pro socijs, etiamsi essent Iudæi. Et eadem ratio militat si offendantur excommunicati, & quacunque alia censura innodati. Ecclesia enim omnes admittit, qui post pœnitentiam ad ipsam redire voluerint.

Quoad famulos, seruos, & alios, qui comitantur venien-

venientes ad Sedem Apostolicam ita asserendum est, quòd si iniuria inferatur illis, sine quibus Domini, & principales venire ad Sedem Apostolicam commodè non possunt, contrahitur excommunicatio huius Canonis. Ratio est, quia priuilegium concessum Domino extenditur ad familiares & domesticos, quando Dominua sine familiaribus, & domesticis priuilegio frui non valeret, vt expresse habetur in cap. Licet, Vers. Cum conceditur, & ibi Glos. Vet. Admittuntur De priuileg. lib. 6. Vbi Franc. nu. 2. assignat rationem: nam aliàs priuilegium remaoeret inutile, nisi sic intelligeretur. Familiares autem vocantur, vt notat Franc. in cap. fin. oum. 14. De Verb. sign. ex sententia Io. And. Personæ liberæ, quæ se ipsas deputant alicui Domino ad aliquod honestum seruitium, & obsequiũ præstandum mercede conducti. Vnde Felin. in cap. Ego N. num. 11. in fi. De Iure Iuran. & in cap. Innouamus num. 1. De Treg. & Pace, inquit, quòd si alicui conceditur saluus conductus, vsque ad Ciuitatem, & ille venire nequeat sine sociis, immo sine equo, intelligitur concessa tuta veniendi facultas pro socijs & equo. Secus verò est, quando afficiontur iniuria illi, quorum opera Domini veniẽtes non indigent, quamuis itineris sint comites, vt patet ex dicto cap. Licet Vers. Non sic autem: in hoc enim casu locum non haberet excommunicatio.

Ex his iotelligi potest, quid respondendum sit ad tertiam difficultatem, An sub nomine venientium ad Sedem Apostolicam comprehendantur omnes Christiani, & Catholici cuiuscunque ordinis, certum est enim omnes contineri absque vlla distinctione, quoniam verba Canonia sunt indefinita: *Venientes & Recedentes ad Sedem Apostolicam*. Propositio autem indefinita in materia fauorabili æquipollit vniuersali, vt notat, & pluribus probat Felin. in capit. Innouamus numero 11. De Treg. & Pace. Deinde verba illa includunt Infideles, vt probauimua, ergo multò magis Christianos, quicunque sint, siue Clerici, siue Laici.

Non obstat tex. in cap. vni. De Cleri. Peregrinan. Vbi loquens Papa de priuilegiis proficiscẽtiom ad Sedem Apost. ponit casum in Presbytero, qui accessit ad Papam, quasi videatur velle coarctare hæc priuilegia solùm ad Clericos. Nam licèt casus ille particularis acciderit in Clerico; Tamen respondeo Papæ ionititur ratione communi, quæ ad omnes proficiscentes ad Sedem Apostolicam extenditur; Ratio talis est, *Tamen cum hi, qui accedunt ad præsentiam nostram cum rebus eorum debeant esse sub Apostolica protectione securi* Quare contrahitur hæc excommunicatio, siue violetur hic Canon contra Clericum venientem, siue contra Laicum. Immo si fuerit Clericus, duplici excommnnicatione erit obstrictus delinquens, tum quia offendit Clericum contra cap. Si quis suadente 17. q. 4. tum quia lædit venientem ad Sedem Apostolicam cõtra prohibitionem huius Canonis, cum itaq. sint duæ causæ distinctæ, & diuersæ, duæ quoque erunt excommunicationes, vt probatum est lib. 3. Disp. 10. cap. 7. & adeas tollendaa necessariæ erunt duæ absolutiones, vel vnica cum expressione vtriusque causæ, vt dixi in cap. 4. Disp. 5. lib. 4.

Quarta dubitatio principalis esse potest; An comprehendantur sub nomine venientium ad Sedem Apostolicam illi, qui proficiscuntur ad Curiam Papæ, vt expediant negocium cum ipso, non quatenus Papa est, & præest Ecclesiæ, & est Pastor omnium Christianorum, sed quatenus Princeps temporalis habens do-

A minium, & iurisdictionem in Vrbem, & reliquas Prouincias, quæ subrectæ sunt Summo Pontifici, & sunt sub dictione Romanæ Ecclesiæ.

Respondeo, nomine venientium ad Sedem Apostolicam in hoc Canone nõ intelligi illos, qui proficiscuntur ad Papam ad aliquid cum eo agendum, non quatenus Papa est, & Præest Sedi Apostolicæ, vel cum officialibus, Ordinarijs, aut Delegatia ipsius Papę, vt talis, idest vt Caput Ecclesiæ Catholicæ, & Reipublicæ Christianæ habens à Christo immediatè iurisdictionem spiritualem, cap. licet De elect. sed veniunt ad pertractandum aliquid cum Papa, vt est Rex, & Princeps temporalis, habens iurisdictionem temporalem supremam, quam actu exercet in Vrbe, ac in reliquis B Prouincijs dictioni Romanæ Ecclesiæ subiectis, vel cũ Officialibus, & Ministris temporalibus ab ipso deputatis ad regimen populorum in dictis Prouincija degentibus. Quamobrem non remaneret obstrictus hac excommonicatione, qui ioterficeret venientem ad Papam hac intentione, nẽpe vt ab eo obtineret officium aliquod tẽporale, vel vt prosequeretur appellationem in causa temporali, aut vt se purgaret à crimioe, vel ad soluendum Canonem pro feudo, aut ob alias similes causas temporales. Idque probatur. Primò, quia Canon loquitur de venientibus ad Sedẽ Apostolicam. Per Sedem antè Apostolicam intelligitur Papa, quatenus est Pastor, & Caput totius Ecclesiæ Catholicæ habens iurisdictionem spiritualem, vel significatur C Audientia Papæ, vt talis est, idest vt comprehendit Officiales, & Ministros Sedis Apostolicæ, qui exercẽt iurisdictionem spiritualem acceptam ab ipso Papa, vt dixi in primo Cap. Ergo venientes expediendi causa aliquod negocium temporale cum Papa, quatenus est Princeps Laicus, nõ includuntur in hoc Canone, quia non dicuntur venire ad Sedem Apostolicam, sicut qui appellat ab eo, qui est Dux, & Rex, tanqoam à Duce non videtur appellare à Rege iuxta Bart. in l. Si quando. C. De Appell. & in l. 1. §. Si quis appellationis. ff. De Appell. Ita qui venit ad Papam, vt aliquid agat apud eum, quatenus est caput Regni temporalis, qui simul est Caput Sedis Apostolicæ, non dicitur venire ad Papam, vt est caput Sedis Apostolicæ, quod requi- D ritur ad incurrendam hanc excommunicationem, sed solùm ad Papam, vt Princeps est temporalis. Secundò verba legis formaliter sunt intelligenda, l. In delictis. § Extraneus. ff. Ad leg. Aquil. vbi firmatur non posse dici seruum fecisse aliquid sciente Domino, si fecerit, antequam euaderet seruus eius; Hic Canon loquitur de Veniẽtibus ad Sedem Apostolicam; sed Sedes Apostolica à Christo instituta fuit, antequam Regnum temporale accederet Papæ; ergo per Sedem Apostolicam non significatur Papa, vt est Princeps temporalis. Quare si quis iniuria afficit venientem ad Papam, vt est Princeps temporalis, vt apud eum expediat negocium temporale, non incurrit hanc excommunicationem, licèt remaneat obstrictus excom- E monicatione Canonis duodecimi, de qua suo loco tractabo. Eodem modo in simili difficultate respondit Nauar. in Comment. De Dat. & Promiss. pro Iust. vel Gra. Notab. 17. num. 29. Vers. Tertiò, quod resolui; Vbi tenet illos solos incurrere excommunicationem, & alias pęnas Extrauag. Gregorij xiij. contra dantes quicqoam, ant recipientes pro Iustitia, siue gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda, qoi dant, vel accipiunt aliquid pro gratia, vel Iustitia ab ipsomet Papa obtinenda, vel ab officialibus eius, quatenus tales sunt. Non autem si gratia, vel Iustitia sit impe-

tranda

tranda à Papa, vt est Princeps temporalis, vel ab eius A Officialibus, & Ministris, vt tales sunt.

CAPVT III.

De Actionibus principalibus prohibitis in hoc Canone. Sua vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent.

DIscutiamus sigillatim singulas actiones prohibitas, propter quas contrahitur excommunicatio, si aliqua ex illis offendatur veniens ad Sedem, vel recedens. In primis illa clausula *Sua, vel aliorum opera* repetenda est in singulis actionibus, B & non tantùm habet locum in prima actione, quæ est interficere, sed in mutilatione, & in aliis. Vnaquæque enim ex illis siue fiat ab ipsomet principali, siue alterius opera, est sufficiens causa ad inducẽdam excommunicationem. Clausula enim posita in principio alicuius dispositionis refertur ad omnia sequentia, vt habetur in cap. Secundò requiris in §. De Appell. quando non apparet ratio diuersa, cuius gratia potius ad vnum, quàm ad aliud referri debeat, vt doctè Dec. ibi tradit, sed nulla cum existit diuersitatis in hoc loco.

Sed vidẽdus est, quem sensum habeat hæc clausula *Sua, vel aliorum opera*, & quid his verbis Summus Pontifex significare intendat. In Bulla Gregori xiij. erant C excommunicati dantes auxilium, consilium, vel fauorem illis, qui committerent actiones prohibitas, Sixtus Quintus abstulit hæc verba, & posuit illa, idest *Sua, vel aliorum opera*, quæ habentur in hac Bulla Pauli Quinti; Quibus verbis Summus Pontifex vult coarctare hanc excommunicationem, vt non comprehendat Consulentes, & dantes auxilium, quos includebat Bulla Gregorij, sed tantùm habeat locum in efficiense illas actiones prohibitas, & in eo, qui easdem præciperet, & mandaret fieri per alium.

Quòd autem mens Sixti Quinti fuerit immutare hac in parte hunc Canonem, vt non tam latè pateret, sicut in Bulla Gregorij, deducitur expressè ex variatione verborum, ex quorum diuersitate colligitur D etiam diuersa mens legislatoris. Quando enim variantur verba, non habet locũ eadem dispositio. Quòd autem hæc clausula *Sua, vel aliorum opera* comprehendat solùm facientem actiones prohibitas, & mandantem illas, probatur primò, quoniam ante Greg. xiij. in Bullis priorum Pontificum vsque ad Martinum Quintum excommunicabantur facientes actiones illas prohibitas, *Et qui talia fieri faciunt, seu mandant*, & non extendebatur excommunicatio ad Consulentes, fauentes, & auxiliantes, & talem modum, & formam antiquã excommunicationis voluit innouare Sixtus. Eundem enim sensum præseferunt hæc verba fauentes *Et qui talia fieri faciunt, seu mandant*, sicut illa sua, vel aliorum opera. Secundò hæc clausula *Sua, vel aliorum* E *opera* idem prorsus sonat, sicut si dicamus per se, vel per alios. Sed hæc verba per se, vel per alios significant actionem fieri per ipsummet principalem, vel per alium, ergo idem erit sensus illius clausulę *Sua, vel aliorum opera*, ac si dicamus, siue quis interficiat, mutilet &c. per se ipsum venientem ad Sedem Apostolicam, siue mandet alteri, aut interficiat, mutilet &c. incurrit excommunicationem. Id autem non habet locum in Consulente, auxiliante, siue fauente. Vult igitur solùm denotare Summus Pontifex ipsum non requirere tanquam necessariam conditionem ad incurrẽdam A hanc excommunicationem, vt actiones prohibitas in hoc Canone delinquens efficiat per se ipsum personaliter, sed satis esse, si iussu, & mandato eius per alium fiant, & ideo inquit sua, vel aliorum opera. Quando enim aliquid per se ipsum quis efficere debet, non satisfacit, si illud alteri committat, & deleget, vt probat Ias. in l. 1. §. Adipiscimur num. 2. & seq. ff. De Acquir. Poss. Glos. in cap. Statutum Ver. Per se ipsos De Præben. lib. 6. Glos. in Clem. 1. Verb. Publicè, & personaliter De Vit. & Honest. Cleri. Glos. in cap. 2. Verb. Proprijs manibus De Hæret. lib. 6. Vbi notat casum, in quo quis potest per se ipsum, & non per alium.

Tertiò hoc nomẽ opera secundùm propriam significationẽ apud latinos scriptores vsurpatur pro actio- B ne, seu industria, aut labore ipsius operantis, & nunquam acceptum inuenitur pro consilio, aut fauore, vel auxilio, & quando verba legis sunt clara, interpretationem non admittunt, l. Ille aut ille. ff. De lega. 3. l. Ancillæ. C. De Furt. ergo excommunicantur solùm illi, qui propria actione interficiunt, mutilant &c. vel ad hoc vtuntur actione aliorum, & ad alios non extenditur, licèt Consulentes, fauentes, & auxilium dantes peccent, & pro ratione criminis acriter sint multandi. Mandantes verò sunt excommunicati sequuto effectu, non antea, & si reuocent mandatum, non incurrunt excommunicationem, quamuis non obstante reuocatione Mandatarius illud exequatur, vt probaui in cap. 10. Disp. 8.

C Quamobrem hic Canon comprehendit omnes, qui efficiunt aliquam ex actionibus prohibitis, aut mandat illam fieri, non autem consulentem, fauẽtem, vel auxiliantem, quos comprehendebat Bulla Greg. xiij. nisi fauor, aut auxilium sit tale, vt contineat cooperationem ad aliquàm actionem ex prohibitis; Tũc enim fauens, & auxilians propriè diceretur cooperator, & concurreret ad actionem non tanquam auxiliator, & fauens, sed tanquam socius, & consors criminis, vt probaui in cap. 10. Disp. 8. & idcirco contraheret excommunicationem. Meritò autem mandans excommunicatur sicut agens, quia tenetur de delicto, vt inquit Io. Andr. & refert Abb. in cap. Sicut dignum num. 11. De Homic. Modò declaremus ipsas actiones D prohibitas.

Interficiunt est prima actio principalis prohibita; Occidere, vel præcipere, & mandare alteri, vt interficiat venientem ad Sedem Apostolicam gratia tractandi aliquid cum Papa tanquam Capite, & Præside Sedis Apostolicæ, vel cum eius Officialibus, vel Recedentem à Sede Apostolica, quacunque via, & modo sequatur mors, & ob quamcunque causam, nempe vel vt impediatur aduẽtos ad Sedem Apostolicam, vel propter inimicitias, aut ad surripiendum bona venientis, vel in odium Sedis Apostolicæ, vel ob alias causas, semper in omnibus casibus excommunicatio huius Canonis incurritur, quia in ei nulla ponitur limitatio respectu interficientis, aut mandantis. Et eadem excommu- E nicatio incurritur, si occidatur famulus, aut familiaris, vel comes itineris, cuius opera necessaria sit venienti, quia, vt dixi in cap. præcedenti, hoc priuilegiũ securitatis concessum Dominis venientibus, intelligitur etiam de familiaribus, & domesticis.

Mutilant est secunda actio prohibita, qui mutilat venientem, aut recedentem à Sede Apostolica, remanet obstrictus hac excommunicatione. Mutilare autem ille dicitur, qui abscindit eo truncat membrum itaut membrum à corpore separatur: nam corpus mutilum vocatur, quando deest aliquod membrum, qui

ergo

ergo debilitat membrum alterius, etiam si illud tale reddat, vt opus, & officium suum exercere non valeat, non dicitur propriè mutilare, est communis sententia, & probat Abb. in cap. 1. n. 9. Qui Cleri. vel vouen. & in cap. Clericis nu. 3. Ne Cleri. vel Mona. & in c. Accusasti nu. 3. de accusat. licèt oppositum sentiat in c. Cum illorum nu. 8. in fi. de sent. excom. vbi affirmat mutilationem membri propriè esse, quãdo impeditur officiũ membri, & dat exemplum, vt si in Tibia percussus non valeat ambulare, & liberè pedem mouere; Et ponit discrimen inter truncationem membri, & mutilationem vt truncatio sit totalis abscissio mẽbri, mutilatio verò quando membrum ex toto non separatur, sed ex percussione impeditur eius officiũ. Verùm sententia prior est verior, & probabilior, quam tenet præposi. in d. c. 1. num. 2. Qui Cleri. vel vouen. & in eandem opinionem citat Card. Idem tenet Felin. in c. Cum illorum nu. 14. de sent. excom. Vbi impugnat contrarium dictũ Abb. idque confirmatur ex definitione mutili, quam affert ar. lib. 5. Metaphys. cap. 27. de mutilo, mutilum est id, cui extrema aliqua pars corporis deest, & idem docet S. Tho. 2. 2. q. 65. art. 1. Tandem idem comprobari potest ratione, mutilatio comparatur homicidio non alia de causa, nisi quia est particularis occisio, membri nimirum, quia anima separatur ab illa parte abscissa, vt inquit præpos. cap. 1. n. 25. dist. 5. Id autem non accidit in debilitatione membri, quia anima manet in mẽbro debilitato: nam etiamsi non possit exercere officium proprium, pertinet tamen ad integritatẽ, & decorem corporis, vt notat Abb. in d. c 1. n. 9. Qui Cleri. vel vouen. c. Sicut vrgeri 1. q. 1. ibi, *Vt si enim manus esset arida, verùm quidem esset membrum, quamuis sine sanguine, & inefficax esset, & mortuum*. Quamobrem mutilatio non est debilitatio membri, sed integra abscissio, & separatio. Idcirco Ang. in Auth. Vt nulli iudi. §. Quia verò nos inquit statutum loquẽs de incidente locum non habere in d ssoluente, & nomine membri intelligitur pars illa corporis, quæ habet officium separatum, & distinctum ab alijs partibus, vt oculus, manus, pes, & similes, vt inquit Abb. in cap. 1. nu. 10. Qui Cleri. vel vouen. Vnde in cap. Siogula 89. dist. membra diuersa vocantur ex distinctione officiorum. Ex his concludendú est, quòd omnis, qui sua, vel aliorum opera ex quacunque causa, sicut dictum est de interficiente, & quocunque fine abscindit membrum, puta oculum, nasum, pedem, manum venienti, aut recedenti à Sede Apostolica, aut eius famulo, & familiari, qui comitetur Dominum; remanet innodatus excommunicatione huius Canonis. Vtrùm verò sint excommunicati, qui abscindunt digitum, vel auriculam; Aut debilitant membrum, sed non abscindunt, vel vulnerant cum effusione sanguinis, aut percutiunt, discutiendum erit in sequenti Capite.

Spoliant; Est tertia actio principalis prohibita. Spoliare propriè est exuere aliquem vestibus, pecunijs, vel quacunque alia re mobili, aut immobili, vt patet loco citato de rest. spoliat. Sed frequentius Auctores vsurpant hoc verbum de rebus mobilibus. Hinc dicuntur spolia, quæcunque hostibus detrahuntur, vt inquit Seruius in Virg. 8. Aenead. ibi, *Tergemini nece Geryonis spoliisque superbus Alcides*. Spolia opima, quæ Dux Duci detrahir, qualia fuerunt ea, quæ primus omnium Ioui feretrio obtulit Romulus, Liu. lib. 1. ab Vrbe similiter Pannicularia ea, quibus indutus erat quis, cum ad supplicium deducebatur, spolia appellabantur, l. penul. Vers. Pannicularia sunt. ff. de bonis damnat. Vnde locus ille, in quo tales exui solebant, spoliatium appellatum est, Plin. in Panegyr. *Hunc templum nunc verò Deus, non spoliarium Ciuium, cruentarumque prædarum saunm receptaculum*, Lamprid. in Commodo, *Gladiatoris caudauer trahatur, Gladiatoris cadauer in spoliario ponatur*. Eodem nomine vtitur Seneca lib. 13. Epistol. spolia etiam vocantur, quæ cui latro abstulir, l. Bona fides Vers. *Latro spolia quæ mihi abstulit*. ff. de depos. Hinc latrones verè, & propriè spoliare dicuntur iuxta id, quod apud Euang. Lucæ cap. 10. habetur, *Et incidit in latrones, qui etiam dispoliauerunt eum*. Et in hac significatione accipitur hoc verbum in hoc Canone. Quare omnes, qui sua, vel aliorum opera aggrediuntur venientes ad Sedem Apostolicam, aut recedentes ab ea, vel aliquem ex eorum familia, & iniustè spoliant pecunijs, vestibus, armis, equis, & quacunque alia re mobili, incidunt in hanc excommunicationem, quæ incurritur, siue veniens spolietur omnibus rebus, siue aliquibus, dummodo paruitas materiæ non excuset à peccato mortali: tunc enim excusabit etiam ab excommunicatione, quod verum est in omni genere excommunicationis, vt alias probaui.

Capiunt, hæc est quarta actio prohibita. Hoc verbum Capere multipliciter sumitur in Iure, vt notat Glos. in extrauag. vni. Ver. Capere de priuileg. inter extrauag. Ioan. 22. Aliquando significat detinere quem personaliter, cap. Cum Episcopus de off. ordi. lib. 6. cap. Ad Apostolicæ, Vers. Sed licet de sent. & re iudi. eod. lib. cap. Vt famæ extra de sent. excom. cap. Si Clericos eod. tit. lib. 6. Quandoque occupare rem alterius Instit. de rer. diuis. §. Item ea l. naturalem. ff. de Acquir. rer. Domi. l. 2. Ver. Capta deinde Sardinia. ff. de orig. Iur. Nonnunquam Capere accipitur pro, Acquirere sibi. Et ita dicimus capere ex testamento hæreditatem legatum, fideicommissum, l. Cum autem in fi. ibi, *Ponamus enim talem esse qui capere aliquid ex testamento non potuerit*. ff. de Aedil. edicto l. vlt. ff. de lega. 1. Capere etiam vsu acquirere significat. l. Bonæ fidei. ff. de Acquir. rer. Domi. Vnde vsucapere nihil est aliud, quàm vsu acquirere, & vsu suum facere. l. Vsucapio. ff. de vsucap. Pluribus etiam alijs modis recipitur in Iure hoc verbum, Capio, quos refert Glos. in dicta extrauag. de priuileg. Est autem discrimen inter Capere, & Accipere, quòd Capere est cum effectu, Accipere cum quis non sic accipit, vt habeat, vt Vlpia. scribit. l. Aliud est. ff. de Verb. signif. ideo inquit, *Non videtur quis capere, quod erit restituturus*. In hoc Canone verbum Capiunt recipitur in prima significatione, idest personaliter apprehendunt. Nam acceptio bonorum mobilium iam prohibita habetur sub verbo *Spoliant*. Quamobrem vi huius verbi *Capiunt* excommunicantur ipso iure quicunque personaliter comprehendunt venientes ad Sedem Apostolicam, aut recedentes, aut aliquem ex ipsorum familia, vt dixi de alijs actionibus, vel præcipiunt, & mandant, vt capiantur.

Sed quid dicendum erit de illis, qui caperent huiusmodi venientem, vel recedentem ab ead. Sede Apostolica, sed paulò post sponte liberum dimitterent, an essent obstricti hac excommunicatione, itaut indigerent absolutione Summi Pontificis?

Respondeo tales esse excommunicatos, quia actus fuit consummatus, & perfectus capiendo, & habuit effectum. Excommunicãtur enim qui capiunt. Hinc sequitur non esse locum excommunicationi, si qui conati sunt venientem capere, sed non potuerunt,

licet enim quoad Deum peccauerint; non inciderunt tamen in excommunicationem, quæ lata est contra capientes; ergo non extenditur ad eos, qui tentant & conantur capere. Accedit quod capere hic significat detinere & apprehendere personaliter & cum effectu, vt probaui. Demum quia verba legis sunt intelligenda cum effectu l. si per alium §. Docere ff. ne quis eum qui in ius vocan. est, c. Hæc autem verba de pœnit. dist. 1. cap. Relatum; & ibi Glos. Ver. Cum effectu de Cleri. non resid.

Quæret quis, an contrahat excommunicationem, qui capiunt venientem aut recedentem auctoritate & mandato Superioris & Iudicis.

Respondeo tales, qui capiunt auctoritate & mandato Iudicis, vel ratione officij quod gerunt, non incurrere excommunicationem, quia non peccant, immo exercent actum virtutis parendo Superiori, & sine peccato mortali nemo debet excommunicari, c. Nemo Episcoporum, c. Nullus Sacerdotũ 11. q. 3. Quare si veniens vel recedens committat aliquod crimen, cuius causa capiatur & ducatur ad Carceres, non incurritur excommunicatio, patet fortiori ratione arg. sumpto ex c. Vt famæ de sent. excom. Vnde laici citra excõmunicationis metum possunt de Prælatorũ licentia Clericos capere & ad Iudicium ducere. Idem confirmatur in cap. Si Clericos eod. tit. lib. 6. Vbi de laicis auctoritate Prælati capientibus Clericos subditos suos sic statuit Bonifacius Octauus, *Te vel Capientes eosdem (licet nondum appareat incorrigibiles illos esse)* scilicet Clericos, *nulla credimus excommunicatione nodari*. Si igitur laici non incurrunt excommunicationem c. Si quis suadente 17. q. 4. capiendo Clericos delinquentes de licentia suorũ Prælatorũ, haud quoque erunt excõmunicati censura huius Canonis, qui mandato Iudicis, vel ratione officij capiunt veniẽtem aut recedẽtem à Sede Apostolica iuste & legitime ob scelus ab eis commissum. Immo si aliqui etiam sine licẽtia Iudicis caperent venientem, & violenter includerent in domo, ne offenderentur ab hostibus & inimicis, qui quærerent illos iniuria afficere, non obstringerentur excommunicatione, quia id fit sine dolo, immo ad securitatem ipsorum venientium & recedentiũ cuius causa Summus Pontifex edidit hunc Canonem, sicut in simili casu Innoc. in c. Nuper n. 1. de sent. excom. asserit non habere locum excommunicationem c. Siquis suadente, si Clericus capiatur & per vim detineatur, quod confirmat Beatus Antoni. 3. pat. Sum. tit. 24. cap. 1. §. 1. Vers. item reputatur.

Detinent hæc est quinta & postrema actio prohibita. Hoc verbum Detinere merũ factũ significat in Iure, & ad possessionem corporalẽ refertur, tenet enim, qui corpore possessioni insistit, licet nõ possideat l. Officium in fin. ff. de rei vendi. Ita pæ tenere & possidere comparantur l. & vno ff. de Acceptila. Vnde serui, in quos ius possidẽdi naturaliter cadit, quamuis Iure ciuili non possideant, recte tenere dicuntur naturaliter l. stipulatio illa § hæc quoq; stipulatio ff. de verb. obli. l. Possessio §. 1. de acquir. possess. l. sequitur §. Itẽ si eã rem ff. de vsucap. dicitur autem hoc verbum Detinere de persona & de re, sicut & verbum capere, vt ostẽdi. Possunt enim & bona detineri & personæ, de detẽtione bonorũ est tex. in l. fin. C. de rei vindic. de detentione personarum habetur in c. Nuper in princ. de sent. excom. ibi, *Qui Clericos sine lesione tamen; in custodia detinent publica vel priuata*, hoc in loco sumitur pro detentione personarum, detentio enim rerum & bonorum intelligitur prohibita sub verbo *spoliant*, quoniã

A qui iniuste & indebite rem alterius detinet ac occupat, potest dici spoliator & Prædo, vt probat Bero. cõs. 43. nu. 27. & seq. vol. 3. Igitur Summus Pontifex quando prohibet detentionem loquitur de detẽtione personali. Duobus autem modis alicuius persona detineri põt, vno modo si capiatur & captus detineatur, altero modo quando sine vlla captura retardatur & impediatur, ne libere eat, quo intendit, & in vtramq; significationem accipitur detinere in hoc Canone. Quare excommunicantur omnes, qui per se, vel per alios detinent euntẽ ad Sedem Apostolicam, vel recedentem, aut aliquem ex eorũ familia, vel quia illum ceperint, & vinctum detineant, vel si non est captus, saltem quia fraude & dolo teneant illum, & remorentur, ne B expeditum, & liberum accessum, vel recessum habeat.

Et hæc excommunicatio incurritur eo ipso, quòd quis alterum detinet, quãuis postea dimittat, si actus detentionis moraliter loquendo fuit completus & cõsummatus, sicut dixi de Capiente, secus si quis conatus fuerit detinere, sed non potuerit, licet tunc temporis non excusetur à peccato. Similiter non erit locus excommunicationi, vbi quis detinet mandato & auctoritate Iudicis præcipientis iuste & legitime, vel quia veniens aut recedens à Sede Apostolica commiserit delictum, aut ob aliam causam, vel etiam si quis detineat ratione officij, vt si satellites & Ministri iustitiæ detineant venientem aut recedentem compre- C hensum in ipso actu delicti, vel si aliqui detineant bona fide, ne incidat in hostes & inimicos, qui eã insidiantur, vt dictum est de Capiente.

Ex dictis sequitur hanc excommunicationem non extendi ad eos, qui verbis & rationibus persuadent eunti ad Sedem, vt desistat, & non progrediatur vlterius, quia non expediat ei, vel quia non sit impetraturus à Sede Apostolica, quod cupit. Isti enim non detinent dolo malo, sed quærunt placide efficere, vt veniens sponte mutata voluntate statuat non venire amplius, sicut proposuerat.

Iam patet, quomodo intelligi debeant Actiones, quę prohibentur in hoc Canone propter quas incurratur excommunicatio. Verum distinctius & clarius D declarabuntur, si dubia quædam dissoluantur, de quibus in sequenti capite.

CAPVT IV.

Proponuntur & dissoluuntur dubia de eisdem Actionibus prohibitis.

SVperest ad vberiorem & pleniorem cognitionem eorum, quæ dixi de Actionibus prohibitis, vt adijciam explicationem quorũdam dubiorum, ex quibus aliqua ad omnes dictas actiones communia erunt, nonnulla singulis actionibus accomodata.

E Prima dubitatio communis ad omnes actiones esse potest, an incidat in hanc excommunicationem, qui interficit, mutilat &c. euntem vel redeuntem à Sede Apostolica, ignorans illum ire ad Sedem Apostolicam aut redire.

Respondeo non incidere in hanc excommunicationem, qui exercet aliquam actionem ex prohibitis in eum, quem ignorat probabiliter esse venientem ad Sedem Apostolicam, vel recedentem ab ea, cuius dicti illa est vera ratio, vt tradit Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 10. num. 15. Quod ignorantia contingens in

eare

ea re cuius causa excommunicationis pœna iure indi-
cta est, omnino ab ea excõmunicatione excusat, quo-
niam actum efficit quoad illam qualitatem inuolunta
rium; Idq. minimè speciale est in excommunicationis
censura, vt affirmat Couar. dicto n. 15. vers. vndecimò
plenè apparet, sed in quacunque alia pœna legibus sta
tuta, licèt Bart. quem refert Couar. teneat hanc regu
lam peculiariter locum habere in excom. & pœnis spi-
ritualibus. Tametsi talis ignorantia non excuset à pœ-
na ordinaria debita interficiẽte, mutilanti &c. quem-
libet priuatum hominem, qui non iret ad Sedẽ Apost.
neque ab ea rediret. Hoc idem probatur simili arg. ex
cap. Si verò 2. De sent. excom. De percutiente Cleri-
cum, quem probabiliter ignorauit esse Clericum, qui
non incidit in excommunicationem c. Si quis suadẽte,
& de contrahente matrimoniũ, cum cõsanguinea, aut
affine in gradu prohibito, quã ignorabat esse talẽ qui
non est excommunicatus, vt inquit Glos. in Clem. vni.
Ver. Scienter de cõsanguin. & affin. quare in omnibus
actionibus ignorantia qualitatis, & circumstãtiæ, quæ
delictum numero auget, & specie distinctũ constituit,
excusat à nouo delicto, & à pœna excommunicationis
pro tali delicto à lege imposita, si sit probabilis igno-
rantia, quæ sola excusat, vt dicitur in cap. Apostolicæ,
& ibi Glos. Ver. Probabilis de Cleri. excom. Mini. &c.
Sicut de log spiri. quia ignorãtia crassa, & supina non
excusat vt inquit Glos. in dicto Ver. Probabilis, tex. in
cap. Illud de Cleri. excom. Mini. Ad cognoscendum
verò, quando sit ignorantia probabilis, & quando di-
cenda sit crassa. traditur Regula à Doctoribus, de qua
dixi in lib. 3. Di p. 2. cap. 3. Quoties qualitas, & circum
stantia, quæ ignoratur, spectat ad proprium officium
illius, qui ignorat, non dicitur probabilis ignorantia, si
verò ignoretur factum, quod non pertineat ad ratio-
nem officij, quod gerit ille, qui ignorat, erit probabi-
lis ignorantia, dummodo adhibuerit sufficientem di-
ligentiam, vt sciret. Possumus etiam distinguere quan
tum ad eos, qui interficiunt, aut mutilant, aut alias
actiones prohibitas exercent contra venientes ad Se-
dem Apostolicam, vel recedentes, vt facilius cognosca
mus, an verè habuerint probabilem ignorantiã huius
conditionis, nempe quòd essent veniẽtes ad Sedẽ Apo-
stolicam, aut recedentes, vel crassam, & supinam, & ex
consequenti sciamus, an sint innodati excommunica-
tione, nec ne, vt dicamus in foro Poli, & conscientiæ
standum esse dicto interficiẽtis, mutilantis &c. vt nar-
ret factum cum omnibus conditionibus, & animum,
ac intentionem, quam habuerit in tali opere, & ex illis
confessarius diudicare potuerit, an fuerit probabilis,
vel crassa ignorantia arg. cap. Humanæ aures 22. q. 5.
Glos. sing. in Clem. 1. Ver. Nõ habita de priuileg. Abb.
in cap. Inter alia nu. 15. de sent. excom. Si verò loqua-
mur in foro exteriori, ignorantia probalis probari po-
test pluribus modis. Primò iuris præsumptione c. Præ-
sumitur de Reg. Iur. lib. 6. vbi Glos. Ver. Præsumitur
ignorantia, affert tres alios modos probandi ignoran
tiam Primò per iuramentum cap. Cum in tua, ibi. Nisi
proprio firmauerit iuramẽto, vbi Glos. de his qui ma-
tri. accusa. pos. Secundò probando aliquid ea quoquo
necessariò consequitur talem reum qualitatem igno-
rasse cap. Pastoralis de except. cap. Si verò 2. de sent.
excom. Tertiò probãdo aliquid, quod verisimilis igno
rantia co sequitur cap. Iudicas 3. q. 9. Probatio autem
iuramenti ideo admittitur, quia regulariter ea, quæ
sunt in animo, aliter probari nequeunt cap. si. Qui ma-
tri. accus. non poss. Quo fit, vt si contrarium probetur,
non credatur iuramẽto, & contrariũ probari potest ẽt

A per cõiecturas probabiles, vt docet Bart. in l. Inter oẽs.
§. rectè n. 3. in fi. ff. De furt. & ita limitat Glo. in §. Alię
Instit. de actio. Abb. in d. c. Inter alia n. 15. de sent. excõ.
Vel quandó cõditio personę iurantis, & alia indicia op
positum vidẽtur persuadere, vt notat Bald. in l. 1. C. de
collusi. deteg. Felin. in c. 2. n. 20. in 7. fallent. & Dec. in
lect. 2. n. 48. & seq. de Constitu. Sed de probatione igno
rantiæ latius Mascard. in cõclus. 881. vol. 2. de probat.
Sed petet aliquis; An hæc excommunicatio afficiat
eum, qui offendit aliqua ex dictis actionibus prohibi-
tis in itinere illum, quem credebat ad Sedem Aposto-
licam ire, sed reuera alio progrediebatur.
Respondeo non esse excommunicatum, licèt donec
ei non innotescat rei veritas, debeat se reputare excõ-
B municatum in foro exteriori. Ita sentit Couar. in si-
mili casu in cap. Alma Mater par. 1. §. 10. nu. 15. vers.
duodecimò libet, de eo, qui percussit Laicum existi-
mans esse Clericum ex sententia Petri Anchar. Abb.
Felin. & aliorum contra Glosam contrariũ affirman-
tem in cap. Si verò 2. Ver. Ignorauerit de sent. excom.
Aliud enim est agere de peccato, aliud de pęna excom
municationis. Is enim qui errore deceptus agit ali-
quid, putans id esse contra legem Dei, videtur eo ipso
præceptũ contemnere, vt inquit S. Tho. 1. 2. q. 19. art. 5.
in Respons. ad tertium. Hic autem contemptus non est
sufficiens, vt quis eo ipso sit excommunicatus, sicut fa-
cit, vt sit culpæ mortalis reus.
Sed quid dicendum de eo, qui offendit in itinere
C venientem ad Sedem Apostolicam, qui probabili igno
rantia credebat aliò processurum fore, puta ad Nun-
dinas, vel ad alium locum, sed tamen eum animum
habebat, vt si sciuisset illum ad Sedem Apostolicam
accedere; nihilominus offendisset, quia erat eius ini-
micus, vel ob aliam causam?
Respondeo talem incidere in excommunicationem
huius Canonis; nam hæc ignorantia non est causa
actus inuoluntarij; & ideo non excusat, vt docet S.
Tho. 1. 2. q. 76. art. 1. Et ita sentit Couar. de percu-
tiente Clericum, quem putabat Laicum, quem per-
cussisset, quamuis sciuisset esse Clericum in dicto n. 15.
ver. decimò perpensis.
Rursus quid dicendum est de illo, qui intendebat
D solùm percutere venientem ad Sedem Apostolicam,
non occidere; An incidat in excommunicationem, si
ex tali percussione, & vulnere sequatur mors, aut mu-
tilatio?
Respõdeo; Si vulnus illatum fuit leue, ac modicum,
quod ex sui genere non fuit causa sufficiẽs ad mortem
inferendam, quamuis ex accidenti contingat vulnera-
tum mori, percutiens non erit excommunicatus, quia
mors non est sequuta ea eius actione, vt probaui lib. 3.
Disp. 2. cap. 2. Si verò percussio fuit talis, vt posset mor
tem inferre, tunc, quamuis percutiens non haberet in-
tentionem occidendi, erit excommunicatus, quia illa
intentio ad percuciendam fuit sufficiens ad peccandũ,
& ex consequenti ad incurrendam excommunicatio-
E nem, vt latius probaui in illo cap. 2.
Secunda dubitatio est de illo, qui inuasus ab eunte,
vel recedente à Sede Apostolica, ad tuẽdam personam
propriam, aut bona, vel suos filios, aut alios familia-
res, occidit ipsum aggressorem, vel mutilat, aut offen-
dit alio modo contra dispositionem huius Canonis,
an remaneat innodatus hac excommunicatione.
Respondeo in tali casu non esse excõicatum, qui of-
fendit veniẽtem, aut recedentẽ à Sede Apost. si nõ ex-
cesserit modũ in tali defensione ex proposito, quia po-
tuerit se suosque solis verbis minatorijs, vel alio modo

honesto tueri sine vlla reali læsione inuasoris, vt bene declarat Abb. in casu, quo pro recupetatione, aut conseruatione bonorum tempotalium Clericus percutitur à Laico in cap. Olim num. 5. 19. & 30. de rest. spoliat. & in cap. Cum non ab homine num. 11. de iudi. Est textus in cap. Dilecto de sent. excom. lib. 6. Vbi Innoc. Quartus declarat licere cuique ad tuenda bona temporalia contra eos, qui præsumerent violenter & per iniuriam illa surripere, etiamsi Clerici essent, se tueri: licet enim vim vi repellere cap. Significasti 2. de Homic.

Tertiò dubitari potest; An si repente exorta rixa, & dissentione subito animi motu, non præcedente deliberatione, & consilio quis delinquat in hunc Canonem interficiendo, vel mutilando &c. sit locus excommunicationi huius Canonis. Et ratio dubitandi est, quia in antiquis Bullis repetitur apposita illa clausula *Qui ex proposito deliberato verberat &c.* Ob hæc verba dixit Caiet. in Summa in cap. 14. non subijci excommunicationi eum, qui non animo parato, & tranquillo, nec præcedente meditatione prorumpit ad verberādum, vel occidendum, quia non dicitur ex proposito deliberato facere, qui non præmeditatè facit. Et confirmat idem, quoniam si deliberatio sufficiens ad peccatum mortale esset satis ad violandum hunc Canonem, frustra in hoc Canone additum fuisset *Ex deliberato proposito*. Commune enim omni excommunicationi est, vt feratur pro peccato mortali. Quæ ratio meo iudicio optimè concludit. Verùm cum illa clausula, ex deliberato proposito sit modò sublata ex Bulla, cessat omnis ratio, & dicendem est simpliciter nullum esse discrimen inter hunc Canonem, & alios, quoad deliberationem, quæ requiritur ad hoc, vt quis incidat in excommunicationem. Illud enim propositum, & electio, quæ sufficit ad committendum peccatum mortale, vt quis innodetur excommunicationibus aliorum Canonum, eadem erit sufficiens, vt committēs actiones in hoc Canone vetitas innodetur excommunicatione eiusdem Canonis.

Quarta dubitatio esse potest; An si quis venientem ad Sedem Apostolicam, vel recedentem offendat committēdo, vel omnes, vel plures ex his actionibus prohibitis, puta si spoliet, capiat, mutilet, vel occidat, incurrat vnicam tantùm excommunicationem, vel plures iuxta numerum actionum, quas committit.

Respondeo iuxta eas regulas, quas tradidi in lib. 3. Disp. 10. cap. 8. quando quis vnico impetu eodem tempore operatur omnes has actiones in eandē personam vnicam incurrit excommunicationem, quoniā omnes illi actus distincti in genere entis habent rationē vnius actus in genere moris, & vnitas, vel multiplicatio excommunicationis desumenda est ex vnitate, vel multiplicatione actus in genere moris; Vt si quis primùm aggrediatur Clericum, & pugnis incipiat eum percutere; deinde successiuè sine aliqua interpellatione inferat vulnera, tandem occidat, vnicam incurrit excommunicationem, quia est vnica legis transgressio; Ita quoque qui detinet venientem ad Sedē Apostolicam, & continuata actione spoliat vestibus, & pecunijs, & quia alter repugnat, & nititur se defendere, mutilat, & interficit, semel tantùm transgreditur hunc Canonem; & idcirco vnica afficitur excōmunicatione, quia illi actus detinendi, spoliandi, mutilandi, & interficiendi commissi eodem tempore successiuè circa eandem personam, sunt tanquam partes componentes vnā integram actionem, ex qua oritur vnica transgressio Canonis ratione vnitatis temporis, & obiecti: licèt enim

A singulæ actiones distinctæ, ac separatæ sint sufficientes ad inducendam excommunicationem; omnes tamē simul prohibētur sub vnica censura excōicationis, licet reus tantò grauius peccet, & acrius etiam sit multandus à Iudice, quantò plures actiones prohibitas commiserit. Si verò quis capiat venientem ad Sedē Apost. deinde post aliquod tempus spoliet, postea proponat illum mutilare; Tandem post aliquod interuallum statuat interficere, in hoc casu non vnicam excommunicationem, sed plures contrahit iuxta numerum actionum, quia plures sunt actiones in genere moris, & vnaquæque est perfecta, & consummata suo tempore distincta ab alia, neque vna ordinatur ad aliam, & quælibet est sufficiens causa ad inducendā excōicationem.

B Item plures excommunicationes incurret ille, qui eodē tempore vnica actione continua in genere moris plures venientes spoliat, aut capiat, vel interficiat &c. quia siue sit vnica trāsgressio, & peccatum, siue plura; tamen plura sunt nocumenta, & iniuriæ illatæ proximis: & hic est finis, quem videtur respexisse Summus Pontifex in hoc Canone, sicut si quis occidit duos Clericos vnico ictu, duplici vinculo excommunicationis remanet obstrictus, hæc enim est opinio tutior, & sequenda in praxi, licèt contraria sit admodum probabilis, vt notaui in dicto capite 8. Disp. 10. lib. 3. His dubitationibus elucidatis de actionibus prohibitis in communi, pergamus ad alias particulares.

Quinta dubitatio de mutilatione; An si quis amputaret
C venienti ad Sedem Apostolicam digitū, aut auriculam, mammillam, denté, aut barbam, incurreret hanc excommunicationem: & idem quæri potest si læderet oculum ita, vt redderet ineptum illum ad videndum, sed non omnino erueret, vel si infligeret graue vulnus in Tibia, aut pede, vt ambulare non posset, nisi inniteretur baculo, vel tandem si sola vulneratio contingeret, sed cum copiosa sanguinis effusione.

Respondeo ad has difficultates, & incipiēs à postrema, quæ facili negocio expediri potest, dico ex sola vulneratione cum quantacunque sanguinis effusione, non incurri excommunicationem huius Canonis. Ratio est manifesta, quia prohibetur interficere, & mutilare. At vulnerare cum sanguinis effusione, nisi secuta
D morte, vel membri abscissione, nunquam erit interficere, vel mutilare; ergo ex sola vulneratione cum sanguinis effusione nō est locus excommunicationi huius Canonis. Quando enim verba legis sunt clara, & perspicua, omnis dubitatio inanis redditur l. Ille, aut ille. ff. De leg. 3. l. Ancillæ. C. De furt. Accedit, quòd vbi Pōtifex voluit prohibere solam percussionem, aut vulnerationem, id expressit, vt in Can. 10. & 11. recensentur inter alias actiones prohibitas, vulnerantes in Can. 12. percutientes, & alibi. Quare cum hoc in loco exprimat tantùm interficientes, & mutilantes, euidens est argumentum non fuisse eius propositum comprehendere vulnerantes etiam cum magna sanguinis effusione. Quod confirmari quoque potest ex ratione;
E quia ante Greg. xiij. in Bulla Cœnæ in hoc Canone inter actiones prohibitas ponebatur *Verberare*, in Bulla Gregorij non habetur *Verberare*, sed participiū *Verberantes*. Sixtus Quintus vtrūque abstulit; ergo voluit, vt hęc excōmunicatio non extenderetur ad verberantes neque vulnerantes. Quando enim variantur verba, non habet locum eadem legis dispositio, arg. l. Si stipulatus. ff. De vsur. cap. Si Papa de priuilegijs lib. 6. Igitur hic Canon non comprehendit vulnerantes, quamuis conspicuum vulnus, & notabile in facie infligerent, quo forma deformis redderetur.

Ad secundam difficultatem de obcæcante oculum, vt non sit aptus ad videndum, & de Percutiente Tibiam, aut pedem, vt nisi claudicando incidere non valeat.

3 Respondeo ex tali debilitatione membri, etiamsi reddatur inutile ad officium suum non incurri hãc excommunicationem, quoniam in hoc Canone excommunicantur qui mutilant, sed qui debilitat non mutilat, vt dixi in capite tertio, ergo non erit excommunicatus, nam membrum aridum, verum est membrum, quamuis inefficax ad officium suum, & mortuũ, vt dicitur in cap. Sicut vrgeri 1. q. 1. Et ita sentit Abb in c. De Diacono num. 9. Qui Cleri. vel Vouen. Quia in pœnis mitior interpretatio facienda est. Dices, idem esse abscindere membrum alteri, aut illud debile ex vulnere, ac percussione reddere, vt ad officium suum sit inutile, quia paria videntur; Nõ esse, vel inutile esse l. Quotiens. ff. Qui satisda. cogan. l. 1. §. Quibus. ff. Quod cuiusque Vniuer. nomi. Sicut vxori idem videtur non habere maritum, vel habere inutilem l. fin. & ibi Glos. C. Ad leg. Flam. De Plag. & Ecclesiæ non habere Prælatum, aut illum inutilem habere, cap. Inter corporalia De translat. Episc. Propter hanc rationem Sylue. in Ver. Homicidium 3. §. 3. Vers. Tertium, tenet debilitationem membri esse mutilationem, & eiusdem sententiæ est Abb. in cap. Cum illorum De sent. excom. vt monui in cap. tertio. Sed vt ibi dicebam, hæc opinio communiter reijcitur, & idem Abb. illam impugnat in cap. Accusasti num. 3. De accusat. Vbi redarguit Glos. quæ in Verb. Debilitatus explicans vim illius dictionis inquit *idest mutilatus in membris*. Et Abb. animaduertit dictum Glosę non esse verum secundum propriam significationem vocabuli, quia propriè debilitatio accidit, quando impeditur facultas alicuius membri, vt non valeat liberè exercere functionem suam, & id fit sine membri abscissione. Mutilatio autem contingit ex abscissione membri; & hinc concludit mutilare esse idem, quòd detruncare. Vnde patet Abbatem hac in re sibi ipsi aduersari. Cum verò contra obijcitur idem esse non habere membrum, vel habere illud inutile, & ineptum ad officium suũ, falsum est hoc, quod supponitur. Nam quando membrum non est à reliquo corpore separatum licèt sit aridum, & inutile, est pars corporis, & corpus dicitur integrũ quoad omnes partes, sed abscisso membro corpus nõ dicitur integrum, & completum; ideo vt rectè notauit Couar. in Clem. Si furiosus De Homic. par. 3. in initio num. 9. Apud latinæ linguæ Auctores Mancus dicitur, qui membrum habet debile, & aridum. Mutilus autem, cui membrum est abscissum.

4 Reliquum est, vt ad primam difficultatem respondeamus, de qua magis dubitari potest; An si amputetur digitus, vel auricula, vel mammilla, vel dens, aut alia pars similis inter minores partes corporis venienti ad Sedem Apostolicam, vel recedenti, incurratur hæc excommunicatio. Cuius quæstionis solutio pendet ex decisione alterius difficultatis, nimirum an dictæ partes enumeratæ possint propriè vocari membra corporis humani; Cum enim hæc excommunicatio contrahatur ex mutilatione, & mutilatio sit abscissio membri, vt dictum est, si illæ partes sunt membra corporis, amputatio illarum erit mutilatio; & idcirco erit locus excommunicationi; si non sunt membra, abscissio illarum non erit vera mutilatio, & excommunicatio locum non habebit. Et quidem si imprimis loquamur de Digito Canonistæ distinguunt membrum in principale, & minus principale, seu magnum, & paruum. Membrum principale appellant manum, pedem, oculum, nasum, & quod officium habet in corpore separatum ab alijs partibus l. Idem Ofilius. ff. De edi. edict. l. Non sunt liberi. ff. De sta. homi. Digitum vocant membrum paruum, vel minus principale. Ita tenet Host. in Summa in tit. De corp. vitia. Butr. cap. Thomas eod. tit. Communior tamen, & verior opinio tã Theologorum, quàm Canonistarum est quoad effectum irregularitatis considerari solùm debere abscissionem membri principalis, & digitum non reputari inter membra, licèt oppositum sentiat Caietanus 2. 2. q. 65. art. 1. sed quòd digitus nõ sit membrum, docet Bart. in l. Publicorum num. 13. ff. De publi. iudi. Vbi Imo. & Doct. idem asserunt, Abb. in c. Cum illorum num. 8. De sent. excom. Bald. in cap. 1. num. 5. De noua for. fidel. Felin. in cap. Ego N. nu. 5. De Iure Iur. & in cap. Cum illorum num. 10. De sent. excom. Card. in Clem. vni. num. 11. De Homic. Couar. cum alijs, quos ipse refert in Comment. in eand. Clem. si furiosus De Homic. 3. par. in initio num. 8. Vers. Tertiò ab eadem radice, & hanc opinionem dicit amplectendam esse Card. Toletus lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 76 Vers. Altera difficultas est post med.

Verùm quamuis qui abscindit alteri digitũ, etiamsi pollex, aut index sit, non censeatur mutilator, neque irregularis efficiatur. Tamen quæri potest, an in terminis, in quibus agimus possit dici mutilator, qui abscindit digitum venienti, aut recedenti à Sede Apostolica ad contrahẽdam excommunicationem huius Canonis, & censeo talem abscindentem digitum comprehendi in hoc Canone, sub verbo *Mutilant*, & incurrere excommunicationem. Idque pluribus persuaderi potest. Primò quia mutilare in hoc Canone non accipitur in propria, & arcta significatione pro amputatione membri principalis, quæ necessaria est ad incurrẽdam irregularitatem, vt probaui, sed in latiori acceptione pro abscissione cuiuscunque membri, etiamsi sit minus principale, iuxta quam significationem digitus vocatur membrum arg. Glos. in cap. Cum illorum Ver. Mutilationem membri De sent. excom. Vbi agitur de Monachis, qui inuicem se percusserint, & ad mutilationem membri processerint, qui à suis Prælatis non sunt absoluendi, sed pro absolutione ab excommunicatione ad Sedem Apostolicam mittẽdi. Et Glossa notat non esse distinguendum inter membrum, & membrum, quasi dicere velit, vt inquit Abb. in eod. c. Cum illorum num. 8. Ver. Ad propositum, siue abscindatur membrum principale, siue aliud membrum, locum esse dispositioni illius capituli, vt excom. incurratur; Ergo similiter in hoc Canone ex amputatione cuiuscunque membri etiam parui, & minus principalis incurritur excommunicatio, igitur ex abscissione digiti. Secundò probatur, quia videtur hæc intentio, & mens Summi Pontificis; Si enim voluit, quòd ex spoliatione, ex captura, ex detentione cõtrahatur excommunicatio; ergo multò magis videtur sensisse hoc de mutilatione digiti, ex qua, & grauior iniuria, & maius damnũ oritur. Vnde Felin. in dicto c. Cum illorũ n. 10. De sent. excom. affert sex limitationes, ex quibus apparet, quando amputatio digiti possit dici mutilatio. Et inter alias vna est, vbi apparet de mente statuentis.

5 Tertiò hic Canon continet priuilegium securitatis concessum venientibus ad Sedem Apostolicam, & recedentibus, vt sine vllo periculo, & metu tam eundo, quàm redeundo itineri se exponant. Priuilegium autem, & beneficium Principis latissimè est

interpretandum cap. Cum dilecti De Donatis: l. Beneficium. ff. De Constitut. Princ. Quare cum prohibeatur mutilatio, & hæc dicatur de membro principali, & minus principali, de vtroque erit intelligenda; ideo etiam de abscissione digiti.

Ob easdem rationem idem existimo de abscissione auriculæ, immo multò magis, quoniam ex Doctoribus quidam qui negant digitum esse propriè membrum, concedunt hoc de auriculæ, vt Maiol. lib. 1. De Irregul. cap. 25. num. 5. & 9. Card. Toletus lib. 1. Instruct. Sacerdot. cap. 76. Vers. Dubitabit aliquis de auricula, & reddit rationem, quia habet officium separatum ab alijs partibus, nempe præparare sonos, & voces, vt melius, & distinctius audiantur licèt Couar. neget auriculam esse membrum dicto initio 3. par. Relect. in Clem. si furiosus De Homic. num. 8. Vers. Primum, sed argumentum, quo vtitur ad id cōfirmandum, non concludit, cum ait abscissionem illius cartilaginis, quæ est circa aurem, & vocatur auricula, parùm impedire offitium auris, nec auris organū quoad auditum debilius, & minus aptum reddere; Idcirco potius esse ad ornatum auris, & membri, tutelam, quàm ad peculiare corporis obsequium. Nam si hæc ratio valeret, non esset mutilator, qui abscindit nasum alteri, quia manet olfactus. Nasum verò esse membrum omnes affirmant.

Similiter idem est sentiendum de abscessione mammilæ, quæ in fœmina est membrum, cum officium præcipuum in corpore sit, secus verò in viro, vt inquit Felin. in cap. Cum illorum nu. 12. De sent. excom. Bald. in l. Data opera num. 75. C. Qui accus. non poss. oppositum sentit Couar. vbi supra Vers. Secundò, sed immeritò; Qui igitur amputaret fœminæ veniēti ad Sedem Apostolicam mammillam, esset mutilator, & incideret in excommunicationem.

Eodem modò si quis erueret dētes, esset mutilator, nam etiamsi Bart. Imol. Angel. & Bald. quos citat Felin. in dicto cap. Cum illorum num. 13. De sent. excom. videantur concludere dentem non esse membrum moti auctoritate l. Si cui dens. ff. De edi. edict. Vbi seruus carens dente non vocatur morbosus. Et senex sine dente non dicitur infirmus, & idem sentiat Imol. in c. Significauit De corp. vitio. Tamē quamuis verè membrum non sit, habet proprium officium in corpore. Nam dentes sunt organa vocis, & alimenti ministri, partem illud secantes, partem conterentes, vt tradit Maiol. ex D. Basilio lib. 1. De irreg. cap. 24. num. 1. & ideo qui dētem euellit dicitur mutilator. Quare Bart. in l. Publicorum num. 13. ff. De publ. iudi. animaduertit in humano corpore, quasdam partes esse, quæ propriè membra non sunt, membris tamen opem ferunt, vt digitus, manui, dens linguæ, & gutturi. Alias esse partes, quæ decorem tantùm corpori humano inducunt, vt barba, capilli, & Cic. lib. 3. De finl. bono. & malo. *Membrorum inquit idest partium corporis, Alia videntur propter eorum vsum à natura esse donata, vt manus, crura, pedes; Alia autem nullam ob vtilitatem quasi ad quendam ornatum, vt cauda pauoni, plumæ versi colores Columbis, viris, mamma atque barba,*

Idem puto dicendū esse de Barba, quòd si quis euelleret barbam venienti, vel recedenti à Sede Apostolica, esset mutilator ad effectum incurrendi excommunicationem huius Canonis, licèt enim barba propriè non sit membrum, quia nullum habet officium peculiare in corpore, vt inquit Bald. in d. l. Data opera. C. Qui accus. non poss. Felin. in cap. Cum illorum nu. 12. De sent. excom. Imol. in l. Publicorum ff. de publ. iudi,

A Neque ratione huius mutilationis contrahatur irregularitas, tamen vt modò dicebam Barba membrum latius vocari potest à natura homini concessum ad decorem, & ornatum corporis, ex cuius euulsione maiori iniuria afficeretur veniens, & enormius læderetur, quàm si illi erueretur dens. Et idcirco censeo comprehendi in hoc Canone, & ad hoc asserendum ducor tum ex fine, quem habet Summus Pontifex in promulgatione huius Canonis nempe consulendi securitati venientium ad Sedem Apostolicam; ideo non est arctanda, sed potius amplificanda hæc Constitutio, & mutilatio latius est sumenda, quàm accipiatur in materia irregularitatis, tum etiam quia si Host. vt refert Abb. in dicto cap. Cum illorum num. 8. sentit vngulam esse
B membrum, & incurri excommunicationem illius capituli ex læsione quantumcunque modica in membro, illumque vocari posse mutilationem membri, possumus etiam nos meritò affirmare excōmunicationem huius Canonis extendi ad mutilationem illius partis, quæ quamuis non sit propriè membrum, pertinet tamen ad decorem, & ornatum corporis.

Cōcludamus igitur membrum mutilare, in hoc Canone licèt non sic accipiendum impropriè pro sola debilitatione, si non contingat totalis abscessio, quia esset cōtra significationem illius verbi; nihilominus non esse sumendum adeò propriè, vt amplectatur tantùm amputationem membri, quod in arctiori significatione appellatur membrum, & habet officium aliquod in
C corpore separatum ab alijs, qualis mutilatio necessaria est ad contrahendam irregularitatem, sed sufficere mutilationem illius partis, quæ in latiori significatione possit vocari membrum iuxta ea, quæ dixi, quia agitur de pœna excommunicationis. Hac enim ratione vtitur abb. in cap. Clericis num. 8. Ne Cleri. vel Mona. ad probandum nomen Sacerdotis, quod in eo textu vsurpat Summus Pontifex non esse accipiendum strictè pro Presbytero, sed in ampliori significatione pro Clericis in sacris constitutis, qui latiori modo vocari possunt Sacerdotes, & reddit rationem, quoniam licèt constitutio illius capituli sit pœnalis; & idcirco potius restringendi, tamen quia ibi imponitur excommunicatio, quæ potius dicenda est medicina, quàm
D pœna, & Constitutio illa respicit decorem, & ornatum Ecclesiæ, ideo illud verbum est latius sumendum argumento eorum, quæ notat Glos. in cap. Sciant cuncti Ver. Alios De elect. lib. 6.

Confirmatur, nam in dubio quisque præsumere debet se excommunicationem, vt est Glos. singuli in cap. vni. Vers. Aestimare De seruti. Nam in dubijs tutior pars est eligenda cap. Ad audientiam, & ibi Glos. Ver. In dubijs De Homic. & cap. Significasti 2. & cap. Petitio eod. tit. & cap. Illud De Cleri. excom. mini. cap. Iuuenis cum Glos. Ver. Dubia De sponsal. Tutior verò pars est supponere delictum, vbi non est. Piarum enim mentium est culpam agnoscere vbi non est culpa, vt inquit tex. in cap. Consilium Ver. Respondemus quòd
E in tali, De obseru. ieiunio. c. Ad eius verò in fi. 5. dist. & Glos. in c. vlt. Ver. Nec etiam sine pœna De ijs qui fil. occid. Securius autem est in dubio interpretari, vt quis sit excommunicatione obstrictus propter periculum animæ, quia excom. est pœna spiritualis animam afficiens, medicinalis tamen, vt notat Glos. in c. Cū tu fili, Verb. Benignè De testi. Nam ideo excōmunicatus traditur Sathanæ, vt spiritus saluus fiat in die Domini; Atque ita compellatur petere absolutionem, & licèt in foro exteriori propendendum sit in mitiorem partem, secus tamen est in foro interiori, vt tradit

Innoc.

Innoc. in dicto cap. Cum tu fili, de Testi. & Abb. in c. 3. nu. 35. de Iudi. Quamobrem quicunque mutilant partem corporis, siue sit membrum principale, siue minus principale, venienti ad Sedem Apostolicam, vel recedenti ab eadem, debet existimare se excommunicatum, & petere absolutionem ab excommunicatione huius Canonis. Vel saltem Delinquens in casu aliquo particulari, in quo probabiliter dubitare possit, an hęc excommunicatio locum habeat, Iudicis sententiam perquirere debet, & eius arbitrio ac voluntate parere, vt in simili sentit Innoc. in dicto cap. Cum illorum de sent. excom. Quoties dubitatur de percussione Clerici, an sit dicenda grauis lęsio, & idem tenet Host. ibi.

Sexto dubitari potest de spoliantibus, an incidant in hanc excommunicationem illi, qui spoliant venientes aut recedentes non rebus ipsorum proprijs, sed aliorum ipsis commodatis ad hunc vsum veniendi, quas confecto itinere restituere tenentur.

Respondeo quicunque siue latrones & viarum obsessores, aut Prædones, siue fures, vel vi manifesta, vel clam & latenter, aut fraude & dolo spoliant dictos venientes aut recedentes, bonis, quorum ipsi dominiũ habent, vel saltem vsum, incidunt in hanc excommunicationẽ, probatur, quia tales vere dicuntur spoliare venientes & recedentes bonis, quas secum deferunt, quod simpliciter damnatur sub pęna excõmunicationis à Sum. Pontifice nulla addita conditione, si sint ipsorummet venientium, vel ab alijs ad vtendum eis datæ, vt easdemmet finito vsu, in quem datæ sunt, restituere teneantur l. 1. ff. Commod. l. 2. ff. si cert. peta. Et id locum habet, quamuis res, qua venientem spoliaret quis, esset ipsiusmet spoliantis, quia contra commodatarium recte commodati actione non agitur, nisi post vsum expletum, cuius gratia res fuerat commodata, vt dicitur in c. vni. de commod. l. in commodato §. sicut ff. eod. & si non lapso tempore concessionis commodans petat, decipit commodatarium, ergo spoliando peccat & violat hanc constitutionem, sicut etiam in excommunicationem c. Si quis suadente, incidit ille, qui aufert à manibus Clerici rem, quam ei commodauerat, antequam vtatur ad vsum concessum, vt tenet B. Antoni. 3. par. Summæ tit. 24. cap. 1. §. 1. Vers. Detinens Clericum, Innoc. in cap. Nuper n. 2. de sent. excom.

Quæret aliquis, an esset excommunicatus, qui spoliaret euntem ad Sedem Apostolicam re aliqua, quam spolians recognouisset suam esse, & furto ei antea sublatam fuisse.

Huic difficultati cum distinctione respondendum fore puto, vel Dominus rei clam & latenter sine scandalo accipit rem suam, & tunc non incidit in hanc excommunicationem. Primo quia licet Domino rem suam accipere sine scandalo, vbicunque illam inuenerit, & accipiendo non peccat l. si is qui rem ff. de furt. Vbi habetur, in re propria accipienda non committi furtum, nisi alius ius habeat in illa, puta pignoris aut commodati; ergo non erit excommunicatus. Secundo si ipsemet Detinens rem alienam traderet Domino, posset Dominus sine vllo metu excommunicationis illam accipere. Igitur potest illam latenter surripere. Nam non competit Domino minus ius accipiendi rem suam, quando fur illam non tradit, quam si sponte traderet, dummodo propositum habeat manifestandi furi, vt suppone rem suam surripuisse, & idcirco liberum esse à restitutione.

Sed dicet aliquis quamuis Dominus accipiens rem A suam hoc modo non peccet peccato furti ex parte rei, quam accipit, quia sua est, committit tamen delictum furti ex parte modi contra iustitiam legalem, & bonum commune, quia surripit rem furi, cum posset illam in iudicio recuperare, quare iniuriam facit publicæ potestati, quasi vsurpando illius officium, cum dicat sibi ius, non expectata publica auctoritate contra l. vni. C. ne quis in sua. ca. iudi. Respondeo ad hanc obiectionem nullam apparere causam propter quam damnare debeamus communem consuetudinẽ, quæ plane obtinuit, vt vbicunque quis rem suam furto oblatam inuenerit, si absq; scandalo fieri possit, accipiat, neque hoc actu vlla fit iniuria publicæ potestati. nam Dominus rei vtitur iure suo accipiendo rem B propriam, & id non facit cum aliqua perturbatione boni communis, tunc enim est expectanda publica auctoritas Magistratus, quando ius est aliquo modo dubium, aut quando iniuria est per pœnam inflictam vlciscenda, tũc sibi ius diceret, quod vetitum est, quia iniuria fieret publicæ potestati: vsurparetur enim illius iurisdictio, vt inquit S. Th. 2. 2. q. 66. art. 5. ad 3. & ad hunc modum intelligendus est Caietanus in ead. q. ar. 3. ad 3. & Dominicus Sotus lib. 5. de Iust. & iur. q. 3. ar. 3. Sed accipere rem suam latenter, quando certo constat sine vlla ambiguitate suam esse sine scãdalo & perturbatione boni communis, non est sibi ius dicere, hæc de primo membro distinctionis.

Secundò dico, si Dominus rei vi adhibita spoliat C Venientem aut Recedentem re sua, & illam accipit, peccat, & censura huius Canonis remanet obstrictus. Ratio est, quoniam propter priuatum commodum, non est Respub. perturbanda; neque licet vim vi repellere ad rem recuperandam nisi in continenti, quando res aufertur, non autem post interuallum temporis. Vnde rapiens vi illata rem propriam punitur etiam iure Ciuili amissione ipsius rei §. Quia tamen Instit. De Vi bono rapto; Sed contra opponitur tex. in cap. Lator 2. q. 7. Vbi res aufertur per vim propria auctoritate non in continenti, & tamen conceditur spoliatori, vt illam retinere valeat. Respondeo primò fuisse in eo casu permissum spoliatori, habere rem suam ex speciali dispensatione Papæ Ne adderetur af- D flictio Afflicto, vt notat Glos. Secundò dico quicquid sit de pœna iure ciuili imposita, cõtra huiusmodi raptores; Vnum esse certum, quod qui per vim spoliaret re propria Venientem ad Sedem Apostolicam, nõ leue peccatum committeret, & excommunicatione afficeretur, vt ex eod. cap. Lator colligi potest, cum inquit *Si verò nihil Ecclesiæ, sed proprium se dixerit abstulisse quamuis graue, & iniquum fuerit, vt non à vobis, vel à Metropolitano eius hoc petierit, sed temerario ausu agere præsumpserit &c.*

Septimò, dubitatur de ijs, qui capiunt Venientem ad Sedem Apostolicam, aut recedentem ab ea, vltra ea, quæ dixi in cap. præcedente; An si quis capiat huiusmodi Venientem, quia est suus debitor, & est su- E spectus de fuga, incidat in hanc excommunicationem.

Respondendum est cum distinctione, Dico primò si Creditor sine vllo periculo & incommodo potest adire Iudicem, & petere ab eo licentiam, vt ipsius auctoritate capiatur debitor veniens ad Sedem Apostolicam, quo casu incurreret excommunicationem Creditor, si de facto sine vlla auctoritate Superioris caperet venientem. Probatur primo, quia aliud est, si Dominus accipit rem suam latenter à veniente propria auctoritate, de qua re dixi in Superiori dubitatione,

tione, aliud est, si capiat ipsum venientem. Hoc secundum fieri nō potest sine publica auctoritate: hoc enim pertinet ad officium publicæ potestatis & Magistratus, quare si priuatus hoc tentaret, vsurparet sibi iurisdictionem publicam, & perturbaret bonum commune Reipub. atque tunc vere sibi ius diceret, quod lege interdictum est; ideo grauiter delinqueret, & excommunicatione huius Canonis obstrictus remaneret. Confirmatur simili argumento sicut laicus incideret in excommunicationem. cap. Si quis suadente, si caperet Clericum suum debitorem sine mandato Superioris, vt expresse statutum est ab Innoc. Tertio in cap. Vt famæ de sent. excom. ibi, *Dum tamen id de mandato faciant Prælatorum*, Ita quoque qui contra dispositionem huius Canonis caperet venientem ad Sedem Apostolicam suum debitorem non obtenta licentia à Iudice, obstringeretur excommunicatione huius Canonis. Secundo dico, quando obtinere non potest mandatum à Iudice ob eius absentiam, vel propter aliam causam, & veniens ad Sedem Apostolicam suspectus esset de fuga, tunc creditori liceret capere talem debitorem, vt quanto citius ad Iudicium adduceret sine vllo metu excommunicationis. Probatur primo, quoniam talis veniēs capitur, vt ad Iudicium adducatur, non in contemptum Sedis Apostolicę, neque ad impediendum, ne debitor accedat ad illam, sed ad recuperandum creditum, quod suppositis conditionibus narratis alia via consequi nō potest, cum debitor sit suspectus de fuga. idque iure positiuo non prohibetur, quare in hoc casu nullus interuenit dolus, ex consequenti nulla incurritur excommunicatio cap. Nullus, & cap. Nemo Episcoporum 11. q. 3. Confirmatur hoc arg. l. Ait Prætor 2. §. si debitorē ff. quæ in fraud. Credito. vbi conceditur, vt Creditor possit pecuniam sibi debitam à Debitore fugiente auferre; ergo poterit illum capere ad eundem finem recuperandi suum creditum. Secundo probatur simili argumento Debitor suspectus de fuga potest capi à creditore propria auctoritate etiam die festo solenni, quamuis sit Clericus, vt tradatur Iudici Ecclesiastico, vt tradit Ias. in l. vinum nu. 4. & seq. ff. si cert. pet. Immo addit vnum, quod mirum magis videtur, licet sub dubitatione, quòd licet regulariter pro debito priuato non possit quis capi, neque extrahi ab Ecclesia l. 1. & 2. C. de his qui ad Eccles. confug. cap. Inter alias de Immu. Eccles. Tamen quando Debitor esset suspectus de fuga, id licere. Quare si in his casibus Capientes debitorem suspectum de fuga excusantur à delicto & pœna excommunicationis quæ alias contraheretur, cur negandum est non posse excusari ab excommunicatione huius Canonis illum, qui capit debitorem suum suspectum venientem ad Sedem Apostolicam? Et quidem quòd Clericus suspectus de fuga capi possit sine metu excommunicationis, non tantum est sententia Ias. sed communis omnium Iuris Pontificij Doctorū, Innoc. in cap. Si vero 1. n. 2. de sent. excom. Io. And. in cap. Nullus de Pigno. Abb. in cap. Cum non ab homine n. 11. & 17. de Iudi. c. Vt famæ nu. 6. in fine de sent. excom. c. Olim n. 5. de restit. spoliat. Felin. in dicto c. Cum non ab homine n. 4. de Iudi. & alij in cap. Suscepimus de homic. & in c. Dilecto de sent. excom. lib. 6. Alex. cons. 64. lib. 3. Silue. Ver. excommunicatio 6. §. 14. Vers. & idem in Capiente, Archid. in cap. Abbates 18. q. 2. Card. in Clem. 1. de off. ordi.

Sed quæret quis, quando Debitor debeat vocari fugitiuus.

Dicendum est fugitiuum dici non solum quando est

A in fuga actu, sed cum se parat ad fugiendum, vt dicunt Glos. & Bald. in l. Pignoris C. De Pignor. Et Felin. in dicto cap. Cum non ab homine nu. 4. in fin. Vel etiam quando probabiliter dubitatur de fuga ex solis coniecturis, licet aliter non probetur, vt inquit Ias. in dicta l. Vinum nu. 6. in fi. ff. Si Cert. Peta.

Octaua dubitatio occurrit De Detinentibus Venientes aut Recedentes à Sede Apostolica, & difficultas esse posset, An incurrerent hanc excommunicationem illi, qui non exercentes aliquam actionem realem solis verbis minatorijs detinerent Venientem, ne iter inchoatum ad Sedem Apostolicam prosequeretur, & incutiendo metum, & terrorem verbalem tantùm prohiberent accessum.

B Respondeo Detinentes hoc modo Venientem ad Sedem Apostolicam esse transgressores huius Canonis & excommunicatos. Ratio est, quia ad incurrendam hanc excommunicationem, non est necesse, vt vis inferatur, & violēter detineatur Veniens adhibita aliqua actione reali, sed sufficit, vt dolosè, & iniustè impediatur, quoniam Summus Pontifex absolutè prohibet detentionem. Quamobrem hac in re valde differt excommunicatio cap. Si quis suadente, ab excommunicatione huius Canonis. Ad incurrendam excommunicationem cap. Si quis suadente, non satis est, vt Clericus detineatur domi, vel in oppido, & non permittatur illi egressus, nisi inferatur iniuria personæ, aut rebus personæ adhærentibus, quia requiritur violentia C manuum, vt dicunt Innoc. in cap. Nuper De Sent. Excom. B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 1. §. 1. Syluest. Excom. 6. §. 12. & omnes alij. At ad incurrendam excommunicationem huius Canonis, non est necessaria violenta detentio, sed sufficit, vt sit iniusta. Quare siue quis per vim detineat Venientem, siue incutiat metum solis verbis sine vlla alia actione reali, & hoc modo impediat eius accessum ad Sedem Apostolicam, vel recessum, semper incurrit hanc excommunicationem. Nec plura dicam de his Actionibus prohibitis.

CAPVT V.

De Vexantibus sine iurisdictione Commorantes in Curia,
D Nec non illos omnes, qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam à nobis, vel nostris Iudicibus non habentes illam sibi temere vendicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

HAec est secunda pars Canonis, in qua fertur excommunicatio contra omnes, qui iurisdictione carentes illam temere vsurpant, exercentes in eos, qui in Curia commorantur illas quinque actiones superius damnatas, nempe Interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent. Hæc excommunicatio in Bulla Gregorij xiij. continebatur in Canone distincto, sed à Sixto V. fuerunt simul copulatæ hæ duæ ex- E communicationes latæ contra afficientes iniuria Venientes, & Commorantes in Curia in eodem Canone, sicut legebantur in Bullis Antiquis, vt monebā initio Disputationis.

Iurisdictio est potestas, publica auctoritate instituta cum necessitate iuris dicendi, vel æquitatis statuendæ, idest est facultas quædam concessa ei, qui iuridicendo præest, qua commissa intelliguntur omnia concessa, sine quibus exerceri non potest l. 2. ff. De Iurisd. Om. Iud. Hæc autem duplex est, Alia ordinaria, Alia delegata. Iurisdictionem ordinariam concedere possunt Lex Ciuilis, seu Canon Pontificius, Papa, aut

Impe-

Imperator, & non Inferior, nisi Episcopus, qui Iurisdictionem ordinariam tribuit suo Vicario Generali. Deinde consuetudo legitime præscripta, cap. Cum ab Ecclesiarum de off. ordi. Abb. in cap. Duo simul nu. 2. eod. tit. Delegata iurisdictio est illa, quæ à Papa, vel alio Ordinario, seu Principis Delegato ad causam cognoscendam decidendamque alicui committitur. Differt autem Iurisdictio Ordinaria à Delegata, quoniam Ordinariam iurisdictionem habet is, qui à Superiore deputatur, & ratione officij Vniuersitati, aut Collegio præficitur ad vniuersitatem causarum Et de Iudice Ordinario multa notantur à Io. And. ea sententia Innoc & Host. in cap. Cum ab Ecclesiarum de off. ordi. Delegata Iurisdictio est, quæ traditur alicui ad cognoscendam causam aliquam particularem inter certas personas.

Itaque Summus Pōtifex in hac secunda parte profert excommunicationem in omnes eos, qui non habentes aliquam Iurisdictionem, neque Ordinariam, neque Delegatam à Papa, vel suis Iudicibus, vsurpant sibi temere illam, & fingentes habere iurisdictionem auctoritatiue, & tanquā ex officio committunt quinque illas actiones prohibitas in priori parte Canonis, vel aliquam ex illis, & exercent ius in Commorantes in Curia Romana, nimirum tanquam Iudices Ordinarij vel Delegati à Papa, aut eius Officialibus detinent, aut capiunt, vel spoliant, aut interficiūt aliquem commorantem in Curia Romana, & hæc excommunicatio afficit omnes talia agentes sine vlla distinctione.

Hinc sequitur primo ad incurrendam hanc excommunicationem secundum Caietan. in Summ. cap. 14. duo requiri. Primum est, vt faciens actiones illas non habeat Iurisdictionem à Papa, vel eius officialibus. Secundum est, vt illas faciat tanquam Iudex & habēs iurisdictionem. Quare qui furando spoliat aliquem commorantem in Curia, vel qui orta rixa & contentione talem interficit, non remanet obstrictus hac excommunicatione, quia non auctoritatiue & tanquam iurisdictionem exercens id facit, sed vt priuata persona. Et idem dicendum est in similibus casibus quoad alias actiones prohibitas; & hoc aperte colligitur ex verbis Canonis, cum Summus Pontifex ferat hanc excommunicationem contra eos, qui iurisdictionem nō habentes eam temere sibi vendicantes talia exercent erga existentes in Curia. Igitur loquitur de illis, qui tanquam Iudices se gerunt, & hæc agunt. Quod optima quoque ratione confirmari potest, quam affert Caiet. in Ver. excom. cap. 14. Quoniam singulis annis hic Canon promulgatur, & qui dictas actiones prohibitas non tanquam Iudex, sed tanquam priuata persona contra commorantem in Curia commiserit, nunquam hactenus declaratus fuit excommunicatus ex hoc Canone in foro Iudiciali vel Pœnitentiæ. Euidens igitur argumentum est Summum Pontificem intelligere de illis, qui auctoritatiue talia agunt. Ratio enim ducta ex vsu & consuetudine in rebus moralibus plurimi est facienda.

Quæret quis, an si is, qui iurisdictionem habens, sed non in Curia Romana vt Episcopus, vel alius Prælatus committit illas actiones prohibitas, & auctoritatiue tanquam Superior exerceat in subditum ipsius commorantem in Curia, incidat in hanc excommunicationem.

Respondeo esse excommunicatum, quoniam licet Iurisdictionem habeat in subditum suum, illam tamē non potest exercere erga illum, quamdiu commora-

A tur in Curia, quia est sub protectione Sedis Apostolicæ, & gaudet eodē priuilegio, sicut veniens ad Sedem Apostolicam, & recedens ab ea, cap. Quia diuersitatem de concess. Præb. cap. Statutum §. Præferendo de rescript. lib. 6. Et hic Canon excipit tantum illos, qui iurisdictionem exercent in commorantes in Curia habentes potestatem à Papa, vel eius Officialibus, qui si committunt actiones illas prohibitas, non efficiuntur excommunicati, non excipit omnes, qui quouis titulo habent iurisdictionem in easdem personas, verba enim sunt clara, & non admittunt aliam interpretationem: sic enim ait *Nec non illos omnes qui Iurisdictionem ordinariam, vel delegatam à nobis vel nostris Iudicibus non habentes &c.* Quando autem verba sunt

B clara, nec constat de contraria intentione disponentis, non est ab eis recedendum, vt habetur in cap. Ad audientiam in fi. de Deci. Vbi Summus Pontifex sic ait *Nam si intelligeremus tantummodo de nouabibus, vbi ponimus de laboribus, de noualibus poneremus*, & ibi Glo. Ver. Intelligeremus: hoc idem pluribus Iuris auctoritatibus confirmat, & Abb. num. 3. sic etiam possumus nos argumentari, si Papa voluisset excipere generaliter omnes quouis modo habentes Iurisdictionem, dixisse absolute omnes, qui neque ordinariam neque delegatam iurisdictionem habent, & non addidisset illam clausulam *A nobis, vel nostris Iudicibus.*

Sequitur secundo hac excommunicatione non innodari officiales Romanæ Curiæ, qui iurisdictionem

C habent, si huiusmodi Commorantes iniuste & inique nullo iuris ordine seruato vexare audent, quoniam Canon excipit omnes habentes iurisdictionem à Papa, vel suis Iudicibus: licet enim ea talibus iniustis vexationibus graue peccatum committerent, & acriter essent puniendi, non incurrerent tamen eo ipso excommunicationem huius Canonis.

Sequitur tertio has quinque actiones prohibitas, scilicet interficere, mutilare, spoliare, capere & detinere non eodem modo damnari quoad venientes ad Sedem Apostolicam & recedentes ab ea, sicut interdicuntur in ordine ad commorantes. Nam respectu venientiū vel recedentium satis est aliquid illorum simpliciter committere, vt contrahatur excommunica-

D tio. At vero respectu commorantium requiritur, vt ea fiant ex auctoritate vsurpata, nēmpe tanquam à Iudice & potestatem habente. Ita sentit Card. Toletus lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 25 super excommunicatione 9. Vers. Aliud dubium est an illa tria.

Sed postulabit quis rationem huius diuersitatis, nimirum quam ob causam voluerit potius Papa illas actiones simpliciter prohibere quoad venientes & recedentes, non autem quoad commorantes.

Respōdeo illam fortasse fuisse causam huius diuersitatis quoniam commorantes in Curia non ita facile poterant iniuria affici à priuatis personis, vbi residet Papa, & Iudices, qui delinquentes punire possunt,

E sicut venientes & recedentes; sed periculum imminere poterat solum, ne offenderentur ab aliquo, prætextu vsurpatæ iurisdictionis, propterea huic incommodo prouidere opus erat, vt tuto in Curia commorari valerent.

Illam sibi temere vendicantes. Excommunicantur illi omnes, qui non habentes Iurisdictionem, illam sibi temere attribuunt, ponderanda est illa dictio *Temere*, in Bullis Antiquis legebatur *Temeritate propria.* Temere dicitur quis aliquid facere, si sciens faciat id, quod ei facere non licet, vt notat Glos. in l. Cum quē temere ff. de Iudi. & Glos. in Clem. 1. Ver. Vel teme-

re

re de Pœnit. & in cap. Eum qui de præben. lib. 6. Quãobrem in hanc excommunicationem incidunt illi, qui scientes non habere iurisdictionem exercẽdi actiones illas prohibitas, adhuc præsumunt eas perpetrare contra commorantes in Curia. Hinc fit excusari ab excommunicatione eum, qui ex probabili ignorantia & bona fide existimans sibi competere hoc ius ratione officij, quod gerit, committit aliquam illarum actionum contra commorantem in Curia, quia non temere dicitur in tali casu vsurpare sibi huiusmodi iurisdictionem, qua re vera careat, cum probabiliter putet illam habere.

Similia contra Morantes in eadem Curia. Singula hæc indigent declaratione, nempe quid Summus Pontifex declarare velit dictione illa *similia* quos vocet *Morantes*, & quid intelligat per eandem Curiam. Dictio *similia* refertur ad ea, quæ paulo ante narrata erant, & prohibita in ordine ad venientes & recedentes, scilicet interficere, mutilare, spoliare, capere, & detinere. Probatur primo, quia ante Sixtum Quintum in Bulla Gregorij XIII. in Canone 11. vbi fertur hęc eadem excommunicatio, recensentur eædem actiones prohibitæ, quæ enumeratæ erant contra venientes & recedentes in Canone 10. in antiquioribus etiam Bullis in eodem Canone exprimuntur sigillatim ipsæmet in ordine ad venientes & recedentes, & contra morantes Sixtus Quintus, quem secuti sunt successores Pontifices, recensuit actiones prohibitas in priori parte Canonis, non repetijt in secunda parte, sed apposuit dictionem illam vniuersalem *similia*, vt denotaret easdem actiones proximè prohibitas. Confirmatur secundo, quia verba vltimo loco posita referuntur ad omnia immediate præcedentia, vt notat Bart. in l. si cui serui §. si à filio ff. de lega. 1. & in l. si quis filium §. fin. ff. de leg. 2. & Alex. cons. 17. col. 1. vol. 3.

Marantes Card. Toletus in lib. 1. Instruct. Sacerd. c. 25. in declaratione huius excommunicationis Ver. Aliud dubium est quid intelligatur, asserit ex sententia Caietani Morantes in Curia hoc in loco vocari ipsos Curiales, qui Romę versantur ratione Curiæ Pontificiæ siue mediate, siue immediate inseruiant Pontifici, siue maneant apud Cardinales & Episcopos, qui Curiam sequuntur. Quare non comprehendi hoc nomine Ciues Romanos & alios Incolas qui Romæ domicilium retinent, vbi Curia etiam discedente remanent.

Sed hæc explicatio mihi non placet, quia in hoc Canone non tractatur de Curialibus, qui inseruiunt Curiæ Romanæ, nempe Papæ & Cardinalibus, sed agitur de ijs, qui morantur in Curia ad perficiendum & expediendum negocium apud Sedem Apostolicam. Quamobrem censeo morãtes in Curia appellari eosdemmet, qui ad Sedem Apostolicam venerũt, de quibus dictum est in prima parte Canonis. Igitur ea omnia, quæ dixi in cap. 1. & 2. vt declararem, qui comprehenderentur nomine venientium & recedentiũ, aptanda sunt opportune, vt intelligamus, quos sub hoc vocabulo morantium in Curia Papa complecti voluerit. Hæc explicatio probari potest primo, quoniam interpretatio accipitur ex præcedentibus & sequentibus l. si seruus plurium. §. fin. ff. de leg. 1. Et vna pars statuti declarat aliam, vt per Bart. & Ang. in l. vtrum ff. de petit. hæredi. Item Bart. in l. Prætor ait, §. erit ff. vi bono. rapto. & notant omnes Doctores in §. ex hoc autem capite Instit. de leg. aquil. Secundo idem probatur, quoniam in Bulla Gregorij XIII. sub eadem oratione excommunicantur accedentes ad Sedem Apostolicam, apud eam morantes, & recedentes ab ipsa; ergo Papa vocat morantes in Curia illos, qui ad eam venerant. Tertio si Papa voluisset intelligere Curiales, non dixisset morantes in Curia, sed vsus fuisset nomine vulgato, & notissimo Curialium. Quare cum loquatur de morantibus in Curia, non de Curialibus, euidens est non fuisse intentionem ipsius comprehendere Curiales, sed illos, qui ad Sedem Apostolicam venerunt, sed interim morantur, vt expediant id, cuius gratia ad illam accesserunt.

Ex his sequitur non allegari hac excommunicatione illum, qui committit actiones prohibitas in hoc Canone non auctoritatiue prætextu iurisdictionis, quam fingat se habere, sed vt priuata persona, vel si auctoritatiue id faciat, non exercet illas in morantem in Curia, sed in eum, qui est incola, & habet domicilium.

in eadem Curia. Non est, quod hic instamus. In primo enim capite probaui illud idem nomine Curiæ Papam intelligere voluisse, quod significat Sedes Apostolica. Quare quibus modis in hoc Canone accipi Sedem Apostolicam, ostendi totidem Curiam accipi debere censendum est.

Audent perpetrare, hæc sunt extrema verba huius Canonis, quæ supponunt dolum iuncta dictione illa *Temere* quæ antea præmittitur, & in Antiquis Bullis erat verbum *Præsumunt*, quod clarius videtur significare, cum quis sciens & volens legem violare non veretur.

Sed difficultas oritur, an Summus Pontifex his verbis comprehendat solum illos, qui per se ipsos agunt has actiones prohibitas, vel etiã qui per alios faciunt, sint excommunicati non tantum Mandatarij, & qui exequuntur, sed ipsi Mandantes, sicut vterque tã Mandans, quam Mandatarius contrahunt excommunicationem, si committant easdem actiones contra venientes ad Sedem Apostolicam & recedentes ab ea, vt probatum est in cap. tertio, ita vt in hac secunda parte repetenda sit clausula illa, quæ in prima exprimitur, nempe *sua vel aliorum opera interficiunt &c.*

Respondeo in hanc excommunicationem incidere mandantem has actiones fieri, & illum, qui exequitur mandatum, etiamsi in textu id non exprimatur, idque pluribus rationibus persuaderi potest. Primo quoniã in Bulla Gregorij XIII. & in alijs prioribus habetur clausula *vel qui talia fieri mandant* non solum in ordine ad venientes ad Sedem Apostolicam & recedẽtes, sed etiam ad morantes in Curia; ergo eadem est subintelligenda in hac Bulla, in qua licet quoad verba non nihil variationis reperiatur, nulla tamen apparet in sensu facta mutatio. Secundo cum in priori parte huius Canonis habeatur illa clausula *sua vel aliorum opera*, censetur illa eadem repetita in hac posteriori parte, nam est vnus, & idem Canon prohibet easdem omnino actiones ad eundem finem, nimirum vt gaudeãt priuilegia securitatis illi, quibus apud Sedem Apostolicam aliquid est agendum; vna enim pars Constitutionis aliam declarat, vt probabam paulo ante, & ex præcedentibus explicantur sequentia. Illa vero clausula *sua vel aliorum opera*, vt ostendebam in capite tertio, includit vtrumq; idest mandantem & operantem, seu executorem. Tertio eo magis ita est asserendum propter illam dictionem *similia* audent perpetrare, quæ refertur ad proxime præcedentia, & denotat similitudinem in omnibus non solum quantum ad genera actionum, verum etiam quoad modum committendi: nõ enim potest assignari ratio diuersitatis, cur

po-

potiùs ad ipsas actiones, quàm ad modum efficiendi A referatur. Quartò magis proprius modus exercendi huiusmodi actiones auctoritatiuè prætextu iurisdictionis est mandare, vt fiant, quàm immediatè illas exequi. Quare si ille, qui mandat tanquam priuata persona interfici Venientem ad Sedem Apostolicam aut recedentem, vt transgressor huius Constitutionis eo ipso excommunicationis censura obstrictus remanet, verius hoc est affirmandum de illo, qui auctoritatiuè idem mandat fieri contra Morantem in Curia; Quia mandando propriè committit illas auctoritatiuè. Immo si de alterutro controuerteretur, nempe de Mandante, aut de Operante, quis eorum in hoc B casu excommunicationem contraheret, potiùs dubitari posset de eo, cuius opera vteretur Mandans ad committendum illas actiones, quam de ipso Mandante, quia ipse Executor non agit auctoritatiuè, nec habet iurisdictionem, sed vt merus Minister mandato Superioris paret, & exequitur iussa Imperantis, & Tamen ipse quoque incurrit excommunicationem, quia agit, & operatur recipiens potestatem, & iurisdictionem, quia agit, & operatur recipiens potestatem; & iurisdictionem ab ipso Mandante, & cuius nomine opus exequitur; ideo concurrit ad violandam hanc Constitutionem, nisi probabilis ignorantia illam excusauerit, quia crediderit Mandantem veram iurisdictionem habere ad præcipiendum: ergo multo magis erit innodatus Mandans. Et ratio est, quia vnum, & idem numero delictum est Mandantis, & Mandatarij, puta vnum homicidium, vnica Mutilatio, & tribuitur vtrique, quia Mandatarius illud committit nomine Mandantis. Quare ad Mandantem refertur ratione Mandati, tanquam ad primam causam, Mandatario verò tanquam ad causæ proximæ, & immediatè operantem, vt rectè explicat Bald. in l. Non ideo minus nu. 5. C. De Accusat. & Bart. in l. Sed si vnius nu. 5. ff. De Iniur.

Quando verò dicimus eum, qui mandat has actiones prohibitas, innodari excommunicatione intelligimus id locum habere secuta actione, non antea, vt monui in cap. tertio, quia prohibetur mandare non simpliciter, sicut in Clem. 1. De Poenis, vt notat ibi Gloss. in Ver. Mandauerit. Sed in ordine ad effectum, vt indicant verba illa: *Sua vel aliorum opera interficiunt, mutilant &c.* Et ad hunc modum absoluamus hunc nonum Canonem.

EXCOMMVNICATIO DECIMA.

ITEM EXCOMMVNICAMVS, ET ANATHEMATIZAMVS OMNES INTERFICIENTES &c.

DISPVTATIO VNDECIMA.

DE EXCOMMVNICATIONE IN Lædentes Romipetas ac peregrinos etiam in Vrbe Morantes, vel abeuntes.



VO superiores Canones, Octauus scilicet & Nonus editi sunt fauore Sedis Apostolicæ & Curiæ Romanæ contra impedientes & offendentes eos, qui diferunt Victualia, aut veniūt ad Sedem Apostolicam. Præsens Decimus Canon respicit fauore Vrbis Romæ contra Lædentes peregrinos ad Vrbem deuotionis gratia venientes; Quare non respicit Papam vel Curiam, sed Romam vt dixit Caietan. in Sum. Ver. Excommunicatio cap. 13. & legitur in antiquis Bullis Coenæ Domini, habetur in Bulla Martini Quinti, refertur à B. Antoni. tertia par. tit. 24. cap. 72. & est nona Excommunicatio. In Bulla Gregorij XIII. hæc excommunicatio contra offendentes peregrinos pro- C mulgata est in eodem Canone X. simul cum ea, quæ fertur contra illos, qui iniuria afficiunt Venientes ad Sedem Apostolicam & Recedentes, quę à Sixto V. fuit distincta, vt dixi.

Hic Canon in omnibus videtur prorsus conuenire cum antiquis Bullis Coenæ præterquam in hac vnica re, quod olim hæc excommunicatio comprehendebat peregrinantes, nō solum ad Vrbem, sed illos quoque qui proficiscebantur in Hierusalem, sicut habetur in citata Bulla Martini Quinti, quod annotauit etiam Caiet. in Summa Ver. Excom. cap. 13. in fi. Ratio cur tunc extenderetur ad peregrinos euntes in Hierusalē, fortasse illa erat; Quoniam antiquo tempore vigebat D Ordo, & Religio Fratrum Militiæ Templariorum, & sic dicebantur, quia iuxta Templum Domini apud Hierusalem in Palatio Regio habitabāt, instituti tempore Gelasij II. Anno 1119. Vt armis Peregrinos à Mahometanis tutos redderent; Et per omnem terram Sanctam circunducerent, & eodem ferè tempore corpis Ordo Hospitaliorum B. Io. siue Rhodiorum Militum, qui hospitio excipiebant peregrinos, similiter Ordo Theutonicorum. Qui Ordo ex vtroque priorum mixtus erat. Nam & ipsi hospitio excipiebant peregrinos, & necessitate exigente etiam armis pro Religione pugnabant. Sed Ordo Templariorum à Clemente V. in Concilio Viennen. Anno 1315. ob nefan-

nefanda quædam scelera, & opiniones quasdam prauas de religione ex toto Orbe Christiano deletus fuit. Vnde paulatim verisimile est credere diminutũ fuisse numerum Christianorum fidelium deuotionis ergà Hierusalem euntium, cum cessasset peregrinis auxilium horum Virorum, qui illis adiumento maximo erant, tum excipiendo domi, tum defendendo à Prædonibus, & ob eandem causam opinandum est fuisse sublatam ex hoc Canone clausulam de Peregrinis in Hierusalem, cum paucissimi essent, qui hoc iter susciperent, cum antea prioribus temporibus frequentissimi peregrinationem hanc in sanctam Hierusalem suscipere solerent.

In hoc Canone excommunicantur omnes, qui peregrinos Romam deuotionis causa pergentes, vel in ea morantes, aut ab ipsa recedentes inuadunt, & offendunt aliquo genere actionis ex his, quæ enumerantur vt prohibita suntq. sex numero principales actiones. Prima est Interficere, Secunda mutilare, Tertia vulnerare, Quarta detinere, Quinta capere, Sexta deprædari. Actiones verò secundariæ, quæ prohibentur accessoriè in ordine ad principales sunt tres; Prima auxilium præstare; Secunda consilium præbere; Tertia fauorem impendere.

Caput Primum, De Actionibus principalibus prohibitis, quarum causa incurritur hac excommunicatio. Verba Canonis sunt Omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes &c.

Caput Secundum, Explicantur verba Canonis, quæ sequuntur, Romipetas seu peregrinos. *Tractatur etiam De Generibus peregrinorum, & de eorum Priuilegiis.*

Caput Tertium, De Peregrinatione ad Vrbem, verba Canonis sunt. Ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis &c.

Caput Quartum, Dissoluuntur nonnullæ dubitationes ad clariorem cognitionem de eisdem Peregrinis.

Caput Quintum, Declarantur verba Canonis, quæ sequuntur, Accedentes & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes; & in his dantes auxilium consilium, vel fauorem.

Caput Sextum, An eadem Excommunicatio contra offendentes Romipetas seu Peregrinos ad Vrbem causa deuotionis proficiscentes habeatur in Iure, & quomodo differat ab excommunicatione Bullæ, & quam ob causam hoc priuilegium solis accedentibus ad Vrbem, non omnibus peregrinantibus ad alia loca sacra sit concessum.

CAPVT I.

De Actionibus principalibus prohibitis, quarum causa incurritur hac excommunicatio. Verba Canonis sunt Omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes &c.

EX his sex Actionibus quatuor iam satis declaratæ sunt in tertio capite Superioris Disputationis, nempe quos Papa appellet interficientes, mutilantes, detinentes, & capientes, & quam latè pateant, dubitationes quoque emergentes ad illarum vim & rationem clarius consequendam in capite quarto elucitæ sunt, Quare ea omnia, quæ dixi de his actionibus in ordine ad venientes ad Sedem Apostolicam, existimã-

A dum est dicta fuisse etiam quoad peregrinos & Romipetas duæ tantum supersunt explicandæ, idest qui dicantur vulnerantes & deprædantes ad finem incurrendi hanc excommunicationem.

Vulnerare significat vulnus infligere, sauciare. Vulnus autem tunc dicitur infligi, cum ictu aliquo, corporis pars aperitur. Nam vulnus non appellatur, quando cutis non scinditur, vt colligitur ex l. si seruus §. Inquit lex ff. ad leg. aquil. vbi Vlpian. sic habet, *Rupisse eum vtique accipiemus, qui vulneraverit, vel virgis, vel loris, vel pugnis cecidit, vel telo, vel quo alio, vt scinderet alicui corpus, vel tumorem fecerit.* Vnde latius patet Percutere, quam vulnerare, omnis enim, qui vulnerat, percutit, sed non è contra. Ad percussionem

B sufficit tangere cutem sine scissura, sed non erit vulnus, Bart. in ead. l. si seruus nu. 3. & clarius in l. Prætor edixit §. fin. ff. de iniur. Vbi vulnus esse inquit, quando fit scissura seu separatio in corpore, & ibi quærit, vtrum si tumor, aut tumefactio proueniat, possit vocari vulnus, puta quando quis virgis, loris, aut pugnis, vel quauis alia re cedit aliquem; Et respondet, quod si talis fiat tumor, cuius causa sequatur separatio cutis intrinsecus, licet exterius non appareat, vel saltem necesse sit, vt Medicus instrumento artificiosè partem læsam ad extrahendam saniem adaperiat, tunc erit vulnus, vt expresse habetur in dicta l. si seruus. quia percussio causa est scissuræ & separationis in corpore.

C Quare non potest vocari vulnus, vbi nulla prorsus apparet scissura in corpore; & idcirco quando quis ita percutit, & cedit alterum, vt percussio non fuerit causa separationis cutis in corpore, non dicitur vulnerasse. Idque satis confirmari videtur ex communi vsu loquendi.

Hinc infertur dari non posse vulnus sine effusione sanguinis, neque appellari quempiam vulnerantem, si percutiendo sanguinem non effundat, quia ex scissura & separatione cutis in corpore ad constituendum vulnus requisita necessario sanguis emanat, & ita notat Host. Io. Andr. Anchar. & Abb. num. 3. & omnes Doctores in cap. Proposuisti de Consecr. Eccles. Quod expressè probatur ex verbis illius textus *Homicidia contingunt fieri interdum, & aliquando vulnera inferun-*

D *tur* in quibus casibus, quia remanet polluta Ecclesia, præcipit Innoc. Tertius, vt reconcilietur, & tamen citra Homicidium Ecclesia non polluitur ex vulnere sine effusione sanguinis. Ideo in cap. fin. eod. tit. & in c. vni. eod. tit. lib. 6. quando agitur de pollutione Ecclesiæ, nihil dicitur de vulnere, sed mentio fit de effusione sanguinis, & Abb. in eod. cap. Proposuisti nu. 4. ait non pollui Ecclesiam ex vlla corporali iniuria sine sanguinis effusione. Quare cum Innocentius Tertius in c. Proposuisti dicat simpliciter Ecclesiam violari ex vulnere, sumitur argumentum vulnus dici non posse, neque vulnerantem aliquem appellari sine sanguinis

E effusione.

Ex his patet excommunicari in hoc Canone sine vlla exceptione omnes, qui peregrinos ad Vrbem causa deuotionis accedentes, vel in ea morantes, aut recedentes quouis modo in corpore vulnerant accipiendo vulnerationem eo modo explicato.

Multa tamen hoc in loco dubitari possunt de hac actione vulnerationis. Primo postulabit quis, an necesse sit fluxisse sanguinis copiam, vt percutiens peregrinum vere sit vulnerans ad incurrendam excommunicationem huius Canonis.

Respondeo vnum esse certum, quòd si gutta sanguinis tantum fluxerit, percussio non meretur nomẽ vulneris,

neris. Ratio est, quia cum ex qualibet etiam modica corporis læsione sanguis facillimè effundatur, vt notat Glos. in cap. Cum illorum Ver. effusionem sanguinis De Sent. Excom. quando gutta sola sanguinis fluit, percussio erit minima, & leuissima, cuius ratio habenda non sit; ideo inquit Abb. in ca. Cum illorum num. 12. quòd vbi requiritur effusio sanguinis, opus est, vt multum sanguinis manauerit. Confirmatur hoc idem testimonio Bald. l. penult. C. De Edil. Actio. qui asserit statutum puniens vulnus intelligi debere de magno vulnere, non de vulnusculo, vel leui rasura. Idem ait Ang. in l. Si pignore. §. Si furem. ff. De Furt. & in l. 1. §. Sed sciendum. ff. De Edil. Edi. Quando verò non fuit adeò minima, & exigua sanguinis effusio ex percussione illata proueniens, & iudicatur sufficiens ad constituendum peccatum mortale, tunc incurritur excommunicatio. Ratio est, quoniam Canon nihil dicit de effusione sanguinis, sed simpliciter loquitur de vulnere; ergo quoties vulnus infertur etiam sine magna sanguinis copia, locus est huic excommunicationi. Quòd si probabiliter dubitetur, an sit talis, vt constituat rationem vulneris, tunc standum est arbitrio Superioris, vt declaret qualitatem, & quantitatem vulneris, sicut in simili de percussione Clerici, quando sit dicenda leuis, aut enormis, relinquitur arbitrio Episcopo, vt notat Glos. in dicto capitulo cum illorum, Ver. sanguinis effusio De Sent. Excommunic. & ibi Abb. numero 11. Et in dubio semper tutior pars est eligenda, vt sæpe dixi, vt vulnerans existimet se incidisse in excommunicationem.

Secundò quæret aliquis, si Summus Pontifex excommunicauit vulnerantes Peregrinos, non opus erat, vt recenseret inter actiones prohibitas interficientes, & mutilantes, quoniam si excommunicantur vulnerantes, necessariò sequitur, vt sint excommunicati interficientes, & mutilantes. Nam occisio & mutilatio sunt effectus vulnerationis, & non proueniunt, nisi ex vulnere, & licèt daremus aliquando occidi posse hominem sine vulnere, puta quando strangulatur, aut suspenditur, vel veneno necatur, & sine effusione sanguinis, vt inquit Abb. in c. Proposuisti nu. 2. De Consec. Eccles. Tamen mutilatio nullo modo dari potest sine vulnere, & sine effus. sāg. ergo si prohibetur vulneratio, frustra antea præmittitur mutilatio.

Respondeo, quod quamuis latius pateat vulneratio quā mutilatio, & prohibita vulneratione intelligatur damnata mutilatio; tamen Summus Pontifex ad maiorem expressionem, & declarationem, vtramq. actionem distinctè recensere voluit in pronuncianda excommunicatione in eos, qui iniuria peregrinos afficiunt, & ab atrociori, & magis enormi actione progreditur ordine seruato ad minus atrocem; ideo primo loco excommunicat interficientes, deinde mutilantes. Mutilare autem minus malum est, quàm interficere, postea vulnerare, quòd adhuc minorem habet rationem mali, & ita de aliis. Ad eundem modum in sequenti Canone 11. seruatur idem ordo, Excommunicantur primo loco Interficientes, Mutilantes, Vulnerantes &c.

Tertio dubitatur, An incidat in plures excommunicationes ille, qui vulnerat, mutilat, & interficit peregrinum iuxta numerum actionum prohibitarum, vel vnica sola excommunicatione innodatus maneat.

Respondeo Talem hoc modo delinquētem in peregrinum, si vnico impetu eadē actione continua in genere moris vulneret, mutilet, interficiat, vnica excommunicatione affici: quia omnes illæ actiones prohibētur sub eadē censura excommunicationis, & vna tantum violatur lex iuxta ea, quæ dixi respondendo ad similem difficultatem in capit 4. Superioris Disputationis. Secus est, si prius vulnus infligat, & post temporis interuallum mutilet, tandem interficiat: tunc enim quia pluries lex violatur, sæpius etiam incurritur excommunicatio, & eodem modo dicendum est de aliis actionibus prohibitis. Idque expresse definitum habetur Iure ciuili de Pœnis corporalibus, l. Illud §. fin. ff. ad leg. Aquil. Vbi sic habetur *Si idem eundem seruum vulnerauerit, postea deinde etiam occiderit, tenebitur & de vulnerato & de occiso: duo enim sunt delicta, aliter atque si quis vno impetu pluribus vulneribus aliquem occiderit, tunc enim vna erit actio de occiso*, Specul. in tit. de Contum. §. nunc dicamus numero sexto, Vers. Vnum enim factum. Aliter dicendum esset vbi diuersæ actiones prohiberentur à diuersis Constitutionibus, nempe si vna prohiberet detinere, altera deprædari, Tertia occidere, & sic de aliis. Quo casu si quis detineret peregrinum, & prædaretur, & tandem occideret, incurreret omnes pœnas illarum Constitutionum, quia licet vnum esset factum, plura tamen essent delicta, vt notat Glos. in citata l. Illud Ver. de occiso, & Vlpianus pluribus exemplis hoc idem declarat in l. nunquam plura ff. de priua. delic. sic enim inquit *Nunquam plura delicta concurrentia faciunt, vt vllius impunitas detur, neque enim delictum ob aliud delictum minuit pœnam, qui ergo hominem surripuerit & occiderit, quia surripit, furti tenetur; quia occidit, Aquilia tenetur. Neque altera harum actionum alteram consumit &c.* Sequitur proponendo alia exempla facit ad idem l. Prætor edixit §. fin. Vers. si mihi plures ff. de iniur.

Quarto dubitatur, an percutiens quouis modo peregrinum ad Vrbem venientem innodetur excommunicatione huius Canonis, etiamsi vulnus non infligat, neque sanguinem effundat.

Respondeo non incurri hanc excommunicationem ex quacunque percussione, sed ex illa tantum, quæ fit cum vulnere. Percutere enim plura comprehendit, quam vulnerare, vt dixi, Papam vulnerantem excommunicationem ferit, non percutientem; ergo percutiens peregrinum, si non infligat vulnus, non est excommunicatus, sed est aliis pœnis multandus, quia verba legis sunt accipienda in propria significatione, Bart. in l. Ita vulneratus Vers. Item nota quod verba legis, ff. Ad leg. Aquil præsertim in poenis cap. In Pęnis de reg. Iur. libro sexto, & l. Interpretatione ff. de pęn. *Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt, potius quam exasperandæ*. Confirmatur, quoniam si mens Summi Pontificis fuisset, vt ex qualibet percussione etiam sine vulnere incurreretur excommunicatio vltra verbum *Vulnerantes*, addidisset *Percutientes*, vt expressit in sequenti Canone 11. & alibi. Quare cum loquatur solum de Vulnerantibus, euidēs est noluisse excommunicationem extendere ad omnes percutientes, dixi de vulnerantibus.

Deprædantes, Alia actio prohibita est: Deprædari peregrinos, quæ indiget declaratione. Deprædari proprie est rem alterius bello legitime non indicto hostiliter auferre, nam hoc verbum deducitur à Prædone. Prædo vero dicitur ille qui tanquam hostis sine vllo iusti belli titulo grassatur, prædamque violenter agit, qui latro quoque appellatur, l. Hostes ff. de capti. postlimi. reuers. *Hostes sunt, quibus bellum publicè Populus Romanus decreuit, vel ipsi populo Romano. Cæteri vero latrunculi vel Prædones appellātur.* Idem repe-

titur l. Hostes ff. de verbor. signif. & l. succurritur ff. ex qui. cau. Maio. Quare hi Prædones ab Hostibus separantur l. 1. §. Is vero ff. de actio. & oblig. Vers. *Aut Prædonum Hostiumue incursu amiserit* l. In ratione ff. ad leg. falcid. in princ. *Vis Hostium, Prædonum, Latronum, debitorum facta priora nomina &c.* & l. 1. circa med. Vers. Si quis tamen ff. de Postulan. *Siquis tamen vi Prædonum, vel Hostium stupratus est &c.* Hinc per translationem quilibet iniustus & malæ fidei possessor, qui rē alterius inuasit, prædo vocatur l. Si vrbana prædia ff. de condict. Indeb. l. Si pignore §. Si Prædo ff. de Pignorat. Actio. & alibi sæpe. In hoc Canone accipitur hoc verbum deprædari in propria significatione, vt idem sonet, quòd rem iniuste & violenter auferre. Quamobrem excommunicantur omnes, qui tanquā Prædones & Latrones rem cuiuscunque generis violenter & insidiose à Romipetis & Peregrinis rapiunt. Ex his colligo Summum Pontificem noluisse hoc verbo *Deprædantes* illud idem significare, quod Superiori Canone nono denotauit verbo *spoliant*, nam hac voce *spoliant*, vt dicebam in cap. 4 Superioris Disputationis, comprehendere voluit non tantum illos, qui per vim rapiunt rem, sicut in hoc Canone, verbo *Deprædantes*, sed etiam eos, qui clam & latente sine vlla vi furantur. Quamobrem non incidunt in hanc excommunicationem, qui Romipetas & Peregrinos spoliant rebus suis, & tanquam fures occultè auferunt. Sed latrones, qui vias obsidentes aperte adoriuntur Romipetas, & per vim eorum res bonaq; rapiunt, hanc ob causam, qui spoliaret peregrinum in via exanimem iacentem suis vestibus & sarcenis, quem antea inimici interfecissent, non innodaretur excommunicatione, quia nullam violentiam infert, & non deprædatur, quod hic prohibetur. Et ex his constare arbitror, qui vocentur deprædantes.

Itaque in hoc Canone sunt excommunicati omnes cuiuscunque Ordinis, status, & dignitatis, qui interficiunt, mutilant, vulnerant, detinent, capiunt, & deprædantur Romipetas, nisi ex aliqua iusta causa vel titulo excusentur, nempe si hæc commiserint auctoritate Iudicis & Superioris, vel ad eorum necessariam defensionem vim vi repellendo cum moderamine non inculpatæ tutulæ, vel alijs modis, de quibus in cap. tertio & quarto præcedentis Disputationis pertractaui. Ideo si quis peregrinus, vel Romipeta, dum iter agit, vel Romæ moratur delinquat, vel alium percutiat, vel alio modo offendat, poterit à Iudice in vinculum conijci & puniri. Neque tamen in his casibus est locus huic Canoni; & ratio est, quia tunc non detinetur, punitur, vel interficitur vt peregrinus vel Romipeta, sed vt delinquens & offendens alios.

Quęret quis, an afficiēs iniuria peregrinū, quē talē esse ignorat, vel si ex habitu & alijs signis vt peregrinum reputat, non credit tamen illum ad Vrbem peregrinari, maneat innodatus excommunicatione.

Respondeo non obstringi excommunicatione huius Canonis, exercentem aliquam ex actionibus prohibitis in eum, quem iusta & probabili ignorantia laborans non existimabat esse peregrinum ad Vrbem, quia ignorantia probabilis rei, cui annexa est excommunicatio excusat, vt probaui in capitulo 4. præcedentis Disputationis soluendo similem difficultatem de offendente venientem ad Sedem Apostolicam. Qua ratione vero probari debeat ignorantia probabilis, & cui incumbat onus probandi, & vtrum lædens illum, quem credebat esse peregrinum ad Vrbem, qui tamen re vera non erat, sit excommunicatus, hæc omnia in eodem capitulo quarto, late declaraui, inde petenda sunt, ne sæpius eadem repetere cogamur, & aptanda propositis dubitationibus suo ordine.

Neque opus est ad incurrendam hanc censuram, vt peregrinus ad Vrbem occidatur, vulneretur &c in odium Christianæ Religionis, vel Papæ, vel ipsius Sanctæ peregrinationis, sed quacunque de causa offendatur peregrinus, si vt peregrinus agnoscitur & reputatur, incurritur hæc excommunicatio, quia Bulla indistincte & generaliter loquitur, & sic est intelligenda.

CAPVT II.

Explicantur verba Canonis, quæ sequuntur, Romipetas seu peregrinos. *Tractatur etiam De Generibus peregrinorum, & de eorum Priuilegiis.*

HIs verbis à Summo Pontifice exprimuntur personæ priuilegiatæ, atque auctoritate præsidioque Sedis Apostolicæ aduersus iniquorum insidias impiorumque iniurias munitæ atque protectæ, ex quarum offensione & perturbatione si contingat id fieri aliqua actione ex genere illarum sex, quæ prohibentur, de quibus præcedenti cap. dictum est, incurritur excommunicatio.

C Romipeta significat illum, qui Romam venit, vt ipsamet nominis ratio & ethimologia aperte indicat. Hęc eadem voce vsus est Calixtus Papa in cap. Si quis Romipetas 24. quæst. 3. Addidit *seu Peregrinos* vt declararet priuilegium huius Canonis non conuenire omnibus Romam accedentibus ex quacunque causa, puta ad negocium absoluendum, ad inuisendum amicum, ad inspiciendam pulchritudinem Ciuitatis, vel quid simile; sed peregrinis tantum. Quare iungit simul has duas voces, vt vnam alteram declaret. nam peregrinorum consulitur securitati, non tamen omnium peregrinorum, sed Romam venientium. Neque omnes Romam proficiscentes gaudent priuilegio, nisi sint peregrini.

D Caiet. in Summa Ver. excommunicatio capit. 13. prope finem inter Romipetas & peregrinos ad Vrbē assignat differentiam, quòd latius se habeat Romipeta, quia comprehendit Ciuem Romanum, alibi inhabitantem, si causa deuotionis, ad Vrbem accedat, & qui talem offenderet, censura innodaretur.

Peregrinus dicitur, qui extra patriam versatur, ita dictus à peragrando, Alijs nominibus vocatus extraneus, Hospes, Aduena, forensis in Auth. vt differ. Iud. cir. med. In authent. de non eligen. secundo Huben. §. 1. prope fi. l. Ciues. C. de Incol. lib. 10. *Vnde cum profectus est, peregrinari videtur, quod si redit, peregrinari iam desinit.* Et hoc nomen Peregrinus aut Peregrinari aliquādo accipitur in bonam partem, interdum malam. E Primo modo vt quando peregrinatio suscipitur ex iusta & honesta causa, & tales peregrini possunt testari, & hæredes institui, & gaudent priuilegijs peregrinorum Instit. de hæred. Instituen. §. fin. l. omnes Peregrini C. communia de succes. l. extraneum C. de hæred. Instituend. Secundo modo vbi peregrinatio accidit ex praua causa, vt ex causa exilij, & tales excludūtur à successione, & priuati sunt priuilegijs peregrinorū, l. sed & si in conditione §. solemus ff. de hær. Instituē. ibi *Ciuis Romanus scriptus hæres viuo testatore factus est peregrinus &c.* Glos. in Ver. Peregrinus, *Peregrinus* inquit,

inquit, *idest deportatus & sic non capax* & in l. 2. C. eod. tit. *Qui deportantur, si heredes scribantur tanquam peregrini capere non possunt.* Vbi Bald. num. 1. meminit huius distinctionis. Inde peregrinitas statum, & conditionem peregrinorum significat l. Sed si hac lege §. 1. Vers. Sed si per pœnam ff. De in ius vocan. Vbi deportatione ad peregrinitatem ciues redigi traditur.

Peregrini prioris generis in primis sub protectione Sedis Apostolicæ securi consistunt, vt Celestinus Tertius tradit in cap. vni. De Cleri. non Resid. Idem statutum habetur ab Alexandro III. in Conc. Lateranensi cap. 22. refertur cap. Innouamus De Treg. & Pa. Dein. de eorum causæ sunt priuilegiatæ, vt à solo Prælato, & Iudice Ecclesiastico cognosci possint, sicut causæ Viduarum, Orphanorum, Pupillorum, aliarumuè miserabilium personarum cap. Licet omnibus iuncta Glosa Ver. Plus tamen 87. dist. cap. Super quibusdam in ti. De Verb. signif. Specul. in tit. De Competen. Iudi. aditione §. 1. num. 27. Vers. Vigesimo octauo de Peregrinis. Tertiò contra Peregrinos durante peregrinatione nihil est innouandum, nec currunt tempora præscriptionis dicto cap. vni. De Cleri. Peregrin. cap. Consultationibus De Off. Deleg. Gaudent autem hoc priuilegio quamdiu sunt peregrini, sicut dicitur de Agricolis, dum vacant Agriculturæ, & de Militibus, quando versantur in Militia, vt notat Glos. in dicto cap. Innouamus Ver. Existentes De Treg & Pa. Quartò Peregrini gaudent priuilegiis Militum Authen. Omnes peregrini, & ibi Ang. C. Commun. de Successionibus. Paul. Castr. in l. Nutritoribus eod. tit. Idem Ang. in §. Quod autem In Authen. De non alien. Vbi tenet validum esse testamentum peregrini Romam proficiscentis celebratum in itinere coram duobus testibus, quia plures ei habere non licuit ob eam rationem, quia Miles in expeditione degens coram duobus testibus de rebus suis validè testamento disponere valet, Socy. cons. 85. cuius initium est; Circa articulus num. 4. lib. 4. Quintò Peregrini in itinere pro represaliis capi nequeunt, neque conueniri in locis, & Ciuitatibus, per quas transeunt, vt tradit Bart. in Tractatu De Repræsaliis in quæst. nona septima quæst. princ. quem sequitur Abb. in cap. fin. num. 47. De For. Compet. Idem Bart. in l. Consensisse §. Legatis in Glos. ff. De Iudi. Sextò Peregrini accedentes ad Sedem Apostolicam non possunt à suis Prælatis excommunicari. tenet Abb. ex sententia Host. in cap. vni. num. 8. De Cleri. peregrin. Septimo qui capiunt peregrinos, vel rebus, quas ferunt, spoliant, & nouis Zelonæorum & pedagiorum exactionibus molestare tentant, excommunicantur cap. Si quis Romipetas cum duobus seq. 24. q. 3.

Hæc sunt priuilegia Peregrinorum. Vtrum vero conueniant omnibus Peregrinis, vel illis solum, qui ex causa deuotionis & peregrinationis sunt absentes, vel etiam alijs, & quibus, an tantum peregrinantibus ad Sedem Apostolicam ex causa necessaria vel saltem probabili, vt pro appellatione prosequenda, pro subleuamine ab iniqua oppressione, & grauamine, vel alia simili, vel omnibus quacunque causa voluntaria: diuersæ sunt Doctorum opiniones, quas discutere non est huius loci. Examinat illas Abb. in d. cap. vnico, nu. 4. & seq. de Cleri. perigri. Vnum affirmari potest absque controuersia, his priuilegijs gaudere illos, qui causa deuotionis peregrinantur ad loca Sanctorũ, qui secundum communem vsum loquendi significantur hodie nomine peregrinorũ, & signa consueta peregrina-

A tionis, gestare solent, vt peram, Dolonastam, & similia, vt inquit Abb. in d. c. vni. nu. 4. de Cleri. Peregrin. Et de hoc genere peregrinorum loquitur Summus Pontifex in hoc Canone, non vniuersaliter, vt comprehendat omnes peregrinos, sed illos, qui causa peregrinationis Romam veniunt, vt declarabo in sequenti capite.

Sed contra ea, quæ dicta sunt de Peregrinis obijci potest primo si Peregrinatio ad loca Sancta, pia est & religiosa actio, qua ratione igitur Clericis & Religiosis interdictum est peregrinatione vouere, vel assumere sine licentia sui Prælati, c. Non oportet 1. de consecr. dist. 5. *Non oportet Ministros Altaris vel quoslibet Clericus præter iussionem Episcopi ad peregrinandum*
B *proficisci* in c. Magnæ de voto, ibi, *Sine cuius assensu votum peregrinationis emittere forsitan non debueras* Et Glos. in Ver. Forsitan, inquit dictionem forsitan in eo loco non habere vim dubitatiuam, idem habetur, in Auth. de Sanctiss. Episc. §. Interdicimus colla. 9. Immo non solum vetitum est hoc Clericis, sed etiam laicis, vt habetur in d. c. Non oportet. Secundo peregrinatio præbet occasionem vagandi & scandali, & propter hanc rationem, vt inquit Petr. Anchar. in cap. Scripturæ n. 9. de voto, & alij Doct. non est cõcessum Clericis, Monachis, & alijs, vt voueant, vel assumant peregrinationem sine licentia Prælati, nec Episcopo sine licentia Papæ, excepto fortasse voto peregrinationis vltramarinæ, vt ait idem Anchar. nu. 11.
C & Abb. in eod. c. Scripturæ nu. 9. Igitur peregrinatio non est persuadenda. Tertio in c. Sacerdos de pœnit. dist. 6. Peregrinatio appellatur ignominiosa, & Sacerdos, qui peccata pænitentis publicare præsumpserit, deponi iubetur, & vt omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. Quarto peregrinationes multa pericula secum ferunt, vt castitatis discrimina, præsertim mulieribus multa infortunia, & alia mala. Propterea non videtur tanquam res laudabilis consulenda. Tandem Gregorius Nissenus longa oratione huiusmodi morem peregrinandi vituperat. Et B. Hierony. in Epistola ad Paulinum de Institutione Monachi pluribus rationibus contendit, minime, decens esse neq; expediens peregrinari, & exem-
D plo S. Antonij & aliorum probat, qui quamuis vitam agerent in partibus à locis Sanctis non admodum distantibus, nunquam tamen illa inuisere. Quamobrem si peregrinatio affert secum incommoda & mala & prohibetur, qua ratione peregrini sub clypeo & protectione Sedis Apostolicæ recipiuntur & decorantur tot priuilegijs non solum quoad personas, verum etiam quantum ad res & bona, quæ supra recensui, sicut patet etiam ex hoc Canone Bullæ? Dissoluamus igitur obiectiones propositas, vt res tota clarior & illustrior reddatur.

Certissimum itaque atque indubitatum est, sem-
E perque fuit apud Catholicam Ecclesiam peregrinationes, ad loca Sanctorum actiones esse pias, & religiosas, Deoque gratas, atque fidelibus Christianis vtiles & fructuosas. Vnde iure & merito Conc. Trid. sess. 25. in princ. In decreto de Inuocatione, veneratione, ac Reliquijs Sanctorum eos, qui contrarium errorem temere affirmant, his verbis repellit *Itaut affirmantes Sanctorum Reliquijs venerationem atque honorem non deberi, vel eas, aliaq; Sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atq; eorũ opis impetrãda causa, Sanctorũ memorias frustra frequentari, omnino dãnandos esse, prout iãpridem eos damnauit, & nunc etiã damnat Ecclesia.* Idq; optima ratione confirmari potest, quoniã huiusmodi

peregrinationes primò & maximè in Dei, & Sanctorum honorem, & gloriam cedunt, cum propter hunc finem ad colendas reliquias, & venerandas memorias, & loca sacra Sanctorum omnibus periculis, & incommodis, neglectis omnibus expensis ac sumptibus post habitis, omnibus agnatis cum familia, bonis, totaque domo relictis à fidelibus sponte & alacriter assumantur. Deinde homini maximè ad sanctificationis, & pœnitentiæ functionem inseruiunt: sunt enim laboriosæ, & pœnales, corporisque afflictiuæ exercitationes. Denique summam in homine deuotionem ac pietatem adaugent, vt enim dignè fideles illas perficiant, Sacramentis se purgant, patientia se muniunt, animi demum ac corporis compositione se præparant.

Quòd verò sacris Canonibus vetitum fuerit Clericis, & Monachis peregrinari ad loca sacra sine licentia Episcopi, id Sanctissimè statutum esse declarant omnes Doctores. Hinc tamen nullo modo infertur peregrinationem ex sui genere bonam non esse; sed tantum sequitur non omnibus conuenire, sicut Nuptiæ bona sunt, sed Clericis, & Viris religiosis non conueniunt. Non decet autem Clericos assumere peregrinationem non habita facultate ab Episcopo, vt sancitum est in cap. Non oportet De Consecr. dist. 5. Abb. in cap. vni. num. 9. De Cleric. Peregrin. Quia sunt addicti ministerio Altaris, celebrationi diuinorum officiorum, administrationi Sacramentorum, curæ animarum, & ne diuinus cultus diminueretur, Ecclesiæ debitis sacrorum Clericorum obsequiis fraudarentur, neque fideles populi in receptione Sacramentorum, & in aliis rebus spiritualibus ob penuriam Ecclesiasticorum Ministrorum detrimentum, & incommodum paterentur, necessarium fuit prohibere Clericis, ne quisque propria ductus cupiditate sinè auctoritate Episcopi ad peregrinandum iter aggredi valeret. Itaque peregrinatio in se bona est, sancta, & honesta, sed quandoque ex persona peregrinantis minus licita iudicari potest, vt dicit Innocentius Tertius in cap. Magnæ De Voto. Similiter Monachis, & Religiosis, qui intra septa Monasterij sub clausura in silentio, orationibus, & pœnitentia viuunt, peregrinatio non videtur accomodata, cum illis maius bonum sit, proprium institutum sincerè obseruare, quàm peregrinari; ideo non debent peregrinationi se exponere sine licentia Prælati; Et ob hanc rationem Gregorius Nissenus, si Epistola illa, vel libellus est Gregorij Nisseni, conatur his, qui vitam monasticam profitentur, atque fœminis præcipuè sanctimonialibus peregrinandi studium dissuadere. Vnde illorum Monachorum sententiam reprehendens, qui ad perfectionis gradum se ascendere minimè posse putabāt, nisi sancta loca visitarent, asserit peregrinationem à Domino præceptam non esse, nec homines ad illam teneri, & Religiosis multa pericula imminere, si iter faciant: multa enim illis ex instituto cauenda sunt, in quæ ex necessitate in itinere occurrunt, quod etiam fœminis accidit. Simili modo Hierony. in Epistola illa 13. Paulinum Monachum à peregrinatione dissuadet cum instituto monachali magis stabilitas, & quies sit conueniens & decens atque exemplo S. Antonij illum à proposito peregrinandi remouere conatur, quòd is, cum Monachum ageret, nūquam ad Sancta loca perrexerit; narrat tamen Hilarionem, cum in Palestina moraretur, semel tantū ad ea loca accessisse ne eorum locorum religionem contemnere videretur, in quorū vicinia erat. Hæc autē hodie, cum institutū Monachorum nòn tam rigidum & arctum sit, locum non haberent, nisi in illis, qui in arctiori solitudine & clausura viuunt. Alij vero Regulares, si hoc tēpore vel Hierosolymā vel ad Vrbem deuotionis causa peregrinationē assumerent, concedente Prælato, nō essent damnandi. Semper autem necessaria est licentia Prælati in omni Peregrinatione etiam laicorum. Nemo enim sine canonicis literis Episcopi proficisci debet, vt habetur in d. c. Non oportet de Consecr. dist. 5. tum quia Episcopus iudicare potest, an alicui peregrinari expediat & eius iudicio acquiescere omnino debet arg. capite Quid ergo 11. q. 3. tum etiam, vt potestatem habeat recipiendi Sacramenta, præsertim pœnitentiæ in itinere, à quocunque Sacerdote approbato. Atq; vt cōsequi valeat Indulgentias concessas ab alijs Episcopis, quæ non prosunt extraneis, nisi proprius Episcopus hoc indulserit, vt habeatur in cap. Quod autem de Pœnit. & Remiss. & ibi Abb. num. 7. Secus est de Indulgentijs à Papa concessis, vt Abb. tradit: nam quilibet est subditus Papæ cap. Cuncta per Mundum 9. quæst. 3. Quod vero obijciebatur peregrinationem in cap. Sacerdos de Pœnit. distinct. 6. vocari ignominiosam id omnino negamus; longe enim aliud est & diuersum affirmare Sacerdotem ob crimen reuelatæ confessionis puniendum fore, vt omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinetur, quod in d. cap. Sacerdos asseritur, aliud est dicere Peregrinationem ignominiosam esse, qui ex causa tam enormis sceleris damnatur, vt peregrinando vagetur, tanquam infamis, & ignominiosus ab omnibus notatur, ipsa tamen peregrinatio bona est, quamuis hęc pœna peregrinationis olim infligeretur ob tale delictum, sed hodie commutata est in capitulo Omnis de Pœnit. & & Remiss. vt innuit ibi Glos. vltim. & probat Nauar. in dicto capitulo Sacerdos numero 171. de Pœnit. distinct. 6.

Ex his satis probatum remanet peregrinationem pium opus & religiosum esse; & idcirco peregrinos rectè & conuenienter gratijs plurimis atque priuilegijs ornandos fuisse, Meritoque vt securi iter peregrinationis peragerent, qui iniuria illos afficere tentarent, gladio excommunicationis ab Ecclesia in hoc Canone iugulantur. Vt ex ijs, quæ in sequenti Capite adijciam, euidentius innotescet.

CAPVT III.

De Peregrinatione ad Vrbem, verba Canonis sunt Ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis &c.

EXcommunicantur omnes, qui aliqua illarum sex actionum prohibitarum lædunt Peregrinos non quoscunque sed proficiscentes ad Vrbem, neque omnes venientes ad Vrbem simpliciter, sed causa deuotionis seu peregrinationis. Singula distinctè sunt explicando.

Ad Vrbem Vrbem, ab vsus appellatum, idest à curuatura Aratri, quòd in Ciuitate condenda olim adhiberi solebat. Pomponius Iuris consultus tradidit in l. Pupillus 239. Vers. Vrbs ff. de verb. signific. Quod & seruius lib. 1. Aeneid. & Isid. lib. 15. scribunt. Itaque Vrbis nomine intelligimus Ciuitatem, idest collectionem ædificiorum factam à pluribus hominibus simul habitare volentibus, vt inquit Philip. Franc. ex sententia Io. And. in c. Si Ciuitas nu. 4 de sent. exc. lib. 6. Duo igitur comprehēduntur nomine Vrbis, scilicet & locus

meri-

moenibus & muris septus, in quo extructa sunt plura domicilia, & homines incolæ. Et aliquando accipitur pro hominibus, vt cum quærunt Doctores, An Priuilegium concessum Ciuitati extendatur ad Villas, & Castra, vt per Glosam & Doct. in l. finita §. de Vectigalibus ff. de dam. infect. & in l. fin. C. de Sacros. Eccl. Similiter an præscripta iurisdictione, seu quæsita quasi possessione iurisdictionis in Ciuitate, intelligatur quæsita in eius Castris, vel Villis, vt per Innoc. & Doct. in capit. Dilectus de Capel. Monach. Aliquando sumitur nomen Vrbis pro ipso loco, vt in dicto cap. Si Ciuitas, vbi interdicta Ciuitate, suburbia & continentia ædificia intelliguntur interdicta. In hoc sensu accipitur nomen Vrbis pro loco, non pro hominibus habitantibus.

Cum autem simpliciter Vrbem legimus, Romam intelligimus, *quę olim inter alias tantum caput extulit Vrbes, quantum lenta solent inter Viburna cupressi*. Io Instit. de Iu. Natu. Gen. & Ciuil. §. sed ius quidem ciuile, l. vt Alphenus 87. ff. de verb. signif. *Vrbs est Romana, quæ muro cingitur*. Similiter l. 1. ff. ad leg. Iul. de Ambitu, l. Relegatorum prope fi. Vers. Constitutum est, ff. de interdic. & releg. l. 1 ff. de off. Præfect. Vrbis. Ita etiam si sermo habetur de Iure Ciuili simpliciter Ius Romanorum intelligitur. *Sed quoties nos addimus nomen, cuius sit Ciuitatis, nostrum ius significamus.*

Vniuersaliter ergo verum est, si de Vrbe simpliciter sermo habeatur, intelligi Romam. Quòd si aliqua particularis conditio addatur, Constantinopolim accipere debemus, vt si dicatur Vrbs Regia, l. vlt. in princ. C. de Assesso. l. Rem non nouam ante med. C. de Iudi. l. Iubemus in princ. C. de Sacr. San. Eccl. l. si furiosi prope med. C. de Nupt. & alibi sæpe, eadē Constantinopolis sub nomine Romæ nouæ significatur, quam veteris & antiquæ Romæ prærogatiua lætari Imperatores voluerunt l. omni innouatione. C. de sac. Sanc. Eccl. l. Generaliter 40. in fi. C. de Epi. & Cleri. l. Intra Vrbem C. de oper. publ. l. vlt. C. in quibus causis pign. Similiter intelligitur per Vrbem Sacram Hierusalem l. Cum dicas C. de nautico fęn. Vbi ponitur casus de eo, qui pecuniam dedit, vt sibi in Sacra Vrbe restitueretur; etiam Glos. ibi per Sacram Vrbem intelligit Hierusalem, Franc. in c. Felicis §. fi. n. 3. de pęn.

In hoc Canone Summum Pontificem Vrbis nomine intellexisse Romam, nemo est, qui ambigere possit, quam Petrus Apostolus Christi Vicarius præsentia sua illustrauit, & tandem ipse & Paulus Apostolorum Principes, totque innumerabiles Sancti sanguine & martyrio consecrarunt, in qua Romanus Pontifex residere solet. Quare nomine Vrbis hoc in loco nō significatur illud idem, quod in octauo & nono Canone nomine Sedis Apostolicæ & Curiæ Romanæ, alioqui fere superflua fuisset excommunicatio huius Canonis; Ideo hic per Vrbem seu Romam intelligitur ipsa Ciuitas Romana, idest locus ipse continens Basilicas, Domicilia, & reliqua ædificia, quamuis ab ea abesset Papa, neque etiam remansisset Curia, & qui offenderet peregrinos Romam euntes absente Romano Pontifice & tota Curia, adhuc esset transgressor huius Canonis & excommunicatus. Quod notauit etiam Caiet. in Sum. Ver. excommunicatio cap. 13. in fin. Respicit ergo hic Canon præcipue Romam ob eius sanctitatem.

Postulabit quis, an cum apud Sacros Canones, vel Scriptores Ecclesiasticos legimus limina Apostolorum, intelligere debeamus Romam, vbi gloriosissima Sanctorum Apostolorum Petri & corpora requiescunt, vel potius ipsum Papam, aut Romanam Curiam?

A Respondeo limina Apostolorum accipi in diuersis locis ad vtrumque significandum, interdum pro Roma, nonnunquam pro Papa & Curia Romana. Quando agitur de peregrinatione ad limina Apostolorum denotatur Roma, testimonia Sanctorum, qui hoc modo loquuntur, referam inferius. Vbi vero tractatur de re alia, significatur Papa vel Curia, quod ex materia subiecta diudicandum erit. Ad hunc modum accipiuntur limina Apostolorum, nempe pro Papa, non pro Ciuitate Romana, in cap. Ego N. de Iur. iur. Vbi ponitur forma Iuramenti, quod Episcopus emittit, cum ad dignitatem Episcopalem assumitur, & inter

B alia de visitandis singulis annis liminibus Apostolorum. Et ita interpretantur illum locum omnes Doctores, Innoc. Io. And. Abb. numero 6. Felin. num. 13. & ducuntur omnes ex verbis Tex. *Nisi eorum absoluat licentia*, idest Episcopus promittit se visitatur ū limina Apostolorum, nisi ab obligatione veniendi absoluatur per Papam, qui illis liminibus præest, & qui vices Apostolorum gerit, & eorum auctoritate fungitur. Nec possunt hæc verba intelligi de Apostolis mortuis, quia Episcopus non absoluitur ab illis, inde inferunt Doctores ibi intelligi debere limina Apostolorum esse vbi est Papa, sicut etiam Roma censetur, vbi Papa degit. Sed quo pacto hoc sit intelligendum, declaraui in cap. 1. Disp. 10.

C Secundo quæret aliquis, an per Vrbem hoc in loco comprehendatur tantum præcise locus intra moenia Vrbis positus, an vero includantur ædificia extra muros in districtu Romanæ Ciuitatis sita & Vrbi cōtigua atque adiacentia, itaut qui offenderet peregrinum venientem deuotionis causa ad locum extra Vrbem, sed Vrbi contiguum, puta ad visitandam Ecclesiam S. Sebastiani, vel Sancti Pauli. aut aliam extra mœnia Vrbis, esset excommunicatus.

Ad hanc difficultatem respondendum mihi videtur appellatione Vrbis in hoc Canone significari non solum loca, quæ ambitu murorum clauduntur, verum etiam illa, quæ extra mœnia sunt. Sed in Territorio Romano continentur, voco Territorium non

D late vt ponitur pro Comitatu, districtu, aut Diœcesi, sed proprie vt dicit Vniuersitatem Agrorum intra fines cuiuscunque Ciuitatis, ab eo dictum, quòd Magistratus ibi ius terrendi habeat. Ita definiuit Territorium Pomponius Iurisconsultus in l. Pupillus 239. in fi. Vers. Territorium est ff. de verb. signific. Ita etiam vocatur Territorium Oppidorum in l. Prætor ait prope med. Vers. non perpetuæ ff. de sepul. viol. l. Cætera igitur 43. §. sed & si quis ad opus ff. de lega. 1. Ergo iuxta hanc interpretationem, qui iniuria afficeret peregrinum proficiscentem ad Ecclesias sitas extra muros in Territorio Vrbis, vt veneraretur Reliquias

E Sanctorum, & lucraretur Indulgentias, quamuis Romam non ingrederetur, censuram huius Canonis incurreret. Probatur hoc dictum primo ex tex. in l. 1. Vers. Cum Vrbem nostram. ff. de Off. Præfect. Vrbis. Vbi delictum commissum intra centesimum miliarium ab Vrbe dicitur in Vrbe commissum, & eius cognitio pertinet ad Præfectum Vrbis. Clarius hoc idem persuadere possunt verba Iurisconsulti in l. Vt Alphenus 87. ff. de verb. sign. cum ait *Vrbs est Romana, quæ muro cingitur, Roma est etiam quamū continētia ædificia*. Explicat Glosa etiam vltra muros, essent, *Nam Romam non muro tenus existimari ex consuetudine quotidiana posse intelligi, cum diceremus Romam nos ire*

etiam si extra Vrbem habitaremus. Ex his verbis videtur omnis difficultas auferri, ex quibus colligitur etiam ratio ad id comprobandum ex communi vsu loquendi; Si quis enim discederet Bononia, vt domum rediret, quam extra mœnia Vrbis haberet, Romam venire diceretur; Verba autem interpretanda sunt secundum communem vsum loquendi. l. Liberorum. §. Quod tamen Cassius. ff. Delega. 3. plenè per Iurisconsultos in Rubr. ff. de noui. oper. nunciat. cap. Quamuis, & ibi Abb. & alij de verb. signif. Tandem etsi etiam nomine Vrbis, & Ciuitatis ex propria significatione illarum vocum comprehenderentur tantùm loca, quæ intra mœnia continentur, hoc tamen locum haberet solùm in delictis, & pœnis, quia in delictis verba statuti accipienda sunt secundùm arctiorem significationem, cap. Statutum de elect. lib. 6. In materia tamen fauorabili, qualis est materia huius Canonis, tractatur enim de amplificatione cultus diuini ex frequentatione Ecclesiarum, de augenda Religione, & pietate fidelium, dum se in bonis operibus exercere student, de priuilegio Peregrinorum, vt securi absque periculo Romam venire possint; nomine Vrbis intelligitur Roma cum suo Territorio, & ita sentit etiam Abb. in cap. Rodulphus num. 4. in fi. Felin. nu. 11. de rescript.

Causa deuotionis, seu peregrinationis. Hæc clausula apponitur, vt innotescat clarius, de quibus peregrinis sit sermo; illa enim vox Peregrinus significat extraneum, aduenam, forensem, vt dicebam in cap. 2. iuxta illud Psal 68. *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis Matris meæ*, Excommunicantur omnes, qui lædunt Peregrinos Romam proficiscentes, vt declaret Summus Pontifex hoc priuilegium nõ esse concessum omnibus, extraneis, & Aduenis Romam venientibus ex quacunque causa, sed tantùm illis, quibus ex communi vsu loquendi accommodatum est hoc nomen, quisq. hoc tempore Peregrinorum vocabulo intelliguntur, addidit particulam illam *Causa deuotionis, seu peregrinationis*, nam etsi dicendo peregrinos simpliciter, huiusmodi peregrini etiam sine aliqua limitatione significentur, qui causa deuotionis, pergunt, vt Caietanus inquit in dicto cap. 13. in quo sensu accipiuntur in extrauag. 1. de pœnit. & remiss. Attamen cum agatur de grauissima pœna excommunicationis, omnem dubitandi rationem tollere conueniens fuit.

Causa deuotionis hoc in loco non differt à causa peregrinationis, sed sumitur pro eadem causa, vt animaduertit etiam Caietanus, quod indicat dictio illa; *seu*, quæ non est disiunctiua, sed potius præcedentis declaratiua, quia ponitur inter duo omnino similia, vt notat Glos. vlt. in fi. in cap. Bonæ, de postulat. prælat. & ibi Abb. num. 17. Sic peregrinatio exprimit, & declarat deuotionem. Nam deuotio peregrini est actus interior, quæ non patet, nisi per quædam signa externa vestium, & similia, vt in simili notat Glos. vlt. in c. Dolentes in fi. de celebr. Miss. declarans verba illa textus, *Quoniam eis Deus dederit, studiosè celebrent, pariter, & deuotè*. Quare si video hominem externum indutum indumento, & habitu more Peregrinum frequentantem Vrbis Ecclesias, illico mente concipio illum Romam aduenisse deuotionis causa, & esse Peregrinum.

Deuotio est actus interior Religionis: duo enim sunt actus interiores Religionis, Deuotio, & Oratio, & nihil aliud est Deuotio nisi promptus voluntatis affectus ad aliquid efficiendum propter obsequium honorem, & cultum Dei, de quo actu tractat S. Tho. 2. 2. q. 82. Peregrinatio est ipsum opus externum itineris cum labore, & impensis susceptum ex deuotione veniendi ad Vrbem, cuius finis est Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Basilicas visitare, eorumque corpora veneranda, sanctitatemque spirantia humiliter adorare, cæterasque Ecclesias frequentare, plurimasque aliorum martyrum, & Sanctorum insignes Reliquias, quæ Romæ Religiosissimè conseruantur, pijssimè venerari, & preces ad Deum fundere.

Ex his sequitur, vt illi dicantur suscipere ex deuotione lõginquas, & laboriosas peregrinationes qui ad peregrinandum ducuntur ex his, quæ statim subijcio. Primò ex Amore, & Charitate quadam eximia erga Deum, & Sanctos, vt quemadmodum ipsos Sanctos, & Deum, sic ea, quæ ipsius sunt, quæque ad eos spectant libenter videre, atque Summo honore, & veneratione prosequi cupiamus. Secundò propter honorem Dei, & Sanctorum, sicut enim Deus crebrioribus miraculis continuisque beneficijs Sanctos suos certis in locis honorat, sic gratissimum est illi, vt homines honoribus, laudibus, obsequiis huiusmodi loca prosequantur. Qui enim ad templa Martyrum accedit, eorum gesta gloriosissima recolit, carceres, verbera, passiones, ac mortem pro Christo perpessam contemplatur, eorum fortitudinem atque constantiam, admiratur. Tertiò ad excitandam nostram fidem erga Deũ, & ad ostendendum communem nos fidem cum Sanctis habere. Quartò vt ex peregrinationibus preces atque orationes fundendo Sanctis, qui eorum locorum, quæ visitantur, Patroni sunt, commodum, vtilitatemque spiritualem reportemus. Quintò ad satisfaciendum pro peccatis commissis: cum enim peregrinationes laboriosæ atque pœnales sint, in pœnitentiam, & satisfactionem peccatorum rectè assumi possunt. Sextò ad Indulgentias consequendas, in insignioribus enim Sanctorum Ecclesijs Indulgentiæ multæ, & peccatorum remissiones concessę sunt. Septimò ad vota Deo facta persoluenda. Hæc solent esse causæ deuotæ, ac sanctæ peregrinationis. Iure igitur optimo huiusmodi Peregrini tam Pontificijs, quàm Imperialibus constitutionibus, priuilegijs plurimis, & immunitatibus ornati sunt, & meritò Ecclesia eos, qui illos iniustè lædere præsumunt, atque à suscepto itinere iniquè retrahere audent, gladio excommunicationis conficiendos esse statuit.

CAPVT. IV.

Dissoluuntur nonnullæ dubitationes ad clariorem cognitionem de eisdem Peregrinis.

HOc in loco, antequam vlterius progrediamur, proponendæ sunt nonnullæ dubitationes, & dissoluendæ. Prima est vtrùm sub genere Peregrinorum gratia deuotionis, seu peregrinationis Romam proficiscentium comprehendantur Infideles, vt Turcæ, Iudæi, idest an interficientes, mutilantes &c. Turcam vel Iudæum deuotionis causa Romam accedentem, sint excommunicati.

Respondeo; Iudæum, Paganum, vel alium Infidelem Romam proficiscentem deuotionis, & Religionis Christianæ causa, nempe vt instruatur in Fide Catholica, vt recipiat Sacrum Baptismum, comprehendi in hoc Canone; & qui illum vulneraret, aut deprædaretur &c. Si sciret, aut probabiliter teneretur scire talem peregrinari Romam ea intentione, transgressor esset huius Canonis, & excommunicatus. Probatur primò, quia verba Canonis illi conueniunt; ergo

& ipsa

& ipsa dispositio arg. l. Nos accusare. §. omnibus. ff. de accus. l. Si verò 65. §. De Viro. ff. solut. matri. l. Si seruũ 70. §. Prætor ait Vers. Non dixit prætor. ff. de acq. hær. Quòd si obijcias de Iudæis & Paganis non verificari, vt appellari possint peregrini causa deuotionis, cum careãt fide & sint expertes religionis extra Ecclesiam Catholicam, ergo non comprehenduntur sub genere Peregrinorum. Respondeo, quod licet Infidelis, idest Paganus aut Iudæus nondum baptizatus non sit mẽbrum Ecclesiæ & Christi simpliciter & perfecte, si tamen sit in gratia Dei per contritionem & Baptismũ flaminis cum voto recipiendi Baptismũ fluminis, poterit dici aliquo modo membrum Christi & Ecclesiæ merito, non numero. Numero enim dicitur quis Christo incorporatus, cum per Baptismum actu efficitur de Ecclesia. Merito vero etiam ante Baptismum actu susceptum, sed non ante Baptismi propositum, ita exponit D. Tho. in 4. dist. 4. & Turrecrem. cap. Ad hoc q. 1. de consecr. dist. 4. Incorporatio enim cum Christo est effectus Baptismi. Et idcirco si in gratia & charitate existat, poterit habere actum deuotionis, & illius causa peregrinari ad Vrbem. Secundo idem probatur, quoniam Infidelis, idest non baptizatus poterit visitare Ecclesias, in illis orare, assistere diuinis officijs, etiam Missæ saltem vsq; ad certam quandam eius partem cap. Episcopus de consecr. d. 1. Et quamuis particeps fieri nequeat suffragiorum Ecclesiæ, quæ pro congregatione fidelium tantum fiunt, qui actu sunt aggregati Ecclesiæ per baptismum, vt inquit B. Tho. 3. par. q. 63. ar. 3. & in 4. dist. 18. q. 2. ar. 3. q. 3. tamen est membrum Christi viuum, & pertinet ad communionem Sanctorum. Vnde à communicatione iustorum priuata aut communi excludendus nõ est, & aliquo modo publicarum orationum & suffragiorum Ecclesiæ particeps sit; Ergo nihil obstat, quin ei conuenire ratio peregrini possit, & vere appellari peregrinus. Tandem hoc idem confirmatur, quia possunt Infideles peregrinari ad Vrbem, vt ibi recipiant Baptismum; quo casu maxime digni sunt, vt gratijs & priuilegijs Peregrinorum fruantur fauore fidei & Religionis Christianæ, & de his Infidelibus loquimur, qui Romam deuotionis & pietatis Christianæ causa proficiscuntur.

Secundo dubitatur de Hæreticis & Schismaticis, si deuotionis causa Romam pergant, an gaudeant ijsdem priuilegijs, vt qui eos offendant, in excommunicationem incidant.

Respondeo Hæreticos & Schismaticos contineri etiam sub nomine peregrinorum, si spiritu Dei ducti vere pœnitentes suscipiant iter ad Vrbem, vt errores, quos pertinaciter contra fidem tenuerunt, syncere detestentur & abiurent, & preteritorum scelerum absolutionem recipiant, atque mandatis Ecclesiæ & Summi Pontificis parere iureiurando promittant. Ratio est, quia isti reuera sunt peregrini ad Vrbem causa deuotionis, de quibus loquitur Canon; ergo si offendantur, locus erit excommunicationi. Semper enim Ecclesia consueuit omnibus vere pœnitentibus bracchia adaperire, & eos vnice complecti. Nec enim Mater Ecclesia in perditione morientium filiorum, vel periclitantium iactura delectatur, sed omnes ad veniam, pœnitentiam, & emendationem inuitat.

Tertia dubitatio est de Excommunicati, an debeãt vocari Peregrini causa deuotionis, vt ex eorum offensione incurratur Excommunicatio.

Respondeo Excommunicatos comprehendi nomine Peregrinorum ad Vrbem accedentium causa de-
A uotionis, si sunt parati Ecclesiæ parere, & petere absolutionem ab excommunicatione. Quare qui iniuria afficeret talem excommunicatum peregrinum, non esset excusatus ab excommunicatione. Probatur Excommunicatus potest ingredi Ecclesiam, in ea orare, vt probaui in cap. 5. Disp. 10. lib. 1. Sed isti actus pertinent ad religionem & Dei cultum; ergo Excommunicato conuenit ratio veri peregrini etiam antequam ab excommunicatione absolutus fuerit. Confirmatur secundò. Nam excommunicatus licèt non sit capax Indulgentiarum, quæ dantur per modum absolutionis, seu de iniunctis: nam Indulgentiæ huiusmodi sunt actus, & effectus Clauium, & aliquo modo saltem per extensionem ad forum pœnitentiæ per-
B tinent, vt declarat Dom. Sot. in 4. dist. 21. q. 1. art. 1. Quare cum excommunicatus non sit capax Sacramẽti Pœnitentiæ, non erit capax Indulgentiarum; potest tamen præstare illa opera, pro quibus Indulgentia conceditur, atque etiam lucrari Indulgentias per modum suffragij & absolutionis, vt dixi in cap. 6. Disp. 5. lib. 1. Quare poterit & peregrinationem & alia opera gratia deuotionis efficere.

Quartò similiter dubitari potest de Irregularibus, Suspensis, & Interdictis, si Romam peregrinandi gratia proficiscantur.

Respondeo distinctè ad hæc tria impedimenta. Et primò dico Irregularem quemcunque siue occultum, siue publicum, posse consequi fructum Christianæ, &
C deuotæ peregrinationis, & ad id Irregularitatem nullum impedimentum afferre. Reddit enim Irregularitas hominem indignum, & inhabilem duntaxat ad quædam Ministeria Ecclesiastica exequenda, vel suscipienda, nempe Ordines & similia. Nec vnquam hominem ab ingressu Ecclesiæ arcet. Quocirca etiam non habita dispensatione Irregularitatis poterit quis Ecclesias visitare, confiteri & fructum peregrinationis acquirere. Secundò dico suspensionem ab officio & beneficio, & vniuersaliter quamcunque suspensionem non afferre vllum impedimentum, quò minùs suspensus possit ex deuotione peregrinari. uam liberè potest visitare Ecclesias, Sylu. Ver. Suspensus §. 5. Etiam si suspensus sit ab ingressu Ecclesiæ, dummodo non in-
D grediatur Ecclesiam tempore, quo diuina officia celebrantur, quia per huiusmodi suspensionem est priuatus tantùm potestate exercendi actum aliquem Ordinis in Ecclesia, & si exerceat efficitur Irregularis, & est priuatus potestate audiendi diuina, & si audiat, peccet, sed non contrahit Irregularitatem, vt ostendam in Tractatione De Suspensione Disp. 4. cap. 3. At alia pietatis, & deuotionis opere suspenso minimè denegantur. Tertiò idem affirmandum est de Interdicto etiam in specie ab ingressu Ecclesiæ. Talis enim Interdictus potest absque peccati, vel alicuius censuræ Ecclesiasticæ periculo priuatim in Ecclesia etiam interdicta orare extra tempus celebrationis diuinorum officiorum, & tunc solum violatur Interdictum, si fun-
E ctionem aliquam Ordinis exerceat, si sit Clericus. Quando verò est laicus si non abstineat ab auditione diuinorum officiorum cap. Is cui De Sent. Excom. lib. 6. Adde, quantum ad hæc omnia impedimenta Ecclesiastica, quod licèt impedirent; Ne notatus aliquo ex illis posset Ecclesiam ingredi & orare, non efficerent tamen, vt si peregrinationem ad Vrbem causa deuotionis assumeret, non esset dicendus peregrinus, & non haberet omnes conditiones requisitas in hoc Canone. Nam Summus Pontifex concedit hoc priuilegium omnibus Romam euntibus deuotionis seu pe-

regri-

regrinationis causa, nihil ait de visitatione Ecclesiarum. Quare qui offendit venientem Romam causa devotionis, quamuis ab ingressu Ecclesiæ propter aliquod impedimentum, exclusus esset, delinquit in hunc Canonem, & ideo est excommunicatus.

Quinta dubitatio esse potest de Christianis Catholicis tam Clericis, quàm Laicis, qui sine licentia Episcopi, & Prælati huic sanctæ peregrinationi se exponunt, an gaudeant priuilegio huius Canonis. Ratio dubitandi est, quoniam, vt dicebam in cap. 2. Clericis & Monachis atque etiam Laicis prohibitum est peregrinari non habita facultate à superiore; Et ex veteri sacrorum Canonum instituto, nemo ad loca sacra sine commendatitijs Episcopi literis peregrinabatur, vt ex Concilio Antiocheno Can. 7. & ex Laodyc. Can. 41. Qui habetur de consecr. dist. 5. cap. Non oportet; Ergo non obtenta licentia non erit laudabilis, & digna peregrinatio.

Respondeo certum esse omnes Christianos gaudere priuilegio huius Canonis tam Monachos, & Clericos, quàm Laicos, qui Romam proficiscuntur causa devotionis, etiam si sine licentia Episcopi, & Prælati peregrinationes susceperint. Et quidem si loquamur de Laicis, res videtur clara. Primò quia consensus Episcopi à Laicis postulatur ex honestate, & decentia, non ex necessitate. Deinde etiam si concederemus olim fuisse necessarium, tamen hoc tempore non viget hæc obligatio. Idque patet ex vsu, quoniam multi aggrediuntur huiusmodi peregrinationes non habita hac licentia. Tertiò idcirco sacri Canones postulant licentiam Episcopi ad peregrinandum, vt Laicus possit in via recipere sacramenta, præsertim pœnitentiæ, vt valeat Indulgentias consequi, vt dixi in cap. 2. Vtq. benignè ab omnibus, apud quos contigerit illum diuersari, tractetur. Et ita id fit ob commodum, & vtilitatem ipsius peregrini. Quòd si absque licentia quis peregrinatur, non ideo caret fructu peregrinationis. Et ideirco in dicto cap. Non oportet, ex Côc. Laodyc. dicitur de Clericis non oportere præter iussionem Episcopi ad peregrinandum proficisci. De Laicis verò alio modo, nempe non debere sine Canonicis literis discedere, idest sine literis commendatitijs, & testimonialibus, ex quarum forma, vt regulariter confici solent, manifestè apparet, finem cuius gratia illæ postulantur, fuisse, vt dicebam, obtinere facultatem, vt liceret peregrino vbique cuiuscunque confessario Sacerdoti approbato peccata sua confiteri, simulque præscribere formam viuendi in peregrinatione ab eodem seruandam. Quæ si omitterentur, non propterea peregrinatio non fructuosa esset. Hæc de Laicis. Secundò dico, si tractemus de Clericis, similiter Clericos sine licêtia proprii Episcopi peregrinantes perperam agere, & peccatum committere, sed priuilegio huius Canonis gaudere. Quòd peccent, probatur. Primò quia in re graui non parent præcepto Ecclesiæ, quæ iubet, vt non vagentur sine auctoritate proprii Episcopi cap. Non oportet dist. 5. De consecr. & est Conc. Laodyc. cap. Magnæ de voto circa med. *Cum enim iuxta Canonica instituta Clericus absque sui Episcopi licentia peregrinari non debeat*. Secundò quia deserunt Ecclesias suas, & ob eorum absentiam Ecclesiæ debitis obsequiis ministrorum defrandantur, ideo peccant, & possunt puniri, & priuari administratione Ecclesiarum, præsertim si absentia sit diutina, cap. Inter quatuor cum Glosa de Cleri. non resid. Vtrùm verò dentur casus, in quibus liceat Clerico peregrinari sine licentia sui Prælati; Respondet Abb. in cap. vni. nu. 9.

A De Cleri. Peregrin. ex sentêtia Host. quòd si ex deuotione tantùm discedere volunt, & à suis Ecclesiis abesse, tunc non possunt iter suscipere sine auctoritate Superioris si autem se exponunt itineri non causa peregrinationis, sed pro appellatione prosequenda, aut ad euitandam iniustã oppressionem, quo casu êt sine licentia Episcopi, licet eis ad Papam côfugere, inuito êt Episcopo, non tamen ad alium superiorem 2. q. 6. cap. Omnes oppressi, cum tribus seq. Ex honestate verò debent petere licentiam. Tandem si Clerici ducti ob aliquam peculiarem vtilitatem nulla vrgente necessitate, à suis locis egredi velint, tunc etiam tenet Abb. necessariam esse licentiam Prælati, vel Papæ.

Negari itaque nô potest Clericos criminis reos esse B si peregrinandi causa Romam veniant absque licentia Episcopi. Sed ob hanc causam non amittunt priuilegia Peregrinorum, & præsertim huius Canonis. Primò quia Papa requirit simpliciter ad hoc, vt quis gaudeat tanquam Peregrinus priuilegio securitatis, vt peregrinetur Romam causa deuotionis, non exigit, vt sit immunis, & liber ab omni peccato; sed Clerico non habenti facultatem ab Episcopo Romam proficiscenti causa deuotionis conueniunt verba Canonis; ergo & ipsa dispositio. l. Nos accusare. §. Omnibus. ff. De accusat. cum alijs supra citatis. Secundò in dicto cap. Magnæ de voto Papa commuttat votum Peregrinationis vltramarinæ amissum ab Episcopo in alia opera pia. Vnde argumentum sumitur tale votum vali- C dum fuisse, & Episcopum debuisse illud persoluere, si commutatũ non accessisset. Et tamen multò minus licet episcopo, quàm Clerico vouere peregrinationẽ, aut illam assumere sine auctoritate Papæ, vt expressè habetur in cod. cap. Magnæ. Quare defectus licentiæ superioris non reddit inualidam peregrinationẽ, nec est causa, vt Clericus Peregrinus sit priuatus priuilegiis peregrinorum. Tertiò Clericus sine licentia Episcopi Romam accedens anno sancto, vt consequatur Iubilæum, illius fructu non priuatur, vt tenet Io. de Ana. in suo Tract. de Iubileo, & alii Doct. Ergo idem dicendum est de aliis priuilegiis. Et eadem ratio militat in Monacho, licèt enim peccet, & grauius, quàm Clericus secularis, si sine auctoritate sui Prælati pere- D grinationem aggrediatur, non est excludẽdus tamen à priuilegiis peregrinorum. Magis autem peccat, quia Religiosus subditus est Prælato ratione voti obedientiæ per ipsum emissi, non solùm quoad actiones ipsas exteriores, sed etiam quoad voluntatem; Quare Prælatus habet quasi dominium voluntatis ipsius Religiosi, ita quidem vt Religioso non tantùm denegetur aliquid agere non accepta potestate à Prælato, verùm etiam velle agere prohibeatur. Ideo qui neglecta auctoritate Superioris, vel peregrinari, vel etiam vouere peregrinationem præsumit, summoperè delinquit contra votum obedientiæ, quod præstitit; non idcirco tamen, si peregrinetur, caret priuilegiis peregrinorum, quia verè est peregrinus.

E Sexta dubitatio sit; Vtrùm in hoc Canone sub genere Peregrinorum comprehendantur familiares, serui, & omnes, qui comitantur Dominum peregrinantem Romam deuotionis causa, & gaudeant eodem priuilegio Canonis, sicut ipse Dominus; & qui illos iniuria afficiunt, incidant in hanc excommunicationem latam contra offendentes peregrinos.

Respondeo vtique contineri huiusmodi familiares, & domesticos, tum quia ipsi quoque sunt peregrini ad Vrbem causa deuotionis, & hanc ob causam non excludendi, tum etiam quoniam licèt deesset illis in-

gentio

tentio peregrinandi ex causa deuotionis; sed finis ipsorum esse tantummodo famulari Domino, illumque comitari, adhuc eis hoc priuilegium conueniret quod si non ea ratione, quatenus peregrini, saltem vt familiares, & domestici ipsius peregrinantis, quia priuilegium concessum Domino extenditur ad familiares, aliàs priuilegium inutile esset, vt probaui in cap. 2. Disp. Superioris de familiaribus Domini venientis ad Sedem Apostolicam.

Septima dubitatio; Vtrùm vocari debeat peregrinus deuotionis causa, & gaudeat priuilegio Peregrinorum, qui Romam coactus est proficisci ad expediendum negocium, puta ad prosequendā appellationem, ad emendum aliquid, vel quid simile peragendum, & aliàs non veniret, sed postquam suscepturus est iter ad Vrbem, proponit etiam velle visitare Ecclesias, venerari Reliquias, & consequi Indulgentias.

Ad propositam difficultatem tribus propositionibus satisfaciendum esse censeo. Prima est, quando finis principalis venientis Romam est, vt perficiat hoc opus bonum peregrinandi ad Vrbem tantùm visitandi Ecclesias, venerandi corpora Sanctorum, cōsequendi Indulgentias, quamuis simul plures alij sint fines minùs principales, & secundarij, nēpe exponendi rem aliquam nomine Communitatis Summo Pontifici, exigendi pecuniaa; emendi merces, prosequendi litem in Iudicio, & alij multi; nihilominus verè dicendus est peregrinus, & gaudet priuilegijs peregrinorum, & qui illum offenderent, in excommunicationem inciderent. Probatur primo quoniam Summus Pontifex excommunicat generaliter sine vlla distinctione omnes, qui perturbant aliqua actione ex genere illarum sex, quæ prohibentur in Canone, Peregrinum deuotionis causa Romam accedentem, sed ille, de quo loquimur, supponitur talis, igitur locus est excommunicationi. Neque enim Constitutio requirit, vt deuotio, seu peregrinatio sit causa adæquata veniendi Romam, idest vt tantùm ad hunc finem quis accedat, & nullū alium habere debeat. Ad hunc enim modum vix reperiretur vnus, qui verè & propriè peregrinus ad Vrbem vocandum esset. Nam quicunque hanc peregrinationem suscipit quantumuis sanctus, & pius, licet primò, & principaliter ex deuotione ducatur, secundariò tamen alia sibi proponit, quæ excitant ipsum ad veniendum. Secundò in vnaquaque actione inspiciendum est id, quod principaliter agitur. Vnde actio speciem, & denominationem sumit: l. Qui iniuriæ in princ. ff. De furt. l. Quod Reipublicæ. 33. ff. De Iniur. l. 1. C. de sicar. cap. Cum voluntate De sent. excom. Ergo qui primò, & principaliter Romam tēdit ob finem peregrinationis, quamuis secundariò alia multa proponat sibi perficienda, peregrinus dicendus est ex principali fine, quem sibi constituit.

Sed hinc oritur difficultas, possit enim quis meritò quærere, si hæc excommunicatio complectitur generaliter omnes, qui offendunt Romam euntes principaliter ob finē deuotionis, seu peregrinationis, quamuis multos alios fines minus principales habeat, quibus adducitur ad eundem, quo pacto diudicandum sit, quando peregrinatio fuerit finis principalis itineris, vt veniens possit dici peregrinus, & gaudeat priuilegio.

Glos. prima. l. 1. ff. De negot. gest. l. 1. Vers. sexum dum fœminas. ff. De postul. Glos. in cap. Cupientes in princ. Vers. Periculosis de elect. lib. 6. Glos. in cap. Tantum Ver. Sociale 32. q. 7. cum alijs citatis per Nauar. in Comment. in cap. Inter verba, Concl. 5. Coroll. 14.

A num. 34. 11. q. 3. Affirmat causam principalem esse, qua cessante cessat effectus. Sed hæc descriptio causæ finalis, principalis non videtur admittenda, vt Nau. ibi probat. Nam licèt in foro exteriori non paruum sit argumentum ad præsumendum, an causa finalis sit principalis, an verò solùm sit secundaria, & impulsiua cessatio, vel duratio operis; tamen non est iudicium sufficiens, & concludens quoad rei veritatem, quia potest aliquis moueri ad agendum alias nō acturus propter finem, quem tamen non principaliter intendat, quod declarat S. Tho. 2. sent. dist. 38. q. 1. ar. 1. ad quintum testimonio Apostoli Pauli in priori Epist. ad Corinth. cap. 9. *Debet in spe, qui arat, arare*, Quod inquit intelligendum esse de illo, qui spiritualiter operatur B cum spe metendi aliquod temporale, sine quo non operaretur, & tamen finis principalis non est lucrum temporale ergo non oportet vt illud sine quo nō fieret aliquid sit finis propter quem illud fit omne enim illud quod ad actionem exigitur est tale sine quo actio non fieret sicut Instrumenta, nec tamen propter instrumenta fit actio. Quare finis principalis ita definiri potest, est id, cuius gratia fit opus, finis minus principalis est incitatio, seu impulsio ad faciendum aliquid propter aliud, quamuis sine illo fine non fieret. Exemplum sit de eo, qui Romam venit, vt rei, suæ expeditioni, quam summoperè cupit, omni cura studioque vacet, nec tamen venisset, nisi alius eum conduxisset conuento precio, vt suo nomine causam prosequeretur in Cu- C ria Romana. Quo casu alienum negocium est finis minus principalis proficiscendi Romam; & nihilominus est causa, sine qua non venisset; Eadem ratio est de Clerico, qui ad Ecclesiam accedit, vt intersit horis Canonicis in Choro; & satisfaciat muneri suo, sicut tenetur, atque etiam, vt lucretur destributiones non iturus si non speraret distributionem, & tamen illæ rationem habent finis minus principalis, cum principalis sit assistere choro iuxta obligationem, quam habet, & ad hunc modum dicimus in proposita difficultate de peregrino veniente ad Vrbem, si finis aduentus præcipuus est Deuotio, quam primò, & per se intendit, quamuis necessitas expediendi alia negocia, quæ in Curia tractaturus est, excitent illum, & moueant ad D veniendum, & alias non venisset, tamen verè est peregrinus, & gaudet priuilegio huius Canonis.

Secūda propositio sit, si quis adducitur, vt Romam proficiscatur ob plures fines æquè principales, & per se intentos, vt e. g. ob deuotionis met peregrinationem simul etiam, vt apud Sedem Apostolicam aliquid agat; vt filium videat; vt impetret beneficium; vt exigat pecunias, & propter alia similia, & singula æquè principaliter proponat, adhuc verè, & propriè habendus est peregrinus, cui peregrinorum priuilegio conueniunt, & qui talem, offenderet, esset excommunicatus: Primò quia vnus, & idem actus potest habere multos fines principales, & ratio vnius finis non tollit, quin ille actus pertineat ad alios fines, & ab illis su- E mat specificationē, & essentiam; potest enim quis vno & eodem die ieiunare principaliter, vt acquirat habitum temperantiæ, vt præcepto Ecclesiæ obediat, vt pro peccatis satisfaciat, atque vt placeat Deo. Et primò fine acquirit meritum abstinentiæ. Secundo obedientiæ. Tertio Pœnitentiæ. Quarto Charitatis, vt asseruit Nauar. in cap. Fratres num. 117. De Pœnit. dist. 5. Eodē modo potest quis Romam proficisci principaliter, & propter deuotionem, & ob alios fines; & ratione deuotionis verè dicetur peregrinus, neque id impedire poterit, quin alios fines sibi proponat. Probatur

batur

batur secundo, sit aliquis, qui ex voto teneatur Romam proficisci, & ad persoluendum votum exponat se itineri Anno Sancti Iubilei intendens simul lucrari Indulgentias Anni Sancti. Hic vno, & eodem actu duplicem finem assequitur, & satisfacit obligationi voti quo tenetur, & lucratur Indulgentias, vt tenet probabilior Doctorum opinio, vt inquit Cordubēsis in q. 18. De Indulg. propo. 3. & Gregorius de Valentia in lib. De Indulg. cap. 7. licèt Sylue. Ver. Indulgentia. §. 18. Vers. Tertium, dicat Indulgentiam acquiri non posse per actum aliàs debitum. Quare si vbi quis operatur per actum ex debito obligationis propter aliquem finem necessarium, potest simul eundem actum dirigere ad alium finem voluntarium, & necessitas primi finis non impedit consecutionem secundi, nec è contra, fortiori ratione poterit sibi proponere duos fines, si vterque sit voluntarius, & idem actus erit sufficiēs ad vtrumque finem assequendum, sicut in proposito dicimus de eo, qui Romam venit ob deuotionem, & alios fines; vnum enim, & idem opus itineris constituit illum peregrinum, & est medium, vt alia negocia sibi proposita expediat; & ideirco tanquam peregrinus gaudet priuilegio securitatis, & si offenditur, incurritur excommunicatio. Tertiò probatur, quoniam Summus Pontifex pronunciat excommunicationem in hoc Canone contra omnes offendentes peregrinos causa deuotionis ad Vrbem venientes &c. Sed in terminis, in quibus loquimur, aduentus ad Vrbem prouenit causa deuotionis; ergo dispositio locum habet. Si adderetur particula aliqua limitatiua, & restrictiua, vt tantùm, vel duntaxat, causa deuotionis, res haberet aliquam difficultatem tales enim dictiones appositæ orationi affirmatiuæ affirmāt id, quod possunt, & omnem aliud excludunt, & negant. l. Solutum. §. Si in sortem. ff. De pign. actio. cap. Statutum. §. In nullo Vers. *Et personis duntaxat designatis*, De rescript. lib. 6. Clem. 1. Vers. Nos igitur, & ibi notat Card. De Sum. Trin. & fid. Cathol. Sed Papa simpliciter loquitur sine vlla limitatione; ergo verba simpliciter accipienda sunt; Maximè quia continent priuilegium securitatis concessum Peregrinantibus ad Vrbem causa deuotionis. Priuilegia autem Principis ad fauorem eorum, quibus concessa sunt, latissimè sunt interpretanda, vt probat Bero. Cons. 169. nu. 7. lib. 2.

Tertia propositio est, quando finis principalis proficiscendi ad Vrbem est negocium aliquod temporale Romę tractandum, & ad hunc finem quis primò & per se itineri se exponit, quamuis secundariò velit etiam, dum in Vrbe moram trahit, Ecclesias visitare, aliaque pietatis ac deuotionis opera explere; tunc propriè nō potest vocari peregrinus causa deuotionis; & ideo censeo priuilegio huius Canonis non gaudere. Probatur primo, quia actio non sumit spēm, & denominationē à fine secundario, sed à primario, quia in qualibet actione attenditur id, quod principaliter agitur, cap. Cum volūtate De Sen. Excom. vt si Sacerdos celebret principaliter propter Deum, secundariò propter eleæmosynam, quam lucratur, actio ipsa celebrandi refertur in Deum, sit enim, vt seruitium debitum impendatur Diuinæ Maiestati, non refertur in eleæmosynam. Eodem modo, qui Romā venit principaliter ob aliquod negocium temporale; secundariò ob deuotionem; Aduentus referendus erit ad negocium temporale, non ad deuotionem; sicque non poterit Adueniens dici peregrinus causa deuotionis, neque gaudebit priuilegio Canonis. Secundò si Romam veniens modo enarrato posset vocari peregrinus causa deuotionis, quicunque ad Vrbem accederent, dicendi essent verè & propriè peregrini, & gauderent priuilegio huius Canonis, quia nemo est ex his, qui ob quemcunque finem Romam aduenerint, qui non visitet quantum ei licuerit Ecclesias, & opus aliquod deuotionis perficiat. Affirmare autem omnes ad Vrbem accedentes vocandos esse peregrinos, de quibus loquitur hic Canon, videtur omnino absurdum. Necesse est igitur, vt quis gaudeat hoc priuilegio, vt principaliter propter deuotionem ad Vrbem peregrinetur. Quando verò res esset dubia, tunc iuxta ea, quæ sæpius repetij, tutior pars esset eligenda, & ille, qui iniuria afficeret venientem ad Vrbem, teneretur saltem ad cautelam absolutionem ab excommunicatione petere.

CAPVT V.

Declarantur verba Canonis, quæ sequuntur, Accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes; & in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

HIs verbis Summus Pontifex explicat quandiù peregrini gaudeant hoc priuilegio securitatis, vt sub pœna excommunicationis offendi nequeant, & inquit excommunicationem huius Canonis incurri, si quis interficiat, mutilet &c. Peregrinum deuotionis causa, vt dictum est, dum Romam accedit, vel in ea moratur, vel ab ipsa recedit. Quæ clausula idem sonat, ac si dixisset, sint excommunicati omnes offendentes tales peregrinos toto tēpore, quo vocari possunt, & sunt peregrini. Peregrinus autem quis dicitur, vt probaui in Cap. 2. ille qui modo egreditur, vt proficiscatur ad locū sacrum deuotionis causa, & cum illuc peruenerit, ibi tamdiu persistat, vt deuotè illud visitet veneretur Reliquias, & alia pietatis, & Religionis opera exerceat, quo expleto gratias ingentes Deo agat, & tandem hilari, ac læto animo in pace ad suos reuertatur. Quarè interim gaudet hoc priuilegio. Quo pacto verò agnosci possit, quando quis dicatur accedens gratia peregrinationis, vel recedens ab Vrbe, declaraui in Cap. 2. Disput. 10. agens de accedentibus ad Sedem Apostolicam, & recedentibus ab ea, & tradidi regulas ad id diudicandum, quæ aptari etiam possunt, vt intelligamus, quando quis debeat vocari morans in Vrbe gratia peregrinationis.

Animaduertendum est hoc in loco hunc Canonem quoad ipsos morantes latius patere, quàm præcedentem. In superiori enim Canone non excommunicantur qui offendunt venientes ad Sedem Apostolicam, vel recedētes; nihil dicitur de morantibus apud eam; Hic verò eodem modo comprehendit morantes in Vrbe gratia deuotionis, & peregrinationis, sicut quando accedunt ad Vrbem, vel recedunt ab ea. Quamobrem qui interficiunt, mutilant, vulnerant, detinent, capiūt, aut deprædantur peregrinum, qui Romam gratia deuotionis profectus est, eo tempore, quo Romæ moram trahit ad hunc finem, vt perficiat visitationem Ecclesiarum, & alia deuotionis opera ita sunt excommunicati, sicut si illum offenderent in itinere eundo, vel redeundo.

Postulabit quis primò; An in excommunicationem incidat offendens eum, qui ab Vrbe recedit infirmus, ad quam tamen profectus erat deuotionis, & peregrinationis causa, sed inuasus graui morbo non valens, sicut optabat iter quod inchoauerat perficere, re infecta in patriam redire cogitur.

Re-

Respondeo incidere in excommunicationem, quia qui post iter arreptum hac intentione, vt deuotionis causa Vrbem visitet morbo, vel alia causa necessaria impeditus peregrinationem perficere nequit, gaudet priuilegio huius Canonis, sicut si omnia ad peregrinationem requisita expleuisset. Idque patet primo ex verbis Canonis. Nam accedentes ad Vrbem gaudent priuilegio, sed qui itinere, se exponit ad hunc finem verè dicitur accedens, & multò magis si iter compleuerit, quia iam accessit; ergo talis comprehenditur sub hac dispositione, quia verba Canonis ei conueniunt l.4.§.Prætor ait, & ibi notat Bart.num.25.ff. De administr. tuto. l.Si verò. §.Omnibus.ff. De accusat. Probatur secūdò quia ille propriè debet dici peregrinus gratia deuotionis, qui aggreditur ex proposito iter ad hunc finem, si morbo impeditus contra intentionem non potuit perficere, quod cupiebat; ergo non amittit priuilegium peregrinorum. Aliter tamen dicendum esset de Indulgentijs, quas nō lucraretur, qui post iter arreptum impeditus ęgritudine, vel alia causa necessaria etiam absque vlla culpa, non valeret Ecclesias visitare, & alia opera iniuncta ad implere, quæ ad Indulgentias acquirendas necessariò requirerētur, vt rectè tradit D. Tho. in Addit. ad 3.par.quæst.30.art.3. & Palud. in 4.dist.20.q.4.art.3. Voluntas enim pro facto quoad illa beneficia, quæ voluntariè, & sub conditione à Principe offeruntur, non reputatur, neque coram Deo, quoad accidentalia præmia. Voluntas hominis sine facto coronatur, licèt quantum ad præmium essentiale pro eodem à Deo acceptetur voluntas efficax, & factū. Vnde vt rectè D. Antoni. in 2.par.sum.tit.10. in cap.3. Palud. loco cit. & Cordub. De Indulg. q.23. subiungunt, non satis esse partem operum iniūctorum adimplere, vt quis partem Indulgentiæ lucretur, sed aut omnia eo modo, quo imponuntur, aut nihil. Quamobrem si quis ex infirmitate, paupertate, vel ex quacunque alia causa necessaria omittat iter inchoatum gratia deuotionis absoluere, & visitare Ecclesias Vrbis, sicut proposuerat, verè est peregrinus, & gaudet priuilegio huius Canonis, & alijs beneficijs peregrinorum, de quibus dixi in Cap.2. Non acquirit tamen Indulgentias illas, quæ sunt concessæ visitantibus Ecclesias Vrbis. Et idcirco Greg. xiij. & Clemens Octauus in Bullis per eos editis indictionis Iubilei Anni Sācti ne Peregrini, qui iter inceptum ad Vrbem ad consequendum Iubileum perficere non poterant, eius fructu, & vtilitate fraudarentur, declararunt velle, vt fructum Iubilei lucrarentur etiam illi, qui aggressi fuissent iter firma voluntate perficiendi omnia in deplomate expressa, quamuis postea iusto impedimento ab executione eorum omnium impedirentur.

Secundò quæret aliquis; Quid dicendum de eo, qui Romam profectus est gratia deuotionis, sed cum in Vrbe moratur, mutato proposito nō visitat Ecclesias, neque in alijs pietatis operibus se exercet, sed vitam ducit alienam prorsus à conditione, & munere peregrinorum; An talis comprehendatur in hoc Canone, vt si offendatur in recessu, quando redit in patriam, sit locus excommunicationi.

Respondeo hunc talem vocari posse peregrinum in accessu ad Vrbem quandiu persistit in prima voluntate peregrinandi causa deuotionis, quo tempore si offendatur, incurritur excommunicatio, sed si mutata voluntate non adimplet deuotionis, & pietatis opera, iam cessat finis peregrinationis, & nō meretur nomen peregrini, & illico amittit priuilegium huius Canonis, & alia priuilegia peregrinorū, quia cessante causa A finali cessant omnia, quæ conceduntur ratione illius finis: sunt enim accessaria ratione talis finis; quare principali sublato tollitur accessorium. l.1. & ibi notat Bald. C. De Codicill. c. Accessorium, vbi latè Anchar. De Reg.Iur.lib.6. Glos. notab. in l. Si patronus. §. Patronum Ver. Fauiana. ff. Si quid in fraud. patro. Cum ergo non competat illi priuilegium huius Canonis, si quis offendat eum, dum ab Vrbe recedit, non contrahet excommunicationem.

Tertiò quæret quis; An hoc priuilegium conueniat illis, qui sunt Incolæ Vrbis, si velint visitare ecclesias, & alia deuotionis opera, quæ propria sunt peregrinorum, adimplere, vt si interim dum hæc agunt, offendantur, locus sit huic excommunicatione.

B Respondeo hoc priuilegium concessum esse illis tantùm, qui aliunde discedunt, & Romam peregrinātur. Quare necesse est, vt extra Vrbem habitent, accipiendo Vrbem vnà cum Territorio iuxta eam significationem, de qua dixi in Cap.3. Quicunque igitur non habentes Romæ domicilium, sed alibi, siue sint Romæ oriundi, siue sint extranei, si Romam accedunt gratia deuotionis, fruuntur priuilegio huius Canonis, & non conuenit Incolis, quamuis ea opera exerceant, quæ sunt propria peregrinorum. Itaque Summus Pontifex illis vocibus *In ea morantes, vel ab ipsa recedentes* significat illos, qui accesserunt antea causa deuotionis, vt dixi in præcedenti Disputatione Cap.2. De recedentibus à Sede Apostolica. Quòd si quis accessit, vt C peregrinus gratia deuotionis; deinde allectus sanctitate insignium Basilicarum Vrbis, & venerandis Apostolorum, reliquorumque Martyrum, & Sanctorum Corporibus, atque Reliquijs, quæ in ea religiosissimè conseruantur, eligat ibi domicilium, & statuat velle Romæ commorari, vt liceat ei frequenter Ecclesias visitare, venerari Reliquias, & similia deuotionis opera exercere, non potest amplius dici peregrinus. Vnde si quis offenderet illum post electū domicilium etiam gratia deuotionis tantùm, non incideret in hanc excommunicationem.

Quamobrem rectè Caietanus in Sum.Vet.Excommunicatio cap.13. asserit tres conditiones requiri ad hoc, vt exercentes dictas actiones prohibitas dicātur D violare hunc Canonem. Prima vt illi, qui interficiunt, mutilant, vel alias actiones exercent, hæc agant erga peregrinos. Secunda, vt sint peregrini gratia deuotionis. Tertia vt sint peregrini ad Vrbem Romam. Ex defectu primæ conditionis. Si quis percusserit habitantem Romæ etiam causa deuotionis, non incurrit hunc Canonem, quia qui moratur in Vrbe, nō est Romipeta, aut peregrinus, ex defectu secundæ si incola Vrbis ex Hispania Romam rediens, vt reuertatur domum suam, percutiatur, non incurritur hæc excommunicatio; Ex defectu tertię conditionis, si quis percutiat peregrinum proficiscentem ad Aedem Sacram Lauretanam, vel ad Sanctum Iacobum, vel ad alium locum deuotionis, non afficitur excommunicatione huius E Canonis, quia licèt sit peregrinus, non tamen ad Vrbem.

Et in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem. His verbis exprimit Summus Pontifex actiones accessorias, quas excommunicationi subijcit in ordine ad actiones principales. Idcirco vt quis ob aliquam harum actionum contrahat excommunicationem, necesse est, vt actionem principalē ex genere illarū sex prohibitarum executioni tradat, ita vt habuerit effectum suum. Quare si quis præstet alicui auxilium, vt occidat homini peregrinum, vel consulat, aut fauorē præbeat

beat ad interficiendum mutilandum,deprędandũ,&c. Si reuera non sequatur occisio, mutilatio, neque alia actio principalis prohibita, non contrahit excommunicationẽ, & ratio est, quia Summus Pontifex prohibet auxilium, consilium, vel fauorem in ordine ad actiones principales;quod indicat dictio illa *In his*,ergo si illæ non sequuntur, non incurritur excommunicatio quantumuis quis ad hunc finem auxilium, consilium, vel fauorem dederit. Quid verò significetur nomine consilij, auxilij, & fauoris, superius non semel declaraui copiosè,& præsertim in Disp.8.Cap.10.de quibus etiam dicam in sequenti Disputatione. Quare nihil modò est addendum.

Illud quoque est animaduertendum hoc in loco hũc Canonem latius patere, quoad actiones accessorias, quàm Canonem nonum. In nono excommunicantur, qui ad Sedem Apostolicam venientes sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant &c. nihil dicitur de auxiliantibus,& consulentibus. In hoc Canone,vbi specialiter de peregrinis ad Vrbem gratia deuotionis accedentibus agitur excommunicantur quoque auxilium, consilium, vel fauorem dantes.

CAPVT VI.

An eadem Excommunicatio contra offendentes Romipetas seu Peregrinos ad Vrbem causa deuotionis proficiscente, habeatur in Iure,& quomodo differat ab excommunicatione Bullæ,& quam ob causam hoc priuilegium solis accedentibus ad Vrbem, non omnibus peregrinantibus ad alia loca sacra sit concessum.

AD primam quæstionis partem respondendum est contra offendẽtes Romipetas latam esse excommunicationem à Calixto Papa in cap.Siquis Romipetas,& à Nicolao Papa in cap. Illi, qui 24.q.3. Vbi hęc habentur, *Illi qui peregrinos, vel oratores cuiuscunq. Sancti siue Clericos, siue Monachos, vel fœminas,aut inermes, pauperes depradati fuerint, vel bona eorum rapuerint, vel in malum eis obuiauerint, anathematis vinculo feriantur nisi dignè emendauerint.* Et deinde hæc subijciuntur, *Pax vera illa, quam Treugam Dei dicimus, fideliter, obseruetur, qui autem eam infregerit,excommunicationi subdatur.* Vbi Turre Creme. notat quædam reperiri genera personarum, quibus perpetuò treugæ canonicæ obseruandæ sunt, sicut sunt Præsbyteri,Monachi,Cõuersi, Peregrini, Mercatores, Rustici euntes, & redeuntes, & agriculturæ operam dantes; Legati quãdiu legationis officio funguntur; Tandem Romipetæ, & Oratoria visitantes. Præterea Alex. Tertius in cap. Innouamus De Treg.& Pa. innouat,vt ibi inquit Glo. quod statutum erat in dicto cap. Si quis Romipetas, scilicet vt Peregrini, & aliæ personæ, quæ ibi enumerantur, congrua securitate lætentur. Ratio verò huius excommunicationis fuit, quia spectat ad officium Summi Pontificis omnibus oppressis contra improborum violẽtias,protectionis,& defensionis auxilium impertiri 87. dist. per totam. Plurimum tamen differt excommunicatio Bullæ ab excommunicatione Iuris. Primò quia illa non est Papæ reseruata, sicut excommunicatio Bullæ. Secundò in Iure fertur excommunicatio contra capientes, & spoliantes Peregrinos rebus, quas ferunt. Nihil dicitur de alijs actionibus, quæ in Bulla prohibentur. Tertiò in Iure hoc priuilegium conceditur non tantùm Romipetis, & Peregrinis ad Vrbem, sicut in hoc Canone Bullæ, sed generaliter, omnibus Peregrinis Apostolorũ limina, & aliorum Sanctorum oratoria visitantibus. Vnde in dicti cap. Illi qui, dicitur, *Illi qui Peregrinos, vel oratores cuiuscumque Sancti &c.* Hæc de prima parte quæstionis.

Quoad secundam partem spectat Hæc excommunicatio, vt monui initio disputationis in Antiquis Bullis Cœnæ ferebatur contra offendentes non tantum peregrinos ad Vrbem, sed etiam peregrinantes in Hierusalem ad loca illa sacra,& ita habetur in Bulla Martini Quinti apud D. Antoni.3.par. Sum.tit.24. cap.72.& ita asserit Caietanus in cap.13.Tabien. Excom. 6. Rebuff. in explicatione Can. 11. Card. Tolet. lib.1. Instruct.Sacerd. cap.25. Vers.Excom.10. in fin. Cur verò posteriores Pontifices omiserint Peregrinos in Terram Sanctam, & tantùm Peregrinorum ad Vrbem meminerint, indicaui initio huius disputationis, non est cur modò repetam.

Causæ verò,propter quas Summi Pontifices voluerint peregrinos ad Vrbem, & ad loca sancta Palestinæ potiùs quàm alios priuilegiis ornare,plures reddi possunt, sed præcipuè id factum esse censeo, quoniam hæ duæ peregrinationes,& antiquissimæ, & nunquam intermissæ,& valde celebres semper extitere.

Vetustissimam verò fuisse Christianorum consuetudinem has duas sanctas peregrinationes suscipiẽdi, idest,ad limina Apostolorum,& ad loca Palestinæ, in quibus Dominus noster salutis misteria operatus est factis multorum illustrium virorum ex historiis petitis, demonstrare difficilè non erit.

Et primo Illustrissimus Card.Baron.Tom.2.Annal. Anno Christi 199. notauit Ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ hunc morem visitandi sacra loca Hierosolymitana cœptum fuisse, nec vnquam ampliùs in Ecclesia intermissum.

S. Alexander Narcissi Episcopi Hierosolymitani coadiutor, & deinde eius successor, qui centum annis ante Constantini tempora floruit circa annum Christi 199. Hierosolymitanam peregrinationem religionis causa subiit, vt refert D.Anton. 1. par.Hist. tit. 2. cap.6. §.15.Surius in Vitis Sanctorũ die 29.Octobris. fuit hic Alexander circa tempora Victoris Papæ, & Seueri Imperatoris.

Origenes, qui per 100. annos ferè ante Constantinum vixit, idest annis 200. à Christo votum emisit se Romam profecturum ad limina Apostolorum visitanda, quod etiam adimpleuit, vt affirmat Eusebius lib.6.Hist.Eccles.cap.11.

Anno Domini 286. Beatissima Zoe coniux Castoris etiam vrgente persecutione Gentilium in Christianos in die Natali Apostolorum ad confessionem sancti Petri accedit & orat, Illustriss. Baronius tom.2. eod.Anno ex actis SS.Martyrum.

Anno 300. Sancta Helena mater Constantini grandæua visitat Terram Sanctam, Euseb. De Vita Constantini lib.3.cap.41.Surius die 18. August.

Anno 304. ex Perside Sanctus Marius & eius vxor Martha cum duobus filiis Audiface, & Abachũ Christiani viri Romam ad adorationem Apostolorum accesserunt Vinc.specul Hist.lib.12.D.Antoni.prim.par. Hist. tit.8. cap.9.

Circa annum 322. Ruffinus & Melania Romana clarissima fœmina Hierosolymam peregrinãtur,Hierony. Epist.5. ad Florentium, & 41. ad Ruffinum, S. Paulin.Epist.9.ad Seuerum.

Anno circiter 326.S.Nicolaus Episcopus Mirensis, cum adhuc adolescens esset, Hierosolymam ad loca sancta profectus est, Auctor est Simeon Metaphrastes hyppo. tom.1.

Anno 356.

A

Anno 356. S. Ciriacus Anconitanus Martyr sub Iuliano Apostata loca sancta Hierosolymitana visitauit, Illustrissimus Baron. in Martyrologio 4. Maij.

Anno Domini 369. S. Basilius peregrinatus est Hierosolymam, Surius die prima Ianuarij fol. 1. Card. Baron. in Martyrolog. 14. Iunij.

Anno 394. Olimpius Monachus Hierosolymam peregrinatur, Gregorius Nyssenus in vita S. Macrinæ sororis suæ, Surius 19. Iulij, Baron. in Martyrolog. 9. Martij.

Anno 397. Nicetum Romam ad limina Apostolorum peregrinatum fuisse narrat Paulin. epist. 10. Baron. tom. 5. in eod. anno.

B

Anno Christi 398. S. Paulinus Nolanus Episcopus Romam ad limina Apostolorum accessit, vt ipsemet narrat in epistola, quam scribit ad Allethium.

Anno 400. Mulier nobilis è Gallia ad limina Apostolorum visitanda pergit, & cum vnicus filius, quem secum duxerat feria 2. post Pascha diē clausisset extremū, D. Zenobius, qui cum Clero, & Populo processionaliter ad Ecclesiam S. Petri procedebat, illum ad vitam reuocat, D. Antoni. in 2. par. Hist. tit. 10. cap. 12. §. t.

Anno eod. Paula Romana nobilissima Hierosolymam religionis causa accessit, Sigib. in Chron. Hieron. in Epitaphio Paulę matris epistola 27. tom. 1. Antoni. 2. par. tit. 10. cap. 15.

C

Anno 401. S. Porphyrius Gazæ Episcopus, ex Asia nauigauit ad adorandam loca veneranda Hierosolymis sita, Auctore Simeone Metaphraste ex Surio 26. Februarij.

Circa annum Domini 408. S. Apollinaris Virgo peregrinata est Hierosolymam teste Simeone Metaphraste apud Surium 5. Ianuarij.

Anno 438. Eudociam bis Hierosolymam ad loca sancta visitanda profectam esse scribit Socrates lib. 2. cap. 46.

Anno 450. Ioannes Calybita Tribuni Militū Rom. filius peregrinatus est Hierosolymam Niceph. lib. 15. cap. 21. Baron. in Martyrol. die 15. Ianuarij de quo Lippom. tom. 7. Surius 15. Ianuarij.

D

Anno 451. S. Seruatius peregrinationem ad limina Apostolorum suscepit, Gregorius Turonensis, licèt Cardin. Baronius ante annos ferè centum illam iniisse censeat tom. 6.

Anno Domini 456. SS. Amandus, & Humbertus cū venerabili viro Nicasio Romam ad Apostolorum limina deuotionis gratia pergunt Surius die 7. Septembris; Et iterum idem S. Humbertus solus Romanam assumpsit peregrinationem, & in confessione S. Petri orationi attentius incumbenti ministerio Angelico signum Dominicæ Crucis super eius verticem cernentibus omnibus astantibus expressum fuit.

E

Circa Annum 520. Multi ad festum Exaltationis Sanctæ Crucis Hierosolymam concurrebbant, inter quos fuit Sancta Maria Aegyptiaca temporibus Iustini Senioris Imperatoris Surius 9. Aprilis in vita Sanctæ Mariæ Aegyptiacæ à Paulo Diacono scripta.

Anno 661. Germanus Pręsul Parisinę Vrbis ad sancta loca Hierusalem pergens insignes reliquias Sanctorum à Iustiniano recipiēs reuersus est ad Ecclesiam suam, Ita Aimo. De Gest. Francorum lib. 6. cap. 9. & Card. Baron. tom. 7.

Ante Annum 661. S. Amandus Episcopus Traiectēn vir Sanctiss. atque Religiosiss. vno comite tantummodo secum accepto Romam venit, & non tantùm die, sed nocte etiam Templum S. Petri visitabat, Surius 6. Februarii.

Anno Christi 619. circiter tempore D. Gregorii peregrinationes ad loca sancta, vt ad montem Synai, & alia sancta loca frequentissimæ erāt, vt ipse testatur in epist. 44 lib. 3. Registri. Immo iubet lib. 6. epistola 19. & lib. 7. epist. 27. Episcopos certo tempore ad limina Apost. accedere, & lib. 9. epist. 69. Presbyterū ad limina Apost. reuerti desiderantē, atque etiā alios incitat.

Circa annum eundem 619. Oduardus Rex Angliæ Romam peregrinatur, & ibidem à Gregorio Magno baptizatur, vt à Paulo Diacono scribitur.

Circa Annum 670. Amabilis Presbyter profectus est Romam SS. Apostolorum limina visitaturus, Surius prima die Nouembris.

Anno Domini 689. Ceaduualla Præpotens Angliæ Rex, & Offa Rex Cātuariorum Romā profecti à S. Sergio Papa in Monachos attonsi Regi Regum inseruerunt, Surius in vita Suuiberti cap. 4. die prima Martij.

Circa Annum 844. S. Gedregrandus Sagiensis Episcopus ob amorem Cælestis Patriæ Romam ad limina Apostolorum causa deuotionis venit: ita legitur in vita S. Opportunæ Virginis apud Surium 22. Aprilis.

Circa Annum Domini 924. S. Vuambertus non infimus in Gallia cum Hombarga coniuge ad limina SS. Apostolorum Petri, & Pauli veniunt, Surius 5. Februarij in vita Bertulphi cap. 3. & 10. Iterum Romam ad patrocinia Apostolorum reddeunt, ibid. cap. 16.

Anno Domini 1112. S. Guido Brabantensis Episcopus Romæ Apostolorum liminibus visitatis Inde Hierosolymam ad loca sācta adijt, ac deinceps per septennium Sāctorum Ecclesijs toto pene Orbe visitatis Romam iterum est reuersus, vt Surius 12. Septembris.

Anno Domini 1157. Agnes Henrici Imperatoris vxor eo vita defuncto, tamdiu imperium ex viri voluntate administrauit, donec filius infans ad annos duodecim perueniret, quo tempore Romam petens monasticam humilitatem est profecta, Hieronymus Platus de Bono status religionis lib. 2. cap. 27.

Anno 1209. Chenredus Marciæ in Anglia Rex Romam profectus à Constantino Pontifice habitum monasticum suscepit, Platus lib. 2. cap 26.

Anno 1240. Inus Rex Orientalium Saxonum in Anglia Romam se cōtulit religiosam vitam professus, Idem Platus.

Eodem anno 1240. Carolus Germaniæ Rex Pipino fratre ad Regnum ad scito Romam priuatus, & pauper venit, vbi à Zaccharia Pontifice sacros ordines, & religiosum habitum suscepit, Platus lib. 2. cap. 26.

Circa annum Domini 1350. Admonita à Christo B. Brigita laborē peregrinationis suscipit, quam Christus sic allocutus est, *Proficiscere Romam, illic enim plateæ sunt auro instratæ, & SS. sanguine rubricatæ, vbi propter condonationes, siue indulgentias, quas promeruere sancti compendio venitur ad Cælum, manebis autem illic, donec videas Sanctum Pontificem, & Imperatorem*, Et post annos multos præcepit illi Christus, vt iret Hierosolymam. Cum autem B. Brigita Romæ degeret Catharina filia eius promissa marito, qui erat cognatus Regis Suetiæ, Romam venit anno 1350. qui Iubileus erat: venere cum illa multæ aliæ Dominæ, & Peregrinæ, & familiā magna, ita legitur in vita eius apud Surium die 25. Iulij, & in Bulla Canonizationis eius à Bonif. 9. edita, quæ tandem Romę mortua est an. 1373.

Beda de sex Aetatibus Mundi tom. 2. in Theodosio scribit illis temporibus multos Anglos nobiles, & ignobiles viros, & fœminas, Duces, ac priuatos diuini amoris instinctu de Britannia Romam venire consueuisse, inter quos Abbas Ceolphidus annos

natus septuaginta quatuor accessit; Idem tom. 3. lib. 5. Hist. Anglorum cap. 7. præter Cenduallæ Regis Saxorum Romæ aduentum sub Sergio Papa, à quo etiã baptizatus nomen Petri recepit anno 689. narrat peregrinationẽ successoris eius Regis Han, qui post 37. annos sui imperij eo relicto ad limina Apostolorum sub Gregorio Primo profectus est.

Ex his exemplis & aliis pluribus, quæ consultò prætermittuntur, satis manifestè intelligi potest, quàm antiquus, & continua successione omni ætate ab ipso Apostolorum tempore ad hunc vsq. diem semper retentus sit mos Christianorum peregrinandi religionis causa Romam ad limina Apostolorum, & ad sacra loca Hierosolymitana.

Quod autem hæ duæ peregrinationes apud Christianos inter omnes alias illustriores semper habitæ sint & celebriores, testimoniis similiter veterum Patrum & exemplis Sanctorum persuaderi potest.

Atque in primis compertissimum est maximè solenne institutum fuisse apud Christianos, atque etiam hodie esse ad sacra Palestinæ loca peregrinandi, vt ea loca, quæ vel Natiuitatis, vel Circuncisionis, vel adorationis Magorum, vltimæ Cœnæ orationis in Horto, mortis, & sepulturæ, & aliorum mysteriorum nostræ redemptionis operibus illustrata sunt summa pietate atque religione inuiserent. A temporibus verò Constantini frequentissima fuit Christianis huiusmodi locorum visitatio, ac votum huius peregrinationis raro, & à solo Romano Pontifice dispensatur, vt patet in Extrau. Etsi dominici 2. De Pœnit. & Remiss.

Eodem modo post Petri, & Pauli martyrium celeberrima peregrinatio illa fuit; & hoc tempore habetur, quæ ad Apostolorum Principum limina à toto Orbe peragitur, quam Imperatores, Reges, aliosque Principes obiisse nemini obscurum est. Hanc Carolus Mannus filius Caroli Primi, & Carolus Magnus Imperator ex voto susceperunt. Similiter Federicus Imperator, & Astulphus Rex Angliæ, qui Astulpus Regnum suum Ecclesiæ S. Petri, quam visitauerat, tributarium constituit.

D. Bernardus in Vita S. Malachiæ Episcopi scribit ex Hybernia tempore Innocentij Secundi eum per integrum mensem loca Sancta venerabilesque reliquias Vrbis visitasse. Floruit autem hic Sanctus Malachias anno 1148.

Hanc quoque Romanam peregrinationem perfecit B. Vrsula cum vndecim millibus Virginibus eo tempore, quo Attila Ciuitatem Coloniæ obsidione vexabat; Atque in reditu ab Vrbe ab Vnnis sæuissimè trucidatæ, martyrio coronatæ fuere. Ita Surius tom. 5. & Sigiber. in Chron. dicit id accidisse anno Domini 453. Card. Baron. in Martyrolog. 21. Octobris.

Frequentissimo Cætu Romæ tum Petri in Vaticano, tum Pauli via Ostiensi Basilicas in die eorum Martyrij visitari solitas docet D. Ambros. in hymno eius diei, vt indicet tria loca à Populo eo die visitari.

Tanta per Vrbis ambitum
Stipata tendunt agmina;
Triuis celebratur viis
Festum Sanctorum Martyrum.

A Prudentio illa dies bis festa dicitur, & Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum scribit Festum Senatorem Romanum Legatum apud Anastasium Imperatorem aduersus Græcos statuisse, vt solemnitates & natalitia Apostolorum frequentissimo Populo ac splendidissimo cultu peragerentur; Nec solùm Romani, sed etiam exteri ex longinquis partibus ad huiusmodi solemnitatem accedebant teste S. Paulino Epistola 13. ad Seuerum, & 16. ad Delphinum; Greg. Turonensis lib. 6. Hist. cap. 6. narrat peregrinationes multorum ad Limina Apostolorum sanitatis ergò recipiendæ, & præsertim cuiusdam Incolæ Andegauensis, qui mutus, & surdus Diacono eodem properanti associatus à sancto hospitio, priusquam eò perueniret sanitatem recepit.

Abbas in cap. Quod super nu. 1. De Fide Instrum. quærit, an super voto Vltramarino seu Hierosolymitano dispensare possit Cardinalis Legatus, & rationẽ dubitandi sumit ex eodem tex. Sed concludit soli Papæ reseruatam esse dispensationem ex cap. Multa, vnà cum Glos. 3. De Voto. Ideo à solo Papa dispensari posse, vel ex speciali licentia ipsius, & ad hunc modum intelligit tex. in dicto cap. Quod super. Nam sæpe Papa viuæ vocis oraculo facultatem dispensandi Cardinali committit.

Fuerunt ergo ambæ hæ peregrinationes, & antiquæ, & celeberrimæ, & votum huius peregrinationis Romanæ est quoque Sede Apostolicæ reseruatum, sicut & votum Hierosolymitanum, vt habetur in dicta extrauag. Et si Dominici 2. De Pœnit. & Remiss.

Propterea mirum esse non debet, si vtraque peregrinatio fuerit adeò grata Sedi Apostolicæ, vt anathematis mucrone percutere statuerit illos, qui peregrinis ad hæc duo sacra loca deuotionis causa proficiscentibus molestiam inferre præsumpserint, & hanc excommunicationem reponere voluerit in Bulla Cœnæ inter alias Sedi Apostolicæ reseruatas, licèt ante aliquot annos fortè ob causam, quam initio huius disputationis indicaui; Bulla loquatur tantùm de Romipetis, prætermissis peregrinis ad loca sancta Hierusalem euntibus.

Demum in calce huius capitis, vt perficiam & concludam hanc disputationem, illud non silebo, quod narrat D. Antoni. in 3. par. Summæ tit. 24. cap. 30. in fi. Iure prohibitum esse sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis ad Sepulchrum Domini causa deuotionis sine licentia Papæ accedat, & absolutio reseruetur Sedi Apostolicæ, aut Summo Pœnitentiario, & inquit D. Antoni. se legisse hanc excommunicationem in libro Summi Pœnitentiarij.



EXCOMMVNICATIO VNDECIMA.

ITEM EXCOMMVNICAMVS, ET ANATHEMATIZAMVS OMNES INTERFICIENTES &c.

DISPVTATIO DVODECIMA.

DE EXCOMMVNICATIONE CONTRA Offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos.



IAM absoluti sunt decem Canones Bullæ Cœnæ, totidem explicandi supersunt; prosequar igitur eundem retinens ordinem, quem hactenus seruaui.

A Huius vndecimi Canonis, in cuius declaratione versamur, materia est sacrilegium, quo offenduntur Prælati Ecclesiæ Catholicæ expressi specialiter, scilicet Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Legati, & Nuncij Sedis Apostolicæ; Quoad personas offendentes est vniuersalis omnes continens absq; vlla exceptione. Actiones principales prohibitæ, ratione quarum si exerceantur erga dictos Prælatos, incurritur excommunicatio, sunt nouem. Prima Interficere; Secunda Mutilare; Tertia Vulnerare; Quarta Percutere; Quinta Capere; Sexta Carcerare; Septima Detinere; Octaua Hostiliter insequi; Nona Eiicere à suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis. Actiones accessoriæ, quæ referuntur ad omnes prædictas principales, sunt quinque. Prima mandare aliquam dictarum actionum principalium, Secunda Ratam habere, Tertia Dare auxilium, Quarta Consiliũ, Quinta Fauorem.

Quantum ad verba hæc Excommunicatio eodem modo legitur in Bulla Gregorij XIII. & in aliis Pontificum Successorũ, sicut lata habetur in hac Bulla Pauli Quinti absque vlla variatione.

In Bulla Martini Quinti, cuius tenor legitur apud D. Antoninum 3. par. Summæ. tit. 24. cap. 72. hæc excommunicatio non legitur. Bullæ verò Clementis Septimi & Pauli Tertij differunt ab hac. Primo quia in illis non simpliciter excommunicantur omnes interficientes, mutilantes &c. Sed cum quadam conditione. Additur enim dictio *Temere* mutilantes, interficientes &c. quæ dictio apponitur etiam in Clem. 1. Si quis suadente De Pœn. vbi tractatur de offendentibus Episcopos. Secundò in Bulla Clementis Septimi prohibentur tantum sex actiones principales, nempe Mutilare, Vulnerare, Interficere, Capere, incarcerare, & detinere. In Bulla Pauli Tertij additur septima Verberare. Tertio in Bullis Clementis Septimi, & Pauli Tertij vnica tantùm actio accessoria damnatur, scilicet mandare, vt aliqua ex actionibus principalibus fiat, nihil dicitur de rati habitione, auxilio, consilio. Quartò in illis nulla fit mentio de Cardinalibus, neque delegatis Sedis Apostolicæ, vel Nunciis, sed tantùm de Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis. His præmissis aggrediamur explicationem Canonis.

Caput Primum, Quas personas voluerit comprehendere Summus Pontifex dictione illa vniuersali Omnes &c.

B *Caput Secundum, De Personis priuilegiatis, ex quarum offensione hæc excommunicatio incurritur, verba Canonis sunt* S. R. E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios.

Caput Tertium, De eisdem Ecclesiasticis Dignitatibus nonnullæ dubitationes proponuntur eo dissoluuntur.

Caput Quartum, De Actionibus principalibus, quæ in hoc Canone excommunicationi subiiciuntur his verbis Interficientes, Mutilantes, Vulnerantes, Percutientes, Capientes, Carcerantes, detinentes, vel Hostiliter insequentes, aut eos à suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis eiicientes.

C *Caput Quintum, Proponuntur dubitationes de eisdem actionibus principalibus, illæque dissoluuntur.*

Caput Sextum, De Actionibus secundariis & Accessoriis prohibitis, quæ in postrema parte Canonis recensentur his verbis, Nec non ea Mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.

Caput Septimum, An Cardinalis, vel alius Prælatus ex priuilegiatis in Bulla, qui verberatus aut aliter offensus fuerit, declarare possit per sententiam; Delinquentes incidisse in hanc excõmunicationem; Atque Vtrùm Cardinalis illum à quo ipsemet percussus fuit, vel saltem offensorem alterius Cardinalis, vel Prælati priuilegiati, ab eadem excommunicatione absoluere valeat.

D *Caput Octauum, Quæ constitutiones extent in corpore iuris punientes sub pœna excommunicationis eos, qui offendunt, & iniurias afficiunt Cardinales, vel Episcopos, & generaliter omnes personas Ecclesiasticas, & quomodo illa conueniant, & differant ab hoc Canone Bullæ Cœnæ.*

CAPVT I.

Quas personas voluerit comprehendere Summus Pontifex dictione illa vniuersali Omnes &c.

EXcõmunicatio huius Canonis est generalis comprehendens quascunque personas, cuiuscunque gradus, status, conditionis, & praeeminentiae existant, & quacunque exemptione gaudeant, idque manifestè in primis indicat dictio illa vniuersalis *Omnes*, quae neminem excludit l. Iulianus in princ. ff. De leg. 3. Bald. in l. Omnia priuilegia. C. De Epi. & Cler. cap. Solitae in fi. De Maio. & Obed. vbi Innocentius Tertius citat verba Christi apud Matt. cap. 16. *Quodcunque ligaueris super Terram &c.* Et addit *Nihil excipiens qui dixit quodcunque*, Et Glos. ibi Ver. Quodcunque, inquit *Qui dicit omnia, nihil excipit* dist. 19. c. Si Romanorum. Idem notat Glos. in cap. Quicunque Ver. Quicunque in Addit. De Sent. Excom. lib. 6.

Deinde quia lex generalis vbi non distinguit, sine distinctione, & vniuersaliter est intelligenda, sed constitutio huius Canonis sine vlla distinctione personarum in omnes pronunciat excommunicationem: ergo eodem modo est accipienda. l. De precio. ff. De Publicia. Glos. & Bart. l. 3. ff. De off. Praesid. Bart. in l. Qui ea mente. ff. De Fur. cap. Quia circa De Priuil.

Tertiò Constitutio generalis continens poenam excommunicationis afficit omnes quacunque dignitate praefulgeant, etiamsi tales sint, quorum mentio expressa requiratur, vt sub dispositione generali contineantur, Glos. in cap. Quia periculosum Ver. suspensionis De Sent. Excom. lib. 6. Vbi Innocentius Quartus statuit Episcopos, & Superiores Praelatos nullius Constitutionis occasione sententiam suspensionis incurrere ipso iure, nisi exprimantur, & Glos. notat, *Secus in excõmunicatione, quia in illa priuilegiati non sunt.* Idem confirmat in cap. 1. Ver. Praelatus De Homic. eod. lib. & in c. Quanquam Ver. singulares De Censi. lib. 6. & in cap. Quicunque Ver. Quicunque De Sent. Excom. lib. 6. Et ratio est, quoniam vbi agitur de praeiudicio alterius, vel de poena spirituali, qualis est excommunicatio, dignitas personae nihil operatur, vt inquit Bald. in cap. Iurauit De Probat. Vnde Felin. in cap. Quod super his num. 8. De Fid. Instrum. asserit verum non esse Constitutionem generalem non includere Episcopos, & ad citatum textum in cap. Quia periculosum, respondet habere locum tantum in casibus specialibus in iure expressis, in quibus Episcopi non ligantur generali constitutione, vt in cap. Inquisitores De Haeret. lib 6. cap. fin. De Priuil. eod. lib. c. fi. De Re Iudi. eod. lib. Et hi casus particulares firmant regulam in contrarium: ali enim id competeret Episcopis ipso Iure quatenus tales, inanes fuissent Constitutiones relatae. Hoc idem asserit Felin. num. 7. De Cardinalibus, alias ferè nulla lex canonica obligaret Cardinales, quia rarissimè eorum mentio fit expressa in Constitutionibus; Confirmat Dec. in cap. Praeterea num. 6. vltra med. Vers. Quartò praedicta regula De off. Relig. Franc. & Petrus Anchar. in dicto cap. Quia periculosum num. 1. in fi. Si igitur Episcopi, & Cardinales, qui sunt praecipua membra Reipub. Christianae excellenti dignitate ornati continentur sub generali constitutione aliquid iubente, vel prohibente sub censura excommunicationis, multò magis hoc verum erit de personis Laicis quacunque seculari praerogatiua alijs praecellant. Quare ob hanc rationem omnes sine vlla exceptione in hoc Canone includũtur.

Sed dicet aliquis, Priuilegiatus non vtitur priuilegio contra aequè priuilegiatum, si Cardinalis Patriarcha, Episcopus sũt illi, quibus cõceditur priuilegiũ huius Canonis, ergo tale priuilegiũ illis nõ suffragatur, si ab alijs Cardinalibus, Patriarchis, & Episcopis iniuria afficiantur, quia eodẽ modo sunt priuilegiati, sicut illi, qui offensi sunt, arg. c. fin. De ord. log. & ex Bart. in Auth. Quas actiones. C. De sacr. san. Ecc. Respondet ad hanc obiectionem Abb. in cap. Cum pro causa nu. 2. De Sent. Excom. Vbi loquitur de Clerico, qui si percutiat alium Clericum, incidit in excommunicationem. Nã priuilegium Canonis conceditur Clerico percusso non percutienti, quare quatenus est percutiens, non dicitur priuilegiatus; & ideo incurrit excommunicationem, eodem modo dicendum est de Cardinalibus &c. ad incurrẽdam excommunicationem huius Canonis.

Quartò idem clarissimè ostenditur ex eo, quòd eadem excommunicatio contra offendentes Episcopos, quae fertur in Bulla, habetur in Clem. 1. Si quis suaden. De Poen. Vbi Clemens Quintus inquit, se eius constitutionis auctoritate anathematis mucrone tales Episcoporum offensores percutere *In illis casibus, in quibus excommunicationem per iam editos canones non subirent*, Et Glos. in Ver. Canones declarat Summum Pontificem per editos canones significare cap. Si quis suadente 17. q. 4. cap. Nuper De Sent. Excom. & cap. Quicunque eod. tit. lib. 6. At omnes Doctores communi consensu affirmant neminem excludi ab illis Constitutionibus, sed omnes comprehendi ergo, & dicta Clementina omnes amplectetur: est enim extensio Canonum antiquorum, & praecipuè cap. Si quis suadente 18. quaest. 4. Atque eodem modo idem erit asserendum de hoc Canone Bullae. Quòd autem cap. Si quis suadente sit vniuersale, & omnes personas comprehendat, affirmat ibi Glos. in dicto cap Quicunque eod. verbo in Addit. De Sent. Excom. lib. 6. & colligitur ex cap. De Monialibus, & cap. Cum illorum De Sent. Excom.

Sed in specie dubitari potest de Imperatore, & Regibus, an ligentur excommunicatione hac, & causa inquirendi desumitur, quoniam vbi Papa intendit Imperatorem, & Reges obstringere excommunicationibus Bullae Coenae, expressam de illis mẽtionem fecisse videmus, vt in canone 14. & 18. eiusdem Bullae: vnde argumentum sumitur non esse mentem Romani Pontificis comprehendere Reges sub alijs excommunicationibus Bullae in quibus nulla eorum mentio fit.

Oppositum tamen verum est, & ita affirmãdum videtur, idq. pluribus persuaderi potest. Primò quoniam Imperator, & Reges obstringuntur excommunicatione cap. Quicunque De Sent. Excom. lib. 6. vt ibi inquit Archid. & notat Glos. Ver. Quicunque in Addit. licèt de Imperatore, & Regibus nulla fiat mentio specialis, sed sub generali dictione *Quicunque* comprehẽduntur; ergo fortiori ratione idem asserendum est de excõmunicationibus Bullae Coenae, quae singulis annis celeberrimo die multis solemnitatibus adhibitis ipso Summo Pontifice astante promulgatur.

Immo quantum spectat ad hanc excõicationem in specie latã contra offendentes Episcopos, & alios Praelatos potest hoc idem exemplo Henrici Angliae Regis, cuius mandato Sanctissimus Praeses Thomas Cantauriensis interfectus fuit, confirmari, qui tanquã excommunicatus compulsus fuit absolutionis beneficium consueta Ecclesiae forma seruata accipere.

Probatur secundò, nam quamuis lex per clausulam generalem; Non obstante &c. in fine positam non redditur amplior, & vniuersalior, per illam tamen declaratur intentio disponentis, & indicat, sub lege com-

comprehendi casum, cui derogatur, Bald. in l. Eum. num. 36. C. De Fid. & Com. Ruy cons. 73. num. 11. lib. 3. sed Papa in fine Bullæ. §. Cæterum, tollit quantum ad absolutionem à casibus Bullæ priuilegia concessa Regali dignitate fulgentibus; Ergo satis declarat intentionem ipsius esse, vt Reges excommunicationibus Bullæ subijciantur.

Tertiò dignitas, & celsitudo gradus non debet aliquem adiuuare ad crimen cõmittendum, quia omnem honorum reatus excludit. l. 1. C. Vbi Senatores, vel Clariss. & l. Senatoris, ff. De Ritu Nuptiarum cum vnumquemq; criminosum non dignitas debeat, sed pœna comitari. l. Ne quis officialiũ. C. De Decur. lib. 10. l. Iudices. C. De dignit. lib. 12. Quare cum in hoc Canone generaliter sub censura excommunicationis prohibeatur offensio Cardinalium, & aliorum Prælatorum, non est, cur excludere debeamus Imperatorem, & Reges, præsertim quoniã vt recte annotauit Glo. tractans hanc difficultatem in Extrauag. Excõmunicamus Ver. Clericos. De sent. excom. inter cõmunes quando prohibetur aliquid, quod est malum per se, quantò cõmittens est dignior, tantò grauius peccat cap. Homo 40. dist.

2 Quod si specialiter in duobus illis casibus Bullæ, scilicet 14. & 18. nominatim Imperator, & Reges expressi fuerint, id propterea factum esse cẽseo, vt tolleretur dubiũ, quod meritò in illis casibus oriri poterat. Nam in casu 14. officiales potuissent fortasse existimare se excusatione dignos dum Regi iubenti paruissent cap. De Rebus iuncta Glos. Ver. Vt prius 12. q. 2. Similiter in casu Canonis 18. potuissent Reges se excusare, credẽdo licere eis pro necessitatibus Regni onera in eod. Can. interdicta Clericis imponere, vt putauerũt nõnulli Doctores, inter quos fuit Abb. in c. Nõ minus de Immun. Eccl. & Io. Feral. in tract. De Iur. & priuil. Regni Franc. n. 17. ad finem tradit causas, propter quas Rex Franciæ à Clericis subsidia capiat. Verũ in casu excõmunicationis huius Can. vndecimi Reges nullã poterant iustam prætendere excusationẽ, quare eis liceret in Cardinales, & alios Prælatos priuilegiatos manus injicere, cũ nullo Iure, aut priuilegio, vel prærogatiua cõpetat eis potestas, & iurisdictio in huiusmodi personas priuilegiatas; Idcirco nulla ratio cogebat, vt Imp. ac Reges in hoc Can. 11. expressè nominari deberent, sed satis fuit sub clausula generali illos contineré.

Verùm hic quæri potest; An Bulla comprehendat etiã ipsosmet Cardinales, Patriarchas, vel Episcopos offensos, vt si e. g. Cardinalis se ipsum iniuria afficiat, ipso facto sit hac excommunicatione innodatus.

Respõdeo, & primo dico esse probabile asserere talẽ offendentẽ se ipsum nõ remanere obstrictum excõicatione huius Canonis, & id persuaderi potest primo quoniã excõicatio afficit solùm in casibus iuxta intentionem, & voluntatẽ ipsius legislatoris. Sed volũtas Papæ videtur fuisse defendere huiusmodi insignes personas Ecclesiasticas ab iniurijs, & vexationib. quas iniustè ab alijs illatas pati possent; ergo excõicatio amplectitur tantùm extraneos percussores. Quare quamuis grauius peccet, qui se ipsum percutit, quàm si alium percuteret arg. cap. Si non licet 23. q. 5. & possit etiam in foro exteriori ciuili pœna puniri, vt inquit Abb. in cap. Contingit 1. num. 6. ex sent. Bart. in l. 1. §. Vsque. ff. De Iniur. non incidit tamẽ in excommunicationem ipso facto, quæ nõ extenditur vltra intentionem ferentis eam. Secundò cõfirmatur, quoniam plures ex actionibus prohibitis in Bulla, & similiter in cap. Felicis, & in Clem. Si quis suadente, nullo modo aptari possunt personæ iniuriam patientis, sed necessariò requirunt

A causam efficientem extrinsecam. vt capere, carcerare, detinere, hostiliter insequi, à Diœcesibus, & Terris eijcere; Nemo enim se ipsum eijcit, vel insequitur &c. Ergo eodem modo accipiendæ sunt aliæ actiones, scilicet vt intelligantur sub excommunicatione prohibitæ, quatenus ab alijs inferuntur aduersus dictas personas Ecclesiasticas. Tertiò si Cardinalis se ipsum percutiens incideret in hanc excommunicationem Bullæ, ergo idem dicendum esset in Canone 9. de his, qui veniunt ad Sedem Apostolicam, & in 10. de Peregrinis ad Vrbem accedentibus, si quis eorum in se ipsum manus inferret contra dispositionem Bullæ. Est enim eadem ratio, & tamen nemo id affirmat.

Dico secundò oppositam partem esse quoq. valde

B probabilem, vt dicamus hanc excommunicationẽ locum habere, quãdo quis ea priuilegiatis se ipsum iniuria afficit, & fundamẽtũ huius opinionis est, quoniam Doctores communiter asserũt Clericum se ipsum percutientem innodari excommunicatione c. Si quis suadente 17. q. 4. Abb. in dicto cap. Contingit 1. n. 6. Felin. num. 2. sequitur Nauar. in Manual. cap. 27. n. 79. quando percussio est talis, vt attingat grauitatem peccati mortalis propter læsionẽ in proprio corpore factam; Ergo idem quoque dicendum erit de personis priuilegiatis huius Canonis. Obijciet quis contra, si Clericus sponte corpus suum obtulerit, vt ab alio percutiatur, nõ incidit in excommunicationem cap. Si quis suadente; Igitur minus quoque erit excommunicatus, si se ip-

C sum verberet; Antecedens probatur ex textu in dicto cap. Contingit; Cum ait, *Si quis autem Clericus post prohibitionem huiusmodi sponte se subiecerit, excommunicetur.* Si Summus Pontifex præcipit, vt excommunicetur ergo supponi non incidisse ipso Iure in excommunicationem; Ad hanc obiectionem responderi potest negando consequentiam admisso antecedẽte: militat enim diuersa ratio. Nam quando Clericus consentit sponte, vt alius ipsum percutiat, vt euadat offensionem alterius, sicut in casu cap. Contingit non cooperatur ad percussionem, sed illam præmittit ad euitandum maius malum; At vbi se ipsum verberat, ipse est agens, & causa percussionis; & idcirco obstringitur excommunicatione cap. Si quis suadente; & eo-

D dem modo si sit persona priuilegiata in hoc Canone, incidet in excommunicationem in eo contentam.

Quamobrem concludamus excommunicationẽ huius Canonis esse adeò vniuersalem, vt omnes in vniuersum personas complectatur quæ sunt capaces censuræ; Vt non baptizatos, & inter baptizatos solùm Sũmum Pontificẽ excludamus; Reliqui enim omnes, si causam seu culpam, propter quam hæc censura fertur, commiserint, sub illa comprehenduntur, cuiuscunque conditionis, aut ordinis existant, siue sint fœminæ, siue viri, siue Laici, siue Ecclesiastici. Neque hæc generalis in-

E clusio personarum limitatur, aut coarctatur particula illa, *Si quis suadente Diabolo*, quæ non habetur in dicta Clem. 1. De pœn. quibus verbis Sũmus Pontifex declarare solum intendit necessariũ esse, vt talis persona sit capax malitiæ, atque adeò ratione vtatur, quia oportet, vt peccare sciat, & possit. Nam sine graui peccato, vt postea ostendam, hæc censura non incurritur. Si verò peccatum sit graue in specie, hic prohibita erit sufficiens causa excommunicationis, quia tale delictum, semper suggestione Dæmonis fieri præsumitur, Glos. in dicta Clem. 1. Ver. Diabolo, & Card. numero primo. Neque per illa verba aliqua specialis circunstantia illius delicti denotatur. Non obstat, quòd pueri possint hanc censuram incurrere, vt

supponitur in cap. fin. De Sent. Excom. quia ibi non vocantur pueri, qui ratione non vtuntur, sed qui inter eos, qui illa vti possunt, sunt ætate minores.

Dubitari potest solùm de Collegio, Vniuersitate, & Communitate; An comprehendantur sub illa dictione vniuersali *Omnes*.

Præmittendum est pro solutione huius difficultatis Delictum commissum à pluribus alicuius corporis vel vniuersitatis simul concurrentibus, non posse dici com missum ab vniuersitate, nec vniuersitate imputandum esse, nisi fuerit factum communicato consilio, & deliberatione præcedente eorum, qui Ciuitatem represen tant, vel fuerit factum ab ipso Populo ad hoc congregato more consueto, & deliberatione præmissa, Glos. in l. Sicut. ff. Quod cuiusque vniuer. & clarè hoc voluit Glos. in l. Aliud. Ver. Refertur. ff. De Reg. Iur. Bart. in l. Aut facta. §. fin. ff. De Pœn. Vbi dixit, si vniuersus populus ad sonum campanæ concitato cursu moueatur, vt interficiat quempiam, non dicitur tota Ciuitas occidisse, sed singulares personæ, si non præcessit conuocatio populi ad hunc finem facta, & deliberatio. Idem confirmat Io. Andr. in cap. Felicis De Pœn. lib. 6. & Io. de Ligna & Io. de Imol. in Clem. 1. Vers. Si Ciuitas eod. tit. Abb. in cap. Dilectus 2. num. 9. & 13. De Simon. Vbi verò dictæ conditiones reperiuntur, tunc Vniuersitas, & Collegium delinquit.

Hoc præmisso respondeo ad difficultatem, & duo dico.

Primum est, si accideret casus, vt aliqua Ciuitas, vel Collegium conuocatis singulis Collegium constituentibus, vel Vniuersitatem ad deliberandum, puta, an esset occidendus Episcopus, & facta deliberatione, quòd interficiatur, tali Episcopo necem inferret, tunc diceretur tota Ciuitas, vel Collegium deliquisse cap. Cum omnes De Constit. Et ex consequenti vniuersa Ciuitas pœnam incurreret, & ita in dicto cap. Felicis De Pœn. lib. 6. & in cap. Tua nos 25. q. 2. Ciuitas priuatur dignitate Episcopali propter homicidium. Et eodem modo in alijs casibus posset Vniuersitas puniri illa pœna, cuius Capax esset Vniuersitas. Et quia Vniuersitas non potest excommunicari cap. Omnis Christianus 11. q. 3. & cap. Audi denique eadem cau. & quæst. & cap. Si quis Presbyterorum De Reb. Eccl. non alien. ideo pœna excommunicationis commutatur in alias pœnas, Abb. in d. cap. Dilectus 2. num. 12. De Sim. atque ita factum est in cap. Felicis in fi. Vers. Ciuitas. Vbi Ciuitas, quæ quouis modo offendentibus Cardinales adiumentum aliquid tribuerit pontificali dignitate priuatur, & in Clem. 1. Vers. Ciuitas autem De Pœn. Ciuitas, quæ in Episcopum suum com miserit, interdicto subijcitur. Ex his sequitur in Bulla sub illa dictione *Omnes* qui Constitutionem huius Canonis violauerint, non contineri Vniuersitatem, Collegium, aut aliam Congregationem: quia pœna, quæ infligitur contra huiusmodi delinquentes est sola excommunicatio. Vniuersitas autem, Collegium, & multitudo non excommunicatur, sed incurreret pœnas d. cap. Felicis, & Clem. 1. De Pœn.

Dico secundò, cum reuera Collegium nihil aliud sit à singulis spectantibus ad Collegium, sed tantùm Iuris fictione aliud sit Vniuersitas; Aliud singuli cap. Qui manumittitur 12. q. 2. c. Nouit, De his, quæ fiunt à Præla. Et idcirco propriè Vniuersitas non possit delinquere, quia non habet corpus, sed est persona ficta, & repræsentata, & singulares homines ipsius Vniuersitatis sint qui delinquunt propterea dicendum est in hac significatione Vniuersitatē, vel Congregationem

A includi in Bulla sub illa nota vniuersali *Omnes* scilicet quæcunque personæ Ciuitatis, aut Collegij, quotquot fuerint, quæ contra dispositionem huius Canonis deliquerint, etiamsi omnes fuerint conficientes Collegium, & nullus supersit immunis, & liber à crimine, singuli excommunicatione obstricti remanent.

Sed postulabit quis, quare Summus Pontifex voluerit hanc excommunicationem contra offendētes Cardinales, Patriarchas &c. connumerare inter alias excommunicationes Bullæ Cœnæ, cum iure antiquo contra omnes offendentes Clericos, & personas Ecclesiasticas lata esset amplissima excommunicatio in cap. Si quis suadente 17. q. 4. quæ etiam est reseruata Sedi Apostolicæ, & deinde eadem specialis excommunicatio B Bullæ additis etiam multis alijs pœnis reperiretur in cap. Felicis De Pœn. lib. 6. quantum ad Cardinales, & in Clem. 1. De Pœn. quantum ad Patriarchas, & Episcopus, & in alijs locis, vt postea ostendam, & omnes sint reseruatæ.

Respondeo plures assignari posse rationes, quibus dicti Summi Pontifices sapientissimè iudicauerint hāc excommunicationem in offendentes huiusmodi insigniores Reipub. Christianæ personas inter alias excommunicationes Bullæ Cœnæ collocandam esse. Prima ratio est, vt hæc excommunicatio lata cōtra committentes tale sacrilegium redderetur difficilioris absolutionis, quando enim casus à Iure habet annexam excommunicationem reseruatam, & postea reponitur C in Bulla fit difficilioris absolutionis, quia non potest absolui, nisi facta expressa mentione Bullæ, vt dixi in Cap. 4. Disp. primæ. Secunda ratio, vt hac via magis retraherentur homines ab hoc grauissimo scelere perterriti formidine tam solemnis anathematis, quòd singulis annis celeberrima illa die Cœnæ Domini solemni ritu ab ipsomet Summo Pontifice Ecclesiasticis ceremonijs adhibitis fulminatur. Tertia ratio est, quia in hoc Canone Bullæ excommunicationi subijciuntur aliquæ actiones, quæ non continentur in cap. Si quis suadente 17. q. 4. Nempe hostiliter insequi Cardinales, Patriarchas &c. & eos à suis Terris eijcere. Nec non mandare ratum habere, & ad illa auxilium, consilium, vel fauorem præstare. In cap. Felicis non poni- D tur inter actiones dānatas eijcere Cardinales ex suis Terris &c. In Clement. 1. De Pœn. non fit mentio de hostili insecutione, neque de carceratione, vel detentione. Et ob hanc rationem Clemens Quintus in Clem. 1. De Pœn. voluit nouam excommunicationem pronunciare aduersus hos sacrilegos offensores, Ideo inquit, *Eundem in illis casibus de prædictis, in quibus excommunicationem, per iam editos Canones non subiret &c.* Vbi Glos. in Ver. De Prædictis notat, quòd in casibus in quibus per antiqua Iura contrahebatur excommunicatio, non iteratur per illam Constitutionem. Quarta ratio est; Idcirco hanc excommunicationem sępius in Iure repetitam haberi, & repositam fuisse in Bulla E Cœnæ ad declarandam maiorem confusionem, dedecus, & infamiam illorum, qui diabolica suasione tentant tam immune scelus, & graue sacrilegium committere non erubescunt. Quamuis enim huius criminis reus ob huiusmodi delictum non incurrat tot excommunicationes, quot sunt leges illud prohibentes, quia eadem est causa ferendæ excommunicationis in omnibus, & ideo non multiplicantur censuræ, vt dixi in dicto capitulo quarto, Disputat. prima, & lib. 3. Disput. 10. cap. 7. Tamen quando absoluitur, maiori coerctione est dignus, & duriori pœnitentiæ supponendus.

Hinc

Hinc inferri potest omnes excommunicationes iure antiquo latas contra tales sacrilegos offensores Ecclesiasticarum personarum contineri virtualiter in excommunicatione huius Canonis Bullæ tanquam in solenniori, & quæ difficilioris est absolutionis. Vnde qui iniuria afficit Cardinalem aut Episcopum, ex consequenti transgreditur Canonem, si quis suadente contra offendentes Clericos. Verum non è cõtra ex offensione simplicis Clerici non contrahitur hæc excommunicatio Bullæ, quòd si tolleretur excommunicatio Bullæ, non propterea intelligeretur sublata excommunicatio cap. Si quis suadente, & aliæ, quæ in Iure habentur, vt probaui in d. cap. 4. Disp. 1.

CAPVT II.

De Personis priuilegiatis, ex quarum offensione hæc excommunicatio incurritur, verba Canonis sunt S. R. E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios.

NOn est, quòd longius innumerari debeam, vt declarem dignitatem, præstantiam, munera, functiones, priuilegia Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum. Nam plures extant libri, in quibus copiosissimè de his Ecclesiasticis dignitatibus, & ordinibus differitur, sed nonnulla tantum attingam de his primarijs Ecclesiasticæ Hierarchiæ gradibus, quæ ad clariorem huius excommunicationis notitiam conferre possunt, simulq; declarabo, quos intelligat Papa per Legatos Sedis Apostolicæ & Nuncios.

In hoc Canone excommunicantur omnes, qui aliqua actione ex prohibitis iniuria afficere præsumpserint sex genera personarum, nempe Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Legatos, vel Nuncios. Primi quatuor gradus & ordines constituunt in Rep. Christiana quatuor maiores dignitates Ecclesiasticas post Papam totius Ecclesiæ pastorem. Dignitas autem in propria significatione, vt inquit Io. Selu. in tract. de Benef. prima par. q. 1. num. 161. ex sententia Archid. est quædam præeminentia quoad forum contentiosum in Ecclesia gradum tenens cum iurisdictione.

Primo loco, post Papam retinent dignitatem Ecclesiasticam Cardinales, quibus hodie ius competit eligendi Papam, And. Barbat. in tractat. de Præstan. Cardinal. in prima q. basilica primæ par. § ex dicto etiam Host. in fi. & vocantur pars corporis Papæ, Io. de Lignano in cap. 2. de Cleri. non resid. & Host. in cap. Antiqua de Priuil. Post mortem Pontificis Sede vacante vtuntur Iurisdictione Papæ ex causa grandi & imminente periculo, vt notat Glos. vlt. Ver. Sede vacante in fine in cap. 1. de Schisma. lib. 6. Glos. in Ver. Ne Romani, & ibi Doctores in Clem. Ne Romani de elect. & Cardinales dicuntur Reges, quia cum Summo Pontifice eorum capite præsunt regimini totius Mundi, vt inquit Host. in capitulo Dilectis 1. de Præben. Ideo vocantur S.R.E. Cardinales quia curam gerunt Ecclesiæ vniuersalis, quæ Romana est Ecclesia cap. Bona De Postul. Prælat. Martin Saudē in Tract. De Cardinal. q. 31. & qui machinatur contra personam Cardinalis, committit crimen læsæ maiestatis, cap. Felicis De Poen. lib. 6. Innocentius Tertius in cap. Peruenerabilem prope fi. Vers. Sunt autem Sacerdotes; Qui filij sint legitimi, dicit Cardinales esse Sacerdotes Leuitici generis: sic enim loquitur: *Sunt autem Sacerdotes Leuitici generis fratres nostri, qui nobis*

A *iure Leuitico in executione Sacerdotalis officii coadiutores existunt.* Et quemadmodum Sacerdotes Leuitæ in veteri lege mysteria ad diuinum cultum spectantia in templo Dei perficiebant cap. Cleros dist. 21. De quibus Dominus Nume. cap. 3. Locutus est ad hunc modum *Applica tibi Tribum Leui, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotes, vt ministrent ei, & excubent, & obseruent quicquid ad cultum pertinet multitudinis coram Tabernaculo testimonii, & custodiant vasa tabernaculi seruientes in ministerio ei.* Ita quoque Cardinales inuigilare debent cum Summo Pontifice Illumque in regimine Christianæ Reip. condennare. Vnde Abb. in dicto cap. Per venerabilem num. 19. & alij Doctores affirmant Cardinalatum esse de Iure diuino, non autē B de iure positiuo. Non est autem huius loci quæstionem hanc discutere, quam pluribus examinat And. Barb. in Tract. De Præstan. Cardinal. quæst. 1. Quando verò in Ecclesia Romana initium habuerit hoc nomen Cardinalium, non constat apud omnes; nam tempore, quo Constantinus Romanam Vrbem, & omnes Italiæ prouincias Syluestro Summo Pontifici reliquit, nulla fit mentio de Cardinalibus, sed tantum de Clericis Romanæ Ecclesiæ, vt patet ex cap. Constantinus dist. 96. & postea cum idem Syluester concilium coegit, appellantur Cardinales cap. Præsul 2. q. 4. Et Antonius de Pretis in Tract. de Iurisd. Episcopa. cap. 6. num. 36. asserit crescente numero Presbyterorum, & Diaconorum ad Vrbem confluentium, necessarium C fuisse Romanos Presbyteros & Diaconos, vt ab aliis distinguerentur, vocare Cardinales Romanæ Ecclesiæ cap. Oportebat, & cap. seq. 79. dist. Glos. in Clemēt. Dignum Ver. Romanæ De Celebr. Miss. & hæc sufficiunt de Cardinalibus. Excommunicantur igitur in hoc Canone, qui aliquem ex Cardinalibus offendere auderent; Addidit autem Summus Pontifex S. R. E. vt significaret, de quibus Cardinalibus loqueretur, nam Canonici etiam quarundam Ecclesiarum Cardinales appellari solent, & solitis Cardinalium indumentis vti, vt Canonici Ecclesiæ Sancti Iacobi Compostellanæ, & Rauennatensis, vt notat Glos. in dicta Clem. Dignum Ver. Romanæ De Celebra. Missa. Illis tamen Papa hoc priuilegium non intendit concedere, D sed tantum Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ, qui verè, & propriè sunt Cardinales, & creari possunt à solo Romano Pontifice; ideo qui offenderet Canonicum Sancti Iacobi Compostellani, vel Rauennaten. vel alterius Ecclesiæ, quæ priuilegio nominis, vel habitus Cardinalium gauderet, non incurreret excommunicationem huius Canonis, quamuis etiam si Cardinales simpliciter exprimerētur, nō addita ills particula S. R. E. intelligi debeant soli Cardinales Romanę Ecclesiæ ex vniuersali consuetudine, & communi modo loquendi. Transeamus ad Patriarchas.

Post Cardinalatus dignitatem succedit Patriarcha; idest Summus seu Princeps Patrum ita appellatus, quia primum post Apostolicum tenet gradum, & E maximo honore est decoratus, Antonius de Pretis in Tract. De Iurisdict. Episcop. cap. 6. num. 16. & licet optimè dicatur, quod Patriarcha primum obtinet locum post Summum Pontificem, & sequitur Papam; non ideo inferri potest Patriarchas præcedere debere Cardinales, quoniàm, vt dixi, Cardinales sunt vnum & idem corpus cum Papa. Quare cum Doctores affirmant Patriarchas primum locū obtinere post Summum Pontificem, accipiunt Papam cum Cardinalibus, qui vna cum illo vnum corpus efficiunt. Vocantur etiam Patriarchæ Primates, vt ait Glos. in capit.

Vrbes Ver. Patriarchas d. 80. *Idem est Primas & Patriarcha.* Et quod dicitur de honore & dignitate, quæ competit Patriarchis, intelligendum est de quatuor principalibus Patriarchis Orbis Christiani post Papam, nempe Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, non de alijs, vt per Abb. in cap. Antiqua num. 6. de priuileg. quibus locus in ordine dignitatis competit, eo modo sicut sunt enumerati, licet olim primum locum teneret Patriarcha Alexandrinus vt cap. Renouantes 22. dist. & notat Glos. in dicto cap. Antiqua, Ver. Alexandrina de priuil. sed postea Constantinopolitanus locum suum occupauit; vt eadē Glos. animaduertit, & citat versus.

Pauperitas Ouium, vitium, fauor, & scelus orbis.

Perstitit forsitan, & loca iure suo. Et videtur insinuare id accidisse, vel ob paupertatem, ad quam fortasse Ecclesia Alexandrina peruenerat, vel ob fauorem & amplitudinem, quam consecuta est Constantinopolitana; maximo postquam illuc translatum est imperium ob præsentiam & residētiam Constantini, quod magis verisimile videtur, sicut colligitur ex cap. Renouantes, & ibi Glos. Ver. Priusquam dist. 22. Huius quoque facti assignari potest alia causa, nempe quia per Summum Pontificem priuilegia Romanæ Ecclesiæ fuerunt concessa Constantinopolitanæ nimirum appellandi ad illam ab alijs Ecclesijs subditis medijs prætermissis deponendi Episcopum, & similia, vt patet ex dicto capit. Renouantes, & ex tex. in Auth. de Ecclesiasticis tit. §. 1. Collat. 9. Vnde Glos. fin. in d. Quia traditione ead. distin. 22. asserit Constantinopolitanam Ecclesiam tempore Gelasij Papæ non habuisse secundum locum.

Præter hos quatuor principales Patriarchas antiquos nonnulli alij Episcopi hoc nomine insigniti fuere, & Patriarchæ appellari conuenerunt, vt Grandensis per Glos. in capitulo In illis; Ver. singulos distinct. 80. vbi opponit contra textum asserentem in singulis Ciuitatibus singulos Episcopos esse debere, quoniam Venetiis id non videtur seruari, vbi existit Episcopus & Patriarcha, & soluendo respondet non esse Patriarcham Venetiarum, sed Grandensem, Angel. in Sum. Ver. Patriarcha recenset inter Patriarchas Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Hierosolymitanum, Antiochenum, Aquileiensem, Cantauriensem, Grandensem, & citat Glos. in c. Cleros Ver. Archiepiscopos dist. 21. quæ nominat solum Aquileiensem, Cantauriensem, Bituricensem, Specul. in tit. de dispensat. §. sunt quoque, nominat illos quatuor principales, & deinde alios, quos enumeraui, quibus addit Toletanum in Regno Castellæ. Ex his colligere possumus vltra quatuor Patriarchas principales dari alios Patriarchas, vt est Aquileiensis in Prouincia Dalmatiæ iuxta Mare, Cantauriensis in Prouincia Angliæ, Bituricensis in Gallia, Grandensis, qui habebat Patriarchatum in loco dicto Gradisca non longe distans à Ciuitate Venetiarum, qui Venetiis commorari solebat, vt per Glos. in cap. Illis Ver. singulos 80. distin. qui fortasse ob eam causam, quod continuam moram trahere solebat Venetiis, accepit Episcopatum, & iura Episcopalia dictæ Ciuitatis ex priuilegio & concessione Sedis Apostolicæ, & ex Episcopo Venetiarum, & Patriarcha Grandensi creatus est Patriarcha Venetiarum ad decorem tam insignis & magnificæ Ciuitatis, quod fieri potest per textum in capit. Nulli 99. dist. Quot Episcopos autem, quot Archiepiscopos quilibet Patriarcha tam ex principalibus, quàm ex alijs habeat, latè & pulchre tractatur in libello de numero, & titul. Cardinalium Ordi. Patriarch. nomine Episcoporum & Archiepiscoporum, vt habetur in sexto volum. Tract.

Beatus Petrus Apostolorum Princeps Apostolica auctoritate, vt Ecclesiam recte ac sancte regeret, iussit Patriarcharum Sedes constitui iuxta diuisionem Prouinciarum per Antiquos Gentiles factam ante Christi aduentum in ordine ad Sacerdotes suos. Quare vbi Gentiles posuerunt Sacerdotes suos quos Protoflamines appellabant, qui primi legum Doctores erant, hodie in eorum locum sunt deputati Patriarchæ, & sicut tunc erant Archiflamines dignitatis inferioris, hoc tempore sunt Archiepiscopi. Tandem alij erant Flamines, quorum locum vendicant Episcopi, tex. in c. In illis 80. dist. Quare Patriarchæ sunt positi in capitibus Prouinciarum, c. Prouincia 99. dist. Archiepiscopi in singulis Prouincijs, Episcopi in singulis Ciuitatibus, Presbyteri vero in Villis, & Castellis, tex. in cap. Episcopi 80. dist. Glos. in cap. 1. ead. dist. Et ad Patriarchas cognitio rerum, & negociorum difficiliū deuoluitur & quæstiones magnæ inter Archiepiscopos & Episcopos vertentes. Tandem Patriarchæ gaudent multis & magnis priuilegijs cap. Renouantes 22. dist. Auth. de Ecclesia. tit. §. 1. colat. 9. Card. in Clem. in Plerisq; q. 16. de elect. & inter alia priuilegia annumerari etiam potest priuilegium huius Canonis, quòd offendentes illos obstringuntur excommunicatione Bullæ.

Petet aliquis, an hic nomine Patriarcharum comprehendantur omnes illi, qui aliqua ratione vel titulo, aut consuetudine vendicant sibi nomen Patriarchæ, an vero quatuor soli antiqui Patriarchæ.

Respondeo hunc Canonem generaliter de omnibus Patriarchis, quicunque sint absq; vlla distinctione intelligendum esse, & patet manifeste, tum quia simpliciter loquitur de Patriarchis sine vlla additione, ergo vniuersaliter debemus illum intelligere cap. Si Romanorum Vers. Consonat autem huic, dist. 19. cap. Quia circa de priuileg. l. de precio ff. de publicia, & vbi lex aliquid vult, id exprimit arg. l. vni. §. fin. autem ad deficientis C. de Cadu. tollen. cap. Ad audientiam de Deci. cap. Inter corporalia de translat. Prælat. sicut factum legimus in cap. Antiqua de priuileg. vbi quia solis quatuor Patriarchis priuilegia conceduntur, ideo exprimuntur, tum etiam id colligitur, quoniam quamuis alij Patriarchæ præter primos quatuor non intelligerentur nomine Patriarcharum, adhuc gauderent priuilegio huius Canonis, quoniam essent Archiepiscopi, vel Episcopi, quibus idem priuilegium concessum est.

Archiepiscopi immediate sequuntur post Patriarchas, quia Patriarchæ subiiciuntur cap. 1. dist. 99. ibi, *Reliquas vero Metropolitanæ Ciuitates &c. haberent Metropolitanos suos, qui prædictis iuste obedirent Primatibus,* idest Patriarchis vnde colligitur Archiepiscopum vocari etiam Metropolitanum à mensura Ciuitatum, quas sub sua iurisdictione habere debet, nam præponitur decem vel vndecim Ciuitatibus cap. Scitote 6. q. 3. vel dicitur Metropolitanus à Matre Ciuitatum *ἀπὸ τῶν μητέρων καὶ πόλεις* quia Ciuitas Archiepiscopalis est Mater aliarum Ciuitatū Prouinciæ c. de his 12. dist. Abb. in capit. Suffraganeis 2. notan. de elect. Archiepiscopus vero vocatur, idest Summus vel primus Episcoporum, aut Princeps Episcoporum. Anton. de Pretis in tract. de Iurisd. Episcop. nu. 17. Io. de Sylua in tract. de Benef. par. 1. q. 3. num. 4. Et vnus tantum Archiepiscopus in singulis Prouincijs esse debet

cap.

cap.Scitote 6.q. 3. Glos. in cap. 1. 80.dist.Qui est ordinarius omnium Episcoporum & totius Prouinciæ, quia illius sollicitudinem gerit, non est tamen Ordinarius cuiuslibet de Prouincia, nisi tantum in quibusdam articulis expressis, vt bene animaduertit Glos.in cap. Pastoralis Ver.Exceptis de off. ordi.potest etiam cognoscere de crimine sui Episcopi & suffraganei, si scelus non si tale, quòd depositionem postulet, vt per Doct. in cap. Sacris de sent.excom. Tunc enim debet adhibere consilium Episcoporum, & ad causæ cognitionem deuenire non potest: cum Episcopi á solo Papa iudicentur cap. Accusatus 3.q.6.Abb. in c. 2.num. 3. de accusat. Idem in capit. Pastoralis in princ. de off. ordi.

Et Archiepiscopo traditur pallium de corpore B. Petri sumptum, & est vestis Crucibus ornata, insigne plenitudinis pontificalis dignitatis, quia est super Episcopos cap. Antiqua Vers. seruata de priuileg. c. Ad honorem de aucto. & vsu palij cap. Pallium distin. 100. Quo tamen non vtitur semper & vbique, sed solum in Ecclesia sua, in qua accepit Iurisdictionem inter Missarum solennia certis quibusdam diebus, quia est vocatus in partem sollicitudinis ad differentiam Papæ qui cum habeat plenitudinem potestatis, semper & vbique pallio vtitur inter Missarum solemnia, & in alijs, vt Innocentius Tertius respondet in dicto cap. Ad honorem de auctorit. & vsu pallii. Dies vero, quibus Archiepiscopo permissum est vti pallio sunt in Natiuitate Domini, in festo S. Stephani, Sancti Ioannis, Epiphaniæ, & alij, de quibus per Io. Franciscum Pauinum in tract. de visitat q. 3. num. 16. par. 2. Et quando Archiepiscopus decedit, cum suo pallio sepellitur, quia pallium sequitur personam, Abb. in cap. Bonæ memoriæ 2 num. 27. de postul. Prælat. de his personis, quæ tam sublimi dignitate sunt ornatæ loquitur Canon Bullæ, quibus concedit idem priuilegium, sicut Cardinalibus & Patriarchis.

Post Archiepiscopos succedunt Episcopi, qui præpositi sunt singulis Ciuitatibus: debent enim intendere & inuigilare gregi Domini sibi commisso; ideo vocantur Episcopi græce, quod nomen latine sonat superintendens, cap. Qui Episcopatum 8. q. 1. & sunt Ordinarij in suis Diœcesibus & locis subiectis, toto tit. de off. ordi. & possunt residere ac pronunciare in omni loco suarum Diœcesum, cap. Cum Episcopus eod. tit. lib. 6. Congregant Synodos, in quibus interueniunt Clerici propriæ Diœcesis, & possunt in illis condere statuta & etiam extra Synodos, quia edere statutum est actus voluntariæ iurisdictionis, Glos. in c. Ex parte 3. Ver. Legatus de verb. signif. Et quæ sunt volũtariæ iurisdictionis, possunt semper & vbiq; exerceri, late per Doct. in cap. Nouit de off. deleg. de priuilegijs autem Episcopis concessis tractat fuse Bertach. in tract. de Episc. 2. par. circa fi. num. 148. & inter alia priuilegia potest quoque annumerari priuilegium huius Canonis. Sed restat, vt de Legatis Sedis Apostolicæ & Nuncijs loquamur.

De Legatis & Nunciis sedis Apostolicæ nonnulla dixi in lib. 3. Disp. 7. cap. 1. & in lib. 4. Disp. 3. cap. 2. Legatus, vt inquit Specul. in tit. de Legato in princ. dicitur Quicunque ab alio missus est cap. Presbyterum dist. 50. cap. Satagendum 25. q. 1. Vnde Legati Sedis Apostolicæ vocantur, qui missi sunt à Papa ad gubernandam certam Prouinciam, vt in cap. 1. & cap. Nouit, & seq. De Off. Lega. Tria verò sunt genera horum Legatorum; Quidam sunt Legati constituti seu missi non tamen de Latere Papæ, atque hi Nuncij vocari so-

A lent communiter cap. Volentes in princ. De Off. Lega. Alij sunt Legati nati, ita dicti, quoniam illis non committitur officium Legationis, sed est annexum ipsi dignitati. Tales sunt Archiepiscopus Cantauriensis, Eboracensis, & alij, Glos. in cap. 1. Ver. Ecclesiarum De Off. Lega. lib. 6. Quidam sunt Legati de latere Papæ missi, & hi possunt esse etiam illi, qui non sunt Cardinales, vt familiaris. Cappellanus, vel officialis Papæ, aut extraneus, si hoc expressum fuerit in Literis Legationis. Sed consuetudo Romanæ Ecclesiæ solos Cardinales vocat Legatos de Latere cap. Volentes De Off. Lega. cap. 1. eod. tit. lib. 6. cap. Ad eminentiam De Sent. Excom. & hac prærogatiua decorantur non tantum Iure recentiori, sed antiquo. Et ad id pro-

B bandum faciunt duo textus singulares cap. Decreto 2. q. 6. ibi, *Aut ante Legatos nostro ex Latere missos &c.* Et cap. Si quis Episcopus ead. can. & quæst. ibi, *Quod si is &c deprecatione sua mouerit Episcopum Romanum, vt de Latere suo Presbyteros mittat &c.* Est aut hoc in loco animaduertendum, quòd vbi Constitutio loquitur de Legatis simpliciter, omnes Legati cuiuscunque generis intelligi debent, quia appellatione Legatorum omnes species Legatorum comprehenduntur, tex. in c. 1. de off. lega. lib. 6. Et omnes Legati Papæ sunt valde honorandi, & benigne tractandi tanquam ipsius Summi Pontificis vices gerentes, cap. Accedentes de præscript. Vnde omnis Episcopus in sua consecratione se id obseruaturum iure iurando pollicetur, c.

C Ego N. de iur. iur. cumque Legato debita reuerentia exhibetur, in eo Sedes Apost. honoratur, cap. Volentes de off. lega. Exercent autem Iurisdictionem, postquã ingressi sunt Prouinciam eis commissam, & non antea si loquamur de contentiosa iurisdictione, quia voluntariam antequam sint in Prouincia, possunt administrare, Specul. in tit. De legato §. Nunc dicamus in princ. de Priuilegijs Legatorum, late tractat Specul. in dicto tit. de legato, & And. Barb. in Tract. de præstantia Cardinal. par. 2. Habent etiam priuilegium huius Canonis, quòd conuenit omnibus Legatis Sedis Apostolicæ etiam si non sint Cardinales, quoniam verba sunt vniuersalia sine vlla limitatione, ergo debent intelligi generaliter de omnibus Legatis, quam-

D uis non sint ex latere Papæ, nam si de solis Cardinalibus Papa intellexisset, non opus fuisset Legatos & Nuncios exprimere, cum primo loco enumerasset simpliciter Cardinales; sed cum addat Legatos & Nuncios, euidens est argumentum comprehendere velle omnes personas à Sede Apostolica tanquam eius Vicesgerentes cum solita & consueta potestate & iurisdictione ad certam Prouinciam missas, siue sint Cardinales, siue familiares Papæ, aut Officiales, vel Cappellani ipsius, vel etiam extranei, qui omnes nomine Legatorum significantur, Glos. in cap. Statutũ in princip. Ver. A Sede Apostolica de rescript. lib. 6. capit. Priuilegium de verbor. signif. eod. lib. & com-

E prehenduntur in hoc Canone. Quare etiam si nulla mentio de Nuncijs facta fuisset, adhuc sub genere Legatorum includerentur, vt dixi. Verum quia hodie quando mittitur à Sede Apostolica, qui non est Cardinalis, non solet vocari Legatus, sed Nuncius ad tollendam omnem ambiguitatem, dictum est *Legatos, vel Nuncios*. Iam igitur constat, quæ sint personæ, quæ priuilegio huius Canonis gaudent. Sed ad maiorem declarationem de eisdem nonnullæ dubitationes præponendæ sunt & soluendæ.

CA-

CAPVT III.

De eisdem Ecclesiasticis Dignitatibus nonnullae dubitationes proponuntur, & dissoluuntur.

PRimò dubitari potest, cur Summus Pontifex sigillatim recenserat, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos Legatos, & Nuncios: cum satis fuisset nominare Clericos, quia appellatione Clericorum omnes enumerati includuntur, quia per assumptionem ad Cardinalatum, Patriarchatum &c. non desinit quis esse Clericus Tex. Sing. in cap. fin. De Syn. Vbi appellatione Monachorum comprehéditur Abbas, qui Monachus est. Similiter sub nomine Clericorum significantur Canonici, vt declarat Innocentius Tertius, in cap. Cum tibi De Verbo. signif. dicens. *Consultationi tuae taliter respondemus, quod appellatio Clericorum non solum alios, sed Canonicos etiam comprehendit*, ergo eodem vocabulo debent intelligi Episcopi, & alij Superiores Clerici. Confirmatur ex Rub. De Cleri. non resid. Et tamen in eodem tit. in cap. 2. punitur in specie Cardinalis, quia non residebat, & est tex. singuli vbi in poenalibus sub nomine Clericorum comprehenditur Cardinalis. Tandem in capit. Constantinus post princ. Vers. Beato Syluestro &c. dist. 96. Cardinales dicuntur Clerici, verba sunt, *Viris autem Reuerendissimis Clericis in diuersis Ordinibus, eidem Sacrosanctae Romanae Ecclesiae seruientibus*, Itaque non erat necessarium recensere omnes gradus, & ordines Ecclesiasticarum personarum, sed sufficiebat Clericos nominare.

Respondeo ad hanc dubitationem concedendo in ijs, quae spectant ad fauorem, & gratiam nomine Clericorum, posse comprehendi Episcopos, & eorum superiores, ac etiam Cardinales, sed non è contra sicut appellatione Canonicorum non veniunt Clerici. Quare cum Summus Pontifex vellet hoc priuilegium concedere non vniuersaliter omnibus Clericis, sed tãtum maioribus Dignitatibus, debuit illas exprimere, & excommunicationem pronunciare aduersus offendentes in specie has primarias personas Ecclesiasticas, vt distingueret illas hac in parte ab aliis Clericis inferioribus, qui gaudent etiam communi priuilegio omnibus indistinctè, tam maioribus, quam minoribus concesso, nempe vt qui audent illos offendere, in excommunicationem cap. Si quis suadente incidant.

2 Sed adhuc vrgebit aliquis, saltem satis erat recensere Episcopos quorum appellatione infauorabilibus significantur Superiores, nimirum Archiepiscopi, Patriarchae & Cardinales, quibus omnibus Papa hoc idem priuilegium in hoc Canone conferre statuerat.

Respondeo primo, quod licet in ijs, quae spectant ad officium pontificale appellatione Episcoporum comprehendantur Superiores, idest Archiepiscopi, Patriarchae seu Primates non tantũ in faumrabilibus, sed etiam poenalibus, vt bene annotauit Glos. in cap. Quia periculosum Ver. de Episcopis de sent. excom. lib. 6. ob eam rationem, quia omnes habent eundem Ordinem: non enim reperitur Ordo Superior Episcopatu; ideo expressis Episcopis intelliguntur Superiores habentes eundem Ordinem. Hoc etiam ibi afferunt Gemin. & Franc. in fi. Tamen in priuilegijs, quae respiciunt dignitatem & personas, non est semper verum, vt si aliquod priuilegium conferatur Episcopis, eo ipso intelligatur collatum Archiepiscopis & Patriarchis, quia priuilegium non extenditur ad personas non expressas, licet in non expressis militet eadẽ ratio, vt habetur in cap. Sane de priuileg. Est enim ius speciale, & sequitur personas priuilegiatas, & non transit ad alias reg. Priuilegium de reg. Iur. lib. 6. & notat Abbas in dicto cap. Sane num. 1. de priuileg. & haec est ratio discriminis inter legem & priuilegium, vt idem Abbas docet num. 3. Nam lex est communis omnibus, sed priuilegium est lex priuata; ideo non trahitur ad alios non expressos sine auctoritate concedentis, cum ergo mens Papae esset non coarctare hoc priuilegium solum ad Episcopos, sed comprehendere multo magis Archiepiscopos & Patriarchas; Idcirco opus fuit, vt non solum Episcoporum sed aliorum Superiorum mentio haberetur in specie.

Secundo responderi potest, quòd quamuis in materia huius Canonis nomine Episcoporum significari potuissent omnes Superiores nominati, nihilominus maxime conueniens fuit ad tollendam omnem difficultatem, praesertim cum agatur de pęna spirituali grauissima excommunicationis quae animam obstringit, exprimere in specie omnes Ecclesiasticas dignitates, quibus hoc priuilegium concedebatur, ne si soli Episcopi nominarentur, quis suspicaretur ex offensione Archiepiscopi, Patriarchae, aut Cardinalis, non incurri hanc excommunicationem. Lex enim, Constitutio, & qualibet dispositio debet esse clara & aperta, non obscura & perplexa, cap. Erit autem lex dist. 4. c. Abbate S. Siluani Vers. Hic autem sensus rectior de verb. signif. Verba tex. sunt, *Quia cum priuilegium sit lex priuata, & lex non debeat esse obscura vel captiosa, sed certa & manifesta &c.* l. Aut qui §. 1. ibi, *Aut obscure dicere* ff. quod vi aut clam, l. veteribus ff. de pact.

Tertio respondere possumus ob eam rationẽ Summum Pontificem non tantum Episcopos, vel Praelatos Superiores & Cardinales nominasse, vt in hoc Canone Bullae sub eodem priuilegio simul complecteretur eos omnes, quibus diuisim idem priuilegium concessum erat iure communi in cap. Felicis de pęn. & in Clement. 1. eod. tit. Nam in cap. Felicis excommunicantur offendentes Cardinales, in Clem. 1. vinculo anathematis obstringuntur, qui quemuis Pontificem iniuria afficiunt; nomine Pontificis significantur vniuersaliter Episcopi, Archiepiscopi, & Patriarchae. Et omnes hi comprehéduntur in hoc Can. vnde Nau. in Man. c. 27. n. 67. dicit in hac clausula Bullae ęquiparari Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Legatos, & Nuncios Cardinalibus; quod verum est, quantum ad Censuram excommunicationis, non quoad alias pęnas, vt dicam postea, quare Summus Pontifex intendit euidẽter declarare in hoc Canone eos omnes, qui committunt actiones hic prohibitas cõtra dictas Ecclesiasticas personas, incurrere censuram Bullae, quae quoad personas Cardinalium coincidit cum censura cap. Felicis, & quoad personas Episcoporum &c. cum dicta Clem. Si quis suadente.

Secunda dubitatio fit, an hoc priuilegio gaudeant Episcopi & Superiores, cum primum sunt electi & cõfirmati, an vero post consecrationem. Ratio dubitandi esse potest, quia Episcopus electus non consecratus, non vocatur Episcopus vere & proprie, vt notat Glos. in dicta Clem. 1. Ver. Quemuis Pontificem de Poen. Et cum haec constitutio Bullae sit poenalis, potius est coarctanda, quàm dilatanda.

Contra verò dici potest hoc priuilegium vniuersaliter accipiendum esse de omnibus Episcopis etiam non consecratis. Primo quoniam etsi haec constitutio sit odiosa offendentibus, est tamẽ fauorabilis personis Ecclesiasticis, & ex hac parte amplificanda. Secundò

Episco-

Episcopus electus, & cōfirmatus potest actus proprios Episcopi exercere; Vt conferre Indulgentias ex sententia Host. in Summa in tit. De Pœnit. Et Remiss. §. Si quis possit Vers. sed nunquid, Bertach. in tract. de Episcopis in 4. par. Secundæ partis principalis nu. 22. Immo per confirmationem electionis transfertur potestas in Episcopum exercēdi ea, quæ sunt iurisdictionis, sed non ordinis, cap. Transmissum de Elect. vbi ita statuitur, *Respondemus igitur quod ex quo electionis tuæ confirmationem accepisti de talibus, & consimilibus præter ea, quæ maioris inquisitionis discussionem exigunt, & ministerium consecrationis desiderant, quod iustum est, & Ecclesiasticæ conuenit vtilitati statuendi habeas liberam facultatem.* Et Glos. explicans verbum illud *De talibus* inquit, idest Iudicare, excommunicare, corrigere, Iuramentū recipere à vassallis, confirmare, inuestire, beneficia conferre, & similia. Idem habetur in cap. 1. De Transla. Episc. & ibi Glos. Verb. confirmasse, & Glos. in cap. Verum Ver. Quæstio mota fuit De Fo. Compet. Quamobrem si ante consecrationem fungitur potestate Episcopali, & exercet actus spectantes ad talem iurisdictionem; igitur verè est Episcopus, & debet priuilegijs Episcoporum gaudere.

In hac difficultate videntur omnes Doctores communiter partem negatiuam amplecti, asserentes priuilegium huius Canonis non conuenire Episcopo electo, & confirmato etiam post adeptam possessionem Episcopatus ante consecrationem. Et consequenter negant hanc excommunicationem afficere illum, qui offenderet huiusmodi Episcopum non consecratum, Glos. in Clem. 1. Ver. Quemuis Pontificem De Pœn. Ita sentit Caietanus in Summa Ver. Excommunicatio cap. 15. Vers. Aduerte hic, & reddit rationem, quia electus non consecratus non est Episcopus, B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 3. prope princ. Sylnc. excommunicatio 7. §. 44. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 67. in fi. Vers. octaua quod Episcopus Cardinalis Toletus lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 25. Vers. Aduertendum est autem, Abb. in cap. Cum te num. 2. & Feliu. latè num. 1. & seq. De Rescript. Card. in Clem. 1. nu. 12. Vers. Quintò quæro De Pœn.

Ab hac communi opinione Doctorum, non videtur recedendum, quæ in moralibus plurimi est facienda, etsi contraria ob rationes allatas sit probabilis. quare iuxta cōmunem sententiam respondeo ad propositam dubitationem in hoc Canone nomine Episcoporū &c. intelligi Episcopos consecratos: ideo si quis percuteret Episcopum electum confirmatum etiam post acceptam possessionem Episcopatus, non remaneret obstrictus hac excommunicatione, sed nihilominus incurreret aliam excommunicationem etiam reseruatam Papæ in cap. Si quis suadente 17. q. 4. Ita tenet Glos. in Clem. 1. Ver. Quemuis Pontificem De Pœn.

Fundamentum huius opinionis est, quoniam Papa concedit hoc priuilegium Episcopis &c. Sed Episcopus propriè quis vocatur post consecrationem, & verba legis in propria significatione sunt accipienda. l. Non aliter. ff. De leg. 3. l. Labeo Vers. Idem Tubero. ff. De suppellect. lega. sequitur igitur Episcopos non gaudere hoc priuilegio nisi post consecrationem. Quòd verò Episcopus propriè quis non nominetur ante consecrationem, probatur euidenter, quoniam ea, quæ maiora sunt, & non conueniunt alijs quàm Episcopis, non possunt administrari ante consecrationem, quia pertinent ad ordinem Episcopalem, vt ordinare Clericos, Chrisma conficere; Deponere Clericos, Benedicere Virgines, Ecclesias, Altaria consecrare, & similia, vt notat Glos. in cap. Transmissam Ver. De talibus De elect. & denominatio sumi debet ab eo, quod est, non ab eo. quòd erit, vt in terminis huius quæstionis, quam tractamus; Docet Bart. in l. Si nondum num. 2. C. De Fur. Vbi affirmat, si contingat, vt aliqua Ciuitas interficiat electum, non censeri interficere Episcopum, & ibi And. Barbat. in Addit. Ver. Si Ciuitas, plura cumulat ad probandum priuilegium datum dignitati Episcopali non censeri concessum electo, & confirmato, cùm adhuc non sit Episcopus.

Confirmatur primò ex tex. in cap. fin. post princ De Translat. Episc. vbi dicitur per consecrationem perfici, & consumari dignitatem Episcopalem; ergo ante consecrationem erat tantùm inchoata, & imperfecta, verba tex. sunt. *Sic & spirituale fœdus coniugij, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam, quod in electione initiatur: Ratum in confirmatione, & in consecratione intelligitur consummatum &c.* Hoc idem notat Glo. in cap. Cum in cunctis. §. Cum verè Ver. Ad quem spectant De elect.

Confirmatur secundò ex tex. notab. in cap. Tua de his, quæ fin. à Prælat. vbi electus, & confirmatus non dicitur Episcopus, si non est consecratus, sed vocatur electus quasi consecratio confirmet nomen, & dignitatem Episcopalem. Tex. sic se habet in princ. *Adiecisti etiam, vtrùm Episcopo, vel electo &c.* Ex quibus verbis notat Abb. num. 2. electum, & confirmatum, siue prouisum à Papa, quia prouisio Papæ habet vim electionis, & confirmationis ante consecrationem non posse vocari Episcopum. Hoc idem affirmat Abb. in cap Cum te num. 2. De Rescript. & in cap. Tam litteris num. 2. De Testi. vbi admittit vocari posse Prælatum ante consecrationem, non autem Episcopum, & in cap. Nisi num. 7. De Auct. & vsu pallij, & Glos. in Clem. Dignum Ver. Pontificum De celebr. Missa. Explicans clausulam illam in tex. *Quorumcunque Pontificum* notat electos, & confirmatos nō consecratos non appellari Pontifices. Hanc ob causam Papa non vocat ante consecrationem electum in Episcopum fratrem, sed Dilectum filium, vt animaduertit Hier. Pau. in praxi Cancellariæ, seu in libro nuncupato Prouinciale fol. 14. in Vers. literæ Apostolicæ non debent lineari.

Tertia dubitatio; An nomine Episcoporum &c. significentur à Summo Pontifice illi, qui renunciarunt Episcopatui, vt si offendantur, excommunicatio hæc incurratur ab ipsis offendentibus.

Respondeo duobus modis posse Episcopū, Archiepiscopū, Patriarcham, seu Primatem renunciare Episcopatui, Archiepiscopatui, & Patriarchatui, vt tradit Alexander Tertius in cap. 1. De ordina. ab Episc. qui renunc. Episcop. primò renunciando loco tantùm, secundò loco simul, & dignitati. Si renunciatio facta fuerit primo modo, absque dubio talis Episcopus, Archiepiscopus, aut Patriarcha gaudes priuilegio huius Canonis, & ratio est, quia cum huiusmodi priuilegium collatum sit dictis personis ecclesiasticis ratione ordinis, & dignitatis, qua ornati sunt, & certum sit eum, qui renunciauit loco tantùm retinere ordinem, & dignitatem, quæ inhæret personæ licet careat executione, quæ residet in loco, cui præest, & in quo administrationem habet, vt inquit Abb. in dicto cap. 1. nu. 2. De ordi. ab Episc. qui renunc. Episc. Vnde inuitatus ab alio Episcopo ordines conferre, potest, vt habetur in eod. cap. 1. Sequitur igitur eundem gaudere omnibus priuilegijs concessis ratione dignitatis, ergo & priuilegio huius Canonis. Ita tenent Glo. in Clem. 1. Ver. Quemuis Pontificem De Pœn. Card. ibi num. 12. Syue. Ex-

com.

com. 7. §. 44. B. Antoni. 3. par. Sum. tit. 24. cap. 3. circa princ. Vers. Illos ergo qui renunciauerunt.

Quòd si renunciauerit loco & dignitati, seu Ordini, tunc res videtur magis ambigua, an retineat hoc priuilegium, quia Glos. & Doctores citati loquuntur de ijs, qui renunciauerunt loco, non ordini, quasi insinuare videantur secus esse dicendum, si renunciauerint etiam ordini, & confirmari potest ratione, quoniam hoc priuilegium vt dixi in solutione secundę dubitationis, concessum est huiusmodi personis Ecclesiasticis ratione Ordinis & dignitatis, sed in casu proposito supponimus renunciatum fuisse ordini & dignitati; igitur renunciatum est priuilegio, quod prouenit ex dignitate.

Nihilominus oppositum est probabilius, nempe hunc Canonem locum habere etiam in illis, qui dignitati simpliciter renunciarunt. Ratio huius dicti est, quoniam quando Episcopus, Archiepiscopus, aut Patriarcha renunciat ordini & dignitati, non dicitur renunciasse quoad potestatem & habitum, sed solum quoad executionem & exercitium, in dignitate enim vtrumque includitur, potestas, quæ traditur in ipsa Consecratione, & executio, quæ consistit in administratione; vnde qui renunciat dignitati, non propterea amittit potestatem, sed solum administrationem, vt inquit Abb. in cap. 1. num. 3. de ordin. ab Episc. qui renunc. Episcop. Ideo si conferat Ordines, imprimit Characterem, vt in eod. cap. 1. dicitur. Et ob hãc rationem non amittit priuilegium huius Canonis, quia retinet dignitatem quantum ad potestatem.

Confirmatur, quia hoc priuilegium est concessum principaliter in fauorem publicum dignitati Ecclesiasticæ, quamuis secundario respiciat commodum & fauorem priuatatum personarum, & ideo priuata persona non potest huic priuilegio renunciare cap. Si diligenter de fo. compet. Abb. in cap. Contingit 1. n. 4. de sent. excom.

Quarta dubitatio, An Archiepiscopus ante receptionem pallij gaudeat hoc priuilegio, vt sint excommunicati hac excommunicatione, qui illum percusserint. Oritur difficultas, quia per pallium confertur plenitudo pontificalis officij, & nomen Archiepiscopale; ergo ante receptionem pallij non potest electus & cõfirmatus, ac etiam consecratus vocari Archiepiscopus, nec habet integram auctoritatem archiepiscopalem, vt manifeste patet ex capit. Nisi specialis de Auct. & vsu pallij, vbi sic legitur. *Non tamen deberet se Archiepiscopum appellare, priusquam à nobis pallium suscepisset, in quo pontificalis officij plenitudo cum archiepiscopalis nominis appellatione confertur.*

Ad hanc difficultatem respondeo cum distinctione vt Archiepiscopus ante receptionem palij & consecratus, & hoc casu si offendatur, incurritur excommunicatio huius Canonis. Probatur primo, quoniam Episcopus consecratus gaudet hoc priuilegio, vt dixi in declaratione tertiæ dubitationis, ergo etiam Archiepiscopus. Secundo quia licet Archiepiscopus consecratus ante pallium obtentum peccet cõtra Sacros Canones obeundo ea, quæ sunt potestatis Ordinis: facta tamen ab ipso subsistunt, vt si Clericos cõsecraret, Chrisma conficeret, pueros baptismate renatos confirmaret: hæc enim à potestate Ordinis vim suam & firmamentum recipiũt. Quare si functiones per ipsum factæ tenent, quæ proueniunt à potestate Ordinis, cui innititur priuilegium huius Canonis; merito fateri ipsum post consecrationem tale priuilegium habere non veremur, vel non est consecratus ante pallium

A obtentum, & tunc temporis minime comprehenditur in hoc Canone, cum non possit vocari Archiepiscopus vt habetur in dicto cap. Nisi de aucto. & vsu palij.

Quinta dubitatio succedat de Legatis & Nuncijs Apostolicis, nempe quando & in quibus locis gaudeant priuilegio huius Canonis.

Respondeo Legatum seu Nuncium statim ac Vrbem egressus fuerit semper habere hoc priuilegium, donec Romam redierit, & interim vbicunque moram traxerit. Probatur, quoniam quoties alicui conceditur priuilegium eundi ad aliquem locum, intelligitur etiam concessum ad redeundum, vt probaui de accedentibus ad Sedem Apostolicam, & recedentibus ab ea in Disp. 10. cap. 2.

B Obijcies, hoc priuilegium concedi Legato & Nuncio, sed Legatus aut Nuncius vocari non potest antequam ingrediatur Prouinciam, ad quam mittitur, neque prius potest potestatem & iurisdictionem Legati exercere; igitur antequam in Prouinciam perueniat, non conuenit ei hoc priuilegium.

Respõdeo Legatum Apostolicum æquiparari Proconsuli, vt dicitur in cap. 2. de off. leg. lib. 6. vnde consequens est, vt id possit, quod olim Proconsul poterat ante suum in Prouinciam ingressum. Porro in l. vero. ff. de off. Proconsul. ita habetur *Proconsul vbique proconsularia insignia habet statim atque Vrbem egressum est, potestatem autem non exercet, nisi in ea Prouincia solum, quæ ei decreta est,* & in l. proxime sequenti dici-
C tur; Omnes Proconsules statim cum Vrbem egressi fuerint, habent iurisdictionem non tamen contentiosam, sed voluntariam, vt cue manumitti apud eos possunt tam liberi, quam serui, & adoptiones fieri, ex quo fit, vt Legatus Apostolicus eum primum Vrbis portam egreditur, nomine Legati honorandus sit, insignibus Legatorum, proprijs vti possit, videlicet vestibus rubris, equo albo, freno, & calcaribus aureis, And. Gambarus de off. lega. lib. 1. cap. 2. Vnde ab eodem instanti incipit frui priuilegijs & prærogatiuis Legatorum, & inter alia priuilegio huius Canonis.

Quæret quis, an Legato Apostolico credendum sit dicenti se esse Legatum, etiam si literas non exhibeat suæ Legationis testes.

D Respondeo communi. Iuris Canonici Interpretum sententia receptum esse, fidem habendam esse Legato Apostolico Cardinali simpliciter asserenti se esse Legatum Sedis Apostolicæ viuæ vocis oraculo factum, aut se literas Apostolicas amisisse, Lapus, Io. And. Calder. Abb. Anchar. Domi. Bart. & alij, quos citant Gundisaluus, à Villa Diego in tract. de off. Legati à latere quæst. 5. & Andreas Gambarus lib. 1. de off. Legati cap. 3. Si vero non sit Cardinalis, non creditur ei, nisi litteras & facultates in eis sibi concessas proferat & ostendat.

Sexta dubitatio, an hoc priuilegium conueniat dictis Ecclesiæ Præsulibus, etiamsi excommunicationis
E aut alterius censuræ vinculo sint innodati, vt in excommunicationem incidant, qui illos lædere præsumunt.

Respondeo has personas Ecclesiasticas non amittere hoc priuilegium, etiamsi irregulares sint, vel suspensæ, interdictæ, aut excommunicatæ. Probatur primo, quia Clericus quacunque censura innodatus non amittit priuilegia Clericorum, præsertim Canonis & fori, vt probaui lib. 2. Disp. 1. cap. 6. Ergo fortiori ratione gaudere debent priuilegijs hæ insigniores Ecclesiasticæ personæ. Secundo probatur de Irregularibus, quòd hoc fauore fruantur, nam licet Irregularitas

priuet

priuet vsu ordinum, non tamen priuat omni priuilegio, quod ratione Ordinis datur. Tertio hoc priuilegium respicit principaliter fauorem Ecclesiæ, vt eius Præsules debito honore afficiantur, & à nemine vllo modo offendantur. hoc enim maxime conueniens videtur ratione ordinis & dignitatis, quam gerunt; ergo minime decens est, vt ob particulare crimē, quod quis eorum commiserit, sit priuatus publico priuilegio, cum ordinem & dignitatem retineat: hoc namq; exponeretur vilipendio omnium.

Quæres, an si Cardinalis, Patriarcha &c. sit depositus & degradatus, amittat hoc priuilegium. Respondeo, si quis verbaliter solum sit depositus, idest per sententiam, non erit priuatus huiusmodi priuilegio, si vero actualiter sit degradatus seu depositus, hoc priuilegium amittit. Qua in re conueniunt omnes, & ratio est quoad depositionem verbalem, quoniam talis retinet ordinem & dignitatem, vt dicebam, cuius gratia gaudet hoc priuilegio, sicut Glos. ob eandem rationem affirmat de priuilegio cap. Si quis suadente, quod non amittitur per depositionem verbalem in cap. 2. Ver. Priuilegio Clericali de pœn. libro sexto, quam omnes sequuntur. Quod vero Cardinalis, siue Patriarcha seu Archiepiscopus vel Episcopus, si sit actualiter degradatus, intelligatur priuatus hoc priuilegio. Probatur primo, quia hæc est vna differentia, quam assignat Abb. in capitulo Qualiter 2. numero 10. de accusa. & in capitulo 3. num. 10. de sent. & re. Iud. Ang. & Sylue. Ver. Degradatio inter depositionem verbalem & depositionem actualem, quod hæc priuat priuilegio Clericali, non illa; & eadem ratio militat, quoad has principales dignitates Ecclesiasticas. Secundo idem patet ex forma verborum, quæ seruatur in Ecclesia, vbi quis actualiter degradatur: priuatur enim omni officio, beneficio, & priuilegio Clericali, vt colligitur ex dicto capitulo 2. de Pœn. libro sexto, Et licet per actualem degradationem nihil de nouo fiat, quod per prolationem sententiæ depositionis factum non fuerit, tamen illud idem solenniter promulgatur ad maiorem ignominiam & terrorem, & per hanc actualem degradationem executioni mandatur sententia depositionis quo ad aliquos effectus, qui per ipsammet sententiam absque hominis actione perfici non possunt, vt fusius dicam in Disputatione de Degradatione: Vnde fit, vt percutiens Episcopum, actualiter degradatum, non incurrat huius Canonis excommunicationem, quam tamen contrahit, si offendat depositum verbaliter tantum. Legati autem & Nuncii semper retinent hoc priuilegium, donec vel completa sit Legatio, vel dignitate priuati.

Septima dubitatio esse potest, an priuilegium huius Canonis extendatur ad familiares ipsorum Cardinalium & aliorum Præsulum priuilegiatorum, vt excommunicatione Bullæ sint innodati, qui illos contra dispositionem huius Canonis iniuria afficere præsumant. Neque temere ita dubitatur, quoniam in cap. Felicis de Pœn. libro 6. pœnæ in eo statutæ contra offendentes Cardinalem extenduntur habita proportione ad mensuram delicti ad eos, qui Clericos & Religiosos ea familia Summi Pontificis & Cardinalium lædere præsumpserint.

Respondeo, & dico primo. Certum esse excommunicationem dicti cap. Felicis, & multo minus excommunicationem Bullæ, non afficere illos, qui offenderent familiares laicos Papæ aut Cardinalium, & ratio est, quia tex. d. c. Felicis loquitur solum de Clericis &

A & Religiosis; ergo non comprehendit laicos, & ita asserit Gemin. ibi in §. Præmissis n. 1. Dico secundo offendētes familiares Clericos vel Religiosos Papæ aut Cardinalium incidere in excommunicationē & alias pœnas c. Felicis ad mensuram & proportionem criminis. Probatur, quia expresse ita ibi statuitur, & asserit Gemin. & Sylu. excom. 7. §. 202. Vers. excommunicantur etiam, quæ excommunicatio non est reseruata Papæ, vt inquit Gemin. ea sent. Archid. & Sylu. & colligitur ex verbis text. Vers. Præsenti nihilominus, vbi peculiariter reseruatur absolutio Papæ in casibus expressis igitur non in alijs, quamuis huiusmodi offendentes grauius sint puniendi, quàm si alios Clericos & Religiosos non familiares iniuria affecissent, vt no-
B tant Archid & Gemin. Qui vero appellentur familiares, vel de familia declaratur in c. fin. de verb. signif. in fi. Vnde colligūt Gemi. n. 8. & 9. Anchar. n. 3. Franc. n. 14. familiares dici homines liberos, qui se sponte alicui Principi ad honestū aliquod obsequium prestandū dedicant, ab eo saltē victum recipientes, & cōtrahitur talis familiaritas communi consensu Domini recipiētis & ipsius recepti, & alterius renunciatione dissoluitur & tunc cessat priuilegium, cum desierit esse familiaris, arg. l. Item in legato §. penult. ff. de leg. 3. & l. 2. & 3. ff. de aur. & argen. lega. Vbi dicitur, quòd legatum factum vxori non debetur, si vxor ante mortem diuertit, & sic desinit esse vxor. Dico tertio non incidere in eam excommunicationem illos, qui vexarent
C familiares Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, quoniam in dicto c. Felicis exprimuntur familiares Papæ & Cardinalium, ergo non est extendēda excommunicatio ad alios. Dico quarto excommunicationem Bullæ hoc tempore non includere offendentes Clericos & Religiosos ex familia Papæ & Cardinalium. Huius dicti illa est ratio, quoniā in hoc Canone non recensentur inter personas priuilegiatas huiusmodi familiares, sed tantum Cardinales, Patriarchæ, & alij Præsules enumerati, quare quod constitutio non dicit, neq; nos dicere debemus l. Si vero §. de viro ff. solut. matr. l. vni. §. Ad deficientis C. de caduc. tollen. Quod enim dicit Nau. in Man. c. 27. n. 67. vers. Secunda quantum ad c. Felicis, & pœnas in eo conten-
D tas æquari Cardinalibus, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Legatos, seu Nūcios Sedis Apostolicæ mihi non probatur: non enim video, vnde colligi possit. Nam æquiparantur quidem in hoc Canone quoad censuram latam contra offendentes eosdem Prælatos aliqua actione ex numero earum, quæ hic prohibentur, non tamen æquiparatio fit quoad alia, quæ continentur in dicto c. Felicis, neq; alibi hanc extensionem factam esse reperi. Et quod addit Nau. Vers. Tertia in fi. Pium V. in sua Bulla pronūciasse excommunicationem in eos, qui iniuria afficerēt Patriarchas & dictos alios Prælatos, sicut si offenderent Cardinales, nunquam potui ex verbis d. Bullę de qua tractabo in vlt.
E cap. huius Disp. colligere hanc comparationem, cum Pius V. ibi solum extendat Constitutionem c. Felicis ad scientes & non reuelantes eos, qui offendunt Cardinales, & ne verbum quidem dicat de cęteris Prçlatis. Addidi tamen hoc tempore excommunicationem Bullæ non includere offendentes familiares Papæ & Cardinalium, quia fortasse in Bulla Greg. XIII. includebantur, in qua post illa verba *vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales*, sequebantur hæc, *Extendentes c. Felicis cum omnibus in eo contentis ad Patriarchas, Archiepiscopos &c.* Et de Bulla Greg. puto intellexisse Nau. quia illā interpretatus est, quæ clausula modo

omittitur. Propterea videtur affirmandum non incurrere excommunicationem Bullę offendentes Clericos & Religiosos familiares Papæ & Cardinalium, vbi enim cessant verba legis, & eius dispositio cessare debet l. 4. §. Prętor, & ibi Alexander ff. de dam. infe. Idem Alex. in l. 1. §. veteres ff. de acqu. possess. sed nihilominus obstringuntur censura c. Felicis, quę diuersa est à censura Bullę.

CAPVT IV.

De Actionibus principalibus, quæ in hoc Canone excommunicationi subiiciuntur his verbis Interficientes, Mutilantes, Vulnerantes, Percutientes, Capientes, Carcerantes, Detinentes, vel Hostiliter insequentes, aut eos à suis Diœcesibus, Territorijs, Terris, seu Dominiis eiicientes.

HActenus tractatum est & de his, qui incidunt in excommunicationem huius Canonis ob sacrilegium commissum in quasdam principales personas Ecclesiasticas, & etiam de ipsis personis Ecclesiasticis, quæ hoc priuilegio gaudent, modo disputandum est de ipsis actionibus, quę prohibentur, quarum causa excommunicatio incurritur. Principales actiones sunt nouem, nempe interficere, mutilare, vulnerare, percutere, capere, carcerare, detinere, hostiliter insequi, eijcere à suis Diœcesibus, Territorijs, Terris, seu Dominiis; singulæ enumeratæ actiones sunt causæ sufficientes, si exerceantur contra Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Legatos, seu Nuncios ad incurrendam excommunicationem huius Canonis. Et antequam accedamus ad solutionem difficultatum, quæ explicandæ sunt, vt intelligamus vim & rationem huius excommunicationis, declaremus voces, quibus vtitur Papa ad exprimēdas dictas actiones prohibitas, ex quibus quid sit interficere, mutilare, capere, & detinere, dixi in Disp. 10. cap. 3. & 4. Quid sit vulnerare, indicaui in Disput. 11. capitulo primo, & ex illis locis petenda sunt, quæ ad habendam notitiam harum actionum conferre possunt nec aliquid superest, quod addendum fore iudicem. Quare quatuor voces remanent tantum declarandæ, vt sciamus, quid per eas Summus Pontifex significare intendat, nempe quid sit percutere, carcerare, hostiliter insequi, & denique quid sit eijcere à Diœcesibus, Territorijs, Terris, seu Dominiis. De singulis dicamus.

Percutientes, Percutere idem est quod cedere aliquem, idest verberare, aut pulsare cap. Cum beatus 45. dist. sed percutere, si proprie sumatur, latius patet, quam verberare, aut pulsare nam quocunq; modo quis alium lædat, vel manu, vel virga, aut flagello, siue baculo, dicitur percutere, tunc autem verberat, aut pulsat cum flagello, vel fustibus cędit, vnde Instit. de iniur. §. seruis, cum quis seruum alicuius pugno coercet, non appellatur verberasse, sed percussisse. Sed si flagello cædat, verberasse dicitur ff. ad leg. aquil. l. si ex plagis §. Tabernarius, l. Item §. Ait Prætor prope med. ff. de Iniur. ita habetur *Verberasse dicitur abusiue, is qui pugnis ceciderit*. Idque ex ipsamet verbi ethimologia manifeste deducitur. Verberare enim à verbere dicitur, vt à fustis fustigo, verber est instrumentum verberandi teste Valla. lib. 6. Elegan. cap. 47. longum & exile qualis est virga, baculus, fustis, flagellum, ferula, arundo & similia, at inter verberare & pulsare hęc differentia reperitur, quòd verberare est cum dolore cędere, pulsare sine dolore. Ita habetur in

A l. lex Cornelia ff. de iniur. ibi, *Inter pulsationem & verberationem hoc interest, vt Offilius scribit, verberare est cum dolore, cedere pulsare sine dolore*, & l. Si sine §. si, iuncta Glosa Vet. Verberatus ff. Rem ratam haberi. Interdum tamen pulsare, & verberare confunduntur, vt in l. Prætor ait prope fin. Vers. Si cum Seruum meum. De Iniur. Quamobrem Summus Pontifex in hoc Canone vocat percutientes non solum, qui fuste, flagello, baculo, seu quocunque alio instrumento verberat, & pulsat aliquam ex dictis personis priuilegiatis, sed vniuersaliter, qui pugno, alapha, seu quouis alio modo corporaliter cædit, & ob huiusmodi percussionem incurritur hæc excommunicatio, & in hac significatione accipitur, cum dicitur non li-
B cere Episcopo manibus suis aliquem percutere cap. Non licet Distinct. 86. C. De Episcop. & Cleric. Auth. Sed neque propriis manibus. Extat titulus De Clerico percussore extra. Eodem modo assumitur verbum percutere in cap. Felicis De Poen. lib. 6. & in Clement. 1. eod. tit.

Sed quæret quis percussio generaliter sumitur pro quacunque læsione corporali, & hac ratione est genus ad tres illas actiones prohibitas, quæ ante percussionem enumerantur, scilicet Interfectionem, mutilationem, & vulnerationem, nam qui vulnerat, necessario percutit, & ita de aliis; cur ergo Summus Pontifex non fuit contentus prohibere solam percussionem non recensendo alias sigillatim, cum prohi-
C bendo percussionem, illæ aliæ actiones necessariò intelligerentur prohibitæ.

Huic difficultati satisfactum est in Disp. 11. cap. 1. Quo in loco deleta fuit alia dubitatio, quam potuisset quis proponere; An in vnam, vel plures excommunicationes incideret, qui simul eandem personam priuilegiatam primò percuteret, deinde vulneraret, postea mutilaret, tandem interficeret, legenda sunt, quæ ibi diximus, ne sæpius temere eadem repetantur.

Carcerantes, hoc est aliud verbum, quod declarare oportet, Carcerare, siue Incarcerare idem sonat, quòd ponere in Carcerem. Carcer autem est locus, in quo seruantur Rei noxij, ita dictus quasi Arcer ab arcendo teste Varro lib. 4. De ling. lati. Carcerem definit
D Seruius lib. 5. Aeneid. locum, vnde exire prohibemur, quod probat Vlpian. in l. Aut damnū vltra med. Vers. Solent etiam ff. De Pœn. Vbi sic inquit, *Carcer enim ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet*, ex quibus verbis colligitur etiam iure ciuili omnem Carcerem haberi debere ad custodiam, non autem ad pœnam. Idem probari potest ex toto tit. C. De Custo. Reo. & l. Carcere Præpositus ff. eod. tit. Secus est Iure Pontificio, quo in carcerem quis detraditur non solùm in custodiam, sed etiam loco pœnæ cap. Quamuis De Pœn. lib. 6. Vbi Bonifatius Octauus permittit,
E vt Carceri, licèt ad custodiam inuentus sit Rei, perpetuo, vel ad tempus ad pœnitentiam peragendam mancipentur, & in Clem. 1. §. Propter quod circa med. Vers. Duro tamen de Hæret. idem dicitur; *Duro tamen tradere Carceri siue arcto, qui magis ad pœnam, quàm ad custodiam videatur &c.* Carcer autem alius publicus est, alius priuatus. Publicus est, quem Magistratus habet ad coercendos, detinendosuè homines l. 1. & toto tit. C. De custo. Reo; & l. Carceri ff. eod. Priuatus Carcer est, quem habent priuati, vim in constringendis hominibus priuatim exercentes, quod sub pœna vltimi supplicij interdictum est omnibus l. vnj. C. De Priuat. Cacer. l. Succurritur ff. Ex quibus caus. Maiores. Vnde S. Tho. 2. 2. q. 65. ar. 3.

asse-

afferit crimen esse & peccatum aliquem incarcerare, nisi id fiat seruato ordine iustitiæ, vel ad cautelam alicuius mali vitandi. Primum pertinet ad Iudicem & superiorem cuius officium est disponere vniuersaliter de vita, & actibus subditorum. Secundum permittitur cuicunque priuato; & ideo inquit D. Tho. in respon. ad tertium licere aliquando priuatæ personæ detineri hominem ad horam ab aliquo opere illicito statim perpetrando puta ne se præcipitem tradat, vel ne alium lædat, & in similibus casibus. ex his iam constare potest, quid sit Carcerare, quod prohibetur in hoc Canone. Itaque excommunicat Papa omnes incarcerantes aliquem Cardinalem, Patriarcham, vel alium ex prædictis priuilegiatis, idest detrudentes in locum tutum, vt ibi custodiatur, vnde exire nequeat, siue sit Carcer publicus, siue priuatus quacunque ratione id fiat; Dummodo casus non accideret, in quo quis recta ac sancta intentione motus detineret aliquem ex priuilegiatis, vt liberaret eum ab aliquo malo sibi imminente: tunc enim excusatus esset ab excommunicatione iuxta ea, quæ tradit S. Thomas loco citato, & ratio huius est, quoniam tunc temporis ille, qui detineret, nullius peccati Reus esset. cessante verò peccato nulla incurritur excommunicatio cap. Nemo Episcoporum &c. Nullus 11. quæst. 3. *Nemo Episcoporum quemlibet sine certa & manifesta peccati causa communione priuet Ecclesiastica.*

Sed dicet aliquis Carcerare nihil aliud est, quàm custodire quempiam in loco tuto, ne exire possit arbitratu suo, vt patet ex ijs, quæ dixi. Quare si Summus Pontifex prohibuit Carcerare, cur statim addit detinere, vel enim alterum horum duorum verborum erit superfluum, quod non est dicendum, quia tunc nõ essent duæ actiones distinctæ, vel saltem aliqua differentia assignanda est inter has duas actionex prohibitas.

Respondeo differre carcerationem à detentione, quia carceratio esse non potest sine detentione, sed non è contra, nam potest quis alium detinere, etiamsi in Carcerem non conijciat, vt dixi in Disputatione nona capitulo tertio, cum declararem, quid significaret hoc verbum detinere, merito Summus Pontifex primo prohibet carcerationem, & immediate addit detentionem, vt manifeste declaret hanc excommunicationem incurri ex sola corporali & personali detentione personæ priuilegiatæ, quamuis carceri non mancipetur. Modo transeamus ad aliam actionem prohibitam.

Hostiliter insequentes. Ille proprie insequitur alium ex vi vocabuli, qui præeuntem illum & fugientem à dorso sequitur, quare connotat motum insequentis post alium, & regulariter sumitur in malam partem idest ad iniuriam inferendum, & offendendum, non ad præstandum auxilium & iuuamen. Colligitur hæc significatio ex capitulo Exhibita de Homic. ibi, *Et insequens vnum ex illis lapidem post eum &c.* cap. Si ea 23. quæstione 4. *Si ea de quibus vehementer Deus offenditur insequi vel vlcisci differimus.* Eandem significationis vim habere videtur verbum *Insectari, aut Persequi*, cap. 1. iuncta Glos. Ver. Insectatur dist. 46. *Hostiliter* autem tunc dicitur quis insequi alium, cum id facit ex odio & ob finem malum, sicut hostes ex odio insequuntur inimicos. Duobus enim modis potest quis insequi alterum animo nocendi, vno modo iuste & legitime ex Iuris dispositione. Ad hunc modum filium immorigeratum & inobedientem insequitur Pa-

A ter, vt corripiat Magister discipulum ignauum in addiscendis literis, Iudex subditum delinquentem, & hac ratione vt dicitur in cit. cap. Si ea 23. quæst. 4. Peccator debet crimina & scelera contra Deum commissa insequi, & in se ipso vlcisci. Altero modo dicitur quis alium insequi iniuste & ex odio sine auctoritate tanquam priuatus, cap. Quicunque aut consanguinitate 11. quæstione tertia, hoc est hostiliter insequi, quia hoc proprium est hostium & inimicorum, & hoc modo accipitur in hoc Canone, & ponitur inter actiones probibitas. Ex his sequitur excommunicationem hanc incurri, siquis ex odio & deprauata intentione tanquam hostis insequitur aliquam ex enumeratis personis priuilegiatis, vt offendat, & iniuria

B afficiat, aut damnum aliquod vel nocumentum inferat in ipsamet persona seu familia, vel bonis suis. Quare qui id faceret auctoritate Papæ hoc præcipientis non esset innodatus excommunicatione. Sed vt dilucidius & distinctius quam late pateat hæc actio prohibita innotescat, nõ erit ab re, si hoc loco, antequam vlterius progrediar, nonnullas obiectiones in medium afferam & dissoluam.

Et primo quæri potest, vtrum in excommunicationem huius Canonis incidat non solum ille, (qui insequitur Cardinalem, Patriarcham &c.) fugientem, vt in partem tutiorem se recipiat, & ab eius manibus se eripiat, de quo non est controuersia, verum etiam qui adit Cardinalis vel Patriarchæ domum

C animo malo & hostili odio, vt eum offendat, capiat, vel alio modo iniuria afficiat Ratio difficultatis est, quia verbum Insequor ex propria significatione, vt dixi, denotat motum & progressionem vnius post alium præeuntem & fugientem. Sed quando quis accedit ad domum Cardinalis aut Patriarchæ, non sequitur illos præeuntes, cum illi consistant, & nõ moueãtur, ergo qui procurat eos offendere, vere ipsos nõ insequitur, quod requirit Bulla ad incurrendam excommunicationem ex hoc capite. Lex vero præsertim pœnalis intelligenda est in eo sensu, quem verba habent in propria significatione accepta, neque est extendenda: nam qualibet legis dispositio est stricti Iuris, l. non solum §. de vno, & ibi Bald. ff. de Ritu

D Nuptiæ. capitulo Quæ à Iure de Reg. Iur. libro sexto, Bero. consilio 64. numero decimo nono, volumin. primo.

Geminian. in capitulo Felicis numero 6. de Pœn. lib. 6. tenet non esse locum pœnæ illius capit. Si quis impetum faciat ad domum Cardinalis, & obsideat illum, ne exire possit, dummodo, inquit, id non faciat ad custodiam, sed ad verecundiam. Et eodem modo prorsus loquitur Anchar. numero primo, & Philip. Franc. numero quinto, Syluest. Ver. excommunicatio 7. §. 23. Beatus Antoni. 3. par. tit. 24. capitulo secundo. Vers. Cœperit, cum vero dicunt, dummodo quis non obsideat Cardinalem ad custodiam, sed ad verecundiam, ita est intelligendum, nempe non incurri ex-

E communicationem quando non permittitur Cardinali è domo exire non animo detinendi illum in carcere, quia tunc excommunicatio afficeret, sed vt hoc tribuatur ignominiæ, dedecori, & infamiæ ipsi Cardinali. Vnde dicunt multis modis posse aliquem delinquere, hostiliter insequendo; nonnunquam percutiendo, & hoc est certum esse causam huius excommunicationis, interdum capiendo, & hoc intelligi debet cum effectu, quare si non sequitur captura, cessat excommunicatio; ergo ex sententia horum Doctorum ille, qui hostili animo, siue instructus, & paratus ad

offendendum, impetum faceret ad domum alicuius ex numero priuilegiatorum, nulla remanerer obstrictus censura, quia non diceretur insequi hostiliter, quod requirit Bulla, nisi aliam actionem prohibitam committeret, ratione cuius in excommunicationem incideret, nẽpe si interficeret, mutilaret, vulneraret, percuteret &c. Huic sententiæ adhæret Nauar. cons. 32. n.6. in tit. de sent. excom.

Hæc opinio licet sit communis, mihi non placet Ducor pluribus rationibus, quæ oppositam probabiliorem mihi reddunt. Primo quoniam Doctores citati referunt Archidiaconum ita sentientem, sed Archidiaconus non videtur loqui de excommunicatione, quæ contrahitur per insecutionem hostilem, sed per capturam, & inquit non esse locum excommunicationi, quaodo qois conatur capere, si actu non capiat, vt ipsemet Nauar. loco cit. fatetur. Idqoe confirmari potest ex eo, quoniam Archidiaconus nititur testimonio Innoc. in capit. Nuper de sent. excomm. in princ. qui loquitur solum de excommunicatione capitulo Si quis suadente 17. quæst. 4. & asserit illam incurri, si obsideatur domi Clericus, ne quo velit abire: valeat tunc enim violentia infertur, secus vero si id fiat, vt ignominia, & dedecore afficiatur. Non agit Innoc. de excommunicatione dicti cap. Felicis, quæ per solam insecutionem incurritur, nec potuit Innocentius de illa tractare, cum Constitutio capitulo Felicis sit edita à Bonifacio Octauo longe post ipsum Innocentium. De opinione autem Innocentij postea agam.

Secundo quamuis hoc verbum *Insequor* secundum suam ethimologiam significet motum sequentis aliũ præeuntem, vt dixi iuxta illud Terentianum scilicet *I Præ sequar*, tamẽ accipitur etiam proprie, vt denotet idem quod valde sequor, vel contra sequor, vt notat Catholicõ linguæ Latinæ Ver. sequor. Et cum in hac Constitutione simpliciter apponatur, sumendum est in sua latissima significatione, quia lex etiam in odiosis & poenalibus extenditur ad omnia, ad quæ verba extenduntur l. Cum lege iuncta Glosa ff. de Testam. Decius in l. factum §. In poenalibus ff. de reg. iur.

Confirmatur hæc ratio, primo, quia verba legis iuxta finem, propter quem edita est, intelligi debent l. in agris ff. de Acquiren. rer. domin. cap. fin. de præben. Sed finis Summi Pontificis in hac Constitutione fuit prouidere dignitati & securitati Præsulum Ecclesiasticorum, vt ab omoibus debito honore afficerentur, & à nemine læderentur, sicque absque periculo & formidine, securi munus sibi commissum prudenter gerere, populosque suos ad optatum finem dirigere valerent. Verum huic fini non satis prospectum fuisset, si excommunicatio lata esset solum io eos, qui insequerentur Prælatos Ecclesiasticos, dum fugerent, vt euitarent manus insequentium, nisi comprehenderet etiam illos, qui eodem malo animo prosequerentur dictos Prælatos, insultum facientes ad domum, Castrum, vel locum, vbi morarentur. Nam quamuis illa obsessio non ordinaretur ad poenam aliam inferendam, vel actum iudicialem contra Prælatum exercendum, tamen re vera esset ignominiosa ipsi Prælato, neque fieret sine graui eiusdem Prælati iniuria.

Confirmatur secundo, quia verba legis ita interpretanda sunt, vt ipsa non frustretur fine suo, & reddatur inanis etiam in materia poenali cap. Si Ciuitas de sent. excom. libro 6. Vbi interdictum latum contra Ciuitatem declaratur amplecti eius suburbia, quæ non sunt pars Ciuitatis, capitulo Rodulphus de Re-

A script. & Glos. in cap. Quanquam Ver. Aliter facta de Vsur. libro sexto, Testamentum extendit ad Codicillos, qui longe differunt à Testamento l. si idem Cod. de Codicill. sed si interpretaremur hanc excommunicationem, vt comprehenderet tantum illos, qui insequuntur Prælatos fugientes, hic Canon hac in parte careret fine suo, propter quem promulgatus fuit, vel saltem raro locum haberet, quod asserere absurdum est, vt dixi. Nam frequentios contingere potest, vt Prælatus obsideatur domi ab inimicis, quam in via, nam vbi timore præmitur non palam se exponit periculo, vt aduersarij illum insequi possint fugientem.

Confirmatur tertio, quia mens legis est magis
B attendenda, quam verba eios cap. Marcum. 1. q. 1. cap. fin. de reg. Iur. libro 6. & l. Cum Prætor §. Dulcissimis ff. de leg. 2. & id pro lege habendum est, quòd legislator interrogatus, cum eam ferret, respondisset iuxta Glos. singularem in l. Tale pactum §. fin. ff. de Pact. Sed mens Summi Pontificis fuisse videtur punire non solum illos, qui aliquo modo offenderent Prælatos Ecclesiasticos, sed etiam qui cooarentur hostiliter insequi eos; ergo quomodocunqne quis hoc tentet contra Prælatum siue fugientem, siue manentem, obstringitur excommuuicatione cum vtrobiq; eadẽ ratio militet, qoę est anima legis, pręsertim cum verba vtrumque sensum admittant.

Tertia ratio principalis ad idem probandum est;
C Hic Canon continet priuilegium concessum Prælatis Ecclesiasticis, & est priuilegium publicum respiciens dignitatem Ordinis; ergo non est coarctandus, sed latissimè interpretandum fauore dignitatis Ecclesiasticæ. ita habetur in cap. Olim De Verb. Signif. *Cum beneficia Principum sint interpretanda largissimè*. & ibi Glos. Ver. Largissimè cap. In his cum Glos. Ver. Nimis strictè De Priuil. cap. Si quem §. Notandum in fi. cum Glos. Ver. Et omnibus cęteris 2. q. 3. l. vlt. ff. De Constit. Princip. Idem dicit de Priuilegio cap. Si quis suadente 17. q. 4. B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 1. §. 1. Vers. Detinens Clericum.

Quarta ratio sit, si aliquis obsideat Clericum in
D domo, vel Castro, neque illum exire permittat; non vt illum in custodia retineat, sed vt pudore & verecundia afficiat, vel ob similem finem, incidit in excommuuicationem Canonis si quis suadente, vt tradit B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 1. §. 1. Vers. Si aliqoi inimici, vbi refert sententiam Innoc. negantis in eo casu incurri censuram, & impugnat; ergo fortiori ratione id asserendum est de excommunicatione huins Canonis, quoniam excommunicatio canonis si quis suadente, non incurritur ex solo conatu, & insecutione Clerici nisi manus violentæ ipsum attingant, sicut incurritur Excommunicatio Bullæ, vt
E dicam in tertia dubitatione. Quamobrem affirmandum est vniuersaliter incurri hanc excommunicationem, quoties quis hostiliter insequitur Prælatum Ecclesiasticum, siue præeuntem & fugientem, siue manentem domi, vel in alio loco si facto impetu, tentet illum offendere.

Sed quid dicendum est, quando quis non obsideret Prælatum propter ipsius personam, idest neque ad illum offendendum, neque propter pudorem & verecundiam, sed solùm ad obtinendum Castrum, locum, aut domum, in qua Prælatus obsessus detinetur, an in hoc casu locus esset excommunicationi.

Respondeo hac in re opus esse distinctione, vel ta-

lis

lis obsessio, quę fit ad finem consequendi Castrum, est iniuriosa ipsi Prælato, & tunc temporis excommunicatio incurritur, quia iniuria infertur personæ in ordine ad Castrum, aut domum, vel possessionem iniuste anferendam, & sicut siquis Prælatum detineret in alio loco, ne eriret, donec Castrum traderet, excommunicatione obstringeretur, ita etiam accidit, si obsideatur in eodem Castro, quia talis obsessio est quædam moralis incarceratio. Vel obsessio esset iusta, vt per bellum iustum, quo casu non incurreretur excommunicatio, quia esset sine peccato, quo cessante, excommunicatio cessat. Et hoc modo verum erit dictum B. Antoni. loco cit. simpliciter negantis ex obsessione Clerici ad finem obtinendi Castrum excommunicationem contrahi.

Secundo quæri potest de eadem actione hostilis insecutionis an ad incurrendam hanc excommunicationem requiratur insecutio phisica, vt ita dicam, vel sufficiat moralis, Phisicam actionem voco eam, quæ est per motum corporalem ad finem capiendi, vel percutiendi Prælatum, aut inferendi aliud malum. Moralis vero dicitur illa, quæ verbis fit, vt per iniquas calumnias, & per falsa testimonia, & similibus modis.

Io. Ananias in cap. 1. de Maledi. censet insequentem contumelijs, seu conuicium verbis irrogantem Cardinali eisdem affici pœnis, quas Romanus Pontifex statuit in cap. Felicis de pœn. lib. 6. Idem probat Felin. in cap. Non dubium num. 5. de sent. excom. & idem sensissent de Patriarchis, & alijs Prælatis descriptis in Bulla quoad excommunicationem, cum hoc tempore quantum ad censuram excommunicationis æquiparentur in Bulla dicti Prælati Cardinalibus, & Io. de Anania ad hoc afferendum ductus est primo, quia dictus textus punit percutientem Cardinalem, & verbum Percussio comprehendit verbalem percussionem secundum Bart. in l. Aut facta in princ. ff. de Pœn. Deinde dispositio cap. Felicis fauorabilis est in honorem Ecclesiæ Romanæ sancita, igitur latam interpretationem assumit, vt etiam paulo ante confirmabam, qua ratione non tantum comprehendet percussionem, quæ facto fit, sed & eam, quæ verbis. Idcirco hi Doctores idem dicerent de inferentibus iniuriam verbis contumeliosis quibuslibet Clericis, vt ex hoc excommunicati essent sententia cap. Si quis suadente 17. q. 4. cum & ea Constitutio in fauorem totius Cleri fuerit promulgata.

Hæc tamen sententia communiter ab omnibus reiecta videtur, quam optime refellunt Bernardus Diaz in pract. crim. cap. 66. num. 3. & Couar. lib. 1. Variar. resolut. cap. 11. numero quinto. Et impugnari potest primo, quia grauis pœna à Iure in percutientem statuta nunquam comprehendit inferentem verbis iniuriam, nam licet percutere aliquando referatur etiam ad verbalem iniuriam, vel potius ad eandem denotandam Auctores Latini vsurpent verbum *Insequor*, non tamen accipiunt proprie vocem percussionis, seu insecutionis, sed per translationem & metaphorice. Immo quando Scriptores vsurpant verbum, *Percussio seu Insequor* ad significandam verbalem iniuriam, addunt aliquid aliud. Vnde talis sensus colligatur, vt apud Ciceronem nonnunquam reperitur, Insequi aliquem irridendo ad Atti. Vel Insequi contumelia in Epistol. & Clamore, pro Syl. Quare & si Constitutio pœnalis extendi debeat ad omnia, quæ verba legis comprehendunt, vt probaui in solutione primæ dubitationis, hoc tamen intelligendum est de

A significatione, quam referunt verba, si proprie sumantur, non improprie & per translationem. Hac enim ratione Constitutio pœnalis est restringenda, non extendenda, vt probat Couar. vbi supra. Accedit, quòd pœnalis Constitutio nunquam extenditur ex lata verborum significatione, nisi vbi eadem ratio subsit iuxta tradita per Domi. & Franc. in capitulo primo, de temp. ordin. libro sexto, & alios citatos à Couar. sed nemo vere asserere poterit eandem militare rationem in iniuria, quæ verbis fit, & in ea, quæ facto infertur. Vnde pœnalis Constitutio ex iniuria, quæ facto fuerit irrogata, ad eam, quæ verbis fit, non erit extendenda, cum ratio legis deficiat, tametsi lata verborum interpretatio, id suadere videretur, tandem

B contra Ananiam facit, quod conatur probare Aymon consilio sexto, columna secunda, dicens non esse crimen læsæ Maiestatis verba iniuriosa in Principem dicere argumento tex. in l. famosi ff. ad leg. Iul. Maiest. diuersa quidem hæc sunt, cum à Iustiniano Imperatore diuersis titulis explicentur C. ad leg. Iul. Maiest. & Cod. si quis Imperat. Maledixe. Quare opinio Ananiæ, videtur falsa. Sic quoque Card. Iacobat. in tract. de Concil. lib. 1. pag. 39. Obiter Ananiam allegans dubitat de veritate huius opinionis.

Itaque respondentes ad dubitationem propositam dicimus ex communi doctrina hanc excommunicationem non afficere Insequentem moraliter solis verbis Prælatum Ecclesiasticum, quia hic Canon prohi-

C bet tantum actiones reales & corporales, non extenditur ad verba contumeliosa, & omnes Doctores exponunt de insecutione reali, vt constat ex ijs, quæ hactenus dixi; Neque talis, qui verbis quantumuis contumeliosis iniuria afficeret suprascriptos Prælatos Ecclesiasticos, innodaretur excommunicatione capitulo Si quis suadente 17. quæstione quarta, quia non iniiceret manus violentas, si solis verbis ageret, & ad aliquam actionem externam non eriret.

Tertiò quæri potest, an ex sola insecutione hostili odio facta animo percutiendi, aut capiendi, vel spoliandi non secuto effectu, puta quia Prælatus non percussus nec captus &c. neque aliquid detrimenti, aut incommodi passus fuerit, hęc excommunicatio in-

D curratur.

Qua in re difficultatem facit, quoniam licet dignus esset pœna qui tentaret & conaretur lædere, vel percutere Prælatum arg. cap. Si forte de pęnit. dist. 1. & ex alijs adductis per Felin. in tract. An conatus debeat puniri non secuto effectu in princ. de qua re copiose disputaui in Disputatione octaua, cap. 4. Tamen hoc fallit in censuris, quę non afficiunt conantem, si pronunciantur à lege contra facientem, vt probaui in dicto cap. 4. & tradit Felin. in citato tractatu fallentia sexta.

Respondeo ex communi sententia Doctorum in excommunicationem huius Canonis incidere illum,

E qui hostiliter tantum insequitur aliquam ex descriptis personis priuilegiatis, quamuis nihil damni inferat. Ita sentit Anchar. in capitulo Felicis numero 1. de Poen. vbi inquit hoc esse speciale in Cardinali, quia explicat illum textum, in quo de solis Cardinalibus tractatur, sed in Bulla Coenę, quoad hunc effectum, æquiparantur alii Prælati, ibi expressi Cardinalibus. Idem inquit Sylue. excommunicatio 7. §. 24. Vers. sed ego dico Archid. in capitulo Sicut qui 17. quęstione quarta. idem notat Gloss. in eodem capitulo Felicis, Ver. Insecutione, in Addition. dicens speciale esse in hac excommunicatione, quod insequens

A fit excommunicatus, nam regulariter qui insequitur Clericum,& vibrat sagittam, si non percutiat, non incidit in excommunicationem c. Si quis suadente 17. q.4.& confirmat Beatus Antoni. 3. par.tit.24. cap.1. §. 1. Vers. Item reputatur. At qui insequitur hostiliter Cardinalem, Patriarcham, & alios, etiam si nihil aliud agat ex sola insecutione ipso facto est excommunicatus arg. cap. Sicut qui 17.q.4. *Sicut qui Ecclesiam Dei vastat, & eius prædia & donaria expoliat & inuadit, qui Sacrilegus, sic et ille, qui eius Sacerdotes insequitur, sacrilegij reus existit, & sacrilegus iudicatur.*

Obijcies, vt dicebam paulo ante, quoniam licet eo natus puniri possit regulariter, hoc tamen locum non habet in multis casibus, de quibus dixi in cap.4.Disp. B 8. pura quando imponitur à lege pœna ipso Iure, vel vbi infligitur loco pœnæ aliqua censura, at hoc in loco vtrunque reperitur, agitur enim de censura excommunicationis, quæ ipso Iure incurritur; ergo non est affirmandum ex sola insecutione, si non sequatur occisio, mutilatio, incarceratio, percussio, vel aliud malum aut damnum, contrahi excommunicationem.

Ad hanc obiectionem primo respondeo pœnam excommunicationis non incurri ab eo, qui conatur, & tentat violare legem regulariter, vbi actus transgressionis non est consummatus & perfectus, nisi lex ita dispofuerit, sicut in aliquibus casibus statuit, vt latius probaui in dicto cap. 4. Et in hoc Canone Bullæ manifestè sancitum fuisse constat, vbi hostiliter insequentes C excommunicantur. Secundo dico non contrahi excommunicationem hanc ex solo conatu agendi côtra præsentem constitutionem, sed ex ipsa actione principali completa & perfecta; nam licet hostilis insecutio in ordine ad occisionem & ad alias actiones prohibitas sit inchoatio criminis, tamen si comparetur ad Constitutionem huius Canonis est actio principalis per se prohibita; quare qui hostiliter insequitur Prælatum, non dicitur tentari & conari ad delinquendum, sed perfectè & côplete delinquit in legem. Hinc fit, quòd si quis proponeret malo animo insequi velle Prælatum Ecclesiasticum, vel si pararet arma & alia necessaria ad insequendum, immo si iter susciperet ad hunc finem, si tamen non perueniret ad realem D actum insequendi, sed mutato proposito, aut ex impotentia ab incepto desisteret, non esset excommunicatus, quia esset solus conatus ad delinquendum, qui censuræ non subijcitur. Et hæc sufficiant de hostili insecutione.

Aut eos à suis Diœcesibus, & Territorijs, Terris, seu Dominijs eijcientes. Hæc actio declaranda remanet.

Diœcesis interpretatur Gubernatio non ex vi & ethimologia nominis, sed ex effectu. vnde Iure Ciuili Diœcesis appellabantur Administrationes multarũ simul Prouinciarum, quæ in vnum coactæ per Præfectos Iure Prætorio & eorum Vicarios regebantur l. E vni.C. vt omnes Iudi. Vnde Diœceses dicitur Moderator, Gubernator. Hinc Diœcetæ Ergasticorum, qui operarijs præsunt, ijsq; mercedem persoluunt, l. Archigerontes C. de Episc. Audien. Iure autem Canonico sumitur Diœcesis pro Territorio, cuius Iurisdictio in spiritualibus, & Gubernatio vnico Prælato commissa est cap. Episcopos 7. q. 1. c.Sacrorum 63. dist. cap. Vnio in fi. 10.q.3. Et est quasi disiunctio & diuisio, quia vna Diœcesis est diuisa ab Ecclesia alterius Episcopatus cap. Quicunque 16. q. 3. & cap. Licet & cap.Inter.ead.cau.& quæst. Aliquando etiam nomine Diœcesis significatur Patriarchatus §.Si quis autem, Vers.Et illud etiam in Auth. Quomodo oporteat Episc. Quandoq. Prouincia Archiepiscopo commissa appellatur Diœcesis cap. Episcopi 9. q.2. Sicut è contra interdum Prouincia sumitur pro Diœcesi cap. Studeat 50. dist. Glos.in cap.Quicunque Ver. Prouinciam 16.q.3.

Quærunt Doctores, An Ciuitatis appellatione contineatur Diœcesis, & contra, an Ciuitas comprehendatur Diœcesis nomine. Host. vt refert Abb. in cap. 1. num.2. De Off.Ordi. distinguit; Aut versamur in declaratione Statuti, Constitutionis, vel priuilegij; & hoc casu nomine Diœcesis intelligitur Ciuitas; Aut agitur de Rescripto pœnali & odioso, & nomine Diœcesis non includitur Ciuitas. Hoc tamen dictum non videtur approbare ibi Abb. Vnde ipse Abb. in cap. Rodulphus num.3.4.& 5. De Rescript. alia vtitur distinctione, vel tractatur in materia pœnali & odiosa, & tunc temporis in quocunque genere, siue sit priuilegium, aut Rescriptum, vel Statutum, nomine Diœcesis non includitur Ciuitas, sicut è contra appellatione Ciuitatis non intelligitur Diœcesis, & id euidenter probatur ex dicto cap. Rodulphus, & ex cap. Si Ciuitas De Sent. Excom. lib.6. & ratio est, quia, vt notat Abb. nu. 3. quando verbum aliquod potest recipi sub duplici significatione, scilicet generica & specifica, semper in pœnalibus & odiosis est sumendum in arctiore & specifica significatione. Fallit hæc regula, quando lex facilè eluderetur, & inutilis redderetur, nisi latiùs & genericè verbum acciperetur, sicut in dicto cap. Si Ciuitas ad euitandam fraudem contra legem. nomine Ciuitatis comprehenduntur Suburbia, ne Interdictum vilesceret, vt notat Io.And.in eod.cap. Vel agitur in materia fauorabili, aut saltem indifferente; tunc autem nomine Diœcesis intelligitur Ciuitas cum suo Territorio, & è contra Tex. optimus ad hoc probandum in l. 1. §. Cum Vrbem ff. De Off. Præfect. Vrbis. Idem confirmat Felin.ibi num.1.&seq. Vnde Archid.in cap.Felicis De Poen. lib.6. affirmat, quod, Ciuitate priuata Episcopo propter delictum, non est priuata Diœcesis.

Ideo Episcopus poterit exercere Pontificalia in Diœcesi; sed illo defuncto non eligeretur alius Episcopus. Ex his patet, quid sit Diœcesis, & quibus modis accipiatur. In hoc Canone nomen Diœcesis accipitur latissimè vt comprehendat non solùm Territorium, sed & Ciuitatem, quæ caput est Territorij. Neque solùm sumitur pro Territorio & districtu vnius Ciuitatis, cuius gubernatio pertinet ad vnum Episcopum, verùm etiam pro Prouincia, quæ sub se continet plures Ciuitates eidem Metropolitano & Archiepiscopo subiectas; immo pro multis Prouincijs, quæ sub vno Patriarcha degunt, & colligitur expressè ex verbis Canonis cum inquit, *Aut eos à suis Diœcesibus &c.* Idest personas antea enumeratas, nempe Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Legatos, & Nuncios; Ergo non solùm Papa loquitur de Diœcesi Episcopi, sed etiam Archiepiscopi, & Patriarchæ.

At Territorijs, Territorium, si propriè sumatur, significat Vniuersitatem Agrorum intra fines cuiuscunque Ciuitatis, Terræ, Castri, Oppidi existentium, vt ostendi in cap. 3. Disp.11. Vbi declaraui, vnde dictum sit Territorium, & in hac significatione accipitur in l. Pupillus 239. in fi. Vers. Territorium est ff. De verbor. signif. l. fin. ff. de iurisd. omn. Iud. vbi habetur *Extra Territorium ius dicenti impune non paretur &c.* l. Nulli prope fin. Vers. Quod si in vico, C. de Episc. & Cleri. late Felin. in cap. Rodulphus nu. 18. & seq. de rescript.

rescript. Sed reperitur etiam hoc nomen Territoriũ in latiori significatione sumptũ, vt idẽ sit, quod Diœcesis, vt in c. Si quis Episcoporum 16.q.5.& in §.1.ea.quęst. vbi statutũ est, φ si episcopus in aliena Ciuitatis Territorio Ecclesiã ædificauerit, consecratio dictæ Ecclesiæ pertineat ad Episcopũ illius Ciuitatis, vbi Glo. in ver. Territorio, inquit, *idest Diœcesi*, & in cap. Omnes Basilicæ ead. can.q.7. præcipitur, vt omnes Basilicæ, quę per diuersa loca construuntur, subiiciantur potestati eius Episcopi, in cuius Territorio positæ sunt. Locus celebris in Clem 2.§.Sanè De elect. ibi, *Districtus, seu Territorii nomine Diœcesim hoc casu intelligendam fore censemus*. Ex quibus verbis colligere possumus Territorium, Districtum, & Diœcesim aliquando confundi, licèt si propriè sumantur, ad diuersa significanda vsurpari soleant, nam Districtus est etiam in mari, Territorium non est, nisi in terra, vt verbum sonat; Vnde si quis per sententiam Iudicis compellatur seruare exilium extra Territorium, non censetur eiectus ex mari distincto intra illud Territorium, vt Felin. notat ex sententia Dom. in cap. Rodulphus num. 14. De Rescript. Deinde ambitus Territorii comprehendit quædam loca, quæ non sunt de destrictu, vt Monasteria, & Ecclesias Felin. num. 31. Diœcesis, verò est Clericorum, Districtus est Clericorum, & Laicorum, Felin. ibid. nam Clerici dicuntur Prouinciales, & Ciues illius loci, in quo possident beneficium, & districtuales saltem in materia fauorabili, Felin. num. 161. num. 32. Quare regulariter nomine districtus, & Territorii non comprehenditur Diœcesis, Felin. num. 35. Præter has voces reperitur etiam nomen Concitatus, quod accipitur aliquando ad denotandam totam Dięcesim, Abb. in cap. Veniens in 3. Notan. De Præscript. sed propriè in statuto, vel Constitutione dicit Territorium, Villarum, aut Castrorum pertinens ad eandem Ciuitatem, & gaudens eisdem priuilegiis, Felin. in dicto cap. Rodulphus num. 36. De Rescript. Quamobrem omnia ista nomina interdum confunduntur, & ad idem significandum vsurpantur, & in hoc Canone Territorium latè sumitur pro Diœcesi, Districtu, vel Comitatu.

Terris Terra vocatur etiam Territorium. l. vlt. C. de omni agro deserto lib. 11. vbi fit mentio de Territorio, & Glos. inquit *Territorii idest Terræ*, Terræ etiam appellatione, significatur Regnum, Prouincia, Villa, Castrum, Terra, oppidum, vt probat textus valde notandus in cap. Cum in partibus in fi. de verb. signif. vbi ita habetur, *Nomine Terræ non solùm Regnum, vel Prouinciam intelligi volumus, verùm etiam Villam, & Castrum*, & Glos. ver. Nomine Terræ notat verbum simpliciter positum intelligi debere generaliter de quacunque Terra parua, vel magna, Rursus appellatione Terrarum comprehenduntur destrictus vt notãt Gemini. & Franc in cap. Quoniam de Immun. Eccles. lib. 6. Quare interdicta Terra remanet introductus districtus.

Seu Dominiũ, Hoc nomine significantur omnia loca, quæ sunt sub iurisdictione vnius dominii: nam Dominium, & Iurisdictio æquiparantur. l. Qui furem ff. de sta. homi. quare Regnum dicitur sub dominio Regis, quia ille habet iurisdictionem, & dominatur in eo. Atque eod. modo Dominium dicitur de Terris, Territoriis, & Diœcesibus. Iam ergo intelliguntur vocabula, quibus Summus Pontifex vtitur ad exprimẽdam hanc vltimam actionem principalem, cuius causa incurritur excommunicatio. Itaque quicunque præsumit expellere personas priuilegiatas in hoc Canone à locis suis, siue sit Regnum, vel Prouincia, aut Diœ-

A cesis, siue Territorium, & quouis alio modo nuncupetur, obstringitur ipso facto excommunicatione. Voluit autem Summus Pontifex accipere plura nomina ad hoc significandum vt res manifesta, atque perspicua redderetur absque vlla controuersia, maximè cum agatur de grauissima pœna excommunicationis, & apud diuersos variis nominibus eadem res denotetur; ideo voluit omnia recensere, quia, vt inquit Felin. in dicto cap. Rodulphus num. 31. de rescript. In his vocabulis standum est consuetudini vulgi.

Hæc actio non continebatur in Bulla ante Gregorium xiij vt notat Nauar. in Manual. cap. 27. num. 67. vers. septima. Neque etiam habetur in cap. Felicis. vbi nihil dicitur de eiicientibus Cardinales ex suis Ter-

B ritorijs. Quare & in hac parte amplior est Bulla; quàm dictum cap. Felicis. Erat autem prohibita eadem actio sub pœna excommunicationis quantum ad Episcopos in Clem. 1. de Pœn. sub vocabulo *Banniuerit*. Et licèt Nauarrus asserat verbum eijcere generalius patere, quàm bannire; Tamen ego censeo vtrumque idem prorsus significare. Nam eijcere ex Diœcesibus & Territorijs sonat id, quod vulgò dicitur Bannire.

Bannire est non barbara, quæ apud Auctores latinos nunquam fuit in vsu. Hac voce vtuntur Iudices Criminales, & Curiales, & scribentes in eisdem causis. Ponitur autem in dicta Clem. Quoniam nonnunquam à Sũmis Pontificibus in sacris Canonibus quædam dictiones minus latinæ receptæ fuerunt, quia vsitatę sũt,

C & valde accommodatæ ad aliquid explicandum quibus magis curæ fuit verborum claritate id quod videbant exprimere, & omnibus notum facere, quàm sermonis elegantia, & dictionum puritate seruata rem ambiguam, & dubiam legentibus relinquere. Postquam quantumlibet clarissimis verbis mentem suam patefecerint, adhuc plures quotidie difficultates oriantur, vt ex infinitis Auctoribus, qui suo ingenio eas meditati sunt, & scriptis suis nobis proposuerunt, euidenter vnicuique patere potest.

Sed petet aliquis primò, quæ vocentur *Suæ* Diœceses, vel sua Territoria, aut suæ Terræ ad incurrendam hance excommunicationem, si ab illis eiiciantur personæ priuilegiatæ, & dubitatio oritur, quoniam prono-

D men suum, sicut etiam meum, tuũ, denotat dominium. l. 2. § In locum. ff. de re & sumpt. fu. Glos. in cap. 1. vers. Terram propriam de postul. Prælat. Glos. in cap. Quo iure, Ver. Meus est dist. 8. sed Cardinales, Patriarchæ, & alij priuilegiati non habent dominium in in diœcesibus, & Territorijs, sed dominium spectat ad Principes, qui sũt Domini illarum Ciuitatum, & Terrarum, quare secundum hanc interpretationem referenda erunt hæc verba ad Principes temporales, & tunc sensus erit In hanc excommunicationem incidere Principes, & Dominos temporales, si dictas personas eijciãt ex suis Regnis, Prouincijs, & Territorijs, quamuis in illis, nullam habeant iurisdictionem personæ expulsæ.

Respondeo, Pronomen illud suas referendum esse

E ad personas priuilegiatas eiectas, non autem ad ipsos Dominos Terrarum eijcientes, quod patet manifeste ex illa dictione *Eos*, quæ immediate præcedit, quæ dictio relationem habet ad Cardinales, Patriarchas, & alios priuilegiatos, post quam statim subditur hæc actio prohibita, idest. *Aut eos à suis Diœcesibus &c.* eijciunt, & ad hunc modum omnes exponunt hãc clausulam. Et licet dicti Præsules priuilegiati non habeant dominium in Diœcesibus, Terris &c. habent tamen in illis iurisdictionem ratione dignitatis Ecclesiasticæ, & muneris, quo in illis funguntur, & hoc sufficit, vt vere

suæ

suæ Diœceses, & sua Territoria vocentur, vt inquit A Abb. in cap. Pro illorum num. 2. de præben. Card. in Clem. 1. ver. Terra num. 4. de pœn. Vnde Clericus potest dicere Ecclesiam suã in qua habet iurisdictionem. Itaque incurritur excommunicatio si eijciuntur Cardinales, & alij nominati ex ijs locis, in quibus tãquam Cardinales, Patriarchæ &c. dominium, aut saltem iurisdictionem habent spiritualem. Vnde si expellerentur ab alijs locis, in quibus ratione talis dignitatis, aut officij Ecclesiastici nullam iurisdictionem, nec dominium aliquod temporale haberent, non esset locus excommunicationi, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 67. vers. quinta. Sed quid dicendum est, si eijciantur ex locis, in quibus nati sunt, vel domicilium habent, vel ex suis Castris, & oppidis, quæ bina B sunt patrimonialia; Censeo excommunicationem incurri, quoniam, propriè loquendo, illa dicuntur Terræ suæ: locus enim, vbi Episcopus natus est, dicitur Terra sua. Similiter si possideat Castrum, Villam iure hæreditario, sunt Terræ suæ. Quare si ex illis expellatur ratione dignitatis Episcopalis, qua insignitus est, excommunicatio contrahitur; exemplo rem explico. Episcopus subditus Regis ratione originis, & domicilij adeptus est Episcopatum alterius Ciuitatis in eodem Regno, & quia literis hortatoriis Proregis parere noluit, non eijcitur ab Episcopatu, sed compellitur à Patria exulare; hoc casu locus erit excommunicationi, sicut si expelleretur ab Episcopato.

Petet secũdò quis; An hæc expulsio intelligi debeat C de expulsione violenta, quæ facto fit, an etiam de illa, quæ verbis solis contingit, puta si metus iniiciatur, vt exire debeant.

Respõdeo ad incurrendam hanc excommunicationem sufficere verba minatoria, quibus Principes, & Iudices seculares comminentur exilia, secuto tamen effectu, idest si Prælatus propter metum illatum, ad euitandum periculum, relinquit suam Diœcesim, & discedit: oportet enim, vt actus sit consummatus, & verba debent intelligi cum effectu cap. Relatum de Cleri. non resid. Felin. in cap. Rodulphus num. 7. de rescript. Vnde rectè animaduertit Nauar. dicto num. 67. vers. quinta, hanc excommunicationem latam esse contra Iudices seculares, qui cũ non possint Episcopos non parentes D suis iussis capere neque punire, præcipiunt illis, vt è Regno exeant, vnde & ipsi Iudices, & lictores mandata exequentes obstricti remanent vinculo excommunicationis.

Quod verum est, quamuis Episcopi, & aliæ personę priuilegiatæ ita se gerent in administratione officii, vt digni essent eiectione, & priuatione officii ob eam rationem, quia secularis potestas nullam habet Iurisdictionem in Episcopum; ideo non potest illum bannire, sicut dicitur in cap. Olim, vnà cum Glos. ver. Banniuerat de Iniur. & Franc. Victoria in prima relect. de potestate Ecclesiæ sess. 7. prępos. 9. dicit Magistratus grauiter errare, & peccare, qui iudicia exercent contra E priuilegia Clericorum, licet perniciosi, & criminosi sint, præterquam in casibus iure permissis.

Tertiò quæret quis; An hæc excommunicatio afficiat eos, qui facto nolunt recipere Episcopos, & admittere eos in possessionem suorum Episcopatuum, quando nulla subest iusta, & legitima causa ex dispositione iuris, propter quam possessionem denegare, vel retardare valeant, & idem quæri potest de Cardinalibus quoad Ecclesias titulares, De Patriarchis, Archiepiscopis, Legatis, & Nunciis, quantum ad Prouincias, ad quas mittuntur.

Respondeo eos, qui huiusmodi Præsules nolunt recipere, non innodari vinculo huius excommunicationis, quoniam Bulla loquitur simpliciter de eiicientibus; sed eiicere longè aliud est, quàm non recipere; ergo ab eiectione non est illatio facienda ad nõ admissionem, præsertim ad incurrendam excommunicationem nam modò non loquimur de peccato, extat tamen alia excommunicatio in Iure in Extrauag. super Gentes Io. 22 de consuet. inter communes, vt annotauit Card. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerdot. cap. 25. vers. vndecima excommunicatio contra non admittentes Legatos, & Nuncios Apostolicos ingredi Terras subiectas, quæ excommunicatio afficit eos, qui impediũt Legatos, & Nuncios exercere suum munus. Quare est vniuersalior, quàm excommunicatio Bullæ. Plus enim est impedire, quàm eiicere: omnis enim, qui eiicit impedit, sed non è contra, & excommunicatio dictæ Extrauag non est reseruata, & extenditur tantùm ad ipsos impedientes, non verò id mandantes, Consulentes &c. sicut excommunicatio Bullæ. Rursus in Extrauaganti vltra excommunicationem Regna Terræ, & alia loca subiiciuntur Interdicto, In Bulla sola excommunicatio pronunciatur. Nec plura ad hoc caput.

CAPVT V.

Proponuntur dubitationes de eisdem actionibus principalibus, illæque dissoluuntur.

DEclaratis actionibus principalibus, quæ sunt causæ, vt incurratur excommunicatio Bullę, sequitur modò, vt proponamus tres difficultates, quæ occurrunt de eisdem actionibus, quarum explicatio necessaria est, vt plenè intelligamus, quando, & in quibus casibus locus sit huic excommunicationi.

Primò dubitatur; An quælibet harum actionũ principalium sufficiat ad contrahendam excommunicationem Bullæ.

Respondeo quamcunque actionem ex numero illarum nouem, quæ in Canone recensentur, per se & formaliter esse sufficientem causam incurrendi hanc excommunicationem, dummodo constituant peccatum mortale, quoniã si ex leuitate materiæ actio esset tantùm venialis culpa, excommunicatio locum non haberet, quæ non afficit, vbi cessat lęthale crimen, vt sæpe dictum est. Animaduertendum tamen est actionem externam esse posse peccatũ mortale dupliciter, idest vel ratione corporalis læsionis, seu nocumenti, vel ex defectu honoris, & venerationis tali Prælato debitæ. Primo modo quando corpus ipsum grauiter percutitur, tunc proprie cõmittitur grauis iniuria, quæ contingere non potest sine mortali peccato. Secundò modo fieri potest, vt actio exterior in genere percussionis corporalis leuissima sit, nihilominus apud omnes æstimetur grauis iniuria in detrimentum honoris, e. g. si quis alium virga leuissime attingat; Immo homines interdum æstimant, grauẽ iniuriam, si alter tenet percutere eleuando manum, quamuis non percutiat, & vtroque modo est sufficiẽs causa excommunicationis. Neque enim necesse est, vt semper corpus grauiter lędatur, nam ex sola detentione, & captura, quæ fit sine detrimento corporali, incurritur hæc excommunicatio, sed satis est, vt actio externa secundùm moralem opinionem iudicetur grauis iniuria contra honorem, & reuerentiam debitam tali Prælato, licet physice in genere entis sit leuissima. Idque colligitur ex verbis Canonis: prohibet enim simpliciter percutere.

Ex

Ex dictis ſequitur fortiori ratione excuſari ab hac excommunicatione illum, qui aliqnam ex actionibus prohibitis committit ſine peccato, vt ſi percuteret ad ſui neceſſariam defenſionem: tunc enim non diceretur actio iniurioſa, quod requiritur ad incurrendam hanc excommunicationem. Vnde in antiquioribus Bullis apponebatur dictio *Temere*, ideſt *Excommunicamus omnes temere mutilantes, verberantes &c.* Vnde Rebuff. in explic. Bulla art. 8. verſ. ſecundò etiam, inqnit non iniurioſe, aut temere facere illum, qui ſe defendendo percutit Epiſcopum. Idem notat Gloſ in Clem. 1. ver vel temere de pœn. explicans verba illa tex. *Quemuis Pontificem iniurioſè, & temere percuſſerit &c.* Hoc idem ait Syue. escommunicat in 7. §. 44. in princ. & citat Io. Andr. Eodem modo esplicat B. Antoni. 3. par. ſum. tit. 24. cap. 3. poſt princ. & Nauar. idem ait in Manua. cap. 27. num. 22. Et ratio eſt, quoniam vnicuique permiſſa eſt omni iure ſui ipſius neceſſaria defenſio, vt dicitur l. Vt vim. ff. De Iuſt. & Iur.

Secundò dubitari poteſt de illo, qui laborans probabili facti ignorantia committit aliqnam actionem ex prohibitis contra perſonam priuilegiatã, puta ſi percutiat Epiſcopum noctu incedẽtem, vel indutum alieno habitu, & omnino ignoret eſſe Epiſcopum. Non videtur enim talis ignorantia poſſe excuſare percutientem à cenſura, cum non excuſet illum à peccato lethali.

Reſpondeo, vt omnes communiter ſentiunt, probabilem perſonæ ignorãtiam excuſare huiuſmodi delinquentem à cenſura huius Canonis; nam etſi alias peccet mortaliter, ob talem actionem tamen formaliter tale peccatum non eſt eius ſpeciei, & circumſtantiæ, vt poſſit delinquens vocari contumax in hunc Canonem, & idcirco non incurrit hanc excommunicationem, quæ non contrahitur, vbi quis non intendit offendere perſonam priuilegiatam, quamuis ob ignorantiã probabilem ſequatur læſio talis perſonæ, quam tamen ignorantiam non habet ille, qui tenebatur ſcire 1. q. 4. §. Notandum cap. Ignorantia de reg. iu. lib 6. Hoc dictum confirmari poteſt ex eo, quia non incidit in excommunicationem cap. Si quis ſuadente 17. q. 4. qui percutit Clericum, quem probabiliter ignorauit eſſe Clericum, vt habetur in cap. Si verò 2. de ſent. excom. Atque hæc ſententia eſt communis, vt tradit, & ſequitur Couar. in cap. Alma Mater par. 1. §. 16. n. 15. licet oppoſitum ſentiat Sylue excum. 6. §. 6. verſ. ſecundò quando quis. Addit tamen Couar. limitationem, ideſt niſi ille, qui operatur ex tali ignorantia, eo ſit animo affectus, vt etſi ſciret eſſe Clericum, adhuc illum percuteret, & inquit eſſe doctrinam D. Tho. 1. 2. q. 76. art. 1. ſed hæc ignorantia, quam B. Tho. concomitantem appellat, per ſe, neque excuſare, neque accuſare poteſt, vt ipſemet S. Tho. ibi declarat, & ratio eſt, quia ille primus animus non influit in actum, & ideo ſi illo non obſtante actio procedit ex ignorantia probabili, excuſatur ab excommunicatione.

Quæres ſi quis intendit, & vult offendere perſonam priuilegiatam, nempe Franciſcum Epiſcopum, & hoc animo emittit globum, & percutit credens eſſe talem Epiſcopum, quem inſequitur fugientem, cum tamen ſit alius non gaudens priuilegio huius Canonis, an incidat in excommunicationem.

Reſpondeo in hoc caſu non eſſe locum huic excommunicationi, quoniam licet talis animo, & intentione peccauerit in hunc Canonem volens offendere Prælatum Eccleſiaſticum, ad incurrendam tamen cenſuram non ſufficit peccatum interius, niſi exterius perficiatur

A in eadem ſpecie. Duo enim ſunt neceſſaria. Primò voluntas occidẽdi, mutilandi, vel exercendi aliam actionem ex prohibitis contra aliquam ex perſonis priuilegiatis. Secundò vt talis voluntas eodem modo ſit excuſationi tradita, & effectum habuerit. Idque confirmari poteſt exemplo eius, qui intendit percutere Franciſcum Clericũ, ſed aberrante manu occidit Ioannem Laicum, qui non eſt obſtrictus cap. Si quis ſuadente iuxta ſententiam omnium ob defectum actus exterioris; & ita affirmat Sylueſter, & Couar. locis citatis, neque oppoſitum ſentit Gloſ. in dicto cap. Si verò 2. ver. Ignorauerit de ſent. excom. Sicut illi attribuunt Sylue. & Couar. cum inquit percutientem aliũ, quem credebat eſſe Clericum, ſed reuera non erat, quamuis
B Tonſuram deferret propter conſcientiam teneri, niſi poſtea certior efficiatur: Gloſ. enim voluit ſolùm ſignificare, quòd qui percutit Laicum, quem exiſtimauit Clericum, tenetur propter conſcientiam, nam licet re ipſa non incidat in excommunicationem, tamen quandiu exiſtimat percuſſiſſe Clericum, debet ſe gerere, vt excommunicatus, & ex conſcientia erronea tenetur ſeruare cenſuram, ac ſi illam incurriſſet, vnde obligatio ceſſat, cum primùm certior redditur non Clericum, ſed Laicum percuſſiſſe.

Sed quid dicendum eſſet, ſi quis intenderet percutere Petrum Clericum, & ex errore percuſſerit Ioannem Clericum, Couar. dicto num. 15. verſ. octauo conſtat ex bis, affirmat talem; ignoranter non excuſari ab
C excommunicatione, quia tam intentio, quàm actio exterior circa perſonam Clerici verſatur, & illa percuſſio Clerici vt ſic non eſt inuoluntaria, ſed eſt inuoluntaria percuſſio huius Clerici, vt talis perſona, argumento. l. Eum qui. §. ſi iniuria. ff. de iniur. Quæ opinio Couar. veriſſima eſt, ſi ſupponamus actionem illam exteriorem ipſius percutientis fuiſſe voluntariam, non ſolùm quatenus tendebat ad percutiendum Petrum, ſed etiam vt de facto attingit Ioãnem, directè quidem reſpectu Petri, indirectè reſpectu Ioannis, nimirũ quia ſufficientem diligentiam non adhibuerit, vt caueret, ne ex errore in aliam perſonam ictus caderet. Verùm ſi contingeret, vt actio illa exterior tantùm haberet rationem voluntarij in ordine ad Petrum, ſed reſpectu
D Ioannis eſſet mere caſualis, & inuoluntaria, quia ſufficiens diligentia adhibita fuerit, ne alia perſona offenderetur, tunc videretur percutiens excuſandus à Cenſura, cum percuſſio illa reſpectu Ioannis eſſet caſualis, & inuoluntaria, & ex conſequenti careret culpa.

Tertiò dubitari poteſt; An dentur aliæ cauſæ præter titulum defenſionis, propriæ, & ignorantiæ, propter quas offendens perſonam priuilegiatam excuſari poſſit ab hac Cenſura, & peculiariter quæritur de ijs caſibus, in quibus iuxta diſpoſitionem cap. Si verò 1. in fi. de ſent. excom. non contrahitur Cenſura Canonis ſi quis ſuadente ex percuſſione Clerici.

Reſpondeo non excuſari illum, qui offenderet Prælatum Eccleſiaſticum in caſibus expreſſis in dicto c. Si
E verò, ab excommunicatione huius Canonis, quoniam Canon ſimpliciter prohibet, ne committãtur actiones prohibitæ contra perſonas priuilegiatas abſque vlla exceptione; ergo excommunicatio afficit omnes ſine vlla exceptione. Verba enim generaliter prolata, generaliter intelligi debent. l. de pretio. ff. de publicia. in rem actio. l. Si ſeruitus. ff. de ſerui. vrba. prędio. l. 1 verſ. Generaliter cum Gloſ. ver. In infinitum, vbi ad idem plura citat. ff. de legat. præſtã. cap. Solitæ in fi. de maio. & obed. Quæ regula vera eſt etiam in diſpoſitionibus odioſis, & pœnalibus, Calder. conſ. 1. in princ. verſ. ſed

poteſt

potest responderi, quod licet sit restringendum sub tit. de cõsang. & affini. Dec. cons. 5, In causa Dominæ Mariæ ante fi. Sequitur Aymo. cons. 118. In hac causa num. 14. Confirmatur responsio, quoniam qui exercet aliquam actionem ex prohibitis contra personam Ecclesiasticam priuilegiatam etiam in casibus permissis in dicto cap. Si verò, non solùm peccat contra Deum, sed etiam est contumax in hunc Canonem, ergo remanet innodatus excommunicatione sicut percutiẽs Clericum ob eandem rationem incideret in excommunicationem Canonis, si quis suadente, nisi Papa illos casus cap. Si verò optima ratione excipere voluisset, & declarasset ad eos non extendi excommunicationem dicti cap. Si quis suadente: eius enim est declarare, cuius est statuere. l. fin. C. De legi. cap. Quoniam cum Glosa ver. Declaramus de Constit. cap. Ex parte 3. de verb. signif. Quamobrem cum censura huius Canonis pronuncietur generaliter sine vlla limitatione, & declaratione, vniuersaliter est intelligenda. Si enim voluisset Summus Pontifex aliquos casus excipere, illos expressisset argumento. l. Vnicæ. §. fi. C. de caduc. tollen. cap. Ad audientiam de deci. præsertim quia agitur de censura excommunicationis, quæ grauissima est, maximè cum Constitutio Sedis Apostolicæ, vt ait Gregorius Nonus in dicto cap. Quoniam, nihil debeat obscurum, vel ambiguum continere. Confirmatur secundò, nam idcirco si quis iniuria afficiat aliquem ex Prælatis priuilegiatis, vel ad sui defensionem necessariam, vel ignoranter, excusatur ab hac censura, quia offensio in illis casibus caret culpa, & dolo, vt dixi in solutione præmissarum dubitationum: sine peccato enim non incurritur excommunicatio; ergo quãdo dictæ actiones prohibitæ committuntur cum peccato, locus est excommunicationi. Pertractaui de actionibus principalibus, venio ad accessorias.

CAPVT VI.

De Actionibus secundariis & Accessoriis prohibitis, quæ in postrema parte Canonis recensentur his verbis, Nec non ea Mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.

EX narratis verbis Canonis colliguntur quinque actiones damnatæ sub eadem censura excommunicationis in ordine ad illas nouem actiones principales. Prima est mandare. Secunda ratum habere. Tertia præstare auxilium. Quarta dare consilium. Quinta fauorem præbere alteri, vt interficiat, mutilet, vulneret, vel aliam ex actionibus prohibitis commutat in Cardinalem, Patriarcham, Archiepiscopum, Episcopum, Legatum, aut Nuncium Apostolicum, sed singulæ separatim, & distinctè sunt explicandæ, vt res plenius, & clarius innotescat.

Nec non ea mandantes. Hoc verbum *Mandare* ad plura, & diuersa significanda ab Auctoribus latinis vsurpatum esse inuenimus: nam & memoriæ mandare dicimus, idest in memoria figere, & retinere, mandare terræ semina idem, quod seminare, Interdum mandare significat committere, iniungere, mandare æternitati, est facere rem immortalem, mandare in vltimas terras, est tollere memoriam alicuius, mandare se fugæ, idem quod fugere, mandare literis est scribere, mandare aliquem humo est sepelire, mandare vinculis, est in vincula conijcere. Sed vltra has, & plures alias acceptiones, mandare in iure propriè significat

A committere officium aliquod alteri volenti illud gratuitò exequi. Vnde mandatum est officium præstandum ab eo, qui gratuitò suscepit illud exhibendum, vt notat Glos. super rubr. ff. manda. & habetur in §. 1. Instit. eod. tit. Quare differt mandatum à præcepto, seu iussu, quòd mandatum est voluntarium ex parte eius, cui fit ab initio: potest enim illud recipere, & recusare; Præceptum autem, & Iussus, quia fit ab habente dominium, potestatem, vel iurisdictionem in alium, idcirco necessitatem, & obligationem inducit, tale est quod à Patre filijs imponitur, à Dño seruis, à Iudice subditis, à superiore inferiori; Ita dicit Glos. in l. 1. vers. Quemadmodum. ff. Quod iussu, & refert prouerbium, *Rogatio domini præceptum est, sed mandatum spontaneam*
B *obsequii præstationem dicit.* Sic etiam verbum *Præcipio*, quando vtitur Princeps, inducit necessitatem, non verbum *Mando*, vt inquit Glosa in l. Sæpe, ver. Necessitatem. fi. de off. præs. sic quoque tradit Felin. in cap. Cum te num. 16. & seq. de rescript. vbi fusè prosequitur differẽtias inter mandatum, & præceptum, & inter alias præcipua est, quòd mandatum morte mandantis finitur cap. Relatum de off. deleg. Præceptum verò minimè, vt in Auth. vt nulli Iudi. §. Et hoc verò iubemus Colla. 9. quæ differentia assignatur inter mandatum, & præceptum à Glosa notab. in cap. fin. ver. Quod præcipitur 14. q. 1. quam sequuntur omnes, & Felin. in dicto cap. Cum te num. 17. l. Et quia cum Glosa ver. Antequam in fi. ff. De iurisd. om. iudi. Mandatum
C differt quoque à consilio, quòd mandatum in se contineat expressam significationem volũtatis, vt quid fiat, Consilium nullam voluntatis significationem habet, rémque Consultoris arbitrio committit, ideoque non est obligatorium. l. 2. in fi. ff. Mandati. l. Consilij. ff. De reg. iur. Sed interdum hæc omnia confunduntur, & promiscuè vnum pro alio accipitur, & ea, quę sunt pręcepti consuluntur, vt cap. Sic enim 28. q. 1. & quæ sunt mandati præcipiuntur, & præceptum, ac mandatum æquiparantur, vt l. Si quidam. C. De actio. & oblig. Quandoque rogare assumitur, vt significet præcipere cap. Rogo 11. q. 3. vt notauit Glos. in dicto cap. fin. ver. Quod præcipitur 14. q. 1. Ex his constat, quibus modis accipiatur verbum mandare, sed in hoc Canone
D Bullæ sumitur vniuersaliter pro quacũque commissione facta alteri, vt operetur aliquam ex actionibus prohibitis contra Cardinalem, Patriarcham, Archiepiscopum, Episcopum, Legatum, vel Nuncium Apostolicum, siue sit superior illi, qui mandat, & habeat potestatem in eum, cui datur mandatum, siue nullam habeat iurisdictionem in illum, semper incurritur excommunicatio tam ab ipso mandatore, quam à mandatario, quibuscunque verbis explicetur ipsa commissio, vel iubendo, vel mandando, aut rogando, seu volendo l. 1. ff. manda.

Si contra obijcias, non teneri illum, qui mandato alterius rem agit prohibitam, maximè si mandans in illum potestatem habeat, & sit superior arg. ff. Ad leg.
E Aquil. l. Liber homo 2. vbi hæc dicuntur, *Liber homo si iussu alterius damnum, iniuriamve dederit, Actio legis Aquiliæ cum eo est, qui iussit, si modò ius imperandi habuit, quòd si non habuit, cum eo agendum est, qui fecit.*

Respondet Glosa in cap. Mulieres, ver. Auctoritate, vel mandato de sent. excom. Illum, qui exequitur mandatum alterius contra legem prohibentem aliquid sub pœna excommunicationis, incidere in excommunicationem, quia præceptum iniustum fuit, cui non debuit obedire.

Et hæc excommunicatio cõtra mandatores harum

actionum

actionum prohibitarum habetur in omnibus Bullis superiorum Pontificum, & meritò, quia qui per alium facit, ipse facit, cum sit causa, vt alius faciat; & ideo est primaria causa, vt sequatur effectus prohibitus, vt dicitur in cap. Vt famæ de sent. excom. vbi permittitur Laicis, vt possint citra excommunicationis sententiam Clericos capere, & ad Iudicium trahere, dum tamen id demandato faciant suorum Prælatorum, & redditur ratio, *Cum hoc non ipsi, seu illi, quorum auctoritate id faciunt, facere videantur*. Et ibi Glos. ver. Quorum auctoritate, & Abb. num. 10. Eadem sententia repetita legitur in cap. Mulieres in fi. eod. tit. vbi similiter agitur de censura excommunicationis his verbis, *Illi verò, qui non per seipsos, sed eorum auctoritate, vel mandato alii violenter iniiciunt manus in Clericos, ad Sedem Apostolicam sunt mittendi, cum is committat verè, cuius auctoritate, vel mandato delictum committi probatur*. Vbi Glosa Ver. Auctoritate, vel mandato, alia iura citat, quibus eodem regula refertur, & confirmatur; Atque ex iisdem verbis dicti cap. Mulieres colligitur etiam, quòd quamuis non esset lata hæc excõmunicatio contra mandantes offendi prædictas personas priuilegiatas, adhuc incurrerent excommunicationem cap. Siquis suadente 17. q. 4. Quam quidem excommunicationem non contraherent ex dispositione illius cap. Si quis, cum ibi solùm excommunicentur illi, qui iniiciũt manus violentas, non ipsi mandantes, & excommunicatio lata contra facientes non comprehendit mãdantes, de qua re latè disserui in cap. 2. Disp. 2. lib. 3. Sed idcirco innodarentur excommunicatione ipsi mandantes, quoniam Papa aliis constitutionibus declarauit, & statuit excommunicationem cõtra percussores Clerici latam comprehendere etiam mandantes, vt in c. Quantę de sent. excom. in cap Sicut dignum de homic. & ob eandem rationem excommunicatio Bullæ lata in hoc Canone non afficeret mandantes fieri actiones principaliter prohibitas, nisi exprimerentur: & idem dicendum de excommunicatione cap. Felicis de pœn. lib. 6. contra offendentes Cardinales, quæ comprehendit mandantes, quia de illis fit mentio specialis, & in Clement. 1. de pœn. contra illos, qui mandant offendi Episcopos.

Oportet autem diligẽter animaduertere quoad ipsum mandantem, quam actionem ex prohibitis mandauerit, vt iudicemus, an remaneat obstrictus excommunicatione Bullæ: nam cum nouẽ sint genera actionum, quæ prohibentur, vt vidimus, quæcunque ex illis mandetur, si illa subsequuta est, sufficit. Mandat quis alteri, vt insequatur Cardinalem, si ille insequitur, licet non capiat, vel percutiat, aut vulneret &c. Mandans est excommunicatus, & eadem est ratio de auxiliante, consulente, & fauente, Sylue. excom. 7. §. 24. Ad verò si vna actio imperetur, & iussus non illam, sed aliam committat, tunc censeo non esse locum excommunicationi, vt si quis mandet solùm capi Cardinalem, & Mandatarius non capiat, sed percutiat, nisi postea mandans ratam habeat percussionem suo nomine factam non incidit in excommunicationẽ, vel nisi actio imperata esset medium, & via ad committendã actionem, quam Mandatarius exequi debebat, vt si cõmisisit verberationem, & alter vulnerasset, nam vulnus supponit verberationem, vel si præcepisset, vt detineret, & mandatarius voluisset capere, vel incarcerare, & idem in similibus casibus. Verùm quid dicendum esset, si quis mandasset alteri, vt occideret talem Episcopũ, & Mandatarius per errorem interficeret alium Episcopum; An mandans innodaretur excommunicatione; Respondeo in casu Mandantem non contrahere excommunicationem, quia non fuit causa huius homicidij, & Mandans non tenetur de actione Mandatarij, si ille excessit fines mandati, quod est diligenter custodiendum, vt dicitur in l. Diligenter ff. Mandati; An verò in tali casu Mandatarius incurrat excommunicationem, si homicidium in personam alterius Episcopi sequatur per errorem & ignorãter, quia non intendebat illud interficere, sed alium Episcopũ, Respondendum est iuxta distinctionem traditam præcedenti cap. in solutione primi dubij, explicando sententiam Couar.

Sed supersunt duæ difficultates explicandæ. Prima est, An Mandans incurrat excommunicationem statim, ac mandauit & commisit alteri aliquam actionem ex prohibitis, an potiùs vbi Mandatarius rem perfecit, & executioni tradidit.

Glosa in Clem. 1. Ver. Mãdauerit De Pœn. Primùm videtur asserere eo ipso excommunicationem incurri à mandante, dato mandato, quia solùm mandatum punitur, & est delictum perfectum, ac consummatum, vt in simili casu in cap. Pro humani ad fi. De Homic. lib. 6. Quo casu pœnitentia & reuocatio mandati non prodest ad euitandam excommunicationem. Deinde Glosa videtur oppositum tueri, inquit enim valde durum censeri, vt quis ex solo mandato, non secuto delicto, excommunicatione innodetur, & pluribus aliis pœnis illius Clem. affic-atur, præsertim, quia verba cum effectu intelligenda sunt, cap. Relatum De Cleri. non resid. Idcirco ait exponi posse, vt Mandans incurrat excommunicationem, & alias pœnas, si actio imperata fuerit perfecta & executioni tradita. quare non plenè difficultatem dissoluit, sed videtur voluisse solùm rationem ad vtramque partem confirmandam attingere.

Card. in eandem Clem. num. 8. putat veriorem esse opinionem negatiuam, vt Mandans non incurrat excommunicationem, antequam Mandatarius exequatur delictum contra Episcopos, de quibus loquitur illa Clem. & reddit rationem, quia Mandans dicitur facere id, quod alius suo mandato fecit, cap. Mulieres De Sent. Excom. quæ ratio cessat non secuto delicto, quia nullum extat factum. Hoc idem existimant probabilius B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 3. Sylue. Excom. 7. §. 44. Rebuff. in Exposit. Bullæ Coenæ super art. 8. Ver. Mandatores.

Hæc sententia mihi videtur probabilior, quæ confirmari potest ex regula, quam tradidi in cap. 2. Disp. 2. lib. 3. & est, Vbi Constitutio primò, & principaliter excommunicat facientes, & deinde mandantes, quasi extendendo Constitutionem ad ipsos, tunc Mandantes non incurrunt excommunicationem, nisi opus sortitum fuerit effectum; & ita accidit in casu, de quo disputamus. Primo enim excommunicantur Interficientes, Mutilantes, Vulnerantes &c. Cardinales, Patriarchas, & alios priuilegiatos, deinde subiungitur, quasi amplificando & extendendo legem, *Nec non ea mandantes*. Secus verò est in cap. 1. De Homic. lib. 6. vbi qui per Assassinos quempiam interfici fecerit, *vel etiam mandauerit*, excommunicationis censura est innodatus. Vbi Glosa Ver. Mandauerit, asserit talem Mandantem incurrere poenam, etiam si re integra mandatum reuocauerit. & reddit rationem, quia ex solo mandato antea obstrictus erat, nam hoc ipsum Mandare est delictum consummatum, quod deducitur ex illis duabus dictionibus, *vel etiam*. Dictio enim *vel* ponitur inter diuersa, Clem. 1. De Iudi. & notat

Card.

Card. in Clem. 2. quæst. 2. de æta. & quali. Dictio *etiam* habet vim includendi, vt notat Abb. cap. vni. num. 3. de commoda. Quare virtute illarum dictionum sumitur argumentum de mente Summi Pontificis: nempe voluisse sub eadem dispositione æquiparare mandantem facienti actum prohibitum quoad pœnam excommunicationis, licet Mandans, & faciens longe inter se differant. Contra verò in hoc Canone Bullæ non comparatur Mandans facienti, sed excommunicatio lata contra facientem extenditur ad Mandantem, quod satis ostendit dictio illa *Nec non*, quæ ponitur, postquam enumeratæ sunt omnes actiones principales. Secundò comprobari potest eadem opinio simili argum. ducto ab excommunicatione lata contra Mandantem Clerici percussionem, quæ non afficit Mandantem, donec percussio sequatur, & est communis sententia omnium Doctorum, & probat Nauar. in Manual. cap. 27. num. 51 in fi. vers. Adde quod refert.

Sed peteret aliquis, quid dicendum sit, si Mandãs præmoriatur, priusquam Mandatarius exequatur mandatum, an tunc temporis Mandator excommunicationem incurrat.

Tres sunt modi respondendi ad hanc obiectionem iuxta Doctorum diuersas opiniones quas retuli in c. 2. Disp. 2. lib. 3. Illa tamen responsio videtur probabilior, quæ affirmat in hoc casu Mandantem non incidere in excommunicationem, quia morte Mandantis mandatum expirat. l. Mandatum. C. Mandati. l. Inter causas, & l. Si quis aliam. §. Mortem. ff. Mandati. Et hac ratione præsertim differt mandatum à præcepto, vt ostendi superius initio huius capitis, cum agerem de significatione huius nominis, & ita sentit Glosa in cap. Mulieres ver. auctoritate, vel mandato de sent. excom. & Felin. ibi num. 5. & Innoc.

Secunda dubitatio, quæ ex dictis emergit est; Postquam excommunicatio non incurritur à Mandante, donec actio prohibita sit commissa à Mandatario, si accidat casus, vt Mandantem post datum mandatum pœniteat re integra, idest antequam delictum sit commissum, & reuocet mandatum, certiorem reddens ipsum Mandatarium de reuocato mandato, & nihilominus Mandatarius exequatur mandatum; An tũc Mandans remaneat excommunicatione obstrictus.

Respondeo, reuocato mandato re integra, si Mandatarius certior est factus de reuocatione, Mandans non remanet obstrictus excommunicatione si Mandatarius non obstante reuocatione delictum committat, & ita tenet Glos. in cap. Mulieres ver. Auctoritate, vel mandato de sent. excom. cap. Quicunque eod. tit. lib. 6. Et ratio est, quia Mandans non incidit in excommunicationem dando mandatum, antequã actio prohibita sequatur, & reuocato mandato iam Mandans non est causa delicti; & ideo non incurrit excommunicationem, quæ contra committentes delictum à lege infligitur, secus esset, si excommunicatio infligeretur principaliter contra Mandantem, sicut contra facientem, vt in dicto cap. 1. de homic. lib. 6. vbi Mandans, & reuocans re integra incurrit excommunicationem qua ex solo mandato obstringitur, vt notat Glos. in eod. cap. Ver. Mandauerit. Quare si quis commiserit alteri, vt Episcopum interficiat, deinde pœnitens reuocet mandatum, & prohibeat, ne suo nomine ille, cui sacrilegium imposuerat, tale scelus perpetrare audeat, nihilominus si Mandatarius nolit desistere, sed homicidium committat, Mandator cum nullo modo concurrat ad tale homicidium, non incidit in excommunicationem, quoniam homicidium tunc non committitur vi Mandati, sed sponte ab ipso Mandatario.

Sed animaduertendum est, vt annotauit glos. in dicto cap. Mulieres. Ver. auctoritate, vel mandato, vt Mandans in hoc casu non incidat in excommunicationem, necessarium esse non solùm ipsum pœnitere mandati, sed oportere reuocare mandatum, itaut reuocationis notitia ad Mandatarium perueniat arg. l. Si mandassem. ff. Mandati. l. Si tamen, & l. Si filius. ff. Ad Macedon. Et manifestè id colligitur ex l. 1 ff. Quod iussu, ibi, *Sed ego quæro an reuocare hoc iussum antequam credatur, possit, & puto posse, quemadmodum si mandasset, & postea ante contractum contraria uoluntate mandatum reuocasset, & me certiorasset.* Ad id facit cap. Ea insinuatione, & cap. Mandato de procurat. Et cap. Ex parte 3. de rescript.

Sed quid dicendum, si quis mandauit, vt percuteretur Episcopus, vel alia persona priuilegiata; deinde mutata sententia reuocat mandatum, sed antequam possit Mandatarium certiorem facere de tale reuocatione, ipse mandatarius committit homicidium; An Mandator innodetur excommunicatione.

Glosa in dicto c. Mulieres ver. auctoritate, respondit affirmatiue, ob eam rationem, quia Mandans ex mandato obligatur, quod impleuit Mandatarius, cui non fuit nota reuocatio; oppositam tamen sentẽtiam sequitur alia Glos. in cap. Cum quis ver. Mandato de sent. excom. lib. 6. quæ refert aliorum opiniones. Tandem concludens asserit probabilius esse affirmare in hoc casu Mandatorem non esse excommunicatum quoad Deum, sed quoad Ecclesiam habendum esse tanquam excommunicatum. Mihi magis placet dictum Innoc. in cap. Mulieres in fi. de sent. excom. qui tenet, quòd si quis post datum mãdatum ita tarde mutet voluntatem, & reuocet mandatum, vt antea Mandatarius opus compleuerit, quàm ad ipsum reuocationis notitia peruenire potuerit expresse, vel tacite, quia certior non sit factus de pace inita inter Mandantem, & aduersarium, quem iusserat occidi, vel alio modo, tunc Mandantem non incidere in excommunicationem, quia cessat dolus, licet de culpa redargui possit; sed vbi cessat hoc impedimentum, remanet censura obstrictus. Et de Mandante hæc sufficiant; Ad talia transeamus.

Vel rata habentes, Est secunda actio accessoria interdicta sub pœna excommunicationis in ordine ad illas nouem principales actiones superius enarratas. Excommunicantur enim, vltra Mandantes, illi, qui ratum habent, si quis interfecerit, mutilauerit, vulnerauerit &c. Cardinalem, Patriarcham, & alios nominatos. Eadem ratihabitio contra Cardinales damnata habetur in cap. Felicis de pœn. & contra episcopos in Clémẽt. 1. de pœn. Ratum verò habere aliquid, nihil aliud est, quam approbare, & quouis modo declarare rem ab alio gestam sibi placere, & gratam atq. acceptam habere. l. Quo enim. §. 1 ff. Rem ratam haberi.

Duobus autem modis potest quis rem ab altero gestam ratam habere. Primo modo actu interiori, quia ex tali facto lætitia afficitur, & gaudet, sed internam lætitiam, quam corde retinet, signo aliquo exteriori non exprimit, & ex hac ratihabitione non incurritur excommunicatio, vt inquit Glos. in cap. Cum quis in princ. de sent. excom. lib. 6. Secundo modo si signis externis factum comprobat, & commendat. Idque dupliciter fieri potest, nempe verbis, & factis, vt dicitur in l. Paulus. ff. Rem ratam haberi, *Paulus respondit non tantùm verbis ratum haberi posse, sed etiam actu.* Verbis quidem ratum aliquid haberi potest, si laudatur opus, si com-

si commendatur persona, quæ illud egit, & ob facinus commissum extollitur, factis autem, si postquam quis delictum commisit, illum defendo occulto domi meæ, ne capiatur à Ministris iustitiæ, accomodo pecunias, vt discedere valeat, & alijs signis beneuolentiæ declaro rem ab ipso gestam mihi per gratam fuisse, & summoperè placuisse, & vtrouis modo rata habeatur offensio facta contra aliquam ex personis priuilegiatis, concurrentibus tamen conditionibus necessarijs ad veram ratihabitionem, de quibus statim dicam, incurritur hæc excommunicatio, quia siue verbis, siue factis ratihabitio fiat, est apparens & externa, quæ sufficit ad incurrendam excõmunicationem ex hoc capite vt notauit Glos. in d.c. Cum quis in explicatione casus ver. Quæritur de qua ratihabitione de sent. excommu. lib. 6. Ratihabitio enim locum habet in maleficijs, & mandato comparatur, vt habetur in l. 1. §. deiecisse autem, vers. Rectius enim dicitur. ff. de vi & vi armata. *Rectius enim dicitur ratihabitionem in maleficio mandato comparari*, Glos. in cap. Mulieres ver. Auctoritate. vel mandato de sent. excom.

Requirũtur autem duæ conditiones, vt quis dicatur propriè ratũ habere delictum ab altero cõmissum, vt ratione huius ratihabitionis æquiparetur mãdanti, & incurrat pęnas, tanquam si illud mãdasset. Prima conditio est, vt delictum commissum sit nomine illius, qui postea illud ratũ habet. Secunda conditio est, vt commendetur opus factum, & cõprobetur, atq. signis illud placuisse declaretur. Quare ad incurrendam excõmunicationem huius Canonis, non satis est approbare, si quis in personam priuilegiatam iniuriã intulerit, quia solus consensus in præteritum factum alienum, vt alienum est, non est ratihabitio, nec illius causa incurritur excommunicatio. Quod probatur ex regula iuris de reg. iur. lib. 6. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum*, Et ex sequenti regula secunda. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*, In l. si seruus. ff. de Præcario *Si seruus tuus tuo mandato rogauerit, vel etiam ratum habueris, quod ille rogauerit tuo nomine*. Ideo dicitur æquiparari mandato, quia non est mandatum expressum, sed virtuale, & tacitum, quod comprobari potest ex cap. Cum quis de sent. excom. lib. 6. *Cum quis absque tuo mandato manus iniicit in Clericum tuo nomine violentas, si hoc ratum habueris, excommunicationem latam à Canone, incunctanter incurris*. Dicit absque mandato, quia si expressè mandasset, non vocaretur ratihabitio, sed mandatum, habet tamen vim mandati virtualis; Idcirco rectè annotauit Nauar. in explicatione huius Canonis in Manua. cap. 27. num. 67. vers. Septima in fi. per mandãtes comprehendi ratum habentes, quod verbum non ponebatur in Bulla Gre. xiij. Ratihabitio enim est quoddam mandatum implicitum, & virtuale; Et hæc declaratio sumitur ex Glos. in d.c. Cum quis ver. Tuo nomine, dicens si seruus, vel amicus nomine, & intuitu Domini, vel amici, qui à Clerico iniuria affectus fuerat, percutiat dictũ Clericum, & deinde Dominus, aut amicus ratũ habeat percussionem, tunc excõicatione innodatur, & Glos. in c. Mulieres, ver. Auctoritate, vel mandato in fi. de sent. excom. quærit, vtrum incidat in excommunicationem c. si quis suadente 17. q. 4. ille, qui non mandat percussionem Clerici, sed postquam secuta est, illam ratam habet, & tandem concludit non innodari excommunicatione, licet percussionem iam factam ratam habeat: Ergo necesse est, vt antequam percussio sequatur, insluat in illam, quasi virtualiter mandans, vt ex ratihabitione percussionis postquam secu-

A ta est incidat in excommunicationem; Alias ex sola approbatione non faceret suam pręteritam percussionem, & ideo non incideret in excommunicationẽ. Vnde Glos. in cap. Felicis ver. Ratum habentes de pœn. lib. 6. refert opinionem Io. Mo... qui dixit hoc esse speciale in ratificatione, quòd pœna locum habeat, licèt delictum non fuerit alterius nomine commissum, & illam impugnat, quia non est ratificatio, si actio non fuit nomine eius, qui ratum habet, gesta. Idem confirmat Glosa in Clem. 1. ver Rata habuerit de pœn. Et in hac declaratione cõueniunt omnes Doctores, Card. in dicta Clem. num. 3. Gemin. in cap. Cum quis nu. 2. de sent. excom. lib. 6. Anchar. num. 3. Franc. num. 1. Abb. in cap. Mulieres num. 8. de sent. excom. Felin. ibi B num. 6. Idem Abbas in cap. sicut tuis num. 8. de simon. Sylue. excommunicatio 6. §. 5. vers. Tertiò cum quis in fi. huius vers. B. Antoni. 3. p. tit. 24. cap. 3. vers. Rata, oportet ergo. Exemplum ad id clarius elucidandum affertur à Syluestro excom. 6. §. 5. vers. Quarto quando quis, & à Nauar. in Manua. cap. 27. num. 78. de illo, qui coram filijs, amicis, aut seruis verbis indicat se summoperè appetere vindictam contra talem Clericum præuidẽs, vel præuidere debens ex huiusmodi suæ voluntatis testificatione excitandos fore audientes, & commouẽdos, vt rem illi gratam faciant ad percutiendum dictum Clericum. Idem exemplum aptari potest ad casum huius Canonis Bullæ.

Sed contra dicta obiici potest primò, ex tex. in cap. C sicut tuis prope fi. ibi, *Nisi postea consenseris* de simon. vbi Glos. vers. Consenseris notat ex illis verbis posse secundùm Canones ratum haberi quod non suo nomine gestum est, cap. Lugdunensis 9. quæst. 2. Et secundùm leges Ciuiles. l. si pupilli. §. Item quæritur. ff. de nego. gest. Et respondet posse quidem ratum haberi, sed non committi simoniam de qua agitur in illo textu, licet sit peccatum. Ex qua responsione colligimus, quòd si quis nullo modo nec explicitè, nec implicite concurrit ad actionem prohibitam à lege per alium gestam, si postea illam comprobat, & ratam habet, peccat, sed non delinquit in legem, neque pœnam à lege impositam incurrit.

Secundò obijciet aliquis, cum duæ conditiones re- D quirantur, vt quis proprie dicatur ratum habere delictum, nempe vt illud nomine, & contemplatione ipsius committatur, & eo secuto comprobet, & signis externis gratum, & acceptum habuisse declaret, Verum si quis iniuriam latam in Cardinalem, vel in aliam personam ex priuilegiatis nomine ipsius, primùm improbauerit publice, & deinde & verbis, ac factis commẽdare atque laudare incipiat, in excommunicationẽ incidat. Gemin in cap. Cum quis num. 7. & Anchar. num. 5. de sent. excom. lib. 6. Respondenc ex sententia Federicis de Senis, in tali casu nõ incurrere excommunicationẽ, & ratio est, quia cum improbet id, quod gestũ est, iam declarat non esse eius nomine, ac consensu factum; & ideo delicti commissi reum non esse meritò, neque ex- E communicatione obstrictum. Quare si postea illud comprobet, peccat quidem, sed non incidit in excommunicationem. Facit ad hoc tex. in dicto c. sicut tuis in fi. de simo. vbi Abb. num. 8. notat non esse simoniam, si quis soluit pecuniam pro beneficio contradicente eo, cui est ius quæsitum, quamuis possent consentiat solutione iam factæ, quia aliud est vendere, & emere, aliud venditioni, seu emptioni iam factæ consentire. Nec ratihabitio potest locum habere, si solutio pecuniæ non fuit nomine suo facta, quamuis consentiendo peccet.

Sed quærunt Doctores, quando incurratur excommunicatio ex ratihabitione; An vbi committitur delictum, vel potius quando comprobatur, & ratum habetur; Puta in terminis huius Canonis, vtrùm locus sit excõmunicationi quando iniuria afficitur Cardinalis, vel alius ex priuilegiatis, vel vbi habetur notitia talis facti, & illud comprobatur. Ratio dubitandi sumitur ex regula ratihabitionem de reg. iur. lib. 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*. Si ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur, ergo sicut Mandans effectu secuto incidit statim in excommunicationem, ita dicẽdum erit de ratũ habente, aliàs verum non esset ratihabitionem retrotrahi.

Glos. in c. Cum quis ver. Incurris de sent. excõ. lib. 6. affirmat excommunicationem incurri, quãdo quis ratum habet, & comprobat delictum eius nomine commissum, non antea, scilicet in eo instanti, in quo committitur; Et ad dictam regulã respondet satis retrotrahi ad tempus anterius, cũ ex facto anteriori liget, sed excõmunicatio effectum sortitur secuta ratihabitione & comprobatione: neq. enim sent. excõicationis trahitur retro sicut aliæ sententiæ, c. licet de sent. excom. lib. 6. quæ statim ligat, & non suspendit effectum suum, cap. Pastorali de appell. Glos. in cap. venerabilibus 1 §. Porro ver. Appellatum de sent. excom. lib. 6. Quamobrem regula illa, quod ratihabitio retrotrahatur, quando agitur de excommunicatione, non intelligitur respectu temporis, sed ratione causæ excommunicationis, quæ præcessit modo explicato. Idem tenet Gemin. num. 5. dicens regulam illam locum habere in contractibus conditionalibus, in quibus purificata conditione obligatio reducitur ad tempus, quo fuit contractum: at vbi nullum præexistit fundamentum obligationis, tunc solùm obligatio incipit à die ratificationis. Addit etiam aliam rationem, Idest cum excommunicatio sit pœna delicti, non potest alligare non delinquentem, sed cum quis ratificat, tunc primo delinquit; ideo tunc primo alligatur. Idem ait Petrus Anchar. num. 3. Philip. Franc. num. 5.

Secundò quæri potest, an nomine ratum habẽtium in hoc Canone comprehendantur consentientes, idest illi, qui cum possent prohibere, ne aliquis diabolico instinctu ductus in personas priuilegiatas actione aliqua ex prohibitis sacrilegium committere præsumeret; Id tamẽ negligit, & permittit illas offendi; Et quòd huiusmodi consentientes iure vocari possint, & debeant ratũ habentes, & sint excommunicati, maximè cõfirmari potest ex c. Quantæ de sent. excom. vbi statutum est non tantum ipsos percussores Clericorum, & eos, qui habent rationem causæ moralis in ipsa percussione, in excommunicationem incidere, sed etiam ipsos consentientes, & declarat Summus Pontifex tales esse non solùm, qui consilium præbent, vel qui excitant, aut adiuuant, sed etiam illos, *Qui cum possint manifesto facinori, desinunt, obuiare*. Quod si vnusquisque generaliter ad defensionem omnium Clericorum tenetur ad euitandum excommunicationem, quoniam, vt inquit Glos. in d. c. Quantæ in verbo interpretans; Hoc pertinet ad publicum Ius cap. Ius publicum dist. 1. *Ius publicum est in sacris, et in Sacerdotibus, & in Magistratibus*. Nam si hæ personæ præcipuè ad statum Reipublicæ Christianæ spectant, multo magis asserendum est quemlibet sub pœna excommunicationis teneri ad defensionem Cardinalium, & aliorum Præsulum Ecclesiasticorum, cum sint primaria membra Ecclesiæ publicæ personæ eximiæ dignitatis, splẽdore illustres, & post Summum Põtificem cæteris omnibus tam Clericis, quàm Laicis eminentiores. Quare qui illos defendere ab iniurijs possunt, & negligunt eas propulsare; videntur consentire, & rata habere sacrilegia, quæ in dictos priuilegiatos committuntur, & ideo incurrunt excommunicationem. Ex altera parte nemo subijcitur excommunicationi ex facto alterius, nisi aliqua ratione communicet in crimine cum illo, vel nisi mandatum, aut auctoritatem præbeat, cap. Mulieres de sent. excom. Sed qui potest impedire delictum, & non curat illud auertere, nullo modo concurrit ad crimen, sed negatiuè se habet; Igitur non incidit in excommunicationem.

De hac quæstione plura dixi in Disp. 8. cap. 10. nonnulla tamen addam hoc in loco, aptando ad materiã, de qua disputamus, atque vt res clarius innotescat, & omnis difficultas tollatur, quibusdam propositionibus respondebo dubitationis propositæ.

Prima propositio sit, Princeps, seu Iudex, aut Superior quicunque ille sit, siue secularis, siue Ecclesiasticus, qui ratione officij, & potestatis, quam habet in alios, prohibere potest, ne Cardinalis, vel alia persona priuilegiata in hoc Canone offendatur contra dispositionem eiusdem Canonis, & non prohibet, sed permittit, vt illi, qui tale facinus præsumunt, illud liberè aggrediantur, remanet censura huius Canonis obstrictus, sicut illi, qui sacrilegium exequuntur.

Hæc propositio certissima est, in qua conueniunt omnes Doctores. Et probatur primo ex tex. in dicto cap. Quantæ de sent. excom. Vbi Innocentius Tertius declarat esse excommunicatos illos, qui consentiunt, vt Clericus percutiatur. Consentientes appellat illos, qui poterant prohibere, & non prohibuerunt, & Glos. ibi in ver. Interpretans, notat hoc esse verum absq. vlla ambiguitate de Prælato Iudice, & alijs, qui potestatem habent, & possunt impedire percussionem, si desinunt prohibere, quia tenentur ex iustitia ratione officij, & administrationis, quam gerunt impedire, ne sequantur delicta, cap. Forte 23. q. 4. Ergo fortiori ratione in excommunicationem Bullæ incident illi, qui ratione officij, quo funguntur, possunt & tenentur impedire, ne quis iniustè offendatur, & tñ non prohibẽt, sed permittũt Card. vel aliũ Prælatũ ex descriptis offendi.

Confirmatur, quoniam consentientes, & agẽtes pari pœna puniuntur, vt Apost. Paulus in epist. ad Rom. cap. 1. monet, & refertur in d. c. Quantæ de sent. excõ. & in cap. 1. de off. deleg. sed agentes prohibita in hoc Canone sunt excommunicati, ergo & consentientes, illi, qui possũt, & debent prohibere, consentiunt, vt habetur in dicto cap. Quantæ: quare si desinunt id facere, nullo pacto excusari possunt ab excommunicatione: nam licet regulariter qui consentit, in crimen alterius non prohibendo illud ex negligentia, minus peccet, quàm ipse delinquens, vt notat Glos. in c. 1. ver. Pari pœna de off. deleg. tamen hoc fallit in Prælato, & in Superiore, qui ex iustitia ratione officij, quòd gerit, debet prohibere scelera argum. cap. Quicquid 1. q. 1. ibi, *Idem Episcopus duobus mensibus excommunicationi subiaceat pro eo, quòd scita mala contexit, & correptionem necessariam non adhibuit &c.* Et cap. Consentire, & cap. Nihil 83. dist.

Hæc est communis doctrina Doctorum, Innoc. in dicto cap. Quantæ, & ibi Abb. num. 6. & in cap. 1. nu. 5. de off. deleg. Felin. in dicto cap. Quantæ num. 2. & in cap. 1. num. 5. de off. deleg. Sylue. excommunicatio 6. §. 5. vers. quintò quando quis, Nauar. in Manua. c. 27. num. 78. vers. Sexta declaratio, & alij, quos citaui in dicta Disp. 8. cap. 10.

Secunda propositio subditi Cardinalium, Patriarcharum.

charum, & aliorum priuilegiatorum, qui poffunt fine graui damno, & incommodo proprio prohibere iniuriam, quã alius in dictos Prælatos inferre aggreditur, & ex negligentia, vel aliquo timore humano defiunt impedire, & delictum fequi permittunt, incidunt in excommunicationem Bullæ.

Hæc etiam propofitio mihi veriffima videtur Nam ficut Prælatus, & fuperior ratione officij, & poteftatis, qua fungitur, tenetur defendere, & iuuare fubditos, ita è contra obligantur fubditi, fi fentiant Prælatum in periculo verfari, & opem afferre poffunt, ad infidias propulfandas cõcurrere, eft enim reciproca ex vtraq. parte obligatio, & ficut filius carnalis, fi offenfam, quã alius in Patrem machinatur propulfare non curat, videtur delicto confentire, & eft Patricida, vt habetur l. 2. ff. ad leg. Pompeiam de Parricid. ita dicendum eft de filijs fpiritualibus erga Prælatos, & parentes fpirituales, & de alijs fubditis, vt notat Abb. in cap. 1. numero quinto de off. deleg. & ita fentit Glof. in l. Culpa caret 51. ff. de reg. iur. & Bart. in l. Vtrùm. ff. ad legem Pompeiani de Parri. & ficut feruus Domino, qui iniuria afficitur, auxilium præbere tenetur l. fin. C. de his quibus vt indign. hæred. aufer. Ita fubditus fuo fuperiori, & Prælato, fi poteft non debet opem fuam denegare, cap. Ego de Iure iur. cap. De forma, 22. quæft. quinta cap. primo de for. fidel. in vfi feud. ita probat Abb. in cap. 1. numero 9. de reftit. fpoliat. Felin. in cap. 2. de hæret. & Nauar. in Manua. cap. 24. numero 18.

Tertia propofitio, quicunque fiue Iurifdictionem habeat, fiue illa careat, qui ex dulo permittit, vt aliquis ex Prælatis priuilegiatis iniuriam patiatur, cum prohibere poffet, in excommunicationem Bullæ incidet.

De hac etiam propofitione non eft dubitandum, Quoniam omnes Doctores affirmant in excommunicationem Canonis, fi quis fuadente 17. q. 4. incidere eum, qui dolosè offenfionem Clerici permittit, & nun opitulatur cum valet auxilium præftare; Ergo multò magis id fentiendum eft de illis, qui dolo malo non fimplices Clericos, fed Prælatos, & primarias dignitates Ecclefiafticas poft Summũ Pontificẽ, quæ maximo honore, & veneratione funt colendæ, ab infidijs, quas alij contra eafdem machinantur, eximere negligunt.

Huius opinionis eft Innoc. in cap. Quantæ de fent. excom. afferens ex illo textu probari, non excufari ab excommunicatione, qui dolosè non impedit Clerici percuffionem, fiue percutiens fit fub poteftate non impedientis, & ei fubditus, fiue fit extraneus, fiue percuffio fiat nomine ipfius, fiue fecus, Abb. ibi nu. 7. Felin. num. 2. & in cap. 1. num. 5. & feq. de off. deleg. vbi plenius difputat, quando quis teneatur prohibere delictum pofitis quibufdam limitationibus, Sylue. excommunicatio 6. §. 5. prope fi. verf. Quintò. quando, ibi, *Collige ergo*, Qui tenet fententiam effe communem, vt ille incidat in excommunicationem cap. Si quis fuadente, qui non defendit Clericum fi poteft, quando eft officialis, & quando dolosè omittit.

Sed contra hanc communem fententiam obijci poteft. Primò quia vt Nauar. inquit in cap. Non in inferenda 23. q. 3. num. 26. & in Manua. cap. 24. num. 10. verf. in numero 26 in fine, quamuis vnaquæque perfona tam publica, quàm priuata fi non prohibeat offenfionem dolofe, & fraudolenter: immo quod maius eft, etiam ex fimplici timore humano peccet, quando lege iuftitiæ, vel charitatis ad id tenetur, non tamen excommunicatione innodatur, fi ad opem ferendam fola le-

A ge charitatis, non iuftitiæ fit obligatus, lege charitatis tenetur, qui poteft malum prohibere fine damno, & incommodo vitæ propriæ, bonorum, & honoris, ac exiftimationis, vt notat Felin. in cap. 2. num 2. De hæret. Præcepto iuftitiæ illi compelluntur ad aliorum defenfionem, fi valent, qui iurifdictionem habent in eos, qui tentant offendere, vel funt fubditi eorum, quibus infidiæ parantur. Sed ad incurrendas cenfuras requiritur, vt peccatum fit contra iuftitiam; Igitur qui poffet impedire, ne iniuria afficeretur Cardinalis, vel alius Prælatus priuilegiatus, & non impedit, vel id faciat ex dolo, fcilicet ex malitia, odio, & malo animo, vel ex fimplici negligentia fi ad id nõ teneatur ex iuftitia ratione officij, & adminiftrationis, quam gerit, vel nifi fit
B fubditus, fed ex fola charitate, licet graue crimen committat, non remanebit tamen excommunicationis cenfura obftrictus.

Secundò fi vicinus domum vicini à furibus per furari videt, & poteft obfiftere, & tamen non vult, quia odio vicinum habet, & ideo permittit furtum prauo animo, cum nocumentum proximi ei gratũ fit, quamuis non leuiter peccet, non tamen obnoxius eft reftitutioni, quia delinquit contra charitatem, non contra iuftitiam, vt inquit Domi. Soto lib. 4. de iuftit. & iu. q. 7. ar. 3. vltra med. verf Similiter iudicandum de confentientibus, fed eadem ratio eft in reftitutione, ficut in cenfuris, & pœnis, vt inquit Nauar. in d. cap. Non in inferenda 23. q 3. num. 28. Igitur in terminis quæ-
C ftionis, de qua agimus, non incurrit excommunicationem, qui non obftillit iniuriæ, etiamfi prauo animo faciat, fi non tenetur ex iuftitia, fed ex charitate.

Tertio licitum eft recipere pecunias pro defenfione alterius, vt habetur in l. Metum. §. fed licet vim. ff. de eo qui me. cau. ibi, *Eleganter tamen Pomponius ait, fi quo magis te de vi hoftium liberorem &c. aliquid à te accepero, vel te obligauero, non debere me hoc edicto teneri &c.* Et poftq iam pecunia data fuerit, repeti nequit, vt dicitur in l. fi pater. §. fi quis. ff. de donatio. *Si quis aliquem à latrunculis, vel hoftibus captum: Eripuit, & aliquid pro eo ab ipfo accipiat, hæc donatio irreuocabilis eft*, Nec prætextu metus refcinditur, vt inqnit Glof.
D ver. irreuocabilis. Itaque fi licitum eft pro defenfione alterius pecuniam accipere, ergo vnus alterum defendere, non tenetur, vt argumentatur Glofa in cap. Quantæ, ver. Interpretans de fent. excommunic. Quia fi tenetur, Ille, qui metu compulfus pecuniam folueret, illam repetere poffet. Confirmatur, quoniam ratio, quæ tam in l. Metum, quàm in l. fi Pater, affertur, cur pro defenfione alterius pecunia licitè exigitur, eft, quia precium foluitur pro mercede operæ, & laboris in beneficium, & commodum alienum præftiti. Sic enim habetur in l. fi Pater, *Merces enim laboris eximij appellanda eft, quòd contemplatione falutis certò modo æftimari non placuit*. Quare fi datur pro præmio laboris, & opera, ergo nullus obligatur
E ad opem ferendam: erit enim actio libera, & voluntaria.

Ad has obiectiones refpondendum eft, & ad primam dico in ea fuppont fundamentum falfum nimirum non effe peccatum contra iuftitiam ex dolo non defendere perfonam Ecclefiafticam, & præfertim Cardinales, Patriarchas, & alios priuilegiatos, nam vt rectè annotauit Glof. in dicto cap. Quantæ verf. Interpretans; Quicquid fit de defenfione Laicorum, quilibet tenetur Clericos defendere, Ideft ex præcepto iuftitiæ: Idque perfuadetur primo; quia Clerici funt perfonæ publicæ. l. prima. §. Huius ftudij.

 ff. de

ff. de Iust. & iu. *Publicum ius in sacris Sacerdotibus, & Magistratibus consistit*: Idcirco ad eorum defensionem omnes lege rusticæ obligantur, quòd si defensionem omittant, & peccant, & censura excommunicationis maudantur, maximè si agatur de propulsanda iniuria à Clericis maioribus, quales sunt Prælati priuilegiati descripti in hoc Canone. Vnde Innocentius Tertius in dicto cap. Quantæ, vt rem efficacius persuaderet, non Clericos simplices, sed Rectores Ecclesiarũ appellat; *Quantæ præsumptionis, & temeritatis existat in Rectores Ecclesiæ manus iniicere violentas &c.*

Secundò responderi potest, quòd etiamsi concederemos omissionem defensionis ex dolo aliquãdo esse peccatum contra charitatem tantùm, scilicet quãdo quis ad illam non tenetur ex præcepto iustitiæ, idest tanquã superior, vel tanquam subditus, tamẽ adhuc rerũ esset vnumquemq. ad huiusmodi defensionem ita obligari, vt, si illam, negligat, peccet, & incidat in excommunicationem, vt probat Caiet. in sub. ver. excommunicatio cap. 10. quia non defendendo est causa moralis iniuriæ qua persona priuilegiata afficitur. Nam Innocentius Tertius declarat in d. cap. Quantæ, causam percussionis Clerici non solùm esse auctorem criminis & mandantem, ac excitantẽ, sed etiam consentientem, & interpretatur illum quoque dici consentientem, *Qui cum possit manifesto facinori, desinet, obuiare*. Quare, si non obsistat, incidit in excommunicationem, quando non obuiando peccat mortaliter.

Ad secundam obiectiunẽ de eo, qui non obsistit furto sui proximi, quando potest, qui non tenetur ad restitutionem rerum furto sublatarum, ergo eadẽ ratio est de pœnis, & de excommunicatione. Respondeo primò nullibi decretum fuisse Iure canonico; Non obuiãtem furto teneri ad restitutionem rei ablatæ, sicut legimos in excommunicationem incidere eum qui non obuiat percussioni Clerici. Dico secundo in cap. penul. de furt. hæc haberi, *Non fur solum, sed ille reus tenetur, qui furti conscius quærente possessore non indicat*, ergo vnusquisque tenetur ad indicandum furem, quæ verba sic possunt interpretari, vt inquit Abb. ibi num. 3. Vt ille peccet, qui non reuelat furem, quando lucrum consequitur ex non reuelatione, vel si ipsemet furem occultat, licet de Iure ciuili permissum sit ex causa non reuelare, furem, minimè tamen de Iure canonico, quod magis declarabitur in sequenti responsione.

Ad tertiam obiectionem de lucro, quod licitè recipitur pro defensione proximi, & solutum repeti nõ potest: vnde sumitur argumentum neminem obligari ad defensionem; Dicendum est primò, vt habetur in l. Metum. §. sed licet ff. de eo quod me. cau. & in l. si pater. §. si quis. ff de donat. quod pecunia recepta ex defensione alicuius ab hostibus, & latrũculis nõ exigitur propter defensionem, sed tanquam honesta merces operæ, & laboris expositi in cõmodum, & beneficium alterius. Secundo respondet Glos. in cap. Cum fure ver. Indicat de furt. Iure ciuili non esse peccatum recipere huiusmodi pecunias, Iure verò canonico prohibitum esse. Vel Tertiò responderi potest, vt inquit Glos. in dicto cap. Quantæ ver. interpretans de sent. excom. quòd quamuis recipi possit pecunia pro defensione Clerici, inde non sequi ergo nemo tenetur ad Clericum defendendum. Nam & officiali datur pecunia, qui tamen gratis tenetur impendere officium suum, cap. Non sanè 14. q. 5. Manent igitur solutæ obiectiones contra tertiam propositionem allatæ; Accedamus ad quartam propositionem.

Quarta propositio qui præsens erat, quando in Cardinalem, vel aliam personam priuilegiatam iniuria inferebatur, & poterat illam auertere, & obuiare, nequid male pateretur, & tamen noluit, impedire, sed permisit, vt aggressores sacrilegium ex iniqua, & diabolica voluntate tentatum committerent, præsumitur dolo, & fraude id fecisse; & idcirco iuxta doctrinam tertiæ propositionis iudicabitur excommunicatus excommunicatione Bullæ,

Est sententia Abb. in cap. Quantæ numero octauo de senten. excommunic. vbi ex illo textu probat hoc esse verum de quocunque, qui potest, & non prohibet Clerici percussionem, Vnde ait excommunicationem Canonis si quis suadente, esse latissimè interpretandam fauore Religionis. Idem expresè inquit Nauar. in Manual. cap. 27. numero 78. Ergo multò verius idem erit asserendum de excommunicatione Bullæ latę fauore Cardinalium, Patriarcharum, & aliorum Prælatorum descriptorum, qui non sunt simplices Clerici, sed prima, & præcipua membra Reipublicæ Christianæ, quorum cultus, & veneratio maximè pertinet ad fauorem Religionis.

Confirmari idem potest testimonio Glos. in §. prouidendum quoque ver. Inferas in fi. 83. dist. vbi quærit; An ab alio inuasus petenti ab eo pecunias, & minante certam mortem, si summam pecuniarum soluere recuset, teneatur alius ad redimendam vitam nummos petitos erogare, & respondet quemlibet teneri redimere vitam alterius.

Si obijcias ex l. Quotiens vers. Qui dolo. ff. de probat. vbi dicitur dolum non præsumi, nisi probetur, quare qui dicit aliquid dolo factum fuisse, debet illud probare. Idem habetur in cap. 2. de renuncia. lib. 6.

Respondet Abb. vbi supra præsumptionem esse contra non obuiantem, quia dolus probari potest per coniecturas. Quare qui potest impedire malum & non impedit, habet contra se præsumptiones, & coniecturas, quas purgare debet, ergo qui clamando opem ferre posset, & obuiare, ne Cardinalis, aut alius ex priuilegiatis offenderetur, & non fecit, dolo omisisse videtur, & idcirco erit excommunicatus.

Quinta propositio, vbi quis scit aliquos decreuisse iniuria afficere, vel committere malum aliquod in Cardinalem, Patriarcham, vel alium Prælatum ex descriptis in hoc Canone Bullæ, & potest sine incommodo per reuelationem, & denunciationem impedire tale sacrilegium, & liberare Prælatum, ne quid mali patiatur, & omittit hoc agere; Vnde sequitur, vt delinquentes libere exequantur, quod impie proposuerant se facturos, vinculo excommunicationis remanet innodatus.

Existimo hanc conclusionem esse certissimam, quæ probari potest multis modis.

Primò quoniam licet regula sit communiter approbata in l. Culpa caret. ff. de reg. iu. Neminem ex sola scientia, & notitia criminis teneri de Iure ciuili, vt ibi Glos. & Doctores, tamen fallit in pluribus casibus, nempe in Domino, qui tenetur impedire, quando parantur insidiæ contra subditum, vel è contra in subdito contra Dominum. Idem de filio ergo Patrem, & de subdito spirituali erga Parochum, & Episcopum suum. Isti enim sunt parentes spiritnales, qui maiore honore colendi sunt, quam Cardinales parentes; Ideo si filius scit delictum committendum aduersus Patrem, & non reuelat, tenetur ex sola scientia, quamuis nullo modo sit particeps in delicto, l. 2. & quod ibi notat Glos. ff. de parric. Ita quoque si alicui constat per aliquos insidias parari in Episcopum, & cessat

denun-

denunciare talem machinationem, & sola notitia tenetur maleficio secuto, & ita sentit Bart. in l. Vtrùm, ff. Ad legem Pompei. De parric. Idem affirmat Abb. in cap. 1. num. 9. de restit. spoliat. Felin. in cap. Quantæ num. 3. de sent. excom. & latius in cap. 1. num. 5. de off. deleg. & in cap. Quia alios de hæret.

Probatur secundo; quia de iure canonico saltem in foro conscientiæ tenetur quis ex sola sciētia, vbi potest impedire delictum, & non impedit; Ita tenet Abb. in dicto cap. 1. num. 9. circa med. de restitut. spoliat. ex cap. dilecto de sent. excom. lib. 6. Vbi Glos. ver. Vicino, inquit quēlibet teneri ad defensionem vicini, & proximi sui, cap. Qui potest 23. q. 3. *Qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit, nihil aliud est, quam fauere eorum impietati: Nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesta facinori desinit obuiare.* Eadem repetuntur in cap. Error 83. dist. & in §. 1. ead. dist. dicitur, *Vt enim Symmachus Papa ait, non est grandis differentia, an lethum inferas, an admittas; mortem enim languentibus probatur infligere, qui hanc, cum possit non excludit?* In cap. Non in inferenda 23. q. 3. *Non in inferenda, sed in depellenda iniuria lex virtutis est, qui enim non repellit à socio iniuriam, si potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit &c.* Et in fine referuntur verba, quæ habentur Prouerb. cap. 24. *Erue illos, qui ducuntur ad mortem.* Ergo multò magis hoc est asserendum de Prælatis Ecclesiæ qui sunt Principes Ecclesiastici, & personæ publicæ.

Tertiò omnis lex, & naturæ, & diuina, & humana iubet, vt periculo non solùm Reipub. sed cuiuscunque proximi, si possumus subueniamus, vt in casu homicidij, rapinæ, paratæ proditionis, & similibus, & probat Caiet. in D. Tho. 2. 2. q. 33. ar. 7. Ergo qui solo verbo manifestando crimen non consulit periculo proximi, omnem legem violat; Igitur incurrit pœnas debitas committentibus talia delicta, maximè quando insidiæ parantur contra publicas personas, & superiores ac Principes Ecclesiasticos Christianæ Reipub. quales sunt Cardinales, Patriarchæ, & alij Prælati priuilegiati in hoc Canone, tunc enim offenditur bonum commune.

Quartò post Pium Quintū res iam caret omni ambiguitate quoad eos, qui sciunt, & non reuelant eos, qui machinantur aliquod malum contra Cardinales. Nam Pius quintus in Cōstitutione, seu Bulla, cuius initiū est, Infelicis seculi pericula, edita An. 1569. 14. Kal. Ianuarij Pōtificatus sui anno quarto sanciuit occasionē facinoris eo tempore attentati in personam Caroli Borromei viri Sanctiss. & S.R.E. Cardinalis, & Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopi, vt quisquis quouis modo cognouerit, vel per literas, aut ex cœtu, seu conatu, vel alijs signis, aut indicijs qualibuscunque notitiam habuerit, vel etiam coniecerit quempiā authorum administrorum, vel consciorum cōiurationis, siue conspirationis, aut commissi, vel committēdi criminis in personam Cardinalis, teneatur quamprimū id Romano Pontifici, si in Curia fuerit, sin autem ordinario loci, vel si Cardinalis ipse, ordinarius extiterit propinquiori Episcopo, & si crimen nondum commissum fuerit, etiam ipsi Cardinali quantò citius reuelare, & quicunque etiam non subditus, & extraneus hac in re deficiens, cuiuscunque dignitatis sit, excommunicationis laqueo innodatus remaneat, & Maiestatis reus infamiam, & omnes alias pœnas in cap. Felicis de pœn. lib. 6. latas eo ipso incurrat. Ratio, qua ductus Summus Pontifex hanc promulgauit constitionem, fuit, vt ipsemet ibi testatur, quia Cardinales sunt nobilissimæ Corporis Papæ partes, quas dicit vndique protegendas esse; *Quibus enim inquit Summus Pontifex præsidio erimus, quibus suppetias afferemus, quos tutabimur, si templi Dei bases, si Clarissima Ecclesiæ limina, si speciales filios, qui pro animabus populorum, pro fide, pro iustitia, pro veritate peruigilant, inultos deseramus?* Quæ ratio licet aptari possit ad Patriarchas, & ad alios Prælatos priuilegiatos, tamen in Constitutione expressa mentio fit tantùm de Cardinalibus; & titulus Constitutionis est contra scientes, & non reuelantes eos, qui offendunt S.R.E. Cardinales, ergo ex ea probari solùm potest incurri excommunicationem scientem parari insidias contra Cardinalem, & non reuelantem, sed tres priores rationes factæ idem probant vniuersaliter de Patriarcha, & alijs Prælatis priuilegiatis.

Sed quærere quis posset, An sciens aliqua via malum ab aliquibus parari in personam priuilegiatam, possit, & teneatur illum secretò admonere, vt desistat iuxta Euangelicum præceptum fraternę correptionis, & si speret præmissa admonitione reuocare à praua voluntate illum, qui erat malum commissurus, ita vt nullum penitus timeri debeat periculū, vtrum si omittat denunciationem peccet, & sit excommunicatus.

Caietanus apud B. Tho. 2. 2. q. 33. ar. 7. In resp. ad tertium mouet similem dubitationem, & respondet cum distinctione, dicens accusationem, seu denunciationem aliquando esse licitam, aliquando debitam. Vbi licitum est accusare, seu denunciare, qui sperat per secretam monitionem peccatoris emendationem, nec imminet ex delatione punitionis peccatoris malum, aut periculum, tunc præmittenda est correptio, quia lex est inuiolabilis ex præcepto Domini, vt quoties potest seruari anima proximi, vel vita, aut res familiaris alterius fama incolumi, id omnino faciendum sit, vt inquit S. Tho. in illo ar. 7. & tradunt Doctores Iuris Pontificis in cap. Si peccauerit 2. quæst. 1. & cap. Nouit de Iudi. Sed quando tenetur quis ad accusandum, seu denunciandum, tunc non habet locum occultæ monitionis præmissio, quia siue delinquēs emendetur, siue minimè, sine dilatione facienda vt denunciatio, quia bonum commune id postulat, & hoc significat S. Tho. in illo ar. 7. in resp. ad primum cum ait, quòd vbi imminet periculum multitudinis, non habet locum præceptum Domini de secreta monitione similiter dicendū est in terminis nostræ quæstionis ob eandem rationem, defensio Cardinalium, & aliorum Prælatorū priuilegiatorum imperata est fauore boni communis, quod violatur ex eorum offensione; ergo qui scit contra dictos per aliquem machinari malū, quamuis monuerit, & speret emendationem, tamen à reuelatione desistere non debet, alias peccat, & excommunicatione obstringitur.

Ex dictis satis declarata est secunda actio accessoria, idest *Nata* habentes.

Seu præstantes eis auxilium. Est tertia actio accessoria prohibita; Interdicitur præstare auxilium eis, idest illis, qui sacrilegium interficiendi, mutilandi, vulnerandi &c. cōmittere præsumunt in Cardinalem, vel Patriarcham, aut alium ex Prælatis priuilegiatis; Excommunicantur ergo illi, qui auxilium præstant alteri, vt sacrilegium intentum facilius, & commodius exequatur. Accipitur autem auxilium hoc in loco non pro Iuris suffragio, & beneficio, sicut sumitur in l. Auxilium. ff. De Minor. in fi. *Frustra auxilium legis implorat, qui committit in legem*, sed accipitur pro quocunque adiumento, quod & opem latinè dicimus.

Vnde Vlpianus in l. In furti actione, vers. ope & consilio ff. de furt. agens de furto Inquit, *Opem fert, qui ministerium, & adiutorium ad surripiendas res præbet.* Et ideo vocatur auxilium ab augendo quòd vires eius augeat, cui accedit. Differt autem auxilium à consilio, vt dicitur in l. Sæpe in fi. ff. De verb. signific. & Innoc. in c. Sicut dignum num. 3 in fi. de homicid. asserit differre auxilium à consilio, quod auxilium coarctatur ad ea tantùm, in quibus auxilium traditur. Consilium verò euagatur ad omnia damna secuta. Pluribus autem modis auxilium ferri potest, nempe armis, manu, clamoribus, obiectu, corporis, & plurando, vt dicitur in l. 1. §. Occisorum, vers. Potuisse autem. ff. de Senatus Consulto Sylania. Et clarius in l. Cum Dominus eod. tit. *Cum Dominus occiditur, auxilium ei familia ferre debet, & armis, & manu, & clamoribus, & obiectu corporis &c.* In hoc Canone sumitur vniuersaliter auxilium. Quamobrem si quis arma accommodauerit ad offerendum Cardinalem, aut alium Prælatum priuilegiatum, vel pecunias subministrauerit alicui, vt arma emeret ad eundem finem, vel soluerit pecunias sicarijs, vt aduersus eandem personas malum machinarentur, arg. l. Si sciente. ff. Ad legem Pompe. de parricid. Abb. in c. 1. num. 5. circa fi. vers. Et per hoc dicendum de off. deleg. Qui milites tradidit, aut ministros, dicitur similiter auxilium dedisse, eodem modo qui equos commodauerit. vel alia instramenta, vel domum ad custodiendam personam tanquam in carcere; Qui sociauit delinquentes, vt redderet illos audaciores, & firmiores ad facinus committendum, vt notat Nauar. in Manua. cap. 27. num. 67. vers. septima quòd per hanc clausulam in fi. Quod est intelligendum de eo, qui comitatur illum, qui paratus est offendere Cardinalem, aut alium Prælatum priuilegiatum assistendo auctoritate sua ad ipsius fauorẽ, & tutelam, ne ab alijs impediretur à proposito facinore: nam si concurrat, & cooperetur ad ipsummet actum, iam non vocabitur auxiliator, sed socius, aut consors criminis: vnde erit excommunicatus primò, & principaliter, non secundariò, & accessorie, vt recte annotauit Glos. in Clem. 1. ver. defensauerit de pœn. & Card. in Clem. 1. num. 17. de pœn. Ille etiam, qui armatus assisteret, licet nihil agendo, dicetetur opem, & auxilium impendere, vt tradit Felin. in cap. 1. num. 12. de off. deleg. Tandem quomodolibet quis auxilium, & opem scienter tulerit alteri, vt interficiat, mutilet, vel aliam ex actionibus principalibus prohibitis committat contra Cardinalẽ, Patriarcham vel alium Prælatum priuilegiatum ex descriptis in Canone semper incidit in excommunicationem. Idque recte sancitum fuit: est enim Iuri consonũ, vt qui opem alteri præstat ad delictum, regulariter puniatur, vt ille, qui committit crimen, vt affirmant Bart. in l. Is qui opem. ff. de furt, & l. In furti §. ope. ff. eod. tit. & Abb. in dicto cap. 1. num. 5. vers. Tertium membrum de off. deleg. Immo contingere potest, vt grauiori pœna dignus sit ferens opem ad scelus committendum, quàm si ipse suis manibus illud patraret, vt annotauit Abb. loco cit. Exemplum sit de medico, qui filio dedit venenum, vt propinaret Patri, qui debet puniri tanquam si occidisset Patrem suum pœna leg. Pompe. de Parricid. & tamen si ipsemet Medicus interfecisset illum, teneretur solùm tanquam extraneus de simplici homicidio. Aliud exemplum habetur in cap. Tanta 86 dist. vbi idem notat Glos. vers. excommunicatos.

Quæret quis; An innodetur excommunicatione præstans auxilium eo modo, quo explicatum est, si sacrilegium non sequatur, quod diabolico spiritu ductus

A alius committere proposuerat; quia pœnitens nephariæ voluntatis suæ veniam à Deo postulauit.

Respondeo nõ incurri excommunicationem ab eo, qui opem, & auxilium præstitit ea intentione, vt aliqua actio principalis prohibita committeretur, nisi talis actio reuera fuerit consummata, & perfecta, quia mandare ratum habere auxilium, consilium, vel fauorem dare, sunt actiones accessoriæ damnatæ in ordine ad personales; ergo si principalis actio effectum non habuerit, accessoria non punitur, sicut supra plenius probauimus de Mandante. Confirmatur, nam si volentes committere delictum, vbi mutant propositum, & cessant à priori voluntate non sunt puniendi pœna à lege imposita contra committentes tale delictum, multò minus digni erunt eadem pœna, qui secundariò,
B & accessorie ad tale crimen concurrunt, sicut qui auxilium præbuit ad furtum committendum, actione furti non tenetur, si furtum minimè commissum sit, vt habetur in l. Si quis vxori post med. vers. Neque verbo. ff. de furt. *Neque verbo, neque scriptura quis furtum facit. Hoc enim iure vtimur, vt furtum sine contrectatione non fiat. Quare & opem ferre, vel consilium dare tunc nocet, cum secuta contrectatio est.*

Secundò quæret aliquis; An auxilium, & opem ferre dicatur ille ad incurrendam excommunicationem huius Canonis qui post crimen commissum adiuuat delinquentem, & defendit.

Puto in hoc casu non esse locum excommunicationi
C Bullæ, quicquid sit de excõmunicatione, & alijs pœnis Clem. 1. de pœn. de quibus tractabo in cap. 8. Ratio huius dicti colligitur expresse ex verbis Bullæ, excommunicantur enim Mandantes, seu rata habentes ea, idest actiones principales prohibitas, & præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem, eodem modo scilicet ad cõmittendas dictas actiones prohibitas. Confirmatur, quoniam qui post delictum commissum præbet auxilium malefactori, propriè non dicitur opem dedisse ad scelus committendum, vt probat Felin. in cap. Sicut dignum num. 5. de homic. & Bart. in l. Non solùm. §. Si iuramento. ff. De iniur. Idem tenet Card. in d. Clem. 1. num. 9. de pœn. nempe damnari consilium, & fauorem ad faciendum delictum, secus si post delictum
D consilium, vel fauor impendatur, tunc enim ait non esse locum pœnæ.

1. *Consilium* Quarta actio accessoriæ, quæ sub pœna excommunicationis interdicitur, nempe dare consilium, vt aliqua actio personalis prohibita ex enarratis committatur contra Prælatum priuilegiatum quid sit dare consilium ad committendum delictum, declaratur in l. In furti vers. Consilium autem dare. ff. de furt. *Consilium autem dare videtur, qui persuadet, & impellit, atque instruit consilio ad furtum faciendum.* Vnde Innoc. in cap. Ad audientiam de homic. asserit tunc intelligi aliquem dedisse consilium in mortem alterius, quando suasit illud, vel rogauit, vel alias consuluit vtilitatem, quæ sequeretur ex homicidio. Idem ait Terrecrem. in
E cap. si quis viduam n. 9 dist. 50. Gemin. in c. Felicis n. 7. de pœn. lib. 6. Card. in Clé. 1. n. 9 eod. tit. Alex. cõs. 122. lib. 4. Syluc. loquẽs de excõ. la[t]a in Clé. 1. de pœn. contra cõsulentes eos, qui offendũt Episcopos, excõ. 7. §. 44 in fi. inquit; Præstatur autem consiliũ suadendo, agẽdo, impellẽdo, instruẽdo, vel secuturã vtilitatẽ ostendẽdo. Quocũq. igitur modo consulat quis occisionẽ, mutilationẽ, vulnerationẽ, vel aliã actionẽ principalẽ prohibitã anna Card. vel aliã personã ex priuilegiatis, obstringitur excõ. subsecuto tamẽ effectu, vt sæpe in similibus declaratum est, & notat Card. in d. Clé. 1. n. 17. de pœn.

Sed

Sed quæri potest primo cum consilium possit esse duplex, aliud dolo & fraude datum ad eum finem, vt delictum committatur, aliud absque dolo & fraude. De quo consilio intelligendus sit hic Canon Bullæ similiter quæri potest, an sit excommunicatus consulens non tantum, quando is, cui consilium datur, non fuisset scelus commissurus, nisi ad illud patrandum ex consilio persuasus foret, sed etiam vbi crimen commisisset, quamuis nullum præcessisset consilium.

Syluester excommunicatio 7. §.44. Vers. & sexto, explicans excommunicationem Clem. 1. de Pœn. latam contra dantes consilium ad offendendum Episcopum, tenet intelligi debere de consilio fraudolento, & probat ex Glosa in capit. Nuper Ver. Consilium impendendo de sent.excom. quæ affirmat duo, primum est, tunc quempiam ex consilio teneri, quando alter, qui consilium recipit aliter non erat scelus facturus; & pluribus iuribus id comprobat. Secundum est obligari etiam aliquem ex consilio, si consilium sit fraudolentum idem inquit Card. in Clem. 1. o. 9. de Pœn. Quod confirmari etiam potest ex Regula nullus de Reg. Iur. lib.6. *Nullus ex consilio, dummodo fraudolentum non fuerit, obligatur*, Host. in cap. 1. de off. deleg. inquit, quòd si is, cui consulitur, erat commissurum delictum, consulens punitur leuiori pœna. Si autem non erat facturus, eadem pœna plectendus est, sicut faciens. Quam sententiam approbat Felin. ibi nu.8. & in cap. Sicut dignum n.7. de homic. & in cap Nuper n. 6. de sent.excom.& Abb.in d. c. 1.nu.5. prope fi. Vers. secundum membrum de off. deleg. Videtur hæc sententia probari ex textu in cap. Sicut dignum §. qui vero de homic. vbi hæc habentur, *Qui vero se asserunt animum Regis inflammasse ad odium, vnde homicidium fuit secutum dure & aspere, sed non ita seuere sunt puniendi, nisi forte Regem ipsum ad illud homicidium suis suggestionibus prouocassent.* Vbi Glos. Vers. Prouocassent, hæc notat, *Forte alias non facturum, vnde æque tenentur, quia dolo ad hoc induxerunt Regem, qui alias forte non fecisset.* Hæc colliguntur ex Doctoribus.

Ad hanc difficultatem ad hunc modum respondenri debere censeo, primo excommunicatione Bullæ obstringi eum, qui quomodocunque consilium dederit, siue fraudolentum, siue absque fraude sine vlla distinctione ad committendam aliquam ex actionibus principalibus prohibitis contra Cardinalem vel alium Prælatum priuilegiatum.

Probatur, quia Regula, quæ ait, neminem teneri ex consilio, nisi fraudolentum fuerit, habet locum tantum, quando consilium versatur circa contractus: tūc enim distinguendum est, an consilium fuerit fraudolentum, nec ne. Quando non fuit fraudolentum, tunc temporis Consulens non obligatur, vt in dicta Regula, & l. & eleganter in fi.ff. de dolo. Quod si fuit fraudolentum, tunc tenetur actione de dolo ipsi, cui consilium dedit. Alia tamen ratio est, quando consilium versatur circa maleficium, nam tunc simpliciter tenetur non actione de dolo, sed ratione sceleris commissi, & si consuluit homicidium, homicida est, & tanquā talis puniendus, cap. Si quis viduam dist.50.cap. Sicut dignum § qui vero de homic. & hæc sententia Glosæ Ver. nullus, Dy.& Io. And. super dicta Regula nullus, & ita sentit Bart. in l. non solum §. si mandato ff. de Iniur. Quare vt inquit Abb. in cap. Nuper nu.7. de sent. excom. in maleficijs indistincte tenetur quis ex consilio, etiamsi fraudolentum non sit, idcirco ille quoque qui consilium præbuit sine fraude & dolo, secuta offensione Prælati priuilegiati tenetur ad pœnam impositam à Canone contra tale sacrilegium, atque ideo erit excommunicatus.

Dico secundo, qui consulit huiusmodi sacrilegium alteri, qui alias firmiter illud erat cōmissurus, licet sit reus criminis, & dignus graui pœna, non incurrit tamen excommunicationem Bullæ.

Hoc dictum existimo esse valde probabile, quod confirmari potest primo ex verbis Canonis, *Nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.* Ponderanda est illa dictio ea, & illa alia eis quibus denotatur huiusmodi actiones accessorias, in ordine ad actiones principales, prohibitas esse, quia illarum auctores concurrunt suo modo, vt dictæ actiones principales perficiātur, & suū esse ētū sortiātur. Quare si quis e.g. erat vulneraturus Episcopum, quamuis alius suo consilio ad id eum non inflammasset, tunc consulens non concurrit ad vulnerationem neque suo consilio talis vulnerationis causa existit; & idcirco vinculo excommunicationis non erit innodatus.

Secundo videtur idem confirmari optime ex cit. c. Sicut dignum §. qui vero de homic. vbi statuitur, eū, qui incitat alterum ad Homicidium consilio suo, homicidio secuto, puniendum esse, sed minus seuere, non pœna ordinaria homicidij, quia alter illud commissurus erat, etiamsi non accepisset consilium. Prouocantem vero alterum ad homicidium consilio suo, quasi non esset commissurus homicidium sine tali cōsilio, teneri ad pœnam homicidij. Neque dici potest hanc Regulam pati nonnullas exceptiones, quas enumerat Felin. in c 1. nu.8. de off. deleg.& in dicto cap. Sicut dignum nu. 7. de homic. & inter alias primam esse, non habere locum in atrocissimis sceleribus, in quibus sine vlla distinctione Consulens omnino tenetur, cuius generis absque vlla controuersia vocari debet crimen damnatum in hoc Canone Bullæ, nam vt recte animaduertit Felin. in dicto cap. Sicut dignum nu.7. si hæc regula habet locum in casu illius capit. Sicut dignum in quo agitur de occisione viri Sanctissimi Thomæ Archiepiscopi Cantauriensis secuta mandato Regis Angliæ, quod sacrilegium omni ex parte fuit adeo atrox & immane, sicut illud, quod damnatur in cap Felicis de Pœn. lib.6.& in Clem. 1. eod.tit. Profecto iuxta eandem regulam erunt interpretanda, & cap. Felicis, & dicta Clem. 1. & ob eandem rationem hic Canon Bullæ.

Tertio hoc idem satis manifeste confirmat tex. in dicto c. Felicis de Pœn. lib. 6. vbi hostiliter insequentes vel percutientes &c. Cardinales, aut si consilium, vel fauorem dederint &c. declarantur Rei criminis læsæ Maiestatis & excommunicati &c. Vbi Glos. Ver. fauorē inquit *Non nudum & simplicem*, & infra Vers. Illud autem, hæc leguntur in tex. *Illud autem non duximus omittendum quod si quis fuerit in præmissis nudo consilio, aut simplici fauore culpabilis, Iudex in talem pœnam mitiatur ex culpa, vt secundum quod excessus exegerit, vindicta procedat* Vbi Glos. Ver. simplici fauore inquit. *Nudum consilium, vel simplex fauor intelligitur illius, qui ad maleficium nihil adiicit.* Igitur quando consilium non est causa, vt alter delinquat, quia etiam sine consilio deliquisset, tunc temporis Consulens non est causa delicti, & ad maleficium nihil adiicit, idcirco non incurrit pœnam pro delicto impositam, sed arbitrio Iudicis ad mensuram culpæ est corrigendus.

Et in hac opinione videntur conuenire omnes Doctores, Gemin. in c. Felicis Vers. Illud autem nu.1. de Pœn. lib.6. ibi Anchar. n.6. Franc. in dicto Vers. Illud num. 1.

num. 1. Card. in Clem. 1. num. 9. eod. tit. Abb. in c. 1. num. 5. Vers. secundum membrum de off. de leg. & ibi Felin. num. 8. & in cap. Sicut dignum nu. 7. de Homic. Idem Abb. in cap. Nuper numer. 7. de sent. excom. & ibi Felin. num. 6. Silue. excomm. 7. §. 44. Vers. & sexto Consilium.

Sed petes an regulariter præsumendum sit crimen auctore commissum fuisse, quamuis nullum consilium ab alio accepisset, vel potius existimandum sit è contra ductum fuisse ad scelus patrandum ex consilio habito.

Proponit hanc difficultatem Felin. in dicto cap. 1. num. 10. de off. deleg. & in cap. Sicut dignum num. 9. de Homic. & respondet in dubio existimari debere Delinquentem ex consilio accepto prouocatum fuisse ad exequendum maleficium, ideo regulariter Consulens incurret pœnam latam contra delictum commissum. Vnde qui dederit cōsilium contra dispositionem huius Canonis, censura innodatus erit. Hanc conclusionem pluribus confirmat Felin. & est vera; nisi tales existant probabiles & certæ coniecturę, ex quibus euidenter contrarium colligatur, vt si probetur inimicitias graues & mortales intercessisse inter ipsum reum criminis, & eum, qui iniuria affectus fuit, ita Bald. in l. Metum in fi. ff. quod me. cau. Vel si auctor delicti ante acceptum consilium omnia parasset ad committendum delictum necessaria. Ita Glos. in l. Apud Celsum in princ. Ver. Causa ff. de Do. except. Quare hoc committitur arbitrio Iudicis, vt affirmat Anchar. in dicto cap. Felicis num. 6. de Pœn. lib. 6. Generaliter autē Consulēs ex tali cōsilio incidit in excommunicationem, & debet accipere absolutionem etiam in dubio, quia tutior pars est eligenda, vt alias probauimus. Et hæc dicta sint de hac dubitatione.

Secundo potest quis quærere, quod spectat etiam ad Consulentem, an si Consulens post datum consilium contra Prælatos priuilegiatos reuocet consiliū, & totis viribus dissuadere nitatur, antequam sacrilegium sequatur, oppositum eius, quod persuaserat, sit immunis & liber à pœna excommunicationis, itaut etiamsi delictum postea committatur, vinculo excommunicationis non obstringatur.

De hac difficultate pertractaui in cap. 10. Disp. 8. Quantum attinet ad rem, de qua modo agimus, Respondeo non liberari ab excommunicatione Consulentem, quantumuis reuocet consilium datum, & studeat retrahere animum eius, qui consilium recepit, ab ipso scelere, nisi prudenter certiorem faciat illum, contra quem iniuria paratur, vt sibi caueat, quia est aliquis, qui in eum insidias machinatur, & ex hac parte discrimen existit inter Consilium & mandatum, vt dicebam supra in hoc eod. capite, cum agerem de Mandante, nam mandans liberatur à pęna reuocato mādato cuius differentiæ rationes afferebam in eodem c. 10. Disp. 8. Quod vero non sufficiat reuocare consilium, sed necesse sit monere illum, aduersus quem malum alius molitur, testatur Innoc. in cap. Ad audientiam num. 2. de homic. nisi Consulens firmiter crederet post reuocationem consilij retraxisse penitus illum, cui delictum consultum erat, à proposito illud committendi, tunc enim reuocatio sufficeret, ibidem Abb. nu. 7. Specul. in tit. de leg. §. iuxta Vers. Sed quæritur quando occasione, Bart. in l. non solum §. si mādato ff. de iniur. & Felin. in cap. Sicut dignum num. 21. de Homic.

Vel fauorem, Hæc est vltima actio accessoria, nempe præbere fauorem, vt committatur actio aliqua

A principalis prohibita; fauere alicui dicitur ille, qui quomodocunque studio & opera sua adiuuat alterum, vt rem optatam consequatur tam in bonis quam in malis, & in hac significatione accipitur in hoc Canone.

Quamobrem vniuersaliter quicunque adiuuat eū, qui parat se ad inferendum malum aliquod aduersus Prælatos priuilegiatos descriptos in hoc Canone, incurrit excommunicationem Bullæ, siue sit persona publica, habens potestatem & iurisdictionem in eos, qui machinantur insidias in dictos Præsules, siue sit priuata persona, non tamen vno & eodem modo, nam personæ publicæ, quæ publicam habent auctoritatem dicuntur fautores non tantum si agendo & adiuuan-
B do faueant delinquenti ad crimen committendum, sed etiam ex sola omissione, si ex negligentia omittant impedire Sacrilegium. Priuatæ autem personæ vocantur fautores solum, quando committendo aliquid adiuuant eos, qui dictos Prælatos iniuria afficere præsumunt. Minime vero, si ex negligentia non procurant eosdem à tam nefando sacrilegio retrahere, sicut clarius & distinctius explicatum est supra in hoc eodem capite, cum pertractarem de Ratihabitione, itaque si quis assistat, quando impius auctor sacrilegij offendit personam priuilegiatam, vt si opus sit, cooperetur ad delictum, vel ne offendens lædatur ab alijs, aut vt custodiat vestes, aut transitum præbet, vel insistit ad portas Ciuitatis, siue domus, ne de-
C linquēti ingressus, aut egressus intercludatur, vel alio modo adiumentum præstat ad scelus, dicitur fautor, vt inquit Petrus Anchar. in cap. Felicis nu. 6. de Pœn. lib. 6. & idcirco erit excommunicatus, & merito nam fautor pari pœna punitur, sicut Agens, vt est textus in cap. 1. de off. deleg. & ibi Abb. n. 5. in fi.

Non incurritur autem excommunicatio ex simplici & nudo fauore, scilicet quando etiam sine illo Delinquens certo erat delictum commissurus, sicut dixi de Consilio probaui: est enim eadem ratio. & Doctores citati, cum tractant de consilio, simili modo loquuntur de fauore, talis enim fautor nihil adijcit ad crimen, & ita dicit Glos. in Clem. 1. Ver. Defensauerit, Vers. Circa tertium de Pœn.

D Sed quæri potest, vtrum fauens tali delinquenti, non vt valeat offendere personam priuilegiatam, sed postquam iam iniuria illum affecerit, incidat in excommunicationem.

Respondeo fauentem Delinquenti post delictum commissum contra Prælatum priuilegiatum non incurrere excommunicationem Bullæ, vt notat Glos. in d. Clem. 1. Ver. Defensauerit, Vers. & quia littera hic dicit, de Pœn. quicquid de excommunicatione cap. Felicis, & Clem. 1. de pęn. de qua re disputabo in vlt. capite, & probatur expresse ex ipsismet verbis Bullę, nam in hoc Canone excommunicantur ea mandantes, rata habentes, & eodem modo fauentes, dictio il-
E la ea refertur ad illa, quæ narrata fuerant, vt dixi superius in hoc eodem capite. Fauere ergo Delinquentem post crimen commissum, ne patiatur aliquod incommodum, vel occultare illum, ne à Ministris iustitiæ capiatur, licet alioqui malum esse possit, est tamē res longe diuersa, & non comprehenditur inter ea, quæ in hoc Canone sub censura damnantur.

Quare in Disputatione de Hæreticis accipiuntur fautores latius, quam hoc in loco, nam fauentes Hæreticis etiam post delictum & post sententiam innodantur excommunicatione de quibus fautoribus sermo habetur c. Excommunicamus §. Credentes eod. tit.

tit. c. 2. & c. Cōtra Christianos, c. Accusatus §. pen. eod. A tit. lib. 6. Tractat Host. in Sum tit. de Hæret. §. penul. Vide Eymericum in Direct. Inquisit. par. 2. q. 53. & Zanchinum in Tract de Hæret. cap. 5.

Hactenus explicauimus illas quinque actiones accessorias, quæ in Bulla excommunicationi subijciuntur, scilicet, Mandare, Rata habere, Præstare auxiliū, consilium, vel fauorem ad ea, quæ principaliter sub censura excommunicationis in hoc Canone interdicuntur, superest vnica dubitatio discutienda, ad absoluendam disputationem de Actionibus accessorijs; & concludamus hoc caput.

Dubitatio est, an sub his quinque generibus Actionum comprehendantur omnes actiones accessoriæ, quæ pluribus verbis describuntur in cap. Felicis, & in B Clem. 1. de pœn. Nam in cap. Felicis additur, *Vel socius fuerit facientis, aut postea receptauerit, vel defensauerit scienter*, & eadem verba repetuntur in Clem. 1. de Pœn.

Nauar. in Manual. cap. 27. num. 67. Vers. Septima quod, asserit tres illas voces, Mandare, Consilium, vel auxilium præstare, quæ exprimuntur in Bulla Gregorij XIII. amplecti omnia, quæ pluribus verbis in cap. Felicis, & in dicta Clement. 1. continentur. Nam per Mandantes comprehenduntur, Ratum habentes, per dantes consilium vel auxilium, cætera, quia & defensare & socium esse comprehenduntur sub his, qui auxilium præstant.

Hæc sententia Nauar. ex omni parte non videtur C mihi probanda, nam licet verum sit socium criminis auxilium conferre & fauorem, immo etiam committere delictum, tamen difficultas est de Receptatore & Defensore, qui enim post patratum crimen reum receptat, non propterea mandat, aut ratum habet scelus, neque confert auxilium ad tale facinus, aut consilium, quia auxilium est de præsenti, Consilium de futuro. Neutrum autem est ad præteritum, licet enim Receptatio Delinquentis post crimen consummatum sit præstare illi auxilium, vt maneat tutus, & facilius euadat pœnam sibi debitam; non tamen est opem ferre ad sacrilegium committendum, quod solum sub censura excommunicationis in Bulla interdicitur, vt paulo ante monebam, sicut etiam non prohibetur D Dare consilium Delinquenti ad fugiendum, vel euadendum manus Insequentium, eadem ratione & si receptare sit præbere fauorem, non tamen ad committenda ea, quæ damnantur in Canone, sed ad euitandum fortasse supplicium. Eadem dubitatio est de altera particula *scienter defensauerit*, nam si hæc defensio est post crimen commissum, vt explicatur in dicto cap. Felicis, per illam dictionem *Postea* talis defensio neque est auxilium neque fauor ad ea, quæ ibi prohibentur, quæ ratio videtur concludere, quando delictum omnino iam præteriit, & tantum agitur de supplicio delinquentis, at vero si crimen adhuc pendet in futurum, quia habet tendentiam & continuationem, vel (vt dicunt) tractum successiuum, sicut est E detentio aut incarceratio, vel quia agitur de reparando damno iam facto, puta per spoliationem bonorum, tunc receptare & defensare esset auxilium vel fauorem præbere ad continuationem delicti vel damni illati. Et hac ratione omnes illæ particulæ c. Felicis, & Clem. 1. de Pœn. comprehendi possent sub illis quinque actionibus expressis in Bulla.

CAPVT VII.

An Cardinalis, vel alius Prælatus ex priuilegiatis in Bulla, qui verberatus aut aliter offensus fuerit, declarare possit per sententiam; Delinquentes incidisse in hanc excommunicationem; Atque Utrùm Cardinalis illum à quo ipsemet percussus fuit, vel saltem offensorem alterius Cardinalis, vel Prælati priuilegiati, ab eadem excommunicatione absoluere valeat.

QVod spectat ad primam partem quęstionis. Mouent hanc difficultatem Doctores in c. Felicis de Pœn. lib. 6. quoad pœnas ibi impositas aduersus eos, qui Cardinales offendere præsumant, & respondent licitum esse Cardinali Legato, qui iniuriam est passus, declarare pœnam illius cap. Felicis contra Ciuitates, vel alios particulares delinquentes, si tamen factum sit notorium, itaut negari nequeat, quia vniuersus populus viciniæ testis fuerit, vt dicitur in cap. penult. prope finem, Vers. Dicitur enim de Purga. Cano. 61. dist. cap. In Sacerdotibus in fi. 24. q. 2. cap. Sane. Ad hunc modum tenet Io. And. in dicto capit. Felicis post Archid. Gemin. in eod. c. §. Quapropter num. 7. Franc. num. 6. & reddunt rationem, quoniam, cum à Sacris Canonibus inflictæ sint pęnæ aduersus tales transgressores, & consequenter lata sententia, quæ trahit secum executionem, & per denunciationem reus non magis legetur, quam antea esset, cap. Pastoralis de appell. sufficit factum esse notorium & manifestum; neque necessaria est alia probatio, vel sententia in scriptis solenniter proferenda, vt in auth. vt Iudi. sine quoquo suffrag. fin. §. Necessitatem, sed tantum requiritur declaratio & notificatio, vt in cap. Cum secūdum in fine de Heret. lib. 6. Conuenit enim, vt scelera iniquorum omnibus sint nota, cap. Vt famę de sent. excom. & ita intelligitur cap. Si quis erga, & cap. Si quis ab Episcopo 2. q. 7. Propter eandem rationem multo magis idem affirmandum est de pęna imposita contra eosdem transgressores in hoc Canone Bullæ, cum sit sola excommunicatio, quæ incurritur ipso facto absque vllo ministerio hominis, vt probaui lib. 3. Disp. 5. cap. 2. quod peculiare est ipsis censuris Ecclesiasticis, neque habet locūm in alijs pęnis positiuis, vt in eod. capit. 2. ostendi. Quare ipsemet Cardinalis offensus poterit declarare excommunicatos excommunicatione Bullæ ipsos delinquentes, & vt tales promulgare, maxime cum Ecclesię Romanæ iniuriam magis quam suam vendicare videatur, vt inquit Turrecrem. in c. 2. num. 3. Vers. Potius enim in hoc d. 94. facit capit. Guilisarius §. sed & hic non suam 23. q. 4. & quod dicimus de Cardinale, idem affirmandum est de Patriarcha, & alijs Prælatis priuilegiatis in subditos suos, nam militat eadem ratio; sed cum in cap. Felicis sit sermo de solis Cardinalibus, ideo Doctores illum textum explicantes loquuntur de Cardinalibus, non autem de alijs Prælatis. Idque confirmatur ex cap. 1. eod. tit. & ex cap. Si quis erga 2. q. 7. in quibus locis conceditur Episcopo, vt punire valeat suos offensores.

Sed contra obiicies, nemo sibi, vel suis Ius dicere debet l. vni. C. ne quis in sua causa, cap. Inter querelas 23. q. 4. cum Glos. Ver. propria, & q. 5. cap. De occidendis & c. 1. 4. q. 4.

Respondendum est cum distinctione, vel iniuria illata Prælato ipsum tantum tangit, quia offenditur nō tanquam Prælatus ratione dignitatis, qua ornatus est, sed vt talis particularis, & persona priuata, & in

hoc

hoc casu Prælatus non potest offendentem pro iniuria illa punire, si vero iniuria respicit Ecclesiam, vel publicam vtilitatem, & potest, & debet delinquentes coercere cap. Si is qui 23. q. 4. Nam Episcopus potest esse Iudex in causa suæ Ecclesiæ. sicut asseruerunt etiā Bart. & Bald. in l. varia C. ne quis in sua causa, vt Procurator fisci est Iudex in causa fisci C. vbi causa fiscales l. 1. Hac distinctione ad soluendam hanc difficultatem vtitur Glos. in c. 1. Ver. Punire de Pœn. lib. 6. & in cap. Si quis erga, Ver. Priuetur 2. q. 7.

Sed clarius ac distinctius explicat hanc difficultatem, an quis possit esse Iudex in causa propria, Gemin. in cap. 1. num. 7. de Pœn. lib. 6. Anchar. num. 2. Franc. num. 4. & omnes desumpserunt ex Io. Andr. in cap. Ex parte de verbo. signif. & ex Host. in Sum. in tit. de sententia §. quis debet sententiam, Vers. Proprius, Dicunt ergo, vel quæritur de Papa, vel de Inferioribus Prælatis, si de Papa, aut vult iudicare in causa sua priuata, quæ non pertinet ad Ecclesiam, idque non videtur conuenire, sed eligere debet Arbitros, ita notat Glos. 1. in cap. 1. 16 q. 6. & tenet Innoc. in cap. Ex parte de verb. signif Vel potest causam illam alteri delegare, (quod videtur consuetudine seruari, vt inquit idem Innoc.) aut causa non est priuata, sed respicit vtilitatem vel dignitatem Ecclesiæ, & huius causæ decisio competit eidem Papæ. Quod si causa non sit ciuilis, sed criminalis, vel causa est super crimine, quod ei imponitur, & hoc cognosci ab vlio homine in Terris nequit, cum nullum habeat Superiorem, sed à solo Deo cap. Facta subditorum 9. q. 3. cap. Nemo, cap. Ipsi, cap. Cuncta per Mundum ead. quæst. Si vero tractatur de crimine contra ipsum Papam commisso, aut iniuria, non est notoria & manifesta, sed indiget probatione, & delegabit alteri causam vt inquirat l. 1. C si quis imperat. male. Quòd si iniuria tangit Ecclesiam, siue sit notoria siue occulta, causæ cognitio ad ipsum Papam spectat, ita loquuntur de Papa, quod si sermo sit de inferioribus Prælatis, quando causa est ciuilis & priuata. Episcopus nón potest illam decidere, sed eliguntur Arbitri, c. Si Clericus 11. q. 1. sed si est causa Ecclesiæ, quia agatur de bonis Ecclesiæ, & factum sit notorium, nempe rem illam esse Ecclesiæ, & per aduersarium nō negetur, Episcopus monitione præmissa potest illum notorium sacrilegum excommunicare, neque dicitur tunc Iudex in causa propria, cum factum sit notorium, & non sit necessaria causæ cognitio capit. Manifesta 2. q. 1. sed dicitur potius Iuris executor, si aduersarius neget rē esse Ecclesiæ, & adducit aliquid, quod probabiliter rē dubiam reddit, Episcopo non licet causam cognoscere, sed deuoluitur ad Superiorem. Quando vero agitur de causa criminali, quia Episcopus sit accusatus de crimine, & certum est in tali causa non conuenire, vt ipsemet sit Iudex, quòd si delictum sit contra Episcopum commissum, vel extra suam Diœcesim & Territorium, & talem causam non potest iudicare regulariter, vt in cap. Vt animarum de Constit. lib. 6. nisi in casibus à Iure expressis, vt in cap. 1. de Pœn. lib 6. & in Clem. 1. de foro compet. Intra Diœcesim vero si delictum sit notorium, poterit subditos delinquentes punire ob rationem paulo ante allatam, quia non est Iudex, sed iuris executor: neque poterit vt suspectus recusari, Roman. cons. 224. Vel iniuria non est notoria. & in hoc casu aut concernit Ecclesiam, & poterit eam vendicare, vel tangit personam Prælati, & pro tali iniuria non poterit aliquem punire, sed causa spectat ad Superiorem, vt inquit Glosa in dicto c. 1. Ver. Punire de Pœn. lib. 6. Non denegatur autem, quin possit Delinquentem capere, & in Carceribus detinere, quousque causæ cognitionem susceperit Superior.

Ad hanc igitur quæstionem quoad omnes casus, qui accidere possunt hoc modo Doctores communiter respondere videntur, ex quibus profecto colligere possumus verum esse id, quod initio dicebam competere Cardinali Legato, vel alteri Prælato priuilegiato, contra quem iniuria illata fuerit, declarare Delinquentem excommunicatum excommunicatione Bullę, quando crimen est notorium, quia iniuria infertur Ecclesiæ, si lædatur Prælatus, & vbi crimen est notorium, non requiritur causæ cognitio; ideo non poterit quis dici Iudex in causa propria, sed magis iuris executor, quod maxime affirmari potest de pœna excommunicationis lata in hoc Canone Bullæ, quę post crimen commissum incurritur ipso facto absque vlla mora, & qui declarat reum excommunicatum, non obstringit ipsum grauiori pœna, quam antea esset; sed denunciat solum & promulgat publice, vt innotescat vniuerso populo illum in excommunicationem incidisse, vt dicebam paulo ante. Vbi vero dubitari posset aliqua ratione, an excommunicatio locum haberet, tutius esset, & conuenientius, vt talis declaratio per Superiorem fieret, vt notat Franc. in cap. Felicis §. Quapropter num. 6.

Quantum ad secundam partem quęstionis, an Cardinalis possit absoluere ab huiusmodi excommunicatione, Philip. Franc. in cap. Felicis num. 5. proponit quæstionem, An Cardinalis possit absoluere illum, à quo percussus fuerit, ab excommunicatione dicti c. Felicis, & illam non soluit, quæ intelligitur solum de Cardinali Legato, si enim non fungeretur munere legationis, nullam haberet iurisdictionem absoluendi. Neque tractatur de omnibus Legatis cuiuscunq; generis, nam indubia res est Legatos natos, & Legatos missos, seu Nuncios Apostolicos non gaudere hoc priuilegio, vt possint absoluere ab excommunicatione reseruata Sedi Apostolicę, qualis est illa, quæ fertur in dicto cap. Felicis, quia quando lator Canonis sibi absolutionem reseruat, inferior absoluere nequit, vt statuitur in cap. Nuper Vers. In secunda de senten. excom. Specul. in tit. De Legato §. nunc ostendendum est num. 34. Vers. quando lator Canonis, seu solum mouetur hæc quæstio de Legatis à latere, quos Romanus Pontifex ex Curia Romana mittit vel ad certam Prouinciam administrandam, vel ad negocia cum Regibus, Principibus, aut cum aliqua Repub. tractanda, qui ideo dicūtur Legati à latere, quoniam quasi è latere Pontificis, cui assistunt, mitti solent, & soli Cardinales (cum mittuntur à Papa, dicuntur Legati à latere) vt notat Glos. in cap. Excommunicatis de off. lega. Idem quoque tradit in cap. Dilectis de filijs Presbyt. Et hæc est opinio communi consensu recepta.

De his Legatis à latere Cardinalibus existit peculiaris quædam ratio dubitandi, an habeant potestatem absoluendi ab excommunicatione reseruata. Primo quoniam appellatione Sedis Apostolicę venit Legatus de latere, vt inquit Glosa in c. Si Abbatem Ver. Transeundi de elect. lib. 6. & Philip. Franc. ibi n. 4. ex sententia Io. And. quare etiamsi excommunicatio sit reseruata Sedi Apostolicę, poterit Legatus absoluere, cum nomine Sedis Apostolicæ ipse etiam intelligatur. Secundo quia Legatus è latere habet potestatem ad omnia, quę Papæ conueniunt, cap. Frater 16. q. 1. L. vni. ff. de off. Præfect. Præt. & clarius in

cap. t.

cap. 1. in princ. de verbor. signif. lib. 6. Vbi Innocentius Quartus declarans, quo pacto sit accipiendum priuilegium concessum à Sede Apostolica, quando aliqui accipiuntur in proprios filios Ecclesiæ Romanæ, & ait virtute huius priuilegij tales non intelligi exemptos, sed id ex eo consequi, *Quòd ab alio, quam à Romano Pontifice, vel Legato ab eius latere destinato interdici vel excommunicari à quoquam non valeant.* Quare Legatus omnia potest præter ea, quæ expresse excipiuntur à Glosa in cap. Quòd translationem Ver. Reseruata de off. leg. & alius casus additur à Glosa in Clem. Quia contingit Ver. Sedis Apostolicæ de Relig. Dom. & Turrecrem. in cap. Huic Sedi 17. dist. plura refert, quæ à solo Papa fieri possunt. Vel nisi agatur de re, quæ soli Summo Pontifici sit reseruata, & eidem tantum consonat, vt appellatio ad Sedem Apostolicam ab electione reddit inualidam confirmationem factam per Ordinarium, vt Statutum est in cap. Si postquam de elect. lib. 6. vbi Glos. in Ver. Ad Sedem Apostolicam notat illam Constitutionem non habere locum, si appelletur ad Legatum, licet dici soleat examen Legati esse examen Sedis Apostolicæ, tamen non satis est adire Legatum c. Constitutus de appell. & de off. lega. c. Studuisti. Causæ enim & negocia maiora de facili transeunt ad Papam cap. Vt debitus in fi. de appell. lib. 6. Accedit & tertia ratio ad probandum hanc potestatem absoluendi ab excommunicatione reseruata Sedi Apostolicæ competere Legato à latere, quæ est maxime probabilis desumpta ex cap. Ad eminentiam de sent. excom. vbi habetur huiusmodi Legatos posse absoluere eos, qui sunt excommunicati, eo quod manus violentas in Clericum iniecerant, & tamen excommunicatio c. Si quis suadente, est reseruata Sedi Apostolicæ; ergo eadem ratio erit de censura apposita in dicto cap. Felicis, & in hoc Canone Bullæ Cœnæ, verba dicti cap. Ad eminentiam, sunt clara *Qui pro iniectione manuum in Clericos &c. excommunicationem incurrerunt, & à Legatis Cardinalibus, qui à latere Romani Pontificis destinantur pro tempore, absoluuntur, cum ijdem Legati mandatum super hoc non ostendunt expressum; super quo id à te volumus obseruari, vt eos habeas absque omni hæsitationis scrupulo absolutos, quos constiterit à talibus beneficium absolutionis adeptos.*

Neque dici potest Clementem Tertium in dicto cap. Ad eminentiam concessisse peculiariter virtute illius Constitutionis hoc ius Legatis, quoad illam excommunicationem Canonis si quis suadente, neque hanc potestatem trahendam esse ad alias excommunicationes reseruatas. Nam vt affirmat ibi Felin. n. 4. Constitutio illa declarat Ius antiquum, cum in ea non apponantur verba significantia promulgationem noui Iuris.

Propter has rationes merito Doctores dubitant de Legatis à latere, an gaudeant priuilegio absoluendi ab excommunicatione c. Felicis; & hoc idem quæri potest de excommunicatione huius Canonis Bullç. De alijs vero Legatis, nemo est, qui dubitet, sicut etiã id non controuertitur de alijs Prælatis priuilegiatis descriptis in hoc Canone, quoniam certum est nemini competere potestatem absoluendi à censura Sedi Apostolicæ reseruata, nisi à Summo Pontifice concedatur ad hunc effectum iurisdictio, quia inferior non potest tollere, quæ Superior sibi reseruauit.

His præmissis propositæ difficultati hac vnica conclusione satisfactum sit. Si quæramus, an Cardinalis Legatus possit absoluere ab excommunicatione cap.

A Felicis, illum à quo percussus, vel iniuria affectus fuit, respondendum censeo, non posse, & multo minus ab excommunicatione huius Canonis Bullæ Cœnæ.

Quod non valeat absoluere ab excommunicatione lata in dicto capitulo Felicis in casu proposito, affirmant omnes, Specul. in tit. De Legato §. nunc dicamus num. 10. Vers. sed quæritur, vtrum Legatus &c. Philip. Franc. in cap. Felicis nume. 5. Imol. in cap. Excom. de off. lega. Felin. in cap. Ad eminentiam nu. 5. Vers. Limita tertio de sent. excom. Ratio vero, cur Legatus non possit impendere huiusmodi absolutionem, illa adducitur à Specul. quoniam non decet, vt ipsemet in iniuria contra ipsum illata, sit Iudex, capit. Quod suspecti 3. q. 5. sed hæc ratio non videtur satis-

B facere, quia cum nemo absoluatur, nisi petierit absolutionem cap. Plerunque, & cap. Cum aliquis 11. q. 3. cap. Significasti in fin. de eo qui duxit in matr. consequenter cum petit quis à Legato absolutionem, declarat velle ipsius iudicio & sententiæ acquiescere. Quare si Legatus haberet facultatem absoluendi, absolutio tradita valida esset, quamuis in causa propria traderetur. Quamobrem hæc ratio, quæ affertur à Specul. non probat. Fundamentum igitur principale, cur Legatus è latere ab huiusmodi excommunicatione absoluere nequeat, est, quia Papa sibi illa reseruauit expresse in dicto cap. Felicis prope med. his verbis, *Nec ab alio, quam à Romano Pontifice possent absolutionis beneficium obtineri, nisi duntaxat in mortis arti-*

C *culo constituti &c.* Et quemadmodum vbi Papa sibi excommunicationis absolutionem non retinuit, licet Episcopo & proprio Sacerdoti absolutionis beneficium impertiri, vt statuitur in cap. Nuper, Vers. In secundo vero casu de sent. excom. sic è contra quando specialiter retinet, inferior manum apponere non potest; ideo nisi peculiariter à Sede Apostolica ex priuilegio delegata fuerit hæc iurisdictio Legato, vt obstrictos vinculo censuræ dicti cap. Felicis, absoluere valeat, non poterit ratione suæ legationis & officij hanc potestatem exercere defectu iurisdictionis.

Sed contra hanc conclusionem nonnulla opponi possunt, quę indigent declaratione. Et primo videtur dictæ conclusioni aduersari Glosa in capit. 2. Ver. sed

D multorum distin. 94. Quærit enim, Glo. an qui capit Legatum, ab eo absolui possit, & aperte affirmat Absoluere posse, sic enim ait, *Sed nunquid qui eum capit, potest ab eo absolui?* loquitur de Legato, sicut in tex. & respondet *sic extra de sent. excom. c. Ad eminentiam.*

Imol. in cap. Excommunicatis de off. lega & Felin. in cap. Ad eminentiam num. 5. Vers. limita tertio de sent. excom. interpretantur Glosam, vt velit Legatum è laterę absoluere posse suum percussorem, si leui iniuria ab eo affectus fuerit, secus si grauiter percussus, quia tunc percussor à Sede Apostolica absolutionem petere tenetur, sed hæc interpretatio verbis Glosæ aptari non potest; tum quia Glosa loquitur simpliciter, & ne verbum quidem dicit de percussio-

E ne, tum etiam quia Glosa quęrit de eo, qui capit Legatum, an ab eodem Legato absolui valeat, in qua actione locum non habet illa distinctio de graui & leui, quare potius asserendum videtur Glos. fuisse in ea opinione, non esse tamen approbandam propter rationes allatas; & idcirco Doctores, quos citaui paulo ante, oppositum sentiunt.

Secundo obijci potest contra eandem conclusionem, Legatus potest huiusmodi Delinquentem declarare & denunciare excommunicatum, vt probaui in prima parte huius capitis, ergo poterit illum ab excommu-

communicatione absoluere, par enim, & ęquiualens est potestas legandi & absoluendi; vt habetur in cap. Verbum de Pœnit. dist. 1. & Christus vtrumque pari conditione commisit; ergo si Legatus potestatem habet legandi suum percussorem, eadem vti poterit ad eum absoluendum, cum vnusquisque pronior esse debeat ad absoluendum quam ad ligandum.

Respondeo, & primum dico in prima parte huius Capitis probatum esse solum Legatum Apostolicum posse denunciare & promulgare excommunicatum illum, à quo iniuria affectus fuit, hoc vero non est vinculo excommunicationis aliquem innodare, sed potius patefacere talem ob iniuriam illatam in Cardinalem, eo ipso incidisse in censuram à Sede Apostolica inflictam. quare non ligat illum, sed declarat à Papa Legatum fuisse; sed diuersa ratio est, si absoluat, nam per absolutionem vere tollitur excommunicatio, quam Legatus soluere nequit, cum careat necessaria iurisdictione, quia Papa sibi absolutionem reseruauit. Secundo dico non esse parem rationem in hoc casu de excommunicatione & absolutione; nam non est interdictum Legato excõmunicare suum percussorem, quia careat iurisdictione excommunicandi, Legatus enim habet potestatem excommunicãdi & puniendi eos, qui sibi aut suis iniuriam vel damnum inferunt, aut eius iurisdictionem perturbant & impediunt, vt probat Specul. ex pluribus iuribus in tit. De lega. in princ. nu. 4. sed ideo affirmant Doctores in huiusmodi casu excommunicare non posse, ne sibi ipsi in causa propria ius dicere videatur; quod non est conueniens. At quoad absolutionem Legatus caret potestate absoluendi, quia eã sibi retinuit Sum. Pontifex; ideo quãuis tentaret absoluere, nulla esset absolutio.

Tertia obiectio, quæ magis vrget contra eandem conclusionem desumitur ex c. Ad eminentiam de sen. excom. Vbi Clemens III. postulationi cuiusdam, qui ab eo quæsierat, vtrum excommunicati pro iniectione manuum in Clericos, & ab eadem excommunicatione absoluti à Legatis Cardinalibus, qui a latere Romani Pont. destinantur, super hoc mandatum speciale à Sede Apostolica non habentibus, vere absolutionis beneficium assequerentur. Et Summus Pontifex ad hunc modum respondet, *Super quo id à te volumus obseruari, vt eos habeas absque omni hæsitationis scrupulo absolutos, quos constiterit à talibus absolutionis beneficium adeptos.* Itaque si Legatus è latere sine expresso mandato ratione officij legationis generaliter potestatem habet absoluendi excommunicatos ob violentam manuum iniectionem in Clericos, pariter quoq; absoluere poterit ab excommunicatione dicti cap. Felicis: non enim magis hæc excommunicatio est reseruata Sedi Apostolicæ, quam excommunicatio Canonis, si quis suadente 17. q. 4. de qua sic statuitur in cap. Cum illorum in princ. de sent. excom. *Cum illorum absolutio, qui pro violenta manuum iniectione in Clericos labem excommunicationis incurrunt quibusdam casibus à prædecessore nostro exceptis, Sede duntaxat Apostolicæ reseruetur.* Casus autem excepti habentur in c. de Cætero, cap. Mulieres, c. Ea noscitur, c. Quod de his de sent. excom.

Specul. in tit. de Legato §. Nunc dicamus n. 7. Vers. Quod etiam dixi, tenet Legatum à latere potestatem habere absoluendi percussores Ecclesiasticarum personarum tantum, quando iniuria illata leuis est, & ita intelligendum esse cap. Ad eminentiam, & similia, quæ, ad hoc citantur, quo casu interdicta est Episcopo absoluendi facultas, qui absoluere solum potest, vbi

A iniuria leuissima est, quod si iniuria fuerit atrox, grauis, & enormis, solus Papa potest absoluere, vel qui ab eo expressam ad hoc potestatem habet, quæ non transit cum generali Legatione arg. cap. Porro, & c. sane de Priuil. & illam dicit speculator vocari debere atrocem & enormem iniuriam, quando sequitur mors, aut membri mutilatio cap. Cum illorum vltra med. vers. Nos autem in Religionis fauorem de sent. excom. §. Atrox Instit. de iniur. cap. Aut facta de pœnit. dist. 1. & excepto homicidio & membri mutilatione relinquitur prudentis Iudicis arbitrio decernen. An percussio aliqua dici debeat atrox & enormis cap. de causis de off. deleg. consideratis & attentis conditionibus & qualitatibus personarum, & percutientis, &

B alterius, qui iniuriam patitur, ac modo inferendi iniuriam, nec non causa percussionis, & tandem scandalo alijs tradito, cap. Sciendum 24. dist. c. vlt. in fi. de transact. Clarius explicat has differentias percussionum Nauar. in Manua. cap. 27. n. 91. & 92. & ante ipsum Abb. in c. Cum illorum n. 5. & seq. de sent. excom. Sylu. Absolutio 4. §. 1. Qua in re animaduertendũ est speculatorẽ vocare leuissimam iniuriam, à qua obsoluere potest Episcopus, illam, quam alij Doctores appellant leuem, & quam ille dicit leuem, alij vocant mediocrem. Hæc eadem sententia fuit Host. in c. penul. de off. lega. qui similiter existimauit ad Summum Põtificem solum spectare absolutionem ab enormi percussione, & appellat enormem, quoad Legatum Papę,

C solum homicidiũ & membri mutilationem, aliter autem dicendum esse in effusione sanguinis, etiam cum fractione ossis. Ex his patet, quod ad propositam obiectionem iuxta hanc sententiam respondendum esset nempe Papam non reseruasse sibi absolutionem ab excommunicatione cap. Si quis suadente, ob quamcunq; violentam manuum iniectionem, sed ob solam atrocem & enormem læsionem, ideo mirum non esse, si liceat Legato è latere rationem sui officij absoluere ab excommunicatione ob leuem percussionem, cum hæc non sit Sedi Apostolicæ reseruata, aliud tamen esse de excommunicatione dicti cap. Felicis, quæ simpliciter reseruatur, & nullibi reperiri in iure concessam facultatem Legato in aliquo casu ratione leuis iniurię ab-

D soluendi ab hac excommunicatione, sicut legimus de excommunicatione cap. Si quis suadente; idcirco non recte ab vno casu inferri ad alium.

Verum hæc sententia nonnullas patitur difficultates. Prima est, quoniam non videtur verum, Episcopum absoluere tantum posse ab excommunicatione ratione leuissimæ percussionis, quam alij vocant leuem, non autem ob percussionem leuem seu mediocrem, sed hanc pertinere ad Legatum è latere. Nam in c. Peruenit de sent. excom. concedit Papa, vt excommunicati pro leui manuum iniectione in Clericum possint per Episcopum absolui, & vtitur his verbis, *De his absoluendis, qui Clericis non enormem sed modicã & leuem iniuriam irrogarunt &c.* Et id conuenit cuius-

E cunque Episcopo iure suo virtute dictæ Constitutionis, vt inquit Abb. ibi n. 2. sicut potest Mulieres, senes, & alios similes auctoritate sui officij absoluere capit. Ea noscitur de sent. excom. Immo licet Episcopo absoluere excommunicatos non sulum ob leuem, sed etiam ob mediocrem percussionem, non omnes, sed priuilegiatos, quales sunt Clerici cohabitantes simul in eodem Collegio, qui si se inuicem percutiant, dummodo enormis non sit percussio, Summum Pontificẽ adire non coguntur, sed à suo Episcopo absolui possunt, vt habetur in c. Quoniã de vita & honest. Cleric.

Cum

Cum enim inter eos, qui communem & socialem vitam agunt, frequenter accidere possit, vt in hunc excessum probabantur, Summus Pastor omnium ac Pater Rom. Pont. expedire, duxit Indulgere, vt modum obtinendi veniam faciliorem obtinerent, quod priuilegium non est concessum alijs Clericis sese inuicem percutientibus. Et ob eandem causam idem priuilegium conceditur Religiosis & Regularibus, qui in simili casu absolui possunt à suo Prælato, cap. Monachi de sent. excom. vbi licet in textu dicatur. *Qecunque modo sese in claustro percusserint*, & nulla apponatur distinctio percussionis, quia dictio illa *Quocunque modo* omnem videtur comprehendere percussionem, tamẽ Glosa ibi & communiter Doctores limitant, dummodo percussio non fuerit enormis, quia hic casus semper intelligitur iure ipso exceptus, vt dicit Glosa in dicto cap. Quoniam in fi. Ver. Atrocitas, de vi. & Honest. Cler. & Abb. in cit. c. Monachi n. 5. de sent. excom. inquit semper casum enormis læsionis exprimendum esse, quantumuis verba priuilegijs sint generalia, & hæc exceptio confirmari potest ex verbis cap. Cum illorum. de sent. excom. licet in eo textu non agatur de Religiosis, se se inuicem percutientibus, sed de illo qui ante religionis ingressum Clericum percussit & post susceptum habitum Religionis confitetur delictum, & petit absolutionem à Superiore Religionis, nam ille antea non poterat absolui ab huiusmodi Superiore; colligitur tamen ex eo argũ à simili ad confirmandam exceptionem. Verba textus sunt, *Nisi excessus illorum extiterit difficilis & enormis, vt puta si ad mutilationem membri, vel ad effusionem sanguinis est processum*, & clarius hæc eadem limitatio expresse habetur in c. Canonica de sent. excom. vbi distincte & ad literam refertur Constitutio dicti c. Monachi, & in fine hæc adduntur, *Nisi excessus difficilis fuerit & enormis, propter quem merito ad Ecclesiam Romanam sit recursus habendus*.

Secunda difficultas contra eandem sententiam Host. & Specul. est de potestate Legati à latere absoluendi ab hac excommunicatione Canonis si quis suadente, quoniam existimant Legatum absoluere posse tantummodo in casu leuis, seu mediocris percussionis non enormis & atrocis, oppositum tamen sentiunt communiter Doctores, Archid. in c. 1. de off. lega. lib. 6. Abb. in c. Ad eminẽtiam n. 3. de sent. excom. & probat, quia iura excipientia enormem læsionem non loquuntur de Legatis, sed de Episcopis & inferioribus Prælatis. Idem Abb. in cap. Excommunicatis num. 3. de off. lega. & dicit esse sententiam Io. And. eiusdem opinionis est. Felin. in eod. cap. Ad eminentiam n. 3. vt Legatus possit absoluere etiam ab excommunicatione propter homicidium Clerici.

Tertia difficultas contra eandem opiuionem est, quia Summi Pontifices absque vllas limitatione concessisse videntur Legatis è latere potestatem absoluendi percussores Clericorum ob quamcunque iniuriam, vt probari potest, primo ex dicto cap. Ad eminentiam, vbi Clemens Tertius declarat absolute Legatos è latere absoluere posse excommunicatos pro iniectione manuum in Clericos, nulla facta reseruatione enormis læsionis item ex cap. Ea noscitur ead. tit. vbi idem Papa ait licere Episcopo absoluere mulieres, senes, infirmos mutilatos, alios vero siue diuites, siue pauperes per Papam vel eius Legatum absoluendos esse & loquitur simpliciter sine vlla limitatione, quare sicut propter enormem iniuriam absoluit Papa, ita hæc potestas erit apud Legatum, & in cap. Quamuis eod. tit. eadem repetuntur, sic enim habet, *Non tamen aliter quam per Sedem Apostolicam, vel eius Legatum absolutionis beneficii potest obtinere, nisi imminente mortis periculo, infirmitate &c.* Euidentius in c. Quod trãslationem de off. lega. vbi Innocentius Tertius asserit Legato de latere licere ex his, quæ speciali concessione sæpe fuere Legatis indulta, absoluere hos excommunicatos: sic enim loquitur, *Et si quædam ex his, quæ de speciali concessione sæpe fuere Legatis indulta, vt illorum videlicet absolutio, qui propter sacrilegas manuum iniectiones in Clericos incidunt in Canonem promulgatæ sententiæ, videantur ex ipso Legationis officio iam licere Legatis.* Hoc idem confirmat Glosa in cap. Excommunicatis Ver. Mittuntur eod. tit. quæ affirmat Legatũ è latere omnes posse absoluere, & vbique pro violenta manuum iniectionem in Ecclesiasticas personas, & nullam apponit limitationem. His difficultatibus opinio Holt. & Speculat. redditur dubia & controuersa, quamobrem alia videtur excogitanda responsio ad tertiam obiectionem, paulo ante propositam ex dicto c. Ad eminentiam, contra conclusionem, quam superius firmaui.

Itaque negari non debet Legatum è latere posse absoluere omnes ab excommunicatione Canonis, si quis suadente, vt dicitur in c. Ad eminentiam, ex quocunque genere percussionis. Hinc tamen inferri non potest; ergo poterit etiam absoluere ab excommunicatione cap. Felicis de Pœnis propter iniuriam illatam in Cardinalem, licet enim vtraque excommunicatio sit reseruata Sedi Apostolicæ, ac Romano Pontifici, tamen facultas absoluendi ab excommunicatione Canonis, si quis suadente, fuit communicata Legatis è latere, nullibi vero in Iure legimus eisdem priuilegium traditum, vt ab excommunicatione dicti capituli Felicis absoluere possint; ideo remanet reseruata soli Romano Pontifici, & merito, quia cum sit multo magis graue & detestabile sacrilegium iniuria afficere Cardinalem, quam simplicem Clericum, Summus Pontifex sapientissime censuit potius absolutionem huius excommunicationis, quam illius Legato committi posse, & debere. Quæ enim maiora sunt & ardua, ad Sedem Apostolicam referri debent, vt euidenter probatur cap. Frater noster prope medium 16. q. 7. cap. In Galliarum 25. q. 2. c. Per venerabilem prope fin. Qui filij sint legi. capit. Maiores in princ. de Baptis. Eodem modo Moyses quamuis constituisset Principes & Tribunus, tamen vt legitur Exod. capitulo decimo octauo in fin. decreuerat, vt quæ maiora contingebant, ad eum referrent, faciliora tantummodo iudicarent. Hoc idem probat Specul. in tit. Delegato §. Nunc ostendendum numero quinquagesimoquarto. Ver. Illa autem, quæ sunt &c. Verum est igitur, quod affirmamus in conclusione, Cardinalem Legatum non posse absoluere ab excommunicatione capitulo Felicis eum, à quo ipse percussus fuit. Eadem ratio est de excommunicato ob percussionem alterius Cardinalis, qui absolui non potest à Legato è latere, nam, vt dixi superius, causa cur Legatus non absoluit sui percussorem, non est illa, ne sit Iudex in causa propria, sed quoniam caret iurisdictione, quia talis excommunicatio est reseruata Sedi Apostolicæ.

Itaque sicut defectu iurisdictionis absoluere nequit sui percussorem, ita neq; excommunicatum ob iniuriam in alterum Cardinalem illatam.

Hinc infertur ob eandem causam non licere Legato absoluere ab excommunicatione Clem. 1. de Pœn.

Hhh cum

cum qui percuſſerit Epiſcopum, cum eodem modo ſit reſeruata Summo Pontifici expreſsè ſicut excommunicatio c. Felicis de Pœn. ex quibus ſequitur fortiori ratione non competere Legato è latere ratione ſuæ Legationis poteſtatem abſoluendi ab excommunicatione huius Canonis Bullæ, niſi expreſſe ſpeciali mandato hoc ei indultum fuerit, quod in eadem concluſione affirmabam, quoniam non ſolum reſeruatur Sūmo Pontifici, ſicut prædictæ duæ excōmunicationes, ſed etiam reuocantur omnia priuilegia & indulta concesſa generaliter cum facultate abſoluendi, etiam à caſibus reſeruatis Papæ *Niſi in eis etiam caſus præſentibus literis expreſſi comprehendantur*. Quæ clauſula facit, vt facultas illa concesſa alicui à Sede Apoſtolica, quæ ſufficiens eſſet, vt abſolutionem impendere poſſet validè ab alijs caſibus Romano Pontifici reſeruatis, non ſuffragetur quoad excommunicationes cōtentas in Bulla Cœnæ, vt copioſius oſtendam in fine Bullæ, cum pertractabo de abſolutione.

Sed poſtquam ſtatutum eſt Legatum è latere carere poteſtate abſoluendi ab excommunicatione c. Felicis & Clem. 1. de Poen. & multo magis ab excommunicatione huius Canonis Bullæ, poſſe tamen abſoluere ab excommunicatione cap. Si quis ſuadēte ob violentam manuum iniectionem in perſonas Eccleſiaſticas, poſtulabit quis, qua auctoritate impendat Legatus hanc abſolutionem, & an hoc priuilegium conueniat quoque alijs generibus Legatorum, non ſolum Legatis è latere.

Speeul. in tit. de Legato §. ſupereſt videre num. 21. Verſ. de Conſuetudine, affirmat Legatum de latere hoc ius acquiſiuiſſe ex conſuetudine, & probatur ex capit. Quod translationem de off. lega. vbi Summus Pontifex ex eo quod ſæpius antea Sedes Apoſtolica hanc auctoritatem Legatis è latere indulgere expreſſe conſueuerat, deducit iam hoc illis ex officio Legationis licere poſſe, vnde Abb. ibi num. 3. notat, quando aliquid reſeruatum Principi ſæpius ſpecialiter conceditur, poſtea illud tranſire ſine ſpeciali conceſſione, quaſi ex permiſſione, colligitur mens Principis eſſe illud Inferiori communicare, etiamſi deinceps ſpecialiter non exprimatur. Ad eundem modum videtur Papa diſſerere in c. Quod translationem; ait enim Legatis competere poteſtatem abſoluendi excommunicatos pro iniectione manuum in Clericos, quia hæc poteſtas pluries diuerſis temporibus Legatis conceſſa fuit, nam duobus modis reſeruata Principi per Inferiorem acquiri poſſunt, vel priuilegio vel conſuetudine, vt tradit Abb. in eod. cap. Quod translationem n. 2. Hæc facultas abſoluendi ab excommunicatione Canonis, ſi quis ſuadente, acquiſita fuit per Legatū Papæ conſuetudine. Requiritur autem conſuetudo tanti tempòris, cuius initij memoria non extet, vt eſt textus notab. in c. Super quibuſdam de verb. ſignif. & in l. ſi Publicanus §. In omnibus ff. de pub. Anch. cōſ. 141.

Sed cōtra dicta opponit, Abb. n. 4. nam ex his, quæ ſunt meræ voluntatis, quæq; gratuitè permittuntur, non inducitur conſuetudo; ideo Innoc. inquit in capit. Cum Eccleſia ſutrina de cau. poſſe. & proprie. Si quis ſæpius amicum ſuum iter facientem inuitaret, & domi ſuæ hoſpitaretur; non propterea conſuetudo inducitur, vt teneatur ſemper in futurum ipſum hoſpitari, cum illuc proficiſcitur. Similiter ſi quis frequentauit piſtrinum, ſeu molēdinum alicuius ad molendum frumenta, non inducitur conſuetudo, vt ire teneatur. Si Ruſticus eodem die quolibet anno diu ſuo Domino donare agnum, ſuem, vel aliud munus conſueuerit, non oritur obligatio, vt ſemper idem donare obligetur, vt notat Bart. in l. Cum de in rem verſo. ff. de vſur. Eodem modo dici poteſt ad rem, de qua agimus, etiamſi Sedes Apoſtolica ſæpius conceſſerit Legatis ſpecialiter facultatem abſoluendi ab excommunicatione reſeruata cap. Si quis ſuadente; inde inferri non poteſt inductam eſſe conſuetudinem, vt ſine ſpeciali mandato poſſint Legati illam attentare, quia conceſſio huius priuilegij pendet ex libera Summi Pontificis voluntate, arbitratu enim ſuo poteſt & indulgere illud & denegare, neque compellitur ex eo, quia pluries ſponte illud communicare voluerit, vt ad idem ſemper teneatur. Hæc vrgent contra ſententiam communem, vnde Abb. eod. nu. 4. exiſtimat hanc poteſtatem abſoluendi communem eſſe Legatis ex approbatione Romani Pontificis, ſicut ſentit Innocen. in dicto cap. Quod translationem, potius quàm ex illa ſpeciali conceſſione ſæpius iterata; de approbatione & conceſſione conſtat ex eod. c. Quod translationem. Quæ opinio valde probabilis eſt, quòd ſi velimus cum Speculatore tueri acquiſitum fuiſſe hoc ius abſoluendi per Legatos ex conſuetudine, ad obiectiones propoſitas reſpondere debemus illas non obſtare, quia probarent ſolum ex actione voluntaria iterata non obligationem contra agentem ſpontanea enim actio non parit obligationem, etiamſi iterum atque iterum & ſæpius repetita fuerit, quia tempus obligationem non inducit, ſed Specul. non aſſerit ex eo quod Summus Pontifex conceſſerit Legatis è latere poteſtatem aliquando abſoluendi ob violentam manuum iniectionem inductam eſſe obligationem ex parte Sūmi Pontificis vt teneatur ſemper eadem facultatem Legatis concedere, ſed ſolū vult inferre ex eo quod olim conſueuerunt Summi Pontificis hoc priuilegium Legatis elargiri collegio poſſe mentem fuiſſe Papæ omnibus Legatis è latere eandem poteſtatem abſoluendi ſemper communicare quamuis in facultatibus eorum id non fuerit expreſſam iuxta ea quæ habeatur in capit. Quod translationem de off. lega. quare rationea illæ adductæ non militant.

Hæc poteſtas abſoluendi ob violentas manuum iniectionem conceſſa Legatis è latere, vt probatum eſt, competit quoq; Legatis, ſeu Nuncijs miſſis à Papa non ſimpliciter ſicut Legatis de latere, ſed iuxta tenorem c. Excommunicatis de off. lega. nempe vt valeant abſoluere ſolum in ea Prouincia, ad quam mittuntur, & illos tantum, qui ibi delictum commiſerint. Legati vero nati, ideſt ratione Eccleſiæ, cui ſunt Præfecti nullam in hoc poteſtatem habent, niſi eis à Sede Apoſtolica ſpecialiter committatur. Vnde Gloſa in dicto c. Excommunicatis Ver. Commiſſum, concludit Cardinales Legatos abſoluere poſſe quoſcunq; tam in Prouincia, ad quam ſunt deſtinati, quàm in alijs Prouincijs, non ſolum ſubditos, ſed extraneos: poſt diſceſſum enim ab Vrbe, donec Romam redierint, beneficium abſolutionis quibuſcunque elargiri poſſunt, & ita Gloſ. ait vſu ſeruari. Alij vero Legati non poſſunt abſoluere, niſi ſubditos, & quandiu in Prouincia eis decreta commorantur, vt habetur in dicto cap. Excommunicatis. Vnde deſumitur argumentum, vt inquit Abb. Legatis Cardinalibus licere, & in Prouincia, & extra Prouinciam abſoluere, & ita ſentit etiam Speeul. in tit. De Legato §. Nunc dicamus nu. 5. Verſ. Circa poteſtatem autem abſoluendi.

CA-

CAPVT VIII.

Quæ constitutiones extent in corpore iuris punientes sub pœna excommunicationis eos, qui offendunt, & iniurus afficiunt Cardinales, vel Episcopos, & generaliter omnes personas Ecclesiasticas, & quomodo illæ conueniant, & differant ab hoc Canone Bullæ Cœnæ.

PLures sunt Constitutiones, quibus Romani Pontifices sub Ecclesiasticis censuris atque alijs grauissimis pœnis deterrere fideles curarunt, ne diabolica suasione ducti Clericos, eos præsertim, qui insigni dignitate præfulgerēt, iniuria afficere; vel quouis modo lædere sacrilege præsumerent. In primis Alexander Secundus in cap. Si quis deinceps 17. q. 4. in pœnam huius criminis ad hunc modum decreuisse legitur: *Si quis deinceps &c. Episcopum comprehenderit, percusserit, aut aliqua vi à propria Sede expulerit &c. Auctores & cooperatores tanti sceleris anathematizentur, &c. Si vero in Presbyterum vel in quemcunque Inferiorum graduum Clericum hac eadem præsumpserit, canonicæ pœnitentiæ, atque depositioni subiacebit, si contumax fuerit, excommunicetur.* Et ex his duobus verbis *Anathematizentur & excommunicetur* colligitur hanc excommunicationem non esse latæ sententiæ, sed ferendæ. Vnde infert Turrecrem. percussores Clericorum non fuisse olim excommunicatos ipso Iure.

Alia est excommunicatio postea lata ab Innocentio Secundo in Concilio Lateranensi & habetur in c. Si quis suadente eadem cau. & quæst. quod quotidie citatur, vbi de percussore Ecclesiasticæ personæ generaliter ita statuitur, *Anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat.* Hæc excommunicatio ipso Iure imponitur, vt patet ex illis verbis, *Anathematis vinculo subiaceat.* Nam Papa non præcipit, vt talis percussor subiiciatur excommunicatione, sed ipsemet per eandem Constitutionem subijcit, & eius absolutionem sibi reseruat, cum ait, *Et nullus Episcoporum &c.* Quæ verba non solum prohibitionem simplicem, sed propriam reseruationem cum suspensione seu priuatione iurisdictionis continent. Declaratum est autem Superiori capite sub Apostolica Sede, quantum ad hunc effectum, Legatū à latere Papæ contineri idque probabiliter illud persuadere potest, quoniam Summus Pontifex non negat simpliciter absolutionem à nemine tradi posse, sed addit *Episcoporum* excipitur tantum articulus mortis. Et quoniam exceptio regulam firmat, videtur hæc reseruatio nullam aliam admittere exceptionem. Nihilominus Doctores plures exceptiones seu casus enumerāt, in quibus hæc excommunicatio tollitur per Episcopum, qui recensentur à Summistis, cum de hac excommunicatione pertractant.

Hanc excommunicationem latam in percussores Clericorum Innoc. Tertius in cap. Nuper non longe ab initio de sent. excom. declarat incurri etiam ab eis, qui Clericos sine læsione in custodia detinent publica vel priuata, vel detrudunt in vincula, verba Summi Pontificis sunt, *Nos igitur inquisitioni tuæ ex ordine respondemus, quòd in primo consultationis non credimus Laicos pœnam excommunicationis euadere, quamuis per eorum factum corporalis læsio non fuerit subsecuta citra quam violentia sæpius circa Clericos nequiter pertractatur.*

Item Bonifacius Octauus in capit. Felicis de Pœn. libro 6. contra hostiliter insequentes Cardinales, aut percutientes, vel capientes, vel horum socios, consiliarios, aut illa Mandantes, plures & graues pœnas imponit, & tandem decernit ratione tam nefandi sacrilegij omnes prædictos ipso facto excommunicationis sententiam incurrere, & quandiu in sua contumacia perdurauerint, statuit singulis diebus Dominicis & festiuis pulsatis Campanis & candelis accensis in omnibus Ecclesijs tam illius loci, vbi tantum facinus fuerit attentatum, quàm Ciuitatum & Diœcesum vicinarum publice excommunicatos denunciari, nec ab alio, nisi à Romano Pontifice absolutionis beneficium obtinere posse, nisi in mortis ar ticulo, Silua de Beneficiis part. 2. quæst. 3. numero 13. ex verbis huius cap. colligit triginta septem pœnas contra persequentes Cardinales. In eod. cap. Felicis excommunicantur quoque Principes, Senatores, Consules, Potestates, & alij Domini, si infra mensem, postquam res ad eorum notitiam peruenerit, Præsumptores tam enormis sceleris iuxta tenorem prædictæ Constitutionis punire non curauerint. Demum quælibet alia Ciuitas, præter Vrbem, quæ talia facienti consilium, auxilium, vel fauorem dederit, vel infra mensem taliter delinquentes non duxerit puniendos, pontificali dignitate declaratur e ipso priuata, & nihilominus maneat interdicta.

Deinde post breue tempus Clemens Quintus in Concilio Viennensi, vt habetur in Clem. 1. de Poen. anathematis mucrone percutit omnes, qui quemuis Pontificem iniuriose vel temere percusserint, aut cœperint, seu banniuerint, vel hæc mandauerint fieri, aut facta ab alijs rata habuerint, vel socij in his fuerint facientis, aut consilium in his dederint, aut fauorem, seu scienter defensauerint; & ab hac excommunicatione decernit à nemine, nisi per Summum Pontificem, præterquam in mortis articulo, absolui posse, & vltra excommunicationem addit quamplurimas alias poenas, sicut fecerat Bonifacius Octauus in capitulo Felicis, vt tam nefandi facinoris sacrilegium, ex violatione dignitatis tantæ præeminentiæ, si non adæquate, aliqua saltem ex parte supplicii rigore compensaret, Rebuff. in explicatione Bullæ Coenæ su. per articulo 8. recenset ex hac Clem. octo genera pœnarum contra tales delinquentes.

Eadem excommunicatio antiquitus lata fuit à Siluerio Summo Pōtifice, & refertur in c. Guilisarius 23. q. 4. à quo anathematizantur illi, qui Episcoporum aliquem capere præsumerent. Eandem excommunicationem ante Clementem pronunciauerat Gregorius X. in Concilio Lugdunensi, vt habetur in c. Quicunque de sent. excom. lib. 6. contra Dantes licentiam offendendi in personis vel rebus suis Episcopos & Prælatos seu Iudices, qui sententiam excommunicationis ferrēt in Reges, Principes, Barones, Nobiles, seu quoscunque alios, & contra eos, qui prædicta licentia data auderent vti, aut sine licentia motu proprio committere tentarent.

Extat quoq; inter extrauagantes cōmunes Constitutio Ioānis Vigesimi Secundi in extrau. super gentes de consuet. qua decreuit eos, qui Legatos, aut Nuncios Sedis Apostolicæ præsumpserint impedire, ne Legationis officium exequantur, ipso facto excommunicationis sententiam incurrere sublata quacunque consuetudine, quam tanquam irrationabilem reprobat, & Regna, Terras, & loca qualibet eisdem subiecta statuit tamdiu esse eo ipso Ecclesiastico suppostita interdicto, quamdiu in huiusmodi contumacia persi-

persisterint. Hæc vero excommunicatio non est reseruata.

Animaduertit Cardinalis Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 25. Vers. Vndecima excommunicatio &c. hanc excommunicationem, quantum spectat ad hūc actum, principaliter prohibitum, esse ampliorem & vniuersaliorem, quam sit excommunicatio cap. Felicis, & Clem. 1. de Pœn. atque etiam Bullæ. Nam in dicta extrauaganti excommunicantur impedientes, ne Legati & Nuncij exerceant officiū suum. Impedire autem latius patet, quam eijcere, quod in Bulla & alijs Iuribus citatis prohibetur, cnm omnis eiiciens impediat, sed non quicunque impediens eiiciat. Quare illi, qui solum impediunt, ac non eiiciunt, non erunt excōmunicati excommunicatione Bullæ, aut capit. Felicis, vel Clem. 1. de Pęn. sed incident tantum in excommunicationem dictæ extrauag. super Gentes.

Hęc sunt insigniora loca in corpore iuris, in quibus legitur promulgata excommunicationis censura aduersus eos, qui iniuria afficere non verentur personas Ecclesiasticas, & præsertim Cardinales & Episcopos, qui tanquam Dominici gregis, Pastores & Patres spirituales, atque Ecclesiæ Catholicæ columnæ eximio honore ab omnibus prosequendi forent. Et præter has Constitutiones extra extrauagans Pij Quinti, quæ incipit: Infelicis seculi pericula, cuius memini supra c. 6. qua Summus Pontifex extendit Constitutionem dicti cap. Felicis, Bonifacij Octaui ad scientes, & non reuelantes eos, qui offendunt S.R.E. Cardinales, cum simili reseruatione excommunicationis, quam solus Romanus Pontifex, excepto mortis articulo, valeat relaxare.

Tandem Summi Pontificis, vt magis homines ab hoc immani sacrilegio retraherent, ne similia delicta in capitulo Felicis, & in Clement. 1. de Pœn. damnata contra Cardinales & Episcopos committere vel attentare cogitarent, hanc eandem excommunicationem inter casus Bullæ Cœnæ redigerunt, vt hac ratione significarent maiori cum difficultate absolutionis beneficium fore concedendum his, qui in huiusmodi excommunicationem incidissent, quæ sicut in nonnullis conditionibus conuenit cum c. Felicis, & dicta Clem. 1. Ita in alijs differt.

In primis hic Canon Bullæ cum dictis Constitutionibus conuenit, qnod excommunicatio reseruatur Sedi Apostolicæ, & ab ea nullus, neque etiam Legatus è latere, vt probaui præcedenti Capite nisi Romanus Pontifex, vel ex speciali ipsius mandato, præterquam in mortis articulo, absoluere potest.

Secundo conuenit quoad actiones principales, quæ prohibentur, nam quamuis in Bulla pluribus verbis distinctius exprimantur, & ad nouem capita redigantur, tamen si attente omnia verba considerentur, apparet nihil esse prohibitum in Bulla, quod in illis iuribus non contineatur, neque è contra.

Tertio conuenit, quòd sicut in hoc Canone Bullæ excommunicantur non solum omnes, qui actiones principales damnatas commiserit, sed etiam Mandātes, Rata habentes, & pręstantes auxilium, consilium, vel fauorem, Ita quoq; eædem accessoriæ actiones excommunicationi subiiciuntur in c. Felicis, & in Clement. 1. de Pœn.

Differunt tamen in alijs supradicta Iura ab ipsa Bulla; & primo in Bulla sola excommunicationis censura pronunciatur contra huiusmodi sacrilegos, at vero in capit. Felicis, & in Clem. 1. de Pœn. vltra excommunicationem additur censura Interdicti, nam in cap. Felicis quæuis alia Ciuitas; præter Vrbem, quæ cuicunque committentis actiones ibi prohibitas cōtra Cardinalē, auxiliū, consilium, vel fauorem dedit remanet interdicta. Similiter in Clem. 1. Terras Delinquentis contra Episcopum vsque ad condignam eius satisfactionē Ecclesiastico subijcitur Interdicto.

Si tamen dicta Terra non consistat vltra vnam Diœcesim, si vero sit vltra vnam Diœcesim, tunc Terra principalis domicilij, vel Ciuitas est supposita Interdicto.

Secundo differt Bulla à dictis Iuribus, quod in capitulo Felicis non solum fertur eacommunicatio contra tales delinquentes, sed præcipitur, vt quandio tanti mali auctores & participes in sua contumacia perdurauerint, singulis diebus Dominicis & festiuis pulsatis campanis & candelis accensis, per omnes illius loci Ecclesias, in quo tantum facinus fuerit attentatum, nec non Ciuitatum & Diœcesum vicinarum denuncientur publicè excommunicati. Hoc idem repetitur in Clem. 1. quæ conditio non est adiecta in Bulla.

Tertio differt, nam in cap. Felicis pronunciatur sententia excommunicationis non solum contra offendentes Cardinales, verum etiam contra Principem, Senatorem, Consulem, Potestatem, seu quemcunque Dominum (seu Rectorem, qui infra) mensem à die habitæ notitiæ tenorem Constitutionis dicti cap. Felicis obseruari non fecerit. Hęc tamen excommunicatio non reseruatur Sedi Apostolicæ. Et in Clem. 1. Potestas, Consiliarij, Baliuus, Scabini, Aduocati, Cōsules, Rectores, & Officiales, qui in ijs, quæ ibi prohibentur culpabiles existunt, similiter excommunicationis sententiæ subiiciuntur, & à Papa tantum absolui possunt, excommunicatio Bullæ non extenditur ad has personas.

Quarto in capitulo Felicis exiguntur nonnullæ solennitates, cum absolutio impendenda est alicui ob offensionem Cardinalis, de quibus nihil dicitur in Bulla. Nam cum fuerit quis absoluendus, primo debet idonee cauere, quòd inferendæ pœnæ parebit, & pœnitentiam iniungendam peraget, quæ conditio exprimitur etiam in Clementin. 1. de Pœn. Secundo diebus Dominicis, & aliis solennibus nudus incedet coram populo, femoralia tantum habens per omnes illius loci Ecclesias principales, vicinorumque locorum. Tertio ferulas defert in manibus, cum quibus per easdem Ecclesias publice se fustigabit. Quarto iturus est vltra mare ibidem acturus pœnitentiam per tres annos, vt minus. Quinto completo triennio, inde non est reuersurus absque Sedis Apostolicæ licentia speciali. Nihil horum habetur in Bulla.

Quinto tam in capitulo Felicis, quàm in Clemen. 1. eacommunicationi subiiciuntur illi quoque, qui reum flagitiorum, qnæ ibi prohibentur, post delictum commissum receptauerint, aut scienter defensauérint, vt euidenter indicant verba illa, *Aut postea receptauerit, vel defensauerit scienter eundem*, At in Bulla excommunicantur illi tantummodo, qui fauendo, vel defendendo adiuuant alium, vt possit facilius & tutius iniuriam, vel malum aliquod inferre in Cardinalem, vel Episcopum, & alios Prælatos ibi descriptos contra dispositionem Bullæ. Verum non obstringuntur censura defensores horum delinqoentium post commissum crimen, si illos adiuuent, ne in manus Ministrorum Iustitiæ incidant, si domi occultent, si instruant, qua

ratio-

ratione sine periculo aufugere possint, vel alio modo sint eius adiumento, vt probaui in cap. 6. cum agerem de Consulente & fauente, quia Bulla excommunicat defensorem delicti, non Delinquentis, licet ex defensione Delinquentis post commissum flagitium incurratur excommunicatio capit. Felicis, & Clem. 1. de Poen. Quaerunt autem Doctores primo, an incurrat hanc excommunicationem; qui defendit huiusmodi delinquentem, ne laedatur à priuata persona.

Glos. in dicta Clem. 1. Ver. Defensauerit in fine existimat ratione talis defensionis non esse locum excommunicationi sive delinquens post scelus patratum adiuuetur, ne ab alio, cuius nihil interfit, malum aliquod patiatur, siue etiam defendatur, ne ab ipsomet Praelato offenso, vel eius consanguineis procurantibus vindictam nomine ipsius Praelati iniuria afficiatur. Ratio huius dicti illa est, quoniam actio, qua quis quaerit reum offendere, est noua iniuria, quam quisq; à socio propulsare potest absque culpa & poena, vt dicitur in cap. Dilectus Vers. & quidem cum liceat de sent. excom. lib. 6. *Et quidem cum liceat cuilibet suo vicino vel proximo pro repellenda ipsius iniuria suum impertiri auxilium, immo si potest, & negligit, videatur iniuriantem fauere, ac esse particeps eius culpae etc.* Ita quoque sentit Sylue. ex sententia Io. Andr. excom. 7. §. 45. Vers. Addic tamen.

Sed quid dicendum est de ijs, qui hos delinquentes receptarent domi ratione consanguinitatis, vel affinitatis, an incurrerent hanc excommunicationem.

Glos. in cap. Felicis Ver. Receptanerit, excipit consanguineos & affines ex l. 1. & 2. ff. de ijs qui la. occul. nam nec omnino absoluuntur, nec tam seuere puniūtur, sicut extranei.

Secundo quaerunt, an qui defendit talem percussorem in Iudicio, & pro eo patrocinatur coram Iudice, vinculo excommunicationis obstringatur, puta si tanquam Aduocatus vel Procurator adsit ei in causa, officij gratia, & sit paratus ipsum defendere.

Glos. eodem Ver. Defensauerit, proponit dubium, & remittit se ad ea, quae dixit in cap. Proposuit Ver. Fautorem de Cleri. excom. Mini. Card. in ead. Clem. 1. num. 12. Vers. Decimo quarto quaero de Defendente &c. soluit distinguendo, aut defendit iuste putans accusatum esse innocentem, & talem fore ex Iuris dispositione probare intendit, quo casu non incidit in censuram, neque incurrit aliquam poenam dicti c. Felicis, & Clem. 1. etiamsi postea probetur culpabilis, quia etiam ipse excommunicatus potest se defendere in Iudicio cap. Cum inter de except. Clem. Pastoralis prope finem de re Iudi. Quòd si defendit scienter contra iustitiam, incurrit excommunicationem, & de his defensoribus intelligendus est textus in cap. Si aduersus de Haeret. vbi prohibetur, ne Aduocati aut

A Notarij Haereticis, vel eorum defensoribus faueant, nec eis patrocinentur, aut pro eis instrumenta conscribant, & vbi Abb. num. 3. Idem dixit Host. in cap. Proposuit de Cleri. excom. Mini. quem sequitur ibi Abb. num. 6. & clarius rem explicat, concludens, cum quis susceperit defensionem excommunicati, & patrocinatur pro eo in Iudicio; non esse reum culpae neque poenae. Nam cum excommunicato permittatur defensio, conceduntur quoque ea omnia, sine quibus defensio esse non potest cap. Intelleximus de Iudi. Si vero Aduocatus sciat excommunicatum fouere iniustam causam, & nihilominus velit eum defendere, tunc tempo-
B ris innodatur excommunicatione, tum ratione generali, quia communicat ei in crimine, cuius causa excommunicatione est ligatus cap. Si Concubinae de sent. excom. Tum etiam ratione speciali ex dispositione dicti cap. Felicis & Clem. 1. de Poen. In quibus locis excommunicantur Defensores talium delinquentiū. Eiusdem opinionis est Sylue. excom. 7. §. 46. Vers. Tertio vtrum incidit. Illud tamen non est praetereundum, quòd cum dicimus eum, qui officium aduocationis exercet scienter in Iudicio iniuste contra conscietiam pro excommunicato ob violationem cap. Felicis aut Clem. 1. in excommunicationem incidere, intelligimus id locum habere, vbi defensio est super crimine, cuius causa dicta excommunicatione est innodatus.
C Tunc enim communicatio accidit in crimine sub poena excommunicationis damnato; & ideo incurritur eadem excommunicatio, si vero defendat in alia causa, non incurrit hanc excommunicationem. In iuribus enim citatis intelligitur prohibita defensio in ordine ad crimen commissum contra dispositionem illorum iurium. Sed quamuis non incurratur eadem excommunicatio, Aduocatus tamen defendens excommunicatum, hoc modo non euidit excommunicationem minorem ratione participationis cum excommunicato, vt bene annotauit Abb. in dicto cap. Proposuit num. 6. in fi. de Cleri. excom. Mini.

Hae sunt igitur praecipue differentiae, quae annotari possunt inter excommunicationem latam in hoc Canone
D Bullae Coenae, & excommunicationem dicti cap. Felicis & Clem. 1. de Poen. quibus alia quoque addi potest, & erit sexta.

Sexto differt Constitutio huius Canonis Bullae à dicto cap. Felicis & Clem. 1. Quod in his Constitutionibus vltra excommunicationem & Interdictum plures aliae & graues poenae corporales inferuntur contra illarū violatores, vt superius monuimus, de quibus alio loco commodum disputabimus, at in hoc Canone Bullae sola excommunicatio infligitur. Atque hoc modo finem imponamus explicationi Canonis vndecimi, & ad 12. progrediamur.



EXCOMMVNICATIO DVODECIMA.

ITEM EXCOMMVNICAMVS, ET ANATHEMATIZAMVS OMNES ILLOS,

QVI PER SE, VEL PER ALIAS PERSONAS ECCLESIASTICAS &c.

DISPVTATIO DECIMATERTIA

DE EXCOMMVNICATIONE CONTRA Eos, qui ad Romanam Curiam pro negociis suis Recurrentes per se, vel per alios lædunt.



XCOMMVNICANTVR in hoc Duodecimo Canone Bullæ omnes, qui offendunt Recurrentes ad Romanam Curiam super eorum causis, & negociis. Et causa huius excommunicationis est Sacrilegium commissum contra honorem, & dignitatem Sedis Apostolicæ. Nam cum Tribunal Summi Pontificis sit maius quocunq. alio, non solùm Ecclesiastico, sed etiam temporali, si impediatur Recurrens ad illum pro iustitia obtinenda, denigratur dignitas & auctoritas Romanæ Ecclesiæ. Ideo sapientissimè vt homines ab hoc sacrilegio retraherentur, voluit Summus Pontifex huiusmodi scelus, sub censura excommunicationis prohibere, eumque inter alios casus Bullæ Cœnæ annumerare; Quæ Excommunicatio habetur in Antiquis Bullis. Nam B. Antoni. in 3. par. Sum. tit. 24. cap. 72. Excommunicatione nona referens Bullam Martini Quinti hunc casum recenset.

Causa materialis, huius excommunicationis, sicut notat Caiet. in Sum. Ver. excommunicatio cap. 15. est offensio specialiter ex causa litis vel negocij eorum qui sub protectione sunt Sedis Apostolicæ, & hac ratione diuersa est & distincta à Canone nono & decimo, de quibus superius pertractatum est, quoniam in Canone non excommunicantur illi, qui iniuria afficiunt proficiscentes, ad Curiam Romanam ad pertractandum aliquid apud Summum Pontificem, quatenus Papa est & Pastor vniuersalis omnium Christianorum, aut cum eius officialibus & ministris, vt dixi in Disp. 10. cap. 1. nempe ad impetrandum beneficiū, ad petendam dispensationem super voto, super impedimentis Matrimonij, vel ad alia similia ex quacunq; causa mouentur ad offendendum huiusmodi accedentes ad Sedem Apostolicam, vel ab ea recedentes.

In Canone decimo excommunicantur illi, qui offendunt Accedentes ad Vrbem causa deuotionis seu peregrinationis, in hoc Canone subijciuntur excom-

A municationi illi, qui lædunt venientes ad Romanam Curiam occasione tantum suarum causarum & negociorum & ratione dictorum negociorum & causarum ipsos venientes offendunt. Quare non est locus huic excommunicationi, quando quis offendat venientem ad Sedem Apostolicam ob alium finem & ob aliam causam, vel si hac de causa recurrat ad dictam Curiam, non tamen iniuria afficitur ab alio occasione litis aut negocij, cuius gratia recursum habet. sed ex alia causa, licet tunc non excusaretur, quin incurreret excommunicationem dicti Canonis noni.

Actiones principales, quæ interdicuntur sub Censura excommunicationis in hoc Canone, tres sunt.
B Prima est occidere vel per se vel per alios personas Ecclesiasticas vel seculares recurrentes ad Romanam Curiam pro suis causis & negocijs, vel occidere Procuratores eadem negocia tractantes in eadem Curia, Aduocatos, Agentes, vel Auditores, aut Iudices deputatos super eisdem causis, & hæc agere ratione illarum causarum, vel negociorum. Secunda quomodolibet eosdem percutere. Tertia bonis spoliare. Accessoriæ vero actiones, quæ prohibentur, sunt quatuor, scilicet prima committere, exequi, vel procurare per se vel per alios directe, aut indirecte huiusmodi delicta. Secunda, in his dare auxilium. Tertia. consilium. Quarta fauorem.

C Hic Canon ijsdem verbis describitur post Sixtum Quintum, sicut legebatur in Bullis præcedentium Pontificum. In primis in Bulla Clementis Septimi hic Canon coniunctus erat cum sequenti. Vnde ex illis duobus vnum caput conficiebatur, & hunc ordinem secuti sunt alij posteriores Pontifices vsque ad Gregorium XIII. vt videre est apud Nauar. in Manuali cap. 27. num. 64. Sed in alijs Bullis antiquioribus hi duo Canones distinguebantur, sicut modo habentur, vt patet ex Bulla Martini Quinti apud B. Antoni. loco cit. Secundo in aliis Bullis à Martino Quinto vsque ad Gregorium XIII. Actiones principales damnatæ, erant verberare, Mutilare, Occidere, Bonis spoliare.
D In Bulla Sixti Quinti & aliis recentioribus demptum est verbum *Mutilant* & loco illius vocis *Verberant*, quę habetur in citatis prioribus Bullis, apponitur hæc clausula, *seu quoquomodo percutiunt*. Tertio in Bulla Gregorij XIII. & aliis posterioribus vltra dictas actiones principales prohibentur aliæ quatuor tanquam accessoriæ & secundariæ nempe directe vel indirecte per se vel per alios huiusmodi delicta cōmittere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxiliū, consiliū, vel fauorem præstare, quę nō apponūtur in vetustiorib. Bullis.

Quoad

A Quoad perſonas offendentes, à quibus poſſint fieri actiones illæ prohibitæ, hic Canon eſt vniuerſalis cum illa amplificatione per ſe, vel per alios. Ideo nulla expreſſio fit ſpecialis, ſicut fit de perſonis offenſes, vt animaduertit Caietanus in citato cap. 13. & patet ex voce illa *Omnes*, qua vtitur Summus Pontifex, quę neminem excludit, l. Iulianus in princ. ff. de leg. 3. Bald. in l. omnia priuilegia. C. de Epiſc. & Cleri. cap. ſolitæ de maio. & obed. & latius probaui in ſimili caſu Diſputat. 12. cap. 1. Quare comprehenduntur omnes cuiuſcunque generis perſonæ, cuiuſcis ordinis, ſtatus, gradus, & præeminentiæ exiſtant: Idque etiam rectè confirmari poteſt ex poſtremis verbis huius Canonis, vbi mentio habetur de his, qui huiuſmodi delicta commit- B tere, vel in eiſdem auxilium, conſilium, aut fauorem dare non verentur, & additur hæc clauſula, *Cuiuſcunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint*, quæ in Bulla Martini Quinti adhuc clarius pluribus verbis explicabatur adhunc modum, *Cuiuſcunque præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus fuerint, etiamſi Pontificali, Regali, Reginali, vel quauis alia præfulgeant dignitate*. Quare eadem verba referri debent ad omnia præcedentia, quia clauſula in fine poſita refertur ad omnia antecedentia ſicut econtra quæ in principio ponitur ſubintelligatur repetita vſque ad finem, niſi inde ſequatur aliquod abſurdum, & militet eadem ratio in omnibus, vt eſt tex. in cap. ſecũdo requiris, & ibi Glo. ver. Vtriuſqoe iuris, & Abb. num. 11. de appella. cap. Apoſtolus cum Glo. ver. ſimilem 33. q. 7. C

In Clem. Multorum de loca habetur excommunicatio contra perſonam eccleſiaſticam, quæ procurat Clericum, & quemcunque eccleſiaſticum capi, & detineri à ſeculari poteſtate; Ne citatus ad Sedem Apoſtolicam proficiſcatur, ſed in hoc Canone Bullæ excommunicatur vniuerſaliter quicunq. tam Laicus, quàm Clericus ſi impediat eccleſiaſticam perſonam, ſiue ſecularem recurrentem ad Romanam Curiam ſic alijs etiam modis hæc excommunicatio diſtinguitur ab illa. Alia excommunicatio pronunciatur contra huiuſmodi temerarios perturbatores iuriſdictionis eccleſiaſticę à Bonifacio Octauo in c. Quoniam de Immun. Eccleſ. lib. 6. ſcilicet contra impedientes ſuper cauſis, D quæ ad forum eccleſiaſticum de Iure, vel de conſuetudine pertinent literas à Sede Apoſtolica impetrari, vel ſuper ipſis coram Ordinarijs, vel Delegatis eccleſiaſticis iudicari. Item in extrau. Diuina de priuileg. inter communes Eugenius Quartus prohibet: Ne Ordinarij poſſint ferre cenſuras in ſuos ſubditos ad Sedem Apoſtolicam pro ſuis negocijs proficiſcentes, aut ibi manentes, vel ab ea recedẽtes neve illos beneficijs priuare audeant, & quidquid contra fecerint irritans declaratur, & eam dantes dicta beneficia quàm recipientes excommunicationis ſententiam ipſo facto obſtringuntur, & à ſolo Papa abſolui poſſunt. E

Caput Primum, In quo diſcutiuntur Actiones principales prohibitæ, quæ deſcribuntur his verbis, Occaſione cauſarum, vel negociorum huiuſmodi occidunt, ſeu quoquo modo percutiunt, bonis ſpoliant.

Caput Secundum, Explicantur actiones acceſſoriæ, quæ in poſteriori parte Canonis continentur, Seu qui per ſe, vel per alios directè, vel indirectè delicta huiuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem præſtare non verentur, cuiuſcunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

Caput Tertium, De Generibus perſonarum, ex quarum læſione incurritur hæc excommunicatio, quæ his verbis exprimuntur; Per ſe vel per alias perſonas Eccleſiaſticas quaſcunque, vel Seculares ad Romanam Curiam ſuper eorum cauſis & negocijs recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, Negociorumque geſtores, Aduocatos, Procuratores, & Agentes, ſeu etiam Auditores, vel Iudices ſuper prædictis cauſis, vel negocijs deputatos, *In fine capitis declaratur, An eadem excommunicatio alibi in Iure promulgata reperiatur.*

CAPVT I.

In quo diſcutiuntur Actiones principales prohibitæ, quæ deſcribuntur his verbis, Occaſione cauſarum, vel negociorum huiuſmodi occidunt, ſeu quoquo modo percutiunt, bonis ſpoliant.

QVicunque aliquam ex his tribus Actionibus commiſerit aduerſus perſonas nominatas in hoc Canone, de quibus ſuo loco dicam, incidit eo ipſo in hanc excommunicationem, vt patet ex tex. huius Canonis; Quæ excommunicatio afficit non ſolùm illum, qui per ſe ipſum occidit, percutit, aut bonis ſpoliat, verùm etiam illum, qui alterius opera vtitur ad ea committenda propter illam clauſulam initio poſitam *Omnes illos, qui per ſe, vel per alios*.

Verum non incurritur excõmunicatio, quomodocunque fiant dictæ actiones prohibitæ, & ex quacunq. cauſa quis occidat, percutiat, ſiue bonis ſpoliet recurrentes ad Romanam Curiam, ſed vt ſit locus excommunicationi, duæ conditiones requiruntur. Prima eſt, vt offenſus recurrat ad Sedem Apoſtolicam pro ſuis cauſis, & negocijs. Quare ſi alia de cauſa veniat, nempe vt magnificentiam Curiæ Romanæ videat, vt inſeruiat alicui Cardinali, ad præſtandã obedientiam Summo Pontifici, vel ob alios fines; in his & ſimilibus caſibus, quamuis offendentes poſſint alijs excommunicationibus innodari, non tamen obſtringuntur excommunicatione huius Canonis. Secunda conditio eſt, vt occaſione dictarum cauſarum, & negociorum damnum, & offenſionem patiantur. Quare ſi quis ad Curiam Romanam veniens, vt cauſam, & negocium expediat, occidatur, vel percutiatur, aut bonis expolietur non ratione cauſæ, vel negocij, cuius gratia ad Curiam accedit. ſed propter antiquas inimicitias, aut propter rixam, & diſcordiam eo tempore ortam, aut cauſa deprædandi, tunc defectu ſecundæ conditionis non contrahitur hęc excõmunicatio: neceſſe eſt enim, vt damnum inferatur occaſione cauſarum, & negociorum, quorum cauſa recurſus ad Curiã Romanam habetur. Voluit enim Summus Pontifex huius Canonis conſtitutione filijs pereuntibus, & oppreſſis conſulere, vt ad ipſum tanquam ad Patrem, & Paſtorem omnium, qui auctoritate, & poteſtate antecedit omnes alios Principes, tuti & abſque vllo periculo confugere poſſent, cap. Fundamentum de elect. lib. 6. Ita ſentiunt omnes, Caietanus in Sum. ver. excommunicatio cap. 15. in fine Rebuff. in explic. Bullæ Cœnæ artic. 9. in fi.

Occaſione cauſarum, vel negociorum huiuſmodi. Cauſa nomen eſt ad multa ſignificanda vſurpatum. Primum enim obligationem ſignificat. l. certi conditio. ff. ſi cer. pet. Vbi Gloſa ver. ex omni cauſa ſic inquit, *Inculcatio verborum eſt, nam idem eſt cauſa, quod obligatio*. Cauſa etiam litem ſignificat; Ita cauſa cadere, litem perdere eſt, & vt Iuſtinianus interpretatur rem amittere,

§. Si

§. Si quis agens Instit. de actio. & sic causa cadere à debitore creditor dicitur, qui aduersus eum expertus succumbit. l. Stichus q. 5. prope fi. §. Si creditor. ff. de solutinn. Hinc causam agere, causas orare in l. 2. de orig. iur. Causa item accipitur pro re. l. Iuris gentium. §. Quod si nulla subest causa. ff. de pactis, idest si res non subest, significat etiam causa titulum debiti, actionis, dominij, possessionis. l. Priuilegia 16. ff. de Priuileg. credit. l. 3. §. Ex pluribus de acquir. poss. sic lucratiuam sic onerosam causam dicimus. Causa etiam vt Cicero de fato definit, est, quæ id efficit, cuius est causa, Vt vulnus dicitur causa mortis, cruditas morbi. Ita Vlpianus in l. 1. ff. depositi, Incendium inquit tumultus, Ruina naufragium causæ sunt deponendi. Hinc omnium rerum quatuor illæ causæ, efficiens materia, forma, & finis enumerantur. Præterea causa conditionem, & ius cuiusque rei significat l. Si conuenerit. §. Si fundus ff. de pignor. actioo. sic cum sua causa res transferri dicitur, idest cum suo onere, vel quo iure quaque conditione est. l. Alienatio 67 ff. de contrahen. empt. Et præter has significationes pluribus alijs modis accipitur causa in iure, & apud Doctores, In hoc Canone Bullæ censeo per causas Summum Pontificem intelligere voluisse lites, controuersias iudiciales Aul. Gell. lib. 5. cap. 10. *Et cum ad Iudices conuicienda, consistendæque controuersiæ gratia venisset*, cap. forus in princ. vers. Causa de verb. signif. *Constat autem forma causa, lege, & Iudicio*, Vbi Glosa ver. Causa inquit, *Est ergo causa res in iudicio posita cum interpositione certarum personarum, scilicet Actoris, & Rei, Iudicis & Testis*, Et dicitur lis causa à casu, quia vt ibi notat Glosa, *Lites frequenter casualiter occurrunt præter voluntatem hominis*, Et licet aliquando causa à lite separetur, vt in l. Causas, vel lites. C. de transact. vbi Glos. verb. Causas, inquit, *Dicunt quidam causam ante litis contestationem post controuersiam tamen, sed post contestationem incipit esse lis* Alij putant causam à lite ita distingui, vt illa generale verbum continens sit ciuilia, & criminalia, litis verò appellatione ciuiles tantùm actiones comprehendantur. Quod videtur probari. l. litis nomen 36. ff. de verb. signif. Verùm hoc in loco nomen causæ sumitur generaliter pro quacunque controuersia ad iudicium deducta, siue ante contestationem litis, siue post contestationem. Duplex autem reperitur genus causarum nempe ecclesiasticarum, & ciuilium cap. In causis de Testi. Ciuiles causas illas appellant Doctores, quæ versantur circa res temporales, ecclesiasticas, quæ sunt de rebus ecclesiasticis, Felin in eod cap. num. 1. Tertium genus causarum criminalium, addit Glos. in Sum. 11. q. 1. quando scilicet de Crimine agitur, & omnia hæc comprehenduntur hoc in loco sub hac voce, *Causarum*, quæ vniuersalis est, & ponitur sine aliqua distinctione, vnde nec nos distinguere debemus.

Vel negociorum Negocium multa significat, vt dicitur in cap. Forus est de verb. signif. modo actum alicuius rei, cuius contrarium est otium. Aliquando pro negociatione accipitur. l. Institor, & l. Quicunque. ff. de Instit. Actio. l. Hæres. §. Si quis tutelam. ff. de Iudic. Negocium etiam contractum, & obligationem significat. l. 1. ff. de æstimat. Actio. Ita negocium gerere; contrahere, suscipere dicimus. l. penult. ff. Quod iussu. Nec aliud valet ex negocio gesto, quàm ex contractu, vel quasi. l. 1. §. Hæc autem verba vers. Cum seruus. ff. de his qui eiecerunt, vel effude. Nonnunquam negocium sumitur pro lite, & causa, vt in dicto cap. Forus de verb. signif. l. Cum Clericis. C. de Episcopis, & Cleri. Pro eodem repetitur nomen litis, & negocij.

A Hinc fit, vt procurator generalis ad negocia constitutus, videatur etiam constitutus ad causas cap. Qui generaliter de procurat. lib. 6. specul. prima par. in tit. de procurat. §. 1. in fi. num. 38. & talis procurator potest causas peragere, nisi sint ex numero illarum, in quibus speciale mandatum requiritur, vt dicitur in eod. cap. Qui generaliter. Pluribus quoque alijs modis vsurpatur hoc verbum negocium, sed quantum spectat ad hunc Canonem Bullæ, censeo nomen negocii accipi, vt idem denotet, quod causa siue lis, & Summum Pontificem ad maiorem declarationem, & expressionem his duabus vocibus ad idem significandum vti voluisse; Idque his rationibus persuaderi posse videtur. Primò quia si hoc verbum *Negociorum* in B hoc Canone poneretur tanquàm diuersum, & distinctum ab illa voce *Causarum*, Ita quidem vt per causas intelligerentur lites, & controuersiæ, quæ in Iudicio proponuntur. Per negocia verò quæcunque causæ, quarum gratia ad Curiam Romanam recurritur, etiã si super illis nulla cum aliquo lis in Iudicio penderet: Puta siquis ad Curiam accederet ad gratiam impetrandam, sequeretur superuacaneam fuisse hanc excommunicationem quoad hanc partem: coincideret enim cum excommunicatione Canonis Noni ibi nãq. simpliciter excommunicantur offendentes eos, qui veniunt ad Sedem Apostolicam, vt negocium expediant cum Papa, vel eius Officialibus: ergo non opus fuisset idem repetere in hoc Canone. Secundò Summus C Pōtifex idcirco iungit simul *Causarum, vel negociorum*, vt significet se loqui de illis negocijs, quæ oriuntur ex causis, idest litibus, quia causa est materia, & origo negocii, vt dicitur in cap. Forus de verb. signif. nempe facit, vt homo, qui litem habet otio vacare minimè possit: vnde dictum est negocium, idest sine otio, vt habetur in eod. cap. Forus. Quamobrem Papa nomine causarum, & negociorum comprehendere voluit omnes causas, quæ in iudicio aguntur, siue quando proponuntur, vel vbi discutiuntur, aut dum per sententiam terminantur. Quicunque ergo recurrentem ad Curiam Romanam pro causis, & negociis occidit, percutit, aut bonis spoliat occasione earum causarum & negociorum, incidit eo ipso in hanc excommunica- D tionem.

Itaque non tam hic intenditur fauor personarum quàm causarum ne illarum cursus, aut expeditio, vel executio, aut alia huiusmodi impediantur: quod contingeret, si personæ, per quas hæc tractanda sunt, vel expedienda, ea ratione iniuriis afficerentur.

Sed dicet aliquis, si quis occidat venientem ad Sedem Apostolicam, obstringitur excommunicatione Canonis noni, vt dixi; Rursus si causa huius homicidii fuerit lis, & negocium, cuius gratia ad Curiam Romanam accedebat, erit locus excommunicationi huius Canonis: ergo simul talis homicida ob vnicam, & eandem actionem erit innodatus duplici excommunicatione Bullæ.

E Respondeo tali casu duas excommunicationes incurri, vel vnam ex duplici causa, quia interficitur veniens ad Sedem Apostolicam, & ob hanc causam incurritur excommunicatio Canonis Noni, & rursus occiditur occasione causæ, vel negocii, cuius gratia ad Curiam Romanam recurritur, & ideo locus est excommunicationi huius Canonis. Nec inconuenit, vt vnus simul pluribus excommunicationibus obstringatur propter varia delicta cap. Engeltrudam 3. q. 4. Sic etiam, vt dicit Card. Toletus lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 26. vers. Dubium esse potest, In duas excommunicationes

nicationes incidit ille, qui offendit commorantem in Curia, vt prosequatur causam suam, vel negociũ cum in eod. Canone nono excommunicentur offendentes eos, qui in Curia commorantur. Quare, qui hæc committunt, duabus indigent absolutionibus, aut vnica absolutione cum expressione vtriusque causę, quę complectatur vtramque excommunicationem.

Occidunt. Hęc est prima actio principalis prohibita, Notum est & clarum, quid significet occidere, & pro eadem actione in Can. 9. 10. 11. accipitur verbum interficere. Hi dicuntur occidere alium, qui adhibita vi & quasi manu causam mortis præbuerunt, tracta videlicet interpretatione vocis à cędendo & à cede. l. Ita vulneratus 52. ff. Ad leg. Aquil. Vnde occisorum appellatione hi continentur, qui per vim, aut cædem sunt interfecti, vt puta iugulati, strangulati, præcipitati, vel saxo, fuste, lapide percussi, vel quo alio telo interempti. Differuntque inter se occisus, & necatus, quod occisus vulnere, necatus etiam sine ictu dicatur, vnde veneno, vel quo alio clam necatos, non occisos dicimus; Et quanquam occidere dicatur, qui mortis causam præbuit. l. Qua actione. §. 1. ff. Ad leg. Aquil. Id tamen est intelligendum, si per vim fuit causa mortis; Ideo l. 1. §. Occisorum. ff. de Senatus Consult. Sylaniano ita habetur, *Occisorum appellatione eos continere Labeo scribit, qui per vim, aut cædem interfecti sunt*. Quare in hanc excommunicationem incidunt omnes, qui recurrentibus ad Curiam Romanã super eorum causis, & negocijs mortem per vim, & violenter inferunt occasione dictarum causarum, & negociorum, quicunque sint isti, qui occidunt, scilicet, vel Clerici, Religiosi, aut seculares, habentes iurisdictionem, vel personæ priuatæ, nam Canon generaliter loquitur, & eadem est ratio de committentibus alias actiones prohibitas, de quibus statim dicam.

Quare ad incurrendam hanc censuram nõ opus est, vt prædictæ actiones fiant auctoritate iudiciaria, vel laica, sed locus est excommunicationi, si committantur etiam à priuata persona, vel ecclesiastica auctoritate, vt recte animaduertit Nauar. in Manual. cap. 27. num. 68 vers. Quinta, quia verba Bullæ sunt vniuersalia, nec vllam mentionem faciunt laicæ potestatis, neque vlla probabilis ratio excogitari potest ad illam limitationem adiungendam. Idem ait Rebuff. in explicat. Bullæ art. 9. & Caiet. in Sum. ver. excommunicatio cap. 15.

Seu quoquo modo percutiunt. Est secunda actio, quæ prohibetur, quid sit percutere declaraui in Disp. 12. cap. 4. Est enim verbum generale denotans omnem modum, quo quis alium corporaliter cædit, & pulsat, non solùm baculo, aut fuste, seu quouis instrumento, sed etiam manu, pugno, vel quouis alio modo In Bulla Gregorij xiij. erat verbum *Verberat*, vt initio dixi, sed Syxtus V. illo dempto, apposuit *Percutiunt*, & addidit dictionem, *Quoquo modo*. Percutere verò latius patet, quàm verberare, vt ostendi in dicto cap. 4. Vnde colligimus mentem Summi Pontificis esse subijcere excommunicationi vniuersaliter quemcunque percutientem quocunque instruméto, & sine vllo instrumento sola manu, pede, aut quacunque corporis parte, etiamsi leuis sit percussio, dummodo sit sufficiens ad constituendum peccatum mortale, quod requiritur ad incurrendam excommunicationem: Idque indicat etiam dictio illa *Quoquo modo*, quæ æquipollet dictioni quomodolibet, & qualitercunque, quæ omnẽ modum includit, Clem 2. ver. Re igitur excessus cum Glos. in ver. Quomodolibet de sent. excom. cap. Indemnitati-
A bus. §. Sane prope fi. Vers. Si qua verò si minori, vbi Io. And. super verb. quomodolibet nu. 2. de elect. lib. 6. Ergo qualitercunque qui percutiat recurrentes ad Curiam, incidit in hanc excommunicationem. Et hac de causa censeo Sixtum Quintum omisisse verbum *Mutilant*, quod in Bulla Gregorij xiij. & antecessorum Pontificum legebatur, quia mutilatio sequi nõ potest, nisi ex aliqua percussione cum vulnere, quare, cum Papa pronunciat excommunicationem generaliter contra eos, qui quomodolibet percutiunt dubitari nõ potest, appellatione percutientium comprehendi mutilantes tanquam speciem sub genere, & ob eandem rationem vulnerantes, & verberantes, quia vulnus, & verbera non possunt esse sine percussione. Omnis igitur,
B qui recurrentẽ ad Curiam percutit, vel baculo, aut armis, vel pugno seu pede, siue inferat vulnus, aut mulctet, vel secus, similiter se id fiat cum dolore, siue sine vllo dolore, semper incidit in excommunicationem.

Bonis spoliant. Tertio loco sub eadem censura interdicitur, ne huiusmodi recurrentes occasione causarum, & negociorum bonis spolientur. Quid sit spoliare, declaraui in Disp. 10 cap 3. Hoc in loco accipitur generaliter, & significat priuare aliquem quacunque re mobili, vel immobili, sicut sumitur toto tit. de restit. spoliat. quia Canon loquitur generaliter, *Bonis spoliant*, nulla adhibita distinctione, aut limitatione bonorum: Igitur generaliter intelligi debet, c. Si Romanorum 19 dist. l. de precio. ff. de pub. in rem act. Er-
C go incurritur hæc excommunicatio, si huiusmodi recurrẽtes pro suis causis, & negocijs hac occasione suis bonis spolientur, siue sint bona mobilia, quæ secum deferant, siue priuentur ob eandem causam, nempe quia recursum habuerunt ad Curiam, bonis immobilibus, scilicet domo, agris, possessionibus, quæ possident. Et nihil interest, an spolientur omnibus bonis, vel aliquibus, nisi paruitas, ac leuitas materiæ excuset à peccato mortali; tunc enim excusabit etiam à pœna excommunicationis.

Postulabit quis, cur potius in hoc Canone duodecimo interpretandum sit hoc verbum *Spoliant* latè, vt comprehendit priuationem non solùm rerum mobilium, sed etiam rerum immobilium, quàm in Canone
D nono, vbi idem verbum significare tantùm priuationem rerum mobilium dixi in Disp. 10. cap. 3.

Respondeo illam huius diuersitatis rationem assignari posse, quòd in Canone nono tractatu de venientibus ad Sedem Apostolicam, quibus Papa prospicere intendit, vt sine formidine, & periculo accedere possint, & tutò deferre, quæ secum habent. Res autem immobiles asportari nequeunt; Idcirco de asportatione rerum immobilium intelligi non potest. At verò in Canone hoc 12. agitur de recurrẽtibus ad Curiam; Recurrere autem potest quis post Nuncium, etiam si ipso domo non discedat, vt habetur in cap. Tum ex li-
E teris in fi. de in integrum restitut. vel etiam per literas, quare non inconuenit, vt in odium talis recursus possit quis iniustè priuari non solùm re mobili, sed etiã immobili. Et cum in tex. nulla appareat limitatio, sed vniuersaliter dicatur *Bonis spoliãt* vniuersaliter accipiendum est. Nam res, de qua agitur, hanc interpretationem admittit, secus verò in Canone Nono, maximè quia magis impediri possunt recurrentes ad Curiam ob timorem amittendi res stabiles quæ regulariter sunt maioris precij, & valoris, quàm res mobiles.

Ex dictis patet non incidere in hanc excommunicationem fures, & latrones, qui prædictos recurrentes spoliant:

ſpoliant: non enim id agunt occaſione cauſarum, & negociorum, pro quibus habent recurſum ad Curiam, ſed vt deprædentur illorum bona; & hoc modo ceſſat ratio formalis huius excommunicationis, quamuis tales non euitent excommunicationem latam in Canone nono contra offendentes eos, qui ad Sedem Apoſtolicam proficiſcuntur, vt oſtendi in Diſp. 10. cap. 4. in ſolut. ſextæ dubitationis, & fortiori ratione ab vtraq. excommunicatione liber erit creditor, ſi aliquem huiuſmodi recurrentem, quem pro recuperatione ſui crediti in Iudicio conuenire nõ audet propter eius potentiam, fauorem diuitias, frandes, & ſimilia, clam ſpoliet bonis, & ſine ſcandalo dummodo id, quod ſubtrahit, non excedat valotem ſui crediti, quia concurrentibus quibuſdam conditionibus vnicuique licet ſine culpa, & pœna clam ſurripere, quod ſibi debetur, de quibus conditionibus tractant Caietanus apud Sanctum Tro. 2. 2. q. 66. ar. 3. & 5. Domi. Sotus de Iuſt. & Iur. lib. 5. q. 3. ar. 5. Sylue. ver. Furtum. §. 16. & ver. Bellum. 1. §. 10. Concluſ. 1. & ver. Bellum 2. §. 13. Io Medi. de reſtit. quæſt. 11. Nauar. in Man. cap. 17. num. 112. & 113.

Iam patet, propter quas actiones incurratur hæc excommunicatio nempe ex occiſione, percuſſione, & bonorum ſpoliatione. Quare erit excommunicatus ſcienter occidens, percutiens, & ſpolians recurrentem ad Curiam. Quòd ſi probabiliter ignoret illum, quem offendit, recurrere ad Curiam Romanam occaſione cauſarum, & negociorum, non erit excommunicatus, quia probabilis ignorantia excuſat ab excommunicatione, vt in ſimili dixi in Diſp. 10. cap. 4. In ſolutione primæ dubitationis.

Qui verò ad ſui neceſſariam defenſionem iniuria afficit talem recurrentem, excuſatur ab excommunicatione, quia ceſſat cauſa acceſſoria ad incurrendã hanc excommunicationem, nimirum quia nõ offenditur occaſione cauſarum, & negociorum, ſed propter neceſſariam defenſionem, quæ iure naturæ permittitur cap. Dilecto de ſent. excom. Vnde neque qui occidit alterum, aliter mortem euitare non valens, irregularitatem incurrit, vt in Clem. 1. de homic. Alex. conſ. 109. lib. 1. Viſis, & vt oportet, conſideratis Aret. conſ. 80.

Quæret aliquis; An offendens recurrentem ad Curiam Romanam percutiendo, occidendo, & ſpoliando, triplici excommunicationis vinculo alligatus remaneat, vel potius vnicam tantùm excommunicationem contrahat.

Hanc dubitationem ſæpius tetigi, & diſſolui, præſertim in lib. 3. Diſp. 10. cap. 8. vbi tradidi regulas quaſdam dignoſcendi numerum, vel vnitatem excommunicationis, quod ſpectat ad rem, de qua modò agimus; Reſpondeo vnicam contrahi excommunicationem, quãdo eodem tempore quis vnico actu ſine vlla interpellatione committit actiones illas in eandem perſonam, quia actiones illæ percutiendi, occidendi, & ſpoliandi ratione continuationis eiuſdem temporis in eandem perſonam ſunt tanquam partes componentes vnam integram, actionẽ moralem, ex qua oritur vnica tranſgreſſio huius Canonis: Multiplicabuntur verò excommunicationes ex pluralitate actuũ, ſi fiãt diuerſis temporibus, vel ſi offendantur plures perſonæ, vt latius declaraui loco cit. & ſupra in hoc libro Diſp. 10. cap. 4. in ſolutione dubitationis quartæ.

Ex his etiam, quæ hactenus dicta ſunt, conſtat eos non innodari hac excommunicatione, qui huiuſmodi recurrentem verbis contumelioſis inuadunt iniuriam inferendo, & famæ, ac honori detrahendo voce, vel ſcriptis, ſi ad opus ipſum reale, & corporale non peruenerint, quia ex vi horum verborum, *Interficiunt, Percutiunt, bonis ſpoliant*, talis iniuria verbalis non comprehenditur, vt per ſe notum eſt.

Minus quoque in eandem excommunicationem incidere cenſeo eum, qui modo licito, & ſeruato iuris ordine per ſe, vel per alium cauſa eſſet, vt aliquis ad Curiam recurrens occaſione ſuarum cauſarum, & negociorum occideretur, & percuteretur, vel bonis ſpoliaretur, puta ſi iuſtè accuſaret illum in iudicio de crimine Morte, aut fuſtigatione dignum, aut confiſcatione bonorum quauis occaſione, aut intentione id faceret, etiam vt impediret, ne talis perſona ſua negocia in Curia proſequeretur: Nam quamuis in tali caſu ſequeretur effectus, nempe percuſſio iuſta ab ipſo Iudice, tamen non incurreret excommunicationem. Ratio huius dicti videtur eſſe, quia iſte talis non peccat contra iuſtitiam; ſed ſolùm contra charitatem; & idcirco non eſt locus excommunicationi: Neque videtur mens Summi Pontificis fuiſſe homini viros punire tam ſeuera pœna, ſcilicet excommunicatione reſeruata Sedi Apoſtolicæ: Neque voluiſſe per hanc cenſuram impedire, quin puniantur omnia delicta quacunque occaſione deferantur ad forum externum.

CAPVT II.

Explicantur actiones acceſſoriæ, quæ in poſteriori parte Canonis continentur, Seu qui per ſe, vel per alios directè, vel indirectè delicta huiuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem præſtare non verentur, cuiuſcunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

PLures sũt actiones acceſſoriæ in ordine ad illas tres principales prohibitas, ſub eadem pœna excommunicationis interdicuntur, ex quibus tamen non incurritur excommunicatio, niſi perfecta, & conſummata ſit aliqua ex actionibus principalibus. Prohibentur enim huiuſmodi actiones non per ſe ipſas, ſed quatenus ordinantur ad actiones principales, vt patet ex verbis Canonis, ibi *Delicta huiuſmodi committere &c. Aut in eiſdem auxilium &c.* Et quemadmodum non incurreret excõmunicationem ille, qui ad proximum actum percuſſionis accederet, ſi non percuteret, ita quoque multò minus eſſet excommunicatus, qui auxilium, conſilium, aut fauorem præſtaret ad percutiendum, quæ ſunt actiones acceſſoriæ non ſecuta percuſſione.

Seu qui per ſe, vel per alios directè, vel indirectè. Actiones acceſſoriæ amplificantur per hãc clauſulam, ſcilicet ſiue fiant per ipſoſmet auctores harum actionum, ſiue per alios, ſiue directè, ſiue indirectè per ſe, vel per alium, quia qui per alium facit, per ſe facere videtur. l. Ita tamen verſ. Geſſiſſe. ff. de admin. tut. Glo. in cap. Sciant cuncti ver. Alios de elect. lib. 6. Atque etiam in maleficiis tenetur mandator, Bart. in l. Non ſolùm. §. Si mandato. ff. de iniur. Alex. conſ. 65. vol. 4. Iaſon in §. Pœnales Inſtit. de actio. *Directè, vel indirectè.* Indirectè ille diceretur occidiſſe, percuſſiſſe, aut ſpoliaſſe recurrentem ad Curiam, qui alios grauaret in perſonis, aut rebus, niſi huiuſmodi delicta committerent, vel ſi conſanguineos eorum moleſtiis afficerẽt ad eundem finem vt notat Gloſ. in Clem. 2. ver. Quomodolibet de ſent. excom. vel etiam indirectè appellaretur cauſa illorum delictorum qui perſuaderet alicui recurrenti ad Curiam, vt tranſiret per viam, in

qua

qua sciret exules versari, & sicarios, qui eum occiderent, aut percuterent, vel bonis spoliarent, & idem dicendum in similibus casibus : Ita explicat Bart. in l. Centurio num. 8. & 43. ff. de vulgar. & pupilla. Hinc Lap. allegat. q. 2. num. 8. dixit : Idem esse statuere, ne coquatur panis, vel ne molatur Clericis contra tea. in cap. Eos de Inmun. Eccles. lib. 6. quod est indirectè : priuare eos fauoribus communibus sicut si directè aliquid mandarent Clericis contra libertatem ecclesiasticam. Quæ clausula generalis extenditur ad omnes actiones principales, & accessorias, & iuxta eam singula amplificantur.

Debita huiusmodi committere, idest imponere, præcipere, mandare, quare qui imponit per se ipsum alteri, vt delicta huiusmodi exequatur, nempe vt occidat, aut percutiat, vel bonis spoliet aliquem recurrentem ad Curiam Romanam : Aut si non imponit per se ipsum facit hoc per alios, idest vtitur medio, & opera aliorum, qui præcipiant, & mandent hæc fieri directè, vel indirectè modo explicato, semper, quomodolibet id contingat, incurrit hanc excommunicationem.

Exequi. Non solam excommunicatione obstrictus remanet, qui præcepit, & committit huiusmodi delicta, sed etiam ille, qui alterius iussa, & mandata exequitur.

Vel procurare. Idem valet hoc in loco, quod studiosè curare, operam & diligentiam adhibere : Ergo qui curat per se, vel per aliam directè, aut indirectè, vt talia delicta eueniant, simili modo est excommunicatus. Hoc autem semper intelligitur secuto effectu, non antea, vt diai.

Quæret quis ; An sub hac clausula comprehendatur ille, qui rata habet huiusmodi delicta, vt ea tali ratihabitione incidat in hanc excommunicationem.

Respondeo valde probabile mihi videri his verbis significari etiam illos, qui rata habent talia delicta, si sit vera ratihabitio cum conditionibus requisitis, de quibus egi in Disp. præcedenti cap. 6. nempe vt delictum fuerit commissum nomine illius, qui postea illud ratum habet : Deinde vt postquam factũ fuerit, comprobetur, & placeat. Ad id asserendum ducor Primo propter clausulam illam generalem *Per se, vel per alios directè, vel indirectè*, Quibus verbis Summus Pontifex includere voluit modum concurrendi, & cooperandi, vt prædicta delicta sequantur: Igitur non est excipiendus, qui rata illa habet. Secundò quia ratihabitio æquiparatur mãdato : Regula ratihabitionem de reg. iur. lib. 6. & habet vim mãdati virtualis, vt latius probaui in dicto cap. 6. Si ergo qui mandat offendi recurrentem ad Curiam, est excommunicatus, erit quoque excommunicatus, qui id ratum habet. Tertiò idem confirmari potest testimonio Nauar. in Man. cap. 27. num. 67. vers. Septima in fi. qui loquens in simili casu de excommunicatione Canonis vndecimi contra offendentes Cardinales, Patriarchas &c. cum in Bulla Gregorij xiij. quam ipse explicat, exprimerentur soli Mandantes, inquit, per Mandantes comprehendi ratum habentes : Idem sentiendum videtur in proposito huius Canonis.

Aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur. Sunt aliæ actiones accessoriæ prohibitæ; In his declarandis non opus est insistere, quia singula explicaui in dicto cap. 6. Disp. præcedentis : Dissoluam tantùm breuiter nonnullas difficultates ad clariorem intelligentiam Canonis.

Primò quæri potest, quem sensum habeat dictio illa *In eisdem*. Respondeo verbum illud *In eisdem* denotare non esse locum huic excommunicationi, quando quis præberet auxilium, consilium, aut fauorem delinquenti, postquam commisisset actiones prohibitas, adiuuando illum, ne criminis pœnas lueret, aut alio modo fauendo : ideo dicitur *In eisdem*, idest excommunicantur qui per se, vel per alios directè, vel indirectè præsumpserint præbere auxilium, consilium, aut fauorem alteri, vt possit facilius, & commodius occidere, aut percutere, vel bonis spoliare recurrentem ad Curiam Romanam. Quare qui alteri opem fert, consulit, & fauet, postquam illas actiones perfecerit, vel alia intentione, & fine, non subiicitur excommunicationi.

Secundò dubitari potest; Vtrùm Consulens alteri, vt iniuria afficiat aliquem ad Curiam Romanam recurrentem, qui, etiamsi nullum accepisset consilium, hoc scelus tamen patrare firmiter statuerat, & erat illud commissurus, incidat in hãc excõmunicationem.

Respondeo in tali casu Consulentem non remanere excommunicatum, quia suo consilio non concurrit vllo modo, vt actiones prohibitæ sequantur, vt fusius demonstraui in eodem cap. 6. In dubio tamen sentiẽdum est semper Cõsulentem consilio suo causam fuisse prouocandi alterum ad crimen committendum; Neque illud commissurum fuisse, si consilium non accepisset; & idcirco excommunicatione obstrictum esse, vt in dicto cap. 6.

Tertiò dubitatur, an ille dicendus sit fauorem præstare alteri in ordine ad actiones prohibitas, qui potest impedire, & prohibere, ne recurrens ad Curiam Romanam offendatur, aut mali aliquid patiatur, & tamen ex negligentia cessat auertere, & vtrùm incidat in excommunicationem secuta offensione.

Respondeo, si sit persona publica, quæ iurisdictionem, & auctoritatem habeat, & potest impedire, ne recurrens ad Curiam Romanam offendatur; & cessat id facere, absque dubio obstringitur excommunicatione, vt copiosè probaui in Disputatione præcedenti cap. 6. cum agerem de ratihabitione. Si vero sit priuata persona carens iurisdictione, & dolo malo permittat, vt talis recurrens iniuriam patiatur, cum prohibere posset, similiter contrahit excõmunicationem, vt in eod. cap. 6. declaraui. Si vero ex negligentia, vel timore non curaret huiusmodi auxilium præstare, excusaretur ab hac censura excõmunicationis, quamuis in aliquo casu culpæ reus existeret. Quamobrem persona publica, quæ ex officio, ne mala & delicta eueniant, impedire tenetur, non solùm præstando opem, & fauorem alteri, vt actiones prohibitas efficiat contra recurrentem ad Curiam Romanam, sed etiam si ea negligentia non curet impedire, ne illa succedant, vtrouis modo innodatur hac excommunicatione. Verùm priuata persona contrahit censuram excommunicationis tantùm, quando actu opem fert, & auxilium ad huiusmodi delicta; Minimè verò si negatiuè se habeat, & ea negligentia illa non impediat; & cesset dolus malus, quia non tenetur.

Non verentur. Propriè denotantur illi ea propria significatione locutionis, qui abiecta virtutis honestate sine pudore, & verecundia præsumunt dictas actiones committere : In hoc sensu accipitur in cap. vlt. de Cleri. Pereg. cap. Quando de off ordi. cap. Graue de præben. Vnde colligimus ad incurrendam hãc excommunicationem requiri, vt homo sciens & prudẽs committat huiusmodi prohibita, siue principaliter, siue secundariò. Quare si quis lapsu linguæ, vel inconsideratè daret consilium prohibitum in hoc Canone, non legaretur excommunicatione.

Cu-

Cuiusque praeminentia, & dignitatis fuerint. Has voces explicaui in Disp. 9. cap. 1. Comprehenduntur his verbis omnes, qui hæc delicta agũt sine vlla exceptione, vt dixi initio Disputationis. Eadem clausula legitur in Extrauag. Diuina de priuil. contra eosdem: perturbantes illos, qui sua negocia prosequuntur apud Curiam Romanam. Et quia nomina præeminentiæ, & dignitatis diuersimode vsurpantur: Nam aliquando legimus quemcunque ordinem ecclesiasticum appellari dignitatem, vt in cap. Denique, & ibi Glos. ver. dignitas, 4. dist. & cap. Reperiuntur, 1. q. 1. Nonnunquam magis propriè, & strictè pro sola dignitate ecclesiastica, vt in cap. Si forte, & ibi Glos. ver. dignitatem de elect. lib. 6. Nonnunquam potestates etiam seculares dicuntur habere dignitatem, vt in cap. Administratores 23. q. 5. Hoc loco sumitur nomen dignitatis, & præeminentiæ generaliter comprehendens maiores, & minores, Clericos, & Laicos.

CAPVT III.

De Generibus personarum, ex quarum Lesione incurritur hæc excommunicatio, qua his uerbis exprimuntur; Per se vel per alias personas Ecclesiasticas quascunque, vel seculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negociis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, Negociorumque gestores, Aduocatos, Procuratores, & Agentes, seu etiam Auditores, vel Iudices super prædictis causis, vel negociis deputatos, *In fine capitis declaratur, An eadem excommunicatio alibi in Iure promulgata reperiatur*.

HIs verbis tria personarum genera comprehenduntur, in quarum fauorem, & gratiam lata est hęc excommunicatio. Primo loco enumerantur illi, qui ad Curiam Romanam super causis, & negocijs suis recurrunt, vel illa in eadem Curia prosequuntur, & procurant. Secundo loco qui causas aliorum apud eandem Curiam nomine illorum agunt, nempe negociorum Gestores, Aduocati. Procuratores, & Agentes. Tertio loco recensentur illi, coram quibus homini causæ, & lites tractantur, & cognoscuntur, idest Auditores, vel Iudices deputati. Ex his omnibus quemcunque præsumat quis per se, vel per alium directè, vel indirectè occidere, percutere, vel spoliare occasione dictarum causarum, & negociorum eo ipso censura huius Canonis obstringitur. Singula distinctè discutiamus.

Per se, vel per alios. Primo loco dubium occurrere videtur, An hæc clausula referenda sit ad præcedentia, & cum eis construenda, idest omnes illi, qui per se, vel per alios occidunt, percutiunt, bonis spoliant &c. vel potius sit connectenda cum sequentibus, nimirum, omnes illi, qui occidunt, percutiunt, bonis spoliant personas ecclesiasticas quascũque, vel seculares recurrentes per se per alios ad Romanam Curiam. Et licèt prima explicatio, si tantùm verba attendamus, videatur aptior, & expeditior, atque regulis Grammaticæ magis consona; secunda tamen reddit sensum clarum sine vlla superflua repetitione, & est ad mentem Summi Pontificis. Idque ostenditur primo quia eadem clausula in eodem Canone bis repetitur, nempe hoc in loco, & deinde ibi, *Seu qui per se, vel per alios directè, vel indirectè delicta huiusmodi committere &c.* Quæ refertur ad omnes cõmittentes dictas actiones prohibitas, vt probaui superiori capite: Igitur quando initio Canonis dicitur, *Omnes qui per se, vel per alios personas ecclesiasticas &c.* non potest intelligi de offendentibus, sed de ipsis personis offensis: secus enim altera superflua esset, & fieret inanis repetitio eiusdem clausulæ sine vlla necessitate. Secundo in Bullis Cœnę antiquioribus ante Gregorium xiij. semel tantùm legebatur hæc clausula in ordine ad ipsos offendentes; ideo cum posteriores Pontificis bis illam expresserint, signum est voluisse, & ad personas offendentis, & ad ipsas offensas suo modo accommodare. Tertiò quia non videtur dubium, quantum spectat ad hunc Canonem, eodem priuilegio gaudere eos, qui per se, sicut qui per alios ad Curiam Romanam recurrunt, vt inferius ostendam. Ergo optimè, & conuenienter hæc clausula de personis recurrentibus intelligi potest.

Personas ecclesiasticas quascunque. Ecclesiasticæ personæ vocantur Clerici, & Monachi, aut Religiosi: illi ordine ecclesiastico insigniti, isti spontè per professionem Religiosis Deo dicati, vtrique diuinis officijs mancipati, contemplationi, & orationi dediti, quos ab ômni strepitu tẽporalium cessare conuenit cap. Duo sunt 12. q. 1. cap. Quisquis 17. q. 4. Duo verò sunt genera Monachorum, seu Religiosorum: Alij Clerici, idest ecclesiastico ordine decorati, alij conuersi, qui mutato habitu Religionem ipsam profitentur, neque sunt ordine ecclesiastico praditi, vt tradit Couar. in cap. Alma Mater par. 2. §. 2. num. 8. & illi dicuntur propriè personæ ecclesiasticæ cap. Nõ dubium, cap. Parochianos de sent. excom. Immo vocantur quoque personæ ecclesiasticæ Templarij, Hospitalarij oblati, vt notat Glos. in cap. Quisquis ver. ecclesiasticis 17. q. 4. & eodem ver. cap. vt lex 27. q. 1. & Glos. in cap. Sciant cuncti ver. ecclesiasticas de elect. lib. 6. Quomodo verò differant conuersi ab Oblatis, & Templarijs tradit Couar. vbi supra. Hoc in loco per personas ecclesiasticas significãtur generaliter omnes expressæ, cuiuscunque status illæ fuerint, quod declarat dictio illa vniuersalis *Quascunque*, vt notat Glos. in cap. Quicunque, eodem ver. in Addit. de sent. excom. lib. 6.

Accedit, quòd cum tractetur de priuilegio concesso simpliciter personis ecclesiasticis recurrentibus ad Curiam non solùm ad inferiores, sed multò magis ad superiores in dignitate constitutas extendi debet, quia lex generaliter statuta, generaliter intelligi debet, c. Solitæ. §. fi. de maio. & obed. l. 1. §. Et generaliter. ff. de leg. præstan. etiamsi maior ratio in vna specie, quàm in alia reperiatur. l. 1. §. Quod autem. ff. de Alex. vsu, & Aleat. Dec. cons. 669. num. 3. Et quamuis sit odiosa, & pœnalis, amplectitur omnes, qui sub propria verborum significatione continentur, iuxta cap. Cum lege. ff. de Testam. Dec. in cap. Factum. §. In pœnalibus numero 12. ff. De reg. iur.

Vel Seculares. Seculares sunt Laici, qui nec ascripti sunt ministerio ecclesiastico, & diuino cultui per susceptionem ordinis ecclesiastici, nec Deo per professionem Religionis dicati, sed temporalia tractant, & populum constituunt, cap. Duo sunt. 12. q. 1. Et significantur omnes seculares, cuiuscunque gradus, & conditionis fuerint, tum quia Canon loquitur generaliter sine vlla limitatione, tum propter dictionem illam vniuersalem *Quascunque*, quæ cum in medio sit posita inter personas ecclesiasticas, & seculares, refertur eodem modo ad vtrasque: clausula enim in medio posita tam præcedentia, quàm sequentia determinat, cap. Secundo requiris, & ibi ver. Vtriusque, & Abb. numero 11. de appellat. cap. Apostolus cum Glos. ver. similem 32. quæst. 7.

Sequitur ex his verbis incurri hanc excom. quicunque christianus occidatur, percutiatur, aut spolietur & si hæreticus schismaticus excom. suspēsus, vel interdictus sit si recurrat ad Rom. Curiam occasione suarū causarum uēpe si recederet ad se purgandam ab hæresi sub ad probādum fuisse iniuste excōmunicatum &c. Quia Canō generaliter loquitur sine vlla distinctione. Immo non tantum christianus, sed & infidelis, Iudæus, aut paganus comprehenditur, sub hac clausula vniuersali si daretur casus, vt ad Curiā Rom. accederet pro sua causa, & negotio apud ipsam Curiam expediendo. Et ratio est, quia priuilegium huius Canonis concessum est fauore Curiæ non personarum, vt dixi initio Disputationis. Idem probaui de veniētibus ad Sedem Apost. in Disp. 10. cap. 2. in solut. tertiæ dubitationis.

Ad Romanam Curiā. Quibus modis accipi possit Curia Rom. & quas significationes habeat, latius pertractaui in Disp. 9. c. 3. & in Disp. 10. c. 1. In hoc Canone nomine Curiæ Rom. duplex locus intelligi dēt, nempe, & locus, vbi residet Rom. Pontifex cum Cardinalibus, Prælatis, & alijs Officialibus; Atq. etiam locus, vbi Papa absente, remanet audientia causarum, & vbi adsūt Iudices à Papa deputati à quibus causæ audiuntur, & terminantur nomine Sedis Apost. Ideirco in excōicationem huius Canonis incidet quicūq. occidet, percutit, aut spoliat quamcunq. Ecclesiasticam personam, aut secularem recurrētem super causis, & negocijs ad Curiam Rom. idest vel ad ciuitatem, & locū, vbi Sum. Pōt. residet, vel ad locū, vbi manet audiētia Papæ, siue Papa, siue eius audientia, scilicet eius Iudices & officiales commorentur Romæ, vel in alia Ciuitate, aut loco.

Hinc sequitur non incurri hanc excommunicationem, si hæc delicta committantur in personas illorum, qui ad Curias aliorum Principū tā Ecclesiasticorum, quàm Secularium recurrunt, quia in hoc Canone excōicantur solùm, qui has actiones prohibitas exercent contra recurrentes ad Rom. Curiam; ergo hoc priuilegium non est extendendum ad Curias aliorum Principum. Nulla enim Constitutio, aut dispositio includit eos, quibus verba dispositionis nō aptantur, c. Indemnitatibus. §. Ad hæc de elect. lib. 5. Quamuis impedientes, ne subditi aliorum Principum recurrant pro suis negocijs ad Curiam illorum, puniantur Iure ciuili alijs pœnis, & grauibus, vt habetur l. vni. eod. 10. cum seq. C. Vt nemo ad suum patroc. suscipiat Rust. & tradit Rebuffus in explic. Bullæ Cœnæ super art. 9. post princip. Impedientes subditos Regis Franciæ, ne ad Regem recurrant, puniri crimine læsæ Maiestatis.

Super eorum causis, & negocijs recurrentes. Quid per causas, & negocia intelligatur in hoc Canone, declaraui in c. 1. scilicet lites, & cōtrouersias, quæ in iudicio proponuntur, & discutiuntur. Ad hoc igitur, vt contrahatur hæc excom. necesse est, vt personę, quę iniuria afficiuntur, recurrant ad Curiam super dictis causis, & negocijs, non ad alium finem. Additur etiā dictio illa *Eorum*, cuius gratia videntur excludi illi, qui pro alienis causis recurrunt. Verùm licèt hac ratione non essent excommunicati, qui tales offenderent, non excusarentur tamen ab excommunicatione ex alio capite, quatenus offenderent negociorum Gestores, Procuratores, seu Agentes, sicut paulò post dicemus.

Recurrentes, Idest causarū suarū ad Cur. cognitionē quomodocunq. transmittētes, siue per seipsos deferāt proficiscentes ad Curiā, siue per alios vel per literas id faciāt: militat. n. eadē rō. Igitur vbiuis gentiū cōmoretur, qui intuitu suarum cārum, quę in Curia tractātur, occiditur, percutitur, spoliatur, erit locus excōmunic.

A Ex hoc verbo *Recurrentes*, sequitur minimè locum esse huic excommunicationi, si occidatur, vel percutiatur, aut spolietur aliquis, qui negocium tractet in Curia, si sit incola Ciuitatis, aut loci, in quo Curia Romana resideat, talis. n. propriè non dicitur recurrere.

Petrus Rebuff. in explicat. Bullæ Cœnæ super art. 9. Vers. in eadem Curia prosequentes, tenet hanc excommunicationē noua afficere eum, qui occidit, percutit, aut spoliat illum, qui non iure recurrit ad Curiā, idest vbi sine causa, & iniustè id facit. Sed hæc limitatio caret fundamento; Tum quia Canō generaliter loquitur absque vlla distinctione, & eodem modo à nobis indistinctè est intelligendus e Solitæ. §. fi. de maio. & obed. Tum etiam quia priuilegium est concessum fauore

B Curiæ Rom. non ipsorum recurrentium, vt superius dixi. Tandem, quia fieri potest, vt quis, bona fide recurrat in casu, quo probabiliter existimet iure id sibi licere, & putet bonum Ius fouere, ergo nulla assignari potest ratio, cur talis sit exclusus à priuilegio. Ad hunc enim finem recurrit ad Curiam, vt per Pontificem, aut eius officiales declaretur de iustitia causæ, & negocij, super quo controuertitur.

Ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes. Addidit hanc clausulam Summus Pontifex, vt cōplectatur omnes, quouis modo apud Curiam causas agētes. Dixerat de recurrentibus, si impediantur, ne recurrant, modo de eisdem loquitur, si postquam recursum habuerint, & in Curia commorentur, ne prosequi, aut procurare possint easdem causas apud Curiam, per-

C turbantur.

Quæret aliquis, An idem priuilegium intelligatur concessum eisdem personis recedentibus, & abeūtibus à Curia, postquam expedierunt negocia, vt si tunc temporis cum reuertuntur ad suos, occidantur, vel percutiātur, aut spolientur, incurratur hæc excōicatio. Difficultas oritur, quoniam in Canone exprimuntur tantū recurrentes ad Curiā pro causis, & prosequentes illas in eadem: nihil verò statuitur de recedentibus ab ea. Illud quoq. difficultatē auget, quòd in Canone nono, vbi Summus Pontifex agit de offendentibus venientes ad Sedem Apost. excommunicātur etiam expressis verbis illi qui iniuria afficiunt recedētes à Sede Apost. vn-

D de sumitur argumentum asserendi mentem Papæ non fuisse, priuilegium huius Canonis extēdere ad recedentes à Curia Romana, cum de recurrentibus tantum loquatur, & nihil dicat de recedentibus. Vbi vero non constat de contraria mente legislatoris, & verba sunt clara, non est recedendum à verbis. l. Ille. §. Cum in verbis. ff. de leg. 3. & in l. Non aliter eod. tit. cap. Præterea, c. fin. de verb. signif. Nam Papa si voluisset comprehendere etiam recedentes, vtique sciuisset vocabula ad id significandum accomodare, sicut fecit in Can. nono.

Nihilominus oppositum censeo probabilius, nimirum in hanc excommunicationem incidere non minus eos, qui offendunt recedentes a Curia expeditis causis, & negocijs, quam si offenderent recurrentes,

E vel manentes in ea. Ad id affirmandum moueor primo quoniam priuilegium, quod conceditur alicui veniēdi, intelligitur eo ipso concessum ad recedendum c. fin. de treg. & pa. & ibi Abb. Felin. & alij Doctores, & probaui in Disp. 10. c. 2. in solutione secundæ dubitationis. Secundo quoniam Sum. Pont. concessit hoc priuilegium recurrentibus fauore Cur. Rom. quæ omnium curam, ac patrocinium suscipere dēt. Verùm si nō consuluisset securitati illorum, qui absolutis negociis domū suā redeunt, multi retardarētur, ne ad Curiam Rom. cōfugerent cū merito vereri possent, ne recedētes ab ea mali

Lll ali-

aliqui illis hac occasione accideret; Ergo potius di- A cendum est mentē Romani Pontificis fuisse plenè prospicere recurrētibus non solū accedendo ad Curiā, sed etiam recedendo, quāuis verba id non explicent; nam mens legis magis est attēdenda, quā verba c. Marcion. 1. q. 1. in c. fi. de reg. iur. lib 6. l. cum Pater. §. dulcissimis ff. de leg. 2. & idem responderet Sum Pont. si interrogaretur iuxta Glos. singul. in l. tale pactum. §. fi. ff de pac. Tertiò verba constitutionis ita sunt interpretanda, vt nō sit otiosa, & careat suo fine iuxta c. In his de priuil. c. si Ciuitas de sent. excom. lib. 6. Verū si recurrētes ad Curiam non gauderent priuilegio huius Canonis, etiā quando recedunt ab ea vtiq. hæc cōstitutio careret fine suo, & est vt vnicuiq; tutò, & absq. vllo timore pro suis causis, & negociis ad Cur. Romanam confugere li- B ceat. Quartò quamuis in hoc Canone nulla mētio fiat de recedentibus; tamen sufficit, vt in Canone nono exprimantur huiusmodi recedētes, & ex verbis Canonis noni declaratur hic 12. Canōn, & colligitur mēs Papę. Interpretatio. n. vnius constitutionis accipienda est ex alia cōstitutione, quia Iura iuribus cōcordari debent, c. cum expediat de elect. lib. 5. Abb. in c. ad audiētiā n. 2 de deci. Quintò ēt si in Canone nono, in quo agitur de venientibus ad Sedē Apost. nullū verbum fieret de recedentibus; tamen excom. in eo Canone pronunciata contra offendētes illos, qui veniunt ad Sedē Apost. cōplecteretur ēt offendētes eosdē, quādo recedunt, quia non securè venit, qui tutò redire non potest, vt inquit Abb in c. ego N. n. 21. de iure iur. sed ad maiurē decla- C rationē vtiq. tam venientes, quàm recedentes expressi fuere, vt probaui in Disp. 10. c. 2. in solut. 2. dubitationis; ergo eodē modo hoc in loco, quāuis nihil dicatur de recedentibus, sed solùm de recurrentibus, affirmandum est priuilegium concessum esse recurrentibus ad Curiam, tā in ipso accessu, quam in recessu. Tandē ēt si fateremur in hoc Canone tantùm tractari de recurrētibus ad Curiam, non aūt de recedentibus, adhuc qui offenderet recedentem à Curia expedito negocio, non euitaret excōmunicationem Bullæ Cœnę, quia saltem obstringeretur excommunicationem Canonis noni lata contra offendentes, recedentes à Sede Apostolica.

Negociorumque Gestores, Aduocatos, Procuratores, & D *Agentes.* Hactenus dictum est de recurrentibus ad Curiam Rom. & prosequentibus in ea negocia, & causas suas; Modò agitur de his, qui defendunt apud Curiam causas, & negocia talium recurrentium, & occasione earundem causarum, & negociorum occiduntur, percutiuntur, & bonis spoliantur. Huiusmodi defensores pluribus nominibus explicantur, & omnes comprehenduntur, quouis alio nomine appellentur, vt Tutores, Curatores, Sindici, Actores, & alij similes.

Negociorumque gestores. Voluit Sum. Pont. primum accipere nomen generale, deinde apposuit magis specialia. quicunque. n. est Aduocatus in aliqua causa, pōt nuncupari negociorum gestor, sed non è contra; Idē dicēdū est de Procura. & Agēte toto tit. ff. de negoc. gest. E

Aduocatos. Aduocati olim dicebantur quicuq. amico præsentiam suā commodabant; Ita Cicero pro Cęcinna, aduocatos appellat eos, quos ad predij possessionem apprehendendam, vt eorum præsidio ab aduersarijs iniuria tutus esset, Cæcinna secum duxerat, Vlpianus verò in l. 1. vers. Aduocatos. ff. de varija extraor. cogni. Aduocatos accipiēdos, ait, *Omnes omnino qui agendis causis quoquo studio operantur*, & in hac speciali significatione dicuntur Patroni causarum. l. sancimus. C. de Aduoc. diuers. Iudic. & in l. Aduocato eod. tit. de talibus loquitur. l. nec quisquā §. obseruare. ff. de off. Procons. & l. 1. post princ. vers. Ait Prætor. ff. de postul. qui compelli possunt ad patrocinandum à Iudice, vt concludit Abb. post alios in c. 1. n 5. de off. Iud. etiā gratis si Clientulus sit pauper. Idem ibi affirmat Felin. in hoc sēsu accipitur regulariter hoc vocabulū secūdū cōem vsum loquendi, & in eodē vsurpatur ēt in hoc Canone.

Procuratores. Procurator ad lites dicitur, qui habens mandatum à Domino eiusdem causam in Iudicio defendit, l. 1. ff. de procur. & sine mandato non potest officium procuratoris exercere, quamuis possit dici negociorum gestor. l. 5 ff. de negoc. gest.

Et Agentes. Agens, seu Actor aliquando accipitur pro procuratore. l. procuratorum. C. de procurat. Aliquando pro accusatore, qui reum ad causam vocat c. forus de verb. signif. Interdum ille qui constituitur à Tutore in causa pupilli. l. si Actor. C. de appell. dicitur Actor: Nonnunquam constitutus est ab vniuersitate. l. item eorum. §. si Actor. ff. quod cuiusque vniuersitatis. In hoc Canone assumitur nomen Agentis generaliter iuxta omnes significationis dictas. Iam igitur concludamus in hāc excommunicationem incurrere omnes illos, qui præsumunt occidere, vel percutere, aut bonis spoliare non tantùm ipsosmet recurrentes super causis, & negocijs suis ad Curiam Romanā verùm etiam si audeant easdem actiones prohibitas exercere in illas personas, quæ nomine recurrentium tāquam ipsorum ministri, negociorū Gestores, Aduocati, vel quocūque alio vocabulo nuncupentur, dictas causas apud Curiam Romanam agunt, & defendunt, dummodo occasione dictarum causarum occidantur, aut percutiantur, vel spolientur, sicut dixi de recurrentibus.

Et interpretādum est hoc priuilegium in ordine ad huiusmodi personas, vt non tantum comprehendat illos negociorum gestores, qui aliunde veniunt ad Romanam Curiam, vt defendant dictas causas, sed etiam illos, qui in Curia semper degunt, & officium ibi Aduocati, vel Procuratoris exercent: nam ex ipsorum etiam læsione ipso facto incurritur hæc excommunicatio, vbicunque offendantur, vel in via, cum iter susceperint, aut in ipsa Curia, dum negocia prosequuntur, vel quando recedunt ipsis expeditis.

Sed etiam Auditores, vel Iudices super prædictis causis, vel negociis deputatos. His verbis describitur tertium genus personarum, quibus idem priuilegiū concessum est. Quare sunt excommunicati non solum qui occidunt, percutiunt, aut spoliant ipsos recurrentes ad Curiam Romanam, vel eorum Aduocatos, & Procuratores, &c. sed etiam Auditores, & Iudices, coram quibus dictæ causæ agitantur earundem causarum occasione.

Seu etiam Auditores. Auditor dicitur, cui articulus aliquis causæ committitur audiendus, & examinādus c. super quæst. §. intentionis. de off deleg. Card. in Clem. Auditor n. 4. de rescript. Auditor quoq. vocatur cui tota causa cognoscenda, & definiēda delegatur, vt dicitur in d. Clē. Auditor. Quare illa definitio auditoria tradita in dicto c. Super quæstionum non est generalis de quocunq. Auditore, sed conuenit tantùm Auditori deputato ab inferiori à Principe, vt inquit Cardin. num. 5. Vnde concludit hoc vocabulum, *Auditor*, non esse vocabulum Iuris, habens propriam, & limitatam naturam, quare duplex in genere est Auditor; Alter deputatus ab inferiore à Principe, alter verò ab ipsomet Principe constitutus, vt inquit Card. in eadem Clemen. numero 6. Primus deputatur ad media causæ, nec dicitur habere iurisdictionem, sed comparatur mero executori, & ideo habet executionem sine iurisdictione. Auditor autem electus à Principe, aut

est

est deputatus ab Imperatore, aut à Papa. De primo A loquitur. l. Præcipimus, verf. Quod si à Duce. C. de appell. vbi probatur, quòd tales Auditores Principis habent ordinariam iurisdictionem. A Papa verò quatuor modis deputantur Auditores, vnde dantur quatuor Auditores. Primus, qui dicitur Cameræ Auditor. Secundus, qui vocatur Auditor Contradictarum. De quo Host. in Sum. in princip. de off. ordi. Tertiò loco sunt sacri Palatij Auditores, qui dicuntur Auditores Rotæ. Quartus Auditor est specialis deputatus ad certam causam, quod fernatur in causis Cathedralium Ecclesiarum, & in causis maioribus, quas Papa vt plurimum committit alicui Cardinali, vt Glos. annotauit in dicta Clem. Auditor, ver. Deputatus à nobis de rescript. Quæ sit auctoritas, & iurisdictio priorum trium Auditorum, colligitur ex stilo & consuetudine Curiæ, cap. Quam graui de crim. fals. Officium autem quarti Auditoris specialis accipiendum est ex forma deputationis, quæ est attendenda, cap. Cum delecta de rescript. An autem isti Auditores sint Iudices ordinarij, vel delegati, & an possint recusari, & ex quibus causis, ad rem, de qua agimus, non opus est explicare, legendus est specul. in tit. de Auditore per totum, Io. And. & alij in cap. Solet in princ. de sent. excom. lib. Quantum verò pertinet ad hunc Canonem nomine Auditoris intelligi debet Auditor à Papa deputatus, cuiuscunque generis fuerit ex illis quatuor C enarratis, cui commissa sit cognitio causæ huiusmodi recurrentium ad Curiam Romanam.

Vel Iudices. Vt Summus Pontifex complecteretur omnes deputatos à Curia Romana ad cognoscendas & decidendas causas talium recurrentium, quãuis non essent ex numero Auditorũ, quos enumerauimus, addidit verbum illud *iudices*, id est quicunque habẽtes iurisdictionem ad cognoscendas causas, quocumque nomine appellentur. Iudex enim propriè vocatur, qui auctoritate, quã habet, cognoscit, & iudicat in rub. ff. de iurisd. omn. iud. Quamobrem quicunque offendunt aliquem ex dictis Auditoribus, vel alijs Iudicibus occidendo, percutiendo, aut spoliãdo occasione causarum quas cognoscunt, & decidunt spectantium ad recurrentes ad Curiam, excommunicatione huius Canonis remanent innodati, siue huiusmodi Auditores, & Iudices commorentur in Curia, siue extra Curiam, quoniam Romanus Pontifex solet delegare causas etiam Iudicibus extra Curiam, & hic Canõ loquitur vniuersaliter de Iudicibus sine vlla limitatione; ergo omnes comprehendit. Neque aliud addam ad explicationem verborum huius Canonis.

Superest, vt rem totam concludamus, discutere, An hæc excommunicatio sit alibi in Iure promulgata, & dicendum est eandem excommunicationem referri in Concilio Cõstansiensi sess. 15. in cap. cuius initium B est, Sacrosancta Synodus. Eiusdem etiam mentio fit in Concilio Basiliensi sess. 1. cap. quod incipit, Sacrosancta Generalis Synodus; In quibus locis eadem excommunicatio extenditur ad inuasores, seu spoliatores accedentium ad Concilium generale, vel recedentium ab eo, quod annotauit etiam Card. Iacobatius lib. 5. de concil. art. 5. vers. Sed tu adde, & in eosdem vltra censuram excommunicationis imponuntur aliæ pœnæ, id est Terræ ipsorum sic impedientium, dummodo non vltra vnam Diœcesim contineant. Similiter Ciuitates, Villæ, Castra, Oppida, & qualibet alia loca, in quibus patratores huiusmodi excessuũ, seu eorum receptatores, vel ipsis consentientes, fauentes, aut dantes auxilium, consilium, vel fauorem, publicè morantur, & loca in quibus persona huiusmodi detentæ fuere, ne venire possent ad Concilium, omnia supponuntur Ecclesiastico interdicto, & mandatur vt ipsi impedientes omnibus diebus festis pulsatis campanis, & candelis accensis denuncientur: Nec possunt absolui ab alio, quàm à Romano Pontifice præterquam in mortis articulo, nec tunc, nisi prius per eos præstita sufficienti cautione de parendo mandatis Ecclesiæ. Et iisdem pœnis afficiuntur etiam illi, qui præsumerent talibus beneficium absolutionis impendere, quibus interdicitur officium prædicationis, lectionis, administrationis Sacramentorum, ac ne valeant Confessiones audire. Hæc dicta sint de Canone duodecimo.

EXCOMMVNICATIO DECIMATERTIA.

ITEM EXCOMMVNICAMVS, ET ANATHEMATIZAMVS OMNES TAM ECCLESIASTICOS, QVAM SECVLARES, CVIVSCVNQVE DIGNITATIS &c.

DISPVTATIO XIV.

DE EXCOMMVNICATIONE CONTRA Appellantes à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum ad Laicam potestatem.



EXCOMMVNICATIO huius Canonis longiori sermone proponitur, & pluribus verbis explicatur, Summa verò omnium, quæ in hac clausula continentur, est Excommunicare, qui prætextu friuolæ appellationis à grauamine, vel fu- D tura executione literarum Apostolicarum ad Curias seculares, & laicam potestatem recurrunt in causis Ecclesiasticis ad impediendam executionem aliquarum literarum Apostolicarum quouis modo à prædicta Sede emanantium. Quæ excommunicatio habetur in Iure in cap. Quoniam De Immunit. Eccles. lib. 6. Hic verò amplificatur tam ex parte personarum offendentium Sedem Apostolicam, quàm ex parte literarum, quarum occasione accidit offensio, & etiam ex parte actionum, quibus talis offensio fieri potest; Idcirco habet multas partes & distinctiones.

Materia igitur huius excommunicationis est sacrilegium, quo offenditur auctoritas Sedis Apostolicę ob retardationem executionis literarum Apost. aut suorum processuum, & aliorum prouisionum, Iudicialium ab ipso Summo Pontifice, vel eius Iudicibus emanatarum. Quoad personas offendentes est vniuersalis, comprehendens tam ecclesiasticas, quàm seculares cuiusque dignitatis. Actiones principales, quæ prohibentur, multæ sunt, & diuersæ varijs quoque modis amplificatæ. Prima est recurrere ad Curiam secularem, & laicam potestatem aliquo friuolo prætextu appellationis, quam aliqui sibi fingunt ad eum finem, vt impediant executionem quarūcunque literarū Sedis Apost. etiam in forma breuis concernentium, vel gratiā, vel iustitiā, nec non citationum, Inhibitionum &c. & facere ob eundem finem, instante etiam fisci Procuratore, vt prædicta appellatio admittatur, & procurare, vt dictæ literæ Apostolicæ, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia enarrata, capiantur, & retineantur. Secunda, impedire eadem, ne simpliciter, vel saltem sine ipsorummet Iudicum secularium, beneplacito, & consensu, vel examine executioni mandentur. Tertia prohibere, ne Tabelliones, & Notarij super eiusmodi literarum, & processuum executione Instrumenta, vel acta conficiant, aut confecta ne parti, cuius interest, tradere debeant. Quarta actio generica, quæ multas habet partes, & distinctiones, est capere, percutere, vulnerare, carcerare, detinere, ex Ciuitatibus, locis, & Regnis eijcere, bonis spoliare, perterrefacere, timorem concutere, comminari per se, vel alium, seu alios, publicè, vel occultè, parti, vel eius Agentibus, Notarijs, Executoribus, & Subexecutoribus literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum. Quinta actio generalis continens quoq. plures partes, est directè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mādare quibuscunq. personis in genere, vel in specie, ne pro quibusuis eorum negocijs prosequēdis, seu gratijs, vel literis impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, vel ne impetratis vtantur. Sexta, & vltima actio est præsumptuosè penes se retinere, aut per Notarios seu Tabelliones, vel alias quomodolibet dictas gratias, seu literas à Sede Apost. impetratas. Hæc omnia in hoc Canone prohibentur sub censura excommunicationis. Eiusdem excommunicationis meminit Sylue. excommunicatio 7.§.71. & Caiet. in Sum. ver. Excom.cap.27. Quæ tamen tunc temporis non extendebatur ad omnes illas actiones & varios modos quos legimus expressos in posterioribus Bullis. In Bulla Greg.xiij. inter alia, quæ continentur in sexta actione prohibita, post illa verba *Excommunicantur per se, vel alium, seu alios, publice, vel occultè, adduntur hæc, seu capi, carcerari, detineri, vulnerari, minisque agitari faciunt*, quæ non leguntur in Bulla Sixti Quinti, nec in alijs Bullis Pontificum, qui deinde successerunt, sed accedamus ad explicationem singularium actionum, quæ prohibentur.

CAPVT I.

De prima actione prohibita bis verbis expressa, nempe Omnes tam Ecclesiasticos, quàm Seculares cuiuscunque diguitatis &c. *Vsque ad illa*, & alia prædicta capi, & retineri faciunt.

PRimo loco excōmunicationis vinculo obstringuntur, qui prætextu friuolę appellationis à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum, & à citationibus, & alijs prouisionibus, quæ ab Apostolica Sede, vel eius Iudicibus, & Officialibus proficiscuntur, ad Curias Seculares, vel Laicas potestatem, quacunque ratione recurrunt, & efficiunt, vt huiusmodi appellationes per dictos Iudices Seculares admittātur & recipiantur, ac literæ executioni non mandentur, seu capiantur, & retineantur.

Omnes tam Ecclesiasticos, quàm Seculares cuiuscunque dignitatis. In Bulla Greg. xiij. hæc cēsura cōnectebatur cum præcedenti, Sixtus Quintus partitus est in duos Canones, In Bullis Antiquioribus Pauli Tertii, Clemētis Septimi, & aliorum Pontificum excōmunicabantur simpliciter omnes absq. vlla additione. Quare dubitari poterat, an comprehenderentur omnes tā Ecclesiastici, quàm Laici, tam habentes auctoritatem iudiciariam, quàm priuatæ personę. Tollitur hæc ambiguitas ex his verbis. Nam Summus Pontifex voluit excōmunicare quoscunque tam Ecclesiasticos, quàm Laicos Iudices præsumentes attentare ea omnia, quæ in hoc Canone interdicuntur; Idcirco si Prælatus Ecclesiasticus etiā auctoritate Ecclesiastica talia prohibita præsumpserit, excommunicationis vinculo innodatus erit & eandem excommunicationem incurrit quoq. priuata persona, si eadē efficere, aut procurare ausus fuerit, quāuis careat omni iurisdictione, si solùm se immiscuerit, vt dicta impedimenta, quæ in Canone prohibentur à Superioribus, apponantur. Ita sentit Nauar. in Man. cap.27.n.68.vers. Quinta quod non est necesse. Quod enim hæc excommunicatio incurratur à priuata persona, apparet ex hac prima actione de qua in hoc capite agimus de illis, qui procurant, vt Superiores admittāt appellationes, & impedimenta ad retardandam executionē literarum Apostolicarum, & aliorū decretorum Sedis Apost. similiter idem dicendum est de Iudice Ecclesiastico, qui auctoritate ecclesiastica eadem impedimenta afferat aduersus easdem literas, & decreta Apostolica. Nulla enim ratio persuadere potest, cur excusari debeat ab hac excōmunicatione Prælatus ecclesiasticus, si impediat, ne literæ Apostolicæ per aliquem impetratæ sine ipsius consensu executioni tradantur, vel si prohibeat, ne Notarius super illarum executione instrumentum conficiat, vel si partem, aut Notarium in carcerem conijciat, vel alia prohibita contra dispositionem huius Canonis præsumat. Quamobrē omnes comprehēduntur tam Ecclesiastici, quàm Laici, tā publicæ personæ habentes iurisdictionē, vt Iudices quàm priuatæ, sicut indicat dictio *Illa omnes*, quæ neminē excludit. l. Iulianus in princ.ff.de leg.3.& cum lex sit generalis, debet generaliter intelligi, c. Si Romanorum distinct.19. l. de precio. ff. de pub. in rem act. Et quoniam ex numero hominum vtriusque ordinis, scilicet Ecclesiastici, & Secularis alii sunt maioris dignitatis,

gradus

gradus, & præeminentiæ, alij inferioris status, & minoris auctoritatis, vt ostenderet Romanos Pontifex de omnibus intelligere sine vlla exceptione, addidit, *Cuiuscunque dignitatis*, Ergo comprehenduntur omnes, quantumuis excellenti gradus, & auctoritatis honore præfulgeant, vt patet ex dictione illa *Cuiuscunque*, vt notat Glos. in cap. Quicunque ver. Quicunque de senten. excom. & Glos. in Clem. 1. ver. Quibuscunque de Iudi. & ibi Card. num. primo, & probaui in Disp. 12. cap. primo. Quis verò vocetur Ecclesiasticus, aut secularis, declaraui in præcedenti Disp. cap. 3. non est, quòd modò in eo immorer. Sic igitur explicata remanet hæc prima particula initio Canonis posita, quæ intelligitur repetita in omnibus partibus eiusdem, clausula enim in principio constitutionis posita ad omnia, quæ sequuntur, relationem habet vsque ad finem, quando militat eadem ratio, cap. secundò requiris, & ibi Glos. ver. Vtriusque Iuris, & Abb. num. 11. de appella. Quare quæcunque actionem ex prohibitis in hoc Canone committat Ecclesiasticus, seu secularis Iudex, aut priuatus, incidit in hanc excommunicationem.

Qui prætextẽs friuolam quandam appellationem à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, tam gratiam, quàm iustitiam concernentium. Prima actio prohibita continet plures modos, quibus illa committi potest, & quocunque modo ex illis contingat fieri, excõmunicatio incurritur. Primus modus significatur verbis propositis, quãdo quis prætextu friuolæ appellationis, ad impediẽdã executionem literarum Apost. recurrit ad Curias seculares.

Qui prætexentes friuolam quandam appellationem. Illi prætexunt friuolam appellationem, qui illam velãt, afferendo causam aliquam nõ veram, & talis vana est, & iniqua appellatio, c. Cũ appellationibus friuolis de appell. lib. 6. Quæ repudianda, & reijcienda est, vt ibi dicitur, & notat Abb. in c. fi. n. 18. de iur. calum. & in c. Inter Monasterium n. 15. de re iudi. Nam appellatio fuit inuenta ad præsidium innocentiæ, non autem, vt defenderetur malitia appellantis, c. Suggestũ, & c. Ad nostrã de appell. dicitur etiam friuola appellatio, quãdo est à superiori ad inferiorem, quia legitima, & vera appellatio definitur à Iulio Papa, c. Placuit 2. q. 6. vt sit à minore Iudice ad superiorẽ prouocatio. Quamobrẽ si quis à decretis Papæ ad Curiam seculare appellat, inaniter & iniquè appellat, quia talis appellatio est à superiore ad inferiorem Vbi. n. sentit quis se grauatum ex literis Apostolicis, seu ex decreto Papæ, ad eundem recurrere debet. c. Meminimus, c. Ad hæc 2. de appell. Illud quoq. est animaduertendum Sum. Pontificem in loco voce appellationis significare velle oẽm modũ, quo quis solet ad curias seculares cõfugere, siue id faciat per appellationẽ, siue per recursũ, aut supplicationẽ, aut inuocãdo bracchiũ seculare, vel quouis alio modo: sẽper. n. incurritur excommunicatio, tum quia nulla assignari potest ratio diuersitatis, tum etiam qui id probare videtur dictio illa, *Aut alias* circa finem huius primæ actionis positæ, id est alio casu, vel alio quocunque modo. l. Qui testamento. §. Mulier. ff. de testam. l. 1. §. Siue autem intra Vrbem inncta Glos. in ver. Alias. ff. de aqua quoti. & Aest. Tiraq. de ver. retract. par. 1. glo. 6. §. 8. in ver. Aultremen. Quare sensus verborum erit, qui prætextu friuolæ appellationis, aut alias quocunque alio modo ad Curias seculares recurrunt.

A grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis tam gratiã, quàm iustitiam concernentium. Exprimitur modò causa, propter quam

A ad Curias seculares recurrunt, nempe quia dicunt gra uatos esse ex literis, seu decretis Papæ, & à tali grauamine appellant, vel à futura executione dictarum literarum.

Duæ sunt species literarum Apostolicarum. Aliæ enim dicuntur Bullæ quia muniũtur sigillo plũbeo ad figurã Bullæ, quibus primò, & principaliter cõuenit nomẽ literarũ, Aliæ sunt literæ in forma Breuis, & æquiparantur Bullis, eandemq. vim habent, sicut Bullæ, & operãtur eundẽ effectũ. De vtraq. specie literarũ Apostolicarũ de forma in illis conscriben. de similitudine, & differentia earũ satis tractaui in 1. Disp. c. 1. Verùm quia aliqui Doctores, vt in eod. c. 1. dixi existimarunt nomine literarũ Apost. non debere intelligi literas cõ-

B scriptas, & signatas in forma Breuis, meritò Sum. Pontifex, vt redderet Canonẽ perspicuum, & clarum, & tolleret oẽm dubitationẽ, præsertim cum contineat cẽsuram excõicationis, non fuit contentus vti nomine literarum Apostolicarum, sed addidit etiam in formæ *Breuis*. Idem seruauit in Canone septimo agens de falsantibus literas Apost. & ob eandem rõnem etiam adiunxit aliam clausulam nempe, *Tam gratiam, quàm iustitiam concernentium*, quia literarum Apost. aliæ continent gratiam, vt quando Papa concedit, vel mandat conferri beneficium, cap. Gratia de rescript. lib. 6. Aliæ continent iustitiam, quales sunt, quæ impetrantur ad lites, Doctores in c. Super literis &c. Postulasti de rescript. & dixi latius in Disp. 7. c. 1. Quamobrẽ quicunq.

C vel per appellationẽ, vel alio quocunq. titulo recurrit ad Iudices, & Officiales seculares, vt impediat, ne pars exequi possit literas Papæ, siue sint expeditæ per modũ Bullarũ siue in forma Breuis, vel cõtineant gratiã, vel iustitiam, remanet vinculo excõicationis innodatus.

Nec non Citationum, Inhibitionum, Sequestrorum, Monitoriorum, Processuum, Executorialium, vel aliorum decretorum. Prædicta prohibitio amplificatur, & extenditur ad alias prouisiones, quæ non vocantur literæ, neq. sub nomine literarum Apostolicarum comprehendun tur, quarum tamen executio si impediatur, excõicatio contrahitur eodem modo, sicut ex impedimento literarum, singula verò describuntur suis vocalibus.

D *Nec non Citationum.* Citationem definit Alciatus in rubr. C. de in ius vocan. Actionum instituendarũ principium, potest quoque definiri in ius vocatio per l. 1. ff. de in ius vocan. Citationum autem varia sunt genera secũdùm Doctores, vt videre est apud Bart. in tract. Quibus casibus citatio non valet. Citari dicitur quis, cum per Præconem vocatur. l. Diuus Antoninus. ff. de restit. in integr. l. Et post Edictum 73. ff. de iudi. Quintil. lib. 6. cap. 5. *In publicis certè iudiciis vox illa Præconis præter Patronos ipsum, qui egerit, citat*, Et Suet. in Tib. cap. 2. *Citatum pro Tribunali voce Præconis conuitiatorem rapi iussit*, Edicto etiam citatus quis dicitur l. Senatus 15. ff. de iur. fisci, Clem. 1. de iudi. Et hic modus citandi seruatur, si per eam, qui citaudus est, acci-

E dit, quo minus citari possit, vel si ad eum nõ pateat tutus accessus, vt habetur in dicta Clem. 1. Regulariter citatur quis per Nuncium, vel per schedulam specialiter cap. fin. de elect. lib. 6. Card. in ead. Clem. 1. num. 10. Hinc in loco censeo Summum Põtificem intelligere de omni genere Citationum vniuersaliter, quia generaliter loquitur sine vlla limitatione; ergo locus erit excõmunicationi, quotiescunque quis ad Curiã secularem con fugit vt impediat, ne citatio cuiuscunque generis emanata à Sede Apostolica executioni mãdetur.

Inhibitionum. Inhibitio est mandatum Iudicis, & Superioris, quo prohibetur alicui, ne aliquid faciat vel vt

desistat ab incepto, & ideo impedit ea, quæ sunt facti, non quæ iuris sunt, vt eleganter scribit Oldrad. cons. 136. incip. Quod ex productis, idest prohibet solùm ea, quæ de facto fiunt, non autem, quæ iuris sunt, & de iure fiunt, citat Innoc. in cap. Veniens de præscript. Itaque qui facit, vt inhibitio à Sede Apostolica emanata per Iudicem secularem retardetur; & illius executio prohibeatur, in excommunicationem incidit.

Sequestrorum. Sequester dicitur, apud quem plures rem, de qua cõtrouersia est deponunt. l. Sequester 109. ff. de verb. signif. & l. 5. 6. 7. ff. depo. Ab eo autem sequester dictus, quod occurrenti, aut quasi sequẽti eos, qui contendunt committitur, aut quòd eius fidem, qui deponunt, sequantur, vt Gell. lib. 20. cap. 1. scribit; Iude in sequestre deponere. l. penul. ff. depo. Et sequestraria actio, quæ aduersus, sequestrem datur. l. Si in Asia. §. Cum sequestro. ff. depos. Vbi notat Glos. esse secundæ declinationis, & in quarto casu facere sequestrum, & interdum reperiri in tertia declinatione, & in Accusatiuo sequestrem dici debere. Et sequestratio, quę est depositio rei, de qua contenditur inter partes penes Tertium, quæ duobus modis contingere potest, scilicet consensu ipsarum partium, & dicitur voluntaria, & auctoritate Iudicis, quæ vocatur necessaria, vt tradit Abb. in cap. Dilectus num. 11. & seq. de sequestr. poss. & hæc necessaria sequestratio facta auctoritate Iudicis alicuius Romanæ curiæ ex descriptis in hoc Canone, de quibus paulo post dicam, significatur hoc in loco nomine sequestrorum.

Monitoriorum. Monitoria, seu literæ Monitoriales, quarum mentio fit in cap. Capitulum Sanctæ Crucis de rescript. & in cap. Venerabilis de præben. sunt monita quædam ab ordinario Iudice ad instantiam partis absque causæ cognitione alicui facta cum clausula: Si quis senserit se grauatum &c. & per simplicem comparationem ipsius monita debilitantur, & reducuntur ad naturam simplicis citationis. Aliquando verò decernuntur causa cognita, sed hæc propriè non sunt Monitoria, sed quædam præcepta, seu mandata. Hæc omnia probantur per Cyn. l. Quoties. C. de fideicom. Bart. in l. Filiusfam. §. Diui. in fi. & ibi Ias. in prima lect. num. 115. & in 2. lect. nu. 5. & 157. ff. de leg. 1. latè per Aretin. in §. Curare col. penult. vers. Quid dicendum de eo, quod Iudices, Instit. de actio. Ruy. consil. 59. ante num. 6. vol. 5. Paris. cons. 113. incip. Monitorium emanatum ab Auditore Cameræ in princip. vol. 4.

Processum. Processus dicitur ordo legitimus, secundùm quem controuersiæ causarum cognitæ definiuntur. Hinc processus dicitur scriptura, in qua vniuersa Iudicii acta per publicam personam fideliter conscripta continentur, cap. Quoniam contra falsam de probat. & in hac significatione accipitur hoc in loco.

Executorialium. Executoriales literæ appellantur, quibus committitur alteri aliquid exequendum, quarum mentio fit in cap. Venerabilis De præben. nempe quando mandatur alicui, vt exequatur sententiam, vt det alicui possessionem, remoto quolibet illicito detentore, vt prouideat alteri de beneficio, vt eligat, & tandem quando quis constituitur executor ad actum aliquem faciendum à Sede Apostolica, vel eius officialibus nominatis in hoc Canone.

Et aliorum decretorum. Decretum accipi potest in propria significatione, atque etiam in latiori, vt aqud specul. in tit. de primo, & secundo decreto in princ. Si propriè sumatur, illud dicitur, quod causa cognita statuitur à Iudice, & pronunciatur. l. 1. ff. de off. assess. l.

A Nec quicquam. §. Vbi decretum. ff. de off. Procons. l. 3. ff. de minor. Quare decretum est quædam sententia, qua decreuit Iudex actum esse iustum, auctoritatem suam interponendo, & approbando, vt cum declarat quempiam in possessionem mittẽdum esse, vel alimenta alicui decernit, vel similia facit: Et non debet interponi sine causæ cognitione. l. Si finita. §. Iulianus, & §. Si fortè. ff. de dam. infec. & in scriptis pronunciandum est. l. §. C. de senten. ex periculo recitan. Si autem accipiatur in ampliori significatione, dicitur etiam decretum omne id, quod statutum est à Summo Pontifice. Hinc appellatur liber decretorum Doctor decretorum. Aliquando dicitur auctoritas, vt cum asserimus contractus Minorum, & Mulierum non posse B celebrari sine decreto Iudicis, idest non tenere, nisi Iudice præsente, & auctoritatem suam interponente. l. 1. C. de præd. Mino. Interdum decretum sumitur pro diffinitiua sententia. l. decreta. ff. de re iudi. Constitutiones etiam dicuntur decreta, cap. Ne innitaris, vbi Glos. ver. decretis, de Constitut. Multa etiam alia, quę per Iudicem expediuntur, dici possunt decreta, quia valde decernuntur, & cum causæ cognitione fiũt. Summus Pontifex in hoc Canone nomen decretorum vsurpauit generaliter, vt intelligeret omne id, quod decernitur, & statuitur à Romano Pontifice, & Sede Apostolica, & eius Officialibus, de quibus mox pertractabimus, quod contineri minimè posset sub nomine citationum, inhibitionum, & aliarum prouisionum, de C quibus sigillatim dixi.

A nobis, & à Sede prædicta, seu Legatis, Nunciis, Præsidentibus Palatij nostri, & Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Iudicibus, & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint.

Summus Pontifex hactenus enarrauit distinctè ex quarum prouisionum retardatione incurrat quis excommunicationem, si ad Curiam secularem cõfugiat, vt eius auctoritate illarum executio impediatur. Verùm cum à diuersis Iudicibus eædem prouisiones emanari possint: ideo modò declarat, qui sint illi, quorum literæ, citationes, inhibitiones, & alia descripta impedire debent, ne executioni mandentur ad incurrẽdam excommunicationem huius Canonis.

D *A nobis, & à Sede prædicta*. A nobis, idest Paulo Quinto Summo Pontifice, qui hoc tempore in Cathedra Petri sedit, & hanc Bullam Cœnæ, quam explicauimus, edidit: *A Sede prædicta*, intelligit alios Summos Pontifices antecessores, vel successores, à quibus emanatæ essent, vel emanarentur literæ, & aliæ prouisiones superius enarratæ.

Hoc in loco posset quis quærere, An sub hac particula *A Sede prædicta*, idest Apostolica, comprehendantur Cardinales, ita vt afficiantur excommunicatione huius Canoni illi, qui ad impediẽdum literas, vel alias E prouisiones, & decreta à Collegio Cardinalium emanata, ad Curias seculares recurrerent. Nam alij Iudices, & officiales distinctè exprimuntur, de Cardinalibus nulla fit mentio.

Respondeo, Per Sedẽ Apostolicam significari etiam Collegium Cardinalium, & id probari potest, primò quia Cardinales dicuntur pars corporis Summi Pontificis, Glos. in cap. Excommunicatis ver. Mittuntur ante med. ibi, Illi verò mittuntur, & infra vers. Propriè dicuntur missi de off. lega. Host. & Io. And. in c. Antiqua de priuileg. Anchar. cons. 295. incipit; Pro clariori, ergo intelliguntur nomine Sedis Apostolicæ. Secundo quia per mortem Romani Pontificis Sedes non moritur, sed remanet, & durat, vt notat Glos. in Extrauag.

extrauag. Execrabilis, inter communes Ver. Sedi Apostolicæ de præben. & habetur in c. 51. Gratiose de rescript. lib. 6. ergo conseruatur Sedes Apostolica in Cardinalibus. Tertio Cardinales cum Papa constituunt Ecclesiam Romanam, vt tradit Abb. ex sententia Io. And. in cap. Ego N. num. 1. de Iu. Iur. Quare Episcopus iurans fidelitatem Ecclesiæ Romanæ & Papæ ac successoribus eius obligat se non tantum ipsi Papæ, sed Collegio Cardinalium: Quarto, non est verisimile Papam voluisse huiusmodi priuilegium & prærogatiuam tradere rescriptis & decretis prouenientibus ab officialibus & Iudicibus Inferioribus Sedis Apostolicæ, quo carerent decreta emanata à Collegio Cardinalium, quorum maior est dignitas omni alia, quæcunque illa sit, præsertim quia faciunt vnum corpus cum Papa. Host. in cap. Dilectus 1. de præben. Idcirco dicendum est Collegium Cardinalium contineri sub illa clausula, *A Sede prædicta*.

Seu Legatis, Nuncijs &c. Quis dicatur Legatus & Nuncius & de varijs generibus Legatorum, tractaui in Disp. 12. cap. 2.

Præsidentibus Palatij nostri & Cameræ Apostolicæ. Præsidentes Palatij, & Cameræ Apostolicæ sunt, qui vocantur hodie Clerici Cameræ Apostolicæ, & alij officiales constituentes idem Tribunal.

Auditoribus. Auditorum sunt quatuor genera, vt declaraui in Disp. præcedenti cap. 3.

Commissarijs, Commissarij nomen est generale & vocatur is, cui aliquid agendum committitur. Tandem, vt cõplectatur omnes officiales & Iudices quoscunque à Sede Apostolica deputatos, addidit clausulam generalem, *alijsque Iudicibus, & Delegatis Apostolicis*, quod etiam ostendit illa dictio illa, *Aliis*, cap. Cum non ab homine, ibi, *Seu alio crimine*, de Iudi. cap. Sedis & ibi omnes Doctores de rescript. Ex quibus verbis constat etiam Summum Pontificem non solum intelligere velle de Iudicibus, qui apud Romanam Curiam resident, & ibi iurisdictionem exercent, sed de alijs Delegatis ab eadem Sede Apostolica extra Curiam, quoniam verba sunt generalia sine vlla limitatione.

Hinc sequitur non obstringi vinculo huius excommunicationis illum, qui ad Curia seculares recurreret, & peteret admitti appellationem à sententia & decreto lato ab Episcopo, Vicario, & alio Prælato, quia agitur in hoc Canone solum de litteris & prouisionibus Sedis Apostolicis & eius officialium, ergo ex his ad alios inferre non licet.

Aut alias ad Curias seculares & laicam potestatem recurrunt. De varijs significationibus Curiæ dixi latius in Disp. 9. cap. 3. Quantum spectat ad hunc Canonem, Curia secularis accipitur pro ipso Tribunali, vel pro ipsomet Iudice, qui nomine Principis laici ius dicit eius subditis, & iustitiam administrat, coram quo tractantur causæ seculares & prophanæ, & ad eũ non spectat cognitio de rebus spiritualibus, nec personarum Ecclesiasticarum, cap. si Iudex de sent. excom. lib. 6. Quæ vero sint causæ, quæ pertinent ad Ecclesiasticum forum, narrat Glos. in cap. Cum sit Ver. Malefactores, & in cap. Licet Ver. Vacante Imperio, & in c. Ex tenore Ver. Ecclesiasticum Iudicem de fo. compet. Quotiescunque igitur ad hos Iudices seculares & laicos recurritur, & impeditur executio literarum, & quorumcunque Decretorum à Sede Apostolica, vel eius officialibus, & Iudicibus emanatorum, locus est huic excommunicationi. Et id verum est non solum si prouisiones dictæ à Sede Apostolica & eius Iudicibus emanatæ sint Ecclesiasticæ & spirituales, sed etiam seculares & prophanæ, quia verba sunt generalia. Et idem est dicendum, quamuis Iudices laici, ad quos recurritur, sint in Terris Ecclesiæ ab ipsomet Papa & Sede Apostolica deputati, quia eadem subest ratio, & Canon vniuersaliter loquitur sine vlla distinctione in omnibus his casibus excommunicatio contrahitur, nisi probabilis ignorantia excuset à peccato, quæ in foro exteriori regulariter non præsumitur. Ex quibus infertur non innodari excommunicatione illum, qui ad retardandam executionem recurreret ad Iudices Ecclesiasticos, quia Bulla prohibet simpliciter recursum ad Curias seculares, licet Iudex Ecclesiasticus non excusaretur ab excommunicatione, qui executionem impediret, vt dixi initio Capitis, & monebo etiam in sequenti capite.

Et ab ea instante etiam Fisci Procuratore, vel Aduocato appellationes huiusmodi admitti. Notum est omnibus, quis dicatur Procurator & Aduocatus, & explicaui hæc nomina in Disp. præcedenti cap. 3. Summus Pontifex pronunciat excommunicationem non solum in eos, qui recurrunt per se ipsos ad Curias seculares, & ab illis obtinent admitti appellationem, quam interposuerunt ad impediendam executionem dictarum literarum & prouisionum, sed etiam in illos, qui immediatè non appellant, sed confugiunt ad Aduocatum siue Procuratorem Fisci Curiæ secularis, & eius opera vtuntur ad retardandam dictam executionem, nempe vt ipse compareat, & appellet & procuret appellationem admitti. Appellationem vero admitti, vel recipi, quæ duo idem valent, l. Non tantum ff. de appell. l. Si quis filio §. Hi autem omnes ff. de Iniusto rapto hoc significant quod nos deferre appellationem dicimus, cui contrarium est repudiare, vel reijcere appellationem l. 3. C. de Appella.

Ac literas, citationes &c. capi & retineri faciunt. Non solum excommunicantur illi, qui appellant, & appellationem admitti procurant, verum illi etiam, qui, omissa via appellationis, instant apud dictas Curias seculares, vt literæ Apostolicæ, citationes, & alia, de quibus tractatum est, emanata à Iudicibus Sedis Apostolicæ, capiantur & retineantur.

CAPVT II.

De duabus alijs actionibus prohibitis, Quiue illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, *vsque ad ea*, impediunt vel prohibent.

IN hac Canonis parte comprehenduntur duæ aliæ actiones in ordine ad ipsas Curias seculares, idest Principes, vel Magistratus, aut Iudices laicos, scilicet prohibere & impedire, ne literæ Apostolicæ, & alia prædicta executioni tradantur, sine beneplacito, consensu, vel examine ipsorum, vel secundo impedire, ne Notarij super executione earundem literarum & processuum instrumenta conficiant, aut confecta Parti tradant.

Quiue illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni demandari. Quicunque igitur Magistratus, seu Iudex laicus, vel Ecclesiasticus impediat quacunque ratione, ne literæ & alia prædicta executioni demandentur, incidit in excommunicationem, quia excommunicantur omnes tam Ecclesiastici, quam seculares, vt habetur initio Canonis, qui aliquam ex actionibus prohibitis commiserint, quamuis enim occasio feriendi excommunicationis gladio taliter delinquentes fortasse fuerit temera-

mera-

meraria præsumptio Tribunalium secularium impediendi huiusmodi executiones, tamen excommunicatio generaliter fertur contra omnes tam laicos, quam Ecclesiasticos.

Immo extat etiam Bulla Leon. X. ex Cal. Martij Anno 1518. Pontificatus sui sexto edita, habetur in Bullario & refertur etiam per Rebuffum in explic. Bullæ Cœnæ super Art. 9. Qua Leo X. Motu proprio & ex certa scientia innouans constitutionem Bonifacij Noni contra impedientes executionem literarum Apostolicarum statuit & mandat, Patriarchis, Archiepiscopis, Primatibus, Episcopis, & alijs Prælatis, ac personis Ecclesiasticis sub excommunicationis pœna, ac Communitatibus, Ciuitatibus, & Vniuersitatibus sub Interdicti censura, quas eo ipso, si contrafecerint, absque alia declaratione incurrant, & à quibus, non nisi à Romano Pontifice, præterquam in Mortis articulo, & debita satisfactione præmissa absolui, & Interdicti relaxationem obtinere possint, ne Iudices & executores literarum Apostolicarum, ac Notarios & Tabelliones super his requisitos, quominus literas Apostolicas exequi valeant, quoquo modo impedire præsumant, ac eos, qui executionem literarum huiusmodi impedientibus auxilium, consilium, vel fauorem quouis modo, directe vel indirecte, publice vel occulte præstare præsumpserint, etiam si Patriarchali, Archiepiscopali, Primatiali, Episcopali, & quauis alia Ecclesiastica, vel mundana, etiam Imperiali, Regali, Reginali, aut Ducali, vel alia præfulgeant dignitate, eidem excommunicationis sententiæ, à qua non nisi, vt præfertur, absolui possint, subiacere, declarat. Addens quoque alias pœnas, vt videre est apud dictam Constitutionem Leonis X. Non est igitur dubitandū, quòd hæc excommunicatio Bullæ afficiat personas Ecclesiasticas contrafacientes.

Simpliciter, vel sine eorum beneplacito &c. Simpliciter prohibere dicitur executionem, qui impedit generaliter sine vlla conditione & clausula, ne literæ executioni tradantur, l. Meuius 68. §. Duobus ff. de leg. 2. l. Marcellus §. Quidā literis ff. Ad Sena. Consult. Trebell. l. quotiens Tutor §. vlt. ff. de administr. tuto. cap. Religiosus §. sane, vbi Glo. Ver. simpliciter de testam. lib. 6. Quando vero prohibetur, ne prædicta executioni dentur, nisi antea visa fuerint & diligenter examinata per Magistratus & Iudices, siue seculares, siue Ecclesiasticos, eorumq; consensu seu beneplacito expresse habito, tunc dicitur prohiberi & impediri secundum quid, non simpliciter, & vtroque modo incurritur excommunicatio.

Notandum tamen est primo ad incurrendam hanc excommunicationem non requiri, vt illa tria, scilicet beneplacitum, consensus, & examen simul concurrāt, sed satis esse, vt aliquid horum trium interueniat seorsum. Nam Bulla loquitur disiunctiue, & quodlibet horum æque offendit Sedem Apostolicam, licet illa tria verba quasi idem significent: nam cōsensus idem est quod placitum l. 1. post princ. ibi, *in idem placitum & consensus* ff. de Pactis, & l. Consensus in princ. iunctis his, quæ tradit ibi Glos. in Ver. Cōsentire in princ. ff. de actio. & oblig. B. Tho. 2. 2. q. 15. art. 1. ad 3. videtur ponere differentiam inter Consentire, & Assentire; Vt assentire sit quasi ad aliud sentire, & sic distantiam inferat ad id, cui assentitur, sed consentire sit simol sentire, & sic coniunctionem ponat ad id cui assentitur.

Quomodo autem differant inter se consensus, & auctoritas & decretum, docet Innoc. in cap. Dudum nu.

A 3. Vers. Et nota quod aliud est Decretum de reb. Eccles. non alien. lib. 6. examen vero est Ponderatio, & exacta discussio rei, quæ præcedit ipsum consensum.

Notandum est, secundo his verbis non prohiberi, ne Princeps, vel Magistratus examinent literas Apostolicas, sed solum ne impediant vel prohibeant illarum executionem sine eorum consensu, vel beneplacito, vel examine. Quare si petatur illorum consensus ad maiorem auctoritatem & robur præstandum literis apud Populum, vel ob alium similem effectum, licet Principi & Magistratibus subscribere, Placet, fiat, exequatur, & similia, dummodo illarum literarum executionem ipsi hac ratione non retardent.

Postulabit quis, an ad incurrendam excommunicationem
B necesse sit directe & expresse prohibere & impedire huiusmodi executionem, an sufficiat quodcunque impedimentum, etiam indirecte illatum, vt si quis prohiberet executorem, cui commissa est executio literarum, ingredi Ciuitatem & locum, vbi executio est facienda, respondeo locum esse excommunicationi siue directe siue indirecte quis impediat & prohibeat, tum quia Papa generaliter loquitur, tum etiā quoniam in Bulla, quā citaui Leonis Decimi expressè excommunicantur, qui talia directe vel indirecte attentare præsumunt, siue id faciant vt publicæ personæ auctoritate officij, quo funguntur, siue vt priuatæ de facto resistentes & recusantes, ne literæ executioni tradantur, vt dixi in 1. cap. ex sententia Nauar.

C Rursus proponendæ sunt nonnullæ dubitationes de hac actione tertio loco prohibita.

Et primo dubitari potest, an si pars, contra quam emanata sunt huiusmodi Rescripta Apostolica, vel aliæ prædictę literæ, citationes, & similia, recuset illis obedire, etiam si non impetrauerint consensum Magistratuum, vel Principum hoc solo titulo & colore, quòd executio super his obtenta sit nulla, incidat in hunc Canonem.

Respondeo, & dico primo. Quod iste casus non solet vsu venire, quia nullus audet hæc intimare parti, nisi obtinuerit prius consensum Principis & Magistratus, immo neque præsumit vti literis, quæ non sunt impetratæ contra alios, sed solam gratiam continent
D in proprium fauorem & commodum ante obtentum consensum Superiorum.

Dico secundo posito hoc casu, puto probabiliter censuram non incurri. Ratio huius dicti est, quia tales recusantes eo modo obedire literis Apostolicis, proprie non dicūtur ad Curias seculares & laicas recurrere, & earum consensum procurare, quod in Bulla interdicitur, & eadem ratione neque illi, qui consensum Principum petunt. posito quòd Principes nolint quicquam mandari executioni sine eorum beneplacito censura obstringi censerem. Maximè quando si id tentarent ante consensum Principis, grauiter punirentur & male tractarentur.

Secundo dubitatur, an Magistratus prohibēs Apo-
E stolicas suprapositas executioni mandari, non quidem antequam impetretur consensus eiusdemmet Magistratus, vel ab eodem examen habeatur, hoc enim sibi non assumeret, sed sine sui Principis consensu, vel examine, incidat in hunc Canonem, ratio dubitandi, quia in tex. excommunicatur, qui prohibet, sine Curiæ secularis, idest ipsius Iudicis & Magistratus, consensu supradicta executioni mandari, sed in casu nostro non agitur de consensu Magistratus, sed Principis.

Respondeo valde probabile mihi videri hos Magistratus includi in hoc Canone.

Ratio

Ratio vero, cur existimem hos Magistratus ex tali impedimento incidere in hanc Bullam, est, quia alioquin frustraretur iste Canō suo fine. nam omnes Magistratus prohiberent supradicta fieri sine consensu Principis, cum id non possent impedire sine proprio consensu ex Bulla, atque hoc modo euitarent excommunicationem, & ideo eluderetur mens Papæ, quia executio literarum Apostolicarum impediretur, verba autem legis ita interpretanda sunt, vt ipsa non frustretur, & otiosa reddatur iuxta cap. In his de Priuil. & c. Si Ciuitas de sent. excom. lib. 6.

Obiicies, impedire executionem literarum antequam accedat beneplacitum Principis, & eius consensus interueniat, non est expressum in Bulla; ergo non damnatur sub pœna excommunicationis.

Respondeo, magis esse attendendam legis mentē, quam verba eius capit. Marcion 1. q. 1. c. fin. de reg. Iur. lib. 6. & l. Cum Pater §. Dulcissimis ff. de leg. 2. & id tenendum est statutum fuisse in hoc Canone, quòd Pontifex interrogatus, cum eam edidit, respondisset iuxta Glos. sing. in l. tale pactum §. fin. ff. de pac.

Dices, Pœnæ sunt restringendæ. Respondeo, esse coarctandas, quando substantia præcepti saluare potest. Sed quod spectat ad rem nostram, substantia præcepti non maneret, sed suo fine careret, vt dixi. Accedit, quod pro eadem re accipitur Magistratus & Principis consensus, & ex vtroq; quasi vnum & idem Tribunal completur.

Tertio dubitatur, an incurrat hanc excommunicationem, qui literis Apostolicis non paret, vel illas transgreditur, quamuis non impediat illarum executionem.

Respondeo, & primo dico, Contradicere & opponere se sine iusta & legitima causa literis & Mandato Papæ crimen lethale est, vt bene probat textus in c. 2. de maio. & obed. ibi, *In libro Regum legitur, qui non obedierit Principi, morte moriatur*, & Glosa exponit, *idest Papæ*, morte moriatur, idest mortaliter peccat: nam debet ei reuerenter parere, vt dicit tex. in cap. Si quando de Rescript. Dico secundo probabilius mihi videri non esse locum huic excommunicationi Bullæ, quando quis non paret literis Papæ simpliciter, idq; probari potest. Aliud est non parere vel contrauenire literis vel Mandatis Papæ, & aliud impedire executionem earum, non permittendo illas publicari, vel vetando dari fidem de publicatione; & à diuersis & separatis non fit illatio l. Papinianus ff. de Minor. secundo possessor beneficij non obediens literis Papæ, quibus eidem præcipit, vt relinquat possessionem beneficij, non incurrit hanc excommunicationem, dummodo non impediat executionem literarum, quamuis incurrat aliam excommunicationem sub cuius pœna iubetur relinquere dictam possessionem. Tertio non afficitur hac excommunicatione, qui reuera intelligent literas Apostolicas non habere locum in aliquo casu, illas impedire procurat, ergo affirmare non possumus omnem non acquiescentem literis Papæ & illis non parentem obstringi hac excommunicatione Bullæ, alioquin omnes Procuratores & Aduocati, & ipsi etiam Principales, qui literas Papæ aliter intelligerent, quàm vere deberent intelligi, inciderent in hanc excommunicationem, quod est absurdum, & ideo nullatenus dicendum, l. nam quod absurdum ff. de Bon. libert. Quarto appellantes à Iudicibus Sedis Apostolicæ, & supplicantes à prouisionibus Papæ non incidunt in hanc excommunicationem, modo appellationes legitime prosequantur, si bona fide putant, legitimè appellasse iuxta Glosam Ver. In officijs in cap. Solet de sent. excom. lib. 6. Postremo quia literis Papæ munitis clausula illa solemni, *Contradictores Ecclesiastica censura compescen.* potest de Iure, non tamen facto contradici, iuxta Glos. in cap. Pro illorum, Ver. Contradictores de præben. & Felin. in capit. Causam quæ n. 42. de rescript. Immo qui contradiceret iniuste, licet malè faceret, & incurreret fortè aliam excommunicationem, non tamen excommunicationem hanc Bullæ Cœnæ, si tamen non impediret executionem literarum. Hanc sententiam sequitur etiam Nau. cons. 36. de sent. excom.

Quarto dubitatur, an incidat in hanc excommunicationem ille, qui mandat alteri, vt recurrat ad Curiam secularem ad impediendam executionem literarum & aliorum decretorum Sedis Apostolicæ: nam in Canone nulla fit mentio de Mandante.

Respondeo & mandantem & Mandatarium obstringi excommunicationis censura in hoc casu, & ratio est, quia in Bulla excommunicantur illi, qui per se, vel per alios hæc prohibita commiserint; ergo non tātum facientes, sed Mandantes includuntur, immo non tantum Mandantes prædicta, sed ille, qui rata habuerit illa, postquam commissa fuerint nomine ipsius, erit excommunicatus, arg. cap. Cum quis de sent. excom. lib. 6. in vtroque foro, se mandatum & ratihabitio probari potest, quod si non probetur, sed vere interuenerit mandatum aut ratihabitio Mandans & Ratificans erit excommunicatus in foro conscientiæ.

Sed quod dicendū erit, si Pater vel Frater, aut alius Consanguineus impediat executionem literarum, An ille, contra quem impetratæ fuerunt, incidat in excommunicationem.

Respondet Nauar. Cons. 37. in tit De Sent. Excom. Non esse præsumendum intercessisse mandatum, aut ratificationem ex hoc tantùm, quod Consanguineus, quicūque sit, se opposuerit executioni literarum, quia nemo in dubio præsumitur delinquens, aut approbare delictum alterius propter solam carnalem cognationem, l. Meritò ff. Pro Socio, cap. 2. De Reg. Iur. nisi approbauerit saltem tacitè id, quod fecerit Consanguineus, vtendo facto alterius, vel defendendo illud, licet expressè non dicat se approbare.

Aut ne Tabelliones & Notarii super huiusmodi literarum, & processuum executione instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent. Hæc est tertia actio prohibita, cuius vi in hanc excommunicationem incidunt, qui vetant, ne Tabelliones & Notarij conficiant acta, vel processus, & confectos ne tradant parti petenti in fraudem literarum Apostolicarum & ipsarum partiū. Dixi in fraudem literarum Apostolicarum & partiū, quia si hoc facerent ad euitanda damna & incommoda, quæ sibi à Principibus & Magistratibus inferrentur, si acta conscriberent, vel parti consignarent sine consensu Magistratus, non incurrent hanc excommunicationem; Nemo enim tenetur proprio damno, saltem notabili, aliorum commodis consulere.

CAPVT III.

De Tribus aliis actionibus principalibus prohibitis, ibi,
Ac etiam partes seu eorum Agentes &c.
vsque ad finem Canonis.

QVarta actio, propter quam incidit quis in hanc excommunicationem, est si offendat partes, à quibus literæ, monitoria, & alia prædicta impetrata fue-

fuerunt, vel eorum Agentes, Notarios, vel executores A aut sub executores.

Ac etiam partes, seu eorum Agentes. Partes vocat illos, qui literas obtinuerunt, de quorum commodo, & vtilitate agitur. Nomine Agentium intelliguntur omnes Procuratores, Aduocati, negociorum gestores, Ministri, quomodocunque appellentur, qui pro ipsis partibus principalibus comparent, agunt, & instant pro executione literarum. De significatione huius vocis dixi in Disp. præcedenti cap. 3.

Notarios, Executores & subexecutores literarũ, citationũ monitoriorum, & aliorum prædictorum. A Notis Notarij sunt dicti, qui acta in Iudicio, vel extra Iudiciũ notis & literis excipiunt l. Lucius Titius 41. ff. De Milit. Testam. Vnde Glos. in l. Si tibi Ver. Notarium C. De B Pigno. interpretatur *Notarium*, idest scriptorem. Vocantur etiam Tabelliones, vt supra in hoc eodem Canone, & dicuntur Tabelliones, qui Testamenta & publicas scripturas formant, conficiunt, & conscribunt, l. Moris est, Verſ. & nonnunquam ff. de Pœn. l. Iubemus §. His Tabellionibus C. de Sacrosanc. Eccles. Hoc in loco censeo significari voce Notariorum generaliter omnes, qui faciendis publicis instrumentis & actis publice præsunt in singulis Ciuitatibus & locis, qui varijs nominibus appellantur, vt refert Glos. in Rubr. C. de Tabellarijs lib. 10. *Executores* in hoc Canone vocantur illi, quibus committitur aliquid faciendum iuxta formam literarum, citationum, monitoriorum &c. nempe vt conferant beneficium, vt imm. C tant aliquem in possessionem, vel quid simile.

Proprie executor dicitur ille, qui rem iudicatam ducit ad finem, vt notat Glos. in c. Super questionum Ver. Executorem de off. deleg. Vnde Abb. ibi nu. 10. inquit executorem esse illum, cui committitur exequendum factum discussum & decisum per Superiorem, vt facit Nuncius, cum exequitur sententiam Iudicis. Quare si offendatur Nuncius, qui literas Apostolicas parti ostendit, vel denunciat, vel Citationem, vel Monitorium, aut alias prouisiones à Sede Apostolica impetratas, obstringitur hac excommunicatione, quia est publicus executor, cuius assertioni creditur, Abb. in cap. Quoniam num. 10. de probat. De D speciebus executorum, tam ad beneficium, quam ad alias res, & de illorum iurisdictione tractatur in cap. Pastoralis §. Quia vero, & ibi Abb. n. 3. & alij Doctores de off. deleg.

Subexecutores, sunt qui ab executoribus, quibus delegata est facultas substituendi, deputantur ad exequendũ literas, citationes, monitoria, & alia prædicta.

Capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Ciuitatibus, locis, & Regnis eijciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt comminantur per se, vel alium, seu alios publice, vel occulte. Enumerantur decem modi speciales offendendi prædictas personas comprehensas sub hac quarta actione generali prohibita, & ex quolibet illorum modorum separatim, cõtrahitur E hæc excommunicatio. Quid intelligere debeamus illis verbis *Capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant detinent, ex Ciuitatibus, locis, & Regnis eijciunt, bonis spoliãt*, declaraui Disputatione 10. Superest explicandum, quid sit Perterrefacere, concutere, & comminari, quæ tria verba videntur idem significare, scilicet metum & timorem in aliquem inferre, vel verbis, vel factis, quamuis terrere ad facta potius accomodetur, Comminari ad verba, l. Nec quicquam §. Planc ff. de off. Proconf. ibi *Comminari, & terrere filium à Patre oblatum*. Similiter de liberto non obsequente dicitur emendandum esse, aut verbis vel fustium castigatione, quasi præcedere debeant comminationes verborum, & si minime sufficiant, tunc addendus sit terror factis incussus, l. 1. prope fi. Verſ. Impuberi autem ff. Ad Senat. Consul. Sylla. ibi, *Vt Impuberes non torqueãtur, terreri tamen solent, & habena, vel ferula cedi.* Quare quod attinet ad hanc excommunicationem, qui ad impediendam executionem huiusmodi literarum, citationum, Monitoriorum, & aliorum prædictorum offendunt partes, in quarum fauorem dictæ literæ, & alia prædicta impetrata sunt, vel Agentes, Notarios, aut executores, non solum eos capiendo, percutiendo, & alia mala enarrata actu inferendo, sed etiam metum & terrorem incutiendo non tantum factis, sed verbis, de malis illis inferendis, si ab incepto non destiterint, excommunicatione obstricti remanent, quando metus & terror fuerit grauis, vt perueniat ad reatum lethalis culpæ, sine qua non incurritur excommunicatio.

Per se vel alium seu alios publicè vel occultè. Siue illa committantur à priuata persona, siue ab ipso Iudice & Superiore seculari vel Ecclesiastico, vt dixi in cap. 1. & patet ex dictione illa, *Quiuè* initio huius orationis posita, quæ generalis est, quamuis principalis finis huius Canonis in hac parte sit cohibere præsumptionem, & audaciam Superiorum iurisdictionem habentium, qui dictam executionem temerè impedire non verentur. Et id fortasse fuit causa impulsiua, vt Summus Pontifex hanc actionem, excommunicationis censura prohibere voluerit, vt in simili dicunt Anchar. Franc. Gemin. & alij Doctores in cap. Quoniam De Immun. Eccles. lib. 6.

Quive alias quibuscunque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusuis earum negocijs prosequendis, seu gratijs vel literis impetrãdis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas vel literas à dicta Sede impetrent, seu impetratis vtantur directè, vel indirectè prohibere, statuere, vel mandare &c.

Est actio quinta damnata, nempe directe vel indirecte prohibere in genere vel in specie, ne quis pro suis negocijs ad Curiam Romanam recursum habeat vel ne ab eadem Sede gratias impetret vel ne impetratis vtatur. In genere hoc prohibetur, si Magistratus edictum promulget, ne quis ad Romanam Curiã recurrat, vel statutum condat de eadem re, in specie, vero, si Iudex præcipiat apposita pœna alicui, ne in aliquo peculiari negocio accedat ad Curiam, quare quomodocunq; hæc prohibitio fiat, vel per statutum, vel per præceptum particulare, semper contrahitur excommunicatio. Et hic modus prohibendi non solum respicit ipsos Iudices, & Magistratus, ac Superiores, iurisdictionem publicam habentes, quorum est statuere & mandare; sed etiam priuatam personam si quouis modo impediat alteri recursum & accessum ad Romanam Curiã, vel ne gratijs ab ea impetratis vtatur omnes enim incidunt in hanc excommunicationem, quod indicat verbum illud vniuersale *Prohibere*, licet principalis finis Canonis sit ad reprimendum impedimentum, quod infertur à personis publicis iurisdictionem habentibus vt dictum est.

Hic animaduertendum est nõ excommunicari simpliciter omnes, qui quouis ingenio, colore, dolo, arte, vel fraude impediunt aliquem, ne ad Curiam pro eausis, gratijs, vel litteris accedat, vel recursum habeat, vel literas impetret, sed solum eos, qui directè vel indirectè statuunt, vel mandant, vel facto prohibent, ne fiat aliquid ex prædictis. Prohibere enim denotat pro-

proprie impedimentum facto ipso allatum, vt patet ex l. Idem est, §. vti frui, ff. de vi & vi Arma. *Vti frui autem prohibuisse is videtur, qui vi deiecit vtentem, & fruentem.* Quamobrem obstringitur excommunicatione, qui directè prohibet & impedit, ne aliquis ad Curiam accedat, vel indirectè, vt si procuret impedimentum aliquod per alium apponi, quo detineatur, ne accedere valeat.

Secundo annotandum est hanc excommunicationē locum habere, vbi impedimentum affertur eunti ad Curiam, ob quamcunque causam, iustitiæ scilicet vel gratiæ accedat, vt apparet ex clausula illa generali *Pro quibusuis eorum negociis*, Ideirco non esset excommunicatus, qui impediret ad Curiam accedere volentem, vt inuiseret curialem amicum, vt munus ad eum afferret, vel quid simile, quia talis recursus non esset pro aliquo negocio apud Curiam expediendo, neque pro literis impetrandis, quod ex Bulla requiritur.

Tertio notandum est incurri hanc excommunicationem quicunque sit ille, qui prohibetur venire, vel Ecclesiasticus, aut secularis, publica persona, aut priuata ob dictionem illam vniuersalem, *Quibuscunque personis*.

Quarto notandum est non esse locum excommunicationi, si quis prohiberet alium ad Curiam venire gratia expediendi aliquod negocium, vel impetrandi gratiam, si bono fine ob vtilitatem ipsius venientis, vel aliorum, & sine dolo, fraude, & vllo peccato id faciat: vbi enim culpa mortalis cessat, excommunicatio non afficit, puta si quis retraheret venientem, quia scit ab inimicis, vel a Prædonibus, qui eius accessum obseruant, vt certo quodam loco eum aggrediantur, fore percutiendum, aut occidendum, aut spoliandum: vel si Princeps, aut Magistratus prohiberet edicto publico, ne quis ex suis subditis ad locum, vbi Curia moraretur tali tempore accideret, cum cognouerit locum pestilentia affectum esse, vel alio morbo contagioso, & hoc medio curat præseruare suos populos liberos ad hoc graui malo, & sic in similibus.

Quinto notandum est in hanc excommunicationē incidere, qui prohibet, ne aliquibus recursum habeat ad Curiam, quamuis ipsemet ad eam non proficiscatur, si solum per Epistolam, aut Nuncium ad eam recurrere vellet, quod probari potest ex illis verbis Bullæ, *Ad Romanam Curiam accedant seu recursum habeāt.* Non enim temere & absque causa Summus Pontifex vtrunque verbum posuit, vt complecteretur non solum ipsosmet proficiscentes, quos significare voluit verbo *Accedant*, sed illos, qui mittunt Nuncios, aut Epistolas cum addit, *seu recursum habeant* Nam recurrere fit etiam per literas, & per Nnneium, quamuis Recurrens domo non egrediatur, cap. Tum ex litteris in fi. de in integr. restit. Confirmatur, quia æque Sedes Apostolica offenditur, si iniuria afficiantur recurrentes ad ipsam pro impetrandis literis, siue ipsimet principales proficiscantur, siue id faciant per Epistolam, vel vtantur opera aliorum.

Sexto notandum est non solum ex prædictis verbis Bullæ excommunicatione obstringi eos, qui prohibent, ne alius recurrat ad Romanam Curiam pro literis impetraodis, verum etiam si impediat, ne literis antea impetratis vtatur. Quare si Episcopus nolit admittere ad beneficium, quod quis à Sede Apostolica in sua Diœcesi impetrauit, hac censura afficitur, vel si recuset admittere ad gratiam, quam obtinuit, aut nolit ad ordines promouere eum, qui capax, & habilis ex scripto & dispensatione Sedis Apostolicæ est redditu, & ita in similibus.

Vel eas apud se, aut Notarios seu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præsumunt.

Hæc est actio sexta, & postrema damnata in hoc Canone, nempe sciēter retinere dictas literas, seu alia decreta Apostolica, & non tradere illa partibus, quarum interest, vel præcipere, & mandare, vt Notarij, & Tabelliones retineant, & non consignent eas partibus.

Illud solum est hoc in loco annotandum verbum *Præsumunt*, positum in fine totius Canonis, referri ad omnes personas & actiones prohibitas, de quibus tractatum est, vnde ad incurrendam hanc censuram requiritur præsumptio, vel temeritas in quolibet genere personarum, vel actionum, idest vt scienter velint illa committere, & ausu temerario negligant hanc Constitutionem, arg. c. Notum sit in fi. 2. q. 1. & cap. Nihil 7. q. 1. Quocirca, qui ex simplicitate aut ignorantia etiam culpabili, vel metu, aut timore, vel inaduertentia contrafaceret, excusaretur ab excommunicatione.

Atq; hæc breuiter interim dicta sint ad explicationem huius excommunicationis, quæ cum materiam latissimam habeat, quæ præsertim hoc tempore quotidie agitatur, & de qua frequenter casus occurrunt, de quibus Doctores interrogantur, an ad illos extendatur censura, idcirco alium Tractatum vtillimum seorsim de hac re edere operepretium existimauimus in quo exacte omnes difficultates examinabimus easque clarissimè Deo dante soluemus.



EXCOMMVNICATIO DECIMAQVARTA.

ITEM EXCOMMVNICAMVS, ET ANATHEMATIZAMVS OMNES, ET SINGVLOS, QVI PER SE, VEL ALIOS AVCTORITATE PROPRIA, AC DE FACTO, &c.

DISPVTATIO XV.

DE EXCOMMVNICATIONE CONTRA Quoscunque causas spirituales, eisq. annexas à Iudicibus à Sede Apostolica deputatis auocantes, earumq. cursum prohibentes, nec non executionem literarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum impedientes.

FERTVR in hoc Canone excom. contra eos, qui auocant ad se causas spirituales commissas à Papa virtute literarum Apostolicarum, & ita non parent literis & mandatis Summi Pontificis, sicut tenentur, & impediunt executionem tacitam literarum; Ideirco hæc decima quarta censura habet similitudinem cum præcedenti, quoniam vtraque pronunciatur contra impedientes, & retardãtes executionẽ literarum Apostolicarum, sed ob diuersas rationes, & varios fines; & idcirco differt hic Canon decimus quartus à præcedenti: nam finis illius est protegere literas Apostolicas, vt libere & absque vllo impedimento executioni mandentur absque examine, vel consensu alicuius personæ. In hoc autem Canone propriè & per se intenditur protectio ipsarum causarum Apostolicarum, nẽpe Beneficialium, Decimarum, & aliarum causarum spiritualium, vel spiritualibus annexarum, vt nullo modo earum cognitionem is, ad quem non pertinet, sibi sumere præsumat, neque se in illis tanquam Iudicem interponere audeat.

Hæc excommunicatio contra Laicos & Clericos, qui Ciuilium Principum auctoritate aliquo modo prohibent, impediuntur executionem literarum Apostolicarum, legitur in Antiquis Bullis Cœnæ Domini, sed à Pio V. Anno 1568. primum inter alias excommunicationes Bullæ Cœnæ promulgata fuit, additis quibusdam nouis clausulis & conditionibus, quæ in prioribus Bullis poni non consueuerant, quæ exprimuntur illis verbis, scilicet, *Etiam prætextu violentiæ prohibendæ &c.* vsque ad illa *legitime prosequantur.* Et quantum ad verba discrepat hic Canon post Sixtum Quintum ab eo, qui legitur in Bulla Gregorij XIII. præsertim, quoniam in Bulla Gregorij initio Canonis apponuntur varia illa vocabula, quibus comprehenduntur omnes Magistratus, officiales, & Principes,
A vt nullus intelligatur exclusus, quæ à Sixto recensentur in calce Canonis, idem tamen videtur sensus, & intentio vtriusque.

Materia, vt inquit Caiet. in Sum. Ver. excom. cap. 30. est sacrilegium, quo offenditur auctoritas Sedis Apostolicæ in causarum cognitione, & ex sententia Caietani afficit hæc excommunicatio nonum genera personarum, quæ enarrantur, sed dicendum est simpliciter esse vniuersalem, & comprehendere omnes tam Clericos, quàm laicos sine vlla exceptione. Actiones principales prohibitæ sunt quinque, & quælibet, siue per se, siue per alium fiat & exerceatur. Prima est auocare causas spirituales, vel spiritualibus anne-
B xas ab Auditoribus & Commissarijs, alijsque Iudicibus Ecclesiasticis auctoritate propria & de facto prætextu quarumcunq; exemptionum, gratiarum, vel literarum Apostolicarum. Secunda actio est impedire cursum & audientiam illarum causarum, vel impedire personas, Capitula, Conuentus, Collegia volentia prosequi illas causas. Tertia interponere se ipsos tãquam iudices in cognitione causarum illarum. Quarta compellere partes actrices ad reuocãdum citationes, inhibitione, vel alias literas in causis decretas, vel compellere per statutum, aut alio modo, vt faciãt aut consentiant eos absolui à censuris, vel à pœnis incursis, contra quos tales inhibitiones emanarunt.
C Quinta impedire quomodolibet executionem literarum Apostolicarum, seu processum, executorialium, vel prædictorum decretorum, etiam prætextu violentiæ, vel alia intentione, donec supplicauerint ad informandam Sedem Apostolicam, nisi talem supplicationem prosequantur legitime coram Sede Apostolica. Tres vero sunt actiones accessoriæ, nempe ad hæc enarrata præbere fauorem, aut consilium, vel assensum.

Caput Primum, De Prima actione prohibita in Canone illis verbis, Omnes, & singulos, qui per se vel alios &c. *vsque ad ea,* Aliisq. Iudicibus Ecclesiasticis
D auocant.

Caput Secundum, De quatuor alijs actionibus principalibus prohibitis ab illa particula, Illarumue cursum & audientiam &c. *vsque ad finem.*

Caput Tertium, An causæ aliquæ spirituales, & Ecclesiasticæ Iure apud Iudices, & Magistratus ciuiles, & seculares tractari, & iudicari possint.

CAPUT I.

De Prima actione prohibita in Canone illis verbis, Omnes & singulos, qui per se vel alios &c. usque ad ea, Aliisque Iudicibus Ecclesiasticis auocant.

IN primis excommunicantur omnes, qui auctoritate propria, & de facto prætextu exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum, quas à Sede Apostolica obtinuisse contendant, causas beneficiales ac Decimarum, & alias causas spirituales, vel spiritualibus annexas ab Auditoribus & Commissarijs eiusdem Sedis Apostolicæ, & alijs Iudicibus Ecclesiasticis auocant.

Ex verbis, quibus describitur hæc prima actio colligimus hanc excommunicationem incurri solum ab eis, qui auctoritate iudiciaria hanc actionem faciunt; requiritur enim ad incurrendam hanc excommunicationem, vt quis auctoritate sua, idest tanquam Iudex auocet causas spirituales à Iudicibus à Sede Apostolica deputatis, quod manifestè indicat particula illa, quæ inferius in Canone legitur, *Ac se ad illarum cognitionem tanquam Iudices interponunt.*

Omnes, & singulos, Hæc clausula geminata, Omnes & singuli, includit prorsus omnes absque vlla limitatione, vt notat Glos. in cap. Vt circa post med. in Ver. Omnia & singula, de elect. lib. 6. Ludou. Romanus in l. Si verò §. De viro post num. 57. in 31. Fall. principali, Vers. Duodecimo probatur, ff. Solut. Matri. Rebuffus super concorda. in forma litera. execu. manda. Aposto. in Ver. Omnia & singula pag 633. Hæ autem duæ dictiones sim ul copulatæ solent ita explicari, idest omnes simul, & singuli separatim, & per se sumpti, Paris. consil. 97. cuius initium est, Vt præsentis numi. 92. lib. 1. & comprehenduntur tam personæ Ecclesiasticæ, quam seculares, cuiuscunque ordinis, status, & dignitatis fuerint. Nam vt rectè animaduertit Caiet. in Sum. Ver. Excom. cap. 29 in fi licèt hæc excommunicatio præcipuè lata videatur contra personas laicas, nempe contra Principes, & Dominos seculares, qui se ipsos constituunt Iudices Ecclesiasticarum personarum; tamen reuera afficit etiam Ecclesiasticas personas, quæ similia præsumunt alia auctoritate, quam Ecclesiastica. Sæpe enim personæ Ecclesiasticæ in Curijs Principum secularium eliguntur ab ipsis Principibus, vt pro eis talibus officijs, & muneribus fungantur, quibus si malè vtantur contra tenorem huius Bullæ, incurrunt excommunicationis censuram, quæ afficit omnes committentes hic vetita auctoritate iudiciali laica, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 70. in princ. siue sint laici, siue Ecclesiastici, tum propter dictiones illas vniuersales, *Omnes, & singulos*, quæ complectuntur omnes sine vlla limitatione, cap. Si Romanorum post med. dist. 19. ibi, *Dicendo vero omnia Decretalia constituta, nullum de decretalibus constitutis prætermisit &c.* Vbi idē probat Glos. Ver. Dicendo; Tum etiam propter clausulam illam in fine positam, *Aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarii, seu Vicarii fuerint*, Ergo hæc excommunicatio comprehendit quoque personas Ecclesiasticas: clausula enim in fine posita refertur ad omnia præcedentia, si nulla afferri potest ratio diuersitatis, Tex. in cap. Secundo requiris, & ibi Glos. Ver. Vtriusque iuris, & Abb. num. 11. de appel. ex quibus verbis colligimus etiam ab hac excommunicatione

A neminem excludi, quacunque dignitate, & præeminentia Ecclesiastica præfulgeat, & idem sentiendum est de dignitate seculari, tum quia in eodem loco pluribus vocibus exprimuntur diuersi officiales, Magistratus, & Tribunalia Principum iuxta morem cōmunem, & vsum diuersorum locorum, in quibus varijs modis nuncupari solent, nimirum *Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum &c.* & tandem additur clausula vniuersalis, *Quorumcunque Principum secularium, etiam si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunq. præfulgeant dignitate.*

Qui per se vel alios, Qui enim per alium facit, perinde est, ac si faciat per se ipsum, Reg qui per alium facit de reg. Iur. lib. 6.

B *Auctoritate propria ac de facto*, idest contra Iuris dispositionem ex propria voluntate, quia sic illis videtur, & placet, & sic facere intendunt iuxta illud sit pro ratione voluntas. Quare non erit excommunicatus, qui auocat causas spirituales à Iudicibus Ecclesiasticis habita speciali licentia à Pontifice Romano.

Quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & aliarum literarum Apostolicarum prætextu. Quæret quis an in hanc excommunicationem incidant Præsidentes Cancellariarum, & aliæ personæ enumeratæ in fine huius Canonis si absque vllo prætextu exemptionum, & literarum Apostolicarum, sed ex mera voluntate, siue imperio præceptis, vel ex consuetudine sui

C officij, vel alio quocunque modo committant aliquam actionem ex prohibitis in hoc Canone; Ratio dubitandi est, quia in Textu verba nō videntur aliter sonare quam si hæc fiant prætextu exemptionum, gratiarum, & literarum Apostolicarum, & non additur quomodocunque, vel alio quocunque prætextu.

Respondeo dicendum esse hos incidere in excommunicationem alioquin non satis fuisset prouisum expeditionum causarum spiritualium: deinde id colligere possumus ex his met verbis; hæc enim sunt, *auctoritate propria, & de facto*, quibus verbis denotantur etiam illi qui sine vllo prorsus prætextu hæc faciunt, nam qui intuitu gratiarum hæc agunt non propria

D voluntate, sed virtute ipsarum gratiarum, & consequenter auctoritate Summi Pontificis videntur hæc facere; quamobrem non requiritur ad incurrendam hanc excommunicationem, vt Princeps, vel Magistratus secularis auctoritate iudiciaria, & prætextu priuilegiorum, & gratiarum, quas prætendit obtinuisse à Sede Apostolica, auocet causas spirituales ab Auditoribus Sedis Apostolicæ, quasi vtrumq; sit necessarium, & primum absque altero non sufficiat, sed Summus Pontifex voluit exprimere causam, quæ vt plurimum afferri solet ad palliandum hoc factum. Verum multo magis excommunicationi locus erit, si cessauerit prætextus exemptionum, & comprehendit omnes exemptiones, nullam excipiendo virtute illius dictionis vniuersalis, *quarumcumque* quæ habet

E vim amplificandi etiam vltra naturam rei, cui adijcitur, & semper auget vim verborum, & aliquid amplius operatur, L. 1. eum Glos. fin. & l. *Quicunque*, C. de seru. fugi. Roman. consil. 31. Vilis his, Cur. Iun. consil. 1. num. 1. & seq. Hinc sequitur hanc clausulam, vel supponere tales gratias & literas Apostolicas falso confingi, & reuera à Sede Apostolica minime concessas fuisse, vel eas annullare & declarare nullius roboris & momenti.

Beneficiales ac Decimarum ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas. Qui aliquam ex his generi-

 bus

bus causarum spiritualium auocat ab Auditoribus Papæ, &c. inuodatur censura huius Can. Sed videndum est, quæ dicantur causæ spirituales, & quæ spiritualibus annexæ.

Duplex est iudicium, aliud spirituale & Ecclesiasticum, aliud seculare & laicũ. Iudicium spirituale dicitur illud, in quo causa spiritualis agitatur, Iudicium seculare vocatur, vbi causa temporalis tractatur. Causa vero spiritualis est, quæ est de re spirituali, sicut secularis causa de re temporali. Res autem spiritualis, vt communiter accipitur in iure Pontificio, omissis multis significationibus, quibus in diuersis locis spiritus modo sumitur pro alitu seu flatu, aliquando pro anima, nunc pro vento, modo pro omni substantia incorporea inuisibili; est omne donum supernaturale à Deo datum ad animarum salutem, vel institutum supernaturaliter ad eam efficiendam, vel ab Eccl. potestate supernaturali, sibi concessa ad conficiendum illa vel eis annexa. Hanc definitionem rei spiritualis, tradit Nau. in Rub. de Iudi. §. Quintum quod hæc vox, n. 25. Quamobrem spiritualis res iuxta hanc definitionem multa complectitur, vt inquit Abb. ex sent. Io. And. in c. Consulere num. 3. de Sim. de quibus omnibus causæ, quæ in iudicio discutiuntur, spirituales vocantur, & coram Ecclesiastico Iudice tantum cognosci, & terminari possunt ac debent. Aliqua n. spiritualia sunt per essentiam, & horum quædã incorporalia, vt sunt virtutes & dona Dei, quædã corporalia, vt Reliquiæ Sanctorum, c. 1. & 2. de reliq. & vener. Sanct. Aliqua sunt spiritualia per causam, vt Sacramenta, quia sunt causæ gratię, aliqua propter statutũ, vt susceptio habitus religiosi, aliqua quia dependent à potestate spirituali, vt absolutio à censuris, c. Ad aures de Simo. Aliqua ratione officij, vt quęcunq; ministeria ecclesiastica, c. Ad nostrã de Sim. quę ad diuinum cultum diriguntur; & præter hæc omnia reperiuntur alia, quæ sunt spiritualia & sacra, quia dedicantur substentationem rerum spiritualium, vt inquit S. Tho. 2. 2. q. 99. art. 3. & sunt bona mobilia & immobilia Ecclesiarum, & Clericorum, & probatur in c. Nulli 12. q. 2. *Nulli liceat ignorare omne, quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue Ager, &c.* ad ius pertinere Sacerdotũ. & idem legitur in c. Prædia ead cau. & quęst. Hæc nõ possunt dici spiritualia iuxta definitionem rei spiritualis traditã, quia carẽt benedictione, quę est cõstitutiua rei sacræ Benedictio enim à sola potestate supernaturali, & spirituali fluere potest, vt tradit Nau. in c. Non liceat 12. q. 2. §. 17. nu. 7. sufficit tamen illa dedicatio ad substentationem spiritualiũ, vt inter spiritualia recenseri possint. Itaq; causæ quęcunq; super re aliqua ex dictis generibus rerũ dicitur causa spiritualis & comprehenditur in hoc Canone vero causæ susceptæ sint de alijs rebus temporalibus, dicuntur temporales seu seculares.

Causæ annexæ spiritualibus dicuntur illę, quæ sunt de rebus, quæ idcirco vocantur spirituales, quia connectuntur cum rebus spiritualibus, & ad illarum vsum deputantur, vt sunt vasa sacra, vestes sacerdotales, Ius Patronatus, Abb. in Rub. de Iudi. nu. 4. & in c. Quanto n. 1. eod. tit. & ibi Felin. n. 1. Quamobrem quicunq; præsumit auocare à Iudicibus commissarijs Sedis Apostolicę causam aliquam, in qua agitetur de Decimis, de beneficijs, de Iure eligendi, præsentandi, conferendi, instituendi, de censuris vel de Matrimonio, aut de ordine, vel iurisdictione Ecclesiastica, aut de alijs Sacramentis, & de similibus rebus spiritualibus, vel de re annexa rei spirituali, vt de Iure patronatus, obstringitur censura huius Canonis.

Hinc sequitur non incidere in excommunicationẽ huius Canonis qui auocarẽt à dictis Iudicibus causas no spirituales, sed alias tẽporales & profanas, quia in Canone exprimuntur solę causæ spirituales, & vbi aliqua expresse probibentur, alia concessa videntur, si in prohibitis & omissis non eadem sit ratio, l. Maritus, C. de Procur. l. cum Prętor ff de Iudi. Et hinc etiam sequitur locum non esse huic excommunicationi, si aliquis Magistratus secularis auocaret causam ab Auditoribus & Commissarijs Apostolicis per Papam, nõ vt Pontifex, sed vt Dominus temporalis in suo Dominio temporali virtute literarum, & rescriptorum commissum. Et ratio est, quoniam in Canone exprimuntur solum causæ spirituales, aut spiritualibus annexæ, quæ committuntur à Papa ratione iurisdictionis spiritualis, quam habet.

Ab Auditoribus, & Commissarijs nostris, alijsq; Iudicibus Ecclesiasticis auocant, quos nomine Auditorũ intelligere debeamus, explicaui in Disp. pręcedenti c. 1. vbi quatuor esse genera Auditorũ Sedis Apost. dicebam.

Commissarijs, Iudices Commissarij vocãtur illi, quibus per rescripta Papæ, quæ commissiones communiter solent appellari, causæ cognoscendæ delegãtur, quas iuxta tenorem & formam Commissionum decidere & terminare debent, & demum additur clausula generalis, *Alijsque Iudicibus Ecclesiasticis*, vt omnes Iudices comprehendantur absque vlla exceptione.

Sed postulabit aliquis, an hæc excommunicatio afficiat solum illos Principes, vel Magistratus laicos, qui contra dispositionem huius Canonis spirituales causas præsumunt auocare à Iudicibus deputatis à Sede Apostolica, an vero extendatur quoque ad eos, qui ab alijs Iudicibus Ecclesiasticis causas auocant.

Respondeo in hanc excommunicationem incidere, qui auocat causam à Iudice Ecclesiastico, si non sit Delegatus à Sede Apostolica.

Idq. colligitur primo quia hæc excõmunicatio fertur in offendentes auctoritatem Sedis Apostolicæ in cognitione causarum, vt inquit Caiet. in Sum. Ver. excom. c. 30. ergo agitur tãtum de Iudicibus deputatis à Sede Apostolica. Secundo idẽ constat ex illis verbis Canonis, *Quiue partes actrices, quæ illas committi fecerunt*, Quare tractatur de causis commissis à Sum. Pontifice vigore literarum Apostolicarum, vt ex sequẽtibus etiã apparet. Tertio hoc quoq; probari potest ex illa dictione, *Alijsque*, quæ similium est relatiua, l. si fugitiui cum Glos. fin. C. de ser. fugi. c. Sedes de rescript. Abb. in cap. Sacris, not. 3. de sepul. Alex. cons. 34. Viso themate nu. 2. vol. 1. & cons. 204. Consideratis verbis nu. 4. vol. 2. Quare cum nominatim exprimantur Auditores & Commissarij Papæ, & statim addatur clausula illa, *Alijsque Iudicibus Ecclesiasticis*, sequitur vt de alijs Iudicibus Sedis Apostolicæ intelligi debeat.

Secundo quæret aliquis, an obstringantur excommunicatione illi Principes vel Magistratus seculares, qui auocãt huiusmodi causas à Iudicibus Sedis Apost. & non parent literis Apostolicis, sicut debent, sed non immiscent se tãquam Iudices ad illarum cognitionẽ.

Respondeo ex sola auocatione causarum, & prohibitione, ne literæ Apostolicæ executioni demandentur, incurri censuram excommunicationis, quia hæc est actio principalis prohibita sub pœna excommunicationis, vt inquit Caiet. in d. cap. 30. & est distincta ab alia actione, nempe interponendi se tanquam Iudices in cognitione illarum causarum, & ob vtramq; actionem est locus excommunicationi.

Ter-

Tertio quæret quis, an incidant in hãc excommunicationem Iudices seculares, qui debitores Decimarum, citatos coram ipsis iudicant: nam hac in re beneficium Ecclesiis prestare videntur: si enim ipsi iudicare recusarent, Ecclesia & Clerici decimis priuati remanerent. Nam si contingat vt Iudex Ecclesiasticus impediatur, ne causam, cognoscere possit & debitor, sicut sępe euenire solet, negligat excommunicationem, non modicum incommodum, & detrimentum patientur Ecclesię, si eis non sit concessum recurrere ad Magistratus seculares implorando ab ipsis auxilium vt debitorem cogant ad solutionem, quare videntur hortandi Iudices seculares, vt in his casibus iudicare velint.

Nau. cons. 1. q. 41. de Const. existimat Clericum posse super Decimis adire secularem Iudicem per viã possessorij, seu Interdicti retinendę, vel restituendæ possessionis iuxta ea, quę scripsit in Manu. c. 27. n. 69. Vel per viam innouationis, vt dixit Io. Faber. in §. retinendę Instit. de Interdic. Negat tamen licere Clericis directa via petitorij adire Iudices seculares super Decimis & alijs spiritualibus causis, arg. cap. Bene quidem 96. distin. c. Decernimus, cap. Quanto de Iudi.

Quarto quęri potest de illis, qui se trahi ad Iudices laicos pro decimis patiuntur, an incurrant hanc excommunicationem. Quòd non incurrant, ratio persuadere videtur, cum ipsi minime in causa fuerint vt talis potestas in his causis spiritualibus iudicandi à Iudicibus Ecclesiasticis ablata fuerit, sed legem à Laico promulgatam ipsis etiam Ecclesiasticis fortasse consentientibus, vel saltem ob commodum non repugnantibus sequuntur. Accedit, quod in hoc Canone videntur illi tantum excommunicari, qui aliquam habent iurisdictionem.

Respondet Nauar. in eod. cons. quęst. 42. Non incidere in excommunicationem Bullę illos, qui trahũtur inuiti, & è contra non excusari ab excommunicatione, si trahantur ipsis consentientibus, consulentibus, aut fauentibus, quoniam non solum trahentes, sed consilium aut fauorem ad id adhibentes excommunicatione feriuntur.

CAPVT II.

De quatuor alijs actionibus principalibus prohibitis ab illa particula, Illarumue cursum & audientiam &c. *vsque ad finem.*

SEcunda actio prohibita est impedire, ne partes prosequantur huiusmodi causas coram Iudicibus deputatis à Sede Apostolica, & retardare earum cursum & audientiam. Et notandum est tunc demum hos impedientes innodari cẽsura huius Canonis, cum impediunt auctoritate iudiciali laicali, tanquam Iudices seculares, sicut dixi de prima actione, quare qui impediunt dolo, fraude, minis, vel alio modo, non incurrunt hanc excommunicationem, quia tex. Bullæ inquit, *qui impediunt*, & postea subiungit, *Ac se ad illarum cognitionem tanquam Iudices interponunt*, Igitur sermo est de impedimento, quod infertur ab his, qui se constituunt tanquam Iudices. Immo in Bullis quibusdam Superiorum Pontificum hoc erat expressum, vt in Bulla Cœnę Pauli Tertij, in qua sic legitur, vt est apud Rebuff. in explicatione art. 10. *Causas ipsas prosequi volentes auctoritate laicali impediunt.* Idemque dicendum est de omnibus alijs actionibus.

Illarumue cursum, & audientiam, ac personas, capitula, conuentus, collegia causas ipsas prosequi volentes impediunt. Cursus causarum impeditur si prohibentur partes, ne causas prosequantur, ex qua prohibitione incurritur excommunicatio, quæcunque sint partes, siue personæ particulares, siue vniuersitates, vt Capitula, Conuentus, Collegia, & similia.

Ac se ad illarum cognitionem tanquam Iudices interponunt.

Tertia actio principalis damnata, si Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, & aliæ similes personæ seculares auctoritate laicali, qua funguntur ratione officij, quod tenent post auocationem causarum ab Auditoribus & Commissarijs Papæ prohibendo illarum cursum interponunt se tanquam Iudices ad cognoscendas huiusmodi causas, vnde si aliquis non tanquam Iudex, sed vt Procurator, vel Aduocatus, aut alia ratione impediret prosecutionem causæ, & executionem literarum Apostolicarum, non incideret in hanc excommunicationem.

Quiue partes actrices, quę illas committi fecerunt, & faciunt ad reuocandum & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris & pœnis in illis contentis absolui, per statutum, vel alias compellunt.

Quarta actio principalis comprehenditur verbis ènarratis, quæ duas habet partes, prima est compellere partes, vt reuocent citationes, inhibitiones, vel alias literas in causis decretas. Secunda pars est, per statutum, aut alio modo cogere easdem partes, à quibus literæ impetratæ fuerunt, vt faciant eos, contra quos tales inhibitiones, & literæ emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolui. Vel saltem vt consentiant eorum absolutioni, & hæc actio intelligenda est, sicut aliæ priores, scilicet, vt committatur auctoritate iudiciaria. Idcirco censeo non obstringi hac excommunicatione priuatam personam, quæ per vim, & metum compelleret partem, vt reuocaret citationes, & inhibitiones, vel vt consentiret absolutioni Aduersarij. Et quamuis in fine huius clausulæ addatur particula, *Per statutum aut alias compellunt*, In qua dictio illa, *Alias*, videtur comprehendere omnem modum, quo dicta actio committi potest, siue publica, siue priuata auctoritate, nam dictio, *Alias*, plures habet significationes, & diuersimode accipi potest, vt tradit Mandos. super Regul. Cancell. Reg. 27. quæst. 19. numero 4. inter quas illa vna est, vt significet alium casum, & alium quemcunque modum, l. qui Testamento, §. Mulier, ff. de Testam. l. 1. §. siue autem intra Vrbem, iuxta Glos. Verb. Alias ff. de aqua quotid. & æstiu. Bart. in Tractat. de Alueo, Ver. Alias, And. Tiraquel. de vtroque retractu part. 1. Glos. 6. §. 8. in Ver. Aultrement. Tamen interpretatio est facienda de casibus similibus, alijs proxime enarratis, & cum immediatè expressus sit modus compellendi partes actrices per statutum, quod sit publica, & iudiciaria auctoritate, sequitur, vt per illam dictionem, *Alias*, intelligi debeant alij modi similes compellendi eadem auctoritate iudiciaria, scilicet per decretum, mandatum, vel præceptum, & similes.

Quantum vero ad aliam partem clausulæ de ijs, qui eadem auctoritate iudiciali compellunt easdem partes actrices, vt faciãt eos absolui à censuris & pęnis in Inhibitionibus & literis contentis, contra quos inhibitiones & literæ emanarunt, vel saltem vt con-

sentiãt illorum absolutioni, notandum est multis modis posse aliquem compellere alterum, vt notat Glos. in Clem. 2. Ver. Quomodolibet de sent. excom. nempe realiter & personaliter, directè vel indirectè, & in hoc loco intelligere debemus de quocunque modo compulsionis propter dictionem illam, *Alias*, idest *Per statutum vel alias compellunt*, quæ omnem modum includit, vt dixi. Quare si secularis occupet bona ipsarum partium, vel ipsas capiat, aut consanguineos ipsarum in personis vel rebus grauet, vt inquit Glos. in dicta Clem. 2. ad hunc finem, vt faciant eos, contra quos rescripta erant emanata, absolui, aut vt absolutioni consentiant; obstringitur hac excommunicatione, facit cap. Sciant cuncti de elect. eod. lib.

Ex his inferri potest primo non incidere in hanc excommunicationem, qui non compelleret partes ipsas, sed Iudicem, qui excommunicationem & alias pęnas pronunciauit, vt absolutionem impenderet, vel alias pœnas reuocaret. Nam Canon loquitur solum de illis, qui cogunt ipsas partes; ergo non potest extendi ad alios, cap. Nonne de præsumpt. l. Cum Prætor, ff. de Iudi. Extat tamen contra eos, qui per vim, & metum extorquent absolutionis beneficium ab ipsis Iudicibus à quibus censurarum sententiæ latæ sunt, excommunicatio a Gregorio X. in Concilio generali Lugdunensi, pronunciata, & refertur in capit. vnico de his quæ vi metusve cau. fi. lib. 6. quam incurrunt ipso facto contrauenientes.

Infertur secundò non esse locum huic excommunicationi, si partes inducantur ad præstandum talem consensum tracti promissione alicuius præmij, vel quia pecunias receperunt, aut vt gratiam Principis lucrarentur vel alio modo, vbi nulla vis, aut metus interueniat: tunc enim non compelluntur, quod requiritur ad contrahendam hanc excommunicationem. Compellitur enim, qui contra voluntatem, & inuitus ad aliquid agendum inducitur, cap. Conquestus de for. compet. cap. 1. & cap. fin. eodem tit. lib. 6.

Vel executionem literarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant etiam prætextu violentię prohibendæ, vel aliarum prætentionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, vt dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur.

Quinta, & postrema actio prohibita principaliter, cuius causa incurritur hęc excommunicatio, est impedire quomodolibet auctoritate publica iudiciaria executionem literarum Apostolicarum, seu processuum, executorialium, vel decretorum prædictorum, quę à Sede Apostolica in dictis causis spiritualibus obtenta fuerunt etiam prętextu tollendæ violentiæ, quam prętenderent inferri sibi, vel suis virtute dictarum literarum, & decretorum, vel quacunque alia ratione mouerentur, quamuis etiam assererent huiusmodi prouisionum Apostolicarum executionem retardare tantùm animo supplicandi, & informandi Summum Pontificem, nisi reuera talem supplicationem coram eodem Romano Pontifice prosequātur,

Quomodolibet impediunt. Dictio *Quomodolibet*, omnem penitus modum includit, vt inquit Glos citata in Clem. 2. ver. Quomodolibet de sent. excom. cap. Indemnitatibus. §. Si qua verò à minori, vbi Io. And. notat super ver. Quomodolibet ante nu. 2. de elect. lib. 6. cap. vnico. §. pręsenti de Cleri. ęgrot. lib. 6. Sequitur igitur incurri hanc excommunicationem, quomodocunque impediant executionem literarum, siue non permittendo eas recipi, vel publicari, vel registrari, vel iuxta tenorem illarum procedi, aut alijs modis retardando executionem.

Etiam prætextu violētiæ prohibendę, vel aliarum prætensionum. Additur illa clausula *Etiam prætextu violentiæ prohibendę*, Vt specialiter, & distinctè tollatur iste prætextus, & excusatio, quam communiter solent afferre Laici, quando præsumunt impedire, & retardare huiusmodi executionem, quæ cæteris omnibus, quæ adducuntur maiorem quandam iustitiæ, & æquitatis speciem, & imaginem præ se ferre videtur, cum quasi iure naturæ munus Principis sit omnem à suis subditis violentiam propulsare, vnde si talis prætextus non excusat ab hac excommunicatione, multò minus aliæ causæ, & quæsiti colores excusare poterunt quibus Laici se ipsos contegere student, cum hæc vetita committunt, quæ omni iuri, & rationi aduersantur.

Seu etiam donec ipsi ad nos informandos, vt dicunt supplicauerint, aut supplicari fecerint. Hanc clausulam addit Pius Quintus in Bulla Cœnæ edita Anno 1568, ad tollendam hanc excusationem, & prætextum valde communem; Itaque si secularis huius excusationis clypeo tectus literarum executionem, retardet, hac censura remanet innodatus.

Sed postulabit quis, quid agendum esset, si in literis Apostolicis appareret manifesta iniustitia, vel violentia.

Respondeo eo casu procedendum esse legitimè per viam supplicationis, & recurrendum ad Sedem Apostolicam, & hoc remedium concessum fuit ab ipso Sūmo Pontifice Pio Quinto, & in ipso Canone exprimitur verbis illis, quæ proximè sequuntur, *Nisi supplicationes huiusmodi corā nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur*, Et ponderandum est, dictio illa *Legitimè*, idest iuris ordine seruato ad Romanum Pontificem appellauerint, & interim possunt impedire, ne literæ Pontificiæ executioni demandentur, dummodo impediant opera, & ministerio Ecclesiasticorum Iudicum, & re ipsa supplicationem prosequantur, aliter ipsi impedire non possunt literas Apostolicas, vt probaui Superiori Disputatione cap. 3. quoniam eorum potestas est profana, & ciuilis, non spiritualis, & ecclesiastica.

Obiicies, quid si ipsæ partes, contra quas literę Apostolicæ impetratæ sunt, pauperes sint, nec possint ad Curiam Romanam accedere, & sanctissimum certiorem reddere de veritate.

Respondeo tunc temporis spectare ad ipsos officiales seculares, qui putant iure ipsis incumbere, subditorum defensionem curare, vt alij officiales, qui apud Curiam Romanam commorantur, supplices literas porrigant Romano Pontifici pro tali causa, & interim, dum recurritur, vt de veritate instruatur Summus Pontifex, qui cursum causæ impediunt, & executionē literarum retardant, minimè in excommunicationem incidunt, si impedientes, vt dicebam, intendāt verè, & sine fallacia certiorem reddere Papam de statu causæ, eumq. exorare pro reuocatione literarum, idque facto ipso exequantur, prosequendo appellationem. Secus verò, si prætextu supplicandi impediant, sed certò sciant nolle prosequi appellationem.

Vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum pręstant. Hæ sunt actiones secundariæ, & accessoriæ ad principales quinque iam explicatas, ex quibus etiam incurritur excōmunicatio, aliqua ex actionibus principalibus

cipalibus secuta. Quid consilio, consensu, & fauore significetur, & quibus modis hæc possit quis præstare, & quando dicatur aliquis fauendo, consulendo, vel cõsentiendo cooperari, & concurrere ad actum principaliter prohibitum, declaraui in cap. 6. Disput. 12. Itaque erit excommunicatus iudex secularis non solùm si impediat executionem literarum prædictarum, verùm etiam si consulat parti, vt procuret illas impedire, & retardare, si ad hoc suam auctoritatem adhibeat & fauorem, si valens ex officio tollere impedimentum, quod ab alio infertur, negligit iuxta cap. Quantæ de sent. excom.

Hinc sequitur multò magis hac censura obstringi iudicem, qui mandat, & iubet alteri, vt executionem literarum retardet, tum propter illam clausulam initio Canonis positam, *Qui per se, vel per alios*, quæ refertur ad omnia, quæ in Canone prohibentur; Tum etiam quoniam si ex fauore, consilio, & assensu incurritur excõmunicatio, igitur fortiori ratione ex mandato, cum mandans facienti æquiparetur; Immo contrahitur etiam ex ratihabitione, si actus nomine, & intuitu ratificantis gestus fuerit, cum ratihabitio mandato comparetur, vt in simili dixi in præcedenti Disputatione cap. 2.

Animaduertit Caietanus in Sum. ver. Excommunicatio cap. 30. in fine seculares, qui vetita hæc attentare præsumunt minimè excusari posse ratione consensus, & tolerantiæ Sedis Apostolicæ, quam colligenda esse dicerent per actus contrarios expressos, vel saltem tacitos à Romano Pontifice gestos, quoniam per clausulam generalem positam in fine Bullæ Cęnæ in §. Declarantes, quæ clausula in Bulla Pauli Tertij habetur expressè post clausulam huius Canonis, vt est videre apud Rebuff. in explicatione Bullæ super art. 10. excluduntur omnes excusationes, & prætensiones secularium &c.

Animaduertendum est secundo verbis huius Canonis confirmari ea, quæ ad eundem finem decreta leguntur in Concilio Trid. sess. 25. cap. 20. Vbi sacra Synodus hortatur quoscunque Dominos, vt maiores suos imitati Ecclesiam sanctam, & cultum Dei, ministrosque illius qui à Deo prospera recipiant, obseruent.

Animaduertendum est tertio circa materiam huius Canonis reperiri tres Constitutiones in iure communi. Prima est in cap. Quoniam de Immun. Eccl. lib. 6. Vbi excommunicati sunt ipso facto, qui impediunt super causis, quæ ad forum Ecclesiasticum de iure, vel de consuetudine pertinẽs, literas à Sede Apostolica impetrari, vel super ipsis coram Ordinarijs, vel Delegatis Ecclesiasticis litigari. Secunda est in cap. vnico de his, quæ vi metusve cau. fin. eod. lib. Vbi declarantur excommunicati, qui per vim extorquent absolutionem ab excommunicatione, suspensione, vel interdicto. Tertia in cap. Quicunque de sent. excom. eod. lib. Vbi excommunicantur illi qui dant licentiam offendendi in personis, vel in rebus suis exercentes contra aliquos Ecclesiasticam censuram, vel alia prohibita in eod. capitulo committentes.

Hactenus explicaui actionis, quæ sub excommunicationis censura in hoc Canone damnantur, & quibus modis ex illis contrahatur excommunicatio; Superest tamen vt cognitionem eorum, quæ ad hanc materiam spectare possunt, distinctius consequamur declarare, an reperiantur aliquæ causæ, quibus protecti Laici legitimè se excusare valeant ab hac excõmunicatione, si causas spirituales cognoscere præsumant.

A

CAPVT III.

An causæ aliquæ spirituales, & Ecclesiasticæ Iure apud Iudices, & Magistratus ciuiles, & seculares tractari, & iudicari possint.

PRimò quæritur de causa possessoria in rebus spiritualibus, vel quasi spiritualibus, an iure queat coram Iudice ciuili agi, & cognosci absque periculo incurrendi hanc excommunicationem, quod idem est, ac si quæremus, an quęstio possessoria de rebus spiritualibus, vel quasi spiritualibus sit ciuilis, an spiritualis, vel mixta.

B Ad solutionem huius quæstionis præmittendum est, quod notauit Abb. in cap. litteras nu. 8. De iuram. calum. De re spirituali, vel quasi spirituali causam agitari posse, vel simpliciter spiritualem, aut simpliciter ciuilem, vel mixtam simpliciter spiritualis causa est, quæstio iuris de re merè spirituali, exempla afferri possunt multa, videlicet, an hoc, vel illud matrimonium valeant, an hic, vel alius sit legitimo matrimonio natus; An impetratio, & adeptio beneficij rata fuerit; An hic debeat decimas soluere, an potius sit ab hoc onere priuilegio, aut consuetudine immunis, & liber, An hic habeat ius nominandi, præsentandi, & eligendi Clericos ad beneficia ecclesiastica, An sit penes hunc ius sepulturæ, ius exigendi decimam,
C ius conferendi beneficium, ius petendi possessionem ecclesiasticam. Causa quasi spiritualis ea est, in qua agitur iudicio possessorio, sed quod etiam requirit quadam ex parte petitorium, quia tale possessorium annexam habet causam proprietatis, quia causa expediri, & terminari nequit sine aliqua probatione super ipso iure; Vt cum tractatur de restituenda coniuge Marito: opus est enim illam quoque causam agere; An legitimum inter eos matrimonium constituerit, vt notant Doctores in cap. Ex transmissa, & cap. Ex parte de restit. spoliat. Causa simpliciter ciuilis, & temporalis est, in qua nihil spirituale tractatur, qualis est causa, in qua agitur de iure succedendi in hæreditate; Vt quando agit Clericus contra Laicum
D possessorio retinendæ nomine suæ Ecclesiæ, quia molestiam patitur in possessorio retinendæ, & agit, vt cesset à molestijs: Tunc enim non discutitur aliquid iuris spiritualis, sed est quid merè facti, An turbet, An possideat. Similiter si agatur Interdicto recuperandæ pro Calice consecrato subtracto, vel alijs huius generis: In quibus causis non oportet docere de aliqua proprietate, sed satis est probare possessionem & furtum. Mixta causa illa dicitur, in qua tractatur; An Titius succedat in Dominio, vel hæreditate, quia simul etiam agitur, an fuerit, ex legitimo matrimonio genitus, an fuerit hæreticus, an sit vinculo excommunicationis obstrictus.

His positis ad quæstionem respondendum est.
E Primò si desputatur de illis causis, quæ simpliciter, & merè spirituales sunt; Illas apud secularem, & ciuilem iudicem nullo modo tractari debere, & in earum cognitione, neque principaliter, neque incidenter se immiscere posse, vt inquit Abb. in dicto cap. Literas, numero octano, de iuram. calum. Ratio est, quia principaliter agitur de re spirituali, nempe de ipso iure, & ita definitum habetur in capitulo Tuam, de ord. cognit. & ibi Glos. Ver. Ad forum Ecclesiasticum, capit. Causam, & cap. Lator qui fi. sint legit.

Secundo si causa sit quasi spiritualis, vt cum agitur de possessorio, quod habet causam proprietatis annexam, & expediri non potest possessorium sine aliqua probatione ipsius Iuris, vt quando agitur de restituẽda vxore Marito: tunc enim opus est eam quoque causam agere, an legitimum inter eos matrimonium constiterit, cap. Ex transmissa, & cap. Ex parte de restit. spoliat. Et hoc est speciale in hac causa, vt etiam si tractetur de possessorio, nõ admittatur restitutio, nisi probetur legitimum præcessisse matrimonium, & cõsummatum fuisse, vt inquit Abb. ex sententia Innoc. in dicto cap. Ex transmissa num. 5. & fusius in dicto cap. Ex parte num. 22. & seq. & si de hac causa quasi spirituali loquamur, dicendum est etiam apud Iudicem Ecclesiasticum agi debere, vt sentit Abb. in dicto cap. Literas num. 8. de iuram. calum. quia est ei coniuncta causa spiritualis, sine qua expediri nequit.

Tertiò dicendum est, quando tractatur causa merè ciuilis, & temporalis, in qua nihil spirituale agitur, vt quando lis est de iure succedendi in hæreditate. Hæc absque controuersia tractatur coram Iudice seculari qua in re conueniunt etiam omnes Doctores.

Sed tota quæstio versatur inter Doctores, An causæ mixtæ, in quibus quæstio facti agitatur, sed adiungitur aliquod ius spirituale, possent tractari coram Iudice seculari, an omnino spectent ad Ecclesiasticũ; Vt cum agitur, vt Titius recuperet Ecclesię possessionem, è qua deiectus est per vim, vel retineat beneficij possessionem, in qua per alium turbatur, sit spiritualis, an potius profana, & ciuilis: Vt si Clericus Titius contra Laicum Seium agat iudicio possessorio retinẽdæ, & recuperandę possessionis Ecclesiæ siue beneficij, quia Laicus eum infestat, & vexat, ne possessionem retineat, aut vi de possessione deiicit: Tunc enim Clericus Laico litem intendit, ne eum in possessione turbet, vel vexet, vel è possessione deiiciat; Vnde tunc agitur iudicio possessorio retinendi, vel recuperandi possessionem, & Iudex contra Seium Laicum reuera procedit Interdicto vti possidetis, vel Interdicto vnde vi; & de his causis est tota controuersia, An sint merè ciuiles, & temporales, & iure apud Iudicem secularem tractari possint; qua in re non eodem modo sentiunt Doctores.

Aliqui tenent huiusmodi causas esse ciuiles, & ad Iudicem Laicum pertinere, & idcirco non innodari huius Canonis censura, si illas à Iudice Ecclesiastico auocet, & ad earum cognitionẽ se interponat. Cuius sententiæ in primis videtur Glos. in dicto cap. Literas, vers. Rebus spiritualibus in fi. de iuram. calum. vbi notat, quod licèt in causis spiritualibus non iuretur de calumnia, vt in eodem textu statuitur, tamen si agatur possessorio pro re spirituali, iuratur de calumnia, quia existimat hanc causam non esse spiritualẽ. Idem tenet Glo. in cap. Cum dilectus ver. Iuramento de elect. & reddit rationem, quia quando agitur possessorio de re spirituali, non agitur spiritualiter, & idcirco causa non est tractanda tanquam spiritualis. Hoc idem confirmat Glos. in cap. Literas, ver. Iuramento de restit. spoliat. asserens in exceptionibus peremptorijs, seu dilatorijs, quæ fiunt in causa spirituali, iurari de calumnia, quasi tunc non tractetur de re spirituali. In eadem opinione est Innocentius in dicto c. Cum dilectus, qui affirmat causam super possessorio de re spirituali non esse causam spiritualem. Idem Innoc. in simili notat in cap. Cęterum de Iudi. & in c. Ex parte 8. de for. compet. & Archid. in cap. Frequens de restit. spoliat. lib. 6. & ibi Io. And. super verbo in Ciuilibus negocijs, subscribit etiam huic sententiæ in dicto cap. Literas nu. 8. de iuram. calum. ob eam rationem, quia in hoc causa sola est quæstio facti, non Iuris, scilicet an Clericus possideat, an turbetur, vel deturbetur possessione; Quemadmodum ciuilis Iudex potest cognoscere de iniuria facta Clerico, Altari, Templo, Calici consecrato, similiter etiam iudicat de causa, in qua agitur, vt Laicus soluat Decimam, quam furatus est; Eandem sequuntur alii Auctores, quos refert Couar. pract. quæst. cap. 35. num. 1. Qui dicunt in Gallia consuetudine receptum esse, vt de huiusmodi causis cognoscant, & iudicent Ciuiles Magistratus etiam inter Clericos, quamuis tractetur de possessione rei spiritualis; Quem vsum forensem inter Gallos illi Doctores defendunt.

Contra alij Doctores existimant hanc causam spiritualem esse, vel quasi spiritualem, & ad Ecclesiasticum Iudicem pertinere, & cohærentes asserere debẽt in excommunicationẽ huius Canonis incidere illos, qui tales causas ab Ecclesiastico Iudice auocare præsumunt, & ad eas cognoscendas se interponere audẽt, & in hac sententia citantur ab Abb. in dicto cap. Literas num. 6. de iuram. calum. Ioannes Lignanus, & alij Doctores, & probant ex Clem. 1. de cau. poss. & propriet. & Clement. 1. de sequestr. poss. Vbi causa de beneficio, siue iure petitorio, siue possessorio spiritualis censetur; & Ioannes Lignanus in Clem. Dispendiosam de Iudi. teste Abb. in dicto cap. Literas nu. 8. dicit causam super possessorio beneficij tractari debere simpliciter, & de plano, sicut tractatur causa, cũ agitur petitorio, quia causa possessoria super beneficio dicitur beneficialis, vt in dicta Clem. vni. de cau. poss. & propriet. quia actor aliquo modo tenetur iustificare titulum iuxta not. in Clem. vni. & cap. In literis de restit. & spoliat. & ea, quæ spectant ad integritatem vnius causæ, diuidi nequeunt. l. Nulli C. de iud. & in cap. 1. de cau. possess. & propriet.

Non obstat, quod dici solet, Nihil commune habere possessionem cum proprietate, neque proprietatẽ cum possessione vt l. Naturaliter. §. Nihil commune. ff. de acquir. possess. Nam vt inquit Abb. in dicto n. 6. hoc intelligitur quantum ad sententiam; sententia enim in possessorio lata non præiudicat in petitorio, nec è contra. In alijs tamen multis conueniunt arg. cap. Causam de præscript. Vbi sicut prohibetur, ne Laicus proprietatem rei spiritualis habere possit, ita quoque est interdictum, ne possessionem eiusdem rei spiritualis teneat, atque ideo possessio eiusdem rationis, & naturæ censetur, cuius est proprietas. Ad idem facit dictum Io. And. in cap. fin. de iudi. qui sentit ibi agi potuisse coram Iudice seculari, quia tractabatur de electione Rectoris secularis, quasi secus fuisset in causa super electione Rectoris Ecclesiastici, & tamen in eo c. quæstio erat super possessorio. Item Specul. in tit. de iuram. calum. §. Sequitur, in princ. inquit nõ iurari de calumnia in causa super possessorio de re spirituali; Atque ita sentit talem causam tractandam esse tanquam spiritualem.

Nonnulli verò alij Auctores inter has extremas sententias media via intercedunt, & vtuntur hac distinctione, videlicet, vel agitur inter Clericos, ita vt tum Actor tum Reus sit Clericus, & tunc ea causa penes Iudicem Laicum agi non potest, quoniam talis Iudex Laicus contra Clericum Reum, qui alterum beneficij possessorem, vel turbat & vexat, vel possessione deturbat, sententiam ferre nequit; Vel agitur causa contra Laicum Reum, qui Clericum beneficio spo-

ſpoliauit, vel etiam tunc infeſtat, & in hoc caſu Ciuilis Magiſtratus in Laicum animaduertere poteſt, & Clericus eum Laicum reum apud Iudicem ſecularē ſecundum Canones conuenire poteſt, quia eſt quæſtio facti, non Iuris, & ita ſentire videtur Abb. in dicto cap. Literas num. 8. verſ. In his enim nihil impugnat de iuram. calum. quia talis cauſa non poteſt dici, ſpiritualis, cum nullo modo tractetur de re ſpirituali, & citat textum, quem dicit optimum eſſe in c. Petimus 11. q. 1. Sicut etiam Iudex Laicus poteſt cognoſcere de iniuria Clerico illata, vel Eccleſiæ conſecratæ; Et tunc temporis dicitur Iudex, non quia iudicet de re ſpirituali, ſed de iniuria illata in rem ſpiritualem, vt in cap. Cum ſit generale de fo. compet. & in l. Si quis in hoc genus. C. de Epi. & Cleri. ſic etiam cum agitur de iuramento, ſi non diſputetur de viribus iuramenti, ſed tantum vt cogatur Laicus ad eius obſeruationē, Iudex ſecularis poteſt ſe interponere, quia quæſtio nec eſt ſpiritualis, nec quaſi ſpiritualis, vt in cap. Licet de iur. iur. lib. 6. & notat Io. And. in cap. fin. de fo. compet eod lib.

Ad hanc igitur difficultatem variis modis reſpondere ſolent Doctores, veritatem ſequentibus propoſitionibus aperiam.

Prima propoſitio ſit, quoties cauſa poſseſſoria rei ſpiritualis mixtam habet proprietatis rationem, non poteſt per Iudicem ſecularem expediri, ſed omnino ſpectat ad Eccleſiaſticum. Hæc concluſio aſſeritur communiter, eam tenet Abb. in dicto cap. Literas nu. 8. de iuram. calum. & probat ex cap. Tuam de ord. cogni. in c. Lator, & in cap. Cauſam, quæſt. 2. qui fi. ſint legi. Quamobrem non poterit Iudex Laicus cognoſcere de cauſa poſſeſſoria beneficij Eccleſiaſtici, cum ad iuſtificandam poſſeſſionem in hoc caſu ſit neceſſaria probatio quædam alicuius tituli apparentis, nec aliter poſſit poſseſſio obtineri etiam quoad interdicta poſseſſoria iuxta Gloſam celebrē in Clem. vni. de cau. poſseſs. & propriet. Ideo Couar. ſimpliciter tenet Iudicem ſecularem, nec in Interdicto adipiſcendæ, nec retinendę, nec recuperandæ poſſe cognoſcere de cauſa poſseſsoria beneficiorum Eccleſiaſticorum.

Secunda propoſitio ſit, quamuis cauſa poſseſsoria rei ſpiritualis nihil proprietatis mixtum habeat, non poteſt per Iudicem ſecularem iudicari ſecus incidit in excommunicationem huius Canonis. Eſt concluſio veriſſima cui etiam alij adhærent, oppoſitam cenſentes omni Canonum, & legum auxilio deſtitutam eſſe, & illam probant, quoniam ius dictat omnes cauſas Eccleſiaſticas tractandas, & examinandas fore apud Iudices Eccleſiaſticos, non apud ſeculares, cap. 2. de Iudi. Cauſæ vero Eccleſiaſticæ intelliguntur non quæ ſunt de rebus temporalibus, Eccleſiarum, ſed de rebus ſpiritualibus earum, & de his, quæ quaſi ſpirituales cenſentur. Patet autem cauſam poſſeſſoriam etiam ſimplicem dici Eccleſiaſticam, vt probari poteſt ex Clem. vni. de cau. poſs. & propriet. & Clem. vni. de ſequeſtr. & poſseſſ. & fruct.

Auctoritates autem quædam, quæ huic concluſioni apparentes aduerſari videntur, facile explicantur, & diſſoluuntur. In primis afferri poteſt textus in cap. vlt. de Iudi. vbi Actor Laicus obtinuit ſententiam à Iudice ſeculari contra Abbatem, & Monachos ſuper poſseſſione, vel quaſi iuris eligendi Rectorem, & tamen res ſpiritualis erat. Sed reſpondetur ibi tractari de beneficio, & dignitate ſeculari, & electione ad eandem conſtituendā, non de dignitate Eccleſiaſtica,

A vt ibi notat Gloſ. verſ. Promulgauit. Deinde adduci poteſt c. Lator, qui fi. ſint legi. Vbi conceditur ſeculari iudici, vt cauſam ſuper hæreditate audiat, & decidat, quamuis quæſtio natiuitatis adhuc terminata non ſit, ſed reſpondetur cauſam poſseſſoriam ſuper hæreditate bonorum temporalium temporalem cenſeri, neque ad matrimonium, ſeu aliud, quod ſit ſpirituale, pertinere. Tertio in cap. Petimus 11. q. 1. ex Concil. Carthag. 3. cap. 38. permittitur, vt per Rectorem Prouinciæ expellatur quidam Epiſcopus, qui plebem, quam inuaſerat, reddere nolebat. Verùm ibi ſeculare Iudicium poſtulatur, & requiritur potius in auxilium Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, quàm ad principalem cauſæ Eccleſiaſticæ cognitionem.

B Quæres, an ob conſuetudinem receptam hæc cauſa poſſit ad ciuiles Iudices pertinere, quando Reus eſt Laicus, & Actor Clericus, concedit Couar. Verum cum hæc cauſa, vt dictum eſt, ſpiritualis eſt, vel quaſi ſpiritualis, ad Iudicem Laicum trahi non poteſt, nec conſuetudo contraria vim, & locum habet: Laicus enim ſibi vendicare nequit, quæ ſunt Eccleſiaſtici iuris, & poteſtatis.

Certum itaque eſſe debet, quod quoties agitur res inter Clericos, aut Reus tantum Clericus eſt, nullo modo de tali cauſa agere ad Iudicem Laicum pertinere etiam ſi fateremur talem cauſam poſſeſſoriam, eſſe temporalem, cum Clericus ſemper ſit apud Eccleſiaſticum Iudicem conueniendus, cap. Qualiter de
C Iudi. Abb. ibi, & Felin. Auth. ſtatuimus. C. de Epi. & Cler. Et de hac prima quæſtione hæc ſatis dicta erūt.

Secundò quæri poteſt, An quando Epiſcopi, & cæteri Superiores Eccleſiaſtici negligenter ſe gerunt in iudicandis cauſis ad Eccleſiam pertinentibus, Iudex ciuilis, & ſecularis poſſit iure abſque metu incurrendi cenſuram excommunicationis eas cauſas ad ſe auocare.

Abb. in cap. Qualiter num. 7. de Iudi. tenet cum Gloſa ver. Prohibemus Iudicem Eccleſiaſticum ſupplere quidem poſſe negligentiæ Iudicis ſecularis, ſed non è contra, quoniam Magiſtratus ciuilis Eccleſiaſtici Iudicis vicem, & curam ſupplere nequit, cum ſuū
D officium negligit. Huius diuerſitatis illam rationem præcipuam aſſignat, quæ eius cauſa eſt, & fundamentum, quoniam Eccleſia poteſtatem habet etiam in temporalibus, ſaltem in habitu, vt idem Abb. probat in cap. Nouit eod. tit. quam iuriſdictionem exercere poteſt, & debet ſuppoſita negligentia Iudicis ſecularis, qui cenſetur Miniſter Eccleſiæ; At Iudex Laicus neque actu, neque habitu vlla gaudet iuriſdictione in Clericos, immo huius poteſtatis eſt prorſus incapax, arg. cap. Cauſam de præſcript. & cap. Sacerdotibus, 11. q. 1. & eſt inferior Eccleſiaſtico cap. Denique 96. diſt. & in Clem. Romani de iur. iur. Idcirco nullo modo ei conceſſum eſt, vt Iudicis Eccleſiaſtici negligentiam ſupplere valeat, cum minori non liceat maiorē
E corrigere, niſi in caſibus iure expreſſis, vt Innoc. notat in cap. Diuerſitatem de conceſ. præben. & idem ſentit Io. And. in dicto cap. Qualiter.

Alij oppoſitum affirmāt, nempe poſſe per Iudicem ciuilem compelli Iudicem Eccleſiaſticum, vt deſinat vim inferre, & cenſuris opprimere litigātes, & id pluribus nititur probare. Primò vt quietè Reſp. viuat, & omnis violentia propulſetur, alioquin impunita delicta manerent, & innocentes à ſontibus, & improbis hominibus vexarentur, & opprimerentur. Secundò quia in c. Filiis & nepotibus 16. q. 6. conſtat, Epiſcopis, & Archiepiſcopis negligentibus punitionem

eorum

corum Rectorum, qui bonis Ecclesiasticis abutuntur, licere Rectoribus Ecclesiarum Regem adire, vt illi malo medeatur, & cap. Regum 23. q. 5. ex Hieronymo refertur, Regum officium proprium esse facere iudiciũ, & iustitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppressos, & Peregrinis pupillisque, & viduis, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium, & idem colligitur ex cap. Ab Imperatoribus 23. q. 3. Tertiò in c. Principes 23. q. 5. ex Isidoro Gratianus testimonium producit, vbi innuitur seculares Principes eam potestatem habere, vt superborum ceruices comprimant; Et quod fieri non potest per Iudices Ecclesiasticos, ab ipsis iuxta disciplinam Reipub. vtilem executioni mãdetur, & in c. Administratores 23. q. 5. sancitum est, *Administratores secularium dignitatum, qui ad Ecclesiarum tuitionem, pupillorum, ac viduarum protectionem, rapaciumque refrenationem, constituti esse proculdubio debent, quoties ab Episcopis, & Ecclesiasticis viris conuenti fuerint, eorum querimonias attentius audiant, & secũdum quod necessitas expetierit absque negligentia examinent, & diligenti studio corrigant.* Quartò idem probat cap. Si quis cum Clerico 11. q. 1. & Auth. vt Clerici apud prop. Epi primùm conueniantur colla. 6. quibus in locis habetur Episcopo negligente aut recusante, quia non vult, quia non potest, disceptationem peruenire debere ad Ciuilem Iudicem, & idem colligi videtur ex c. Petimus, & c. Istud ead cau. & quæst.

Huic opinioni adhæret, & eam sequitur, & pluribus Doctorum testimonijs, & rationibus confirmare nititur Bernardus Diaz in sua Pract. crim. cap. 102.

Ex his duabus oppositis sententijs, prima tantum sententia vera est Iudicem Ciuilem non posse se iure immiscere in ijs causis, quæ ad forum Ecclesiasticum spectant, quantumuis Ecclesiasticus Iudex negligenter, & iniquè se gerat in earum cognitione. Est opinio Abb. in dicto cap. Qualiter num. 6. de Iudi. vt dixi, & citat Goffr. Archid. & Io. And. Et probatur quoniam in sacris Canonibus interdictum fuit; Ne, causæ spirituales, & Ecclesiasticæ, etiamsi Iudices Ecclesiastici in administranda iustitia errarent, ad profanos, & ciuiles Iudices deuoluerentur: sic enim definitum fuit ab Innocentio Tertio in dicto cap. Qualiter de Iudi. *Ne pro defectu iustitiæ Clerici trahantur à Laicis ad Iudicium seculare, quod omnino fieri prohibemus.* Idem constat ex cap. Si quis Clericis, cap. Placuit, cap. Christianis, cap. Clericum 11. q. 1. Nec propterea sequitur, vt impunita maneant delicta, aut innocentes ab improbis hominibus opprimantur; Nam si Episcopi negligenter se gerunt, Canones præcipiunt, vt causæ ad Archiepiscopos deferantur, quòd si illi eodem morbo laborent, tunc ad Primates, & Patriarchas recurrendum est; Quibus similiter deficientibus, adiri poterit Nuncius, vel Legatus Apostolicus, vel tandem, si omnes negligenter, & iniquè se gesserint, quod nec imaginatione quidem concipi potest, ad supremum in Terris Tribunal à Christo immediatè institutum, cui Romanus Pontifex potestate diuinitus accepta præsidet, tunc temporis confugiendum erit.

Sed postulabit aliquis, quid si Papa neglexerit: tũc enim nullum aliud superest remedium, nisi vt ad Reges, & Principes seculares recurramus, & eorum auctoritate ab aliorũ iniurijs, & violentijs protegamus.

Respondeo, quando res ad hunc statum deducitur, dicitur casus necessitatis; Nunquam tamen licebit Iudici seculari ad se aduocare causam spiritualem, cum inferior in Superiorem nullam potestatem habeat, Verùm cur diligentiores profanos, & ciuiles Iudices; quam Ecclesiasticos fore putemus nulla ratio persuadere poterit . . . . Quare quemadmodum si daremus omnes Ecclesiasticos Iudices inferiores, & Superiores iura, & Canones contemnere, adhuc tamen nemini sibi ipsi ius dicere liceret, ita neque in eodem casu iudicem profanum in causa spirituali, qui sibi ius diceret, conuenire posset.

Rursus petet aliquis, si Clerici commorentur in Terris Infidelium, aut Hæreticorum, in quibus nullus Iudex Ecclesiasticus inueniatur, ad quem causa spiritualis deferatur, cum secularis Iudex, qui ibi reperiatur possit absque excommunicationis periculo de illa cognoscere.

Respondeo non posse, sed consulendus erit Romanus Pontifex, si commodè fieri poterit, & ab eo postulandum, vt vel rigorem sacrorum Canonum remittat, vt huiusmodi causæ apud ciuilem Iudicem tractari possint, vel aliud opportunum remedium præbeat.

Ad ea verò, quæ pro contraria sententia adducta sunt, non est difficile respondere; Ad primum patet responsio ex dictis, Ad aliud desumptum ex cap. Filijs, 16. quæst. 7. respondeo, sicut dicebam in cap. 3. superioris Disputationis cum Abb. ibi solùm statutum esse, Episcopo negligente, vel renuente, ad Regem causam deferri, non vt ipse Rex iudicet atque definiat, sed vt moneat Superiorem Ecclesiasticum. Vel etiam responderi potest hoc ius antiquum sublatum esse ab Innocentio Tertio in dicto cap. Qualiter de Iudi. vt Abb. quoque testatur numero 7. ex sententia Io. And. & Glosa, quæ habetur in dicto cap. Filijs, ver. Regis, meritò reijcitur, vt Abb. inquit. Ad tertium ex cap. Principes 23. quæst. 5. dico ex illo tex. id solùm probari posse, nimirum munus Principis secularis esse viribus suis, & iurisdictione temporali, qua fungitur, Episcopum suum adiuuare, & ad id obligatione obstringi. Vnde in cap. Cum ad verum 96. distinct. dicitur vtranque potestatem Ecclesiasticam scilicet, & secularem per alteram adiuuari, & Episcopum posse, cum opus ei fuerit, ad regendos suos subditos auxilium bracchi secularis inuocare, vt expressè statuitur in cap. 1. de off. ordi. & in capitulo Periculoso, in fine de stat. regul. lib. 6. & eodem modo interpretandum est, cap. Administratores 23. quæst. 5. Ad quartum ex cap. Si quis cum Clerico, 11. quæst. 1. & in Authent. Vt Clerici apud proprios, respondendum est, ea decreta, & iura, quatenus definiunt Episcopo negligente controuersiam ad Ciuilem Iudicem deferendam esse, abrogata fuisse ab Innocentio Tertio in dicto capitulo Qualiter, de Iudi. vt notant Io. And. & Abb. in eodem cap. Nam antiquitus multa fuerunt permissa, vel concessa, quæ postea meritò reuocata, mutata, vel sublata fuerunt.

Tertiò principaliter quæritur, an seculares, Iudices, innodentur hac excommunicatione, si cogant Iudices Ecclesiasticos, vt à vi, & iniuria inferenda cessent, cum censuris litigantes opprimunt.

Veritas est repugnare sacris Canonibus, vt Iudices profani de causis spiritualibus, & Ecclesiasticis iudicent, Clericos ad sua tribunalia vocent, & pœnas in Ecclesiasticos Iudices constituant, & contrarium vsum, & morem minime iuri consentaneum esse. Ratio huius assertionis illa est, quoniam si Clericus, vel Episcopus pœna dignus fuerit,

ritu à Superiori Ecclesiastico Iudice secundum Canones condemnari & puniri debet. Clericus enim eoram Episcopo conuenitur, Episcopus coram Archiepiscopo, cap. Ad reprimendam de off. ordi. & c. Sacro de sent. excom. Archiepiscopus coram Primate, cap. Antiqua de priuileg. Primas coram Romano Pontifice, vel Legato ab eo ad seculares misso,

Sed obijciet quis, licet hic ordo seruari possit, quãdo Episcopi non longe distant à Curia Romana, haud tamen hoc remedium prodesse, si procul absint, & proinde difficile sit & molestum eorum crimina & errata ad Romanum Pontificem deferre.

Respondeo in his locis præter Episcopos adesse Archiepiscopos, adesse Primates, item Nuncios Apostolicos, Legatos, qui de Episcoporum & Clericorum causis cognoscant & iudicent. Si ergo Episcopus delinquit, causa ad Archiepiscopum, vel Primatem, aut Nuncium, vel Legatum Apostolicum deferenda est, & si Episcopus non admittit iustam appellationem, id curet Archiepiscopus, & Primas, aut Nuncius, vel Legatus Pontificius, & eodem modo vbi Episcopus innocentem vexat, iure suo spoliat, si res Ecclesiæ negligit; si vim infert, Prælatus Episcopo superior huic malo prospiciat, & iniuriam propulset, quòd si omnes Prælati Episcopo superiores deliquerint, res tota ad Romanum Pontificem est deferenda. Verum si dum Romanus Pontifex conuenitur, Reip. pax & tranquillitas perturbetur, neque Laicus tunc potest de causa spirituali cognoscere, sed solum licet ei causam ad Romanum Pontificem deferre, vt ipse in Episcopos & alios Prælatos Superiores, res Ecclesiarum perperam administrantes inquirat & animaduertat. Quamobrem nõ valet ratio illa, quando Ecclesiasticus Index, vel negligit, vel nequit causas Ecclesiasticas cognoscere, eas sæculares iure cognoscere posse. Non enim consequens est, si Episcopi, id non faciant, deesse in his locis Iudices Ecclesiasticos competentes, cum sint Archiepiscopi, Primates, Nuncij, Legati Apostolici.

Sed rursus opponet aliquis, demus ipsum quoque Romanum Pontificem negligere canones sacros, & delicta impunita relinquere, res Ecclesiæ peruertere, innocentes opprimere, secularium iura occupare, tunc videntur seculares necessitate coacti, vt auctoritate & potestate, qua alijs præstant, teneantur occurrere violentijs, tueri iura & sacros Canones, innocentibus opem ferre, & Populum ab his oppressionibus & iniurijs liberare.

Respondeo, quamuis concipiatur res ad talem statum redacta, vt nullum supersit remedium, quod cognitione potius admitti, quàm re ipsa contingere potest, tamen adhuc nullum seculari ius competit in Romanum Pontificem, quia Summus Pontifex nullum habet in Terris Superiorem, à quo iudicari possit, qui à solo Deo iudicatur c. Nemo 9. q. 3. cap. Si Papa dist. 46. cap. Ipsi sunt, cap. Cuncta 9. q. 3. sed ipse superior est omni Principe, & qualibet humana potestate & lege siue ciuili, siue Ecclesiastica.

Quamobrem si deroget Iuri scripto Ciuili seu Canonico, iniuriam nullam facit seculari; & ideo quãuis id sine iusta & legitima causa faciens peccet, iudicari tamen & condemnari à laico nequit, sed certior faciendus est & rogandus, vt à factu desistat, eique rationes suppeditandæ sunt ad persuadendum, vt ab incepto retrahatur, ne leges, & iura violare

A velit, neque Laicorum priuilegia abolere, aut abrogare, & ad hoc etiam precibus Cardinalium, & aliorum Ecclesiæ Prælatorum exorandus, vt communi bono secularium Catholicorum consulat, & simul Reipub. Christianę paci, ac tranquillitati prospiciat. Hoc est, quod asserit Turrecrem. in Summa de Ecclesia lib. 2. cap. 106. Sylue. Ver. Papa. §. 4. vltra med. vers. Et idem. Petrus de Palud. in lib. de pot. Papæ sentit &c. Solutio argumentorum, quæ desumpta sunt ex sacris Canonibus, patet ex dictis in præcedenti quæstione,

Sed contra dicet aliquis, iure naturæ cuicunque competit vim vi repellere. l. vt vim. ff. de iust. ergo Laicus ius habet vim illatam ab ecclesiastico propulsandi. Respondendum est verum esse vim vi repelli posse, sed id solùm locum habet, aliquis siue superior, siue priuata persona extra iudicium, priuata auctoritate vim affert, non autem cum publico Iudicis officio fungitur, vt rectè ibi annotauit Glos. cum ait ver. vt vim, *Scilicet iniustè illatam ab aliquo priuato, non illatam ab eo, cui subditi sumus, vt ff. de Iniur. l. Iniuriarũ. §. 1. ff. de rei vendic. l. qui restituere &c. Sed quid si à potestate, & iniustè, Respondeo pati debemus secundùm M. &c.* Quare si Iudex publica auctoritate agens vexet innocentem, iniuriam inferat, peccat quidem, sed aduersus eum, iuris ordine seruato agendum est, scilicet appellandum est ad Iudicem Superiorem, si ille inferior sit, quòd si supremus sit, nullum superest remediũ, nisi vt pęna æquo, & patienti animo sustineatur, neque vllo modo iniuria armis, vi, vel simili modo repelli potest.

Quamobrem sententia Francisci Victoriæ in repet. de potestate Papæ, & concilij in propositione 22. veritati aduersatur cum asserit posse resisti Summo Pontifici, & executionem mandatorum eius impediri, vbi talia mandata, & ordinationes in destructionem Ecclesiæ vergunt, quia ius, inquit, vi repelli potest iure naturali, sed Papa huiusmodi mandatis infert vim, quia facit iniuriam ergo licitum est resistere illi. Nam cuilibet competit ius ad resistendum iniuriæ, & ad impediendum eam, si se tueatur, & defendat, & addit, non solùm licere non parere huiusmodi mandatis, sed etiam permissum esse facto, & vi resistere, & talium mandatorum executionem impedire, maximè intercedente publica auctoritate Principis. Hæc affirmantur à Victoria, sed his verbis ab ipsa veritate plane aberrat. Neque enim Turrecrem. & Sylue. locis citatis hoc modo loquuntur, & re vera nullam vim infert Summus Pontifex, si iuri scripto humano deroget, si publica auctoritate procedat tanquã supremus Iudex, vt dixi. Quamobrem vsus ille forensis, quem affert Couar. & probat, & in quibusdam Prouincijs communiter testatur seruari, vt Laici de Clericis, & causis spiritualibus, & ecclesiasticis cognoscant, & iudicent, vtque ab ecclesiasticis Iudicibus ad Laicos appelletur, sacris Canonibus repugnat, vt ex cap. Qualiter de iudi. & cap. Si quis Clericus, cap. Placuit, cap. Christianis, cap. Clericum 11. q. 1. colligitur, & probat latè Abb. in dicto cap. Qualiter num. 8. vbi vniuersaliter negat, & indistinctè Clericum trahi posse ad Iudicium seculare, neque etiam in causa reali, siue criminali, siue ciuili, nec ratione soluendi tributi ex suis possessionibus, aut quacunque alia ratione. Et hanc consuetudinem corruptelam Doctores appellant. Nunquam enim præscribi potest, vt Laicus Iudex,

dex, vel Clericos iudicet, vel de causis spiritualibus cognoscat, quamuis esset vsus tanti temporis diuturnitate confirmatus, cuius initij memoria non extaret. Quoniam consuetudo longi temporis decursu munita, vt docet Io.And. in cap.2.de præben. lib.6. & Abb.in cap. Quanto de consuet. tribuit ius ei, qui capax est potestatis iuxta cap.1. de præscript.

A lib.6.& l.1.§.Ductus aquæ,ff.de aqua quotid. & æst. Sed Consuetudo non potest vllum ius dare ei, qui capax non est, vt probaui etiam cap. 3. præcedentis Disp. Sicque concludatur hoc Caput, & finis imponatur Decimæ quintæ Disp. Alia quædam, quæ ad eandem materiam spectaur, atque hic tractari possent, explicabuntur in sequenti Disputatione.

EXCOMMVNICATIO DECIMAQVINTA.

QVIVE EX EORVM PRAETENSO OFFICIO, VEL AD INSTANTIAM PARTIS, AVT ALIORVM QVORVMCVNQVE &c.

DISPVTATIO XVI.

DE EXCOMMVNICATIONE CONTRA trahentes ad Tribunal seculare personas Ecclesiasticas, & contrafacientes Statuta, quibus libertati Ecclesiasticæ derogetur.



IC Decimus quintus Canon cum tribus alijs sequentibus, vsque ad decimum nonum, est pars superioris decimiquarti, vt est videre in Bullis Antiquioribus, vsque ad Gregorium Decimum tertium, vt est apud Nauarrum numero 69 in quibus sub vno Canone includuntur omnes istæ clausulæ, & propterea initio illarum nō apponitur particula illa solita, *Excommunicamus, & Anathematizamus*, sicut in alijs omnibus, quia pertinent ad Canonem 14. tanquam partes illius. Nam in his omnibus agitur de eadem materia, scilicet de offensione libertatis Ecclesiasticæ, vel quoad retardationem literarum Apostolicarum, vel quia impeditur iurisdictio Iudicum Ecclesiasticorum in cognitione causarum, vel quia personæ Ecclesiasticæ trahūtur ad tribunalia secularia, aut quia Prælati Ecclesiæ impediuntur, ne vtantur sua iurisdictione, vel quoad vsurpationem fructuum, & reddituum Ecclesiæ, vel tandem quoad exactionem pedagiorum à personis Ecclesiasticis. D

Habet hæc clausula duas principales partes; In priori pronunciatur excommunicatio contra offendentes personas, Ecclesias, vel Congregationes, & communitates ex eisdem personis cōstitutas, vt Capitula, Conuentus &c. non quouis genere offensionis, sed ex officio, quo funguntur, & iurisdictione Laicali trahentes eas ad tribunalia temporalia. In posteriori excommunicantur offendentes libertatem, & iura Ecclesiastica, condendo statuta dictæ libertati quouis modo contraria, & quocunque colore, & prætextu edita etiam titulo consuetudinis, priuilegij, &c. Quare materia huius Canonis est duplex Sacrilegium. E Primum, quo offenditur Ecclesiastica liber-

B tas in personis Ecclesiasticis, in Capitulis, & Conuentibus &c. Secundum, quo eadem libertas offenditur per statuta, & decreta quæcunque, seu constitutiones, seu præiudicatur Iuribus Papæ, & Sedis Apostolicæ, & quarumcunque Ecclesiarum. Et quoad personas est vniuersalis comprehendens omnes, qui iurisdictione laicali, vel ex officio, aut ad aliorum instantiam committunt, quæ hic prohibentur. Duæ verò sunt actiones principales damnatæ. Prima est trahere, vel efficere, vt trahantur, aut id directè, vel indirectè procurare ex prætenso officio, vel ad instātiam partis, vel alio quouis quæsito colore personas Ecclesiasticas, Capitula Conuentus, Collegia Ecclesiarum C quarumcunque coram se ad suum Trībunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, Parlamentum præter dispositionem Iuris Canonici. Secunda actio est facere, ordinare, vel publicare Statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, vel alia quæuis decreta in genere, vel in specie, vel vtifactis, & ordinatis quouis quæsito colore, quauis causa, vel etiā prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, vnde libertas Ecclesiastica tollatur, seu in aliquo lędatur, aut deprimatur, vel quouis modo restringatur, seu præiudicetur Iuribus Sedis Apostolicę, aut quarumcunque Ecclesiarum quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè aut expresśè.

D

Caput Primum, De prima actione probibita sub illis verbis, Quiue ex eorum prætenso officio &c. *vsque ad illa,* vel procurant directè, vel indirectè quouis quęsito colore.

Caput Secundum, Quo iure personæ Ecclesiasticæ sint à potestate, & iurisdictione Principum secularium, & Ciuilium Magistratuum immunes & exemptę, & quàm late pateat hoc priuilegium.

Caput Tertium, De secunda actione principali damnata in hoc Canone illis verbis, Necnon qui Statuta, Ordinationes, Constitutiones, &c. *vsque ad finem.*

E *Caput Quartum, De Excommunicatione lata in cap. Nouerit de senten.excomm. contra violatores Ecclesiasticæ immunitatis, & quomodo illa conueniat & differat ab hac*

ab hac censura Bullæ Cœnæ explicantur.

Caput Quintum, In quo plura, & diuersa laicorum statuta proponuntur, & an Ecclesiasticæ libertati, & immunitati repugnent, dicuntur.

Caput Sextum, In quo alia dubitationes elucidantur de eadem materia.

CAPVT I.

De prima actione prohibita sub illis verbis, Quiue ex eorum prætenso officio, &c. *vsque ad illa*, vel procurant directè, vel indirectè quouis quæsito colore.

HAcc censura solùm eos comprehendit, qui iudiciaria auctoritate laicali, hoc modo abutuntur in personas Ecclesiasticas, quod significat illa clausula, *Quiue ex eorum prætenso officio.* Hæc enim verba connectuntur cum alijs positis in fine præcedẽtis Canonis, nimirum *etiam si talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, &c.* Ergo de eisdem intelligit Papa in hoc Canone, qui ex aliquo prætenso officio temporali, & ciuili ex genere eorum, quæ ibi exprimuntur, vel similium talia attentare præsumunt.

Neque tamen hæc excommunicatio edita est solũ cõtra Principes temporales, & Iudices seculares, qui se constituunt Iudices Ecclesiasticorum. Sed etiam complectitur Prælatos Ecclesiasticos, qui auctoritate laica eadem faciunt, aut quia ipsi retinent temporale dominium in aliquibus Terris eorum iurisdictioni subiectis, vel quia nomine Principum seculariũ exercent aliquem magistratum secularem, & ratione laicis auctoritatis se constituunt Iudices Ecclesiasticorum; Puta si aliqua persona Ecclesiastica sit Iudex loco Laici. Ratio est, quia in textu non ponitur discrimen inter Laicos & Clericos, sed simpliciter dicitur, *Quiue ex eorum prætenso officio*, Ergo quicunque fuerint, siue laici, siue ecclesiastici, qui laicali, & temporali iurisdictione talia præsumpserint, innodantur excommunicatione, vt tradit etiam Caietanus in Summa ver. Excommunicatio cap. 29. in fin. Non contraheret autem excommunicationem Iudex Ecclesiasticus, qui Clericum non sibi subditum ad suum tribunal traheret.

Vel ad instantiam partis, Ad incurrendam hanc censuram nihil refert; An Iudex Laicus sponte ratione sui officij moueatur ad vocandum ecclesiasticos ad suum tribunal, vel id faciat ad instantiam partis recurrentis ad eum, & petentis, vt eo modo sibi succurrat. Duobus enim modis solet Iudex causam aliquam cognoscere, vel motu proprio, nemine instante, & vocatur merum officium Iudicis, vt docet Specul. in tit. de off. om. iudi. §. Potest & aliter distingui nu. 2. & Felin. in cap. 1. nu. 9. de off. iudi. vel parte instante, & Iudicis officium implorante, & dicitur officium Iudicis ad instantiam partis, & vtroque modo locus est huic excommunicationi.

Personas ecclesiasticas. Personæ ecclesiasticæ sunt Clerici quocunque ordine initiati, ex ijs, quibus sacramentum ordinis cõstituitur, & Monachi, seu Religiosi Deo per professionem dicati etiam Conuersi, vt probaui in Disp. 13. c. 3. Immo & Nouitij ante professionem vocantur personæ ecclesiasticæ, & gaudẽt priuilegio non solum Canonis si quis suadente, sed fori, vt asserit Nauar. cons. 5. de fo. compet. arg. cap. Reli-

A gioso. §. quemuis autem de sent. excomm. lib. 6. Sub eodem etiam genere personarum ecclesiasticarum comprehenduntur quoque Equites de Alcantara, & Calatraus, etiam illi, qui nullum habent ordinem, quoniam constituitur ecclesiastica persona etiam sine ordine, vt Regulares Conuersi Laici, cap. Alia causa Clericorum, cap. Si Clericatus te titellat, cap. Legi Epistolam 16. q. 1. Immo, & Mulieres sine ordine sunt personæ ecclesiasticæ, vt sanctimoniales, cap. de monialibus de sent. excom. cap. De indemnitatibus de elect. lib. 6. In prædictis autem ordinibus militiarum, alij sunt ordinati officijs diuinis emancipati. Alij verò non sunt ordinati, & ad officia militaria, vel alia etiam Laicis conuenientia destinati. Et quamuis di-

B cti Equites non essent iure Religiosi, illi præsertim, quibus permissum est ducere vxores, vt sentit Dominicus Sotus lib. 6. q. 5. art. 3. de inst. & iur. licèt Nauar. in Tract. de reddit. ecclesiast. quæst. 1. monit. 55. nu. 5. oppositum tueatur; tamen non potest negari eos verè dici debere personas ecclesiasticas, maximè Commẽdatores; Tum quia sunt capaces beneficiorum ecclesiasticorum, quæ commendæ vocantur, & conferuntur tantum ab ecclesiasticis personis, nempe Papa, vel a Prælatis, & Administrationibus dictorum ordinum priuilegio Sedis Apostolicæ; Talia verò sunt beneficia ecclesiastica, vt tradit Calder. in cap. Postulasti de rescript. & alijs citatis à Felin. in dicto cap. Postulasti, & à Io. Selua in Tract. de benef. par. 1. quæst.

C 1. & à Nauar. in rubr. de præben. At Laici sunt incapaces ad ecclesiastica beneficia, vt neque suscipere, neque illa conferre possint, cap. Ex literis de transact. c. Cum adeò de rescript. cap. 2. de instit. Tum etiam quia omnis persona deputata alicui Ecclesiæ siue seculari, siue regulari deferens habitum alicuius Religionis, licèt non emittat tria vota substantialia, censetur ecclesiastica persona, & gaudet priuilegio Canonis & fori, vt est communis sententia Host. Io. And. Abb. in c. Vt priuilegia de priuileg. B. Antoni. 3. par. tit. 11. cap. 2. §. 1. prope fi. vers. de Rectoribus autem talium Hospitalium, Syluc. ver. Ecclesia 1. §. 6. prope fi. vers. quartò milites gaudentes. At ipsi Equites, & Commendatores sunt deputati perpetuò Monasterijs

D suis Regularibus, & suis ordinibus; Ergo sunt personæ ecclesiasticæ, & gaudent priuilegio Canonis, & fori, Felin. in cap. 2. nu. 10. de fo. compet. Et quidem nemo est, qui neget huiusmodi milites esse verè, & simpliciter personas Ecclesiasticas, & priuilegijs, ac immunitatibus Clericorum potiri tanquam propriè Religiosos, vel iure communi, vel saltem Romanorum Pontificum beneficio. Milites enim S. Io. Hierosolymitani, & alij similes, qui simpliciter castitatem cum paupertate, & obedientia vocent, sunt simpliciter religiosi, & licèt Abb. in c. Quamuis de deci. & in rubr. de Regularibus vocet eos Laicos, quoniam sunt milites ad bella gerenda instituti, tamen id non facit eos non esse religiosos, quia hoc modo dedicant se Deo,

E profitentes regulam Ecclesiæ auctoritate approbatam, tribus votis deuicti, & addicti ad dimicandũ pro Fide, & Religione Christiana. Immo ipsemet Abb. fatetur esse quasi religiosos, & priuilegio Canonis, & fori potiri, ac decimas percipere. Neque obstat Bigamos esse posse, & Bello Hostes trucidare: nam, vt inquit Nauar. in Tract. de reddit. Ecclesias. quæst. 1. monit. 55. & quæst. 3. monit. 27. & 29. & cons. 20. & 23. de Regul. hoc est illis concessum Romani Pontificis auctoritate. Alij verò milites, qui coniugalem tan-

tum

rum castitatem, paupertatem, & obedientiam vouēt, vt in Hispania milites Sancti Iacobi Calatrauæ, & Alcantaræ, & alij, qui coniugalem promittunt tantummodo castitatem, sunt personæ ecclesiasticæ, & Clericorum immunitatem habent in ijs, quæ Romani tribuere Pontifices; Ita Sylue. Ver. Ecclesia 1. §. 5. vbi ait milites religiosos quamuis matrimonio vtantur, priuilegijs nihilominus Clericorum gaudere; & hoc ita docuisse Lignanum, & Baribolum. Idem testatur de militibus, qui vulgò de spata dicuntur, & intelligere vult de Equitibus S. Iacobi. Hoc in loco Papa hac clausula, *Personas ecclesiasticas*, vult significare generaliter omnes, qui vel per receptionem ordinis etiam minoris, aut primæ tonsuræ, vel per assumptionem habitus in aliqua Religione, aut ordine militarum ea approbatis à Sede Apostolica eripiuntur à iurisdictione Imperatoris, vt inquit Abb. in cap. 2. num. 10. de fo. compet. Sylue. Ver. Ecclesia 1. §. 6. in princ. vers. & isti secundum Panor. & statim gaudent priuilegio fori ecclesiastici, & ad tribunal seculare trahi nequeunt, cap. Cum non ab homine de iudi. & trahentes censura huius Canonis obstringuntur.

Capitula, Conuentus, Collegia Ecclesiarum quarumcunque, Non solùm excommunicantur illi, qui trahunt ad seculare tribunal personas ipsas Ecclesiasticas, sed etiam trahentes Congregationes ea his personis constitutas, quomodocunque appellentur, nempe Capitula, Conuentus, seu Collegia. Capitulum aliquando dicitur in Auctoribus initium nouæ materiæ, aut materiarum disiunctio, & sic dicuntur Capitula decretalium. Nam qualibet decretalis per se Capitulum dicitur, eoq. sensu accipitur in cap. Quod in dubiis de sent. excom. Quandoque ponitur pro loco, vbi Canonici congregantur, eaque significatione accipi, ait Abb. c. in causis de elect. pro ipso Collegio Canonicorum sumitur in cap. Capitulum de rescrip. & in hac significatione accipitur in hoc Canone. *Conuentus*, quatuor modis intelligitur, quos refert fest. lib. 3. sed præter illas significationes Conuentus aliquando sumitur pro Monachorum cœtu, cap. Edoceri de rescr. & Clem. 2. eo. tit. Vnde dicitur Ecclesia conuentualis, c. Nobis de iu. patro. & vocatur Ecclesia conuentualis, vt ibi notat Glos. ver. in conuentuali, vbi duo, vel tres in Collegio sunt, & pro hac Congregatione ponitur nomen Conuentus in hoc Canone. *Collegium* dicitur Cœtus, seu Congregatio sodalium l. 1. & fin ff. de Colleg. & illici. & corpor. Tres verò Collegium faciunt, & à paucioribus non constituitur; Duo autem Congregationem facere possunt, vt in cap. 1. & ibi Glos. & Inuoc. de elect. l. Neratius 85. ff. de verb. sign. & omnis congregatio personarum ob aliquem finem vnitarum, siue simul, siue seorsum habitent, potest dici Collegium, vt notant Doct. in cap. Ea parte de rescript. & ibi per Felin. nu. 7. His igitur tribus nominibus omnis Congregatio ex pluribus singularibus personis collecta comprehenditur. Et quoniam Summus Pontifex loquitur de Congregationibus Ecclesiasticorum, non secularium; idcirco addit *Ecclesiarum quarumcunque*. Itaque excommunicantur quicunq; trahunt ad tribunalia secularia Clericos quoscunque Religiosos, & Monachos, aut Equites, qui Religionem, aut ordinem aliquem approbatum professi sunt, siue viros, siue moniales. Item vel Collegia, aut Conuentus ex huiusmodi personis constantes.

Sed hoc in loco primò quæri potest de Clericis; Vtrùm priuilegio fori fruantur soli Presbyteri, & Clerici in sacris, & maioribus ordinibus constituti, & consequenter censura excommunicationis lata in hoc Canone locum habeat tantùm, quando huiusmodi Clerici ad iudicia secularia trahuntur, an verò extendatur quoque ad Clericos minoribus ordinibus tantùm vel etiam sola prima tonsura initiatos.

Respondeo hoc priuilegio non solū gaudere Clericos in sacris ordinibus constitutos, sed omnes etiā sola tonsura insignitos, c. cum non ab homine, & c. Clerici de iudi. in quibus locis definitur clericos in quocunq. ordine constitutos à solo Ecclesiastico Iudice iudicandos esse. Idem habetur in c. 2. de fo. compet. *Nullus Iudicum*, scilicet secularium, vt notat Glos. *Neq. Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum vllum &c.* Glo. celebris in c. vni. ver. Clericus de Cleri. coniug. lib. 6. l. Presbyteros. C. de Epi. & Cleri. vbi omnes Clerici etiam ordinum minorum immunes, & liberi declarātur ab omnibus oneribus personalibus. Quamobrem Iudex secularis excommunicatione obstringitur non solum si Presbyteros, & alios Clericos in sacris constitutos vexare, & perturbare præsumpserit, & ad Iudicium seculare trahere intentauerit, sed etiam si hāc Laicalem iurisdictionē erga inferiores Clericos exercere temere ausus fuerit. Hæc tamen fori exemptio quoad inferiores Clericos optimè, & sapientissimè per Conc. Trid. sess. 23. cap. 6. limitata fuit, ne ex ea huiusmodi Clerici licentiam atque audaciam multa committendi delicta acciperent, neve Clerici ad hunc finem, & effectum solum hærent, quo possent tutò absque metu iustæ punitionis multis dare operam criminibus in Reipub. perniciem, & ordinis Clericalis dedecus. Decretum enim fuit per Conc. loco cit. Clericos hos non coniugatos, nec in ciuilibus, nec in criminalibus causis immunitate fori gaudere, nisi ecclesiasticum beneficium obtinuerint, aut Clericales vestes cum tonsura deferentes alicui Ecclesiæ Episcopi iussu inseruiant, vel in schola literaria ipsius Episcopi præcepto ad maiores ordines anhelantes versentur.

Postulabis, vt clarius decretum Concilij intelligatur; Vtrùm Clericus prima tonsura initiatus, qui pensionem ecclesiasticam obtinet, fori immunitate gaudeat, nam pensio non dicitur beneficium, cap. Quamuis 1. de preb. lib. 6. & ibi Doct. cap. Ad audientiam 2. de rescript. Latè tractat. Gomes. in Tract. de expecta. num. 92. Reg. de infirm. resigna. quæst. 16. in Reg. de Anna. posse q. 11. & probari potest ex Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. de reforma. his verbis *Patrimonium, vel pensionem obtinentes ordinari possint, sine his non possunt.* Et sic patet pensionem non esse beneficium, quia Cōcilium antea dixerat. Neminem esse admittendum ad ordines, nisi legitimè constet obtinere beneficium ecclesiasticum; ergo cum postea mentionem facit de pensione, declarat rem esse distinctam à beneficio; & certè ita dicendum est, si arctius naturam, & proprietatem ecclesiastici beneficij metiamur, secus verò, si in ampliori, & fauorabiliori significatione beneficiū capiatur: tunc enim beneficij appellatione ipsa pensio comprehenditur, vt animaduertit Gomes. in Reg. Cancell. Reg. de Trienna. possess. quæst. 50. litera C. Maximè hodie stante Motu proprio Sanctissimi Pij Quinti incip. Officium &c. Vbi pensionario iniungitur onus singulis diebus recitandi Officium Beatissimæ Virginis, & sic pensio onus spirituale annexum habet, quod non est parui momenti, vt beneficium possit optimo iure appellari. Quarè certum esse censeo Clericum prima tonsura, vel minoribus ordinibus ini-

dendum, vt ab incepto retrahatur, ne leges, & iura violare velit, neque Laicorum priuilegia abolere, aut abrogare, & ad hoc etiam precibus Cardinalium, & aliorum Ecclesiæ Prelatorum exorandus, vt communi bono Regum, & Principum Catholicorum consulat, & simul Reipub. Christianæ paci, ac tranquillitati prospiciat. Hoc est, quod asserit Turrecrem. in Summa de Ecclesia lib. 2. cap. 106. Sylue. ver. Papa. §. 4. vltra med. vers. Et idem Petrus de Palud. in lib. de pote. Papę sentit &c. Solutio argumentorum, quæ desumpta sunt ex sacris Canonibus, patet ex dictis in præcedenti quæstione.

Sed contra dicet aliquis, iure naturæ cuicunq. competit vim vi repellere. l. vt vim. ff. de iust. ergo Laicus ius habet vim illatam ab ecclesiastico propulsandi. Respondendum est verum esse vim vi repelli posse, sed id solùm locum habet, aliquis siue superior, siue priuata persona extra iudicium, priuata auctoritate vim affert, non autem cum publico Iudicis officio fungitur, vt rectè ibi annotauit Glos. cum ait ver. vt vim, *Scilicet iniustè illatam ab aliquo priuato, non illatam ab eo, cui subditi sumus, vt ff. de Iniur. l. Iniuriarum. § 1 ff. de rei vendic. l. qui restituere &c. Sed quid si à potestate, & iniustè, Respondeo pati debemus secundùm M. &c.* Quare si Iudex publica auctoritate agens vexet innocentem, iniuriam inferat, peccat quidem, sed aduersus eum, iuris ordine seruato agendum est, scilicet appellandum est ad Iudicem Superiorem, si ille inferior sit, quòd si supremus sit, nullum superest remedium, nisi vt pœna æquo, & patienti animo sustineatur, neque vllo modo iniuria armis, vi, vel simili modo repelli potest.

Quamobrem sententia Francisci Victoriæ in repet. de potestate Papæ, & concilij in propositione 22. probari non potest, cum asserit posse resisti Summo Pontifici, & executionem mandatorum eius impediri, vbi talia mandata, & ordinationes in destructionem Ecclesiæ vergunt, quia ius, inquit, vi repelli potest iure naturali, sed Papa huiusmodi mandatis infert vim, quia facit iniuriam, ergo licitum est resistere illi. Nam cuilibet competit ius ad resistendum iniuriæ, & ad impe-

A diendum eam, si se tueatur, & defendat, & addit, non solùm licere nõ parere huiusmodi mandatis, sed etiam permissum esse facto, & vi resistere, & talium mandatorum executionem impedire, maximè intercedente publica auctoritate Principis. Hæc affirmantur à Victoria, sed his verbis modum excessisse videtur. Neque enim Turrecrem. & Sylue. locis citatis hoc modo loquuntur, & reuera nullam vim infert Summus Pontifex, si iuri scripto humano deroget, si publica auctoritate procedat tanquam supremus Iudex, vt dixi. Quamobrem vsus ille forensis, quem affert Couar. &

B probat, & in quibusdam Prouincijs communiter testatur seruari, vt Laici etiam Imperatores, & Reges de Clericis, & causis spiritualibus, & ecclesiasticis cognoscant, & iudicent, vtque ab ecclesiasticis Iudicibus ad Laicos appelletur, sacris Canonibus repugnat, vt ex cap. Qualiter de iudi. & cap Si quis Clericus, cap. Placuit, cap. Christianis, cap. Clericum 11. q 1. colligitur, & probat latè Abb. in dicto cap. Qualiter nu. 8. vbi vniuersaliter negat, & indistinctè Clericum trahi posse ad iudicium seculare, neque etiam in causa reali, siue criminali, siue ciuili, nec ratione soluendi tributi

C ex suis possessionibus, aut quacunque alia ratione. Et hanc consuetudinem corruptelam Doctores appellant. Nunquam enim præscribi potest, vt Laicus Iudex, vel Clericos iudicet, vel de causis spiritualibus cognoscat, quamuis sit consuetudo tanti temporis diuturnitate firmata, cuius initij memoriæ non extet. Quoniam consuetudo longi temporis decursu munita, vt docet Io. And. in cap. 2. De Præben. lib. 6. & Abb. in cap. Quanto De Consuet. tribuit ius ei, qui capax est pote-

D statis iuxta cap. 1. De Præscript. lib. 6. & l. 1. §. Ductus aquæ, ff. De Aqua quotid. & æsti. Sed Consuetudo non potest vllum ius dare ei, qui capax non est, vt probaui etiam cap. 3. præcedentis Disp. Sicque concludatur hoc Caput, & finis imponatur Decimæ quintæ Disp. Alia quædam, quæ ad eandem materiam spectant, atque hic tractari possent, explicabuntur in sequenti Disputatione.



EXCOMMVNICATIO DECIMAQVINTA.

QVIVE EX EORVM PRAETENSO OFFICIO, VEL ADMINISTRANTIAM, PARTIS, AVT ALIORVM QVORVMCVNQVE &c.

DISPVTATIO XVI.

DE EXCOMMVNICATIONE CONTRAtrahẽtes ad Tribunal seculare personas Ecclesiasticas, & cõtrafaciẽtes Statuta, quibus libertati Ecclesiasticę derogetur.



HIC Decimus quintus Canon cum tribus aliis sequentibus, vsque ad decimumnonum, est pars superioris decimiquar-

E ti, vt est videre in Bullis Antiquioribus, vsque ad Gregorium Decimum tertium, vt est apud Nauarrum numero sexagesimo nono, in quibus sub vno Canone includuntur omnes istæ clausulæ, & propterea initio illarum non apponitur particula illa solita, *Excommunicamus, & Anathematizamus*, sicut in aliis omnibus, quia pertinent ad Canonem

14. tanquam partes illius. Nam in his omnibus agitur de eadem materia, scilicet de offensione libertatis Ecclesiasticæ, vel quoad retardationem literarum Apostolicarum, vel quia impeditur iurisdictio Iudicũ Ecclesiasticorum in cognitione causarum, vel quia personæ Ecclesiasticæ trahuntur ad tribunalia secularia, aut quia Prælati Ecclesiæ impediuntur, ne vtantur sua iurisdictione, vel quoad vsurpationem fructuũ, & redditũum Ecclesiæ, vel tandem quoad exactionem pedagiorum à personis Ecclesiasticis.

Habet hæc clausula duas principales partes; In priori pronunciatur excommunicatio contra offendentes personas, Ecclesias, vel Congregationes, & communitates ex eisdem personis constitutas, vt Capitula, Conuentus &c. non quouis genere offensionis, sed ex officio, quo funguntur, & iurisdictione Laicali trahentes eas ad tribunalia temporalia. In posteriori excommunicantur offendentes libertatem, & iura Ecclesiastica, condendo statuta dictæ libertati quouis modo contraria, & quocunque colore, & prætextu edita etiam titulo consuetudinis, priuilegij &c. Quare materia huius Canonis est duplex Sacrilegium: Primum, quo offenditur Ecclesiastica libertas in personis Ecclesiasticis, in Capitulis, & Conuentibus &c. Secundum, quo eadem libertas offenditur per statuta, & decreta quæcunque, seu constitutiones, seu præiudicatur Iuribus Papæ, & Sedis Apostolicæ, & quarumcunque Ecclesiarum. Et quoad personas est vniuersalis comprehendens omnes, qui iurisdictione laicali, vel ex officio, aut ad aliorum instantiam committunt, quæ hic prohibentur. Duæ verò sunt actiones principales damnatæ. Prima est trahere, vel efficere, vt trahantur, aut id directè vel indirectè procurare ex prætenso officio, vel ad instantiam partis, vel alio quouis quæsito colore personas Ecclesiasticas. Capitula Conuentus, Collegia Ecclesiarum quarumcunque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, Parlamentum præter dispositionem Iuris Canonici. Secunda actio est facere, ordinare, vel publicare Statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, vel alia quæuis decreta in genere, vel in specie, vel vtifactis, & ordinatis quouis quæsito colore, quauis causa, vel etiam prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, vnde libertas Ecclesiastica tollatur, seu in aliquo lædatur aut deprimatur, vel quouis modo restringatur, seu præiudicetur Iuribus Sedis Apostolicæ, aut quarumcunque Ecclesiarum quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè aut expressè.

CAPVT I.

De prima actione probibita sub illis verbis, Quiue ex eorum prętenso officio &c *vsque ad illa,* vel procurant directè, vel indirectè quouis quæsito colore.

HAec censura solùm eos comprehendit, qui iudiciaria auctoritate laicali, hoc modo abutuntur in personas Ecclesiasticas, quod significat illa clausula, *Quiue ex eorum prætenso officio.* Hæc enim verba connectuntur cum aliis positis in fine præcedẽtis Canonis, nimirum *etiam si talia committẽtes fuerint Præsidentes Cancellariarũ, Consiliorũ, Parlamentorũ, &c.* B Ergo de eisdem intelligit Papa in hoc Canone, qui ex aliquo prætẽso officio tẽporali, & simili ex genere eorũ, quæ ibi exprimũtur, vel similiũ talia attẽtare præsumunt.

Neque tamen hac excommunicatio edita est solùm contra Principes temporales, & Iudices seculares, qui se constituunt Iudices Ecclesiasticorũ. Sed etiam comprehẽditur Pręlatos Ecclesiasticos, qui auctoritate laica eadẽ faciunt, aut quia ipsi retinent temporale dominiũ in aliquibus Terris eorũ iurisdictioni subiectis, vel quia nomine Principum secularium exercent aliquem magistratũ secularem, & ratione laicis auctoritatis se constituunt Iudices Ecclesiasticorũ, Puta si in Sicilia aliqua persona Ecclesiastica sit Iudex Monarchię loco C Regis, sæpe enim contingit Prælatũ fungi officio Proregis in aliquo Regno. Ratio est, quia in textu non ponitur discrimen inter laicos & Clericos, sed simpliciter dicitur, *Quiue ex eorum prætenso officio,* Ergo quicunque fuerint, siue laici, siue ecclesiastici, qui laicali, & temporali iurisdictione talia præsumpserint, innodantur excommunicatione, vt tradit etiam Caietanus in Summa ver. excommunicatio cap. 29. in fin. Non contraheret autem excommunicationem Iudex ecclesiasticus, qui Clericum nõ sibi subditum ad suum tribunal traheret.

Vel ad instantiam partis, Ad incurrendam hanc censuram nihil refert, An Iudex Laicus sponte ratione sui officij moueatur ad vocandum ecclesiasticos ad suum D tribunal, vel id faciat ad instantiam partis recurrentis ad eum, & petentis, vt eo modo sibi succurrat. Duobus enim modis solet Iudex causam aliquam cognoscere, vel motu proprio, nemine instãte, & vocatur merum officium Iudicis, vt docet specul. in tit. de off. om. iudi. §. Potest & aliter distingui nu. 2. & Felin. in cap. 1. nu. 9. de off. iudi. vel parte instante, & Iudicis officium implorante, & dicitur officiũ Iudicis ad instantiã partis, & vtroq. modo locus est huic excommunicationi.

Personas ecclesiasticas Personæ ecclesiasticæ sunt Clerici quocunque ordine initiati, ex ijs, quibus sacramentum ordinis cõstituitur, & Monachi, seu Religiosi Deo per professionem dicati etiam Conuersi, vt probaui in Disp. 73. c. 3. Immo & Nouitij ante professionẽ vocan- E tur personæ ecclesiasticæ, & gaudent priuilegio non solum Canonis si quis suadente, sed fori, vt asserit Nauar. cons. 5. de fo. compet. arg. cap. Religioso. §. quemuis autem de sent. excom. lib. 6. Sub eodem etiam genere personarum ecclesiasticarum comprehenduntur quoque Equites de Alcantara, & Calatraua, etiam illi, qui nullum habent ordinem, quoniam constituitur ecclesiastica persona etiam sine ordine, vt Regulares Conuersi Laici cap. Alia causa Clericorum, cap. Si Clericatus te titellat, cap. Legi Epistolam 16. q. 1. Immo, & Mulieres sine ordine sunt personæ ecclesiasticæ,

vt

vt ſanctimoniales, cap. de monialibus de ſenr. excom. A cap. De indemnitatibus de elect. lib. 6. In prædictis autem ordinibus militiarum, alii ſunt ordinati officiis diuinis emancipati. Alii verò non ſunt ordinati, & ad officia militaria, vel alia etiam Laicis conuenientia deſtinati. Et quamnis dicti Equites non eſſent iure Religioſi, illi præſertim, quibus permiſſum eſt ducere vxores, vt ſentit Dominicus Sotus lib. 6. q. 5. art. 3. de iuſt. & iur. licèt Nauar. in Tract. de reddit. eccleſiaſt. quæſt. 1. monit. 55. nu. 5. oppoſitum tueatur; tamen non poteſt negari eos verè dici debere perſonas eccleſiaſticas, maximè Commendatores; Tum quia ſunt capaces beneficiorum eccleſiaſticorum, quæ commendæ vocantur, & conferunrur tantum ab eccleſiaſticis perſonis, nempe Papa, vel à Prælatis, & Adminiſtrationibus di- B ctorum ordinum priuilegio Sedis Apoſtolicæ; Talia verò ſunt beneficia eccleſiaſtica, vt tradit Calder. in cap. Poſtulaſti de reſcript. & alijs citatis à Felin. in dicto cap. Poſtulaſti, & à Io. Selua in Tract. de benef. par. 1. quæſt. 1. & à Nauar. in rubr. de præben. At Laici ſunt incapaces ad eccleſiaſtica beneficia, vt neque ſuſcipere, neque illa conferre poſſint, cap. Ex literis de tranſact. c. Cum adeò de reſcript. cap. 2. de inſtit. Tum etiã quia omnis perſona deputata alicui Eccleſiæ ſiue ſeculari, ſiue regulari deferens habitum alicuius Religionis, licèt non emittat tria vota ſubſtantialia, cenſetur eccleſiaſtica perſona, & gaudet priuilegio Canonis & fori, vt eſt cõmunis ſententia Hoſt. Io. And. Abb. in c. Vt priuilegia de priuileg. B. Antoni. 3. par. tit. 11. C cap. 2. §. 1. prope fi. verſ. de Rectoribus autem talium Hoſpitalium, Sylue. ver. Eccleſia 1. §. 6. prope fi. verſ. quartò milites gaudentes. At ipſi Equites, & Commendatores ſunt deputati perpetuò Monaſterijs ſuis Regularibus, & ſuis ordinibus; Ergo ſunt perſonæ eccleſiaſticæ, & gaudent priuilegio Canonis, & fori Felin. in cap. 2. nu. 10. de fo. compet. Et quidem nemo eſt, qui neget huiuſmodi milites eſſe verè, & ſimpliciter perſonas eccleſiaſticas, & priuilegijs, ac immunitatibus Clericorũ potiri tanquam propriè Religioſos, vel iure communi, vel ſaltem Romanorum Pontificum beneficio. Milites enim S. Io. Hieroſolymitani, & alii ſimiles, qui ſimpliciter caſtitatem cũ paupertate, & obe D dientia vouent, ſunt ſimpliciter religioſi, & licèt Abb. in cap. Quamuis de deci. & in rubr. de Regularibus vocet eos Laicos, quoniam ſunt milites ad bella gerenda inſtituti, tamen id non facit eos nõ eſſe religioſos, quia hoc modo dedicant ſe Deo, profitentes regulam Eccleſiæ auctoritate approbatam, tribus votis deuicti, & addicti ad dimicãdum pro Fide, & Religione Chriſtiana. Immo ipſemet Abb. fatetur eſſe quaſi religioſos, & priuilegio Canonis, & fori potiri, ac decimas percipere. Neque obſtat Bigamos eſſe poſſe, & Bello Hoſtes trucidare: nam, vt inquit Nauar. in Tract. de reddit. Eccleſiaſ. quæſt. 1. monit. 55. & quæſt. 3. monit. 27. & 29. & conſ. 20. & 23. de Regula. hoc eſt illis conceſſum Romani Pontificis auctoritate. Alii verò milites, qui E coniugalem tantùm caſtitatem, paupertatem, & obedientiam vouent, vt in Hiſpania milites Sancti Iacobi Calatrauæ, & Alcantare, & alii, qui coniugalem promittunt tantummodo caſtitatem, ſunt perſonæ eccleſiaſticæ, & Clericorũ immunitatem habent in iis, quæ Romani tribuere Pontifices; Ita Sylue. ver. Eccleſia 1. §. 5. vbi ait milites religioſos quamnis matrimonio vtantur, priuilegiis nihilominus Clericorum gaudere, & hoc ita docuiſſe Lignanum, & Bartholum. Idem reſtatur de militibus, qui vulgò de ſpata dicuntur, & intelligere vult de Equitibus S. Iacobi. Hoc in loco Papa hac clauſula, *Perſonas eccleſiaſticas*, vult ſignificare generaliter omnes, qui vel per receptionẽ ordinis etiam minoris, aut primæ tonſuræ, vel per aſſumptionem habitus in aliqua Religione, aut ordine militarum ex approbatis à Sede Apoſtolica eripiuntur à iuriſdictione Imperatoris, vt inquit Abb. in cap. 2. num. 10. de fo. compet. Sylue. ver. Eccleſia 1. §. 6. in princ. verſ. & iſti ſecundùm Panor. & ſtatim gaudent priuilegio fori eccleſiaſtici, & ad tribunal ſeculare trahi nequeunt, cap. Cum non ab homine de iudi. & trahentes cenſura huius Canonis obſtringuntur.

Capitula, Conuentus, Collegia Eccleſiarum quarumcunq. Non ſolùm excommunicantur illi, qui trahunt ad ſeculare tribunal perſonas ipſas Eccleſiaſticas, ſed etiam trahentes Congregationes ex his perſonis cõſtitutas, quomodocunque appellentur, nẽpe Capitula, Conuentus ſeu Collegia. Capitulum aliquando dicitur in Auctoribus initium nouæ materiæ, aut materiarũ diſtinctio, & ſic dicuntur Capitula decretalium. Nam quælibet decretalis per ſe Capitulum dicitur, eoq. ſenſu accipitur in cap. Quod in dubiis de ſent. excom. Quandoque ponitur pro loco, vbi Canonici congregantur, eaque ſignificatione accipi ait Abb. cap. in cauſis de elect. pro ipſo Collegio Canonicorum ſumitur in cap. Capitulum de reſcript. & in hac ſignificatione accipitur in hoc Canone. *Conuentus* quatuor modis intelligitur, quos refert ſeſt. lib. 5. ſed præter illas ſignificationes Conuentus aliquando ſumitur pro Monachorũ cœtu, cap. Edoceri de reſcript. & Clem. 2. eod. tit. Vnde dicitur Eccleſia conuentualis, cap. Nobis de iu. patro. & vocatur Eccleſia conuentualis, vt ibi notat Glo. ver. in conuentuali, vbi duo, vel tres in Collegio ſunt, & pro hac Congregatione ponitur nomen Conuentus in hoc Canone. *Collegium* dicitur Cœtus, ſeu Congregatio ſodalium l. 1. & fin. ff. de Colleg. illici. & corpor. Tres verò Collegium faciunt, & à paucioribus non conſtituitur; Duo autem Congregationem facere poſſunt, vt in cap. 1. & ibi Gloſ. & Innoc. de elect. l. Neratius 85. ff. de verb. ſignif. & omnis congregatio perſonarum ob aliquem finem vnitarum, ſiue ſimul, ſiue ſeorſum habitent, poteſt dici Collegium, vt notant Doct. in cap. Ex parte de reſcript. & ibi per Felin. n 7. His igitur tribus nominibus omnis Congregatio ex pluribus ſingularibus perſonis collecta comprehenditur. Et quoniam Summus Pontifex loquitur de Congregationibus eccleſiaſticorum, non ſecularium; idcirco addit *Eccleſiarum quarumcunque*. Itaque excommunicantur quicunque trahunt ad tribunalia ſecularia Clericos quoſcunque Religioſos, & Monachos, aut Equites, qui Religionem, aut ordinem aliquem approbatum profeſſi ſunt, ſiue viros, ſiue moniales. Item vel Collegia, aut Conuentus ex huiuſmodi perſonis conſtantes.

Sed hoc in loco primò quæri poteſt de Clericis; Vtrùm priuilegio fori fruantur ſoli Presbyteri, & Clerici in ſacris, & maioribus ordinibus conſtituti, & conſequenter cenſura excommunicationis lata in hoc Canone locum habeat tantùm, quando huiuſmodi Clerici ad iudicia ſecularia trahuntur, an verò extendatur quoque ad Clericos minoribus ordinibus tantùm vel etiam ſola prima tonſura initiatos.

Reſpondeo hoc priuilegio non ſolùm gaudere Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, ſed omnes etiã ſola tonſura inſignitos, c. cum non ab homine, &c. Clerici de iudi. in quibus locis definitur clericos in quocunq. ordine conſtitutos à ſolo Eccleſiaſtico Iudice iudicandos eſſe. Idem habetur in c. 2. de fo compet. *Nullus*

A *Iudicum*, scilicet secularium, vt notat Glos. *Neque Presbyterum neque Diaconum, aut Clericum vllum &c.* Glos. celebris in c. vni. ver. Clericus de Cleri. coniug. lib 6. l. Presbyteros. C. De Epi. & Cleri. vbi omnes Clerici etiam ordinum minorum immunes, & liberi declarantur ab omnibus oneribus personalibus. Quamobrem Iudex secularis excommunicatione obstringitur nō solùm si Presbyteros, & alios Clericos in sacris constitutos vexare, & perturbare præsumpserit, & ad Iudiciū seculare trahere intentauerit, sed etiam si hanc Laicalem iurisdictionem erga inferiores Clericos exercere temere ausus fuerit. Hæc tamen fori exemptio quoad inferiores Clericos optimè, & sapientissimè per Conc. Trid. sess. 23. cap. 6. limitata fuit, ne ex ea huiusmodi B Clerici licentiam atque audaciam multa committendi delicta acciperent, neve Clerici ad hunc finem, & effectum solum fierēt, quo possent tutò absq. metu iustæ punitionis multis dare operam criminibus in Reipub. perniciem, & ordinis Clericalis dedecus. Decretum enim fuit per Conc. loco cit. Clericos hos non coniugatos, nec in ciuilibus, nec in criminalibus causis immunitate fori gaudere, nisi ecclesiasticum beneficium obtinuerint, aut Clericales vestes cum tonsura deferentes alicui Ecclesiæ Episcopi iussu inseruiant, vel in schola literaria ipsius Episcopi præcepto ad maiores ordines anhelantes versentur.

Postulabis, vt clarius decretum Concilij intelligatur; Verùm Clericus prima tonsura initiatus, qui pen- C sionem ecclesiasticam obtinet, fori immunitate gaudeat, nam pensio non dicitur beneficium, cap. Quamuis 1. De præb. lib. 6. & ibi Doct. cap. Ad audientiam 2. De rescript. Latè tractat. Gomes. in Tract. De expecta. num. 92. Reg. de infirm. resigna. quæst. 16. in Reg. De Anna. posse. q. 21. & probari potest ex Concilio Trid. sess. 21. cap. 2. De reforma. his verbis *Patrimonium, vel pensionem obtinentes ordinari possunt, sine his non possunt*, Et sic patet pensionem non esse beneficium, quia Concilium antea dixerat, Neminem esse admittendum ad ordines, nisi legitimè constet obtinere beneficium ecclesiasticum; ergo cum postea mentionem facit de pensione, declarat rem esse distinctam à beneficio, & certè ita dicendum est, si arctius naturam, & D proprietatem ecclesiastici beneficij metiamur, secus verò, si in ampliori, & fauorabiliori significatione beneficium capiatur: tunc enim beneficij appellatione ipsa pensio comprehenditur, vt animaduertit Gomes. in Regul. Cancell. Reg. De Trienna. possess. quæst. 50. litera. C. Maximè hodie stante Motu proprio Sanctissimi Pij Quinti incip. Officiū &c. Vbi pensionario iniungitur onus singulis diebus recitandi Officium Beatissimæ Virginis, & sic pensio onus spirituale annexum habet, quod non est parui momenti, vt beneficium possit optimo iure appellari. Quare certum esse censeo Clericum primæ tonsura, vel minoribus ordinibus initiatum pensionem in titulum concessam obtinētem frui debere priuilegio fori Ecclesiastici. Idem ob eandem E rationem de Præstimonio est iudicandum; nam licèt non dicatur beneficium, vt scribit Io. And. in cap. vni. De rer. permut. lib. 6. & ideo Laico conferri possit, vt inquit Petr. Rebuff. in Tract. De pacif. possess. num. 150. 151. sed si in titulum Ecclesiasticum conferatur beneficium, iudicandum est, vt Rebuff. ibid. Io. Staphil. in Tract. De lit. Gra. & Iusti. Tit. De qualit. & statu benef. num. 4. Calde. consil. 6. Tit. De præben. Menoch. De arbit. Iudi. quæst. lib. 2. Centuria 3. Casu 201, num. 58. Quintial. Mando. De Reg. Cancell. Reg. 34. q. 12.

Postulabit secundò aliquis, An idem sit dicendum de Clerico primæ Tonsuræ, vel minorum ordinum, si Cappellaniam obtineat, an is dicatur beneficium Ecclesiasticum obtinere, vt fori Ecclesiastici priuilegio frui possit; Et ideo in excommunicationē incidat Iudex secularis, qui illum ad suum Tribunal trahere non vereatur.

Respondendum puto si Cappellania sit collatiua, & in perpetuum conferatur, Ecclesiasticum beneficium debere iudicari Glosa communiter approbata ver. si beneficiorum in Clem. 2. De Deci. & in Extrauag. execrabilis ver. Quæ alias de præben. inter communes sequitur Dec. consil. 210. numero 4. quod verum est, si Cappellania per Summum Pontificem, vel Episcopum fuerit collata, secus autem, si per alium Episcopo inferiorem, vt Glos. in dicta Eetrauag. execrabilis tradit, Imo. cap. In nostra vers. Quomodo De rescript.

Non est tandem prætereundum, quoticseunq. controuertitur; Vtrùm Reus per Iudicem secularē captus Clericus sit primæ tonsuræ, vel minorum ordinū, & an obtineat qualitates, & conditiones, quæ iuris cōmunis sanctionibus, & Concilij Trid. decreto requiruntur, controuersiam hanc per Iudicem ecclesiasticum, non secularem dirimendam esse, vt est textus in cap. Si Iudex Laicus De senten. excommunic. lib. 6. & latè probat Bernard. Diaz in sua Pract. Crim. Can. cap. 62. nu. 14. & sequen. vbi tradit formam obseruandam ad probandum Clericatum, qui regulariter per scripturam probari debet.

Secundò quæri potest de Clericis coniugatis, an gaudeant priuilegio huius Canonis, vt Iudex secularis, si illos trahat ad suum Tribunal, obstringatur excommunicatione; Et meritò dubitatur, quoniam in cap. Ex parte de Cleri. coniug. Honorius Tertius ita scribit Reginæ Anglorum, *Cum igitur reddenda sint, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo, æquanimiter duximus tolerandum, si à talibus*, idest Clericis coniugatis, de quibus sermo habetur, *Iustitias debitas, velut ab alijs vxoratis exigas, et seruitia cōsueta.* Vbi Glo. ver. à talibus inquit, *Et sic patet, quòd Clericus coniugatus, & tonsuratus non gaudet priuilegio Clericali.* Idē confirmat Abb. nu. 2.

Respondendum est cum Glo. in c. Ioannes Ver. Non potest, & Abb. ibi nu. 3. & Lap. alleg. 40. vel Matrimonium a Clerico contractum fuit validum, aut nullū ex impedimēto sacrorum ordinum. Si Matrimonium tenuit, aut cōtraxit Bigamiā, quia duxit successiuè duas vxores, aut duxit corruptam, & in hoc casu amittit omne priuilegium Clericali, immo cōpellendus est etiam inuitus dimittere habitum, & tonsuram, c. 1. De Biga. lib. 6. Vel non contraxit Bigamiam, & tunc temporis si dimisit habitum, & tonsuram, nullo gaudet priuilegio Clericali, vt in c. vni. De Cleri. coniug. lib. 6. quòd si incidat in habitu, & tonsura, duobus tantum priuilegijs frui potest, scilicet fori in causis tantùm criminalibus, quibus cognoscēdis Iudex Laicus se immiscere nequit, & personali priuilegium Canonis si quis suadente 17. q. 4. Reliqua omnia priuilegia ecclesiastica perdit ipso facto, vt in d. c. 1. De Cleri. coniug. lib. 6. & ibi Glo. ver. declaramus, & hoc modo intelligendū est dictū Innoc. Tertij in c. Io. De Cleri. coniug. cū inquit, *Quoniā igitur idem etiā tonsuratus non potest priuilegio clericali gaudere*, loquitur enim de cęteris priuilegijs, exceptis his duobus, & vt sit priuatus alijs priuilegijs, nulla requiritur monitio, sed sufficit sola celebratio matrimonii, vt inquit Abb. secus in his, qui matrimoniū nō cōtraxerūt, licèt dimiserint habitū, & tōsurā, qui non intelliguntur amisisse huiusmodi priuilegia, nisi post trinam moni-

tionem,

tionem, quia non exercuerunt actum omnino contrarium Clericatui, vt in cap. Perpendimus De Sent. Excom. & ibi plenè per Abb. Quando verò matrimoniũ ratione Ordinis Sacri non tenuit, tunc inquit in eod. cap. Ioannes nu. 4. aut contraxit Bigamiam de facto, & efficitur indispensabilis, quoad executionem officij propter intẽtionem suam, cum opere subsequuto, cap. Nuper De Biga. Non tamẽ idcirco amittit priuilegiũ clericale: nam Textus in cap. 1. De Biga. lib. 6. denudãs bigamos omni priuilegio, loquitur de vera Bigamia, sed hic non dicitur verus bigamus, cum matrimoniũ fuerit nullum; Vnde constitutus in sacris efficitur bigamus, quoad aliquid, scilicet vt sit priuatus officij executione, vt dicitur in cap. Nuper De Biga. Non tamen habetur pro vero bigamo, vt amittat omnia priuilegia clericalia, sicut verus bigamus. Hinc infertur, quòd Clericus coniugatus, si contrahat bigamiam, non potest compelli ad deferendum habitum & tonsurã, immo peccat deferendo, vt in dicto cap. vni. Aut non est bigamus, tunc verò aut habet beneficium Ecclesiasticum ex dispensatione, & tenetur deferre, vt in cap. Ioannes De Cleri. Coniug. Aut non habet beneficium, sed vult gaudere dictis duobus priuilegijs, & est compellendus, vt in cap. vni. De Cleri. Coniug. lib. 6.

Ex his itaque colligitur Clericos coniugatos tunc priuilegio fori gaudere & Canonis, cum vnicam, & virginem vxorem acceperint, Tonsuram, & vestes honestas, ac Clericis conuenientes detulerint iuxta decisionem Bonifacij Octaui in cap. vni. De Cleri. Coniug. lib. 6. confirmatam à Conc. Trid. Sess. 23. cap. 6. Cui Constitutioni Conciliũ addit etiam aliam conditionem, nempe vt hi Clerici, si velint fori priuilegio gaudere; *Alicuius Ecclesiæ seruitio, vel ministerio ab Episcopo deputati eidem Ecclesiæ seruiant, vel ministrent &c.* Hinc patet, quid dicendum sit ad propositam difficultatem; nempe Iudicem secularem in Excommunicationem huius Canonis incidere eo ipso, quod præsumit Clericum coniugatum pro criminibus, & in criminalibus causis ad suum Tribunal vocare etiãsi pro crimine ciuiliter agatur, ita quidem vt etiam in ciuilibus Clerici coniugati quoad Carceres, & ipsorum capturam, liberi sint à iurisdictione seculari. Nam licèt possit Iudex secularis de causa ciuili cognoscere, & eam definire absque periculo excommunicationis, non tamen poterit Clericum coniugatum capere, & in Carcerem pro executione detrudere, & hanc esse communem interpretationem dicti cap. 1. De Cleri. Coniug. lib. 6. Testatur Couar. Pract. Quæst. cap. 31. nu 7. Vers. Et tamen verus sensus.

Tertiò dubitabit aliquis de Confratribus, & Sodalibus, ex quibus componuntur Cœtus quidam & Congregationes fidelium, & vocantur Sodalitates seu Societates sub diuersis nominibus, nẽpe Corporis Christi, vel Sanctiss. Crucifixi, & similibus erectæ, quarum Confratres habitum gerunt distinctũ à laicis, in publicis processionibus, & cum Cauce incedunt, inseruiunt Ecclesiæ, habent oratoria, publicè in eis psallunt, & cãtant officia diuina saltem Beatissimę Virginis, An possint vocari personæ Ecclesiasticæ, & vtrùm Iudex secularis trahens illos, vel eorum Cõgregationęs ad suũ Tribunal incidat in hanc excommunicationem.

Respondeo Tales Confratres non esse personas ecclesiasticas, quatenus sunt Cõfratres, nisi ex alia causa tales habeantur, & sodalitates, quas constituunt, quãuis sint Collegia, vel Congregationes piæ, & religiosæ, non tamen dici possunt ecclesiasticæ, & idcirco censeo non esse locum huic excommunicationi, si ducãtur ad

A Tribunal seculare; Ita sentit Felin. in c. 2 nu. 13. De fo. comp. Nauar. cons. 3. De fo. compet. Et probatur, quia maior pars horum Confratrum sunt Laici, ergo tota sodalitas Laica dicenda est arg. l. Quod maior pars. ff. Ad municip. & c. Cum omnes De constit. ex consequenti possunt cõueniri coram Laico Iudice quoad temporalia, quæ ipsi, vel eorum Congregatio possidet: nam quoad actus ecclesiasticos subijciuntur Episcopo, vt tradit Nauar. loco cit. ex sententia Bart. in l. fin. num. 14. ff. De Colleg. illici. & Corpor. Nam Iudex Laicus nullam habet potestatem super rebus, & actibus spiritualibus, & ecclesiasticis cap. 2. De Iudi. cap. Bene quidem 96. dist. Quare isti Confratres simpliciter possunt vocari Laici, & secundùm quid ecclesiastici, & eodem B modo eorum Congregatio, & ideo, vbi non agitur de actibus spiritualibus, & ecclesiasticis, sine periculo excommunicationis ad Tribunal Laicum trahi possunt.

Quartò dubitari potest de personis Tertij habitus Sancti Francisci, & Sancti Dominici, vel alterius Religionis, An sub vocabulo ecclesiasticarum personarum comprehendantur in ordine ad excommunicationem huius Canonis, & gaudeant hoc priuilegio.

Caietanus in Sum. ver. excom. c. 10. vers. Nota septimo tenet hoc genus Tertiariorum non gaudere priuilegio Canonis, si quis suadente 17 q. 4. & cohærẽter affirmare debet nõ posse frui priuilegio fori, quoniam Hoc nõ competit illis, qui carent priuilegio Canonis: nam priuilegium fori, & priuilegium Canonis se inuiC cem comitantur, vt dixi in lib. 2. Disp. 1. cap. 6. ex consequenti non erunt personæ ecclesiasticæ, quæ gaudeãt huiusmodi Priuilegiis. Quod autem Tertiarij nõ fruantur his priuilegijs, probat Caietanus quoniam neque sunt Clerici, neque Religiosi, aut Nouitij, vel Conuersi Religionis, & ita non possunt nomine personarum ecclesiasticarum comprehendi. Ita etiam tenet Abb. in cap. Causam quæ num. 2. De Iudi. Nauar. autem in Manua. cap. 27. num. 79. vers. octaua declaratio, tenet dictum Caietani verum esse iuxta dispositionem Iuris communis, secus autem si attendantur priuilegia, & consuetudo, ac stilus Ecclesiæ Romanæ, quare ipse censet huiusmodi Fratres Tertij ordinis, si viuant gregatim, & gestent habitum Religionis, dicendos esse ReD ligiosos, & comprehendi sub vocabulo Monachorum, & ita ait sentire Rotam Decis. 332. in Antiq. & Felin. in c. 2. num. 11. De fo. compet. vbi disputat hanc quæstionem ad vtranq. partẽ, sed concludit hos tertiarios potius vocandos esse ecclesiasticos, quàm seculares.

Hæc sententia Felini, & Nauarri mihi videtur probabilior, quare eam sequentes dicimus huiusmodi Tertiarios esse personas ecclesiasticas, & idcirco, si trahantur ad Tribunal Laicum, incurri hanc excõicationem. Probatur primo quoniam non soli Religiosi verè professi sunt personæ eccles. & gaudent priuilegio Canonis, & fori, sed etiam omnes, qui aliquo modo pertinẽt & reducuntur ad statum Religiosum, ita vt dedicẽt se Deo secundùm aliquã participationẽ status Religiosi: E sic enim loquitur Ioannes Octauus Papa in c. quisquis 17. quæst. 4. vbi declarat sacrilegium committere illos qui iniuriam intulerint Clericis, *vel Monachis. sine Deo deuotis, omnibusque ecclesiasticis personis*. Idem modus loquendi habetur in cap. Duo sunt 12. q. 1. Cum ideo hi Tertiarij sint personæ Deo dicatæ secundùm quandam participationẽ illius Religionis, & ordinis, à quo denominantur, ergo sunt ecclesiasticæ personæ Secundò Tertius ordo in Religione Beati Francisci fuit institutus à B. Francisco, vt dicitur in Clemen. Cum ex eo de sent. excom. Tres enim ordines instituit B. Franciscus,

ciscus, vt notat ibi Glos. ver. Tertiò, & inquit hunc Tertium ordinem inuentum fuisse pro Maribus, & fœminis in coniugio viuentibus, approbatum per Nicolaum III. & qui hunc modum viuẽdi suscipiunt, vocantur continentes, non quia voueant continentiam, cum possint habere coniuges, sed quia secundum modum viuendi eis præscriptum qualibet hebdomada certis diebus abstinent à thoro, vt ibidem notat Glosa ver. Continentes, & in Clem. 1. De Relig. Domin. Si igitur tales Tertiarij comprehenduntur sub ordine S. Francisci, & talis Tertius ord. institutus fuit à S. Francisco, & per Sedẽ Apostolicam approbatus, quare qui talem vitam profitentur, sunt personæ Ecclesiasticæ, & idcirco si trahantur ad tribunal seculare, incurritur excommunicatio. Tertiò licèt tales Tertiarij non profiteantur tria substantialia vota Religionis, & ideo dici non possint propriè habere Regulã, sed quendam modum viuendi, tamen cum promittant obediẽtiam, vt inquit Glos. in dicta Clem. 1. ver. Obedientiam de Relig. Domi. & seruent certum modum viuendi, vt dictum est, per Sedem Apostolicam approbatum, sub latitudine Ecclesiasticarum personarum cõprehenduntur. Quartò sub nomine Ecclesiasticarum personarũ, vt dictum est, continentur Conuersi, quia sunt Deo dicati secundùm talem modum, quo assumunt Religionis habitum (etsi propriè Religiosi non sint) & gaudent priuilegio Clericorum, vt patet in cap. Non dubium de sent. excom. Vbi non conceditur nouum priuilegium his personis, vt ibi notat Abb. sed declaratur, quàm latè pateat, & quas personas comprehendat priuilegium Canonis; Si quis suadente. Similiter si Nouitius, vt persona Ecclesiastica fruitur priuilegijs Religiosis cõcessis, quamuis propriè non sit Religiosus, vt patet in c. Religioso §. Quamuis De sent. excom. lib. 6. *Quamuis autem is, qui Religionem ingreditur, Religiosus cẽseri cum effectu non possit, donec sit tacitè, vel expressè professus; si quis tamen violentas manus in eum iniecit, excommunicationis lata à Canone vinculum non euadit.* Vbi Glos. in ver. Non possit, inquit, quòd nihil refert, si Nouitius ante emissam professionem valeat ad seculum redire, vt tempore Nouitiatus debeat appellari Religiosus, quia idem apparet in Clerico seculari in Minoribus ordinibus constituto, & tamen est persona Ecclesiastica; Ergo si Conuersi, & Nouitij sunt Ecclesiasticę personę, erunt quoque Fratres tertij ordinis, in quibus videtur maior ratio militare, vt inquit Felin. in cap. 2. nu. 11. De fo. compet. Tandem hanc eandem quæstionem tractat ex professo ad vtranque partem Ioannes à Capistr. è minorum obseruantium familia vir æquè doctus, ac sanctus in Tract. quem inscribit Defensorium tertij ordinis B. Francisci vbi copiosè pluribus argumentis, & rationibus probat eiusmodi Tertiarios esse personas Ecclesiasticas, & gaudere priuilegio fori, & Canonis, & propterea illos, qui tales perturbant in his priuilegijs, excommunicationis censura inuolui, & respondet sigillatim ad ea omnia, quæ contra hanc sententiam opponi solent.

Quintò dubitari potest de Eremitis, an possint propriè vocari personæ Ecclesiasticæ, & illis conueniat priuilegium huius Canonis.

Ioanne de Lignano in Clem. Per literas De præben. Ang. Ver. Eremita num. 3. tenent Eremitas esse personas Laicas, & manere sub Regali, seu Imperiali iurisdictione; Idem tenet Summa Rosella. Quare hi auctores cohærenter affirmare debent non esse locum huic excommunicationi, si tales Eremitæ trahantur ad Tribunalia secunda, cum ex ipsorum sententia nõ sint per-

A sonę Ecclesiast. de quibus tantùm loquitur hic Canon.

Oppositum asserit Glos. in cap. Qui verè ver. Verò 16. q. 1. dicens huiusmodi Eremitas habere priuilegiũ Clericorum, & colligit ex verbis eiusdem cap. quæ initio leguntur, *Qui verè purèque solitariam eligunt vitam, digni sunt conuenienti honore.* Idem ait Glos. in c. Nulla ver. Acephalos in fi. 93. dist. dicens Eremitas non esse Acephalos, sed subesse Episcopo, in cuius Territorio degunt. Idem sentit Innoc. in cap. Cum Monasterium de elect. affirmans Eremitas esse personas Ecclesiasticas, & Archid. in cap. vni. de exces. Prælat. lib. 6. vocat Eremitas personas Religiosas, & Sylue. ver. Ecclesia 1. §. 6. prope fi. vers. Sextò etiam Eremitæ, & ver. Eremita. §. 2. idem tenet de Eremitis, qui adhæ-

B rent alicui certæ Regulæ, vel Superiori Religioso, & probat quoniam si Laicus viuẽs cum aliis efficitur Ecclesiastica persona, si se adstringat alicui regulæ, & dedicet se Deo, quare non erit Ecclesiastica persona, & gaudebit priuilegio fori, qui vacat Deo penitus viuẽs in solitudine alienus ab omni tumultu, & perturbatione huius seculi? Si autem Eremita habet priuilegium fori, quod tardius acquiritur, & citius, ac facilius amittitur, multò magis habebit priuilegium personale Canonis. Eandem opinionem sequitur Armilla eod. ver. Eremita, & Nauar. in Manua. cap. 27. num. 79. vers. octaua declaratio in fi. & ab eadem non discedit Ioannes à Capistrano in dicto suo Defensorio tertij ordinis vers. Decimo septimo probatur sic &c.

C Ex quibus duabus oppositis sententiis Abb. in c. 2. nu. 10. De fo. compet. credit priorem esse magis iuri consonam, posteriorem magis æquitati conueniẽtem, potius tamen adhæret priori, vt tales Eremitæ nõ sint personę Ecclesiasticæ ob eam rationem, quoniam non habent certam regulam, nec sunt obstricti talẽ vitam solitariam ducere, & sola voluntate ibi commorantur, neque subiiciuntur alicui superiori, à quo regantur, sed viuunt more locustarum sine Rege, quam similitudinem refert Glosa in dicto cap. Qui verè 16. q. 1. & videtur absurdum, vt arbitratu suo quandocunque se eximere valeant à Laicali iurisdictione, & quoties volunt ad eandem redire.

D Ad hanc difficultatem ita probabiliter responderi posse putarem, vt destinguamus de duobus generibus Eremitarum. Alii enim sunt, qui certum, & peculiarem viuendi modum tenent, & habitum Religiosum gerunt inseruientes alicui loco sacro ex speciali obligatione subiecti Episcopo, vel alteri Prelato ex voto, siue ex peculiari promissione, & huius generis Eremitæ dicendi sunt personæ Ecclesiasticæ, & gaudent priuilegiis Clericorum, vnde cõprehenduntur in hoc Canone sub nomine Ecclesiasticarum personarum, & qui eos trahunt ad Tribunal seculare, excommunicatione obstringuntur, & de talibus Eremitis, & dicit Felin. in cap. 2. num. 7. vers. & aduerte, quia est vna species, De fo. compet. clarum esse pertinere ad forum Ecclesiæ, de quibus interpretatur textus in cap. vnico in fi. De ex-

E cess. Prælat. lib. 6. & cap. Priuilegium De verb. signif. eod. lib. Huius generis sunt Eremitæ Camaldulenses, quorum caput est in Diœcesi Aretina, vt inquit Ioan. And. in cap. Sanè in fi. De regula. qui quamuis communiter viuant, tamen aliqui amplectuntur vitam solitariam, & recipiunt se in quasdam cellas in cacumine montis extractas, & de talibus Eremitis intelligi potest dictum Glosæ, & Doctorũ quos retuli pro secunda opinione. Nihilominus alii reperiuntur Eremitæ vagi, qui nec prescriptam vitę regulam habent, neq. aliqua obligatione ecclesiastica obstringũtur, sed pro loco, &

tempore

tempore alicui Ecclesiæ inseruiunt, & habitum monachalem induunt, atque tales Ecclesiasticæ personæ vocari nequeunt, neq; sunt à temporali iurisdictione exempti, quia non sunt alicui regulæ religiosæ astricti, neque subditi alicui Superiori Ecclesiastico, vel Episcopo ex voto obedientiæ aut ex peculiari obligatione, sed tantum ex communi lege Ecclesię, sicut omnes fideles laici, & propterea non possumus concludere illos in hoc Canone contineri sub nomine personarum Ecclesiasticarum, de quibus puto velle intelligere auctores primæ sententiæ, quæ magis placet Abb. in dicto c. 2. n. 10. de fo. compet.

Sexto dubitatur, an omnes pertinentes ad forum Ecclesiasticum gaudeant priuilegio huius Canonis, ita vt excommunicatione obstringantur, qui illos coram Iudice seculari conuenire præsumunt.

Respondeo non incurri hāc excommunicationem, quando ad seculare Tribunal trahuntur illi, qui spectant ad forum Ecclesiasticum. Verum non sunt personæ Ecclesiasticæ alicuius generis ex his, de quibus hactenus dictum est, quamuis male faciant, qui illos à suo Tribunali extorquere procurant. Huiusmodi sunt Deseruientes Ecclesiæ & deputati ad eius obsequium, famuli Episcopi, & alij exempti à iurisdictione laicali, de quibus Abb. Felin. & alij in dicto c. 2. de fo. compet. qui non sunt personæ Ecclesiasticæ modo explicato. Nam Summus Pontifex in Canone exprimit solas personas Ecclesiasticas; igitur hoc priuilegium non est ad alios extendendum.

Septimo dubitabit aliquis de personis Ecclesiasticis aliquo censurarum vinculo irretitis, nempe de excommunicatis, suspensis, interdictis, irregularibus, depositis, & degradatis, an si contra dispositionem huius Canonis trahantur ad iudicium seculare, incurratur excommunicatio.

Respondeo locum esse huic excommunicationi, si trahatur, quæcunq; persona Ecclesiastica ad tribunal seculare, licet censuris Ecclesiæ sit innodatus, etiamsi depositus sit verbo, nisi sit degradatus realiter, vel incorrigibilis. Ratio est, quoniam Censuræ non tollunt priuilegia clericalia, vt probaui lib. 2. Disp. 1. cap. 6. & tradit Abb. in cap. Ex parte n. 3. de Cleri. Coniug. & in cap. Cum non ab homine num. 5. de Iudi. vbi Felin. num. 10. & seq. Nauar. in Manua cap. 27. n. 79. Vers. Septima declaratio in fi. Quamobrem cum Summus Pōtifex simpliciter excommunicet sine vlla exceptione trahentes personas Ecclesiasticas ad tribunal seculare, intelligi debet vniuersaliter de quacunq; persona Ecclesiastica.

Coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariā, Consilium, vel Parlamentum, *Tribunal*, vt Isidorus definit, est locus sublimis & editus, in quo considentes Magistratus ius dicunt, l. penult. ff. de Iust. & Iur. & antiquitus pro tribunali soli Magistratus maiores sedebāt, minores vero Magistratus ex subselijs ius dicebant. Hoc loco Tribunal ponitur pro Iudicio, sicut in cap. 1. de sent. & re Iudi. lib. 6. excommunicantur Iudices seculares, qui trahūt Ecclesiasticas personas ad suum Tribunal, idest Iudicium. *Audientiam*, Audientia pro eodem Iudicio seculari sumitur, hinc Audientia Episcopalis dicitur Episcopi Forum & Iudicium, l. Episcopale C. de Episc. Audien. *Cancellariam*, *Consilium, vel Parlamentum*. His tribus nominibus idem Iudicium seculare significatur, quod resider penes supremos officiales Regis ac Principis, quod in diuersis Regnis ac Prouincijs diuersimode nominatur; Idcirco, vt significaret Summus Pontifex de omni Tri-

A bunali seculare intelligere, & nullum velle excludere, addidit tres illas voces.

Præter Iuris Canonici dispositionem His verbis, vt notat Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 70. Vers. Tertia quod per verba illa, excluduntur ab hac censura Iudices seculares, qui in casibus iure permissis Ecclesiasticas personas ad sua tribunalia vocant.

Casus vero, in quibus ex dispositione Iuris Canonici permittitur Iudici seculari de personis Ecclesiasticis iudicare, aliqui enumerantur à Doctoribus.

Primus est, quando persona Ecclesiastica post crimina commissa tanquam incorrigibilis per Iudicem Ecclesiasticum traditur potestati seculari puniendus iuxta cap. Cum non ab homine, vt latius probaui lib.
B 2. Disp. 1. cap. 6.

Secundus casus, quando adest licentia proprij Episcopi ex sententia quorundam Doctorum, & desumūt ex Glos. & Doct. in c. 2. de Iudi. & ex c. 2. de fo. comp. vbi dicitur, *Nullus Iudicum*, scilicet seculariū, vt notat ibi Glo. *Neq; Presbyterū neq; Diaconū, aut Clericū vllū, aut minores Ecclesiæ sine permissu Pontificis distringere, aut condemnare præsumat*, & in c. Clericum nullus 11. q. 1. *Clericum nullus apud secularem Iudicem Episcopo non permittente, pulsare præsumat*; Ergo argumentando à contrario sensu Episcopo permittente Iudex laicus iudicare poterit de Clerico, argumentum enim à contrario sensu est validissimum, vt inquit Glos. in c. Significasti, & ibi Abb. num. 24. & Felin. num. 15. de
C fo. compet. Sed oppositum sentit Glos. nempe secularem Iudicem etiam permittente Episcopo non posse distringere & condemnare Clericum in dicto cap. Significasti, Vers. Clerici tamen in fine, ob eam rationem, quia sicut Clericus huic priuilegio fori, quod inductum est fauore totius Ordinis Clericalis renunciare non potest, ita neque Episcopus consentire potest, vt Clericis hoc liceat, cum eadem sit ratio vtrobique, sicut neque efficere posset, vt ex verberatione Clerici non contraheretur excommunicatio, arg. cap. Contingit de sent. excom. Voluntas Episcopi valet solum, vt Clericus possit in Iudicem non suum consentire, si sit persona Ecclesiastica, quod alias ei non liceret, non accedente proprij Episcopi voluntate, vt dicitur in
D eod. cap. Significasti, & cap. Non liceat 3. q. 6. Cum laici possint eum, qui iurisdictioni præest, suum Iudicem constituere in ciuili negotio l. 1. & 2. ff. de Iudi. non autem in Criminali, cap. Si quis cum Clerico 11. q. 1. l. In criminali C. de iurisd. omn. Iudi.

Hæc autem, quę inuicem pugnare videntur, ad hūc modum conciliantur, vt dicamus cum Abb. in cap. Significasti num. 25. de fo. compet. ex sententia Io. And. Aliud esse delegare causam, aliud iurisdictionem prorogare seu extendere; Vnde in Delegata Iurisdictione appellatur ad Delegantem, in ordinaria prorogata ad Superiorem, Episcopus potest delegare causam Clerici Iudici laico, dummodo tamen causa sit ciuilis & temporalis, non criminalis, vel spiritualis, vt inquit
E Glosa in cap. 2. Ver. Non præsumant de Iudi. Sylue. Ver. Iudex 1. §. 4. Vers. & tertio quando interuenit &c. Et idem tenet de Abbate quoad Monachum in exemptis, qui habet quasi iurisdictionem Episcopalem. Non potest tamen Episcopus prorogare aut extendere iurisdictionem Iudicis laici, vt valeat cognoscere etiam de causa ciuili personæ Ecclesiasticæ. Rationem vero, cur Laicus possit esse Delegatus Episcopi, & tamen eius iurisdictio prorogari & extendi nequeat etiam de consensu Episcopi, assignat Abb. ibi, & in cap. 2. num. 5. de Iudi. & est, quoniam Delegatus

non

non iudicat iure proprio, sed auctoritate Delegantis A vt l. 1. ff. de off. eius, cui mand. est iurisd. & in c. Sane de off. Deleg. Ideo laicus Delegatus ab Episcopo non cognoscit vt laicus, sed vt Delegatus Episcopi, idcirco iurisdictio sua est Ecclesiastica, sed si prorogaretur eius iurisdictio, cognosceret iure suo proprio tãquam laicus, & hoc fieri non potest, quia laicus non valet habere iurisdictionem in Clericum, & oppositum non potest inferri ex illo c. 2. de fo. compet. argumentando à contrario sensu, quoniam argumentum à cõtrario sensu probat, quando oppositum ab ipso Iure non est definitum. Sed quòd laicus non possit de Clerico iudicare, expresè statutum habetur in Sacris Canonibus, vt in c. Si diligenti, & c. Significasti de fo. comp. B & alibi sæpe.

Non obstat capit. Pulsatus 3. q. 6. vbi datur optio Clerico pulsato coram nõ suo Iudice, an velit coram eodem respondere, nec ne, nam ibi non permittitur Clerico, vt possit respondere vocatus coram non suo Iudice, sed tantum dicitur, *Pulsatus, si voluerit, taceat*, vt annotauit Glos. in cap. Significasti Ver. Clerici tamen, circa med. de fo. compet. idest non tenetur vllo modo respondere.

Tertius casus, in quo Iudex laicus Clericum iudicare potest, est, quando interuenit concessio, & licentia Summi Pontificis, ita dicit Abb. in cap. 2. num. 12. de fo. compet. vbi interpretatur verba textus *Sine permissu Pontificis* de Romano Pontifice, & hoc est discrimen inter concessionem factam ab Episcopo, & C quando fit à Papa, quòd per Episcopum laicis tãtum causæ ciuiles delegari possunt, non spirituales, vel criminales, sed Papa omnes delegare potest, ita distinguit Abb. in c. 2. nu. 5. de Iudi. Glos. in cap. Clericum nullus, Ver. Secularem 11. q. 1. & non existente consensu Papæ, vel Episcopi Iudex laicus non potest de Clerico iudicare, neque in ciuili, neque in criminali causa, & multo minus in spirituali, cap. Seculares de fo. compet. lib. 6. Nec potest Clericus renunciare huic priuilegio, quòd si renunciat, scilicet respondendo coram Iudice seculari, si causa ciuilis est, à causa cadit. In criminalibus autem locum suum amittit, & potest etiam alias extraordinarie puniri, cap. Si diligenti de D fo. compet.

Quartus casus, in quo permittitur Iudici laico iudicare de Clerico, seu persona Ecclesiastica, est causa reconuentionis Ciuilis, si enim Clericus conueniat laicum coram Iudice seculari, & ille laicus reconueniat Clericum ciuiliter coram eodem Iudice, & Iudex ferat sententiam contra Clericum, sententia erit valida, quia tunc ille Iudex secularis efficitur Iudex Clerici per reconuentionem; Reus enim si velit Actorem reconuenire, tenetur coram eodem Iudice illum vocare durante Iudicio, cap. Dispendia §. Reus quoque de rescript. lib. 6. Quare per reconuentionem fit Iu- E dex, qui alias iurisdictionem non habet in reconuenientem, scilicet quantum ad illam causam reconuentionis, siue sit Ordinarius, siue Delegatus, c. 1. cum Glos. Ver. Super suis quæstionibus de Mut. petitio. Atque hoc modo Iudex laicus habet iurisdictionem per reconuentionem in Clericum in causa ciuili, secus esset in causis, quæ coram Iudice Ecclesiastico ex dispositione iuris communis tractandæ forent, quas enumerauit Glos. in cap. Ex tenore Ver. Ecclesiasticum Iudicem, & in cap. præced. Ver. Vacante Imperio de fo. compet. Similiter in criminibus, in quibus reconuentio locum non habet, vt inquit Glos. in cap. At si Clerici, Ver. Non tenet de Iudi. & sicut laicus non potest Clericum coram Iudice laico conuenire, ita neq; reconueniri super crimine, siue agatur criminaliter siue ciuiliter, siue sit imponenda pœna pecuniaria, siue infamiæ, quia iura indistincte videntur prohibere, vt Clericus à laico nullo modo iudicari possit, Abb. in d. c. At si Clerici num. 20. Quamobrem solum in causa ciuili laicus Iudex per viam reconuentionis iudicare potest de Clerico, Abb. in c. 2. nu. 12. de fo. compet. Sylue. Ver. Iudex 1. §. 4. in princ. B. Antoni. 3. par. tit. 9. §. 3. Vers. Excipitur tamen, & est opinio communis Doctorum consuetudine approbata, vt inquit Io. And. quamuis non desint Doctores graues negantes simpliciter etiam per viam reconuentionis in causa ciuili Clericũ à Iudice seculari iudicari posse, quod pluribus rationibus confirmare nituntur, vt est videre plenè apud Abb. in d. c. At si Clerici nu. 22 & seq. pluribus redditur hæc conclusio valde controuersa & dubitabilis, vt ibi concludit Abb. num. 25.

Glos. summaria 11. q. 1. in princ. præter casum reconuentionis addit alium casum, nempe in causa feudi, & ad hoc probandum Abb. in c. Cæterum num. 6. de Iudi. inducit tex. in eod. cap. hoc modo, quotiescunque per legem Ciuilem iurisdictio tribuitur alicui vniuersaliter ratione certæ causæ, tunc ille, cui datur iurisdictio, habet potestatem in Clericos actiue & passiue, in quibus reperitur eadem qualitas, super qua fundatur iurisdictio etiam in præiudicium ordinariæ iurisdictionis Episcopi. Sed ius ciuile concedit iurisdictionem respectu feudi Domino feudi, vt in l. Illam Imperialem de prohib. feud. alien. in lib. feud. Ergo vindicat sibi locum in Clericis actiue & passiue, in quibus reperitur illa qualitas. Et hanc Imperatoris dispositionem videtur Papa approbare in c. Nouit de Iudi. & cap. Ex transmissa de fo. compet. & hic casus recensetur quoque à Syluc. d. §. 4. in fi. & B. Antoni. in eod. tit. 9. §. 3, qui adducunt testimonium dictæ Glosæ 11. q. 1. Non declarant tamen, an hic casus sit admittendus, necne; oppositum sentit Io. And. vt tradit Felin. in d. c. Cæterum num. 5. de Iudæ. quoniam quamuis ita definitum fuerit à lege ciuili, tamen non licuit Imperatori ita statuere, neq; id vnquam approbatũ fuit iure Pontificio, nec approbari potuit, quia hoc priuilegium Clericis iure diuino conceditur, & textus in cit. cap. Cæterum nihil obstat, quoniam loquitur in casu, quo Dominus feudi fuerit Clericus. Nihilominus Felin. ibi asserit Ius Canonicũ id statuere potuisse, & citat cap. Romana §. Debet de appell. lib. 6. & c. Solitæ de Maior. & obed. & cap. Verum de fo. comp. & concludit hanc esse communem opinionem, & ab ea minime recedendum fore.

Glos. in cap. Clericum nullus Ver. Secularem 11. q. 1. refert etiam hunc casum inter alios, sed dubitando, nempe *Item forte cum succedit Clericus laico ff. de Iudi. l. Hæres absens, quod falsum est.* Nam hæres conueniendus est regulariter apud eum, coram quo defunctus conueniri debuit. Quare si Clericus succedat laico, conueniendus erit coram Iudice seculari, ad quem trahendus erat defunctus, aliqui tamen Doctores asseueranter hanc conclusionem affirmant, quos refert Felin. in cap. Quia num. 7. de Iudi. præsertim quando causa inchoata erat contra defunctum coram Iudice laico, sed Abb. in eod. cap. Quia num. 12. tenet oppositum, nimirum regulam illam vniuersalem, hæredem conueniendum esse, vbi defunctus conueniri debuit ex l. Hæres absens ff. de Iudi. locum non habere in Clerico, qui successit laico: ille enim non potest conueniri coram Iudice defuncti, sed coram Ecclesiastico, quia

habet

habet Iudicem omnino separatum, & alterius qualitatis, quàm haberet defunctus, l. Is qui in Ius De Reg. Iur. lib. 6. Nec obstare inquit, si instantia inchoata fuit cum defuncto, quia sicut non transit facultas conueniendi, consimili ratione non potest transire talis instantia. Eiusdem opinionis sunt alij Doctores, quos Felin. ibi citat nu. 7. Vers. Contra hanc limitationem, atque hanc putat veriorem Felin. ob eam rationem, quoniam iure cautum non reperitur, quod succedens laico amittat priuilegium, quod habet, Ideo standum est regulæ, quod Clericus non debet conueniri coram laico: mutata enim persona mutatur actio, cap. 1. De Iu. Patro. lib. 6. Sed hic textus non probat in materia, de qua agimus, quia ex illa mutatione de qua in Tex. nullus lædebatur; At in casu nostro læditur tertius, qui inchoauerat litem cum defuncto, cogitur enim hoc modo dimittere primum Iudicium inchoatum coram Iudice laico, & incipere aliud coram Ecclesiastico; Nihilominus oppositum videtur probabilius, quia omnia argumenta, quæ solent pro contraria sententia adduci, probant solùm licere, Clerico prosequi causam inchoatam coram Iudice laico per defunctū, quia hoc respicit fauorem Clerici: minimè verò probant ex eo, quod instantia sit inchoata per laicum defunctum coram Iudice seculari posse cogi Clericum ad perseuerandum coram eodem Iudice: hoc enim vergeret in damnum & præiudicium Clerici, nam amitteret priuilegium suum, Igitur ex vno aliud inferri non potest, arg. l. Quod fauore C. De Lega. Hæc difficultas ardua est & ambigua, cum vtraque para habeat, & graues, & plures auctores, & defensores; Puto tamen probabilius, & verius esse affirmare Clericū in ius laici succedentem non posse compelli ad respondendum coram Iudice seculari, coram quo causa incepta erat per defunctum. Primò quoniam ita tenet Glos. singularis in cap. Clericū nullus 11. q. 1. & initio eiusdem quæstionis Glosa in Summario Ver. Quòd Clericus, enumerat casus, in quibus Clericus coram laico conueniri potest, hunc tamen non recenset, sicut neque refertur à Syluestro Ver. Iudex 1. §. 4. & B. Antoni. 3. par. tit 9. cap. 2. §. 3. Secundò quoniam regula illa, *Is qui in ius succedit alterius eo iure, quo ille vti debebit* De Reg. Iur. lib. 6. non habet locum, vbi ex persona successoris mutatur forus, vt ibi notat Glos. Ver. Is qui in ius, Vnde infert Clericum etiam in ciuilibus, & patrimonialibus conueniri debere coram suo Iudice, cap. Nullus Episcopus, cap. Clericum nullus 11. q. 1. Tertiò quia hanc opinionem tāquam probabiliorem amplectuntur Abb. & Felin. in d. cap. Quia De Iudi. Bart. in l. Hæres absens ff. eod. tit. Et id probat Felin. arg. à simili, sicut enim Clericus succedens laico, contra quem aliquod tempus præscriptionis statutariæ pertransierat, non obstringitur ex vi illius statuti, neque præscriptio aliquid ei obstat, Ita quoque nun nocet Clerico instantia, qua erat alligatus Defunctus. Et Bald. in l. Si emancipati nu. 10. Vers. Sic etiam & sexto C. De Collatio. dicit, quòd si Clericus, & laicus sunt simul hæredes eiusdem defuncti, debet laicus corā Episcupo conueniri propter Clericum, sicut si sint executores eiusdem Testamenti; Iudex Ecclesiasticus erit Iudex laici propter Clericum.

Disputant etiam Doctores, An si Clericus commiserit crimen læsæ Maiestatis contra Principem, amittat eo ipso priuilegium fori, & à Iudice seculari puniri possit, quàm difficultatem explicabo infra in Disp. 20. cap. 2. in solutione tertij dubij, de qua pertractat Bernard. Diaz in sua Pract. Crim. cap. 119. per totum.

His igitur casibus exceptis, quibus ex dispositione iuris Canonici permittitur Iudici laico de Clericis iudicare, si Clericus ad tribunal seculare trahatur, incurritur excommunicatio Bullæ per Iudicem secularem, qui de illo iudicare præsumit, & præter excommunicationem Iudex laicus, si de Clerico iudicat, priuati debet officio, vt inquit B. Antoni. 3 par. tit. 9. cap. 2. §. 3. Vers. Quòd si Iudex laicus, & si ferat sententiam, illa non erit valida, c. Et si Clerici de Iudi.

Clericus autem, qui Clericum coram Iudice seculari pertraxerit, quamuis hac excommunicatione nō afficiatur, seueris tamen poenis plectendus est, vt Mileuit. & Chartag. Concilijs decretum fuit, cap. Placuit, cap. Inolita 11. q. 1. Pœna quidem est, quòd causam perdat, & à communione sit alienus, cuius etiam meminit Innoc. Tertius in cap. Si diligenti de fo. compet. Illa autem pœna, quæ communionis priuationem concernit, ita intelligitur, scilicet vt à communione hominum per excommunicationem separetur, quousque Clerico in Iudicium vocato, & Ecclesiæ, cui iniuria illata est, plena sit facta satisfactio, cap. 2. de fo. compet. Sic enim interpretatur Turrecrem. in d. cap. Inolita num. 1. & tenet Glos. in d. cap. Si diligenti Ver. A Communione de for. compet. pœna vero amissionis causæ non incurritur ipso Iure, sed per sententiam, vt probat Glos. in eod. cap. Si diligenti, Ver. Causam perdant, & ibi Marian. Soci. num. 26. Non tamen prædictæ pœnæ locus erit, quando Clericus non inuitus ad Iudicium seculare accessit, quod colligitur ex Ver. *Pertrahant*, quo vtitur Conc. Mileuit. & ex verbo *Voluntarij* quod ponitur in Conc. Carthag. vt perpendit Glos. in cap. Si diligenti Verb. Pertrahant, quamuis alias à suo Iudice Ordinario puniendus sit, capit. Non liceat 3 q. 6. quod citatur à Turrecrem. cap. Inolita num. 1. 11. q. 1. Similiter Clericus à dicta pœna est immunis, quando ante litis contestationem ab incepta causa recessit, post contestationem vero factam recedere ab ipsa non licet in præiudicium partis, cui iam ius quæsitum est, Glos. in c. Si diligenti Ver. Causam perdant, & in l. In criminali C. de Iurisd. omn. Iud. Nec præfata pœna imponenda est, quando Clericus citatus ad iudicium seculare non comparuit, arg. l. Quamuis ff. de in ius vocan. & in l. 1. ff. ne quis eum. Ita tenent Glo. & Doctores in d. l. In criminali. Vtrum vero Clerici Rei, qui conueniūtur coram secularibus Magistratibus, prædictis pœnis sint coercendi, plene disputat Maria. Soci. in d. cap. Si diligenti nu. 35. cum sequent. de foro compet.

Hæc eadem pœna amissionis causæ locum habet, quando laicus conuenit Clericum coram Iudice seculari, vt in Auth. statuimus, C. de Epi. & Cleri. *Statuimus, vt nullus Ecclesiasticam personam in Criminali quæstione, vel ciuili trahere ad iudicium seculare præsumat contra Constitutiones Imperiales & canonicas sanctiones, quod si Actor fecerit, à suo iure cadat, iudicatam non teneat &c.*

Trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe vel indirecte, quouis quæsito colore. Hæc coniungenda sunt cū primis verbis huius Canonis, & simul iuncta reddunt verum & perfectum sensum, idest, *Qui ex prætenso officio, vel ad instantiam partis trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant.* Et licet trahere significet per vim ducere, tamen aliquādo, sicut hoc in loco significat simpliciter ducere, siue ductus trahatur inuitus, siue volens. Isti vero, qui trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant ad Tribunal seculare personas Ecclesiasticas ex prætenso officio, vel ad instantiam partis, sunt Iudi-

ces,

ces seculares, vel eorum Ministri, sunt enim Ministri Iudicum tanquam pars aut manus Magistratus, & hi omnes afficiuntur hac excommunicatione, cuiuscunque generis causarum prætextu trahunt, scilicet siue sint causæ ciuiles siue criminales, quoniam Canon generaliter loquitur, & iure cautum est vniuersaliter, ne personæ Ecclesiasticæ tam in causis ciuilibus, quam criminalibus ad Iudicium seculare adducantur, cap. Si diligenti de so. compet. cap. At si Clerici de Iudi.

Hinc sequitur Partem, vel eius procuratorem instantiam apud Iudicem secularem, vt Clericum trahat ad suum Tribunal, non incidere in excommunicationem huius Canonis, immo si ipsemet Iudex id faceret ex amicitia ad sedandas lites non ex officio, vel ad instantiam partis, & bona fide absque vlla coactione ad se Clericum induceret fortasse nō contraheret excommunicationem, saltem in foro interiori, in quo cessant præsumptiones, & rei veritas attenditur. Ratio est, quia ex verbis Bullæ expressè colligitur ad incurrendam hanc excommunicationē, requi, vt Iudex ex officio, vel ad alterius instantiam trahat, seu faciat, vel procuret trahi Clericum, sed in hoc casu nulla est tractio neque alicuius instantia supponitur igitur nulla erit excom. *Directè, vel indirectè quouis quæsito colore*. Considcranda est hæc particula. Nam nonnunquam Iudex laicus vocat personas Ecclesiasticas non formaliter & directè, exercendo potestatem officij sui, & præcipiendo, vt compareāt ad suum tribunal, sed indirectè videtur illas trahere, quia coguntur comparere, & moraliter loquendo, contra voluntatem comparent, nisi enim ille, qui eas vocat, officium Iudicis exerceret, & tali munere fungeretur, non accederent, & tunc Iudex non excusatur ab excommunicatione; Ideirco Summus Pontifex addidit illam clausulam, *Directè, vel indirectè, quouis quæsito colore*, vt omnem modum comprehenderet, quem excogitare posset secularis Iudex ad trahendum Ecclesiasticum contra iuris dispositionem ad suum tribunal. Quare si cogat illos, coram eo suarum actionum rationem reddere, quæ ad Iudices laicos minime pertinent, & detinent in tali loco & Ciuitate inuitos, vt ibi commorantes expensis eximijs grauentur, dicitur indirectè & quęsito colore trahere illos ad suum Tribunal. Eodem modo si vexationibus & molestijs afficiat consanguineos Clericorum, vel famulos, aut colonos, siue bona ipsorum indirectè trahit, & excommunicatione afficitur, si tamen sciat, vel scire deberet personam Ecclesiasticam esse illam, quam ad Iudicium vocat directè, aut indirectè: si enim probabiliter ignoraret, nō incideret in excommunicationem, quia probabilis ignorantia excusat, c. Apostolicæ, & ibi Glos. Ver. Probabilis de Cleri. excom. Mini. cap. Vt animarum de constitut. lib. 6.

Postulabit aliquis, an si Clerico sponte se subiicienti Iudici seculari, vt coram eo in Iudicio se purgaret Iudex laicus admitteret purgationem & sententiam proferret, huius Canonis excommunicatione obstringeretur.

Respondeo, quando Iudex minis, suasionibus, vel quouis modo inducit Clericum, vt cōsentiat in suam iurisdictionem, tūc profecto in excommunicationem incidit, si vero nihil prorsus ad id cooperatus est, sed Clericum sponte accedentem ad suum tribunal, & purgationem petentem admittit, licet male faciat, nō incurrit tamen censuram huius Canonis, Ratio est, quia in Canone excommunicantur trahentes, vel trahi facientes, sed iste iudex nullo modo trahit, nec facit, vel procurat trahi; ergo nō est excommunicatus.

A Quæret secundo aliquis, an penes Regem & Principem sit ius conuocandi Episcopos, & alios Ecclesiarum Antistites & præfectos, personasque Ecclesiasticas absque periculo censuræ huius Canonis, ad eum finem, vt Ecclesiarum, quæ in ipsius ditione & Imperio sitæ sunt, libertatem, tranquillitatem, & salutem conseruet atque defendat.

Aliqui existimāt Regē ratione sui muneris & dignitatis esse tutorē, custodem, & defensorem Ecclesiarū sui Regni, & propterea ius habere conuocandi Prælatos & cæteros viros Ecclesiasticos, vt Ecclesiarum cōmodo & vtilitati prospiciat, sed non video, cur Rex ratione sui muneris & dignitatis ius habeat Episcopos conuocandi. Potest quidem hortari, inuitare, suadere, vt congregentur. Potest quoque à Romano Pontifice priuilegium impetrare, vt illi in vnum conuenire debeant. Et quoniam Episcopi in aliquibus Prouinciis & Regnis solent esse Regni Proceres & Principes, Regum est præcipere, vt tanquam tales, non sicut Episcopi vna cum alijs conuocentur ob cōmunem Regni salutem & bonum. Hactenus explicata est prima actio principalis sub censura excommunicationis, nimirum si personæ Ecclesiasticæ ad secularia tribunalia trahantur, nunc vt distinctius & vberius, quę ad materiam totam huius excommunicationis pertinent, discutiamus & satisfaciamus difficultatibus & obiectionibus varijs, quæ à Doctoribus de hac immunitate & exemptione Ecclesiasticorum à potestate Iudicis secularis controuertuntur, necessarium fore duxi in sequenti Capite de Iure & causa huius priuilegij, & exemptionis Ecclesiasticæ breuiter pertractare.

B

C

CAPVT II.

Quo iure personæ Ecclesiasticæ sint à potestate & iurisdictione Principum, secularium, & Ciuilium Magistratuum immunes & exemptæ, & quàm late pateat hoc priuilegium.

D Ecclesiasticos viros potestati & imperio Principū secularium minime subiectos esse, nemo est, qui dubitet, sed quæstio est, quo iure sint soluti & liberi, diuino ne, an naturali, an humano. Quod si humano, an Ciuili, vel Pontificio.

Aliqui enim tenent solutos & liberos esse à potestate seculari Iure diuino & naturali. Hanc sententiam tuentur iuris Pontificij Interpretes, Innoc Host. in c. 2. de maior. & obed. Glosa in capit. Si Imperator in Ver. Discuti dist. 96. & in cap. Quanquam Ver. Diuino de Cens. libro 6. Io. And. Domin. Archid. Anchar. Franc. in eod cap. Abb. Felin. Dec. Butr. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ de Constit. Cardinalis in cap. Perpēdimus oppo. 7. de sent. excom. Rota in Antiq. decis. 10. de consuet. Aufrer. in Clem. 1. Vers. Ad quæstionem de off. Iud. ordi. Roch Curt. in cap. vlt. de Consuet. Rebuff. in concordatis Rubr. de protect. quam sententiam multis argumentis probant.

E Primo ex diuinis scripturis Gen. 79. Ioseph. totam Egypti Terram Regi obligauit, excepta Terra Sacerdotum, quam voluit esse liberam, & 1. Esdræ. cap. 7. excepti sunt Sacerdotes & leuitæ à lege soluendi tributa Regi Persarum, & Psalmo 114. dicitur, *Nolite tangere Christos meos*, idest vnctos meos, qui sunt Clerici Deo dicati, Matth. 17. cum Christus interrogasset Apostolus, à quibus Reges tributa acciperent, ab alie-

alienis, an à filijs suis, & Petrus responderet, ab alienis, Dominus intulit, *Ergo liberi sunt filij, vt autem non scandalizemus eos, tolle, & da pro me, & te.*

Præterea eandem opinionem confirmant ex iure Canonico; nam Bonifacius Octauus in c. Quanquam de Censi. lib. 6. aperte asserit Clericos & eorum bona non solum humano, sed etiam diuino iure à potestate Ciuili liberos & exemptos esse, & in cap. Non minus de Immun. Ecclesi. ex Concilio Lateranensi hęc habentur cõtra eos, qui Clericis collectas imponunt, *Vt deterioris conditionis*, scilicet sub laicis, *Christianis Sacerdotum videatur, quam sub Pharaone fuerit, qui diuinæ legis notitiam non habebat, ille quidem omnibus alijs seruituti subiectis Sacerdotes & possessiones eorum in pristina libertate dimisit*, In cap. Si Imperator dist. 96. *Domino instituente ad Ecclesiam pertinere Clericorum & Ecclesiarum gubernationem & curam*, & paulo post, *Non à legibus publicis, non à potestatibus secul. sed à Pontificibus & sacerdotibus Omnipotẽs Deus Christianæ Religionis Clericos & Sacerdotes voluit ordinari & discuti*, idest iudicari, vt interpretantur Doctores. Hoc idem confirmari potest ex multis cap. 11. q. 1.

Deinde eadem conclusio corroborari potest ex historijs, legimus enim apud Rufinum lib. 1. cap. 2. Hist. Ecclesi. à quo accepisse videntur Greg. lib 4. Epistola 75. Nicolaus Primus in Epistola ad Michaelem Imperatorem & Sozomenus lib. 1. suæ Hist. c. 16. fuisse quadam die oblatos libellos Imperatori Constãtino Magno, in quibus ad eum accusationes deferebantur aduersus Episcopos, & Constantinum respondisse, Ad ipsum non pertinere de huiusmodi causis sententiam ferre, *Quia solius*, inquit, *Dei iudicio reseruamini*.

Tandem ad idem ratio adducitur, nam si solum iure humano scripto Clerici essent immunes & liberi à potestate ciuili, possent Principes ex toto vel ex parte Clericorum immunitatem abrogare, hoc autem maximum Ecclesia detrimentum afferret; ergo verisimile est Christum Dominum eodem iure, quo suam Ecclesiam instituit, Clericos Ecclesiarum Ministros à ciuili laicorum iurisdictione excepisse.

Sunt tamen alij Auctores, qui negant personas Ecclesiasticas exemptas esse à Ciuili laicorum potestate in ijs, quæ ad temporalem gubernationem spectant. Affirmant tamen liberos esse & immunes iure Canonico, & non solo ciuili, sic Medi. de reb. restituen. q. 15. Victo. Relect. 1. de potest. Ecclesi. quæst. 6. propos. 2. Dom. Sot. in 4. dist. 25. q. 2. ar. 2. conclus. 3. 4. & 5. Ledesma. in 4. par. 2. q. 20. art. 4. Vers. Hęsitabis conclus. 2. & 3. Bannes 2. 2. quæst. 67. ar. 1. Couar. Pract. quæst. cap. 31. num. 2. Vers. Prima conclusio, & lib. 2. Variar. Resolut. cap. 20. In eandem sententiam Couarruuias citat in d. cap. 31. alios Doctores. Hanc sententiam his argumentis probare conantur.

In primis initio nascentis Ecclesiæ Clerici erant Principibus subiecti, vt constat ex Paulo ad Rom. 13. vbi dicit Apostolus *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & hoc propter ordinationem Dei*, Vbi Glos. ait, *Omnis anima; nullus ergo excipitur neque excluditur*, & Chrysost. addit, Ista imperantur omnibus & Sacerdotibus & Monachis, non solum secularibus; Actor. cap. 25. Paulus ait, *Ad tribunal Cæsaris sto, vbi oportet me iudicari.* Hoc dixit, quia causa tractabatur apud Præsidem Cæsaris, Item 1. Petri 2. legimus debere omnes subijci Principibus etiam Discolis, & Matth. 22. dixit Christus Dominus, *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, &, quæ sunt Dei, Deo.* Præterea in sacris literis nullum extat diuinum præceptum, quo Cleri-
A ci à Principum temporalium potestate soluãtur. Deinde Christianæ religio Christi Domini cultores non liberat ab vllo alio ciuili vinculo, non à seruitute, non à coniugio, non ab officio obedientię, non ab ære alieno; ergo nec Dominus soluit personas Ecclesiasticas ab officio parendi Principibus secularibus. Item Clerici sæpe solent cum laicis ciuiles contractus inire, emptionis, venditionis, depositi, mutui, commodati, societatis. Quid igitur repugnat dignitati & honori Clericali, si virtute illorum contractuum coram ciuilibus Magistratibus conueniantur & compellantur stare conuentis, promissa seruare, creditori satisfacere, debita restituere? Addunt, si Clericus sit fur, latro, homicida, adulter, læsæ Maiestatis Reus, Reipub. ho-
B stis & proditor, parricida, cur non poterit à Principe seculari puniri? non ne est Reip. pars, Ciuis vna cum laicis; cur ergo, si Ciuitatem prodit, si Principi interitum machinatur, si Remp. perturbat, non capiatur à laicis? cur Princeps secularis, si seuere animaduertat in huiusmodi personas Ecclesiasticas, Reip. perniciosas, vt communi bono consulat, & aliorum vtilitati prospiciat, excõmunicationis vinculo innodari debet.

Tandem si iure diuino iuri Ecclesiastici essent immunes, non posset Papa hoc priuilegium coarctare, & minuere; & tamen ita facit, Neq; posset causas Clericorum laicis delegare, & tamen, vt Glosa notat in c. Valde necessarium Ver. Pręcipimus dist. 94. causæ Clericorum à Romano Pontifice laicus cõmitti possunt,
C vnde legitur 32. dist. §. Verum, & §. Ad hoc, Gregoriũ Septimum mandasse Duci Sueuiæ, & Bertulpho Duci Carantenorum, vt officium Clericorum Simoniacorum, & in fornicatione iacentium scienter nullo modo reciperent, immo tales à sanctis ministerijs prohiberent, & hoc idem notat Glosa in Ver. Duci. Similiter talis immunitas per consuetudinem contrariam tolli, aut diminui non posset: nam contra ius diuinum consuetudo vim & locum non habet, & tamen in quibusdam Prouincijs consuetudo contra huiusmodi priuilegia Clericorum plurimum inualuit, (his tamen non obstantibus.

In hac quæstione certa sunt quædam, à quibus nemo est, qui dissentiat, nimirum primo priuilegium
D hoc immunitatis & libertatis Clericorum esse iure Ciuili & Canonico multis in locis confirmatum, secundo Clericos iure diuino esse à Ciuili laicorum potestate liberos in rebus spiritualibus, diuinis, & Ecclesiasticis, vt in administrandis Sacramentis, in sacris muneribus, & officijs obeundis, in prædicatione verbi Dei, in remittendis peccatis, ferendis censuris Ecclesiasticis & similibus. Tertio omnes etiam admittere videntur, quidquid iuris laici habent in rebus spiritualibus, habere ex priuilegio & concessione Romani Pontificis, vt in nominandis & præsentandis Clericis, qui præficiuntur Ecclesijs & beneficijs, in exigendis pensionibus Ecclesiasticis, in iure eligendi ad dignitates Ecclesiasticas.

E Tota difficultas in duobus consistit, Primum, an in his, quæ ciuilia sunt & temporalia, Clerici iure diuino liberi & exempti sint, vt si Clericus sit debitor alteri ex cõtractu emptionis, mutui, depositi, an sit iuris diuini, vt tantum coram Ecclesiastico Iudice conueniri possit, & nullo modo coram ciuili & seculari, & idẽ multo magis controuertitur, si Clericus fuerit Parricida, latro, perduellis, læsæ Maiestatis Reus, & idem de similibus. Secundum, de quo dubitatur, est, an personæ Ecclesiasticæ sint iure diuino exemptæ à tributis, censibus, contributionibus, & reliquis oneribus,

quæ

quæ solent seculares Principes laicis imponere.

Et quoad has duas difficultates prima sententia, quæ affirmat hoc priuilegio & immunitate Clericos ex Dei institutione gaudere, vera est, & frequentiori Doctorum, tam Theologorum, quàm Canonistarum consensu recepta, & sacris Canonibus magis consentanea, & tandem rationi magis conformis, vnde Sylu. Ver. Immunitas 1. §. 16. Vers. Secundum ad munera sordida, & Ang. Ver. Immunitas §. 33. Vers. 11. dicunt illam sententiam veriorem esse. Et quamuis Victoria, Medina, Sotus, Couar. & alij citati asserant immunitatem Clericorum in Ciuilibus & temporalibus non esse iuris diuini; tamen dicunt esse iuri diuino valde consentaneam. Deinde in cap. Quanquam de Censi. lib. 6. cap. Si Imperator 96. dist. cap. Non minus de Immun. Eccles. & cap. Nimis de iur. iur. expressè habetur hoc priuilegium, de quo agimus, esse iuris diuini, nam in dicto cap. Quanquam, & cap. Non minus, sermo habetur de exemptione Clericorum à censibus & contributionibus, quæ exiguntur à laicis, vbi hæc leguntur, *Cum igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæq; personæ, ac res ipsarum non solum iure humano, immo & diuino à secularium personarum: sint immunes &c.* Et in cap. Nimis de iure iur. Innocentius Tertius in Generali Concilio sic inquit, *Nimis de Iure diuino quidam laici vsurpare nituntur, cum viros Ecclesiasticos nihil temporale obtinentes ab eis ad præstandum sibi fidelitatis iuramenta compellunt,* & in Conc. Lateran. sub Leone X. sess. 9. in Bulla Reformationis Curiæ Vers. Et cum à iure, sic habetur, *Et cum à iure tã diuino, quàm humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit,* & in Conc. Trid. sess. 25. de refor. cap. 20. sic legitur, *Et personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione & Canonicis sanctionibus constitutam &c.* Hoc idem optima ratione confirmari posse videtur, Clerici sunt Deo dicati, & diuinis vsibus deputati. Dicuntur enim in sortem Dei electi, ergo eo ipso sunt à Ciuili laicorum potestate exempti, nam in cap. Semel de reg. iur. lib. 6. habetur, *Semel Deo dicatum, non est ad vsus humanos vlterius transferendum.* Idem in cap. Nulli, & in cap. Præsidia 12. q. 2. & alibi sæpe, si vasa sacra, Templa, Altaria, & cætera Deo sacra eo ipso, quòd diuino cultui sunt deputata, à profano & ciuili vsu separantur, cur Clerici eo ipso, quòd Deo sacrati sunt, ab omni ciuili vsu non sunt semoti? Res Deo dicatæ eo ipso à laicis non tanguntur, personæ Deo mancipatæ & diuinis officijs addictæ tanguntur à laicis? Ipsa igitur recta ratio omnino persuadere videtur res omnes Deo oblatas, & multo magis personas Deo emancipatas esse bona Dei, & in nullius hominis patrocinio, seu dominio esse, & Deo tantummodo, non hominibus subijci, & subiici debere.

Ad ea vero, quæ contra hanc sententiam obiciuntur, respondent Doctores, ad id, quod sumitur ex Paulo ad Rom. 13. ex Actis cap. 25. ex prima Petri capitulo 2. & ex Matth. capitulo 22. dicunt Ecclesiam primis illis temporibus non habuisse plenum suæ potestatis & iuris vsum & actum, sed tantum quasi habitum, & originem; & ideo mirum non esse, si Paulus Act. 25. ad Cęsarem prouocauerit, etsi ad Rom. 13. dixerit omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse; Non quòd iure diuino ciuili potestati Clericos subijceret, sed quòd interim, dum Christiani in Paganorum potestate erant, eorum Principibus parere deberent, ne Fides Christi, & Catholica Religio detrimentum pateretur. Accedit, quòd Paulus loquitur de potestate in genere, & docet Dei ordinationem

A esse, vt subditus superiori obediat; Non declarat tamen, quas personas sibi subditas Princeps secularis habeat ex Dei institutione. Et licèt verissimum sit omnem potestatem à Deo prouenire non tamen vnaquæque immediatè est à Deo, sed aliqua immediate à Deo deriuatur, vt fuit potestas Moysis, & Aaron, & in lege Euangelica auctoritas, & iurisdictio Summi Pontificis: Alia est à Deo medio aliquo titulo humano successionis, legitimæ electionis, donationis, vel alio, & Chrysostomus explicans verba Pauli, cum ait Apostolum loqui non solùm de Laicis, sed de personis quoque ecclesiasticis, non intellexit Monachos, & Sacerdotes ex Pauli testimonio obstrictos esse Principibus secularibus parere, sed significauit solùm Apostoli auctoritate

B compelli ad parendum suis Prælatis, & Superioribus ecclesiasticis quicunque illi fuerint. Alia omnia argumenta, quæ obijciuntur contra hanc sententiam, nihil concludũt, nam quamuis Christiani eo ipso, quo Christiani sunt, non liberentur ab omni ciuili vinculo; At Clerici Deo dicati, diuinis ministerijs, & officijs addicti eo ipso à ciuili Principum secularium potestate exinuntur, quia sunt in sortem, & hæreditatem Dei assumpti; ac proinde iure diuino, naturali, & canonico soluti à temporali iurisdictione, & Laica ...

Sed adhuc alijs argumentis probare posse videtur hanc Clericorum exemptionem non esse iuris diuini. Primò quoniam ex legibus Imperialibus, quæ habentur, in Cod. Theodosiano, & Iustiniano, ac in Nouel-

C lis colligitur illam à solis Imperatorum concessionibus deriuasse; Nam Constantini Magni filij Constantius, & Constans in Codice Theodosiano, l. 12. de Epi. & Cleri. solis Episcopis concesserunt exemptionem à iudicijs fori secularis, alias ecclesiasticarum personarum, causas tam ciuiles, quàm criminales eisdem secularibus Iudicibus cognoscendas, & definiendas reliquerunt. Et hac de re extat etiam lex Valentis, & Gratiani lata circa annum 380. & est 23. in cod. Cod. eiusdem tit. qua cauetur, vt iudicia criminalia in Clericos ad seculare tribunal pertineant. Alia etiam est lex Arcadij, & Honorij lata circa annum 400. qua omnes Episcopi, & Clerici peregrini ad vitandum se-

D ditionis periculum Vrbe iubentur excedere, & est lex 32. eod. tit. Præterea anno 420. vel circa, Honorius, & Theodosius secundus, l. 1. eod. tit. & postea Theodosius, & Valentinianus tertius, l. 47. eod. tit. iudicium Clericorum Episcopis concesserunt, si partes consenserint, ita vt altera dissentiente iudicium ad seculares Magistratus pertineret. Tandem Iustinianus circa annum 560. in Auth. de sanct. Epi. legem, edidit, qua cautũ fuit in criminalibus Iudici seculari potestatem inesse in Clericos animaduertere eaque lex viguit vsque ad annum 630. quo Heraclius Clericos tam in ciuilibus, quàm criminalibus causis à Magistratibus secularibus exemit.

Itaque ex hac concessionum varietate videtur se-

E qui necessariò dicendum esse hoc priuilegium clericalis exemptionis à potestate ciuili, non esse iuris diuini.

Respondendum est huic obiectioni; Ex legibus, quę habentur in Codice in tit. de Epis. & Cler. si rectè perpendantur, nec in alium sensum longe à vero & proprio alienum trahantur, euidenter apparere posse, Imperatores hãc exemptionem Clericis, non vti rem nouam concessisse, sed tanquam iure altiori illis debitam manifestare, voluisse, eamque quoad omnia Clericis competere existimasse, & vt alias leges dicti Codicis, quibus id probari euidenter potest, taceam, legem 47. in cod. tit. de Epi. & Cleri. tantum recensebo, vbi

vbi hæc verba habentur, *Priuilegia Ecclesiarum omnium, quæ seculo nostro Tyrannus inuiderat prona deuotione reuocamus, scilicet, vt quidquid à diuis Principibus constitutum, & quæ singuli quoque Antistites pro causis Ecclesiasticis impetrarunt, sub pœna sacrilegij iuge solidata æternitate seruentur Clericos etiam, quos indiscretim ad seculares Iudices debere deduci, infaustus præsumptor edixerat, Episcopali audientiæ reseruamus. Fas enim non est, vt diuini muneris Ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio &c.* Ex qua lege Imperatorum Theodosij & Valentiniani duo notanda sunt, alterum quòd Tyrannum appellaeenm, qui Ecclesiæ exemptiones auertere contenderat, alterum quòd reddit rationem valde congruentem opinioni, vt huiusmodi exemptio sit iuris diuini, dum ait, *Fas non est, vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* Leges igitur ab Imperatoribus conditæ perspicuè huic opinioni fauent, quæ asserit exemptionem Clericorum originem duxisse à Iure diuino, & ab eodem vim & firmitatem accepisse.

Verum, etiam si daremus Imperatores in obseruanda Clericorum exemptione variasse, non variauit Sedes Apostolica, cuius in hac re decreta magis spectanda sunt, quàm Principum secularium. Etenim iam inde ab ipso Apostolorum tem pore ad hanc vsque ætatem Constanti obseruatione hanc exemptionem asseruit & comprobauit, Apostolus Paulus capitulo quinto, prioris Epistol. ad Timot. disertis verbis docet Episcopum habere suum Tribunal, & ad eum pertinere de suis subditis Ecclesiasticis iudicare: sic enim ait, *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, vel tribus testibus.* Vnde Alexander Primus Epistol. decretali 5. ad omnes Orthodoxos, quæ habetur Tom. 1. Conciliorum, col. 2. conquæritur relatum esse ad Sedem Apostolicam quosdā æmulos Christi, eiusque Sanctæ Ecclesiæ insidiatores Sacerdotes Dei ad Iudices publicos accusare præsumpsisse cum magis Apostolus Christianorum causas deferri ad Episcopos & ab eis terminari præcipiat tales præuaricantes perpetua notatos infamia & excommunicatos esse decernit. In Concilio Generali Chalcedonensi Canone 9. ita legitur. *Si Clericus aduersus Clericum habet negocium, non relinquat Episcopum suum & ad secularia Iudicia non recurrat.* In Concilio Agathensi Canon. 32. *Clericus nec quemquam præsumat apud secularem Iudicem Episcopo non permittente pulsare, & si pulsatus fuerit* non respondeat, *nec audeat criminale negocium in Iudicio seculari proponere.* Idem continenter omni tempore Romanos Pontifices & Concilia nouis sanctionibus & docuisse & re ipsa obseruasse ex Epistolis decretalibus, & Constitutionibus Conciliorum apertissime constat, quæ silentio prætereo. Vnde apparet hanc exemptionem maiorem habere firmitatem, quàm si ab Imperatorum concessionibus tantum, vel Canonicis sanctionibus proueniret, quia scilicet nititur iure diuino.

Secundo objicitur si hæc exemptio Clericorum esset iuris diuini, semper eodem modo seruaretur immutabilis in omnibus Regnis & Prouinciis: Ius enim diuinum est vniuersale, hoc tamen falsum est, quoniam diuersimode obseruatur in diuersis Regnis, vt legitur apud Iulium Clarum §. fin. q. 38. Neq; Constitutiones Summorum Pontificum, de hac exemptione editæ, vbiq; eodem modo receptæ & seruatæ fuerunt.

Respondeo varietatem casuum, quos Clarus examinat eo spectare, vt definiantur multæ controuersię, quæ in hoc genere inter Ecclesiasticam & secularem

A potestatem subesse possunt, quamuis exemptio ipsa plene obseruetur. Et Summus Pontifex potest ius diuinum ex causa interpretari & declarare, Felin. cap. Quæ in Ecclesiarum num. 25. de Constit. Variæ igitur quæstiones à Claro examinatę in hac materia omnes tendunt ad declarationem casuum, in quibus sæpe lites oriuntur, non quia potestas laica Clericorum exemptioni non deferat, aut illam plene non recipiat, sed quia ex præscripto Sacrorum Canonum prætendit in eis casibus exemptioni locum non esse, de quibus casibus dictum est in Capite præcedenti, quid si præter illos casus, in quibus Clerici huiusmodi exēptionibus ex dispositione iuris Pontificij merito eximuntur, in quibusdam etiam alijs Rex Galliæ, vel alij B Reges & Principes de delictis & causis Clericorum cognoscunt, vt puta de delatione armorum, de fractione saluæ Guardiæ, de iniuria ab eis illata officialibus Regijs, de vsurpatione iurisdictionis Regiæ & similibus, id faciunt ex priuilegio Sedis Apostolicæ, Ripa in capitulo secundo, numero 73. de Iudi. Aufrer. in Clement. 1. in prima reg. in 13. fallen. de off. Ordi. Guil. de Bened. in cap. Raynutius in Verb. & vxorem nomine Adelasiam decis. 2. nū. 147. cum seq. Et quando Papa in aliquibus casibus priuilegium concedit Principi laico cognoscendi causas Clericorum, tunc Princeps laicus censetur Papæ Delegatus, & ideo potest hoc priuilegium laico concedere, Glos. in capitu- C lo Laicis 16. quæst. 7. Felin. in capit. 2. num. 3. & 4. de maio. & obedi. Stephan. Aufrer. in Repet. cap. 1. q. 4. num. 6. de off. Ordi. Qui autem mandatam iurisdictionem exercet, non sua, sed eius, qui mandauit, iurisdictione vtitur, l. 1. §. Qui mandatū, ff. de off. eius, cui mand. est Iurisd. quo fit, vt huiusmodi iurisdictio laicis Sedis Apost. priuilegio tributa in Clericos, nec eorum exemptioni, nec iuri diuino illā inducenti aduersetur.

Sed occurit quæstio hoc in loco discutienda, an laici vi consuetudinis longi temporis potestatem in Clericos habere possint, ita quidem vt Iudex secularis ratione consuetudinis diuturnæ Clericos ad suum Tribunal trahere valeat absque periculo censuræ huius Canonis; etenim Couar. pract. quæst. cap. 35. num. 3. D Nauar. in Manua. cap. 27. num. 70. Guil. de Bened. in c. Raynutius in Verb. Et vxorem nomine Adelasiam decis. 2. & quidam alij afferunt casus, in quibus asserunt solere Regia Prætoria causas Clericorum & Ecclesiarum ad sua tribunalia reuocare, quem vsum iure confirmare nituntur.

Ad hanc quæstionem respondendum est non posse laicos vi consuetudinis aliquam potestatem habere in personas Ecclesiasticas. Quamobrē prætextu consuetudinis non posse excusari Iudicem laicum, vt non incidat in hanc excommunicationem, si trahat Clericū ad suum Tribunal, ita docet Bal. in c. Clerici ad fi. de Iudi. Butr. ibi n. 2. & 11. Abb. n. 5. & 6. Deci. n. 58. & in c. 2. n. 167. eod. tit. & cons. 150. n. 4. Felin. in c. 2. sub nu. E n. 3. de maior. & obed. Idem pluribus probat Rota decis. 10. de Cens. in antiq. & Bysignan. decis. 2. eod. tit. Idē confirmant Doct. in c 2. de prçben. lib. 6. Ioan. Monac. n. 5. Io. And. n. 6 Rom. n. 13. Franc. n. 10. Prob. n. 5. & 6. Abb. in c. Quisquis n. 3. de elect. Dum docent in spiritualibus, quorū laicus non est capax, nihil operari consuetodinē, Hęc enim non potest spiritualium incapacem reddere habilem & capacem, vt adnotauit Abb. in c. Quanto n. 2. de consuet. Prob. d. c. 2. nu. 7. de præben. lib. 6. Dec. in cap. 2. num. 36. de Iudi.

Probatur hæc conclusio ex capit. Clerici de Iudi. Vbi definitum est non posse consuetudine aliqua

præiudicium inferri sacris canonibus, in quibus generaliter traditur; Quod de omni crimine Clericus debeat coram Ecclesiastico Iudice conueniri; Huius assertionis illa ratio affertur, quoniam Imperator professus est sequi sacros canones, scilicet in Authen, Vt Clerici apud prop. Episc. primum conueniri in §. penult. Vnde colligunt in dicto cap. Clerici Abb. num 4. & Dec. num. 35. Non posse Consuetudine firmari id, quod lege fieri non potest. Quo argumento, & de reliquis omnibus Clericorum negocijs, & causis fateri cogimur. Nam Imperator Federicus secundus in Constitut. De Statutis, & Consuetud. contra libertat. Eccles. editis lib. Feud. in §. Item statuimus. Vnde sumpta est lex Statuimus, C. De Episc. & Cler. recedens ab errore veterum legum. (vt ibi inquit Bal.) statuit Nullam Ecclesiasticam personam in quacunque causa trahi posse ad Iudicium seculare, vt etiam sacri canones generaliter tradunt, scilicet cap. Inolitam, cap. Placuit vt quisquis, cap. Si Clericus, cap. Si quis ex fratribus cap. Peruenit 11. quæst. 5. cap. Decernimus De Iudi. cap. Si diligenti, De Foro Compet. Vbi neque Episcopo consentiente id fieri potest, & in cap. Qualiter, & cap. Quando De Iudi. & neque in casu neglectæ, aut denegatæ iustitiæ, nec timore violentiæ licitum est, cuiquam laico Clericum ad iudicium seculare vocare; Vbi id notat Glos. Ver, Prohibemus, Host. num. 3. Io. Andr. num. 3. Butr. num, 8. Imo. num. 3. Anchar. num. 5. Abb. nu. 7. Alex. cons. 8. num. 1. lib. 1. Inde colligentes differentiam inter Iudicem secularem, & Ecclesiasticum, Is enim cum sit maior & superior, potest secularis negligentiam supplere, & corrigere illum cap. Ex transmissa, cap. Licet, & cap. Ex tenore De Foro Compet. Meritò igitur Abb. in cap. Clerici numero sexto, & Dec. numer. 58. De Iudi. Quod de causis criminalibus in eo loco dicitur, etiam in ciuilibus locum habere ex sententia Doctorum affirmant.

Secundo eadem conclusio probatur ex cap. Qualiter, & Quando De Iudi. Vbi omnino prohibetur; Nè Clerici trahantur à Laicis ad Iudicium seculare, & ex hoc modo loquendi aufertur, Inferioribus facultas omnis dispensandi, siue per Statutum, siue per consuetudinem; Præpo in cap. Si quis cum Clerico 11. q. 5. Felin, in dicto cap. Qualiter prope finem, Alex. d. cons. 8. nu. 1. Fauent, quæ de hac quæstione in simili tradūt Ang. & Imo. in l. Si quæramus ff De Testa. Com. in l. vlt. C. De Testa. Milit. Glos. in Clem. 2. Ver. Nullo modo De Aeta. & qualit. Imo. in Clem. 1. num. 20. De Sequestr. possess.

Tertiò cum huiusmodi consuetudo sit contra id, quod ex iure, vel ex priuilegio Clericis est concessum siue à Deo, vt probatum est, siue à Roman. Pontifice Christi Vicario, ac etiam ab Imperatore, erit contra libertatem Ecclesiasticam, quod in specie notat Bal. in cap, Clerici De Iudi. Butr. num. 11. Abb. num. 6. & colligitur ex doctrina Innoc. in cap. Nouerit. De Sent. Excom. quem omnes ibidem sequuntur.

Quod vero de consuetudine probatum est, etiam de præscriptione est dicendum, quamuis tanti temporis cur u sit continuata, vt initij memoria non extet: est enim Laicus incapax iuris, & potestatis spiritualis, nec potest illam ciuiliter possidere, atque ideo neque vllo tempore præscribere c. Causam De Præscript. Io And. & omnes in cap. 2. De Præben. lib. 6, Abb. in cap. Quãto nu. 2. De Consuet. Dec. in c. Decernimus nu. 38. De Iudi. qui docent laicos auctoritate cuiusuis præscriptionis non reddi habiles ad Spiritualia, & præscriptionem ei tantum ius tribuere posse, qui illius iuris est capax, quamuis nec video, quo pacto tanti temporis cursus afferri possit, cum per Bullam Cœnæ Domini, quæ singulis annis legi solet, & in capite Regni promulgatur, omnes Ecclesiæ subditos afficiens, omnis consuetudo & præscriptio impediatur, Felin, in capit. Non liceat Vers, Quinto considera de præscript.

Neque ad probandam huiusmodi consuetudinem aliquid facit, quod adducitur ex capitulo Filijs & Nepotibus. 16. quæst. 7. Vbi statuitur, vt si Metropolitanus bonis Ecclesiæ abutitur, id Regi significetur, Nam quicquid ibi dixerit Glos. certe his verbis non possumus inferre, Episcopum posse per Regem corrigi, sed solum colligendum est, illud idcirco Regi intimandum esse, vt Rex admoneat Metropolitanum, vt instet coram Superiore, vt illum corrigat, vt notant Butr. in dicto cap. Qualiter ad fi. de Iudi. Abb. n. 7. in fi. Imo. nu. 4. in fi.

Quæret aliquis, an hec consuetudo possit robur accipere & firmitatem ex tacito Papæ consensu & præsumpta eiusdem patientia. sunt enim quidam, qui hunc vsum, qui in aliquibus Prouincijs viget, vt laici Iudices multas Clericorum causas tractare valeant, cohonestare conentur ex tacito Romani Pontificis consensu: quia Papa sciente, & tacite consentiente tales seculares Iudices causas Clericorum cognoscunt, neque tamen Papa illos excommunicatos declarat; sed tolerat, neque vllus Ecclesiasticus Prælatus reputat illos excommunicatos, neque ab alijs euitantur, sed cum omnibus communicant.

Respōdeo, & ante omnia nego verum esse id, quod supponitur, nempe in hisce causis subesse Romani Pontificis consensum tacitum. Nam notissimum est omnibus Romanus Pontifices quotidie his de causis reclamare, conqueri, minari pœnas, proferre sententias & censuras in eos, qui talia præsumant, vt manifeste probari potest ex ijs, quæ deducuntur in Actis tribunalis Auditoris Cameræ, vbi sæpissime expediuntur literæ monitoriæ contra diuersos Iudices laicos, vt personaliter compareant, & pronuncientur sententiæ condemnatoriæ stante contumacia cum fulminatione censurarum. Idem etiam patet ex pluribus decisionibus Auditorum Rotæ improbantibus & dānantibus tales recursus ad Iudices laicos, & tales recurrentes excommunicantibus; Deinde quotannis in die Cœnæ Domini Papa solemnem excommunicationem pronunciat in Magistratus, Iudices, & Principes, qui de causis Clericorum iudicare audent.

Si dicas Bullam Cœnæ non esse hac in re alicubi vsu receptam, & ideo non obligare, Respondeo immo semper obligare; quia semper quolibet anno solenniter Romæ promulgatur, ergo semper eius vis, & obligatio durat, & satis est, vt hæc Bulla Romæ solemniter promulgetur, quamuis in Prouincijs promulgata, & publice denunciata non fuerit; quia communis est sententia Theologorum & Canonistarum sufficere promulgationem Romæ factam, nec necessarium esse, vt in alijs locis promulgetur, Abb, in cap. Nouerit n. 3. de sent. excom.

Sed iterum objicies, Papa in Bulla Cœnæ Canon, 14. vt vidimus, prohibet, ne causæ Ecclesiasticarum personarum trahantur ad Tribunalia secularia prætextu violentiæ, & consuetudinis, quare non videtur interdicere hanc causarum aduocationem, vbi viget certa & euidens est consuetudo; sed vbi dubia est, incerta, ficta, aut simulata. Similiter non damnatur talis aduocatio, cum certa est & mani-

manifesta violentia qua vtuntur Iudices Ecclesiastici, sed quando est ficta & simulata, & violentia tantum imaginem & similitudinem habet, Id vero aperte indicat verbum illud *Prætextu violentiæ & cæt.* Prætextus enim dicitur velamen, quo aliquis se moueri simulat ad aliquid faciendum, cum tamen alia causa moueatur: in hoc enim sensu vsurpat hanc vocem Suetonius in vita Cæsaris, & in vita Tiberij.

Respondeo, Papam in Bulla & sacris Canonibus nomine Prætextus etiam veram causam non simulatam & fictam significare velle, & in eodem sensu eadem vox accipitur in legibus Iuris Ciuilis, vt in l. sub prætextu.C. de Transact. vbi ita habetur, *sub prætextu instrumenti postea reperti transactionem finitam rescindi iura non patiuntur*, Quæ lex confirmatur in capitulo Inter Monasterium de sent. & re Iudi. Vbi dicitur, *sub nouorum instrumentorum prætextu lites non debent instaurari*, & in capitulo Suborta eod. tit. *Prætextu priuilegij denuo reperti non debet sententia retractari*, In his locis certe non solum instrumentum, seu priuilegium fictum & simulatum, sed etiam verum & certum, quod postea repertum est, sub hac clausula, *sub prætextu* significatur quod in l. sub prætextu C. de transact. legimus *sub prætextu instrumenti postea reperti* in l. Imperatores ff. de re Iudi. dicitur *sub prætextu nouorum instrumentorum restitui negocia minime oportet*. Et hæc lex locum habet in instrumentis veris & certis denuo repertis, ex quibus negocia absoluta & expedita retractari non debent. Quare etiam Summus Pontifex, cum inquit in Bulla, ne laici sub prætextu violentiæ aut consuetudinis causas Clericorum iudicent, omnino prohibet, ne iudicent, etiamsi vera & euidens consuetudo sit quoniam corruptela est dicenda, & quamuis sit vera, non simulata violentia, quia illa non ad Iudices seculares, sed ad Ecclesiasticos deferri debet.

Dices, saltem Iudices laici habebunt iustam excusationem, si hæc faciant priuilegio Summi Pontificis, Respondeo non extare tale priuilegium generaliter concessum à Sede Apostolica cognoscendi causas Clericorum, deinde talia priuilegia non valere contra Bullam Cœnæ Domini, quæ singulis annis publice & solenniter promulgatur cum amplissima reuocatione quorumcunque priuilegiorum ob quascunq; causas à quibusuis Pontificibus & quibuscunque Potentatibus concessorum tandem quando Iudex laicus in aliquo casu particulari ex priuilegio Papæ quasdam causas Clericorum cognoscit & iudicat, non id facit propria auctoritate, sed tanquam Minister & Legatus Summi Pontificis, idest auctoritate & nomine ipsius Papæ & hoc modo quamuis exemptio Clericorum sit Iuris diuini, non dicitur Summus Pontifex soluere & violare, vel abrogare vllo modo ius diuinum; quia non tribuit laico ius & potestatem, vt Clericorum causas possit propria auctoritate cognoscere, sed vt Minister Papæ.

CAPVT III.

De secunda actione principali damnata in hoc Canone illis verbis, Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones &cæt. *vsque ad finem.*

IN hac secunda parte Canonis exprimitur altera actio generalis prohibita, quæ comprehendit tres partes. Prima est facere, aut ordinare, vel publicare ex quauis causa, & quouis quæsito colore, etiam prætextu cuiusuis consuetudinis aut priuilegij statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quæuis alia decreta in genere, vel in specie, vnde libertas Ecclesiastica tollatur, seu in aliquo lædatur, vel deprimatur, aut alias quouis modo restringatur directe, vel indirecte, tacite, vel expressè. Secunda est facere, vel ordinare modo explicato statuta, & cætera, quibus Romani Pontificis, & Sedis Apostolicæ, aut quarumcunque Ecclesiarum iuribus, quomodolibet directe, vel indirectè & cætera, præiudicetur.

Animaduertendum est hic nō excommunicari vniuersaliter, & absolute omnes violantes libertatem Ecclesiasticam quibuscunque modis illa violari potest; sed tantum illos, qui rationem statutorum & ordinationum, quæ ab ipsis conficiuntur, & promulgantur, Ecclesiæ libertati præiudicium aliquod inferre præsumunt, vt recte annotauit Caietanus in Summa Ver. excommunicatio capitulo trigesimoprimo, Vers. Primo notanda est, & confirmat Nauar. in Manua. capitulo vigesimoseptimo, numero centesimo decimo nono.

Nec non qui, Hæc excommunicatio comprehendit omnes personas Ecclesiasticas, nempe Episcopos, & alios Prælatos, tam Superiores, quam inferiores, si auctoritate, qua funguntur statuta & decreta faciunt contra libertatem Ecclesiasticam. Merito hic dubitari potest, quoniam excommunicatio lata in priori parte Canonis afficit solum illos, qui potestate laicali trahunt Ecclesiasticas personas ad Iudicium secularе, ergo etiam hæc secunda excommunicatio videtur explicanda de illis tantum, qui eadem potestate laicali aliquid contra libertatem Ecclesiasticam statuere præsumunt.

Respondeo in hanc excommunicationem incidere non solum Principes seculares, sed Prælatos Ecclesiasticos statuentes aliquid contra libertatem Ecclesiasticam, Idque euidenter probatur, Primo quoniam illud relatiuum *Qui* refertur, vt dixi, ad postrema verba Canonis 14. quibus exprimuntur non tantum Principes laici, sed Prælati Ecclesiastici, ibi, *Etiam si talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum & cætera, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij, seu Vicarij*. Secundo quoniam Summus Pontifex hoc in loco non distinguit, sed simpliciter loquitur, ergo neque nos distinguere debemus. Quando enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, capitulo Si Romanorum distinctione decimanona, capitulo Quia circa de Priuil. l. Quamuis & ibi Ias. in primo notan. ff. de in ius vocan. Tertio quia maior est ratio, vt fateri cogamur, hac excommunicatione affici Prælatos Ecclesiasticos, quam Principes seculares; grauioris enim sceleris Rei censendi sunt illi, qui arctiori vinculo tenentur priuilegia & immunitates personarum Ecclesiasticarum tuendi & protegendi, quam isti, & propterea sæuiori pœna & censura coercendi. Quamobrem si Papa excommunicationis gladio percutit laicos contra libertatem Ecclesiasticam statuentes, multo magis asserendum est eadem censura afficere voluisse Prælatos Ecclesiasticos, huiusmodi crimen committere præsumentes argumen. capitulo fin. de Postulan. Vnde Sylue. animaduertit Ver. Immunitas 2. §. septimo, Vers. Nono quæritur statutum factum à Clericis

vnius Ecclesiæ contra aliam repugnare libertati Ecclesiasticæ, vt si Canonici Ecclesiæ Cathedralis statuant, ne subditus suę Parochiæ vocare possit Religiosus ad funus, nisi inuitetur totum Capitulum, quia priuilegium conueniens vniuerso Clero est, vt quælibet persona Ecclesiastica tanquam Dei Minister possit Laudes Deo persoluere pro defuncto in munere, & inde eleemosynam accipere, sed hoc dictum Sylue. mihi non probatur: quia quamuis existimem esse contra libertatem Ecclesiasticam, si Canonici Ecclesiæ Parochialis statuant, vt nullo modo ad funera inuitentur Religiosi, sed tantum Clerici seculares propter rationem allatam, secus vero est, quando statuitur, vt vocari non possint Religiosi, nisi vocati fuerint Clerici dictæ Ecclesiæ: neque enim decet, immo à ratione omnino alienum videtur, vt ad funus alicuius subditi Parochialis Ecclesiæ inuitentur Religiosi alterius, & relinquantur Clerici propriæ Parochiæ.

Statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quæuis alia decreta in genere, vel in specie, statutum dicitur ius proprium ipsius Ciuitatis, & habet vim legis, & vocatur ius ciuile, vt distinguatur ab eo, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, atque ius gentium appellatur, l. omnes populi ff. de Iust. Iur. §. Ius autem ciuile Instit. de Iu. Natu. Gen. & Ciu. Ius enim ciuile multis modis dicitur, vt habetur & in l. ius autem Ciuile, & ibi Glo ff. de iust. & iu. & inter alios statuta municipalia dicuntur ius ciuile, vt ibi notat Glos. & habetur in dicto §. Ius autem Ciuile Instit. de Iu. nat. Gent. & Ciu. Statuta vero alia dicuntur locorum, alia personarum, vt in cap. 1. de Constitut. lib. 6. statuta locorum intelliguntur illa, quæ generaliter in ipsis locis, & Ciuitatibus, quarum sunt statuta, ab omnibus obseruari debent, & extraneos transgressores legant cap. Quæ contra mores octaua distinctione, Glos. in l. Item Mela. ff. Ad leg. Aquil. Statuta personarum vocantur illa, quæ sunt alicuius corporis & Congregationis, quæue tantum incorporatus & illius Congregationis homines obstringunt, *Ordinationes* diuersum est nomen, idem prorsus significans, quod lex, statutum, seu decretum, vnde Col. lib. 12. cap. 3. sic inquit; *Vt ordinatio constituta conseruetur. Constitutiones* duobus modis sumi potest, Constitutio, vt inquit Abb. in Rubr. num. 1. de Constitu. Primo modo proprie, & est id, quod Princeps statuit, capit. Constitutio distinctione secunda, alio modo latius pro omni iure scripto etiam Inferioris à Principe, sicut accipitur in eodem tit. de Constitut. Nam in Rub. de Constit. agitur nedum de statutis Principum, sed etiam Inferiorum, & rursus Constitutio in propria significatione accepta, alia est Ciuilis, alia est Ecclesiastica, vt habetur in distinctione tertia, in Summa Ciuilis, Forense, vel Ciuile ius appellatur, Ecclesiastica vero varijs nominibus appellari solet, interdum enim vocatur Canon, aliquando Decretum, nonnunquam Decretalis Epistola. Similiter Dogma, Mandatum, Interdictum, Sanctio, vt dicit Glos. in dicta distinctione tertia, in Summa, & Abb. in proœmio Decretalium numero quinto, *Pragmaticas*, Pragma idem est, quód causa, vt notat Glos. in capit. 1. Ver. Pragmatica de Rer. Permut. Inde dicuntur Pragmatici, idest Causidicis vnde pragmatica sanctio est dispositio & constitutio super re aliqua à Principe aliorum suggestione promulgata, vt ibi inquit Glos. & colligitur ex l. Iubemus nullam C. de Sacr. San. Eccles. quę non ad preces singulorum, sed vniuersitatis profertur, vt Curiæ Ciuitatis Prouinciæ, vt ha-

A betur in l. vlt. prope finem C. de Diuer. Rescript. *Seu quæuis alia decreta*, Accipitur hoc in loco Decretum latissimè pro omni eo, quod constituitur à Principe & Superiore, siue per modum statuti, aut præcepti, seu sententiæ, aut mandati, vel quouis alio modo decernatur, quod aperte indicat dictio illa generalis *Quæuis*, quæ iuncta etiam cum dictione *Alia* generalitatem & vniuersitatem infert, & omnia comprehendit, etiam maiora & diuersa expressis, est text. in Clement. 1. in princ. ibi, *Vel alia quæuis causa*, cum Glos. in Ver. Quauis de re Iudi. Vbi asserit verba illa vniuersaliter complecti omnes causas etiam spirituales, & criminales, & in Clementin. 1. cum Glos. in Ver. Quouis modo de Reb. Eccles. non alienan. Alex. B consilio trigesimo. Ponderatis narratis numero 14. volum. 5. Felin. in Tracta. liter. Apostoli. contra Patro. in 4. Amplia Ver. sed profecto. De varijs autem significationibus huius vocis *Decretum* dixi in capitulo primo, Dispur. 14. *In genere, vel in specie* Potest enim Princeps & Magistratus statutum condere, quo tollantur omnia priuilegia Clericorum, vel aliquod solum, aut contra omnes Clericos, vel in specie contra Clericos alicuius Ciuitatis, vel Collegij, vel etiam statuendo aliquid in genere omnibus sine vlla limitatione tam laicis, quàm Clericis, aut in specie exprimendo Clericos. Quamobrem Summus Pontifex his multis & varijs nominibus intendit quamcunque legem, constitutionem, statutum, ordinationem, & de- C cretum quouis alio nomine nuncupatum generale, aut speciale comprehendere, quod contra libertatem Ecclesiasticam factum sit, cuius gratia illud faciens eo ipso in hanc excommunicationem incidit. Vsus est autem pluribus nominibus, vt nullus pateret locus excusationi: nihil enim refert, quibus vocabulis vtamur, vbi de re ipsa euidenter constit. l. Certum est ff. si cert. peta.

Ex quauis causa & quouis quæsito colore, idest quocunque prætextu, & ob quemuis finem statuatur aliquid contra libertatem Ecclesiasticam, non idcirco statuentes effugiunt censuram huius Canonis. Sunt enim, qui sciunt, iure in Clericos iurisdictionem nul- D lam habere, tamen fraudolenter fingunt ex aliqua causa apparente compelli ad illud statuendum, & illam allegant, putantes hoc modo euadere pœnam excommunicationis, hanc palliatam excusationem his verbis Papa tollere intendit, quod indicat particula illa *Quouis quæsito colore*, quæ in malam partem accipitur l. sed Iulianus in princ. ff. ad Senat. Consult. Maced. capitulo Auaritiæ in fin. de elect. libro 6. cap. Cupientes in fin. §. Ad quæ si infra illud eodem titul. & lib.

Ac etiam prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodolibet. In Bullis antiquioribus, vt tempore Pauli Tertij post illa verba *& quouis quæsito* E *colore*, hæc sequebantur, *etiam sub prætextu literarum Apostolicarum in vsu non receptarum, seu reuocatarum hactenus fecerunt & cæt* Quæ clausula legitur in alijs Bullis posteriorum Pontificum vsque ad Gregorium XIII. sed sublata fuit à Sixto Quinto, quem secuti sunt alij Pontifices; verum Gregorius Decimustertius, addidit clausulam hanc, in cuius explicatione modo versamur, quam alij retinuerunt. Quare verba illa *Etiam sub prætextu literarum &c.* dempta fuerunt, quoniam continentur in illis verbis scilicet *sub prætextu priuilegij*. Sunt igitur excommunicati huiusmodi statuentes, non obstante quacunq; contraria consuetudine. Nam consuetudo non potest firmare id,

quod

quod lege diuina fieri prohibetur, vt fatis probatum A est capitulo Superiori. At repugnat Iuri diuino & sacris Canonibus, vt laicus fit capax vllius iurisdictionis in Clericos, vt in eodem cap. Probatum est. Merito igitur consuetudo non debet neque potest transgressorem huius Canonis ab excommunicatione excusare, & idem est de priuilegio, tum quia hic expresse & specialiter reuocatur, tum etiam quoniam in postrema parte Bullæ abrogantur generaliter omnia priuilegia contraria. Tandem ad collendum omnem alium prætextum & causam, quam quis excogitare posset, si consideret statutum aliquod libertati Ecclesiasticæ repugnans, addit Summus Pontifex verba illa generalia, *Vel alias quomodolibet* quibus omnis modus cōtinetur, Clem. fin. cum Glos. in Ver. Alio quouis mo- B do de sent. excom. in Clem. ne Romani in §. eo tamen prouiso, cum Glos. in Ver. quouis modo de elect. Dec. in cap. Sedes n. 8. Vers. pro prædicta tamen limitatione de rescript.

Fecerint, ordinauerint, & publicauerint. Itaq; excommunicantur in hoc Canone, qui faciunt, ordinant, & publicant statuta, ordinationes, constitutiones, seu quæuis alia decreta, quæ libertati Ecclesiasticæ derogent. Quare qui libertatem Ecclesiasticam lædunt facto ipso, non ratione statutorum, non comprehenduntur sub censura huius Canonis, vt si quis extorqueret gabellam à Clerico, vel si laicus Iudex traheret personam Ecclesiasticam ad suum Tribunal, & in C similibus casibus, nam Bulla loquitur tantum de violatione immunitatis Ecclesiasticæ propter statuta facta. Illi vero omnes dicuntur statuta, ordinationes &c. facere, qui iurisdictionem in alios habent, & possunt illos ligare. Ad hunc modum Princeps, Legatus, Episcopus possunt facere statuta & ordinationes, cap. Si quis venerit cum Glos. Ver. Decretum d. maior. & obed. capit. fin. & ibi Glos. Ver. Statuta de off. leg. capit. Vt animarum cum Glos. Ver. Statuto de Constit. libro sexto. Illi ergo, qui possunt aliis legem imponere auctoritate officij, quo funguntur, illosque obligare ad eam seruandam, vere & proprie Constitutionem, seu statutum faciunt.

Neque solum qui faciunt sunt excommunicati, D sed etiam qui ordinant; potest enim Princeps facere statutum, præcipiendo illud fieri, & alius illud ordinare, id est componere, verba explicare, & iuxta mentem Principis disponere, & talis obstringitur etiā excommunicatione. Similiter excommunicatus est, qui publicat talia statuta; nam lex siue statutum licet sit factum, & ordinatum antequam tamen legitimè promulgatum fuerit, nullā habet vim; quia promulgatio est de essentia legis, & ante promulgationē lex non obligat: quia non est manifesta & cognita, in Authen. Vt factæ nouæ Constit. circa princ. colla. 5. c. 1. de postul. Præla. & tradit Alphon. à Castro lib. 1. de potest. leg. pœn. capitulo 1. & Domi. Sot. libro 1. quæstione 1. artic. 4. de Iusti. & Iu. Merito igitur esse non E debet, si non tantum qui faciunt statuta, & qui ordinant, sed etiam qui illa promulgant excommunicationis vinculo obstringantur.

Sed dubitari potest primo, an qui faciunt huiusmodi statuta, vel ordinant, eo ipso excommunicatione afficiantur etiam antequam publice promulgata fuerint, & vim habuerint obligandi, vel contra hunc excommunicationi locus non sit, nisi post legitimam promulgationem.

Respondeo, quamuis certum sit quamlibet dictarum trium actionum causam esse sufficientem ad hāc excommunicationem incurrendam, vt probatum est; tamen probabilius esse puto affirmare, neque facientes neque ordinantes excommunicatos esse, antequam promulgatio facta sit. Quamobrem si Princeps mandet fieri statutum, quod libertatem ecclesiasticam minuat, & officiales iuxta mentem Principis illud disponant, & in formam statuti redigant, si postea mutato proposito prohibent illud promulgari, neque ipse Princeps, neque officiales excommunicationi subiacebunt, sequuta tamen promulgatione, ipso iure facientes, ordinantes, & publicantes erunt excommunicati. Et hoc dictum probari potest primò, quoniam Summus Pontifex excommunicat facientes, & ordinantes statutum; sed ante legitimam promulgationem appellari non potest statutum, vt probaui, quia promulgatio est de essentia legis, & constitutionis, ergo faciens illud, & ordinans non sunt excommunicati, nisi promulgetur. Secundò quis qui statutū incipit, & non perficit, non incidit in excommunicationem, vt inquit Felin. in capitulo Nouerit, numero quarto. Vers. Item adde de sentent. excommun. quia verbum facere denotat perfectionem. l. Ait præ. §. Hæc verba. ff. de neg. gest. sed statutum ante promulgationem non est perfectum ergo non est locus excommunicationi. Tertiò copula, & verba, & sensum coniungit, vt habetur in l. Si ita quis hæredes. ff. de hæred. instituen. ibi, *Quamuis, & sillaba coniunctionem faciat.* l. Eum qui ita stipulatur in princip. ff. de verbor. obligat. *Mihi, & Titio, decem dari spondes, verè simile est semper vnà decem communiter sibi, & Titio stipulari,* Sed Summus Pontifex vtitur his tribus verbis addita copula, *Fecerint, ordinauerint, & publicauerint,* Ergo intendit hæc tria coniunctim requiri ad incurrendam excommunicationem, id est non oriri excommunicationem, nisi hæc tria existant; sed cum primùm promulgatio sequitur, æquè sunt excommunicati, qui fecerint, ordinauerint, & publicauerint, quamuis statuta edita nunquam executioni mandentur. Neque excusantur ab excommunicatione, qui non faciunt statuta, sed promulgant illa alias facta.

Secundo dubitari potest, An Ministri, qui iussu Principes, & Magistratus publice promulgant huiusmodi statuta, afficiantur excommunicatione. Difficultatem facit, quoniam ex altera parte tales inferiores Ministri, puta Præcones, tenentur iussa Principis, & Magistratus exequi, nec recusare possunt: ergo non est verisimile in Canone comprehensos fuisse. Ex altera parte habetur dictio illa in Bulla, *Quomodolibet publicauerint,* quæ generalis est, & videtur includere non solum Superiores, qui promulgationem præcipiunt, sed ipsos Ministros, & exequutores qui publicationem efficiunt.

Respondeo, & primò ita dico certissimum esse tales inferiores Ministros, qui de mandato Superiorum publicè denunciant huiusmodi statuta immunes esse, & liberos ab excommunicatione, si probabiliter ignorant, vt regulariter contingit illa continere aliquid contra libertatem ecclesiasticam. Ratio est, quoniam excommunicatio sine graui peccato non incurritur, c. Nemo Episcoporum, & c. Nullus 11. q. 3. At qui probabiliter ignorat legem non delinquit contra eam,

A cap. Vt animarum de Constit. lib 6. cap. Apostolicæ, de Cleri. excom. mini. ergo tales Ministri, qui supponuntur probabilem ignorantiam habere, cum nō sint Rei criminis, minime erunt excommunicati. Confirmatur, quoniam non solum inferiores Ministri promulgando ratione ignorantiæ excusantur à peccato, & excommunicatione, sed etiam propter eandē ignorantiam ab excommunicatione excusantur Magistratus, & Superiores faciendo talia statuta, existimantes bona fide non esse contra libertatem Ecclesiasticam, vt asserit Innoc. in cap. Nouerit, in fi. de sentent. excom.

Tertiò dubitatur de scriptoribus, & notantibus ea in libris, an incidant in excommunicationem Bullæ; tales enim expresse excommunicantur in cap. B Nouerit, de sentent. excomm. *Item excommunicamus statutarios, & scriptores*, simile habetur in cap. Sententiam, ne Cleri. vel Mona. vbi prohibetur Clericis sententiam sanguinis proferre & scribere.

Respondeo primum non esse dubium, horum statutorum scriptores remanere excommunicatos censura lata in dicto cap. Nouerit de sent. excom. Illa tamen non est excommunicatio reseruata, de qua retractabo in sequenti capite. Secundo dico valde probabile esse eosdem in excommunicationem Bullæ incidere, Primo quoniam includuntur sub illa dictione, *Ordinauerint*, qui enim statutum literis mandat, ordinare videtur, sicut qui disponit, & in formam redigit. C Secundo ob illam dictionem, *Quomodolibet*, quæ omnem modum ordinandi complectitur.

Quarto dubitatur, quoniam in Bulla fertur excommunicatio contra facientes, ordinantes, & publicantes huiusmodi statuta. Hinc sequi videtur, quando statuta promulgantur nomine Communitatis, non esse locum huic excommunicationi, quoniam Communitas non est capax excommunicationis, vt dixi in lib. 3. Disput. 10. capitulo 6. & habetur in capitulo Romana, §. In Vniuersitatem, de sentent. excommun. lib. 6. sed ipsa Vniuersitas facit statutum, & singulæ personæ vere non dicuntur statutum condere.

Respondeo primum particulares statutarios, qui D ratione officij, quod gerunt, Communitatis res & negocia administrant, puta Potestates, Consules, Rectores, & Consiliarios incurrere excommunicationem capitulo Nouerit, de sentent. excommun. quia in illo tex. tales exprimuntur. Dico secundo Iudices, & Notarios absque dubio comprehendi in Bulla tanquam illos, qui vtuntur dictis statutis, quæ actio expresse damnatur in Bulla, & pertinet ad personas singulares. Dico tertio, quando statutum editur ab ipsa Communitate incurri etiam excommunicationem Bullæ, nam quamuis Communitas excommunicari non possit regulariter; tamen valida est excommunicatio lata, præsertim à Papa contra Communitatem E etiam collectiue sumptam, vt est plurium Doctorum opinio, & per talem sententiam excommunicationis innodantur soli nocentes, & culpabiles quoad Deum, vt declaraui in dicto capitulo sexto, Disputat. 10. libro 3. Illæ inquam personæ, quæ tanquam membra ipsius Vniuersitatis per sua suffragia, vel alio modo ad talia statuta condenda concurrunt, licet enim singularis persona in hoc casu per se legem non faciat, tamen facit vt pars, & membrum illius corporis. Omnes enim Ciues simul collecti constituunt ipsam Vniuersitatem, & concurrunt ad statutum, fauendum, & hoc sufficit ad contrahendam excommunicationem, Sylue. excom. 9. §. 33.

Quinto dubitatur, an incurrant hanc excommunicationem statutarij, qui faciunt huiusmodi statuta sincere sine vlla intentione offendendi libertatem Ecclesiasticam & detrahendi priuilegijs Clericorum, si re vera continent aliquid, quod immunitati Ecclesiasticæ aduersetur.

Respondet Caietanus in Summa capitulo 31. Vers. Quarto nota statuentes aliquid hoc modo contra libertatem Ecclesiasticam excusari ab excommunicatione, quia vbi adest ignorantia probabilis, cessat culpa, sine qua excommunicatio non contrahitur, Innoc. in capit. Nouerit in fin. de sentent. excomm. Et licet talis ignorantia regulariter in foro exteriori non præsumatur; tamen si statutarij probarent consuluisse peritiores, & examen statuti faciendi commisisse Doctoribus, vt diudicarent, an iuri repugnaret, vel è contra rationi, & æquitati consentaneum esset, ab illisque certiores redditos statutum certum esse, & immunitati Ecclesiasticæ non repugnare, tunc admittenda esset etiam in foro externo, & neque quoad Deum, neque apud Ecclesiam agerent contra libertatem Ecclesiasticam, vt inquit Caietanus & confirmat Nauar. in Manua. capitulo 27. num. 119. Vers. Quarta quod qui faciunt, arg. eorum, quæ notantur in capitulo primo de Constit. In re enim dubia in qua diuersimode sentiunt Doctores sequi opinionem, quam quis putat esse veram, licet sit falsa, non est peccatum, vt probat Abb. in capitulo Capellanus num. 6. de Fer. & ignorantia, ex coniecturis præsumitur, vt inquit idem Abb. in cap. Cum illorum numero 15. de sent. excom.

Vel factis & ordinatis vsi fuerint. Hic est alius modus incurrendi hanc excommunicationem occasione & causa statutorum, nempe vti dictis statutis factis & ordinatis, quibus tollatur aut minuatur libertas Ecclesiastica, & hæc excommunicatio afficit omnes, idest tam personas habentes iurisdictionem, vt Iudices, & Magistratus, quam alios inferiores Ministros, & officiales omni iurisdictione carentes, quia Bulla vniuersaliter, & sine vlla distinctione loquitur. Quare si Iudex in loco, vbi extet statutum, vt omnes indifferenter, & Laici, & Clerici ad portam Ciuitatis soluant certum quid pro rebus, quas vehunt, iudicet in aliquo casu occurrente Clericum teneri ad talem gabellam soluendam, erit excommunicatus & eadem excōmunicatione obstringetur Custos portæ, si tali statuto vtatur exigens dictam gabellam, & idem sentiendum est de alijs similibus statutis, si executioni demandentur; & hæc clausula, *Vel factis, & ordinatis vsi fuerint* videtur eādem vim habere, quam habent verba illa in cap. Nouerit de sent. excom. *Qui de cætero dicta statuta seruari fecerint*, Nam proprius vsus legis est eius obseruantia: ille enim statuto vtitur, qui illud seruat, vel facit, vt illud seruetur. Verùm in eodem cap. Nouerit adduntur quædam alia verba, quæ in Bulla non leguntur, scilicet *Nisi ea de Capitularibus suis infra duos menses post huiusmodi publicationem sententiæ fecerint amoueri*, De quorum vi, & significatione dicam in sequenti capite.

Vnde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur. His verbis Summus Pontifex declarat, quæ sint hæc statuta,

ta, quæ nec facere, nec ordinare possumus, neque factis, & ordinatis vti, nisi velimus in excommunicationem hanc incidere, nimirum illa, quæ ad libertatem Ecclesiasticam tollendam, seu in aliquo lædendam, vel deprimendam tendunt, vt hoc sciamus, oportet explicare, quid sit libertas Ecclesiastica, & quando statutum aliquod censendum sit contra libertatem ecclesiasticam.

Quantum ad primum animaduertendum est, vt rectè notat Io. Driedon lib. 2. de libert. Christ. c. 2. vers. Verùm hic sciendum aliud esse libertatem ecclesiasticam, aliud verò libertatem Christianam, seu libertatem Ecclesiæ, quatenus Ecclesia communis est Laicis, & Clericis, & distinguitur à sectis, seu congregationibus Infidelium. Hoc in loco non agitur de libertate Ecclesiæ secundo modo non enim excommunicantur, qui faciunt statuta contra hanc libertatem, quibus, scilicet tolluntur priuilegia, & immunitates communes omnibus Christianis tam Laicis, quàm Clericis, vt distinguuntur ab Infidelibus, & Iudæis. Neque enim verisimile est vnquam accidere posse, vt per statuta à Fidelibus condita huic libertati derogetur, & sibi ipsis Fideles sponte malum inferant; & idcirco opus non erat prohibere sub censuris, ne talia statuta fierent. Libertas verò ecclesiastica, de qua tractatur in Bulla, est illa, quæ conuenit Ecclesiæ ratione suæ partis excellentioris, & principalioris, quæ spiritualis est comparatione alterius partis, quę temporalis est, idest quatenus constat ex personis ecclesiasticis, & loca, ac res specialiter ad eos attinentes continet. Quare duo præcipuè requiruntur ad hanc libertatem: Vnum vt sit immunitas, priuilegium, exemptio, vel quouis alio nomine nuncupetur propria Ecclesiæ, vt componitur ex personis ecclesiasticis. Aliud vt pertineat ad communem vtilitatem Ecclesiæ non ad specialia priuilegia particularium Ecclesiarum, vel personarum ecclesiasticarum. Quæ libertas præcipuè consistit in excellentia potestatis, tum ad ordinem, tum ad iurisdictionem spectantis; & ideo complectitur omnia priuilegia & exemptiones, quibus Ecclesia secundùm præstantiorem, & excellentiorem sui partem, nempe ratione personarum ecclesiasticarum, & bonorum ad ipsas spectantium libera est, & exempta à subiectione, vel coactione temporalis potestatis, vel ex iure diuino, vel humano, Pôtificio, siue Imperiali. De qua re disputabo in cap. 5. & de libertate ecclesiastica in hac significatione accepta intelligendi sunt textus in cap. Nouerit, & cap. Grauem de sent. excom. in cap. vlt. de rebus Eccles. non alienan. Vbi hæc leguntur. *Dolemus in quibusdam ex illis*, De Laicis Principibus loquitur, *Sic refrigescere charitatem, quod Immunitatem Ecclesiasticæ libertatis, quam non tantùm Sancti Patres, sed etiam Principes seculares priuilegijs multis munierunt, non formidant suis constitutionibus, vel potius destitutionibus impugnare &c.* In cap. 1. de Immun. Eccles. lib. 6. *Quia nonnulli habentes temporale dominium, vel potestatis gerentes officium secularis, libertatem, & Immunitatem Ecclesiasticam lædere, ac minuere tanquam honoris, & priuilegij Ecclesiarum inuidi moliuntur*, Et alibi Summorum Pontificum constitutiones extant aduersus Laicos ecclesiasticæ libertatis impugnatores, quæ omnes in Concilio Triden. sess. 25. cap. 20. de refor. longiori sermone summa efficacia innouatæ, & confirmatæ fuerunt. Hęc enim sacrosancta Synodus inter alia multa habet, *Decer-*

A *nit itaque, & præcipit sacros Canones, & Concilia generalia omnia, nec non alias Apostolicas sanctiones in fauorem ecclesiasticarum personarum libertatis ecclesiasticæ, & contra eius violatores editas, quæ omnia præsenti etiam decreto innouat exactè ab omnibus obseruari debere. Propterèaque admonet Imperatorem, Reges, Resp. Principes, & omnes, & singulos cuiuscunque status, & dignitatis extiterint, vt quo largius bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius quæ ecclesiastici iuris sunt, tanquam Dei præcipua, eiusque patrocinio tecta venerentur.*

Ex his apparet, quid sit libertas Ecclesiastica, & in quibus consistat, vnde sequitur priuilegia particularia huius, vel illius Ecclesiæ, Religionis, aut personę
B directè non pertinere ad immunitatem Ecclesiæ: & ideo qui aliquid contra illa statueret, non incurreret hanc excommunicationem, vt inquit Innoc. in c. Nouerit num. 3. Abb. num. 2. Felin. num. 3. de sent. excom. Sylue. Ver. Immunitas 2. §. 2. Caietanus in Summa Ver. Excommunicatio, cap. 31. Vers. Quinto nota, Nauar. in Manual. cap. 27. num. 119. Vers. Sexta quod qui ordinat, & ratio huius dicti illa est, quia conditor huius statuti non violaret libertatem Ecclesiasticam, sed priuilegium particularis personæ, & Religionis, quod non continetur sub hac excommunicatione. Dixi autem directè, quia indirectè, & ex quadam consecutione posset hoc cedere in iniuriam ecclesiasticæ li-
C bertatis, puta vbi læderetur particularis exemptio huius personæ, vel Ecclesiæ in contemptum Concedentis, quasi non potuerit illam concedere, tunc enim illud tenderet ad diminutionem ecclesiasticæ libertatis, quia talis potestas ad illam pertinet, vt testantur prædicti Auctores.

Quod verò spectat ad secundam difficultatẽ, quando statutum dicendum sit contra libertatem ecclesiasticam, Caietanus in dicto cap. 31. Vers. Sextò nota, asserit tunc statutum tale esse, quando per se, & ex intentione attingit libertatem ecclesiasticam, eamque lædit. Declarat autem, quid intelligat per se, & ex intentione, scilicet non quia statuentes hac intentione condant statuta, nempe vt derogent libertati eccle-
D siasticæ; sed quia ipsum opus, & res, quæ est materia statuti per se, & ex sui genere tendit contra ecclesiasticam libertatem. Vnde quamuis Princeps ea praua intentione directè intendat detrimentum aliquod, quod ex statuto condito prouenire potest per accidens contra ecclesiasticas personas, vel Ecclesiam, non agit contra hanc prohibitionem, nec incurrit excommunicationem, licèt peccet, quia statutum per se non est contra libertatem ecclesiasticam, & ea, quæ sunt per accidens, non considerantur. Hanc doctrinam confirmat Caietanus in cap. 37. & eam sequitur Nauar. in Manua. cap. 27. num. 119. Vers. Septima. Quare statuere, nè Clericis dentur decimæ, eleemosynæ, quòd non possint iudicare in causis ecclesiasti-
E cis, quòd debeant gabellas soluere de rebus ad vsum proprium, & familiæ, non gratia negandi, & similia tendit per se contra libertatem Ecclesiasticam; ideo ex talibus statutis incurritur excommunicatio, etiam si Princeps non intenderet speciali intentione derogare Ecclesiasticæ libertati, sed solum commodũ suum temporale. Et ex hac regula non erit difficile iudicare, quando statutum per se, & directè sit contra Ecclesiasticam libertatem, si inspiciamus ipsum statutum. Nam si materia sit contraria iuri Ecclesiastico, vt in

vt in exemplis allatis clarissimum esse debet, statutum super ea disponens esse huiusmodi. Quod si materia non sit directè contraria iuri, & idcirco à Prælato Ecclesiastico legitimè suis subditis imponi possit, tamen præcipiatur à Iudice seculari, qui omni caret iurisdictione in personas Ecclesiasticas, similiter dicetur contra libertatem Ecclesiasticam; Puta si Princeps secularis præcipiat, vt Sacerdotes tale veste vtantur, vel similia, vt in cap. Grauem, de sentent. excomm.

Quod autem Caietanus ait Statutum non esse contra libertatem Ecclesiasticam, quando per se, & directè illam non tollit, vel minuit, licèt ex accidenti, & consecutione videatur illam lædere, admitti potest cum duplici limitatione. Prima est, vt tale statutum nullo modo versetur circa spiritualia, aut spiritualibus annexa: nam si ageret de materia, quæ esset rei spirituali annexa; Satis esset, vt diceretur contra libertatem Ecclesiasticam, & esset locus excommunicationi, vt expresse habetur in cap. vlt. de reb. Eccles. non alienan. Vbi vocantur constitutiones Ecclesiasticæ libertati repugnantes, quæ à Principibus secularibus fiunt de rebus annexis spiritualibus, ibi, *Non solùm de alienatione feudorum, ac aliarum possessionum ecclesiasticarum, & vsurpatione iurisdictionum, sed etiam de mortuariis, nec non de aliis, quæ iuri spirituali annexa videntur illicitè præsumendo*. Hoc idem probat Abb latè cons. 26. par. 1. Secunda limitatio est, vt illud detrimentum, quod per accidens sequitur, non sit ita coniunctum, vt moraliter existimari possit .e. qui per se, exemplum desumi potest ex cap. vlt. de Immun. Eccles. lib. 6. Vbi excommunicantur temporales Domini, qui suis subditis prohibent, ne Clericis quicquam vendant, aut panem coquant, & similia. *Cum talia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ præsumantur*, & quamuis Caietanus interpretetur verbum illud, *Præsumantur*, propriè, quasi re vera non sint, in eod. cap. 31. Vers. Quintò nota, & in cap. 37. & eodem modo intelligat Nauar. in Manual. cap. 2,. numero 119. in fi. & potius sit contra humanam societatem, sed Ecclesia præsumat illa facta esse contra libertatem Ecclesiasticam; Tamen habent rationem materiæ sufficientis ad incurrendam hanc excommunicationem, quia verè talia statuta fiunt, vt derogetur fauori Ecclesiastica libertatis, ideo non tantum præsumptione, sed propriè possunt vocari contra Ecclesiasticam libertatem, quia saltem indirectè eo modo impeditur Ecclesiastica libertas, & hac de causa Summus Pontifex vtitur verbo illo, *Præsumantur*, quia non directè, & expresse hoc declarant. Nihilominus dolo, & fraude edita sunt contra dictam libertatem. Priuilegia autem non sunt violanda etiam indirectè, vt dicitur in cap. Quanto de priuileg. Vbi Honorius Tertius increpat quosdam Episcopos, qui cum non possent excommunicare quosdam Monachos ex priuilegio Sedis Apostolicæ exemptos, excommunicabant, communicantes eis, & mandat, vt impoSterum ab his desistant, & de cætero huiusmodi sententias indirectè in fraudem Sedis Apostolicæ non ferant, & est regula iuris, vt habetur de reg. iur. lib. 6. *Certum est eum in legem committere, qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem*. Ideo rectè Bart. in l. 1. §. Quæ onorandæ num. 3. ff. Quare actio non datur; & in Auth. Cassa & irrita C. de Sacr. Sanct. Eccles. num. 2. asserit statutum imponens pœnam decem librarum offendenti non subiectum Iurisdictioni Ciuitatis esse contra libertatem Ecclesiæ, quatenus comprehendit Clericos, licèt non videatur immediatè contrarium alicui priuilegio ex omnibus, quæ concessa sunt Clericis, vel iure diuino, vel à Papa, aut ab Imperatore, ob eam rationem, quia per tale statutum efficiuntur Clerici timidiores, & statutum illud, quo aliquis redditur timidior, dicitur contra libertatem illius.

Quamobrem rectè asserit Bart. locis citatis, quod & si verè affirmet Innoc. in cap. Nouerit de sent. excom. illa contra libertatem Ecclesiasticam esse, quæ aduersantur priuilegiis concessis Ecclesiis, seu personis Ecclesiasticis à Papa, vel Imperatore, quod probat ex verbis eiusdem Auth. Cassa. C. de Sacr. Sanct. Eccles. ibi, *Omnia statuta & consuetudines contra libertatem Ecclesiæ earumque personas, inductas aduersus canonicas, vel imperiales sanctiones &c.* Tamen hanc rationem allatam ab Innoc. non esse adæquatam, & perfectam, nec completam causam declarare cur statutum aliquod debeat vocari contra libertatem Ecclesiasticam, quia multa statuta à Principe laico, vel Repub. concedi possunt, quæ non repugnant propriè priuilegiis concessis à Papa, vel Imperatore Clericis, sed tantum auferant illis beneficium, quod per huiusmodi statuta Princeps suis subditis communicare intendit, non aliis, & tamen verè debent censeri statuta contra libertatem Ecclesiasticam, & legislator illorum causa incidit in excommunicationem huius Canonis, & in alias pœnas contra tales statuentes indictas; Ideo inquit Bart. illa etiam statuta esse contra libertatem Ecclesiasticam, quorum causa Clerici redduntur timidiores, & laici audaciores ad nocendum, & hanc Bart. opinionem sequitur Abb in dicto cap. Nouerit, num. 2. de sent. excomm. Exemplum, adducit Bart. Vt si statutum extaret, quod pro homicidio commisso in personam laici pœnam imponeret vltimi supplicij, & si Clericus interficeretur damnaret homicidam ad solutionem decem florenorum.

Felin. in eod. cap. Nouerit in fi. dicit generaliter illud statutum esse contra libertatem Ecclesiasticam, quo prohibetur personis Ecclesiasticis illud, quod neque iure diuino neque humano erat vetitum, & id deducit ex definitione libertatis. Est enim naturalis facultas faciendi, quod alicui libet, nisi iure prohibeatur, l. Libertas ff. de sta. Homi. Verum hec definitio est vniuersalis conueniens tam Laicis, quam Clericis, & non est propria libertatis Ecclesiasticæ, quo nomine iura significare intendunt immunitatex, & priuilegia solis personis Ecclesiasticis competentia.

His ad hunc modum declaratis de libertate Ecclesiastica, & de statutis, quæ contra eam fieri possunt, iam patet sensus clausulæ propositæ, Excommunicantur omnes, qui statuta fecerint, quibus vel omnino collatur libertas Ecclesiastica, vel si penitus, & manifestè priuilegia, & immunitates Ecclesiarum minime aurogentur, & habeatur aliqua ratio Ecclesiastici honoris, tamen in aliquo lędatur, vel deprimatur saltem indirectè, & secundario; Aut aliis quouis modo restringatur, vt statuta cuiusque generis comprehendantur quibus quauis ratione præiudicium huic libertati inferatur, & nullo supersit excusatio excommunicationis fugiendæ, fraudibusque omnibus via omnino præcludatur propter dictionem illam, *Quouis*

modo,

modo, quæ iuncta cum dictione Alio, idest, *alio quouis* modo generalitatem, & vniuersalitatem infert, & omnia comprehendit etiam maiora, & diuersa expressis tex. in Clem. I. in princ. ibi. *Vel alia quauis causa*, cum Glos. in Ver. Quauis de iudi. & Clem. I. cum Glos. in Ver. Quouis de Reb. Eccles. non alienan. Hoc idem etiam confirmant verba in fi. Canonis adducta, *Quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præiudicetur*, quæ referuntur etiam ad hanc actionem prohibitam, quia clausula in fine posita omnia præmissa respicit, & terminat. l. Talis scriptura. ff. de leg. I. l. Et si pepererit. §. Filius, & ibi Bart. & Ias. num. 2 ff. de liber. & Posth. Felin. in cap. Cautam quæ num. 4. de rescript. In specie verò, & particulare, quæ Laicorum statuta immunitati ecclesiasticæ derogare dicendum sit, in cap. 5. latius discutiemus.

Seu nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcunque Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præiudicatur. Tertius modus incurrendi hanc excommunicationem occasione statutorum, est facere statuta, quæ quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè iuribus Romani Pontificis, & Sedis Apostolicæ, ac quarumcunque Ecclesiarum aduersentur.

Hæc excommunicatio non afficit generaliter omnes, qui quauis ratione præiudicium inferunt iuribus Summi Pontificis, & aliarum Ecclesiarum, sed illos solùm, qui dicta iura offendunt per statuta, & decreta, sicut dictum est de ijs, qui tollunt libertatem ecclesiasticam non quomodocunque, sed condendo statuta, & ita sentit Caietanus cap. 31. Vers. Vbi sunt multa.

Differt hæc excommunicatio à superiori lata aduersus facientes statuta contra libertatem ecclesiasticam, quoniam ibi sermo est de libertate communi vniuersalis Ecclesiæ, & non de libertate propria talis Ecclesiæ, vel Collegij, aut ordinis, vel personæ ecclesiasticę. Quare si quis statuat contra priuilegium proprium Ecclesiæ Mediolanensis, vel alterius non incidit in illam excommunicationem, secus si statutum faciat, vt tali Ecclesiæ nemo donare valeat, tunc enim cum commune sit omnibus Ecclesijs, vt eis donari possit, innodatur excommunicatione, vt annotauit Caiet. cap. 31. Vers. Quintò nota in fi. At in hac postrema parte Canonis excommunicantur, qui faciunt statuta contra priuilegia particularia, & propria huius, vel illius Ecclesiæ, quod non continetur sub illa excommunicatione, quæ habetur in cap. Nouerit de senten. excom. vt Caietanus asserit, & Nauar. in Manua. cap. 27. n. 119. Vers. Sexta quod qui ordinat. Quare si quis conderet statutum derogans iuri proprio alicuius Ecclesiæ particularis, quod vel ex præscriptione, aut priuilegio, vel alio titulo obtinuerit, hac excommunicatione innodatur. Differt quoque, quoniam superius excommunicantur statuentes contra libertatem ecclesiasticam tam personarum, quàm rerum; hic verò tantùm statuentes contra ius ecclesiarum.

Quæ excommunicatio incurritur omnibus illis modis, quibus superior quoties præiudicium infertur iuribus alicuius Ecclesiæ directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè, & causæ illæ, quæ sufficere possunt, vt statuentes aliquid contra libertatem ecclesiasticam excusentur ab excommunicatione, de quibus dictum est in prima parte huius Capitis, eædem valent excusare statuentes contra iura alicuius particularis Ecclesiæ. Vt autem, quæ pertinent ad hanc excommunicationem clarius elucidentur, non erit alienum à proposita materia, si cap. Nouerit de sent. excom. Vbi eadem

A censura fertur contra lædentes ecclesiasticam libertatem declaremus.

CAPVT IV.

De excommunicatione lata in cap. Nouerit de sent. excom contra violatores ecclesiasticæ immunitatis, & quomodo illa conueniat, & differat ab hac censura Bullæ Cœnæ explicatur.

Contra offendentes libertatem, & iura ecclesiastica per statuta quouis modo contraria, & quocunque colore edita vltra excommunicationem contentam B in Bulla Cœnæ extat similis censura lata in cap. Nouerit de sent. excom. quamuis differat in reseruatione, & in maiori quadam extentione. Quamobrem in illo tex. Primò excommunicantur omnes, qui de cætero seruari fecerint statuta edita, & consuetudines introductas contra Ecclesiæ libertatem. Secundò excommunicantur statutarij, & scriptores ipsorum statutorum. Tertiò potestates, Consules, Rectores, & Consiliarij locorum, vbi de cætero dicta statuta, & consuetudines editæ fuerint, vel seruatæ. Quartò omnes, qui secundùm ea iudicare præsumpserint. Quintò qui iudicata in publicam formam scribere tentauerint.

Vt hæc clarius intelligantur, distinguendæ sunt in C eo tex. vbi agitur de hac excommunicatione, duæ partes, In priori parte quæ incipit, *Nec non, & qui de cætero seruari fecerint*, Et protenditur vsque ad illam clausulam *Fecerint amoueri*, Tractatur de statutis editis vsque ad tempus promulgationis dictæ Constitutionis factæ ab Honorio Tertio contra ecclesiasticam libertatem, & in hac parte duo prohibentur sub pœna excommunicationis; Alterum est facere, vt dicta statuta facta seruentur; Alterum est eadem retinere in Capitularibus, seu libris publicis, idest non delere ea ex dictis libris Capitularibus infra duos menses à die publicationis dictæ Constitutionis. Primum consistit in actione, secundum in omissione.

Hinc oritur difficultas, an ad incurrendam hãc ex- D communicationem vtrumque requiratur, scilicet vsus & obseruatio talis statuti, & omissio, ac negligentia delendi illud ex libris publicis: vtrumque enim proponitur in illa particula illius capitis sub illis verbis. *Qui de cætero seruari fecerint statuta edita, nisi ea de capitularibus, &c. fecerint amoueri*, quare simul ambæ conditiones videntur requiri, vt sit locus excommunicationi.

Caietanus in cap. 31. Vers. Secundo notanda est, censet ad incurrẽdam hanc excommunicationem non sufficere, vt statuta ex Capitularibus abradantur, si quis sit causa, vt seruentur. Sed dubitat, an satis sit facere, vt illa obseruentur, quamuis non tollantur ex Capitularibus infra duos menses ex mente igitur Ca- E ietani. Qui est causa, vt seruentur huiusmodi statuta etiamsi non faciat ea deleri est excommunicatus. Verum non erit obstrictus excommunicatione si non faciat illa deleri dummodo non faciat vt illa obseruentur. Hoc idem clarius affirmat sine hæsitatione tam respectu illius, qui statuta ex Capitularibus remouet, si facit nihilominus, vt obseruentur, vel è contra si non tollit ex libris quamuis obseruari non faciat. Nauar. in Manua. cap. 27. num. 119. Vers. Secunda quod non satis: dicit enim in neutro casu locum esse excommunicationi, & citat Glos. in cap. Grauem in Ver. Promulgare

mulgare procures de sent. excom. & confirmari potest hæc opinio: Nam si ad incurrendam hanc censuram sufficeret efficere, vt obseruarentur talia statuta, etiamsi è libris eraderentur non verò è contrario; iam tunc in illo tex. superflua esset illa particula adiecta, *Nisi ea de Capitularibus &c. fecerint amoueri*, quia si quis facit, vt talia statuta seruentur, incurrit excommunicationem, siue illa amoueat, siue non tollat, & è contra si quis faciat, vt non seruentur, non incurrit, etiamsi illa non amoueat; ergo frustra addita fuisset illa clausula, *Nisi ea de capitularibus &c.* & nihil operaretur, immo iuxta hanc interpretationem, si quis amoueat talia statuta à capitularibus, quamuis faciat, vt ea seruentur, & retineantur, non incurrit excommunicationem, si ad illam incurrendam vtrumq. requiritur. & confirmatur, quia dictio illa *Nisi*, quæ vim habet excipiendi in rigore, hoc significat. Sed Sylue. Excommunicatio 9. §. 31. in princ. tenet hanc excõmunicationem incurri ob vtramque causam, nempe primò & ab eo qui facit, vt seruentur talia statuta, secundo & ab eo qui non deleat ex libris publicis, & vtramque actionem per se seiunctam ab alia sufficere ad incurrendam excommunicationem, & iuxta hanc interpretationem dicendum est clausulam illam, *Nisi ea de Capitularibus &c.* nõ esse exceptionem primi mẽbri, sed nouum membrum eiusdem excommunicationis, & subintelligi debere dictionem copulatiuam *Et*, quæ deest, & idcirco redditur sensus obscurus; Quare sic legendum esse excommunicamus eos, si talia statuta seruari fecerint, & nisi ea de capitularibus amoueant, & ad hunc modum explicat textum Abb. num. 1. enumerans varios modos incurrendi hanc excommunicationem. Et hæc opinio Sylue. & Abb. videtur valde probabilis, & consona textui. Quid enim refert hujusmodi statuta delere ex capitularibus, si in praxi, & vsu seruarentur? sicut enim qui seruat, consuetudinem libertati Ecclesiasticæ repugnantem, quamuis scripta non sit, incurrit hanc excommunicationem, simili modo rationi consonam videtur excommunicatione innodari, qui statutum seruat, etiamsi ex libro scripto tollat. & eadem ratio militat è contrario, si quis statutum non seruet, sed illud non delet ex libro. Hæc igitur sententia videtur verior, sed opposita mitior & æquior, cum pœnæ non sint extendendæ, præsertim vbi verba legis sunt ambigua. Propterea in praxi illa non est improbabilis.

Secunda difficultas est, An hæc excommunicatio afficiat eos, qui sciunt in Ciuitate obseruari statutum contra libertatem ecclesiasticam, & non impediant, cum possint, an verò tantùm illos complectatur, qui positiuè ad harum statutorum obseruationem operentur. Caietanus in illo cap. 31. Vers. Tertiò nota in fi. tenet Consules Ciuitatis, Rectores, Potestates, & Consiliarios, si nihil operantur ad obseruationem statutorum non esse excommunicatos ob eam rationem, quia licèt talis omissio sit culpabilis, & sic omittens sit particeps culpæ, quam committit operans; tamen formaliter non est facere, vt statutum seruetur. Quando verò agitur de statuto pœnali, standum est proprietati verborum, sed Nauar. in end. num. 119. Vers. Tertia, tenet contra Caietanum Consules, & Rectores Ciuitatis non solùm faciendo statutum seruare incidere in excommunicationem, sed etiam si sciant eius obseruantiam, & non impediant. Et probat ex eo, quia expresè dicitur hoc in tex. sed renera ex dicto cap. Nouerit nihil tale colligitur. Neque Caietanus probat suum dictum ob eam rationem, vt illi imponit Nauar.

A quia propter solam omissionem non incurritur excommunicatio. Hoc enim esset manifestè falsum, vt patet ex Clem. 1. §. Verùm de hæret. Sed ratio Caietani est, quòd propter omissionem non incurritur excommunicatio Canonis, nisi id in eo sufficienter exprimatur; At in cap. Nouerit non habetur sermo de omittentibus, sed solùm de concurrentibus.

Sententia Caietani mihi videtur valde probabilis propter rationes allatas. Et confirmatur, quoniam censura non est extendenda etiam ad consentientes culpabiliter, nisi hoc ipsum in lege exprimatur, hoc autem non habetur in cap. Nouerit, ergo non comprehendit consentientes, sed ille, qui tantùm non prohibet, cum possit, & debeat, ad summum se habet, vt
B consentiens, igitur non includitur.

Tertia difficultas esse potest de secunda actione ibi prohibita illis verbis, *Nisi ea de Capitularibus suis infra duos menses &c.* est enim præceptum affirmatiuum, cui propriè opponitur omissio, quæ maximè illi attribuẽda est, ad quem ex officio spectat talia statuta conseruare, vel delere, & non facit, cum possit. Quæritur igitur, an quis in excommunicationem incidat consentiendo, vt talia statuta nõ deleantur ex capitularibus.

Ad hanc difficultatem dicendum est, si sequamur sententiam Syluestri supra relatam, quod ad incurrendam hanc excommunicationem sufficit quælibet pars illius distinctionis supra positæ, solam omissionem tollendi hæc statuta ex Capitularibus esse causam suffi-
C cientem contrahendi hanc cẽsuram, si vero teneamus primam sententiam, quã diximus esse probabiliorem, non sufficiet talis omissio, nisi cum illa concurrat commissio alterius actionis, scilicet obseruatio statutorũ.

Tota hæc prior pars illius cap. Nouerit respicit statuta edita vsque ad illud tẽpus, vt patet ex verbis illis, *Qui de cætero seruari fecerint statuta edita*, & ex alijs, *Nisi ea de Capitularibus suis infra duos menses post publicationem huius sententiæ fecerint amoueri*, Quæ locum habere non possunt, nisi in ijs, quæ antea edita, & constituta fuerant; & idcirco subdidit Summus Pontifex, excommunicationem in eodem tex. contra eos, qui in futurum alia statuta similia ederent, cum inquit, *Item excommunicamus statutarios &c.* & ita interpretatur
D Caietanus in dicto cap. 31. Vers. Secundo notanda est, ibi, *Mihi videtur*, Atque si hoc modo explicemus hãc priorem partem illius textus, non potest admodum deseruire vsui nostri temporis; Ideo transeamus ad posteriorem partem.

In postrema parte cap. Nouerit, quæ initium sumit ab illis verbis, *Item excommunicamus Statutarios*, & progreditur vsque ad finem prohibetur, ne similia Statuta contra libertatem Ecclesiasticam in futurum fiant, & promulgentur, & comprehenduntur diuersa personarum genera, ex quibus certum est aliquas propter solam omissionem nõ innodari hac excommunicatione De quibusdam verò dubitari potest. In priori ordi-
E ne primo sunt statutarij, idest conditores statutorum, qui positiuè concurrunt: sunt enim illi, qui faciunt statuta. Eodem modo scriptores statutorum, vnde qui nõ scribit, licèt possit & debeat impedire, ne alias scribat, & non facit; tamen nõ incurrit excommunicationem, saltem vt scriptor. Idem est de Iudicibus, qui secundum talia statuta iudicare præsumpserint, & de Notarijs, & Tabellionibus, qui iudicata in publicam formam redigunt, omnes isti positiuè concurrere debent ad aliquid agendum, vt in excommunicationem incidant. Neque quoad prædictas actiones aliquid habetur in textu, quod ad consentientes, vel dantes

fauorem,

fauorem, vel quid simile extendi possit. In posteriori ordine nominantur quędam alię personę sine vlla expressa significatione actionis, vel omissionis, cuius gratia vinculo excommunicationis innodentur, & comprehendantur illis verbis. *Nec non, scilicet excommunicamus, Potestates, Consules, Rectores, & Consiliarios locorum, vbi de cætero huiusmodi statuta, & consuetudines edita fuerint, vel seruata,* De quibus verum esse puto quod Caietanus affirmat huiusmodi personas non incurrere hanc censuram, nisi grauem aliquam culpam committant in editione huiusmodi statuti, quia excommunicatio non incurritur, nisi propter culpam propriam personalem; An verò oporteat eos delinquere peccato commissionis, vel sufficiat, vt sint Rei culpæ omittendo, in tex. non exprimitur: Neque Caietanus expressè asserit necessariam esse commissionem; Immo si loquamur de his personis, censeo probabiliorem esse sententiam Nauarri, quòd omissio sufficiat, quoniam textus simpliciter, & absolutè loquitur sine vlla distinctione, ergo neque nos distinguere debemus, cum nulla appareat ratio, quæ nos ad id compellat. l. de precio. ff. de publicia. Glos. & Bart. in l. 3. ff. de offic. præsid. Bart. in l. ea mente. ff. de furt. cap. Si Romanorum 19. dist. Tum etiam quia idcirco illa constitutio cap. Nouerit non designauit certã actionem, sed existimauit sufficere, vt talia statuta ederentur in aliquo loco, vel Ciuitate, quia supponit moraliter loquendo hoc regulariter prouenire ex culpa, & negligentia eorum penes quos residet cura, & regimen Ciuitatis. Quod maximè apparet in consuetudine, quæ superioribus tribuitur, quando ipsi vident, & permittunt. Eodem modo similis negligentia, quæ præsumitur in personis descriptis erit causa sufficiens ad contrahendam excommunicationem ratione enim officij, quod gerunt, tenentur curam adhibere, ne statuta ecclesiasticæ libertati repugnantia edantur, & seruentur.

Animaduertendum est etiam propterea in hac parte excommunicationem specialiter extẽdi ad has personas descriptas, vt comprehendãtur illa statuta, quæ ab aliqua Repub. seu Communitate, aut Vniuersitate fiunt: nam cum Communitas excommunicari nequeat c. Romana. §. In Vniuersitatem de sent. excom. lib. 6. ideo talis excommunicatio fertur in capita, & pręcipua membra Communitatis, scilicet superiores, qui ad statuta edenda, vel ad eorum vsum concurrunt, & hoc modo est intelligenda hæc excommunicatio, vt notat Caietanus in cap. 31. Vers. Tertiò nota in fine. Vnde si Consul, aut Rector, vel alius Officialis Ciuitatis, vbi tale statutum editur, aut seruatur, nullo modo concurrat cum alijs ad statuti editionem, vel obseruationem; sed resistit, quantum potest, & conatur, vt debet ne tale statutum edatur, aut si editum est, ne executioni demandetur, non obstringetur hac excommunicatione, quamuis Cõmunitas, cuius ipse est Caput, vel præcipuum membrum in eo delinquat, quia excommunicatio non contrahitur ob peccatum Communitatis, sed propter proprium, & idcirco non fertur in Communitatem, sed in singulas personas. Itaque personę in tex. nominatę tunc afficiuntur excommunicatione, vbi concurrunt peccando ad huiusmodi actiones damnatas, non alius, vt in simili tradit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 115. Quando imponuntur collectæ Clericis, aut Ecclesijs non remanere excommunicatum Consulem, vel Rectorem Ciuitatis, si eo modo, quo debuit, contradixit, quia nõ peccauit, cap. Ephesijs 43. dist. & sine peccato mortali nemo incurrit excommunicationem maiorem cap. Nemo, &

A cap. Nullus 11. quæst. 3. Idem tenet Abb. in cap. Aduersus num. 19. Vers. Sed certè circa hoc de Immun. Eccles. & clarius Sylue. excommunicatio 9. §. 17. & citat Summam Ang. quamuis Io. And. quem citat Abb. teneat oppositum in Rectore, seu Consule, scilicet non euitare excommunicationem, licet resistat, quantum valet, nisi dimiserit officium, quod gerit, & idem asserit cum dubitatione Innoc. in cap. Aduersus num. 3. de Immun. Eccles. Si verò sit sermo de Consiliarijs, distinctione vtitur Abb. in eod. cap. Aduersus num. 22. Vers. In Consiliariis autem. Nam quando Consilium dederunt, vt talia statuta ederentur, absq. dubio sunt excommunicati, cum exprimantur specifice in dicto cap. Nouerit, si verò tacuerunt non consulendo pro B statutis edendis, neque è contra disuadendo, & repugnando afficiuntur etiam excommunicatione ex sententia Abb. sicut qui consenserunt, vt notat Innoc. in cap. 1. de his quæ fiunt à maior. par. Cap. Et ratio est, quia cum ad hunc finem conuocentur, vt consulant, si tacent, peccant, arg. l. De ætate. §. Qui tacuit. ff. De interro. acti. & in c. Si post præstitam de confes. lib. 6. Quando autem expressè consenserunt, in hoc casu, & sunt excommunicati, & tenentur dimittere officium, vt inquit Innoc. in dicto cap. Nouerit, & id tutius esse affirmat Abb. in dicto cap. Aduersus num. 22. in fi. de Immun. Eccles. quamuis non neget oppositum quoque sustineri posse. Et hæc dicta sint ad explicationem dicti cap. Nouerit de sent. excom. Superest, vt declaC remus. quomodo illa excommunicatio conueniat, & in quibus differat à censura huius Canonis Bullæ Cœnæ, quod spectat ad secundam partem huius cap.

Differt excommunicatio lata in cap. Nouerit ab excommunicatione Bullæ. Primò quoniam illa non est reseruata Sedi Apostolicæ sicut hęc excommunicatio Bullæ. Secundò differt, quia in cap. Nouerit excommunicantur talium statutorum scriptores, & hi nullibi videntur comprehendi in hoc Canone, nam verba illa, *Qui statuta &c. fecerint, ordinauerint, & publicauerint*, propriè significare tantùm videntur principales auctores talium statutorum. Scriptores autem non sunt, neque dicuntur Auctores legũ, & Constitutionum, sed instrumenta quædam ipsorum AuctoD rum. In hoc autem Canone nulla fit extensio ad eos, qui fauent, vel prebent auxilium. Vnde si hoc verum est, scriptores statutorum excommunicati erunt excommunicatione non reseruata Rom. Pontifici. Nisi dicamus probabiliter posse scriptores comprehendi sub illo verbo *Publicauerint*, Nam cum publicum instrumentum sit scriptura, meritò dici potest publicare statutum, qui scribit illud, de qua re dixi in præcedenti capite in solutione tertiæ difficultatis. Tertiò differt, quoniam in cap. Nouerit excommunicantur, qui post duos menses post publicationẽ illius sententiæ excommunicationis non fecerint ea amoueri ex Capitularibus. Hæc autem verba, vel similia non habentur in Bulla. Quartò in illo excommunicantur, qui seruari E fecerint consuetudines introductas contra ecclesiasticam libertatem; In Bulla agitur tantùm de statuto. Quintò ibi expressè nominantur Potestates, Consules, Rectores, & Consiliarij locorum, vbi dicta statuta, & consuetudines in posterum editæ fuerint, vel seruatæ; In Bulla nulla fit expressio personarum, neque ratione dignitatum, & officiorum, neque vllo alio modo, sed simpliciter excommunicantur, qui statuta fecerint &c. Sextò in dicto cap. Nouerit extenditur excommunicatio ad eos, qui iuxta formam huiusmodi statutorum iudicare præsumpserint; De quibus nihil in Bulla.

Septimò

Septimò ibi sub illa excommunicatione comprehenduntur quoque Notarij, & Tabelliones, qui in publicam formam indicata redigere tentauerint, quæ in Bulla prætermittuntur. Octauò in Bulla excommunicatio protenditur non solùm ad statuta edita contra libertatem ecclesiasticam, sed ad illa etiam, quæ Iuribus Rom. Pont. vel Sedis Apostolicæ, & quarumcunq. ecclesiarũ quomodolibet præiudicium afferre possunt. Hæc extensio non legitur in cap. Nouerit. Quamobrẽ plurimum inter se differunt hæ duę excommunicationes, quanquam conueniant, & similes sunt in quibusdam alijs partibus. Primò quoniam sicut in dicto cap. Nouerit excommunicantur Auctores horum statutorum, qui simplici generali quoque nomine statutarij vocãtur; Ita in Bulla ijdem excommunicationi subijciuntur, & significantur pluribus vocibus, ibi, *Qui statuta, ordinationes &c. fecerint, ordinauerint, & publicauerint*. Secundò in dicto textu excommunicantur, qui de cætero seruari fecerint statuta edita, quæ clausula eandem vim haberi videtur cum verbis illis Bullæ, *Et qui factis, aut ordinatis vsi fuerint*, Nam proprius finis, & vsus legis est obseruatio illius. Patet igitur quam vim vtraque hæc excommunicatio habeat.

Quæret aliquis, quoniam in dicto cap. Nouerit requiritur, vt talia statuta ex libris Capitularibus deleãtur, an si re ipsa non amoueantur ex libro, sufficiat ad effugiendam excommunicationem, vt in fine omnium statutorum, apponatur statutum, quo statutarij declarent nunquam eis propositum fuisse libertati ecclesiasticę vllo modo derogare, quodque si præter eorum voluntatem aliquid in eis contineatur eidem libertati non omnino cõsentiens, illud nullius roboris ac momenti censeatur, ac si factum & descriptum non esset.

C

Respondent omnes hanc cautelam non sufficere ad euitandam excommunicationem, nisi statutum repugnãs omnino tollatur ex capitularibus, ita tenet Abb. in cap. Nouerit num. 1. in fi. & citat Bart. in Auth. Cassa. C. de sacr. san. Eccles. & ibi Felin. num. 2. Sylue. Ver. Excommunicatio 9. §. 31. Vers. Nec vitaut, cuius dicti illa ratio affertur, quoniam Constitutio cap. Nouerit expressè requirit, vt talia statuta omnino amoueantur ex libris. Idem præcipitur in Auth. Cassa. C. de sacr. sanct. Eccles. *Et ea de Capitularibus penitus aboleri mandat noua constitutio*, & finis huius legis fuit, vt tradit Felin. ad extinguendam omnem memoriam statuti, ne fatè successores ex eius lectione praua voluntate persuasi ad illud obseruandum commouerentur. Quamobrem, vt rectè notat Felin. licèt regulariter non dicatur violare legem, qui seruat eam per æquipollentia, cum non verba, sed voluntas considerari debeat, nam verba intentioni deseruiunt, non è contra intentio verbis, cap. In his de verb. signif. Hæc tamen regula fallit, vbi lex præcipit aliquid expressè ad aliquem finem, qui haberi non potest æquè bene per aliquod æquiualens, sicut accidit in proposita materia; opus est enim omne vestigium huiusmodi statuti abolere, vt ex hominum mentibus deleatur.

D

Eadem excommunicatio contra lædentes libertatem ecclesiasticam per statuta habetur in cap. Grauẽ de sent. excom. lata ab eodem Honorio Tertio, & licèt ex verbis illius cap. non possit manifestè colligi, an contineant sententiam latam, vel ferendam, scribens enim Honorius Episcopo Senensi sic ait, *Ideo quæ fraternitati tuæ mandamus, quatenus in Consiliarios, & Officiales Ciuitatis ipsius nisi statuta ipsa de Capitularibus suis deleri fecerint &c. excommunicationis sententiam promulgare procures*, quæ verba videntur vim habere sententiæ

E

A ferendæ non latæ; sed Glos. in dicto cap. Ver. Promulgare procures, soluit difficultatem, & concludit exponendo illa verba, *Promulgare procures*, idest *Promulgatam esse ostendas, vel denuncies*, Vel Summus Pontifex significat, vt tales personæ, quæ ipso iure sunt excommunicatæ, iterum per sententiam à Iudice excommunicentur.

Præter pœnam excommunicationis in eod. c. Grauem ijdem statutarii priuati declarantur feudis, quæ ab Ecclesiis acceperunt: cum enim Ecclesiæ Fidem, quam debent, violare non erubuerint, meritò digni sunt, vt ab eadem Ecclesia bonis suis, quæ illis tradidit, expolientur, sicut à Domino priuatur subditus, quando ei feloniam facit ex constitutione Frider. de
B feud. Hæc edictali. §. Præterea, & Clericus beneficio, qui contra Ecclesiam suam aduocat cap. vlt. de postu.

Extat præterea cap. vlt. de Immun. Eccles. lib. 6. Vbi fertur excommunicatio contra Principis temporalis, qui præcipiunt suis subditis, ne officia, seu obsequia communia Reip. personis ecclesiasticis exhibeant, scilicet ne coquant panem &c. In quo capite non agitur solum de statuto, sed absolutè de præcepto; Ideo qui non promulgata lege, seu constitutione talia præciperet, sed quocunque modo contra libertatem ecclesiasticam illa imperando procuraret censuram dicti cap. contraheret, quæ ad est reseruata non tamen hac excommunicatione Bullæ afficeretur.

CAPVT V.

In quo plura, & diuersa Laicorum statuta proponuntur, & non ecclesiasticæ libertati, & immunitati repugnent, dicuntur.

NEcessarium fore duxi ad exactam huius Canonis declarationem, antequam eius explicationi finem imponam, multas, & varias statutorum formas explicare, quæ à Doctoribus diuersis in locis referuntur, vt distinctè in nonnullis casibus quid de huiusmodi statutis sit iudicandum intelligamus, simulque sciamus, quando hac de causa quis excommunicationis vinculo obstrictus maneat, vel contra ab ea immunis, & liber censeri debeat, & ex iis, quæ decidentur, quid de similibus sentiendum sit, facilius statuere licebit.

Ante omnia primo loco præmittamus libertatem, seu immunitatem ecclesiasticam, vt probatum est in capite tertio, consistere in priuilegiis, & exemptionibus concessis Ecclesiis, & personis ecclesiasticis, & earum bonis, quæ plura sunt, & diuersa, quæq. sigillatim recensere non est præsentis disputationis; Eorum aliqua à Deo, nonnulla à Romano Pontifice, alia ab Imperatore fluxerunt, vt asserit Innoc. in cap. Nouerit de sent. excom. & confirmant ibi Abb. num. 2. Felin. nu. 3. Sylue. excommunicatio 9. §. 31. Vers. Primò verò dubitatur, Caietanus Ver. Excommunicatio in Summa cap. 31. Vers. Quintò nota, Nauar. in Manua cap. 27. num. 119. Vers. Quinta.

Iure diuino Clericis primùm conuenit potestas spiritualis, ordinis, & iurisdictionis à Christo collata in vltima Cœna, quando Apostolos Sacerdotes instituit illis verbis *Hæc quotiescunque feceritis, in mei commemorationem facietis*; & apud Io. cap. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Secundò ab ipso Christo data est, sensu præma potestas regendi Ecclesiam, & gubernandi omnes fideles spiritualiter, Petro, & successoribus eius illis verbis, *Pasce oues meas*, & vniuersis Apostolis, ac successoribus potestatem

testatem regendi oues suas, cum dixit Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cœlis, & quęcunque solueritis super terram, erunt soluta, & in Cęlo.* Quibus verbis significatur potestas fori externi contentiosi. Similiter eodem iure diuino conuenit Clericis ius exigendi decimas a Laicis, cap. Tua, de deci. ibi, *Imperialis concessio &c. Neminem potest à solutione decimarum eximere, quę diuina constitutione debentur*, Et in cap. seq. Tua nobis, *Si decimæ, quas Deus in signum vniuersalis dominij sibi reddi præcipit*, & in cap. Decimæ 16. q. 1. *Deus enim noster, qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatus est recipere*, & alia multa priuilegia Deus elargitus est Clericis, de quibus alio loco dicendum erit.

A Romano Pontifice multa receperunt Clerici priuilegia, inter alia priuilegium Canonis, si quis suadente decimaseptima quæst. quarta, & fori cap. Si diligenti, de foro compet. & alia. Item ab Imperatore elargita fuerunt alia priuilegia in ijs, in quibus iurisdictionem habet, & plura enarrantur ab Innoc. in dicto cap. Nouerit. l. Nemo. C. de Episcop. Audien. in Auth. Iusiurandum, quod prę statur à moriente. C. de Hæret. & alia. Quamobrem illa statuta, quæ his priuilegijs vllo modo aduersantur, sunt contra libertatem, vt verò, quæ sint huius generis cognoscamus, proponamus aliqua, de quibus magis dubitari possit, eaque discutiamus.

Primo loco quæri potest, an leges Imperatoris, & Regum de rebus temporalibus Ecclesiarum, & Clericorum disponentes, & ad earum obseruationē illos obligantes, dicendæ sint libertati, immunitati ecclesiasticæ repugnare.

Respondeo tales leges libertati, & immunitati ecclesiasticæ repugnare, si specificè de Clericis, & rebus ecclesiasticis disponant, idque pluribus rationibus, vt probat Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, nu. 38. Vers. Prima est, de Constit. & præsertim propter duas rationes, prima est ob defectum potestatis in statuente, cum Imperator non sit superior Clericis, & ideo ad ipsum non spectet statuere de rebus sacris, neq. de Sacerdotibus, cap. Bene quidem 97. dist. Nam si omnes fatentur absurdum esse Parem in Parem aliquam habere auctoritatem. l. Ille à quo. §. Tem pestinam. ff. ad Trebell. & l. Nam Magistratus. ff. de arbit. multò quidem absurdius est minorem, & inferiorem in maiorem, & superiorem exercere iurisdictionem; Ideo Imperator de rebus, vel personis ecclesiasticis nihil disponere potest, ponendo falcem in messem alienam, vt inquit Felin. in dicto cap. Ecclesia num. 38. Vers. Prima est de Constit. Secunda ratio ad idem probandum illa esse potest, quoniam ciuilis potestas ab ecclesiastica est omnino seiuncta. Ciuilis potestas conuenit Imperatori, ecclesiastica primùm residet in Summo Pontifice, c. Duo sunt, cum seq. dicta dist. 96. Vtraq; suos habet Magistratus, suos Præsides, suos Pręfectos, quare statuere de rebus, & personis ecclesiasticis non ad ciuilem, sed ad ecclesiasticum Principem pertinet.

Sed contra obijci potest, Clerici & Ecclesiasticæ personæ tenentur leges Imperatoris Regū, ac simulque aliorum Principum Laicorum statuta de rebus ciuilibus & temporalibus disponentia seruare, ergo Imperator, & Principes iuste, & legitimè easdē personas Ecclesiasticas obstringere poterunt ad ea obseruanda. Antecedens huius argumenti pluribus Iuris auctoritatibus confirmat Felin. in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ, n. 37. de Constit. præcipue ex cap. 1. de nou. oper. nunci. vbi Papa præcipit Ecclesiam ædificatam post noui operis nunciationem demoliri iuxta dispositionem Iuris ciuilis, & reddit rationem, *quia leges sicut nō dedignantur sacros Canones imitari, & ita et sacrorū statuta Canonum Principum constitutionibus adiuuantur*, cap. Si in adiutorium dist. 10. *Si in adiutorium vestrum etiam terreni Imperii leges assumendas putatis, non reprehendimus.* Idem confirmatur, quoniam Romani Pontifices sæpe ad corroborādas suas constitutiones vtuntur testimonijs legum ciuilium, vt patet ex pluribus locis sacrorum Canonū, quos refert Felin. in dicto c. nu 37. & Archid. inquit in cap. Inter hæc 33. q. 2. *Caueas tibi, ne dicas Canonem legi obuiare, si concordare potes*, & cum ibi ait tex. *Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus*, explicat Archid. idest talibus, qualis erat illa, de qua ibi sermo habetur, & in cap. Ideo 25. q. 1. dicitur Ecclesiam exequi debere, quod lege humana statutum fuit iuxta expositionem Archid. Confirmatur secundo efficacius ex his, quæ à B. Tho. dicuntur in 1. 2. quęst. 96. ar. 4. vbi tradit, leges humanas, iustæ sint, habere vim obligandi in foro conscientiæ à lege æterna, à qua deriuantur iuxta illud prouerb. 8. *Per me Reges regnant, & legum Conditores iusta decernunt.*

Hæc difficultas pertractatur à Doctoribus Iuris Pontificij in cap. Ecclesia Sancta Mariæ de Constit. Interpretibus Iuris ciuilis l. Ad instructiones, C. de Sacr. San. Eccles. & in l. omnes populi ff. de Iust. & Iu. l. Cunctos populos. C. de Sum. Tri. & fi. Catho. Ad illam vero ita respondendum est, in primis leges ciuilium Principum, quatenus sunt Imperatoriæ, aut Regiæ, vel statuta auctoritate Laicorum condita, si specificè & expressè disponant de personis, aut rebus Ecclesiasticis, Clericos aut Ecclesiam non obligare, & nullo modo seruanda esse, quia Ciuiles Principes, & Laici ius & potestatem in Clericos, aut Ecclesiam non habent, vt paulo ante dicebam, ac Princeps legem ferre non potest, nisi in homines suæ potestati subditos, quoniam leges condere, & statuta ponere iurisdictionis est, l. Nulli. C. de sent & interlocut. Bald. ibi & Roman. consilio 218. numero secundo. Vnde Abb. numero decimo, Felin. numero 37. in capitulo Ecclesia Sanctæ Mariæ, de Constitut. affirmarunt legem ciuilem, si expressim, & in specie decernit de Clericis, vel Ecclesiis, aut eorum rebus & bonis, tam & si contrarium non sit Canonico iure sancitum, non solum Ecclesias, & Clericos non obstringere, sed esse irritam & inanem, Card. in capitulo Quæ in Ecclesiarum, num. 2. Imo. num. 6. de Constit. Dec. num. 24. Butr. num. 97. Etiamsi lex esset de rebus, quæ Ecclesiis & ecclesiasticis hominibus fauerent, quia lata esset, & posita ab eo, qui Clericis, & Ecclesiis imperare non potest. Neque enim satis est, vt lex sit aqua & iusta, nisi feratur ab eo, qui ius & potestatem habet in eos, quibus legem præscribit. Quare leges in toto titul. de Sac. Sanct. Eccles. tit. de Episcop. & Cleric. tit. de Episcop. audien. Authentica Constitur. de Sanct. Episcop. Reuerendiss. Clericis, & Monach. de ecclesiastic. re. aliena. & de Ecclesiast. Titu. quatenus sunt Imperatoriæ, siue ciuiles in foro conscientię Clericos, & Ecclesias non ligant, vt notat Abb. numero decimo, & Felin. numero trigesimo octano, in capitulo Ecclesia de Constitut.

Verum quatenus continent, quod est naturali, diuino, vel canonico Iure præceptum, in furo conscientiæ Clericos obligant, non quia Iuris ciuilis leges sunt, sed quia Naturali, vel Diuino, aut Canonico iure confirmantur. Nulla enim lex Laicorum ubligat Clericos, & Ecclesias ex defectu potestatis & auctoritatis, & est sententia communis, vt docet contra Bart Imo. in cap. Ecclesia S. Mariæ n. 11. de Constit. Alex. conf. 209. 210. lib. 2. & consi. 2. 17. & 79. lib. 4. Io. Lign. in apostilla ad Bar. in cap. Cunctos populos q. 5. C. de Sum. Trinit. & post Bal. in ead. leg. & alios, quos citat Felin. in eod. c. Ecclesia Sanctæ Mariæ nu. 88. Dec. nu. 213. Abb. in cap. Qui Clerici nu. 18. de foro compet. Ideo dicit Abb. in dicto c. Ecclesia nu. 10. ex sententia Innoc. non esse necessariò B seruandum in alienatione rei ecclesiasticæ solemnitatem illam, quam Imperator instituit in Auth. Hoc ius porrectum C. de Sac. Sanct. eccles. quia non potuit Imperator de Ecclesijs disponere. Idem confirmat Felin. num. 38. Addit tamen Abb. quod vbi lex merum priuileginm contineret, seruari posset: tunc enim cessaret ratio adducta, quæ oppositum persuadere deberet; Nimirum ne quis suspicaretur Impecatorem iurisdictionem habere in ecclesias, & personas Ecclesiasticas, cum quis possit esse priuilegiatus, etiam si subditus non sit, & ad hunc modum intelligit Abb. Legem latam à Theodosio Imperatore, quæ refertur in cap. Nouit. de Iudi. Vbi Glo. Ver. C Quicunque notat Ecclesiam inducere posse legem ciuilem, cum in sui fauorem facit, sed quando ei aduersatur, illam recipere non teneri, capit. Lege, distinct. 10.

Secundò dicendum est, quando leges ciuiles, aut Statuta Laicorum generatim feruntur, & nihil expresse de Clericis, vel Ecclesiis constituunt, hi, quæ iusta & honesta sunt, disponunt, habere vim obligandi Laicos subditus; Clericos autem & Ecclesias non obstringere, cum sint à Laicorum potestate exempti.

Sed postulabit aliquis, quomodo intelligendum sit id, quod dixi leges Imperatoris & Regum, quatenus tales sunt leges, non obligare Clericos, vel Ec- D clesias. Respondeo, vt dicunt Abb. num. 10. in fin. & Felin. numer. 38. in fine, in dicto cap. Ecclesia. Quando lex ciuilis præcipit aliquid Naturali, Diuino, vel Canonico Iure imperatum est tunc lex illa, quatenus ciuilis est, à Principe Laico constituta, non obligat personas Ecclesiasticas, nec illæ ad eam seruandam in foro conscientiæ tenentur. At verò quatenus innititur Iure naturali, diuino, vel canunico, quia id, quod statutum est lege Naturæ, aut diuina, vel canonica sancitum & confirmatum fuit, hac ratione vim habet obligandi Clericos, & illi ad eam seruandam in foro cunscientiæ obstringuntur. Hinc oritur differentia, si violetur talis lex à Laico, aut à Clerico: si enim Laicus contrafecerit, non solum natura- E le, dininum, aut canonicum ius violabit, sed etiam ciuile. At si contra Clericus egerit, delinquet equidem contra ius naturæ, diuinum, & canonicum, non autem contra legem ciuilem, quia ea lege non alligatur, exemplis rem explico, statuat Imperator legem, vel statutum Princeps proponat, nè quis noctu arma deferat; Ne armatus in Ecclesia, Foro, vel alijs certis locis incedat; Ne quis aleis ludat vel taxillis; Ne quis hoc, vel illo vestis genere vtatur; Ne quis venetur certis tēporibus, locis, aut certo retis, laquei, A vel instrumenti genere, si Laicus arma noctu gestet, si quis in Ecclesia, aut foru prodeat, aut ludat aleis vel taxillis, induat vestē prohibitā, aut venetur tempore, vel loco sibi interdicto, Principis legem infringit. Verùm Clericus si arma deferat, vel alia per legem damnata committat, faciet contra Canones, quibus talia ei interdicuntur; non erit tamen reus culpæ, & criminis, quia legem ciuilem Principis violet. Vnde fit, vt Laicus aliquando duas, vel plures leges propter vnum, & idem delictum transgrediatur, cum Clericus eiusdem criminis causa vnam, aut pauciores infringat, si Princeps Laicus per legem, aut statutum prohibeat; Ne quis ex Prouincia frumentum exportet; Ne quis ad hostes belli tempore B arma deferat; Ne Hæreticis auxilium, & opem ferat; Ne Turcis aliisue Christiani nominis inimicis secreta pandat, si Laicus cōtrafecerit, legem naturalem, diuinam, & ciuilem simul peruertit; sed si Clericus contra egerit, erit legis naturalis, & diuinæ, non ciuilis violator.

Hinc duo sequuntur. Primum est Laicum, qui delinquat in legem Principis, incidere in pœnas à Principe contra tales legis violatores impositas, Clericum verò, qui contra eandem legem agit, non incurrere pœnam à Principe statutam, quia etsi contra legem Dei peccet; non tamen contra legem Principis. Secundum est Laicum, qui legi ciuili Principis non obtemperat, à Principe meritò puniri posse, & dam- C nari pœna in lege statuta. At Clericum, qui eandem legem ciuilem non seruat, quę simul naturalis, vel diuina est, non à Principe, sed ab Episcopo suo pœna affici debere. Et quia transgreditur legem naturalem, vel diuinam, non ciuilem Principis secularis, idcirco pœna arbitraria ab Episcopo punietur, neque cogitur Episcopus in eum animaduertere eadem pœna, quam Princeps in legis violatores constituit, & hæc sat sde prima dubitatione.

Secunda dubitatio erit, an cum immunitate, & libertate ecclesiastica pugnent eæ leges Principum secularium, quibus prohibetur, ne beneficia ecclesiastica externis conferantur, neque illis soluantur ex beneficiis pensiones, vtrumve propter huiusmodi D statuta locus sit huic excommunicationi Bullę.

In hac quæstione vnum est, quod communi omnium Doctorum consensu admittitur, quos refert Cou in eod. c. 36. nu. 1. & seq. Pract quæst. Nimirum posse Romanum Pontificem derogare non tantum iuri patronatus ecclesiastico, sed etiam iuri patronatus Laicorum, quod tamen ita intelligendum est, vt minimè iudicemus Summum Pontificem derogare iuri patronatus Laicorum nisi id expressim ex literis constiterit, quod item ab omnibus teste Couar. asseritur. Dubium est, an quando expresse non deroget, teneantur Principes seculares, vel eorum Magistratus, & Iudices parere literis Apostolicis, & E dicendum est obedire debere, quoniam causa est spiritualis, & ecclesiastica, de qua iudicare non potest Laicus. Quòd si Pontifex excommunicationem ferat in eos, qui eius literis non parent, tali excommunicatione tenentur contradictores, nisi id seruent, quod habetur in Can. 13. Bullæ Cœnę, vt declaraui in cap. 4. Disp. 14. ex his patet responsio ad dubitationem leges Principum secularium prohibentes, ne beneficia in eorum terris posita externis conferantur, neque ex illis soluantur pensiones aduersari libertati, & immunitati ecclesiasticæ.

Ita

Ita tenent Archid. & Card. in cap. primo de immunit. Eccles. lib.6. Syluc. Ver. Immunitas 2.§.7. & ex consequenti ex tali violatione per statutum incurri excommunicationem. A

Et ob eandem rationem non valet statutum disponens, ne quis apprehendat possessionem Ecclesiæ, vel beneficij sine facultate accepta à Magistratu, vel Iudice seculari, qui dominatur, vt inquit Felin. in capit. Ecclesia Sanctæ Mariæ, numero 96. ex communi sententia Doctorum, quoniam Ecclesia habet ius immittendi Clericos in possessionem beneficiorum.

Tertia dubitatio, an leges, & statuta Laicorum, quibus iusta rerum omnium, quæ venduntur, precia taxantur, dici possint contra libertatem ecclesiasticam, si ad eorum obseruationem personæ ecclesiasticæ compellantur. B

Angel. in Ver. lex, numero quinto, Syluc. eodem Ver. §. decimoquinto, Vers. Vbi etiam notandum est, dicunt, quando lex Principis generaliter disponit, non exprimendo Clericos, vel personas ecclesiasticas, & est rationabilis, neque aduersatur sacris Canonibus, tunc, si est fauorabilis, seruanda est quoque quoad ecclesiasticas personas, non solum quoad Laicos, & inquit Syluc. fauorabilem esse etiam, vbi potest se habere ad commodum, & incommodum, & inde infert leges disponentes super contractibus emptionis, venditionis, locationis, commodati, & similium, si non contradicunt sacris C Canonibus, ab ecclesiasticis etiam seruandas esse, Dom. Sot. lib. 1. de Iust. & Iu. quæst. 6. art. 7. circa princ. Idem censet, & Nauar. in Manua. capit. 23. num. 88. & reddit rationem; Nam quamuis Clerici legi ciuili non subiiciantur, subiecti tamen sunt legi naturali, & diuinę, quæ disponi, ne res vltra iustum precium vendantur: Iustum autem precium dicitur, quod ab habente ad id potestate pręscribitur. Eiusdem sententiæ est Bannes in B. Tho. 2. 2. q. 67. art. 1. dub. 2.

Ad hanc dubitationem respondendum est, vel quęrimus, an talia statuta, quæ taxant rebus precia, repugnent Immunitati Ecclesiasticæ, si iudex D secularis velit compellere Clericos ad eorum obseruationem, & id caret omni difficultate, quoniam certum est hoc esse contra libertatem ecclesiasticam, quia lex ciuilis, qua iusta rerum precia statuuntur, quatenus ciuilis est, non obligat Clericos, sed Laicos Principi subiectos; Vnde si statuto pęna imposita sit in eos, qui pluris vendiderint rem, quàm sit precium taxatum, eius pœna reus non erit Clericus, si transgrediatur, sed tantum Laicus: Quòd si Princeps expresserit in statuto, vt ea pęna afficiantur etiam Clerici, qui pluris vendiderint, statutum ex ea parte immunitati Ecclesiasticæ repugnat, & nihil valet, quia pœnam statuit in eos, à quibus eam exigere, & sumere non potest. Vel E quærimus, an Clerici, & personæ Ecclesiasticæ teneantur æquè ac Laici res suas iusto precio vendere. Et quantum spectat ad hanc partem asserendum est Clericos coactos esse res suas vendere, locare, permutare, commodare iusto precio, & idem est in alijs generibus contractuum, non vi statuti Principis Laici, cui non subiiciuntur, sed ex iure naturali & diuino, quo quisque rem suam iusto precio vendere tenetur, alioqui si quis pluris vendat, quàm æstimetur res, furtum committit; sed ius naturale & diuinum ęquè omnes obstringit tam Clericos, quã Laicos, & hoc est, quod Doctores citati asserunt. Iusta verò rerum precia sunt, quæ communi omnium æstimatione, vel Reip. aut Principis legibus constituuntur. Posita ergo Principis lege, & vinum, frumentum tanti, non pluris vendatur, Clericus suum frumentum, & vinum cogitur iure naturali, non ciuili Principis tanti vendere; Laicus verò eodem precio non solum naturali, sed etiam ciuili Principis lege compellitur vendere.

Quartò dubitatur de statutis, quæ prohibent, ne certa bona, quæ in Ciuitatibus, aut in finibus agrorum, siue in confinijs posita sunt, externis vendantur, idest ijs, qui subditi non sunt. Item ne certæ domus ad publicum vsum necessariæ, quamuis sint sub priuatorum dominio, transferantur in eos, qui subditi non sunt. Similiter ne Mulier filios habens contractum inire queat cum externo nisi vsque ad certam pecuniæ quantitatem; Vel ne possit aliquid testamento relinqui cum detrimento, & diminutione legitimæ portionis, quæ filijs debetur iure communi; An per hæc, vel similia statuta immunitas Ecclesiastica lædatur? si ad illa seruanda personæ Ecclesiasticæ compellantur Felin. in dicto cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, numero 113. & 114. de Constitut. affirmat ex sententia Cardin. in repet. in capit. Perpendimus, de senten. excommunication. valere talia statuta, & non posse dici contra libertatem Ecclesiasticam, etiamsi seruentur contra Clericos, & Ecclesias. Et probat hoc dictum. Primo quoniam talia statuta, nec directè, nec indirectè graue aliquod damnum, & incommodum afferunt Ecclesiis, vel personis ecclesiasticis, & videntur rationabilia. Habent enim statuentes iustam causam ita disponendi: prohibent namque, ne certa bona, quæ sunt in confinibus, alienentur in externos, ne sequatur finium variatio, & perturbatio. Item ne domus, quę sunt necessariæ ad vsus publicos, licèt sint singulorum, possint transferri in non subditos, & ab ijs, in quos translatæ sunt, haberi nequeant ex locatione, ad eundem vsum publicum, vnde sequeretur graue præiudicium Vniuersitati. Similiter statutum, vt Mulier habens filios non possit inire contractum nomine proprio, nisi vsque ad certam summam, habet locum, etiamsi contractus celebretur cum Clerico & Ecclesia; & finis huius statuti est, vt conseruentur bona filijs, quibus bonis non sunt priuandi, quamuis Ecclesiæ traderentur, cap Quicunque 17. quæst. 4. *Quicunque vult exheredato filio haeredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum &c.* & in fine recensetur factum cuiusdam, qui cum filios non haberet, nec speraret, res suas omnes, retento sibi vsufructu, donauit Ecclesiæ, cum postea nati ei filii fuissent, Episcopus reddidit illi omnia, quæ donauerat. Item finis eiusdem statuti est, vt inquit Felin. ex mente Card. ad coercendam facilitatem mulierum, quę facilè seducuntur etiam contra commoda propria, seu filiorum.

Probatur secundò eadem sententia, quoniam si vniuersaliter verum esset nũquam tenere statutum Laicorum quoad contractus celebrandos cum Ecclesia, & personis Ecclesiasticis, quamuis non tra-

ctetur de damno, vel saltem notabili ipsius Ecclesię, ex obseruatione talium statutorum euerteretur omnis iurisdictio Laicorum.

Tertiò probat Felin. auctoritate Petri Anchar. cons. 21. cuius initium est, videtur prima facie, vbi consuluit tale statutum interdicens mulieri habenti filios alienationem bonorum valere, quamuis expressè prohiberet, ne relinquere posset Ecclesię pro anima sua, & addidit testimonium Abb. cons. 63. prima par. incipit, stante quadam constitutione, qui pluribus rationibus vtitur ad confirmandam validitatem eiusdem statuti, & præsertim, quia portio debita filiis ex statuto æquiparatur portioni debitæ ex Iure communi, sed hanc non recipit Ecclesia exclusis filiis dicto cap. Quicunque 17. quæst. 4. ergo neque consequi potest illam, quæ præscribitur ex statuto. Ex quibus concludit ex sententia Card. Petri Anchar. & Abbatis tale statutum non esse contra libertatem Ecclesiasticam, præsertim si filij ex donatione bonorum à Matre Ecclesiæ facta redderentur inopes.

Ad propositam difficultatem ita respondendum est statuta Laicorum generaliter disponentia de contractibus, venditionis, emptionis, locati, commodati, permutati, depositi, societatis, de donationibus, alienationibus, testamentis, dotibus, fideicommissis, legatis, & aliis huiusmodi non obligare Clericos, neque Ecclesias, quatenus sunt statuta auctoritate Laicorum condita. Verùm si aliquid contineant, quod naturali, diuino, vel canonico iure sit imperatum, eatenus ad ea obseruanda obligari, & hoc puto voluisse Doctores citatos. Quando igitur lex Principis præcipit aliquid, quod naturalis ratio, & æquitas suadet, & monet, vt generaliter ab omnibus seruetur tam Clericis, quàm Laicis, tunc ad illud obseruandum omnes tenentur. Sed Episcopi officium erit mandare, vt Clerici debeant tale statutum seruare, vt communis Reip. pax, salus, & bonū facilè inter omnes retineatur. Nam etsi Clerici ciues sunt, & Reip. partes, ac membra, liberi tamen sunt, & soluti à ciuili Principis potestate: & quod dicimus de statutis Laicorum enarratis, idem seruandum est de similibus; Nempe cum præcipitur, vt singuli Ciues hoc, vel illo ædes construant, aut fenestras, viam ante portam domus purgent, & de alijs huius generis, quibus non alligantur Clerici, & Ecclesiæ, quatenus statuta Laicorum sunt.

Quintò dubitatur, an statutum declarans omnes illos extra protectionem Communitatis, & inhabiles, ne frui possint priuilegijs, & immunitatibus eiusdem Communitatis, qui forum potestatis, & Iudicis secularis declinauerint, an sint contra libertatem ecclesiasticam.

Respondet Felin. in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ n. 78 de Constit. ex sententia Abbatis huiusmodi statutū lædere libertatem ecclesiasticam ob eam rationem, quoniam facit Clericos timidiores ad allegandum priuilegium fori, si conueniantur coram Potestate, in eandem sententiam citat Bal. Bart. & Ang. & ideo vult tale statutum non extendi ad personas ecclesiasticas, neque mentem statuentis fuisse comprehendere illos, qui subditi non sunt, quales sunt Clerici. Vnde infert Felin. ex promulgatione talis statuti ipsos statuentes non remanere innodatos vinculo ex-

A com. quoniam mens ipsorum non erat comprehendere Clericos, neq. lædere immunitatem ecclesiasticam, verba autem generalia statuti non esse trahenda ad sensum contrarium iuri, & pœnam impositā declinanti iurisdictionem Potestatis non ligare Clericos tenet Bal. in l. 1. ad fi C. de Iudic. Vidui. Et retenta hac opinione non opus est inuenire modos, & cautelas, quibus se tueri possit Clericus, vt euitet pœnas statuti, si nolit se subiicere iurisdictioni Potestatis. Verùm quia interdum seculares Iudices facto ipso solent has pœnas contra Clericos executioni mandare, vt inquit Abb. in c. Si diligenti in fi. de fo. compet. idcirco Felin. in num. 81. & seq. tradit quinque cautelas, quibus Clericus possit se tueri B aduersus Iudicem Laicum, quæ colligi possunt ex ipsomet Felino, & ideo illas modò prætereo.

Sexta dubitatio, an sint contra libertatem ecclesiasticam statuta Laicorum, quibus prædia, vel possessiones ad Clericos, vel Ecclesias transmissæ, subijciuntur oneribus, vel contributionibus à populo imponendis.

Bart. in l. Rescripto. §. Sciendum Vers. sed quæro vtrum. ff. de muneribus, & oneribus, consilium dedit quo omnia prędia, quę sunt in alicuius Ciuitatis, vel populi finibus sita essent tributaria, hoc est in perpetuum obnoxia collectis, & contributionibus: Cautela autem est, vt statutum ea lege conderetur, vt singula prædia prædictis oneribus essent in perpetuum C suppo sita, ita vt ad quoscunque transirent cum triburis, & oneribus transmitterentur, & inquit hoc colligi ex dictis Innoc. in c. Postulasti, de fo. comp. Ad hunc modum ait Perusinos statutum condidisse, qui hac ratione imponunt collectas omnibus possessionibus, quæ post legem factam ad Ecclesiam, vel Clericos transierunt, quia res ad Ecclesiam transire debet cum onere suo. Hoc consilium Bart. videtur sequi Abb. in c Quod Clericis, nu. 41. de fo. comp. & citat Bart. in Auth. Item nulla Communitas. C. de Episc. & Cleri. & Archid. in cap. 1. de Immun. Eccl. lib. 6. licèt Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, nu- D mero 83. de Constit. affirmet Archid. non asserere id, quod ei imponit Abbas; Cum Bart. tenet Petr Anchar. consil. 198. quod incipit: Habet statutum Communis Pistorij, & Bal. in cap. Cum venisset de eo, qui missi in possess. Vbi ait valere statutum, vt Clerici, qui non soluunt munera pro patrimonialibus, pro quibus debentur collectæ loco tributorum non audiantur in Iudicio, quia huiusmodi statutum est laudabile propter bonum commune. Eandem Bart. opinionem sequitur Ang. consil. vigesimoquarto cuius initium est, Ecclesia tenetur ad munera; Declarans hoc habere locum, quando munus tributi est certum, puta duo denarij pro rubro quolibet anno, secus in collectis, quę imponuntur E extra ordinem. Nam quamuis statutum vocaret illas collectas, Tributum; Tamen cum sit extraordinarium, & incertum non obligat personas ecclesiasticas, donec sequatur declaratio, & actualis impositio certa, & hæc declaratio fieri nequit postquam res peruenit ad Ecclesiam in eius præiudicium, & damnum, vt pluribus rationibus ibi ipse Angel. probat.

Contra tamen consiliū Bar. & eorū, qui ipsi Bart. hac in re adhærent, tenet Abb. in c. fin. nu. 13. de Vi. & Honest.

& Honest. Cleric. & mouetur, quia tale consilium tendit in fraudem contra Ecclesiam: derogat enim directè priuilegio concesso Ecclesiæ ab Imperatore l. 1. C. de sacr. san. eccles. Liberum enim cuilibet est donare rem suam Ecclesię, & per impositionem hanc onerum fraude, & dolo factam tollitur seu impeditur talis libertas. Similiter Bal. in l. Placet C. de sacr. san. eccles. asserit opinionem Bart. esse falsam, quia Ecclesia non tenetur ad tributum, vt ibi inquit Glos. Et ideo si res tributaria perueniat ad Ecclesiam, debet tantum soluere tributa præteriti temporis; Ad futura autem nõ tenetur per Auth. Item nulla Communitas C. de Episcop. & Cleri. & ad hunc modum impediuntur omnes fraudes statutorum, quæ fiunt in præiudicium Ecclesiæ: Idem tenet pluribus rationibus Bal. in l. fin. C sine censu vel reliquis fundum, quas refert Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 83. Ver. Sed contra dictam opinionem. Quare consilium illud Bart. reprobatum fuit ab omnibus, vt ibi concludit Felin. Vnde alij alias responsiones excogitarunt ad difficultatem, & Abb. in cap. fin. num. 12. de Vi. & honest. Cleri. recenset tres opiniones diuersas.

Ad hanc dubitationem dicendum est iuxta communem & veram sententiam Doctorum, quam refert, & probat Abb. in dicto cap. fin. Duplex esse tributum, vel onus; Aliud, quod est simpliciter rebus impositũ certum & inuariabile; Veluti si statuto decerneretur, vt ex singulis possessionibus; Certi alicuius oppidi quisque obligatus esset quotannis, soluere pensionem certam, definitam, & inuariabilem; Tunc enim eiusmodi possessiones transeuntes ad Ecclesias, vel Clericos huic oneri subiectæ manerent, vt colligitur ex c. Si tributum, cap. Magnum 11. q. 1. & cap. Tributum 23. quæst. 8. facit Clem. 1. & quod ibi notant Doctores, de censi. & ratio est, quia res cum suo onere ad quemcunque transeunt, vt ex vtroque iure constat, l. Alienatio ff. de contrah. empt. l. si diuina, C. de exactio. Tribut. lib. 10. cap. Cum non sit, & cap. Pastoralis de deci. & cap. Ex literis de pignor. Aliud verò est tributum, pensio, & onus, quod aut personis imponitur, aut rebus duntaxat, non tamen certum, & inuariabile, sed incertum, & variabile, exempli gratia, si Resp. statuat, vt omnis possessio ad quemcunque deuenerit sit obligata singulis annis ad solutionem eius pensionis, quam Resp. decreuerit; Tunc si possessiones ad Clericos, vel Ecclesias peruenerint, non sunt eiusmodi contributionibus, collectis, & pensionibus subiectæ, quia à principio non est certa pensio, & inuariabilis constituta, & huic opinioni adheret etiam Felin. in dicto capit. Sancta Maria numero 83. In fine. Quare qui conderet statutum obligans Ecclesiam, & Clericos ad tales contributiones, & collectas incertas, faceret contra libertatem Ecclesiæ, ideo si scienter hac intentione ita statueret, vt hac fraude, & dolo subijceret possessiones Ecclesiarum, & Clericorum tributis, & oneribus publicis, incideret in excommunicationem, quia læderet immunitatem Ecclesiæ.

Excipitur autem ab hac regula, vt inquit Felin. ibi numero 84. Primo si priuatus ex testamento leget fundum Ecclesiæ, vel Clerico ea conditione, vt debeat in posterum singulis annis soluere collectas, & contributiones ob communem vtilitatem Vniuersitatis, & populi imponendas; Tunc enim Ecclesia & Clericus teneretur illas soluere, & in foro cõscientiæ valida esset hæc conditio, quoniam quisq; potest rem suam Ecclesiæ donare ijs conditionibus, & oneribus

A subiectam, quæ ipse voluerit, & Ecclesia tenetur illa seruare, & ad hunc modum consuluit etiam Petr. Anchar. cons. 217. cuius initium est; Dubium facit in prędicta quæstione, & confirmari potest hoc dictum ex cap. Verum, de condit. appos.

Excipitur secundò, si res erat alioqui obligata ad pensionem soluendam in certos annos, quibus nondũ exactis, si res ad Ecclesiam, vel Clericum deuenierit, transit cum suo onere, ita vt Ecclesia, vel Clericus debeat totum illud pensionis residuum persoluere, vt idem Felin. tenet, & fusè Ang. cons. 203. quod incipit: Inter ordinamenta, quoniam quamuis Ecclesiæ, & Clerici non possint grauari ad nouas collectas, & tributa pro re, quæ in eos translata sit, tamen si antea

B collecta imposita fuit, res transit cum illo onere, sicut si deueniret ad quemcuoque alium successorem. l. Incola cũ muneribus publicis destinatus. ff. ad municip.

Septima dubitatio; an statutum disponens, vt extantibus masculis excludantur fœminę, etiam religiosæ, vt moniales, dici debeat cõtrarium immunitati, & libertati ecclesiasticæ, & idem quæritur de statuto, quo cauetur, vt primogeniti excludant secundogenitos in bonis paternis, an deroget libertati ecclesiasticæ, si extendatur ad Clericos secundogenitos.

In hac quæstione vnum est certum, in quo conueniunt omnes, vt testatur Felin. & in cap. Sancta Maria numero octuagesimoseptimo, & numero 130. de Const. Nimirum tale statutum omnino derogare liber-

C tati ecclesiasticę, si comprehendat filios secundogenitos, qui Clericatum susceperunt antequam illud promulgaretur, vel fœminas Deo ante consacratas voto Religionis, Abb. in cap. Quod Clericis, numero quadragesimo, de fo. competen. sed clarius, & distinctius ad hanc difficultatem respondet Paul. de Castro consil. 335. quod incipit; In Christi nomine. Primum dubium, de quo quæritur, duas proponens conclusiones, quas refert, & sequitur Felin. in cap. Sancta Maria numero octuagesimooctauo, & sequen. de Const. Prima cõclusio est, si statutum expresè excludat moniales, & Clericos, quamuis promulgatum sit, antequam aliqua Deo per ingressum Religionis se consecrauerit, vel aliquis secundogenitus ordine Clericali

D insignitus fuerit, tale statutum vniuersaliter, & indistinctè non valet, & repugnat libertati ecclesiasticæ; tum quia seculares carent potestate statuẽdi aliquid de personis ecclesiasticis; Tum quia hac ratione retrahuntur homines, & mulieres à Clericatu, & Monachatu: Tum etiam quia post susceptionem ordinis, & Religionis ingressum redduntur deterioris conditionis, quàm si mansissent in seculo, quæ omnia absurda videntur. Secunda conclusio statutum non loquẽs in specie de Clericis neque de sanctimonialibus, sed in genere, vt primogenitus semper excludat secundogenitum, & masculi excludant fœminas, validum est, quoniam nihil videtur detrahere immunitati ecclesiasticę, & tuta conscientia ratum, & firmum cense-

E tur, quia cessant rationes allatę, stante enim statuto omne ius succedendi oritur ab ipso statuto, & sic secundogenitus, vel fœmina succedunt cum ista limitatione, nisi superstes sit primogenitus, vel nisi sint masculi. Neque dicitur statutum alligare sanctimoniales, vel Clericos, aut efficere eos inhabiles ad succedendum, quia statutum obligabat, antequam cogitarent de Clericatu, aut Monachatu. Et hanc conclusionem admittunt Abb. in dicto cap. Quod Clericis, num. 40. de fo. compet. & alij Doctores, quos citat Felin. in c. Sancta Maria num. 89.

Sed postulabit aliquis, an stante tali statuto; Nimirum, vt masculi excludant fœminas, vtrùm Clericus possit gaudere beneficio huius statuti cōtra fœminas, Felin, num. 94. affirmat posse gaudere hoc priuilegio, & citat plures auctores in hanc sententiam. Non obstat tex. in dicto cap. Sancta Maria, vbi statuitur non licere Laicis disponere de Clericis, aut Ecclesiis, quoniam intelligitur, vt inquit Felin. quando disponit in specie de Clericis, aut Ecclesijs: tunc enim dicitur non valere statutum, vt non denotetur aliqua iurisdictio, & potestas in Laicis super personis, vel rebus ecclesiasticis, vel etiam interpretari potest, in casu quo statutum loquitur generaliter, vt probat ratio, qua vtitur Summus Pontifex in dicto cap. Sancta Maria, quæ generalis est: Dummodo tamen statutum non disponat de re, quæ vtilitatem, & commodum simpliciter afferat, vt quando præcipuè prohibet, vetat: tunc enim non extenditur ad Clericos, sicut si inducat simpliciter, & absolutè priuilegium, & fauorem, vt in casu, de quo disputamus, quando statutum extantibus masculis excludit fœminas; Tale enim statutum simpliciter fauet Clericis, ergo valet, & ad eos extenditur. Et eodem modo sentit Abb. in cap. Quod Clericis num. 40. de fo. compet. & in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ nu. 25. de Constit.

Octaua dubitatio, an statutum Laicorum valeat, quo cauetur, vt quicunque etiam Clericus falsum testimonium dicens apud Iudicem ciuilem, ab eodem Iudice falsi condemnari possit, & puniri, vel potius tale statutum repugnet immunitati Ecclesiæ.

Proponit difficultatem Couar. Pract. Quæst. cap. 18. num. 8. Vers. Sed & locus erit, an Clericus testis, & ratione ordinis, ecclesiasticę iurisdictioni subditus possit à seculari Iudice puniri. Et affirmat nullo modo puniri posse, etiamsi coram eo in ferendo testimonio crimen falsi commiserit, & confirmat Auct. Innoc. Host. Io. And. Abb. & aliorum, quos citat, & hoc dictum est verissimum, quod desumitur ex cap. Si diligenti, de fo. compet. & cap. 1. de Cleri. coniug lib. 6. quibus locis generaliter statutum est Clericis non posse, neque in Ciuilibus, neque in Criminalibus causis ad tribunalia secularia trahi, quoniam Laicus huius potestatis, & iuris capax non est. Hinc sequitur statutum Laicorum contrarium disponens dici debere contra libertatem ecclesiasticam ex genere eorum, quæ damnantur sub pœna excommunicationis.

Nona dubitatio de quibusdam statutis Laicorum, quæ neque in specie decernunt aliquid de Ecclesiis, vel Clericis, neque de bonis, & rebus ipsorum, neque minuunt priuilegia, aut iura ecclesiastica, sed simpliciter disponant, quæ honesta sunt, quæque rationi rectæ, ac iuri congruunt, an eiusmodi statuta sint valida quoad Clericos, & Ecclesias, vel è contra lędatur immunitas ecclesiastica, si ad eorum obseruationem compellantur Clerici, & sit locus excommunicationi.

In hac dubitatione duæ sunt opiniones Doctorum, altera affirmantium huiusmodi statuta esse valida, & obligare Clericus, & Ecclesias: Altera negantium comprehēdere Clericos, quoniam ex illis diminuitur libertas, & immunitas ecclesiastica. Primam opinionē asserit Bart. in l. Cunctos populos. C. de Sum. Trin. vt refert Felin. in cap. Sancta Maria num. 95. de Constit. Probat Bart. ex cap. Cum venissent de eo qui mittit in possess. cap. Constitutus, de rest. in integ. & cap. Cum tanta, de re. Iudi. Vbi irritatur actus, quia mala fuit consuetudo, secus si bona fuisset; Vnde infert Bar. quod si extet statutum Laicorum, vt instrumenta executioni traduntur sine libello, illud obligabit Ecclesiam, vel Clericum, cuius causa agitetur coram Episcopo. Similiter si sit statutum irritans testamentum, quod insinuatum non fuerit in libro vniuersitatis, redditur nullum testamentum, licèt in eo sint descripta legata relicta Ecclesiæ: Et eodē modo idem affirmandum erit de alijs eiusmodi statutis Laicorū honestis.

Secunda sentētia negatiua est vera, eam tuentur plures alij, qui impugnant dictū Bart. Abb. ita sentit in dicto cap. Sancta Maria, num. 10. & in cap. Tria 1. nu. 9. de deci. Ant. Imo. Domi. in eod. cap. Sancta Maria, Bal. in l. Cunctos. C. de Sum. Trin. Card. cons. 11. de Constit. & alij, quos citat Felin. in capit. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 96. de Constit. qui asserit opinionem Bart. nunquam ei placuisse, quia statuta Laicorum minime possunt obstringere Clericos, cap. 1. dist. 11. cap. Quę in Ecclesiarum, de Constit. & Clerici sunt digniores Laicis, ergo statutis Laicorum non obligantur. Nec refert si statutum sit honestum & æquum, quia æquitas, & iustitia rei, quæ disponitur, nō tribuit iurisdictionem, & potestatem Laico statuenti in Clericos, qua caret, quatenus laicus; ideo defectu iurisdictionis tale statutum non obligat personas Ecclesiasticas, vt notat Io. And. in cap. Statutum de Hæret. lib. 9. Alexander cons. 209. 210. & 211 lib. 2. Erit autem obstrictus Clericus ad obseruationem rei, quæ præcipitur, vel prohibetur iure naturali, diuino, aut canonico, si ab illis de eadem re disponatur.

Si dicas, si Clericus potest vti tali statuto in foro seculari contra Laicum cur pari ratione, vt æqua sit conditio vtriusque non erit concessum Laico illius vi agere contra Clericum in foro Ecclesiastico, saltem ex dispositione Iuris communis, quando non possit vigore statuti.

Respondet Felin. in eod. num. 96. Non esse eandem rationem de Laico, & de Clerico, quia tale statutum non est editum ad postulationem Clericorum, sed Laicorum. Non tenetur autem quis recipere illud, quod ad eius postulationem non est ei concessum.

Iura, quæ citat Bart. pro sua sententia, probant solum de consuetudine promiscua Clericorum, & laicorum, vt inquit Felin. vbi supra, quæ seruari debet in vtroque foro, etiam Ecclesiastico. Secus autem est, vbi consuetudo tantum est laicorum, quę non obligat Clericos. Tandem Felin. in dicto num. 96. & seq. Vers. opinio tamen Bart. concludit in quinque casibus admitti posse verum esse, quod asserit Bart. quos non recenseo, quoniam apud ipsum videri possunt.

Decima dubitatio, vtrum statutum prohibēs alienationem rei fieri posse in non subditum, includat Clericum, & vtrum statutum hoc dici possit contra libertatem Ecclesiæ.

Respondet Io. And. vt tradit Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, nu. 113. de Constit. tale statutum non comprehēdere Clericos, & est communis opinio multorum, quos ibi citat Felin. & confirmatur ex capitulo fin. de immun. Eccles. libro 6. Non possunt enim Clerici inhabiles reddi per statutum laicorum, vt non valeant simpliciter emere, & contractum inire cum quocunque voluerint etiam Laico; sic enim tolleretur ipsorum libertas, & imminuerentur priuilegia eis indulta. Verum si huiusmodi statutum comprehenderet Clericos, tolleretur indirectè hæc libertas, quod fieri iure nequit; Igitur hoc statutum non extenditur ad Clericos, Abb. in c. Relatum 1. de testa. Syluest. Ver. Immunitas 2. §. 6. Idem Abb. in cons. 26. num. 1. in fin. Socin. Iunior cons. 56. vol. 1. Hoc tamen

tres

tres limitationes habere potest, vt inquit Felin. in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ, nu. 114. Prima est, nisi ex obseruatione huiusmodi statuti Ecclesia pateretur modicum, & leue præiudicium: tunc enim personæ Ecclesiasticæ tenerentur illud obseruare, & citat plures in eandem sententiam. Secunda limitatio est, vt hoc commune dictum intelligatur, quando statutum generaliter prohibet alienationem in non subditum, secus si non prohiberet vniuersaliter & indirectè trāslationem in Ecclesiam, sed certo casu: tunc enim esset validum, etiam quoad Ecclesiam. Quare si statutum augeret portionem debitam filijs iure naturæ, quæ est tertia pars bonorum, & præciperet vt legitima portio debita filijs esset dimidia pars bonorum, tali statuto adstringerentur Ecclesiæ, & Clerici. Vnde si Testator relinqueret filio tertiam partē, & reliqua bona Ecclesiæ, teneretur Ecclesia restituere filio totum id, quod pertineret ad perficiendam dimidiam partem bonorum. Tale enim statutum nihil immunitati Ecclesiæ derogat. Idem tradit Abb. in dicto cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, num. 25. & ratio huius dicti est, quoniam aliud est statuere aliquid ex quo interdicatur omnis via, & modus relinquendi bona Ecclesiæ, quod libertati Ecclesiasticæ repugnat, & sub censura excommunicationis prohibetur; Aliud est statutum condere ex iusta causa, quo subditus inhabilis reddatur ad contrahendum cum quacunque persona, non seruata forma statuti, quod nullo iure damnatur. Tertia limitatio traditur à Felin. Vt statutum generaliter prohibens alienationem in non subditum, minimè includat Clericos, quando vniuersaliter interdicit omne commercium, & societatem Laicis cum Ecclesijs & Ecclesiasticis personis, quod non valet, & in his terminis loquitur cap. fin. de immun. eccles. lib. 6. Quod si prohiberet in specie & peculiariter commercium in certis quibusdam rebus tantum, tunc vel illæ res acquiruntur Ecclesiæ, quia venduntur Prælato recipienti pro ecclesia. Et ob eandem rationem tale statutum est inualidum: est enim contra priuilegium Ecclesiæ concessum, l. fin. C. de sacr. san. eccles. Vbi ex quacunque venditione facta Ecclesiæ acquiritur rei dominium sine traditione, & consequenter ex dicto statuto læderetur immunitas Ecclesiastica; Vel acquiruntur Clerico, & statutum tenet, cum non sit contra priuilegium dictæ l. fin. quæ non loquitur de Clerico. Hanc tamen limitationem tertiam, Felin. num. 118. non approbat, & rectè ob eam rationem, quoniam statuta dicuntur contra libertatem ecclesiasticam, quamuis solum aduersentur Iuri communi, & non lædant priuilegia concessa ecclesiasticis personis. Quare non opus est attendere, an tollantur priuilegia Clericorum, necne. Iisdem rationibus motus, Nauar. in cons. 3. in tit. de Constit. tenet legem Principis secularis prohibentem extractionem equorum, & aliorum animalium ex suo Regno, & dominio, non obligare Clericos.

CAPVT VI.

In quo aliæ dubitationes elucidantur de eadem materia.

PRæter dubitationes explicatas supersunt aliæ, quæ sunt proponendæ in hoc Capite, & declarandæ. Prima dubitatio erit, an Statutum Laicorum abrogans aliud statutum eorundem, quod Ecclesiarū, aut Clericorum priuilegium continebat deroget Ecclesiæ

A immunitati; Puta, erat statutum antiquum Laicorū, vt singulis annis in quandam Ecclesiam piè erogaretur certæ eleemosynæ; Deinde promulgatur aliud statutum, quod decernit, ne in posterum illa eleemosyna persoluatur. Quæritur modo, an hoc secundum statutum dicendum sit repugnare libertati Ecclesiasticæ.

Respondeo non valere tale statutum, nam priuilegium concessum postquam ratum habetur ab eo, in quem collatum est, transit in ius, ergo Laicus potuit quidem principio priuilegium non concedere Clericis, vel ecclesijs, at postquam contulit, & Ecclesia, & Clerici acceptum habuerunt, deinceps abrogare, & tollere de iure non potest, Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ
B Mariæ, num. 124. de Constit.

Secūda dubitatio, Vtrum illud statutum diminuat libertatem ecclesiasticam, quo cauetur, vt de quacunque re ad pias causas relicta soluantur duo solidi, vel certum quid fabricæ alicuius peculiaris ecclesiæ, vel potius sit validum, & obliget Ecclesias, quibus aliquid relinquitur ad soluendum id, quod taxatum fuit.

Respondit Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, nu. 119. statuta, quæ detrahunt aliquid ex relictis ad pias causas violare immunitatem Ecclesiasticam, & inualida esse, etiamsi in genere loquantur, nulla facta mētione Ecclesiarum secundum Io. And. in cap. fin. de Immun. Eccles. lib. 6, quamuis id, quod exigeretur, in vsum pium conuerteretur. Neque enim decet dam-
C num inferri vni Ecclesiæ, vt altera beneficium & emolumentum consequatur, cap. Cum causam, de præben. Vbi statuitur non esse diuidendam præbendam ad integrandam alteram præbendam, & in eisdem terminis idem asseruit Abb. cons. 26. habet initium quidam officiales, vbi probat Hospitale Sancti Geminiani non teneri ad obseruationem talis statuti. Et ad hoc asserendum primo ducitur ex cap. fin. de re. Eccles. non alien. Vbi expresse interdictum est Laicis, *quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi*, disponendi non solum de alienatione feudorum, &c. *Sed etiam de mortuarijs, nec non, & alijs, quæ Iuri spirituali annexa videntur*. Quæ vero relinquuntur ad pium vsum, spiritualibus annexa dici debent, quia deputan-
D tur ad cultum diuinum, & ad vsum Ecclesiarum, sicut dicimus de mortuarijs, idest de ijs, quæ deferuntur cum funere, & comitantur funus, vel legantur occasione funeris; ergo idem dicendum est de statuto disponente de relictis ad pias causas, quod nullius est roboris, tanquam conditum à Laico nullam super his rebus potestatem habente. Deinde ad idem citat Abb. cap. Relatum 1. de testam. vbi tex. firmat regulam generalem, nimirum quæstionem occurrentem de numero testium, quoad relicta ad pias causas, terminandam esse secundum Canones; non autem secundum leges ciuiles, quia cum hæc sint in pium vsum ordinata, non subijciuntur dispositionibus Laicorum,
E nec etiam Imperatoris, sed Foro Ecclesiæ. Et hoc voluit Bart. in l. 1. C. de Sacr. San. Eccles. Vbi asserit non valere statutum Laicorum, nec etiam Imperatoris de ijs, quæ pertinent ad piam causam, cum non spectent ad ipsorum iurisdictionem, sed Ecclesiæ. Tandem ad idem cōfirmandum facit hæc ratio, quam refert Abb. Ecclesiæ & pia loca gaudent priuilegio, vt liberum sit cuicunque posse eis relinquere, l. 1. C. de Sacr. San. Eccles. ergo statutum tollens hanc libertatem in donando & acquirendo, obligans ad aliquid soluendum pro re donata non valet, quia repugnat libertati Ecclesiasticæ vniuersali, & consequenter, vt inquit Abb. talea

sta-

statutarij sunt ipso facto excommunicati, & alijs pœnis Iure constituris obnoxij, de quibus in Auth. Cassa & ibi Bart. C. de Sacr. Sanc. Eccles. notat Felin. in eod. num. 119. Vers. Est verum, quòd si laici, valere statutum à laicis conditum, vt quicunque de bonis suis in vltima voluntate testatur, teneatur certam quandam portionem fabricæ Ecclesiæ relinquere, & obligabit laicos subditos, non tamen Ecclesiam, vel Clericos, vt inquit Domin. in cap. Quo iure in fin. 8. dist. Vnde infert priuilegium Imperiale concessum alicui Ecclesiæ super centenaria præscriptione, si non sit confirmatum à Papa, non prodesse Ecclesiæ contra aliam Ecclesiam, sed bene contra Laicos.

Sed contra dicta obiici potest, nam licet laici nequeant quidquam statuere de bonis Ecclesiasticis, c. Bene quidem 96. dist. cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ de Constit. non tamen eis vetitum est statuere de rebus proprijs nondum in Ecclesiam translatis. Hæc enim potestas competit omni Principi, Reip. & Vniuersitati, l. omnes populi ff. de Inst. & Iu. l. Cunctos populos C. de Sum. Trin. & rei suæ quisque est legitimus moderator & arbiter l. In re mandata C. mandati, & capit. De his de sepult. Sed quando Laici statuunt generaliter, vt de quacunque re relicta ex Testamento certum quid soluatur fabricæ Ecclesiæ, disponūt de rebus suis proprijs, quæ in Ecclesiam adhuc translatæ non sunt; ergo validum & legitimum dicendum erit huiusmodi statutum. Nam quemadmodum quisque priuatus posset relinquere Ecclesiæ cum illo onere soluēdi certum quid, puta duos denarios pro libra, arg. c. Cum dilecti de donat. & cap. Verum de condit. appos. Ita & multò magis hoc statuere licitum erit Principi vel vniuersitati. Quod enim fieri potest per pactum, dicendum est fieri licere per legem, seu statutum, vt notat Glos. super Rubr. C. de decret. Decurion. lib. 10. & Bartol. in l. omnes populi vers. Iuxta prædicta, ff. de iust. & iu.

Ad hanc obiectionem respondet Abb. in eod. cons. 26. circa finem dicens non esse interdictum laicis posse disponere de bonis suis, imponendo illis onus perpetuum; sed in casu, de quo disputamus, laici non disponunt de bonis suis, sed de ecclesijs, & alijs locis pijs, quibus illa bona donantur & relinquuntur, quod Laicis Iure est denegatum, vt notant Doctorys in c. fin. de vit. & honest. Cleric & cap. Præsenti de Censi. Quare aliud est, quando priuatus donat, vel relinquit rem suam Ecclesiæ, & grauat illam ad aliquod onus sustinendum, quod iustè & legitimè fit, & nullo Iure damnatur, vt probaui superius in explicatione sextæ dubitationis, & in hoc sensu accipienda sunt iura in oppositum adducta, neque hoc modo violatur immunitas Ecclesiastica, nec diminuitur libera voluntas donandi ecclesijs, neque læduntur priuilegia eisdem cōcessa. Aliud est condere legem, aut statutum, quo tollatur libera facultas donandi, & legandi bona, vt cuique magis iubet, & bene videtur, quod omnino repugnat libertati ecclesiasticæ.

Tertia dubitatio; An statuta laicorum disponentia de ijs, quæ ad funera & exequias, & alia, quæ ad mortuos spectant, sint nulla & inualida, & contra libertatem ecclesiasticam, & consequenter damnata sub censura excommunicationis.

Respondeo ex communi doctrina Doctorum huiusmodi statuta esse contra libertatem Ecclesiasticā, ita expressè definitum fuit in cap. fin. de reb. eccles. non alienan. Vbi inter alia reprobatur, ne laici disponant de mortuarijs, quia sunt annexa spiritualibus, in

A quibus nulla inest Laicis iurisdictio. Vnde Ludonicus Rom. in singul. 368. quod incipit, Reuerendus, tenet non valere statutum laicorum prohibens, ne pro exequijs defuncti expensæ excedant certam, & taxatam summam, Abb. in dicto cap. fin. num. 5. de reb. Eccles. non alienan. Eadem enim ratio est de spiritualibus & de annexis: Quare sicut laici non possunt se immiscere circa res spirituales, ita neque circa annexas cap. Translato de Constitut. & cap. Quanto de Iudi. Ad hanc doctrinam Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 121. addit limitationem ex sententia Bald. vt hoc dictum intelligatur de statuto disponente de Mortuarijs in his, quæ spectāt ad Clerum, vel cultum diuinum, aut ad animarum salutem, puta de numero

B Missarum, de candelis, de eleemosyna Clericorum, de numero Clericorum, vel Religiosorum, qui debēt comitari funus, & similibus. Sed si statutum prohiberet abusus circa pompam funeris, vt de vestibus lugubribus, de pannis nigri coloris, & de alijs externis solemnitatibus, quæ nullam habent relationem ad cultum diuinum, ex quibus nihil vtilitatis minuitur Ecclesiis, aut Clericis, neque aliquid detrimenti patitur cultus diuinus, tunc eiusmodi statutum esset validum, & obligaret: ex eo enim non violaretur libertas Ecclesiastica, & ita etiam sentit Abb. in dicto cap. fin. numero 6. de reb. Eccles. non alienan. Sylue. Immunitas 1. §. 9. Vers. Possunt tamen laici, Nauar. in Manual. cap. 27. nu. 120. circa fin.

C Quarta dubitatio, an valeat statutum laicorum, quo cauetur, ne quis apprehendat possessionem beneficij, vel Ecclesiæ sine facultate & licentia eius, qui dominatur & præest populo, Ciuitati, aut Prouinciæ, vel è contra dicendum sit contrarium immunitati Ecclesiasticæ.

Angel. consil. 23. cuius initium est, Nulla persona &c. vt refert Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, nu. 123. de Constit. affirmat tale statutum esse validum, & loquitur in casu statuti editi a Populo Florentino, quod conditum fuit ad tollenda scandala & contentiones, quæ quotidie oriebantur inter Nobiliores, & potentiores Ciues illius Ciuitatis contendentes admitti ad beneficia, & dignitates, quæ pro tempore

D vacabant. Oppositum decidit Abb. in cons. 83. incipit. præsens dubium in effectu consistit par. 1. & idem inquit Felin. vbi supra, & est communis sentētia Pontificij Iuris Doctorum; omnes enim affirmant huius generis statuta esse contra libertatem Ecclesiasticam & non obligare Clericos. Primo quia sunt contra præceptum & mandatum Papę, qui præcipit executori suarum literarum, vt mittat impetrātem in possessionem beneficij, quam formidine pęnæ in statuto impositæ tradere non audet. Deinde quia Clerici ex eodem statuto redduntur timidiores, & laici in statuendo promptiores, & audaciores. Quæ omnia repugnant libertati Ecclesiasticæ, vnde infert Abb. in eo-

E dem cons. Vers. Ex his infero. Quòd si possessio beneficij alias legitime capiatur, nec Clericus, nec Notarius, nec testes, qui interfuerunt, incurrunt vllam pœnam dicti Statuti. Quando enim statutum inualidum est, pęna quoque in eo apposita non ligat, vt in Auth. Cassa. C. de Sacr. San. Eccles. & cap. Nouerit de sent. excomm, & cap. Grauem eod. tit. Immo statuentes & exequentes statuta sunt eo ipso excommunicati, vltra alias pœnas, vt in dicta Auth. neque se excusare possunt, inquit Abb. quod in fine omnium statutorum apposuerint statutum, quo declarantur omnia statuta irrita & nullius roboris, si quæ extarent, quæ vllo

modo

modo immunitatem Ecclesiasticam læderent, quia A Bulla Cœnæ & iura citata in cap. Nouerit, & in capit. Grauem de sent. excom. requirunt ad euitandam excommunicationem & alias pœnas, vt infra certum tempus talia statuta deleātúr ex libris capitularibus, vt nullo modo apparere possint. Hoc idem sentit Felin. in dicto cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ n. 123. in fi. de sent. excom.

Quinta dubitatio; An valeat statutum laicorum constituens pœnam in propinquos seu cognatos Clericorum ob eam causam, quòd Clerici eorum statutis parere recusant, vel potius sit annumerandam inter statuta immunitati Ecclesiasticæ repugnantia.

Certum est apud omnes tale statutum esse iniquũ, & contra libertatem Ecclesiasticam, Bart. in l. 1. in fi. B ff. quæ pœnæ nomine, & in l. Is penes C. de agri. & Censi. vbi ex verbis tex. dicit non valere statutum grauans colonos Clericorum pro gestis ab ipsis Clericis, & esse iniquum & iniustum. Idem ait Bald. in l. 1. in princ. C. de Episc. & Cleri. de executoribus, qui capiunt colonos, cum Clericos capere nequant, & cõfirmat Federi. consi. 111. incipit Quæstio talis est, Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 127. qui alios citat in eandem sententiam, & num. 128. citat Ludouicum Romanum asserentem, incidere in excommunicationem vulnerantem consanguineum Clerici occasione ipsius Clerici, cum Clericum percutere non valeat, ac si Clericum percussisset. Sed quod ait de C percutiente consanguineum Clerici, non est vniuersaliter verum, vt notat ibi Felin. sed quid speciale in casu cap. Sciant cuncti de elect. lib. 6. Quare in eo casu dicti cap. Sciant, percutiens Clericum vltra censuram Canonis, si quis suadente 17. q. 4. incidit in aliam excommunicationem.

Sexta dubitatio; An valeat statutum laicorum quoad Clericos & Ecclesias quo cauetur, vt mulier donare, contrahere, aut alienare non possit sine præsentia duorum agnatorum, ita vt reddatur donatio, vel obligatio sine huiusmodi solemnitate facta Ecclesiæ aut Clericis vel ad suas causas nulla & inualida. Et idem quæri potest de statuto prohibente venditionem, non facta antea promolgatione in Palatio. D

Respondeo tale statutum non valere quoad Clericos & Ecclesias, & in ordine ad eos repugnare libertati Ecclesiasticæ. Idem sentit Abb. in cap. Relatum 1. de testam. Butr. ibidem Imol. in cap. vlt. de reb Eccles. non alienan. Etiam si Mulier de re immobili aliquid statuat cum Ecclesia, vt dicunt Doctores citati, & Bart. in l. 1. C. de Sum. Trin. q 7. licet oppositum senserit Bald. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, & c. Quæ in Ecclesiarum de Constitut. Et idem dicendum est de statuto prohibente venditionem non facta proclamatione in palatio: non obstante enim hoc statuto venditio facta Ecclesiæ, vel Clericis erit valida, quia E laici carent omni iurisdictione in Ecclesiam & Ecclesiasticas personas, quamuis oppositum sentiat Sylue. Immunitas 2. §. 5. Vers. Si vero sub forma & hęc opinio est quoque probabilis.

Septima dubitatio, quòd si statuto caueatur, ne quis vendat arma illis, qui non sunt subditi Principis, vel Vniuersitatis, an comprehendantur Clerici. ita vt eis arma vendi nequeant.

Sylue. Ver. Immunitas 2. §. 5. in fi. Vers. sed si nullum, vel paruum præiudicium, tenet tale statutum esse iustum & validum, Clericosque & personas Ecclesiasticas complecti sine vlla violatione immunitatis Ecclesiasticæ, ratio, cur id asserat, est, quoniam arma deferre iure Clericis interdictum est, & idem cẽset de alijs statutis disponentibus de rebus, quæ Clericis denegantur, vt quód solui debeant gabellæ ab omnibus asportantibus merces negociationis causa. Nam & Clericus erit obligatus soluere gabellam, si deferat res ad negociandum, & sic de similibus in Tit. ne Clerici, vel Mona. per totum. Immo addit valere etiam statuta laicorum de ijs, quæ Clericis competere possunt, dummodo non sequatur graue præiudicium Ecclesijs vel Clericis, & extet causa probabilis, propter quam statuentes ita decreuerint: æquitas enim postulat, vt hæc statuta à Clericis quoque seruentur. Sic enim inquit, laicorum iurisdictionem non omnino confundi & destrui, & Ecclesiarum priuilegia immunitatesque Ecclesiasticas sine lęsione seruari. Verum ad hanc dubitationem simpliciter respondendum est, tale statutum non obligare Clericos, quia, vt sæpe dictum est, generaliter verum est statutis laicorum Ecclesias, vel Clericos non obstringi, quia laici in Ecclesias, vel Cericos iurisdictionem non habent. Quamobrem si statutum prohibeat aliquid, quod iure naturæ, diuino, vel Pontificio est damnatum, personæ Ecclesiasticæ tenentur quidem ad illius obseruationem, non quatenus statutum est à laicis, sed vt sancitum est iure Superiori diuino aut Pontificio, vt latius declaraui cap. præcedenti in explicatione primæ & tertiæ dubitationis. Et hinc sequitur Clericos transgressores talis statuti non incurrere pœnas in eo contentas, neque posse per Iudices seculares ad illud obseruandum compelli.

Octaua dubitatio, vtrum statutum laicorum puniens mulieres concubinas Clericorum possit dici cõtra libertatem Ecclesiasticam, & vtrum eãdem libertatem lædet Iudex secularis, si vigore dicti statuti in easdẽ pœna corporali aut pecuniaria animaduertat.

Petr. Anchar. consi. 196. cuius initium est, Magnifice & Illustris Princeps, disputat hanc quæstionem ad vtramque partem, & tandem soluit difficultatem distinguendo de statuto puniente dictas concubinas, vel ratione fornicationis occultę, vel manifestæ & notoriæ. In primo casu tenet non valere statutum; in secundo dicit esse validum. Ratio prioris dicti est, quia non licet laicis directè aut indirectè aliquid statuere contra statum & dignitatem Ordinis Clericalis, sed fœmina concubina puniri nequit, nisi denigretur fama ipsius Clerici si non iure, saltem facto propter necessariam connexionem criminis vtriusque, cap. Tantis Daniel 81. dist. Quare sicut non possunt laici Clericos accusare cap. Nullus laicus, & cap. Laico 2. q. 7. ita quoque non possunt eorum crimina indirecte manifestare. Secundam partem conclusionis probat, quoniam quando concubinatus est publicus & notorius, laicus Iudex potest punire mulierem concubinam, cum sit eius iurisdictioni subiecta, & nulla iniuria fit Clerico supposita publica notitia criminis; immo adiuuantur sacri Canones, eiusmodi enim delictũ vtroque Iure damnatum est, 28. distinct. per totam l. omnia priuilegia C. de Sacr. Sanct. Eccles. Accedit ad hoc, quia dictæ fœminæ nulla ratione possunt gaudere priuilegio Fori Ecclesiastici. Delictum enim nullam debet tribuere immunitatem, & sacri Canones imponunt quidem pœnas Clericis, qui se ipsos carnis illecebris turpiter tradunt. De fœminis, quæ sui corporis copiam faciunt nihil disponunt, quasi earum correctio ad forum Ecclesiasticum non pertineat, sed ad ciuilem potestatem. Attamen hæc secunda ratio Anchar. vt recte annotauit Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ

ctæ Mariæ num. 132. Vers. Sed aduerte, innititur falso fundamento; Nimirum Sacros Canones non disposuisse de concubinis Clericorum: oppositum enim apparet ex tex. in cap. Quidam 81. distinc. Vbi tales fœminæ efficiuntur seruæ, & Episcopus debet eas vendere si non habent filios, & si acquisierint filios, detrudantur in Monasterium, ne filij pereant, vt inquit Glos. 1. in cap. Fraternitatis 34. dist. Glo. in cap. 2. Ver. Fœmina verò canonicè iudicetur De Cohab. Cleri. & Mulier; Et in cap. Eos 32. distinct. quæritur, quid dicendum sit de Diaconis, qui de facto ducunt vxores. Vrbanus Secundus respondet; Tales ab officio, & beneficio suspendendos esse, & si incorrigibiles fuerint, concedit licentiam Principibus, vt eorum fœminas mancipent seruituti; Verba tex. sunt: *Quòd si ab Episcopo commoniti non se correxerint, Principibus indulgemus licentiam, vt eorum fœminas mancipent seruituti*; Vbi Glos. Ver. Eos qui, obijcit, si Principes iurisdictionem in istas fœminas habebant cum laicæ essent, cur dicit Summus Pontifex se illis indulgere hanc potestatem, cum valerent auctoritate propria eas punire. Et respondet Glo. quod si talis fœmina esset legitima vxor, tunc certum esset, ipsam debere sortiri forum ex persona viri, sicque ad forum ecclesiasticum pertineret. Vnde Princeps sine auctoritate Episcopi non potuisset in eam animaduertere, si verò nō esset legitima vxor, sed concubina, tunc, inquit Glos. etiam pertineret ad forum Ecclesiasticum, cum esset de familia Sacerdotis, & id probat & confirmat Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 132. Vers. Item dicunt quod ideo additur De Constit. Nam familia Clericorum prohibita retineri debet in foro Ecclesiæ. Idem asserit Abb. in cap. Si Concubinæ de sent. excomm. Neque ob eam causam dicitur concubina Clerici de foro Ecclesiastico, quia Ecclesia velit illam protegere; sed quia committit delictum Ecclesiasticum, ideo eam Ecclesia punit. Vel etiam assignari potest alia ratio, quę traditur ab Archid. & Domi. in dicto cap. Eos 32. dist. cur concubina Clerici ab Episcopo puniri debeat, & est, quòd cum Clericus in sacris voto castitatis sit adscriptus, fœmina, quæ cum illo fornicatur, committit sacrilegium & incestum; At sacrilegium Mulierum ab Ecclesiastico Iudice punitur, cap. Virginitas 27. q. 1. capit. Cum sit de fo compet. & cap. quisquis 17. q. 4.

Nona dubitatio; An statuta laicorum disponentia de Clericis coniugatis repugnent immunitati Ecclesiasticæ, & vtrum laici compellentes tales Clericos ad obseruationem huiusmodi statutorum, faciant contra libertatem Ecclesiasticam.

Respondeo ad dubitationem ex sententia Lapi alleg. 118. Clericum coniugatum, si contraxit cum vnica & virgine, & incedat in habitu & tonsura, non obstringi illis statuti laicorum, ex quorum obseruatione amitteret priuilegium fori, aut Canonis, quæ duo priuilegia Clericis quoque coniugatis conueniunt ex ca. vni. De Cleri. coniug. lib. 6. Vnde si statutum disponeret, vt debitor non soluens infra mensem creditori id, quod debet, detruderetur in carcerem, si Iudex laicus in hoc casu detineret Clericum coniugatum inuitum, incideret in excommunicationem Canonis: Si quis suadente. Si autem statutum disponeret de alijs rebus, quæ repugnarent libertati Ecclesiasticæ quoad alia priuilegia Clericis congruentia, tale statutum obligaret Clericos coniugatos, quamuis ab illis essent liberi & soluti alij Clerici non coniugati, & Iudices seculares compellentes Clericos coniugatos, vt illa statuta obseruarent, non læderent immunitatem Ecclesiasticam, neque aliqua excommunicationis censura obstringerentur, quoniam non gaudent vniuersaliter omnibus priuilegijs Clericorum, sed illis duobus tantum Canonis, & Fori.

Decima dubitatio de quodam statuto, de quo disputat Petr. Anchar. plenè tribus consilijs, scilicet 11. 12. & 13. Verum Statutum Vniuersitatis, quo præcipitur, vt singuli deferentes frumentum extra portam ad Molendinam, soluant decem, exceptis ijs, qui asportāt extra certam quandam portam, qui tenentur quindecim persoluere, quia extra illam portam extant molendina Episcopatus.

Respondet Petr. Anchar. ad hanc difficultatem in casu similis statuti editi ab Vniuersitate Ciuitatis Spolatri, quod non leue damnum afferebat Archiepiscopo Ciuitatis eiusdem, qui molendina possidebat extra illam portam, & inquit in cons. 12. & 13. tale statutum non valere quoad Molendinum Archiepiscopi Spalatrensis, quia indirectè repugnabat libertati Ecclesiasticæ: retrahebantur enim homines, ne molendinum Archiepiscopatus frequentarent cum detrimento Archiepiscopatus contra tex. in cap. fin. De Immun. Eccl. lib. 6. quamuis verba statuti id expresse non sonent, quoties enim aliqua constitutio prohibet liberam administrationem ipsis Clericis bonorum Ecclesiasticorum, quæ ad ipsos pertinent, & de quibus Princeps secularis, neque etiam Imperator potest disponere, cap. Bene quidem 96. dist. cap. Cum laicis, De reb. eccles. non alienan. cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ De Constit. cap. Decernimus De Iudi. talis constitutio dicitur repugnare immunitati Ecclesiasticæ, & quamuis rem Ecclesiæ particularis, seu priuilegio concessa per Principem vel Regem tali Ecclesiæ auferre non sit facere contra libertatem Ecclesiasticam, vt notat Innoc. in cap. Nouerit De sent. excom. tamen statuere super illis tollendis, vel non liberè vtendis, repugnat Ecclesiasticæ immunitati, vt probat ipse Anchar. Et licet tale statutum neque Ecclesiam neque bona ipsius nominet expresse, & ex consequenti non videatur directè esse contra libertatem Ecclesiasticam, satis est, si indirectè & accessoriè super bonis ecclesiasticis disponat, arg. cap. Statutum Ciuitatis 1. De Hæret. lib. 6. ibi; *Directè vel indirectè statutum Ciuitatis impediens officium Inquisitionis &c.* declaratur nullum & inualidum vbi Glos. in Ver. Indirectè.

Oppositum tamen in eodem casu de eodem statuto Ciuitatis Spalatri consuluit Ioan. Calder. cons. 21. quod incipit, Episcopus habens extra Ciuitatem, in ti. De Constit. & Bald. in eod. casu, & consilium eius, vt inquit Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 135. Vers. Sed adde quòd contrarium De Constit. habetur inter Consilia Anchar. & est 11. quod incipit: Factum super quo petitur consilium, Felin. autem magis probat sententiam Ancharani, quod statutum non valeat, & repugnet libertati Ecclesiasticæ.

Vndecima dubitatio; Vtrum Statutum laicorum concedens Conductoribus possessionum seu prædiorum, vt liberè, quando eis expedire bene visum fuerit, eas dimittere possint, & relinquere suis locatoribus, extendatur ad Conductores prædiorum Ecclesiasticorum.

Bart. cons. 187. incipit; Domini Priores Artium &c. quem citat & sequitur Felin. num. 137. tenet tale statutum non prodesse Conductoribus bonorum Ecclesiasticorum, neque quoad eos vim vllam habere. Et probat primo ex eodem tex. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ de Constit. ibi enim ita definitum est; *Nos at-*

tem.

tendentes, quod Laicis etiam Religiosis, super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas, &c. A quibus si quid motu proprio statutum fuerit &c. nullius firmitatis existit.

Idem habetur in cap. Quæ in ecclesiarum eod. tit. Et licet dicta iura loquantur, quando statutum disponit expresse de rebus Ecclesiæ, tamen eadem ratio est, si generaliter loquatur, vt pluribus rationibus probat ibi Bart.

Duodecima dubitatio, an statutum Laicorum, quo statuitur, omne debitum intelligi præscriptum spatio quinque annorum, extendatur ad Ecclesias, & Clericos, ita vt hoc tempore transacto non possit actio competere Ecclesiæ ad probandum suum creditum, & illud repetendum, an potius dicendum sit huiusmodi statutum non valere quoad Ecclesias & personas Ecclesiasticas.

Petrus Anchar. consl. 208. incipit, Supradictum statutum, tenet huiusmodi statutum non obligare Clericos, neque Ecclesias, quare quoad illos repugnare libertati Ecclesiasticæ. Idq; pluribus rationibus probat; Primo quoniam statuta obstringunt tantum subditos ipsius statuentis, c. Vt animarum §. 1. de Constit. lib. 6. cap. Multi, 2. q. 1. cap. A nobis de sent. excom. cap. Gaudemus de diuort. Clerici autem, & Ecclesiæ non subiiciuntur Laicis l. Placet, C. de Epis. & Cler. Secundo potestas statuendi oritur à iurisdictione l. 1. ff. de iurisd. omn. iud. & statutum ad ea non extenditur, quæ non subduntur auctoritate statuentis l. extra Territorium ff. de iurisd. omn. iud. & Clem. Pastoralis de re iudi. Sed Clerici non pertinēt ad iurisdictionem Principis secularis, igitur neque eius statutis arctari possunt. Quòd si expresse statuta Laicorum non comprehendunt Clericos, multo minus tacitè, & indirectè. cap. fin. de Immun. Eccl. lib. 6. Sententiam Anchar. approbat Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, num 138. de Constit. & addit Anchar. quòd si Ecclesia succederet Laico, qui negligens fuisset in repetendo suo credito tempore quinque annorum, adhuc talis negligentia non noceret Ecclesiæ, nec vigore dicti statuti repelli posset ab agēdo, quia tempus ad agendum incipit currere contra Ecclesiam post obitum eius, cui succedit.

Decima tertia dubitatio, vtrum valeant Laicorū statuta, vt Clerici vna cum Laicis aliquid contribuant ad reficiendum fontem, puteum, pontem, viā, portas, vel muros Vrbis communis, vel talia statuta dicenda sint contra libertatem Ecclesiasticam.

Honorius, & Theodosius in l. Ad instructiones, & Theodos. & Valentinian. in l. Iubemus. C. de Sacrosanct. Eccles. constituerunt ad instructiones viarum, & pontium Ecclesias contribuere debere, & Sylue. hac in re duas refert opiniones, Ver. Immunitas 1. §. 20. Altera est affirmantium, Ecclesiam, & Clericos ad hæc contribuere debere, Innoc. Host. Card. Anchar. & Glos. in c. Non minus Ver. Releuandas de immun. Eccles. Altera est eorum, qui negant Ecclesias, & Clericos obligari ad huiusmodi contributiones, & hanc sententiam Sylu. dicit esse communem Canonistarum in cap. fin. de vit. & honest. Cleri. in Clem. Præsenti de Censi. quam dicit esse Io. Ligna. & Bart. in l. Rescripto. ff. de munc. & honor. in l. Placet, C. de Epis. & Cleri. Abb. in eod. cap. Non minus nu. 18. de Immun. Eccles. qui late disputat hanc quæstionem ad vtramque partem, & refert alios in eandem opinionem. Quare hi Auctores asserunt Clericos, &

A Ecclesias ad huiusmodi contributiones compelli nō posse, nisi consulto Summo Pontifice, & ab eo impetrata licentia, vel si tanta immineret subita necessitas, vt ad Romanum Pontificem commode aditus non pateret, accepta facultate & consensu Episcopi, quæ eo casu sufficeret, & hæc est vera sententia.

Quare l. Ad instructiones, vbi declaratur Ecclesiam teneri ad collationem & contributionem pontium, & viarum, & aliæ leges similes non valēt. Nam licet c. 1. Cum similibus de nou. oper. nunc. dicatur standum esse legibus, vbi sacri Canones contrarium non definiunt; hoc tamen non habet locum, vbi lex Ciuilis Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis damnum aut incommodum affert; tunc enim non valet, nisi
B fuerit in specie ab Ecclesia approbata, & confirmata, & est communis opinio in c. fin. de solut. vbi Abb. num. 29. & alij cap. fin. de reb. Eccles. non alienan. cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ de Constit. c. Si in adiutorium dist. 10. Hanc opinionem duabus rationibus & auctoritatibus subtiliter & doctè confirmat Abb. dicto cap. Non minus num. 18. & seq. de Immun. Eccles. Respondens distinctè ad omnia, quę contra obiiciuntur. Harum duarum opinionum prima est iuri ciuili consentanea, secunda tamen magis eum Iure Canonico congruit, & in hac parte ius Canonicum, non ciuile locum, & vim habet, iuxta hanc veram sententiam.

Respondetur, statutum & leges Laicorum Cleri-
C cos, & Ecclesias non tenere, etiam quando communis est omnium vtilitas, nisi vel consulto Romano Pontifice, vel saltem Episcopo loci.

Idem iuris est de his, quæ toti Populo soluenda imponuntur ad communem custodiam Vrbis, murorum, agrorum, ac similium tempore pestis, belli, latronum, vel hostium irruentium.

Concludendum itaque est cum Abb. in dicto cap. Non minus num. 10. Vers. Restat nunc respondere de Immu. Eccles. quem sequitur sylu. V. Immunitas 1. §. 20. Vers. Distinguo tamen sic, quod, si vtilitas, aut necessitas, vel pietas imminens respicit vtilitatem Ecclesiarum remotè & per quandam consequētiam, & hoc casu Ecclesiæ non tenentur contribue-
D re: sic enim videtur manifeste definitum in cap. Non minus de Immun. Eccles. ibi, *Quo circa sub anathematis districtione fieri de cætero talia prohibemus, nisi Episcopus et Clerus tantam necessitatem & vtilitatem aspexerint, vt absque vlla exactione ad releuandas communes vtilitates, vel necessitates, vbi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.* Quare statutum oppositum disponens est nullum contra libertatem Ecclesiasticam, nisi Clerus sponte consentiat approbante Episcopo, & antea consulto Romano Pontifice, cap. Aduersus de Immun. Eccles. vbi expressè Innoc. Tertius in Concilio Lateranensi definiuit Clericos non debere necessitatibus, seu vtilitatibus Ciuitatum, etiam vbi
E Laicorum non suppetunt facultates, subuenire, nisi prius Romanus Pontifex consulatur. Quòd si necessitas, aut vtilitas, vel pietas concernat directè, & principaliter vtilitatem Ecclesiarum simul, & Laicorum, puta si latrones, & viarum prædones possessiones incenderent, prædia deuastarent, quorum plurima ad Ecclesiam spectarent, tunc Ecclesia teneretur contribuere, non propter statutum, & deliberationem Laicorum, sed quia ratio, & æquitas ita dictaret faciendum. Quare in hoc casu deberet vni-

versus

uersus Clerus simul conuenire, & consulere super hac contributione. Nam cum ipsę possessiones, & prædia non sint obligata ad hanc contributionem, & imponenda sit collecta personis intuitu rerum, oportet, vt nō solum Populus, sed etiam Clerus principaliter cōueniat & deliberet, nec obligatio totius populi sufficit ad obligandum Clerum, neque è contra; Cum enim agitur de vtilitate vtrorumque, necesse est vtrorumque consensum interuenire: Quod enim omnes tangit, ab omnibus debet approbari, Clem. 1. & 2. de censi. c. Ad hoc de off. Archid. Addit tamen Abb quòd si Clerus recusaret sine iusta, & legitima causa consentire, liceret Laicis implorare officium Superioris Ecclesiastici, ab eo auxilium postulantes ad compescendum Clerum, arg. c. Nullus de iu. patron. Atque in hoc casu inquit Abb. non haberet locum dispositio, cap. Aduersus de immun. eccles. Vt prius consulendus sit Romanus Pontifex, quia contributio in tali casu non fit solum propter vtilitatem publicam, sed ob priuatā vtilitatem bonorum Ecclesię, & dictum cap. Aduersus tractat in casu, vbi agitur de vtilitate publica. Ad hoc facit Clem. 1. & 2. de Censi.

Decimaquarta dubitatio; De modo & via tollendi Statuta Laicorum, quæ libertati & immunitati Ecclesiasticę repugnare videntur, idest quid Ordinarius & Episcopus agere debeat, si viderit promulgatum esse huiusmodi statutum à Principe seculari.

Felin. in cit. cap. Ecclesia Sanctę Marię num. 145. de Constit. tria remedia excogitauit occurrendi huic incommodo & prospiciendi immunitati Ecclesiarum. Primum est, vbi statutum generaliter loquitur & probabiliter dubitari potest; An Ecclesiis vel Clericis præiudicium inferat, Episcopum posse, & debere compellere Superiores Laicos, ad quos pertinet, vt declarent expressè, tale statutum non comprehendere Clericos, & Ecclesias; Ita tradit Ioannes Andr. in cap. fin. de Immun. eccles. lib. 6. & sequitur ibi Domi. Ant. & Imo. in cap. 1. de consuet. & Petrus Anchar. & alij, quos refert Felin. Secundum remedium est, vt si manifestè, & euidenter constet statutum repugnare libertati Ecclesiasticæ, Episcopus præcipiat & mandet, vt illud tollatur, & non obseruetur, vel ipse auctoritate sua tollat, & declaret esse nullum & inane, etiam nemine citato, vt tradit Archid. in cap. Quæ Lotharius, prope finem 2. q. 1. & est casus, in quo omittitur citatio, quia certum est: Non citato vllam defensionem minimè competere posse, & probat Abb. in cap. Vestra num. 18. de coha-
A bit. Cleri. & Mulier. in cap. Romana prope finem, de appell. Citatio enim requiritur, vt ille, cuius agitur causa, possit in Iudicio comparere ad se defendendum. Tertium remedium est, vt Episcopus compellat ipsos statutarios, & eos, ad quos pertinet, qui ipso iure sunt excommunicati ob promulgationem talis statuti, vt illud cassent, & abradant ex libro Capitularium non ductu lineæ, vel apponendo apostillam, seu declarationem in margine, quæ indicet, & ostendat statutum non obligare, ac si in libro non haberetur descriptum, sed omnino, & totaliter abradendo & penitus cassando, vt nullo modo legi possit, & in posterum nullum eius vestigium appareat, B Bart. in Auth. Cassa, & irrita circa finem. C. de Sacr. sanct. eccles. Abb. in cap. Nouerit in princ. de sent. excomm. Quare non intelligeretur deletum tale statutum, si in fine statutorum adderetur, statutum generale quo statuentes declararent non fuisse eorum mentem aliquid decernere contra libertatem Ecclesiasticam. Ideo si quid contineretur, quod illam diminuere videretur, præsumeretur inane, & nullius roboris, ac si descriptum in libro non extaret. Hæc enim clausula non sufficeret ad euitandam excommunicationem, & alias vtriusque Iuris pœnas, quoniam, tam Iure ciuili, quàm canonico requiritur actualis cancellatio; Idque videtur peculiare in hoc C casu delendi huiusmodi statuta in odium criminis, & ne relinquatur posteris aliqua occasio, si remaneant in libro, & legi possint, vt iterum renouentur & promulgentur argum. l. Quoniam C. de Episc. & Cleri. in Ver. *Aboleatur Euthicetis damnosa memoria.* Nam in alijs casibus, vbi requiritur cancellatio, nihil refert, an id, quod deletum est, legi possit. Et sic intelligitur dictum Bart. l. Hoc. 1. ff. de alimen. lega.

Non est prætermittēdum, quod ea, quæ dicta sunt de Clericis tam in hac dubitatione, quàm in alijs prioribus, intelligenda sunt non solum de Clericis in Sacris & maioribus cōstitutis; sed etiam minoribus ordinibus initiatis iuxta sententiam Bald. in c. Cum D venissent. de eo, qui mitti: in possess. Nam Clericus etiam in minoribus non pertinet ad forum seculare, cap. 2. de foro compet. & ibi Docto. Ergo neq; subiicitur Statutis fori eiusdem. Paria enim hæc sunt secundum Innoc. in Rubr. de consuet. & Specul. in tit. de Constit. §. 1. Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Marię num. 147. De pluribus alijs statutis in specie tractare potuissem, an libertati Ecclesiasticę repugnarent; sed exempla, quæ proposita fuerunt, sufficiant, vt ex illis, de similibus non difficile sit iudicare.



EXCOM.

EXCOMMVNICATIO DECIMASESTA.

NEC NON QVI ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQVE SVPERIORES, ET INFERIORES, ET OMNES ALIOS QVOSCVNQVE IVDICES &c.

DISPVTATIO XVII.

DE EXCOMMVNICATIONE CONTRA Impedientes Prælatos, ne sua iurisdictione vtantur aliosque, qui illorum, & Delegatorum iudicia eludentes ad Curias seculares recurrunt, præstantesq. auxilium, consilium, & fauorem.



MATERIA huius Canonis est sacrilegium, quod committitur simpliciter contra libertatem & immunitatem Ecclesiasticam, ideo est pars Canonis 14. sicut dixi de decimo quinto canone, & dicas partes comprehendit iuxta duas rationes & modos sub pœna excommunicationis prohibentes, quibus talis libertas impugnari & lædi potest. Primus modus est, si impediantur Prælati Ecclesiastici, ne vtantur sua ordinaria potestate & iurisdictione contra quoscunque. Secundus modus est si recurratur ad Curias seculares ad impetrandum prohibitiones & mandata contra Iudices Ecclesiasticos ordinarios vel Delegatos post sententias per dictos Iudices latas, vel etiam in decursu causarum. Tres sunt actiones, quæ principaliter interdicuntur. Prima Quomodolibet impedire Prælatos, vel Iudices Ordinarios Ecclesiasticos, quominus vtantur iurisdictione Ecclesiastica, prout Canones & decreta Conciliorũ, præsertim Tridentini, statuunt. Secunda actio recurrere ad Cancellarias & alias Curias seculares post sententias, & decreta Ordinariorum, vel ab eis Delegatorum; Aut aliàs fori Ecclesiastici iudicium eludere, & procurare à dictis Curijs secularibus, vt decernantur & exequatur prohibitiones, & mandata pœnalia contra prædictos Ordinarios vel Delegatos. Tertia actio decernere & exequi dicta mandata vel prohibitiones. Actiones accessoriæ sunt quatuor. Prima Dare auxilium. Secunda Consilium. Tertia Patrocinium. Quarta Fauorem in eisdem.

Hic Canon non reperitur explicatus apud Doctores antiquos, quoniam hæc excommunicatio primùm à Pio Quinto inter alias excommunicationes Bullæ Cœnæ repositus fuit, vel saltem locupletatus, & fertur in fauorem non solum Iudicum Ordinariorum, sed

A etiam Delegatorum Ecclesiasticorum, vimque & fundamentum habet in Concilio Trident. sess. 25. De Reform. cap. 3. in fine. vbi ita statuitur; *Nefas autem sit seculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico Iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet.* Et in ead. sess. cap. 20. grauissimis verbis Concilium hortatur & monet Imperatorem, Reges, ac Principes, vt maiores suos imitati Ecclesiasticos Prælatos obseruent, neque permittant, vt officiales aut Inferiores Magistratus, Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitatem cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua violent: sic enim statuit inter alia multa. *Propterea-*

B *que admonet Imperatorem, Reges, Principes &c. vt quò largius bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt ornati, eò sanctiùs, quæ ecclesiastici Iuris sunt, tanquam Dei præcipua, eiusque patrocinio tecta venerentur, nec ab vllis Baronibus, Domicellis &c. lædi patiantur.*

Quoad personas Canon est vniuersalis comprehendens omnes sine vlla limitatione, qui dictas actiones damnatas commiserint.

Notandum est hunc Canonem differre à decimo tertio, & decimo quarto, quamuis in aliquibus cum illis conuenire videatur. Et in primis distinguitur à Canone decimo tertio, quoniam in illo excommu-

C nicantur appellantes à futura executione literarum Apostolicarum, sed in hoc excommunicantur appellantes ab ipsis Prælatis Iudicibus Ecclesiasticis Ordinarijs & Delegatis. Secundò ibi excommunicantur appellantes ad finem impediendi Executionem literarum. Hic ad finem retardandi executionem sententiarum. Tertiò ibi ad eludendas literas & scripturas, hic ad eludendum Iudicium Ecclesiasticum. Quartò ibi excommunicantur, qui appellant a Scripturis Apostolicorum Iudicum, hic a sententijs Ordinariorum, & Delegatorum etiam non Apostolicorum; Ecclesiasticorum tamen, differt e-

D tiam iste Canon a decimo quarto in multis, Primo in canone decimo quarto ipsi Iudices & Magistratus solum excommunicantur, qui ad se trahunt causas spirituales quasi motu proprio; sed in hoc, excommunicantur illi, qui ad Iudices, & Curias illorum appellant. Secundò ibi Iudices Laici, qui tanquam Iudices in causa spirituali se interponunt, & in ea progrediuntur, hic verò solum, qui decernunt per mandata, & prohibitiones, vt sententia executioni non tradatur. Ibi excommunicantur, qui partes actri-

ces compellunt ad reuocandum, vel ad faciendum absolui excommunicatos, hic excommunicantur, qui contra ipsos Prelatos & Iudices Ecclesiasticos prohibitiones & mandata decernunt.

Caput Primum, De Actione prima principali probibita, quæ continetur ab initio clausulæ vsque ad illa verba, Et præsertim Tridentini statuunt.

Caput secundum, De alia actione principali in secunda parte Canonis damnata ab illis verbis, Ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum &c. *vsque ad finem.*

CAPVT II.

De actione prima principali probibita, quæ continetur ab initio clausulæ vsque ad illa verba, Et præsertim Tridentini statuunt.

EXcommunicantur illi, qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Superiores, & Inferiores Prælatos, & quoscunq; alios Iudices Ecclesiasticos impediunt quo minus sua iurisdictione Ecclesiastica cōtra quoscunque citantur, secundum quód Canones & sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini statuunt.

Nec non qui, Hæc excommunicatio comprehendit omnes impedientes modo prædicto sine vlla limitatione & exceptione personarum. Quare in hanc excommunicationem incidunt tam personæ seculares, quàm ecclesiasticæ, quæ auctoritate laicali faciunt ea, quæ hic prohibentur, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 70. in princ. cuiuscunque dignitatis fuerint, scilicet Imperator, Rex, Dux, vel alius Princeps secularis, aut Patriarcha, Primas, vel Archiepiscopus. Idque manifestè probatur ex relatiuo illo, nec non *Qui*, habet enim vim referendi omnia præcedentia tex. in l. Hæres meus §. vxori meæ ff. de leg. 3. Bart. in l. Plautius ff. de aur. & argen. lega. notat Rebuff. super Concorda. in rub. de Collatio. §. 1. Vers. Qui, pag. 265. vbi tenet illud relatiuum *Qui* ad omnes personas præcedentes referri etiam si esset numeri singularis, ita nos dicimus in hoc Canone hoc relatiuum omnes illas personas referre, quæ excommunicantur in Can. 14. cuius pars est Canon hic 16. vt monui. Quare cum ibi excommunicationi subijciantur omnes personæ cuiuscunque conditionis, status, & dignitatis fuerint sine vllo discrimine, vt dixi in cap. 1. Disp. 15. ita quoque dicendum est hic vniuersaliter & indistinctè excommunicationis vinculo innodari omnes & singulos impedientes, ne Iudices & Prælati Ecclesiastici suam iurisdictionem in subditos exerceant.

Sed dubitari potest, an hæc constitutio lata sit tantum contra illos generaliter, cuiusque conditionis & præeminentiæ fuerint, siue laici, siue Clerici, qui iurisdictionem habent & auctoritate publica, qua funguntur, impediunt iurisdictionem Ecclesiasticam, vel potius non tantum publicas personas, sed etiam priuatas complectatur. Nam hic Canon connexionem habet cum præcedenti, quod indicat apertè dictio illa *Nec non qui*, sed in superiori tractatur solum de illis, qui ex prætenso officio personas Ecclesiasticas ad sua tribunalia trahunt, ergo eodem modo hic Canon intelligendus, videtur de publicis personis. Deinde in capitulo Quoniam de Immun. Eccles. libro sexto, Vbi similis excommunicatio habetur, sermo est solum de Iudicibus & personis publicis, sic enim legitur in principio. *Quoniam vt intelleximus, quorundam Iustitiariorum, Balliuorum Iudicumue secularium, ac temporalium Dominorum &c.*

Respondeo hac excommunicatione affici vniuersaliter omnes, tam Superiores & Iudices habentes iurisdictionem, quam priuatos omni carentes auctoritate laicos vel Clericos, qui iurisdictionem Ecclesiasticam impediunt. Probatur primo quoniam Summus Pōtifex nullam addit limitationem & exceptionem, sed simpliciter loquitur, *Nec non qui quomodolibet impediunt* ergo vniuersaliter intelligi debet, citata l. de precio ff de Publici, & l. 1. §. Quod autem, & ibi Glosa ff de Alea. Secundo quia relatiuum *Qui* initio positum refertur ad Can. 14. vt dicebam, vbi excommunicationi subijciuntur non tantum publicæ personæ habentes auctoritatem, sed priuatæ, vt ostendi in cap. 1. Disput. 15. Quare eodem modo hic est dicendum. Tertio in capitulo Quoniam de Immun. Eccles. libro sexto, ex communi sententia Doctorum pœna excommunicationis extenditur ad omnes impedientes iurisdictionem Ecclesiasticam sine vlla exceptione: licet enim initio capitis mentio fiat de habentibus iurisdictionem temporalem, quod pertinet ad partem narratiuam, postea vero in dispositiua generaliter statuitur cōtra omnes impedientes; quia decisio legis est attendenda, & ita sentiunt ibi Gemin. n. 8. Anchar. numero secundo, Vers. Quarit; Io. Andr. Franch. nu. 4.

Archiepiscopos, Episcopos, aliosque superiores & inferiores Prælatos, Superiores, Archiepiscopis, & Episcopis sunt Primates, Patriarchæ, de quibus tractaui in Disp. 12. capitulo secundo, similiter Cardinales, qui in suis titulis & in Ecclesijs subiectis titulis iurisdictionem episcopalem exercent, & habent potestatem corrigendi, fulminandi censuras aliaque faciendi, quę sunt iurisdictionis Episcopalis, vt habetur in capitulo His quæ, & ibi Abb. numero primo, de maio. & obed. Io. Monac. in cap. vnico eod. tit. libro 6. Rom. consil. 498. Legati è latere, de quibus dixi in eod. capitulo 2. Disput. 12. sub ijsdem comprehenduntur Nuncij Apostolici, Prælati vero inferiores Episcopis sunt omnes illi, qui iurisdictione vtuntur fori exterioris post Episcopos, Lap. Alleg. 5. Abb. in capitulo Cum ab Ecclesiarum numero 1. de off. ordin. tex. in capitulo Decernimus cum Glos. de Iudi. & Abb. numero decimosexto. Quare, vt quis sit Prælatus Ecclesiasticus, & habeat iurisdictionem ordinariam in Clericos, vel Religiosos subditos, requiritur, vt notat Abb. in dicto cap. Cum ab Ecclesiarum. nu. 5. de off. ordin. Primo, vt sit electus à Collegio, vel Vniuersitate, & obtinuerit confirmationem à Superiore, vel præferatur ipsi Collegio à Superiore habente potestatem. Secundo requiritur, vt Collegium vel Vniuersitas, à qua eligitur, sit Clericorum, vel Religiosorum: alias enim non posset conferre iurisdictionem in personas Ecclesiasticas. Tertio necesse est, vt qui eligitur, sit Clericus: secus enim non esset capax iurisdictionis spiritualis in cap. Cum causam de præscript. capit. Ecclesia Sanctæ Mariæ de Constit. & hi proprie dicuntur Prelati in Iure, vt Abb. tradit in dicto cap. Decernimus n. 16. de Iudi. Minus enim propriè eodem Abb. teste vocantur Prælati, qui in Ecclesia sine iurisdictione prærogatiuā & honorificum gradum habent, vt Plebani, Archipresbyteri & similes c. 1. de Aeta & Qualit. ordinan. cap. Romana §. Nec etiam de so compet. lib. 6. Similiter latè & amplè appellantur Prælati Rectores in Ecclesijs curam animarum habentes, vt colligitur ex capitulo Tua de Cleri. Aegrot. Sed non propriè dicuntur

Præ-

Prælati, nam in Clem. Dudum §. In Ecclesiis de sepul. Rector & Plebanns separatim ponuntur. Omnes igitur Prælati Ecclesiastici tam superiores, quàm Inferiores gaudent priuilegio huius Canonis, siue sint seculares vt Cardinales, Legati, Patriarchæ, Primates, Metrapolitani, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates iurisdictionem fori contentiosi habentes, siue sint Regulares, vt Generales Ordinum, Prouinciales, Abbates, seu Priores, aut Custodes, vel Rectores, seu alio nomine nuncupati, qui etiam in Iure proprie Prælati dicuntur.

Sed postulabit aliquis, an Episcopi, Archiepiscopi, vel Superiores electi, & confirmati, nondum autem consecrati gaudeant priuilegio huius Canonis, vt si quis ipsos impediat, huius censuræ vinculo obstrictus remaneat. Difficultas oriri potest, quoniam Episcopus ante consecrationem proprie & simpliciter non vocatur Episcopns, sed dicitur electus, vt patet ex c. Tua de his quæ fiunt à Prælat. & ego probaui latius in capitulo tertio. Disput. 12. in solutione secundę dubitationis. At in Can. Summus Pontifex expresśe nominat Archiepiscopos, Episcopos &c. ergo intelligit de consecratis, qui verè & propriè tales appellantur, quia verba legis, præsertim pœnalis, nou sunt extendenda, sed in stricta & propria significatione sunt accipienda, l. Non aliter ff. de leg. 3. cum similibus.

Respondeo in hoc Canone nomine Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Prælatorum intelligi debere omnes tales post electionem & confirmationem, etiam ante consecrationem. Quare impediens Episcopum, ne vtatur iurisdictione sua ordinaria, quā habet post electionem & confirmationem, huius censuræ vinculo obstrictus remanet. Idque ex eo manifestè probatur, quoniam Papa in hoc Canone excommunicat eos, qui dictos Prælatos impediunt, *Quo minus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque vtantur*, sed Episcopi, & alij nominati post electionem & confirmitationem Summi Pontificis, vel postquam simpliciter auctoritate eiusdem Romani Pontificis Ecclesijs sunt præfecti, illisque earum cura & administratio est collata antequam sint consecrati, habent ea omnia, quæ sunt iurisdictionis, & Iure communi omnes actns iurisdictionis exercere valent, possunt enim excommunicare, suspendere, interdicere, visitare, corrigere, punire, Synodum conuocare, beneficia conferre, Ecclesias minores coniungere, & annectere, diuidere, voti, & Iurisiurandi vincula soluere, constitutiones ponere, causas audire & cognoscere, quorundam peccatorum absolutiones sibi reseruare, vt patet ex cap. Transmissam, cap. Nosti, cap. Qualiter, cap. Nihil est de elect. & cap. Inter corporalia de transla. Ergo si impediantur Episcopi electi, ne vtantur hac iurisdictione, locus est excommunicationi, quamuis adhuc ordinem Episcopalem non sint consequuti. Immo etiam si in ordine sacerdotali non sint constituti, nam nihil impedit, quominus in eo, qui Presbyter non est, sit Episcopalis iurisdictionis potestas. Quamobrem quamuis simpliciter nō appelletur quis Episcopus ante consecrationem, sed dicatur electus, plenissime tamen habet potestatem iurisdictionis, Cumq; hic Canon editus sit, ne inferatur impedimentum huic iurisdictioni, consequens est incurri excommunicationem, quoties impeditur Episcopus electus, & confirmatus, etiam non consecratus, ne libere iurisdictione sua ordinaria vtatur in subditos.

Sed quid dicendum erit de illo, qui impedimentum affert Episcopo electo & confirmato, antequam sit possessionem adeptus, vtrum incidat in hanc excommunicationem.

Solutio huius difficultatis pendet ex alia quæstione, nimirum vtrum Episcopus confirmatus possit iure communi obire & exequi ea, quæ sunt iurisdictionis, antequam possessionem acceperit; In qua quæstione duæ sunt opiniones Doctorū, quas refert Abb. in c. Transmissam nu. 3. de elect. Adria. & Innoc. Host. & Io. Andr. qui affirmant Episcopum statim post cōfirmationem posse exercere actus iurisdictionis, quāuis non sit adeptus possessionem. Ratio eorum est, quoniam in cap Nosti, cap. Qualiter, c. Nihil est, & c. Transmissam de elect. Iura post confirmationem nihil aliud requirūt in Episcopo ad plenam administrandi potestatem; ergo non est necesse, vt Episcopus possessionem nactus sit, nisi alicubi fuerit consuetudine receptum, vt Episcopus non administret, quæ sunt iurisdictionis donec fuerit possessionem assecutus. Altera sententia est Archid. Dini Petri, Anchar. quos idem Abb. refert, negantium posse Episcopum exequi, quæ sunt iurisdictionis, nisi post possessionem acceptam. Prior opinio est probabilior, quidquid dicat Abbas, nam iure communi antiquo non requirebatur possessio, satis erat electio & confirmatio, vt Innoc. Host. & Io. Andr. tradiderunt, nisi vbi vsu receptum erat, sed iure nouo, quod habetur in extrauag. Iniunctæ de elect. inter extrau communes, opus est, vt Episcopus, si velit ea, quæ sunt iurisdictionis, exercere, obtineat literas Apostolicas, sine quibus nec admitti & recipi tanquam Episcopus, nec possessionem Ecclesiæ sibi collatæ consequi potest. Ex his respondendum est ad difficultatem, & iuxta dispositionem iuris antiqui locus esset huic excommunicationi, si impediretur Episcopus in vsu suæ iurisdictionis etiam ante adeptam possessionem, secus vero ex forma dictæ extrauag. Nam in ea constitutione prohibetur, ne vllus, qui apud Apostolicam Sedem promouetur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipit, ad commissam ei Ecclesiam absque Apostolicæ Sedis literis, dictam promotionem, consecrationem, seu benedictionem continentibus accedere præsumat, nullique eum absque dictarum literarum ostensione recipiant, aut ei pareant, vel intendant. Simulque constituitur pęna in Episcopos non seruantes hoc decretum, vt sit irritum & inane, quidquid fecerint, & in alios, qui ipsos receperint, eisque paruerint. Quare si recipientes aut obedientes Episcopo, antequam habeat literas Apostolicas, incurrunt pœnas dictæ extrauagantis, vt notat etiam Abb in cap. Qualiter de elect. ergo qui impediunt, ne Episcopus ante adeptam possessionem Episcopatus, vtatur sua iurisdictione tanquam Præsul, non incidunt in hanc excommunicationem, cum ex constitutione dictæ extrauag. teneantur in eo casu impedire.

Secundo quæret quis, an sit locus huic excommunicationi, quando Episcopus impeditur, ne exerceat functiones & actus ad potestatem Ordinis pertinentes, puta ne conferat Sacramentum confirmationis; Chrisma conficiat; Sacret oleum infirmorum; creet Clericos, Virgines: consecret Templa, Sacella, Altaria, & vestes; Clericos è gradu deijciat. Quæ omnia in cap. Quamuis distin. 68. referuntur, & docent Doctores in cap. Inter corporalia de translat. Ratio dubitandi esse potest, quoniam Canon loquitur de impedimento in vsu iurisdictionis nihil dicit de potestate Ordinis, verba sunt, *Quo minus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque vtantur*.

Reſpondeo occaſionem, & cauſam, propter quam Summus Pontifex voluerit excommunicationem huius Canonis proferre, præcipuam fuiſſe; Vt defenderet Epiſcopos, & Prælatos, vt ſine vlla moleſtia, & perturbatione vti poſſent iuriſdictione ſua ordinaria fori contentioſi liberè, & abſque impedimento contra quoſcunque, nec compellerentur contra eorum mentem à debito officij munere deſiſtere, vt ſatis manifeſtè verba Canonis indicant, nihilominus puto excommunicationem generaliter latam eſſe contra impedientes, ne Prælati exerceant ea, quæ iure cõmuni ad officium ipſorum ordinarium ſpectant, ſiue pertineant ad poteſtatem ordinis, ſiue iuriſdictionis: Tum quia actus ordinis, quos enumeraui, pendent quoque ex poteſtate iuriſdictionis, quamuis primò, & principaliter tribuantur poteſtati ordinis: Tum etiam quoniam verba illa Canonis, *Quominus iuriſdictione ſua eccleſiaſtica contra quoſcunque vtantur*, Non ſunt interpretanda ſtrictè de poteſtate iuriſdictionis, vt eſt diſtincta à poteſtate ordinis, ſed nomine iuriſdictionis accipienda eſt poteſtas, auctoritas, officium Epiſcopale, quatenus comprehendit vtramque poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis.

Et omnes alios quoſcunque Iudices eccleſiaſticos ordinarios, vt Summus Pontifex comprehenderet omnes, qui iuriſdictionem eccleſiaſticam ordinariam exercent, addidit hanc clauſulam; Excommunicantur ergo qui impediunt omnes, & quoſcunque Iudices ordinarios eccleſiaſticos ſine vlla limitatione, quod manifeſtè colligitur ex illis dictionibus, *Omnes quoſcunque*, quæ omnes comprehendunt, & nullum excludunt. l. prima cum Gloſ. fin. & l. Quicunque. C. De ſer. fugi. cap. Solitæ, ante fin. Verſ. Quodcunque ligaueris de maio. & obed. Latè Curt. Iun. conſil. 1. numero 1. & ſequen. & hanc vim vniuerſalem includendi omnes, habent illæ dictiones, *Omnes quoſcunque*, quamuis iungantur cum illa dictione *Alios* tex. eſt in Clemen. 1. de re iudi. in princip. ibi, *Vel alia quauis* cauſa cum Gloſ. in Ver. Quauis, quæ interpretatur illa verba, vt complectantur omnes cauſas etiam ſpirituales, & criminales; Itaque ſiue ſint collegia, ſiue Capitula, quibus competat hæc iuriſdictio, ſiue Vicarius Epiſcopi, quem Ius Canonicum ſolet officialem nominare, & iuriſdictionem ordinariam habet, capit. Tua nobis de off. Vica. qui comprehendi etiam poteſt ſub nomine Prælati. Nam Prælati appellatione propriè loquendo includitur Vicarius Epiſcopi, vt inquit Nicol. de Milis in ſuo repertorio Ver. Prælatus Verſ. Prælati appellatione, ſiue alius quicunque Iudex eccleſiaſticus ordinarius, qui in vſu ſuæ iuriſdictionis impediatur, ſemper incurritur excommunicatio.

Ex his verbis colligitur primò hic excommunicari non tantùm, qui impediunt Iudices Sedis Apoſtolicæ, ſicut in Can. 13. & 14. Sed vniuerſaliter omnes Iudices eccleſiaſticos ordinarios, quoniam Summus Pontifex loquitur generaliter abſque vlla diſtinctione, ergo generaliter eſt accipiendum. l. de precio. ff. de publici. l. 1. §. quod autem. ff. de Alea. vbi Gloſ. notat. in Ver. Quod autem.

Sequitur ſecundò hanc excommunicationem non afficere eos, qui impediunt Prælatos eccleſiaſticos, ne vtantur iuriſdictione eccleſiaſtica delegata. Nam Bulla loquitur ſolùm de impedientibus Iudices ordinarios, ergo non extenditur ad Delegatos, quibus enim verba legis non conueniunt, neque diſpoſitio conuenire poteſt. l. dies cautioni. §. Toties, & ibi notat Bart. ff. de dam. infe. l. Ita autem in princip. & ibi Bart. ff. de adminiſtrat. tuto. cap. Indemnitatibus. §. penult. de elect. lib. ſexto, & quod Papa in Canone non dicit, nec nos dicere debemus. l. ſi ſeruum. §. Non dixit Pretor. ff. de acquiren. hæred. Dec. conſil. 298. Viſo Inſtrumento ante numero quarto ſi enim Summus Pontifex voluiſſet comprehendere Iudices Delegatos, id expreſſiſſet, nec contentus fuiſſet nominare ſolos ordinarios ad tollendam omnem difficultatem etiam ambiguitatem. arg. tex. l. 1. §. Sin autem ad deficientis. C. de caduci. tollen. cap. Ad audientiam de deci. capit. Inter corporalia de tranſlat. Epiſcopi poſt med. ibi, *Vnde ſi circa tranſlationem idem fieri voluiſſet, quod de conceſſione dixerat, & de tranſlatione poterat expreſſiſſe &c.* præſertim cum ageretur de grauiſſima pœna excommunicationis. Accedit etiam probabilis ratio, propter quam Summus Pontifex potius excommunicationis gladio eos ferire voluerit, qui ordinarios Iudices impediunt, quàm qui Delegatos, quoniam iuriſdictio ordinaria eſt fauorabilior, vt inquit Roſ. in Clement. ſecunda Ver. Nolumus in fi. de off. ordi. Quare hæc prior excommunicatio differt ab ea, quæ fertur in ſecunda parte huius Canonis. Hæc enim immediatè reſpicit fauorem perſonarum, ideſt Prælatorum, & eccleſiaſticorum Iudicum ordinariorum, & generaliter omnes, qui eos impediunt cauſa iuriſdictionis ſuæ, nam in ordinarijs Iudicibus eccleſiaſtica dignitas ſpecialiter reſidere videtur. Poſterior verò excommunicatio fertur contra eos, qui impediunt iuriſdictionem eccleſiaſticam, ſpecialibus actibus, & particulari modo eludendi dictam iuriſdictionem, & ideo quoad perſonas, quarum præcepta, & ſententiæ latæ defenduntur, vniuerſalior eſt.

Verùm circa hanc primam actionem dubium occurrit, An ſicut violatio iuriſdictionis ordinariæ eccleſiaſticæ inducit hanc cenſuram, ita quoque eandem inferat violatio iuriſdictionis, quam Concilium Tridentinum Epiſcopis tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis concedit.

Ad ſolutionem dubitationis præmittendum eſt, ea, quæ à Concilio Tridentino Epiſcopis tribuuntur tanquam delegatis Sedis Apoſtolicæ, eſſe in ſecunda differentia. Quædam ſunt, quæ illis competebant iure communi, quæ tamen, vel propter priuilegia aliquorum, vel ob propter viam ſubditorum quorundam non poterant, vel non audebant exequi. Quædam verò ſunt, quæ illis iure communi non concedebatur.

Dico igitur eos, qui impediunt Epiſcopos in ijs, quæ pertinent ad iuriſdictionem primi generis excommunicatione huius Canonis obſtrictos remanere, quoniam hæc iuriſdictio iam eſt ordinaria cum ab ipſo Iure communi proficiſcatur. Dico ſecundò illos quoque, qui impediunt Epiſcopos in iuriſdictione ſecundi generis, comprehendi in hoc Canone.

Primò quoniam veriſimile eſt mentem Summi Pontificis fuiſſe protegere, & defendere omnem iuriſdictionem conceſſam à Concilio Tridentino Epiſcopis contra quemcunque, ſiue in iure contineatur, vel non contineatur.

Deinde hæc iuriſdictio non videtur iam delegagata, ſed ordinaria, quia non conceditur perſonis, ſed dignitatis, non ad tempus, ſed in perpetuum, Gloſ. in capit. Irrefragabili Ver. ſuper hoc Delegatus de Off. Iud. ordi. & capit. Inter corporalia, poſt med. ibi, qui vt hæc poſſint, de tranſlat. Epiſcopi.

Tertiò hoc idem confirmare videntur verba Canonis,

nis, quæ sequuntur: ostendunt enim latam esse hanc A excommunicationem contra impedientes vsum iurisdictionis Ecclesiasticæ *secundum quod Canones & sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ & decreta Conciliorum generalium & præsertim Tridentini statuunt*, ergo non excusantur ab excommunicatione, qui impediunt Episcopos tanquam Sedis Apostolicæ Delegatos, ne vtantur iurisdictione ex eiusdem Concilij Tridentini concessione eis demandata. Quamobrem si quis e.g. prohiberet Episcopum, ne Ecclesiam exemptum visitaret tanquam Sedis Apostolicæ delegatus iuxta decretum eiusdem Concilij sess. 22. cap. 8. & sess. 24. cap. 9. non euaderet hanc excommunicationem.

Quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, fami- B *liares, nec non consanguineos & affines impediunt.* In Bulla Clementis Octaui & in præcedentibus simpliciter ita legebatur, *Quomodolibet impediunt.* Sanctissimus D. N. Paulus Quintus ad maiorem expressionem & declarationem addidit reliqua omnia enarrata, quæ tamen virtute continentur in illa generali clausula, *Quomodolibet impediunt*, vt statim explicabo.

Impedire proprie dicitur ille, qui obstaculum ponit, ne alius perficiat, quod cupit. Quare vt quis alteri vere & proprie impedimento sit, requiritur vt sit causa, vt alter inuitus, & contra voluntatem cesset ab opere quod intendit, quamobrem qui precibus amore, odio, aliove simili modo retrahit Iudicem, ne iustitia dictante in aliquem flagitiosum animad- C uertat non potest dici impedire Iudicem ab vsu iurisdictionis suæ, quia volens & sponte desistit à munere suo, sicut dicitur de Inquisitore qui ob huiusmodi fines delinquit in officio in Clement. 1. §. verum, Vers. quod si odij de Hæret. Et de quocunque Iudice in capitulo primo, Vers. Si quis autem Iudex de sentent. & re Iudi. libro sexto. Vnde si quis blanditijs & precibus etiam importunis Testatorem mouerit, vt mutata voluntate de rebus suis disponat aliter quam proposuerat non dicitur impedire voluntatem Testatoris, & ideo tale Testamentum tenet vt expressè habetur in l. fi. ff. si quis aliq. testa. prohib. & l. fin. C. eodem titul. quia non compellit ipsum Testatorem, tunc enim Testamentum esset nullum vt di- D citur in l. 1. C. eod. titul. Preces enim importunæ non æquiparantur metui, nisi specialiter in Tyranno & in eo qui solet minas suas semper executioni demandare, vt inquit Abb. in capitulo Cum inter de elect. & in capitulo secundo. Quod me. cau. Afflict. decis. 69. numero quinto. Hoc in loco excommunicantur illis qui vere impediunt & prohibent ne Iudex Ecclesiasticus sua iurisdictione vtatur.

Duobus autem modis potest verè quis impedire, vno modo legitimè adhibitis medijs ab ipso Iure institutis, puta implorato auxilio Superiorum, quibus ex officio competit auctoritate sua prohibere, ne alius prosequatur id, quod iniustè agere intendit. E Et de hoc iusto impedimento non intelligitur hoc in loco, quia excommunicantur impedientes, ne Prælati vtantur iurisdictione sua secundum Canones. At cum iuste prohibentur ab vsu iurisdictionis, non iuxta, sed contra Canones, illam vsurpasse necesse est, idcirco locus non est excommunicationi. Altero modo potest quis impedire iniustè, idest facto ipso prohibendo Prælatum, vt inuitus & contra voluntatem non exerceat suam iurisdictionem, sicut intendebat & volebat, & ex hoc impedimento incurritur excommunicatio.

A Pluribus autem modis potest de facto impediri Iudex ecclesiasticus in vsu suæ iurisdictionis. Primò si incutiatur ei metus grauis, vt desistat ab eo, quod intendit, qualis est metus imminentis periculi in persona, vt mortis, aut cruciatus corporis, vel carcerationis, Bart. in l. fin. num. 4. ff. si quis aliquem testa. prohib. vel in bonis fortunæ, vt amissionis rerũ temporalium. Secundò si inferatur metus quoad personas consanguineorum, & familiarium de illis occidendis, in carcerem tradendis, bonis, & rebus priuandis iuxta tex. in cap. Quicunque de sent. excom. lib. 6. ibi, *Licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, seu alias in personis, aut bonis suis, vel suorum grauandi*, & ibi Glos. Ver. suorum. Idem habetur in cap. Quoniam, & Glos. Ver. B Propinquorum de Immun. Eccles. lib. 6. Tertiò si prohibeantur ministri necessarij, vt Iudex exercere non valeat suam iurisdictionem, puta Notarius, & alij officiales iustitiæ, vel ne testes examinentur, sic prohibens Notarium, vel testes intrare prohibuisse dicitur testatorem. l. 1. & 2. ff. si quis aliquem testa. prohib. Sicut impediens, ne asportentur necessaria cementa ad viam reficiendam refectionem prohibuisse dicitur. l. veteres. ff. de Itine. Actuque Glos. in capit. fin. Ver. libertatis in Addit. de Immun. Eccles. lib. sexto. His & alijs modis pluribus, impediens Prælatum, & Iudicem ecclesiasticum, ne vtatur sua iurisdictione, excommunicationis vinculo innodatur. Idcirco Summus Pontifex vsus est dictione illa *Quomodolibet*, ad in- C cludendum omnem modum, quo quis impedimentum afferre præsumeret: hanc enim vim habet dictio illa Clement. 2. Vers. Ne igitur excessus sic graues, cum Glos. Ver. Quomodolibet de senten. excommunicat. cap. Indemnitatibus. §. sanè Vers. si qua verò à minori parte, vbi Ioan. Andr. in Ver. Quomodolibet de elect. lib. 6. cap. vni. Vers. Præsenti quoque de Cleri. ægrot. lib. 6.

Quominus sua iurisdictione ecclesiastica contra quoscunque vtantur. Ad incurrendam hanc excommunicationem, oportet sequi hunc effectum, nimirum vt Iudex ob impedimentum allatum non possit, vt volebat, iurisdictione sua vti. Quare quantumuis quis obstaculum ponat ad hunc finem, si Iudex non cessat D ab vsu iurisdictionis, non obstringitur excommunicatione, quia tale impedimentum non fuit causa, vt Iudex non vteretur sua iurisdictione, quod requirit Summus Pontifex tanquam causam incurrendæ excommunicationis. Confirmatur, quoniam, vt inquit Abb. in cap. Cum in cunctis. §. Clerici numero 3. de elect. vbicunque pœna imponitur à Iure ipso facto ob aliquod delictum nunquam est locus pœnæ, nisi delictum sit consummatum, quantumuis sit inchoatum.

Quamobrem cum hæc excommunicatio pronuncietur contra impedientes Prælatos, & Iudices ecclesiasticos, ne vtantur iurisdictione sua, sequitur illam non habere locum, si impedimentum positum fue- E rit, sed non habuerit effectum, quem impediens optabat.

Tribus autem modis potest impediri Iudex, ne vtatur iurisdictione sua, & singuli inducunt hanc excommunicationem: Nempe vt non incipiat exercere, quæ ad iurisdictionem spectant; Aut vt non prosequatur, & executioni mandet, quæ iudicauit, vel tandem vt reuocet, quæ perfecit, & executus est. Exemplum primi, & tertij modi legimus apud Conc. Tridentinum sess. 25. cap. 3. prope fi. vbi Concilium *Nefas esse dicit seculari Magistratui prohibere ecclesiastico Iudici, ne*

quem excommunicet, aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet. Similiter in capit. vnі. de his quæ vi metusve ca. fi. lib. 6. Excommunicantur, qui absolutionem à censura ecclesiastica, seu reuocationem vi, & metu extorserint. Quòd autem maximè impediatur Iudex secundo modo; Nempe si sententiam per ipsum latam executioni demãdare minimè possit, patet manifestè, quia nihil refert iudicasse, nisi iudicatum fuerit executum finis enim sententiæ est, vt executioni mandetur, Abb. in cap. Pastoralis. §. Quia verò num. 2. 4. & 5. de off. deleg. & in cap. Vniuersitatis num. 7. de sent. excom. & in quocunque genere horum trium modorum quicunque actus iurisdictionis impediatur, sufficit ad contrahendam excommunicationem.

Cum autem Canon loquatur de iurisdictione ecclesiastica sequitur. Hac excommunicatione non obstringi eos, qui impediunt Prælatos, ne vtantur iurisdictione profana, & simili, si quam habent etiam ratione Prælaturæ, nam pœnæ non latius patent, quam verba legis propriè accepta. Item excommunicantur solùm impediẽtes iurisdictionem ecclesiasticam ordinariam in quoscunque illa vtantur Prælati. Particula enim illa *Contra quoscunque* est generalis comprehẽdens omnes sine vllo discrimine, vt paulò ante probaui ex l. 1. cum Glos. fin. & l. Quicunque. C. De ser. fugi. Igitur si impediatur Prælatus qui exercet hãc iurisdictionem in personas ecclesiasticas, vel seculares, in Collegia, Vniuersitates, Principes, vel priuatos, cuiuscunque conditionis sint, excommunicatio incurritur.

Secundùm quod Canones, & sacræ Constitutiones ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini statuunt. Pro eodem accipiuntur hoc in loco Canones, & Constitutiones ecclesiasticæ, appellatione Canonis in latiori significatione intelligitur omnis Constitutio ecclesiastica, vt notat Felin. in cap. 1. in princ. de Constitut. Strictè verò nomine Canonis significatur Constitutio à Papa edita, vt notat Card. in Clem. 1. quæst. 26. de priuileg. Hæc enim Constitutio per excellentiam vocatur Canon, vt inquit Card. Propriè etiam Canon vocatur Constitutio sancita in Concilio generali, vt in dicto cap. 1. & ibi Felin. nu. 1. de Constit. & Glos. in summa dist. 3. Ver. Omnes; Interdum quoque statuta Conciliorum Prouincialium dicuntur Canones, vt habetur in §. Porrò Dist. 3. Hic Canones, & Constitutiones ecclesiasticæ sumuntur in propria, & strictu significatione pro sanctionibus, & decretis Summorum Ptificum. Quatuor autem sunt Canonis species, vt Canon sumitur pro Constitutione Pontificia, quæ referuntur in cap. Si quis dogmata 25. q. 2. Vt verò Canon accipitur generaliter pro quacunque Constitutione ecclesiastica, in plures etiam, species distinguitur, quæ solent exprimi distinctis vocabulis, & nominibus. Species enarrantur à Glos. in summa Dist. 3. Ver. omnes. Itaque excommunicantur omnes, qui impediunt Prælatos, & Iudices ecclesiasticos ordinarios, ne vtantur iurisdictione sua eo modo quatenus illis concessa est iuxta dispositionem sacrorum Canonum, & Constitutionum Summorum Pontificum, vel decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini.

Sequitur nõ innodari hac excommunicatione illos, qui impediunt dictos Iudices, si vterentur sua iurisdictione contra Canones, & decreta Conciliorum generalium, argumentando à contrario sensu, quod in iure semper validum est, & firmum, vt inquit Abb. in cap. Publicato num. 6. de elect. Vbicunque verba legis ponuntur per modũ causæ non narratiuè, aut modaliter, sed hoc in loco verba illa *Secundùm quod Canones & c.* habent vim excommunicandi impedientes, si Prælati vtantur iurisdictione secundùm Canones, ergo qui impediunt vsurpantes iurisdictionem contra dispositionem sacrorum Canonum, non erunt excommunicati, & valet argumentum, quia contrarium non reperitur expressum in iure, vt dicit Abb. in dicto cap. Publicato num. 6. de elect. Quamobrem si quis prohiberet, ne Iudex excommunicatus, & publicè denunciatus officium suum exerceret, non incideret in excommunicationem, quia talis Iudex nõ vtitur iurisdictione secundùm Canones, cum per publicam excommunicationis denunciationem sit ab officio, & vsu iurisdictionis suspensus, cap. Ad probandum de sent. & re iud. & c. exceptione, & ibi Glos. Ver. Publicè de excep. Similiter si impediret, ne Iudex exerceret iurisdictionẽ in eum, qui non est illi subditus cap. Sententia 11. quæst. 3. cap. Ad nostram de consuet. Vel si vellet excommunicare aliquem, quòd eleemosynam pauperi fecerit, vel alterius honestæ actionis, & laudabilis auctor fuerit, talis enim sententia intolerabilem contineret errorem, & nulla esset, cap. Venerabilibus. §. Potest quoq. de sent. excom. lib. 6. cap. Qui præest 11. quæst. 3. Vel si prohiberet, ne Iudex progrederetur in causa post appellationem legitimè interpositam. Appellatio enim impedit effectum rei iudicatæ, & reddit nullum, quidquid postea per Iudicem attentetur, cap. Si à Iudice, cap. Non solùm de appell. lib. 6. cap. Super quæstionum in fi. de off. deleg. Et idem dicendum esset in alijs casibus similibus, quando euidenter constaret Iudicem contra sacros Canones iurisdictione vti velle: nam in dubio si quis tentaret impedire, peccaret, & periculo incurrendi excommunicationem se exponeret. Et hæc dicta sint de excommunicatione lata in hac prima parte huius Canonis contra impedientes vsum iurisdictionis ecclesiasticæ.

Hæc eadem excommunicatio habetur, vt superius dixi, in cap. Quoniam de Immun. Eccles. lib. 6. Sed differt ab excommunicatione Bullæ. Primò quoniam excommunicatio cap. Quoniam non est reseruata, sicut excommunicatio Bullæ. Secundò illa vniuersalior est, quia comprehendit omnes Iudices ecclesiasticos tam ordinarios, quàm Delegatos, vt patet ex verbis tex. illius cap. ibi, *In foro ecclesiastico delegato, seu ordinario.* In Bulla agitur solùm de Iudicibus ecclesiasticis ordinarijs, vt dixi. Tertiò in cap. Quoniam pertractatur de his, qui impediunt, ne alius conueniatur coram Iudice ecclesiastico, prohibendo Actores, ne illum conueniant in tali foro. In Bulla verò de illis, qui impediunt ipsosmet Prælatos, & Iudices, ne vtantur iurisdictione sua. Alia quoque similis excommunicatio Sedi Apostolicæ reseruata, specialiter lata fuit à Gregorio xiij. in Constitutione, cuius initium est. Quoniam nostro Pastorali; edita anno eius tertio contra Religiosos, & Religiosas ordinis S. Francisci de obseruantia recurrentes ad secularia Tribunalia, & contemnentes ordinationes Commissariorum sui generalis Ministri.

CAPVT II.

De alia actione principali in secunda parte Canonis damnata ab illis verbis, Ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum &c. *vsque ad finem.*

SEcundo loco pronunciatur excommunicatio contra omnes, qui quærentes eludere Iudicium Ecclesiasticorum Iudicum tam Ordinariorum, quàm Delegatorum ab ipsis Ordinarijs, recurrunt post sententias, & decreta, & alia huiusmodi emanata ab ipsis Iudicibus Ecclesiasticis Ordinarijs aut Delegatis ad Cancellarias & alias Curias seculares, & à dictis Curijs prouisiones obtinent, vt sententiæ & mandata Iudicum Ecclesiasticorum minime executioni demandentur, nec non contra ipsosmet Iudices seculares qui prouisiones pœnales contra Ecclesiasticos Prælatos & Iudices decernunt, atque etiam contra executores qui illas exequuntur, & tandem contra omnes dantes ad hoc auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem. Omnes hæ personæ excommunicantur in hac secunda parte Canonis.

Quare hæc posterior excōmunicatio differt à priori, quoniam prior lata est solum fauore Iudicum Ordinariorum Ecclesiasticorum. Hæc vero non solum Ordinariorum, sed etiam Delegatorum, vt ex verbis expresse patet. Secundo illa fertur contra impedientes Iudices Ordinarios, ne vtantur iurisdictione sua generaliter in quacunque parte Iudicij, & antequam fuerit inchoatum, vel in ipsa prosecutione, aut post sententiam pronunciatam. Hæc vero contra impedientes, ne sententiæ, & mandata, aut decreta ipsorum Ecclesiasticorum Iudicum executioni tradantur. Tertio illa afficit omnes, quomodolibet impediant, hæc illos, qui impedimentum præstant recurrendo ad Cācellarias & Curias seculares, & ab eis impetrando prohibitiones & mandata contra Iudices Ecclesiasticos, vt desistant &c.

Ad explicationem huius excommunicationis faciunt ea, quæ disputaui in Disp. 15.

Ac etiam eos, qui post Ordinariorum, vel etiam ab his Delegatorum quorumcunque sententias & decreta.

Hæc excommunicatio quoad personas impedientes iurisdictionem Ecclesiasticam, contra quos fertur excommunicatio, est vniuersalis, sicut præcedens, & extenditur generaliter ad omnes recurrentes ad Cancellarias & Curias seculares, cuiuscunque gradus & conditionis sint sine vlla limitatione, siue sint laici, siue Clerici, aut etiam Religiosi. Quantum vero ad ipsos Iudices ecclesiasticos priuilegiatos amplior est, quàm superior: non enim comprehendit solos Iudices Ordinarios, sicut illa, sed etiam Delegatos, vt ex verbis apparet. Hæc enim excommunicatio incurritur, quoties quis procurat sententias, & decreta Iudicum ecclesiasticorum non solum Ordinariorum, sed etiam ab eis Delegatorum per Iudices seculares impediri, quo minus executioni tradantur. Nomine sententiarum intelligitur id, quod apud Iurisconsultos vocatur sententia communiter, idest definitio Iudicis, controuersijs & litibus inuicem iurgantium finem imponēs, cap. Iurgantium de sent. & re Iudi. Abb. in rubr. nu. 4. eod. tit. Quid significetur appellatione decretorum explicaui in Disp. 14. cap. 1. Hic accipitur pro quacūque Iudicis definitione & ordinatione. Ita quidem, vt his duabus vocibus intelligi debeant omnia præcepta, mandata, decreta & sententiæ, siue diffinitiuæ siue interlocutoriæ Iudicum ecclesiasticorum,

A *Aut alias Iudicium eludentes.* Dictio *Alias* declarat per sententias, & decreta Summum Pontificem significare velle omnem prouisionem ordinationem, & præceptum per Iudicem ecclesiasticum pronunciatum, quomodocunque appelletur. Est enim dictio vniuersalis significans omnem modum & speciem similē alijs antea expressis & enarratis l. qui testamento §. mulier ff. de testam. l. 1. §. siue autem intra Vrbem, iuncta Glos. Ver. Alias ff de aqu. quotid. & æsti. Bart. in tract. de aluei. Ver. Alias.

Ad Cancellarias & alias Curias seculares recurrunt. Per Cancellarias significatur Tribunal laicum supremum ita vocatum in quibusdam Regnis, sed vniuersaliter intelligenda sunt omnia Tribunalia Iudicum B laicorum, quicunque sint, & quomodocunque appellentur, & propterea additur clausula illa generalis, *& alias Curias seculares.*

Et ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia. Excommunicantur qui recurrūt ad Curias seculares post sententias latas per Iudices Ecclesiasticos, vt obtineant à dictis Curijs secularibus prohibitiones & mandata contra Iudices Ecclesiasticos. Magistratus enim ille secularis præcipit Iudice Ecclesiastico viso processu & actis causæ, vt appellationi interpositæ ab ipsa parte, quæ recursum habuit, deferat, & si post sententiam pronunciatam contra dictam partem contumacem progressus est ad excommunicationem, illam absoluat, omniaque acta post appellationem retra- C ctet, ac reducat in eum statum, in quo erant tempore appellationis & sententiæ. Quare si Iudex Ecclesiasticus nolit, sicut verè non debet obedire, id agere cogitur quibusdam pœnis additis, scilicet amissionis bonorum temporalium, quæ obtinent in illis locis, & declarationis, vt habeantur tanquam extranei, & aliis similibus. Et licet ad incurrendam hanc excommunicationem sufficiat, vt decernantur mandata simpliciter sine appositione alicuius pœnæ; tamen ad ostendendam præsumptionem & temeritatem tam recurrentium, quàm decernentium tales prohibitiones & mandata, addidit *etiam Pœnalia*, quippe qui non vereantur solum Iudicum Ecclesiasticorum, Iurisdictionem, ac potestatem omni iure reclamante perturba- D re, & cum sint Inferiores, præcipere Superioribus; sed quod detestabilius est, pœnas comminari audeant, nisi paruerint, quod indicat dictio *Etiam*, quæ infert maiora expressis, cap. Tanta est de Simon. cap. vni. & ibi Io. And. de commod.

Ordinarijs, aut Delegatis prædictis decerni, & contra illas exequi procurant. Tria igitur prohibentur, nimirum recurrere ad Curias seculares, secundo procurare, vt à dictis Curijs decernantur prohibitiones & mandata contra Iudices Ecclesiasticos; Tertio curare, vt dicta mandata contra eosdem exequantur.

Verum hic oritur difficultas, an hæc tria simul cōmittere debeat quis, vt incidat in hanc excommunicationem, an vero satis sit ad incurrendam excom- E municationem recurrere ad Curias seculares, & simpliciter exponere molestias & vexationes, quas Prælatus infert.

Respondeo ad hanc difficultatem, quamlibet ex his tribus actionibus esse principalem, & sufficientem causam huius excommunicationis; Ita quidem vt cum primum quis recurrit ad Curiam secularem, exponēs quærelas, quas habet contra Prælatum suum, narrāsq; grauamen, quod dicit iniustè ab eo pati animo petendi auxilium ab ipsa Curia contra Prælatum, eo ipso violet constitutionem huius Canonis, & vinculo ex-

com-

communicationis obstringatur, quamuis postea man datum, seu literæ Magistratus laici non intimentur Prælato. immo etiam neque decernantur. Idque pluribus euidenter probari posse existimo.

Primo quoniam si tria illa requirerentur simul & coniunctim ad incurrendam excommunicationem, sequeretur, vt si quis recurreret & instaret apud Curiam secularem contra Prælatum, & alius eo inscio, vel contra eius voluntatem mandatum dictæ Curiæ exequi curaret, tunc meritò excommunicatus non esset.

Secundò singulæ hæ tres actiones sunt æquè principales eodem modo prohibitæ, & sunt ad inuicem distinctæ, nam vna non est pars alterius, nec ab alia pendet, quod demonstrat copula *Et* ibi posita, quæ inter diuersa poni solet, l. Huiusmodi §. si Titio & Mæuio ff. De leg. 1. l. 1. in princ. ibi, *Boni, & æqui* cum Glos. in Ver. Ius, post med. vbi propter illam dictionem *Et* affirmat Aliud esse bonum, aliud æquum, ff. De Iusti. & Iu. Abb. in cap. Ex parte nu. 6. De Rescript. ergo quælibet illarum actionum per se separatim est causa principalis excommunicationis.

Tertiò probatur arg. à simili si Prælatus sub pœna excommunicationis prohiberet suis Clericis, vt ad aleas & taxillos non luderent, & huiusmodi ludis non interessent; Vtique dicendum esset voluisse interdicere hæc tria tanquam actiones distinctas & separatas, & quicunque in qualibet earum præceptum violaret, in excommunicationem incideret. Hoc exemplum habetur sub eisdem verbis in cap. penult. De Vi. & Honest. Cleri. licet non apponatur pœna excommunicationis; Vbi Abb. nume. 4. & communiter omnes Doct. affirmant Summum Pontificem prohibuisse Clericis separatim vtrumque ludum, & Glos. in Ver. Ad aleas non solum ludere, sed & ludo interesse. Igitur eodem modo sunt interpretanda verba huius Canonis ob dictionem *Et*, quæ inter diuersa collocatur vt dixi, & notat Glos. in cap. Quærelam in Ver. Emi non potuit. Vers. Et hoc colligitur bene De Simon.

Confirmatur hæc ratio, quoniam multò magis id asserendum videtur in terminis huius Canonis, cum non agatur de pœna temporali, sed de excommunicatione. vbi enim res dubia est & controuersa, quisque debet se existimare tanquam excommunicatum, & tenetur absolutionem petere, saltem in foro conscientiæ, Glos. in cap. 1. Ver. Aestimare De Scruti. secus in foro iudiciali.

Dicet aliquis, si ad hunc modū interpretemur hunc Canonem, sequitur eum, qui ad Curiam secularem recurrit, & querelatur de suo Prælato, & procurat decerni mandatum contra eundem, & tandem habito mandato illud exequitur, triplici excommunicationis vinculo obstrictum remanere. Si enim quodlibet horum trium parit excommunicationem, qui omnia operator, ter excommunicatus erit, quod minimè Summi Pontificis menti consonum videtur.

Respondeo non sequi id, quod infertur, quoniam omnia illa tria prohibentur per modum vnius, & solùm possunt aggrauare delictum in eadem specie, si omnia illa committantur. Quare quamuis sufficiat vnica actione violare canonem ad incurrendam excommunicationem inde inferri non potest, ergo si violatio contingit in omnibus tribus actionibus, tres incurruntur excommunicationes, sed tantum colligi potest peccatum grauius, & minus graue ad inducendam excommunicationem. nam excommunicatio non iteratur, nisi multiplicentur delicta, Quemadmodum si

A Episcopus sub pœna excommunicationis omnibus præciperet, vt certa quadam die abstinerent à carnibus, & commederent cibos quadragesimales & tantum semel, & post nonam, si quis pluries illa die ante nonam commederet carnes contra prohibitionem, non incideret in plures excommunicationes, quia omnes illæ conditiones sunt eiusdem speciei, vnde efficitur solum transgressor maioris aut minoris delicti & criminis reus, quo plures vel pauciores conditiones præcepti violat, semper tamen in eadem specie, licèt quæcumque ex illis violetur, sit sufficiens ad contrahendam excommunicationem.

Eos quoque qui hæc decernunt & exequuntur. Non solum excommunicantur partes procurantes apud Cu- B rias seculares, vt prohibitiones & mandata decernantur, & exequantur contra Prælatos & Iudices Ecclesiasticos, sicut probatum est, sed etiam excommunicatione afficiuntur Magistratus ipsi seculares, qui dicta mandata decernunt, & mandant exequi, atque etiam ipsi Executores, qui parent Magistratui, & illa exequuntur, & comprehendit omnes Magistratus, siue sint suprema Tribunalia Regia, siue Inferiores Iudices. quod indicat clausula illa *Eos quoque qui*, quæ est vniuersalis, & refertur ad præcedentia, quæ generaliter etiam accipiuntur, vt visum est. Hoc idem dicendum est de executoribus, quicunque illi sint. Verùm quantum ad executores excusare illos potest probabilis & inuincibilis ignorantia, quæ in infimo Mini- C stro aliquando ex coniecturis præsumi posset, & si esset facti, absque dubio excusaret cap. Ex tenore qui fil. sunt legit. Vt si exequeretur iussu Iudicis mandatum in scriptis nullam habens notitiam de his, quæ in illo continentur, & simul ignoraret Iudicem esse Ecclesiasticum, cui mandatum intimare debet. Quòd si nesciret etiam latam esse excommunicationem in Bulla contra huiusmodi Executores, multò magis excusaretur, quia esset facti simul & Iuris, Abb. cap. Referente num. 5. qui fil. sint legit. Interdum etiam si præsumeretur habuisse probabilem ignorantiam Iuris, non facti, posset quoque excusari, quia sola etiam ignorantia iuris aliquando excusat, Abb. cap. Ex multa num. 5. De Voto.

D Possunt quoque tales Ministri Executores mandatorū Iudicum secularium contra Ecclesiasticos Iudices excusari ab excommunicatione, si coacti probabili metu dicta mandata exequi compellantur. Et ratio est, quia hæc Constitutio est Iuris humani, scilicet à Summo Pontifice edita; Quare recipit excusationes, quæ præcepto humano conueniunt, quatenus tale est. Præceptum verò humanum regulariter non obligat, vbi intercedit metus probabilis & iustus cadens in constantem virum. Quare si Magistratus secularis comminetur Ministro eiusdem Curiæ, vt exequatur aliquod huiusmodi mandatum sub pœna mortis, verberum, carcerationis, exilij à Patria, amissionis bonorum, vel alterius mali grauis, si ad euitandum talia E pericula Minister paret præcepto suorum Superiorū, non incidit in excommunicationem, quia non violat mandatum Ecclesiæ, quod, vt dixi, non obligat, vbi imminet magnum aliquod periculum, quod aliter euitari nequit, nisi cum transgressione mandati Ecclesiastici; & ob hanc causam cessat tunc temporis contumacia & inobedientia contra Ecclesiam sine qua non incurritur excommunicatio.

Quantum verò ad Magistratus laicos, & Iudices seculares, qui decernunt talia mandata, & mandant exequi, nulla excusationis causa probabilis existere potest,

potest, quoniam sciēter agunt contra legem & constitutionem Summi Pontificis, & sponte, ac voluntariè; & idcirco semper innodantur censura.

Ex eisdem verbis huius particulæ confirmari potest verum esse, quod paulò ante firmatum fuit; Nimirum eum, qui ad Curiam sæcularem confugit contra Episcopum & Iudicem Ecclesiasticum innodari vinculo excommunicationis, licèt postea mutato consilio amplius non curet, vt decernatur mandatum, & executioni tradatur contra Episcopum, quia quælibet ex illis actionibus est causa sufficiens excommunicationis. Et eodem modo Iudex sæcularis efficitur excommunicatus cum primum decernit mandatum quamuis deinde ex causa noua non mandet illud executioni, quia vtrumque separatim sumptum principaliter prohibetur sub pœna excommunicationis, siue decernere mandatum, siue illud exequi.

Seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem eisdem. Pluries in Bulla Cœnæ excommunicationi subijciuntur committentes has actiones accessorias, scilicet in Can. secundo, septimo, decimo, vndecimo, duodecimo, decimo quarto, in hoc decimo sexto, decimo octauo, & vigesimo; In omnibus tamen his locis, excepto hoc canone, recensentur tantùm *Dantes consilium, auxilium, & fauorem.* Hic autem additur etiam *patrocinium* Quare censeo Summum Pontificem velle significare hac voce peculiariter illos, qui causam, & defensionem suscipiunt in Iudicio sæculari pro ipso recurrente, & instanta pud Iudicem sæcularem ex principijs & terminis Iuris, vt decernat prohibitionem, & mandatum contra Prælatum. Idque factum esse puto ad tollendum omne dubium. an tales patroni, & Consiliarij comprehenderentur sub genere dantium consilium, auxilium, & fauorem. quorum defensio propriè apud Iuris consultos vocatur patrocinium, l. Non plures C. De Sacr San. Eccles.

Quid sit dare consilium, auxilium, & fauorem, aliàs declaraui, & præsertim fusius in Disp. 8. cap. 10. & in Disp. 12. c. 1. 6. Nihil est, quod modò repetere debeam.

Dare auxilium, consilium, & fauorem, certum est esse actiones accessorias ad actiones principales, quæ prohibentur in hoc Canone primò & per se; Sed dubium esse potest, an tales actiones subijciantur excommunicationi per modum principalis, & propriæ actionis interdictæ, ita vt qui consulit, auxiliatur, vel fauet in ordine ad actiones principales, fit excommunicatus, quamuis non sequatur effectus, & actio principalis, vel potius prohibeantur secundariò, & per modum extensionis, secuta scilicet principali actione. Nam dictio *Seu* hoc in loco videtur habere vim amplificandi. Excommunicantur illi, qui decernunt mandata & exequuntur; Deinde amplificatiuè excommunicatio extenditur *Seu* qui dant auxilium &c Et sic significat idem, quod copula *Et* vnde Bald. in l. Cum quidam in 9. oppo. C. De Verb. signif. asserit dictionem *Seu* positam inter res diuersas habere vim coniungendi, & eius naturam esse amplificare; Puta si testator dicat; Lego totam pecuniam, quam habeo Perusij, seu Patauij, vtraque pecunia intelligitur legata. Quare cum decernere huiusmodi mandata, vel exequi contra Iudices Ecclesiasticos sint actiones princi-

A pales prohibitæ sub censura excommunicationis eodem modo erit dicendum de dante consilium, auxilium, & fauorem, vel patrocinium. Confirmatur si recurrere ad Curiam sæcularem animo impetrandi prohibitionem contra Episcopum, vel Iudicem Ecclesiasticum, est causa excommunicationis quamuis non tradatur executioni postea mandatum, vel fortasse non fuerit decretum, vt dictum est. Ita quoque dare ad id consilium, fauorem &c. quoniam militat eadem ratio, aliàs sequeretur non incidere in excommunicationem Aduocatum, qui adhibito omni studio, vt obtineret tale mandatum, illud impetrare non posset, quod videtur absurdum. nihil enim omisit, quod ad officium suum spectabat, & quoad ipsum Aduocatum, nihil refert, vt decernatur mandatum nec ne: B spectat enim hoc ad partes Iudicis.

Nihilominus existimo dantem consilium, auxilium &c. non contrahere excommunicationem, nisi sequuta actione aliqua principali, quod persuadere potest illa postrema clausula *In eisdem*, quæ videtur significare prædictas actiones iam existere. Dictio enim *In*, pluribus & varijs modis accipitur, vt plenissimè probat Romanus Cons. 376. Quæstio est, & præter alios modos idem valet quod *Vsque ad*, Mart. lib. 1. *In luce semper acerra bibit* hoc est, vsque ad lucem, sic hoc in loco, excommunicantur, qui dant auxilium, consilium, patrocinium *in eisdem* idest vsque ad ipsas actiones principales, ergo supponuntur iam existere.

C Animaduertendum tamen est non opus esse ad incurrendam excommunicationem, vt omnes actiones principales damnatæ expliantur & perficiantur, satis est, si vnaquæque separatim sit executioni tradita. explico; Præbet quis auxilium vel consilium alteri, vt recurrat ad Curiam sæcularem, & conqueratur de suo Episcopo, à quo se grauatum esse putat. si ille ductus alterius consilio, vel auxilio promotus recursum habeat, & contra Episcopum querelam exponat, animo procurandi prouisionem contra eundem, vt desistat à molestijs, eo ipso Consulens vel auxilium aut patrocinium ferens obstringitur excommunicatione, sicut & is, qui recurrit, etiam si deinde vlterius in causa non progrediatur, nec vllum obtineat mandatum contra D Episcopum, & idem dicendum est de alijs actionibus principalibus; Vt si quis alicui, qui recursum iam habuit, ferat auxilium, vel consilium, vt possit obtinere mandatum, vel illud exequi cōtra Episcopum, codem modo ex parte Magistratus sæcularis, si quis ei consuluerit, vt tale mandatum decernat, mandato iam decreto, quamuis executioni non tradatur, Consulens est excommunicatus. Et ratio est, quia prohibentur actiones accessoriæ in ordine ad principales, quæ per se primò interdicuntur. Qualibet igitur principali secuta, incurritur excommunicatio ex parte vtriusque agentis. Nec plura de hac excommunicatione.

E



EXCOM-

EXCOMMVNICATIO DECIMASEPTIMA.

QVIVE IVRISDICTIONES, SEV FRVCTVS, REDDITVS, ET PROVENTVS AD NOS, ET SEDEM APOSTOLICAM, ET QVASCVNQVE &c.

A

DISPVTATIO XVIII.

DE EXCOMMVNICATIONE CONTRA Vsurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcunque Ecclesiarum iurisdictiones, vel fructus, aut illos sequestrantes.



HAEC decima septima excommunicatio quoque lata est ad defensionem Ecclesiasticæ immunitatis, & ideo pars est canonis decimi quinti, sicut præ- B cedentes; Differt ab antiquis Bullis, licet non habeatur in Bulla Martini Quinti, relata per B. Anton. 3. par. tit. 24. cap. 72. Primo quoniam, io Bulla Clementis Septimi meosio fit de iurisdictione, & de fructibus Ecclesiasticarũ personarum, & nihil dicitur de iurisdictione & fructibus Sedis Apostolicæ, sicut in Bullis posterioribus. Secundò in illa, vt legitimè sequestrari possiot dicti fructus, requiritur licentia expressa Summi Pontificis; In his præter licentiam Summi Pontificis sufficit licentia aliorum ad id facultatem habentium. In illa excommunicantur, qui prædicta exequi vel procurare, C aut in eisdem consilium, auxilium, vel fauorem præstare non verentur; In his posterioribus excommunicatio ad alios non extenditur.

Materia hoius Canonis est sacrilegium, quo offenditur Ecclesiastica libertas in iurisdictione & fructibus. Quoad personas est vniuersalis. Actiones sunt duæ. Prima vsurpare iurisdictionem, vel fructus, vel redditus, vel prouentus pertinentes ad Sedem Apostolicam, vel ad qoascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, vel aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum. Secunda sequestrare eadem quauis causa, vel occasione sine facultate legi- D tima.

Caput Primum, De Prima actione prohibita, quæ includitur ab initio Canonis vsque ad verbum Vsurpant.

Caput Secundum, De Secunda actione principali damnata in posteriori parte Canonis ab illis verbis, Vel etiam quauis occasione *vsque ad finem*.

A

CAPVT I.

De Prima actione probibita, quæ includitur ab initio Canonis vsque ad verbum Vsurpant.

PRimo loco excommunicantur omnes simpliciter, qui iurisdictiooes, fructus, redditus, & prouentus pertinentes ad Sedem Apostolicam, seo alias Ecclesiasticas personas, ratione tamen Ecclesiarum & beneficiorum vsurpant.

Quiue iurisdictiones seu fructus, redditus, & prouentus. Hæc excommunicatio comprehendit omnes vniuersaliter absque vllo discrimine, sicut & præcedentes, cuiuscunque gradus, conditionis, & dignitatis fuerint, B siue personæ publicæ, siue priuatæ, siue Ecclesiasticæ, siue seculares; Cuius est argumentum dictio illa relatiua, *Quiue*, quæ refertur ad Canonem 14. Vbi omnes sobijciuntur excommunicationi Imperator, Rex, Dux, Patriarcha, Episcopi, & alij cuiuscunque præeminentiæ.

Iurisdictiones, Nomine iurisdictionum hoc in loco intelligitur omne ios & potestas, qoam habet Ecclesia super personis vel rebus; Et præsertim appellatioe iurisdictionis, vt ioquit Sylue. Excommun. 9. §. 12. Ver. Primo verò dubitatur, & Caietanus in Summa in fi. cap. 40. denotatur iurisdictio temporalis, non spiritualis Prælatorum, illa scilicet, qoam Prælati Eccle- C siastici habent in temporalibus ratione Ecclesiarum, & beneficiorum, quæ possident, quam inquit Caietanus, Dominos temporales interdum euacuare consueuisse, vt Prelati ferè solo titulo Domini remaneant, sicut in cap. Non minus ex Conc. Lateran. De Immuni. eccles. dicitur his verbis; *Iurisdictionem etiam & auctoritatem Prælatorum iam euacuant, vt nihil potestatis eis in suis videatur hominibus remansisse.* Quod autem Summus Pontifex hic in Bulla loquatur de Iurisdictione temporali, non spirituali Prælatorum, probari potest Primo quoniam de impedientibus iurisdictionem spiritualem pertractauit in Can. 14. 15. & 16. Deinde D quia hoc in loco agit de fructibus, & redditibus Ecclesiasticis, qui sunt res temporales, ideo verisimile est voluisse cooiungere iurisdictionem eiusdem generis, & ordinis, idest tractare de iurisdictione temporali, quæ inter fructus beneficij computari potest. Tertiò quoniam vtitur oumero plurali *Iurisdictiones*, Iorisdictio enim spiritualis cuiusque Prælati vna est correspondens dignitati, qua quisque insignitus est; ideo in can. præcedenti excommunicantur impedientes quomodolibet Pralatos, *Quominus iurisdictione sua Eccle-*

siasti-

fiastica contra quoscunq; vtantur. At iurisdictiones temporales plures, & variæ esse potiunt competentes eidem Prælato ratione eiusdem Prælaturæ, & de hac iurisdictione temporali loquitur tex. in dicto cap. Non minus de Immun. Eccles. vt tradit Sylue. Excommunicatio 9. §. 12. Vers. Primò verò *Fructus* Verbum fructus interdum ius, interdum corpus significat. l. Vaccæ emptor. ff. de euictio. Ad ius cum refertur, ius vtendi, fruendi significat; cum verò ad corpus, eos propriè fructus amplectitur, qui ex re ipsa naturaliter enascuntur, sicut vitulum fructum esse Vaccæ, Prædiorum frumenta, & vinum rectè diuinns, vt habetur in dicta l. Vaccæ emptor. ff. de euictio. quorum alij naturales appellantur, qui sua sponte solius naturæ beneficio, ac sine opera hominis nascũtur, vt Glandes, Bacca, Olea, Silue æduæ, & fœnum, Alij industriales, qui opera, & cultura hominum proueniunt, vt frumenta, vuæ, & similia, quæ sationem, & culturam desiderant. Aliquando tamen latius fructum pro omni commodo vtilitatemque rei accipimus, nam & vsuras pecuniæ fructum vocamus l. Diui Seuerus 88. ff. ad leg. Falcid. Similiter mercedes seruorum, vecturasque iumentorum, & Nauium. l. Apud Iulianum. §. Fructus autem hi. ff. de lega. 1. Innoc. in rub. de sent. & re Iudi. post med. Vers. Nomine fructum, And. Tiraq. de Retract. Lignagier. §. 15. Glo. 1. n. 27. Hæc autẽ omnia sicut, & pensiones domorum propriè non dicũtur fructus, sed fructuũ vicem obtinere. l. si Nauis 62. ff. de rei vendic. In Hoc Canone nomen *Fructus* generaliter sumitur pro iure vtendi, & fruendi re, & pro ipsis fructibus, qui verè ex re ipsa nascuntur, vel sint naturales, vel industriales, siue etiam latius hoc nomen accipiatur pro pensione domus, vecturis iumẽtorum, naulis nauium, & tandem pro quocunque commodo, & vtilitate temporali, quia cũ vniuersaliter sine vlla limitatione ponatur hoc nomen, vniuersaliter quoque est intelligendum; Ideo erit excommunicatus quicunque fructus aliquos cuiuscunq. generis ad Ecclesias spectantes vsurpauerie. *Redditus & prouentus*. Hæc duo nomina idem significant quod fructus; Verùm addita sunt, vt intelligeremus, sicut dicebam, Summum Pontificem hoc in loco accepisse nomen *Fructus* generaliter pro quacunque obuentione, emolumento, & vtilitate temporali, quomodocunque vocetur. Redditus autem dicuntur annui fructus ex eo ita dicti, quod singulis annis redeunt, vt censet Tiraq. in eod. lib. de retract. Lignagier. §. 1. Glos. 6. num. 1. quem sequitur Nauar. in Comment super cap. Quoniam quidquid 16. q. 1. de Redit. Eccles. quæst. 1. Monit. 1. & idcirco vterque monet hoc verbum scribendum esse cum simplici, D. & probat testimonio Ouid. in 2. lib. de Põto. *At reditus iam quisque suos amat*, & lib. 1. Amorum, *Turpe Thori reditu census augere paternos*. nam alias versus non staret, si succumberetur cum duplici D. quamquam alij, & maxima quidem ex parte redditus scribant, cum duobus dd. credunt q; à reddendo dictos, vt quos reddat fundus, & vtrumq; rectè admitti potest. Similiter nomen prouentus est vniuersale, & omnia comprehendit, quę obueniunt quocunque titulo vel ex Mulcta, vel ex iurisdictione, aut alio modo, vt notat Innoc. in c. Pastoralis num. 4. de donat.

Ad nos, & Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas explicantur personæ priuilegiatæ ex quarum offensione circa iurisdictionem, & fructus incurritur excommunicatio: & sunt in primis Romanus Pontifex, & Sedes Apostolica tanquam Pater, & Caput omnium Ecclesiasticarum personarum, & Ecclesiarum, deinde omnes aliæ Ecclesiasticę personæ sine vlla limitatione ob dictionem illam vniuersalem *Quascunque*. Quę verò dicantur personæ Ecclesiasticæ, declaraui in disp. 16. cap. 1. Quare quicunque vsurpauerit iurisdictionem, vel fructus, aut reditus ad Romanum Pontificem pertinentes, vel ad Cardinales, Patriarchas, Episcopos, & alios inferiores Prælatos, aut ad simplices Clericos, Beneficiatos, vel ad Religiosos, aut Equites Sancti Ioannis Hierosolymitani, aut alios, qui sub genere personarum Ecclesiasticarum continentur, vt dixi in dicto cap. 1. disp. 16. huius Canonis censura obstrictus remanet.

Ratione Ecclesiarum Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, Non excommunicantur simpliciter quicunque vsurpant iurisdictionem temporalem, & fructus attinentes ad personas Ecclesiasticas, sed illos tantùm, qui eam iurisdictionem vel fructus vsurpant qui conueniunt personę Ecclesiasticæ ratione Ecclesiæ, & beneficij. Itaque si Episcopus ratione Episcopatus sit etiam temporalis Dominus iurisdictionem temporalem habens, qui eam vsurpauerit, erit excommunicatus. Verùm si persona Episcopi ratione patrimonij, vel alio titulo habeat dominium, aut iurisdictionem temporalem, illa iurisdictio non defenditur in hoc Canone, quo Summus Pontifex consulere voluit personæ ratione dignitatis tantùm, & idem est de alijs fructibus seu prouentibus, vt verba illa *Ratione Ecclesiarum, &c.* satis apertè declarant, quod etiã animaduertit Caiet. in summa cap. 27. dicens per hanc conditionem excludi prouentus prophanos, quos aliunde Ecclesiasticæ habent personæ, & sequitur Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 70. vers. Sexta quod per illa, & consl. 2. in tit. de immun. Eccles.

Et quemadmodum nomine Ecclesiasticarum personarum continentur omnes tam Clerici seculares, quàm Regulares, vt dixi, ita modò nomine Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum intelliguntur omnia beneficia Ecclesiastica, tàm simplicia, quàm cum cura animarum siue secularia, siue regularia, etiã dignitates maiores, & minores cuiusque generis, omnia enim vocantur beneficia c. penult. de verbo. signif. vbi Glos. ver. Beneficiorum inquit nomine beneficiorum significari omnia beneficia maiora. & minora, sicut nomine Clericorum omnes Clerici maiores, & minores comprehenduntur, latè Glos. in c. vt circa ver. Aliorum Ecclesiasticorum de elect. lib. 6. rex. in c. si sibi concesso de præben. lib. 6. Vbi Gemin. num. 2. & vt includerentur beneficia regularia, positum est verbum *Monasteriorum*, quod significat Cœnobium, & locum, vbi Monachi, & Religiosi communiter viuunt, cap. 2. 16. q. 1. & q. 7. cap. Monasterium, & cap. Monasteria 18. q. 2. & alibi.

Quæret aliquis, quia dictum est hanc excommunicationem locum non habere, vbi quis vsurpat iurisdictionem secularem spectantem ad personam ecclesiasticam ratione sui patrimonij, vel ex alio titulo distincto ab Ecclesiastica, & dignitate ecclesiastica, quam tenet, verum sit eadem ratio de vsurpante iurisdictionem quam habet persona ecclesiastica ratione bonorum ecclesiasticorum, quæ antea erant secularia, sed per donationem, vel alio titulo acquisita sunt Ecclesiæ, quibus bonis est annexa iurisdictio, scilicet an vsurpans talem iurisdictionem sit excommunicatus.

Ad hanc difficultatem respondet Nauar. consl. 2. n. 2. in titulo de Immun. Eccles. dicens in casu proposito vsurpantem iurisdictionem censura innodari, quia non militat eadem ratio, sicut in casu priori, vt probat argumento

gumento simili: Nam Clericus Patronus habet spacium sex mensium ad præsentandum ad beneficium Patronatus, cap. Cum autem de Iu. Patron. & Laicus quatuor mensium, cap. Cum propter eod. tit. & Patronus Laicus censetur, quamuis sit Clericus, si ius habeat præsentandi ratione sui patrimonij separati à bonis ecclesiasticis iuxta cap. Cum delectus iuncta Glos. Ver. Tanquam Laicus de Iu. Patrona. Et tamen qui obtinet ius præsentandi ratione dignitatis suæ ecclesiasticæ, existimatur Patronus Clericus licèt hoc ius præsentandi illi dignitati competat occasione bonorum secularium, quæ postea Ecclesiæ, vel beneficio donata fuerunt argumento cap. 1. §. Verùm de Iur. Patro. lib. 6. A

Vsurpant. Extat titulus. ff. de vsucap. seu vsurpat. B Vbi in l. 2. dicitur *Vsurpatio est vsucapionis interruptio*. Vsurpatio verò, vt habetur ibi in l. 3. *Est acquisitio dominii per cōtinuationem possessionis temporis lege definiti*. Quare vsucapere est vsurpare in iure accipiuntur tanquam verba inter se contrariè relata: Nam vsucapere est vsu, vel vtendo acquirere, vsurpare verò vtendo retinere. Sed hoc in loco vsurpare nihil aliud significare videtur, nisi ascribere sibi scienter tanquam propriam rem ad alium spectantem, in quo sensu accipitur in Clem. 1. in princ. de Deci. Vbi sermo habetur de Religiosis fraudantibus Ecclesias circa decimas. Quare, vt quis hoc modo dicatur aliquid vsurpare, requiritur, vt accipiat aliquid tanquam iure, & legitimè id ei conueniat, licèt sciat ad alium pertinere. C

Ad hunc modum explicato hoc verbo, vsurpare, dicimus in hanc excommunicationem incidere omnes illos, qui iurisdictionem, aut fructus ad ecclesiasticas personas spectātes ratione suarum ecclesiarum, & beneficiorum occupant, præsumentes hoc posse, & eis licere ratione auctoritatis, & potestatis, quam habent, siue sit laica, siue ecclesiastica. Quare qui surripiunt fructus ecclesiasticos dolo, & fraude vt fures, latrones, & alij, qui tales fructus non recipiunt auctoritatiuè vt res Ecclesiæ, neque putant sibi deberi ratione potestatis, quam habeat, non sunt excommunicati. Ita sentit Caietanus in Summa cap. 27. Vers. Secunda quod res, vbi asserit ad incurrendam hanc excommunicationem opus esse, vt res Ecclesiæ vsurpen- D tur non quocunque modo, sed vt prouentus Ecclesiæ, quoniam verba formaliter intelligenda sunt. Quare qui res Ecclesiæ rapiunt, vt res simpliciter, non quatenus sunt res Ecclesiæ, non afficiuntur excommunicatione. Lata enim est hæc excommunicatio non simpliciter contra fures, & raptores, sed contra Dominos, & Superiores, qui beneficiorum ecclesiasticorum fructus vsurpant. Verùm cum non coarctetur ad dictos superiores, & Dominos, complectitur omnes vniuersaliter, vt ostensum est, qui ea ratione occupant bona Ecclesiæ, ac si ad illos pertinerent, & non rapiunt tanquam aliena bona; Idque verbum vsurpare insinuat, vt monui: Tunc enim quis vsurpare dicitur prouentus, E quando potestate dominandi, & quasi iure proprio vtens illos præoccupat. Huic interpretationi adhęret Nauar. in Manual. cap. 27. num. 70. Vers. Sexta quod & Tolet. in sum. lib. 1. cap. 28. in fi. Ver. Tertia vt sit.

Hinc sequitur non esse locum huic excōmunicationi si creditor capiat à Clerico suo debitore ex fructibus sui beneficij quantum ascēdit ad summam sui crediti, licèt malè faciat accipiendo auctoritate propria, quia non surripit illos tanquam res ecclesiasticas, sed tanquam res particulares sui debitoris, vt inquit Nauar. cons. 31. in tit. de sent. excom. Ratio & fundamentum huius excommunicationis est, quia fructus beneficiorum, quatenus tales sunt, non subiacent potestati Laicorum, dico quatenus tales sunt, idest vt fructus, & prouentus beneficiorum: nam vt res sunt, quæ vendi, & emi possunt, si transferantur à beneficiario in alium per contractum licitum, redduntur prophani, & hoc modo Regum, & Principum potestati subijciuntur. Verùm vt pertinent ad ecclesiasticam personam, sunt ab omni laicorum iurisdictione exempti, quia non solùm beneficia, quæ sunt iura percipiendi redditus ecclesiasticos, vt probant Petr. Anchar. in cap. 1. de Reg. Iur. lib. 6. Calder. in cap. In nostra q. 3. de Rescript. & ibi latè Felin. num. 9. sunt sacra, sed etiam prædia Ecclesiarum vt talia sunt, & fructus prædiorum, & qui diripit eos, vel absque licentia eorum, ad quos spectat, vsurpat, est sacrilegus, cap. Sunt qui opes &c. Quisquis 17. quæst. 4.

Sed circa dicta dubitari potest, primò an hāc excōmunicationem incurrat, qui ecclesiam ipsam, & beneficium vsurpat. Nam Bulla solùm loquitur de vsurpantibus fructus, & prouentus beneficiorum, & Ecclesiarum; ergo hæc constitutio, cum sit pœnalis, non est extendenda ad occupantes Ecclesias, & beneficia, quę nomine fructuum, & prouentuum non continentur, sed quibus verba legis secundùm propriam interpretationem non conueniunt, neque ipsa dispositio conuenire potest l. Dies cautioni. §. Toties, Vers. Cęterum si non sit, vbi etiam Glos. & Bart. notant. ff. de dam. infe. l. Ita autem in princ. & ibi Bart ff. de admi. tuto. cap. Indemnitatibus. §. penult. de elect. lib. 6.

Respondeo certissimum mihi videri, & ab omni difficultate prorsus alienum: Eum, qui occupat Ecclesiam, & beneficium prædicto modo, idest ratione suæ auctoritatis, & potestatis tanquam rem propriam, & ad se spectantem, obstringi excommunicatione, non minus, quàm si fructus, aut prouentus beneficij vsurparet.

Probatur primo, quoniam si vsurpatio fructuum est causa excommunicationis ergo multo magis occupatio beneficij, gratia cuius competit Clerico ius percipiendi fructus Ecclesiasticos, vt dixi. Propter quod enim vnumquodque tale est, & illud magis. Secundo quia occupans Ecclesias, fructus etiam proprios sibi facit, atque ideo euitare non potest excommunicationem. Tertio mens legis magis est attendenda, quàm verba eius, c. Marcion. 1. q. 1. c. fi. de Reg. Iur. lib. 6. l. Cum Pater §. Dulcissimis ff. de leg. 2. Sed finis huius constitutionis fuit prouidere, ne Principes & Domini seculares vsurparent fructus, vel bona Ecclesiarum, vel ipsasmet Ecclesias. Sed quia talis vsurpatio frequentius contingit in fructibus, idcirco de solis fructibus mentio habetur. Confirmatur quia id habendum, est pro lege, quòd legislator interrogatus, cum eam ferebat, respondisset iuxta Glos. singularem in l. Tale pactum §. fin. ff. de Pactis. Verum si Summus Pontifex Paulus interrogaretur, an voluntas ipsius fuerit, vt hic Canon extenderetur ad eos, qui Ecclesias ipsas vsurparent, vtique affirmatiue responsurus fore vnusquisque fateri cogetur, cum non minor, sed maior ratio militet in Ecclesia, quàm in fructibus. Si enim fructus Ecclesiastici non subijciuntur potestate laicorum, multo minus bona Ecclesiastica, & ipsæ Ecclesiæ, vt probauimus.

Secundo dubitatur de illis, qui non vsurpant fructus & prouentus Ecclesiæ aut beneficij, sed retinent & non restituunt fructus, quos sciunt Ecclesiæ vsurpatos fuisse, an tales sub hac censura includantur, pu-

ta

ta si filius non restituat fructus, sed retineat, quos scit à Patre illicitè ab Ecclesia ereptos fuisse.

Respondeo, retinentem scienter iurisdictionem Ecclesiasticam, vel fructus beneficij ab Ecclesia sublatos per vsurpationem modo prædicto, incidere in hanc excommunicationem, quamuis retinens non vsurpauerit, sed alius. Probatur primo quoniam Iure pro eodem reputatur rem vsurpare vel iniustè retinere, vt peculiariter de rebus Ecclesiasticis dicitur in cap. Indigne 12. q. 2. *Indigne ad altare Dei properare permititur, qui res Ecclesiasticas audet inuadere, aut iniustè possidere &c.* & cap. Sicut 47. dist. Secundo qui retinet fructus Ecclesiæ animo appropriandi sibi, & non restituendi Ecclesiæ, iam tunc dicitur vsurpare, quamuis ipse illos non arripuerit, sed alius, c. Sæpe de restit. B spoliat. ibi, *eo quod non multum interfit quoad periculum animæ iniustè detinere, ac inuadere alienum*, Vnde peccatum furti non tantum committit is, qui actu furatur rem inuito Domino, sed etiam ille, qui retinet & non restituit, quandiu enim non restituit, cū potest, persistit in continuo actu furti, secus vero si quis retineret fructus Ecclesiæ, non animo sibi appropriandi, sed ex negligentia soluendi & inconsideratione. In hoc enim casu non incideret in excommunicationem, sicut in simili dicit Card. de Religiosis retinentibus decimas Ecclesiis debitas in Clem. 1. nu. 22. Vers. Die ergo ad primum de deci.

CAPVT II.

De secunda actione principali damnata in posteriori parte Canonis ab illis verbis, vel etiam quauis occasione *vsque ad finem*.

NOn solum excommunicātur vsurpantes iurisdictionē & fructus ad ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarū spectantes, vt vidimus in prima parte, sed etiam eidem excommunicationi subiiciuntur sequestrantes quauis occasione & causa dictos fructus sine expressa licentia Romani Pontificis, vel saltem illius, qui ad id legitimū habet facultatē. In Bullis prioribus Clementis VII. & Pauli II. legebatur tantum illa clausula *Sine Romani Pontificis expressa licentia*; modo addita est alia particula, *Vel aliorum ad id legitimā facultatem habentium*. Quare antequam adderentur hæc verba, locus erat huic excommunicationi, si fructus ecclesiastici occupabantur cum licentia Ordinarij, quia necessarius erat cōsensus Romani Pontificis, modo satis est ad euitandā hanc excōmunicationem, licentia Ordinarij ad id legitimā facultatē habentis.

Hæc autem licentia non solum sufficit, vt huiusmodi fructus Ecclesiastici legitimè absque periculo excōmunicationis sequestrari possint, sed etiā vt occupari & retineri valeāt absq; incursu excommunicationis. Clausula enim in fine posita, ad omnia præcedētia refertur, vbi nulla adest ratio diuersitatis, c. Ex tirpandæ §. qui vero, iuncta Glo. in Ver. Priuatū, Vers. vel dic & verius de præb. Idem probat tex. in extrau. Execrabilis eod. tit. iūcta Glo. in Ver. Alioquin, vbi subdit, *Ad omnia supradicta referas*. Vel etiam dici potest Summū Pontificem quoad occupantem huiusmodi fructus vsum fuisse verbo *Vsurpant*. Non dicitur autem propriè quis vsurpare ea, quę cum licentia Domini, & Superioris accipit, sicut dici potest sequestrare, ideo quoad illam actionem superflua fuisset hęc limitatio.

Notandū quoq; est differre primā actionē, scilicet vsurpare, quę est causa excōmunicationis, ab hac secūda, quę est sequestrare, quia vsurpare, vt explicatū est A in præced. capite est appropriare sibi fructus ecclesiasticos. At sequestrare non est sibi tradere, sed deponere apud aliquem, & impedire, ne ad manus ecclesiasticarum personarum deueniant. Quare sequestrare propriè est actus iurisdictionis, quæ in vsurpante per se non requiritur: Idcirco non quomodocunque prohibetur hic actus sequestrandi, sed quatenus est actus vsurpatæ iurisdictionis: non erit autem talis, si fiat habitu licentia ordinarij, ad quem pertinet.

Vel etiam quauis occasione, vel causa. Refertur clausula illa, *Vel etiam* ad verbum *Sequestrant* in fine positum, & dictio illa, etiā, adijcitur casui magis dubitabili, l. etiā inuitis. ff. de acquir. rer. domin. l. etiam aureos ff. de verbo. signif. c. vni. in princ. de commod. vbi dicitur teneri eū, qui cōmodatum recipit gratia sui etiam de leuissima culpa, & Io. Andr. declarat virtute illius dictionis *Etiam* multo magis teneri delata, & leui culpa. Eodem modo in hoc Canone excōicantur vsurpantes fructus ecclesiasticos, & dubitari magis poterat de sequestrantibus. Ad tollendam hanc difficultatem additur, vel etiam sequestrant, *Quauis occasione, vel causa*. Remouet omnem excusationem, quod indicat dictio illa *Quauis*, quæ vniuersalis est, & includit omnē occasionem, & causam, quæ excogitari possit. Quamobrem siue fructus ecclesiastici sequestrentur ad tollēdas contentiones, inimicitias, aut mortem, & alia mala, siue ne distrahantur, & dissipentur, siue ne illos retinens ius acquirat in possessorio, sine es quacunque alia C causa, semper incurritur excommunicatio.

Sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia, vt Iudices laici sequestrantes fructus spectantes ad ecclesiasticas personas effugiant hanc excommunicationem, necesse est vt id faciant habita expressa licentia ab ijs, qui facultatem habent eam concedendi, idest Episcopo, vel eius Vicario, & multo magis a legato Sedis Apostolicę, vel Nuncio, vbi vero huiusmodi fructuum sequestratio fit absque tali licentia, censura excommunicationis incurritur.

Sed quæret quis primo, An ad euitandam hanc excommunicationem sufficiat, vt petatur hęc licentia ab eo, qui potest illa impertiri etiamsi non concedatur, D an vero necessarium sit illam obtinere.

Respondeo non satis esse petere licentiam, sed opus esse illam impetrare ad euitandam excommunicationem, vt manifestè patet ex verbis Canonis *Expressa licentia*, & in simili casu probat Abb in c. Tuæ fraternitatis n. 3. de Cleri. non resid. Quod si absq. rationabili causa denegaret licentiam Episcopus, tunc recurrendum esset ad superiorem, vt compelleret eum prǫstare consensum, & licentiam arg cap. Nullus de in. patron. Idem Abb. in cap Relatum num. 1. de Cleri. non resid.

Secundo quæret aliquis, An hæc licentia Episcopi, vel alterius habētes facultatem obtineri debeat necessario ante sequestrationem fructuum ad effugiendam excommunicationē, an vero sufficiat ratihabitio; Nimirum vt Iudex secularis verisimiliter credere possit E in casu aliquo licito Episcopum post habitā notitiam sequestri facti, fore illud approbaturū, & ratificaturū.

Respondeo licentiam Episcopi, vel alterius, cui inest talis potestas, impetrandam esse, antequam fiat sequestratio fructuum Ecclesiasticorum, vt non incurratur excommunicatio, & non sufficere ratihabitionem. Et ratio est, quoniam quando licentia, vel consensus alicuius requiritur in aliquo actu, illa debet intercedere, antequàm actus fiat, nec sufficit, vt obtineatur post ipsum actum, vt probat Abb. in cap. licèt num. 11. de

Regular. & licentia semper debet precedere actum, etiam in casu, ubi licitè licentia denegari non posset, vt probat Abb. cap. Tua nos num. 7. de Eccles. ædifi.

Sequestrant. Sequestrare est rem penes tertium deponere, quod duobus modis contingit fieri. Altero modo consensu partium, & dicitur voluntaria sequestratio. Altero modo auctoritate Iudicis, & appellatur necessaria, vt notat Abb. in cap. Dilectus num. 11. & seq. de sequestr. possess. De qua re dixi in cap. 1. Disput. 14. In hoc Canone accipitur pro sequestratione necessaria, quæ fit a Iudice. Fertur enim hæc excommunicatio ad tuendam dignitatem, & iurisdictionem Prælatorum Ecclesiasticorum contra Iudices seculares, qui illam vsurpare volunt, & potestate laicali ratione officij, quod gerunt, sequestrant iurisdictionem, & fructus ad Ecclesiasticas personas spectantes.

Postulabit aliquis, An incidat in hanc excõicationem ille, qui procurat, & instat apud Iudicẽ secularem Ecclesiasticorum fructum sequestrationẽ sibi concedi.

Respõdeo, & primùm dico in alijs Bullis prioribus, idest Clementis Septimi, & Pauli Tertij in fine huius excommunicationis addita fuisse hæc verba, *Vel per se, vel alium, seu alios directè, vel indirectè prædicta exequi, vel procurare, aut in eisdem consilium, auxilium, vel fauorem præstare non verentur*, Ex quibus colligebatur mens illorum Pontificum fuisse, vt procurantes talia fieri, censura innodarentur. Dico secundo modo non ligari hac excommunicatione procurantes sequestrari tales fructus, quod probari potest primo quia verba illa sublata fuerunt ex Bulla: Argumentum igitur est Summum Pontificem non intendere censura afficere procurantes. Quando enim verba legis tolluntur, cessat ipsa dispositio, quæ ex verbis sumenda est. l. 4. §. Prætor, & ibi notat Bart. in vlt. notan. ff. de dam. infe. l. statutum in princ. & ibi Bart. ff. de admi. tuto. Secundo excommunicantur, qui sequestrant. Hi autem sunt Iudices, quorum auctoritate sequestra fiunt, ergo hæc constitutio non est extendenda ad partes, quæ procurant apud Iudices illa fieri, quia lex, præsertim pœnalis non est extendenda ab vno casu ad casum diuersum, c. Pœnæ de pœnit. distin. 1. quare hæc excommunicatio comprehendit solos Iudices seculares, qui sequestrant. Tertio excommunicatio lata cõtrafacientem aliquid, non includit procurantes illud fieri, vel consentientes, seu consulentes, aut mandantes, vt probaui in lib. 3. Disp. 2. c. 2. Nisi tales in eadem cõstitutione exprimantur, vel in alia cõstitutione; Verùm in hoc Canone tantùm de sequestrantibus sermo habetur, & nihil dicitur de procurantibus, neq. alibi id habetur, ergo excõmunicatio locum habet solùm in sequestrantibus Quamobrem Nau. cons. 38. in tit. de sent. excom. asserit non incidere in hanc excommunicationem laicũ, qui facit, vt per Iudicem secularem sequestrẽtur fructus Clerici sui debitoris existentes penes laicum, & spectantes ad Clericorũ ratione sui beneficij. Iudex verò laicus, qui compellit Clericũ cogendo ipsum personaliter ad respondendũ coram eo, semper incurrit excommunicationem, c. Si quis suadente 17. q. 4. & c. Nuper de sent. excom. & tradit Abb. in c. Aduersus n. 15. vers. Aduerte tu, de Immun. Eccles. Quod si vim personæ non inferat, sed tantùm formidine pœnæ ad suum Tribunal trahat, secundũ ius antiquum, vt inquit Abb. non erat excommunicatus, sed poterat excõmunicatione obstringi, sed hodie est excommunicatus per c. Non minus de Immun. Eccles. Et cum illa constitutio edita sit fauore Ecclesiarum & Clericorum, ne iniustè à secularibus Iudicibus vexentur, est extendenda, non coar-

A ctanda, vnde vt inquit Abb. & rectè, hoc tempore quamplurimi Iudices sunt hac excommunicationis censura obstricti, qui non solum dimittere, sed penitus extinguere Ecclesiasticam iurisdictionem nituntur.

Caiet. in Summa Ver. excomm. cap. 27. enumerat quinque conditiones necessarias ad incurrendam excommunicationem huius Canonis tam ratione vsurpationis, quàm sequestrationis. Prima est, vt fructus, qui vsurpantur vel sequestrantur, sint Ecclesiastici, nõ prophani, idest vt spectent ad personam Ecclesiasticã ratione Ecclesiæ & beneficij, & non sint patrimoniales, vel alio titulo temporali acquisiti. Secunda vt capiantur tanquam reditus Ecclesiastici, vt vsurpans vel sequestrãs sciat esse Ecclesiasticos. Tertia vt tales
B fructus sint sub dominio alicuius personæ, vnde censet non incurrere excommunicationem capientem hos fructus tempore vacationis beneficij, quia tunc spectant ad Ecclesiam, non ad personam, sicut requirit Canon. Quarta vt tales fructus vsurpentur, vel sequestrentur sine expressa licẽtia Papæ, vel habentium facultatem tradendi hanc licentiam. Quinta vt vsurpentur, vel sequestrentur auctoritate prætensa & vsurpata. Quare Creditor capiens de fructibus Clerici sui debitoris vel fur, aut miles non innodatur excommunicatione.

Ex his quinque conditionibus excepta tertia, quatuor approbantur à Nau. in Man. cap. 27. n. 70. Vers. Sexta quod per illa verba & à Toleto libro 1. de In-
C struct. Sacerd. cap. 28. in fine. Tertia vero reijcitur, & re vera nulla ratione probari posse videtur, vt qui prouentus alicuius Ecclesiæ vsurpat tempore, quo vacat suo Rectore, non sit obstrictus excommunicatione, quòd illi fructus non sunt alicuius certæ personæ, quia excommunicatio huius Canonis vtrumque casum comprehendit, quod clarè significare videntur verba illa *Ad nos & Sedem Apostolicam*. Nã illud pronomen *Nos* demonstrat Romanum Pontificem, Sedes vero Apostolica significat Ecclesiam Romanam, quamuis sit orbata Pontifice. Et idem sentiendum est de alijs Ecclesijs & beneficijs, nam eadem est textura sermonis, & nulla additur clausula indicãs distinctio-
D nem. Secundo hæc Constitutio edita est præcipuè in defensionem Ecclesiasticæ immunitatis & dignitatis, non in commodũ & vtilitatem personæ ergo potissimum eius finis est coercere vsurpantes & sequestrantes Ecclesiasticos prouẽtus, ne liberè & sine vlla perturbatione de eis Clerici, & aliæ personæ Ecclesiasticæ, ad quas pertinent, disponere valeant, siue hoc tẽpore sint alicuius certæ personæ, siue careant certo Domino, hoc enim est accidens valde extrinsecum ad finem huius excommunicationis. Tertio sequeretur ex dicta Constitutione vsurpantes prouentus Monasterij non incurrere hanc censurã, quia nõ spectant ad determinatã personã, sed ad corpus commune ex pluribus conflatũ. Quòd si dicamus nomine personæ Ca-
E ietanum voluisse intelligere Collegiũ & Communitatẽ, tunc etiã argumentum vrget. Nam fingamus hoc anno, quo vsurpantur prouentus Monasterij, nullum Monachum illud inhabitare, propterea vsurpans non erit excommunicatus? vtique hoc nemo dicturus erit! nam semper illi prouentus pertinent ad tale Monasteriũ, & si hoc anno nullum habet incolã, habebit anno seq. Eodem modo dicendũ est de beneficio vacante, cuius fructus pertinẽt ad successorẽ regulariter. Quarto tẽpore vacationis beneficij, dici potest fructus pertinere ad certã personã, scilicet ad ipsũ Commendatariũ, vel œconomũ, vt notat Nauarrus, non tanquã ad

Domi-

A Dominium, sed sicut ad eum, qui tenetur illos conseruare redditurus vero Domino, qui futurus erit suo tẽpore. Vel saltem dicti fructus sub dominio sunt Summi Pontificis tanquam supremi dispensatoris omnium bonorum ecclesiasticorum, ad quem spectat fructus beneficij vacantis, vel suis, vel aliorum vsibus pro ratione occurrentis necessitatis assignare.

Sequitur ex secunda conditione enarrata excusari ab hac censura vsurpantem, vel sequestrantem fructus ecclesiasticos, quos probabiliter ignorat esse ecclesiasticos: est enim commune in omni violatione legis humanæ, vt transgressor non incurrat pœnam, nec sit reus culpæ, si committat opus lege damnatum bona fide, & ex ignorantia, si alioquin illud factum, neque B lege naturæ, neque diuina sit prohibitum, & ipse non teneatur illud scire ratione officij sui, vt habetur in §. Notandũ vbi copiose explicat Glos. Ver. Omnis ignorantia 1. q. 4. & est regula *Ignorantia facti, non Iuris, excusat* De Reg. Iur. lib. 6. & ibi Glos. Immo non solum ignorare probabiliter fructus, qui vsurpantur, vel sequestrantur, pertinere ad ecclesiasticas personas excusat ab excommunicatione, sed etiam potest excusare iusta ignorantia huius constitutionis, presertim personas simplices, & idiotas, sicut dicit Glos. in dicto §. Notandum, Ver. Omnis ignorantia 1. q. 4. de rusticis, mulieribus, militibus, qui degunt in angustis oppidulis, in quibus Bulla promulgatur, & valde raro a C Rectoribus animarum declaratur.

Sed contra obijcies lex, & Constitutio pœnalis afficit etiam ignorantes, cum in ea apponitur, vt a die datæ obliget, vt inquit Glos. celebris Clem. 2. Ver. Ex tunc de Hæret. Aut cum ponitur in ea decretum irritans, vt in Clem. n. 1. § Propter prope fi. eod. tit. sed vtraque clausula habetur in Bulla Cœnæ, vt patet in fi. post excommunicationes, ergo hæc excommunicatio obstringit quoque ignorantes.

Respondendum est, ignorantiam Cõstitutionis pœnalis, in qua reperiatur decretum irritans, & clausula ex tunc non habere vim ad conualidandum actum, qui D non subsistit, quamuis bona fide, & ignoranter sit gestus non seruata forma constitutionis, quoniam legis latori ita placuit, & hanc suam voluntatem declarauit apponendo illas duas clausulas, quare talis constitutio comprẽhendit etiam ignorantes, quoad annullationem actus, quæ dici potest intrinseca pœna, & multi Doctores censent non esse verè pœnam, & Abb. Felin. Dec. in cap. 2. de Constit. secus verò est de pœna extrinseca, quæcunque illa sit, siue corporalis, siue pecuniaria, quæ nunquam incurritur, vbi factum habet annexam, ignorantiam probabilem, tunc enim puniretur innocens, quod omni legi repugnat: & multò magis hoc affirmandum est de censura excommunicationis, quæ non habet locum, vbi cessat culpa lethalis, & nisi adiunctã habeat contumaciam, & inobedientiam, vt probatum est lib. 3. Disp. 1. cap. 3. Quando verò præsumenda sit ignorantia probabilis ex coniecturis colligendum est, de quibus dixi.

Hæc dicta sunt ad declarationem huius excommunicationis latę contra vsurpantes, vel sequestrantes iurisdictionem, & fructus ad ecclesiasticas personas attinentes. Eadem excommunicatio quoad vsurpantes iurisdictionem temporalem Clericorum habetur in cap. Non minus de Immun. Eccles. ibi, *Iurisdictionem etiam, & auctoritatem Prælatorum ita euacuant, vt nihil potestatis eis in suis videatur liminibus remansisse*, quæ tamen non est reseruata ex Concilio Lateranen. sub Alexandro Tertio cap. 19. desumpta. Eadem excommunicatio innouata, & cõfirmata fuit pariter in Concilio Lateranẽsi sub Leone X. & habetur sess. 9. in Bulla Reformationis post med. Vers. Et cum fructuum ecclesiasticorum, quæ refertur etiam a Rebuff. in sua explicatione Bullæ Cœnæ. Prohibet Concilium, ne fructus Ecclesiarum, Monasteriorum per seculares vllos Principes, etiam si sit Imperator, aut per eorum Officiales, seu Iudices etiam ecclesiasticos de ipsorum Principum mandato sequestrentur, aut occupentur, vel modo aliquo detineantur sub pœna excommunicationis, aut Interdicti ecclesiastici talium Principum Terris & Domino eo ipso incurrendis, additis etiam alijs pœnis priuationis priuilegorum, & feudorum &c. Tandem contra eosdem vsurpatores, & detẽtores fructuum, & bonorum ecclesiasticorum alia edita est excommunicatio grauissima in Concilio Triden. sess. 24. cap. 11. de reform. Vbi quicunque siue Clericus, siue Laicus, cuiuscunq. dignitatis, qui Ecclesiæ, seu cuiusuis secularis, vel regularis beneficij Montium Pietatis, vel aliorum piorum locorum iurisdictiones, bona, census, iura etiam feudalia, fructus emolumenta, seu quascunque obuentiones per se, vel per alios vi, vel timore incusso, seu quacunque arte, aut quocunque quæsito colore in proprios vsus cõuertere, illosque vsurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab ijsdem, ad quos iure pertinent, percipiantur, anathemati tamdiu subijcitur, quamdiu supradicta, quæ occupauerit, Ecclesiæ restituerit, ac deinde à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quòd si eiusdem Ecclesiæ patronus fuerit etiam iure patronatus, vltra prædictas pœnas, eo ipso priuatus declaratur, Clericus vero, qui huius nefandę fraudis fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subijcitur, nec non quibuscunque beneficijs priuatur, & ad quæcunque alia beneficia inhabilis efficitur, & a suorum ordinum executione etiam post integram satisfactionem, & absolutionem, sui ordinarijs arbitrio suspendi præcipitur.



EXCOMMVNICATIO DECIMAOCTAVA.

QVIVE COLLECTAS, DECIMAS, TALLIAS, PRÆSTANTIAS, ET ALIA ONERA CLERICIS &c.

DISPVTATIO XIX.

DE EXCOMMVNICATIONE CONTRA Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Monasteriis, aut eorum fructibus.



Aec Censura etiam fertur ad defensionem Ecclesiasticę Immunitatis, & libertatis, & est vltima pars decimi quarti Canonis, ideo sumit initium ex eadem dictione relatiua, *Quive* sicut precedentes, & omnes continentur sub eisdem vocibus excommunicationis, & anathematis, positis initio Canonis decimiquarti.

Materia huius excommunicationis est sacrilegium quo læditur libertas, & Immunitas Ecclesiastica in impositione onerum personia Ecclesiasticis, ac rebus illorum, & bonia Ecclesiarum. Quoad personas est vniuersalis, & neminem excipit. Actione principales sunt tres. Prima imponere sine speciali, & expressa licentia Pontificis collectas, decimas, tallias, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & alijs personis Ecclesiasticis, vel bonis eorum, aut Ecclesiarum, vel Monasteriorum, vel aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, vel illorum fructibus, & prouentibus. Secunda actio exigere eadem ab eisdem diuersis exquisitis modis. Tertia actio sic imposita exigere etiam a sponte dantibus, & concedentibus. Actiones accessoriæ sunt, non vereri facere exequi, vel procurare prędicta per se, vel per alios directè, vel indirectè. Tandem dare auxilium, consilium, & fauorem prædictis.

Hæc excommunicatio tempore Clementis Septimi non recensebatur inter alias Bullæ Cœnæ, quamuis olim in ea reposita esset: nam meminit illius Sylue. excommunicatio 7. §. 77. excommunicatione 32. Tempore verò Pauli Tertij primùm cœpit exprimi his verbis sicut modo legitur. Tamen licèt prius in Bulla distinctè non legeretur, virtute continebatur, & implicitè in Canone decimoquinto, vbi prohibentur statuta omnia, quibus quouis modo tollatur, vel lædatur libertas Ecclesiastica. Sed imponere onera Clericis, & personis Ecclesiasticis, manifestè Ecclesiasticæ Immunitati aduersatur. Quare si quis tunc collectas huiusmodi Clericis imposuisset in excommunicationem Bullæ incidisset. Verùm additus fuit postea hic Ca non ad maiorem declarationem, vbi damnatur talis impositio, & exactio generaliter, siue fiat per modum statuti, siue praecepti, aut mandati per violentiam, vel quocunque alio modo, quod in decimoquinto Canone non continebatur, vel saltem non satis explicabatur. Icem hoc in loco fit extensio ad accipientes etiam sponte oblata.

In Bulla Pauli Tertij vsq. ad Gregorium decimumtertium, post illa verba, *Aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem*: Sequebantur hæc, *Aut certum suffragium palam vel occultè*, scilicet præstare non verentur, quæ verba post Sixtum Quintum non apponuntur.

Caput Primum, De Immunitate, & exemptione ab oneribus, quæ ecclesiastici, & bona Ecclesiarum gaudent.

Caput Secundum, De prima actione principali damnata ab initio Canonis vsque ad illa verba; Et diuersis etiam exquisitis modis exigunt.

Caput Tertium, De alijs duabus actionibus damnatis, idest de exigentibus à personis ecclesiasticis gabellas, & de recipientibus etiam à sponte dantibus, ibi, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam a sponte dantibus, & concedẽtibus recipiunt.

Caput Quartum, De actionibus accessoriis sub eadem censura excommunicationis damnatis: Nec non qui per se vel alios *vsque ad finem Canonis.*

Caput Quintum, Enarrantur, & discutiuntur excommunicationes, et aliæ pœnæ Iure antiquo contra grauantes collectis, & impositionibus personas ecclesiasticas, impositæ

Caput Sextum, Proponuntur dubia de eadem immunitate Ecclesiarum, & Clericorum a Collectis, Talliis, & aliis oneribus.

CAPVT I.

De Immunitate, & exemptione ab oneribus, quæ ecclesiastici, & bona Ecclesiarum gaudent.

VT clarius, & facilius intelligantur, quæ dicenda sunt de hac excommunicatione: Non erit ab re si in hoc primo Capite pertractemus de exemptione ab oneribus temporalibus iure concessa Clericis, & bonis Ecclesiarum; sciendum est itaque plura esse priuilegia, quæ continet immunitas tam Clericorum, quam bonorum Ecclesiasticorum.

De

De quibus varijs in locis disputant Doctores. Nam si loquamur de Clericis, & personis ecclesiasticis præter priuilegium Canonis, & fori, quæ sunt insigniora, & alia plura, quæ modò referre non pertinet ad nostrũ institutum, gaudent etiam priuilegio exemptionis ab obligatione onerum, quæ sunt in triplici genere. Alia enim sunt personalia, alia realia, alia mixta partim realia, partim personalia. Non possunt Clerici obligari ad munera personalia. l. omnis, & l. omnes 31. §. Priuilegijs. C. De Episc. & Cleri. capit. Ecclesiarum 12. quæst. 2. Porrò munerum personalium genera sunt tria, & dicuntur personalia munera, quæ corporis labore, & aliquo eius, qui gerit, detrimento fiunt. l. vlt. C. de mune. & honorib. Quædam sunt munera sordida, vt Cloacæ mundandæ, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, stabuli purgandi, de quibus in l. Maximarum. C. de excusat. muner. lib. 10. in Ver. Sordidorum. quædam non sunt sordida, sed honesta, quia habent annexum honorem. Huiusmodi sunt officia secularia Magistratuum ciuilium: quædam simplicia sunt, nec honorabilia, nec vituperabilia, vt tutela, vel cura data, vel testamentaria.

Ad munera sordida obligari nequeunt Clerici, aut eorum mancipia, aut coloni, aut familiæ. l. 2. C. de Episc. & Cleri. cap. Ecclesiarum seruos 12. quæst. 2. & capit. sunt 16. quæst. 1. Item ad munera personalia secundi, & tertij generis minus etiam Clerici obligantur cap. Generaliter placet 16. quæst. 1. & cap. Sacerdotibus, & cap. sed nec procurationes, de Clerici, vel Mona. & C l. Generaliter. C. de Epi. & Cleri.

Si contra obijcias. l. Neminem. C. de sac. sanct. Eccles. Vbi statuitur non esse immunes Ecclesias a muneribus debitis propter Principis aduentum, & Innoc. in cap. Non minus de Immun. Eccles. similiter tenet Clericos obligatos esse ob Principis aduentum ad onera subeunda.

Respondet Abb. in dicto cap. Non minus nu. 16. non potuisse Imperatorē hoc statuere in præiudiciũ Ecclesiæ, & nō sequitur Innoc. existimantē Ecclesiam teneri pro aduẽtu Principis, & felicis embolæ cōtra Dei legē. cap. Sunt quidā 25. q. 1. Emboliũ à veteribus dicebatur argumentũ, & ingressus scenicus Cic. ad Atticũ *Embolium nouum cogito* Sic per translationem *Embola* græca D vox inter extera Itineris ingressum significat, qui felix dicitur propter Imperatoriam maiestatem. Idem affirmant Ang. Ver. Immunitas §. trigesimotertio, & Sylue. Ver. Immunitas §. decimosexto, Vers. Secundùm ad munera, & Sylue. addit l. Neminem. C. de sac sanct. Eccles. nullius esse roboris nō solùm quantum ad Clericos, sed etiam quoad seruos, qui sunt dominio Ecclesiarum subiecti, quia iure diuino sunt exempti, vt in cap. Si Imperator distinct. nonagesimasexta, & facit l. Rescripto, & ibi Bart. ff. de Muner. & Honor. quod notauit Innocen. in capit. secundo de Maior. & Obed. Secus verò ait de famulis, & alijs laicis, qui ad tempus mercede conducti Ecclesijs inseruiunt, tales enim sunt sub Imperatore iuxta notata in cap. Iu- E dicatum octuagesimanona distin. & ab eodem exempti a plurimis oneribus, vt in l. prima, & secunda. C. de Episc. & Cleri. Idcirco potuit eorum immunitatem limitare, vt in simili notat Glos. in capit. Cum secundùm leges de Hæret. lib. 6.

Si quærat aliquis, An Clerici obligentur ad custodiendam Ciuitatem, & ad alia onera, quæ communem respiciunt vtilitatem tam Clericorum, quàm Laicorum, ratio enim, & ciuilis, & naturalis suadere videtur, vbi de communi vtilitate agitur Clericos vna cum

A Laicis communiter absque vllo discrimine obligatos esse debere vtpore cum agitur de reparandis, aggeribus iuxta mare, & flumina. Item ad euitandas rapinas, incendia, captiuitates, & huiusmodi alia pericula, quæ non minus Clericis, quàm Laicis possunt esse nocumento. Quod & Clemens Quintus in Clemen. 1. de Censi. his verbis exprimit *Cum sit naturæ consonum illos non recusare onera, qui rerum commoda complectuntur,* Vnde prodijt adagium, *Neque mel, neque Apes*. Nec aliter sensisse videtur Gregorius Papa primus lib. 7. Epistola vigesima, Indic. prima Registri, refertur in cap. secundo de Immun. Eccles. qui Agnello Terraconensi Episcopo scribens præcipit, ne quis etiam Ecclesiæ nomine, in murorum vigilijs se excusare valeat his B verbis. *Quia cunctis vigilantibus melius valet Ciuitatis custodia procurari*. Nec enim vlla videtur maior pietas, quàm defendere Patriam, pupillos, viduas, senes, debiles, & pauperes ab Hostibus tueri testimonio Sancti Ambrosij lib. 1. de off. cap. vigesimoseptimo, refertur cap. Fortitudo 23. quæst. tertia. *Fortitudo, quæ vel in bello tuetur à Barbaris Patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios plena iustitia*, & cap. Non inferenda eadem cau. & quæst. dicitur *Non in inferenda, sed in depellenda iniuria lex virtutis est*.

Ad hanc difficultatem respondet Abb. in capitulo Peruenit numero sexto, de Immun. Eccles. Clericos non obligari ad custodiam Ciuitatis, nisi Ciuitas graui necessitate prematur, vt commode custodiri non valeat sine Clericorum præsidio, capit. Generaliter, & ibi Glos. Ver. Collationibus 16. quæst. 1. Quod est intelligendum, vbi iudicio Episcopi declaratum sic grauem imminere necessitatem, cui per laicos tantum succurri nequeat, & dummodo per Episcopum, & non per laicos Clerici cogantur Ciuitatem custodire & tueri, vt docent Ang. & Sylue. locis citatis post Host. Nec quidquam facit Constitutio illa Gregorij, vt in communibus periculis Clerici non amplius quàm laici excusentur à murorum vigilijs, quia si varios ac diuersos patiatur sensus, mihi tamen germanus videtur ille Innoc. Host. & Ant. Butr. in eod. cap. 2. de Immun. Eccles. vt accipi debeat de his locis, quibus improuisum imminet periculum, vti est Terracina, quæ cum prope mare sita sit, multis Turcarum incursionibus & direptionibus patet, quo casu non Clerici solum, sed & ipsi Episcopi pro mœnibus debēt vigilare, quandoquidem ipse Romanus Pontifex, vt auxilio suis esset, hostibus per se ipsum aliquando occurrit. Quod Leo Quartus se fecisse testatur in cap. Igitur 23. q. 8. & cap. seq. Scire vos. Nec ab re glos. dixit in eodem cap. Scire vos, in Ver. & egressi, Episcopos posse bellis interesse gregem suum defendendo.

Obijcies, Clerici iure diuino, & naturali tenentur; At cum necessitas vrget custodiendi Ciuitatem videtur ius naturæ præscribere vt tam Clerici, quàm Laici ad id teneantur.

Respondeo argumentum solùm probare Clericos tali imminente necessitate, nec iure diuino, nec naturali exemptos esse a tali custodia, sed vt Clerici compellantur seruare id, quod est iuris diuini, aut naturalis, laicorum non est, sed Episcoporum, & aliorum Antistitum ecclesiasticorum. Et hæc sufficiant de oneribus personalibus.

Quantum ad munera, vel onera realia laicorum, & Reipub. idē affirmandũ est, sicut de oneribus personalibus, nēpe ad illa subeũda Clericos minimè obligari. Dicuntur munera realia, quæ sumptibus patrimonij expediuntur, & vocantur onera realia, quia imposita

sunt rebus, l. 1. Vers. Illud tenendum est, l. fin. Vers. Patrimoniurum sunt munera. ff. de mune. & honor. Huiusmodi munera realia aut sunt simpliciter realia, aut ex parte etiam personalia. Simpliciter reale est, vt quod iumentum, vel plaustrum, vel nauigium Ecclesiæ aut Clerici inseruiat ad certum diem Reip. Item quòd Ecclesia, vel Clericus certam fructuum annuorum partem exoluat Reip. vel certam quotannis pecuniæ quantitatem.

Eodem modo liberi & exempti sunt Clerici à muneribus partim realibus, & partim personalibus, quæ habent & sumptus aliquos patrimonij & onus aliquod personæ, l. vlt. §. mixta ff de muner. & honor.

Dicet quis, Petrus soluit tributum Cæsari, immo & Christus, vt habetur Matt. cap. 17. in fin Ergo multo B magis personæ Ecclesiasticæ erunt obligatæ illud persoluere, inquit enim Euangelista, adueniente Domino, Capharnaom accessisse publicanos, qui exigebant didracma, & dixisse Petro *Magister vester non soluit didracma?* & Petrum respondisse affirmatiue *Etiam*, Atq; tunc Christum Petro dixisse, vt ad mare se conferret, & ex ore piscis, quem primo hamo apprehenderet, staterem, sumeret, & traderet exactoribus tributi pro ipso Domino & Petro. Si Christus & Vicarius eius Petrus Imperatori seculari soluere vectigal non recusarunt cur immunitate & exemptione ab huiusmodi oneribus gaudere debent personæ Ecclesiasticæ, si Petrus caput Ecclesiæ & Pastor non est liber, quo pacto liberi & exempti erunt alij Ecclesiastici? C

Respondendum est, si hoc argumentum, quo ineptè vtuntur Hæretici huius temporis ad refellendum Romani Pontificis primatum, & Ecclesiæ immunitatem tollendam, quia Petrus tributum soluerit, aliquid probaret, ob eandem rationem cōcluderet nec Christum quidem Ecclesię Caput esse, quia ipse etiam tributum soluit, quod est ridiculum, quia soluit, cum non deberet, nec Petrus debebat. Quòd autem ad huiusmodi solutionem non teneretur Christus, neque Petrus, ipsemet Dominus in eodem loco aperte significauit, cum à Petro quæreret, à quibus Reges terræ tributum acciperent *à filijs suis, an ab alienis*, & ille respondisset, *Ab alienis*, Tunc dixit Petro, *ergo liberi sunt filij, vt autem non scandelizemus eos, vade ad* D *mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens dà eis pro me & te.* Quibus verbis, vt D. Chrisostom. & alij Patres annotarunt, Christus significare voluit, nec se nec Discipulos suos debere, se, quia Filius Dei erat, Discipulos suos, quia ipsius familiares, & domestici censebantur, & non solum Regum filij, sed eorum etiam domestici à tributis liberi sunt. Voluit autem tributum Cæsari soluere nō ratione subiectionis, sed charitatis, vt exigentes non scandalizarentur, & licèt non fuisset scandalum datum, sed acceptum, vt vocant Theologi, sed id ipsum eum facile posset, vitare voluit.

Quòd autem quidam ex his verbis Christi disputāt E vtrum omnes Christiani, quia filij sunt Dei, aut quia quodammodo Christi familiares sunt, tributis soluti sint, ne locum quidem vllum dubitationis habere videtur. Nam & si Christiani adoptione filij Dei sunt, Christique nomen gerunt, tamen eius domestici, vt Apostoli non sunt & D. Paul. ad Rom. cap. 13. Christianos iubet suum cuique reddere, cui honorem honorem cui tributum, tributum. Neque S. Ang. qui in eam sententiam citari solet, lib. 1. quæst. Euangelicarum cap. 23. ita sensit, sed maiore probabilitate po-

A test allegari D. Hier. qui ita ad illud 17. cap. Matth. scripsit, *Ille pro nobis & Crucem sustinuit, & tributa reddidit, nos pro illius honore tributa non reddemus, & quasi filij Regis à vectigalibus immunes sumus*; Sed aut allegoricè loquitur S. Hier. quod tributum, vt ante solebamus Diabolo, non soluamus, aut de solis agit Ecclesiasticis, qui ipsius tempore Christianis iam Imperatoribus à vectigalibus immunes erant. Et hæc breuiter de immunitate Clericorum, de qua latè Abb. in cap. Non minus n. 12. & seqq. de Immun. Eccles.

Verum non tantum personæ Ecclesiasticæ & Ecclesiæ ipsæ, sed etiam bona ipsarum gaudent peculiari immunitate, bona autem Ecclesiastica duabus ex rebus potissimum constare Decimis videlicet, & pijs B Legatis notauit Marcus Antonius Marsilius Columna Salernitanus Archiepiscopus in tract. de Eccles. Reddi. Decimæ ab origine mundi diuina lege constitutæ sunt in Sacerdotum vsus, itemque legata pia, ex quibus veluti ex fonte Ecclesiastica emanasse bona compertum est omnibus, quamuis Domi. Sott. lib. 10. de iust. & iu. q. 4. art. 3. ex quatuor generibus bona Ecclesiastica constare non malè opinetur, quæ tamen illis duobus insunt, sicut in istis quatuor, illa duo agnoscuntur, aut enim Decimæ sunt, aut pia legata. Cum quidquid Ecclesiæ, aut eius Ministris obuenit, aut decimarum iure detur, aut iustis piorum hominum largitionibus erogetur. Nam in primordijs Ecclesiæ Christifideles omnia in commune conferebant, vt in- C de tam Clerici, quàm pauperes alerentur, legitur in Act. Apost. cap. 4. Neminem inter eos agentem fuisse, quotquot enim possessiones agrorum aut domorū habebant vendentes offerebant precia eorum, quę distrahebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Postea videntes Summi Pontifices plus vtilitatis percipi posse, si hæreditates & ægros, quos vendebant, Ecclesijs traderent, quodque ex redditibus eorum, tam præsentibus, quàm futuris temporibus plura & maiora commoda obuenire possent, fidelibus communem vitam degentibus, quam ex precio ipsorum, cœperunt prædia rustica & vrbana, quę distrahi solebant, Ecclesijs tradere, & ex prouentibus ipsorum viuere, quod & Vrbanus Papa cap. Videntes 12. q. 1. testatur Atque D hoc est Dominico Sotto, teste primum bonorum Ecclesiasticorum genus, alterum est bonorum, quę postmodum offerri etiam Ecclesię cœperunt non solum in fabricę ac pauperum subsidium, sed tanquam stipendium alicuius perpetuę, vt vocant, Cappellaniæ, tertium genus bonorū Ecclesiasticorum constat ex quotidianis pietantijs, vt ait Sotus, quas nos stipes & quotidianas distributiones appellamus. Est enim pietantia hodie portio quædam cibi, quæ viris claustralibus in publico Triclinio, quod Refectorium vocatur, bis in die, mane scilicet & vespere simul commedentibus datur. Nec non ex oblationibus, quæ vel pro sacris celebrandis fiunt, vel quę ad pedem Altaris ponuntur. Quartum denique genus est decima- E rum quota iure Clericis debita. Itaque videmus hæc quatuor genera illis duobus comprehendi & contineri, quorum administrationem & procurationem habent Sacerdotes, & fructuum illius portionis, quæ vnicuique contingit, vere sunt Domini, proprietatis non item, vt cuius penes Christum extet tantummodo dominium.

Hinc fit, vt bona ipsa ecclesiastica, perinde atq. personæ immunitatum gaudeant beneficio, quod & sacra testantur eloquia: Nam Pharao, qui licèt legis diuinę notitiam non haberet, vt in Concilio Lateranensi cap.

19. sub Alexandro Tertio, & refertur in cap. Non minus de Immun. Eccles. diuino tamen quodam spiritu ductus alijs seruituti mancipatis Sacerdotes, eorumq. possessiones in libertate reliquit. Sic enim legitur in lib. Genes. cap. 47. *Ex eo tempore vsque in præsentem diem in vniuersa Terra Aegypti Regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem, absque Sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.* & in lib. 1. Esdræ cap. 7. scribitur, *Vobis quoque loquitur Artaxerxes Persarum Rex, cum Iudæorum potiretur Regno, notum facimus de vniuersis Sacerdotibus, & Leuitis, & Cantoribus Nathinæis, & Ministris Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.* Hinc Bonifacius Octauus in cap. Quanquam, & Glos. in Ver. Diuino de Cẽsi. lib. 6. quam communi Doctorum consensu receptam esse testantur Felin. in c. 2. de maio. & obed. Decius in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ de Const. Rebuff. in Concord. Rubr. de protectione, & Iulius Clarus in Pract. Crim. §. fin. q. 36. in princ. tradunt hanc immunitatem esse iuris diuini. Mirum ergo non est, si bona ecclesiastica fauores, priuilegia, & immunitates sortita sint, sicut & personæ ecclesiasticæ. Hæc autem priuilegia plura sunt, & eximia, & inter cætera illud non infimum tenet locum, quod huiusmodi bona exempta sunt, & immunia à Gabella, idest vt Ecclesię, & Clerici pro dictis bonis non sint obligati persoluere gabellam, vectigal, pedagium. §. Quamtis cap. In qualibet Ciuitate, & cap. Secundùm Canonicam 23. q. 8.

Quæret aliquis, An personæ ecclesiasticæ, Ecclesiæ, & bona ipsarum sint omnino, & simpliciter exempta, & libera ab omni exactione, & collecta.

De hac difficultate dixi aliqua in Disp. 16. cap. 5. ad vigesimam secundam dubitationem, addam alia nonnulla, quæ ad clariorem explicationem huius excommunicationis, de qua agimus, conferre possunt. Honorius, & Theodosius Imperatores quod ad hanc immunitatem rerum ecclesiasticarum spectat, ita decreuisse in l. Placet. C. de sac. san. Eccles. *Placet &c. præscribere, à quibus specialiter necessitatibus Vrbium Ecclesiæ singularum habentur immunes. Prima quippe illius vsurpationis contumelia depellenda est, ne prædia vsibus cælestium secretorum dedicata sordidorum munerum fere vexentur, nil extraordinarium ab hinc super indictumve flagitetur, nulla translationum solicitudo signetur &c.* Quę sanè lex inter sacros Canones a Gratiano in cap. Generaliter. §. Placet 16. q. 1. relata fuit.

Hanc legem Cinus ad dictam l. Placet num. 4. Bart. num. 58. Ias. num. 8. & alij Doctores explicant, de Immunitate Ecclesiarum a sordidis, & super indictis, & quibuscunque extraordinarijs muneribus non item ab ordinarijs, & ab alijs, quæ propter subditum Principis aduentum, imponuntur. Nam ijdem Imperatores ad instructiones itinerum, pontiumque sacrosanctas Ecclesias teneri mandaront. l. ad instructiones. C. eod. de sac. san. Eccles. quòd hæc inter sordida munera non adscribantur, quemadmodum, & Anastasius Imperator, vt Archid. tradit in dicto cap. Generaliter. §. Placet 16. q. 1. Quippe qui voluit neminem penitus cuiuscunque ordinis, seu dignitatis, vel sacrosanctam ipsam Ecclesiam expeditionis tempore excusationem angariarum, seu parãgariarum habere. Quod constituisse videntur Theodosius, & Valentinianus. l. Iubemus. C. de sac. san. Eccles. Vnde Innoc. in cap. Non minus de Immun. Eccles. vt dixi paulo ante, arbitratus est Ecclesias ob aduẽtum Principis, teneri ad onera subeunda; Item ad refectionem pontium, viarumq. & ædificationem, & restaurationem Vrbium, & muro-

A rum. Idem quoque ibi Glos. in Ver. Releuandas, Host. & quidam alij. Nonnulli vero negant, nisi consulto prius Romano Pontifice, cuius interest communibus vtilitatibus prouidere, vt declaraui in dicto cap. 5. Dispur. 16. Verùm cum id ansam quodammodo laicis Principibus obtulisset Ecclesias expilandi, Bonifacius Octauus edixit in cap. Clericis. §. Nos igitur de Immun. Eccles. lib. 6. Vt quicunque ecclesiasticus cuiuscunque nominis & generis collectas, vel tallias, decimam, vigesimam, seu centenariam suorum, & Ecclesiarum prouentuum, vel bonorum laicis solueret, aut promitteret absque Sedis Apostolicæ auctoritate, sententiam excommunicationis incurreret. Idcirco Io. And. in cap. Non minus de Immun. Eccles. & in cap.

B Constitutus de Relig. Dom. asserit non videre, qua ratione Digestarum, & Codicis constitutiones obstringere possint Ecclesias ad huiusmodi onera. Idem sentit Ant. Butr. in dicto cap. Non minus num. 10. & Bart. in l. ad instructiones. C. de sac. san. Eccles. per nouam Federici Imperatoris in Auth. Item nulla Communitas. C. de Epi. & Cleri. *Item nulla Communitas, vel persona publica, vel priuata collectas, vel exactiones, angarias, vel perangarias Ecclesijs, vel alijs pijs locis, aut ecclesiasticis personis imponant*, Et hanc esse communẽ vtriusque iuris interpretum opinionem testatur Abb. in c. Non minus num. 18. de Immun. Eccles. eamque confirmat iuribus, rationibus, & grauissimorum Docto-

C rum auctoritatibus; Atque ita etiam Senis pro Monasterio Montis Oliueti se consuluisse, victoriamque reportasse scribit: Et tandem concludit bona ecclesiastica nõ teneri ad aliqua onera, vt ipse loquitur, mundana, nisi prius fuissent censualia, aut tributaria, antequam peruenissent ad Ecclesiam, ita quod soluissent certum tributum, seu censum. Tempore vero necessitatis, aut publicæ vtilitatis permissum est ex constitutione Concilij Lateranen. in dicto cap. Non minus Vers. Quo circa de Immun. Eccles. ad releuandas cõmunes vtilitates, & necessitates, vbi laicorum nõ suppetunt facultates, ex bonis Ecclesiarum, & Clericorum posse subsidia præstari, si ita Episcopus, & Clerus expedire iudicauerint, Romano priùs consulto Ponti-

D fice, nisi tanta immineret necessitas, vt nõ nisi magno cum periculo, seu scandalo haberi posset ad summum Pontificem recursus. Quod & Abb. placuit in dicto c. Non minus nu. 19. & in c. fin. nu. 8. de Eccles. ædif. & in cons. 3. Multa permittuntur ob vrgentem necessitatem, quæ alioquin censentur prohibita, Sylu. excommunicatio 9. §. 14. vers. vtrùm imminente, &c.

Constat iam ex dictis, qua immunitate gaudeant Clerici, & Ecclesiarum bona quoad exemptionem a muneribus publicis, collectis, & alijs oneribus. Neq; idcirco iustè conqueri possunt laici, si ipsi multa perferant onera, nam cum duæ sint Respublicæ iuxta di-

E uisionem iurisdictionum a Deo præcedentium, secularis scilicet, & Ecclesiastica, c. duò sunt dist. 96. laici ferre debent onera Reipub. secularis, & mundanæ, Clerici verò onera Reipub. spiritualis, & Ecclesiasticę. Illa subit onera sibi imposita a Principibus laicis, hæc indicta a summo Pontifice, vt notauit Abb. in cons. 3. n. 5 Si ergo laici non subeunt onera ratione Reipublicæ spiritualis imposita Ecclesiasticis, nihil est absurdi Ecclesiasticos non debere onera ferre Reipub. laicæ imposita laicis. Quæ verò solent indici Ecclesiasticis personis, recensentur ab Euerard cons. 30. nu. 22. Quorum præcipuum est decima Papalis Clem. fin. de Dec. quam frequenter Rom. Pontifex imminente periculo ad rem Christianam pecunia iuuãdam aduersùs Turcas,

cas, Hæreticos, atque alios Christiani nominis inimicos, & hostes vniuerso Clero imponere consueuit. Quare etiam ab Ecclesiasticis ratione publicæ totius Christiani Orbis vtilitatis multa perferuntur onera, quæ non subeunt sæculares. Verùm his non contenti nonnulli Principes laici, vel eorum Magistratus, aut Iudices non rarò nouis exactionibus & tributis contra omne ius ecclesiasticas personas vi atque metu vexare & perturbare non cessant, & immunitatem diuino humanoque iure illis debitum varijs modis, & exquisitis coloribus tollere, vel deminuere moliũtur. Ideo opus fuit, vt contra talium audaciam & conatum Summi Pontifices, ad quos cura Ecclesiarum omnium, & Clericorum tutela pertinet, opportunum remedium apponerent. Hinc factum est, vt ijdem Pontifices & sacra Concilia grauissimis pœnis, adiecta etiã excommunicationis censura, in hos Ecclesiasticæ immunitatis violatores & perturbatores animaduerterent, vtque illos magis ab hoc scelere deterrerent, excommunicationem in eos inflictam inter alias maiores, quæ quotannis in die Cœnæ Domini solenni ceremonia promulgari solent, connumerare statuerent, quæ in hoc decimo octauo Canone continetur, ad cuius explicationem accedo.

CAPVT II.

De prima actione principali damnata ab initio Canonis vsque ad illa verba; Et diuersis etiam exquisitis modis exigunt.

Excommunicantur quicunque imponũt collectas, decimas, tallias, præstantias, & alia onera Clericis, & alijs personis Ecclesiasticis vel bonis, aut fructibus Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum absque speciali licentia Romani Pontificis. Quare hæc excommunicatio afficit offendentes Ecclesiasticam immunitatem vel in personis ecclesiasticis, vel in bonis Ecclesiarum.

Quic. Hæc dictio relatiua *Quic* posita initio huius capitis, vnde initium sumunt etiam alij præcedentes post decimum quartum, indicat hanc excommunicationem extendi ad omnia personarum genera, quę exprimuntur in Canone 14. Quod vt magis esset omnibus notum & manifestum, distinctè repetitum fuit in fine Canonis, cum dicit; *Cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis ordinis &c.* Quæ cum sint in fine posita, referuntur ad omnia præcedentia, cap. Secundo requiris De Appella. Quamobrem, quicunque sit, qui imponit onera Clericis, vel bonis Ecclesiarum, siue Ecclesiastica persona, siue secularis quacunque dignitate præfulgens Pontificali, siue Imperiali; aut Regali, siue sit Iudex Præsidens, Consiliarius, Senator, vel alio appelletur nomine, incidit in hanc excommunicationem.

Collectas, decimas, tallias, præstantias. Quid tres primæ voces significent, & quo pacto differant ab alijs nominibus, quæ reperiuntur in iure & apud Doctores ad denotandum varia genera exactionum, quæ à Principe, vel Magistratu imponuntur sub diuersis titulis subditis suis, plenè declaraui in Disp. 6. cap. 1. nihil est modò repetendum. Hoc in loco his vocabulis significatur omnis exactio publica ex quacunque causa imposita, quæ percipitur à personis ecclesiasticis, vel bonis, aut redditibus ipsorum, vel Ecclesiarum, & iuxta communem vsum loquendi sub nomine Gabellæ continetur. Additur illa Dictio, *Præstantias*, quæ in iure non reperitur, & eius vsurpatio recens est, neque est latina vox, sed vulgaris accommodata communi vsui loquendi ad significandum tributum quoddam, quod aliqui Reges, & Principes solent exigere a suis Regnis & subditis certo tempore sub nomine mutui, vt subueniant suis indigentiis, & ideo vulgariter *Præstantia* nuncupatur. Est tamen mutuum, quod nunquam restituitur. Vnde si ad colligẽdam hanc pecuniarum summam taxentur Clerici, locus est huic excommunicationi.

Itaque siue imponatur, aut exigatur pro transitu per certa quædam loca, vt per flumina, pontes, confinia Ciuitatum, aut ratione personæ, aut bonorum, quę portantur, vel pro delatione in Ciuitatem rerum venalium ad humanam vitam necessariarum, vel pro rata & mensura bonorum, quæ possidentur, vel pro fructibus, qui ex possessionibus colliguntur, vel quacunque alia ratione, semper incurritur excommunicatio. De his agit Sylue. Ver. Gabella 1. §. 4.

Et alia onera. Vt comprehenderet omne genus exactionis publicæ; plures enim sunt ob diuersos fines impositæ, & varijs nominibus nuncupata, de quibus tractaui in dicto cap. 1. Disp. 6. ponitur hæc clausula generalis *& alia onera*. Hoc in loco intelliguntur excepta onera, quæ à Clericis & personis Ecclesiasticis exiguntur ab Episcopis & Prælatis Ecclesiasticis ex concessione Summorum Pontificum & sacrorum Canonum, ex illorum enim receptione non incurritur excommunicatio, quale est Synodaticum, seu Cathredaticum, quarta decimarum & mortuorum, subsidium charitatiuum, & reliqua solita iura Episcopalia, de quibus agitur in c. Conquerente de off. ordi. & Abb. ibi nu. 2.

Sed oritur difficultas, an hæc verba, sint interpretanda de solis oneribus realibus. Triplex enim est genus onerum, quibus personæ Ecclesiasticæ premi possunt, scilicet personale, reale, & mixtum, vt dixi in precedenti cap. quæritur, an sub nomine onerum omnia intelligere voluerit Summus Pontifex, vel solum onus reale, sicut sunt collectæ, decimæ, talliæ, & præstantiæ, quæ exprimuntur.

Respondeo per illam particulam *& alia onera*, intelligi debere & personalia, & realia, & mixta, & ideo in hanc censuram incidere, qui personas Ecclesiasticas quomodocunque, vel in corporis laboribus, vel in bonis vexauerint. Ad hoc affirmandum, his rationibus moueor. Primo quoniam mens Summi Pontificis ad pronunciãdam hanc censuram fuit tueri immunitatem Ecclesiasticorum, quoad exemptionem, qua fruuntur in ordine ad onera publica, & illã integram illæsamq; conseruare; seu cum maiori dedecore & detrimẽto dignitatis Ecclesiasticæ obstringuntur Clerici subire onera personalia, quàm persoluere realia, nam maior est iniuria, qua afficitur quis in persona, quàm in rebus externis, ergo recta ratio persuadere videtur multo magis excommunicari imponentes onera personalia Ecclesiasticis, quàm realia. Lex enim extenditur secundum mentem legislatoris & rationem ipsius legis, l. Cum Pater §. Dulcissimis. ff. de leg. 2. cap. Suggestum, & ibi Abb. n. 2. de appella. Facit optimus tex. in l. 1. ff. ad Tertull. & tex. cum Glos. in capit. Si postquam, in Ver. Mente de elect. libro sexto.

Secundo Constitutio etiam pœnalis recipit interpretationem extensiuam ex similitudine rationis, seu cohærentia rei & negocij, vt tradit Abb. in cap. Translato num. 1. de Constit. Sed similis est ratio, immo maior, vt dixi, si imponantur onera personalia Clericis, quam si imponantur realia. Sunt enim exemptiones

nes pertinentes ad eandem libertatem Ecclesiasticã. Igitur hæc excommunicatio complectitur vtrumque onus; Neque hoc modo Constitutio pœnalis dicitur extendi contra regulam, quia hoc erat ex mente & ratione ipsius Constitutionis, vt declarat Glos. in cap. Si postquam Ver. Mente de elect. lib. 6.

Tertio quamuis nomina illa, quæ exprimuntur, vt Collectæ &c. significent exactiones, quæ consistunt in rebus tamen vox illa, quæ adijcitur, *Onera*, generalis est, & complectitur tam personalia, quàm realia, etiãsi cum dictione *Alia*, quæ aliquando similitudinem infert cum præcedentibus, Glos. in l. si fugitiui, Ver. Alia C. de seru. fugit. Vbi explicat clausulam hanc *Alia pœna*, & inquit scilicet *simili*, tamen id non est semper verum, & interdum extenditur ad diuersa, tex. est elegans in cap. Officij ante fi. ibi, *Si per alios intelligas alienos* de Pœnit, & Remis. vbi Abb numero 2. notat per alium aliquando significari rem, diuersam in substantia & qualitate, Glos. in cap. Sedis Ver. Maiores in fi. de Rescript. Auth. vt Defuncti seu funerãtoru m in princ. ibi, *Milites congregare & seruos alios*, & tamen milites non sunt serui, vt Glos. notat Ver. & seruos, quod maximè dicendum est hoc in loco, cum finis huius Constitutionis persuadeat ita nos debere interpretari.

Quarto in cap. Non minus de Immun. Eccles excommunicantur similiter, qui imponunt onera personis Ecclesiasticis, vel Ecclesijs, vnde desumpta est hæc excommunicatio Bullæ, & tamen illa excommunicatio incurritur non solum ex impositione onerum realium, sed etiam merè personalium, vt affirmat Nauar. in Manua. cap. 27. num. 115. ex sententia Abb. in eod. capit. Non minus. Vsus est autem Summus Pontifex nominibus significantibus onera realia, tum quia frequentius contingit, vt à laicis personæ Ecclesiasticæ atque Ecclesiæ in huiusmodi oneribus vexentur, tum etiam quia his prohibitis sequebatur necessario multo magis intelligi debere interdicta esse onera merè parsonalia, tum denique quia non sunt aliqua propria vocabula ad exprimenda onera personalia, & huius opinionis est Sylue. excom. 7. §. 77. excom. 32. Vers. In personis imponentes noua onera realia vel personalia.

Clericis, Prælatis, & alijs personis Ecclesiasticis. Nomine Clericorum intelliguntur omnes tam minores, quam maiores, vt inquit Glos. in cap. Tua nobis Ver. Beneficiorum, de verb. signif. quamuis nõ appositum sit signum vniuersale *omnibus Clericis*, quia indefinita propositio Canonis, regulam tradere intendentis, æquipollet vniuersali, vt tradit Glos. in cap. Vt circa Ver. Aliorum Ecclesiasticorum de elect. lib. 6. & vocabulum Clericorum extenditur tam ad Canonicos, quàm ad non Canonicos, vt dicit tex. in cap. Cum tibi de verb. signif vbi Glos. in Ver Appellatio, notat largissimè sumi hoc vocabulum pro omnibus Clericis subditis Episcopo, sicut nomine beneficiorum omnia beneficia maiora & minora intelliguntur, vt inquit Glos. in dicto cap. Tua nobis Ver. Beneficiorum de verb. signif. & licèt aliquando nomen Clericorum accipiatur pro Clero Cathedralis Ecclesiæ tantum non Diœcesis, vt est tex. in cap. Cum Clerici de verb. signif. & Glos. in dicto cap. Cum tibi Ver. Appellatio eod. tit. Tamen regulariter latè sumitur hoc nomen, maximè in fauorabilibus, vt dicunt Franc. & Domin. in cap. Vt circa de elect. lib. 6. Sicut hoc in loco, vbi agitur de priuilegio. Quare sub eodem nomine comprehenduntur habentes dignitatem Ecclesiasticam & Prælati, sed ad maiorem declarationem hic recensentur Prælati, immo ex proprietate dictionis sub vocabulo Clericorum veniunt etiam monachi & regulares, qui sunt Clerici, quod probat tex. in capit. Duo sunt genera 12. q. 1. Vbi habetur duo esse genera Christianorum, vnum diuino officio mancipatum & deditum contemplationi & orationi, vt sunt Clerici & Deo deuoti, videlicet conuersi, aliud autem genus ex laicis constitutum, ergo necesse est, vt Religiosi includãtur sub genere Clericorum, quamuis ferè semper in Iure recenseantur Clerici sub distincto vocabulo à Religiosis & è contra sicut in cap. Quisquis Vers. Sacrilegium 17. q. 4. Vbi sacrilegium dicitur committi ab eo, qui iniuria afficit Clericum aut Monachum, aut Deo deuotum, & in capitulo Si quis suadente cad. cau. & quæst. excommunicantur, qui violẽtas manus in Clericum vel laicum conijcerit, idem in c. Nõ dubium de sent excom. & in c. Per exemptionẽ de priu. lib. 6. & in c. Cũ de beneficio de prab. eod. lib. Eodem modo Constitutio loquens de Regularibus Clericos seculares non comprehendit, Clem. 1. eod. Glos. in Ver. Religiosus De Reb. Eccles. non alienan. Idcirco, vt omnis tolleretur ambiguitas & Constitutio redderetur clara, quod maximè in lege requiritur, Summus Põtifex adiecit particulam illam, *Et alijs personis Ecclesiasticis*, vt includeret Clericos omnes seculares & religiosos vnà cum Conuersis; Item Equites professos in aliquo ordine Militarium, vt Sancti Ioannis Hierosolymitani, Sanctæ Mariæ Theutonicorum, & alios de quibus Glos. in Clem. Quia contingit §. Præmissa Ver. Militarium De Relig. Domi. & alios professos in quibusdam Religionibus fundatis super Hospitalitate, quales sunt Cruciferi, qui dicuntur Tẽplarij, vt inquit ibidem Glos. Ver. Aliorum. De his loquitur Io. Firma. in Tract. Episc. li. 4. par. 4. in 3. quæst. num 16. Vers. Vlterius quæritur; Quid de Militibus gaudendibus &c. Et de Militibus Sancti Ioannis Hierosolymitani Lamper. in Tract. Iuris patron. in 5. q. 1. par. 2. lib. art. 10 & 107. quæst. 1. par. 2. lib. ar. 5. Quamobrem affirmãdum est vniuersaliter hoc priuilegium concessum esse omnibus personis Ecclesiasticis. Ecclesiastica enim persona dicitur quicunque gaudet priuilegio Clericali, vt animaduertit Glos. in cap. Quisquis Ver. Ecclesiasticis 12 q 4 Et pleniùs declaraui in Disp. 16. cap 1.

Ac eorum & Ecclesiarum Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, eadem immunitas exemptionis à collectis & alijs oneribus concessa Clericis & alijs personis Ecclesiasticis, tribuitur bonis ipsorum & Ecclesiarum. Quare inponẽs collectam bonis Clericorum, aut Ecclesiarum incidit in excommunicationem, quæcunque sit Ecclesia vel Clericorum secularium vel regularium. Item siue sit Cathedralis, aut Collegiata, Parochialis, aut simplex. Vtque omnes includantur, dicitur *Ecclesiarum, Monasteriorum*, Ecclesia est nomen genericum, Monasterium autem vocatur locus, vbi Monachi à secularibus seiuncti vitam agũt solitariam, quod immune est ab omnibus exactionibus & collectis, cap. Scientes, & ibi Abb. num. 3. De Censi. Tandem additur clausula, *Et aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum* sub qua includuntur omnia beneficia maiora & minora, vt inquit Glos. in cap. Tua nobis Ver. Beneficiorum de Ver. signific. Glos. in cap. Vt iura Vers. Et aliorum Ecclesiasticorum beneficiorum. De Elect. lib. 6. vbi asserit illis verbis omnia beneficia significari.

Sed dubitari potest Primo de Præstimonijs an compre-

prehendantur sub vocabulo beneficiorum. Præstimonia sunt stipendia quædam ab initio instituta pro studentibus, aut pro subsidio contra Infideles, non habẽt seruitium annexum, neque aliquod onus, & retineri possunt absque vlla dispensatione ab ijs, qui beneficia alia possident.

Respondeo Præstimonia propriè & verè esse beneficia. Nam ea, quæ conferri non possunt, nisi à Prælato Ecclesiastico, nec alteri, quàm Clerico, & ordinarius non potest ea sibi retinere, quorum mentionem facere debet impetrans beneficium; quæ omnia traduntur ab Host. in cap. Postulasti. Vers. Vnde & electio Archidiaconi De Rescript. Sequitur Oldrad. Cons. 81. Quod processus Vers. Nam Præstimonia sunt beneficia, & cons. 140. In Ecclesia Calaguritana in princ. Facit tex. in cap. fin. post princ. De Concess. Preben. lib. 6. Vbi facta mentione Præstimoniorum Canonicatuum &c. subiungitur, *Et alijs quibuscunque beneficijs.*

Secundò dubitari potest, An hoc in loco sub nomine beneficiorum includantur Altaria & Capellæ.

Respondeo affirmatiuè Altaria & Capellas esse beneficia Ecclesiastica, probat Glos. in Clem. 2. Ver. Si beneficiorum de Deci. in fi. Vers. Tu dic cõtra, vbi respondens ad quæstionem quam antea proposuerat, nempe an quando Summus Pont. fex donat alicui Regi decimam fructuum omnium beneficiorum sui Regni, sub genere beneficiorum intelliguntur Altaria & Capellæ, concludit illa esse beneficia Ecclesiastica, quia sic sunt per Episcopum ordinata, Felin. in cap. Ea parte 5. n. 2. Vers. *Naturam vero istorum Altarium siue Capellarum collige &c.* de rescript. Dec. consi. 210. Viso puncto num. 4. *Vers. Constat autem, quòd Altare, seu Capella.*

Tertio dubitatur de Oratorijs, an beneficiorum appellatione veniant, oratorium, vt inquit Abb. in c. fin. nu. 3. distinguitur ab Ecclesia, quoniam hæc primo deputata est ad celebrationem diuinorum & ad orationem, consecratur per Episcopum, habet dotem constitutam pro ministris & cultu diuino, cap. Nemo de Consecr. dist. 1. Oratorium vero non consecratur, nec erigitur primo & per se ad celebrandum, sed ad orandum, nec sine licentia episcopi in eo celebrari potest, caret dote & campana publica. Propter has rationes merito infert Abb. ibidem num. 4. hæc oratoria non gaudere immunitate Ecclesiastica, cum sint loca priuata, cum hodie sit oratorium, quod cras absque vlla pœna reuocari potest ad usum priuatum & profanum arbitrio Domini, quod est intelligendum, vbi oratorium non sit extructum auctoritate Summi Pontificis, aut Episcopi; quando enim intercedit beneplacitum Papæ, iam fit locus publicus & religiosus, nec potest amplius reduci ad profanos vsus.

Quarto idem quæri potest de Hospitalibus & Xenodochijs, scilicet an vocari possint beneficia, & gaudeant hac immunitate Ecclesiastica.

Respondeo Hospitalia comprehendi sub nomine beneficiorum, Glos. in Clem. Dispendiosam Ver. Beneficijs de Iudi. vbi quia agebatur de beneficijs, concludit contineri hospitalia Selu. de benef. par. 1. q 3, num. 9. præsertim in fauorabilibus, sunt in materia huius Canonis vbi tractatur de exemptione beneficiorum, vnde Abb. in cap. Sopitæ num. 5. de Censi. refert tres casus, primus est quando certum est Hospitale fundatum esse auctoritate Episcopi, & dicitur locus religiosus, & gaudet priuilegijs Ecclesiæ, Abb. in capit. Accedentibus nu. 3. de priuileg. Secundus casus si non constet de fundatione, sed extant coniecturæ & signa loci religiosi & publici, puta si adsit Campanile cum Campana, si publice ibi celebretur quotidie & tunc præsumitur locus religiosus. Tertius casus quando constat non esse fundatum auctoritate Episcopi, neque adsunt vlla signa religionis & dicitur locus priuatus, neque gaudet priuilegijs & immunitatibus Ecclesiarum. Cõfirmatur idem ex tex. in cap. Ecclesiæ de Immun. Ecclesis. Vbi probatur hac ratione Ecclesiam adhuc non consecratam gaudere priuilegio immunitatis, *Quia obsequijs Diuinis dedicata.* Ergo ob eandem rationem Hospitale fundatum ab Episcopo in quo diuina celebrantur eisdem priuilegijs fieri debet vt affirmat Abb. in cap. Ecclesiæ num. 7. Nam lex debet coarctari & extendi iuxta qualitatem & sensũ rationis in lege positæ quia ratio est anima legis vt ibi inquit Abb. num. 5, in fi. Tandem hoc eodem probat tex. in l. Omnia priuilegia. C. de Episc. & Cleri. Vbi definitum est, omnia priuilegia concessa Ecclesijs extendenda fore ad Hospitalia.

Bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi, Bonorum appellatione & prædia tam rustica, quàm vrbana, & mancipia, & suppellex continentur, l. Vxori meæ 37. ff de vsufru. Lega. Sed bonorum appellatio aut est naturalis aut ciuilis, naturaliter ea eo bona dicuntur, quòd beent, l. Beatos faciunt, l. Bonorum appellatio 49. ff. de verbo, signific. Vnde & beatos Latini Auctores Ethnici appellant diuites atq; locupletes Plaut. in pœnulo, *Bona ego quam beatam esse primo dicimauolo*, atque hoc modo bona propriè dici non possunt, quæ plus incommodi, quàm commodi habeant, l. Propriè 83 ff. de verb. signif. Proinde bona cuiusque intelliguntur, quæ subducto ære alieno supersunt, l. subsignatum 39. ff. de verb. signif. Ciuiliter bona vniuersitatem successionis significant, qua in ius demortui succeditur, suscipiturque eius rei commodum & incommodum l. Bona ff. de bono poss. Hoc in loco bona sumuntur latè iuxta definitionem traditam, nomine fructuum, redditũum, & prouentuum quid significetur, declaraui in Disp. 18. cap. 1.

Dubitant Doctores, an hoc priuilegium concessum sit tantum bonis Ecclesiarum & Monasteriorum, an vero bonis etiam Clericorum, ita vt committat in hunc Canonem, & vinculo excommunicationis alligatus remaneat non solum ille, qui collectis, decimis, & alijs præstantijs aggrauat bona Ecclesiarum, sed etiam si eisdem oneribus bona Clericorum patrimonialia, aut quouis alio titulo quæsita grauare præsumpserit.

Pro parte negatiua facit communis conclusio Doctorum asserentium Clericos non gaudere in bonis patrimonialibus illis priuilegijs, quæ conueniunt bonis Ecclesiarum, præterquam in casibus iure expressis, vt testatur Abb. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ in Glos. 2. num. 7. & ibi plenè Felin. num. 3. sub fin. Vbi alios citat, quos sequitur, de Constit. vnde bona patrimonialia Clericorum præscribuntur, eodem tempore, quo bona laicorum, secus verò bona Ecclesiarum, quæ non præscribuntur minori spatio quadraginta annorum, neque datur actio petendi restitutionem in integrum Clerico quoad bona patrimonialia, sicut conceditur Ecclesiæ. Idem repetit Abb. in cap. 1. n. 3. de consuet. in cap. Ex literis num. 12. de Pigno. latius in cap. fin. num. 11. de vi. & honest. Cleri.

Quæ conclusio vera est, cui subscribunt omnes, quos refert addi. Margin. ad Abb. in dicto cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 7. de Constit. Et nihilominus hac communi sententia supposita dicendum est ex-

commu-

communicationem huius Canonis locum habere, nō solum si collectæ, vel decimæ imponantur super bonis Ecclesiarum, verum etiam si impositæ fuerint super bonis proprijs Clericorum, seu patrimonialium, siue alio modo acquisitis; Et ita sentit Tolet. lib. 1. Instruc. Sacerdo. cap. 29. Vers. Aduerte non solum &c. in explicatione huius Canonis, & ante ipsum hoc idem censuit Sylue. Ver. Immunitas 1. §. 22. Vers. Tertium Clerici soluere &c. & Ver. Excomm. 9. §. 13. Vers. Et tertiò dico &c. licèt oppositum videatur sentire Nauar. in Manua. cap. 27. num. 115. dicens, Hoc priuilegium intelligendum esse de Tributis, aut exactionibus, quæ vel in bonis Ecclesiasticis, vel in personis directè imponuntur. Nam non est prohibitum à Clericis ratione suorum bonorum temporalium exigere aliqua tributa, vel onera. Sed contraria sententia est probabilior, & verior, quæ probari potest tum rationibus ex Iure desumptis, cum ex verbis huius Canonis.

Et primò constat expressè ex Iure bona patrimonialia, & propria Clericorum quantum ad hoc priuilegium in specie, scilicet immunitatis à tributis, & collectis, & alijs oneribus, frui eisdem exemptionibus, quibus gaudent bona Ecclesiarum. Quare cum hic casus sit in Iure expressus, ergo iuxta communem Doctorum opinionem iam firmatam, eadem erit ratio de bonis Clericorum, sicut de bonis Ecclesiarum Sed vbi Ecclesiarum bona grauantur collectis, incurritur excommunicatio, pariter ergo si idem præsumatur in bonis Clericorum. Quòd autem statutum sit in Iure bona Clericorum non esse subiecta oneribus, patet ex cap. fin. De Vi. & Honest. Clericorum, ibi; *Tu quominus dum his se implicant de suis facultatibus &c.* Ex quibus verbis Glos. Ver. Suis facultatibus, colligit hoc notādum; *Et nota quòd dicit dum his se implicant, quasi dicat, si non implicant se his, priuilegio ecclesiastico gaudebunt in rebus suis, sicut in rebus Ecclesiæ.* Quod etiā animaduertit Abb. in cap. 1. num. 3. Et idem tradit Bart. in l. Rescripto ff. De Muner. & Honor. Ad idem tex. in cap. Quanquam De Censi. lib. 6. Vbi Bonifacius Octauus, de hac eadem exemptione à pedagijs, & guidagijs, & alijs exactionibus verba faciens ita loquitur: *Cum igitur Ecclesia Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum &c. sint immunes*, quæ verba Glos Ver. Ipsarum, hoc modo interpretatur, *scilicet Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum. Nam res Clericorum eodem priuilegio gaudent, quo res Ecclesiarum*, & paulo post, *Nec est illud vniuersaliter verum*, quoniam (vt dixi) habet locum tantum in casibus iure expressis.

Secundò idem probant manifestè verba illa huius Canonis; *Ac eorum & Ecclesiarum:* Dictio enim *eorum* refertur ad Clericos, de quibus immediatè dixerat; Neque enim potest intelligi de Ecclesijs, Monasterijs, vel beneficijs, quorum statim meminit. Quare vel illa vox *eorum* superflua esset, & nihil significaret, quod dicere absurdum videtur, cum verba Constitutionis, priuilegij aliquid operari debeant, vt dicit tex. in cap. Si Papa, & ibi Glos. Ver. Debeant, De Priuileg. lib. 6. vel referenda sunt ad Clericos; Et ita explicat Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 29. Vers. Aduerte.

Idque maximè affirmandum est de illis bonis patrimonialibus, quæ possidet Clericus ordinatus titulo patrimonij, quæque ei assignata sunt loco beneficij: in his enim gaudet priuilegijs bonorum Ecclesiæ etiā in casibus non expressis à iure, per Glos. in cap. Episcopus Ver. Subsidium De Præben. quem citat Felin. in dicto cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 10. & Dec. in dicto cap. Episcopus num. 12. Quod certius & firmius tradidissent, si suo tempore extitisset decretum Concilij Tridentini sess. 21. cap. 2. in fi. De Reform. Vbi prohibet, ne promoti ad sacros Ordines titulo patrimonij, aut pensionis deinceps vllatenus possint illa sine licentia Episcopi alienare, aut extinguere, vel remittere, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, vnde viuere possint. Eiusdem opinionis est Nauar. Cons. 5. in tit. De Immun. Eccles. Et idem sentiunt Gemin. in cap. 1. num. 4. Philip. Franc. num. 2. De Immun. eccles. lib. 6.

Ex his igitur concludendum est censura huius excommunicationis innodari omnes illos, qui præsumūt imponere collectas, decimas, tributum, seu gabellam cuiuscunque generis personis ecclesiasticis, vel Ecclesiis, aut bonis ipsorum Ecclesiasticorum, vel Ecclesiarum.

Absque simili Romani Pontificis speciali & expressa licentia imponunt, *Dicit Absque simili*, quia in Superiori Canone etiam fit mentio de eadem expressa licentia Romani Pontificis requisita ad effugiendam illam excommunicationem latam contra capientes iurisdictionem, & fructus ad Ecclesiasticas personas, & Ecclesias pertinentes. Similis igitur expressa licentia necessaria est ad euitandam excommunicationem huius Canonis, sicut propter eādem rationem post verbum *Prouentibus* addidit *huiusmodi* quoniam eorumdem Ecclesiasticorum fructuum, redditUum, & prouentuum superiori Canone etiam meminit. Itaque ex impositione collectarum & onerum quorumcunque personis Ecclesiasticis, aut Ecclesiis, vel bonis, aut fructibus ipsorum Ecclesiasticorum, vel Ecclesiarum, incurritur hæc excommunicatio, nisi talis impositio fiat habita prius speciali & expressa licentia Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ. Summus enim Pontifex, cuius interest communibus necessitatibus, & vtilitatibus Christianæ Reipub. prouidere, vt dicitur in cap. Aduersus De Immun. eccles. consulendus est, vt diiudicare possit, an tam graue periculum immineat, vt ad subleuandas communes necessitates, laicorum non suppetant facultates, ideoque per Ecclesias subsidia conferenda esse ducat. Vtque talis exactio licitè fieri valeat, licentiam impertiatur, sic non rarò in vniuerso Christiano Orbe omni ætate cum necessitates publicæ ingruerent consueuisse Summum Pontificem Principibus laicis decimas bonorum Ecclesiasticorū indulgere nemo est, qui nesciat. Vt autem hæc licentia sit legitima, & valida ad exigendum transgressorem huius Canonis à reatu criminis, & censuræ excōmunicationis, duas postulat conditiones; Altera est, vt sit specialis; Altera vt sit expressa; Ratione primæ conditionis non excusaretur ab excommunicatione Princeps, qui habens generalem facultatem in aliquo casu imponendi collectas, & decimas suis subditis à Sede Apostolica exigeret illas à Clericis. Nam vbi requiritur specialis mentio alicuius qualitatis, non sufficit narratio generalis, etiam si in tali generali expressione apposita esset clausula, qua tribueretur facultas exercendi etiam illa, quæ requirerent specialem licentiam & commissionem, quia verba generaliter prolata sub quacunque forma minimè ea includunt, quorum specialis mentio facienda esset, cap. Qui ad agendum, & ibi Franc. num. 1. De Procurat. li. 6. cap. 2. De Præben. & cap. 2. De Pœnit. & cap. 2. De Reb. Eccles. non alienan. lib. 6. in quibus locis agitur de speciali & expressa licentia Papæ, & nō sufficit generalis. Defectu secundæ conditionis incideret in excommunicationem Princeps, qui ex redditibus Ecclesiarum,

siarum, aut Clericorum exigeret decimas ex tacita licentia Papæ, non impetrata expressa, quamuis probabiliter opinaretur Summum Pontificem ob talem finem illam concessurum fuisse, si petiisset, quam præsumptam licentiam vocat D.Tho. 2.2. q.32. art.8. Et ratio est, quia licentia debet præcedere actum, Bart. in l. si autem plura Vers. Quandoque requiritur licentia ff. de Aqua pluui. arcen. Bald. in l.1. ante num.46. Ver. Idem est, si fieret mentio de licentia, quia ex vi sermonis debet præcedere &c. C. Qui admi. ad bonor. possess. Confirmatur, nam cum sit tradita forma licentiæ requisitæ, vt licitè & absque periculo excommunicationis imponãtur huiusmodi exactiones; Illa non seruata statim incurritur excommunicatio, quæ non tollitur superueniente postea ratihabitione, l. Non prodest ff. Vi Bono. Rapto. l. Qui ea mente, & ibi Bart. & alii ff. de Furt. l. t. §. Si rem depositam ff. depos. Itaque statuendum, est vtrumque requiri, nempe vt licẽcia sit specialis, & expressa, idest vt Summus Pontifex facultatem tribuat imponendi decimas, vel collectas super bonis, vel fructibus Ecclesiarum, aut Ecclesiasticorum.

Quòd si licentia detur à Summo Pontifice ob aliquem finem, vel aliqua causa vrgente, cessante causa illa, expirat licentia. Alii Prælati inferiores non possunt concedere licentiam, quia non habent facultatem dispensandi in iure communi, nec in Bulla Cœnæ Domini.

CAPVT III.

De aliis duabus actionibus damnatis, idest de exigentibus à personis ecclesiasticis gabellas, & de recipientibus etiam à sponte dantibus, ibi, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam a sponte dantibus, & concedentibus recipiunt.

NOn solùm imponentes onera Clericis, atque Ecclesijs excommunicationi subijciuntur, sed illi quoque, qui exigũt imposita, vel recipiunt ab ijs etiã, qui sponte soluunt. Quantum ad exactionem dicitur. *Et diuersis etiam exquisitis modis exigunt*. Per hãc clausulam significatur omnis modus, qui solet excogitari ad exigendum tributa, & collectas à Clericis & Ecclesijs; Exquisito enim modo fieri dicitur, cuius gratia omnis industria, diligentia, & studium adhibetur, vt ad optatum finem perducatur. Quare vt nullus pateret aditus eludendi hanc constitutionem additum est, *Et diuersis exquisitis modis exigunt*, vt comprehendantur omnes, qui quacunque ratione, titulo, occasione, & modo exigunt huiusmodi tributa, & collectas. Exẽplum simile habetur in cap. Clericis de immun. eccles. lib. 6. Vbi Bonifacius Octauus loquens de excessibus Clericorum, qui consentiunt laicis collectas, & tallias imponentibus Clericis, vt omnem modum complectatur, quo huiusmodi exactiones cohonestari solent, vtitur hac serie verborum; *Sub adiutorij, mutui, subuentionis, subsidij, vel doni nomine, seu quouis alio titulo, modo, vel quæsito colore*.

Animaduertendum est exigentes collectas, decimas, præstantias, seu alia onera à personis ecclesiasticis innodari hac excommunicatione, si illa recipiant tanquam a Clericis debita, vt talia sunt, scilicet vt decimæ, tributa &c. Quare si Prædones, & viarum grassatores Clericum in itinere arripiant, & extorqueant ab eo pecuniæ summam pro tallia, & vitæ parcãt, non

A remanent obstricti excommunicatione, quia non exigũt id, quod propriè rationem habeat talliæ, aut collectæ in ea significatione, secundum quam accipitur hoc in loco, idest pro specie quadam gabellæ, quæ nihil aliud sonat, nisi tributum publicum à Principe in communem vtilitatem exactum.

Secundò animaduertendum est hanc excommunicationem locum habere non solum quando exactores & publici Ministri exigunt à Clericis tallias, & collectas personis Ecclesiasticis impositas, sed etiam si extorqueant illas præstantias, & gabellas, quæ laicis tãtum à Principe impositæ erant, Syluc excom. 9. §.46. Vers. Hodie tamen &c. Et ratio est, quia mens Summi Pontificis est prouidere, ne personæ Ecclesiasticæ pe-
B dagijs, & alijs exactionibus vexentur, à quibus liberæ sunt, & immunes omni iure non solum humano, sed etiam diuino, vt dicitur in cap. Quanquam De Censi. lib. 6. Quare qui exigunt huiusmodi onera à Clericis, incidunt in hanc excommunicationem, siue illa fuerũt imposita Clericis, siue laicis. hoc enim nihil refert, quia modo excommunicantur exigẽtes à Clericis gabellas. Superius lata fuit excommunicatio contra imponentes, & in lege extendenda est mens, & ratio legislatoris, cap. fin. De Reg. Iur. lib. 6. l. Non dubium C. De leg. Adde, si aliter interpretemur hęc verba, sequi absurdum, nimirum deterioris cõditionis fore exactores, qui exigunt à personis Ecclesiasticis collectas per Principem illis impositas, quàm si exigerent ab ijsdem
C collectas tantum à laicis debitas, cum tamen grauioris culpæ rei videantur in illo casu, quàm in hoc; nam cum exigunt gabellas Clericis impositas, possunt se tueri clypeo apparentis saltem excusationis, quòd id fecerint, quia Principi parere tenentur. At in secundo casu omni prorsus excusatione carent. Demum tales exactores recipientes à Clericis collectas debitas à laicis, excommunicationi subijciuntur in cap. Quanquam De Censi. lib. 6. Vbi Bonifacius Octauus testatur exactiones pedagiorum iure Canonico, & Ciuili damnatas esse, districtius tamen dicit interdictum esse, ne ab Ecclesijs, & personis Ecclesiasticis exigantur.

Sed postulabit quis; An tales exactores excusari aliquando possint ab excommunicatione ratione igno-
D rantiæ huius Constitutionis, qua laborare possunt.

Respondeo ignorãtiam probabilem posse illos excusare, cum enim tollat culpæ reatum, tollit quoque pœnam excõmunicationis, quæ sine peccato mortali non cõmittitur. Sed quando præsumẽda sit & quomodo in his exactoribus gabellarũ probabilis ignorãtia, declaraui in Disp. 6. cap. 4. in solutione vltimæ dubit.

Tertiò notandum est, Exactores vectigalis à personis ecclesiasticis tunc incidere in hanc excommunic. si illud exigant de his quæ in proprios vsus inuehunt. De mercibus enim, quæ gratia negociationis deferunt, an possit exigi gabella, dicam postea in cap. 6. in solutione septimæ dubitationis.

Dices ergo in hac parte, nullum discrimen est inter
E Clericos, & laicos, quoniam laici quoque liberi sunt ab his oneribus, quoad ea, quæ inuehunt ad proprios vsus, nã l. Vniuersi C. De Vectigal. prohibetur, ne vectigal exigatur de his, quæ in proprios vsus asportãtur.

Respondet Tolet. lib. 5. Instr. Sacer. ca. 73. Vers. Tertium est &c. plurimum differre. Primũ enim ante Bullam Cœnæ non erat lata excommunicatio cõtra exigẽtes à laicis. post Bullã est excommunicatus exigens nõ solum à Clericis, sed etiam a laicis, vt in Canone 5. Deinde licitum est à laicis exigere collectas ex proprio vsu, non autem à Clericis sine licentia Papæ.

Quartò

Quartò notãdum est præter censuram excõicationis inflictam contra exigentes vectigalia, & pedagia à personis ecclesiasticis, aliis etiã pœnis eosdem publicanos, si illicitè exigunt, Iure Cęsareo affectos esse. Nã l. Locatio §. Quod illicitè ff. De Publica. dicitur; *Quod illicitè publicè, vel priuatim exactum est cum altero tanto passis iniuriam, exoluitur; Per vim, verò extortum, cum pœna triplici restituitur; Amplius extra ordinem plectuntur.* Nec istæ pœnæ sublatæ fuerunt post latam excommunicationem, vt inquit Petr. Anchar. in cap. Quanquam num. 4. de censib. lib. 6.

Aut sic imposita etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Tertia actio principalis, cuius causa incurritur hæc excõmunicatio, est recipere huiusmodi collectas, decimas, præstantias, & alia onera imposita personis Ecclesiasticis, vel Ecclesijs, aut bonis, vel fructibus Ecclesiarum, vel Clericorum, etiam ab illis, qui sponte illa persoluere, & concedere non recusant.

Excommunicantur recipientes à sponte dantibus, quia verè non liberaliter, & sponte offeruntur, neq; ex absoluta, & omnino libera voluntate donandi dantur. hoc enim non prohibetur, sed dicuntur sponte oblata, quia sine alia speciali vi, aut coactione præter exactionem, seu impositionem soluuntur ad euitanda incommoda, & lites, quas subire oporteret Clericos, si soluere renuerent; Ideo eligunt è duobus malis minus, idest modicam collectam soluere, potiusquam pati ab incepto opere remorari.

Notandum est ad clariorem notitiam huius excõmunicationis, quod animaduertit etiã Tolet. lib. 1. Instr. Sacerd. cap. 29. Vers. Aduerte præterea: In Concil. Lateranen. sub Alexandro III. refertur cap. Nõ minus de Immun. eccl. fuisse excõicatos imponentes onera personis Ecclesiasticis sine licentia Sedis Apost. excepto vnico casu, nempe propter necessitatem, aut vtilitatẽ communem, quando bona laicorum ad id non suppeterent. Hæc tamen excõmunicatio non fuit reseruata. Deinde in eod. Conc. vt habetur cap. Aduersus eod. ti. fuit sublata ista exceptio, & definitũ fuit, vt neq; id liceret in casu publicę vtilitatis, vel necessitatis non accedente licentia Sedis Apostolicæ, quod statutum fuit sub Innoc. Tertio. Postea successit Bonifacius VIII. qui in cap. Clericis De immun. Eccles. lib. 6. reseruauit sibi excommunicationem, & illam extendit ad personas Ecclesiasticas quocunq; modo soluentes etiam sponte prædicta onera. Deinde successit Benedictus XI. in Extrauag. Quod olim de imm. eccl. Et reuocauit decretũ Bonifacij quoad hoc, vt locum non habeat in accipiẽtib. à sponte dantibus, neq; in ipsismet spõte dantibus.

Tandem sequutus est Clemens V. in Clemen. Quoniam De immun. Eccles. Et reuocauit vtrumque decretum, scilicet Bonifacij, & Benedicti, & voluit, vt seruarentur decreta Conciliorum in cap. Non minus, & cap. Aduersus de immun. Eccles. Demum post has omnes Constitutiones lata est excommunicatio Bullæ, qua obstringuntur censura excõmunicationis illi, qui accipiunt etiam à sponte dantibus. Et præterea in hoc huius Canonis innouãtur decreta super his per sacros Canones in Concilijs Generalibus edita cum censuris & pœnis in eis contentis. Quare modò obstringuntur hac excommunicatione etiam qui accipiunt à sponte dantibus.

Secundò notãdum est innouari hic sacros Canones super his editos non simpliciter, sed in Cõcilijs Generalibus Lateranensibus constitutos, scilicet in nouissimo sub Leone X. & in duobus antiquioribus, nempe sub Alexandro III. & Innocentio Tertio, Idcirco non est innouatum decretum Bonifacij Octaui; Vt Clerici sponte soluentes sint excommunicati, sed innouantur solum ea, quæ exprimuntur, scilicet vt sint excommunicati, qui recipiunt à sponte dantibus.

Tertiò notandum est ex verbis huius clausulæ rectè colligi posse hanc excommunicationem minimè locũ habere, cum Minister publicus, puta Custos põtis, aut portæ, vel alterius transitus recipit à Clerico sponte dante pedagium, aut huiusmodi onus, si tale onus non erat specialiter impositum personis Ecclesiasticis, vel bonis ipsorum. nam Bulla requirit; *Vt sic imposita à sponte dantibus, & concedentibus recipiantur*; Quæ verba indicant esse necessarium ad incurrendam hanc excommun. vt gabella sit contra personas Ecclesiasticas posita, & vt sic imposita recipiatur à dãtibus spõte, & voluntariè. Hoc autem specialiter statutum est de gabellis impositis personis Ecclesiasticis, non autem de alijs, quæ generaliter à laicis exiguntur, quia non est verisimile Clericum voluntariè, & sponte velle soluere illas gabellas, quæ laicis sunt impositæ, sicut poterit vltro offerre, quas scit Ecclesiasticis fuisse impositas.

Quartò notandum est, quòd licèt Nauar. in Manua. cap. 27. n. 128. censeat cum Caiet. Ver. Excommunicatio cap. 71. non incidere in excommunicationem Bullæ exigentes pedagia à Clericis, sed solùm in excommunicationem cap. Quãquam De Censi. lib. 6. ob eam rationem, quoniam in hoc Canone prohibentur solum exigi onera, & exactiones ratione prouentuum Ecclesiasticorum, Idcirco non includi pedagia, quæ soluuntur pro transitu per certa quædam loca. Tamen oppositum sensit Sylue. Excom. 9. §. 46. excommunicatione 21. Vers. Hodie tamen &c. cuius opinio est probabilior, & verior quoniam in hoc Canone distinguuntur onera, quæ Ecclesiasticis personis, & illa quæ bonis ipsorum imponuntur, quando agitur de oneribus personarum simpliciter dicitur absque vlla relatione ad bona. *Quiue collectas, &c. Clericis, Prælatis &c. imponunt*, Quando tractatur de oneribus ratione bonorum additur; *Ac eorum, & Ecclesiarum, & cætera: bonis illorumque fructibus & cætera.* Pedagium autem, quod ratione sui ipsius à persona ecclesiastica exigitur, propriè cõprehenditur sub priori clausula generali, sub qua etiam continetur portorium, quod exigitur de bonis & fructibus Ecclesiasticis, qui de loco ad locum transferuntur; nam licèt illa exactio immediatè fiat propter bona, tamen indirectè & mediatè est potius onus personæ, quàm bonorum. Onera enim in bonis posita sunt, illa, quæ per se debentur ratione bonorũ, & fructuum, quia taxantur ac mensurantur pro quantitate eorum, non pro ipsa transmissione vel transportatione, sicut est portoriũ, quod magis videtur redundare in personam. Et in eodem genere reponi possunt illa tributa, quæ pro rebus emptis soluuntur, vt est illud, quòd vulgo dicitur sissa, & similia, quæ censenda sunt personalia, & ideo sub illa clausula generali intelliguntur prohibita.

Quinto notandũ est prohiberi in hoc Canone exactiones collectarum decimarum, & aliorum onerum, quatenus onera & tributa sunt, nõ autem vt sunt stipendia operum & laborum, explico exemplo pedagium est tributum, quod exigitur ratione transitus, & hac ratione interdicitur, si vero quis pro transitu fluminis per nauiculã recipiat aliquid taxatũ pro naulo, non violat hanc legem, nec excommunicationem incurrit. Eodẽ modo Guidagiũ est gabella, quę soluitur pro ducatu & ostensione itineris, etiã vbi quis nõ

postulat, nec requirit Doctorē neq; illum recipit, sed si Clericus voluntariè ad sui securitatem vocat aliquem, qui eum ducat in via, tenetur ei laboris sui stipendium persoluere, quia illud non est tributum.

Sexto notandum est non excusari ab hac censura meo iudicio, qui exigunt, vel mandāt exigi huiusmodi tributa à Clericis animo restituendi in fine anni, quamuis profiteantur hunc modū seruare causa euitandi fraudes publicanorum exigentium gabellas; & ratio est, primo quia cogūt antea ad soluendū, & hoc est magnum onus & incommodum Clericis, & verè exigunt ab inuitis. Deinde quia nunquam restituunt tantundem, vt experientia docet.

Dubitabit aliquis, an exigens minimam gabellam ab Ecclesiastico, incidat in excommunicationem. Pro parte negatiua facit, quoniam cum modicitas & tenuitas materię in omni genere rerū excuset à culpa mortali, vt furari rem minimam non est peccatum lethale, nisi toties repetatur furtum, donec constituat quantitatem notabilem iuxta communem sententiā Theologorum. Ita quoque cum talis exigens minimam gabellam à Clerico non sit reus culpa mortalis, consequenter neq; excommunicationi obnoxius erit quæ absque peccato mortali non incurritur.

Respondeo exigentem minimā gabellā à Clerico, quæ non sit sufficiens materia ad constituendū peccatum mortale, cum intentione tamen exigēdi ab aliis Clericis vsq; ad notabilē quantitatē, incidere in hanc excommunicationem, quia talis exactor habens hanc intentionem peccat mortaliter, & transgreditur legē excommunicationem cōtinentem, ergo obstringitur excommunicatione, sicut peccat mortaliter, qui furatur rem minimi valoris cum intentione actuali vel virtuali furandi rē notabilē iux. c. si. 14. q. 6. & talis exactor tenetur restituere, cum peruenerit ad notabilem quantitatē. Quando autē dicenda sit notabilis quantitas, disputat Nau. in Man. c. 17. n. 3. & seq. Quæ restitutio faciēda est eisdem personis, à quibus est exacta, vel hęredibus, si debita diligentia adhibita scire & reperiri possunt; alioquin pauperibus vel piis locis arg. c. Cum tu, iuncta Glos. Ver. Non superstitibus de vsur.

CAPVT IV.

De Actionibus accessoriis sub eadem censura excommunicationis damnatis, Nec non qui per se, vel alios *vsque ad finem Canonis*.

EXcommunicantur in hac tertia parte omnes, qui per se vel alios directè, aut indirectè non verentur dicta onera imponere personis ecclesiasticis, vel sic imposita exequi, aut procurare, vel ad hęc consilium, auxilium, seu fauorem præstare, cuiuscunque sint praeminentiæ, dignitatis, & status, etiamsi Pontificali dignitate sint insigniti.

Necnon qui per se, vel alios directè vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. c. 29. Vers. Aduerte etiam, notat hanc clausulā nempe per se vel per alios directè vel indirectè prædicta facere, exequi, aut procurare, vel ad eadem consilium, auxilium, vel fauorem dare, comprehendere omnia, quæ prohibentur ab initio decimi quarti Canonis vsque ad præsentem decimum octauū. Hæc interpretatio Toleti licet illā afferat ex sententia Sylue. & Tabie. non videtur admittenda, quoniam in Canone 14. exprimuntur, qui dant consilium, auxilium, aut fauorem, sicut etiam in decimo sexto, & in hoc decimo octauo, illa vero clausula directè, vel indirectè apponitur in decimo quinto Canone, vnde argumentum sumimus Summum Pontificem expressisse casus, in quibus voluit extendere modo prædicto excommunicationem, ergo talia extensio non est facienda ad alius casua.

Illi, qui per se ipsos collectaa, & tributa imponunt, vel exigunt à Clericis, incidunt in excommunicationem, vt dictum est. Quam excommunicationē incurrunt quoque omnes, qui ad easdem actiones vtuntur aliorum opera, veluti si Princeps præcipiat Magistratui, vt imponat collectas, vel officiali, vt illas exigat, & tunc temporis tam ipse Princeps, quàm Magistratus, & officialis erunt excommunicatione obstricti. Eodē modo excommunicatio incurritur, si directè onera imponantur personis Ecclesiasticis. Directè dicuntur imponi, si ipsimet expressè compellantur ad ea soluēda; indirectè verò grauantur oneribus, si ipsorum Cōsanguinei, affines, familiares, coloni coguntur soluere maiores collectas, tributa, aut alia onera, vnde sequatur damnum Ecclesiasticis personis. Tales enim, licèt quoad verba non videantur infringere libertatem ecclesiasticam, quia directè non tangunt Ecclesiasticos, neq; personas ipsorum formaliter grauāt quoad verba; sed indirectè faciunt contra mentem Sacrorū Canonum. Simile habetur in cap. fin. De immun. eccles. lib. 6. & fit fraus legi, vt habetur in l. Contra ff. de legi. *In fraudem verò legis* facit, qui saluis verbis legis sententiam eius circumuenit, & est fraus de persona ad personam, vt notat Glos. in d. cap. fin. Ver. Libertatis De immun. Eccles. lib. 6. Vt prohibens Notarium, vel testes intrare dicitur prohibuisse aliquem testari, l. 1. & 2. ff. Si quis aliq. testa. prohib. Et prohibens, ne adducantur necessaria ad viam reficiendam, prohibuisse refectionē dicitur, l. Veteres ff. De Itiner. Actuq;. Quare incurritur hæc excommunicatio non solùm si personæ Ecclesiasticæ, & Ecclesiæ vexentur collectis, & tributis directè, sed etiam indirectè, quia priuilegia neque indirectè violanda sunt, vt definitum est ab Honorio in cap. Quanto de priuileg. contra officiales quorundam Episcoporum, qui cum non possent in quosdam Monachos excommunicationis, & interdicti proferre sententiam cum Romani Pontificis priuilegio muniti essent contra eos, qui molunt in Molendinis, vel coquunt in furnis eorum, dictas sententias proferebant; *Et sic Apostolicorum priuilegiorum non vim & potestatem, sed sola verba seruantes &c.* Similiter indirectè imponeretur onus Ecclesiasticis personis, si cogerentur vendere res, quas possident, nisi vellent soluere tallias, & collectas, quas generaliter laici pro eisdem rebus soluunt Principi, vel Reipublicæ. nam eodem modo fit fraus legi: eis enim denegata à Sacris Canonibus vna via, intelligitur denegata, & alia, vt notat Glos. in d. cap. Quanto Ver. In fraudem De Priuileg. Et hæc esset fraus de re in rem. quatuor enim modis potest fieri fraus legi, vt probat Glos. in eod. Ver. In fraudem.

Quamobrem hæc excommunicatio complectitur omnes, qui per se ipsos, vel per alios directè, aut indirectè prædicta faciunt, idest collectas imponunt, vel exigunt, aut prædicta exequuntur, idest ex mandato Principis, vel Magistratus, aut Iudicis dictas collectas imponunt, aut exigunt, tandem prædicta procurant, idest sunt mediatores, vt collectæ imponantur, seu exigantur; Vt Notarius, qui edicta, & præcepta conscribit, & reliqui officiales, & Ministri Curiæ, qui citant, capiunt, sequestrant, & similia agunt contra dispositionem huius Canonis, nisi illius probabili ignorantia laborent.

Aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur. Eadem excommunicatio extenditur ad eos, qui consulunt illos, ad quos pertinet gabellas imponere, vt illas imponant etiam personis Ecclesiasticis, vel consulunt publicanis, & officialibus, quorum munus est illas exigere, vt compellãt Clericos ad earum solutionem, vel ad eadem auxilium præbent, aut fauorem. Quid sit auxilium, consilium, aut fauorem præstare ad rem aliquam peragendam, & quot modis hæc adhiberi possint, superius explicaui, præsertim in Disp.8. Cap.10. & in Disp.12. cap.6.

Sed dubitari potest primò; An omnes dantes, consilium, seu Consiliarij Reipub. aut Principis, si ad impositionem, vel ad exactionem huiusmodi onerum à personis Ecclesiasticis consilium præstiterint, in hanc excommunicationem inciderint.

Ad solutionem dubitationis opus est distinctione; Aut qui consilium dat, officio Consiliarij fungitur in Republ. vel apud Principem, aut est priuata persona. Secundò vel requisitus ad præstandum consilium cõsulit imponenda esse huiusmodi onera Clericis, vel expressè contradicit; Vel silet nõ prouocans cõsilio, neq; expressè repugnans. His distinct. præmissis respondeo.

Primò si officialis, vel priuatus, qui nullũ gerit officium consulat ad imponenda, vel exigenda hæc grauamina à personis Ecclesiasticis proculdubio afficiũtur hac excommunicatione; Vt ex verbis Canonis, quæ generalia sunt, expressè colligitur, & facit text. in cap. Nouerit de sent. Excomm. à simili De Consiliarijs locorum ad edenda statuta contra libertatem Ecclesiasticam, & idem sentit Abb. in cap. Aduersus nu.22. Vers. In Conciliarijs de immun. eccles. loquens de excommunicatione, cap. Non minus eod. tit. cui adhęret Sylue. excomm.9. §.18. & alij.

Secundò si talis officialis Consiliarius tacuit, & nõ curauit contradicere quantum potuit, innodatur excommunicatione vnà cum alijs, qui assensum præbuerunt, vt dicunt Innoc. in c.1. De his quæ fiunt a maio. par. Cap. Abb. & Sylue. locis cit. Et ratio est, quoniã cũ Consiliarij vocentur, vbi de re aliqua publica deliberandum est, vt vnusquisq; votũ suum proponat, & suffragium ferat, vt recta ratio cuiq; dictat, quoties id prætermittunt, peccati reatũ incurrunt, & idcirco excommunicatione obstringuntur arg. l. De ætate §. Qui tacuit ff. De Interro. Acti. & cap. Si post præstitam De Confess. lib.6. Confirmatur, quia talis Consiliarius tacendo, & non repugnando præsumitur consentire. Nã vt inquit Abb. in cap.1 nu.13. De his quæ fiunt à ma. par. Capit. Tacens in Vniuersitate etiam in malè gestis habetur pro consentiente. Qui verò cõsentiunt ad executionẽ operis lege dãnati, cui adiuncta sit excõicatio, incurrunt eandem excommunicationẽ arg. cap. Quanta De sent. excom. Vbi excommunicantur non solùm Clericis percursor, sed illi quoque, *Qui cum possint, manifesto facinori, desinunt obuiare*, vt latè declaraui in Disp.12. cap.6. agens de Ratihabitione.

Tertiò si officialis Consiliarius expressè contradicendo dissentit, non contrahit excommunicationem. Ratio est manifesta, quoniam tunc nullius culpæ reus erit, & ideo neque excommunicatus, cum excommunicatio absque lethali culpa non incurratur, & ita dicunt Abb. & Sylue. vbi supra.

Secundò dubitari põt de Rectore, & Gubernatore Ciuitatis, qui dissensit, & repugnauit, vt potuit, ne tales collectæ imponerẽtur Clericis, neq; tñ impedire potuit, an sit eadẽ ratio de hoc Gubernatore, sicut dictũ est de Cõsiliarijs, scilicet nõ incidisse in Excõm. Bullæ.

A Respondeo, si loquamur de censura Bullæ, certũ esse non innodari excommunicatione Gubernatorẽ huiusmodi, quia neque per se, neque per alium, nec directè, nec indirectè vllo modo cooperatus est ad impositionem oneris, igitur nullo modo violauit hanc constitutionem, quare cessat omnis causa excommunicationis.

Verùm quoniam in fine huius Canonis innouantur decreta per sacros Canones in Conc. Lateran. edita, quæ relata sunt in c. Non minus, & c. Aduersus de Immun. Eccl. propterea quæritꝰ an talis Gubernator contradicens, si non possit obuiare, ne onera imponantur, incurrat excommunicationem c. Non minus, aut cap. Aduersus de Immun. Eccles. Doctores communiter respondent affirmatiuè, nempe incidere in illam ex- B communicationem, nisi dimiserit officium. Ad hunc modum, sentiunt Innoc. in cap. Nouerit de sent. excom. Io. And. in dicto cap. Aduersus.

Hęc tamen opinio videtur nimis dura, vt dicit Abb. in cap. Aduersus num. 19. prope fi. & Sylue. excommunicatio 9.§.17. vers. Mihi videtur, quod vtique probabilius censeo, & eiusdem sententiæ est Nauar. in Manua. cap.27. num.115.

Primò quoniã vt inquit Abb. id nullo iure cauetur, immo potius tex. in c. Non minus innuit oppositũ. Ibi enim excõmunicantur Rectores, & Gubernatores imponẽtes collectam, & fautores ipsorum, sed hic Gubernator contradicens, de quo quæritur, nec collectã imposuit, nec fauorem præstitit, immo contradixit, quan- C tum potuit, ergo non incurrit pęnã, nec officium tenetur dimittere, cũ ipse nõ sit causa, vt alij opus iniquum committant, arg. c. Ephesijs 43. dist. vbi habetur, *Mũdę sunt manus meæ à sanguine omnium virorum, non enim subterfugi, quominus annunciarem omne consilium Dei vobis* Vbi Glos. in Ver. Annunciarem, notat, *Quod si per te non stat, quo minus aliquid fiat, non est tibi imputandum*. Eodem modo sentiendum est de dicto Gubernatore, qui solùm excommunicatus erit vbi consensit impositioni, vel quando non conatur impedire adhibita omni diligentia, etiam dimittenda officium.

Secundò Constitutio fauorabilis est extendenda, & amplificãda, quando verba sunt dubia, & ambigua, secus verò vbi sunt clara, sed c. Nõ minus, & c. Aduersus D loquuntur tantũ contra officiales onera imponẽtes, ergo, vt inquit Sylue. debent extendi ad eos, qui consentiunt impositioni, non ad illos, qui bona fide resistunt.

Tertiò dubitari potest de nouo Rectore, & Gubernatore, qui succedit alteri tẽpore cuius imposita fuit gabella, an si cõsentiat impositione antea factæ, & non reclamet, ac procuret reuocare dictam impositionem, & emendare factum, sed sinat exactionem fieri à Clericis, incidat in excommunicationem Bullæ.

Respondeo primo si Gubernator successor mandat, vt collecta antea imposita exigatur à personis Ecclesiasticis, vel consentit rõne officij, quo fungitur, vt exactio fiat, remanet statim alligatus excom. Bullę Patet, E tunc enim procurat, & prębet auxilium, & fauorem ad exactionem faciendam contra expressam dispositionem huius Canonis, & multo magis incidit in excommunicationem cap. Aduersus de Immun. Eccles. Vbi Innocentius Tertius verbis clarissimis excommunicat successores in officio, nisi infra mensem satisfecerint.

Dico secũdò, si talis successor neq. expresse conatus est reuocare impositionem factam, neq. ad illius exactionem præbuit fauorem, vel auxilium, sed merè negatiuè se habuit, non suadẽdo, nec dissuadendo, adhuc censeo excommunicatum esse, quia satis consensisse dicitur si tenebatur reclamare, & quantum poterat

impositionem reuocaret neglexit, & probaui in solutione primæ dubitationis.

Dico tertiò, si hic successor pro viribus conatus est prædicta onera tollere à Clericis, & inducere Magistratum, vel alios, ad quos spectabat, vt reuocarent impositionem, & non potuit obtinere, tunc temporis sicut non videtur particeps delicti, ita neque censura contra tales delinquentes lata afficitur, sicut dixi de Rectore, & Gubernatore tempore impositionis. Nam vt habetur in cap. Romana in fi. Vers. In Vniuersitatem De sent. excomm. Si pronuncietur sententia excommunicationis pro delicto collegialiter patrato, culpabiles tantùm remanent innodati. Et ita sentit Abb. in cap. Aduersus num. 21. & Sylue. Excommun. 9. §. 17. Vers. De successore. Neque in hoc casu tenetur dimittere officium, vt inquit Syluest. & Abb. etiam quamuis oppositum affirment Innoc. Io. And. & Petr. Anchar. quos ibi citat Abb. num. 18.

Cuiusque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentatus quicunque etiam Regnis, prouinciis, Comitatibus, & Terris quoquomodo Præsidentes, & Consiliarii, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti. In tota Bulla Cœnæ nullibi ita distinctè, & exactè recensentur tot nomina, & tam diuersa ad significādum omnem statum, gradum, & ordinem hominum, sicut in hoc capite. Vnde colligimus excōmunicationē quoad personas esse vniuersalissimā, & mentem Sūmi Pontif. esse, vt nullus excipiatur ab hac excōm. neq; seculari, neq; Ecclesiastica dignitate ornatus, vt dixi in 1. cap.

Hæc clausula continēs hæc nomina dignitatum diuersarum habetur in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. in Bulla Reform. Curiæ post fi. Vers. Et cum in Lateranensi pariter; Et ex eo loco accepta est & posita in hoc Canone Bullæ, vbi additur vltima illa particula; *Aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti*, quæ non legitur in loco citato Concilij.

Innouantes decreta super his per sacros Canones tam in Lateranensi nouissimè celebrato, quàm aliis Conciliis Generalibus edita etiam cum censuris, & poenis in eis contentis. Innouantur Constitutiones editæ tam in vltimo Cōcilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. vt dixi, quàm in alijs Concilijs pariter Lateranensibus antiquioribus promulgatę scilicet sub Alexandro III. & refertur in cap. Non minus De immun. Eccl. Et sub Innocentio Tertio, & habetur in cap. Aduersus eod. tit. De quibus distinctius, & clarius in seq. capite disserendum erit.

CAPVT V.

Enarrantur, & discutiuntur excommunicationes, & aliæ pœnæ Iure antiquo contra grauantes collectis, & impositionibus personas Ecclesiasticas, impositæ.

PLures alias excommunicationis, & Interdicti censuras præter hanc Bullæ Cœnæ à diuersis Summis Pontificibus, & Cōcilijs Generalibus varijs tēporibus contra hosce Ecclesiasticæ libertatis violatores super collectarum, & pedagiorū, atq; aliorū onerū impositione prolatas fuisse legimus; Ex quib. meritò illud antea oīa colligēdum esse videtur insignis criminis reos censeri hosce violatores immunitatis Ecclesiasticæ, cū tam multas, & graues Romanorū Pontificum constitutiones censuris appositis alijsq; pœnis additis imprudenter transgrediantur, vt rectè Nauar. in Manua. cap. 17. n. 203. moneat valde mirandum esse Confessarios locorum, vbi hæc delicta contra libertatem Ecclesiasticam palam, & publicè committuntur, has censuras grauissimas pro dignitate ipsarum minimè æstimare, neque transgressoribus absolutionem sacramentalem denegare, vt tenētur, & Glos. in Clem. Præsenti Ver. Interdicti de Censi. affirmat totum ferè Italiam ob hoc crimen esse interdictam. De reliquis partibus orbis Christiani testificari possunt qui in illis sūt versati, & quidem hoc tempore credendum est. Tales publicanos, & exactores gabellarum, vt plurimùm excommunicatione innodatos manere, plerosque tamen illorum eam parui facere, quoniam ad malū sunt proni, audacesque, & auaritiæ dediti, vt de illis loquens Vlpianus in l. quantæ. ff. de publica. & vecti. dicat. *Quanta audacia, quantæ temeritatis sint Publicanorum factiones, nemo est, qui nesciat &c.* Et Lucas de penna in tract. de priuileg. fisci quæst. vlt. asserit illos Deo, & hominibus odio esse, & solùm quærere, quæ sua sunt, olim dum puras manus habebant, in honore constituti erāt, vt Cic. testatur in orat. pro Cn. Plancio. sed iam aggrediamur censuras, & pœnas enumerare.

Quinque reperiuntur peculiares excommunicationes inflictæ ab ipso iure, vt temporum varietas tulit, & rerum conditio postulauit contra eos, qui personis ecclesiasticis imponere collectas, gabellas, & alia onera, vel ea exigere præsumunt.

Prima habetur in cap. Nō minus de Immun. Eccles. ex Concilio Lateranensi cap. 19. sub Alexandro Tertio vbi Rectores Ciuitatum, & Consules imponentes collectas, angarias, & onera Ecclesiis, & personis ecclesiasticis, si moniti non desistunt, tam ipsi, quàm eorum fautores ipso iure excommunicationi subijciūtur non restituendi communioni, donec satisfactionē fecerint competentem. Excipitur tātùm casus, vbi hęc impositio fit auctoritate Episcopi, & Clerici propter vtilitatem, vel necessitatem communem, si Laicorū ad id facultates non suppetant, & hęc excō. nō est reseruata.

Quare tria sunt, in quibus differt hæc excommunicatio ab excommunicatione Bullæ. Primum quoniam excommunicatio Bullæ est reseruata, illa minimè. Secundum illa incurritur ipso iure post monitionem, si Consules, & Rectores desistere nolint, excommunicatio Bullæ nullā requirit monitionem præcedentē. Tertium ad euitādam illam excommunicationem sufficit licentia Episcopi, & Cleri, Ad effugiēdam excom. Bullæ necessarium est beneplacitum Romani Pontificis.

Secunda excom. in c. Aduersus eod. tit. ex Conc. Lateranensi sub Innoc. III. vbi innouata fuit constitutio sub Alex. III. sublata illa exceptione, nimirum quòd propter publicam vtilitatem, si Episcopus cum Clero ita expedire iudicaret, vbi Laicorū facultates non suppeterent, Ecclesiæ, & Clerici subsidia conferre tenerentur, simulq. definitum fuit nunquam licere huiusmodi tallias collectas, & exactiones imponere, nisi prius cōsulto Romano Pontifice, cuius interest communibus vtilitatibus prouidere, & etiam declaratum fuit Consules, & Rectores, qui dicta onera imposuerunt, remanere excōmunicatos etiam absoluto officio, cum obligatione satisfaciendi debitum, & eodem anathemate obstringi successores in officio, nisi infra mensem satisfecerint. Et similiter hæc excom. non est reseruata.

Ex quibus annotādū est. Primo nō solùm nefas esse laicis imponere collectas Ecclesijs, & Clericis propria auctoritate, neq. cōpellere eos ad cōtribuendū, verùm ēt prohiberi, ne Clerici spōtè possint de bonis ecclesiasticis aliquid soluere, nisi habita licentia Ro. Pōtificis.

Notandum est secundò, vt monet Abb. in d. c. Aduersus n. 8. de Immun. Eccles. Excōicatum ab homine, vel à iure ratione delicti in officio commissi remanere ex-

excommunicatum absoluto, & deposito officio, & talis excommunicatio in successorem transit ipso facto, non simpliciter, sed tunc demum, si satisfacere noluerit pro delicto per Prædecessorem commisso. Vnde Host. vt inquit Abb. in d. cap. Aduersus n. 16. tenet excommunicatum esse quemcunque alteri excommunicatu succedentem, si foueat factum damnatum ratione cuius Prædecessor fuit excommunicatus, quia incidit in eandem sententiam, & Abb. addit incidere in eandē sententiam, si expresè factū illud prosequatur, & foueat, non expectato aliquo tempore, puta si Iudex in Carcere retineat Clericum per Prædecessorem captum arg. cap Concubinæ. De sent. excom. Quandu verò non præstat fauorem, nec cooperatur vllo modo ad rem malam per Prædecessorem institutam, sed non satisfacit nomine sui Prædecessoris, non est illico excommunicatus, sed est expectandus mensis, vt dicitur in eod. cap. Aduersus.

Sed opponit Abb. num. 17. Quoniam videtur indistinctè verum esse in omni casu, successorem statim obstringi vinculo excommunicationis: nam excummunicatio fertur sub nomine dignitatis, vt in cap. Quoniam Abbas. De off. Deleg.

Respōdet Abb. cap. Quoniam Abbas, locum habere, quando dispositio concepta sub nomine dignitatis, potest accomodari dignitati, & personæ, tunc enim videtur potius habita ratio dignitatis, quàm personæ, secus verò vbi materia aptari potest tantum personæ, nō dignitati, vt in cap. Aduersus. tunc enim semper relatiu habetur ad personam, non ad dignitatem. Excommunicatio enim afficit animam, & fertur propter delictum, & contumaciam, ideo non potest respicere officium & dignitatem, cap. Romana De sent. excom. lib. 6. Idcirco officialis successor non incidit statim in excommunicationem, sed post mensem, si non satisfecerit, tunc enim apparet contumax.

Dices, in quo consistat hæc satisfactio debiti ad quam officialis & antiquus, & nouus tenentur ex dispositione dicti cap. Aduersus.

Respondeo iuxta distinctionem traditam in superiori capite in respōsione ad secundam dubitationem, si Rector tempore impositi grauaminis præbuit auxilium, vel consilium, vt imponeretur onus, tenetur ad satisfactionem, quia debet inducere Vniuersitatem ad satisfaciendum, ad cuius commodum versa est collecta. Quòd si non potest Vniuersitati persuadere, vt emendet damnum, tunc remanet ipse obligatus satisfacere pro damno, quod Ecclesia, vel Clerici ex impositione collectæ sustinuerunt. Et idem dicendum est de successore.

Rursus quæri potest; Vtrum mensis, qui expresè conceditur in tex. successuri in officio ad satisfaciendum antequam incidat in excommunicationem, intelligatur etiam assignatus Prædecessori, qui fungebatur officiu tempore impositionis collectæ.

Host. tenet partim affirmatiuam, nimirum mensem ad satisfaciendum assignatum esse tam antiquo, quàm nouo officiali, quia in tex. verbum illud, *Nisi satisfecerit*, refertur ad ea, quæ immediatè præmittuntur, sed antea proximè de vtroque sermo fuerat. ergo ad vtrumque refertur. Hoc idem confirmat Abb. nu. 23. alijs medijs, sed nihilominus ipsi aliter putat respondendum cum distinctione; Aut Prædecessor, dum instabat pro collecta imponenda, fuit admonitus, vt desisteret; & tamen ipse non solùm se retinuit, sed magis tunc ad executionem faciendam progressus est, quo casu eo ipso est excommunicatus, non expectato

A mense, quoniam in cap. Non minus simpliciter pronunciatur excommunicatus, si monitus non desistat. Alia ratio est de successore, cui tribuitur mensis, non vt desistat, sed vt satisfaciat. Vnde merito excommunicatus non erit, antequam mensis decurrat. Quando verò Prædecessor non est progressus ad executionem, sed non desistit à petitione, vel fuit admonitus post executionem, vt satisfaceret, tunc cum sit eadem ratio in Prædecessore sicut in successore habebit locum in vtrisque eadem mensis assignati.

Item quæri potest, an ex vi Bullæ Cœnæ censura illius cap. Aduersus, quatenus ad successorem extenditur, sit reseruata.

Respondeo, si succesor non exequitur impositio-
B nem ab alio factam, exactionem prosequendo, sed statim ab exactione desistat, solumque sit in mora restituendi, quod ab alio iniustè petitum & acceptum est, licèt incurrat excommunicationem, illa tamen non est reseruata ex vi Bullæ, cum in ea nullum verbum sit De restitutione, sed solùm de impositione, & exactione, vel acceptione, & de cooperatione ad hæc. Quare succesor, qui non imponit, nec exigit, neque aliquo modo cooperatur, non innodatur censura lata in Bulla.

Vt autem incurrat excommunicationem dicti cap. Aduersus, oportet, vt sit in mora restituendi ex culpa, non enim videtur cogendum ad restitutionem, ex proprijs bonis, cum ipse non deliquerit, neque aliquid
C ex bonis Ecclesiæ vsurpauerit, sed tenetur satisfacere, quatenus Rector, & Gubernator, idest ex bonis communibus, procurando, vt qui bona acceperint, restituant. Ratione enim officij succedit in hoc onere, vt dicitur in text. Ideo si non possit intra mensem efficere, vt satisfactiu sequatur, dummodo quod in se est, fecerit, non remanet excommunicatus, quia non peccat.

Differt hæc excommunicatio à censura Bullæ; Primò, quoniam illa non est reseruata, vt dixi. Secundò in illa declarantur irritæ, & inanes omnes sententiæ pronunciatæ à dictis Rectoribus, & Gubernatoribus Ciuitatum, à quibus impositæ sunt collectæ, nullo vnquam tempure valituræ, quia sententia lata ab
D Excommunicato est inualida, & nulla. Hæc particula non habetur in Bulla. Tertiò in illa Rector, cuius tempore indicta fuit collecta etiam deposito officio, manet anathemati suppositus, nec potest absolui, nisi præmissa satisfactione. Hæc conditio non est in Bulla. Quartò succesor in officio eadem censura inuoluitur, nisi infra mensem satisfecerit. Hoc non exprimitur in Bulla.

Tertia excommunicatio in capit. Clericis De Immunit. Eccles. libro sexto, edita à Bonifacio Octauo, qui videns in cap. Non minus, & in cap. Aduersus citatis, fuisse quidem latam excommunicationem aduersus exigentes tallias, & collectas à personis Eccle-
E siasticis, nullam verò pœnam inflictam esse, si acciperent à sponte dantibus; Neque etiam Clericis voluntariè soluentibus, onera prædicta. Vnde frequenter contingebat, vt Clerici magis timentes homines, quàm Deum, ad talia onera vnà cum laicis contribuere non vererentur; Ideo vt huic pusilanimitati contra libertatem Ecclesiasticam consuleret Bonifacius, excommunicationem extendit ad contribuentes, etiam per modum doni gratuiti absque speciali Papæ licentia, & auctoritate. Quòd si Vniuersitas talia faceret, supponitur Interdicto. Hæc statuta fuerunt à Bonifacio VIII. sed successit Benedictus Vndecimus,

qui in Extrauag. Quod olim eod. tit. reuocauit decretum Bonifacij, & noluit, vt excommunicatio, & interdictum non habeant locum in accipientibus a spontè dantibus, neq. in ipsis Clericis voluntariè soluentibus. Deinde sequutus est Clemens Quintus, qui ad tollendas controuersias quasdam ortas ex Constitutione dicti Bonifacij Octaui in Clem. vni. eod. tit. illam cum declarationibus Benedicti Vndecimi omnino reuocauit, & mandauit, vt seruarentur decreta edita in Concilijs generalibus Lateranensibus, scilicet cap. Non minus, & cap. Aduersus, nempe vt excommunicationi subiacerent quicunque laici exigentes, seu extorquentes ab Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis tallias, seu collectas, & exactiones quascunque, & similiter ad id dantes consilium, auxilium, vel fauorem.

Verùm post hæc omnia Concilium Lateranense sub Leone X sess. 9. in Bulla Reform. Curiæ prope fi. vers. Et cum in Lateranēsibus pariter &c. innouauit omnes censuras excommunicationis, interdicti, & depositionis latas contra imponentes talia onera Ecclesiasticis, & exigentes etiam a spontè dantibus, & consentientibus, & erit quarta excommunicatio, & præter supradictas pœnas, quas contrauenientes eo ipso incurrere voluit, addidit quoque inhabilitatem ad omnes actus legitimos, & reddidit illos intestabiles.

His omnibus successit Bulla Cœnæ, qua excommunicantur clarissimè accipientes etiam a spontè dantibus, & innouantur omnia decreta, & Concilia generalia super his edita, quare decretum Bonifacij hoc tempore locum habere videtur, ac si esset in Bulla relatum.

Quinta excommunicatio habetur in c. Quamquam de Censi. lib. 6. Vbi Bonifacius Octauus excommunicat exigentes, vel extorquentes ab Ecclesijs, seu personis Ecclesiasticis pedagia, seu guidagia, aut exactiones pro rebus suis, quas causa negociationis non deferunt, vel pro personis, & si fuerit Vniuersitas, interdicitur non obstante quacunque contraria consuetudine, & prohibetur, ne absolutio ab excommunicatione, vel relaxatio ab interdicto concedatur, donec exacta plenariè restituantur ab ipsis transgressoribus, & pro delicto competenter satis fecerint.

Hęc excommunicatio non est reseruata, sicut est excommunicatio Bullæ, & habet adiunctum interdictum contra Collegium, & Vniuersitatem, quod non habetur in Bulla.

Et Clemens Quintus in Clem. Præsenti de Cēsi. edidit constitutionem in executionem dictæ excommunicationis latæ in cap. Quamquam, vt inquit Glos. in dicta Clem. proponendo casum. Iubet enim Clemens, vt Episcopi postquam eis cōstiterit aliquos in excommunicationis, & interdicti sententias ipso iure incidisse, quia exegerint, aut extorserint ab Ecclesijs, vel personis Ecclesiasticis pedagia, vel guidagia pro rebus Ecclesiarum, aut Clericorum, quas non negociationis causa deferunt, aut deferri faciūt, vel transmittunt dictos excommunicatos publicent, vel a suis subditis tandiù faciant publicari, donec illi sic exacta restituerit, & de transgressione huiusmodi satisfecerint. Et nihilominus post restitutionem, & satisfactionem certum est necessariam fore absolutionem ab excommunicatione, & relaxationem ab interdicto, vt rectè id notat Glos. Ver. Donec.

Quamobrem moratur Nauar. in Manua. capit. 17. num. 203. vers. Quarto demirari me &c. quod Episcopi hoc decretus Concilij in re grauissima temere negligant, & tam pauci reperiantur, qui hosce Ecclesiasticæ immunitatis violatores, postquam id eis constiterit, in suis Diœcesibus publicè excommunicatos, & interdictos denuncient, cum facilè hoc eis innotescere possit, quamuis parte vocata, & audita id fieri debeat, vt notat Glos. in ead. Clem. Præsenti Ver. Constiterit, & Glo. in Clem. vni. Ver. Deperierint in fi. de off. deleg.

Demum eadem excommunicatio reposita est inter alias grauissimas Bullæ Cœnæ, in qua, vt visum est, innouantur, & confirmantur etiam omnes istę, quas enumerauimus.

Extat etiam apud Concilium Triden. sess. 25. c. 20. de reform. decretum, quo innouantur, & confirmantur omnes sacri Canones, & Concilia generalia in fauorem Ecclesiasticarum personarum, & libertatis Ecclesiasticæ, & contra eius violatores edita, atque graui, & paterno sermone admonent? omnes Reges, ac Principes, vt quo largius bonis, atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius, quæ Ecclesiastici iuris sunt tanquam Dei præcipua membra eiusque patrocinio tecta venerentur &c.

Quapropter ex numero, & forma Censurarum, & aliarum pœnarum, quibus subijciuntur grauētes oneribus Ecclesias, & Clericos liquidum omnibus, & manifestum esse potest. quàm insigne sit scelus Ecclesiasticam immunitatem exactionibus, & collectis quouis modo violare, vt Iure verendum sit, ne clementissimus & benignissimus Deus quotidie magis, ac magis hac ratione prouocatus tandem Consultores Principum tot Summorum Pontificū Constitutiones turpiter eludentes, & has iniquas exactiones consulentes, ac promouentes, nec non ipsosmet Principes solius auaritiæ studio nimium se illis credentes durius aliquando sit castigaturus.

CAPVT VI.

Proponuntur dubia de eadem immunitate Ecclesiarum, & Clericorum a Collectis, Tallis, & alijs oneribus.

EXplicato Canone, vt ea, quæ dicta sunt, clariora, & lucidiora appareant, & tollantur omnes difficultates, superest modo, vt dubitationes dissoluamus multas, quæ oriri possunt, cum ex Bulla, tum etiam ex alijs Constitutionibus enarratis.

Prima dubitatio esse potest, An exigens collectā, seu aliud tributum ab Ecclesijs, vel personis Ecclesiasticis pro agris, & possessionibus, quas emerunt, vel alio titulo acquisiuerunt, incidat in excommunicationem.

Bart. in l. placet nu. 59. C. de sac. san. Eccles. quęrens num omnes teneantur ad tributa; Respondet teneri excepta Ecclesia, de qua distinguitur, aut cœpit possidere prędium liberum, & hoc casu non tenetur, aut tributarium, & tenetur, aut dubitatur, liberū ne, aut tributarium sit, & tunc pro possessore est præsumendum. Quo casu Bart. videtur magis Fisco, quàm Ecclesię fauere quoad primum caput nulli dubium est, quin Ecclesia sit libera. Quoad secundum de quo quæritur in dubitatione proposita, est tota controuersia, & hinc inde sunt rationes, & auctoritates Doctorum.

Et pro parte affirmatiua, idest Ecclesiā teneri, possumus hęc afferre. Primo cū prædia Ecclesijs, vel Clericis vendita tributaria, & onera tributi, & collectarum affecta ad Ecclesias, vel Clericos cum suo onere transire debēt, & ita sæpius à Summis Pontificibus rescriptum fuisse legimus, vt in c. 44. quicunque 16. quæst. 1. cap. Cum non sit in fi. de Deci. c. Ex literis in fi. de pignor.

& ita

& ita statuitur etiam Iure Ciuili. l. Alienatio 67.ff.de contrah. emptio. *Alienatio cum fit, cum sua causa dominium ad alium transferimus, quæ esset futura, si apud nos ea res mansisset*, Vnde Bald. in cons. 148. Præmisso statuto, tradit res ad Clericos transire cum sua causa suisque vitijs.

Secundo vendens, seu concedens rem obligatam & anneaam oneri tributorum, intelligitur vẽdidisse, vel concessisse ius tantum, quod vtique habebat in re, l. Qui Tabernas 32. ff.de contrah. emptio. cap. Accusatus §. si verò de Hæret. lib. 6. Quia & ratio suadet neminem plus iuris in alium transferre posse, quam ipse habeat, l. Traditio ff.de acqui.rer.domi. At qui laicus huiusmodi res habebat pro functionibus fiscalibus obligatas, liberas igitur ab illa obligatione transferre non potuit, sed prout ipse habebat. Etenim qui in alterius ius succedit, eo, quo ille, iure vtitur, vt docet Reg. Si quis successit de reg. iur. lib. 6.

Tertio Innoc. in cap. Non minus de immun. Eccles. docet, quòd si possessio, cuius ratione debet quis prę-stare personale munus seu militare, vtpote exercitiũ, vel hospitium per Ecclesiam acquiratur, Ecclesia ad illud munus tenetur, veluti possidens rem oneri annexam, cui consentit Io. And. in cap. 1. de Immun. Eccl. lib. 6. Qui existimat, quòd si possessio per Ecclesiam acquisita sit affecta pro solido & libra ad collectas, quia interdum patrimonialia munera possessionibus adiunguntur, l. 6. §. quæ munera, & l. vlt. §. Patrimoniorum ff. de muner. & honor. Tunc possessionem illã cum onere suo remanere apud Ecclesiam. Quod adeo verum est, vt non valeat pactum inter empturem & venditorem, vel inter donantem & donatarium initum, vt possessio sit libera & collationis sarcina apud venditorem aut donantem remaneat. Idque Imperiali rescripto cauetur manifeste, l. vlt. C. sine censu, vel reliquis fundum comparari non posse.

Quarto nulla Ecclesiæ fit iniuria, si rem emptam pro qua compellitur censum aut collectam soluere, sciat tali tributo oneratam esse, nam si oneratam accepit, sibi debet imputare, quia scienti & consentienti nulla fit iniuria, Reg. Scienti de reg. iur. lib. 6. Quod si ignorauit, agere potest ad id, quod sua interest, & id à venditore consequi.

Pro contraria vero parte negatiua in fauorem Ecclesiæ adducuntur aliæ rationes. Primo Ecclesia & Clerici non tenentur pro rebus emptis soluere collectas, neque aliud onus, si quidem Ecclesia & Clerici Laicis subiecti non sunt, vt tradit Bart. l. vni. C. de mulie. quæ seruis prop. se iunxe. At collecta non imponitur, nisi subiectis hoc est Ciuibus & Incolis, l. Rescripto §. vlt. ff. de mune. & honor. Quia collecta est munus quoddam, quod indicitur personis pro patrimonio, atque ideo iniungi non debet, nisi subiectis.

Secundo Clerici etiam de Iure ciuili ad nulla onera tenentur Auth. Item nulla Cõmunitas C. de Episc. & Cleri. Vnde si soluerent, aut soluere cogerentur, alienum debitum soluere viderentur, quia soluere collectas, gabellas, & huiusmodi. Vniuersitatis est, non Ecclesiæ. Manifestum tamen est nemine vrgeri posse ad solutionem alieni debiti, l. fin. C. ne vxor pro mari. & toto tit. C. ne fil. pro Patre.

Tertio Fiscus & Ecclesia pari iure gaudent l. vlt. C. de sacr. sanct. Eccles. Nec Ecclesia esse debet deterioris conditionis quàm Fiscus, immo maioris, cum Ecclesiæ caput sit Christus, atque Fiscus cum in priuati ius succedit priuati iuribus pro anterioribus suæ successionis temporibus vtitur, cæterum postquam successit, habet priuilegium suum, quod tale est, vt nulli subiiciatur onere, l. 6. C. de Iur. Fisci, ergo & Ecclesia eodem priuilegio frui debet.

A

Quarto si Laicus confert alicui Ecclesiæ ius patronatus, cum ipse habeat quatuor menses tantum ad præsentandum, Ecclesia tamen habebit sex menses, c. vni. §. vltimo de Iur. patron. lib. 6. Rationem reddit ibidem Summus Pontifex, quia Ecclesia non vt Laicus Patronus, sed vt Patronus Ecclesiasticus debet reputari. Simili modo ratiocinandum est de re, de qua modo tractamus. Afferuntur etiam aliæ rationes, quas omitto.

In hac quæstione, de qua nonnulla dixi ad explicationem sextæ dubitationis in Disp. 16. cap. 5. sunt tres principales opiniones, quas refert Abb. in c. fin. num.

B

12. de vi. & honest. Cleri. Prima est Gofredi, qui distinguit inter onera prius imposita, & non soluta, & alia de nouo imponenda, vt ad prima teneantur Clerici, non ad secunda facit l. Imperatores ff. de publ. sicut in simili dicitur de Fisco, l. Fiscus ff. de Iu. Fisci, alij distinguunt vtrum possessiones erant prius adscriptæ pro solido & libra, & tunc transeũt ad Clericos cum oneribus suis; secus vbi nulla erat adscriptio facta. Tertia est opinio, quam Abb. asserit esse veriorẽ, aut illa bona habebant onus perpetuum anneaum, & immutabile, quo casu transeunt ad Clericos cum oneribus suis, facit Clem. 1. de Censi. & quod ibi notatur, aut onus non erat huius generis, sed mutabile, & extraor-

C

dinarium, quemadmodum sunt, quæ imponuntur facta æstimatione bonorum cuiuscunque, vt quis plus, vel minus teneatur soluere iuxta impositionem collectæ, & ad hæc minimè obligari Clericos neque Ecclesias. Neque enim dici potest esse onus annexum rebus, cum non sit perpetuum, sed variabile, quare si perueniat prædium ad Ecclesiam cum hoc onere, debet censeri liberum & priuilegiatum iure Ecclesiastico, si vero ad eandem transeat res habens onus annexũ primi generis, perpetuum scilicet & immutabile, tunc (vt diai) Ecclesia & Clerici tenentur soluere tributum, seu annuam illam præstationem perpetuo annexam. Et hanc sententiam, sequitur Abb. loco ci-

D

tato, & in cap. Non minus num. 15. in fi. vers. Sed ego distinguendo, & cap. de Immun. Eccles. & ita communiter tenent Iuris vtriusque Interpretes in l Placet C. de sac. sanc. Eccles. & in cap. Placet 16. q. 1. & in capit. Non minus de Immun. Eccles. in c. fin. de vi. & honest. Cleri. & alibi Iason in dicta l Placet in 2. lect. Io. de Ligna. in Clem. præsenti de Censi. Io. And. post Archid. in cap. 1. de Immun. Eccles. lib. 6. & ibi Petr. Anchar. circa fi. Gemin. num 9. Philip. Fran. circa fi. Eandem sententiam sequitur Sylue. Ver. Immunitas 1. §. 19. Vers. Tertium an autem Ecclesia &c. & omnes alij Summistæ antiqui & recentiores. Et iuxta hanc opinionem respondendum erit ad propositam dubita-

E

tionem, affirmando exigentes collectas variabiles, & non perpetuas ab Ecclesia & Clericis pro agris, & possessionibus, quæ, antequam transirent in potestatem Ecclesiæ & Clericorum, erant his oneribus suppositæ, proculdubio incidere in hanc excommunicationem. Secus vero si exigant tributum seu censum antiquum & immutabile perpetuo annexum dictis possessionibus, quia quælibet res transit cũ onere suo.

Hęc tamen communis opinio non habet locum in ijs, quę Ecclesia possidet spirituali iure, vel iure diuino, vt sunt decimę, primitię & oblationes, cap. 24. secundum Canonicam 23. q. 8. Pro his enim tributum & census minimè soluitur, quod & Glos. in dicto cap.

Secun-

Secundùm canonicam, & Ant. Butr. in cap. Non minus num. 9. vers. Quædam sunt de Immun. Eccles. qui asseuerat ea omnia, quæ ad diuinum cultum pertinent esse omnino exépta, vti est mansus, seu Ecclesiæ dos. Mansus, vt inquit Glos. in cap. 1. Ver. Mansus de Censi. est quantitas Terræ, quæ sufficit duobus bobus ad arandum in anno. Locus item, in quo est Ecclesia situata, Cœmeterium, Atrium, Hortus Ecclesiæ annexus, & his similia, vt in Concilio Parisiensi, ac Vuormatiensi iam olim fuit constitutum dicto cap. Secundùm canonicam 23. q. 8. Ita Cardinalis, & Præpositus adnorarunt in cap. Si tributum 11. quæst. 1. Sylue. Immunitas 1. §. 19. vers. Quod tamen fallit. Immo Glos. in dicto cap. Secundùm canonicam 23. q. 8. contendit, quod si Ecclesia fuerit in Agro tributario ædificata, & fundatur fuisset malæ fidei, quia sciuisset agrum esse tributarium, adhuc tamen non teneretur præstare tributum, sed compelleretur ad æstimationem rei, si quidem prædia, in quibus sita est Ecclesia, debent esse libera, & nullum soluere tributum. Ita Glos. in cap. 1. Ver. Vllo seruitio de Censi. quam sequuntur Innocen. Io. Andr. & Abb. in dicto cap. Non minus de Immun. Eccles. Card. & Præpositus in dicto cap. Si tributum 11. quæst. 1. Astensis in Summa lib. 6. tit. 30. cap. 4. circa finem. Concludamus igitur asserentes exceptionem illam Doctorum, quòd Ecclesia, & Clerici teneantur solùm ad solutionem tributi census, seu collectæ, quando huiusmodi onus annexum erat rei, anteaquam ad Ecclesiam transiret, si sit perpetuum, & immutabile, nō alias; Rursus cum alias exceptiones, vt illud locum non habeat in ijs, quæ ad diuinum cultum sunt dedicata, & ab Ecclesia spirituali Iure possidentur, vt dictum est. Vnde infertur non effugere excommunicationem huius Canonis illum, qui exigeret censum, seu tributū, quamuis perpetuum, & immutabile ex ijs rebus, quæ antea huiusmodi oneribus erant grauatæ, si posteaquā ad Ecclesiam transierunt spirituali Iure, vel Iure diuino modo explicato Deo sunt consecratæ.

Secunda dubitatio sit de bonis Clericorum, quæ communiter possidentur cum laicis, Verùm si ex his bonis exigantur collectæ, incurratur excommunicatio, puta si sint res possessæ à Clerico, & fratre Laico.

Specul. in tit. de Cleri. coniug. num. 13. vers. Quod si Clericus &c. tenet non posse Clericum vigore priuilegij Clericalis tueri bona communia cum fratribus Laicis à collectis, & alijs muneribus quamuis sint indiuisa, vt fratres non teneantur portionem ipsos tangentem persoluere arg. l. 3. §. fin. ff. de muner. & honor. Vbi excusatio Patris non tribuit immunitatem filio, & Iudex poterit ex officio cogere Laicum, vt diuidat à Clerico l. 1. & 2. C. quando, & quibus quarta pars debetur ex bonis, Decur. lib. 10. & compellit eundem ad soluendum collectam pro rata sua. Hoc autem probat Specul. Quia prætextu priuilegij Clericalis nō debet publica vtilitas vacillare arg. l. 2. in fi. C. de priuil. Schola. lib. 12. Semper tamen remanet exempta, & priuilegiata pars ipsius Clerici, quæ grauari non potest. l. fin. C. quemadmodum Ciui. mune. indi. Hoc idem confirmari potest ex verbis Clem. præsenti in princ. de Censi. Vbi Clemens Quintus præcipit Diœcesanis locorum, vt denuncient publicè excommunicatos illos, qui ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis pedagia, vel guidagia exigunt *Pro rebus proprijs*, Ergo hoc priuilegium non extenditur ad bona communia, sed fingamus, fratres, vel nepotes, vt eximant bona sua à gabellis, & oneribus publicis donasse omnia bona ipsi Clerico, vel partem bonorum, vt hoc modo virtute priuilegii Clericalis reddantur exempta. Specul. ibidem num. 16. censet talia bona Clerico donata frui immunitate communi Clericorum; nisi proberur id fraude, & dolo factum ad fraudandas gabellas. l. quoties. §. qui dolo. ff. de probat. l. dolum. C. de dolo, quod non facilè est præsumendum. l. 1. C. eod. tit. c. sancimus 1. q. 7. præsertim in Ecclesiastico, cap. 2. vers. Super eo quoque de noui. oper. nunciat. Vbi Glos. Ver. Non fecissent, notat. Non esse præsumendum, Monachos iniustam litem fouere. & vt præsumatur dolus inspici debent multa scilicet causa donandi conditio donantis, & donatarii, & similia, & vbi illis perpensis præsumitur fraus, tunc Iudex ex officio pro bonis donatis coget donantem ad subeundum gabellas, & alia munera iniuncta cap. Per tuas qui filii sint legit. Nam quæ in fraudem gesta sunt, rata haberi non debent. l. 1. in princ. ff. quæ in frau. credi. cap. Ex tenore de rescrip. Præsumitur autem fraus, inquit Specul. si omnia bona sua donauerit.

Tertia dubitatio, An exigentes collectas, quas Itali appellant communi nomine *Gabellas*, Hispani *Sissas* à Clericis, & personis Ecclesiasticis, impositas super pane, vino, carnibus, pannis, & alijs ad victum, & vestitum hominum necessariis, sint hac excommunicatione affecti.

Respondeo tales exactores esse excommunicatos, quoniam in Bulla fertur excommunicatio, vt visum est, contra omnes imponentes, & exigentes generaliter quæcunque onera, quouis nomine appellentur pro quibuscunque bonis, seu fructibus, aut redditibus Ecclesiarum, vel Clericorum, & ita definitum est iure ciuili Auth. Item nulla Communitas. C. de Epis. & Cleri. *Item nulla Communitas, vel persona publica, vel priuata collectas, vel exactiones, angarias, vel perangarias Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis imponant &c.* Tenet Bald. in l. placet. C. eod tit. Abb. in c. Non minus num. vlt. de Immun. Eccles. Sylue. Immunitas 1. §. 22. & alij omnes. Eodem modo in excommunicationem incidunt propter eandem rationem, qui exigunt gabellam ab Ecclesiasticis pro vino, aut frumēto ex agris & vineis beneficiorum suorum recollecto, si illud vendant alteri, neque illam soluere teneatur ad portam Ciuitatis, si fructus domum asportent, Bald. in l. omnis. C. de Epis. & Cleri. eod. tit. Sylue. Ver. Immunitas 1. §. 22. vers. Tertium Clerici &c.

Quarta dubitatio si imponant Consules, & Rectores Ciuitatis gabellā super carnibus, vel vino, aut realia huius generis ad eximendam Communitatem ære alieno, quo reperitur grauata. Vnde Ecclesia, & Clerici damnum patiuntur, cum carius emere cogantur cibaria ad humanam vitam necessaria, An in hoc casu locus sit huic excommunicationi.

Sylue. Immunitas 1. §. 22. vers. Quartum posito &c. distinguit, vel talis gabella imponitur ad soluenda debita Vniuersitatis contracta propter expensas inutiles in curia eorum penes quos regimen consistebat, atque in hoc casu non licitè exigitur à Clericis, quibus nulla pars fuit in mala administratione, sed Laici tantùm debēt grauari, quibus commissa est cura regiminis temporalis, & ideo, si secus fiat, incurritur excommunicatio. Vel imponitur propter communem vtilitatem tam Clericorum, quàm Laicorum, & hoc fieri potest sine periculo excommunicationis maxime cum Clerici possint alibi easdem res emere, quamuis nō ita commodè, & ita sentit Riccard. quodli. 2. q. 30. Astēsis in sum. lib. 6. tit. 30. ar. 4. Rosell. Ver. Pedagiū n. 17. Ang. Ver. Immunitas 1. q. 6. vers. Quartum posito quòd &c.

Quod

Quod affirmāt verū esse, dūmodo Respub. vel Princeps nō imponat gabellā animo, & voluntate extorquēdi illā ab ecclesiasticis, quos alio modo grauare nō posset. probat Riccard. hoc secundum membrum diuisionis. Primo quia Clerici indirectè soluunt, nam etiamsi in Ciuitate non morarentur Clerici, talis gabella imponeretur. Secundo quia imponitur ob communem Reipub. necessitatem, videlicet ad soluendum æs alienum, quod Princeps, vel Respub. cōtraxit ob communem Clericorum & Laicorum vtilitatem, secus est, si instituitur solum ob commodum Laicorum, vel ad soluenda debita culpa eorum contracta. Tertio quia etiam peregrini, aduenæ, viatores, & pauperes talem gabellam soluunt, quod mirum non est, quia indirectè & remotè, non directè & proximè obligantur, ergo eadem ratione Clerici talem gabellam soluere coguntur. Quare iuxta sententiam horum Doctorum cohærenter dicendum erit hanc gabellam exigi posse à Clericis absque periculo excommunicationis. Hæc tamen opinio non caret difficultate, & opposita videtur valde probabilis, quoniam re vera huiusmodi gabella videtur immunitati Clericorum, vel Ecclesiarū nocere, quia eo ipso Ecclesiastici coguntur vel carius emere, vel aliunde emere. Item vsu receptum est multis in locis, vt Ecclesiastici talem gabellam non soluant, vel si soluunt vinum vel carnes emendo ad exitum Anni Respub. vel Princeps damnum resarcire solet pecuniaria compensatione. Nec obstat, quod dicitur tali gabella Clericos teneri solum indirectè, & remotè, quia contra immunitatem Ecclesiasticam est vt Ecclesiæ, vel Clerici onere Laicorum grauentur. Nec valet, quod dicit Riccard. Talem gabellam imponi ob communem Clericorum & Laicorum vtilitatem. Hoc enim probat solum esse rationi consentaneum, vt Romani Pontificis consensu, vel si ad eum non patet aditus, Episcopi auctoritate huiusmodi gabellam Clerici soluant, non autem aliter auctoritate Laicorum, qui in Clericos & Ecclesias potestatem non habent.

Quinta dubitatio vtrū Magistratus secularis exigens gabellam, vel collectam per Principem impositam à Colonis prædiorum Ecclesiasticorum, qui cōduxerunt pro responsione annui affictus, & vocantur partiarij Coloni, incidat in hanc excommunicationem, & intelligo, si exigat ex portione fructuum debita ipsi colono. De quota enim spectante ad Ecclesiam non controuertitur.

Federicus de Senis cons. 109. vt refert Gemin. in c. Quamquam num. 11. de Censi. lib. 6. probat primo portionem fructuum, quam colonus Ecclesiæ lucratur, esse exemptam & immunem à collectis & gabellis, quia hoc priuilegium immunitatis non solum Ecclesijs & Clericis concessum fuit, sed extenditur ad seruos & vniuersam familiam eorum, quod probat ex l. 2. C. de Episc. & Cleri. vbi in fi. definitum est hanc exemptionem omnibus prædictis competere ex cap. Indicatum cum Glos. in Ver. Inter eos. 89. dist. cap. 2. & Glos. Ver. Clericum 11. q. 1. cap. 69. Ecclesiarum seruos, 12. quæst. 2. vbi Glos. in Ver. Clericorum notat, *Argum. quod eodem priuilegio gaudent serui Clericorum, quo Ecclesiæ, &c.* Nihilominus ipse oppositum tenet, cui adhæret Gemin. nimirum partem Rustici subiectam esse Domino temporali, & idcirco grauari posse, quia separatorum distincta est ratio. Neque obstant iura citata, quæ locum habent in seruis & in familia perpetua Ecclesiarum, non autem in famulis conducticijs, vt notat Archid. in dicto cap. 2. § 1. q. 3.

A Immo si Clericus locat prædium pro certo affictu quotannis, non ad quotam fructuum, emptor dictorum fructuum non gaudet priuilegio Ecclesiæ, vt inquit Gemin. & si illos in Ciuitatē transferat, tenetur ad portā gabellam soluere, quare iuxta hanc opinionem dicendum erit ad dubitationem propositam non esse locum excommunicationi, si collecta exigitur ex portione fructuum, quæ ad colonum Ecclesiæ spectat.

Sexta dubitatio esse potest de bonis Ecclesiarum, quæ in emphiteusim locantur, an collectis & tallijs grauari possint, & vtrum incurratur excommunicatio, si emphiteuta cogatur collectam seu gabellam

B pro dictis bonis soluere.

Respondendum est non incidere in excommunicationem exigentem collectam ab emphyteuta pro re, quam ab Ecclesia accepit, si emphiteuta Laicus sit, & ratio est, quia, vt sæpe repetitum est, priuilegium immunitatis concessum fuit bonis Ecclesiarum & Clericorum; quatenus ad Ecclesiis & Clericos pertinent, ergo si ad alios transeunt, amittunt priuilegium, sicut enim bona, pro quibus collecta & gabella soluitur, si transferantur ad Ecclesiam & Clericos, statim efficiuntur libera & soluta ab omni onere ratione priuilegij Clericalis. Ita contra bona, quæ antea erant Ecclesiarum & Clericorum, si transeāt ad Laicos, amittunt priuilegium, quod habebant, & efficiuntur subie-

C cta publicis oneribus, sicut alia bona Laicorum, quia iam possidentur à Laicis talia bona, qui Principi seculari subduntur quoad personas & bona.

Septima dubitatio, an incidant in hanc excommunicationem Bullæ, qui exigunt pedagia, vel gabellas pro rebus Ecclesiæ & Clericorum, quæ deferuntur è loco ad locum gratia negociationis.

Vnum videtur certum in hac quæstione, quod ab omnibus absque vlla controuersia admittitur, nempe Clericum pro rebus, quas defert negociandi gratia, non gaudere priuilegio Clericali, sed teneri ad pedagia & gabellas, hinc sequitur non incurri excommunicationem, si recipiatur gabella pro huiusmodi rebus delatis per Clericum.

D Hanc conclusionem probant Doctores ex capit. Quamquam de Censi. lib. 6. vbi decernitur, *Ecclesias & personas Ecclesiasticas ad pedagia & guidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum, vel soluendum talia pro rebus suis proprijs, quas non causa negociandi deferunt* in cap. fin. de vi. & honest. Cleri. Vbi Honorius Tertius mandat Episcopo, quosdam Clericos qui negocijs secularibus se immiscebant, & priuilegio clericali gaudere contendebant, non defendat, quo minus, dum his se implicant, de suis facultatibus, statutis, & consuetudinibus Patriæ subiaceant. Similiter in Clem. Præsenti de Censi. Clemens Quintus declarat Ecclesias & Clericos immunes esse à pedagijs & guidagijs quoad res proprias, quas non causa negociandi de-

E ferunt.

Ex his auctoritatibus desumitur argumentum à contrario sensu, nimirum non gaudere hoc priuilegio pro his rebus, quas negociandi causa transmittunt, ita argumentatur Glo. in dicta Clem. Ver. Non negociandi, & Specul. in tit. de Immun. Eccles. in fi. vbi redarguit emptores reddituum Ecclesiasticorum, qui intendunt eodem priuilegio gaudere, quo fruuntur ipsi Clerici, quo tamē carent etiam Clerici, si res suas deferunt gratia negociationis Gemin. in cap. Quamquam num. 6. de Censi. lib. 6. vbi Petrus Anchar. nu. 2. Philip. Franc. num. 4. Card. in Clem. Præsenti nu. 2. de Censi. Abb. in cap. fin. nu. 1. de vi. & honest. Cleri.

Felin.

Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 143. & 144. de Constit. qui multos alios citat, & Dec. ibi num. 57. Bertach. in Tract. de gabell. par. 7. n. 10. Petr. de Antibol. in tract. de muner quæst. 6. numero 21. Sylue. Ver. Immunitas 1. §. 22. Ver. Secundum Clericus &c. & alij Summistæ. De hoc igitur non est dubitandum.

Vnde illud apertissimè constare potest, quàm turpe sit & indecorum personis Ecclesiasticis secularibus se implicare negocijs, & quàm seuerè hoc crimen Summorum Pontificum decretis & SS. Patrum testimonijs damnatum sit, cum Clericus negociator amittat Clericale priuilegium, ac si ordinis dignitate insignitus minimè esset, ideo Gelasius Papa in c. Consequens est dist. 88. huiusmodi Ecclesiasticos acriter reprehendit tum exemplo Christi, qui tales negociatores è templo verberatos eiecit, tum verbis Apostoli dicentis; *Nemo militãs Deo implicat se negocijs secularibus.* Quod Dauid alijs verbis docuit, *Quoniam non cognosci negociationes introibo in potentias Domini.* Ad idem cap. 1. 14. q. 4. & in q. 3. cap eau in Summa in fi. Vbi Glos. in Ver. Quod autem, & S. Hierony. ad Nepotianum de vita Clericorum, refertur c. Negociatorem 88. dist. inquit Clericum negociatorem tanquam pestem euitandum esse.

Huius prohibitionis tres præcipue rationes considerari possunt: Prima est, quia finis negociationis est lucrum temporale, quod Clerici contemnere debent, nam habentes alimenta, & quibus tegantur, contenti esse debent, Paul. 1. ad Timot. cap 6. Secunda ratio, quoniam rarissimè hæ profanæ & seculares negociationes absque peccati labe exercentur, vnde periculosæ sunt valde, ait enim sapiens ecclesiastici c. 26. in fi. *Duæ species difficiles; & periculosæ mihi apparuerunt, difficilè exuitur negocians à negligentia, & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum.* Tertia ratio, quia huiusmodi negocia plurimum homines à spiritualibus functionibus retrahunt, quibus incumbere peculiare est Clericorum munus.

Sed notandum est Clericum non statim dicendum esse negociatorem, si rem vnam, vel alteram emerit, vel vendiderit, nam negociator is dicitur, qui plures negociationes exercet, l. 1. fi. licèt & ibi Glos. in Ver. omne ff. de tribu. l. semper §. Diuus Adrianus cum l. seq. ff. de Iure Immuni. Bart. in Proœm. digestorum num. 10. Petr. Rebuff. in Tract. de mercat. minu. art. 1. glo. 1 nu. 10. & alij, quos citat Bernar. Diaz. in pract. crim. cap. 55 in Addit. Vers. Et vt huius capitis &c.

Sed præter hæc, quæ certa sunt, & ab omnibus concessa, dubitari potest de aliquibus, & primo quando dicendus sit Clericus negociator, vt amittat priuilegium Clericale, & excommunicatio non incurratur, si collecta & gabella ab eo exigatur. Quod idem est, ac si quæramus, quæ negociatio sit Clericis interdicta, quæ vero permissa.

Glos. in cap. 1. Ver. Indignis 14 q. 4. explicãs, quod in tex. dicit, *Ab indignis quæstubus*, scilicet Clericis abstinendum esse notat licitas negociationes esse Clericis permissas, Specul. in tit. de Cleri. coniug. num. 5. Vers. sed quam dicis &c. dicit inhonestas negociationes Clericis esse interdictas, Tabernas exercere, vsuris operam dare, tanquam lanium carnes vendere, & similes, quas ipse enumerat. Contra vero permittit cis, tanquam honestam negociationem, vineas proprias putare, domus suas reficere, & quodlibet iustũ negocium gerere propter eorum necessitates exemplo Apostolorum, quos legimus manibus proprijs ad victum necessaria sibi quæsiuisse. Ideo licitum erit eis canistros facere, ferere, plantare, arbores inserere, retia texere, libros scribere, & similia. Item inquit non esse Clericis prohibitum honestam mercaturam exercere, l. 2. C. de Epi. & Cleri. dummodo Ecclesias suas non negligant, c. Clericus 2. dist. 91. *Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus artificioso victum quærat*, & c. 2. & 3. ead. dist. Quare inhonestum negocium & turpe lucrum tantum eis inhibetur, honestum conceditur. Abb. in cap. fin. num. 14. de vi. & honest. Clericorum distinguit inter negociationem & artificium. Illa dicitur negociatio, quando quis exercet artem, res emendi, vt sine vlla mutatione in materia illas alijs vendit, artificium vero est, quando quis emit rem aliquam, & arte sua reducit illam in aliam formam, vt si emat ferrum, & ex eo conficiat instrumenta fabri lignarij, vel emat chartas, vt libros conscribat, vel filum, vt construat retia, & sic de similibus. Si loquamur de negociatione prioris generis illa est Clericis prohibita, vt habetur in cap. Eijciens 88. dist. & c. Quoniam non cognoui & 91. dist. cap. Clericus, & c. 1. & 2. ne Cleri. vel Mona. Si autem sermo sit de artificio, illud non videtur Clericis interdictum, ad hoc facit tex. in cap. Nunquam de consecr. dist. 5. & in dicto c. Clericus dist. 91. & ratio est, quoniam tales non vocantur Mercatores, vel negociatores, sed potius artifices, & quis negociari propriè dicitur in commerciis, cap. Forus §. negocium de verb. signif. Quamobrem quando recipitur gabella, vel collecta à Clerico ratione rerum, quas emit, vt eas prorsus non mutatas carius vendat, non incurritur excommunicatio, idem enim propriè dicitur negociatio & mercatura, quæ Clericis est interdicta, cap. Canonum 14. q. 4. & dicto cap. Nunquam de consecr. dist. 5. si vero exigatur pro materia, quam Clericus arte & industria, vel alio modo mutatam postea vendere intendit, excommunicatio contrahitur, in his enim non est negociatio, sed artificium, vt notat Rodona q. 2. de spol. Eccl. num. 15. Idcirco non est prohibitum Beneficiario animalia nutrire, & postea vendere, vel ex lana, aut filo, vel panno arte & industria confecto lucrum quærere. Idemque dicendum, si ex argento, vel auro aliquid arte elaboratum vendiderit, tunc enim ex artificio, non ex negociatione lucrum comparat, quod est licitum Clericis, Glos. in Summa 14. q. 3. c. Clericus 91. dist. & c. 1. 21. quæst. 1. & cap. Nunquam de consecr. dist. 5. & Glos. in cap. Canonum 14. q. 4. Pari ratione si quidpiam ex suo patrimonio, vel ex beneficij fructibus habuerit venale, ideo si Clericus vendit vinum, oleum, frumentum & similia collecta ex suis agris & possessionibus non negociatur, nec tenetur ad gabellas, Abb. cons. 6. initium est, casus, super quo &c. Sylue. excom. 9. §. 46. Vers. Tertio nota. In his enim omnibus & similibus Clerici gaudent priuilegio, & ideo exigi non potest collecta sine excommunicatione, Nauar. Manu. cap. 27. nu. 128.

Verum quid dicendum, si Ecclesia aut Monasterium haberet venam ferri, illamque extraheret ad ferrum conficiendum lucri causa, an ad pedagium teneretur, Sylu. excom. 9. §. 48. Vers. Secundo nota, refert Federicum de Senis in casu Monasterij S. Galbani consuluisse pro parte negatiua, scilicet Monasterium non esse obligatum ad soluendum pedagium, etiamsi hac de causa venam ferri emisisset, sicut non teneretur faber emens ferrum, vt inde gladios conficeret, quia tales non sunt mercatores sed artifices, sed Sylue. aliter respondit ex sententia Petr. Anchar. in c. Quamquam n. 5. Vers. Quæritur quid Iuris de Censi,

lib. 6.

lib. 6. Si Ecclesia emat venam ferri, & per Magistros educat ferrum, diei posse negociationem artificio cōiunctam, quia nulla intercedit industria Clericorum. Si autem Ecclesia venam habet, & per operarios, & ministros ferrum extrahit, & postea vendit, tunc non tenetur soluere gabellam, sicut neque de frumento, & alijs fructibus, quia appellatione fructuum continetur. l. diuortio. §. si vir in fendo. ff. solut. matri. Addit Sylue. secus esse, si Monasterium etiam emat venam, dummodo per Monachos educat ferrum.

Secundò quæri potest, si inter leuantem pedagium, aut collectam, & portantem rem aliquam oriatur cōtrouersia de Clericatu, vel de fine quem defertur res idest an gratia negociationis, vel ob alium finem à quo sit terminanda, & decidenda dissentio.

Glos. in Clem. Præsenti Ver. Non negociandi de Censi. inquit, quoniam nimis molestum, & graue esset, quoties id accideret, ad Iudicem redire pro fide Clericatus, vel vt testificaretur ipsum non negociari; Idcirco putat standum esse iuramento deferētium, vel suorum Nunciorum, si personarum qualitas aliter nō suadeat, vel nisi de contrario fides habeatur in promptu, facit cap. fin. de Iu. Iur. & cap. fin. quod me. cau. & si de persona sit dissentio, sufficit, vt in habitu, & tonsura incedat, cap. Si Iudex Laicus de sent. excom. lib. 6. Eadem confirmat Gemin. in cap. Quanquam num. 7. de Censi. Petr. Anchar. num. 7. vers. Quinto quæro, Franc. num. 4. Nauar. in cons. 4. num. 4. de Immun. Eccles. Addit Anchar. quòd vbi contingeret Iudicem adiri, ad ecclesiasticum recurrendum est, non secularem, & probat ex dicta Clement. Præsenti in princip. de Censi. ibi, *Iubemus, vt locorū Diœcesani contra eos &c.* Alii dicunt adeundum esse Iudicem ecclesiasticum, vt cognoscat de Clericatu, sed quoad cognitionem; Verùm res, quæ deferuntur, sint ipsius Clerici, vel alterius, & an causa negociationis asportentur, vel alia causa, hoc spectabit ad Iudicem Laicum, sed Card. in Clem. Præsenti num. 9. vers. Sextò quæro de Censi. tenet quoad omnia tale iudicium pertinere solùm ad Iudicem ecclesiasticum; Idem ait Anchar. dicto num. 7.

Tertiò quæri potest, An Clerici in his, quæ deferunt causa negociationis, statim immunitate sint priuati absque alia monitione, oritur difficultas, quoniam in cap. fin. de vi. & honest. Cleri. Clericus post tertiam monitionem, si à negociationibus secularibus abstinere nolit, tunc perdit quoad bona priuilegium Clericale.

Respondeo Clericum in his, quę negociationis causa defert statim amittere priuilegium exemptionis, cum puniatur, in quo delinquit, licèt alias Clerici negociatores, vt sint priuati priuilegio Clericali, opus sit trina monitione, ex cap. fin. de vi. & honest. Cleric. & ita inquit Petr. Anchar. in cap. quamquam num. 2. Gemin. num. 7. vers. Sed contra, & Franc. num. 5. de Censi. lib. 6. quare verum est vtrumque, nempe Clericum statim ex causa negociationis amittere priuilegium exemptionis, & rursus hac immunitate non esse priuatum nisi post tertiam admonitionē: Nam quantum ad ipsas res, quas defert occasione negociationis eo ipso caret exemptione absque vlla monitione, pro quibus si exigitur gabella, & pedagium, nulla incurritur excommunicatio, quantum verò ad alia omnia bona sua, & personam non amittit simpliciter priuilegium immunitatis, nisi post tertiam monitionem, si desistere nolit, vt dicitur in cap. fin. de vi. & honest. Cleri. Quod significare videntur verba ibi posita *De suis facultatibus*, & tradit Abb. num. 7. Admonitio

A autem semper est necessaria ante censuram, & pęnam, Glos. ibi Ver. Tertiò hæc est &c. Immo post trinam monitionem non perdit omne priuilegium clericale, si desistere nolit à negociationibus, dummodo incedat in habitu, & tonsura, quia non amittit priuilegium Canonis, & fori, sed tantùm caret immunitate, & exemptione, quoad negociationes, quas exercet, & facultates suas, vt inquit Abb. in dicto cap. fin. num. 7. de vi. & honest. Cleri.

Quartò quæritur, An si Clericus negocietur ex bonis Ecclesiæ, amittat immunitatem quoad bona ecclesiastica, ita vt si exigantur ratione talis negociationis pedagium, vel gabella ex bonis sic negociationi expositis, incurratur excommunicatio.

Glos. in cap. fin. Ver. Suis facultatibus, de vi. & honest. Cleri. (B) infert ex illis verbis textus *De suis facultatibus*, quod si Clericus negociationi exponat facultates & bona Ecclesiæ, talis negociatio non obest Ecclesiæ, quia delictum personæ non præiudicat Ecclesiæ.

Confirmat Abb. in eod. cap. fin. num. 10. & citat Federicum de Senis cons. 200. asserentem non esse soluendum aliquid pro gabella, si bona Ecclesiæ transferantur ad certum locum gratia negociationis. Quare c. Quamquam de Censi. lib. 6. & Clem. Præsenti eod. tit. locum non habere in bonis Ecclesiæ: Ideo Abb. addit pertinere quidem ad superiorem coercere Clericum, vt cesset à negociatione super bonis Ecclesiæ. Non tamen ex delicto Clerici Ecclesiam orbandam esse (C) immunitate, & exemptione sua.

Octaua dubitatio principalis, Vtrùm incurratur excommunicatio, si exigatur gabella ab ecclesiasticis pro reaptanda via, reficiendo Ponte, ad construendum puteum necessarium toti viciniæ, vel oppido, vel ob alias similes necessitates.

Respondeo Clericum ad supradicta onera teneri, quia ratione naturali succumbunt ipsis rebus, quæ non minus Clericis, quàm laicis deseruiunt, & ad communem vtilitatem sunt adinuentæ, vt probatur ex l. Ad instructiones. C. de sacr. sanc. Eccles. & ibi Bart. & alij omnes. Et hoc dictum sequuntur ferè omnes Iuris Pontificij Interpretes, Abb. in cap. Non minus nu. 18. (D) de Immun. Eccles. Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 144. de Constit. Sylue. Ver. Immunitas 1. §. 19. circa fi. vers. Sunt tamen aliqua onera &c. Ad huiusmodi autem gabellam soluēdam quamuis ecclesiastici sint obligati; non possunt tamen cogi per seculares, vt notat Felin. dicto num. 144. Quamobrem vt Ecclesiæ, & Clerici teneantur vna cum laicis ad dicta onera contribuere, nonnullæ conditiones requirantur, quas tradit Abb. in cap. Non minus nu. 5. de Immun. Eccles. Prima est, vt deliberatio fiat ab Episcopo cum Clero. Secunda vt fiat propter vtilitatem, vel necessitatem publicam Ciuitatis. Tertia, quòd Laicorum facultates non supperant. Quarta vt fiat consulto (E) prius Romano Pontifice.

Nona dubitatio, An Clerici coniugati gaudeāt priuilegio clericalis immunitatis in suis bonis, & facultatibus, vt non teneantur soluere collectas, pedagia, vel quoduis aliud genus gabellæ, & exigentes ab eis, incidant in excommunicationem.

In Disp. 16. cap. 1. ad secundam quæstionem latius differui, quando Clericus coniugatus amittat omne priuilegium, & quando retineat aliqua, & quæ simul etiam quæ requirātur vt illis frui possit: Modò ea tantùm afferam, quæ peculiariter ad propositam dubitationem diluendam conferre possunt. Et primo Bigami omni priuilegio sunt exuti, nec in re aliqua tune

tuendi,

tuendi, sed tãquam Laici potestati seculari subijciuntur nulla contraria consuetudine obstante, vt in cap. Altereationis de Biga. lib. 6. Specul. in tit. de coniug. num. 18. Secundò Clerici coniugati cum vnica, & virgine, tonsura, & vestibus clericalibus vtentes præter fori, & Canonis: Si quis suadente, priuilegia quoad reliqua omnia Laici omnino censentur, est tex. singularis, & ibi Glos. communiter recepta in Ver. Cæteris in cap. vni. de Cleri. coniug. lib. 6. Vbi Petr. Anchar. num. 5. Gemin. §. in cæteris num. 4. Philip. Franc. in eod. §. num. 3. recensent multa priuilegia Clericorum, quæ iure negantur Clericis coniugatis, & inter alia priuilegium de non soluendis pedagijs, & gabellis, Card. in Clem. 1. num. 16. de vi. & honest. Cleri. Idem sentiunt alij, quos refert Couar. Practi. quæst. cap. 31. num. 9. Quamobrem Clericus coniugatus, quamuis cum vnica, & virgine, & qui tonsura, & vestibus clericalibus inductus incedat, nõ fruitur priuilegio immunitatis, quoad gabellas, munera, secularia, collectas, censum, & alia quæuis regalia obsequia. Nam huiusmodi Clerici hæc onera subire coguntur, sicut subeunt & præstant omnino Laici; Et ita expressè tenet Abb. in cap. Ex parte num. 2. & cap. Ioannes num 3. de Cleri coniug. Bertach. in tract. de Gabell. par. 7. num. 12. Couar. Pract. quæst. cap. 31. num. 9. vers. Præsertim Clericis coniugatis &c.

Decima dubitatio, An Clerici prima tonsura tantùm initiati non coniugati eodem priuilegio exemptionis gaudeant, vt liberi sint, & immunes ab omnibus subsidijs, censibus, tributis, & gabellis, à quibus Clericis in sacris constituti liberi censentur.

De hac etiam dubitatione pertractaui in eadem Disp. 16. loco citato, & communis opinio Doctorum, quos proximè citauimus, & aliorum, quos Couar. dicto num. 9. refert, & sequitur, affirmat Clericos sola prima tonsura initiatos ab his oneribus esse exẽptos. Nã appellatione Clericorum in iure continentur Clerici primæ tonsuræ, vt tradant Doctores in cap. Clerici de Iudi. & in Rubr. de vi. & honest. Cleri. Textus notab. in hac specie in l. Presbyteros 1. C. de Epi. & Cleri. *Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, atque Exorcistas, & Lectores, & Ostiarios, & Acolitos etiam personalium munerum expertes esse præcipimus.* Id tamen verum est, si saltem vestem, & tonsuram non dimittant, & iuxta decretum Concilij Trident. sess. 23. cap. 6. vel beneficium habeant, vel iussu Episcopi alicui Ecclesię interueniant, quod sanctissimè sancitum fuit hoc tempore, quo est Clerici primæ tonsuræ inueniuntur moribus, & vitæ honestate à cæteris Laicis minimè distincti, immo propter priuilegia peccandi licentia ipsis multò peiores: Valde enim graue, & molestum ipsis Laicis videretur, si omnes Clerici minorum ordinum, & primæ tonsuræ immunes, & liberi essent ad his oneribus, quamuis nec vestibus, nec tonsura Clerici apparerent, neque alicui ecclesiastico ministerio vacarent, neque quidquam ad ecclesiasticum Ministrum pertinens vlla ex parte cogitarent: Ipsi verò horum Clericorum onera subire cogerentur. Non sunt tamen Clerici primæ tõsuræ priuandi hoc priuilegio, si semel tonsuram, & habitum dimiserint, nisi prius tertiò moniti in hanc inciderint cõtumaciam, sicut notat Imol. in cap. vlt. de vi. & honest. Cleri. Abb. in cap. Ioannes num. 4. de Cleri. coniug.

Vndecima dubitatio, An Clerici excommunicati, A suspensi, vel interdicti gaudeant, durante censura, hoc priuilegio immunitatis, & exemptionis à pedagiis, & gabellis.

De hac quæst. An Clericus censura innodatus, quã diu illius vinculo obstrictus manet, priuatus censeatur priuilegijs, quibus Clerici gaudent, pertractaui longius lib. 2. Disp. 1. cap. 6. Quantum spectat ad hoc priuilegium exemptionis à collectis, & gabellis, dicẽdum est censuram excommunicationis, suspensionis, aut interdicti non auferre ab ipso Clerico hanc immunitatem, quoniam censura non priuat Clericatu; Ergo non potest tollere hoc priuilegium, quod personæ concessum est ratione ordinis clericalis. Accedit, quòd in hoc Canone Summus Pontifex vniuersaliter pronun- B ciat excommunicationem contra omnes imponentes collectas personis ecclesiasticis absque vlla limitatione, ergo comprehenduntur generaliter omnes personæ ecclesiasticæ, siue excommunicatæ, suspensæ, vel interdictæ sint, sicut solutæ ab omnibus censuris, quia istæ censuræ, vt probaui in dicto cap. 6. non tollũt priuilegia clericalia. De Deposito verò, an eadem exemptione à gabellis frui debent, maior est difficultas. De qua difficultate dixi etiam in eod. cap. 6. & respondet Abb. in cap. Ex parte de Cleri. coniug. Quod Clericus verbaliter depositus gaudet hoc priuilegio, si sit corrigibilis, & ratio est, quia adhuc post depositionem tenetur vitam ducere honestam, ordini clericali congruam, & decentem, & pertinet ad forum Eccle- C siæ. Si autem est incorrigibilis, post debitas monitiones perdit priuilegium clericale. At Clericus actualiter depositus eo ipso omni priuilegio exutus intelligitur, cap. Degradatio de pœn. lib. 6. Vbi in fine recensentur verba, quibus vti debet Episcopus in degradatione Clerici, cum eum exuit vltima veste sacra. *Spoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio, & priuilegio clericali.*

Duodecima dubitatio, An consuetudo longi temporis legitimè præscripta possit tribuere ius, & potestatem exigendi ab ecclesiasticis, gabellas, pedagia, vel alia onera vectigalium absque periculo censurarum, & aliarum pœnarum.

Respondeo, quod licèt consuetudo possit initio du- D ci contra Laicos, vt teneantur soluere pedagia iuxta sententiam multorum Doctorum, qua de re tractãt Anchar. in cap. Quamquam num. 3. de Censi. lib. 6. & Franc. num. 21. & alij, tamen consuetudo non prodest in exactione pedagij contra Clericos. & est dicenda potius corruptela. Est enim contra Ius diuinum, vt habetur in dicto cap. Quamquam *Contraria consuetudine quorumcunque, quæ dicenda est corruptela verius non obstante*, & confirmant Anchar. & Franc. ibid. Nam consuetudo, quæ infert grauamen Ecclesijs, vel ecclesiasticis personis, tanquam iniqua non est seruanda, tum quia consuetudo potius fauere illis debet, vt habetur in cap. 1. de consuet. tum quoniam est contra libertatem ecclesiasticam in Auth. Cassa. C. de sac. san. E Eccles. *Cassa, & irrita esse denunciari per totam Italiam præcipit omnia statuta, & consuetudines contra libertates Ecclesiæ, earumque personas inductas*, Et in Authen. Item nulla Communitas. C. de Episc. & Cleri. quæ in specie loquitur de collectis, & exactionibus. Et hoc idem asserit Abb. in cap. Non minus num 17. prope fi. vers. Non tamen valebit consuetudo de Immun. Eccles.

EXCOMMVNICATIO DECIMANONA.

ITEM EXCOMMVNICAMVS, ET ANATHEMATIZAMVS OMNES ET QVOSCVNQVE MAGISTRATVS, ET IVDICES, NOTARIOS, SCRIBAS, EXECVTORES, &c.

DISPVTATIO XX.

DE EXCOMMVNICATIONE CONTRA Iudices seculares, qui se interponunt in causis capitalibus, seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas.



HAec excommunicatio fertur etiam in defensionem libertatis ecclesiasticę, sicut & superiores à decimoquarto Canone vsque ad praecedentem; B sed in illis agitur de tuenda libertate ecclesiastica, in causis ciuilibus, vel quoad bona, vel in genere. In hoc autem Canone pertractatur in specie, & peculiariter de defensione personarum ecclesiasticarum in causis capitalibus, seu criminalibus: & ita dicit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 71. Et idcirco Summus Pontifex initio repetit verba illa *Excommunicamus, & anathematizamus*, vt ostẽdat esse clausulam distinctam à superioribus, neque accipiendam esse tanquam partem decimiquarti Canonis, sicut diximus de praecedentibus clausulis.

C Actio, quae primò & principaliter damnatur in hoc Canone, est sacrilegium, quod committitur à Magistratibus, & Iudicibus secularibus, eorumque Notarijs, scribis &c. qui quomodolibet se interponunt in causis criminalibus, processando, bandiendo, capiẽdo, seu sententias proferendo, vel exequendo contra personas ecclesiasticas sine speciali, & expressa Sedis Apostolicae licentia.

Quoad personas excommunicatio comprehendit omnes Magistratus, & Iudices Laicos cuiuscunque generis, & conditionis habentes iurisdictionem, & potestatem cognoscendi, & iudicandi de causis capitali- D bus, seu criminalibus, nec non omnes Notarios, Scribas, & alios Ministros Curiae, qui quouis modo concurrunt ad cognitionem huiusmodi causarum, vel capiendo personas ecclesiasticas, vel examinando, aut conscribendo processum, vel sententiam, aut illam executioni tradendo, vel alio modo ad hęc cooperando. Illud item puto esse extra controuersiam non pertinere censuram hanc ad Iudices ecclesiasticos qui iuris-A dictionem, obtinent in suos Clericos si ea in causis capitalibus, & criminalibus in eosdem vtantur.

Notandum est, in Bulla Gregorij xiij. quam explicat Nauar. in Manu. cap. 27. num. 71. quaedam addita legi post illa verba *contra illas proferendo, vel exequendo*, quae in Bulla Sixti Quinti & aliorum Pontificum successorum omittuntur, scilicet *etiam praetextu quorumcunq; priuilegiorum à Sede Apostolica, ex quibusuis causis, ac sub quibuscunque tenoribus & formis in specie & specie concessorum quibuscunq; Regibus, Ducibus, Principibus, Rebuspub Monarchis, Ciuitatibus, et alijs quibuscunq; Potentatibus, quorũcunq; nomine censeantur, quę B nolumus illis in aliquo suffragari, illa omnia ex nũc in irritum reuocando*, & loco horum verborum Sixtus V. apposuit clausulam illam, *sine speciali, specifica, & expressa huius Sanctae Sedis licentia*, quae habetur in hac Bulla Pauli Quinti, quam explicauimus, & per illam Summus Pontifex Sixtus declarare voluit, quae pluribus verbis in Bulla Gregorij XIII. exprimebantur. Quare non fuit mens Sixti, nec Pauli Quinti auferre omnino reuocationem positam in Bulla à Gregorio XIII. dictorum priuilegiorum; sed solum declarationem & moderationem adhibere, nimirum, qualia debeant esse haec priuilegia, praesertim cum in fine Bul- C lae adsit amplissima reuocatio omnium priuilegiorũ, quae quouis modo contraria essent contentis in Bulla Coenae. Immo Summus Pontifex Noster Paulus V. vt magis explicaret hanc causam, & tolleret omnem ambiguitatem, addidit etiam haec verba, quae in Bulla Sixti, & successorum, etiam Clementis Octaui non habetur, scilicet, *Quique huiusmodi licentiam ad personas & casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur.*

Caput Primum, Explicantur distinctè verba Canonis.
Caput Secundum, Dissoluuntur dubia, quae contra exem- D *ptionem fori ecclesiastici opponi solent, & fusius declarantur omnia, quae ad explicationem huius excommunicationis spectant.*

CAPVT I.
Explicantur distinctè verba Canonis.

ANte omnia moneo plura ad materiam huius excommunicationis spectantia de vsurpata iuris-

diɛtione per Laicos Magiſtratus Iudices examinata & diſcuſſa fuiſſe ſuperius in primis duobus cap. Diſp. 16.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcunque dictio *Omnes* eſt vniuerſalis, quę omnes complectitur, cap. Si Romanorum diſt. 19. ibi, *Dicendo verò omnia decretalia constituta, nullum de decretalibus constitutis prætermiſit, quod non mandauerit eſſe custodiendum*, Eodem modo dictio *Quoſcunque* complectitur omnes abſque vlla exceptione, cap. Solitæ in fi. de main. & obed. vbi dicitur ad explicationem illorum verborum Euangelij, *Quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. Nihil excipiens, qui dixit quodcunque*. Et Gloſ. in cap. Quicunque de ſent. excom. lib. 6. notat dictionem *Quicunq;* ſingulos includere, l. Hoc articulo ff. de hæred. Inſtituen. Hoc articulo *Quique omnes ſignificantur*. Idem habetur l. ſi neceſſarias §. ſi annua ff. de Pignor. Actio. Quare vtraque hæc dictio ſimul geminata idem prorſus ſignificans apponitur, vt maiori efficacia & vi oſtendatur mens & voluntas Papæ intendentis includere omnes & ſingulos Magiſtratus, Iudices, Notarios, executores, & alios Miniſtros indiſtinctè, quamcunq; iuriſdictionem habeant, & quocunque nomine nuncupentur interponentes ſe in cauſis criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas. Ad hunc enim finem vſurpamus duo verba idem ſignificantia, Bald. in l. fructus Verſ. Item illa verba geminata &c. C. de actio. empti. Iaſon in l. nominatim num. 8. ff. de libe. & poſthu. Dec. conſ. 637. Vbi agit de verbis geminatis prolatis à Teſtatore.

Magiſtratus, & Iudices, Magiſtratus ſunt perſonæ publicæ Inſtit. de attilia. tuto. §. penult. Iura exercentes, l. Eum qui ff. de Iuriſd. omn. Iudi. *Eum, qui iudicare debet, Magiſtratum eſſe oportet*. Quot vero ſint genera & ordines Magiſtratuum habentium ordinariam iuriſdictionem, habetur in Auth. vt ab Illuſtribus, & qui ſupra eos ſunt §. ſancimus, Bart. in l. 1. ff. de offic. eius, cui manda. eſt iuriſd. Tandem de Magiſtratibus, magnis, medijs, minimis, & infimis, qui ſint, & quam iuriſdictionem, vel poteſtatem habeant illi vel illi tam ſecundum leges, quàm ſecundum Canones in foro etiam Eccleſiaſtico vel ſeculari, & quæ dicantur competere alicui iure Magiſtratus, plenè docet Speeul. tit. de Iuriſd. omn. Iudic. per totum. Hoc in loco intelligũtur omnes Magiſtratos ſeculares, cuiuſcunque ordinis & generis ſine vllo diſcrimine virtute illius clauſulæ generalis, quæ præmittitur *Omnes, & quoſcunque*, addita particula poſtrema Canonis. *Etiamſi talia committentes fuerunt Conſiliarij, Senatores &c. & Iudices*. Propter eaſdem rationes comprehenduntur omnes, qui ius alijs dicunt, & iuſtitiam adminiſtrant hac voce *Iudices*, ſiue infimi, ſiue ſupremi, Ordinarij vel Delegati.

Notarios, & ſcribas, executores, & ſubexecutores, Notarij ſunt perſonæ publicæ, quæ acta in Iudicio literis excipiunt, quorum ſcripturis fides adhibetur, ſcribæ vocantur ſubſtituti Notariorum, qui eorum nomine proceſſus in cauſis & ſententias latas per Iudices ſcribunt. Per *Executores* hoc in loco intelliguntur infimi officiales Curiæ, quorum officium eſt exequi mandata & ſententias Iudicum.

Subexecutores. Dicuntur ſocij & famuli illorum ſcilicet illi, quorum opera vtuntur in exequendis mandatis & ſententijs Iudicum. Et generaliter nomine executorum & ſubexecutorum comprehẽduntur omnes Miniſtri Curiæ, qui capiunt, ligant, trahunt ad Tribunal ſeculare, comitantur trahentes, qui ducunt

A ad torturam, qui torquent & omnes alij, qui in cauſis criminalibus Laica auctoritate cooperantur.

Hæc excommunicatio non extenditur ad eos, qui contra perſonas eccleſiaſticas in cauſa criminali, accuſationes, & querelas ad Iudices Laicos deferunt, neque ad illos, qui in eadem cauſa teſtimonium deponunt, quoniam Conſtitutio hæc loquitur ſolum de Iudicibus, Notarijs & executoribus, nec alios exprimit, ergo non eſt ad alios trahenda, præſertim cum agatur de pœna excommunicationis, & militet diuerſa ratio inter perſonas expreſſas, & alias, quas ſi includere voluiſſet, clarè ſignificaſſet argum. tex. in l. vni. §. ſin autem ad deficientis C. de caduc. tollen. capit. Ad audientiam de Deci. c. Inter corporalia de translat. Prælat. Sed quamuis accuſator & teſtis contra Cle- B ricum in cauſa criminali apud Iudicem ſecularem agentes non obſtringantur excommunicatione Bullæ, minimè tamen euadunt pœnas ſacrorum Canonum aduerſus pertrahentes Clericos ad Iudicia ſecularia inflictas.

Quomodolibet ſe interponentes, vt comprehendatur omnis cauſa & ratio, propter quam ſupradictæ perſonæ ſolent ſe commiſcere in cognoſcendis cauſis criminalibus Eccleſiaſticorum poſita eſt illa dictio *Quomodolibet*, hoc enim ſignificat Clem. 2. Verſ. Ne igitur exceſſus ſic graues &c. eum Gloſ. Ver. Quomodolibet de ſent. excom. cap. Indemnitatibus, §. ſane Verſ. Si qua vero à minori parte, vbi Io. Andr. in Ver. Quo- C modolibet de elect. lib. 6.

In cauſis capitalibus, ſeu criminalibus. In Canone decimo quarto excommunicantur Iudices Laici, qui cauſas beneficiales & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales auocant à Iudicibus eccleſiaſticis, ac ſe in cognitione illarum tanquam Iudices interponunt. Hic excommunicantur ijdem Iudices ſeculares, nec non Notarij, vt executores, qui quomodolibet ſe interponunt contra perſonas Eccleſiaſticas in cauſis capitalibus ſeu criminalibus. Cauſæ capitales dicuntur, in quibus agitur de crimine capitali. Tribus autẽ modis vocatur aliquod crimẽ capitale, primo illud, quod pœna vltimi ſupplicij vindicatur. Secũdo illud, quod pu- D nitur amiſſione, libertatis quia Reus dãnatur ad metallũ, ſeu opus metalli. Tertio amiſſione Ciuitatis tãtũ, & cũ quis deportatur, ita tradit Gloſ. in l. tranſigere Ver. Capitali C. de tranſact. vbi Iaſ. inquit cauſam capitalẽ eſſe, vbi agitur de deminutione capitis ideſt de morte de mutilatione deportatione exilio atque etiam infamia cauſæ criminales latius patent, complectuntur enim omne Iudicium, in quo cõtra aliquẽ de crimine quocunq; accuſatum agatur, quare cauſa capitalis continetur ſub cauſis criminalibus tanquam ſpecies ſub genere, ideo dictio illa *ſeu* habet vim explicandi hoc in loco, vt ſit ſenſus, excommunicamus Iudices, Notarios, & executores, qui quomodolibet ſe E interponunt in cauſis capitalibus, ideſt in criminalibus, Angel. Aret. Inſtit. ſuper rubr. de except. vbi plenè diſſerit de dictione alternatiua, vel & ſeu, Felin. c. Inter cæteras n. 30. de reſcript. vbi ait, quoties diſiunctiua collocatur inter genus & ſpeciẽ exponendã eſſe, vt ſignificet idem quod *ideſt* l. ſæpe ff. de verb. ſignif. Bart. in l. Quantus ff. de an. & arg. lega. Cauſa ergo capitalis hoc in loco non accipitur propriè pro illa tantum, in qua pœna ſanguinis eſt imponenda, ſed latè pro quacunque cauſa criminali, ſicut etiam ſumitur in dicta l. Adigere C. de Tranſact. vt notat ibi Gloſ. in Ver. Capitali. Item locũ habet hæc excõmunicatio, non ſolũ quãdo Iudex ſecularis ſe interponit in

cau-

causa criminali contra personam Ecclesiasticam criminaliter agendo ad pœnam infligendam, sed etiam si causa ciuiliter tractetur, quia verba Canonis sunt generalia, & nullam ponunt distinctionem, ideo generaliter sunt interpretanda.

Contra personas Ecclesiasticas; Quæ genera, & qui sta tus hominum contineantur sub titulo, & nomine Ecclesiasticarum personarum, quibus competit priuilegium immunitatis, & exemptionis à foro seculari, explicaui breuiter in Disp. 13. cap. 3. & fusius in Disp. 16. cap. 1. Hic generaliter comprehenduntur omnes tam Clerici seculares, quàm Religiosi quacúq; ratione ad forum Ecclesiæ pertinentes, seu Prælato Ecclesiastico subiecti: Si enim causam criminalem contra aliquem ex prædictis Iudex secularis cognoscere tentauerit, ipso facto in hanc excommunicationem incidit.

Sed dubitari primò potest de Clericis coniugatis; An fruantur foro Ecclesiastico. Ad hanc dubitationẽ dissoluendam sufficiunt ea, quæ scripsi in Disp. 16. capit. 1. ad secundam quæstionem; Vbi ex communi Doctorum sententia probaui Clericos coniugatos etiam primæ tonsuræ, si eas habeant conditiones, & qualitates, quæ ex sacrorum Canonum sanctionibus, & Sacri Concilij Tridentini decreto requiruntur, & Canonis, & fori priuilegium tantum retinere; Nimirum si cum vnica, & virgine contraxerint matrimonium, & clericales vestes, & tonsuram detulerint, & ab Episcopo iuxta formam Concilij Trident. sess. 23. cap. 6. De Reform. alicuius Ecclesiæ Ministerio deputati sint, in eaque actualiter deseruiant, & ita asserit Couar. Prac. Quæst. cap. 31. num. 6. Vers. Hinc apparet &c. Idque patet definitum fuisse à Bonifacio Octauo in cap. vni. De Cleri. Coniug. lib. 6. quem textum latè Couar. loco citato interpretatur tradens aliqua necessaria in Clericis coniugatis, vt non amittant hoc priuilegium Canonis, & fori. Nempe primò, vt hæc exemptio intelligatur tantùm in causis criminalibus, cum in ciuilibus non sint exempti à iurisdictione Iudicis secularis. immò coram ipso conueniendi sint, etiam si tonsuram, & vestes deferant clericales. In causis autem criminalibus sunt exempti, etiamsi pro crimine ciuiliter agatur, & non desunt Doctores, qui censeant tales Clericos etiam in Ciuilibus liberos esse à iurisdictione seculari quoad ipsorum capturam, & carceres, quos idem Couar. citat. Secundò vt non satis sit Clerico coniugato vnam tantum deferre vestem clericalem, si alias vestes sit indutus inhonestas, & seculares, cum necessarium sit ad hoc priuilegium obtinendum vestes omnes induere clericales, & honestas saltem, quæ facilè videri possunt. Tertiò vt talis Clericus probet tonsuram, & vestes clericales detulisse, & vxorem vnicam, & virginem duxisse, quamuis in hoc vltimo Couar. dicat non ita præcisè necessariam esse probationem, cum vnicum tantum matrimonium, & fœmina virgo præsumatur, nisi cõtrarium probetur. Quartò vt deferat vestes, quæ verè sint clericales, & honestæ. Illæ verò censentur Clericis vestes honestæ, quæ communi vsu in ea prouincia fuerant admissæ, vt inquit Glos. communiter probata in cap. penult. Ver. Deauratis De Vi. & Honest. Cleri. & tradunt Doctores, quos refert Couar. & hoc dictum videtur intelligendum ad hunc sensum; Vt Clerici coniugati tunc demum gaudeant priuilegio Canonis, & fori, si illis vestibus vtantur, quibus ex consuetudine, & vsu Regionis honestè vtuntur Clerici primæ tonsuræ coniugati. Quintò non idcirco Clerici coniugati amittunt priuilegium fori, & Canonis, quòd semel aut iterum

A huiusmodi vestes dimiserint, dummodo tempore commissi delicti tonsura sint ornati, & vestibus induti clericalibus, sicut eadem ratione Clericus coniugatus, qui vnicam virginemq; acceperit, ea mortua, & matrimonio soluto consequitur, & habet omnia priuilegia, quæ Clerici primæ tonsuræ non coniugati obtinent, Abb. in cap. Clericus 2. De Vi. & Honest. Cleric. Sextò eadem priuilegia fori, & Canonis videntur conuenire Clericis coniugatis, qui negociationi operam dant, quamuis alioqui Clericis alijs sit interdicta. Ex his concludendum est locum esse excommunicationi Bullæ, si Iudex secularis tentet iudicare in causa criminali contra Clericum coniugatum, si nihil ei desit ex his, quæ enumerauimus requiri in Clerico coniu-

B gato, vt iure hoc priuilegio frui possit.

Sequitur ex dictis hoc priuilegio fori multò magis frui debere Clericos non coniugatos in minoribus ordinibus constitutos, & etiam sola prima tõsura initiatos, Glos. celebris in cap. vni. Ver. Clericus de Cleri. coning. lib. 6. Si pariter tonsuram, & vestes congruas deferant; Et iuxta eiusdem Concil. Trid. decretũ sess. 23. cap. 6. De Reform. beneficium obtineant, vel alicui Ecclesiæ Episcopi iussu deseruiant, vel in Schola literaria eiusdem Episcopi præcepto ad ordines maiores aspirantes versentur, Aliter nec in ciuilibus, nec in criminalibus causis immunitate fori gaudere debent.

Secundò dubitari potest; Vtrum hoc priuilegium fori conueniat Clericis prima tonsura, & minoribus

C ordinibus initiatis, qui pensionem Ecclesiasticam obtinent, & carent beneficio Ecclesiastico. Affirmatiuè respondendũ est, vt probaui in Disp. 16. cap. 1. Verùm quærere quis posset, An Clerici prima tonsura decorati si non seruent ea, quæ Concilium Trid. præscribit sess. 23. cap. 6. sint priuati huius canonis beneficio.

Respõdeo hac de re consulendum fore Sedem Apostolicam; nam probabile est Concilium Trident. eius generis Clericos non foro criminali, seu Ciuili subiecisse; Deinde quamuis tales Clerici priuilegium Fori amitterent nõ idcirco sequeretur illico priuilegio Canonis si quis suadente non potiori quare qui capitali iudicio eos persequeretur, laicaq; auctoritate comprehenderet, comprehendiq; iuberet in excommunic.

D Canonis si quis suadente Diabolo incurreret, atq; huius Canonis censuram minime effugeret.

Tertiò dubitari solet, si cõtrouertatur; Vtrũ captus per Iudicem secularem sit Clericus, vel habeat qualitates quæ requiruntur superius relatas ad quem Iudicem spectet hanc differentiam dirimere. Ad quam difficultatem in dicto cap. primo respondebam, & dixi hoc iudicium pertinere ad Ecclesiasticum Iudicem, non secularem: Formam verò probandi Clericatum tradit Bernar. Diaz in sua Pract. Crim. cap. 62. numero decimosexto.

Quartò quæri potest; An dentur aliqui casus, in quibus liceat Iudici seculari absque periculo excommunicationis in causis criminalibus contra personam

E Ecclesiasticam iudicium ferre. Respondeo aliquos reperiri casus, in quibus concessa est facultas ab ipso Iure Canonico potestati seculari iudicandi de Clericis, quos distinctè, & late enumeraui in eod. ca. 1. Disp. 16.

Quintò quæri potest de Clerico excõicato, suspẽso, interdicto, irregulari; Vtrũ gaudeat hac exẽptione à foro seculari, vt si Iudex laicus se interponat in causa Criminali contra talẽ Clericum excõmunicatũ suspẽsum &c. censura excõicationis innodatus remaneat.

Respondeo Censuras excommunicationis, suspensionis, & interdicti non priuare Clericum priuilegio

fori seu Canonis, Si quis suadente 17. quæstione quarta, vt asserit Nauar. in Manua. capitulo vigesiseptimo, numero 79. & ego probaui plenè in lib. secundo, Disput. 1. cap. 6. & confirmari potest ea ratione, quoniam si huiusmodi Clerici non amittunt immunitatem exemptionis á gabellis, & collectis, qua fruuntur alij Clerici non excommunicati, vt ostendi in Disputatione 19. cap. 6. in solutione vndecimæ dubitationis, multò magis affirmandum est non esse priuatos priuilegio fori. Nam hæc duo priuilegia, scilicet Canonis, & fori, sunt illa, quæ vltimo loco post omnia alia amittuntur, vt probaui in dicto cap. 6. Disp. 1. lib. 2.

Sextò dubitari potest de Clericis degradatis; An hoc priuilegio fruantur, vt á Iudice laico in causis criminalibus iudicari non possint.

Respondeo hoc priuilegio fori spoliatos esse Clericos actu degradatos, vt probaui in citato capite 6. Disput. 1. lib. 2. Quare Iudex laicus nulla afficitur excommunicatione, si causam Clerici degradati cognoscat, sententiam pronunciet, & exequatur, cap. secundo in fin. de Pœn. lib. 6. & cap. Non minus de Verbo. significat. ita dicitur: *Vt Clericus, qui propter hoc, vel alium flagitium graue non solùm damnabile, sed damnosum fuerit degradatus, tanquam exutus priuilegio clericali seculari foro per consequentiam applicetur.* Est enim degradatio spoliatio omnium priuilegiorum clericalium, vt inquit Gemin. in cap. 1. §. facti nu. fin. de homic. lib. 6. Sylue. Ver. Degradatio §. 8.

Septimò idem quæri potest de Clericis diffidatis, an absque vlla degratione puniri possint per Iudicem secularem sine periculo excommunicationis.

Respondeo Clericum perpetuò diffidatum á iure ratione sceleris commissi, vt in casu cap. 1. de Homic. libro 6. cum mandat interfici aliquem per assassinos, posse puniri per Iudicem secularem sine periculo excommunicationis.

Probatur primò, quoniam Bannitus, & perpetuò diffidatus á toto Populo Christiano, quæ verba leguntur in dicto cap. Pro humani, & in cap. Filius de pœn. lib. 6. potest etiam per priuatam personam occidi, vt in l. 3. §. Transfugas C. de Sica. tenet Gemin. in cap. Per humani §. Sacri numero vndecimo, de Homic. lib. 6. Sylu. Ver. Assassini §. 3. Quia idem est bannire, & diffidare, quod statuere, & præcipere, vt quis impune occidi possit, l. Reos C. de Accusa. & affirmant Gemin. & Sylue. locis citatis, & qui occidit sic diffidatum, vt inquit Sylue. non peccat, si bono fine, idest zelo iustitiæ id faciat. Lex enim in his casibus constituit vnumquemque iustitiæ ministrum propter commune bonum Reipub. vt inquit Sylue. Ver. Homicidium 1. §. 6. & si diffidatus sit, persona Ecclesiastica ex eius percussione, vel occisione non incurrit excommunicationem neque aliam pœnam teste Sylue. Ver. Assassini §. 3. Vers. Quartò verum percutiens, & Abb. in cap. At si Clerici numero quadragesimo primo, De iudi. dicit Clericum assassinum posse impune occidi, ergo multò fortiori ratione negandum erit obstringi excommunicatione, si ad vindicanda huiusmodi enormia scelera contra personam Ecclesiasticam hoc modo diffidatam procedat.

Secundò taliter diffidati iure Canonico, vt inquit Gemin. in dicto cap. Per humani num. 12. sunt degradati eo ipso á Iure, idest sunt ex positi á Iure, quia ius dat cuicunque potestatem capiendi, vt dicitur in c. vni. de schismat. lib. 6. Igitur Iudex secularis poterit illos punire absque aliqua degradatione. Quod videtur significare voluisse Innocentius Quartus in dicto cap. Per humani in fi. illis verbis, *Et postquam probabilibus constiterit argumentis aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia excommunicationis, vel depositionis, seu diffidationis aduersus eum sententiam requiratur.* Bernard. Diaz in Pract. crim. capitulo 96. numero quarto.

Octauo dubitatur de Nouitijs, qui susceperunt habitum Religionis approbatæ, nondum tamen professionem emiserunt, an censeri debeant Ecclesiasticæ personæ ad eum finem, vt non solum Canonis, sed etiam fori priuilegio gaudere debeant.

Respondeo quemlibet nouitium, aut nouitiam, vel conuersum in quacunque Religione approbata iure vocari & esse personam ecclesiasticam cap. Non dubium de sent. excom. & cap Religioso §. quamuis de sent. excom. lib. 6. licèt enim Nouitius non possit verè Religiosus vocari, & cum effectu, *donec sic tacitè, vel expressè professus*, vt ibi dicit tex. tamen religiosus est commutabiliter, vt inquit Gemin. ibi num. 3. Franc. num. 3. & alij Doctores, quia potest dimisso habitu Religionis ad vitam laicalem regredi, quamdiu tamen illam retinet, Religiosus est & quamuis Nouitius non esset vocandus propriè Religiosus tamen negari non potest, quin sit dicendus persona Ecclesiastica, vt expressè notat Glos. in dicto cap. Religioso Ver. Non possit in fi. & Nauar. in Manua. cap. 27. num. 79. Vers. Octaua declaratio, igitur tanquam persona Ecclesiastica debet frui priuilegijs clericalibus, & præsertim Canonis, sicut habetur in dicto cap. Religioso, & fori, vt tradunt Gemin. nu. 7. Franc. num. 4. in capit. Beneficiom de regula. lib. 6. Quod etiam ratione confirmari potest, nam Nouitij post susceptum habitum subijciuntur Prælatis, saltem commutabiliter, sed non incommutabiliter, idest pro eo tempore, quo sunt Nouitij, & non dimittunt habitum, non secus ac Professi eidem Prælato sunt subiecti, sed cognitio delictorū, quæ committuntur á Religiosis professis, pertinet ad Iudices Ecclesiasticos. & ipsorum Prælatos, vt bene tradit Abb. post Io. de Ligna. in cap. Cum contingat numero 21. & seq. de foro compet. quamuis sint homicidia & alia grauia delicta. Ergo eodem modo si Nouitius tempore suæ, probationis crimen committat, illius cognitio ad Prælatum Religionis spectabit. Quare Nouitius obtinet etiam priuilegium fori, idcirco Iudex secularis si velit iudicare in causa criminali alicuius Nouitij Religionis approbatæ, incurrit excommunicationem Bullæ.

Illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo. Hæ sunt actiones in specie, quæ prohibentur, scilicet processare personas Ecclesiasticas, bannire, capere, sententias contra illas proferre, vel exequi, & primo interdicitur processum criminalem contra Clericum facere. Processus includit omnia acta in Iudicio facta in aliqua causa. Vnde in Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio, capitulo trigesimo octauo, & refertur in capitulo Quoniam contra falsam de probat. Statutum est, ne inquisitus Iudicis aliquando alteri parti ex colligitantibus præiudicium afferre posset, vt in quacunque causa Iudex Notarium haberet, qui omnia Iudicij acta conscriberet, *videlicet citationes, dilationes, recusationes, petitiones, exceptiones, & cæt.* Et successiuè ennumerantur sigillatim alia omnia vsque ad sententiam, quæ ad cognitionem causæ in Iudicio producūtur. Et scriptura huiusmodi actorum vocatur Processus. A qua verò parte Iudicij sumat ini-

initium processus, tractat Bartol. & alij Doctores in Rubr. C. de in ius vocan. Et in Auth. Si quis in aliquo vbi Alex. & Ias. C. De eden. latè Felin. in d. cap. Quoniam num. 12. & seq. De Probat.

Banniendo, Bannire significat hoc in loco id, quod supra in Canone vndecimo dicebatur, Eijcere ex suis locis, Ciuitatibus, & Dominijs, & similiter in Canone 13. Vt si Clericus in exilium mittatur, & à Ciuitate relegetur. Exilium, seu bannum est species quædam Capitis diminutionis, vt dicitur Instit. De Capitis diminu. §. Est autem. Exules enim & Banniti, vt minimum sunt Ciuitate, vel Patria priuari. Bannire autem non est idem quod deportare; Nam deportare est aliquem exilio perpetuò damnare; Bannire verò, aut Relegare est ad tempus eijcere de Ciuitate, l. Relegatorum, ff. De Interdi. Sylue. Ver. Bannum §. 4.

Capiendo, quid hac voce intelligatur, declaraui in Disput. 10. Cap. 3. Hoc in loco significat personaliter apprehendere personas Ecclesiasticas, *seu sententias contra illas proferendo*, idest absoluendo causam, & finem imponendo processui per decretum, præceptum, seu sententiam, vel executioni illam tradendo. Omnibus igitur his modis, & quolibet horum seperatim incurritur excommunicatio à Iudice, Notario, seu Executore, si se interponant in causa criminali contra personas Ecclesiasticas; Quare si Iudex secularis admissa querela in actis sui Tribunalis contra Clericum producta, incipiat contra dictum Clericum procedere, vocando, & citando illum ad Iudicium, quamuis vlterius non prosequatur, sed ab incepto desistat, remanet eo ipso hac excommunicatione innodatus; Et similiter Notarius, qui acta conscripsit; Eodem modo si Iudex iubeat capi Clericum, licèt non pronunciet sententiam, & ipse, & Notarius, & Executores erunt excommunicati: omnes enim illæ actiones prohibentur disiunctiuè, vt dictiones illæ, *seu, vel*, indicant: Ad veritatem autem disiunctiuæ sufficit alteram partem esse purificatam, sicut ad copulatiuæ veritatem necesse est vtramque partem adimpleri, l. Si hæred. plures, ff. De Condit. Institutionum.

Quæret quis; An si Iudex laicus examinet in causa criminali personam Ecclesiasticam, tanquam testem pro facti veritate inuestiganda, incidat in hanc excommunicationem.

Respondeo, Iudicem examinando hoc modo Clericum non esse excommunicatum, nec violare constitutionem Bullæ, cum nec processando, banniendo, aut capiendo, vel sententiam proferendo se interponat contra Clericum, quæ in Canone prohibentur: Idcirco excommunicatio non est extendenda ad alios actus non expressos; Et quamuis contingere posset, vt talis Iudex in eo casu examinando Clericum malè faceret, & peccaret, non incurreret tamen excommunicationem, nisi præter examen ad alios actus progrederetur, nempe capiendo, & detinendo in carcere, sicut in casu, quem narrat Nauarr. cons. trigesimotertio. De sentent. excommunicat. Vbi Iudex laicus vocauit ad suum Tribunal quendam Subdiaconum, quem examinauit tanquam principalem pro se ipso, & testem quoad alios complices, eique præcepit, ne ex quadam Camera Palatij discederet, quam ei assignauit pro Carcere. Ille enim Iudex ob prædictam detentionem non solùm in Canonem, si quis suadente, sed etiam in excommunicationem Bullæ incidisse videtur, vt inquit Nauar.

Quæret secundò aliquis; An Iudex Laicus, vel Notarius, aut Executores Curiæ secularis incidant in

A hanc excommunicationem, si requisiti ab Episcopo vel alio Prælato, & Iudice Ecclesiastico immiscent se in cognitione causæ criminalis contra personam Ecclesiasticam, vel conscribendo processum, aut capiendo, vel detinendo, siue torquendo.

Respondeo, In his casibus nullum imminere periculum, quando fiunt auctoritate Iudicis Ecclesiastici Ordinarij, & eo requirente, imò tenetur Princeps, & Magistratus secularis iuribus suis, & iurisdictione temporali, qua fungitur, Episcopum adiuuare, vt iustitia dictante suos Clericos subditos coercere valeat, quod manifestè definitum legimus in cap. Principes, & in cap. Prodest 23. quæst. quinta. In cap. Cum ad verum ventum est 96. distinct. Vtramque potestatem
B scilicet Ecclesiasticam, & Secularem per alteram adiuuari declaratur. Vnde cum Episcopus in sua Diœcesi liberam potestatem habeat inquirendi, & puniendi crimina, potest, cum opus fuerit, auxilium brachij secularis inuocare, vt expressè statuitur in cap. primo. De Off. Ordin. Et à Bonifacio Octauo in cap. Periculoso in fine, De Stat. Regul. lib. sexto. Vbi idem notat Petr. Auchatan. numero quinto. & Abb. in cap. Cum non ab homine numero vigesimoquarto, Vers. Contra quam &c. De Iudi. inquit, Prælatum Ecclesiasticum posse inuocare auxilium Iudicis secularis, & teneri ad illud præstandum, cum sit Ecclesiæ minister; Et Bonifacij Constitutio innouata fuit, & confirmata per Concilium Tridentinum sess. 25. cap. quinto. Ad idem
C facit cap. Administratores 23. quæstione quinta. Immo compelli potest Iudex secularis per excommunicationem ad exhibendam familiam, & auxilium suum Iudici Ecclesiastico, si illud præbere recusaret, vt tradit Innoc. in cap. primo, numero secundo. De Off. Ordin. & Abb. num. 11. Et confirmat Concilium Triden. loco citato.

Tertiò dubitatur, Vtrum Iudex Laicus incidat in excommunicationem, si præcipiat suis Executoribus, vt Clericum capiant, qui delictum commisit, eo fine, & intentione, vt postea tradatur Prælato Ecclesiastico, vt cognoscant de crimine, & eum puniat, qui nisi comprehenderetur, & detineretur à Curia seculari, aufugeret, & delictum impunitum remaneret. Simili-
D ter dubitari potest, si ad instantiam Creditoris laici iubeat capi Clericum debitorem suspectum de fuga, vel fugientem cum bonis furto sublatis.

Host. in Sum. De sentent. excommun. §. Quis debet Ver. Per prius Vers. Fallit, respondet sub dubitatione dicens non audere definire; An Capiens Clericum delinquentem, vt ducat ad Iudicem suum, euitet excommunicationem. Et in cap. Nuper De sent. excom. idem confirmat. Quod etiam Archid. in cap. Presbyter 81. dist. simpliciter asserere videtur, & in eandem sententiam refert alios Abb. in cap. Cum non ab homine num. 12. De Iudi.

Respondendum est ad dubitationem iuxta commu-
E nem sensum Doctorum, Posse Iudicem Laicum mandare suis Executoribus, vt capiant Clericum, si commiserit delictum, vel propter debita, si suspectus sit de fuga animo tamen quamprimum consignandi eum suo Ordinario absq; periculo excommunicationis huius Canonis, & cap. Si quis suadente.

Et primò in dictis casibus, & in similibus, Puta si capiatur Clericus, ne iniuriam inferat alteri, vel si fugiat cum re aliena, vel si deferat arma, neque Iudex, qui præcipit, neque Executores, qui capiunt, obstringuntur excommunicatione huius Canonis, quoniam non si interponunt in causa criminali

contra Clericum, quod requiritur ad incurrendam hanc excommunicationem, intendunt enim statim tradere illum Iudici Ecclesiastico, vt cognoscat causam. Sed detēto solum, ne fugam arripiat, & hic finis est bonus & vtilis Reipub. ne delicta remaneāt impunita, Lap. Alleg. 126. Vnde Abb in cap. Cum non ab homine num. 12. Vers. Tamen in veritate puto, de Iudi. tenet non solum licitam esse capturam Clerici, sed etiam meritoriam, si dubitetur verisimiliter de fuga, vel aliter ab iniuria inferenda compesci nequeat. Secundo in eisdem casibus non incurritur excommunicatio cap. Si quis suadente 17. q. 4. quoniam, vt notat Abb. in eod. c Cum non ab homine nu. 12. Vers. Nam considero, ad incurrendam illam excommunicationē requiritur dolus & temeritas, vt ostendunt verba illius cap. *Si quis suadente Diabolo*, vbi vero capitur Clericus ad Iudicem suum ducendus, vt pro scelere commisso meritas luat pœnas, ne delicta remaneant impunita, non dicitur fieri aliquid dolosè, aut suadente Diabolo, sed potius quod recta ratio dictat & iustitia suadet, cap. Vt famæ de sent. excom. Vnde in cap. Rex debet 23. q. 5. dicitur *Rex debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere.* Et idem in c. præceden. Quia omnes debent adiuuare legem pro publica vtilitate conscriptam, arg. cap. Non in inferenda 23. q. 3. præsertim ad tuendum alium, ne à Clerico iniuriam patiatur, cap. Fortitudo cum tribus seq. 23. q. 3. & cap. Dilecto de sent. excom. lib. 6. Quamobrem non incurritur excommunicatio si Clericus capiatur ab executoribus Curiæ secularis, dum inuenitur in fuga cum alienis bonis furto sublatis, vel si debitor sit alicui in re aliqua, vel si reperiatur in fraganti delicto, vel noctu incedens cum armis, & dubitetur, ne crimē committat, dummodo in modo capiendi excessus nō intercedat, vt affirmat Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 83. & 84. latè Steph. Aufrer. in repet. Clem. 1. nu. 66. & seq. de off. ordina.

Sine speciali, specifica, & expressa huius sanctæ Sedis Apostolicæ licentia. Vt Magistratus, Iudices, Notarij & executores quomodolibet se interponentes in causis criminalibus ecclesiasticarum personarum censuram huius excommunicationis effugiant, requiritur specialis, & expressa licentia Rom. Pont. Similiter in Canone superiori 18. & 17. de eadem specifica & expressa licentia Sedis Apostolicæ sermo habetur. Quamobrem, vt hæc licentia suffragetur, tria necessaria sunt. Primum est, vt sit specialis & specificata quoad personas, quàm quoad delicta, & non sufficit, vt sit concessa per verba generalia, puta si Papa concesserit alicui Principi, vt Iudices seculares in suo Dominio valeant cognoscere de causis Clericorum, hæc licentia, quia generalis est, non specifica, intelligitur reuocata virtute huius clausulæ, quia non exprimit, de quibus Clericis intelligat, vtrum de constitutis in minoribus ordinibus tantum, vel in sacris, & etiam in Presbyteratus ordine. Eodem modo non declarat, de quibus causis loquatur de ciuilibus, aut criminalibus, & vtrum de leuioribus delictis, vel de enormibus. Merito igitur talis licentia non prodest, & inualida per Summum Pontificem declaratur, ad quem solum spectat, priuilegia per Sedem Apostolicam cōcessa, si dubia sint interpretari, Abb. in cap. Cum venissent nu. 1. & 3. de Iudi. Et etiam reuocare ad libitum, vbi ita expedire iudicauerit, idem Abb. in cap. Venerabilem num. 19. de elect. Secundo requiritur, vt talis licentia sit expressa. Quare non satis esset ad euitandam excommunicationem, si Princeps Laicus longo temporis spacio vsurpasset publicè hanc iurisdictionem animaduertendi in personas Ecclesiasticas, etiamsi probabiliter præsumeret, ad notitiam & aures Romanorum Pontificum id peruenisse, neq; tamen hac de causa ab vllo eorum reprehensum fuisse, quasi tacitè approbare voluisse viderentur quia si ea non probassent habita notitia reprehendissent, sed necessaria est expressa licentia, nam simplex licentia ex tolerantia non inducit approbationem talis consuetudinis, Io. de Ligna. & Calder. in cap. Decernimus de Iudi. Immo etiam in his, quæ sunt solum contra legem positiuam à maiori parte receptam scientia Papæ non inducit dispensationem tantum abest, vt hæc simplex notitia possit robur & vim tribuere actibus, qui diuinæ legi repugnant, qualis est exemptio Clericorum à foro seculari, Abb. in capit. Quia circa num. 8. de consangui. & affi. & ratio est, quam tradit tex. in cap. Iam dudum de præben. Quia multa per patientiam tolerantur, quæ si fuissent in Iudicium deducta, exigente iustitia tolerari non debreent. Tertio opus est, vt licentia concessa fuerit à Summo Pontifice. Quare licentia Inferioris cuiuscunque post Romanum Pontificem, quamuis sit Legatus è latere Papæ non iuuat, neque liberat ab excommunicatione.

Sed contra hanc tertiā conditionē opponi potest, non videtur enim prohibita Iure Prælatis cæterisque Iudicibus Ordinarijs qui iurisdictionem habēt ecclesiasticam, ne possint eam mandare Laicis in causa capitali suorum Clericorum, ita vt Laicus qui delatam aut ab Episcopo, aut à Patriarcha accepit iurisdictionem, eamque exercet aduersus Clericum non teneatur pœna huius Canonis, hunc enim laicum qui operam nauat in eo genere causæ ab Archiepiscopo, seu Patriarcha sibi commissæ non videtur contra hunc Canonem committere. Primo quia Ordinarius Iudex potest iurisdictionem suam alteri delegare, secundo quod causa huius Canonis condendi fuit ne ecclesiastica iurisdictio violetur, nec perturbetur, at non violatur, nec perturbatur cum præfatus Iudex non sua sponte irruit in causam Clericorum, sed ab eorū Iudice legitimo Ordinario vocatus & delectus; Tertio cum Iudex Laicus assumitur à Prælato non se ipse interponit in causa capitali contra Clericum, sed ab alio interponitur.

Nihilominus respondendum est, tertiam illam cōditionem necessariam esse, vt iustam excusationis veniam Laicus habere possit, si in causa criminali aduersus Clericum se immisceat, nam vno excepto Romano Pontifice, si nemine alio Prælato, seu Præside ecclesiastico Laicus Iudex constitui potest in capitali criminaliue causa contra Clericum; Id enim planum fuerant verba illa, *sine speciali, specifica & expressa licentia huius sanctæ Sedis Apostolicæ.*

Ad rationes adductas in confirmationem contrariæ partis dicendum est, nempe ad primam, non cuilibet contra Clericum iurisdictionem ecclesiasticam committi posse, sed cui iura decernunt, quamuis igitur Laico possit delegari iurisdictio ab Episcopo, seu Prælato in causa pecuniaria, tamen in criminali non potest, vt indicat Glo in cap. 2. de Iudi. Ad secundam respondeo iurisdictionem in vniuersum ordinem Clericorum esse maxime propriam Romani Pontificis, atque ab eo in hunc illumue Prælatum deriuari, nec secus exerceri illam posse, atq; ipse Romanus Pontifex constituerit, & quia is ad pontificiæ iurisdictionis tuendam maiestatem, necnon ad Clericalis ordinis digni-

dignitatem retinendam plurimum valere existimauit si crimina Clericorum nec cognoscantur, nec iudicentur à Laicis; idcirco interdixit, ne absque eius licentia Laicus capitalem causam Clericorum attingat; Ad tertiam rationẽ dico Summum Pontificem in hoc Canone omnes modos interpositionis damnare cum dicit *Quomodolibet se interponentes*, quare cum Laicus voluntariè, & spontè pareat Prælato ecclesiastico cum non possit cogi ad iudicandam ecclesiasticam personam se ipse interponit, atque ita fit obnoxius excommunicatione quamquam non satis est, ad censuram incurrendam se interposuisse nisi aliqua è principalibus actionibus sequatur.

Quique eiusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur. Hæc clausula, vt monui initio disputationis, fuit addita à Sanctissimo Domino Nostro Paulo Quinto in Bulla Cœnæ, & non erat in Bulla Clementis Octaui. Posita est autem ad maiorem declarationem præcedentium verborum, nempe vt Princeps, cui fortasse concessa erit prædicta licentia, intelligat, & sciat clypeo huiusmodi licentię nullo modo se tueri posse ab hac excommunicatione, si illam ad personas, & casus non expressos præsumat extendere, vel vti non seruatis conditionibus, quas adiunxit Summus Pontifex in dicta licentia: Puta si concedatur facultas procedendi in certis quibusdam atrocissimis criminibus descriptis contra Clericos, non erit licitum licentiam extendere ad alia delicta, si permittatur hæc iurisdictio contra Clericos, dummodo in sacris non sint constituti, neque beneficium obtineant solum in tales animaduertere licebit, si Summus Pontifex præcipiat in priuilegio, vt Iudex secularis possit cognoscere causas criminales contra Clericos, præsente tamen Iudice ecclesiastico in examine, & in omnibus actibus, ergo non poterit secularis Iudex solus, non adhibito Ordinario, in illis causis se interponere Si concedatur licentia procedendi contra scelera, quę committuntur à Clericis in certa quadam Ciuitate, illa facultas non extenditur extra limites illius Ciuitatis, si priuilegium loquitur solũ, quando pœna sanguinis est imponenda, non suffragatur in alijs casibus. Similiter si priuilegium loquitur de Clericis in sacris constitutis simpliciter non tribuit potestatem procedendi cõtra Prælatos in dignitate ecclesiastica constitutos, quia cum hæc priuilegia sint contra ius, strictè accipienda sunt, cap. Quia periculosum de sent. excom. lib. 6. Et appellatione Clericorũ etiam in sacris constitutorum non venit Prælatus in materia odiosa, secus in gratijs, & fauoribus, Steph. Aufre. in Clem. 1. num. 3. de off. ordi.

Concludamus itaque Summum Pontificem verbis enarratis declarare voluisse Principes seculares remanere obstrictos censura huius Canonis, si præsumant causas criminales ecclesiasticarum personarum iudicare, quantumuis suffulti sint speciali, & expresso priuilegio Sedis Apostolicæ, si quouis modo in huiusmodi cognitione, vel quoad personas, vel quoad casus, vel quoad alias conditiones priuilegij fines excesserint.

Etiamsi talia committentes fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quouis alio nomine nuncupati, Sunt voces, quibus significantur varij ordines Magistratuum, qui nomine Principis in Ciuitatibus, & Dominijs ius dicunt, & sunt maiores, & inferiores diuersimode nũcupati apud diuersas nationes. Eadem nomina Magistratuum, & Iudicum recensentur in Canone 14. & 18. Atque vt omnes absque vlla exceptione comprehenderẽtur, additur clausula generalis in fine, *Aut quouis alio nomine nuncupati.*

Dubitat Nauar. in Manua. cap. 27. num. 71. de priuilegio, quod supponũt habere Iudices in Regno Galliarum, qui iudicant Clericos pro delatione armorum & nonnullis alijs casibus, An hæc priuilegia sint valida, vel potius intelligantur reuocata per hunc Canonem.

Nauarrus ibi non soluit difficultatem, sed relinquit indecisam iudicio Summi Pontificis definiendam, solùm affirmat difficilè fore, vt tales Iudices ab huiusmodi iudicio abstinere velint, tum quia supponunt hoc priuilegium concessum fuisse in remunerationem beneficiorum, & obsequiorum erga Sedem Apostolicam, tum etiam quia dicunt ab immemorabili tempore semper inuiolatè esse obseruatum super quibusdam criminibus, nempe super delatione armorum, super fractione saluæ guardiæ, super iniuria à Clericis illata officialibus Regijs, & super vsurpatione iurisdictionis Regiæ, Ripa in cap. 2. num. 73. de Iudi. Aufrer. in Clement. 1. num. 57. de off. ordi.

Ad hanc dubitat. responderi posse censeo, si hoc priuilegium, quod Iudices seculares in Gallia supponunt ab immemorabili tempore obtinuisse cognoscendi de crimine, quod ibi appellatur Portus armorum vetitus, & ob tale crimen puniendi pœna ciuili etiam Clericos indebitè arma portantes, habet illam formam, & eas conditiones, quæ requiruntur ad euitandam hanc excommunicationem, de quibus dixi, vtique tales Iudices excusantur à censura, vt refert Stephan. Aufrerius in Repetit. Clem. 1. num. 74. de off. ordi. Quòd si priuilegium careat aliqua conditione requisita, vel potius nullum adsit priuilegium Sedis Apostolicæ, sed nitantur sola consuetudine longissimi temporis, incidunt in excommunicationem, quoniam consuetudo etiam tanti temporis, cuius initij memoria non extet, non est valida, quod ex Glos. in cap. Clericis Ver. Consuetudine de Iudi. declaratur, quę intelligenda est profectò de consuetudine immemorabili, cum declaret exemptionem hanc Clericorum esse Iuris diuini, quod cum per Summum Pontificem tolli non possit, multò minus tolli poterit consuetudine, cap. Quæ contra, cap. Veritate 8. dist. cap. fin. de consuet.

CAPVT II.

Dissoluuntur dubia, quæ contra exemptionem fori ecclesiastici opponi solent, & fusius declarantur omnia, quæ ad explicationem huius excommunicationis spectant.

VT rem aggrediamur præmittere oportet hanc exemptionem, & immunitatem fore multis in locis probari, & præsertim in cap. At si Clerici, & cap. Qualiter de Iudi cap. 2. & cap. Si diligenti de fo. compet. cap. Continue cum multis alijs 11. q. 1. l. vlt. tit. 2. lib. 16. C. Theodosiani. De qua re longè lateque tractauerunt Iuris Pontificij Interpretes in dictis locis.

Hoc priuilegium vt Clerici pertineant ad forum Iudicis ecclesiastici, est de Iure diuino iuxta probabiliorem, & communiorem sententiam, & videtur probari ex his, quæ leguntur Gen. 47. & Esdræ 8. & ratio naturalis confirmat, vt in cap. Cum ad verum, cap. Duo sunt, & cap. Si Imperator dist. 96. Vbi Glos. ait Clericos ante omnem humanam constitutionem à seculari potestate exemptos esse, & constitutiones Clericos eximentes non nouum ius continere; sed iuris declarationem, & tenet Stephan. Aufrer. in Clement. 1. num. 60.

num 60. de off. ordi. & ibi Guliel. de Monte Laud. nu. 1. qui addit hãc exemptionem fuisse concessam etiam ab Imperatore approbante Papa. Et quamuis Clerici non essent Iure diuino exempti, potuit illis hoc priuilegium impertiri Romanus Pontifex etiam sine consensu Imperatoris. Et in hoc omnes consentiunt, nemine discrepante in c. 2. de maio. & obed. Nam munus & officium est Summi Pontificis pro commisso sibi à Christo in spiritualibus plenissimo regimine ecclesiasticas personas à potestate Laica eximere, vt exemit. Sed de hoc superius in Disp. 16. capit. 2. plenius disputatum est.

His præmissis proponamus dubia, quæ contra, hactenus dicta, obijciuntur. Et primo loco afferri potest ratio desumpta ex verbis Christi & Apost. Pauli. Clerici enim & reliquæ personæ ecclesiasticę tam inferiores, quàm superiores non sunt magis immunes & exēpti, quantum est ex dispositione Iuris diuini à potestate Iudicis Laici, quàm Christus & Apostolus Paulus, sed neque Christus, neque Paulus recusarunt se subijcere Tribunali Iudicis Laici. De Christo enim legitur apud Io. cap. 19. responsum dedisse Pilato dicenti, *Mihi non loqueris, nescis, quia potestatem habeo dimittere te? non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset, desuper.* De Paulo vero Act. cap. 25. dicitur respondisse Fausto, qui volens rem Iudæi gratum facere illum Hierosolymam mittere statuerat, vbi iudicaretur, *Ad Tribunal Cæsaris sto ibi me oportet iudicari,* & paulo post *Cæsarem appello & Faustus cum Concilio loquutus respondit, Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis.* Apostolus Paulus non ad Petrum tunc Romanum Pontificem, sed ad Imperatorem appellauit, si Iuris diuini esset Clericum non posse iudicari à potestate seculari, Paulus, qui non solum verbis, sed factis docuit, ad instruendam Ecclesiam Christianam ad Petrum Pontificem nō ad Cæsarem appellare debuisset. & si Petrus per Tyrannidem Ethnici Imperatoris iurisdictionem suam exercere non poterat, debuit tamen Paulus formam viuendi posteris tradere. Nec potuit aliquid contra Ius diuinum agere. Hæc ratio affertur inter alias a Ioanne Driedone lib. 1. cap. 15. in fi. de libert. Christ. ex qua videtur inferri Iudicem secularem iudicando personam ecclesiasticam in quibusdam casibus non agere rem ex sui genere prauam, neque peccare, & idcirco, nec excommunicationis gladio percuti posse.

Ad hanc dubitationem respondet idem Io. Dried. initio cap. 15. dicens posse illum, cui iure diuino concessa est aliqua potestas, illam alteri delegare, eique committere, vt iudicet de re, quam ipse ordinaria sua potestate decidere, & terminare poterat. Et ad hunc modum Summus Pontifex, quamuis nullius humanæ potestatis iudicio & Imperio subijciatur, potest propter commune bonum & vtilitatem Christianæ Reipub. Imperatoris potestati se ipsum submittere, quēadmodum & Christus ad Iudęos loquens inquit, *quis vestrum arguet me de peccato?* Io. cap. 8. Et talis fuit submissio Christi apud Pilatum, & Pauli ad Cæsarem, ita respondet Driedon.

Si obijcias si hæc exemptio esset Iuris diuini, non posset Summus Pontifex Iudici Laico priuilegium concedere, vt de causis Clericorum cognosceret, sicut non potest Summus Pontifex concedere Laicis potestatem audiendi confessiones & Missas celebrandi, quia hoc est Iure diuino prohibitum.

Ad hoc argumentum neganda est consequentia. Nam Papa ideo potest priuilegium concedere Prin- A cipi Laico, vt in aliquibus casibus puniat Clericos, quia in illis Princeps Laicus censetur tunc Papæ Delegatus, Glos. in cap. Laicis 16. q. 7. Card. in cap. Perpendamus num. 6. in fi. de sent. excom. Felin. in cap. 2. nu. 3. & 4. de maio. & obed. Stepha. Aufrer. in repet. Clem. 1. nu. 93. de off. ordi. Qui autem demandatam iurisdictionem exercet, non sua, sed mandantis iurisdictione vtitur, l. 1 §. qui mandatum ff. de off. eius, cui manda. est iurisd. Quot fit, vt huiusmodi iurisdictio Laicis Sedis Apostolicæ priuilegio tributa in Clericos, nec eorum exemptioni, nec Iuri diuino illam inducenti aduersetur, Ius autem audiendi confessiones, & Missas celebrandi, quæ Ordinis sunt, & absque ordine ab aliquo exerceri non possunt, Laico non potest B à Papa concedi, quia necessarius est ordo. Sed alia ratio est de Iure cognoscendi causas Clericorum, quod iurisdictionis est, & ideo à Summo Pontifice committi potest Laico.

Secundo dubitari potest, an consuetudo longissimi temporis legitimè præscripta possit tribuere iurisdictionem Iudici Laico iudicandi de causis Clericorū, vt illam exercentes minimè in excommunicationem incidant. Quòd enim talis consuetudo sufficere debeat ad excusandum Iudicem Laicum ab excommunicatione, si de Clericorum delictis cognoscat, & publicam vindictam sumat, ex eo probari posse videtur quòd concessum est hanc iurisdictionem in Clericos Principe seculari speciali priuilegio, & expressa licen- C tia Sedis Apostolicæ acquiri posse, ergo consequens videtur, vt etiam intelligatur quæri posse consuetudine, seu præscriptione cap. Super quibusdam §. Præterea vbi Doctores de verb. signif. Alex. cons. 70. col. 2. vol. 4.

Respondeo, vt dicebam in fine pręcedentis capitis, hanc consuetudinem etiam immemorabilem validam non esse, vt declarauit Rota in antiq. tit. de consuet. decis. 10. nu. 4. Iacobus Gallus in pract. in tit. de acquisitis ab Ecclesia num. 17. Vers. Item potest, inquit, non posse nocere Clero nec in persona, nec in rebus, quidquid fiat, vel obseruetur contra Ecclesię libertatem. Nec Laici inde possunt de Iure aliquod petitorium, vel possessorium acquirere, vel obtinere D pro præterito tempore, vel etiam in futurum. idem post alios tradit Gabriel commun. Conclusionum lib. 5. tit. de præscript. concl. 1. num. 12.

Nec ratio æquiparationis inter priuilegium, & præscriptionem immemorabilem procedit, vbi qui possidet, non est capax, sicut in casu nostro Laicus est incapax iurisdictionis in personas Ecclesiasticas cap. Clerici de Iudi. cum simil. vt omnes Doctores affirmant, quos refert Gabriel loco citato.

Accedit, quòd etsi hæc consuetudo longissimi temporis & immemorabilis in aliqua Ciuitate extaret, & concederetur de facto Laicum esse capacem iurisdictionis in Clericos, adhuc talis consuetudo nullo pacto aliquid roboris haberet, quia est interrupta quo- E libet anno per hanc Constitutionem quæ in die Cœnæ Domini legi consueuit, qua excommunicantur Laici vsurpantes iurisdictionem in Clericos, & immemorabili consuetudini derogatur, Felin. in cap. Cum non liceat num. 19. de præscript.

Præterea Cōcilium Generale Lateranense sub Leone X. sess. 10. constit. incip. Regimini, prohibens Laicis capere & detinere personas Ecclesiasticas, cuicunque consuetudini derogauit tanquam tendenti in offensionem Diuinæ Maiestatis, vt habetur ibid. Vers. Et cum ea, paulo ante finem illius Constit. his verbis, *Et*

cum

eum ea nedum Iuri contraria, sed etiam ecclesiasticæ libertati opprobriosa sint quamplurimum, & aduersa &c. & infra *Mandantes vt ipsi constitutiones prædictas obseruent, & faciant à suis etiam subiectis inuiolabiliter obseruari quacunque consuetudine contraria non obstante, si diuinam offensam, & Sedis Apostolicæ debitam vitare voluerint vltionem.* Lex autem hoc modo consuetudinem reprobans nedum tollit præcedentem, sed etiam obstat futuræ, Abb. in cap. 2. num. 7. de probat. Couar. ex communi sententia lib. 3. Variar. Resol. cap. 13. nu. 4. Alexander in l. si non speciali num. 2. C. de testam.

Tandem ad ostendēdam inualiditatem huius assertæ consuetudinis, afferri potest Conciliū Tridentinum sess. 25. cap. 20. Vbi Sancta Synodus Imperatorem, Reges, Resp. & Principes omnes grauissimis verbis obtestatur, vt quo largius bonis temporalibus, atque in alios potestate ornati sunt, eò sanctius, quæ ecclesiastici iuris sunt tanquam Dei præcipua, eiusque patrocinio tecta venerentur, nec ab aliquo lædi patiantur. Et insuper præcipit sacros Canones, & Concilia generalia omnia, nec non alias Apostolicas sanctiones in fauorem ecclesiasticarum personarum, ac immunitatis ecclesiasticæ, & contra eius violatores editas, quæ omnia eo decreto innouat, exactè ab omnibus obseruari. Frustra igitur adducitur consuetudo, cum aduersus decretorum Concilii dispositionem nulla consuetudo induci possit. Nam Pius Quartus in Constitutione qua dictum Concilium confirmauit, illud vbique obseruari iussit adiecto decreto irritāte, quod tollit nedum consuetudinem præteritam Glos. in Clem. fin. Ver. Decernimus de Reb. Eccles. non alienan. sed etiam futurā, Rebuff. post alios in Concord. sub Rubr. de firm. & irreuocab. Concord. stabilit. vers. plus dicit.

Tertiò obijcitur has Clericorum exemptiones in varijs Regnis, & Dominijs diuersimode obseruari, vt legitur apud Clarum. §. fin. quæst. 36. Vnde euidenter inferri posse videtur, neque esse Iuris diuini, quod est omnino inuariabile, neque semper Iudicem secularem ex animaduersione in Clericos ob delicta commissa incidere in excommunicationem Bullæ. Nam in aliquibus Prouincijs Principum seculariū delicta leuiora Clericorum Iudicibus ecclesiasticis cognoscenda relinquuntur, & punienda; Grauiora verò reseruantur Magistratui seculari, quod Principis semper faciunt in crimine læsæ Maiestatis. In aliis locis aliter obseruatur.

Respondeo ex iis, quæ tradita sunt tam à Claro, quàm ab aliis Auctoribus, qui de hac exemptione Clericorum scripserūt, optimè dignosci exemptiones Clericorum esse in omnibus Regnis Catholicis in viridi obseruantia, nam varietas casuum, quas Clarus examinat eo spectat, vt definiantur multæ controuersiæ, quę inter ecclesiasticam, & secularem potestatem contingere possunt, quamuis exemptio ipsa plenè obseruetur. Cum enim Summus Pontifex possit ius diuinum ex causa interpretari, & declarare Felin. in cap. Quæ in Ecclesiarum num. 19. de Constit. Idcirco Bonifatius Octauus in cap. vni. de Cleri. coniug. lib. 6. declarauit Clericos coniugatos non potiri fori priuilegio, nisi cum vnica, & virgine contraxerint, tonsuramque, & vestes deferant clericales, Gregorius X. in Conc. generali Lugdunensi, habetur in cap. 1. de Biga. lib. 6. Declarauit Clericos bigamos etiam interpretatina, vel propria bigamia foro seculari subiacere. Aliæ etiam declarationes habentur quoad reconuentionem, & alios casus, quos recensui supra in Disp 16. cap. 1. In quibus sine læsione priuilegii Clericus sortitur forum seculare. Variæ igitur quæstiones à Claro examinatæ in hac materia omnes tendunt ad declarationem casuum, in quibus sæpe disceptationes exoriuntur, & in illis Iudex Laicus prætendit exemptioni non esse locum. Sicut autem exemptio prædicta obseruata, & recepta est quoad alia delicta, ita etiam obseruata fui quoad crimen læsæ Maiestatis; Vt Clericus à Principe Laico non puniatur nisi ab eo feudum obtineat iuxta opinionem Bart. super Constit. Ad reprimēdum edita ab Henrico Septimo Imperatore Ver. Conditionibus, qui testatur dictum Henricum quosdam Episcopos propter rebellionem suis feudis priuasse: Immo Barbat. in cap. At si Clerici in princip. de Iudi tenet Clericum non posse dici Reum læsæ Maiestatis Principis Laici, quia non est subditus Laico, & inquit se ita consuluisse contra Abb. oppositum asserentem in eod. cap. At si Clerici ex tex. in cap. Si quis Laicus 22. q. 5. Vbi præcipitur degradari Episcopum Presbyterum, aut Diaconum, qui in mortem Principis aliquo machinamento conspirauerit, & intelligit Abb. de actuali degradatione, vt tradatur Curiæ seculari puniēdus, sed Barbat. respondet cap. illud si quis Laicus, esse intelligendum de verbali, non de actuali degradatione latè tractat hanc difficultatem Bernard Diaz in sua Pract. crim. cap. 129. qui præter Doctores, quos citat, refert etiam sententiam latam in synodo Toletana decimasexta ab Episcopis sexaginta, & vno celebrata anno Domini 693. sub Rege Flauio Egica contra Sisbertum eiusdem Toletanæ Ecclesiæ Episcopum, quo loco, & honore depulsus in exilium perpetuū damnatur, ac omnibus bonis spoliatur eiusque bona Regi addicuntur, quia in vitam Regis cum aliis cōspirauerat; Et Grammat. decis. 29. Regn. Neap. num. 12. affirmat nullum Principem etiam Imperatorē posse condere legem, vt Clericus ob crimen læsæ Maiestatis puniatur a Principe seculari.

Quartò obijcitur, quòd & si concedi debeat Clericos esse exemptos à potestate secularium Iudicum, & Principum, ac Regum, non tamen inde sequitur hanc exemptionem illis conuenire erga supremam potestatem Imperatoris, qui nullum in temporalibus superiorem agnoscit. Quare licèt peccaret Magistratus secularis, & Princeps inferior, si se interponeret in cognoscenda causa criminali contra personam ecclesiasticam, & obstringeretur excommunicatione; hoc tamen non videtur militare in Imperatore, qui hac lege non tenetur: nam Imperatores eximerunt quidē personas ecclesiasticas à potestate Magistratuum, nunquam tamen eam exemptionem consensisse videntur a suprema sua potestate.

Respondeo iam initio Capitis firmatum esse hanc immunitatem habere maiorem stabilitatē, & robur, quàm si tantùm ab Imperatorum priuilegiis proueniret, quia scilicet nititur Iure diuino, & canonicis sanctionibus, sed tamen etiam sufficeret solis Imperatoriis legibus esse constitutā, quibus cautum est, vt Clerici plenissima exemptione potiantur, vt habetur in l. 7. Constantem in tit. de Epis. & Cleri. in C. Theodosiano, & alijs multis aliorum Imperatorum, quas non opus est modò referre, & loquuntur de libertate à quacunque exemptione etiam supremi Principis cōcedentis, Præpos. in cap. Denique num. 5. post med. dist. 96. Cur. Iunior cons. 188. num. 10. sicut etiam certum est Imperatorem donando Ecclesiæ Romanæ summum, & maximum Imperium à se abdicasse, & in Ecclesiam Romanam transtulisse, cap. Fundamenta vers. Nec autem ipsa Mater, & ibi Doct. de elect. lib. 6. Immo

etiam

etiam cum donatur inferiori Ecclesiæ idem ioris esse frequentius tradit Glos. in cap. solitæ Ver. Suscipiunt, vbi Innoc. de maio. & obed. Host. in cap. Nimis Ver. Ab eis de iu. iur. Io. Monach. in cap. Romana. §. debet num 14. vers. Temporalibus de appell. lib. 6. & alij, quos refert Couar. Pract. quæst. cap. 4. num. 2. quam esse magis communem opinionem testatur, licèt ipse diuersum sentiat.

Quintò opponitur. Nam facultas cognoscendi causas criminales, & ob delicta commissa animaduertendi in criminosos ita est connexa cum Principatu, & cum potestate dominandi, vt ab ea diuelli non possit, & sicut Papa eximit, quem vult ab auctoritate Episcoporum, & aliorum ordinariorum, à sua tamen potestate neminem eximere potest, nisi simul desinat esse Pontifex; Ita Princeps secularis non potest aliquem habere in suo Dominio in temporalibus, & in alijs bonum publicum concernentibus sibi non subditum, nisi desinat esse Princeps. Si ergo Princeps exercet hanc iurisdictionem in personas ecclesiasticas in suis Terris delinquentes, nihil facit alienum à potestate, qua fungitur, & quòd ei non cõueniat iure ordinario sui Principatus, & sic ei proprium; Ergo hanc ob causam non videtur legem vllam violare, & consequenter neque excommunicationis gladio est feriendus.

Respondeo hoc argumentum iurisdictiones à Deo penitus distinctas simul cõfundere, quod repugnat ijs, quæ initio Capitis supposita sunt tanquam certissima: Nimirum hãc exemptionem Clericorum esse iuris diuini: Deinde quamuis non esset iuris diuini, Sede Apostolica potuit illam concedere: Nec valet argumentum in hac re à Summo Pontifice ad Principem secularem. Nam Summus Pontifex non potest alicui priuilegium concedere, vt non sit sibi in spiritualibus subiectus, cum quãtum ad spiritualia nemo possit esse Acephalus cap. Nulla 90. dist.

Ita docuerunt Io. And. in c. Cum instantia de censi. Maria. in cap. Recepimus de priuileg. Felin. in capit. Cum non liceat num. 14. de præscript. Secus autem est quoad temporalia, nam Papa posset laico sibi in temporalibus subdito concedere, vt quoad temporalia coram se conueniri non posset, idemque procedit Imperatore, qui & ipse potest subdito sibi tribuere priuilegium, vt solùm coram Iudice ecclesiastico conueniri posset, vt declarant Marian. & Felin. locis cit. Anton. Sicul. in tract. de Potest. Reg. quæst. 88. circa medium, & probat textus in cap. Quicunque 51. q. 1. Et ratio diuersitatis multiplex assignari potest, quia cum Papa vices Dei gerat in terris cap. 2. de transl. Episc. si aliquem eximeret à sua potestate, videretur eximere à potestate Dei. Hinc iura Canonica dicunt: qui non agnoscit Papã superiorem, non agnoscit Christum pro Capite, c. In Ecclesia 1. q. 1 cap. Quidquam 24. q. 1. Præterea nemo efficere potest, vt Papa habeat minorem potestatem, quàm sibi fuerit à Christo tradita. Sed si quis eximeretur a potestate Papæ, non esset de ouibus Christi, cum nõ agnosceret eius Vicarium super omnibus Mundi Principibus, ergo minueretur potestas Papæ, quod est impossibile. Quæ rationes adducuntur à Restauro Castaldo in tract. de Imperato. quæst. 50. num. 32. & non vigent in Imperatore, & alijs Principibus secularibus. Quamobrem cõueniunt omnes non valere præscriptionem aduersus summam potestatem Papæ iuxta extrauagantem Bonifacij Octaui; Vnam sanctam de maio. & obed. At verò præscribi posse, vt quis non subsit Imperio, vt post Paulum de Eleaz tradit Alex. cons. 11. num. 10. vol. 7. & alij plures relati à Castaldo in dicto tract. q. 54. num. 6. & seq.

Concludamus exemptionem manare à iure diuino, & Canonicis sanctionibus confirmatam esse, vt etiam disertis verbis declarauit Conc. Tridentinum sess. 25. cap. 22. Et quamuis à solis Imperatoribus hoc priuilegium personis ecclesiasticis concessum fuisset, vt in Auth. Vt Clerici cõuenian. apud propr. Episc. colla. 6. se Sanct. Episc. per totum col. 9. In Auth. statuimus. C. de Episc. & Cleri. hoc sufficeret, neque vllo modo reuocari posset, quia huiusmodi priuilegia Ecclesiæ semel concessa sunt irreuocabilia, Innoc. in cap. Nouit num. 6. vers. Vel melius de Iudi. Archid. in cap. Quicunque 11. q. 1. Abb. cons. 63. nu. 1. Card. cons. 85. prope fi. vers. Alia lectura, Paul. de Castr. consil. 316. col. 3. post med. Felin. in cap. Quæ in Ecclesiarum num. 45. de Constit. vbi ait, sicut Papa non potest auferre Laico ius quæsitum per legem Canonicam; Ita nec Imperator ius Clericis quæsitum per legem Ciuilem, Alex. cons. 209. col. 4. vers. Nec ad hoc obstat vol. 2. Abb. cons. 41. num. 3. Ant. Burg. in Repet. cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 330. & 331. de Constit. vbi ait: De hoc non esse dubitãdum etiam si mille legibus Laicorum contrarium caueretur. Immo de hoc dubitare non esse procul ab hæresi. Ratio est, quia cum priuilegium confertur in non subditum ex dispositione legis, cum in eum non possit valere tanquam lex ex defectu iurisdictionis, valet tamẽ tanquam quasi contractus, postquam non subditus illud ratum habuit ad instar donationis; Ideoque per pœnitentiam non potest dissolui absque consensu vtriusque, idest tam cõcedentis, quàm eius, in quem collatum fuerat priuilegium, vt declarat Card. in Repet. cap. Perpendamus num. 6. vers. Respondeo de sent. excom. Idem tenet Host. in Summa §. Sed nec, prope fi. de Immun. Eccles. reddẽs aliam rationem, nempe quidem priuilegia ab Imperatore concessa sint à Sede Apostolica confirmata, cuius potestas maior est Imperatoria, consequens est, vt in illis prorsus extincta sit auctoritas inferioris. Denique addamus duos insignes Theologos in eandem sententiam Dom. Sot. in 4. sent. dist. 25. q. 2. art. 2. & Franc. Victo. in Relet. 1. de potest. Eccles. q. vlt. dicentes. Hanc exemptionem mutari, vel abrogari non posse à Regibus, & Principibus, etiam si omnes simul in talem abrogationem conuenirent.

Quamobrem quicunque Princeps, aut Magistratus vel Iudex Laicus præsumit causam criminalem contra personam ecclesiasticam cognoscere, & in illam ob crimina commissa animaduertere, diuinam humanamque legem tam ecclesiasticam, quàm ciuilẽ apertissimè violare conuincitur: Ideo grauiter Deum offendit, & meritò Romanus Pontifex pro debito pastoralis curæ officio ad coercendam huiusmodi Laicorum temeritatem eos, qui hæc audent, excommunicationis, & anathematis mucrone in Bulla Cœnæ Domini percutere, & iugulare debuit.

EXCOM-

EXCOMMVNICATIO VIGESIMA.

ITEM EXCOMMVNICAMVS, ET ANATHEMATIZAMVS OMNES ILLOS, QVI PER SE, SEV ALIOS DIRECTE, VEL INDIRECTE SVB QVOCVNQVE TITVLO &c.

DISPVTATIO XXI.

DE EXCOMMVNICATIONE CONTRA *Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & eius iurisdictionem in illis vsurpantes.*



HAEC Vigesima Excommunicatio fertur in specie in defensionem Dominij temporalis ad Sedem Apostolicam pertinentis contra omnes, qui directè, aut indirectè Ciuitates, & loca sub ditione Sedis Apostolicæ occupare præsumpserint, & habetur in Antiquioribus Bullis. Legitur enim in Bulla Martini Quinti, relata per B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap 72.

In Bulla Cœnæ edita à Paulo Tertio, quam explicat Petrus Rebuff. Post hanc excommunicationem ponitur alia contra eos, qui abstulerant, vel occupauerant sanctas Reliquias, ornamenta Ecclesiastica, & quæcunque alia ad diuinū cultum deputata ex Basilicis tam in Vrbe, quàm extra Mœnia existentibus tempore direptionis, & excidij, quod accidit sub Pontificatu Clementis VII. sed hæc postea sublata fuit.

Item in Bulla Gregorij Decimitertij post hanc vigesimam censuram additur alia contra eos, qui tempore infirmitatis Summi Pontificis, vel Sede Vacante suppellectilem librorum, scripturarum, aut bonorum Cameræ, & Palatij Apostolici auferunt, aut ab alijs ablata detinent. Quæ clausula primùm à Syxto V. deinde à Clemente Octauo sublata fuit, Ac modò in Bulla continētur solùm viginti excommunicationes, quas enarrauimus. Nam alia Censura, quæ pronunciatur in fine, vt postea suo loco explicabimus, in eos, qui absoluunt ab huiusmodi Censuris sine legitima facultate, est quasi reflexa, & minus propria huius Bullæ, vt videbimus.

Rursus in Bulla Gregorij relata à Nauarr. in Manua. cap. 27. num. 72. post illa quatuor verba, quibus

A significantur actiones prohibitæ, quæ designantur, vt causæ huius censuræ, scilicet Inuadere, Destruere, Occupare, aut Retinere, additur aduerbium, *Hostiliter*, & disponuntur verba hoc modo scilicet: *De facto occupant, vel detinent, vel hostiliter destruunt, & inuadunt, Aut occupare, detinere, vel destruere, aut inuadere hostiliter præsumpserint*; Quare sensus, & intelligentia huius clausulæ videtur coarctata, & limitata iuxta propriā significationem illius vocis, *Hostiliter*, si ad omnia illa verba referatur; Syxtus tamen, & posteriores Pontifi-

B ces auferentes illam dictionem, videtur voluisse, vt illa verba generalius intelligerentur: Deinde in Bulla Syxti, & Successorum semel tantùm ponūtur illa quatuor verba hoc modo, *Sub quocunque titulo, vel colore inuadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint, &c.* In Bulla Gregorij bis repetuntur, scilicet in tempore præsenti, & præterito, vt apparet, & eodem modo disposita legitur hæc clausula in Bullis Antiquis. Verùm si attentè perpendatur significatio verborum inuadendi, destruendi, & occupandi, constabit illa per

C se significare huiusmodi hostilem incursum, & ideo non fuit intentio Syxti Quinti differre à Gregorio hac in re, & putauit etiam sufficere, si semel exprimerentur illa verba.

Hæc Excommunicatio quoad personas est vniuersalis, vt notat Caiet. in Sum. Ver. Excommunicatio, cap. 17. Actiones principales, quæ prohibentur in genere, sunt duæ. Prima per se, vel per alios directè, vel indirectè sub quocunq; titulo, vel colore præsumptuosè inuadere, destruere, occupare, detinere in totum,

D vel in parte Almam Vrbem, & alias Ciuitates, & loca, quæ enumerantur. Secunda est præsumere de facto vsurpare, perturbare, detinere, & nouis modis vexare supremam iurisdictionem in illis Terris competentem Papæ, & Romanæ Ecclesiæ.

Actiones accessoriæ sunt quatuor. Prima adhærere facientibus: Secunda fauere eisdem: Tertia defendere eos: Quarta quomodolibet præstare illis auxilium, consilium, fauorem.

Caput Primum, Explicantur verba Canonis, & singula actiones distinctè examinantur.

Caput Secundum, Quo iure ad Romanæ Ecclesiæ ditionem pertineant Prouinciæ, Ciuitates, & loca in hoc Canone descripta, & quo pacto eorum dominatum adepta fuerit.

Caput Tertium, An hæc excommunicatio, quæ quotannis in die Cœnæ Domini promulgatur aduersus occupantes Ecclesiæ Romanæ Terras, valida sit ad interrumpendam præscriptionem, vt quocunque temporis spatio quis possideat, nunquam tamen illas præscribere possit, & semper hac censura afficiatur.

CAPVT I.

Explicantur verba Canonis, & singula actiones distinctè examinantur.

ITEm *Excommunicamus, & Anathematizamus omnes illos*: Dictione illa vniuersali, *Omnes*, includuntur quicunque sine vlla exceptione l. Iulianus ff. De leg. 3. Igitur, siue sit persona Ecclesiastica, siue secularis, vel in gradu, & dignitate constituta, vel priuata, etiam si Rex, Imperator, Episcopus, aut Cardinalis. Tandem quicunque præsumpserit aliquam ex his actionibus prohibitis committere in damnum Dominij temporalis Sedis Apostolicæ, incidit in excommunicationem.

Qui per se, seu alios directè, vel indirectè sub quocunque titulo, vel colore. Hæc clausula sæpius in Bulla Cœnæ repetita legitur, vt superius vidimus, & quid per eam significetur, suis locis declarauimus. Quantum attinet ad materiam, de qua modò agimus, ille dici potest per se ipsum occupare, destruere &c. aliquam Ciuitatem Ecclesiæ Romanæ, qui id operatur facto proprio, & personaliter; Per alium verò, quando hoc committit alijs, neque ipse immediatè occupat Ciuitatem, aut locum, sed vtitur opera, & industria aliorum. Similiter ille directè occupat, qui palam, & publicè per vim Ciuitatem accipit: Indirectè cum per fraudem, & dolum, aut proditione interueniente inuadit, & sub quocunque titulo, aut colore talem inuasionem, & occupationem specie iustitiæ contegere, & cohonestare studet, affirmans illam tentare, & aggredi in compensationem damnorum, & iniuriarum, quas passus est; vel quòd iusto titulo legitimè præscripserit, aut quòd ius habeat ad Ciuitatem, ex testamento, donatione, vel ex alio contractu. Denique quocunque modo quis occupet, & inuadat aliquam Terram Sedis Apostolicæ, censura excommunicationis obstringitur.

Inuadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint in totum, vel in parte. In Bulla Gregorij Decimitertij ponitur dictio, *De facto occupant &c.* quæ non habetur in alijs Bullis posterioribus, sed adhuc illa nō existente remanet idem sensus, quoniam iuxta proprietatem verborum inuadere, occupare significant iniustè, & de facto rem capere: Instit. Vi Bonor. Rapto. §. penult. cap. Oportet 2. q. 1.

His quatuor modis specialibus committi potest prima actio principalis prohibita, nempe auferendo ex Dominio Sedis Apostolicæ aliquam Ciuitatem, vel locum ex descriptis in Canone inuadendo scilicet per vim, & hostiliter aggrediendo, Destruendo, hoc est deuastando, & demoliendo, Occupando, idest, quasi ex improuiso capiendo, & vt plurimum in malam partem accipitur. Tandem Detinendo, puta non restituēdo quod iniustè per alium ablatum fuerit. Quare si ex testamento, vel alio titulo quis relinquat alteri Terram, quam occupauerat sub Dominio Sedis Apostolicæ, & hæres, vel alio modo acquirens sciat illam fuisse, eo modo contra ius occupatam neque restituat, non excusatur ab excommunicatione, sicut enim dicitur in cap. Sæpe contingit de restit. spoliat. *Non multum interest quoad periculum animæ iniustè detinere, ac inuadere alienum.* Neque ad incurrendam hanc Censuram necesse est, vt tota aliqua Prouincia, vel Ciuitas occupetur, sed satis est, vt pars Prouinciæ, immo oppidum solū, aut villa detineatur; Ideo additur illa clausula, *In totum, vel in partem.* Quacunque igitur ratione aliqua ex dictis actionibus contra iustitiam fiat, ad incurrendam excommunicationem sufficit, secus si bona fide, & probabili titulo iuxta doctorum hominum iudicium aliquid tale contingat; nam cessat culpa eo casu, qua cessante non est locus excommunicationi: Quod annotauit Caietanus in Sum. Ver. Excommunicatio cap. 31. Vers. Quartò nota his verbis, *Quia tunc operatur, quis ex ignorantia plusquam probabili, & ideo neq; apud Deum, nec apud Ecclesiam agit contra eiusdem Ecclesiæ ius, seu libertatem.*

Dubitari potest hoc in loco; An sit locus huic excommunicationi, si aliqui factiosi homines, & partes, ac seditiones fouentes, & nutrientes in Ciuitate sub ditione Ecclesiæ insurgerent ad subtrahendum illam ab Ecclesia saltem quoad liberum eius regimen.

Respondeo esse excommunicatos, vt existimo, & tenet etiam Caietanus in Sum. cap. 17. Licèt enim isti factiosi nolint subtrahere Terram Ecclesiæ, tamen cum velint dominari, indirectè tollunt iurisdictionem & dominium Ecclesiæ, & vexant ac perturbant eandem non solum vi, & armis, sed fraude, & dolo. Sequitur Nauar. in Manua. cap. 27. num. 72. Immo in eandem excommunicationem puto incidere facinorosos homines, Nempe Bannitos in magno numero discurrentes, quando prædictas Terras deprædantur, & occidunt in eis commorantes.

Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sebinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ, Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimas Prouincias, illarumq; Terras, & loca, ac Terras specialis commissionis Arnulforum, Ciuitatesq; nostras Bononiā, Cesenam, Ariminum, Beneuentum, Perusium, Auinionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Ciuitates, Terras, & loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaq; Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiecta. In enumeratione Ciuitatum, & locorum sub dominio Pontificis Romani conuenit hic Canon cum antiquis etiam cum Bulla Martini Quinti, quæ habetur apud D. Antoni. 3. par. Summæ tit. 24. cap. 72. Et hæ Ciuitates dicuntur pertinere ad Romanam Ecclesiam, quoniam in illis Summus Pontifex non solùm habet iurisdictionem spiritualem, sicut in toto Orbe Christiano, sed etiam temporalem, ideo excommunicantur illi, qui eas occupare præsumunt, vt inquit Petr. Rebuff. in expos. Bullæ Coenę super art. 12. Fuit autem maximè decens, & dignitati ac Maiestati Sanctæ Sedis Apostolicæ conueniens, vt ad illius splendorem, & ornamentum temporalem etiam potestatem, & iurisdictionem in Prouincias, & Populos haberet, quo magis Romanus Pontifex Christi Vicarius ab omnibus coleretur, & adoraretur; Idcirco in cap. Constantinus 2. dist. 96. ita dicitur, *Vnde vt Pōtificalis apex non vilescat, sed magis quàm terreni Imperij dignitas gloria, & potentia decoretur ecce iam palatium*

nostrum,

nostrum vt prædictum est, quam Romanam Vrbem, & omnes Italiæ, seu Occidentalium Regnorum Prouincias, loca & Ciuitates præfato Beatissimo Pontifici nostro Syluestro Vniuersali Papæ contradimus ac relinquimus, & ab eo & à successoribus eius per hanc diualem nostram, & pragmaticam constitutam decernimus disponenda atque Iuri Sancta Romana Ecclesiæ concedimus permansura.

Quòd autem loca, quæ in hoc Canone describuntur spectent ad dominium Ecclesiæ Romanæ, ostenditur ex multis & in primis Vrbem Romã pertinere ad ditionem, & imperium Summi Pontificis, habetur in cap. Fundamenta de elect. lib. 6. post princip. Vbi Nicolaus Tertius sic habet de Constantino Imperatore, *Qui quarto die sui Baptismatis vnà cum omnibus Satrapis, &c. in personam B. Syluestri sibi Romanam concedendo Vrbem relinquens, ab eo & successoribus eius per pragmaticum constitutum disponendam esse, decernens in ipsa Vrbe vtriusque potestatis Monarchiam Romanis Pontificibus declararet, non iustum arbitrans, vt vbi Sacerdotij principatum, & Christianæ Religionis Caput Imperator Cælestis instituit, ibi Imperator terrenus habeat potestatem, quia magis ipsa Petri Sedes in Romano iam proprio solio collocata, libertate plena, in suis agendis per omnia potiretur.* De Regno Siciliæ, quod ad Ecclesiam Romanam pertineat, testatur Clemens Quintus in Clem. 2. de sent. & re Iudi. à quo declaratur sententia nulla lata ab Henrico Imperatore contra Robertum Regem Siciliæ, ipsum dicto Regno priuando, & inter alias causas nullitatis illa adducitur, quòd Regnum Siciliæ ad Summum Pontificem spectet, & in cap. 2. vltra med. Vers. Præter hæc eod. tit. lib. 6. Innocentius Quartus in Concilio Lugdunensi contra Fridericum Imperatorem protulit sententiam, qua priuauit eum Regno Siciliæ, quod in feudum acceperat ab Ecclesia Romana; verba textus sunt, *Præter hæc Regnum Siciliæ, quod est speciale patrimonium B. Petri, & idem Princeps ab Apostolica Sede tenebat in feudum, &c.* Vbi Gemin. §. Sed licet, numero septimo, Philip. Franc. num. 4. in fin. & Abb. in cap. Veritatis numero primo, Vers. Item nota de Iur. Iur. inquit, Regnum Siciliæ spectare ad temporalem Ecclesiæ iurisdictionem, ideo Rex iureiurando promittit Papæ homagium, & fidelitatem. De Insula Sardiniæ, quòd ad Ecclesiam Romanam pertineat asserit Luius Tertius, in capitulo Si diligenti, in princ. de præscript. ibi, *Cum iudicatus Calaritanus ad ius, & proprietatem B. Petri pertineat, sicut tota Sardinia nullo pertinet mediante &c.* Vbi Abb. num. 1. in fin. inquit Papam acquisiuisse illam Insulam ex donatione Constantini & aliorum Imperatorum. De Prouincia Tusciæ cum Vrbe Roma, & suo Ducatu vna cum Suburbanis ac viculis omnibus habetur expressè in cap. Ego Ludouicus 63. distinct. *Ego Ludouicus &c. Tibi B. Petro Principi Apostolorum, & per te Vicario tuo Domino Paschali Summo Pontifici, & Vniuersali Papæ, & successoribus eius in perpetuum sicut à prædecessoribus nostris vsque nunc in vestra potestate, & ditione tenuistis & disposuistis Romanam Ciuitatem cum Ducatu suo, & Suburbanis atque Viculis, &c. ac Villis in Tusciæ partibus*, Ad idem facit cap. Tibi Domino, eadem distinct. de Prouincia Marchiæ, & de Ferraria mentionem facit, Glos. Ver. Apostoli Petri in Auth. vt Eccles. Roma. gaude. priuileg. centum anno, & Feliu. in capit. Si diligenti, numero primo, de præscript. vbi refert Specul. in titul. de Rescript. præsent. hoc idem asserentem de Bononia, & Romandiola.

Quamobrem ex his constare potest in hoc Canone fuisse notatas nonnullas præcipuas Prouincias, & Ciuitates ex multis, quæ sunt sub ditione, & Dominio Ecclesiæ Romanæ. Ex his tamen nominatis significantur omnes aliæ Ciuitates & loca, quæ expressa minimè fuerunt est enim omnium eadem ratio, ad quem enim pertinet aliqua Ciuitas, ad eundem attinere debent omnia loca eidem Ciuitati subiecta, quia cuius est caput, eius sunt membra, vt inquit Feliu. in dicto cap. Si diligenti, num. 1. de præscriptionibus. Quocirca quicunque inuaderet infirmum etiam Oppidum aut locum Sedis Apostolicæ, censura excommunicationis obstrictus remaneret, sicut si occuparet, vel destrueret aliquam ex Ciuitatibus nominatis. Hanc ob causam additur in fine clausula illa vniuersalis, quæ amplexu suo omnia loca includit sine vlla exceptione, scilicet, *Et alias Ciuitates Terras, & loca, vel Iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia &c.*

Quæret aliquis, cur in hac Constitutione Bullæ Cœnæ specialis mentio fit Bononiæ, Cæsenæ, Arimini, & aliarum, quas recensui, magis quàm aliarum multarum, quæ prætermittuntur, & ad Romanæ Ecclesiæ ditionem pertinent.

Respondeo id fieri partim quia huiusmodi Ciuitates sæpius fuerũt Tyrannorum armis occupatę & Romano Pontifici ademptæ, partim quia recenter Tyrannis expulsis eas Pontifices recuperarunt, non multis enim ab hinc annis aliquæ eorum in Romanæ Ecclesiæ Imperium deuenerunt. Nam Innocentij Octaui tempore Ioannes Bentiuolus Bononiensis Regulus eam Vrbem sibi cœpit, idem factum est Perusij, Tuderti, Fulginei, & Ortis, & Iulius Secundus animo magnus & constans rerum Ecclesiasticarum defensor acerrimus multa bella gessit, & ditionem Ecclesiasticam à diuersis occupatam recuperauit, Ecclesiæ Romanæ Bononiam cum Aemiliæ & Flaminiæ Oppidis Tyrannis inde expulsis restituit. Clemens Sextus Vrbem Auinionensem à Ioanna Prima Neapolitana Regina hoc nomine emit, eius enim patrimoniũ habebatur, precium persolutum est feudi permutatione, tantundem enim, & in eo amplius ex Regno Neapolitano Ecclesiæ Romanæ ipsa Regina debebat.

Dicit Summus Pontifex in Canone, *& loca vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia*, vt denotet velle excommunicare eos, qui occupant, & detinent violenter, & de facto prædictas Terras vsurpantes iniquè Iura Ecclesiæ Romanæ. Hanc excommunicationem Summus Pontifex pronunciauit ad eum finem, ne sibi præiudicaret in dominio & iuribus quæ intendit habere iura supra dictas Prouincias & Terras.

Ex eadem clausula sequitur non incidere in hanc excommunicationem, qui occupant & detinent loca, vel iura existentia in aliqua Prouincia, vel Ciuitate Romanæ Ecclesiæ, si pertineant ad priuatam personam, vt domum, agrum, possessionem, & cætera huiusmodi, quoniam excommunicantur illi qui occupant loca ad Romanam Ecclesiam spectantia, quare prædones viarum si inuadant agrum alicuius priuati, non incidunt in excommunicationem.

Additur quoque in Canone illa clausula, *Dictæque Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiecta*, vt comprehendantur tam loca, in quibus Sedes Apostolica per suos Officiales & Ministros ius dicit, & iurisdictionem exercet, quæ dicuntur immediatè subiecta, quàm illa, quæ in feudum alicui sunt concessa, quæ gubernantur, & reguntur immediatè ab ipsis feuda-

tarijs, & dicuntur mediatè subiecta Sedi Apostolicæ. Vel etiam dicere possumus illa esse immediatè subiecta, quæ actu administrantur per officiales missos ab ipso Papa, & ab eo dependentes. Mediatè verò subijciuntur illa loca, quæ reguntur immediatè ab aliqua Ciuitate Ecclesiæ Romanę, sub cuius Ciuitatis protectione existunt.

Sed dubitari potest, vtrum qui Inuadit, occupat, detinet, & destruit aliquam Terram aut Oppidum, vel locum Ecclesiæ Romanæ, incidat in vnã vel plures excommunicationes iuxta numerum actionum prohibitarum, quas committit.

Respondeo quamlibet harum actionum esse sufficientem per se ad incurrẽdam excommunicationem, an verò si plures ex dictis actionibus concurrant in B transgressione huius Constitutionis, vna, vel plures contrahantur excommunicationes; id dignoscendum erit ex regula, quam tradidi lib. 3. Disp. 10. cap. 8. Nimirum si ex commissione plurium actuum plura oriũtur peccata & diuersę transgressiones Cõstitutionis, prouenient quoque plures excommunicationes, quarum omnium necessaria erit absolutio. Verùm si vnicum tantum erit peccatum & vnica transgressio Cõstitutionis, vnica quoque sequetur excommunicatio, quia imponitur excommunicatio contra violantes legem, quare quando violatio legis est vna, erit pariter excommunicatio vna, si multiplex violatio, multiplex excommunicatio, Ita sentit Nauar. in Manua. cap. 6. num. 17. & 18. Vt verò cognoscere valeamus, quando C ex pluralitate actuum multiplicentur delicta & transgressiones, tradidi nonnullas regulas in eod. cap. 8. Quare si quis inuadit aliquam Terram Sedis Apostolicæ, & eam occupet, & successiuè eodem tempore cõtinuo illam destruat & deuastet solo eam adęquando, semel tantum in hanc Constitutionem committit, & vnicam incurrit excommunicationem, licèt delictum grauius, vel minus graue existimetur pro varietate circumstantiarum.

Necnon supremam iurisdictionem in illis Nobis & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto vsurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præsumunt. Hæc est secunda actio principalis prohibita, quæ quatuor modis committi potest, scilicet vsurpando, perturbando, retinendo, & vexando iurisdictionem, quæ D Romano Pontifici in Prouincijs & Ciuitatibus enarratis competit. Quamobrem non solum hæc excommunicatio afficit, quoties aliquis præsumit loca Ecclesiæ Romanæ inuadere, occupare, vel destruere; sed etiã sine vlla inuasione & occupatione, si quouis modo impediat, ne in illis locis Ministri & officiales Sedis Apostolicæ iurisdictionem exerceant, in excommunicationem incidit. Itaq; prior excommunicatio respicit inuadentes corporaliter loca ipsa Ecclesiæ Romanæ, posterior autem afficit de facto vsurpantes iurisdictionem, quam Ecclesia Romana habet in dictis locis, quæ est res incorporalis, Glos. in cap. Conquestus, E Ver. Quasi possessione de fo. compet.

Per supremam iurisdictionem, intelligitur merũ imperium, quod habet Summus Pontifex in Terris Ecclesiæ. Nam vt notat Glos. in l. Imperium, Ver. Mixtũ, ff. de Iurisd. omn. Iud. quatuor sunt species iurisdictionis; Prima vocatur merũ Imperium, & nihil aliud est merũ Imperium, vt habetur in d. l. Imperium, quã *habere gladij potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines*, & hoc dicitur suprema iurisdictio. Mixtũ autem Imperium habet adiunctam causę cognitionẽ, vt inquit Glos. vbi supra, & hæc suprema iurisdictio in

A multis casibus in signum priuilegij singularis est reseruata Summo Pontifici, vt notat Glos. in cap. Quod translationem Ver. Reseruata de off. lega. & competit Ecclesiæ, vt inquit Felin. in cap Licet causam n. 1. De Probationibus, ratione temporalitatis. Quare si quis vsurparet iurisdictionem, quam exerceret Iudex in aliqua Ciuitate Ecclesiæ, vel illum vexaret in sua iurisdictione exercenda, non incurreret hanc excommunicationem, quia non perturbaret supremam iurisdictionem Summi Pontificis, nisi intenderet hac via paulatim auferre à Sommo Pontifice hanc supremam iurisdictionem, & sibi retinere.

Per illam clausulam, *Nobis et eidem Romanæ Ecclesiæ competentem*, intelligi debet ipse Summus Pontifex, dũ viuit, quod significat illa dictio, *Nobis*, & ipsa Sedes Apostolica, Põtifice mortuo, quod denotat particula illa *Romanæ Ecclesiæ*, semper enim residet eadem iurisdictio, etiamsi decesserit Romanus Pontifex penes Sedem Apostolicam erga omnia loca Romanę Ecclesiæ subiecta. Vsurpare de facto ille dicitur, qui accipit aliquid contra iustitiam, quasi iure res illa sibi debita esset, & ad ipsum pertineret. De significatione verbi vsurpare dixi in c. 1. Disp. 18. Eodem modo, quantum spectat ad materiam huius excommunicationis, qui præsumit vsurpare iurisdictionem supremam Summi Pontificis, quã habet in Terris sub dominio Romanæ Ecclesiæ, remanet eo ipso excommunicatione obstrictus; Immo quamuis illam non vsurpet, sed audeat perturbare, vexare, & quouis modo retinere, in excõmunicationẽ incidit, nisi hanc iurisdictionẽ iure exerceat, vt si Princeps ex Constitutione Summi Pontificis, acquisierit hanc iurisdictionem in aliquo loco, tũc enim non esset excommunicatus, quoniam Summus Pontifex censuram infligit solum, quando hoc de facto fit, ergo secus est de iure arg. c Nonne, de præsumpt.

Necnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes, Hæc est vltima clausula huius Canonis, in qua exprimuntur actiones accessoriæ, quæ damnantur in ordine ad omnes actiones principales hactenus explicatas. Quicunque igitur quouis modo adhæreat, faueat, & defendat consilio, auxilio, vel fauore illos, qui inuadunt, vel destruunt, aut aliquam ex actionibus prohibitis, quas declarauimus, committere præsumunt in hanc excommunicationem incidunt.

De his actionibus sæpius opus fuit occasione sumpta ex verbis Bullæ pertractare, & illarũ vim & significationem declarare, & præsertim in Disp. 2. cap. 5. de fautoribus, & defensoribus, in Disp. 3. c. 5. De his, qui consilium, auxilium, aut fauorem præbere dicuntur, & in Disp. 8. c. 10. & de eisdem fusius in Disp. 12. cap. 6. & alibi pluries quare ex his locis petẽda sunt, quæ ad intelligentiam harum vocum facere possunt, superest solum, vt de Adhærentibus aliquid dicamus. De Adhærẽtibus meminit Tex. in c. Olim cum Glo. in Ver. Adhærentes de accus. & in c. Vt circa, & Glo. in eod. Ver. Adhærentes de sent. & re Iud. lib. 6. Felin. super Rubr. n. 18. Vers. Quinta declaratio de Treg. & Pa. affirmat adhærentes vocari omnes illos, qui assistunt consilijs alterius vt filij familiares ac domestici, & quicunque sponte sunt eiusdem voluntatis, cuius est principalis. Tandem, qui assistunt intentione opibus, consilijs, & fauoribus dicuntur sequaces, & veri adhærentes, vt tradit ibi Felin. ex senten. Petri Anchar. in Repet. c. 1. de Constitut. Itaque omnes, qui adhærent ijs, qui locã sub dominio Ecclesiæ Romanæ præsumunt inuadere, detinere, aut destruere, adiuuãdo eos cõsilijs, opibus, armis,

armis, victuariis, & alia quacunque re, subministrando milites, equos, concedendo transitum tutum per sua loca, intercedendo pro illis apud Principes ad eundē finem excitando ad inuasionem & occupationem. Denique quomodolibet opem illis ferendo ad plures vel saltem ad vnā ex actionibus principalibus damnatis ipso iure sunt censura excōmunicationis innodati.

Merito hic dubitari potest, an in hanc excommunicationem incidant illi, qui adhærent, fauent, defendunt, seu quomodolibet adiuuant delinquentes circa prædicta contra Romanam Ecclesiam, etiamsi non sequatur inuasio vel occupatio alicuius loci pertinentis ad Sedem Apostolicam, neque aliqua vsurpatio iurisdictionis competentis Romano Pontifici.

Pro parte affirmatiua, nimirū esse locum huic excommunicationi contra consulentes, auxilium prestātes, & fauentes, quamuis actio principalis prohibita, ad cuius finem consilium, auxilium & fauor diriguntur, non sequatur, neque effectum habeat.

Facit primo Dictio illa, *Necnō*, quæ indicat ea, quæ sequuntur, prohiberi ad eundē modum, sicut illa, quæ præmissa fuerunt, sed illa per se & principaliter prohibētur, ergo & posteriora, quare statim ac quis cōsulit, prestat auxiliū, & fauet, erit excōmunicatus, quamuis alter non moueatur ad inuadendum, occupandū &c.

Cōfirmatur ex simili modo locutionis pluries repetito in Bulla Cenæ, multis.n.in locis legimus eandem dictionem *Nec non* positā ad significandas alias actiones per se & principaliter prohibitas eodem modo sicut interdicuntur antecedentes, vt in Canone 15. *Nec non qui Statuta, ordinationes &c.* In Can. 16. *Nec non qui Archiepiscopos, Episcopos &c.* In eodem. *Nec non Consanguineos, affines, &c.* In Can. 18. *Nec non qui per se vel alios directè vel indirectè prædicta facere &c.* vna autem Constitutio per aliā declarari debet, l. vt gradatim, ibi, *Et ita rescripto Diui Marci continetur*, secundū quod edictum declaratur, & regulariter municipalis lex. ff. de Mune. & honor. l. fi. C. qui testam. fac. poss. Paris. cons. 157. initium est, Nobilis num. 39 vol. 4.

Secūdò si Sum. Pōtifex noluisset subijcere excōmunicationi has actiones accessorias & secundarias, nisi sequuta aliqua actione principali, & post illius cōsummationē & perfectionē addidisset aliquod verbū, vt id clarius & manifestius significasset, vt semper alias cōsueuit in hac Bulla, vt in Canone 2. *Nec non eos, quorum auxilio vel fauore appellatum fuerit*, quibus verbis declaratur tunc auxilium præstantes & fauorem esse excōmunicatos, si appellatio interposita fuerit; in Can. 7. *Illisque ad id auxiliū, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant*, Dictio illa, *Ad id*, indicat requiri existenciam actionis principalis ad incurrendā excommunicationē, in Can. 12. similiter, *Aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur.* In Can. 14. *Vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant.* In Can. 16. *Seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.* In Can. 18. *Aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur.* Quam dictionem considerauit etiam Glos. ad eundem finem in simili casu in Clem. Si quis suadente Ver. Defensauerit de pœn. dicens, *Circa Tertium de fautore vel fauente sciendum est, quod simplex fauor, qui nihil adijcit ad peccandum, de quo non videtur hic intelligendum per id, quod dicit, in his &c.* Quare cum hoc in loco nihil additum fuerit, quod denotet consummationem actionis principalis requiri, vt Consulens, auxilians, & fauens incidat in excommunicationem, sequitur mētem Summi Pontificis fuisse simpliciter hosce excommunicare prestito consilio, auxilio, vel fauore quamuis reuera nulla sequatur inuasio seu occupatio, aut destructio Terræ vel loci sub Dominio Romanæ Ecclesiæ, neque eiusdem iurisdictio vsurpetur. Hæc probabiliter hanc partem confirmant, nihilominus censeo asserendum fore huiusmodi adhærētes, fautores, & defensores &c. non innodari censura huius excommunicationis, nisi aliqua actio principalis ex prohibitis re ipsa effectum habuerit, saltem aliquo modo & inchoatiuè, licet non sit perfecta & consummata quoad omnem finem, & intentionem ipsius Delinquentis.

Probatur primo quia certum est has actiones, de quibus modò agimus, scilicet Adhærere, fauere, defendere &c. dānari in ordine ad principales actiones, sed ipsemet delinquens principalis non incurrit excommunicationem, nisi aliquid actu operetur contra hanc Canonem, ergo neque erunt excommunicati Adhęrentes, & alij accessoriè accedentes, accessorium enim regulari debet & moderari iuxta rationem sui principalis, l. Cum principalis, & l. Nihil doli §. Cum principale ff. de reg. Iur. c. Accessorium eod. tit. lib. 6. Glos. in l. vni. in princ. Ver. Imaginem in fi. C. de lati. libert. tollen.

Secundò confirmatur ex illis vocibus, *Eorum seu illis*, quibus referuntur principales delinquentes, scilicet, inuadentes, occupantes Terras Ecclesiæ Romanæ. Vnde quando postea excommunicantur Adhærentes, & defensores eorum, seu dantes illis consilium, aut fauorem, iam supponimus, alios esse inuadentes, & occupantes. Si igitur ex consilio, vel fauore nulla sequitur inuasio, vel occupatio, consulens & fauens non possunt dici adhærentes eorum, neque illis dare consilium aut fauorem, & consequenter non sunt excommunicati, quamuis ob tale consilium & fauorem grauiter peccent, & sint puniendi, erit autem metienda pœna ex culpa, vt secundum quod excessus exegerit, vindicta procedat, vt dicitur in cap. Felicis post med. Vers. Illud autem non duximus de poen. lib. 6.

Dixi, nisi actio principalis habuerit effectum, saltē aliqua ex parte & inchoatiuè quoniam vt Consulens, aut fauens, vel alij accessoriè delinquentes incurrant excommunicationem, satis erit, si ille, qui accipit consilium aut fauorem, vel alio modo adiuuatur ad ea committenda, quę in hoc Canone prohibentur, tentet aliquod agere ex prohibitis, & aggrediatur ipsam actionem, licet non plenè perficiat, neque deducat ad finem, quem optabat, puta si inuadat Ciuitatem, vel locum Ecclesiæ Romanæ animo occupandi, vel detinendi, aut destruendi, quamuis frustretur à spe, & res nō succedat iuxta votum. Tunc enim verè, & propriè dicitur inuasisse, & idcirco incidit in excommunicationem, & consequenter illi quoque erunt excommunicati, qui ad talem inuasionem eum adiuuarunt, similiter, qui quouis modo iurisdictionem Sedis Apostolicæ in dictis Terris & locis perturbet & vexet, etiā si illam sibi non vsurpet nec retineat, eo ipso censura obstrictus remanet, pariterq; excommunicati erunt omnes, qui ad vexationem, & perturbationem inferendam opem & adiumentum tradiderunt.

Animaduertendum est etiam quoad has actiones accessorias non solum Adhærentes & alios prædictos incidere in excommunicationem, si adhæreant, defendant, consilium, fauorem, aut auxilium tradant, antequam alius inuadat loca Ecclesiæ Romanæ, sed etiam si cōcurrant post inuasionem consilio, auxilio & quocunque alio modo, vt dicta loca retineantur, non restituantur Romanæ Ecclesiæ, vel destruantur, aut post

vexationem & perturbationem Iurisdictionis Sedis Apostolicæ in illis locis, vt illa vsurpetur, detineatur, & non dimittatur,

CAPVT II.

Explicantur Verba Canonis de Ciuitatibus, & Locis in eo descriptis,

NOn alienum à nostro instituto fore duxi, & ad intelligentiam huius Canonis non parum conducere posse censui, atque ad validitatem & iustitiam eiusdem excommunicationis ostendendam plurimū valere existimaui, si breuissimè & summatim potius innuendo, quàm explicando declararem, quæ mihi inter studendum occurrerunt, de causis ex quibus Loca hoc Canone compræhensa ad Ecclesiam Romanam peruenerint. Et quidem certum omnino est Romanum Pontificem Vrbis Romæ & aliarum Regionum, Vrbium, & Locorum, quæ superius commemorata sunt, iurisdictionem & dominium comparasse modis, & titulis legitimis, & longo annorum spacio retinuisse, & hactenus Dei beneficio conseruare.

Quomodo autem Ecclesia Romana dominium dictarum Prouinciarum & Ciuitatum sit adepta, breuiter declarabo. Aggrediamur primo loco de illis Prouincijs, quæ in B.Petri Patrimonio esse dicuntur.

Gregorij Magni tempore, qui obijt anno 604. Ecclesia Romana per Siciliam, Lucaniã, & Calabriam, & alias Prouincias patrimonium habebat, quod administrabat quidam, qui Rector Patrimonij S. Petri vocabatur, vt constat ex quibusdam eiusdem Gregorij Epistolis, & huiusmodi patrimonium situm erat in prædiis, fundis, agris, & alijs possessionibus, quæ Romano Pontifici donatæ fuerant, postea cœpit Ecclesia Romana Prouinciarum & Ciuitatum ditionem paulatim obtinere. Sed Longobardis in Italiam irrumpentibus sæpius ab anno Salutis 564. vt constat ex Paulo Diacono de Gestis Lõgobardorum lib. 2. cap. 6. Cathedrã Petri tenente Benedicto primo, vt refert Anastasius in eius vita vsque ad annum 725. totam ferè Italiam Rex Longobardorum occupauerat, vt ex Sigonio colligitur. Ex quo autem tempore Longobardorum Regnum in Italia cœpit Iustinus iunior Græcorum Imperator, Longinum Ducem in Italiam misit ad eam partem, quæ in Romanorum potestate remanserat gubernandam. Is Rauennę tanquã loco magis opportuno suam Sedem collocauit, & exarchi nomen assumpsit, & ex Vrbe Rauenna in omnes Ciuitates Romanorum iurisdictioni subiectas Præfecti mittebantur, qui Duces vocabãtur. Idcirco is, qui Romanã Vrbem administrabat, Dux Romanus dicebatur, & nummus aureus, qui Romæ cudebatur, cępit appellari Ducatus. Sed cum hoc tempore Leo Constantinopolitanus Imperator Philippicum Imperatorem secutus sacras Christi Deiparæ & Martyrũ imagines tota passim Vrbe constitutas deleri & disijci iussisset, & Catholicos earum defensores persequi cœpisset, ea res ingentem in Græcia & in Italia seditionem concitauit, & Gregorius Secũdus sæpe Romanorum Populos retinuit, ne ab Imperatore, quamuis impio deficerent, sed tandem post multas admonitiones, cum Imperator à tanta impietate non desisteret, ipsum Sum. Põt. Gregorius anathemati subiecit & Italiæ populos iurisiurandi, quo se illi obligauerant, religione & vinculo, soluit. Quo decreto accepto Romani à Leone subitò defecerunt, & varijs tumultibus excitatis in ipsos etiam Magistratus Imperatorios manus inijcere

A non dubitarunt. Quare Romani, vt scribit Sigonius lib. 3. de Regno Italiæ anno 727. certa animi sententia impium sæuumque Leonis imperium respuerunt, ac solenni Sacramento se Pontificis vitam, quam è medio tollendam sæpe Leo ille impius & sacrilegus curauerat, & Statum Pontificiũ in perpetuum, defensuros iurarunt. Atq; ita Vrbs Roma, Romanusq; Ducatus, & quidquid post Longobardorum in Italiam aduentum in Romanorum potestate remanserat à Constantinopolitanis Imperatoribus & Gręcis ad Romanũ Pontificem propter nefandam eorum hæresim impietatemque peruenit. Qua in re egregia Populi Romani pietas, religio, & virtus enituit, nihil enim magnificentius, & antiquius habuit, quàm vt Longobardorum B Reges, Græcosq; Imperatores siue dominandi libidine, siue hæreseos prauitate Vrbi & Pontificibus infestos semper pro viribus caueret.

Exarchatus & Pẽtapolis ad Romanam Ecclesiam deuenit postquam sub Longobardorum Regum dominio fuissent ab anno 752. teste Sigonio lib. 3. de Regno Italiæ vsque ad annum 755. Quo tempore Pipinus Rex Francorum rogatus à Stephano Pontifice, vt opem ferret Ecclesiæ Romanæ rebus periclitantibus aduersus Aristulphum Longobardorum Regem qui omnem ferè Italiam occupauerat, & Romã quæ sola remanserat cum suis oppidis obsederat, & armis opprimere minabatur, pollicitus fuit, si Longobardicæ compos victoriæ fuisset, pro venia peccatorum C suorum impetrãda Exarchatum & Pentapolim B. Petro & successoribus eius traditurum in perpetuũ possidenda, & hanc scripturam in publicas tabulas referri iussit, easq; & suo & Caroli ac Carolomanni filiorum præsentium Sacramento muniuit, extat in monumentis Vaticanis Constitutio Ludouici Pij Imperatoris, in qua confirmat donationem factam à Patre Carolo & Auo Pipino Pontifici Maximo.

Quomodo autem, & quando Ecclesia Romana Siciliæ dominium obtinere cœperit, res ita se habuit, vt ex historicis colligitur, Desiderius vltimus Lõgobardorum Rex libidine amplificandi imperij prope hæreditaria stimulatus, Adriano I. Summo Pontifice, Stephani successore in Exarchatum inquit violato fę-D dere, quod antea Pipini Regis Francorum opera, & studio initum erat, & rescissa cõcordia, quæ inter Romanos & Longobardos constituta fuerat, ac primo aduentu nonnullas Ciuitates occupauit, & alias inuadere cogitabat; Quare Adrianus tantis rerum angustijs & difficultatibus pressus Vrbi Romæ, velut in extremũ periculum adductæ cõsulere statuit, & exemplo Stephani Prędecessoris sui Carolum Magnũ Franciæ Regem aduersus Desiderium aduocare decreuit. Quare misit Legatum ad Carolum, qui ipsum oraret, vt Aui sui & Patris exemplo opem afflictis Ecclesię rebus afferret. Carolus Summa animi alacritate respõdet se ipsius Pontificis studio libenter obsecuturum, E & curaturum obnixè, vt Desiderius à vexatione Romanæ ditionis desisteret. Quare decreto bello se non ad Ecclesiam subleuandam tantumodo, sed ad Longobardorum Regnum euertendum accinxit, & exercitu comparato subito alpes superauit & bellum gessit aduersus Longobardos, quo victus captusque fuit Desiderius Longobardorum Rex & Regnum ipsius à Francis occupatum. Tunc Carolus, quod diu multũque optauerat, Romam venit, vt sacra Apostolorum limina, & Romanum Pontificem inuiseret. Vbi ab Adriano benignissimè exceptus, pedes eius osculatus, inde ad cõfessionem B. Petri venit, vbi ad terram prostratus

ſtratus Omnipotenti Deo, ac B. Petro de victoria gratias egit. Poſt quartum verò diem à ſuo in Vrbem ingreſſu, quidquid dono Pater Pipinus Stephano Tertio dederat, id ipſe amplioribus priuilegijs iureiurãdo interpoſito confirmauit, vt ex Anaſtaſio Bibliothecario, Platina, Blondo, & alijs colligi poteſt: Immo addit Sigonius dictæ donationi addidiſſe Inſulam Siciliæ & alias Ciuitates. Neque dubitari poſſe videtur, quin Sicilia Inſula in B. Petri patrimonio fuerit ex donatione facta à Carolo Magno Imperatore Adriano Primo Pontifici Romano. Hoc enim teſtatur Ludouicus Pius Imperator filius ipſius Caroli in Conſtitutione, qua talem donationẽ factam à Patre ſuo expreſſis verbis confirmat, quæ ad verbum deſcripta aſſeruatur apud Vaticanum. Verum eſt autem poſtea imperante Michaele Balbo Conſtantinopoli eandem Siciliam occupatam fuiſſe à Saracenis, quibus ſubiecta fuit annis 230. Deinde illis bello Græcorum adempta Imperatori Cõſtantinopolitano per aliqua tempora ſubiecta fuit, quam iterum Imperator amiſit, vtpote à Saracenis occupatam. Tandem cum partim Græci, partim Saraceni eam tenerent, Normanni eam receperunt. Sicq; poſtquam Sicilia in Normãnorum poteſtatem deuenit Græcis & Saracenis erepta cœpit nomine, & iure feudi Romanę Eccleſię debiti poſſideri. Nam ſiue quòd Carolus Magnus eam Eccleſiæ Romanæ ditioni ſubiecerit, ſiue quòd Normanni Græcis & Saracenis expulſis ſibi vſurpauerint, & Romanæ Eccleſię acceptam retulerint, ita vt ſe eius feudatarios effecerint, in Eccleſiæ Romanæ patrimonium tranſiuit.

De Inſulis Sardiniæ, & Corſicæ teſtatur Sigonius lib. 3. de Regno Italiæ anno 773. Carolum Magnum, cum donationẽ Eccleſiæ Romanæ à Patre Pipino factam confirmaſſet, noua alia donatione eas vnà cum Inſula Siciliæ eidem Eccleſiæ Romanæ atque Pontifici dediſſe, ac ex eo tempore Corſica, & Sardinia in Eccleſiæ Romanæ ditione, & Iure eſſe cœperunt, poſtea Ludouicus Pius Imperator & filius eius & Otho Primus cognomento Magnus confirmauerunt. Et dubitandum non eſt Inſulas Sardiniam & Corſicam in patrimonio B. Petri fuiſſe iam inde à Caroli Magni Imperatoris tempore, à quo fuerunt eidem Eccleſiæ Romanæ datæ, vt patet ex Conſtitutione Ludouici Pij Imperatoris filij ipſius Caroli, cuius paulò ante meminimus. Item Gregorius Septimus lib. 6. Regiſtri ſcribẽs Piſano Epiſcopo de Inſula Corſica ſic ait, *Quæ nimirũ Inſula à iure & dominio S. Romanæ Eccleſiæ per quorundam prauorum hominum inuaſionem ſubtracta, vt prudẽtiæ tuæ Studio excluſis inuaſoribus ſuis antiquus mos ad dominium eiuſdem Romanæ Eccleſiæ reuocetur.* Innocentius Tertius, vt habetur in c. Si diligenti de præſcript. ſic de Sardinia Inſula dicit ſcribens Archiepiſcopo Piſano, *Cum iudicatus Calaritanus ad ius & proprietatem B. Petri pertineat, ſicut tota Sardinia nullo pertinet mediante.* Sed cum Saraceni anno 720. Sardiniam ſuo imperio ſubieciſſent, Ioannes Nonus Pontifex anno 1004. conceſſit, vt qui eas Inſulas recuperarent, ſibi haberent, dummodo Chriſtianos ſæuo Saracenorum Imperio liberaret, quo edicto inuitati Piſani & Genuenſes Corſicam inuaſerũt & Sardiniam, & ex vtraque ſequentibus annis Saracenos eiecerũt & cum Piſani, & Genuenſes grauiſſimè inter ſe bello de Sardiniæ Iure poſſidendo diutiſſimè pugnaſſent, non ſine magno Inſulæ detrimento Bonifacius Octauus, Iacobum Secundum Aragoniæ Regem filium Petri Tertij Aragoniorum Regis Romam vocauit, & cum pontificio diplomate, quod poſtea Clemens Quintus confirmauit Sardiniæ Regem creauit; & ita Sardinia ad Reges Aragoniæ peruenit, & proinde ad Ferdinandũ cognomento Catholicum, ad Carolum Quintum Imperatorem, ad Philippum Secundum, filium eius, & ad Philippum Tertium, qui nunc in Hiſpania regnat. Nec refert, ſi modò Corſicæ, vel Sardiniæ Domini tributum, ſeu cenſum Eccleſiæ Romanæ non ſoluant. Nam Genuẽſibus Lucius Secundus cenſum annuum, quem ratione Corſicæ ſoluebant, remiſit, & fortaſſis Aragoniorum Regibus, Pontifices Romani cenſum remiſerunt, quem cauſa Sardiniæ pendere quotannis debebant, Aut fortaſſis Sardinia tradita eſt Aragoniorum Regibus libera ab omni cenſu, & veriſimile eſt ita Bonifacium Octauum conceſſiſſe Iacobo Aragonenſium Regi.

Ducatus Spoletanus olim Vmbria appellabatur, ſed Longobardi Italiam adorti, quam magna ex parte cœperunt, & in ea quatuor præcipuos Duces conſtituerunt, quorum vnus fuit Spoletanus ſeu Spoletinus. Nunc Ducatum, vt tradunt Platina, Blondus, & Sigonius, Carolus Magnus deuicto vltimo Lõgobardorum Rege Deſiderio Romanæ Eccleſiæ donauit, & ex illa Conſtitutione citata Ludouici Pij, qua donationem à Carolo Romanæ Eccleſię factam confirmauit, inter alia, quæ donantur, recẽſetur Ducatus Spoletanus. Quare ex eo tempore videtur Ducatus Spoletanus ad ius, ditionem, & patrimonium Eccleſiæ Romanæ pertinere cœpiſſe. Quod ſi poſt Carolum Magnum multos fuiſſe legimus Duces Spoletanos, hoc non videtur obſtare, quoniam illi Duces nomine Eccleſiæ, & iure feudi illum poſſiderunt cum onere, vt nomine Eccleſiæ illum tuerentur ab Hoſtibus.

Eodem iure, & titulo Regio illa, quæ antea Ager Picenus dicebatur, & deinde Longobardis Italiam occupantibus appellari cœpit Marchia Anconitana, & dicta eſt etiam Marchia Firmana, ad Eccleſiam Romanam peruenit. Carolus enim Magnus poſt ſuperatos Longobardos Exarchatum, & Pentapolim B. Petro conceſſit, quod Pater eius Pipinus iam antea donauerat. Porrò Pentapolis eadem eſt, quæ Marchia Anchonitana, eamque donationem Ludouicus Pius & Otho Primus Imperatores conſcriptis quoq; tabulis, vt dictum eſt confirmarunt.

Eiuſdem donationis iure & titulo Eccleſia Romana dominium retinet illarum Ciuitatum, quas in Tuſcia poſſidet, videlicet Peruſij, Ciuitatis Caſtelli, Aquæpendentis, & aliarum, quæ ſunt Eccleſiæ Romanæ ditioni ſubiectæ.

De Beneuento ſeu Ducatu Beneuentano quo tempore, & quo Iure in poteſtatem Pontificis deuenerit, non eſt eadem omnium ſententia. Cenſent aliqui id Iuris Eccleſiam Romanam Carolo Magno referre. Nam Carolus Magnus cum donationem Exarchatus & Pentapolis à Pipino Patre Romanæ Eccleſiæ factã ſua auctoritate confirmaſſet Ducatum Spoletanum, & Tuſcum Longobardorum & Beneuentum vna cum alijs oppidis donauit, & id videtur colligi ex tabulis, quibus Ludouicus Pius donationem à Carolo Patre factam confirmauit, & quamuis idem Carolus quendam Aragiſum Beneuenti Ducẽ vocauerit anno 774. creditur id feciſſe, vt nomine Eccleſiæ Romanæ Beneuentum & quidquid erat eius ditionis obtineret, & à Græcis dominatum in Apulia, & Calabria tenentibus, & à Saracenis ex Africa in Italiam irruentibus armis defenderet. Alij exiſtimant hoc Ius Eccleſiam Romanam acquiſiuiſſe ab Henrico Secundo Imperatore. Aiunt enim anno Domini 1053. teſte Sigo-

nio lib. 8. de Regno Italiæ, insignem aliquorum oppidorum inter ipsum Imperatorem Henricum Secundum, vt Italiæ Scriptores volunt, vel Tertium vt Germanici, & inter Leonem Nonum Pontificem permutationem factam. Possidebat Pontifex Romanus in Germania multa Superiorum Regum beneficio, & pietate B. Petro donata, quæ sibi remitti Henricus à Leone petijt, & pro illis Beneuentum & reliqua oppida in illo Ducatu Summo Pontifici concessit. Scribit Platina in vita Leonis Noni, cum Henricus Imperator in honorem B. Gregorij Templum Bambergæ cõdidisset, cuperetq; id in Ecclesiam Cathedralem consecrari, annuente Benedicto Octauo, quotannis census nomine daturam Ecclesiam ipsam Bambergẽsem Romano Pontifici promisit centum auri Marcas Leo Nonus dono Beneuentum ab Henrico accipiẽs Bambergensis Ecclesiæ censum annuum remisit, & ex hoc tempore iuxta hanc sententiam videntur Romani Pontifices Benevento, & Beneuentani Ducatus ius & dominium habuisse. Alij Auctores, vt Anastasius Bibliothecarius, Leo Ostiensis, & Blondus volunt Ducatum Beneuentanum ad Ecclesiam Romanam pertinuisse ex donatione facta à Carolo Magno & confirmata à Ludouico Pio eius filio, & Henricum Secundum non donasse Leoni Nono, sed restituisse Beneuentum, quod Imperatores, qui successerant post Carolum Magnum, occupauerant.

Tandem Ferraria, Bononia, Perusium ad dominiũ Romanæ Ecclesiæ pertinent ex donatione facta à Pipino Rege Francorum, Carolo Magno, & Ludouico Pio. Ferraria enim in Exarchatu numerabatur, vt testantur Blondus, Sabellicus, Platina, & Sigonius. Exarchatum autem & Pentapolim Pipinus Regi Longobardorum ademptum Sancto Petro & eius successoribus possidẽdum anno Domini 755. in perpetuum concessit. Deinde Desiderius Rex Longobardorum cũ Ferrariam occupasset Carolus Magnus Desiderio victo, & à Regno eiecto Ecclesiæ Romanæ restituit, & donationem Patris sui confirmauit, quam Ludouicus Pius comprobauit, & eorundem Imperatorum beneficẽtia & pietate Bononia & Perusium in potestatem ac dominium Romani Pontificis translata fuerunt, vt ijdem citati Auctores testantur. Nec obstat, si peruenerint aliquando Regulis & Tyrannis, aliquando liberæ se ipsas gubernauerint, quia quod attinet ad ius dominij, semper ad Romanæ Ecclesiæ patrimonium pertinuerunt. Et hæc pauca annotasse satis erit de Iure quod Ecclesiæ Romanæ ac Summo Pontifici conuenit in Prouinciis, Ciuitatibus, & in hoc Canone descriptis, vt intelligeremus merito Pontifices Romanos singulis annis omnes illos, qui ausu temerario illa inuadere & occupare præsumpserint, excommunicationi & anathemati subiicere.

CAPVT III.

An hæc excommunicatio, quæ quotannis in die Cœnæ Domini promulgatur aduersus occupantes Ecclesiæ Romanæ Terras, valida sit ad interrumpendam præscriptionem, ut quocunq. temporis spacio quis possideat, nunquam tamen illas præscribere possit, & semper hac censura afficiatur.

Sententia est Felin. in cap. Cum non liceat num. 19. de præscript. existimantis vi huius excommunicationis interrumpi, vel potius impediri omnes præscriptiones contra Ecclesiam Romanam. Hanc sententiam Felini impugnat & reiicit Couar. in Regula possessor §. 12. num. 5.

Pro Felino facit primo quoniam per hanc excommunicationem interrumpitur præscriptio. vt nullum ius tribuere possit possidenti, quantumuis longo temporis spacio rẽ detineat, quia opponitur impedimentum, ne præscriptio currat, c. Ex transmissa de præscr.

Secundò per hanc excommunicationem constituitur possessor in mala fide, & ita impeditur prescriptio, cuius fundamentum est bona fides possidentis, l. Bonæ fidei ff. de verb. signif. cap. Possessor de Regul. Iur. lib. 6. licèt enim Iure Ciuili Laici ex possessione longi temporis, puta triginta vel quadraginta annorum, etiam cum mala fide præscriberent l. fin. Cod. de præscript. longi temporis, tamen lex ciuilis hac in re ad euitandum peccatum, correcta est iure Canonico, cap. Vigilanti, & cap. fin. de præscript. Statutum est enim bonam fidem necessariam esse ad præscribendum in qualibet præscriptione, & in qualibet parte temporis.

Tertiò præscriptio interrumpitur per Synodalem proclamationem vt habetur in cap. Sanctorum, & ibi Glos. & Abb. num. 2. de præscriptionibus; idem Abb. in cap. Illud, cum Glos. Ver. Interruptio eod. tit. Ergo multò magis rationi consentaneum videtur illam impediri debere per hanc excommunicationem, & anathema, quod per ipsummet Romanum Pontificem quotannis publicè solenni ac sacratissimo die feriæ quintæ Maioris Hebdomadæ pluribus, & eximiis ceremoniis adhibitis presente toto Collegio Cardinalium & Prelatis Curię coram vniuerso Populo in fauorem Ecclesię Romanę contra occupantes bona eiusdem Ecclesiæ promulgatur.

Quartò sola simplex & extraiudicialis protestatio facta à Papa, valida est & sufficiens ad impediendam præscriptionem quoad res pertinentes ad Ecclesiam Romanam, vt dicit Glos. in cap. Nihil prodest Verb. Futuris, de præscript. quamuis non sit seruata forma l. 2. Cod. de Anna. except. & §. Potest 16. q. 3. nempe vt querela proponatur contra occupantes coram Iudice cum aliis ibi requisitis, & id ob eam rationem, vt post Innoc. notat Abb. in eod. c. Nihil prodest num. 9. Quia speciale est in Principe, vt vnus Princeps cõtra alium huiusmodi protestationibus interrumpat prescriptionem, cum non sit aliquis, coram quo conueniatur, igitur ob eandem rationem hæc vis impediendæ præscriptionis multo magis tribuenda est sententia publici anathematis & excommunicationis, quæ singulis annis contra detinentes bona Ecclesiæ Romanæ iteratur. Hæc enim sententia ita impedit præscriptionem, sicut eam interrumperet litis contestatio, l. Motæ litis §. Potest C. de Rei vendica. Cum ipse Summus Pontifex sit Iudex omnium maximus, nec habeat Superiorem Iudicem, coram quo agere, & alterum conuenire debeat. Hec afferri possunt pro Felino.

At pro contraria sent. Couar. facit, quòd si hęc excommunicatio vim haberet ad interrumpẽdam præscriptionem, vtiq; id locum haberet tantum in eo detentore bonorum Ecclesiæ Romanæ, qui ex causa talis detentionis huius censuræ vinculo obstrictus remaneret, nempe in malæ fidei possessore, & in eo, qui retinendo & non restituendo peccatum committeret. Vbi enim cessat culpa mortalis, non incurritur excommunicatio. Quare secus esset in bonæ fidei possessore, qui & si rem Ecclesiæ Romanæ possideat, iustè tamen existimat esse propriam, & legitimè

illam

illam possidere; & idcirco cum non peccet, quamdiù persistit in bona fide, minimè quoque prædicta censura afficitur. Igitur conclusio Felini generalis simpliciter prolata falsa videtur, & non admittenda.

In hac quæstione opinio. Couar. mihi magis probatur, quàm ante Couar. tenuit Ruin. Cons. 37. num. 17. Vol. 4. quare illam sequendo sic putarem posse probabiliter ad propositam difficultatem respõderi.

Primò quando quis occupat rem Ecclesiæ Romanæ mala fide scienter, hic nunquam præscribere potest, quia in omni præscriptione necessaria est bona fides, idest vt qui rem capit, iure credat iustè, & legitimè illam accipere ab eo, quem putat esse dominum, vel habere ius distrahendi, vt inquit Glos. in cap. Si diligenti. Ver. Bona fides, de præscript. Ergo mala fides semper impedit præscriptionem dicto cap. Si diligenti, cap. Vigilanti, & c. fin. De præscript. Quamobrem licèt nulla esset monitio Papæ, nec excommunicatio lata contra hos, qui mala fide occuparent, vel retinerent, aut non restituerent Terras Romanæ Ecclesiæ etiam post diuturnam longissimi temporis possessionem, nunquam præscriberent, quoniam origo, & initium possessionis vitio malæ fidei notatum fuit. Immo non solum quoad ipsum occupantem rem Ecclesiæ Romanæ, nec non eum qui violenter accipit non currit præscriptio ratione malæ fidei, quam habet; Sed etiam hoc verum est in successore singulari, vt annotauit Abb. in cap. Nihil, num. 7. de præscript. quia violentia prædecessoris ita afficit rem inuasam, vt, quamuis successor habeat bonam fidem, præscribere nequeat propter vnum illud vitium reale, quod sequitur quemlibet possessorum, vt l. Vitia, C. de acquir. possess. & clarius Instit. de Vsucap. §. Furtiuè cum seq. Sed ille textus loquitur de præscriptione longi temporis decem, vel viginti annorum cum titulo, quæ contra priuatum currit, secus in præscriptione longissimi temporis, vt 30. aut 40. annorum, hæc enim habet locum etiam in rebus inuasis, si successor singularis fuit bonæ fidei successor, & præscriptio ab ipso incipit, vt notat Glos. in dicto cap. Furtiuè; & ad hoc facit l. Sicut, & l. omnes, C. de pręscript. 30. annorum. Successor verò vniuersalis de iure ciuili non præscribit, si defunctus habuit malam fidem etiam sine violentia, vt l. Cum hæres, ff. de diuer. & tempo. præscrip. quia censetur eadem persona cum defuncto, vt in Authen. de iureiur. à morien. præsti. quamuis Diuus in Reg. Possessor, de reg. iur. lib. 6. dicat de æquitate Canonica præscribere posse, si præscriptio initium sumat à persona sua ex notatis in c. De quarta, de præscript. & cap. Cura de iur. Patro. Sed Abb. in dicto cap. Nihil num. 8. de præscript. interpretatur hos textus, vt sint intelligendi de successore, qui non accipit ius suum à defuncto, sed à superiore à quo consequutus est beneficium, hic enim non censetur eadem persona cum defuncto, meritò mala fides prædecessoris non nocet successori. Diuersa ratio est de hærede, cuius ius totum oritur à defuncto, & censetur eadem persona cum defuncto, & cum de hoc casu expressè dispositum fuerit iure ciuili, vt in dicta l. Cum hæres, ff. de diuer. & tempo. præscript. Neque oppositum iure Pontificio sancitum reperiamus; Ius ciuile seruandum erit, vt in cap. 1. de no. oper. nunciat. præsertim cum hæres animam defuncti exonerare teneatur, qui in mala fide fuit, vt in cap. fin. de sepul. in cap. Literis. de rapto. & c. A nobis 2. de sent. excomm.

Secundò dico, si loquamur de possessore bonæ fidei, qui putat iure, & legitimè possidere rem Ecclesię Ro-

A manæ, hic potest illam præscribere, si possessio continua in bona fide sine vllo impedimento spacio centum annorum pertransierit. centenaria enim præscriptio contra Ecclesiam Romanam currit, cap. Ad audientiam de præscript. Auth. Quas actio. cum ibi nota. C. de sac. sau. Eccles. Neque obstabit hæc excommunicatio Bullæ, quæ singulis annis promulgatur, nisi aliud occurrat impedimentum, quod iure pręscriptionem interrumpere possit. Huius dicti illud videtur satis solidum fundamentum, quod euerti non potest, quia excommunicatio non afficit bonæ fidei possessorem, cum non pariat effectum vbi deest culpa lethalis, vt toties est repetitum, ergo non potest interrumpere præscriptionem. Accedat quod ob eandem ra-

B tionem Feliu. si aliquod concluderet, idem quoque affirmandum esset de bonis aliarum Ecclesiarum, puta de fructibus, & redditibus ad ipsas pertinentibus, nã contra vsurpantes illos lata est excommunicatio decima septima in Bulla, quare si excommunicatio vim haberet interrumpendi quamcunque præscriptionem sequeretur possessorem bonæ fidei nullo vnquam tempore posse illos præscribere. Atque ita non esset hoc peculiare quoad bona Ecclesiæ Romanæ.

Præterea si hæc excommunicatio, quæ singulis annis solemniter promulgatur contra occupantes bona Ecclesiæ Romanæ, produceret effectum interrumpendi præscriptionem, aut haberet hanc vim, quatenus est admonitio quædam, Aut quatenus per hanc gene-

C ralem monitionem induceretur mala fides in ipso possessore, sed neutrum dici potest; Primo enim per admonitionem non interrumpitur præscriptio, quia ad eam interrumpendam necessaria est litis contestatio contra possidentem cum titulo, vt notatur in cap. Illud de præscript. & cap. Potest 17. q. 3. Bero. dicto cons. 37. num. 17. vol. 4. vbi verò non esset titulus, sed sola possessio bonæ fidei longissimi temporis, adhuc pręscriptio non interrumperetur, nisi per litis contestationem secundum Abb. in cap. Illud nu. 13. de præscript. ex quo infert, quod præscriptio inchoata contra Ecclesiam, in qua non requiritur titulus, sed bona fides non interrumpitur per solam citationem, sed tantum per litis contestationem. Neque etiam in hoc

D casu posset interrumpi præscriptio, quia superueniret mala fides, in qua quis constitueretur ex monitione Papæ, quasi admonitio Papę etiam extraiudicialis habeat eandem vim, sicut haberet litis contestatio, cum Papa sit supremus Iudex, & non habeat superiorem, sicut notat Abb. in cap. Nihil nu. 9. & Feliu. nu. 13. de pręscript. Id enim procedit in speciali monitione Romani Pontificis, qui particulari quadam admonitione, & requisitione nominatim possessores interpellat, vt res Ecclesię Rom. occupatas restituant, sicut seruatũ fuisse videtur contra illã Patritiã, de qua agitur in illo c. Nihil, sicut ex verbis tex. manifestè apparet. Ex tali enim monitione speciali censentur possessores in mala fide cõstituti. & hoc modo respõdent ad illũ tex.

E Bero. d. cons. 37. nu. 17. & Couar in 2. par. super Reg. Possessor, §. 12. n. 5. Verùm quando monitio est incerta tam ratione personę, quã rei, non potest hunc effectum operari contra eum, qui possidet bona Ecclesię bona fide, quia verisimiliter existimare potest talem monitionem ipsum non comprehendere. Vnde ex ea nõ redditur certus, l. Aut qui aliter §. 1. ff. Quod vi aut clam, & sic affirmandum videtur de monitione illa generali, quę fit singulis annis per excommunicationem huius Canonis à Romano Pontifice, & ex his manent soluta, quę pro sententia Felini initio proposita fuerũt.

Dico

Dico tertiò, ſi detinens rem Eccleſię Romanę probabiliter dubitat, an babeat bonam fidem, vel an defunctus habuerit bonam fidem, cui ipſe ſuccedit tanquam hęres vniuerſalis, vel in alijs caſibus tunc non putarem improbabilem eſſe ſententiã Felini, nimirum per hãc generalem excommunicationem interrumpi præſcriptionem dicti hęredis, vt etiam tranſacto tempore à lege ſtatuto nequaquam præſcripſerit aduerſus Eccleſiam Romanam ſaltem in foro conſcientiæ.

Probatur primo qui dubitat, An rei, quam detinet, ius & dominium pertineat ad Eccleſiam Romanam, non dicitur habere bonã fidem; habet enim conſcientiam dubiam. Fundamentũ autem pręſcriptionis eſt bona fides, ideſt cõſcientia, ſeu credulitas ſana, & quieta, quòd res illa ſit ſua, non aliena, & hoc fundamento ſublato corruit præſcriptio, ſed poſſeſſor dubitans de re, quã poſſidet, verũ ſit ſua, vel Eccleſiæ Romanæ, caret hac probabilitate conſciẽtiæ bonæ; Igitur nõ præſcribit. Neceſſe eſt enim ad præſcribendu, vt certò credat rẽ eſſe ſuam, alias non dicitur poſſeſſor bonę fidei.

Secundò talis poſſeſſor dubitans de re, quã detinet, an pertineat ad Eccleſiam Romanã, ſuppoſita conſtitutione huius Canonis qua excommunicantur omnes occupantes bona Eccleſię Rom. tenetur omnem diligentiam adhibere, quam poteſt ad indagãdam veritatẽ, quod ſi negligat, iam conſtituitur in dolo, & culpa, cum ſe exponat periculo tranſgrediendi Conſtitutionem huius Canonis, & incidendi in excommunicationem, atq; ita non dicitur habere bonam fidem, ſine qua nunquam præſcribere poteſt, ergo in hoc caſu nõ eſt abſurdum, affirmare iuxta opinionẽ Felini. Per hãc excõicationem intertũpi quamcunq. pręſcriptionem quorumcunque loca Eccleſię Romanę occupantium.

Sed objiciet quis contra hanc concluſionẽ Gloſ. in c. fin. ver. Nulla temporis de præſcript. aſſerentem illũ, qui dubitat, vtrũ res, quam poſſidet, ſit ſua, nec ne, ſi habeat iuſtam dubitationis cauſam, vocari poſſeſſorem bonę fidei, & poſſe pręſcribere, licèt habeat conſcientiam dubiam. Quam aſſertionem Gloſ communem eſſe affirmat Abb. in eod. c. fi. n. 40. poſt quã varias opiniones retulit, & eãdem ipſe ſequi videtur, cui etiã adhęret Feli. n. 14. & in eãdẽ alios Doctores citat.

Verùm hęc concluſio cõmunis Gloſ. & Doctorũ nõ videtur probanda, vt animaduertit Dom. Sot. lib. 4. q. 5. ar. 4. poſt med. Verſ. ſupereſt ergo tandem, de iuſt. & in. & nititur fundamento, quod poſuimus, nẽpe quod is, qui probabiliter dubitat, non habet bonam fidem ſine qua non ſubſiſtit pręſcriptio.

Auctoritates verò illæ, quibus oppoſitũ confirmare ſtudent, diſſolui poſſunt, & primò proponitur tex. in c. Si Virgo 34. q vni. quem citat Abb. in d. c fin. nu. 40. de Præſcript. Vbi hæc habentur, *Sicut in iure prædiorum tamdiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſimè dicitur, quamdiù ſe poſſidere ignorat alienum, cum verò ſcierit, nec ab illa poſſeſſione receſſerit, tunc malæ fidei poſſeſſor perhibebitur, tunc iuſtè iniuſtus vocatur*, ex Auguſt. in lib. de Fide, & operibus, cap. 7. quæ verba non ſunt ita interpretanda, ſicut dicit Domin. Sot. vt intelligat B. Auguſtinus poſſe poſſeſſorem in bona fide permanere, quãdiù ignorat, hoc eſt, quouſq; non certò iudicat, aut credit, rem eſſe alienam, ſed quamdiù ignorat, ideſt nullam habet, vel probabilitatem, vel coniecturam, quòd res alterius ſit, ſed certò credit eſſe ſuam. Quare Diuus Auguſt. loquitur de ignorantia puræ negationis, ſcilicet de carentia ſcientiæ, quæ ſtat cum dubio, non de ignorantia prauæ diſpoſitionis, quæ dicit contrarium iudicium, vt inquit Dom. Sot. ex ſententia Adriani, & tollit bonam fidem, quia reddit conſcientiam læſam; Et hic etiam ſenſus aptari poteſt verbis Gloſ. in dicto c. fi. ver. Nulla temporis, de præſcrip. quæ citatur pro contraria ſententia, cum ait, Poſſeſſorem, qui habet iuſtam cauſam dubitandi, præſcribere poſſe, ſi tamen habeat conſcientiam dubiam, non læſam, ergo Gloſ. loquitur de priori ignorantia, non de poſteriori, quæ facit conſcientiam læſam. quod confirmat textus ab eadem Glo. citatus ad comprobandum dictum ſuum. Affert enim §. vlt. diſt. 37. vbi damnatur ignorantia illorum, qui nolunt inquirere ad inueſtigandam veritatem. Hæc autem eſt ignorantia prauę diſpoſitionis, quæ repugnat bonæ fidei. Vnde Apoſtolus 1. ad Corinth. 14. *Qui ignorat, inquit, ignorabitur*, quod eſt intelligendum de eo, *qui noluit intelligere, vt bene ageret*. Pſal. 35. Idq; maximè locum habet in his terminis, in quibus loquimur, nempe de eo, qui dubitat, An ſit res Eccleſiæ Romanæ illa, quam occupat, & ſcit prolatã eſſe excommunicationis ſententiam contra omnes occupantes bona eiuſdem; Neq; tamen curat omni ſtudio perſcrutari, & inquirere veritatem ad euitandam excommunicationem, & ideo nõ eſt in bona fide, quia ſi ſola denunciatio, vt inquit Abb. in dicto c. fin. nu. 39. in fi. de præſcriptionibus, interrumpit bonam fidem, multò magis hunc effectum parere debet excommunicatio Bullæ in eo, qui dubitat, an res poſſeſſa pertineat ad Eccleſiam Romanam.

Secundò affertur pro communi opinione l. Qui ſcit in fi. Verſ Bonæ fidei, ff. de vſur. Verba textus ſunt, *Bonæ fidei emptor quoad percipiendos fructus intelligi debet, quamdiù euictus fundus non fuerit*. Ex quibus colligitur etiam poſt litis conteſtationem poſſeſſorem remanere in bona fide, quouſq; res euicta fuerit, ideſt per ſententiam Iudicis ſublata. Reſpondeo, inde tantum probari poſſe poſſeſſori licere percipere fructus fundi, etiamſi habuerit probabiles coniecturas ad ipſum non pertinere, donec iudicio euictus fuerit, non tamen ibi habetur tempus præſcriptionis currere poſſe ſuppoſita illa dubia conſcientia. immo ex illis verbis oppoſitum inſinuari videtur: nam Glo. ibi ver. Percipiendos, notat talem poſſeſſorem remanere in bona fide quoad percipiendos fructus, non autem re interrumpatur præſcriptio.

Poſtulabit quis, quid agendum in caſu, quo adhibita omni diligentia, adhuc mihi non conſtat, an res, quam poſſideo, ſit Eccleſiæ Romanæ, nec poſſum conſcientiam dubiam deponere, an incidam in excommunicationem, ſi rem non reſtituam.

Dominicus Sot. in illo art. 4. quæſt. 5. lib. 4 de iuſt. & iure, reſpondet generaliter ad hanc obiectionem, quãdo quis rem habet, de qua ſub formidine iudicat eſſe alienam, ſi nemo illam ab eo petat, teneri veritatem facti explorare, quam ſi aſſequi non poteſt, non ideo debere totam dimittere, ſed pro ratione dubij, vel cũ illo diuidere, quem putat eſſe dominum, vel partem erogare in pauperes; quæ reſponſio accomodanda eſt ſuo modo ad propoſitam quæſtionem, de qua diſputamus. Et hæc ſatis erunt ad præſentem difficultatem, ſicque Dei benignitate expeditus manet Canon vigeſimus, & poſtremus Excommunicationum Bullæ Cœnæ. Modò ſupereſt, vt pergamus ad declarationem quarundam clauſularum, quę poſt ipſas excommunicationes in Bulla ſemper apponi conſueuerunt à Summis Pontificibus.

TERTIA ET POSTREMA PARS BVLLÆ. DE CLAVSVLIS POST Excommunicationes in fine Bullæ appositis.



N hac parte cõtinentur quę-dam clausulæ ad confirmationem, & obseruationem Bullæ spectãtes Prima est de tẽpore, quo Bulla post promulgationem obligat fideles in §. Volentes. Secunda de illis, qui ab his excommunicationib. absoluere possũt in §. Cæterum à prædictis. Tertia de pęnis eorum, qui ab excommunicationibus Bullæ tentant absoluere absq; licentia Sedis Apostolicæ in §. Quod si fortè. Quarta de Causis, propter quas absolutio tradita etiam per Sedem Apostolicam quibusdam excommunicatis non prosit in §. Declarantes ac protestantes. Quinta de derogatione priuilegiorũ quibuscunq; personis per Sedem Apostolicam quomodolibet concessorum, quæ nullo modo suffragẽtur, ne quis in excommunicationes Bullæ incidat, neue illæ sortiantur effectus suos in §. Non obstantibus priuilegijs. Sexta de publicatione Bullæ facienda, vt ad publicam omnium notitiam deducatur in §. Vt verò præsentes. Septima de personis, quæ transumptũ Bullæ penes se habere tenentur; Atque de fide adhibenda transumptis etiam impressis Bullæ, si quibusdam conditionibus munita fuerint in §. Cæterum Patriarchæ. Octaua de culpa, & pœna, quam incurrunt illi, qui ausu temerario decreta, & Constitutiones Bullę violare, & infringere præsumunt in §. Nulli ergo omnino. Restat, vt singulas suo ordine declaremus, & quæ occurrunt examinanda in eis, discutiamus. quod sequenti Disputatione vigesima secunda præstabimus.

DISPVTATIO XXII.

De Clausulis, quæ post Excommunicationes adduntur.

CLAVSVLA PRIMA.

VOLENTES PRÆSENTES NOSTROS Processus, ac omnia, & quæcunque his literis contenta, quousque alij huiusmodi Processus à nobis, &c.

CAPVT PRIMVM.

De Tempore, quo obligatio Bullæ durat, postquam est publicè promulgata.

HÆc Clausula non habetur in Bullis Antiquis, sed primum addita fuit à Pio V. idq. factum est pręsertim ad tollendam quæstionem illam, quæ meritò antea à Doctoribus agitabatur, An Excommunicationes Bullæ essent à Iure, vel ab homine, & communiter censebantur ab homine; Vnde sequebatur mortuo Summo Pontifice omnes censuras contentas in Bulla per ipsum edita expirare. hoc enim cõmune est omni excommunicationi, quæ per hominem lata fuerit, sed virtute præsentis clausulæ, hæc Bulla durat perpetuo tempore. Qua in re imitatur naturã, & con-
A ditionem statuti, seu legis; Differt enim statutũ à præcepto, seu sententia generali in perpetuitate, præsertim in ijs, quæ à Summo Pontifice feruntur, nam lata ab Inferioribus alias habet differentias; Quare hoc tempore propter hanc clausulam, quæ solet apponi in ipsa Bulla Cœnæ, excommunicationes, quæ in ea cõtinentur, potius sunt vocandæ à Iure, quàm ab homine, quoniam respiciunt tantum tempus futurum, vt patet percurrendo omnes clausulas, & non indigent trina monitione, sicut excommunicationes ab homine, sed satis est earũ notitiã habere. Et tandẽ quia Bulla Cœnę expressè continetur in iure, nempe in Extrau. 3. de
B pœnit. & remiss. Vbi Paulus II. refert quasdam excommunicationes Sedi Apostolicæ reseruatas, deinde recenset excommunicationes Bullæ Cœnæ, quod fecit etiam Syxtus IV. in Extrau. 5. eod. ti. Sed de hac copiosè pertractaui in Disp. 1. Cap. 4. Verũ nihilominus aliqua considerari põt differentia inter has excõicationes contentas in Bulla etiã hoc modo, vt nunc profertur cum illa clausula, & inter legem, & statutũ. Quòd lex quamuis semel, iterum, & sæpius renouetur de eadem re, cũ varijs, & diuersis conditionibus, & circumstantijs, nunquam tamen prior, & antiquior lex cessat,
C neq; sublata intelligitur, nisi per posteriorem reuocetur, vel aliquid contrariũ priori in ea statutũ fuerit. At verò Bulla Cœnæ statim ac subsequens promulgatur, tollitur ipso facto, quãuis non reuocetur. Hinc sequitur, vt si quid in posteriori omittatur, quod in priori contineretur, simpliciter sublatũ censetur, etiamsi id expressè non declaretur, neq; reuocetur; In hoc ergo differt hęc excõmunicatio Bullę ab illa, quæ propriè dicitur à iure, & ideo singulis annis promulgatur ad modum generalis sententiæ; In reliquis omnibus conuenit cum excõmunicatione iuris virtute dictę Clausulę Quamobrem nihil refert, an vocemus excommu-
D nicationem à iure, vel ab homine, dummodo fateamur vim Bullę promulgatę perdurare semper, donec alia promulgetur, & non extingui per obitũ Põtificis.

Volentes præsentes nostros processus, Optima ratione Summus Pontifex vtitur verbo, *Volentes*, quia inducit ius nouum, nempe vt hæc Bulla Cœnæ, quæ fertur per modum sententiæ, habeat vim legis, & statuti, & in perpetuum duret, etiam ipso Anctore defuncto. hoc enim est ius nouum. Verbum autem, *Volumus*, iuxta communiorem, & veriorem significationem ponitur, vbi aliquid nouum disponitur, neque hoc verbum vsurpatur principaliter ad declarandum, vt animaduertit Glos. in Clem. vni. Ver. Volumus, de off. Vica. &
E in Clem. vni. eod. Ver. Volumus, de re. permut. Abb. in cap. Sedes Apostolicæ, num. 9. in fi. de rescript. & in c. Ex ratione nu. 3. de appell. c. fin. num. 4. Qui filii sint legit. Bart. & Doct. in l. 1. C. de Sum. Trini. & Fi. Catho. Vnde etiam sumitur argumentum ad probãdum excommunicationes Bullæ potius esse vocandas à iure, quàm ab Homine. De nomine processus cur Bulla Cœnæ ita appellatur, declaraui in Disp. 1. Cap. 1.

Ac omnia, & quæcunque his literis contenta. In eodem Cap. 1. tractaui de significatione huius vocis, *Literæ*, secundum sensum, quo accipitur in hoc loco, ac sub

qua

A qua specie literarum contineatur Bulla Coenæ.

Quousque alii huiusmodi processus à nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri. Vult igitur Summus Pontifex, vt hæc Bulla Coenæ obliget omnes ad obseruanda omnia, & quæcumque in ea continentur, donec alia Bulla Coenę ab eodemmet Paulo Quinto, qui præsentem Bullam edidit, quem Deus Ecclesiæ suæ diu incolumem seruet, vel si ipse diem suum extremũ clauderet, ab alio Summo Pontifice promulgetur, Quare si Summus Pontifex Paulus Quintus nollet reuocare Bullam, vel si post eius obitum vacaret Sedes aliquo tempore, vel quibusuis aliis de causis etiam B post plures annos per Romanum Pontificem noua Bulla Coenæ non promulgaretur, semper hæc præsens Bulla censeretur durare, & suam vim habere ad obligandum omnes, & excommunicationes, interdicta, & quæcunque alia in ea contenta sortirentur effectus suos, & afficerent quoscunque delinquentes. Vnde si nunquam alia promulgaretur Bulla Coenæ, semper hæc præsens duraret, sicut lex semel lata nunquam cessat, quousque reuocetur, & hoc significat aduerbium illud temporis, *Quousque*.

Quamobrem virtute huius clausulæ, quæ à Pio V. C Summo Pontifice addita fuit in Bulla Coenæ, & quam Successores omnes Pontifices hucusque in suis Bullis in die Coenæ Domini promulgatis, retinuerunt, sicut apparet in præsenti Bulla à Paulo V. Pontifice Maximo hoc anno edita, excommunicationes, & omnia contenta in hac Bulla afficiunt, & obligant semper, quamdiu alia Bulla Coenę, vel ab ipso Paulo Quinto, vel ab alio Romano Pontifice Successore promulgetur, nisi Summus Pontifex vellet abrogare, & tollere hanc Bullam simpliciter absque publicatione alterius Bullę, quod vtique posset. qui enim condere potest legem, potest etiam illam destruere, vt notat Glo. in c. Cum inferior Ver. Ligare, de Maio. & obed. quo ca- D su cessaret obligatio Bullę, quamuis alia non publicaretur. Cessaret autem quoad tempus futurum, nimirum quia illi, qui ea committerent, quæ in Bulla sub poena censurarum damnantur, non remanerent obstricti post abrogationem Bullæ. Verum si quis ante derogationem Bullę vinculo innodatus existeret, quãtumuis postea tolleretur Bulla, semper tamen excommunicatus remaneret, nisi absolutionem ab excommunicatione impetraret, quoniã excommunicatio semel contracta, nõ aliter, quã per absolutionẽ tolli põt,

A Sed afferunt aliquam difficultatem duo illa verba, quæ sub dictione disiunctiua ponuntur, *Fiant, aut publicentur*. Posset quis opinari alterum ex his duobus sufficere ad derogationem præsentis Bullæ, scilicet vt altera fieret, vel publicaretur, quando enim aliqua alternatiuè præcipiuntur, sufficit alterum adimpleri, c. Inter cæteras, de rescript. In alternatiuis namque regulariter requiritur verificatio alterius partis l. Si hæredi plures, ff. de condi. insti. §. Si plures conditionem Institu. de hæred. Instituen. Card. in Clem. vni. §. Quin etiam in princ. de concess. præben. Itaque iuxta hanc interpretationem sequitur, quòd si Paulus V. Summus B Pontifex aliam Bullam Cœnæ faceret, idest componeret, licèt illam iuxta morem consuetum non publicaret, statim expiraret valor huius Bullæ, & nullam vim haberet. Hoc tamen videtur absurdum, & ab intentione Papæ omnino alienum, quia secundum hanc interpretationem neutra Bulla obligaret, non præsens, quia supponitur sublata, Alia facta, & composita, Nõ altera, quæ facta esset, quia non est promulgata. at de ratione, & essentia legis est promulgatio, & ante promulgationẽ, qua subditis innotescat, non eos obstringit Vnde l. leges, C. de legi. & Constitu. dicitur, *Leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab* C *omnibus debent*. Et in Anth. Vt factæ nouæ Constitur. Tunc valere leges iubetur, cum in cõmune factæ sunt manifestæ. Idem habetur Iure Pontificio c. Ad hæc de postul. Prælat. & c. Cognoscentes, de Constitu.

Respondeo, quòd licèt dictio, *Aut*, *Vel*, & similes alternatiuæ secundum propriam earum significationẽ faciant sensum disiunctiuum aliquando, tamen coniungunt, & habent vim copulæ, & resoluuntur in coniunctiuam, sicut hoc in loco, vt sit sensus, Quousq; alij processus *Fiant, aut publicentur*, idest fiant, & publicentur, vt vtrunque requiratur. Neque enim sufficit, vt Bulla Cœnæ sit facta, & composita, nisi promulgetur, D & si promulgatur supponitur iam facta. Quòd autem disiunctiua interdum habeat vim copulatiuæ, præsertim vbi profertur à lege, tradit Alberi. in suo Dictionario super dictione, *Vel*, l. Quintus, ff. de auro, & arg. lega, & Felin. in c. Inter cæteras nu. 30. de rescript. Vbi asserit, si conceditur priuilegium Francisco, vel Hæredibus suis, dictionem illam, *Vel*, resoluẽdam esse in *Et*, Bald. in l. 2. C. de obsequi patro. præstan. Archid. in c. Pastoralis 7. q. 1. sicut è contra copulatiua interdum vsurpatur pro disiunctiua, vt idem Alberi. ibi notat.

CLAVSVLA SECVNDA.

CÆTERVM A PRÆDICTIS SENTENTIIS NVLLVS PER alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, &c.

CAPVT II.

De Reseruatione Censurarum Bullæ Cœnæ, & de earum absolutione, ac etiã de reuocatione priuilegiorũ, & facultatum circa potestatem absoluendi ab his excõicationibus.

PER hanc Clausulam primò omnes censuræ in Bulla contentæ, de quibus pertractauimus, re- E seruantur Sedi Apostolicæ, & Romano Pontifici, & quæcunque absolutio tradita ab alio Inferiori declaratur nullius roboris, præterquam in mortis articulo, in quo etiam casu absolutio ab Inferiore impetrata non erit valida, si constitutus in tali articulo censura innodatus, de stando Ecclesiæ mandatis, & de satisfaciendo cautionem non præstiterit.

Secun-

A Secundò reuocantur quæcunque priuilegia, facultates, & indulta concessa, & concedenda per Sedem Apostolicam, & cuiusuis Concilii decreta absoluendi à prædictis Censuris quibusuis personis Ecclesiasticis, aut secularibus quacunque dignitate fulgentibus, vel quibusuis Ordinibus, Monasterijs, Collegijs, Congregationibus, & alijs locis Pijs. Singula modò suo ordine discutiamus.

Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem. Hæc Clausula omni tempore apposita fuit in Bulla Cœnæ, & habetur etiam in Bulla Martini V. apud B. Antoni. 3. par. tit. 24. cap. 72. cuius virtute excommunicationes Bullæ reseruantur soli Pontifici Romano, vt nullus alius ab illis absoluere valeat; B si enim Summus Pontifex eas sibi nô reseruasset expresśè facultas absoluendi competeret omnibus illis, qui ab excommunicatione iuris absoluere possunt, de quibus pertractaui in lib. 4. Disp. 3. Idque euidenter probatur ex cap. Nuper, Ver. In secundo verò casu de sent. excommun. Vbi Innocentius Tertius loquens de absolutione ab excommunicatione iuris, sic inquit: *Quia tamen Conditor Canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Sed postquam Summus Pontifex, vt fideles cautiores redderentur, ne ea committerent, quorum causa talibus laqueis innodarentur, à quibus dissolui difficilius possent, in specie sibi has excommunicationes reseruauit, ipse solus potest absoluere. C Quod verum est non solum si asseramus Excommunicationes Bullæ esse excommunicationes Iuris, sed etiam si admittamus vocari excommunicationes ab Homine, quoniam ab excommunicatione hominis potest absoluere, qui eam tulit, & eius successor, vt probaui in lib. 4. disp. 2. cap. 2.

Sed oriuntur nonnullæ dubitationes; Prima est, an omnes casus Bullæ Cœnæ sint reseruati Summo Pontifici, ita vt nunquam ab illis alius absoluere possit, quàm Pontifex Romanus, & occasionem dubitandi afferunt verba Concilij Tridentini sess. 24. cap. 6. De reform. Quo in loco concessum est Episcopis, vt possint; *In quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reseruatis delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium,* D *ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari.* Immo addit, *Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.* Appellatione autem casuum occultorum intelliguntur, qui non sunt notorij per euidentiam facti, vel per sententiam Iudicis, vel per propriam delinquentis confessionem in iudicio, & qui itē testibus probari nequeunt ita vt occultum eo loco sumatur vt à notorio, & publico distinctum, vt dicit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 255. & pluribus comprobat. Quare si Episcopus iuxta decretum Concilij Tridentini potest absoluere ab omnibus casibus occultis, E etiam reseruatis Sedi Apostolicæ, suos subditos, ergo alius, quàm Romanus Pontifex habet facultatem absoluendi ab Excommunicationibus Bullæ Cœnæ Domini.

Decisio huius difficultatis pendet ex dissolutione alterius quæstionis, Nimirum vtrum facultas illa cōcessa à Concilio Tridentino Episcopis absoluendi sibi subditum sit abrogata per hanc clausulam Bullæ, qua interdictum est specialiter omnibus, ne à casibus, & Censuris in Bulla contentis alius, quàm Romanus Pontifex absoluere valeat, non obstante quocunque priuilegio &c.

A In hac controuersia duę sunt opiniones Doctorum, vna negat esse derogatum facultati in Concilio Tridentino concessæ. Id probat primo, quoniam in hac clausula Bullę solum ponitur derogatio generalis hoc modo, scilicet, *Etiam prætextu quorumuis facultatum &c. per Nos, & dictam Sedem, ac cuiusuis Concilii decreta &c.* Nulla tamen fit expressa mentio Concilij Tridentini, sed super clausulam generalem non intelligitur derogatum facultati, & priuilegio alicuius Concilij generalis, nisi ipsius specialis facta sit mētio, quia non existimandum est Summum Pontificem tollere voluisse constitutionem Concilij Generalis dicendo solum simpliciter, *Ac cuiusuis Concilii decreta,* præsertim si tractetur de Concilio Tridētino, quod celeberrimum est, B & maximam habet auctoritatem in Republica Christiana, & proximè est celebratum. Quòd autem requiratur expressa derogatio ad Constitutionem Concilij Generalis abrogandam, patet ex tex. in cap. Ex parte, de Capell. Monach. vbi Glo. Ver. Nulla mentio, notat ex illo textu literas impetratas contra aliquod Concilium non valere, nisi eiusdem Concilij mentio facta fuerit. Idem habetur in cap. Nonnulli, & ibi Glo. Ver. Fecerint mentionem, & Felin. latè nu. 7. De rescrip. Archid. in c. 1. super Ver. Noscatur in fine, ibi, *Vel dic plenius,* De rescript. lib. 6 Bald. l. Humanum a. not. C. de legi. Seln. de benef. par 3. q. 11. nu. 31. Dec. super Rubr. in a. lect. num. 7. De Constitut. Quidquid sentiat Caietanus in Summa Ver Excomm. cap. 69. C quem videtur sequi Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 46. Quamobrem cum in Bulla Papa deroget decretis cuiusuis Concilii sine vlla expressione Concilij, non est credendum intelligere voluisse de facultate, & priuilegio absoluendi à casibus reseruatis concesso Episcopis per Concilium Tridentinum, neque de priuilegiis cuiusuis Concilii Generalis, sed potius de priuilegiis Conciliorum Prouincialium, vel alio modo interpretari potest, sicut alii explicant, vt statim dicam.

Secundò lex specialis non creditur per generalem sublata, siue præcedat, siue sequatur, Glos. communi sensu recepta in Auth. offeratur C 'de litis contestatione, & docet Dec. in regul. 1. ff. de reg. iur. D Ergo generalis derogatio Bullæ non tollit speciale priuilegium Concilii Tridentini Episcopis concessum.

Tertiò Episcopi vtuntur hac potestate etiam hoc tempore in multis Prouinciis, præsertim extra Italiā, & nituntur auctoritate Concilii Tridentini, & putant id esse conuenientissimum; Nam permittitur Confessariis per Bullam Cruciatæ deputatis, vt valeant absoluere ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ etiam ab hæresi; Ergo multò maiori ratione videtur affirmādum Summos Pontifices noluisse hac potestate priuare Episcopos erga suos subditos, aliàs sequeretur absurdum, nimirum vt hæc potestas esset concessa omnibus Confessariis per Bullam Cruciatæ electis in Regnis E Hispaniæ, qui sunt innumeri, subditis Episcoporum, & ipsimet Episcopi Superiores illa carerent, quod certè molestè ferrent omnes Episcopi.

Quartò Episcopus iure communi, seu diuino, nisi expresśè limitetur, habet eandem potestatem in sua Diœcesi erga suos subditos, quam habet Papa in vniuersa Ecclesia Catholica subordinatam tamen ad Summum Pontificem Christi Vicarium, à quo illa coarctari, & augeri potest, sicut gubernationi Ouium expedire arbitratur. Quare quando Concilium concedit Episcopis, vt ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis valeant absoluere,

restituit

restituit Episcopis sublatam olim iurisdictionem, quam habent iure communi. Quare cum hæc lex Concilij sit correctoria, quia reducit restrictionem ad terminos Iuris antiqui, videtur extendenda, non restringenda iuxta communem doctrinam, quam sequitur Glo.in cap.Statutum Ver.Numerandum, de præben. lib. 6. Vbi asserit licitam esse extensionem in correctorijs, quando per eam redimus ad ius commune, Andr. Tiraq in lib.de primogen. q. 24.nu.6.qui plures alios citat ad idem, Couar.lib.3.Variar.resol.cap. 6.num.4. Nam fauorabilis est dispositio, per quam ad ius commune reducitur.

Quintò si per hanc clausulam Bullæ Cœnæ derogaretur potestati concessæ Episcopis à Concilio Tridentino absoluendi à casibus occultis reseruatis Sedi Apostolicæ, per eandem intelligeretur sublata eadem potestas ab Inquisitoribus Sancti Officij contra hæreticam prauitatem deputatis. Id patet, quoniam Bulla vniuersaliter loquitur, & simpliciter prohibet, ne à casibus Bullæ alius, quàm Romanus Pontifex absoluere possit. Neque in ea magis excipiuntur Inquisitores, quàm Episcopi. Nihilominus Inquisitores non obstante Bulla passim absoluunt à crimine hæresis, & ab excommunicatione propter hæresim inflicta, quare & Episcopi quoque id sibi licere putant. Constat enim hanc potestatem absoluendi non fuisse traditam ab habente maiorem auctoritatem Inquisitoribus, quàm Episcopis, cum Inquisitores illam acceperint à Papa, Episcopi verò à Papa, & toto Concilio.

Postremò in Constitutione Bullæ Cœnæ Domini solum videtur abrogata facultas concessa hominibus priuatis etiam per decretum Concilij Generalis absoluendi à casibus contentis in Bulla Cœnæ extra mortis articulum. Hinc tamen consequens non est, vt facultas in Concilio generali, & præsertim Tridentino Episcopis concessa auferatur; Hæc enim facultas non conceditur priuatis hominibus pœnitentibus, vt absolui queant, sed Episcopis, vt possint absoluere, vel vt alij dicunt, & tangit Nauarr. in Manua. cap vigesimo septimo, numero 260. Bulla reuocat indulta, & priuilegia concessa absoluendi à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, si publici sint, & manifesti. Concilium verò Tridentinum permittit Episcopis, vt possint absoluere à casibus occultis. Quare Clausula Bullæ non repugnat Concilio, licèt Nauar. oppositum videatur affirmare in eodem cap. vigesimo septimo, num. 275.

In hac sententia sunt plures auctores ex recentioribus; in primis tuetur eam Domin. Bannes in Comment.in 2.2.Diui Tho.quæst.11. art.4. Vers. Et si quis objiciat, licèt loquatur de crimine hæresis, & inquit per Bullam Cœnæ non reuocari à Pio Quinto facultatem concessam Episcopis in Concilio Triuentino, vt possint absoluere in foro conscientiæ, sed reuocari priuilegium concessum ipsis personis petentibus absolutionem, vt colligitur ex verbis Bullæ, cum inquit, *Cæterum à prædictis sententus nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem &c. absolui possit etiam prætextu quarumuis facultatum quibuscumque personis Ecclesiasticis &c.* Verum quando quis absoluitur ab Episcopo, non absoluitur ex priuilegio sibi concesso. sed auctoritate, qua fungitur Episcopus, vt possit absoluere ab omnibus casibus iure diuino, non ex priuilegio Romani Pontificis suos subditos auctoritate sui officij, quotiescunque hanc Episcopi auctoritatem non coarctauerit, & limitauerit Romanus Pontifex, vt Summus Prælatus Ecclesiæ, & Caput, & Pastor

A uersalis omnium fidelium. Ita tenet Bannes, eiusdem opinionis est Henriquea in Summa lib.3.de Pœnit.Sacram.cap.14.num.7.& in Comment.lit.M.in eandem Summam addit Gregorium XIII. Summum Pontificē rogatum super hac difficultate respondisse in sua Bulla Cœnæ, non derogasse decreto Concilij Trid. sicut enim Bulla Cœnæ non derogat facultati, quam Inquisitores habent iure communi cap. Vt officium, de hæret. lib.6. Ita nec facultati, quam Episcopus habet eodem iure; ita etiam sentit Cordu.lib.t. quæst 1t. art. t.in fi. Ioseph Angles in suis floribus in quæst.de Confess. artic. 5. Difficult. 6. Refert tamen se audiuisse, dum Romæ commoraretur pro imprimendis libris suis à Gregorio Decimotertio viuæ vocis oraculo declaratum fuisse per Bullam Cœnæ tolli ab Episco-

B pis facultatem absoluendi ab excommunicatione propter hæresis crimen etiam in foro conscientiæ, quantumuis sit occultum, non tamen illam auferri ab Inquisitoribus, & eorum Vicarijs. Quare hic auctor oppositum testatur de Gregorio Decimotercio ab eo, quod recenset Henriquea; idē tenet Sebast. Medices in Summa Peccatorum Capital. tit.9. quæst. 32. Auctor Candelabri in quæst.de absolutione n.13.& in explicat. Bullæ Cœnæ n.141. Nauar. in hac quæstione videtur dubius, nam in Manua.cap.27. nu.260. Vers. Septimò dico, primum ait Absolutiones ab excommunicationibus Bullæ Cœnæ reseruari Sedi Apostolicę non obstantibus quibuscunque Concilijs; Quibus

C verbis dicit videri derogatum Concilio Tridentino capit.6. sess.24. de reform. subiungens audiuisse Summum Pontificem non permittere, vt Episcopi absoluant hęreticos occultos, & eadem ratione putat sublatam Episcopis potestatem absoluendi ab omni excommunicatione, & casibus reseruatis in eadem Bulla; deinde immediatè inquit, Nisi dicamus Bullam limitare Concilium, ne procedat in occultis, & habentibus complices, & ita inuicem non aduersari. Quare non certò asserit per Bullam reuocari decretum Concilij, sed numero 275. clarius affirmat, Nullum pręter Papam, sine eius commissione speciali posse absoluere ab Hæresi, & censura ei annexa etiam occultissima, quamuis aliqui contendant non esse per Bullam Coe-

D næ hac in parte derogatum Concilio Tridentino, & reddit rationem sui dicti; Quoniam Pius Quintus, & Gregorius Decimus Tertius id expressè declararunt, immo hanc facultatem denegarunt Summo Pœnitentiario nisi cum certis quibusdam conditionibus. Idem Nauar. in Cons. 1t. num. 1. De Priuileg. notat fuisse ei significatum Congregationem Illustrissimorum Cardinalium declarasse (de qua Congregatione loquatur, non exprimit) facultatem Episcopis factam in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. Per Bullam Cœnæ esse sublatam. Deinde proponit multas rationes pro parte negatiua ad probandum non fuisse Concilio derogatum. Quare Nauarrus in hac quæ-

E stione videtur anceps, & dubius, licèt magis propendat in partem affirmatiuam; Nimirum facultatem illam concessam in Concilio Tridentino fuisse sublatam per Bullam Cœnæ virtute huius Clausulæ, de qua modò tractamus, sicut edita fuit à Pio Quinto, quæ à Gregorio Decimotertio, & à cæteris Pontificibus successoribus eodem modo retenta est; Hoc enim tempore solet adjici; Non obstante priuilegio *cuiusuis Concilij*; Nam ante Pium Quintum tantum reuocabantur priuilegia à Romanis Pontificibus concessa nulla facta mentione dç Concilijs, & propter eandem rationem idem tenet Simancas de Cathol. Institut. tit.3. num.6.

Eiusdem

Eiusdem sententiæ est Maiol. lib. 5. De Irregular. cap. 46. Ver. Caueant in huiusmodi re, & Franciscus Pegna ad Direct. Inquisit. par. 3. quæstione 92. Cardin. Tolet. lib. 1. Instr. Sacer. cap. 30. Vers. Secundò reuocat.

Ex his duabus sententijs hæc secunda mihi magis probatur, quæ videtur communior, tutior, & verior, cui adhæret Azor. par. pri. Institut. Moral. lib. 8. cap. 10. quæst. 10. & rationes ad hanc comprobandam videntur firmiores, & solidiores. Prima, quæ est fundamentum huius opinionis est, quia in Bulla ponitur illa clausula derogatoria, Non obstante Indulto cuiusuis Concilij, quæ profectò non alia de causa fuit addita à Summis Pontificibus, nisi ad derogandum illi decreto Concilij Trident. Secunda ratio est, quia Pius Quintus, & Gregorius XIII. vt communiter omnes asserunt de hac re consulti, ita declararunt, & sic tollitur argumentum propositum pro contraria sententia, Nimirum non intelligi derogatum, Concilio Generali, Nisi de eo facta fuerit specialis mentio, satis enim fit specialis mentio, si ipsimet Summi Pontifices viuæ vocis oraculo ita declararunt, vt testatur Nauar. de Piu Quinto, & Gregorio Decimotertio, & similiter Ioseph Angles loco paulò ante citato, & addit Azor audiuisse à viro religioso, & fide digno idem respondisse Clementem Octauum. Tertia ratio desumitur ex declaratione Congregationis Cardinalium super illo cap. sexto Concilij Tridentini. Quarta ratio colligitur ex stilo, & vsu Curiæ Romanæ, vt docet Nauarrus, communiter enim ille absolutus non habetur, qui absolutionem in his casibus ab Episcopo obtinuit.

Quod verò pro contraria sententia dicebatur, Non videri derogatum. Concilij Tridentini decreto per hanc clausulam Bullæ, quia non tollitur Constitutio Concilij Generalis, nisi in derogatione eius specialis fiat mentio, Respondeo satis esse, si facta fuerit mentio Concilij, vt intelligatur derogatum eius Constitutioni, etiamsi sit Concilium Generale, vt probat Card. Iacobat. in lib. 5. art. 18. Vers. Nunc ergo ad conclusionem de Concil. Couar. lib. 4. cap. 16. num. 6. Variar. Resol. præsertim cum in Bulla apponatur dictio illa vniuersalis, *Cuiusuis Concilii*, Verbum enim quodcunque denotat omnem generalitatem, tex. in cap. Solitæ De Maio. & obed. & ibi Abb. vlt. notan. Curtius iunior Cons. 48. Præsupponitur in facto, volu. primo. Et licèt aliquando in Constitutionibus, in quibus Concilio Tridentinu derogatur, nominatim exprimatur; Non proprerea infertur necessariò id semper seruandum esse, vt sine tali expressione non intelligatur exclusum.

Secundo locu in hac quæstione puto dicendum esse prædictam sententiam, quam (vt dixi) censeo probabiliorem maximè locum habere, si loquamur de absolutione ab excommunicatione ob crimen hæresis, nempe facultatem concessam Episcopis absoluendi per se ipsos in foro conscientiæ duntaxat Hæreticos occultos, fuisse abrogatam per Bullam Cœnæ, quanuis admitteremus competere Episcopis virtute eiusdem decreti Concilij, potestatem absoluendi ab alijs casibus Bullæ.

Id probatur primo, quoniam Nauar. Maiol. Azor, & alij citati, qui referunt Pium Quintum, & Gregorium Decimumtertium, ac etiam Clementem Octauum declarasse decretum Concilij Tridentini modo explicato, loquuntur de crimine hæresis, & de excommunicatione contracta causa hæresis, non de alijs casibus Bullæ Cœnæ.

A Secundò peculiaris quædam ratio considerari potest in hæresi non solùm quoad grauitatem sceleris, sed etiam quoad reseruationem, propter quam magis videatur denegata facultas absoluendi Episcopis ab excommunicatione propter hæresim, quam ob alia delicta in Bulla Cœnæ damnata; Ideo minus probabilius est asserere hoc tempore Episcopos posse absoluere ab excommunicatione hæresis, quàm si admittatur talis faculcas quoad alios casus Bullæ, licet neutrum sit probabile iuxta sententiam magis communem, vt dixi.

Tertiò dico probabiliter Episcopum vti posse hac
B potestate sibi concessa ex decreto Concilij Tridentini absoluendi suos subditos à casibus in Bulla contentis in foro conscientiæ in partibus remotioribus, quando difficilis est accessus ad Summum Pontificem.

Et moueor ad id asserendum primò quoniam vt probaui in lib. 1. Disput. 6. cap. 8. Regula est generalis ab omnibus Doctoribus comprobata in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, quoties non patet aditus ad Romanum Pontificem nisi cum magno incommodo, difficultate, & temporis mora atque diuturnitate, Pœnitentem ab Inferiore absolui posse, & habet locum hæc regula etiam in casibus Bullæ Cœnæ, vt ibi dixi contra Syluestrum.

C Secundò Sacra Congregatio Cardinalium negocijs Episcoporum. & Regularium præposita de speciali mandato Clementis Octaui die 9. Ianuarij 1601. promulgauit decretum, quo prohibuit omnibus Sacerdotibus per vniuersam Italiam degentibus, nequis eorum sub prætextu quorumuis priuilegiorum à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis in Bulla Cœnæ Domini ex quacunque causa etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articolo absolutionis beneficium impendere præsumeret; Ex quo decreto apparet fuisse coarctatam per Summum Pontificem Clementem hanc potestatem absoluendi tantùm quoad eos, qui degerent in Italia, ergo tacitè videtur permissa illis, qui magis distarent, & in longioribus Pro-
D uincijs commorarentur, scilicet stante necessitate, & impedimento.

Sed quæret aliquis supposita contraria sententia, nimirum prædictam facultatem traditam Episcopis à Concilio Tridentino vim suam, & locum habere, & non esse derogatam, vtrum Episcopi possent semel, atque iterum, atque etiam sæpius alicui Sacerdoti facultatem sibi à Concilio Tridentino traditam committere iustis de causis, vt hæreticum absolueret, vel quòd hæreticus ad Episcopum commodè accedere non valeret, vel quòd Episcopus hæretici hominis cõfessionem negocijs impeditus audire non posset; Idest quæritur, an verba Concilij in illo cap. 6. sess. 24. *Eis tantùm, non eorum Vicarijs sit permissum*, intelligantur
E solùm de Ordinario Episcopi Vicario, an verò intelligi debeant de quocunque alio, cui Episcopus in casu aliquo particulari committeret vices suas.

Pro parte negatiua facit primò, quia videtur à Cõcilio commissa Episcopo huiusmodi potestas propter suam industriam, & habita ratione ad personam, & quod hoc modo committitur, non potest alteri delegari cap. pen. §. Cæterum De off. Deleg. & cap. Is cui eod. tit. lib. 6. Secundò id expressè definitum videtur in dicto cap. fin. §. Cæterum, & ibi Glos. Ver. Commissum; Vbi dicitur Non posse eum, qui potestatem habet vi priuilegij sibi commissam absoluendi aliquos, alteri delegare.

Respondet Nauar. cons. 11. nu. 3. de priuil. verba illa Concilij *Non eorum Vicarius* intelligi debere de Vicarijs generalibus, vt hunc sensum habeant, quòd sicut Vicarius Generalis Episcopi, ratione Vicariatus non habet potestatem conferendi beneficia cap. fin. de off. Vic. lib. 6. ita non habet potestatem vtendi hac facultate absoluendi. Verum Concilium nolle prohibere, quin Episcopus valeat hanc facultatem absoluendi specialiter alteri demandare. Probatur quoniam ille, qui potestatem habet ordinariam absoluendi iure sui officij, potest illam per alteram exercere, vt colligitur ex c. vlt. & ibi Glos. de off. ordi. vbi textus loquitur in specie de potestate absoluendi à censura ob violẽtam manuum iniectionem in Clericum, at Episcopo conuenit ex officio & priuilegio suæ dignitatis absoluere ab hæresi virtute decreti Concilij Tridentini iuxta sententiam illorum, qui defendunt huic decreto Concilij nõ esse derogatum per Bullam Cœnæ, igitur poterit illam specialiter alteri committere. Hanc Nauarri sentẽtiam sequitur Azor lib. 8. cap. 8. quæst. 11. Instit. Moral. 1. par.

Hæc sententia Nauar. duobus modis intelligi potest, vno modo, vt Episcopus optimè instructus de hæresi talis hæretici, & de censura, qua est innodatus, declaret pœnitentiam iniungendam & onus imponendum cum modo seruando in absolutione impendenda, & deleget alteri tantum nudam & simplicem potestatem absoluendi iuxta formam sibi præscriptam sublato omni arbitrio immutandi aliquid. Altero modo intelligi potest de delegatione potestatis absoluẽdi relicta Delegato facultate arbitrio suo iniungendi pœnitentiam & onus vna cum annexis, & vtroq; modo videtur potestas absoluendi posse per Episcopum alteri in specie delegari, & certè de primo modo non videtur dubitandum. Nam quando Episcopus mandat alteri, vt hæreticum iussu & mandato ipsius absoluat, non constituit illum, vt tanquam Delegatus generalis habeat facultatem absoluendi hæreticos, sed committit solum, vt nomine ipsius in casu occurrenti hæreticus absoluat, tunc enim Episcopus non absoluit per illum tanquam per Vicarium aut Iudicem Delegatum, sed tanquam per ministrum nomine & iussu Domini aliquid facientem. Secundo modo potest etiam Episcopus committere potestatem hanc absoluendi, nec obstat cap. fin. §. Cæterum de off. Deleg. Vbi prohibetur, ne is, cui committitur, vt possit absoluere, valeat id alijs demandare, nam tex. ille loquitur de illo, qui ex delegatione & commissione habet potestatem absoluendi, non de eo, qui habet illam ex officio & priuilegio suæ dignitatis, sicut habet Episcopus.

Ex his sequitur primo vt qui legitimè impediti ad Episcopum accedere non valerent, Confessarios, vel alios adire possent, qui accepta facultate ab Episcopo illos absoluerent, si reuera Episcopis prędicta facultas concessa à Concilio Tridentino abrogata non esset iuxta sententiam illorum ita sentientium.

Sequitur secundo plurimum differre, an Episcopus velit absoluere ex officio suo & priuilegio cõcesso suæ dignitati à Concilio Tridentino, an ex noua commissione Papæ, itaut deputetur tãquam Delegatus. Priori enim casu poterit committere absolutionem vtroque modo explicato, posteriori autem casu poterit delegare tantummodo nudum ministerium absoluẽdi sine vllo arbitrio. Nec plura de hac dubitatione modo, nonnulla alia addã paulo post in hoc eod. cap.

Secunda dubitatio principalis est Delegatis Summi Pontificis, an per hanc clausulam Bullæ. *A prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem &c.* intelligantur Legati exclusi, vt eis minimè liceat à casibus Bullæ Cœnæ aliquem absoluere, & quæstio non est de omnibus Legatis Sedis Apostolicæ cuiuscunque generis, sed solum Delegatis è latere Papæ. Certum est enim, & nemo de hoc controuertit, alios Legatos non posse absoluere à casibus peculiariter reseruatis Sedi Apostolicæ ex cap. Nuper de sent. excom. quia Inferior non potest absoluere à censura lata per Superiorem quando superior illam expressè sibi reseruauit, sed specialis quædam controuersia est de Cardinalibus Legatis è latere ob eam rationem, quoniam appellatione Sedis Apostolicæ intelligitur quoque Legatos è latere Papæ, vt inquit Glos. in c. Si Abbatem Ver. Transeundi de elect. lib. 6. & ibi Franc. n. 4. ex senten. Io. And. Igitur quãuis excommunicationes Bullæ Cœnæ sint reseruatæ Sedi Apostolicæ, tamen cum sub nomine Sedis Apostolicæ comprehendantur Legati è latere, erit consequenter illis concessa facultas absoluendi ab huiusmodi excommunicationibus.

Multa dixi in Disp. 12. cap. 7. de potestate Legati è latere quoad absolutionem excommunicationis reseruatæ Sedi Apostolicæ in c. Si qui suadente 17. q. 4. & in cap. Felicis de pœn. lib. 6. quæ faciunt ad dilucidationem propositæ difficultatis. Modo quantum spectat ad hanc quæstionem, vtrum Legatus è latere habeat potestatem absoluẽdi à casibus Bullæ Cœnę, respondeo Legatos carere hac iurisdictione; ita tenet Petr. Rebuff. super Bulla Cœnæ in explicat. huius clausulæ Ver. & à quibus, & id euidenter probatur ex verbis huius clausulæ *A prædictis sententiis nullus per aliũ, quàm per Romanum Pontificem*, ergo absolutio reseruatur soli Romano Pontifici omnibus alijs exclusis, & ita cessat ratio adducta ad confirmandam obiectionem, quoniam excommunicationes Bullæ Cœnæ non reseruantur Sedi Apostolicæ, sub qua appellatione intelligi etiam possunt Legati è latere, sed Romano Pontifici. Nomine autem Romani Pontificis nunquam accipitur Legatus è latere, præsertim addito signo illo vniuersali negatiuo *Nullus* tex. in Clem. Graui de sent. excom. vbi Card. in vlt. quæst. Glos. in cap. 1. Ver. Tantummodo de Cleri. Aegrot. lib. 6. Felin. in c. Ad eminentiam n. 4. de sent. excom. Vel dici potest appellatione Sedis Apostolicæ posse comprehẽdi Legatum è latere, si non agatur de re ardua & negocio graui, quod communiter committi non soleat Legato. Casus autem Bullæ Cœnæ sunt grauissimi, quare pertinent solum ad Romanum Pontificem, ita Felin. vbi supra ex sent. Lapi. Glos. in Clement. Quia contingit Ver. Apostolicæ Sedis de Relig. Dom. Gemin. in cap. Si Abbatem nu. 5. de elect. lib. 6. Franc. nu. 4. Tandem in cap. Ad eminentiam cum alijs de sent. excom. sub Apostolica Sede comprehenditur Legatus è latere non simpliciter, sed quoad hunc effectum specialem, scilicet vt possit absoluere ab excommunicatione ob percussionem Clerici, idem ait Petr. Anchar. in c. Eos qui nu. 4. Vers. secundo quæro ex sententia Io. And. de sent. excom lib 6.

Tertio dubitari potest an virtute dictæ clausulæ potestas absoluendi ab his casibus Bullæ Cœnæ ita sit reseruata Summo Pontifici, vt ipse per se ipsum teneatur ab illis absoluere.

Respondeo his verbis non excludi Ministros à Romano Pontifice specialiter ad hunc effectũ deputatos, neque posset Papa per se ipsum in omnibus occurrentibus

tibus casibus absoluere huiusmodi excommunicatos, immo ipse nunquam absoluere consueuit; Sed vt talis delegatio sit valida necesse est, vt fiat specialiter, non per indultum generale. Quare in priuilegio debent exprimi casus Bullæ Cœnæ, & non sufficit facultas generaliter concessa absoluendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, nisi mentio specialis facta fuerit de casibus Bullæ Cœnæ, quoniam casus Bullæ peculiari quadam reseruatione pertinent ad Romanum Pontificem cum derogatione omnium priuilegiorũ, quibus concessa esset potestas absoluendi generaliter à casib. reseruatis, vt habetur in hac clausula.

Nisi in mortis articulo constitutus. His verbis declarat Papa reseruationem factam non habere locum in articulo mortis, in quo articulo quicunque constitutus erit aliqua censura Bullæ constrictus, poterit ab alio, quàm à Romano Pontifice absolui, In illo enim casu non intelligitur sublata iurisdictio necessaria ad absoluendum, & hæc exceptio solet apponi in omni reseruatione. Vnde in cap. Si quis suadente 17. q. 4. de excommunicato ob iniectionem manuum violentam in Clericum dicitur; *Et nullus Episcoporum illam præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo*. In cap. Ea noscitur De sent. excomm. *Si verò infirmitatis tempore timore mortis beneficium fuerit absolutionis indultum*. In cap. fin. De sepultu. *Parochiano tuo, qui excommunicatus pro manifestis excessibus &c. per Presbyterum suum iuxta formam Ecclesiæ absolutus, non debent cœmiterium, & alia Ecclesiæ suffragia denegari*. In cap. In literis tuis de Rapto. *Tandem in ægritudine constitutus accepta pœnitentia de commissis per manum Capellani sui fuit à sententia anathematis absolutus*. In cap. Pastoralis §. Præterea de off. ordi. agitur de excommunicato à Delegato Papæ, qui post mortem eiusdem Delegati ab alio absolui nequit sine mandato Summi Pontificis præterquã in mortis articulo. Idem habetur in cap. Eos qui De sent. excomm. lib. 6. & alibi. Quare hæc exceptio articuli mortis est generalis in omnibus censuris, & casibus reseruatis. Neque est ius de nouo inductum, sed vel diuino, vel perpetua Ecclesiæ traditione obseruatum, qua semper hic mos retentus est, vt in articulo mortis nullus casus reseruatus sit, vt dicitur in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. ibi, *Verumtamen pie admodum ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei semper custoditum fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis*, & talis exceptionis finis fuit, vt inquit Concilium, *Ne hac ipsa occasione aliquis pereat*, idest ne pœnitens in tali articulo constitutus, & censura innodatus Sedi Apostolicæ, vel alteri reseruata absente eo, à quo iure communi impendenda esset absolutio à censura, quæ præmittenda est ante absolutionem sacramentalem peccatorum, cogatur ex hac vita decedere sine sacramento pœnitentiæ ad salutem necessario.

Quæret aliquis primò quis dicatur articulus mortis. Hanc difficultatem copiosè explicaui lib. 1. Disp. 6. Cap. 6. Vbi dicebam Articulum mortis appellari, sicut indicat significatio ipsa nominis; Vbi quis incipit mori per actum naturalem, aut violentum, nempe per infirmitatem, vel dum quis per ministrum iustitiæ occiditur, & hic articulus mortis, quantum pertinet ad hunc effectum absolutionis, extenditur ad probabile periculum mortis, vel vbi mors frequenter solet accidere, vt dum quis est pugnaturus, vel longam maris nauigationem suscepturus, vel aggressurus iter periculosũ, & in similib. casib. vt probaui in eod. ca. 6.

Quæret secundò, An præter articulum, & periculum mortis sit aliud impedimentum necessitatis, quo supposito eadem facultas absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ concessa sit alteri præter Romanum Pontificem.

De hac dubitatione generaliter egi lib. 1. Disp. 6. Cap. 8. Sed quantum spectat ad propositam difficultatem de casibus Bullæ, dico in cap. Ea noscitur de sent. excom. præter articulum mortis apponi alia impedimenta, quibus existentibus Excommunicatus per Canonem, Si quis suadente, potest per Episcopum absolui. Impedimenta, quæ ibi enumerantur sunt, ætatis, vel sexus, aut membrorum imbecillitas, *Vt Mulieres, senes, valetudinarij, seu membrorum debilitate omnibus impediti*, Et omnes isti censentur inepti, & impotentes moraliter, ne possint comparere coram Summo Pontifice; Et hoc impedimentum debet esse perpetuum. Similiter in cap. Mulieres de sent. excom. additur aliud impedimentum ex defectu libertatis. *Aliæ personæ, quæ sui iuris non sunt*, Glos. Ver. Sui iuris. intelligit de seruis, secus dicit de filijs familias, quamuis sint sub patria potestate, qui pro absolutione ad Curiam mittendi sunt, nisi sint impuberes. In eod. cap. habetur, *De iis verò, qui magnæ sunt potentiæ, & ita delicati, quod laborem veniendi ad Sedem Apostolicam nequeant sustinere; Respondemus, quòd status personæ prius, & veritas negocii est intimanda Romano Pontifici, & secundum consilium eius tales erunt de commisso scelere corrigendi*. In cap. 1. De sent. excomm. De impubere, qui Clericum percussit, statuitur non esse ad Apostolicam Sedem mittendum, *Quia eos ætas excusat*, Excusantur à reseruatione, non autẽ à peccato, & censura, nam licèt sint impuberes, supponuntur tamen doli capaces, & idcirco dicendum est mortale sacrilegium committere, & excommunicationem incurrere, cap. Quamuis. & cap. fin. De sent. excom. Similiter inter impedimenta, quæ excusant, vt quis absolui possit ab alio, quàm à Romano Pontifice, recensentur inopia seu paupertas, si tanta sit, vt excommunicatus non nisi mendicando Romam venire possit in cap. Quamuis de sent. excom. & in cap. Quod de his eod. tit. licet oppositum colligi videatur in cap. Ea noscitur de sent. excom. sic enim habetur, *Alii autem siue pauperes, siue diuites Sedi Apostolicæ &c. necesse est præsentari* Glos. ibi Ver. Pauperes soluit, vt hic tex. loquatur de iis, qui pauperes sũt, sed non tanta laborant paupertate, quæ impediat, ne ad Vrbem se conferre possint, ibi verò agatur de illis, qui extrema afficiuntur inopia, & mendicant. Hoc tamen est intelligendum, quãdo excommunicatus aliàs non sit solitus mendicare, sed cogeretur mendicare, vt iter hoc conficere posset, aut aliud graue incommodum pati. Nam si antea mendicare solebat, & stipem hostiatim quærendo victum sibi parare, non excusaretur ab itinere propter paupertatem, si aliàs sanus esset, quia mendicando venire posset sine vllo detrimento, & iactura famæ & conditionis suæ. Quamobrem ratione paupertatis dici potest excusari illos, qui manibus suis viuunt, & iter agendo non possunt viuere, nisi mendicando, & ad id non coguntur. Eodem modo si aliquis tenetur alere familiam, & non possit ex suis redditibus, nec valeat iter agẽdo, & sibi & suis prouidere ratione paupertatis, excusabitur, ne Romam accedere teneatur. Præterea in eodem cap. Quamuis excusantur illi, qui sine graui periculo accedere nequeant propter inimicitias, quas habent, & in cap. De cætero de senten. excommun. additur, *Habens capitales inimicitias*, idest ex quibus periculum capitis imminet, quod est intelligendum non solùm de inimici-

A tijs priuatis, sed de hostibus publicis, hæreticis, prædonibus, viarum obsessoribus & similibus, quando morale periculum vitæ, & personæ, vel bonorum ex accidenti inminet, nam est eadem ratio. Hæc sunt impedimenta particularia, quæ recensentur in citatis cap. iuris, quorum causa permittitur, vt innodati censura reseruata Sedi Apostolicæ absolui possint ab alio, quàm à Romano Pontifice.

Præter hæc adducuntur alia impedimenta generalibus verbis descripta in citatis iuribus, quæ excusant etiam, vt excommunicatus nō teneatur Romam accedere, nam in dicto cap. De cætero de sent. excom. dicitur, *Vel alias iustas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusetur, itaut sine periculo, Apostolico se nequeat conspectui præsentare* & in c. Quamuis, *siue alia* B *corporis impotentia, siue quolibet impedimento canonico retrahatur, quominus Romanum Pontificem possit adire, vel nisi iuris beneficio à labore excusetur*. Idem habetur in cap. Quod de his eod. tit. quare tria sunt genera impedimentorum, quæ tribuunt iustam excusationis causam. Primū est impedimentum corporis, sub quo continentur prædicta omnia, de quibus locuti sumus, scilicet imbecillitas virium aut sexus, defectus libertatis ratione necessariæ subiectionis. paupertas, periculū vitę propter inimicitias, & alia eiusdē generis.

Iudicare vero an impedimentum sit tale, vt sit sufficiens ad excusandum, dicunt aliqui pertinere ad iudicium Episcopi, & ab ipso definiendum esse, ad quem deuoluitur talis absolutio, ita sentit Innoc. in dicto c. C Quamuis; & certum est subditum tutum esse debere in conscientia, si acquiescat sententiæ sui Episcopi, nisi euidenter ei constaret esse temerariam, & à ratione omnino discrepantem. Verum non puto rem hanc adeò esse coarctandam, vt solius Episcopi iudicio standum sit, quin requiri possit in hoc casu sententia pij ac prudentis viri ac docti, sicut in alijs rebus moralibus. Secundum genus impedimenti vocatur in prædictis Iuribus canonicum impedimentum Romam adeundi, Abb. in cap. Quod de his n. 1. de sent. excom. Interpretatur Canonicum impedimentum, idest legitimum impedimentum, si non possit subire laborem itineris, vel dicitur Canonicum, idest per Canones ap- D probatum, vel rationi consentaneum. Quare cum in cap. Quamuis dicitur, [siue alia corporis impotentia, siue quolibet impedimento canonico,] putarem per hanc posteriorem clausulam significari solum illa impedimenta, quæ non consistunt in corporis debilitate aut defectu, sed in quacunque alia causa rationabili, vt est subuenire Parenti grauiter indigenti, alere vxorem vel filios, exercere aliquod munus publicum ratione officij, quod gerit, quodq; sine graui detrimento, vel communi vel priuato deserere non potest, & similia. Tertium genus excusationis est Iuris beneficium, vt in eod. cap. Quamuis his verbis, (vel nisi iuris beneficio a labore excusetur.] Et ad hoc genus reducuntur personæ, quæ inciderunt in excommunica- E tionem & habent aliquam iuris excusationem, vel ex conditione & qualitate personæ, vel ex modo, quo delictum commiserunt, vel ob aliam rationem, hęc sunt impedimenta, quæ in iure afferuntur, quorum causa potest excusare excommunicatus, vt non sit coactus Romam se conferre ad petendam absolutionem, sed valeat illam accipere ab Ordinario, quæ licet exprimantur in casu excommunicationis cōtractæ ob violentam manuum iniectionem in Clericum, tamen idem sentiendum est vniuersaliter de omnibus casibus reseruatis, vt probaui in dicto capitulo 8. Disput. 6. lib. 1. Nam ratio, propter quam Papa iudicauit expedire, vt occurrentibus prædictis impedimentis excommunicatus ab Ordinario absolui posset, & non teneretur Romam venire, est generalis, habens locum in omni excommunicatione reseruata, scilicet ne ex dilationi absolutionis probabile periculum imminerect animæ, & detrimentum spirituale pateretur, quæ ratio vera est, quacunque excommunicatione sit quis obstrictus, ita tenet Gemin. in cap. Eos qui nu. 5. Anchar. num. 1. & Franc. num. 2. de sent. excom. lib. 6. contra Innoc. qui in cap. Quamuis extra de sentent. excom. hanc facultatem restringit quoad excommunicatos ob Clerici percussionem, & idem ait Abb. nu. 3. cuius dictum refellit Felin. nu. 2. & tenet esse priuilegium generale in omni excommunicatione, cum sit eadem ratio, & mouetur ex cap. Ea noscitur, & cap. Quod de his de sent. excom. Nauar. in Manu. c. 27. n. 40. Quare eadem regula vera est etiam in casibus Bullæ Cœnæ, vt dixi contra Sylu. in eod. c. 8. Disp. 6. lib. 1.

Contra obijcies Concilium Trident. sess. 14 cap. 6. postquam declarauit in articulo mortis omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis & censuris absoluere posse, subiungit, [Extra quem articulum Sacerdotes cum nihil possint in casibus reseruatis id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad Superiores & legitimos Iudices pro beneficio absolutionis accedant,] Ergo manifestè Concilium intelligit extra articulum mortis nullum inferiorem Sacerdotem posse absoluere ab excommunicatione reseruata, quauis necessitate occurrente, & assignat rationem, quoniam inferior extra articulum mortis caret iurisdictione, sine qua nemo potest validam tradere absolutionem.

Respondeo, vt dixi in eod. cap. 8. Disp. 6. Regulam esse generalem in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, quoties excommunicatus Romam pro impetranda absolutione, nisi cum magno incommodo, difficultate & mora venire nequit, licere absolutionē petere ab inferiore Sacerdote, cū onere adeundi postea Summū Pontificem. Quare Conc. Trid. excipit tantum articulum mortis non ea ratione, quòd non sit idem permissum occurrentibus alijs impedimentis necessarijs, sed quoniam in articulo mortis nulla sit reseruatio, quod tamē nō excludit alias necessitatis causas. Deinde dici potest ob dilationē absolutionis propter dicta impedimenta, quādo occurrūt, posse probabiliter imminere articulum, seu periculum mortis. Præterea Concilium asserit extra articulum mortis Sacerdotes nihil posse in casibus reseruatis regulariter, scilicet si nullum aliud legitimum adsit impedimētum, ratione cuius excommunicatus possit excusari, si nō accedat ad Curiam Romanā, sed petat absolutionē ab Ordinario.

Est quoq; hac in re animaduertēdum; In iure concedi candem facultatem absoluendi à casibus reseruatis in inferiori propter nonnullas conditiones, & qualitates personæ delinquentis. Hoc priuilegium colligitur ex cap. Mulieres de sent. excom. his verbis expressum, [De his verò, qui magnę sunt potentiæ, & ita delicati, quod laborem veniendi ad Sedem Apostolicam nequeant sustinere. Respondemus, quòd status personę prius, & veritas negocij est intimanda Romano Pontifici, & secundum Conc. eius tales erunt de cōmisso scelere corrigendi.] Quibus verbis non cōceditur simpliciter, vt absolui possint ab Episcopo, sed vt nō teneātur absolutionē petere à Sūmo Pont. Romā eundo, sed solū consulere Pontificē, Glo. ibi Ver. laborem veniendi, inquit ad Episcopi arbitrium pertinere iudicare, an

excom-

excommunicatus habeat illas conditiones, quod non puto necessarium, quia potest id per euidentiam rei constare, & quando res dubia esset, iudicium viri prudentis sufficeret, sicut in cæteris huiusmodi rebus sufficiens videtur, vbi oppositum iure non definitur. Neque requiritur, vt ipsomet Episcopus consular Romanum Pontificem, sed poterit, qui indiget absolutione, illum certiorem facere.

Dubitat tamen Glos. ibi, an interim, dum consulitur Romanus Pontifex, possit talis persona innodata excommunicatione habens illas conditiones absolui ab Episcopo sub iuratoria cautione de consulendo postea Pontifice, & de parendo mandatis eius, & respondet id fieri posse propter periculum moræ. Sed hæc responsio videtur contra text. Vbi dicitur prius esse negocij veritatem intimandam Romano Pontifici, ergo non est antea concedenda absolutio, quod notauit ibi Abb. & sequitur Felin. & significare videtur eadem Glos. statim dicens, quando non imminet periculū non esse absolutionem impendendā ante consultationē Pontificis, quod est intelligendam de periculo mortis aut alicuius damni notabilis, sed quando tale periculum timetur, licitum quidem erit absoluere, non ex speciali priuilegio huius Canonis, sed ex lege generali.

Si quærat quis periculum, quod est annexum cum diuturna mora accipiendi absolutionem non sit sufficiens causa in quacunq; persona, vt sub iuratoria cautione, vt notat Glos. absolui possit, sicut absolui possunt personæ potentes, & delicatæ, quoniam ex dilatione absolutionis vniuersaliter periculum imminet animæ cuiusque Christiani, vt dicitur in cap. fin. de Pœnit. & remiss. & colligitur ex c. Sacro iuncta Glosa de sent. excom. At vbi animæ periculum imminet, concedi potest, & debet absolutio accepta illa cautione iuratoria, magis quàm vt euitemus periculum corporis, sicut permittitur in personis delicatis.

Respondeo in dicto c. Mulieres nullum speciale priuilegiū concedi in hac parte his personis potentibus, & delicatis, vt propter moræ periculum prius possint absolui, quàm aliæ, puto tamen probabile, quando mora est extraordinaria & notabilis, illam esse sufficientem causam, vt absolutio cum dicta cautione cōcedi possit propter allatā rationē, quæ in eo casu maximè viget. Quod confirmari potest ex eo, quod in aliquibus casibus hoc videtur iure permissum. Iura enim concedunt, vt ægrotantes absolui possint in c. Ea noscitur de sent. excom. ibi, *Mulieres, senes, valetudinarij &c.* In cap. Quamuis eod. tit. *Nisi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, &c.* Quāuis ægritudo non sit periculosa, sed morosa tantum, quia ægritudinis causa distinctè proponitur à periculo mortis, & eadem iura subiungunt generalem absoluendi facultatem propter similia impedimenta, ergo ex quacunque causa moralis, & extraordinaria mora timeatur, vel ex longitudine, & periculo itineris, vel propter necessaria negocia peragenda, aut quid simile, poterit absolutio concedi, & hanc regulam locum habere censeo in omnibus casibus Sedi Apostolicę reseruatis, etiam in casibus Bulla Cœnæ. At si mora non sit notabilis, sed ordinaria, non iudicatur morale periculū animæ, & si aliquod est, illud fuit præuisum à referuante censuram, & permissum ob rigorem disciplinæ, & maiora mala vitanda. Et quando mora censenda sit notabilis, relinquitur iudicio prudentis viri.

Sed instabilis, si in dicto c. Mulieres non conceditur maius priuilegium personis potentibus, & delicatis,
A magis quàm alijs accipiendi absolutionem, quando imminet periculum ratione moræ, & dilationis, quale igitur est priuilegium, quod in eo textu tribuitur huiusmodi personis delicatis.

Respondeo priuilegium in eo textu huiusmodi personis concessum esse, vt secundùm commune, & ordinarium ius non sint cogendæ personaliter adire Summum Pontificem, sed à suo Episcopo possint absolui, seruata tamen forma, quam Romanus Pontifex de veritate rei antea certior factus præscripserit in absolutione tradenda fore adhibendum, At aliæ personæ inferiores, & robustiores iure communi tenentur adire Summum Pontificem, licèt possint etiam ipsæ speciale indultum obtinere ex aliqua peculiari causa, quæ non est necessaria in dictis personis potentioribus
B & delicatioribus. Hinc sequitur alia differentia, nimirum fauorem concessum eisdem personis in eodem c. Mulieres interpretandum esse absolutè absque vlla obligatione comparendi post absolutionem acceptā apud Romanum Pontificem, quia cum hæc concessio non fundatur in impedimento, sed sit indulgentia ob aliquam circunstantiam personæ, conceditur simpliciter sine vlla obligatione comparendi. Quod in alijs personis non habet locum, quibus conceditur hoc priuilegium ratione impedimenti, nam post absolutionē, si cesset impedimentum, comparere tenentur coram Papa. Si vero sit impedimentum perpetuum, eadem ratio est de illis, quia tunc conditio locum non habet
C cum impedimentum nunquam cesset. Sed de hac obligatione se præsentandi dicam in quarta dubitatione.

Postulabit aliquis, An dicatur iustum impedimentum haberi ille, qui licèt Romam accedere nequeat pro absolutione, potest tamen legitimum procuratorem mittere, qui eius nomine petat.

Respondit Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 90. vers. Ad quintam excōicatum non cogi ab ipso iure, quando legitimo impedimento detinetur, ne ad Vrbem se conferre possit, mittere nuncium vel procuratorem, qui ipsius vices gerat in petenda absolutione, sed obligari solùm, vt ipse vadat, si potest.

D Tertia dubitatio principalis esse potest, postquam in articulo mortis non opus est, vt innodatus excommunicatione reseruata Sedi Apostolicæ petat absolutionem à Romano Pontifice, sed permittitur inferiori facultas absoluendi, an in tali articulo potestas absoluendi conueniat soli Episcopo, vel potiùs cuicunque Sacerdoti in cap. enim si quis suadente 17. q. 4. de solis Episcopis fit mentio. Similiter in c. Pueris de sent. excom. sermo habetur de Episcopo Diœcesano, & in c. de extero, de sentent. excomm. pro regula generali assignatur, vt omnes, qui in casu violentæ manuum iniectionis in Clericum excusantur ex quacunque causa Sedem Apostolicam adire, ab Episcopo
E absoluantur.

Respondeo certum esse non solùm Episcopum, sed etiam quemlibet Sacerdotem simplicem posse excommunicatum absoluere, si necessitatis causa vrgeat in illis casibus, in quibus non cogitur Romam accedere pro absolutione obtinenda à Romano Pontifice non solùm à peccato, sed multò magis à censura, vt manifestè colligitur ex c. Nuper in fin. de sent. excom. *Concedimus indulgendo, vt præstita iuxta formam Ecclesiæ cautione, quod excommunicationis mandato parebit, à suo absoluatur Episcopo, vel proprio Sacerdote*, vbi Glos. in ver. Sacerdote notat. *Sic ergo simplex Sacerdos potest absoluere.* Hoc idem

probaui lib. 1. Disp. 6. cap. 6. Dico necessitate vrgente posse Inferiorem Sacerdotem absoluere à censuris reseruatis, quoniam si in articulo etiam mortis absolutio ab Episcopo peti potest, nullus Inferior absoluere poterit, quia tunc nulla existit necessitas, vt competat Inferiori facultas absoluendi à reseruatis, & per se loquendo hoc reseruatur Episcopo, quotiescũq; à Summo Pontifice absolutio haberi non potest, vt patet ex citatis iuribus, & cap. Qua fronte, Vers. Ne in excommunicatione decidat De Appell. & cap. Venerabilibus §. Sanè, Vers. Nisi periculũ De sent. excom. lib. 6. Ob eandem rationem, quando potest absolutio instãte aliquo impedimento ex supradictis obtineri à Legato Summi Pontificis, non competit Episcopo talis potestas, nam in dicto cap. Ea noscitur De sentent. excom. dicitur; *Etiam post absolutionem ab alio datam, propter necessitatem vrgentem comparendum esse coram Pontifice, vel eius Legato, si id fieri possit:* Ergo multò magis ab initio si absolutio accipi potuisset à Legato dari, non erat impendenda ab Inferiori. Id autem sæpe contingere potest, quoniam, vt dixi, hoc periculum mortis non restringitur tantum ad id, quod ex infirmitate nascitur, sed includit plures alios casus, in quibus tale periculum virtute continetur, vt est longa nauigatio, vel itineris susceptio cum periculo, Bellum instans, & similia, in quibus frequenter accidere potest commodum, & opportunum esse Excommunicato petere absolutionem à Legato Papæ, vel Episcopo, Ergo per se loquendo hic ordo seruandus est, sicut etiam antea vocandus est Parochus magis quam simplex Sacerdus, si id fieri possit. Vbi verò copia haberi nequit Superioris, & Ordinarij, tunc quilibet Sacerdos absoluere poterit. Quòd autem præscriptus ordo seruandus sit, probari potest ex communi sententia Canonistarum affirmantium pro regula generali tenendum esse, quoties absolutio reseruata Papæ propter occurrentem necessitatem Inferiori conceditur, per se loquendo pertinere ad Episcopum, si ab eo recipi potest, vt Innoc. Abb. Felin. & alij tradunt in cap. 1. & in cap. Monachi De sent. excom. & in cap. vlt. De eo qui furti. ordi. susce. quos refert, & sequitur Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 112. Et confirmatur ratione, quia hoc Iuri consentaneum videtur, tum quia post Summum Pontificem Ordinarius Pastor est Episcopus, tum etiam quoniam hoc modo sufficienter consulitur necessitati, propter quam solam hæc potestas conceditur.

Quarta dubitatio erit; An Excommunicatus absolutus in articulo mortis ab aliqua censura Bullæ Cœnæ ab Episcopo, vel simplici Sacerdote, si fortè conualuerit, & pristinas vires recuperauerit, teneatur Summo Pontifici se præsentare; Nam in cap. Quamuis de sent. excom. numeratis casibus, in quibus excommunicatus ab Episcopo absolui potest ab excommunicatione reseruata, adduntur hæc: *Cæterum quibusdam prædictorũ. videlicet, qui temporali impedimento laborant exceptis pueris sub debito iuramenti, quod secũdùm Ecclesiæ formam præstare tenentur consueuit iniungi, vt impedimento cessante, ad Apostolicam Sedem accedant mandatum ipsius humiliter suscepturi.* Similiter in cap. Eos qui eod. tit. lib. 6. dicitur, quòd absolutus propter mortis periculum, vel aliud impedimentum ab eo, à quo aliàs non poterat absolui, debet cessante impedimento se præsentare, cum commodè potest ei, à quo alias absolui debebat alias recidit in eandem sententiam.

Respondeo si excommunicatus censura Bullæ, vel alia reseruata ob periculum mortis, vel propter aliud impedimẽtum temporale Romam accedere nequeat pro absolutione obtinenda, ab Episcopo, vel alio Inferiori Sacerdote absolui potest, iniuncta obligatione sub debito iuramenti, vt impedimento cessante ad Apostolicam Sedem accedat. Totum hoc paucis verbis significatur in dicto cap. Quamuis, vbi additur illa clausula; *Qui temporali impedimento laborant* ad excludendum perpetua impedimenta, quorum cessatio expectari non potest, excipiuntur etiam pueri, ibi, *exceptis pueris*; Et intelligitur de pueris ante annos pubertatis, post pubertatem enim, etiam si sint pueri, non excusantur, vt patet ex cap. fin. De sent. Excom. Impuberes verò excipiuntur non propter imbecillitatem virium corporis, quia defectu ætatis sint impediti, ne Romam se conferre valeant, cum enim hoc impedimentum sit temporale, non perpetuum, nihil obstaret, quominus iureiurando obstringi possent, vt transactu puerili ætate ad Apostolicam Sedem accederent, sed potius hæc exceptio de pueris apposita est propter imperfectionem, & defectum puerilis actus in deliberatione, & perfecto rationis vsu. Et idcirco licet postea impedimentum cesset, non cessat concessio, & priuilegium, nec imponitur illis obligatio comparendi, atque eadem est ratio de omnibus, quibus hic fauor conceditur non ratione impedimenti temporalis, sed propter specialem rationem actus, seu personæ, sicut idem paulò ante affirmatam de viris potentibus, & delicatis.

Hinc desumi potest discrimen inter puerum impuberem, & filium familias; Ille enim simpliciter absolui potest absque vlla obligatione comparendi, Filius autem familias, qui post pubertatem commisit delictum, propter quod in excommunicationem incidit, quamuis absolui possit iuxta cap. Mulieres, debet tamen ab eo exigi iuramentum comparendi, quia illud impedimentum non est perpetuum. Quare si emancipatur a Patre, vel quacunque alia ratione fiat sui iuris; Aut Pater consentiat, vt itineri se exponat, non excusatur, sicut dicit Abb. in cap. Mulieres nume. 6. De sent. excom Sylue. Absolutio 4. §. 3. in fi. Ange. excommunicatio 5. num. 54. Nauar. in Manua. cap. 27. nu. 88.

Eodem modo ex dictis colligi potest differentia inter puerum, & seruum; Nam puer non tenetur comparere etiam transacta pueritia factus vir, seruus autem excusatur, quamdiu sub debito seruitutis manet iuxta textum in cap. Mulieres De sent. excom. & declaratur in cap. Relatum eod. tit Si tamen manumissus sit simpliciter, & libertate donatus, vel saltem Dominus consenserit, vt liceat ei Romam proficisci ad hunc actum, de quo agimus, debet comparere coram Summo Pontifice, quia tollitur impedimentum, cuius causa ex dispositione Iuris excusari poterat. Quare si Dominus non permittat seruo, vt ad Curiam Romanam accedat, poterit absolui, sed præstito iuramẽto de comparendo, & parendo mandatis Summi Pontificis cessante impedimento. Tunc autem Dominus dicitur rationabiliter denegare seruo accessum ad Summum Pontificem, vt habetur in eodem cap. Relatum, quoties graue incommodum pateretur sine culpa sua ob absentiam serui, quod contingeret, si longè distaret à Curia Romana, & seruus iter conficere non posset, & negocium expedire, nisi longioris temporis interuallo. Quare si prope esset, & breui temporis spacio res absolui posset, non liceret Domino impedire quominus pro absolutione impetranda ad Summum Pontificem accederet, immo, vt in eod. cap. Relatum statuitur si delictum esset enorme, loquitur autem de

per-

percussione Clerici, & orireetur scandalum, & prauum exemplum cum aliorum periculo tunc etiam eum grani detrimento Domini mittendus esset ad Sedem Apostolicam, cum plus sit Deo, quàm homini deferendum; Et in hoc casu duæ condiciones requiruntur, vt ibi ex tex. colligitur, & vna absque altera non videtur sufficiens, vt & delictum sit graue, & scandalum probabiliter terreatur; Ideirco si delictũ non sit enorme, vel nullum adsit scandalum, vel cẽsetur leue, quod alijs modis impediri possit, absolutio non intelligitur reseruata Sedi Apostolicæ cum graui incommodo Domini, vt notant Angel. excommunicatio 5. nu. 54. & Sylue. Absolutio 4.§.4. in fine. Vers. Sed prima opinio, & Nauar. in Manua. cap. 27. num. 88. contra Abbatem.

Concludendum est itaque absolutum ex causa legitima ab alio, quàm ab eo, à quo absolui debebat, cessante impedimento teneri id exequi, quod antea facere tenebatur, scilicet comparere coram suo superiore non ad eum finem, ut iterum ab eo absolutionẽ ab excommunicatione recipiat, cum iam simpliciter sit absolutus, sed vt pareat mandatis sui Prælati, & in casibus reseruatis Papæ, quales sunt, qui in Bulla Cœnæ continentur, erit obligatus Summo Pontifici se præsentare Glos. in cap. De cætero Ver. suscepturus de sent. excom. Et idem dicit Petr. Anchar. in cap. Eos qui num. 1. Vers. Quarto nota, de sent. excom. libro 6. neque potest huic obligationi comparendi satisfacere mittendo procuratorem aut nuncium nomine ipsius Cæsar de Grassis decis. 9. nu. 13. de rescript. Nam in cap. Quod de his in fi. de sent. excom. ita statuitur, *Cæterum ab his in forma sacramenti exigi consueuit, vt resumptis viribus, & opportunitate concessa Romanam Ecclesiam in propria persona debeant visitare*, & notat Gemin. in dicto cap. Eos qui, num. 6. & Franc. num. 2. Vers. Tertio nota, quamuis idem Gemin. & Franc. nõ negent absolutionem ab excommunicatione in foro exteriori peti posse per procuratorem, secus in foro pœnitentiali, cum requiratur, vt excommunicatus introducatur in Ecclesiam cum psalmo & oratione Dominicali, atq; alijs cæremonijs, hæc tamen opinio est falsa, quoniam absens verè absolui potest à censuris per procuratorem, nam tota vis absolutionis à censuris pendet ex voluntate & potestate absoluentis. Sed de hac quæstione latè disputatum est lib. 4. Disput. 6. cap. 1.

Quinto quæret aliquis, an si excommunicatus absolutus ab excommunicatione reseruata in articulo mortis, vel ob aliud impedimentum necessitatis ab Inferiori non se præsentet Summo Pontifici, vbi periculum euaserit, vel cessante legitimo impedimento, eiusdem culpæ & pœnæ reus efficiatur.

Respondeo Bonifacium Octauum in cap. Eos qui de sent. excom. lib. 6. statuisse huiusmodi absolutos, si cessante impedimento non se præsentent, quamprimum commodè possunt, ei, à quo absolui debebant, incidere in eandem sententiam excommunicationis, sic enim inquit, *Decernimus, ne sic censuræ ecclesiasticæ illudant*, illi scilicet, qui post absolutionem acceptam comparere coram Superiore neglexerint, *in eandem sententiam recidere ipso Iure*. Idem statuit Clemens V. in Concilio Viennensi, habetur in Clem. Si quis suadente §. Cæterùm De Pœn. Vbi loquens de absoluto in mortis articulo sic inquit; *Nisi postquam pristinæ restitutus fuerit sanitati, quàm citò commodè poterit, conspectui Romani Pontificis se præsentare curauerit &c. in eãdem excommunicationis sententiam reincidat ipso Iure*;

A Itaque qui post absolutionem obtentam ab Inferiore ab excommunicatione Sedi Apostolicæ reseruata non se præsentauerit Romano Pontifici cessante impedimento, & erit periurus, & in eandem excommunicationem ipso facto reincidet, non in eandem excommunicationem numero, cum ab illa fuerit absolutus, sed in eandem speciе, idest similem priori, vt inquit Franc. in cap. Eos qui num. 3. De sent. excomm. lib. 6. Vnde sicut olim absolutus non parens absoluenti reducebatur per hominem in pristinam excommunicationem, sic hodie ipso Iure recidit absque vllo hominis ministerio per textum in dicto cap. Eos qui, vt ibi Gemin. num. 8. & Franc. num. 3. Idque statutum fuit ob eum finem, vt tolleretur occasio fingendi falsa im-
B pedimenta ad impetrandam absolutionem ab Episcopo, & Ecclesiæ intentio seruaretur, vt inquit Nauar. in Manua. cap. 27. num. 90. Vers. Ad secundam in fi. Et de hac obligatione comparendi dixi etiam in lib. 1. Disp. 6. cap. 7.

Postulabis; An hoc modo absolutus, si non compareat statim cessante impedimento, eo ipso incidat in eandem excommunicationem, vel post aliquod certum temporis spacium. & quantum sit hoc tempus.

In dicto cap. Eos qui De sentent. excommun. statuitur, vt absolutus cessante impedimento, vel periculo, quàm citò commodè poterit, debeat comparere, in cap. De Cætero de sentent. excommunicat. dicitur, *Vt quam citius opportunitatem habuerit, Romanum Pon-*
C *tificem adeat*: In cap. Ea noscitur eod. titu. simpliciter dicitur, *Vt sanitate restituta absoluti ad Romanam Ecclesiam accedant*, In cap. Quod de his idem onus his verbis imponitur, *Vt resumptis viribus, & opportunitate concessa Romanam Ecclesiam in propria persona debeant visitare*. In Clem. Si quis suadente §. Sanè De Pœn. *Postquam pristinæ restitutus fuerit sanitati, quam citò commodè poterit, conspectui Romani Pontificis se præsentare curauerit*. Ex quibus vnum colligitur tanquam certum; Nimirum sublato impedimento accessum ad Sedem Apostolicam non debere differri, sed quamprimum perficiendum. Certum tamen & limitatum tempus veniendi non præscribitur.

D Glos. in Clem. Si quis suadente, Vers. Quam citò commodè poterit De Pœn. ex sententia Host. in cap. De Cætero de sent. excom. interpretatur hanc obligationem veniendi citò ad Sedem Apostolicam, idest cessante impedimento, & modico aliquo tempore cõcesso ipsi absoluto, quo sibi de necessarijs ad iter conficiendum prouidere possit, citat l. Ab Hostibus §. fin. ff. ex qui. cau. ma. Quo transacto, si se non præsentauit, ipso facto in excommunicationem reincidit. Neque hac in re creditur ipsi absoluto asserenti se venisse, quanto citius commodè potuit, sed pertinet ad Iudicem, vt inquit Caietanus in Summa Ver. Excommunicatio cap. 69. in foro exteriori hoc iudicate atq. ex. Quam fit, Vers. Quam citius commodè poterunt De elect. lib. 6. vbi Summus Pontifex mãdat Electoribus,
E ne Ecclesia diu eum dispendio vacet, vt quam citius commodè possunt, electum præsentare debeant, & Glos. ibi Ver. Quam citius inquit hoc tempus relinqui arbitrio boni viri, cum non sit lege, aut Canone definitum, & Iudex debet hoc arbitrari inspecta qualitate personarum, locorum, temporum, & ætatum, vt notat Glos. in cap. Cupientes post princ. Ver. Commodè De elect. lib. 6. Nam si standum esset absoluto affirmanti non potuisse anteà commodè venire friuolis excusationibus pluuiarum, nimium, aut caloris, & his similibus eluderet constitutionem, vt notat Glos.

in

in dicta Clem. Si quis suadente De Poen. licèt enim ei credendum sit in foro conscientiæ, si neget potuisse prius accedere, cap. Tua De Sponsal. quia agitur de re occulta, & de animæ periculo, cap. Significasti 2. de Homic. cap. Si verò 2. De Sent. excomm. Secus autem est in foro Iudiciali. Sed quamuis propter moram accedendi ad Romanum Pontificem, vel alium Prælatum, cui se præsentare tenebatur, in eandem excommunicationem inciderit, Iudex tamen non denunciabit eum excommunicatum, nisi antea eo vocato, & per coniecturas de mora, & contumacia eiusdem ei constiterit cognitione de hac re summariè præmissa.

Animaduertit Abbas in capit. Quòd in dubijs De sent. excom. non satisfacete obligationi veniendi ad Sedem Apostolicam absolutum cum hac obligatione, si tantum ad Romanam Vrbem accesserit, & visitauerit in ea Ecclesias. Nam licet Papa in d. cap. Quod in dubijs vtatur nomine Ecclesiæ, similiter in cap. Ea noscitur, nomine Ecclesiæ Romanæ tamen non accipie Ecclesiam materialiter, sed pro Papa, nam vbi Papa, ibi Ecclesia Romana cap. Scire 7. q. 1. & in cap. Ego N. & quod ibi notatur De Iureiur. Vel ideo mentionem facit de Ecclesia Romana, vt ostendat absolutum cum mandato se præsentandi non posse differre iter ob eã causam, quod Sedes Apostolica vacet, quia Sede vacante extat Summus Poenitentiarius Vices gerens Summi Pontificis, cui se præsentare tenetur, aliter incidit in eandem excommunicationem Clem. 1. Ne Romani De elect. Quod affirmat Sylue. Absolutio 4. §. 7. Rebuff. in Explic. Bullæ Coenæ super hac clausula Ver. Nec etiam in fi.

Nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita absolui possit. His verbis coarctatur facultas absoluendi à casibus contentis in Bulla, concessa in articulo mortis, vt scilicet locum habeat cum hac conditione, & non alias; Nempe vt excommunicatus in articulo mortis absolui possit, si antea cautionem præstiterit de stando Ecclesiæ mandatis, & de satisfaciendo, & si absoluatur hac cautione non recepta, Sacerdos, qui absolutionem impendit, efficitur excommunicatus, vt videbimus in explicatione sequentis clausulæ, & notat Rebuff. loco citato super eod. Ver. Nec etiam, sed iam distinctius, & clarius singula discutiamus.

Et primo loco quæri potest, quam cautionem requirat Summus Pontifex, quando absoluitur quis ab excommunicatione Bullæ Coenæ, & quid intelligat nomine cautionis. Cautio (vt ait Cicero 4. Tusculana) est Prouidentia quædam, qua auertimus, & euitamus, ne quid mali nobis accidat. Hinc Iurisperiti cautiones appellant Fideiussiones, aut alias Stipulationes, quibus nobis cauemus, hoc est securos nos reddimus, vt colligitur ex l. Habere §. Cautum ff. de verb. signif. Vbi ita scribit Paulus, *Cautum intelligitur, siue personis siue rebus cautum sit:* Hæc ille, Per personas, fideiussores accipimus, per res autem Pignora, vt optimè eo loco Accurtius interpretatur.

Cautionum verò duæ sunt species: Nam aliquando cautio accipitur pro satisdatione, seu fideiussione l. 1. C. de Procurat. & l. Sed de pecunia ff. de vsu fru. ea. re, quæ vsu consum. sed hæc acceptio est impropria, vt in ead. l. Sed de pecunia notat Glos. & expresśè habetur l. Sancimus C. De verbo. signif. vbi Iustinianus Imperator ita statuit; *Sancimus cautionis nomine non esse fideiussoris dationem interpretãdam, nisi hoc specialiter &c.* Propriè verò cautio sumitur pro nuda promissione, vt expresśè ab eodem Iustiniano in dicta l. Sancimus de-

A finitum est, si nihil aliud addatur, sed simpliciter proferatur, & concordat Glos. in cap. Qua fronte Ver. Cautione de Appell. vbi agitur de absolutione ab excommunicatione recepta cautione; Dixi autem si simpliciter sermo sit de cautione, & nihil aliud addatur, quoniam si iungatur cum alio verbo, puta cautio idonea, vel sufficiens, tunc intelligitur de pignore, vel fideiussore, vt inquit Glos. in cap. Ex trãsmissa Ver. Sufficienti cautione De resti. spoliat. Quod expresśè probatur in l. Si mandato Titij §. vlt. ff. Manda. his verbis *Paulus respondet non videri mandati conditioni paritum, cum in mandato adiectum sit, vt idonea cautio à debitore*

B *exigeretur, si neque fideiussor, neque pignora accepta sint.* Idem habetur l. Ergo §. Si sub conditione Ver. Adijci ff. De fideicom. liberta. ibi, *Ergo cauendum est idoneè, Quid est idoneè? Satisdatione vtique, aut pignoribus datis.*

Cum igitur his duobus modis cautio vsurpari possit, dubitatur, in qua significatione accipiatur in hac clausula Bullæ. Quod enim intelligatur de simplici promissione, persuaderi potest primò, quoniam in Bulla simpliciter habetur *Cautione præstita* non apponitur idonea vel sufficienti, vt indicaret Papa se loqui de fideiussione, vel pignore, vt ex Iuribus citatis patet.

Confirmatur, quoniam in Bulla Martini Quinti apud B. Antoni. in Sum. par. 3. tit. 24. cap. 72. Et in alijs

C Bullis ante Gregorium XIII. hæc particula his verbis descripta legitur, *Satisfactione, vel sufficienti cautione præstita.* Quamobrem cum postea alij Pontifices Successores dempta dictione illa, *sufficienti,* solam cautionem requirant, verisimile est de nuda promissione intelligere voluisse. Ex varietate enim verborum legis sequitur diuersa eius dispositio l. 4. §. Prætor, & ibi Alexander ff. de dam. infe. & interpretatio semper facienda est, vt innouatio aliquid operetur, neque temerè facta præsumatur arg. l. si stipulatus ff. De vsur. cap. Si Papa de Priuileg. lib. 6. Quare quamuis olim, vt absolui potuisset excommunicatus à Censura Bullæ Coenæ in articulo mortis ab alio, quàm à Summo Pontifice tanquam necessaria conditio opus fuisset, vt an-

D tea excommunicatus actu satisfaceret, si posset, & tempus suppeditaret ante mortem, vel si satisfactio ex legitima causa fieri non posset, vt sufficienter caueret, vt Felin. exponit verba Bullæ Coenæ Martini Quinti in cap. Pastoralis §. Præterea num. 9. De offic. ordin. Hodie tamen, cum Summus Pontifex in Bulla, quæ hoc tempore promulgari solet, innouauerit hanc constitutionem, & simpliciter exigat in illo casu necessitatis cautionem, existimandum est sufficere nudam, & simplicem promissionem. Tertiò, Ab eo, qui absoluitur in articulo mortis ab excommunicatione, solummodo postulatur promissio de satisfaciendo ad euitandum periculum, quod instat, ne decedat vinculo excommunicationis obstrictus, vt inquit Goffre.

E quem sequitur Abb. in cap. In literis nu. 5. De rapto. sicut in simili dicitur poenitenti in articulo mortis non esse iniungendam poenitentiam, sed indicandam cap. 1. 26. q. 7. Ergo non est necessaria fideiussio, vel pignus.

Ex alia verò parte probari potest hoc in loco nomine cautionis intelligi debere pignoris, seu fideiussionis dationem, vel saltem promissionem iuramento firmatum. Primò quia cum Papa priuilegium concedit, vt in articulo mortis constitutus absolui possit præstita cautione, verisimiliter credendum est velle intelligere de cautione idonea, & sufficienti. Hæc autem est fideiussoria, vel pignoratitia, vt dixi, & patet

ex

ex citata l.Si mandato §.vlt.ff.Manda.Ergo hæc cautio pignoratitia, aut fideiussoria est recipienda ab ipso poenitente, antequam absolnatur. Secundò quando quis est excommunicatus ob transgressionem legis, quia iuri parere noluit, sicut contingit in terminis, in quibus disputamus de eo, qui violauit constitutionem Bullæ, & idcirco excommunicationis vinculo innodatus existit, absolui nequit, nisi præstita cautione sufficienti, quòd Iuri parebit, idest pignore, vel cautione, vt inqnit Glos.in cap.Qua fronte Ver.Cautione de Appella. sicut in simili, cum restituitur alicui possessio, sicut habetur in cap.1. in fi. De seqoestr.possess. ibi, *Et à te sufficientem praberi standi iudicio cautionem*: Vbi Glosa Ver. Sufficientem notat in eo casu sufficiẽtem cautionem esse præstandam, scilicet pignus, vel fideinssionem, & non sufficere solam promissionem. Tertiò videtur communi consensu omnium Doctorũ approbari, vt excommunicatus censura reseruata, neque in articulo mortis absolui possit ab Inferiori, nisi antea actu satisfecerit, nisi tamen excusetur propter inopiam, vel temporis angustia id non patiatur, quia instet periculum mortis, & tunc accipiẽdam esse cautionem pignoratitiam, vel fideiussoriam, quòd si neutram præstare nequeat, eo casu admittitur ad cautionem iuratoriam. Est igitur hic ordo necessariò seruãdus antequam tradatur absolntio, quare non sufficit, vt simpliciter caueat excommunicatus, si potest satisfacere vel exhibere pignus, aut fideinssionem. Ita sentit Card.in Clem.1. §.Verum num.4 Vers.Quartò oppono De Hæret.iuxta Glos.ibi Ver. Et tunc, Felin.in cap. Cum contingat nu.1. De Off.Deleg. Idem Felin.in cap.Pastoralis §.Præterea nu.9.De off.ordin. vbi refert Lapum, & Imol. affirmantes etiam in articulo mortis non sufficere cautionem, sed necessariam esse satisfactionem, Nauar.in Manoa.cap.27.num.48. & alij Doctores. Quare in hac quæstione ad vtramq; partem adsunt rationes dubitandi.

Hanc questionem pertractaui in genere lib.4.Disp. 4.cap.4.in Dubitatione 4. & Disp.7. cap. 2. Et quantum spectat ad casus Bullæ Cœnæ nonnollis propositionibus respondebo propositæ difficultati.

Antea illud animadnertendum est, primò Bullam præcipere, vt ab eo, qui absoluitur in articulo mortis, cautio recipiatur, quæ duas contineat obligationes; Altera est de parendo Ecclesiæ mandatis; Altera est de satisfaciendo. Prima respicit Papam, a quo latæ sunt excommunicationes Bnlæ; Secunda verò personam, cui illata est iniuria, vel passa est aliquod damnum, vt colligitur ex Clem.2. Vers.Quod si secus, De Hæret. Vbi fertur excommunicatio contra Inquisitores, qui prætextn officij pecuniam illicitis modis extorqneat, à qua excommunicatione non absoluuntur, *donec illis, à quibus extorserint, plenè satisfecerint de pecunia sic extorta*, & ea cap. In literis De rapto. compelluntur hæredes Incendiarij Ecclesiæ, qui in morte absolutus fuerit, vt pro eo condignè satisfaciãt illis, quibus per incendium damnum contra iustitiam Defunctus irrogauerat. Ad idem facit cap. Ex parte 1. De Verb.signif. Vbi Summus Pontifex distinguit, Vtrum quis sit excommunicatus pro contumacia tantum, qnia scilicet citatus stare noluit Iuri, An etiam pro offensa, quia videlicet iussus noluit maleficium emendare. Aliud igitur est stare mandatis; Aliud satisfacere: Eadem distinctio ponitur in cap. Eos qni in fin. de sent.excom.lib.6. & non est eodem modo de cautione quoad vtramque obligationem sentiendum, vt apparebit ea propositionibns, quas in medium afferam, excommunicatus enim, si absolutionem consequi desiderat, non solum debet cauere se deinceps præceptis, & mandatis Superioris obtemperatutum, sed etiam debet ijs, quibus iniuriam aut damnum aliquod intulit, congruè & sufficienter satisfacere, vt habetur in c. Cũ desideres in fi. & in cap.A nobis 2. de sent. excom.

Secundò notandum est in Bulla hoc in loco nomine Ecclesiæ intelligi Summum Pontificem, qui promulgauit excommunicationem Bullæ sicut si excommunicatio lata esset ab alio Iudice, & caueret Absoluendus de stando Ecclesiæ mandatis, talis cautio esset interpretanda, ac si promisisset obedire mandatis eiusdem Iudicis, vt colligitur ex cap. Ad hæc 2. De Appell. Vbi agitur de excommunicato, qui absoluitur præstito iuramento de stando Iudicio Ecclesiæ, & Abb.ibi num.2.inquit, Idem esse, si promisisset obedire mandatis Iudicis, quoniam inter has duas formas iurandi nulla est differentia; Vnde in cap. Ea tenore De sent. Excom. dicitur, *Mandamus itaq; quatenus recepto ab eo iuramento, quod tuo debeat mãdato parere &c.* Vbi Glos. Ver. Debeat ita notat; *Idem est sic iurare, ac si iuraret stare mandatis Ecclesię*. Eodem modo in cap. Ex parte 1. in fi. de verb. signif. mentio fit de parendo mandatis Ecclesiæ & in cap. Ad hæc in fi. De sent. excom. In cap. Ea noscitur eod.tit. Contra verò in cap. De Cætero de sent. excom. traditur eadem forma seruanda in receptione iuramenti de stando mandatis Summi Pontificis. Similiter in cap. Si quis suadente 17.quæst.4. & in Clem. Si quis suadente de Pœn.& alibi. Itaque certum est hoc in loco nomine Ecclesiæ significari Romanum Pontificem.

Tertiò præmittendum est nomine mandatorum intelligi ea omnia, quæ ab ipso Summo Pontifice imponentur taliter absoluto, vel loco pœnitentiæ, & satisfactionis, vel tanquam remedium, vt cauere debeat, ne in futurum in eandem censuram incidat: Tandem vt caueat se facturum qnidquid prudenter ei iniunctum fuerit ratione delicti, qnod commiserat, à Summo Pontifice, & eadem ratio est de alijs casibus, & censuris reseruatis ab Episcopis, & alijs Prælatis, & talis promissio facta per illum, qui absolnitur ab inferiori, intelligitur de stando mandatis iustis sui superioris, vt notat Glos. in cap. Ex tenore Ver. Debeat de sent. excom. Quare, qui sic iurat, astringitur tantùm ad iustũ mandatum arg. cap. Causam quæ de elect. cap. Veniens, & cap. Quinta vallis de iure iur. His positis venio ad propositiones.

Prima propositio sit. Per cautionem de stando mandatis Ecclesiæ requisitam, in absolutione, quæ impenditur per inferiorem in articulo mortis, ab excommunicationibus Bullæ Cœnę, intelligitur promissio iure iurando firmata sine pignore, & fideinssione. Hæc propositio mihi videtur probabilis, & vera, quam optimè probant rationes allatæ pro prima sententia, & pręter eas potest eadem comprobari his argumentis.

Primò verba Constitutionum in quacunque dispositione interpretationem sumunt à iure cõmuni. l.vni. in princ. C. de inoff. doti. In Authen. vt Clerici apud prop. Epi. ante fi. ibi, *Et per hanc sacram declarata sunt legem*, cap. Cum dilectus vers. Cæterum cum supradictum statutum de consuet. cap. Ad audientiam cum Glos. in Ver. In Apostolicæ, & Glos. seq. de Cleri. non resid. ergo verba Bullæ Cœnæ accipienda sunt in ea significatione, quam habeat iure communi secundùm subiectam materiam. Sed cautio, quæ exigitur iure communi ab excommunicato ante absolutionem, est promissio iuramento firmata, ergo cùm Papa in Bulla

Cœnæ

Cœnæ præcipit, vt nemo absoluatur à censuris Bullæ, nisi præstita cautione de stando mandatis Ecclesiæ, interpretari debemus de cautione iuxta formam iure communi præscriptam. Hæc autem est cautio iuratoria, vt apertè constat ex multis locis iuris cap. Ex tenore de senten. excom. vbi ponitur forma præcepti, quod sub virtute iuramenti fieri debet illi, qui absoluitur, ibi, *Mandamus itque, quatenus recepto ab eo iuramento, quòd tuo debeat mandato parere, ipsum vice nostra à sententia, qua tenetur absoluas*. In cap. De cætero conceditur Episcopo, vt valeat absoluere eum, qui sine periculo vitæ Papam adire nō potest *Recepto iuramento secundùm morem Ecclesiæ*. De eodem iuramento sermo habetur in cap. Ea noscitur, in cap. Cum desideres præcipitur, ne quis audeat excommunicato communicare, *Nisi fuerit secundum formam Ecclesiæ post iuramentum præstitum absolutus*. In cap. Nuper in fi. *Vt præstita iuxta formā Ecclesiæ cautione &c.* In his, & alijs locis Iuris Pontificij traditur forma promissionis recipiendæ ab excommunicato ante absolutionem, & illa est cautio cum iuramento: Igitur censendum est eandem postulare Summum Pontificem hoc in loco, cùm permittit facultatem absoluendi à censuris Bullæ in articulo mortis.

Secundò idem confirmatur: Interpretatio facienda est a solitis, & ab his, quæ vsu & consuetudine recepta sunt, Innoc. in cap. Olim num. 2. vers. & est ea ratio de verb. signif. Abb. in cap. Certificari num. 2. de sepult. Soc. cons. 53. visu instrumento num. 8. volum. 4. Dec. cons. 441. Præsens consultatio nu. 12. & seq. Sed mos & consuetudo Ecclesiæ, vt patet ex iuribus citatis est, vt cautio iuratoria ab excōmunicato ante absolutionem recipiatur, ergo de hac cautione iuratoria est intelligenda hæc particula Bullę. Nam Papa regulariter non censetur aliquid disponere præter solitum, ac consuetus morem, nisi id expresserit, vt probat Bald. in l. fideicommissa. §. si seruo. ff. de leg. 3. Felin. in cap. Cum M. Ferrariensis num. 6. de Constit.

Secunda propositio sit, Ante absolutionem, quę traditur in casu necessitatis à censuris Bullæ Cœnæ, non requiritur tanquam necessaria conditio, vt absoluendus realiter satisfaciat parti læsæ.

Hoc manifestum esse videtur ex his verbis Bullæ, in quorum explicatione modò versamur: Nam Summus Pontifex non dixit in articulo mortis satisfactionem esse exigendam, sed cautionem de satisfaciendo, vt tolleretur ambiguitas: An in casu necessitatis oporteret, vt realis satisfactio præmitteretur, An verò posset impendi absolutio nulla satisfactione præcedente, vel ratione impotentiæ propter inopiam, vel ob temporis angustiam, vel ob alias causas. Quamuis enim probabilius sit pro quacunque reseruatione cautionem sufficere: In casibus tamen Bullæ Cœnæ res omni controuersia caret, quia ipsamet Bulla non exigit satisfactionem, sed cautionem. Quare non solùm ratione impotentiæ simpliciter, sed in minori necessitate, vel quacunque difficultate morali puto sufficere cautionem, vt valida sit absolutio tradita, cùm ex parte absoluentis non desit iurisdictio: nam Bulla loquitur solùm de cautione, & in pœnitente possit esse conueniens dispositio cum proposito satisfaciendi. Tamen negari non potest, quando excommunicatus actu satisfacere potest, & sine vlla mora, non solùm tutius, sed melius esse, vt satisfactio præmittatur, saltem vt sine peccato, & bene res fiat: Ideò in hoc casu Minister, vt fideliter suo munere fungatur, debet illam exigere.

Quæret aliquis, An quando Papa concedit facul-

A tatem absoluendi in articulo mortis *Satisfactione præmissa*, possit, ac debeat beneficium absolutionis impendi, si realis satisfactio non præcesserit; Aliquando enim reperitur concessa facultas absoluendi cum hac conditione, vt in Clem. 1. §. Verùm in fi. de Hæret. In Clem. 2. vers. Quod si secus eod. tit. ibi *Aqua*, scilicet excommunicatione *Non possint absolui, præterquam in mortis articulo, donec illis, à quibus extorserint plenè satisfecerint*. In cap. Ex parte 1. in fi. de verb. signif. *Nisi prius sufficiens præstetur emenda*.

Respondeo ex communi sententia Doctorum impendi posse beneficium absolutionis etiam nō præmissa satisfactione, si desit facultas ad satisfaciendum, vel temporis mora. Ita dicit Glos. in dicta Clem. 1. §. verùm Ver. Et tunc de Hæret. cùm ait, *Et hoc intelligo*,
B scilicet satisfactionem esse præstandam, *Si facultas est satisfaciendi, & tempus hoc patitur, alias absoluetur cum cautione*. Et hoc dictum Glosæ sequitur Cardinalis ibi num. 4. vers. Quartò oppono, quia ad impossibile nemo obligatur; Regula nemo de reg. iur. lib. 6. Abb. in cap. Quæstione num. 9. in fi. de appell. & reddit rationē, quia excommunicatio est medicina, & fertur propter contemptum, sed qui satisfacere nequit, non contemnit, si actu non satisfacit, ergo indulgendum est ei, vt admittatur ad cautionem. Neque enim Ecclesia redeūti gremium claudere solet. cap. Super eo de Hæret. lib. 6. Idem Abb. cap. In literis num. 5. de rapto. Felin. in cap. Cum contingat num. 1. & seq. de off. de-
C leg. Idem in cap. Pastoralis. §. Præterea num. 9. de off. ordin. Huic opinioni adhæret Nauar. in Manua cap. 27. num. 47. & 48. & addit hoc etiam locum habere in eo, qui potest satisfacere ante mortem, sed non commodè, puta nisi bona sua valde vili precio vēdat, dummodo sine graui, & notabili dāno partis differri posset, quo casu recipienda esset cautio sufficiens de satisfaciendo quantò citius.

Petes, An hæc sententia sit seruanda in absolutione tradenda a quacunque excommunicatione. Faciunt enim difficultatē verba, quæ habentur in cap. Ex parte 1. de verb. signif. ibi, *Insequendo verò*, id est casu. *Si offensa est manifesta, non credimus satisfieri congruè, vt re-*
D *laxetur sententia, nisi prius sufficiens præstetur emenda*.

Respondeo etiam quando manifesta est offensa posse absolui excommunicatum non præmissa actuali satisfactione: ita sentiunt Doctores citati, qui in specie loquuntur etiam, quando offensa est manifesta. Dicitur autem manifesta, vt declaratur in cap. Cum olim in fi. de verb. signif. *Quæ vel per confessionem, vel per probationem legitimè nota fuerit, aut euidentia rei, quæ nulla possit tergiuersatione celari*, Addit Glos. Ver. Confessionem, *Et per sententiam*, & loco satisfactionis præstatur cautio idonea, quod intelligitur vbi facultates excommunicati non sufficiunt ad satisfaciendum statim, vel tempus id non patitur, vt tradit Felin. in cap. Cum
E contingat num. 1. de off. deleg. vbi alios quoque casus enumerat, in quibus tradi potest absolutio omissa satisfactione. Ad tex. in cap. Ex parte de verb. signif. Respondet Abb. in cap. In literis num. 5. de rapto. ex sententia Goffr. intelligendum esse, quando quis in vita absoluitur, secus in articulo mortis. Est autem speciale in excommunicatione ob manifestam offensam, vt ante absolutionem exigatur realis satisfactio, licèt in alijs casibus sufficiat cautio. vt inquit Felin. in cap. Pastoralis. §. Præterea num. 8. de off. ordin.

Postulabis secundò, An absolutio tradita in articulo mortis omissa satisfactione, & sufficienti cautione sit valida.

Respon-

Respondeo talem absolutionem valere, si excommunicatus neutrum prꝑstare possit, puta neque satisfacere ob inopiam, neque cauere, qui vi morbi oppressus omisit loquelam, & ad impossibile nemo obligatur, arg. dicti cap. In literis, vbi hæredes cuiusdam incendiarij, qui in morte pænitens absolutus ab excommunicatione fuerat, compelluntur condignè satisfacere pro defuncto. Quare declaratur absolutio tradita valida, quamuis non præcesserit satisfactio, neque cautio, & cap. A nobis 2. in fi. similiter in casu defuncti in articulo mortis absoluti dicitur compellendos esse hæredes ad satisfaciendum, & latius hoc idem probaui contra Don. in. Sotum lib. 4. Disp. 4. cap. 4. Rub. 4. Quòd si cautio omittatur, cum exhiberi possit, adhuc puto absolutionem datam in articulo mortis valere. De qua difficultate pertractaui etiam in illa dubitatione 4. & fundamentum huius dicti est, quoniam licèt Summus Pontifex præcipiat, vt non absoluatur quis ab excommunicationibus Bullæ non præstita cautione, non apponit tamen hanc conditionem tanquam formam substantialis absolutionis, vt si illa omittatur, absolutio declaretur nulla, quia non addit decretum irritans, neque alijs verbis declarat velle, vt hæc conditio pertineat ad substãtiam, & essentiam absolutionis: quod vtique fecisset, si intelligere voluisset absolutionem nullam non præmissa cautione, Felin. in c. Cum accessissent num. 10. de Constit. Quia factum contra legem non est nullum ipso iure, nisi aliud in iure exprimatur, Gemin. cap. Statutum in fi. de rescript. lib. 6. facit ad hoc Glos. magistralis in Clem. 1. Ver. Inhibentes de iur. patron. Fateor tamen absoluentem in articulo mortis ab excommunicationi Bullæ nõ recepta prius cautione ab excommunicato grauis culpæ reum fore, & incidere in excommunicationem Bullæ, de qua in explicatione tertiæ clausulæ agam. Transeo ad tertiam propositionem.

Tertia propositio sit, Cautio de satisfaciendo parti læsæ exigenda ab excommunicato in articulo mortis ante absolutionem debet esse sufficiẽs, & idonea, idest cum pignore, aut fideiussione, si talem præstare valeat, & id fieri possit sine temporis mora propter periculum mortis, sin minus sufficiens erit iuratoria cautio.

Hæc conclusio sequitur euidenter ex ijs, quæ hactenus firmata sunt, si enim non est necessaria realis satisfactio ante absolutionem à censuris Bullæ Cœnæ, vt vidimus, & cautio nihilominus requiritur, vt in Bulla dicitur. ergo de cautione sufficienti, & idonea intelligere debemus. Idque probari potest primo quoniam quando satisfactio præmitti non potest, cautio procurari debet, quæ securitatem afferat, quantum moraliter fieri potest, talis autem est pignoratitia, vel fideiussoria, vt probatum est, igitur illa est præstanda, quando haberi potest, sin minus, saltem iuratoria. Secundò probatur, nam licèt ad validitatem absolutionis non sit necessaria satisfactio, vt dictum est, requiritur tamen, vt res bene, & legitimè fiat, & Minister absoluens excusetur à culpa. Quare quando ob aliquod impedimẽtum actu satisfieri nequit, simile aliquod cautionis, & securitatis genus loco satisfactionis præstari debet, talis est satisdatio, seu fideiussio. Satisfactio enim & satisdatio æquiparantur, Cald. cons. 2. An si Papa mandet in tit. de rescript. vbi quærit, An si rescriptum præcipiat dandam esse satisfactionem, intelligi possit de satisdatione, & respondet affirmatiuè Felin in cap. Ad hæc num. 2. de senten. excom. Et hæc de prima dubitatione.

Secundò quærere posset quis, An præter cautionem

A destando mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendo requiratur aliud ante absolutionem, quæ à censuris Bullæ Cœnæ in articulo mortis traditur.

Respõdeo necessarium esse, vt Minister recepta cautione absoluat excommunicatum, idest vt verbis exprimat velle auctoritate qua fungitur, à vinculo censuræ, quo alligatus tenetur, illum liberare, & Sacramentis Ecclesiæ, ac fidelium communioni restituere, quod Summus Pontifex supponit hoc in loco, ideo huius formæ non meminit. De ijs autem, quæ ad essentiam formæ absolutionis pertinent, & de cærimonijs ad eandem tradendam ex cõsuetudine Ecclesiæ requisitis plenè tractaui in lib. 4. Disp. 7. cap. 1. & 2. *Etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuscun-*

B *que personis ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis ordinum etiam mendicantium, ac militiarum Regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis.* His verbis Summus Pontifex reuocat omnia priuilegia verbo, literis, vel quacunque scriptura in genere, & in specie antea concessa, & innouata, vel in futurum concedenda, aut innouanda per Sedem Apostolicam, aut cuiusuis Concilij decreta quibuscunque personis ecclesiasticis tam secularibus etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis, quàm regularibus quorumuis ordinum etiam mendicantium, & militiarum.

Per facultates, & indulta intelligere debemus priuilegia, quibus conceditur potestas à Sede Apostolica, vel ab aliquo Concilio generali alicui personæ, vt sub-

C lato impedimento absolui posset à casibus, & censuris in Bulla Cœnæ contentis ab alio, quàm ab ipso Romano Pontifici. Quare indultum, seu facultas, quantum spectat ad rem nostram, est remotio impedimẽti, quod Episcopis, & alijs, quibus conuenit iurisdictio absoluendi a censuris ab ipso iure latis, per Bullam Cœnæ Domini infertur, in qua huiusmodi casus, & censuræ soli Pontifici Romano reseruantur, & tollitur ab alijs potestas absoluendi, tales facultates, & indulta verbis enarratis tolluntur, & omnino reuocantur, & iuxta hanc significationem vocamus indulta Cardinalium priuilegia, quibus a Papa conceditur potestas Cardinalibus disponendi quolibet mense de quibuscunque

D Beneficijs, quæ ab eorum, quos gerunt, titulis, & Episcopatibus pendent, quia enim impediuntur per regulas Cancellariæ quominus quolibet mense, & quæcunque beneficia conferant ideo datur eis indultum, quo obstacula remoueãtur, vt tradit Caputquen. post Cassad. decis. 214. num. 6. & 7. par. 2. Put. decis. 206. nu. 2. lib. 1. Idem decis. 162. num. 5. & num. 8. lib. 2. Eodem modo dicendum est de alijs indultis, quæ in hac clausula Bullæ abrogantur, & delentur, quibus obstaculum remouebatur, cuius vi alij omnes, vno excepto Papa a censuris Bullæ absoluere extra mortis articulum prohibebãtur. Huius generis dici potest indultum a Concilio Tridẽtino Episcopis concessum sess. 24. cap. 6. absoluendi ab omnibus casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis etiam ab Hæresi in foro conscientiæ, & alia

E similia, vel a Sede Apostolica cõcessa, vel ab alijs Concilijs generalibus, quæ omnia omnino abrogantur.

Hæc indulta reuocantur indistinctè, quibuscunque personis ecclesiasticis collata fuerint. Sunt autem personæ ecclesiasticæ in duplici differentia; Aliæ dicuntur seculares, quæ in seculo viuunt, & nullam regulam peculiarem profitentur, vt sunt Clerici seculares, de quibus in Clem. vni. de supplen. neglig. Prælat. Aliæ dicuntur Regulares, quæ in Religione viuũt sub regula, & emittunt vota essentialia. Primi generis personæ ecclesiasticæ significantur illa dictione *Secularibus*,

Secun-

Secundi generis denotantur illis vocibus, *Et quorumuis Ordinum Regularibus*, Vt autem Papa omnes personas regulares comprehenderet addidit, *Etiam Mendicantium, ac Militiarum*. Regulares enim alij sunt Monachi, & Canonici Regulares, qui floruerunt antiquis Ecclesiæ temporibus, antequam Mēdicantium Ordines fundarentur, & Monachi propriè in Iure Canonico accipiuntur, qui tribus votis adscripti bona stabilia non priuatim, sed communiter possident, & in vitæ solitariæ studium, & formam incumbunt. Quare Monachi propriè nominantur ij (vt ipsum nomen Græcè sonat) qui res stabiles in communi possidentes, silentio, quieti, ac contemplationi dediti, ac seorsum ab alijs hominibus viuunt, licèt aliquando Monachi appellatione omnis Religiosus significetur, cuiuscunq; ordinis sit, vt annotauit Abb. in cap. Ex parte De Postulando, Canonici Regulares cum Monachis conueniunt, quia vtrique tria vota Religionis emittunt. Differunt verò, quia Canonici laxiorem regulam tenent, & profitentur, vt habetur in c. Quòd Dei timorem de sta Monach. Vnde ait S. Tho. 2. 2. q. 189 art 8. ad secundum: Monachum ad Canonicos Regulares iure transire non posse, sed Canonicum Regularem posse ad Monachos transire petita facultate à Superiore, etiam non obtenta, vt colligitur ex cap. Licet De Regul. Post Monachos, & Canonicos Regulares appellatione Regularium significantur Mendicantes, & intelliguntur ij, quorum Cœnobijs ex Regula, vel Constitutionibus nequaquam est permissum fundos, prædia, possessiones annuos redditus, quæ omnia dicuntur bona stabilia, seu immobilia, communiter possidere; sed eorum Religiosi ex Eleemosynis sibi datis. vel ostiatim quæsitis victum, & alimenta comparant, Glos. in cap. Ex eo Ver. Mendicantes De Excess. Prælat. in 6. *Mendicantes*, ait, *dicuntur ij, quibus victum tribuit iniecta mendicitas, & qui reddi-tus, aut possessiones ex regula, vel Constitutionibus habere non possunt*, ex cap. 1. De Relig. Dom. lib. 6. sic etiam Glos. in cap. Quorumdam Ver. Mendicantes de Elect. eodem lib. Quo fit, vt duo sint Ordinum genera Mendicantium, Aut enim sunt Mendicantes ex Regula, aut sunt tales ex Constitutionibus Romani Pontificis auctoritate probaris, Mendicantes non ex Regula, sed ex Constitutionibus sunt Dominicani, Augustiniani, Carmelitani; nam Carmelitani sub regula Sancti Basilii viuunt; Alii verò sub regula B. Augustini, sed tum Basilii, tum Augustini Regula liberè permittit fundos, prædia, & stabilia bona communiter habere: Ipsi tamen Dominicani Constitutiones ediderunt, quibus possessiones, & bona immobilia etiam communiter repudiarunt, & quæ antea iam acceperant à se penitus abdicarunt. Augustiniani, & Carmelitani testibus Lapo Alleg. 46. & Ang. Cons. 12. Consuetudine tātum in Ecclesia approbata inter Mendicantes censentur. Verius tamen existimo eos esse ex suis Constitutionibus Mendicantes; At verò Franciscani, qui vulgò Obseruantes, vel Capucini vocantur sunt ex regula Mendicantes; nam Sancti Francisci regula prohibet fundos, prædia, possessiones, annuos fructus, & quælibet alia bona immobilia communiter possidere. Tertio loco nomine Regularium intelligūtur illi, qui tribus Religionis votis adstricti formulam aliquam viuendi auctoritate Ecclesiæ approbatam professi eum hostibus fidei, & Religionis Christianæ bella, siue naualia, siue terrestria committunt, & hi Regulares, vocantur Militares, Religiosi; Militares inquam, quoniam profitentur regulam ad militādum institutam, Religiosi

A verò quòd tribus se Religionis votis obstringunt. Huiusmodi sunt Milites Hospitalarij Sancti Ioannis Hierosulymitani, & in Hispania Milites trium Militarium Ordinum, qui vocantur nomine Sancti Iacobi Calatranæ, & Alcantaræ.

De his Ordinibus Militiarum dubitant Doctores, An sint verè, & simpliciter Religiones, Dominic. Sot. lib. 7. de Iust. & Iu. q. 5. art. 3. ad 3. Sarmien. lib. de reddit. Eccles. par. 4. cap. 1. num. 13. Couar. in 4. lib. Decretal. de Matrim. par. 2. cap. 3. §. 1. num. 18. prope fi. censent illos Ordines Militares, qui regulæ instituto castitatem tantummodo coniugalem profitētur, non esse simpliciter, & propriè Religiones; illos verò Ordines, qui absolutè, & simpliciter castitatem Deo pollicentur, posse dici Religiones, Vnde inquiunt Militaris

B Ordo eorum, qui dicuntur Hospitalarii Sancti Ioānnis Hierosolymitani, est simpliciter Religio; nam eius Milites absolutè castitatem vouent, nec matrimonio copulari queunt. At ordo eorum, qui vocantur Milites Sancti Iacobi in Hispania, non est propriè & simpliciter Religio, quoniam eiusmodi Milites absque vlla Pontificis auctoritate, sed sola facultate à Magno Magistro impetrata in matrimonio vxores habere possunt, quia regulæ instituto solùm castitatem coniugalem promittunt, idque concludunt ex eo, quòd ad substantiam Religionis pertineat castitas absolutè voto promissa, non autem sola castitas coniugalis. Quare S. Tho apertè fatetur 2. 2. q. 186. art. 4. Eos vi-

C uendi modos, in quibus homines matrimonio vtuntur, non esse simpliciter Religiones, sed quadam ex parte, quatenus scilicet quædam habent, quæ ad Religionis statum pertinent. Verùm contra, Nauar. in Tract. De Reddit Eccles. quæst. 1. num. 55. & q. 3. num. 27. & 29. & cōs. 21. & 23. De Regular. Fortunius Garsias in cons. edito pro Militia Sancti Iacobi 2. par. vers. Præteres, probat Milites S. Iacobi professos, & cæteros similes esse verè, & propriè Religiosos, eo argumento, quia tria vota emittunt sub regula Ecclesiæ approbata, nimirum aut S. Augustini, aut S. Basilij, aut S. Benedicti. Dicerem ego ad hanc difficultatem, omnes huiusmodi Milites, qui tria vota ad Religio-

D nis essentiam spectantia emittunt, esse Religiosos, sed non eodem modo Nam illi, qui iuxta regulæ præscriptum castitatem simpliciter spondent, sunt verè, & propriè Religiosi. Qui verò castitatem tantum coniugalem profitentur, non possunt adeò propriè, & absolutè vocari Religiosi, nam vt S. Tho. tradit perspicuè, non sunt simpliciter Religiosi, qui matrimonio vtuntur. Quod si Summus Pontifex in suis literis, & Constitutionibus Militares Ordines appellat simpliciter Religiones, fortassis hoc ideo fit, quia constant ex Clericis, & Militibus castitatem simpliciter profitētibus, qui voto paupertatis, & obedientiæ adscricti in domicilijs commorantur ac viuunt, Magistri, seu

E Prioris potestati subiecti. Si dicas quemadmodum votum obedientiæ, & paupertatis pro varietate Religionum est arctius, aut laxius, ita votum quoque Castitatis potest esse maius, & minus: Respondeo idem iuris esse de voto paupertatis, & obedientiæ, quod de Castitatis voto in hoc quod sicut natura Religionis exigit, vt castitas non tātum coniugalis promittatur, sed castitas simpliciter, sic etiam requirit, vt Religiosus non sit sui Iuris, sed alienæ voluntati subiectus, nec propriè bonis sua voluntate, sed Superioris vtatur. quamuis obediendi vsus, & propriis vtendi data facultas pro varietate Religionum maior, minorue, arctior, aut laxior data sit facultas.

Ex

Ex dictis constat, quę genera personarum comprehendantur verbis propositis Bullæ, scilicet quęcunque Ecclesiasticæ personæ seculares vel Regulares cuiusque Ordinis etiam Mendicantium ac Militiarum addidit *ac Militiarum* ad tollendam omnem ambiguitatem, quia dubitari potuisset, an tales Milites Iure communi Regularium nomine intelligerentur, nam Abb. in Rubr. de Regulat. Sylue. Ver. Ecclesia 1. q. 6. prope fi. & in Ver. Religio 1. quæst. 1. Vers. Tertium Hospitalarij, Angel. Religio numero 4. tenent in his, quæ ad fauoris, priuilegia, ac beneficia pertinent Milites, qui vna cum paupertate & obedientia castitatem simpliciter promittunt nomine Religiosorum Iure communi censeri, at in ijs, quæ ad odium & pœnam attinent, appellatione Religiosorum prædictos non comprehendi Milites autem, qui castitatem coniugalem profitentur, neque etiam in ijs, quæ ad fauorem spectant, contineri nomine Regularium. Oppositum tenet Glos. in capit. Quisquis 17. q. 4. & ibi Archid. Item Io. And. in Rub. de Regular. Tandem, vt includeret personas Ecclesiasticas seculares, aut Regulares non tantum Inferiores, sed etiam in dignitate constitutas, subiunxit *Etiam Episcopali vel alia maiori dignitate præditis*, idest, Archiepiscopali, Patriarchali, Cardinalitia, vel alia quomodocunque nuncupata.

Ipsisque Ordinibus & eorum Monasterijs, Conuentibus, Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis.

Abrogauit Bulla Indulta & facultates concessas personis Ecclesiasticis, secularibus, aut Regularibus, quarum vi absolui potuissent à casibus Bullæ Cœnæ ab alio, quàm à Romano Pontifice modo easdem facultates tollit, quæ non singularibus personis, sed Collegijs, Vniuersitatibus, & Congregationibus Ecclesiasticis collatæ fuerint, *Ipsisque Ordinibus* scilicet Regularium etiam Mendicantium, & Militiarum, ordo dicitur cœtus seu numerus aliquorum eiusdem gradus, conditionis, & status. Vnde qui in eadem dignitate sunt constituti, dicuntur eiusdem ordinis, vt ordo Cardinalium, Episcoporum, & similes. Quare tres hominum ordines olim Romę fuerunt, Primus Senatorius, medius Equester, à quo ad Senatoriam dignitatem ascensus erat, & infimus Plebeius. Ad hos ordines respexit Vlpia. in l. 1. §. sed & si setuus ff. de inspic. ventre, cum inquit, publicè enim interest partus non subijci, *vt ordinum dignitas familiarumque salua sit*, Eodem modo, qui eandem Regulam Religionis profitentur, & idem vitæ institutum sequuntur, eiusdem ordinis dicuntur, Monasteria accipiuntur pro locis, & domibus, in quibus habitant Monachi, & Religiosi l. Generali. Cod. de Sacr. Sanct. Eccles. quæ vocantur etiam Cœnobia, quia in illis Religiosi communiter viuunt, vt inquit Abb. in capitulo Tua nuper numero tertio, Vers. Nota ibi, de his quæ §. à Prælat. In Bulla voce hac *Monasterijs* intelliguntur Religiosi degentes in illis locis, & idem significatur nomine Conuentuum, vt Abb. notat in eodem loco, & dicitur Conuentus, quia Religiosi simul in tali loco conueniunt, capit. Cœtus distinct. 15. Quare Conuentus appellatur Collegium Monachorum & Religiosorum esp. Edoceri de rescript. Clement. 2. eod. tit. Vnde Ecclesia Conuentualis vocatur in capit. Nobis de iu. patro. vt ibi Glos. Ver. In Conuentuali notat, in qua duo vel tres constituunt Collegium; domus est nomen generale, quod significat quodcunque ædificium ad habitandũ factum, hoc in loco sumitur pro habitatione Religiosorum. Aliquæ enim Religiones habent domos professas distinctas à Collegijs. Per Capitula & Collegia intelliguntur Congregationes, & Collegia, vel Clericorum secularium, vel ipsorum Religiosorum. Quid sit Collegium tractant Doctores in cap. 1. de elect. nomine Confraternitatum denotantur sodalites & societates fideliũ erectæ, vt personæ in eis ascriptæ se exerceant in operibus spiritualibus diuersis pro varietate institutorum cuiusque Confraternitatis. Per Congregationem accipimus Collegium, & è contra. Vtrum verò ad constituendum Collegium requiratur maior numerus hominum, quàm ad Congregationem, tractat Glos. & Doct. in dicto c. 1. de elect. Appellatione Hospitalis in Iure Canonico intelligitur domus, seu locus pietatis & misericordiæ causa ædificatus ad excipiendos, curandos, & etiam alendos infirmos & egenos, à Græcis vocantur Xenodochia, & pluribus alijs nominibus. Horum locorum mentio habetur apud Iustinianum in l. sancimus 2. C. de Sacr. San. Eccles. & cap. In qualibet §. sancimus 23. quæst. 8. Tandem ad includendum omnia loca, quibus fortasse hoc Indultum concessum esset, vt personæ in illis degentes absolui possent à censuris Bullæ Cœnæ ab alio, quàm à Romano Pontifice, additur clausula illa, *Et locis piis*. Locus enim pius est domus Religiosa ad pios vsus instituta. Vnde extat titulus in Iure Canonico de Religiosis domibus, & talis locus auctoritate Episcopi est extruendus Abb. in c. Ad hæc de Relig. Domi.

Necnon Laicis etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus. Reuocauit Summus Pontifex priuilegia & Indulta concessa personis Ecclesiasticis, & earum Collegijs & ordinibus, his verbis eadem abrogat, si concessa fuerint Laicis quibuscunque, quamuis sint Reges, vel etiam Imperator. Si reuocatur priuilegium Imperatori concessum, qui maior est omni Principe Laico: dicitur enim Dominus Mundi l. Deprecatio ff. Ad leg. Rhod. de iacr. in l. Bene à Zenone Cod. de quadri. præscri. multo magis abrogata censeri debent eadem priuilegia alijs quibuscunque Principibus elargita, quod significat clausula illa vniuersali, *Et alia mundana excellentia fulgentibus*.

Per nos & dictam Sedem, ac cuiusuis Concilii decreta verbo, literis, aut alia quacunque scriptura in genere & in specie concessorum & innouatorum, ac concedendorum & innouandorum. Declarat Summus Pontifex, quæ priuilegia & Indulta intendat reuocare, nempe illa, quæ à Sede Apostolica, vel à Concilio Generali emanauerint. Papa enim & Concilium Generale confirmatum ab ipso Papa tantum, habent auctoritatem concedendi facultatem, vt quis absolui possit ab Inferiori à censuris Bullæ Cœnæ, quæ Sedi Apostolicæ sunt reseruatæ, & reuocantur huiusmodi Indulta quomodocunque sint concessa, idest verbo, literis, aut alia quacunque scriptura verbis generalibus seu specialibus, & abrogantur non solum Indulta antea semel concessa, vel etiam iterum innouata & confirmata, sed illa quoque, quæ in futurum concederentur & innouarentur.

Simile habetur in Clem. Dudum ante fi. de sepult. Vbi reuocantur priuilegia verbo aut scripto à Papa concessa, & Glos. ibi Ver. Verbo notat ex illo loco valere priuilegium à Sede Apostolica concessum, si probari potest, licèt de eo non sit confecta scriptura.

Sixtus Quintus in Bulla addidit clausulam post illud verbum, *Et innouandorum*, scilicet, *Nisi in eis etiam casus præsentibus literis expressi comprehendantur*, quæ legitur etiam in Bulla Clementis Octaui edita. Hanc clausulam non apponit Summus Pōtifex Paulus Quintus in hac Bulla, quam explicamus, nec habetur in Bulla Gregorij xiij. apud Nauarrum, neque in illa Pauli Tertij, quæ declaratur à Rebuffo, neque in Bulla Clementis Septimi, neque in alijs antiquioribus, quæ clausula plurimum coarctat reuocationem horum priuilegiorum, vt inferius videbimus.

Per vos, idest per ipsum Summum Pontificem Paulum Quintum, *Et dictam Sedem*, scilicet Prædecessores Pontifices, & futuros, qui sequentur post ipsum, *Ac cuiusuis Concilii decreta*, De generali Concilio per Papam confirmato interpretari debemus, quia tale Concilium solùm potest tribuere hanc facultatem absoluendi à talibus reseruatis Sedi Apostolicæ, *Verbo literis, aut alia quacunque scriptura*. Dicitur hoc in loco priuilegium verbo concessum sine voce, & sine vlla scriptura fuerit elargitum, literis autem, si non tantùm voce, sed scriptura confirmatum fuerit, quæ literarum formam tenent. Duæ autem sunt præcipuè literarum species, quibus vtitur Summus Pontifex, de quibus tractaui in Disput. prima cap. primo, scilicet Bullæ Plumbeo sigillo munitæ, & literæ in forma Breuium signatæ cum Anulo Piscatorio. Et vt includerentur omnia priuilegia cuiuscunque generis, & sub quacunque forma scripturę concessa additum est, *Aut alia quacunque scriptura*.

Obijcies contra, nam ad validitatem priuilegij videtur necessaria scriptura, quod colligitur ex capit. Porrò de priuileg. ibi, *Quod totum ex inspectione priuilegiorum suorum plenius aduertere potes*, Glos. in cap. primo Ver. In scriptis de censibus lib. 6. inter alios plures casus, quos enumerat & in quibus dicit requiri scripturam, tertius casus est in priuilegiis, ergo priuilegia solo verbo concessa non sunt valida, quare de iis priuilegiis, quæ solo verbo concessa erant tanquam nullius roboris, & momenti, non opus erat vllam facere mentionem, neque illa reuocare.

Respondeo ad essentiam, & valorem gratię, & priuilegii non requiri scripturam, vt post alios multos probat Dec. in Rub. de Constit. quia omnis constitutio potest verbo fieri, nisi Canon, vel lex requirat ad actus valorem scripturam, vt inquit Glos. citata in dicto cap. 1. de censibus lib. 6. & Abb. in cap. 2. de probat. Et quamuis inter alios casus, in quibus scriptura est necessaria, Glosa recenseat casum priuilegiorum, tamen Glosa intelligit de necessitate probationis, non valoris, vt in fi. declarat, & probat Abb. in cap. Auditis num. 3. de restit. in integr.

In genere, & in specie. Tolluntur omnia Indulta, siue generalia, vt si concessa fuerint, vt absolui possint à casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, siue specialia, vt si detur facultas etiam à casibus Bullæ Cœnę absoluendi. Item siue semel tradita fuerint, siue iterum, & sępius innouata. Et non tantùm abrogantur priuilegia hactenus concessa, & innouata, sed in futurum concedenda, & innouanda: quod significatur illis postremis verbis, *Concessorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum*.

Quid oporteat priuilegiorum innouatio, & confirmatio tradit Ias. post Bart. & alios in l. priuilegia. C. de sac. san. Eccles. quę innouatio non confert nouum ius, sed conseruat vetus, si extabat primum priuilegium, secus autem, si fuisset sublatum, & reuocatum.

A Tunc enim si innouetur à Papa confertur nouum ius, vt inquit Abb. in cap. Quia de priuileg. de solemnitatibus autem adhibēdis in innouatione priuilegiorum agitur in cap. fin. de fid. instru. & in cap. Albericus, & in cap. Significauit de testi.

Sed modò quæret quis, cũ in hac Bulla Pauli Quinti non sit apposita illa clausula, quæ adiecta fuit à Sixto Quinto, & Clemente Octauo in suis Bullis, vt dixi, idest, *Nisi in eis etiam casus præsentibus literis expressi comprehendantur*, verùm hoc tempore sint abrogata huiusmodi priuilegia, in quibus continentur expressi omnes casus Bullæ Cœnæ, vel potius è contra illa non sint sublata, sed maneant valida, vt illorum vi possint priuilegiati absolui à casibus Bullæ ab alio, quàm à Romano Pontifice.

B Respondeo quantum mea sententia consequi possum, Indulta huiusmodi, in quibus enarrantur sigillatim casus Bullæ, & traditur facultas expresse ab illis absoluendi concessa Regularibus, Confraternitatibus, & quibuscunque aliis, non intelligi reuocata per Bullam Cœnæ, quamuis hoc tempore non legatur in Bulla illa exceptio addita à Sixto, & Clemente. Et ratio est, quoniam tolluntur solùm Indulta in genere, & in specie concessa: Igitur non intelliguntur sublata illa, quæ in indiuiduo tradita fuerunt, nempe vbi tribuitur facultas absoluendi ab hoc casu particulari, & ab illo, puta à crimine Hæresis, appellationis ad futurum Cōcilium, deprædationis maritimæ, & sic de cæteris. C Si enim Papa abrogare voluisset quoq; Indulta hoc modo loquentia indiuidualiter, cum expressione singulorum casuum, non dixisset tantùm in genere, & in specie, sed etiam in indiuiduo. Quando enim legislator statuere aliquid intendit, illud declarat, & apertè significat. l. 1. §. sin autem ad deficientis. C. de caduc. tollen. cap. Ad audientiam de deci. Glos. in cap. Vt circa Ver. Adhærentes, & in cap. Cupientes. §. si verò in discordia Ver. Priuentur de elect. lib. 6. Quare id, quod non exprimitur à lege, vel Constitutione, pro omisso habetur. l. si verò. §. de viro. ff. solut. matri. & hanc ob causam puto non fuisse adiectam illam clausulam, *Nisi in eis etiam casus præsentibus literis expressi compre-* D *hendantur*, quoniam etiam absque hac clausula dicta exceptio subsistit: Nam abrogantur solùm priuilegia in genere, & in specie collata, non in indiuiduo, quod fit, vbi enumerantur casus in Bulla expressi.

Sed dicet aliquis, si hoc modo interpretemur Bullam, sequetur facultatem illam concessam in Concilio Trident. sess 24. cap. 6. de reform. Episcopis absoluendi Hæreticos occultos non esse reuocatã per hanc clausulam Bullæ, oppositum tamen supra firmatum, & conclusum fuit, consequentia euidenter probatur: Nam non reuocantur indulta, & facultates in indiuiduo concessæ, talis est hæc facultas concessa Episcopo absoluendi peculiariter à crimine Hæresis, ergo hæc E abrogata non intelligitur, vnde sequetur aliud absurdum, nempe non esse sublatam facultatem absoluendi hoc in loco à crimine Hæresis, & esse abrogatam, quoad alios casus Bullæ, quoniam alii casus non exprimuntur in indiuiduo à Concilio, sed solùm crimen Hæresis, quod asserere ab omni ratione alienum esset, cùm Hæresis sit deterior, & magis perniciosa, quàm alii casus, & idcirco in Concilio tribuitur facultas solis Episcopis absoluendi ab Hæresi, quoad alios verò casus conceditur facultas etiam eorum Vicariis.

Immo, si ad hunc modũ interpretemur verba huius clausulæ, sequitur aliud absurdũ, nimirum nõ abrogari facul-

facultatem concessam in eodem Concilio absoluendi ab alijs casibus Bullæ, quoniam licèt in illo cap. sexto Concilij non exprimantur in indiuiduo alij casus Bullæ, vno excepto crimine Hæresis; tamen quia exprimitur peculiariter Hæresis, censentur omnes alij expressi, exceptio enim firmat regulam. Quare Cùm Concilium prius ponat clausulam generalē, per quam concedit Episcopis omnes casus occultos reseruatos Summo Pontifici, & postea addat expressionem peccati Hæresis, censendum est de alijs casibus, ac si expressisset, vt in simili probat tex. in cap. Qui ad agendum de procurat. lib. 6. Vbi expressio aliquo articulo ex multis speciale mandatum exigentibus, adiecta clausula generali, omnes alij expressè intelliguntur.

B Respondeo ad has obiectiones, & ad primam rationem de facultate expressè concessa in Concilio absoluendi à crimine hæresis, dico, quòd licèt fortasse sola verba Bullę iuxta interpretationem traditam non cogerent nos ad asserendum virtute huius clausulæ esse abrogatam facultatem illam Episcopis concessam à Concilio, tamen ita fateri debemus, cùm sciamus hāc esse voluntatem Summi Pontificis, & constet ita expressè declarasse alias Pium Quintum, & Gregorium Decimumtertium, vt superius monui. Ad aliam rationem, quòd cùm sit expressa Hæresis in Concilio, intelligantur omnes alij casus Bullæ etiam expressi, & ita non erit abrogata hæc facultas absoluendi à casibus Bullæ, si vera est explicatio, quam tradidi, nimirum non abrogari Indulta, in quibus continentur casus Bullæ in indiuiduo. Respondeo quòd hæc ratio vim haberet, si Bulla non tolleret omnia Indulta generalia, & specialia, sicut facit. Tunc enim vno casu expresso, alij supponerentur expressi; sed cùm Indulta generalia, & specialia reuocentur, sequitur necessa-

A rium esse ad validitatem Indulti, vt in eo in indiuiduo enumerentur casus Bullæ.

Sed quæret aliquis, An per hanc clausulam Bullæ sint reuocata priuilegia concessa sodalitati Sanctissimæ Trinitatis Vrbis, Hospitalibus Sancti Spiritus in Saxia, Sancti Iacobi Incurabilium, Sanctæ Mariæ Consolationis, & quibusdam alijs Societatibus, & Hospitalibus Vrbis. Similiter Hispanis per Bullam Cruciatæ, quorum priuilegiorum fauore potest idoneus Confessarius eligi, qui absoluere valeat semel in vita, & in articulo mortis ab omnibus casibus etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis.

Respondeo hæc priuilegia esse reuocata, si in illis casus Bullę Cœnę non comprehenduntur in indiuiduo expresse, sed tantum in genere, vel in specie, puta quia conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicę reseruatis, talis enim facultas erit generalis, vel etiam à casibus contentis in literis in die Cœnæ Domini legi consuetis, & erit facultas specialis, & vtraque abrogatur per Bullam, ergo requiritur expressio indiuidua casuum Bullæ, vt dixi, qui si hoc modo continentur in citatis priuilegiis, non erunt abrogata, sin minus talia priuilegia quoad hāc partem intelliguntur sublata, nisi Summus Pontifex expresse in illis asserere velle, vt dicti casus Bullæ haberentur pro expressis, ac si ad verbum essent inserti,

C vel nisi apposuisset clausulam, non obstantibus quibuscunque, etiamsi essent talia, quorum mentio facienda esset de verbo ad verbum quorum tenores volumus haberi pro expressis. Per hanc enim clausulam tollitur necessitas inserendi tenorem contrariorum, vt probauit Nauar. in Comment. in cap. Si quando excepr. 1. num. 1. de rescript. & Couar. in Rub. de testam. par. 2. num. 20.



CLAVSVLA TERTIA.

QVOD SI FORTE ALICVI CONTRA TENOREM PRAESENTIVM TALIBVS excommunicatione, & anathemate laqueatis &c.

CAPVT III.

De excommunicatione lata contra eos, qui de facto innodatos censuris Bullæ Cœnæ absoluere præsumunt.



IN hac clausula apponitur pœna in eos, qui excommunicatos aliqua censura Bullæ Cœnæ absoluere audent, & hæc duplex est; Alia certa & specialis; Alia incerta, & arbitraria. Certa est excommunicatio, Papa enim pronunciat excommunicationem ipso Iure incurrendam in eos, qui absque licentia, & contra tenorem Bullæ Cœnæ obstrictis excommunicatione, & anathemate Bullæ absolutionis

D beneficium impendere de facto præsumpserint: Pœna incerta est, quam Papa aduersus eosdem infligit, quia dicit se grauius spiritualiter, vel temporaliter processurū pro ratione delicti, vt magis expedire iudicabit.

In Bullis Antiquioribus, vt Pauli Tertij apud Petr. Rebuff. in eius explicatione, & Clementis Septimi; Immo in Bulla Martini Quinti apud B. Antoni. 3. par. summæ tit. 24. cap. 72. præter excommunicationem inferuntur aliæ pœnæ certæ, & speciales nempe talibus absoluere præsumentibus interdicitur officiū Prædicationis, lectionis, administratio Sacramentorū facultas audiendi confessiones. Quæ pœnæ his verbis declarantur in Bullis prædictorum Pontificum, *Eisque prædicationis, lectionis, administrationis Sacramentorum, & audiendi confessiones officia interdicimus.*

Quantum spectat ad verba huius clausulæ, duo sunt annotanda, quę indigent aliqua declaratione. Primum est, quid significet illa particula *De facto præsumpserint*, scilicet absoluere huiusmodi excommunicatos. Præsumere, vt tradit Felin. in Rubr. de præsumpt. duobus modis capitur in Iure. Primo modo, vt idem sit, quod de re aliqua notitiam quandam verisimilem ex coniecturis elicere. In hoc sensu accipitur in toto titulo de præsumpt. Secundo modo præsumere denotat actum ausu temerario contra legem sine auctoritate Superioris gestum, & in hac significatione sumitur hoc in loco. Vnde Abb. in cap. Decernimus num. 6. cum Glos. in Ver. Præsumatur de Iudi. inquit illum præsumere, qui rem agit propria auctoritate, cùm nō possit, sicut in terminis, de quibus agimus, cū Sacerdos propria auctoritate absoluit à casibus Bullæ Cœnæ, quæ facultas ei est denegata. Idem Abb. in cap. Cum venissent num. 15. in fi. de restit. in Integr. dicit hoc verbum sonare in malam partem, & denotare aliquid fieri de facto, non de Iure, vt notat Felin. in c. Iudæi nu. 8. cum Glos. Ver. Præsumant de resti. quare interpretando verbum *Præsumpserint* positum in hac clausula, in ea significatione, quam dixi, vt comprehēdat illos, qui scienter, dolo, ac temeritate ducti sine auctoritate Sedis Apostolicæ absoluunt laqueatos aliqua excommunicatione Bullæ Cœnæ, sequitur in excommunicationem latam in hac clausula incidere illos tantùm, qui hoc modo absoluūt, quod vt magis declaret Summus Pontifex, addidit dictionem *De facto*, licèt tacitè contineretur in verbo *Præsumpserint*, quasi dicat scientes non posse de Iure absoluere huiusmodi excommunicatos, de facto nihilominus absoluere audent.

Hinc infertur nōn esse locum huic excommunicationi, vbi quis bona fide sine dolo non animaduertens id sibi non licere absoluit aliquem ex his excommunicatis, dummodo non laboret ignorantia crassa, & culpabili, vt tenet Nauar. in Manua. cap. 27. num. 73. cuius dicti illa ratio est assignanda, quoniam, vt innuit Felin. in Rubr. de præsumpt. quoties lex, vel Constitutio vtitur hoc verbo *Præsumpserit*, tunc non habet locum in eo, qui non ex contemptu, sed ex ignorantia illam transgreditur, quia præsumere denotat dolum, & temeritatem, vt rectè notat Card. in Clement. 1. in princip. quæst. 39. de priuileg. ita dicens se consuluisse in terminis eiusdem Clem. Vbi Religiosus ministrauit Sacramentum Eucharistiæ sine licentia Parochi, & idem tenet Calde. consil. quarto in tit. de senten. excommunic. quod incipit, Sacerdos Parochialis vbi quendam Sacerdotem, qui non temerariè, & scienter, sed ex ignorantia celebrauerat in loco interdicto supposito excusare nititur ab excommunicatione, & alijs pœnis latis in cap. Episcoporum de priuileg. lib. sexto ob illam rationem, quia textus vtitur verbo *Præsumpserint*, Idem asserit Caiet. in Summa Ver. Excommunicatio cap. 58. & 81. & Nauar. in cap. Accepta oppos. octaua numero trigesimosecundo, & seq. de restit. spoliat.

Et hæc sententia præsertim vera est in foro conscientiæ, in quo fides adhibenda est asserenti ex ignorantia deliquisse, non ex dolo, & temeritate, vt inquit Card. in dicta Clement. prima quæst. trigesimanona de priuil. & Nauar. in dicto cap. Accepta oppos. 8. sed potest quoque locum habere in foro Iudiciali, vt dicunt Card. & Felin. Nam quamuis ignorantia Iuris non excuset Reg. Ignorantia de reg. iur. lib. sexto, tamen vbi ex probabilibus coniecturis colligi potest non fecisse ex præsumptione, sed ex aliqua probabili

A ratione excusatur concludit tamen Card. quòd quia fortè aliqui aduersari possent contendentes probare Reum eo ipso ex præsumptione deliquisse, quòd legem violauerit, idcirco tutiùs esse, si in foro exteriori petatur absolutio ab excommunicatione.

Ex eodem verbo infertur secundò non incidere in hanc excommunicationem Sacerdotem, qui vi, & metu cadente in virum constantem coactus absoluit excommunicatum: Nam tunc non sponte, & ex præsumptione beneficium absolutionis impendit, quod requiritur ad incurrendam hanc excommunicationem, neque peccat, cùm actus non sit voluntarius, si-
B ne peccato verò nunquam excommunicatio incurritur, & hæc de primo notando circa verba.

Secundò notandum est absolutionem traditam contra tenorem præscriptum à casibus Bullæ non valere, & esse nullius roboris, licèt enim in hac clausula inferatur tantùm pœna excommunicationis contra præsumentes absoluere, & nihil statuatur de absolutione tradita, quamuis etiam in Bulla Pauli Tertij, Clementis Septimi, & Antiquioribus adderentur hæc verba in fine huius clausulæ, *Et nihilominus quidquid egerint absoluendo, vel alias, nullius sit roboris vel momenti*, quæ apertè indicabant absolutionem inualidam esse, quæ verba cùm modo omittantur, posset sumi argumentum, mentem Summi Pontificis esse,
C vt absolutiones ad hunc modum traditæ non essent irritæ, sed absoluens tantùm remaneret censura innodatus.

Tamen oppositum est affirmandum, nempe Sacerdotem contra tenorem Bullæ absoluere præsumentem ipso Iure excommunicatum esse, & nihil facere, quia absolutio est nulla, & ratio est, quia caret iurisdictione, quæ necessaria est ad absoluendum, & sine qua absolutio est nullius momenti: quare clausula, quæ legebatur in Bullis antiquis, ad maiorem declarationem apponebatur, non quia esset necessaria, vt illa non adiecta, absolutio valere posset, vnde absolutio tradita à casibus Bullæ, non accepta facultate à Romano Pontifice, est ipso Iure nulla, & Sacerdos ab-
D soluens est excommunicatus.

Dices, ergo eadem ratione, si Laicus tentaret absoluere, in excommunicationem incideret, quamuis absolutio esset nulla: Respondeo non esse eandem rationem de Laico, sicut de Sacerdote, nam Laicus non est capax huius iurisdictionis spiritualis, quæ requiritur ad valorem absolutionis, cùm careat potestate Clauium, nec est habilis ad illam accipiendam, & ideo non potest absoluere.

De qua re tractatum est in lib. quarto Disputat. quinta cap. primo. At Sacerdos est capax huius potestatis, & idcirco non est credendum Summum Pontificem hoc in loco voluisse Laicos censura excommunicationis afficere, si præsumerent absoluere, sed
E alia pœna plectendi essent, si quid tale tentarent. Et ad hunc modum respondet Card. in Clement. prima numero primo vers. quinto quæro de priuileg. Vbi asserit Laicum administrantem Sacramenta contra tenorem illius Clement. non incurrere pœnas in eadem Clem. latas cùm ordine Ecclesiastico careat, & prius quærenda est persona, quàm ratio l. quidam. ff. de Iur. condi.

His annotatis circa verba, propono aliquas dubitationes.

Prima dubitatio sit, vtrum Parochus, qui sine licentia Sedis Apostolicæ absolueret suum subditum à peccato commisso contra Bullam Cœnæ, non autem à cen-

à cen-

à censura ratione illius delicti contracta, incurreret excommunicationem huius clausulæ. Difficultas oritur ex illis verbis, *Talibus excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficiū impendere de facto præsumpserint.* Ex quibus apparet Summum Pontificem loqui de illis, qui absoluunt ab excommunicatione, & anathemate, ergo pęna excommunicationis inflicta contra absoluentes afficit tantùm illos, qui absoluunt ab excommunicatione, & non extenditur ad illos, qui præsumunt absoluere solùm à peccato, non ab excommunicatione, si enim comprehendere voluisset absoluentes à peccato, vtiq; expressisset, sicut fecit de excommunicatione, arg c. Ad audientiam de Dec. ibi. *Nam si intelligeremus tantummodo de nonalibus, vbi ponimus de laboribus, de nonalibus poneremus.* Vbi Glos. Ver. Intelligeremus notat à forma verborum sine certa scientia non esse recedendum. Idque maximè locum habere videtur in pœnalibus, in quibus non fit extensio, Glos. in Clem. 1. Ver. A Canone de priuileg.

Ad hanc dubitationem dicendum puto locum esse huic excommunicationi non solum quando impenditur absolutio ab excommunicatione, sed etiam quando quis de factu absoluitur à peccato contra Bullam Cœnæ & quamuis absolutio sit nulla, graue peccatū ab absoluēte, committitur cum decipiat peccatorem & se ipsum. Et videtur probari euidenter ex ipsis verbis, hæc enim clausula refertur ad præcedentem, in qua agitur de absolutione à casibus Bullæ, in hac verò tertia clausula imponitur pœna præsumentibus absoluere contra tenorem præscriptum in præcedente clausula, ergo hæc declaranda est per illam, quia vna Constitutio per aliam declaratur, l. vt gradatim. ff. de mune. & honor. l. fin. C. qui testam. fac. poss. Paris. cons. 157. Nobilis nu. 39. vol. 4. Verum in præcedenti clausula non magis agitur de absolutione censurarum, quàm peccatorum, sed simpliciter dicitur in princ. *Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium etc.* Et in fine Bullæ Clementis Octaui clarius vocabuntur casus, ibi, *Nisi in eis etiam casus præsentibus literis expressi comprehendantur.* Confirmatur, quoniam in hac tertia clausula non excommunicantur illi, qui absoluunt à censuris, vel ab excommunicationibus Bullæ, sed qui absoluunt laqueatos excommunicationibus, quare nō explicat, vtrum tractetur de absolutione ab excommunicatione, vel à peccato, ergo nulla ratio nos cogit, vt magis intelligamus de absolutione ab excommunicatione, quàm à peccato. Iterum confirmatur, nam eadem videtur militare ratio in absolutione à peccato, sicut à censura, cum non minus sit reseruatum Sedi Apostolicæ peccatum commissum contra Bullam Cœnæ Domini, sicut ipsa excommunicatio, quæ ob tale peccatum incurritur. Vbi vero ratio est eadem, eadem esse debet Iuris dispositio, nisi oppositum disponatur l. si postulauerit. §. Ratio ff. de adulter. l. Illud Vers. sed magis visum est, ff. ad leg. Aquil. l. A Titio, & ibi latè Ias. ff. de verb. oblig. Oldrad. cons. 185. Thema tale est in fi.

Secunda dubitatio est, an hæc excommunicatio, quæ fertur contra eos, qui præsumunt absoluere à casibus contentis in Bulla, sit reseruata, sicut aliæ excommunicationes Bullæ, vt ab ea solus Romanus Pontifex absoluere possit.

In hac difficultate duæ sunt oppositæ Doctorum sententiæ, altera affirmat hanc excommunicationem esse reseruatam Romano Pontifici, & ab eo petendam esse absolutionem, sicut sunt aliæ excommunicationes A Bullæ Cœnæ Domini, altera negat esse reseruatam, & eius absolutionem inquit competere, cuicūq; inest facultas absoluendi ab excommunicatione Canonis & sententiæ generalis.

Opinionem affirmatiuam tenent Felin. in c. Pastoralis §. Præterea nu. 9. in fi. de off. ordin. Sylue. Absolutio 1. §. 10. in fi. Caietanus in Summa Ver. Excommunicatio cap. 77. Armilla in Sum. Ver. excommunicatio n. 77. Petr. Rebuff. in expos. Bullæ Cœnæ art. 13. Vers. Illos autem.

Hæc sententia comprobari potest primo quia eius est absoluere, cuius est ligare, l. si puellæ ff. de spons. sed Papa est, qui ligat huiusmodi absoluentes, ergo ipse solus poterit absoluere. Confirmatur iuxta illam opinionem, quæ dicit censuras Bullæ esse ab homine B non à Iure, nam illi tantum, qui sententiam excommunicationis tulerunt, ab illa absoluere possunt & eorum successores, vel superiores, vt probaui lib. 4. Disp. 2. cap. 3. & desumitur ex dicto cap. Pastoralis §. Præterea de off. ordin. ergo cum hæc excommunicatio ab ipso Papa pronuncietur, à nullo alio auferri poterit.

Secundo Paulus Secundus in Bulla Cœnæ, quam edidit suo tempore expresśe apposuit reseruationem huic excommunicationi, vt nullus præter Romanum Pontificem ab ea absoluere posset, vt tradit Felin. in dicto §. Pręterea numero nono, & Sixtus Quartus edidit Constitutionem Anno 1479. quam refert Re- C buff. vbi supra, qua excommunicationis sententia, ligat omnes attentantes absoluere à censuris Bullæ, eamque per solum Romanum Pontificem posse declarat.

Tertio probari potest ex postremis verbis huius clausulæ, ibi, *Grauius contra eos spiritualiter & temporaliter, prout expedire nouerimus processuri,* si enim Papa reseruat sibi alias pœnas, quas infligere intendit, quoties delicti grauitas exposceret, & id expedire iudicaret; ergo necesse est, vt velit sibi quoque absolutionem excommunicationis reseruare. Nam si Inferior absoluere posset ab hac excommunicatione inscio Summo Pontifice, frustra Papa reserua- D ret sibi facultatem grauius procedendi contra tales absoluentes, neque cognoscere posset, an duriori pœna coercendi essent.

Contrariam opinionem Nauar. in Manua. capitulo vigesimoseptimo, numero septuagesimotertio. Vers. Secunda quod, Card. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 30. Vers. Sexto fulminat, Suarez Tom. 5. de censur. Disput. 21. sess. 3. Vers. Secundò dicendum est. Hæc probari potest.

Primo quoties Auctor Canonis sibi non reseruauit absolutionem excommunicationis, videtur illam concessisse alteri, cui Iure competit, vt dicitur in capit. Nuper de sent. excom. Sed Papa non reseruat hu- E ius excommunicationis absolutionem, immo nec in Bulla Martini Quinti apud B. Antoni 3. par. Sum. tit. 24. cap. 72. habetur huiusmodi reseruatio; igitur ab hac excommunicatione pręter Summum Pontificem poterit alius absoluere.

Secundo censuræ Bullæ sunt à Iure potius dicendæ, quàm ab Homine, vt latè probaui in Disp. 1 cap. 4. At Censuræ iuris quando legislator eas sibi non reseruauit, possunt relaxari per Ordinariū & alios, vt dixi in lib. 4. Disput 3. ergo cum hęc excommunicatio lata contra absoluentes non sit reseruata, poterit auferri ab Ordinario.

Tertio quamuis etiam hæc excommunicatio esset

ab homine, cum sit sententia generalis, & non pronuncietur contra certam & determinatam personā, assimilatur excommunicationi à Iure, vt si expresśe non sit reseruata, censeatur non reseruata, vnde ab ea alius absoluere poterit præter Romanum Pontificē.

Quòd autem sententia excommunicationis generaliter lata æquiparetur ei, quæ per legem & statutū pronunciatur, quoad potestatem absoluendi, non quoad alia, docet Felin. ex sentētia Innoc. & Io. And. in dicto cap. Pastoralis §. Præterea nu. 9. de off. ordi. & sumitur ex c. Romana §. Caueant de sent. excom. lib. 6. Et hanc opinionem probabilem esse ostendi lib. 4. Disp. 2. cap. 4.

Quarto excommunicationes Bullæ Cœnæ Summo Pontifici reseruatæ continentur in illis viginti casibus, qui includuntur in literis processus, quæ singulis annis in die Cœnæ Domini legi consueuerunt, de quibus iam pertractauimus, & in singulis casibus, antequam pronuncientur, præmittitur illa clausula *Excommunicamus, & anathematizamus*. Verum excommunicatio lata contra absoluentes à dictis casibus non continetur inter illos 20. Canones, ante eam non præmittitur dicta clausula. Et quando fertur, nulla fit mentio de reseruatione, ergo nihil est, quod persuadere possit illam fuisse reseruatam.

In hac difficultate vnum videtur admittendum fore ab vtriusque opinionis Auctoribus olim hanc excommunicationem fuisse reseruatam, nam Paulus Secundus in sua Bulla addidit expressam reseruationem huic excommunicationi, vt refert Felin. in cit. c. Pastoralis §. Præterea nu. 9. de off. ordi. Sed controuersia est de hoc tempore, cum iam talis expressa reseruatio ante multos annos sit sublata. Nam nec in Bulla Pij Quinti, nec Pauli Tertij apud Rebuffum habetur, & Bullæ illæ antiquæ, in quibus extat reseruatio, iam locum non habent, cum earum ius expirauerit, & vltima tantum sit attendenda.

Quare si loquamur, an hoc tempore talis excommunicatio sit reseruata, puto probabilius esse cum Auctoribus illis, qui tuentur partem negatiuam, asserere non esse reseruatam Sedi Apostolicæ, & fundamentum huius opinionis est, quoniam cum hæc excommunicatio dicenda sit potius à Iure, quàm ab homine, vt dixi, & eius absolutionem Romanus Pontifex sibi expresśe non reseruauerit, censendum est voluisse alijs, ad quos de Iure pertinet, concedere cap. Nuper de sent. excom. Idem probant aliæ rationes quas proximè ad hanc partem confirmandam proposuimus.

Obiicies contra ex Caiet. in Summa Ver. Excommunicatio cap. 77. Sixtum Quartum in extrauag. & si Dominici de pœnit. & remiss. quam Petr. Rebuff. refert vbi supra Ver. Quarumuis facultatum, reseruasse sibi generaliter hanc excommunicationem in ea Cōstitutione, quæ edita fuit ad futuram rei memoriam, quare modo obligat, & ideireò erit reseruata, quamuis non habeatur expressa reseruatio in ipsa Bulla Cœnæ.

Respondeo Sixtum Quartum in dicta extrau. loqui solum de illis Confessoribus, qui attentarent absoluere à casibus Bullæ Cœnæ & nonnullis aliis, & cōmutare super quibusdam votis, quæ ibi recensentur, vigore facultatum & indultorum quæ ipsemet Sixtus concesserat, quas facultates in dicta extrauag. reuocat ipse, & contrafacientes eo ipso excommunicationi subiicit, prohibens ne ab aliquo, quàm à Romano Pontifice absolui possint. Quare illa Constitutio non

A est generalis, sed solum comprehendit eos, qui absoluebant vigore illarum facultatum, ideo bis repetit hæc verba *Prætextu huiusmodi facultatum concessarum à nobis*. Ergo illa reseruatio non extenditur extra dictum casum cum semper Sixtus loquatur de suis facultatibus vel eam concessis, vel concedendis atque ita intelligunt illam extrau. Ang. Ver. excommunicatio 5. casu 31. clarius & fusius Syluest. Ver. excommunicatio 7. §. 77. excommunicatione 32. Dom. Sot. in 4. sent. distin. 22. quæst. 2. art. 3. circa fin. & Nauar. in Manua. cap. 12. nu. 75. & cap 27. nu. 74. & 105.

Tertia dubitatio erit, vtrum in Iure legatur aliqua excommunicatio lata contra eos, qui audent absoluere absque licentia & facultate legitimè obtenta

B censuris innodatos vltra excommunicationem, quæ habetur in hac clausula Bullæ Cœnę.

Respondeo in Iure nullam reperiri excommunicationem inflictam cōtra Sacerdotes, vel Parochos præsumentes absoluere absque licentia ab excommunicatione reseruata, quamuis graue peccatum cōmittant, & pœna condigna mulctari possint & debeant; sed habetur in Clement. 1. de priuil. excommunicatio, qua peculiariter obstringuntur Religiosi, qui præsumunt absoluere excommunicatos à Canone, præterquam in casibus à Iure, vel priuilegiis Apostolicis sibi concessis, aut à sententiis promulgatis à Statutis Prouincialibus vel Synodalibus, aut à peccatis, seu (vt aiunt) à pœna & culpa, & est excommunicatio, Papæ

C expresśe ibi reseruata.

Ad clariorem explicationem huius excommunicationis nonnulla notanda sunt, quæ à Doctoribus considerantur, & primo animaduertendum est hanc excommunicationem ferri contra Religiosos, vnde Clerici seculares, vt monebam ob tales actus prohibitos illam non incurrunt, immo si quis fingeret se Religiosum, licet peccaret, non remaneret excommunicatus, quia Religiosus non est, & comprehendit omnes Religiosos, etiā illos, qui in Militaribus Religionibus tria vota profitentur: sunt enim veri Religiosi. Similiter Nouitios, si sint Sacerdotes, quia fruuntur priuilegijs & commodis Religionis, ergo debent sustinere onera Clem. 1. de Censi. Reg. qui sentit de

D Reg. Iur. lib. 6. & ita dicit Card in dicta Clem. 1. nu. 1. Vers. Quartò quæro de priuileg. Sylue. excom. 7. §. 31. Vers. Vnde communiter tenetur; Nauar. in Manu. cap. 27. nu. 101. in princ. Verum si Religiosus esset Rector vel Curator Ecclesiæ Parochialis ex sententia Nauar. vbi supra, non incurreret hanc excommunicationem & citat Felinum absque alia probatione, sed dictum Nauarri mihi non probatur, nec vlla apparet ratio probabilis, cur magis excusari debeat Religiosus Parochus, quàm si non sit Parochus, nam cum sit Religiosus agit contra hunc Canonem, & non vtitur officio Parochi, sed vsurpat illud, neque quidquam facit hac in re quod deterioris conditionis esset Parochus Religiosus, quàm nō Religiosus, quia ille potest

E hęc exercere titulo Religionis, quod alius non potest, & ob hanc causam potius imponitur hæc censura Religioso, quàm Sacerdoti seculari. Et hanc partem sequitur Sylue. excom. 7. §. 31. Vers. Vnde communiter tenetur.

Secundò notandum est ad incurrendam hanc excommunicationem requiri, vt absolutio impendatur à Religioso ab excommunicatione Iuris, quia in tex. expresśe dicitur, *Excommunicatos à Canone*, Ergo si absolutio data erit à censura lata ab homine, non erit locus excommunicationi, Card. in dicta Clem. 1. n. 14.

Vers.

Vers. Vigesimo quinto quæro De Priuil. & fortassè illa posset assignari ratio diuersitatis, quia absolutio ab excommunicatione Hominis rarius datur ab huiusmodi Religiosis, item hoc crimen habet, à quo vendicetur, ipsum scilicet Iudicem, qui excommunicationem tulit; Ius autem non potest censuram à se latam ita defendere. A

Tertiò notandum est non quamcunque absolutionem à censura Canonis esse sufficientem causam huius censuræ, sed absolutionem à sola excommunicatione, quia tex. de excommunicatione in specie, non de censura in genere loquitur, & in legibus poenalibus non est facienda extensio à simili, & ita tenet Sylue. Ver. Excõmunicatio 7. §. 38. Vers. Decimò vtrum habeat locum, contra Glosam in dicta Clem. 1. Ver. Sententijs, Et licèt tex. Clem. dicat de his, qui absoluunt excommunicatos à Canone, vel à sententiis &c. Et sic loquatur in numero plurali, quasi includere velit omnem speciem censurarum, tamen respondet Sylue. verbum illud, *à sententijs*, limitari, & declarari per dictionem illam præcedentem, ad quam refertur, nimirum *Excommunicatos* arg. cap. Secundò requiris de appell. & idem ait Card. in ead. Clem. num. 14. vers. vigesimonono quæro; Item non de quacunque excommunicatione esse textum intelligendum, sed de maiori excommunicatione, non de minori, vt Card. eod. nu. 14. vers. vigesimoquinto quæro, Sylue. excom. 7. §. 37. vers. Contrarium tenuit, & est communis interpretatio, quia hæc vox excommunicatio, in Iure est ex genere eorum, quæ dicuntur ad vnum quæ significat quod primum est, & principale quoad omnia, quæ sunt in illo genere. Quare prima, & potissima species excommunicationis est excommunicatio maior, & si nomen excommunicationis simpliciter proferatur, de maiori intelligitur cap. penult. de sent. excom. B C

Quartò notandum est ad incurrẽdam hanc excommunicationem non satis esse, vt Religiosus a solo peccato, absoluat cui annexa sit censura, nisi absoluat etiã ab ipsa censura, non enim discedẽdum est à verbis textus: ita tenet Sylue. excom. 7. §. 36. vers. octauò vtrũm habeat locum.

Quintò notandum est non prohiberi in dicta Clem. Ne Religiosi, qui potestatem habent absoluẽdi à peccatis mortalibus, possint etiam absoluere ab excommunicatione Canonis non reseruata iuxta cap. Nuper de sent. excom. quare licèt Religiosus ex priuilegijs suæ Religionis non haberet expressam potestatem absoluendi ab excommunicatione, si tamen haberet facultatem absoluendi sacramentaliter à peccatis, non ageret cõtra decretum Clem. si absolueret ab excommunicatione non reseruata, quia supposita iurisdictione absoluendi a peccatis, competit facultas absoluendi ab huiusmodi excommunicatione ex dicto cap. Nuper de sent. excom. D

Sextò notandum est, cùm in dicta Clem. statuitur sententiam excommunicationis incurri à Religioso, si præsumat etiam absoluere quempiam a pœna, & culpa, significari, vt Caietanus in summa Ver. Excommunicatio cap. 64. interpretatur idem, quod vulgò in Indulgentijs dici solet; Remissio a culpa, & pœna, quam ipse putat esse distinctam ab Indulgentia plenaria, & longè maiorem. Sylue. verò & alij censent idem esse, quod Indulgentiam plenariam concedere: quare hæc actio prohibita propter quam etiã incurritur excommunicatio, erit distincta a præcedenti, nempe si quis præsumat absoluere excommunicatos a cẽsura Canonis; Nec obstat illa dictio *Seu*, quæ videtur indicare verba sequentia æquiualere præcedentibus, & posita esse ad maiorem declarationem, quoniam aliquando, sicut in eo loco facit sensum distinctum, Vnde colligitur ibi non prohiberi Religiosis ministerium sacramenti Pœnitentiæ, quia non interdicitur absolutio tantùm a culpa, nisi simul concedatur Indulgentia plenaria. Quare hæc excommunicatio non est lata contra Religiosum administrantem sacramentum Pœnitentiæ, quamuis etiam indebitè hoc faceret, sed contra Religiosum malè vsurpantem potestatem concedendi Indulgentiam plenariam: Idcirco tenet Sylue. locum esse huic excommunicationi etiamsi Religiosus concederet indulgentiam ab omni pœna, licèt non absolueret a culpa, quia hæc excommunicatio non pronunciatur propter abusum sacramenti Pœnitentiæ, sed propter Indulgentiam malè, & sine potestate concessã. Indulgentia autem, quæ dicitur a culpa, & pœna, non includit absolutionem sacramentalem, sed supponit culpã remissam per sacramentum in re, vel in voto, & concedit remissionem totius pœnæ, & ita quasi complet, & perficit remissionem a culpa & pœna, & propterea sic vocatur. E

Postremò notandum est Religiosum non innodari hac excommunicatione, si absoluat excommunicatos a Canone, si id faciat potestate accepta: Nam Pontifex noluit prohibere legitimæ potestatis vsum, sed vsurpatæ iurisdictionis abusum. Hæc autem facultas haberi potest, vel ex priuilegio Religioni concesso, vt in Clem. exprimitur, vel in casu extremæ necessitatis, si absoluat ab excommunicatione eum, qui in articulo mortis reperitur, & iam animam agit, & nemo existat, a quo absolui possit.

Quarta, & vltima dubitatio erit; Vtrùm præter excommunicationem, in hac tertia clausula Bullæ Cœnæ infligantur aliæ pœnæ, & quæ contra præsumentes absoluere innodatos censuris Bullæ Cœnæ.

Respondeo, vt monui initio Capitis Summum Pontificem nullam aliam pœnam certã, & determinatam præter excommunicationem contra violatores huius Constitutionis expressisse, sed in genere comminatũ fuisse alias pœnas, quas sibi reseruauit maiores, vel minores, quibus occurrentibus casibus habita ratione delictorum, vt magis expedire iudicaret contra transgressores procederet. Olim verò imponebantur quædam aliæ pœnæ contra eosdem, vt est videre in Bulla Pauli Tertij, quas sigillatim explicat ibi Petr. Rebuff. & hæc sint satis de hoc capite.



CLAVSVLA QVARTA.

DECLARANTES, AC PROTESTANTES QVAMCVNQVE ABSOLVTIONEM

ETIAM SOLENNITER PER NOS FACIENDAM, &c.

CAPVT IV.

De Causis, propter quas absolutiones tradita etiam solenniter per Sedem Apostolicam non prosint obstrictis excommunicationibus Bulla Cana.



IN hac Clausula declarat Summus Pontifex, quæ conditiones requirantur in absolutione, quæ traditur per Sedem Apostolicam à Censuris Bullæ, vt illa suffragetur huiusmodi excommunicatis, & ex consequenti, quando talis absolutio sit nullius roboris ob defectum illarum conditionum; Cum enim hactenus statuisset absolutionem à casibus Bullæ petendam esse à solo Romano Pontifice, & nulli alteri hanc potestatem competere reuocato quocunque Indulto cuicunque personæ concesso, nec non excommunicationis laqueo innodasset quoscunq; contra tenorem præscriptum præsumentes absoluere à dictis censuris; Consequens erat modò, vt declararet conditiones necessarias in ijs, qui absoluendi sunt, vt absolutio illos iuuaret, & operaretur effectum suum. Duas autem conditiones postulat Papa in excommunicato, vt absolutio etiam solenniter per ipsum impensa illi prosit, & eum à vinculo censuræ dissoluat. Prima est generalis requisita in omni excommunicato, quacunque excommunicatione Bullæ sit obstrictus. Secunda est specialis respiciens tantum illos, qui ediderunt statuta contra libertatem Ecclesiasticam, contra quos lata est decima quinta excommunicatio Bullæ Coenæ, & hæc continentur in prima parte huius clausulæ. In secunda autem parte Papa protestatur expressè per absolutionem quamcunque per Romanum Pontificem concessam, aut per alios quuscunque contrarius actus tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam ipsius Romani Pontificis quantocunque tempore continuatam nolle præiudicium aliquod inferre Iuribus Sedis Apostolicę, ac Sanctę Romanę Ecclesię tam quęsitis, quam quęrendis, singula nunc distinctius, & clarius discutiamus.

D clarantes, ac protestantes, Vtitur Papa verbo *Declarantes*, quia non inducit nouum Ius, sed exponit, & notificat id, quod antiquo Iure statutum est; Nam prima conditio, quę necessaria est in omni excommunicato, vt absoluatur à vinculo excommunicationis, est, vt desistat a crimine, cuius gratia in excommunicationem incidit, & hęc spectat ad propriam rationem

A absolutionis, & ab ipso Iure pręscribitur. Neque enim ęquum est, vt ille eximatur à poena, si à delicto, propter quod poenam patitur, desistere nolit, quia poena delicto commensurari solet. Similiter secunda conditio requisita in excommunicato ex causa promulgationis statutorum contra libertatem Ecclesiasticam est vt non absoluatur, nisi dicta statuta antea reuocauerit, & ex Capitularibus deleri, & cassari fecerit, desumitur ex cap. Nouerit de sent. excomm. & eodem fundamento nititur, nam cum ille excommunicatus fuerit, quia talia statuta ediderit; Igitur, vt absoluatur, debet illa cassare. Cum ideo Papa non inducat nouum ius, idcirco inquit, *Declarantes*, Ille enim, qui
B declarat, nihil agit de nouo, vt in l. Hęredes palam, ff. De Testam. cap. Cum tu De Vsur. Abb. cap. Ex parte num. 4. De Consuet. & addit Verbum *Protestantes*, id est valde affirmantes, & quocunque meliori modo notificantes argum. cap. Cum quis De Dolo, & Contum. lib. 6.

Quamcumque absolutionem etiam solenniter per nos faciendam, his verbis significare incipit, quid sit, quod declarat, & protestatur, Nimirum absolutionem datam à Summo Pontifice nihil prodesse laqueatis censuris Bullę, nisi antea ea pręstiterint, quę in hac Clausula præcipiuntur & præscribuntur; dicit *quamcunque absolutionem*, vt includat absolutionem cuiuscunque
C generis. Pluribus enim modis impendi potest absolutio ab excommunicatione, potest enim dari in foro conscientiæ, vel in foro exteriori, absolutè, vel sub conditione, simpliciter, vel ad cautelam; de quibus speciebus pertractaui in libro 4. Disp. 1. Quomodocunque igitur impendatur absolutio, nisi excommunicatus seruauerit ea, quæ hic præcipiuntur, nullius erit roboris, & nihil ei suffragabitur: & hoc demonstrat dictio illa *Quamcunque* quę vniuersalis est, & omnia includit, l. quacunque ratione & quæ ibi notant. ff. de procurat. l. hoc articulo & ibi Bart. nu. 6. ff. de hęred. instituen. cap. Nemo pot. ft iuncta Glos. in Ver. Excepit de pœnit. dist. 1. Idem confirmat clausula il-
D la *Etiam solenniter*, illa enim dictio *Etiam* apponitur casui magis dubitabili, & includit minus dubitabilē l. Etiam inuitis ff. de acquir. rer. Domin. l. Etiam aureos ff. de verb. signif. c. vni. in princ. de commod. addita declaratione Io. And. ibi Vers. Etiam, cum enim tex. dicat Commodatarium sui gratia tantum accipientem commodatum teneri etiam de leuissima culpa implicat multo magis obligatum esse de leui & lata. Ita quoque hoc in loco si absolutio solenniter data excommunicatum non iuuat, multo minus prodesse poterit,

poterit, si omittantur solennitates, quæ ex Ecclesiæ stilo & consuetudine adhiberi solent. De solennitatibus, quæ seruari consueuerunt in tradenda absolutione, pertractaui in lib. 4. Disp. 7. cap. 2.

Prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius à præmissis cum vero proposito vlterius similia non committendi destiterint, ac quoad eos, qui contra libertatem Ecclesiasticam, vt præmittitur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuijs seu Capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri ac cassari, ac nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari. His verbis significantur quinque conditiones præstandæ ab ipsis excommunicatis, antequam absoluantur à Papa, vt absolutio tradita illis suffragetur, quarum conditionum duæ priores sunt generales requisitæ ab omnibus excommunicatis, quacunq; censura Bullæ sint innodati vt dixi paulo ante; Aliæ tres peculiariter exiguntur ab excommunicatis ob statuta edita contra libertatem Ecclesiasticam & est excommunicatio decima quinta. Prima est, vt excommunicati desistant à delicto, propter quod censura Bullæ Cœnæ sunt obstricti. Secunda vt habeant firmum propositum similia non committendi in futurum. Quamobrem si alterutra desit, absolutio tradita non prodest excommunicatis, & hoc verum est de quacunque absolutione, siue solennis, siue pura, & simplex sit, siue generalis, siue specialis, siue in foro interiori, siue exteriori data fuerit.

Postulabit aliquis, quo pacto constare possit, an excommunicatus habeat propositum vlterius similia non committendi delicta, vt absolutio valida habenda sit in foro exteriori.

Respondeo mentem excommunicati de non committendo simili delicto, propter quod fuit excommunicatus, accipiendam esse ex verbis ipsius iureiurando firmatis. Debet enim medio iuramento se obligare paratum esse in posterum ad legem illam seruandam, ob cuius transgressionem in excommunicationem Bullæ incidit, vel se nunquam commissurum actũ sub excommunicatione interdictum, vt dicitur in c. Pessimam 23. q. 8. & cap. Grauem de sent. excom. de qua re disputaui Disp. 7. lib. 4. cap. 2. Hoc autem iuramentum nõ est necessarium in absolutione, quę impenditur in foro interiori, quoniam in tali foro adhibetur fides ipsi Pœnitenti affirmanti se habere talem propositum. At in foro Iudiciali Canones exigunt iuramentum, vt ipse absolutus in posterum & alij eius exemplo sint magis obedientes Constitutionibus Ecclesiæ, & caueant, ne in eadem peccata sæpius prolabantur. Vnde si absoluatur quis ab excommunicatione propter hæresim, si ab errore non discedit, vel si propositum habeat redeundi in abiuratam hæresim, hic non remanet absolutus, sed est excommunicatus, sicut antea. Et idem dicendum est in alijs casibus.

Sed quæri potest hoc in loco, an absolutio tradita ad actum aliquem gerendum, puta ad ferendum testimonium, ad impetrandum rescriptum Apostolicum validè, vel ad alios actus, quibus completis excommunicatus reincidit in eãdem excommunicationem, prosit excommunicatis, quamuis sint innodati censuris Bullæ Cœnæ, & reddat actum ipsum validum.

Respondeo, si Summus Pontifex absoluat quempiam cẽsuris Bullæ innodatum, vt possit testimonium ferre de aliqua re, quando veritas aliter sciri nequit, tunc attestatio illius valida erit, etiamsi à peccato

A non desistat, vel careat proposito non committendi in futurum; sed talis absolutio non soluit excommunicatum à vinculo excommunicationis, quia remanet illaqueatus, sicut antea erat, facit solum absolutio illa, vt excommunicatio non pariat hunc effectum, scilicet vt non possit testificari, sed alij effectus non tolluntur, quia non obtinuit absolutionem simpliciter, de qua absolutione agitur hoc in loco, sed fuit absolutus, vt posset testimoniũ ferre, cum alias propter excommunicationem qua obstringebatur, esset inhabilis ad hunc actum, vt pluribus probaui lib. 2. Disp. 3. cap. 5. Et huiusmodi absolutio aliquando dari solet propter vtilitatem publicam, aut priuatam ad inuestigandam veritatem rei, vbi aliæ probationes omnes

B desunt. Et ad hunc modum, vt Felin. inquit in cap. Veniens 2. nu. 33. de testi. absoluuntur ex consuetudine Curiæ illi, qui petuntur in testes, donec testimonium tulerint, vel sicut absoluũtur Oratores missi à Repub. vel Principe, donec in Curia commorentur. Et ratio est, quoniam à vinculo excommunicationis possunt absolui etiam non petentes, cap. Ab excommunicato de rescript. licèt à peccato nemo absolui possit, nisi pœniteat Reg. peccati de reg. Iur. lib. 6. cap. Legatur 24. quæst. 2.

Idem dicendum est de absolutione, quæ apponi solet in literis, quas quis impetrat à Papa; Nam cum excommunicatus sit incapax ad obtinẽdum rescriptum Apostolicum, vt probatum est lib. 2. Disput. 7. cap. 1.

C Consuetudine, & stilo Curiæ receptum est, vt in ipso rescripto inseratur absolutio sub hac forma; *Teque à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à Iure, vel ab Homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes.* Quæ absolutio nulla alia in re suffragatur excommunicato, nisi, vt rescriptum per ipsum impetratum sit validum. At omnes alij effectus excommunicationis integri remanent, Immo quamuis tale rescriptum valeat; Excommunicatus tamen eius vigore non poterit acceptare beneficium, &

D quamdiu excommunicatus erit, carebit fructibus beneficij, nec poterit celebrare, nec horis Canonicis interesse, & si se diuinis ingerat, incurrit irregularitatem.

Quæ absolutio quoq; coarctatur, vt in quibusdam casibus non habeat locum, etiam ad illum peculiarem effectum, quem diximus, vt probat Petr. Rebuf. in praxi benef. par. 1. in tit. De Forma, & declar. Nouæ prouisionis. Primò enim non prodest Hæreticis, cap. Excommunicamus §. Credentes De Hæret. Felin. in cap. Apostolicæ num. 4. De except. Ne detur eis occasio contemnendi censuras. Secundò hæc absolutio non suffragatur ei, qui vltra annum in excommunicatione insorduit, quia præsumitur Hæreticus Glos. in cap. fin. de Poen. Tertiò non habet locum in committenti-

E bus falsitatem in literis Apostolicis. Tandem Iulius Papa Tertius in suis Regulis Cancellariæ Reg. 78. statuit, & ordinauit huiusmodi absolutionem non suffragari non parentibus rei iudicatæ, Incendiarijs, Violatoribus Ecclesiarum, falsificatoribus literarum Apostolicarum, & illis vtentibus, res vetitas ad Infideles deferentibus, violatoribus Ecclesiasticæ libertatis, via facti ausis temeratio Apostolicis mandatis non obtemperantibus, Impedientibus Nuncios, & Executores Sedis Apostolicæ. His omnibus non prodest dicta absolutio etiam ad validitatem rescripti, si post dicta

cri-

crimina commissa spacio quatuor mensium scienter excommunicationis sententiam sustinuerint: Atque etiam generaliter non suffragatur hæc absolutio quibuscunque alijs, qui censuris aliquibus etiam alijs à præmissis quomodolibet ligati in illis integro anno insorduerint. Hæc de primis duabus conditionibus.

Præter duas conditiones dictas generaliter ab omnibus excommunicatis præstandas, vt absolutio Papæ illis prosit, tres alias postulat Summus Pontifex ab excommunicato, qui statuta contra libertatem Ecclesiasticam promulgauerit. Prima est, vt reuocet publicè dicta statuta. Secunda vt ex Archiuio, & ex Capitularibus, in quibus sunt annotata, illa deleat, & casset. Tertia vt Romanum Pontificem de his omnibus certiorem faciat. Tunc enim & non aliàs talis absolutio illi proderit. Modò latius singulas declaremus.

Primò requiritur publica reuocatio Statutorum; Reuocare hoc in loco accipitur, vt idem significet, quod irritare id, quod gestum est, & declarare nullius roboris, ac si factum non fuisset. & hoc modo dicuntur reuocari statuta, & non sufficit quæcunque reuocatio, sed oportet, vt publicè reuocentur. Tunc autem censentur publicè reuocari, cum solenniter in Curia Principis, vel in Palatio, vbi residet Magistratus, vel in locis solitis & consuetis Ciuitatis, aut voce præconis, aut alia legitima via cunctis fit notum huiusmodi statuta deleta fuisse, & in futurum non obligare. Hoc enim modo promulgatur lex & statutum, vt obliget, ergo simili modo debet fieri reuocatio, vt omnibus innotescat, vel alio modo curandum est, vt id in notitiam publicam perueniat arg. l. 1. §. sed scimus & ibi nota. C. de sati. liber. tollen. c. Statuimus, & ibi Abb. n. 7. & Maled. Clem. 1. & ibi Card. n. 9. de foro compet. & quot modis dicatur aliquid publicè fieri, tradit Bart. in l. si finita §. 1. de dam. Infe. Huiusmodi autem reuocatio publica est necessaria sub quacunque forma, & sub quocunque titulo huiusmodi dispositiones contra libertatem Ecclesiasticam sint edita, nempe vel sint statuta, quæ semper obligant, vel præcepta, quæ cum præcipiente expirant, & ideo, vt omnis dispositio contra libertatem Ecclesiasticam cuiuscunq; generis comprehendatur, apponuntur diuersæ illæ voces in hac clausula, *Statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas & decreta*, nam cum omnibus his modis incurratur excommunicatio, si committatur aliquid contra libertatem Ecclesiasticam, vt dicitur in Can. 15. Iustitiæ ratio dictat, vt ad tollendam excommunicationem totidem modis sequatur reuocatio.

Secundo necesse est, vt huiusmodi statuta cassentur & deleantur ex libris, in quibus sunt descripta & annotata, & tollantur ex Archiuio, quare non sufficit, si illa modo prædicto reuocentur, nisi fuerint etiam deleta ex libro Capitulari, seu ex Archiuio sublata.

Tertio oportet, vt Romanus Pontifex de huiusmodi reuocatione certior fiat, quia, vt inquit Pet. Rebuf. in explic. Bullæ Cœnæ super art. 10. in fine, paria sunt rem non esse vel non apparere l. Duo sunt ff. de testa. tutel. Debet autẽ id Papæ significari, vel per scripturam authenticam, scilicet confectam manu publica, vel habentem sigillum authenticum Glos. in Clemen. Causam Ver. Authentica de elect. Aut per testes fide dignos, qui referant ex certa scientia statuta fuisse reuocata. Neque enim cuilibet referenti credere tenetur Glos. in c. Cupientes in princ. Ver. Notitiam de elect. lib. 6. Hæc omnia præmittere debet excommunicatus, si velit, vt absolutio per Romanum Pontificem tradita sibi suffragetur, ad se eximendum ab excommunicationis vinculo.

Quia etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscunq; alios actus contrarios tacitos, vel expressos sic etiam per patientiam & tolerantiam nostram vel successorum nostrorum quantocunque tempore continuatam in præmissis omnibus & singulis ac quibuscunque casibus Sedis Apostolicæ ac S.R.E. Vndecunque & quandocunque quęsitis, vel quærendis nullatenus præiudicari posse vel debere.

Hæc est secunda pars huius clausulæ, in qua declarat ac protestatur Summus Pontifex se nolle, vt per absolutionem, quæ ab ipso traderetur à censuris Bullæ, vel per alios quoscunque actus, seu per tolerãtiam ac patientiam suam, aut successorum suorum, quantocunque temporis spatio continuatam præiudicium vllum illatum esse intelligatur iuribus quæsitis, vel quærendis Sedis Apostolicæ ac S.R.E. Quare si absoluatur ab excommunicatione qua obstringitur quis ob occupationem rei ad Ecclesiam Romanam spectantis, non idcirco illatum est aliquod præiudicium Iuribus dictæ Ecclesię, vt occupans non teneatur semper ad rem illam restituendam, & ad hoc cogi possit, sicut ante absolutionem obligatus erat. Vnde si excommunicatos seruet omnes conditiones explicatas, absolutio tradita à Papa auferre poterit vinculum censuræ, nullum autem præiudicium inferre poterit Iuribus Sedis Apostolicæ. Atque sic voluit Papa præseruare bona & Iura Ecclesiæ Romanæ, ne per alium vllo tempore præscribi possent, illa enim tempore legitimo transacto possint præscribi, vt dicitur in cap. Si diligenti & ibi Abb. n. 11. de præscript.

Quod dixit de absolutione, idem etiam Summus Pontifex protestatur de quibuscunque actibus tacitis vel expressis, si qui fortasse fierent ab ipso vel successoribus suis, nimirum nolle per tales actus vllo modo Iuribus Sedis Apostolicę præiudicari. Quando actus dicatur tacitus vel expressus tractant Doctores in l. si in diem §. seruo ff. de condit. & demonstrat.

Tandem idem concludit de tolerantia & patientia, quam ipse vel successores eius haberent, si ob aliquam causam non repeterent & recuperarent iura Sedis Apostolicę ab his, qui iniustè illa detinerent, per hanc enim tolerantiam declarat occupatores huiusmodi Iurium nullũ ius acquirere posse aut debere.

Obijciet quis, frustra additam fuisse clausulam illam, *Ac etiam per patientiam & tolerantiam*, quoniam patientia, & tolerantia non potest pręiudicium aliquod inducere Iuribus Ecclesię Romanę, quoniam in pręscriptione Ecclesiastica, quę est contra Ius requiritur bona fides & iustus titulus, vt in cap. Si diligenti, & c. Dudum de præscript. ergo non sufficit patientia Papæ.

Respondeo ex ijs, quæ notauit Glos. Tertia in cap. Cum Ecclesia De cau. possess. & propriet. In Iuribus incorporalibus patientiam haberi pro iusto titulo l. si ego ff. De Pub. Speciale enim dicit esse, in his incorporalibus non opus esse allegare titulum.

Accedit, vt inquit Abb. in dicto cap. Cum Ecclesia num. 46. Iura existentia penes aliquos, qui facultatem habent ea transferendi, ex illorum patientia præscribi posse, ex quorum etiam patientia possidẽtur, quamuis nullus probetur titulus, quasi patientia loco tituli habeatur. Optima igitur ratione Summus Pontifex ad præseruanda Iura Ecclesiæ Romanæ declarauit, per patientiam, & tolerantiam suam nullum ius in illis acquiri debere.

CLAV-



CLAVSVLA QVINTA.

NON OBSTANTIBVS PRIVILEGIIS, INDVLTIS, ET LITERIS APOSTOLICIS GENERALIBVS SVPRADICTIS, VEL EORVM ALICVI, SEV ALIQVIBVS, &c.

CAPVT V.

De Reuocatione priuilegiorum quorumcunque, ac consuetudinum, & præscriptionum, quibus quomodolibet quis se iuuare posset contra hos processus, ac sententias Bullæ Cœnæ, quò minus in eis includeretur.



POSTQVAM Summus Pontifex reseruauit sibi censuras Bullæ Coenæ, vt à nemine relaxari possent, prçterquam ab ipso Romano Pontifice, & declarauit irritas quascunque absolutiones ab alijs datas, prçterquam in articulo mortis, imposita etiam excommunicationis poena ipso facto incurrenda ijs, qui absoluere tentarent nec non expressit conditiones, quas requirit, vt absolutio per Sedem Apostolicam etiam solenniter concessa suffragetur excommunicato: Modò in hac quinta Clausula reuocat omnia priuilegia, consuetudines, & præscriptiones quibuscunque personis concessas, quibus se tueri præsumerent contra Bullam Cœnæ, existimantes, si committerent, quæ in Bulla prohibentur, non ideirco incidere in dictas censuras, cum vigore dictorum priuilegiorum eis indultum fuerit, quod excommunicari, vel interdici nô possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam de huiusmodi priuilegijs mentionem. Sed singula distinctè discutiamus.

Duas partes includit hæc quinta Clausula; In prima parte abrogantur omnia priuilegia cuiuscunque generis ex quacunque causa, & titulo quibuscunque personis concessa; In secunda parte tolluntur omnes consuetudines, & prçscriptiones etiam longissimi temporis contra contenta in Bulla Coenæ Domini inductæ.

Non obstantibus priuilegijs, Indulgentijs, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, Priuilegium vocatur, quia est priuans legem, vt inquit Abb. cap. fi. num. 9. De Translat Episcop. ex cap. Priuilegia dist. 3. Vel Priuilegium Ius singulare dicitur, & in certç personæ, vel causæ gratiam, fauoremue constituitur, & lex de vno homine lata, quasi priua lex, idest priuate lata dicitur, vt Gellius lib. 10 cap. 20. & Isidorus lib. 5. cap 18. scribunt. Quo sensu à Cicerone in Paradoxis, & lib. 3. de Legibus, & aliàs sçpius hoc verbum vsurpatur. Indulgentia hoc in loco accipitur pro permis-

A sione, sicut in dicto cap fin. de translat. Episc. dicitur Episcopum non posse relicta suæ Ecclesiæ transferre ad aliam sine indulgentia Papç, idest sine permissione, & in cap. Cum nostris in fi. ibi, *Vel ex Indulgentia Sedis Apostolicæ speciali*, De concess. prçben. Et in cap. Quia in princ. De rescrip. lib. 6. *Tam nos, quam nonnulli prædecessores nostri Romani Pontifices Indulgentias perpetuas multis concessimus*, &c. Quia sçpe in fi. De Elect. eod. lib. *Non obstantibus quibuscunque priuilegiis, nec Indulgentiis*, Et in cap. Ne aliqui, in princ. de Priuileg. eod. lib. Indulgentia verò latissimè est interpretanda, vt inquit Abb. in dicto cap. fin. numero 9. de Transla.

B Episc. De differentia inter Indulgentias, & Priuilegia legendi sunt Doctores in cap. Cum personç de priuileg lib. 6. Archid. & Domin. 2. q. 1. §. fin. Bald. in cap. 1. & in cap. At si Clerici de Iudi. & Io. de Anan. in cap. Ex insinuatione de simon. Felin. in cap. Contingit nume. 6. de fide instrum. Literç Apostolicæ sunt duplicis generis, Aliæ dicuntur Bullæ, Aliæ in forma Breuium signatæ sub annulo Piscatoris. & de differentijs harum literarum tractaui in Disp. 1. Cap. 1. Hoc in loco comprehenduntur literæ vtriusque generis, siue sint generales, vel speciales, possunt tales esse vel ratione personarum, vel rerum. Dicuntur generales ratione per-

C sonarum, si priuilegia sint concessa alicui Regno, vel Prouinciæ, vel Ciuitati, Speciales si certis, & determinatis personis traditæ sint; Ratione rerum priuilegia erunt generalia, si indulgentur aliquibus simpliciter, vt excommunicari non possint, nisi de Indulto huiusmodi expressa mentio fiat in sententia excommunicationis, Vel vt non possint excommunicari cêsuris Bullæ, nisi expresè reuocetur tale priuilegium: Specialia verò priuilegia erunt, si hæc indulgentia concedatur quoad aliquas certas excommunicationes Bullæ, non quoad omnes simpliciter. Quare abrogantur omnia priuilegia, indulgentiæ, & literæ Apostolicæ cuiuscun-

D que generis ad hunc finem concessæ, quæ reuocatio indicatur dictione illa, *Non obstantibus*, per quam tolluntur omnia priuilegia contraria, vt notat Franc. ca. fin. §. Cæteris num. 2. de sent. excommu. lib. 6. & Abb. in cap. Suggestum nu. 6. in fi. De Deci. inter alios modos, quibus priuilegium antea concessum deperditur decimo loco recenset, Quando apponitur in rescripto clausula Non obstante tale priuilegio. De hac Clausula, *Non obstantibus*, est tex. in cap. Cum aliquibus de Præscript. lib. 6 & in dicto cap. fin. de sent. excommun. eod. lib. & magis plenè in cap. Quia sæpe in fi. de elect. eod.

A eod.lib.& hæc reuocatio intelligitur de prioribus priuilegijs vsq; ad hunc diem promulgationis Bullæ concessis, non autem de illis, quæ in futurum ederentur, vt in simili inquit Glos.in cap.vltimo in fi.Ver.Concessis De sent.excomm.lib.6. ob eam rationem quia Papa sibi, vel Successoribus legem imponere non potest, sed cum singulis annis renouetur Bulla, fit, vt omnia priuilegia semper intelligantur sublata.

Supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus alijs, cuiuscunque ordinis, status, vel cõditionis, dignitatis, & praeminentiæ fuerint, etiam si, vt præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali seu quauis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, seu locis. His verbis declarat Summus Pontifex, quibus personis, vel locis intelliguntur concessa esse pri-
B uilegia, quæ in hac Clausula reuocantur: Et primò reuocat priuilegia concessa *Supradictis, vel eorum alicui,* & intelligit nominatos, & descriptos in Clausula secũda, vbi reuocauit omnes facultates, & indulta, quibus indulgetur, vt quis absolui possit ab excommunicationibus Bullæ, ab alio, quàm à Romano Pontifice, quamuis indulta concessa essent quibusuis personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis Ordinum, etiam Mendicãtium Regularibus, & ipsis Ordinibus: Nec non laicis etiam Imperiali, & alia mundana excellentia fulgentibus, Quare si supradictis, vel eorum alicui concessum esset priuilegium, vt non possent excommunicari per literas Apostolicas, nisi in illis ex-
C pressa mentio fieret dicti priuilegij, illud ex hac clausula intelligitur sublatum. Secundò dicta reuocatio amplificatur, vt complectatur omnia priuilegia similia alijs personis fortasse concessa, & tollatur omnis ambiguitas, quæ contingere posset super validitate alicuius priuilegij, idcirco addit, *seu aliquibus alijs cuiuscunque Ordinis,* & quæ sequuntur, & includit omnes in quascunque dignitate ecclesiastica, vel laicali constitutos. Quare comprehenduntur Episcopi, Archiepiscopi, Partiarchæ, Primates, Cardinales. Similiter Principes, Duces, Reges, Imperator. Hæc de personis, quibus dicta priuilegia essent concessa. Et eodem modo reuocãtur huiusmodi priuilegia, si locis essent impertita, non personis, quod denotatur illis verbis, *Vel*
D *eorum Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, seu locis &c.*

A prædicta Sede, Talia priuilegia ab alio concedi nequeunt, quàm à Sede Apostolica, scilicet Romano Pontifice, quia Inferior dispensare non potest super lege Superioris; Nec ab alio tolli possunt, quàm à Papa cap.Conquæstus 9.q.3.cap.Vulteranæ 12.q.2.& cap. Priuilegia 25.q.2.

Ex quauis causa etiam per viam contractus, vel remunerationis. Tolluntur omnia priuilegia ex quacunque causa concessa etiam per viam contractus, & remunerationis. Priuilegium enim concedi potest, vel ex mera liberalitate Principis, & non excedit fines, & terminos priuilegij; Aut non est merum priuilegium, sed
E transit in contractum. Dicitur autem transire in Contractum, quando non conceditur aliquid simpliciter, sed commensuratum ad aliquod factum, vel faciendum ex parte eius, cui conceditur priuilegium; Et hoc modo traditur priuilegium alicui ex causa remunerationis, quando non fit ex mera liberalitate, sed ob obsequia pręstita. De his generibus priuilegiorũ agũt Abb.nu.25.Felin.num.21.& alij Doctores in cap.Nouit De Iudi. Et quia priuilegia, quæ non ex gratia & mera liberalitate Principis, sed ratione contractus, aut remunerationis conceduntur, maiori cum difficultate abrogari solent, vel possunt, vt tradit Bald. in

A l.Qui se Patris num.12. C.Vnde liberi, l.Fundi C.De Fundis patrimonial. lib.11. Ias.in l.Non amplius §.Si certum num.14.ff.de leg.1. Idcirco, vt ostenderet Papa mentem suam esse tollere omnia priuilegia cuiuscunque generis, non contentus fuit apponere simpliciter clausulam generalem, *Non obstantibus priuilegiis quibuscunque,* sed addidit ex quacunque causa concessis. Et quoniam de priuilegiis per viam contractus, & remunerationis cõtrouertitur apud Doctores, Vtrum reuocari possint, expressam illorum mentionem adiecit ad tollendam omnem ambiguitatem.

Et sub quauis alia forma, & tenore, ac cum quibusuis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis concessis. Rursus hæc derogatio priuilegiorum amplificatur ad
B priuilegia sub quacunque alia forma, & tenore concepta, & descripta, & quascunque clausulas insertas habeant etiam derogatoriarum derogatorias. Quare si priuilegium concessum sit per viam statuti, quod maiorem vim habet, vt inquit Abb. in dicto cap. Nouit nu. 26. De Iudi. Vel Motu proprio eiusdem Summi Pontificis, Motus enim proprius Papæ tollit omnes defectus, Ancharan. Cons. 20. Viso prædicto post princ. Vers. Pręterea effectus, Rebuff. in Praxi beneficiaria in 3.par Signat. num.117.Praxi 118. Vbi de signatura, fiat Motu proprio, agit, Abb.in cap.fin.nu.4. Vt lite penden. Vel sub quouis alio tenore, & forma priuilegium emanauerit, per hanc clausulam abrogatur, & extinguitur. Similiter cassatur priuilegium,
C etiamsi quascunque clausulas efficacissimas insertas habeat derogaroriarum derogatorias; Nempe in quo apposita esset clausula, Non obstantibus Constitutionibus, statutis, & quibusuis alijs dispositionibus contrarium præcipientibus.

Etiam continentibus, quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi, & de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem. Tandem Summus Pontifex, vt ostendat per hanc clausulam abrogata esse omnia priuilegia, expressè disponit se tollere, & cassare etiam illud priuilegium, quod contineret indultum, ne quis excommunicari
D posset, non facta mentione de verbo ad verbum de huiusmodi priuilegio, Sedes Apostolica non solet alicui indulgere simpliciter, vt non possit excommunicari, vt notat Petr.Rebuff.in Praxi Beneficiorum par.2.in tit. De forma nouæ prouis. Vers. Etiam si esset in Indulto pag.156. Sed concedit aliquando, vt non possit excommunicari pro tali causa, vel non facta priuilegii mentione; Vel vt non possit excommunicari ab alio, quàm à Papa, Et quando alicui esset indultum simpliciter, ne posset excommunicari, adhuc excommunicari posset, vt inquit Petrus Rebuffus, quia tale priuilegium non valeret, esset enim eximere aliquem, ne subiectus esset ipsi Papæ, quod fieri non potest cap.
E Cum non liceat de Pręscript. cap. Cum instantia, & ibi Glos. Ver, Non credimus De Censi. Igitur si quis haberet priuilegium, vt excommunicari nõ possit per literas Apostolicas, nisi in illis de verbo ad verbum tale priuilegium contineretur cum expressa mentione ordinis, loci, nominis, cognominis, & dignitatis eius, qui priuilegium obtinuisset, adhuc minimè eidem suffragaretur, ne in Censuras Bullę Cœnę, si in eã quouis modo delinqueret, incideret, quoniam hic tale priuilegium tollitur, & abrogatur, quod pertinet ad hunc effectum. Meminit autem Papa solum excommunicationis, anathematis, & interdicti, omissa

suspen-

suspensione; quoniam hæ duæ Censuræ tantum infliguntur in Bulla contra delinquentes in eam, excommunicatio, scilicet vigesies repetita, & Interdictum semel latum in Canone secundo.

Nec non consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunque longissimis, & alijs quibuslibet obseruantiis scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quominus includantur in eis, se iuuare valeant, vel tueri; Sublatis priuilegijs omnibus, quantumuis amplissimis, ne offendentes hāc Bullam vlla ratione se tueri valeant, quominus censuris eiusdem Bullæ obstricti remaneant. Nunc similiter reuocat quascunque consuetudines contrarias, & præscriptiones etiam longissimas, ac obseruantias scriptas, vel non scriptas. Consuetudo est quoddam ius moribus vtensium acquisitum, vt inquit Abb. in Rubr. De Consuet. quæ æquiparatur priuilegio, vt notat Glos. in ca. Nouit Ver. Consuetudinem De Iudi. Quod verùm esse affirmat ibi Abb. numero 22. supposita habilitate personæ, ideo aliquando longè maius ius tribuit priuilegium, quàm Consuetudo. Quare Laicus nunquam ius acquirit consuetudine ad conferenda beneficia Ecclesiastica, etiamsi tanto tempore contulerit, cuius initij memoria non extet. Ex priuilegio tamen Papæ statim illa conferre potest, quia priuilegium Papæ reddit illum capacem, quod non potest consuetudo. Meritò igitur, si reuocata sunt priuilegia omnia, quorum maior est ius, arctiori ratione abrogari possunt consuetudines, præsertim quia contra vires, & efficaciam censurarum nulla potest induci consuetudo, sicut neque contra Ecclesiasticam disciplinam, vt dicitur in cap. Cùm olim, & ibi Abb. nu. 2. De Consuet. Et hoc in loco tolluntur consuetudines, etiam immemorabiles, idest illa, quarum memoria non extat, vt dicitur in cap. Super quibusdam De verb signif. Licet enim consuetudinis immemorabilis magna sit auctoritas, vbi tamen rationi consona non est, reuocari debet, vt a Gregorio IX. in cap. fin. De Consuet. statutum est his verbis: *Licet etiam longeua consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est vsque adeò valitura, vt vel Iuri positiuo debeat præiudicium generare, nisi sit rationabilis, & legitimè præscripta.* Verùm consuetudo, vt Committens in Bullam non incidat in excommunicationem, omni Iuri, & rationi repugnat, quare reuocari debuit. Tollitur quoque omnis præscriptio etiam longissimi temporis, qua putaret quis posse se tueri contra Bullam Coenæ, & nihil aliud est præscriptio, si propriè sumatur, vt inquit Abb. in Rubr. nu. 1. de Præscript. nisi ius ex certa temporis mora, & diuturnitate conuenientem poenam negligentibus inferens, & finem litibus imponens. Differt autem consuetudo a præscriptione, quòd consuetudo propriè non est acquisitiua iuris alieni, sed solum communis derogatiua. Sed per præscriptionem acquiritur Ius alterius, Vnde per præscriptionem Priuatus; Per consuetudinem Respub. acquirit; Et præscriptio dicitur rerum, consuetudo morum. Quas differentias tradit Felin. inter consuetudinem, & præscriptionem in cap. Auditis no. 35. de Præscript. Vnde ad consuetudinem inducendam non requiritur titulus, sicut est necessarius in præscriptione: Notat Abb. in ca. Super quibusdam n. 9. de verb. sign. Sed Doctores Iuris Pontificij solent sæpe accipere consuetudinem pro præscriptione, vt ibi inquit Abb. Idem cons. 6. nu. 3. lib. 2. Felin. in dicto cap. Auditis nu. 35. De Præscript. & Gemin in cap. Non est num. 1. De Consuet. lib. 6. Quare in hac clausula irritatur omnis

A præscriptio etiam longissimi temporis; Talis autem appellatur, si acquisita sit decursu continui temporis triginta, vel quadraginta annorum, quę magnę est auctoritatis, & virtutis ad acquisitionem Iuris; Tribuit enim Ius quamuis non constet de titulo, & æquiparatur præscriptioni decem, vel viginti annorum cum titulo, quod enim deest respectu tituli, suppletur tempore, vt inquit Abb. in cap. Quoniam omne num. 28. De Præscript. & contra supremam potestatem Papæ nunquā præscribi potest, quia nullus fidelis in Ecclesia esse potest sine capite, ca. Omnis, & ibi Abb. nu. 2. de censi. Tandem Papa reuocat omnes obseruantias scriptas, vel non scriptas. Obseruantia hoc in loco accipitur pro ipso vsu, sicut in c. Cupientes in fi. Vers. Deniq; de elect. lib. 6. ibi. *Circa quos taliter alligatos nihil de veteris*
B *Iuris obseruantia immutamus.* Quare vsum consuetudinis appellat Papa obseruantiam, quę vel est redacta in scripturam, vel seruatur communiter, quamuis non sit descripta, si quæ igitur vigerent alicubi obseruantiæ scriptæ, vel non scriptæ contra tenorem Bullæ Coenæ Domini penitus reuocantur, vt nullo modo iuuare possint delinquentes in Bullam, quominus censuris in ea contentis obstringantur.

Quæ omnia quo ad hoc eorum omnium tenores, ac si ad verbū nihil penitus omisso insererentur præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omnino reuocamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Prædicta omnia penitus reuocantur, & tolluntur, nempe priuilegia cuiuscunq;
C generis, consuetudines, & præscriptiones, nec non obseruantiæ scriptæ, & non scriptæ. Hæc autem reuocantur, quatenus repugnant contentis in Bulla, nempe si quis putet se posse tueri, ne in censuras Bullæ incidat, si in eam cōmittat idq; denotatur clausula illa *Quoad hoc.* Et hæc verba, *Quæ omnia &c. ac si de verbo ad verbū nihil penitus omisso insererentur &c.* sufficiunt derogationi cuiuscunq. priuilegij, quamuis haberet clausulā, *Non obstante quacunque constitutione, & rescripto in contrarium faciente, etiamsi de ipso mentio specialis facienda esset,* Nam prædicta verba Bullæ Coenæ vim haberent posita in rescripto ad tollendam legem contrariā habentem clausulam derogatoriam ad rescripta, licet
D in indiuiduo lex contraria non exprimeretur, vt probat Feli in cap. Nonnulli n. 21. De rescript. Ergo multo magis cum ponantur in Constitutione, qualis est Bulla Coenæ, valent abrogare quæcunque priuilegia contraria. Idem confirmatur secundò, quoniam cum Papa dicat, *Præsentibus pro expressis habentes,* idest priuilegia, consuetudines, & præscriptiones contrarias, intelliguntur omnia abrogata, & valida censenda est abrogatio, ac si illa omnia essent indiuidualiter relata, arg. l. Qui iure ff. de Mili. Testam. vt tradit Felin. in dicto cap. Nonnulli num. 24. de rescript. Confirmatur tertiò, quoniam quamuis fortasse dubitari posset, an
E ista clausula, *Pro expressis habentes,* vel similis sufficeret in dispositione edita ab Inferiore derogationi cuiuscunq; contrarij: Tamen nullus est, qui neget illam clausulam positam in Constitutione Principis, & præsertim Papæ vim habere tollendi quæcunque contraria, Felin. vbi supra num. 26. Nauar. in cap. Si quando except. 1. num. 1. & seq. de rescript.

Sed dicet quis vera esse, quæ diximus, & locum habere, vbi Princeps per legem nouā, vel rescriptum derogat legi antiquæ habenti clausulam derogatoriam; In hoc enim casu sufficit, vt derogatio fiat illis verbis, *Pro expressis habentes.* Et ratio est, quia Princeps rescribens contra legem, nemini præiudicium infert, ideò satis est, vt deroget implicitè, licèt non explicitè, ma-

ximè quia præsumitur inferendo illa verba non oblitus prioris legis, sed alia videtur ratio in abrogatione priuilegij, vel gratiæ habentis clausulam derogatoriam præscribentem formam specialem dispositioni contrariæ, vt in terminis huius clausulæ Bullæ Cœnæ, in cuius explicatione versamur.

Respondeo, quando Princeps disponit sub forma rescripti, tunc oportet, vt obiectio facta probat, vt in rescripto talis expressio fiat, qualem requirit priuilegium, cui derogatur, nec sufficit habere repugnantia pro expressis, nisi stilus Curiæ oppositum seruet, vt testatur Butr. consil. 2. visis literis legitimationis, tunc enim dicendum esset in omni dispositione Principis sufficere clausulam pro expressis habentes, vt derogetur legitimè priuilegio. Hoc asserit Abb. consil. 46. dicens primum priuilegium per secundum reuocari, si secundum contineat plenissima verba reuocantia omnia priuilegia antecedentia, quia fieri non potest, vt Romanus Pontifex memor sit omnium priuilegiorum, cum in facto consistant, licèt Abb. oppositum docuerit cap. Cum instantia numero quinto, de Censi. ex sententia Federici consil. 225. sed certè absurdum esset dicere, si Papa vellet derogare omnibus priuilegijs quibuscunque concessis, quòd necesse haberet exprimere tenores infinitorum priuilegiorum per orbem concessorum, tam per semet ipsum, quàm per Antecessores suos tunc enim ferme extenderetur ad infinitum. Quòd si Papa aut Princeps derogat priuilegijs per dispositionem habentem vim legis, sicut est Bulla Cœnæ, tunc clarum est ex communi omnium sententia satis esse, si derogatio fiat virtute clausulæ non obstantibus quibuscunque sub quacunque forma concessis, vel similibus verbis, ita loquitur Clem. 1. & Cle. n. Dudum ad fi. de sepult. & cap. fin. de sent. excom lib. 6. & probat Felin. in dicto cap. Nonnulli num. 27. de rescript. reddens rationem huius dicti, quia in hoc casu non præsumitur surreptio, & constat de potestate & voluntate Principis, quia non ad alicuius instantiam, sed ex mera sua voluntate ductus ita disponere voluit. Ita etiam sentit Nau. cons. 12. n. 5. in tit. de regular.

Postremò in fine huius clausulæ subnectuntur illa verba, *Cæterisque contrarijs quibuscunque*, vt intelligamus fuisse penitus à Papa sublata omnia, quæ contentis in Bulla Cœnæ quouis modo repugnare viderentur, solet enim hæc clausula Cæterisque &c. vt tradit Petr. Rebuff. in sua praxi Benefic. in 3. par. in tit. de forma nouæ prouis. Vers. solet interdum Papa &c. apponi in fine præmissa derogatione aliorum contrariorum. Itaque concludendum est virtute huius clausulæ sublata fuisse à Papa omnia priuilegia, quibus aliqui se excusare potuissent à censuris Bullæ Cœnæ, Et hæc clausula idem valet ad eorum derogationem, ac si illa omnia indiuidualiter expressa fuissent, & est communis opinio Doctorum, quos refert Quint. Mandosius super Regulis Cancell. Reg. 11. quæst. 9. alias sequeretur absurdum, nimirum vt quoties Papa derogare vellet omnibus priuilegijs à se & Prædecessoribus concessis, teneretur de singulis mētionem facere, quod nemo affirmat, & hic est stylus Curiæ Romanę & in terminis Bullę Cœnæ, quæ habet vim legis, cessare videtur omnis difficultas, vt dixi, & ita affirmat Franc. Ripa in capitulo 1. post num. 55. de Rescript.

Sed remanet dubitatio dissoluenda, antequam absoluamus hoc caput, an Papa huiusmodi priuilegia, de quibus hic agitur, si quæ talia per Sedem Apostolicam aliquando concessa fuerunt, reuocare possit? nam priuilegium semel concessum, non videtur amplius per concedentem reuocari posse, consequitur enim vim suam, cum peruenerit ad notitiam priuilegiati, vt in cap. 1. prope med. Vers. Ex parte vero tua de concess. præben. lib. 6. & ibi Glos. Ver. Vim suam, & vbi exemplum proponitur de priuilegio concesso alicui, ne excommunicari possit, atque ita reuocari non poterit, cum sit Ius quæsitum, neque concedens sit amplius in ea re Dominus & Superior, & idem tenet Archid. in c. Quicunque 11. q. 1. arg. l. Perfecta C. de donat. quę sub mo. Vnde colligitur non posse donationem semel perfectam reuocari. Idem tenet Io. And. in cap. Constitutus de Relig. Domi.

B De hac dubitatione disputant Doctores in cap. 1. de probat. & in cap. Nouit de Iudi. & distinguunt, vel priuilegium collatum est non subdito, quo casu reuocari non potest, quoniam efficitur contractus, & idem putant, quando conceditur in remunerationem, ita dicunt Innoc. in dicto c. Nouit de Iudi. à quo omnes acceperunt, Abb. n. 25. & in c. Suggestum n. 6. de Deci. Felin n. 18. & alij, quando enim Princeps priuilegium concedit non subdito, videtur cum eo contractum seu conuentionem inire, & idcirco, etiamsi reuocet priuilegium, non nocet ei, cui fuit concessum, sicut non obesset reuocatio contractus, vel priuilegium traditum est subdito, & tunc subdistinguit Abb. in cap. Nouit n. 26. de Iudi. Aut habet actum successiuum & potest reuocari quoad futuros actus, quia omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur, aut habet actum momētaneum, quia statim effectū suum sortitur, & putat reuocari non posse, quia transiuit in Ius gētium, nisi suppetat causa, propter quam ea etiā quæ sunt de Iure gentium reuocari possunt. Idem inquit Felin. in d. c. Nouit n. 21. & in c. 1. nu. 3. de probat. Et ratio discriminis inter hos modos concedendi priuilegium est, quoniam Princeps ex contractu obligatur, & tunc censetur tāquam priuata persona iuxta l. 2. §. 1. ff. ne quid in loco pub. ideo non potest priuilegiū ex tali causa concessum reuocare. Sed quando priuilegium non egreditur fines & terminos meri priuilegij, & ex eo non fuit quæsitum aliquod ius de iure gētium illi, cui collatum fuit, tunc per Principem reuocari potest, Auth qua in Prouincia Ver. Priuilegio nō obstante C. vbi de Crimi. agi oportet. Et hic actus reuocandi conuenit Principi, vt Princeps est l. Princeps, ff. de legi. Quare eadem persona Principis secundum varias relationes potest diuersimode considerari.

Ex his, quæ communiter asseruntur à Doctoribus de reuocatione priuilegiorū, colligere possumus, quid sit respondendū ad propositam difficultatem, ex dictis enim sequitur Papam posse reuocare quæcunq; priuilegia concessa per Sedem Apostolicā, quibus indulgeretur, ne delinquentes in Bullam Cœnæ, censuris in ea contentis obstringerentur, quoniam cum omnes Christiani sint subiecti Papæ, & teneantur illi obedire in spiritualibus, vt inquit Innoc. in cap. Inquisitioni de sent. excom. potest Summus Pontifex quodcunque priuilegium in rebus spiritualibus reuocare, vt notat Abb. in c. Venerabilem num. 19. de elect. Huius generis sunt priuilegia, quæ in Bulla reuocantur, & nemo potest præscribere contra potestatem Papæ, vt non sit illi subiectus, Innoc. in cap. Bonæ 2. de postulat. Prælat. Abb. in capitulo Nouit numero 16. in fin. de Iudi. talis enim esset acephalus & sine capite, quod fieri non potest capitulo Nulla ratione distin. 23. Et ob hanc rationem Imperator reuocare nequit pri-

priuilegia, quę Ecclesię concessit, vt inquit Abb. in cap. Super 2.num.4. De Appell quia Ecclesia non subiicitur Imperatori; Ideo cum primùm fuit priuilegium concessum, & ab Ecclesia receptum, statim vim habet & operatur effectum suum. Immo priuilegium etiam non subdito concessum, quamuis transierit in Contractum, potest à Principe ex iusta causa reuocari, vt notat Felin. in dicto cap. Nouit nu.21. Ver. Quod intellige, de Iudi.

Confirmatur eadem responsio, quoniam priuilegium concernens iurisdictionem Principis, qualia sunt hęc, de quibus agitur in hac clausula Bullę, Ne quis per literas Apostolicas excommunicari possit, nisi de priuilegio in dictis literis expressa mentio facta fuerit, reuocari potest ad libitum, vt ex sententia Gemin. tradit Felin. in dicto cap. Nouit nume.24. de A Iudi. & loquitur de reuocatione statuti Gemin. quod maius est. Dicit enim, quod etsi ad tollendum statutum, quod habet vim contractus requiratur causa, vbi statutum disponit de commodo subditi in eius rebus, tamen si respiciat iurisdictionem Superioris, posse sine causa reuocari; ergo fortiori ratione fatendum est posse Papam reuocare priuilegium, quod eius iurisdictionem concernit.

Quare Papa omnia priuilegia per Sedem Apostolicam concessa abrogare potest, quamuis Summus B Pontifex in illis conferendis dixerit se nolle aliquo modo illa vnquam derogare; Nam si apposuerit in nouo rescripto clausulam derogatoriam, intelliguntur sublata, & abrogata cap.1. de Constit. lib.6. quia maiorem sibi reseruauit potestatem, quàm concesserit cap. Dudum de Pręben.



CLAVSVLA SEXTA.

VT VERO PRESENTES NOSTRI PROCESSVS AD PVBLICAM OMNIVM NOTITIAM FACILIVS DEDVCANTVR, &c.

CAPVT VI.

De modo ac forma seruanda in solenni promulgatione facienda tam in Vrbe, quàm in aliis Christiani Orbis Ciuitatibus Bulla Cœnæ Domini, vt ad omnium notitiam facilius perueniat.



XPLICATIS his, quę ex Romani Pontificis dispositione in tradenda absolutione à Censuris Bullæ requiruntur: Modò traditur forma promulgationis Bullæ, vt vim habeat obligandi omnes fideles: Et primo loco præscribitur modus promulgationis in Vrbe seruandus, deinde verò narratur modus publicationis faciendæ in alijs Ciuitatibus. Quod pertinet ad Vrbem, mandat, vt chartæ continentes processus Bullæ, affiganrur valuis Ecclesiæ Sancti Ioannis Lateranens. & Basilicæ Principis Apostolorum, vt nemo prætextu ignorantiæ se excusare valeat; Quod alias Ciuitates præcipit Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinariis, vt dictas literas semel in anno, vel pluries, si expedire videbunt postquam eas receperint, in Ecclesiis suis publicent solemniter.

Vt verò præsentes nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas seu membranas processus ipsos continentes Valuis Ecclesiæ Sancti Ioannis Lateranens. & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe appendi facimus; Vt lex, statutum, sententia, præceptum vim habeat obligandi eos, quibus imponitur, necesse est, vt ad eorum notitiam deducatur, quare de ratio- C ne legis est promulgatio, & ante promulgationem, qua subditis innotescit non eos obligando perstringit. Vnde in l. Leges C. De legi. dicitur, *Leges sacratissimæ quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.* In Authen. Vt factæ nouæ Constitut. & cap. Tunc statuitur valere leges, cùm in commune factæ sunt manifestæ. Idem habetur in cap. Ad hæc De Postular. Prælat. & cap. Cognoscentes De Constit. Vt igitur Bulla Cœnæ, siue habeat rationem legis, & Constitutionis, siue mandati generalis, & sententiæ, omnes obligare debeat, Summus Pontifex mandat, vt le- D gitimè promulgetur. Censetur autem promulgata lex, dum solenniter denunciatur in locis publicis, vel voce præconis, aut alia legitima via, quamuis ad singulorum notitiam non perueniat, tametsi vitia culpam eam ignorantes à peccato excusentur. Sic Papa statuit, vt Bulla Cœnæ legitimè promulgetur, & ita facilius ad omnium notitiam deducatur, se facturum, vt chartæ eam continentes appendantur Valuis Ecclesiæ S. Ioannis Lateran. & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe; Cum enim dictę Ecclesię ob earum excellentiam, ob insignes Reliquias in eis asseruatas, E ob antiquitatem, ob maximas indulgentias, & ob alia innumera priuilegia, & prærogatiuas à Summis Pontificibus ditata ab omnibus Christi fidelibus tam Romanis, quàm externis frequenter visitentur, probabile est hoc modo manifestum, & notorium futurum fore, quidquid in Bulla Coenæ Domini continetur: Quod enim in Ecclesia Cathedrali, & maiori fit, publicè fieri dicitur. Vnde in Clem. Causam De Elect. ponitur forma, secundum quam appellans appellationem intimare debet appellato; nimirum

si contingat appellatum abesse, aut procuratorem non inueniri, intimationem faciendam esse in Ecclesia Cathedrali, similiter quando propter potentiam appellati intimatio fieri nequit, tunc appellatio in loco aliquo publico solenniter facienda est, talis est Ecclesia Cathedralis, vel maior, & redditur ratio, quia ita ad appellati seu procuratoris notitiam verisimiliter peruenire potest, & quæ in maiori Ecclesia fiunt, statim omnibus innotescunt, atque sic valet, & arctat omnis lex, constitutio, seu edictum Ecclesię maioris ianuis affixum, vel in Palatio Papali ipso Summo Pontifice specialiter & ex certa scientia id mandante, sicut obligabat Edictum in Albo Prętoris propositum, vt dicitur in Clem. Dudum de sepul. & in extrauag. Rem non nouam de dolo & contum. Album verò Prætoris, vt notat Glos. in dicta Clement. Dudū Ver. Albo, erat locus dealbatus, vbi scribebantur edicta, de quo in Auth. de liti. §. omnem colla. 8.

Quòd Papa vocet templum S. Ioannis Laterani Ecclesiam & templum S. Petri Basilicam, id factum est, non ad denotandam aliquam differentiam inter duo hæc Templa, quibus & nomen Ecclesiæ & Basilicæ æqualiter conuenit, sed potius variationis gratia, ne bis idem nomen repeteret, nam millies Summi Pōtifices in suis Bullis, & Templum S. Ioannis vocant Basilicam & Principis Apostolorum Templum appellant Ecclesiam.

Dicitur Ecclesia à Christianis locus publicus Deo dicatus, vbi fideles conueniunt ad diuina officia & ad cultum Deo exhibendū, Basilica verò appellatur Domus seu Palatium Regium. Principio dicta fuit domus ampla & spaciosa causarum cognitioni destinata, dicta ab eo, quòd Principes eò ad ius dicendum conuenirent. Et quia erat Basilica Templo persimilis ambulationibus amplissimis instructa, ad quam multi diuersa agendi gratia confluebant, idcirco hoc nomen ad Ecclesiam significandam accomodatum esse censeo, & præcipuè magnificam & illustrem. Vnde Glos. in extrauag. 1. Ver. Basilicam de pœnit. & remiss. notat Basilicam propriè esse domum Regiam, sed hoc tempore per translationem dici Ecclesiam, quia Ecclesia est Palatium Christi Regum Regis & Domini Dominantium.

Abb. in rubr. num. 2. de consecr. Eccles. tenet Templum ante consecrationem non posse dici Ecclesiam, sed appellari debere Basilicam, quæ post consecrationem accipit nomen Ecclesiæ, & probat ex tex. in cap. 1. vna cum Glos. Ver. Dedicandi de Relig. Domi. quæ explicans verba tex. ibi, *Nunc autem ad Basilicam, quæ dedicanda est &c.* ita inquit, *Idest consecranda, tunc enim appellatur Ecclesia, sicut electus in consecratione nomen assumit Episcopi &c.* Vnde inquit in eadem Rubr. nu. 3. de consecrat. Eccles. Si statutum imponeret certam pœnam delinquentibus in Ecclesia, non vendicaret sibi locum in delicto in Basilica commisso.

Verum hæc, quæ dicuntur à Glos. & Abb. non probat Nauar. in Comment. de Iubileo, notab. 32. Ver. Basilicas, & reuera non videntur simpliciter admittēda. Primo enim falsum omnino videtur, quod ait Glo. in extraug. 1. de pœnit. & remiss. Ecclesiam consecratam non vocari propriè Basilicam, sed per translationem, cum hoc in loco & alibi frequentissimè Summus Pontifex vocet Ecclesiam Principis Apostolorum Basilicam, & idem constet de Ecclesia S. Pauli, Sancti Ioannis Laterani, Sanctæ Mariæ Maioris, quæ consecratæ sunt, & singulis annis solenni ritu earum consecratio vniuersaliter in Ecclesia celebratur. Secundo

A falsum videtur, quod ait Abb. in dicta Rubr. Ecclesiā vocari post consecrationem, Basilicam ante consecrationem, quoniam id non accidit ex proprietate nominis, sed ex vsu loquendi, & solum videtur verum de Basilica non consecrata, neque Episcopi auctoritate constructa, quales sunt capellę in Palatijs Principum ędificatæ auctoritate priuata, quæ non vocantur Ecclesiæ, quoniam constructa ad eum finem non sunt, vt in illis publicè diuina officia celebrentur, & vt ibi fidelium populus conueniat. Aliæ vero Ecclesię, quæ auctoritate Episcopi Deo sunt dicatæ, vt in illis sacrificium Missæ peragatur, & fideles congregentur ad diuina officia audienda promiscuè, & Basilicæ & Ecclesiæ à sacris Canonibus appellantur,

B vt in extrauag. 1. de pœnit. & remiss. capitulo Omnes Basilicæ 16. quæst. 7. cap. Omnes Basilicæ, capit. Si quis Basilicam, cap. Basilicas de consecr. d. 1. & alibi sæpe. Tertio minime quoque verum apparet, vt inquit Nauar. vbi supra Statutum puniens delinquentem in Ecclesia non comprehendere eum, qui delinquit in Basilica non consecrata, auctoritate tamen Episcopi extructa, vt censet Abb. nam ille, cui est interdicta celebratio in Ecclesia, irregularis fit celebrādo in tali Basilica, Gemin. in capitulo Is, cui sub fi. de sent. excom. lib. 6. & tales Basilicæ gaudent immunitatibus concessis Ecclesijs, vt tradit Nauar. in Manu. cap. 25. nu. 17.

C *Vt ij, quos processus huiusmodi concernunt, quòd ad ipsos non peruenerint, aut quòd ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.* Hic est finis, cuius gratia mandat Summus Pontifex, vt Bulla Cœnæ Domini affigatur valuis Basilicarum Principis Apostolorum, & Sancti Ioannis Laterani, vt illi, quos concernunt ea, quę in dicta Bulla continentur, excusari nequeant, quòd eorum notitiam non habuerint, aut ea ignorauerint, quia verisimile non est, vt id, quod publicatum est solenniter in his duabus Ecclesijs insignioribus Vrbis, in quibus frequens fidelium multitudo esse solet, incognitum remaneat. Simile habetur in Clem. 1. de elect. & in extrauag. Rem non nouam

D de dolo & contum. Quare Bulla Cœnę post affixionē legitimè factam in valuis ambarum Ecclesiarum Principis Apostolorum, & Sancti Ioannis Laterani, omnes obligat, sicut omnis Constitutio, & statutum solenniter publicatum in locis pręcipuis & consuetis Ciuitatis omnes afficit, neque promulgatio facienda est in singulis vicis Ciuitatis, vt notat Abb. in capitulo Cognoscentes in fin. de Constit. hoc enim esset inculcare illud singulorum auribus, quod necessarium non est, vt expresse habetur in cap. 1. de postulat. Prę lat. ibi, *Nec sit necessarium, cum constantio solenniter edita, aut publicè promulgatur ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum aut literas inculcare.*

E Ideo qui prętenderet non habuisse notitiam Bullę Cœnę, sed illam ignorasse, non excusaretur à censuris, si in illam committeret, quia talis ignorantia rei publicè & solenniter promulgatę non præsumitur, vt in eod. capitulo primo, de postulat. Pręlator. dicitur ibi, *Cum & contra quosdam, qui Sardicen. Concilium non seruabant, tanquam illud non habuerint aut perceperint, Canonica tradat auctoritas, quod eis non facilè facultas credendi tribuitur, cum idem penes illos in suis Regionibus actum fuerit & receptum.* Et argumentum habitę notitię desumitur ex verisimilitudine, quia id, quod publicè agitur, ab omnibus sciri, verisimile

simile est; Et hæc verisimilitudo attenditur cap. Quia verisimile De Præsumpt. & notat Glos. in Clem. Causam, Ver. Verisimiliter de elect.

Quamobrem legitimè appensa Bulla Cœnæ ad Valuas Ecclesiarum Principis Apostolorum, & Sancti Ioannis Laterani sic arctat, & obligat omnes, ac si singulis personaliter intimata fuisset; hoc enim vult significare Summus Pontifex, cum ait: Nemini admittendam fore excusationem, si diceret, ad ipsum Bullæ notitiam non peruenisse, vel illum ignorasse. Ad idem facit, quoniam si Citatio affixa Ianuis Maioris Ecclesiæ ita arctat citatos in quibusdam casibus, ac si ad eos personaliter deuenisset, vt statuitur in Extrauag. Rem non nouam De dolo, & Contum. & in Clem. Dudum de Iudi. Ergo multò magis id dicendum de Bulla Cœnæ, quæ habet vim legis. Simile habetur in Extrauag. Si Fratrum Ne Sede Vacante.

Accedit ad confirmandam hanc notitiam, quam supponendum est omnes verisimiliter habere potuisse post prædictam promulgationem factam, quoniam præter illā affixionem ad valuas illarum duarum Ecclesiarum, solet singulis annis solenni die feriæ quintæ Maioris Hebdomadæ hæc Bulla è loco eminentiori publicè coram frequenti populo non solùm Romanorum, sed aduenarum, & peregrinorum legi, Papa cum Mitra, & Pluuiali in Throno Maiestatis sedente, assistentibus Cardinalibus, Prælatis, & vniuersa Curia, & olim non semel tantum, sed pluries in anno Romani Pontifices huiusmodi processus generales solenniter promulgare consueuerunt, vt notat Glo. in Clem. Dudum Ver. Solennes De Iudi. scilicet die Iouis Hebdomadæ Sanctæ, die Ascensionis, & die Festo Dedicationis Basilicarum Petri, & Pauli, idem repetit Glos. in Extrau. Rem non nouam, Ver. Solennes dies, De Dolo, & Contum. Non est igitur probabile posse alicui ignotum remanere, quod eam solenniter, & publicè agitur, vt eleganter dicit Beatus Leo Papa serm. 1. De Natiuitate Apostolorum Petri, & Pauli sub medium, *Cuius autem nationis homines in hac nunc Vrbe non essent, Aut quæ vsquam gentes ignorarent, quod Roma didicisset.*

Vtrum verò Bulla Cœnæ Domini post dictam promulgationem, & affixionem ad valuas illarum duarū Ecclesiarum statim nullo tempore expectato obliget omnes vbicunque degentes, an potius talis obligatio oriatur post spacium duorum mensium, vel alterius temporis, pertractaui hanc difficultatem in Disp. 1. Cap. 6.

Postulabit aliquis, an præsumptio, quæ prouenit ex promulgatione, & affixione Bullæ Cœnæ, vt verisimiliter existimandum sit omnibus nota esse, talis iudicetur, vt excludat facultatem probandi oppositum, nempe illius ignorantiam.

Respondeo hanc præsumptionem non esse Iuris, & de Iure, sicut dicit Abb. de promulgatione Statuti in cap. 1. nu. 12. De postulat. Prælat. Glos. in Extrauag. Si fratrum in fi. Ver. Non sit verisimile, Ne Sede Vacante. Quare licèt ex ea sumi possit argumentū probabile. vt non facilè credendum sit ignorantiam alleganti, vt dicitur in d. cap. 1. tamen admittitur, qui vult probare ignorantiam; An verò sufficiat iuramentum allegantis ignorantiam, vel requiratur maior probatio, dixi in dicto Cap. 6. Disp. 1. Quæ omnia locum habent in Iudicio exteriori, nam in foro Conscientiæ non attenditur præsumptio, sed rei veritas. Quare si quis re vera probabilem ignorantiā Bullæ Cœnæ Domini haberet, non obstringeretur in foro Dei censuris eiusdem

A dem Bullæ, cùm sine peccato, & contumacia non incurratur excommunicatio, & peccatum cesset, vbi probabilis existit ignorantia.

Insuper vt processus ipsi, & præsentes literæ, ac omnia, & singula in eis contenta eo fiant notiora, quò in plerisque Ciuitatibus, & locis fuerint publicata vniuersis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinarijs, & Prælatis vbilibet constitutis per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt per se, vel alium, seu alios præsentes literas, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut, si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesijs suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solenniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuncient, & de-

B *clarent.*

Declarata forma seruanda in promulgatione Bullæ Coenæ in Vrbe, in hac secunda parte Pontifex tradit modum promulgationis eiusdem Bullæ faciendæ in alijs Ciuitatibus Orbis Christiani, vt eò magis omnia, quæ in dicta Bulla continentur, singulis nota fiant. Præcipit igitur Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & alijs Prælatis, & in virtute sanctæ obedientiæ mandat, vt per se ipsos, vel alios, postquam receperint literas dictos processus continentes, vel earum notitiam habuerint, semel in anno, seu pluries, si expedire iudicauerint, in Ecclesijs suis, quando maior erit populi concursus, illas solenniter pu-

C blicent.

Ante omnia hoc in loco est animaduertendum, quòd quamuis ob Episcopi negligentiam omitteretur publicatio Bullæ in aliqua Ciuitate, tamen haberet vim obligandi omnes in eadem Ciuitate post legitimam promulgationem factam Romæ, quoniam ita statuit Papa, cum declarat nemini fore admittendam excusationem, quòd Bullæ notitiam non habuerit, vel illam ignorauerit, postquam appensa fuerit valuis Ecclesiarum Principis Apostolorum, & Sancti Ioannis Laterani, & quicunque in eam committeret, in censuris incideret, vbicunque existeret, nisi aliam excusationem, quàm ignorantia haberet, pu-

D ta quod Bulla non fuisset in ea Ciuitate recepta, vel ex alio capite. Verùm de hac difficultate dixi latius in Disput. 1. Cap. 6. Cum ergo Summus Pontifex hoc expresserit, fit, vt Bulla Coenæ post promulgationem Romæ factam obliget omnes vbicunque existentes. Simile habetur in cap. Cum singula de Præben. lib. 6. & in Clem. Nolentes De Hæret. Quòd si Papa id non declarasset, fortasse Bulla non obligaret existentes extra Vrbem, nisi post publicationem factam in Ciuitate, vel Prouincia, maximè cum præcipiat omnibus Episcopis, vt curent Bullam in suis Ecclesijs publicare. & hoc idem tradit Domin. Sot. de quacunque Constitutione Pontificia libro primo, quæstione prima, ar-

E ticulo quarto, Conclus. 3. Vers. Crediderim tamen de Inst. & Iure. Hinc sequitur hanc promulgationem faciendam ab Episcopis in suis Ciuitatibus præcipi à Papa, non quia requirat illam tanquam necessariam, vt Bulla vim habeat obligandi, sed magis, vt hac ratione omnia, & singula contenta in Bulla notiora reddantur.

Secundò sciendum est onus publicandi Bullam impoui omnibus Episcopis, siue habeant titulum Archiepiscopi, siue Primatis, vel Patriarchæ, & etiam imponi alijs locorum Ordinarijs, & Prælatis Inferioribus. Nomine Ordinarii in Iure accipitur is, qui in certa Ciuitate, Prouincia, vel loco

Iurisdictionem fori exterioris certis limitibus circumscriptam habet, & potestatem exercet, siue sit Episcopus, siue Prælatus inferior exemptus, & potestatem quasi Episcopalem habens. Vnde appellatione ordinariorum non intelligitur Summus Pontifex, qui in omnes Prouincias, & loca in tota Christianorum Ditione, & Imperio constituta ius habet, & auctoritatem, sed hoc nomine comprehenditur Episcopus, qui dicitur Ordinarius generalis cap. Cum Episcopus de off. ordi. lib. 6. & Prælatus inferior, qui vocatur specialis Ordinarius, tex. in cap. Ordinarij iuncta Glo. Ver. Locorum de off. ordi. lib. 6. Abb. in cap. Post cessionem num. 1. de probat.

Tertiò notandum est Parochos, & simplices Rectores animarum curam habentes non esse obstrictos virtute huius clausulæ publicare Bullam in suis Ecclesijs, quoniam Parochi non accipiuntur appellatione ordinariorum locorum, & Prælatorum, quibus hoc onus iniungitur, quoniam, vt bene asserit Abb. in cap. Cùm ab Ecclesiarum num. 1. de off. ordi. licèt Sacerdotes Parochiales dici possint Prælati, si in latiori significatione hoc nomen sumatur, quia in foro interiori suis subditis præsunt, cui significationi alludere videtur vocabuli ethimologia, quia Prælatus dicitur quasi præ alijs ditatus, vel ante latus; tamen propriè loquendo illi soli vocantur Prælati, qui habent iurisdictionem aliquam fori contentiosi, vt est tex. in cap. Decernimus iuncta Glos. Ver. Ecclesiarum Prælati de Iudi. & ibi Abb. textus in Clem. dudum de sepult. quare si Summus Pontifex voluisset, vt Rectores Parochiales promulgarent Bullam Cœnæ in suis Ecclesiis, illos expressisset, sicut eos nominauit in sequenti clausula.

Quartò notandum est hanc Bullæ publicationem fieri debere ab Episcopis, & Prælatis *In Ecclesiis suis*, vt præcipit Summus Pontifex, quibus verbis non vult significare, vt publicatio sit facienda in omnibus Ecclesiis Diœcesis, vel Iurisdictionis eorum, sed tantùm in Ecclesia Cathedrali, seu matrice, & maiori. Aequiparatur enim maior, seu matrix Ecclesia in Terra, & Oppido, vbi non extat Ecclesia Cathedralis ipsi Ecclesiæ Cathedrali, vt notat Glos. in Clemen. dudum Ver. Maioris de Iudi. & facta publicatione in huiusmodi Ecclesia, satisfecit Prælatus oneri sibi iniuncto.

Quò verò admodum seruandum in facienda publicatione, nulla hic præscribitur forma, sed tantùm dicitur, vt solemniter publicetur, quare non censeo necessariò adhibendas esse aliquas certas, & peculiares cæremonias, sed seruandum esse ritum, & morem, qui seruari solet in ea Ciuitate, vbi fit publicatio Bullæ, quando promulgatur sententia excommunicationis de re aliqua grauissima, & talis promulgatio debet fieri, vt minimum semel in anno, vel etiam pluries à Prælatis, si iudicauerint ita expedire ad habendam notitiam Bullæ.

Quantùm ad tẽpus, quo tenentur Episcopi & Prælati Bullam publicare, postquam Romæ est promulgata, dicimus oriri hanc obligationem, cum primùm Prælatus illam receperit, vel eius notitiam habuerit, vt patet ex illis verbis *Postquam eas receperint*, scilicet literas præsentes, *Seu earum notitiam habuerint*. Dicitur autem Prælatus recepisse literas Bullæ, cùm earum transumptum habuerint, nam transumpto etiam impresso Notarii publici manu subscripto, & sigillo Iudicis Ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munito mandat Summus Pontifex eandem prorsus fidem adhibendam fore, quæ ipsiusmet Bullæ originali adhiberetur, vt habetur in sequenti clausula. Quòd si non receperit transumptum Bullæ, sed tantùm certior factus fuerit de solemni promulgatione Romæ facta, & de contentis in Bulla, adhuc tenetur illam publicare, quia sic Papa iubet. Neque scriptura est dicta substantia legis, vt inquit Abb. in cap. 1. num. 19. de postulat. Prælat. & hoc modo Prælati debent omnia, quæ in Bulla interdicuntur, ad fidelium mentes reducere, nunciare, & declarare, vt ambiguitates, & difficultates tollantur. His enim peractis tollitur omnis excusatio, & nulla prorsus prætendi poterit ignorantia: Nam quilibet existens in Prouincia scit ea, quæ publicè fiunt in aliqua parte Prouinciæ, vt inquit Glos. tertia in fi. in dicto cap. 1. & ibi Abb. num. 16. de postulat. Prælat. & multò magis, quæ fiunt in Ciuitate, non ignorantur ab his, qui in Diœcesi commorantur, Abb. in cap. Significante num. 2. qui matrim. accusa. possunt.

Postremò remanet explicandum, cuius criminis reus sit Episcopus, & Prælatus, qui sine iusta, & legitima causa negligit ad præscriptam formam Bullam in Ecclesia sua solemniter publicare, neque curat præcepto Summi Pontificis mandantis hoc in virtute sanctæ obedientiæ parere, & qua pœna puniendus sit.

Glos. in cap. Dolentes Ver. Diuinum Officium de celebr. Missa: vbi Innoc. Tertius in virtute obedientiæ distinctè præcipit omnibus Clericis, vt Diuinum Officium studiosè, & deuotè celebrent, dicit peccatum infidelitatis incurrere quisquis Sedi Apostolicæ obedire contendit, & ita habetur in cap. Si qui sunt Presbyteri, dist. 81. in fi. *Peccatum igitur Paganitatis incurrit quisquis, dum Christianum se asserit, Sedi Apostolicæ obedire contemnit*. Sed hoc non est intelligendum de quocunque inobediente mandatis Papæ, sed de eo, qui contemnit. Verùm non omnis inobediens dicitur contemnere, vt inquit Domin. in cap. De libellis ad fi. 20. dist. vbi Glos. Ver. Conuincitur, inquit non esse Hæreticum, qui non recipit Canones, sed qui contemnit: Ergo sola inobedientia non inducit contemptum. Quando verò dicatur quis ex contemptu non parere mandatis Sedis Apostolicæ, & sacris Canonibus, variis, & diuersis modis explicant Doctores, quos refert Felin. in cap. Si quis num. 11. de maior. & obed. & ex omnibus modis magis probat dictum Domin. in cap. Nullus 55. dist. qui post Archid. censet tunc dicendum esse aliquem non parere in contemptum, quãdo scienter, & contumaciter non vult subiici dispositioni legis aut præcepto Superioris, & propter hanc causam directè mouetur ad transgrediendam legem, vel non obediendum præcepto Superioris. Vbi autem quis legem, aut mandatum Principis transgreditur ob aliquam peculiarem causam, vt ex concupiscentia, ira, auaritia, vel simili non delinquit ex contemptu. Quare multis ex causis potest aliquis absque contemptu prætermittere leges, aut Superioris obsequium, vt Glos. sentit in cap. Quis autem dist. 10. dicens aliud esse contemnere, aliud non parere. Propria igitur contemptus significatio, qui ex sui generis mortalem culpam inducit, est contra legem agere, non quia displiceat lex, sed legislator, & propter contemptum ipsius legislatoris violatur lex, quod pluribus confirmat Couar. in prima par. §. 7. num. 6. Relect. in cap. Alma Mater de sent. excom. lib. 6. Quamobrem, cùm dicit Glos. & Doctores non obedientem mandato Summi Pontificis committere peccatum infidelitatis, hoc dictum explicandum est de eo, qui idcirco non vult parere, quia auctoritatem Summi Pontificis contemnit, & ex hoc contemptu mouetur ad impugnandum eius

præ-

præceptum; Sed hoc in loco non tractamus de tali inobedientia, sed simpliciter de Episcopo, qui ex negligentia, vel ob alium finem temporalem non intendit publicare Bullam Cœnæ eo modo, quo præcipit Summus Pontifex. Vt autem cognoscamus, quale sit ob peccatum, necesse est cognoscere, quale & quantum peccatum sit inobedientia.

Duplex esse potest inobedientia, altera materialis, altera formalis. Materialis est transgressio cuiuscunque præcepti in materia cuiusuis virtutis, atque ita non distinguitur ab alijs peccatis, quæ committuntur in transgressione dictorum præceptorum, sed est conditio quædam generalis inclusa in omnibus peccatis hoc ipso, quod peccatum omne est contra præceptum. Altera est inobedientia formalis, & hæc rursus est duplex, altera per commissionem, quę nihil aliud est, quàm contemptus pręcepti, qui directè opponitur actui obedientiæ formali obseruationis præcepti, vt præceptum est, de quo contemptu iam dixi, altera est inobedientia formalis per omissionem, cum scilicet omittitur rectitudo formalis obedientiæ iniuncta per aliquod præceptum. Et hæc inobedientia formalis per omissionem accidit, quoties Superior peculiari præcepto vult reddere necessariam rectitudinem obedientiæ propter aliquam causam, ratione cuius inobedientiæ si Religiosus non pareat Superiori aliquid præcipienti in virtute obedientiæ, committit Sacrilegium, nam votum obedientiæ habet pro obiecto obedientiam tam materialem quam formalem, si illa præcipiatur, ad hunc modum districtè præcipiendo in virtute sanctæ obedientiæ mandat Summus Pontifex hoc in loco Episcopis & Pręlatis, vt solenniter publicēt in suis Ecclesijs Bullam Cœnæ. Quare qui omittit illam publicare sine legitima causa, non solum committit peccatum inobedientiæ materialis transgrediendo præceptum, omittit enim facere id, quod tenetur, sed etiam incurrit inobedientiam formalem, cum contemnat parere Summo Pontifici præcipienti publicationem Bullæ sub præcepto peculiari virtutis obedientiæ.

His præmissis dubitari non potest huiusmodi peccatum, quod committunt Episcopi & Prælati negligentes publicare Bullam Cœnæ ad præscriptum huius decreti, esse peccatum, mortale ex genere suo & graue, quoniam cum; præcipiatur in virtute sanctæ obedientiæ, negligendo hoc mandatum committunt actū inobedientiæ formalis, quæ valde magna est culpa, vt inquit D.Tho. 2.2.q.105.art.2. sicut è cōtra obedientia excellens est & eximia virtus, vnde à S.Patribus amplissimis laudibus extollitur hæc virtus, & pręsertim à Gregorio Nazianzeno in oratione ad Ciues timore perculsos & Principem irascentem, Hieronymo Epistola 8. cap.10. ad Demetriadem, Augustino lib.14. cap. 12. de Ciuitate Dei, vbi ait, obedientiam in præcepto commendari, & Matrem quodammodo esse & custodem omnium virtutum, & Gregorio lib. 35. cap. 12. Moral. vbi ait, obedientiam merito victimis præponi, quia per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur, & in lib.4.Reg. cap.5. *Cæteris virtutibus* inquit *Dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus*.

Huius peccati grauitas confirmatur ex eo, quoniā non obedire Præpositis & Maioribus, quicunque illi sunt, non leuis est culpa, vnde Apostolus Paulus inquit ad Hebræos. c. 13. *Obedite Præpositis vestris*, ad Tim. cap. 3. *Admone illos Principibus & Potestatibus subditos esse*, & prima Petri 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ*. Et iuxta hanc regulam Christus præcipit obediētiam erga maiores in omnibus, Matth. cap. 23. *Omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite*. Igitur magnum erit crimen non obedire Romano Pontifici districtè iubenti in virtute sanctæ obedientiæ rem grauem ad retinendam Ecclesiasticam disciplinam valde necessariam, qualis est publicatio Bullæ Cœnæ, vt facilius ad omnium fidelium aures peruenire possit, quia Christi Vicarius est, & omnium Christifidelium Pastor & Princeps cap. Si quis, & ibi Glos. Ver. Principi de maior. & obed.

Quam vero pœnam Episcopus incurrat non publicans Bullam Cœnæ Domini in sua Ecclesia, & negligens hoc pręceptum Summi Pont. hic non exprimitur, Glos. in cap. Dolcotes Ver. Diuinum officium de celebr. Missa. loquens de Clericis non recitantibus diuinum officium iuxta præceptum eis impositum in virtute obedientiæ ab Innocentio Tertio, dicit illos priuādos fore suis beneficijs propter inobedientiam. Verum huiusmodi Clerici negligentes officium diuinum non solum digni sunt hac pœna propter inobediētiam, sed etiam, quia omittunt officium diuinum, ad quod tenentur cap. Presbyter eod. tit. In capit. Si quis de maior. & obed. hęc habentur, *Qui non obedierit Principi, morte moriatur, & in Concilio Agathen. quod anathematizetur*, Vbi Glos. Ver. Principi, intelligit nomine Principis Papam, & Abb. n. 4. per mortem intelligit excommunicationem, nam iure Canonico mors capitur pro excommunicatione cap. Peruenerabilem, qui fi. sint legi. Vel inquit Abb. affertur testimonium illud, *Qui non obedierit Principi, morte moriatur*, ex lib. 1. Reg. cap. 15. quod habetur etiam Deuter. 17. vt argumentetur à simili, nimirum quemadmodum non obediens Principi seculari morte puniendus est, simili modo non obediens Principi Ecclesiastico, scilicet Papę, mori debet spiritualiter, idest excommunicandus est, quare iuxta hanc interpretationem Episcopus delinquens omittendo publicare Bullam iuxta hoc præceptum Papę, excommunicari potest, maximè cum sit contumax contra formale pręceptum obedientię secundum modum explicatum. Idem Abb. in c. Illud in fi. eod. tit. addit non obedientē mandato Summi Pontificis incurrere notam inobedientiæ, idest infamiam, licèt hoc intelligi posse dicat de infamia canonica, quæ tollitur per pœnitentiam.

Ego hac in re dicendum putarem Summum Pontificem noluisse certam aliquam poenam statuere in Episcopos & Prælatos transgredientes hoc præceptū, quia voluit illam sibi reseruare infligendam in transgressores maiorem, vel minorem pro mensura delicti, consideratis omnibus causis & conditionibus personarum, temporum & locorum, quorum occasione magis vel minus excusari poterit Prælatus, si Bullam Cœnæ non publicauerit.

Postulabit quis, an Prælati teneantur publicare hanc Bullam sub peccato mortali, quando à Principibus secularibus impediuntur, ne id faciant. Pro vtraque parte est difficultas, nam pro obligatione vrget præceptum Pontificis, qui in virtute sanctæ obedientiæ illud iubet, quamuis non ignoret hanc difficultatem, & singulis annis idem præceptum renouat. Ex altera parte, quòd excusentur apparet, quia Prælati non sunt ita potentes, vt Principes, neq; possunt simpliciter exequi, quod vellent, & si id attentarent, nullus bonus effectus sequeretur, nisi tumultus, perturbatio populi, scandalum, odium contra Ecclesiasticos.

Respondendum videtur ad hanc difficultatem, Prælatorum officium esse curare quantũ possunt, vt sequatur publicatio Bullæ, insinuando hoc Principibus cum ea libertate, & spiritu, quo debent, & si qua est spes fructus, teneri, ad publicandam Bullam omni humano affectu posthabito sub peccato mortali. Si verò nulla est spes fructus, sed potius formidari potest probabiliter, ne sequatur scandalum, tunc censerem, salno meliori iudicio, Prælatos non peccare, saltem mortaliter, si non publicarent Bullam.

C L A V S V L A
S E P T I M A.

CAETERVM PATRIARCHAE, ARCHIEPISCOPI. EPISCOPI, ALIIQVE LOCORVM Ordinarij, & Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, cæterique curam animarum exercentes &c.

CAPVT VII.

De Personis, quæ ex obligatione Bullæ Cœnæ Domini Transumptum penes se habere tenentur, & quale debeat esse Transumptum, ut ei fides necessariò sit adhibenda.



HIC admonentur omnes Prælati, & Rectores animarum, ac omnes Confessarij tam seculares, quàm Regulares, vt Transumptum harum literarum apud se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant; Idque in prima parte, In secunda verò statuit, & declarat Trannsumptis harum literarum impressis, & Notarij publici manu subscriptis, ac sigillo Iudicis ordinarij Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eandem prorsus fidem in Iudicio, & extra vbique locorum adhibendam esse, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Venio ad primam partem, quæ varijs modis expressa fuit diuersis temporibus à Summis Pontificibus: Nam olim hæc particula non addebatur, vt patet ex Bulla Pauli Tertij apud Rebuffum, in qua non legitur hæc obligatio Prælatis, & Parochis imposita habendi Bullam penes se, Pius Quintus autem sub præcepto peccati mortalis mandauit Confessarijs, vt tenerent Bullam. In Bulla Gregorij Decimitertij legitur verbum Hortamur, In Bulla Sixti Quinti, & Clementis Octaui, & in hac, quam interpretamur, Pauli Quinti non est verbum *Hortamur*, sed simpliciter dicitur *Penes se habeant*. Item in Bulla Gregorij Decimitertij his verbis disponitur hæc clausula, scilicet *Hortamur &c. vt Transumptum harum literarum penes se habere, legere, & diligenter examinare procurent*. At Clemens Octauus, & Dominus Noster Paulus Quintus alio vtuntur modo loquendi, nimirum, *Cæterum Patriarchæ &c. Transumptum literarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant*.

Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii, & Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri seculares, & quorumuis ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confessiones quauis auctoritate deputati. Hæc igitur dispositio primo respicit Episcopos, in quuscunque gradu constituti fuerint, nempe etiamsi fuerint Patriarchæ, vel Archiepiscopi. Secundò comprehendit alios Ordinarios locorum; Qui intelligantur nomine Ordinariorum, vt declaraui Superiori Capite. Tertiò Rectores, & omnes curam animarum exercentes. Nomine Rectorum accipiuntur hic Sacerdotes, qui præfecti sunt Parochiis, qui communiter Parochi appellantur. Parochia enim vocatur certa alicuius Diœcesis Ecclesia habens populum certis limitibus distinctum, Archid. in cap. Licèt Canon de elect. lib. 6. Milus in Ver. Ecclesia Parochialis Roman. cons. 316. Alexander consil. 74. in princ. lib. 6. Abb. in Rubr. de Paroch. Talis enim Ecclesia committitur vni Presbytero, vt in ea Baptismum, & cætera sacramenta conferat, sepulturam administret, & diuinum verbum annunciet populo suo, cap. 1. & seq. de Paroch. Clem. Dudum de sepult. additur, *Cæterique curam animarum exercentes*, vt includantur alii, qui habent Ecclesias cum cura animarum, & tamen non sunt Rectores Parochialium Ecclesiarum, latius enim patet habere curam animarum, quàm esse Rectorem Parochialis Ecclesiæ, vt patet ex cap. Dudum Ecclesia 2. & ibi Glos. de elect. & tradit Innoc. cap. Cum satis de off. Archid. Nam qui habet iurisdictionem in Clericos, vel Laicos ita vt iure possit vinculo excummunicationis eos obstringere, suspendere, sacris interdicere, absoluere, visitare, & alia huiusmodi, quæ ad mores corrigendos pertinent, siue vocetur Decanus, Præpositus, Prior, Archidiaconus, Archipresbyter, curam animarum dicitur habere, & tamen caret Parochiali Ecclesia. Quare Iura, quæ de beneficio Parochiali loquuntur, non eo ipso in omni beneficio curam animarum habente, locum habent, vt ait Gomes. in Reg. Cancell. de Idiomat. quæst. 11. Vers. Et iden pro vero intellectu: Possumus etiam per alios curam animarum exercentes intelligere illos Sacerdotes, qui præfecti sunt Ecclesiis Parochialibus, & non vocantur Rectores, sed solent appellari Vicarii perpetui, aut Capellani absentibus Rectoribus, vel Economi eisdem defunctis ab Episcopis dictis Ecclesiis Parochialibus præfecti. Quartò loco eadem dispositio complectitur omnes Presbyteros tam seculares, quàm Regulares audiendis

diendis confessionibus quauis auctoritate deputatos. Igitur siue Iurisdictionem, & potestatem absoluendi à peccatis sacramentaliter receperint à Romano Pontifice, vel ab Episcopo, aut ab alio inferiori Prælato, omnes includuntur sub hac constitutione.

Transumptum præsentium literarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant. Duo sunt, quæ prædictis personis imperat Summus Pontifex. Primum est, vt Transumptum huius Bullæ Cœnæ penes se habeant, idest in eorum potestate sit, neque enim obligantur ad illud semper secum deferendum. Secundum, quod mandat Summus Pontifex magis necessarium, cuius gratia primum requiritur, est, vt Bullam diligenter legere, & percipere, seu examinare debeant: Parum enim referret Bullam habere in arca, & illam nunquam legere, neque studio, & diligentia adhibita illius notitiam consequi procurare. Quare non sufficeret retinere Bullam tantùm penes se, &, quæ in ea continentur, ignorare. Vt enim satisfaciant obligationi, ad vtrumque tenentur, quod indicat dictio copulatina, quæ vtrumque copulatur principaliter infert, Glos. penult. in capit. Quærelam Vers. Et hoc colligitur bene de simo. cap. penult. Vers. Ad aleas, & taxillos non ludant de vi. & honest. Cleri.

Sed dubitatur, An Episcopi, Prælati, Rectores, & alij Sacerdotes animarum curam habentes, si non retinent penes se Bullam, vel tenentes, illam diligenter non legunt, & percipiunt, vt mandat Romanus Pontifex, mortaliter peccent.

Ad hanc dubitationem sic respondendum puto. Primùm dico virtute huius Constitutionis non obligari Episcopos, & alios prædictos ad hęc sub præcepto peccati mortalis, vt si negligant Bullam habere, eo ipso Rei sint culpæ lethalis.

Ad hoc asserendum moueor, primò quoniam cùm in Bullis editis post Pium Quintum, alij posteriores Pontifices nõ imposuerint hanc obligationem sub præcepto peccati mortalis, sicut fecerat ipse Pius, vt monui initio Capitis euidens argumentũ desumitur mentem ipsorum fuisse tollere hãc obligationem, alias eodem modo loquuti fuissent, nam ex diuersitate verborum colligenda est diuersa intentio, & voluntas legislatoris. l. de precio. ff. de pub. l. 1. §. Generaliter. ff. de lega. præstan.

Secundò Gregorius Decimustertius vsus est verbo *Hortamur*, quod secundùm propriam significationem non habet vim præcepti, sed persuasionis, & monitionis, licèt aliquando iuxta subiectam materiam idem significet, quod *Præcipimus*, vt in cap. Rogo 11. q. 3. In hac Bulla Pauli Quinti simpliciter dicitur, *Penes se habeant*, quæ potius videntur indicare consilium, & ex verbis secundùm propriam significationem colligendum est, quid intelligere voluerit Summus Pontifex, nam à proprietate verborum recedi non debet. l. Non aliter. ff. de leg. 3. l. labeo. §. idem iuberc. ff. de suppell. lega. Dec. consl. 89. viso puncto ante fi.

Secundò dico ad eandem dubitationem prædictos debere Bullam Cęnæ penes se habere, & quæ in ea continentur, diligenter examinare, vt proprio officio, & muneri satisfacere possint, nã sine cognitione casuum, & excommunicationum, quę in Bulla comprehenduntur, possent graues errores committere, ideo ratione officij, quo funguntur, sub præcepto peccati mortalis ad Bullam habendam tenentur, alias enim ignorarẽt, an eorum subditi, & pœnitentes obstricti tenerentur censuris Bullæ, sicque illos admitterent ad Ecclesiæ suffragia, sacramentorum perceptionem, ad communionem fidelium, à peccatis sacramentaliter absoluerent, à quibus omnibus excommunicatus excluditur; Vnde ipsi Clauium auctoritate abuterẽtur, subditi verò, & pœnitentes nõ sine graui animarum periculo deciperentur. Quæ omnia mala, ex ignorantia Bullę prouenirent. Idcirco sicut sub præcepto peccati mortalis tenentur omnia alia scire, sine quibus officium suum non rectè exercẽt, eodem modo obligantur ad habendam notitiam Bullæ, quam consequi non possunt, nisi illam habeant, & legant.

Hinc sequitur excusari probabiliter eos ab hac obligatione retinendi Bullam penes se, qui optimè nouerunt, quæ in ea continentur, quia legislator non intendit alligare per legem suam aliquem vltra finẽ, quem intendit, quia actus agentium non operantur vltra intentionem eorum. l. in agris. ff. de acq. rer. domi. & c. fin. de præben. At finis Romani Pontificis obligandi dictas personas ad habendam Bullam est, ne ignorentur contenta in ea, & sciatur an quis censura Bullæ sit irretitus. Hic verò finis cessat, si quis Bullæ notitiam habuit, ergo in hoc casu cessare debet hæc obligatio constitutionis, cum cessante causa cesset effectus. l. adigere. §. quamuis. ff de iur patron.

Confirmatur, quoniam Summus Pontifex obligat ad habendam Bullam tanquam medium, vt percipi, & examinari possint, quæ in Bulla includuntur, sed vbi quis nouit contenta in Bulla iam habetur hic finis, ergo non obligatur ad medium quærendum, quoniam fine acquisito, non opus est amplius medijs ad finem obtinendum.

Volentes earundem præsentium Transumptis etiam impressis Notarij publici manu subscriptis, & sigillo Iudicis Ordinarij Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in Iudicio, & extra illud vbique locorum adhibendam fore, quæ his præsentibus adhiberetur, si essent adhibitæ, vel ostensæ.

Hæc est secunda pars, in qua declarat, & statuit Summus Pontifex Transumptis Bullæ Cœnæ præstari debere eam fidem, quæ adhiberetur ipsimet Bullæ originali, si tamen Transumpta duas conditiones habuerint. Prima est, vt sint subscripta manu publici Notarij. Secunda est, vt sint munita sigillo Iudicis Ordinarij Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutę.

Scriptura originalis potest transumptari, seu exemplari per publicam personam auctoritate Ordinarij, cuius officium est diligenter scripturam inspicere, & examinare, vt dicitur in cap. fin. de fi. instrum. & tali exemplo, & Transumpto solemniter sumpto eadem fides est adhibenda, sicut si originale exhiberetur, vt inquit Abb. in eod. cap. fin. num. 5. Felin num. 9. & ad tollendam omnem difficultatem, an hęc Transumpta Bullæ iuxta formam hic præscriptam haberẽt omnes solemnitates, & conditiones Iure communi requisitas, vt vbique contra omnes fidem facerent, vsus est Summus Pontifex verbo *Volentes*, vt ostenderet se ita statuere, vt Transumpta cum dictis solemnitatibus plenam fidem faciant; Verbum enim *Volumus* indicat nouum Ius, vt notat Glos. in Clem. vni. Ver. Volumus de off. Vica. & alia Glo. in Clem. vni. eodem verbo volumus de rer. permut. Abb. in cap. Ex ratione num. 3. de appell. & in cap. fin. num. 4. qui fi. sint legit.

Debent subscribi Transumpta Bullæ manu Notarij publici. Notarius est publica persona, vt habetur in cap. fin. de fi. instrum. & notat Glos. in Rubr. C. de tabula. lib. 10. Quare crederem, cùm hic apponitur dictio

ctio illa publicus Notarius, non sufficere subscriptionem cuiuscunq; Notarij, sed necessariam esse subscriptionem Notarij exercentis officium publicè. Secundò eadem Transumpta sigillo Iudicis Ordinarij Romanæ Curiæ muniri debent. Sigillum enim authenticum reddit scripturam authenticam, vt ei fides sit adhibenda, vt habetur in cap. 2. de fi. Instrum. Dicitur autē sigillum authenticum, vt ibi inquit Glos. & Abb. nu. 14. post med. sigillum Episcopi, vel alterius magni viri. Similiter aliorum Prælatorum Inferiorum, vt Abbatum, vt inquit idem Abb. in cap. Cum dilecta de confirma. vti. vel inut. & Ordinariorum quorumcunque, vnde Abb. in cap. Post cessionem num. 1. de probat. tenet non solum literas Episcoporum fidem facere, sed etiam cuiuslibet Iudicis Ordinarij. Immo in cap. Si Canonici, & ibi Glos. Ver. Alterius de off. ordi. lib. 6. Sigillum quoque Capituli Canonicorum

A vocatur authenticum, ergo multò magis dicendum est authenticum sigillum Iudicis Ordinarij Romanæ Curiæ, vel alterius Prælati in dignitate Ecclesiastica constituti, & nomine habentis dignitatem intelligi debet quicunque habens aliquam præeminentiam ecclesiasticam cum administratione, vel iurisdictione l. Honor ff. de munc. & honor. Oldrad. conf. 150. In Ecclesia Valentina. Quamobrem huiusmodi transumptis Bullæ Cœnæ, seu exemplis etiam impressis cum hac duplici solennitate, nimirum si manu publici Notarij subscripta fuerint, & sigillo Iudicis Ordinarij, aut alterius Prælati roborata vult Summus Pontifex eandem fidem adhibendam esse in Iudicio, & extra, B sicut si eadem Bulla originalis produceretur. Idque Iuri consonum videtur iuxta doctrinam Abb. in cap. fin. nu. 5. de fi. Instrum.

OCTAVA ET POSTREMA CLAVSVLA.

NVLLI ERGO HOMINVM LICEAT HANC PAGINAM NOSTRAE EXCOMmunicationis, Anathematizationis, Interdicti &c.

CAPVT VIII.

De Pænis latis contra Infringentes Bullam Cœnæ, vel aliter in eam delinquentes, & de tempore Datæ eiusdem Bullæ.



Absolutis omnibus partibus Bullæ Cœnæ tam spectantibus ad casus & censuras, quàm ad potestatem absoluendi ab illis, & ad formam seruandam in publicatione eiusdem Bullæ, tandem in hac extrema particula adijcitur clausula generaliter apponi solita in calce omnium Bullarum & literarum Papæ, vt notat Glos. in extrauag. execrabilis in fi. Ver. Incursurum de præben. & dignit. qua Papa pœnam comminatur contradicentibus huic Bullę & non parentibus.

Hæc eadem clausula quandoque vsus est Imperator, vt in l. fin. de petit. bon. sublat. lib. 10. ibi, *Indignationem n'ri Numinis sustinebit, cæterisque fiet vindicta & temeritatis exemplum.*

Hac pœna Indignationis Omnipotentis Dei, & Apostolorum Petri & Pauli infligitur in eos, qui ipsammet Bullam temerariè infringerent & dilacerarent, vel contra eam, tanquam si nullius esset roboris & auctoritatis se opponere præsumerent. Illi vero, qui committunt ea, quæ prohibentur in ipsa Bulla incurrunt Censuras & pœnas in ipsismet casibus expressas pro varietate delictorum.

Nulli ergo hominum liceat hāc paginam nostræ excommunicationis anathematizationis, interdicti, innouationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, reno-

C *cationis, commissionis, mandati & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.*

Omnis Homo tenetur obseruare Constitutionem & legem Principis l. 3. & l. sacratissimæ C. de legi. & multo magis Summi Pontificis, vt inquit Glos. in extrau. Execrabilis in fi. Ver. Infringere de præben. & dignit. etiamsi fortasse videretur dura vel iniqua, hinc in cap. In memoriam dist. 19. sic habetur *In memoriam Beati Petri Apostoli honoremus Sanctam Romanam & Apostolicam Sedem*, & paulò post. *Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, vt licèt vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.* Hoc idem statuitur Iure Ciuili de lege Imperatoris l. Prospexit ff. qui & à quibus, ibi, *Quod quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est.* D Nulli ergo hominum licet Principis & Romani Pontificis Constitutionem violare, & contra eam se opponere, vnde Adrianus Papa, & habetur in c. Generali 25. q. 1. statuit, vt quicunque faceret, vel fieri permitteret contra censuram & decreta Apostolicæ Sedis, velut hęreticus & Catholicę fidei pręuaricator anathemati subijceretur.

Addit Papa *ausu temerario contraire*, idest sine iusta & rationabili causa. Simile habetur in dicta extrauag. execrabilis, vbi Glos. Ver. Ausu temerario, inquit ita dictum esse, quia ex causa rationabili & secundum iura non est prohibitum contra verba Constitutionis ire, dummodo mens seruetur Conditoris. Ille igitur, qui sine causa scienter se opponit contra Bul- E lam, dicitur temerario ausu contrarie, vt notat Glos. declarans, quid sit agere aliquid remere in l. eum, quem temere 79. ff. de Iudi. Non necesse est autem, vt quis dolo contraueniat, vt dicatur ausu temerario id face-

A facere. & incurrere pœnam hic statutam: sufficit enim vt inquit Glos. in c. 1. Ver. Temerarius de sent. excom. lib. 6. Negligentia, stultitia, vel fatuitate id fecisse, & simile habetur in capit. 2. ne Clerici, vel Monach. eod. lib.

Hoc in loco Summus Pontifex appellat Bullam Cœnæ, contra quam nemo se opponere debet, diuersis nominibus pro varietate eorum, quæ in ipsa decernuntur, & prohibentur; Vnde appellatur pagina excommunicationis, anathematizationis, interdicti &c. Et est mos, & stilus consuetos, quem solet seruare Sedes Apostolica in omnibus suis literis, & Cōstitutionibus, vt in calce ipsarum repetantur summatim Capita omnium, quæ in dictis Constitutionibus statuuntur, vt est

B videre in Extrauag. contentis in corpore Iuris.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, scilicet infringere, vel ausu temerario impugnare hanc Bullę Cœnæ Domini Constitutionem, incidit in pœnam hic inflictam à Summo Pontifice, & est hæc, quæ sequitur.

Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Glos. in Extrau. Execrabilis Ver. Indignationem de præben. notat, hæc verba accipienda esse per similitudinem: Nam Deus propriè non indignatur, cùm sit incommutabilis, sed loquimur humano more. Simile habetur cap. Si quis Presbyterorum de Reb. Eccles. non alienan. cap. Odi, & proieci. 24. q. 1. & alijs per Glos relatis.

C Antiqua est consuetudo Romanorum Pontificum eiusmodi verbis, vel similibus positis in fine Constitutionum, & literarum Apostolicarum comminari pœnam præsumentibus aduersari dictis Cōstitutionibus, & illis temerariè se opponere. Eodem modo loquendi vtitur Concilium Tridentinum sess. 25. de reform. cap. 2. Vers. Quod si quis, ibi, *Sub pœna diuinæ indignationis*, quæ verba desumpta sunt ex Vers. Psal. 84. *Auertisti ab ira indignationis tuæ*. Quod Iob cap. 4. alio modo expressit, *Et spiritu iræ eius esse consumptos*, loquens de operantibus iniquitatem. Nonnunquam Romanus Pontifex ita loquitur *Sub obtestatione diuini iudicii, & interminatione maledictionis æternæ*, vt in cap. 1. §. fin.

D de sta. Regul. lib. 6. quæ verba alibi frequenter in Constitutionibus Apostolicis habentur: eadem leguntur apud Conc. Trid. sess. 25. de Regular. & Monial. cap. 5. in princip. quæ significant precationem pœnæ æternæ, quæ de peccato mortali sumitur, capit. Deus quando 24. q. 3. *Deus quando maledicit meritum eius designat, cui maledicitur, & sententiam promit.* Quod dicitur per Ezech. Prophe. cap. 18. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur*. Aliquando inquit Papa, *Sub interminatione anathematis* cap. Cum infirmitas de pęnit. & remiss. *Sub anathemate* dicitur in cap. 1. de sagitta. Conc. Trident. sess. 25. de Reform. generali cap. 19. in fi. *Perpetuæ maledictionis vinculo teneantur.* Quandoque verò Romanus Pontifex in fine Constitutionis apponit clausulam illam *Si diuinæ, ac nostræ indignationis*

E *voluerint acrimoniam euitare*, vt in dicto cap. 1. §. vlt. in fi. de sta. Regular. lib. 6. Eadem clausula habetur in cap. 1. §. fin. de Immun. Eccles. eod. lib. vbi Glos. Ver. Acrimoniam dicit esse acrem pœnam, vel excommunicationem, seu magis arbitrariam. Interdum Papa sic statuit, *Si & ipsi diuinam, & nostram voluerint effugere vltionem*, vt in fi. cap. Sanè de celebr. Missa. In cap. Vt priuilegia in fi. de priuileg. *Graui subiacebit vltioni*. De eadem graui vltione mentio etiam habetur in cap. Cum sit de ætat. & qualit. Et Alber. in suo Diction. Ver. Grauis, tractat de hac graui, grauiori,

& grauissima vltione: Meminit etiam Concilium Tridentinum sess. 21. de Reform. cap. 1. Diuinæ vltionis, & B. Grego. in Luc. cap. 3. Venturam iram vltionis æternæ animaduersionem exponit. Sunt & alia verba apponi solita in Constitutionibus Pōtificis significantia diuersas pœnas in impugnatores earundem Constitutionum inflictas, de quibus pœnis plura congerit Iulius Clarus in Pract. Crim. §. fin. per plures quæstiones, Gemin. in cap. 1. num. 6. de sepult. lib. 6.

Quod autem pœnæ genus significare voluerit Romanus Pontifex hac voce indignationis Dei, & Apostolorum Petri, & Pauli, non est omnino certum, Bald. vt refert Rebuff. super declar. form. nouæ prouis. pag. 157. super Clausula. Nulli ergo hominum &c. putat, illum priuandum esse beneficio, qui indignationem Domini incurrit. Idem confirmat Felin. in c. Si quis num. 10. de maior. & obed. sicut, quando Princeps secularis præcipit sub pœna indignationis suæ, comminatur priuationem feudi, & sequuntur alij Doctores, quos citat Rebuffus vbi supra.

Glos. in dicta Extrau. Execrabilis Ver. Incursurum de præben. inquit duobus modis posse aliquem infringere Constitutionem Papæ, vel contra eam temerariè ire. Primo modo, si credat ipsam Constitutionē edere non potuisse, & talis hæreticus est censendus cap. Violatores, cum multis seq. 25. q. 1. cap. Nulli fas dist. 19. cum ibi notat. Hic etiam dicitur contumax, & Rebellis Romanæ Ecclesiæ in Extrau. quia quorundam in fi. de verb. signif. Vbi Glos. Ver. Contumax, & Ver. Rebellis notat huiusmodi transgressores ob inobedientiæ notam reddere se infames, & tanquam hæreticos iudicari. Vnde non immeritò indignationem Dei, & Apostolorum incurrere dicuntur, quia errant in potestate Clauium, quæ à Christo Petro, & in eius persona suis successoribus sunt datæ. Neque leui contumelia Conditor. Canonis afficitur, cùm eius constitutio impugnetur *Sic omnes Apostolicę Sedis sanctiones accipiendæ sunt tanquam ipsius Diuini. Petri voce firmatæ sint*, vt dicitur in cap. Sic omnes distin. 19. fit autem peculiaris mentio de indignatione Apostolorum Petri, & Pauli, quoniam Principes sunt omnium Apostolorum, & quadam prærogatiua alijs Apostolis præcellunt, vt dicitur in cap. Beati, 2. q. 7. & Patroni sunt, ac Tutelares Ecclesiæ Romanæ, quiquo Romanam Vrbem, vt inquit Glos. in dicta Extrau. Execrabilis Ver. Petri, & Pauli *Pauli consortio glorioso martyrii cruore consecrarunt.* cap. Fundamenta de elect. lib. 6. Secundo modo potest quis infringere, vel impugnare Papæ Constitutionem, aut Mandatum, si credat quidem illum supremam à Christo potestatem accepisse in Ecclesia super omnes fideles, & Constitutiones edere posse, ad quarum obseruationem omnes teneantur; Verùm negligit ipse, & contemnit illas seruare, vel contra eas insurgit. Hic autem non est dicendus hæreticus, sed grauissimè peccat, & pœnam depositionis meretur. Nam lege Ciuili Principis Constitutionem transgrediens, pęna sacrilegij tenetur l. lege repetita. C. de ero. mili. anno. lib. 12. Qui verò hoc secundo modo opponit se aduersus Papæ Constitutionem, indignationē etiam Dei, & Apostolorum dicitur incurrere, cùm contra Domini verbum faciat, 1. Petri cap. 2. *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti &c.* Quare Marti. Lauden. in tract. de priuileg. quæst. 18. interpreratur eadem verba, dicens ea significare, vt si quis contraueniat, putans Papam non habere potestatem, sit hæreticus. Si verò ob aliam causam sit deponendus. §. vlt. dist. 4. Et notatur in cap.

Gene

Generali de elect. lib. 6. Et rectè ſcripſit Genzeli. in Extranag. Execrabilis ad fi. Bald. in l. Cunctos populos. C. de Sum. Trin. & fi. Catho. in Repet. no. in lectu. tenet verba illa ſignificare pœnam arbitrariam concedentis.

Ex his omnibus illud tanquã certum colligi poteſt, vtrouis modo quis aduerſetur Bullæ Cœnæ Domini, & quę in ea ſancita ſunt, contemnat, grauiſſimum peccatum committere, vel Hæreſis, ſi non pareat credens Papam id ſtatuere non potuiſſe, vel inobedientiæ, ſi ex alia cauſa contrariè præſumpſerit. Idque voluiſſe Summum Pontificem illis verbis indicare, ſcilicet *Indignationem omnipotentis Dei &c. ſe nouerit incurſurum*, quaſi ſignificare velit huiuſmodi tranſgreſſores immediatè contra Deum peccare, quod eleganter oſtendit B. Io. Chriſoſt. & refertur cap. Nemo 11. q. 3. his verbis, *Nemo contemnat Eccleſiaſtica vincula, non enim homo eſt, qui ligat, ſed Chriſtus, qui hanc poteſtatem dedit, & Dominos fecit homines tanti honoris*. Et præter peccatum poſſe per Summum Põtificem pœna arbitraria pro ratione criminis puniri, vt inquit Gloſ. in Extrauag. t. inter communes in fi. Verbo indignationem de cenſi. Cum enim non ſit certa pœna impoſita, arbitrio Superioris inſtigi poterit arg. cap. De cauſis de off. deleg. Hæc autem pœna non eſt latæ ſententiæ: Ideo vtitur verbo illo *Incurſurum*, vt ibi notat Gloſ. eod. Ver. Incurſurum. Et hæc ſunt dicta ad explicationem primę partis huius Clauſulæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto Id. Aprilis Pontificatus Noſtri Anno quinto.

Hæc eſt ſecunda pars huius poſtremæ clauſulæ, quæ claudit omnia in Bulla contenta. His autem verbis denotatur locus, vbi per Summum Põtificem Paulum Quintum lata ſuit hæc Bulla Cœnæ, & tempus promulgationis, & Annus ſui Pontificatus.

Hic quæri poteſt, An ad validitatem, & robur conſtitutionis neceſſe ſit exprimere tempus, & locum.

Gloſ. in fi. tit. de reg. iur. lib. 6. & in Extrauag. Execrabilis Ver. Datum Auinioni de præben. notat Doctores ſumere argumentum ex illis locis, fore per Tabellionem in Inſtrumentis contractuum, & Procurationum apponendum locum, vbi celebrata ſunt. Idem probari poteſt ex cap. Abbate ſanè prope fi. de ſent. & re iudi. ibi *Propter illa, quæ ſpecialem comitantur cauſam, & neceſſariò adeſſe debẽt, veluti locus, & tempus &c.* Vbi Gloſ. Ver. Conſeretur tenet, quòd licèt aliqui putent de conſuetudine, ſolùm apponi locum debere, ipſa tamen credit oppoſitum, & ducitur ex verbis citatis eiuſdem cap. & ex cap. Quoniam, & ibi Gloſ. Ver. Tempora de probat. Vbi præſcribitur forma ſeruanda per Notarium, à quo deſcribenda ſunt acta Iudicij, & inter alia hæc habentur, *Loca deſignando, tempora, & perſonas*. Et eadem ratio militat in Conſtitutionibus. & Reſcriptis, quoniam Doctores, quos citat Gloſ. in dicta Extrau. Execrabilis Ver. Datum Auinioni, & in dicto cap. Abbate Ver. Conſeretur, loquuntur tam de Inſtrumentis, quàm de Reſcriptis.

Quod dicunt Doctores de loco, idem prorſus affirmant de tempore, quod deſcribẽdum eſt in Inſtrumentis, & Reſcriptis omnibus, ſicut & locus. Legendus eſt Specul. de Inſtr. edit. §. Reſtat, Verſ. Et nota quod Tabell. & ver. ſeq. Requiritur autẽ appoſitio temporis vt ſciamus, quale Reſcriptum ſit prius, & quale poſterius, & patet hunc morem ſeruatum fuiſſe in Data ſexti lib. Decretal. in dicta Extrauag. Execrabilis, & in alijs pluribus in corpore Iuris contentis.

A Animaduertit Rebuff. in ſua Praxi benef. ſuper formæ nouæ prouiſ. in fi. explicans. Datum &c. Falſitatem in Data, licèt probetur, ſi nemini præiudicet, non imitare, aut inualidare Reſcriptum, nec nocere per Gloſ. in l. damus. C. de falſis, & ita conſuluit Decius conſil. 175. num. 7. quod incipit in cauſa, ſecus eſt, quando agitur de priori collatione, vel prouiſione cap. Eam te, vbi Doct. de Reſcript.

Notat etiam dicta Gloſ. vlt. in Extrauag. Execrabilis de præben. Id, quod dicitur de appoſitione loci in Inſtrumentis, non eſſe ita accipiendum vt Doctores velint talem loci deſcriptionem pertinere ad ſubſtan- B tialem rationem Inſtrumenti. Hoc enim non credit eſſe omnino clarum, & expeditum: Tamen Gemin. Anchar. Innoc. & alij Doctores in cap. Abbate. §. vlt. de ſent. & re iudi. tenent vniuerſaliter in omni ſcriptura publica neceſſariò deſcribendum eſſe locum, & tempus, & ſine appoſitione loci, & temporis nullam fidem habere, ſiue ſit Inſtrumentum, ſiue Reſcriptum, aut literæ Apoſtolicæ. Aliam verò rationem eſſe dicunt de priuata ſcriptura, quæ contra ſcribentem probat ſine loco, & tempore. l. penult. §. Idem quæſiit. ff. de pignor.

Quærunt Doctores, An ſufficiat expreſſio loci generalis, puta Ciuitatis, Terræ, aut loci, vbi Inſtrumentum eſt celebratum, vel Reſcriptum eſt impetratum, C aut Conſtitutio edita; An verò vltra generalem locum opus ſit annotare ſpecialem, vt viciniam Parochiam, Domum, vbi prædicta aguntur.

Io. Andr. in dicto cap. Abbate dicit quoſdam exiſtimaſſe non eſſe neceſſariam expreſſionem loci ſpecialis, ſed generalis tantùm ad id facit. l. optimam. C. de contrahen. & commit. Specul. quæ loquitur de Ciuitate, quod etiam confirmare videtur ſtilus literarum Romani Pontificis, in quibus exprimitur tantùm locus generalis. Hoc idem probari poteſt ex prohem. Clem. in fi. ibi, *Data Auinioni iiij. Cal. Nouembris &c.* Et nulla mentio fit loci ſpecialis. Similiter idem ſeruatur in dicta Extrauag. Execrabilis de præben. & in pluribus alijs Extrauag. in quibus Data exprimitur. D Contra verò ad probandum oppoſitum afferri poteſt Data lib. 6. Decret. quæ habetur in calce tit. de reg. iur. Vbi non tantùm annotatur locus generalis, ſed ſpecialis his verbis *Data Romæ apud Sanctum Petrum quinto Non. Martij &c.* Similiter hæc Data Bullæ Cœnæ, in cuius explicatione verſamur, & aliæ ſimiles in literis Apoſtolicis, quæ quotidie à Summis Pontificibus emanant, cum expreſſione non tantùm Ciuitatis, ſed etiam loci ſpecialis, vbi Romanus Pontifex reſidet.

Gemin. in dicto c. Abbate. §. vlt. n. 11. de ſent. & re iudi. refert ad vtramque partem opiniones Doctorum, & ex omnibus colligit, reſpondendo ad hanc difficultatem cum diſtinctione, aut viget conſuetudo, vt E in publica ſcriptura non ſolùm deſcribatur locus generalis, ſed ſpecialis, vel è contra vt tantum locus generalis annotetur, & talis conſuetudo eſt ſeruanda. Nam in his conſuetudo diſponere poteſt, vt in capit. Cum delectus de conſuet. Aut conſuetudo nihil de hoc diſponit. Quo caſu ſi in expreſſione generali tacitè includitur locus ſpecialis, tunc ſufficit expreſſio loci generalis. Et hoc modo intelligendum eſt id, quod dicitur de Data quarundam literarum Apoſtolicarum, in quibus nulla mentio fit loci ſpecialis. Palatium enim, vbi in Ciuitate degit Papa notum eſt omnibus. Facit Textus cap. Cum Redemptor 12. q. 2. quod ſi in loco generali tacitè non continetur peculiaris,

liaris, puta quia assignatur locus nimis incertus, & indeterminatus, vt si dicatur Actum in Prouincia Tusciæ, vel Diœcesi; Et talis expressio loci in Instrumento non sufficeret. Verùm si exprimeretur locus non adeò incertus, & indeterminatus; Exemplum esse potest, si diceretur, Actum Bononiæ in Quarterio Sancti Proculi sine vlla expressione loci particularis Quarterij, & hoc casu non vitiaretur Instrumentum, sed redderetur suspectum, nisi producens illud dictis testium adiuuaret.

Propter eandem rationem idem asserendum est de tempore, non enim satis est annotare annum, sed opus est addere mensem, & diem, vt non tantum intelligatur tempus generale, & incertum Instrumenti, Constitutionis, vel Rescripti, sed etiam cognoscatur speciale, & proximum, sicut videmus in hac Bulla Cœnæ obseruatum. Et hoc habetur in Auth. Vt nomen Impera. docu. præpo. Colla. 5. & notat Glos. in cap. Inter dilectos post princ. Ver. Indictionis de fi. instrum. Facit cap. In nomine Domini distinc. 23. & cap. In nomine Patris in fi. dist. 73. Animaduertit Glos. in Extrauag. 1. Inter communes in fi. Ver. Datum de Censi. ante tempora Eugenij Quarti, idest ante annum 1431. in literis Apostolicis non consueuisse describi annos Domini, sed solummodo annos Pontificatus: Et ab eius tempore seruari cœptum esse annotari annum decurrentem. Idque inuentum fuisse dicit ad habendam faciliorem notitiam annorum currentium, in quibus literæ emanarunt.

Sed quæret aliquis, cur Summus Pontifex hic dicat, *Anno Incarnationis Dominicæ millesimo &c.* & non computet potius à Natiuitate Domini, sicut sumitur initium anni in Extrauag. 1. Inter communes Vers. Nos de Omnipotentis Dei de Pœnit. & Remiss. ibi, *Omnibus in præsenti anno millesimo trecentesimo à festo Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi præterito proximè inchoato &c.*

Glos. super Data in fi. lib. 6. Decretal. Ver. Pontificatus in fi. in Addit. notat computationem annorum Domini quosdam inchoasse à Natiuitate; Alios à Circuncisione; Quosdam ab Incarnatione; Alios octauo Cal. Octobris, sicut seruabatur ante aduentum Christi: De qua re videndus est Specul. in tit. De Instrum. edit. §. 2.

Vsus autem magis communis, & receptus est, vt anni initium sumatur, vel à Christi Natiuitate, vel ab eiusdem Christi Incarnatione, vt tradit Abb. in ca. Inter dilectos num. 13. Vers. Item nota tertiò de fi. Instrum. & magis approbat priorem computationem. De hac differentia computationes annorum, & vnde sumendus sit Anni initium, egregiè tractat Couar. lib. 1. Variar. Resol. cap. 12.

Illæ Regiones, in quibus anni initium à Christi Natiuitate computatur, aliquæ inchoant annum ab ipsa vigesimaquinta die Decembris, non à Calendis Ianuarij, vt notat Glos. in Extrauag. 1. in fine Ver. Datum de censi. Inter communes, quæ dicit Annum in Romana Curia computandum esse ab ipso die Natiuitatis Iesu Christi, non autem à die Circuncisionis, & citat Rot. decis. 50. in Nouis. Ad idem facit tex. expressus in citata Extrau. 1. de pœnit. & remiss. Et tex. in Extrauag. Quemadmodum eodem tit. ibi, *Videlicet à vigilia Natiuitatis Domini Domini Nostri Iesu Christi idem Annus Iubileus inciperet.*

Apud alias verò Regiones vsus obtinuit, vt anni exordium sumant à Calendis Ianuarij, quod magis

A conuenit Astrologis teste Couar. loco cit. eo quod annus duodecim constet mensibus, quorum primus ipsi Ianuarius est; Vtcunque hæc annorum denunciatio à Christi Natiuitate desumpta ita intelligenda est, vt anni currentis nondum finiti signum existat: Nempe si apponatur Annus Millesimus sexcentesimus octauus à Natiuitate Christi, significatur Annus inceptus, & currens, non finitus, vt tradit Card. in cap. Iuuenis de sponsal.

Sunt alij, qui ab Incarnatione Christi, idest à vigesima quinta die Martij Annos dinumerant. Huius moris meminit tex. in cap. 1. d. 23. Sed hæc etiam Annorum computatio duobus modis à diuersis fieri reperitur.

B Aliqui enim initium Anni Incarnationis desumunt nouem mensibus ante Natiuitatem. Qua ratione Annus à Natiuitate quinquagesimus erit, & eiusdem numeri ab Incarnatione vsque ad vigesimum quintum diem Martij, & à vigesima quinta die Martij, Annus quinquagesimus erit à Natiuitate, ab Incarnatione quinquagesimus primus.

Nonnulli verò incipiunt numerum Annorum Incarnationis tribus mensibus post Natiuitatem. Vnde iuxta hanc computationem Annus quinquagesimus à Natiuitate, vsque ad vigesimam quintam diem Martij erit quadragesimus nonus Incarnationis, & ab eo die erit quinquagesimus Incarnationis simul, & Natiuitatis.

C Et hic vsus computandi Annos Incarnationis tribus mensibus à die Natiuitatis, idest postquam iam incepit Annus Natiuitatis die vigesima quinta Decembris præcedentis apud Romanam Curiam omnino seruatur, & ita probat Rota decis. 108. in Nouis scribens secundùm cursum Romanæ Curiæ Annum Incarnationis incipere post Natiuitatem Christi.

Quare hoc intercedit discrimen inter vtramque supputationem Annorum, scilicet ab Incarnatione, & à Natiuitate, quòd qui dicunt ab Incarnatione, non numerant nisi annos iam completos & transactos, qui verò à Natiuitate dicunt, cum annis com-
D pletis numerant simul etiam annum currentem inchoatum, vt post Præpos. Card. in capit. Iuuenis de sponsal. & alij, quos citat & sequitur Couar. libro 1. Variar. Resolut. cap. 12. tradit Marcel. Francol. in Tract. de Tempore Horar. Canoni. cap. 22. numero 4. & seq. Ex quibus infert Couar. numero 2. in fin. oportere Tabelliones annos scribentes expressim addere, vel à Natiuitate, vel ab Incarnatione, ne adsit temporis incertitudo apud eos, qui morem Regionis, vbi confecta est scriptura, in annorum computatione ignorant.

Ex his patet, quid dicendum sit ad quæstionem propositam. Summus enim Pontifex in hac Bulla Cœnæ descripsit initium anni currentis, quo illam promulgauit, ab Incarnatione Domini, quia hunc
E morem & vsum retinuit semper Romana Curia, vt in literis Apostolicis describat numerum Annorum ab Incarnatione scilicet tribus mensibus elapsis à die Natiuitatis. Vnde cum hæc Bulla publicata fuerit sexto Id. Aprilis, idest octaua die Aprilis, quæ fuit feria quinta Maioris Hebdomadę, & consequenter iam inchoato anno Incarnationis. Rectè dicitur Data anno Millesimo Sexcentesimo Decimo, quòd si feria quinta Cœnæ Domini hoc anno accidisset ante vigesimum quintum diem Martij, diceretur publicata an-

no ab Incarnatione Millesimo Sexcentesimo Nono. Nec aliquid contrafacit, si in extrauag. 1. & extrauag. Quemadmodum de Pœnit. & Remiss. Inter communes Annus Iubilæi initium sumat à die Natiuitatis, nam Romani Pontifices peculiari quadam ratione statuerunt exordium anni Iubilei, quo plenissima peccatorum remissio conceditur, & thesaurus Ecclesiæ fidelibus Christianis liberalissimè communicatur, accipiendam esse eo die, quo Ecclesia præclarissimum illud Natiuitatis Dominicæ mysterium recolit, quando Christus Saluator Noster, vt homines redimeret, & à morte perpetua liberaret, nasci voluit. Modo autem loquimur de vsu, quem seruat Romana Curia in annotando tempore, quod apponi consueuit in fine Constitutionis, Rescripti, seu alterius scripturæ publicæ ad tradendum illi robur & firmitatem, vt sit authentica, & fidem faciat. Idque verum esse ex eo quoque confirmari potest, quòd in eadem extrauag. Quemadmodum, licèt initium anni Iubilei desumatur à die Natiuitatis; tamen in fine cum describitur annus currens computat illum ab Incarnatione.

Posset etiam quis quærere ob illa postrema verba, quæ Summus Pontifex Paulus Quintus addit, nempe *Pontificatus Nostri Anno quinto*, à quo die enumerari soleant anni Pontificatus, nimirum an ab electione, quando creatur Papa, vel ab ipsa Consecratione aut Coronatione.

Glos. super Data lib. 6. Decretal. in fin. tit. de Reg. Iur. Ver. Pontificatus, notat, quòd licèt Romanus Pontifex ab electione facta à duabus partibus Cardinalium Pontificatum assumat, tamen consuetudine receptum esse, vt post electionem ante consecrationem, & Coronationem non scribatur Pontificatus in Data, idque potius vsu quàm Iure firmari posse, nam in cap. Licet de elect. statim post electionem vocatur Pontifex, ibi, *Ille absque vlla exceptione ab vniuersali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur &c.* Ergo statim post electionem poterit se subscribere tanquam Pontifex.

Contra verò adfirmandum illum vsum, & consuetudinem facit l. fin. in fi. C. de quadrien. præscript. ibi, *Ex quo Imperialis suscipimus infulas*, Vbi Glos. & Bal. tenent Imperatorem ante Coronationem non habere plenitudinem potestatis, licèt habeat generalem administrationem, & dies Coronationis dicitur ortus Imperij, nec dicitur Imperator, nisi Corona suscepta l. antepen. ff. de milit. Testam. sicut nec Archiepiscopus, nisi recepto pallio, vt inquit Glos. in fi. lib. 6. Decret. super Data Ver. Pontificatus.

Ad hanc quæstionem Respondeo Summum Pontificem, statim ac canonicè & legitimè à Cardinalibus est electus, accipere summam auctoritatem à Deo, illamque exercere & administrare posse erga omnes fideles, & omnia gesta per ipsum ita esse valida ante Coronationem, sicut si fierent post Coronationem, hoc manifestè definitum habetur à Clemente Quinto, vel, vt alij volunt, à Clemente Sexto, & ita sentit Felin. in cap. Eam te num. 11. de rescript. in extrauag. Quia nonnulli de sent. excom. & est postrema inter omnes extrauag. communes. Vbi damnantur illi, *qui asserere non verentur, quòd Summus Pontifex ante suæ Coronationis insignia se non debet intromittere de prouisionibus, reseruationibus &c.* & excommunicantur, *qui occasione huiusmodi aliquas literas nostras super negotiis quibuscunque confectas, quæ à nobis ante donationis*

A *nostræ insignia emanarunt, ausi fuerint impugnare.* Sic tenet Felin. in dicto cap. Eam te nu. 11. de Rescript. dicens Papam ante coronationem appellari Episcopum seruum seruorum Dei, neque vocari electum, sed Papam. Ad idem confirmandum plurimum facit, quòd Imperator, qui potestatem accipit à Papa tamen ante Coronationem ex sola electione, plenum Ius Imperij consequitur, & administrare potest omnia, quæ ad Imperatoris iurisdictionem spectant, quia est verus Imperator, cui ex Coronatione nihil noui Iuris accedit, licèt oppositum sentiat Felin. in dicto c. Eam te numero 4. de rescript. Tamen, vt inquit Episcopus Gurgen. in lib. suo de Corona. pag. 27. & seq. Vers. Hinc illa, quamplures recenseri possent, qui nec inuncti neque coronati fuere, & ne vetustiora repetat
B Albertum & Maximilianum, quorum recens est memoria, minimè coronatos fuisse ait, & nihilominus Imperij munus subijsse, ergo Imperator ex Coronatione non acquirit nouum Ius, & hanc communem dicit esse opinionem Restar. Castaldus in Tract. de Imperatore quæst. 46. Vbi hanc quæstionem ex professo tractat, & plurimos Doctores refert, qui illam defendunt. Quamobrem, si hoc affirmant de Imperatore; multò magis absque vlla controuersia idem asserendum est de Romano Pontifice, qui eo ipso, quòd canonicè est electus, accipit Pontificiam potestatem ab ipso Deo immediatè, nimirum vt possit ante Coronationem validè administrare & exercere
C omnia, quæ sunt muneris Pontificij, siue pertineant ad potestatem Ordinis, siue Iurisdictionis.

Quamuis autem hæc verissima sint, & nemo inficiari debeat; Tamen non idcirco oportet negare, quæ à Glos. referuntur de stylo, & consuetudine, quam dicit seruare Romanam Curiam in exprimenda Data in literis Apostolicis ante Coronationem Papæ in fin. lib. 6. Decretal. tit. De Reg. Iur. Ver. Pontificatus, cum inquit: Ante Coronationem Datam ita describi solere, scilicet, *Data suscepti à nobis Apostolatus Officij Anno &c.* Similiter Papam non subscribere se Episcopum, sed electum Episcopum: Et tandem non vti Bulla pro sigillo integra, sed dimidiata,
D nam ex vna parte habet Capita Apostolorum Petri, & Pauli, ex alio latere, vbi describitur nomen, est plana, & nullam habet impressionem. quod notat etiam Specul. de Rescript. Præsen. §. vlt. Vers. Item quod obtentum est: Hæc inquam licet admittamus, non obstant, quominus Papa ante coronationem valeat omnia administrare, quæ ad Romanum Pontificem spectant; Nam Glos. tantùm intendit ostendere consuetudinem Romanæ Curiæ, ex qua non sumitur argumentum ad probandum, Non licere Romano Pontifici ante coronationem efficere quæcunque licent post Coronationem ex defectu potestatis, sed voluntatis, nempe quod velit, antequã aggrediatur fungi munere
E re Apostolicæ dignitatis, seruare omnes solennitates, & sacras cæremonias ab Ecclesia institutas ad implorandam opem diuinam, vt in Apostolicæ dignitatis apice constitutus Deo in omnibus placeat. Nec verum est in illa Extrau. Quia nonnulli De sent. excommun. quæ est vltima omnium Extrauag. Excommunicari affirmantes Papam ante Coronationem non se appellare Episcopum, & non vti Bulla, in qua nomen eius exprimatur, vt dicit Castald. in Tract. De Impera. quæst. 47. numero tertio, sed solum ibi excommunicantur, vt superius dixi, qui huiusmodi occasione literas à Summo Pontifice ante coronatio-

nem

nem emanatas ausi fuerint impugnare. Vel etiam dici potest, ibi non excommunicari, qui dicunt Papam ante coronationem non solere se appellare simpliciter Episcopum, neque vti Bulla integra, sed dimidiata, sed potius excommunicari, qui dicunt non posse tunc nec debere appellare se Episcopum, neque vti Bulla integra, vt patet ex verbis dictæ Extrauag.

Concludamus Summum Pontificem Paulum Quintum edidisse hanc Bullam Cœnæ Domini, quam explicauimus, Anno quinto sui Pontificatus: Ipse enim A renunciatus fuit Pontifex vnanimi omnium Cardinalium consensu die 16. Mensis Maij, Anni 1605. & coronatus de more die 29. Mensis Maij, Anni 1605. Quare hoc Anno M D C X. currente, quo hanc Bullam promulgauit, iam elapsi sunt quinque anni Pontificatus ipsius tam à die Creationis, quàm Coronationis, & decurret sextus, quem vnà cum pluribus alijs sequentibus, vt felicissimè, & fortunatissimè perficere, & complere valeat, à Deo Optimo Maximo pro sua benignitate ad communem Ecclesiæ suæ vtilitatem enixè precamur.

Finis Explicationis Bullæ Cœnæ Domini.



